PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SIVE

BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, OECONOMICA

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM

QUI

AB ÆVO APOSTOLICO AD INNOCENTII III TEMPORA

FLORUERUNT;

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER DUODECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA;

DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS LECTIONIBUSQUE VARIANTIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA;

OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA;

INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA;

CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA;

OPERIBUS CUM DUBIIS TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;

DUOBUS INDICIBUS GENERALIBUS LOCUPLETATA: ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID UNUSQUISQUE PATRUM IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ TEXTUS COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR: CHARACTERUM NITIDITAS, CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO OPERIS DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM; OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

UNIVERSITÉ LILLE BIBLIOTHÈQUE

SERIES SECUNDA,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A GREGORIO MAGNO AD INNOCENTIUM III.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIA BINA EDITIONE TYPIS MANDATA EST, ALIA NEMPE LATINA, ALIA GRÆCO-LATINA. — VENEUNT MILLE FRANCIS DUCENTA VOLUMINA EDITIONIS LATINÆ; OCTINGENTIS ET MILLE TRECENTA GRÆCO-LATINÆ. — MERE LATINA UNIVERSOS AUCTORES TUM OCCIDENTALES, TUM ORIENTALES EQUIDEM AMPLECTITUR; III AUTEM, IN EA, SOLA VERSIONE LATINA DONANTUR.

PATROLOGIÆ TOMUS CLV.

GODEFRIDUS BULLONIUS HIEROSOL. REX. RADULPHUS ARDENS. LUPUS PROTOSPAT. ANSELMUS MEDIOL., BERNARDUS TOLET., ARCHIEPISCOPI. THOMAS EBORAC., ALBERICUS OSTIEN., AMATUS BURDEGAL., POPPO METEN., EPISCOPI. RICHARDUS DE DUMELLIS ABB. PRATELL. MANEGALDUS PRESB. GOSCELINUS CANTUAR., SULCARDUS WESTMONAST., PAULUS S. PETR. CARNOT. MONACHI. FRATRES MAJORIS MONASTERII. BRUNO.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM,
SEU PETIT-MONTROUGE.

1854

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

SÆCULUM XII

GODEFRIDI BULLONII

LOTHARINGIÆ DUCIS

POSTMODUM

HIEROSOLYMORUM REGIS PRIMI

EPISTOLÆ ET DIPLOMATA

ACCEDUNT

APPENDICES AMPLISSIMÆ

MONUMENTA PERPLURIMA DE BELLO SACRO COMPLECTENTES

SEQUUNTUR

RADULPHI ARDENTIS HOMILIÆ

DUOBUS TOMIS DISTRIBUTÆ

INTERMISCENTUR

LUPI PROTOSPATARII CHRONICON

NECNON

ANSELMI MEDIOLANENSIS, BERNARDI TOLETANI, ARCHIEPISCOPORUM, THOMÆ EBORACENSIS, ALBERICI OSTIENSIS, AMATI BURDEGALENSIS, POPPONIS METENSIS, EPISCOPORUM; RICHARDI DE DUMELLIS, ABBATIS PRATELLENSIS, MANEGALDI PRESBYTERI, GOSCELINI CANTUARIENSIS MONACHI, SULCARDI WESTMONASTERIENSIS, PAULI S. PETRI CARNOTENSIS MONACHI, FRATRUM MAJORIS MONASTERII, BRUNONIS

OPUSCULA, DIPLOMATA, EPISTOLÆ

ACCURANTE J.-P. MIGNE

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE

TOMUS UNICUS

VENIT 10 FRANCIS GALLICIS

—

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM
SEU PETIT MONTROUGE

1854

ELENCHUS

AUCTORUM ET OPERUM QUI IN HOC TOMO CLV CONTINENTUR.

JOSCELINUS CANTUARIENSIS MONACHUS.

Vita major S. Augustini Anglorum apostoli — *col.* 11
Vita minor ejusdem. — *ibid.*
Historia translationis ejusdem. — 14
Vita S. Swithuni. — 47
Vita S. Ivonis episcopi Persæ. — 79
Vita sanctæ Wereburgæ. — 93
Vita sanctæ Eadgithæ seu Edithæ. — 109
S. Laurentii elogium auctore Mabillonio. — 115

LUPUS PROTOSPATARIUS.

Chronicon. — 121

FRATRES MAJORIS MONASTERII.

Epistola de morte Bernardi abbatis. — 143

BRUNO.

Gregoriale. — 145

BERNARDUS TOLETANUS ARCHIEPISCOPUS.

Sermones. — 147

MANEGALDUS PRESBYTER.

Opusculum contra Wolfelmum Coloniensem. — 149

PAULUS S. PETRI CARNOTENSIS MONACHUS.

Vetus Agano. — 197

GODEFRIDUS BULLONIUS HIEROSOLYMORUM REX

Epistolæ et diplomata. — 389
Ad Godefridum appendices. — (Vide *Ordinem rerum* ad calcem voluminis.) — 451

RADULPHUS ARDENS.

Homiliarum tomus primus. — 1665
Homiliarum tomus secundus. — 1299

(*Homiliarium Radulphi tomum priorem, quem typographorum oscitantia loco suo movit, repone post notitiam in Radulphum, col.* 1299.)

THOMAS EBORACENSIS EPISCOPUS.

Epitaphium Guillelmi regis. — 1625
Epistolæ ad Lanfrancum. — 1625
Epistola ad archiepiscopos et episcopos per Angliam constitutos. — 1626

RICHARDUS DE DUMELLIS ABBAS PRATELLENSIS.

Commentarium in Genesin. — 1629
Epistola ad S. Anselmum Cantuariensem. — 1631

ALBERICUS OSTIENSIS EPISCOPUS.

Epistola ad monachos S. Orientii Auxitanensis. — 1631

SULCARDUS WESTMONASTERIENSIS MONACHUS.

De fundatione abbatiæ Westmonasteriensis. — 1635

AMATUS BURDEGALENSIS EPISCOPUS.

Epistolæ. — 1637
Synodus Gerundensis. — 1644
Synodus Burdegalensis. — 1645
Diplomata. — 1647

POPPO METENSIS EPISCOPUS.

Diplomata. — 1651
Epistola ad Lambertum Atrebatensem. — 1656

ANSELMUS MEDIOLANENSIS ARCHIEPISCOPUS.

Diplomata. — 1657

Ex typis MIGNE, au Petit-Montrouge.

ANNO DOMINI MC.

GOSCELINUS

CANTUARIENSIS MONACHUS.

NOTITIA HISTORICA.

(OUDIN, *Comment. de Scriptoribus ecclesiasticis*, II, 961.)

Gotselinus, seu *Goscelinus*, S. Bertini in Artesia monachus, natione, ut creditur, Gallus, ex ordine divi Benedicti, monasticen in cœnobio Bertiniano primum professus, tum postea ad monasterium Sancti Augustini Cantuariensis in Angliam vocatus, ob eximias observantiæ regularis ac doctrinæ omnifariæ dotes, scripsit diligentissime omnium *Vitam sancti Augustini Cantuariensis archiepiscopi*, post Bedam, libro I *Historiæ Anglorum* cap. 23 et sequentibus, et libro II, capitibus 2 et 3, *duplici opusculo, majore scilicet et minore*, ut in præfatione sua enarrat num. 4. Illorum *alterum* post Lanfranci opera, tacito auctoris nomine editum reperitur a Dacherio anno 1648, Parisiis, in-folio. *Alterum* nempe majus opusculum nusquam editum, evulgatur Scicalo primo *Sanctorum ordinis divi Benedicti*, p. 499, cum libro Miraculorum ab eodem Gotselino composito. Prologus majoris operis incipit : *Dominis charissimis*, etc. Libellus autem incipit : *Potentissimus triumphator*, etc. Claruisse ipsum refert ad annum 1096 Guillelmus Cavus in *Historia rei litterariæ* sæculo XI, pag. 629, ad annum 1110 Gerardus Joannes Vossius libro II *De historicis Latinis* cap. 48, pag. mihi 398, quorum utrumque verum esse potest. Præterea Gotselinus iste *Historiam translationis sancti Augustini duobus libris* sancto Anselmo Cantuariensi episcopo nuncupatis comprehendit, mss. penes Joannem Mabillon, quos dabit in publicum *Sæculo* VI *Sanctorum ordinis divi Benedicti*. Commendavit quoque scriptis *Vitam sancti Swithmi Wintoniensis episcopi*, quæ ipsa vel saltem ejus epitome apud Laurentium Surium exstat tomo IV, ad diem 11 Julii. Præterea *Vitas S. Laurentii archiepiscopi Dublinensis, Grimbaldi abbatis, Erkenvaldi episcopi, Edgithæ, Milpurgæ et Witheburgæ virginum*. Item librum *De origine sancti Ivonis* et alterum *De translatione ac miraculis ejus* de quibus Vossius loco citato. Hanc habent *Acta sanctorum* ad diem 10 Junii, tomo II, pag. 287, ubi de S. Ivone episcopo Persa et tribus sanctis sociis in Anglia. Quam scripsit Goscelinus monachus Ramesiensis abbati suo Herberto inscriptam, creato 1087, ac post quatuor annos episcopo Nortwicensi facto, cujus encomium habetur in *Monastico Anglicano* pag. 1003. At Goscelinus postea monachus Cantuariensis ad S. Augustinum scripsit Vitam S. Augustini Cantuariensis archiepiscopi datam ad diem 26 Maii, atque alias plures *sanctorum* Vitas, habitus post Bedam secundus in laudibus SS. Angliæ celebrandis, uti de ipso testatur Malmesburiensis lib. IV De gestis regum Anglorum, cap. 1. Hic infra in prologo explicat, quænam ab Andrea Leucandro abbate Rameseiensi primo *vitæ* hujus auctore acceperit, quidque ipse ex aliorum relatione addiderit. Quæ autem cap. 4 habentur, ab eodem auctore adjuncta sunt, cum adhuc viveret Herbertus Nortwicensis episcopus, anno 1119 22 Julii mortuus.

Nullus qui pompa majore opera Gotselini Bertiniani seu Cantuariensis monachi describat, Henrico Warthon eruditissimo Anglicarum rerum viro, qui plura ejusdem opuscula ex mss. codicibus eruta evulgavit, tomo II *Angliæ Sacræ*, de quo ita in præfatione, num. 3, pag. 6.

« Goçelinus sive Gotselinus, Bertinianus vulgo dictus, narrante Baleo, Cent. XIII, cap. 17, patria Morinensis erat, monachus ad S. Bertini fanum. Postea crebrescente eruditionis fama ab Anselmo archiepiscopo in Angliam accitus, primo apud Ramesiam sub Hereberto abbate, postea apud S. Augustini Cantuariense cœnobium vitam monasticam duxit, et plures sanctorum Anglicanorum Vitas litteris consignavit. Paria habet Vossius, lib. II *De Historicis Latinis*, cap. 48, nisi quod ordine inverso, illum monachum primo Cantuariensem, postea Ramesiensem fuisse velit. Male uterque. Si enim Gotselinus in Angliam ab Anselmo archiepiscopo evocatus fuerit, neutiquam potuit inter Ramesienses degere sub Hereberto abbate, qui abbatiam anno 1091 dereliquit. Certiora habet de Gotselino Willelmus Malmesburiensis, lib. IV *De gestis regum Anglorum* in fine, inquiens : *Goscelinus monachus de S. Bertino, cum Heremanno episcopo Salesberiæ quondam Angliam venerat* (Heremannus post triennalem moram apud S. Bertinum factam, in Angliam rediit anno 1058), *insignis litterarum et cantuum peritia. Is multos episcopatus et abbatias perlustrans tempore, præclaræ scientiæ multis locis monumenta dedit, in laudibus sanctorum Angliæ nulli post Bedam secundus, musicæ porro palmam post Osbernum adeptus. Denique innumeras sanctorum Vitas stylo extulit, veterum vel hostilitate amissas, vel informiter editas comptius renovavit. Hujus quoque* (*S. Augustini Cantuariensis*) *translationis seriem ita expolivit ut eam præsentibus monstrasse digito, futurorumque videatur subjecisse oculo*. Se monachum fuisse Sancti Augustini Cantuariensis, Gotselinus in utraque præfatione ad Vitam S. Augustini testatur. Scripsit enim duplicem Historiam de ejusdem Vita. *Fecimus* (inquit in præfatione ad Hist. majorem) *de eadem materia duos codices, majorem et minorem*. Majorem edidit Joannes Mabillonius in Actis Benedictinorum Sæculo I, pag. 499, addito etiam libro ejusdem majori *De miraculis S. Augustini*, ibidem pag. 535. Historia minor *De Vita*, et alia minor etiam *De miraculis S. Augustini*, in Bibliothecæ Lambethanæ codice, inscriptæ Gotselino reperiuntur. Ex hoc

Vitam minorem descripsimus et typis hoc tomo II, pag. 55, evulgari curavimus, ne primo apud Anglos fidei Christianæ prædicatori sua apud Anglos laus deesset, quamvis perpauca de illo Gotselinus noverit, quæ non antea Beda scripserit. Longe amplior est *Historia major*, quæ tamen si fabulas et inanes verborum phaleras omittas, nihil *Historiæ minori* intactum habet. *Minorem* antea ediderat Dacherius in appendice ad Lanfranci opera, Parisiis 1648, pag. 57, sed auctoris nomine et integro capitulo 36 destitutam. Plurima Gotselini opera in codice perantiquo et pereleganti Cottoniano *Vespasianus B.* 20, isthoc ordine exstant :

« *Historia minor de Vita S. Augustini Cantuariensis archiepiscopi.*

« *Historia minor de miraculis S. Augustini.*

« *Historia major de Vita sancti Augustini ejusdem*

« *Historia major de miraculis S. Augustini.*

« *Sermo in Festivitate S. Augustini.* Incipit : *Præclara diei præsentis solemnitas.*

« *Libri* 2 *ad Anselmum de translatione S. Augustini*, anno 1091, 6 Septembris facta. Hos Sæculo sexto Benedictino in lucem proferre cl. Mabillonius spondet. *Sæculum* VI *sanctorum ordinis divi Benedicti*, quod est ab anno 1000 ad 1100 colligere cœpit dominus Luca D'Achery congregationis S. Mauri monachus, D. Joannes Mabillon et Theodoricus Ruinart ejusdem congregationis, illustrarunt et cum indicibus necessariis ediderunt, 2 vol. in-folio, Parisiis 1701, apud Carolum Rebustel. His libris continua serie subjungitur *Vita S. Petardi.*

« *Vita S. Mildredæ.*

« *Translatio S. Mildredæ, et institutio monasterii ejusdem.*

« *Vitæ sanctorum Laurentii, Melliti, Justi, Honorii, Deusdedit et Theodori archiepiscoporum Cantuariensium.* In his quidquid historicum est, ex Beda totidem fere verbis desumptum est, ampliatis duntaxat magnifice Bedæ sententiis, et miraculis multis in singularum fine appositis. In *Vita S. Laurentii* auctor longa digressione facta, fidem sui temporis miraculis conciliare nititur.

« *Vita Adriani abbatis S. Augustini*, quem anno 708 obiisse refert.

« *Historia de translatione ejusdem*, tempore Willelmi regis facta.

« *Libellus contra inanes sanctæ Mildredæ usurpatores*, probans corpus ejus non in parochia S. Gregorii Cantuariensis, in ecclesia ficto nomine Miltrudis nuncupata, sed in cœnobio S. Augustini, ad quod ab Ælstano abbate tempore Canuti regis translatum est, adservari. Hactenus codex Cottonianus.

« Præter hæc a Gotselino Baleus scriptas memorat *Vitas SS. Swithuni, Grimbaldi, Erlfenwaldi, Eadgithæ, Milburgæ, Witheburgæ et Ivonis, et Historiam de translatione Ivonis.* Porro vetustum catalogum sanctorum in Anglia sepultorum Saxonice scriptum, Latine convertisse dicitur ab Usserio, *Antiquitatum Britanniæ* cap. 2, pag. 15. Cujus versionis plurima exemplaria in bibliothecis nostratibus reperiuntur. Ejusdem *Cronicam* laudat Guillelmus Thorn in *Historia S. Augustini*, col. 1783. Nec de alio intelligenda esse arbitror, quæ antiquum Ecclesiæ Eliensis registrum habet, cap. 10. Tempore Symeonis abbatis (Eliensis, qui ab anno 1082 ad 1094 præsedit) *intererat inter monachos quidam Gocalinus nomine, disertissimus, undique per Angliam Vitas, miracula et gesta sanctorum sanctarumque in Historiis, in Prosis dicando mutavit. Hic scripsit prosam S. Etheldredæ, cujus initium est :* Christo Regi sit gloria. Obitum illius Obituarium Sancti Augustini Cantuariensis ita commemorat : *Idibus Maii obiit Gezelinus, monachus et sacerdos. Vitam S. Wereburgæ virginis* auctore Goscelino monacho, edidit Godefridus Henschenius ad diem 3 Februarii tomo I, pag. 386; quam illi asserit in commentariis ad Vitam præviis paragrapho 1, num. 2, pag. 384. Anno quoque 1688, Antuerpiæ apud Michelem Cnobarum Daniel Papebrochius in *probatis sanctorum Vitis*, tomo VI, Maii mensis ad diem 26, pag. 375 et sequentibus, edidit opuscula Gocelini omnia ad *Vitam S. Augustini Cantuariensis episcopi* spectantia, nimirum *De vita et miraculis* libros 2, *De translatione* libros 2 quibus commentarium p. 373 præmisit, ad paginam autem 443 pertingunt. In eadem autem Cottoniana Bibliotheca sub effigie Vibellii, littera *c*, codice 8, n. 15, exstat *Vita sancti Kentigeani confessoris*, qui et Ingalschu nominatur, per Joscelinum. »

Commendat eximie hunc *Goscelinum* Guillelmus Malmesburiensis lib. IV *De regibus Anglorum*, cap. ultimo, et in libro *De Dorobernensibus archiepiscopis.* Cæsar Baronius, in Annalibus ad annum 862, Gotzelinum hunc *Morinensem* appellat, alii *monachum Bertinianum*, quæ cum superioribus minime pugnat; nam ex oppido Sancti Audomari seu abbatia Sancti Bethini in Angliam a S. Anselmo evocatus est. Plura de illo Joannes Mabillon in observationibus prævis ad Vitam sancti Augustini Cantuariæ archiepiscopi, *Sæculo* I *Sanctorum ordinis divi Benedicti*, pag. 498; quod anno 1668 Parisiis in-folio apud Carolum Sarreux impressum est. Gerardus Joannes Vossius, lib. II *De historicis Latinis*, cap. 48, pag. mihi 398. Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica*, verbo *Gotselinus*, pag. 298, editionis 1643, Lovani in-4°.

S. AUGUSTINI ANGLORUM APOSTOLI
VITA MAJOR.

(*Vide Patrologiæ tom.* LXXX, *col.* 41.)

EJUSDEM VITA MINOR.

(*Vide Patrologiæ tom. CL, col.* 743.)

HISTORIA TRANSLATIONIS S. AUGUSTINI EPISCOPI

ANGLORUM APOSTOLI

Aliorumque sanctorum qui in ipsius monasterio Cantuariensi quiescebant.

AUCTORE GOCELINO EJUSDEM LOCI MONACHO ÆQUALI.

(MABILL. *Acta SS. Bened.*, tom. IX.)

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. Gotselinus seu, ut codex ms. habet, *Gocelinus*, monachus e Bertiniano in Cantuariense monasterium translatus, totum sese scribendis sanctorum historiis ita dedit, ut præcipuus post Bedam Venerabilem rerum a sanctis viris in Anglia gestarum scriptor a plerisque auctoribus censeatur. Jam ex eo beati Augustini Anglorum apostoli Vitam Sæculo I Benedictino edidimus ad annum 607, reservata ad hoc usque tempus ejusdem sancti aliorumque in monasterio suburbii Cantuariensis quiescentium translationis historia, quod multum conferat ad illustrandas res ordinis nostri hoc præsenti sæculo undecimo in Anglia gestas. Plura de eodem auctore hic congerere superfluum esset, cum jam satis superque notus esse debeat ex iis quæ loco Sæculi I laudato de eo protulimus : ubi etiam de sanctis in eadem translationis historia memoratis plura diximus, quæ hic repetere non juvat.

2. Superest itaque ut pauca solummodo dicamus de aliis sancti Augustini translationibus, quæ postea variis occasionibus factæ fuerunt, ut ex Willelmo Thorno discimus, qui monasterii Augustinensis, in quo degebat, Chronicon scripsit, ad annum usque 1397 productum. Hic auctor ait Widonem abbatem anno 1091 statim peracta solemni, quam Gocelinus describit, sanctarum reliquiarum translatione, pleraque beati Augustini ossa in ecclesiæ muro abdidisse : ne forte irruentibus Danis sive Northmannis, aut aliis barbaris, quod tunc in Anglia sæpius contingebat, ossa beati pontificis violarentur. Nec inutilis fuit abbatis cautela. Nam anno, ut idem auctor attestatur, 1168, die decollationis sancti Joannis Baptistæ, combusta ferme integra Augustinensi ecclesia, beati pontificis feretrum ita deformatum fuit, atque exinde ita neglectum, ut paulo post plane ignotum fuerit quo in loco sancti antistitis reliquiæ haberentur. Id tandem ægre tulerunt Augustinenses monachi : quare anno 1221 instigante Joanne ejusdem loci priore, cum aliis monasterii senioribus, jejuniis, vigiliis, orationibus aliisque piis exercitiis vacare decreverunt, quousque tanti thesauri notitiam a Deo acciperent. Annuit eorum votis Deus, ac prior, aliquot fratrum consilio, qui hoc sibi a Deo revelatum fuisse fatebantur, jussit murum effringi juxta altare sancti Augustini, ibique detectus fuit saxeus loculus, qui, indicante inscriptione, beati Augustini corpus continebat.

3. Aberat tunc Hugo loci abbas, ad Ludovicum Francorum regem legatus : quo reverso, convocatis ad solemnitatem multis abbatibus, aliisque Angliæ proceribus, beati viri reliquiæ in locis congruentibus reconditæ sunt, excepto capite, quod in vase auro argentoque ac variis et pretiosissimis lapillis ornato conclusum fuit, ut populorum venerationi statis diebus exponeretur. Ceterum vicennio postea, anno scilicet 1240, restaurato monasterii sacrario, corpus sancti Augustini in ejus medio collocatum est, habens ex utraque parte aliorum ejusdem loci patronorum corpora in gyrum disposita : annis sequentibus duo altaria addita sunt, unum scilicet ex utraque parte, quæ omnia egregia repræsentat, tabula æri incisa, quam tomo I Monastici Anglicani habes, eamque Papebrochius tomo VI Maii Bollandiani ad diem XXVI ejusdem mensis inseri curavit, ne pereat tam illustris Anglicanæ pietatis monumenti memoria, quam Henrici octavi apostasia sanctuarii eversione alias abolevisset. Beati viri mentum hanc cladem evasit, quod religiose asservatur in monasterio sancti Salvatoris ordinis Cisterciensis apud Antuerpiam, celebrem Belgii urbem. Librum de hac re singularem reverendus dominus Franciscus Dierick, ejusdem loci abbas, edidit, qui anno 1624 typis mandatus est.

4. Porro licet ad calcem Vitæ sancti Augustini Sæculo I polliciti fuerimus nos huc integram translationis ejus historiam prolaturos, cum tamen eam postmodum cum V. C. Daniele Papebrochio communicaverimus, qui illam ad diem XXVI Maii Bollandiani edidit, visum est satis hic ea solummodo exhibere, quæ magis conferre poterunt ad illustrandam hujus Sæculi historiam Benedictinam, relictis miraculis aliisque minoris momenti actis, quæ apud ipsos Bollandianos, qui plura cupit, inveniet.

INCIPIT PROLOGUS DOMNI GOCELINI

Ad venerabilem Cantuariensem archiepiscopum Anselmum, de translatione sancti Augustini, Anglorum apostoli, et sociorum ejus.

Dux Anselme, Patrum Pater, et vigor ecclesiarum,
Quem celebrat titulis Romanus et Anglicus orbis,
Ne spernas imi pronum munus Gocelini.

In arce sapientiæ ad mensam cœlestis philosophiæ, ecclesiastice princeps, principaliter præsidenti ferculum tibi aureum afferre gliscit cor meum, non mei studii, sed Augustini summi opibus pretiosum,

ejus virtutibus refertum, ejus charismatibus conditum, ejus sanctorumque sociorum ipsius auro et gemmis confectum. Codicellus est recentis translationis, signorumque ipsius, suorumque consortum, quæ diversis locis per hoc fere ab ipsa translatione septennium, testibus fidelium præsentium aspectibus clare patrata noscuntur. Beata tui pontificii tempora, in quibus tanta diuturnitate clausa parturiente sanctorum terra, reluxit nobis cum suis gemmis hæc angelica margarita! etc

LIBER PRIMUS.

CAPUT I. *Translationis hujus festum aliis SS. commune.* — Post antiqua evangelici protoparentis anglorum Augustini solemnia cœlo triumphata, quæ nuper egimus laude festiva, nova nobis oritur gloria, nova lætitia, solemnitas nova. Ipsa est sua sanctorumque collegarum suorum translatio nova, quæ post centum (1) fere lustra in nova ejus facta jam lucet Ecclesia, etc.

CAP. II. *Nova ecclesia amplior exstruitur.* —Sublimatum augustius novæ Augustini ecclesiæ presbyterium totum illud cum amplis porticibus amplectitur spatium, quod sanctæ Dei Genitricis ab oriente contiguum possederat oratorium, suo cœlestiumque virtutum jugi solemnio ac signis illustrissimum. Hinc reliqua navis veteris monasterii cedere jussa ædificio surgenti, jamque rea minarum excidii, ne obruat diruitur. Ante tamen cuncta sanctorum turba omnibus sacrariis diffusa a jactura eruitur, et novis tectis reponitur, sicut illi a mundi ruina cum Loth a Domino liberantur. Sic apostolica Augustini aula ad destinatam metam tendebat, sed suæ dormitionis porticus obstabat. Quid faciat ergo auctor ædificii devotus abbas Scollandus, dum nec illa sancta penetralia tanto ævo intacta movere præsumit, nec opus cœptum, nisi ablatis obstaculis, procedere possit; maxime cum prædecessor suus præscriptam Dei Genitricis basilicam fractam morte luerit. Sed ipso inter hæc superno arbitrio de medio terrenarum curarum sublato, successit abbas Wido (2), cujus anno quarto (3) facta est quæ ascribitur translatio. Cui rex consultus favens jusserat, ut cum pontificum et abbatum populorumque affluentia decentissime ageret hæc solemnia, volebat et ipse interesse, sed tunc ibat (4) in expeditionem Scottiæ. Sed monasteriarcha, ubi turrim præfatis porticibus supereminentem augusto fastigio extulerat, dum reliquam templi navim protendere flagrat, illud beatorum cubiculum moræ impatiens, qua sancti eruerentur, forti ariete subvertit, totque superni regni principes longiturna pace soporatos, festinata modo virtute negligentiam excusante obruit. Antea tamen condignorum sanctorum Adriani confessoris et Mildrethæ Christi virginis nardiflua pignora mira suavitate vernantia solemniter exportari, et imminentem casum evadere fecit.

CAP. III. *Illæsæ inter ruinas SS. reliquiæ.* — At vero ipsis primoribus, videlicet Augustino, Laurentio, Mellito, Justo, Honorio, Deusdedit in prædicta obrutione relictis, divina protectione quasi manum submittente, saxa et ligna pepercere, quibus durior humana obstinatio non pepercit. Nam ubi tantæ moles lapidum, trabium tectorumque plumbatorum, quæ sacrosancta corpora obruerant, sunt ablatæ, omnes illæ illorum sepulcrales ædificulæ cum essent fractiles et lateritiæ, sed et sculpturæ et imagines angelicæ cum Dominica majestate (5) super tumbam magnifici Augustini mirifice formatæ, cunctis miracula Dei acclamantibus illæsæ apparuere.

CAP. IV. — Restabat interim paries australis, qua parte almus Augustinus, sacerque Deusdedit quiescebant; qui tandem multo ariete solutus, dum certo nutu sanctos oppressurus crederetur, protinus inæstimabili Dei virtute, quasi in saltum excutitur, et ad austrum contra impellentes totus integra soliditate prosternitur; quantumque vastus et cacuminatus erat, tantum spatii jacens occupabat. Vix evasissent securi impugnatores, nisi his superna clementia sanctorum meritis pepercisset. Tum vero ad tam evidens signum clamor laudisonus attollitur omnium. Nam qui superius dilectos obrutos servaverat, hic ne obrueretur, vetabat. Sic plerumque ipse sanctorum mirificator alios in mediis ignibus protegebat, ab aliis etiam ignes fugabat; istos per profundum maris sicco vestigio transtulit, alios super undas currere fecit.

CAP. V. *Sub dio relictæ.* — Jacuere tunc per novem hebdomadas illæ cœlestes exuviæ sub dio ac si vulgaria funera expositæ, et ad omnem impetum aeris ac sordium patuere. Adeo, proh dolor! terrestris dissimulabat indignitas, quibus angelos concives frequentasse credimus excubias. Certabat tamen fratrum devotio pro suo modulo defensacula speciali principi suo parare Augustino.

CAP. VI. *Negligens corripitur.* — Composuere tu-

(1) Obiit an. 707.

(2) Id est anno 1091.

(3) Scollandus, ut dicitur infra cap. ultimo libri II, obiit uno die ante Guillelmum regem, id est die VIII Septembris anno 1087. Guillelmus enim Conquestor Rothomagi defunctus est IX Septembris ejusdem anni, ex Orderico Vitali et aliis auctoribus: hinc emendandus Guillelmus Thorn, qui Scollandi bitum die III Nonas Septembris consignavit. Scollando successit Wido, ex monasterii gremio assumptus.

(4) Is erat Guillelmus Rufus, qui ex Northmannia hoc anno, mense Augusto reversus, in Malcholmum regem Scottorum Northumbriam infestantem movit.

(5) Id est SS. Trinitatis seu Christi.

gurium assiculis [*id est* parvis asseribus], et unus aut duo pro artitudine vicissim agitabant vigilias cum luminibus et canticis divinis; ubi unum forte somno prægravatum vox audita increpuit: « Et hic, inquit, non dormitioni sed orationi locus congruit; » qua correptione frater ille vigilantior est redditus in prece.

CAP. VII. *Ornamenta mire servantur* — Deinde candela oblata, candelabro negligenter affixa, super tumulum sancti linteis et palliis solemniter ornatum decidit, ibique trium pedum tractum signante favilla (aberant enim custodes) exarsit. Tandem su perventum est, candela ablata, favilla excussa, lin tea et pallia prorsus intacta fulsere; quo miraculo omnes Deo gratias exsultanter reddidere.

CAP. VIII. — *Gundulfus ep. Roffensis translationem facit.* — Jam dies propositus gratissime illuxerat sacræ translationis. Adest venerabilis pontifex ecclesiæ Roffensis Gundulfus, qui tunc archipræsulis defuncti (5*) auctorali vice pollebat. Progreditur cum abbate et Patribus ac officialibus hymnidicis ad illud Sanctum sanctorum, ad illud Domini sacrarium ac propitiatorium. Jubet primum summi Augustini aperiri; nemo approximare præsumpsit, timor omnes absterruit. Videres artifices tanquam reos sub judicibus et quæstoribus ac fulmine trepidantes. Viderant pridem egregium juvenem monasterii artificem celeri morte multatum, qui jussu ablatis primus hanc sacram porticum impulit; nec ille tam officiosus excusari potuit, quia præceptori obedivit, quin pœnam præsumptricis gratiæ luerit, sed fidentissimus episcopus jam triduana abstinentia prælibata a fratribus, armatus fide, prece ac devotione, ultro ferramentum invadit, ictum in tumbæ frontem dedit, suoque exemplo et hortatu reliquos in opus animavit.

CAP IX. *Odor suavis e sepulcro S. Augustini.* — Primo præstantissimus artificum magister, templique spectabilis dictator Blitherus, expetita pontificis benedictione, trepide, lacrymose et prostratim accedit, altareque capitis summi Augustini ad pavimentum exhaurit. Ibi complanatum areæ Parii marmoris candens saxum quadratum offendit. Quo paululum evecto, crumpens vapor nardifluus quæsitorem suum in ora reverberavit, et se adesse qui quærebatur, sua suavitate pulsanti respondit. Intellexit vir prudens ultro oblatum, quem alto fossatu et laborioso quæsitu formidaverat vix inveniendum; stupensque et tremens lapidem reposuit, atque hoc mirificum thymiamaterium occlusit, perpendens sapienter non sui esse officii ulterius progredi. Cedit illico, testatus summisse quæsitum pignus adesse; nec tacebat interea jugis psalmodia. Protinus jussu abbatis fratrum manibus removetur prædictus lapis. Tum vero ingens spiritus suavissimorum aromatum velut a pectore et ore dormientis Augustini exsiliit, longeque ventilatus, omnes tam mira quam inexperta prius dulcedine replevit. Quoque magis hæc balsamatica apotheca reserabatur, eo profusius odor cœlestis jaculabatur. Continuo locus ob gloriam Patris et impetum populi cortinis ambitur, intusque a fidelibus domesticis desiderantissimus thesaurus perscrutatur.

CAP. X. *Aperitur tumulus.* — Jam patente ostio clara luminaria ingeruntur, et ecce Angliæ Christianitatis institutor primicerius, tot sæculis absconditus, tam desideratus, tam magno quam insperato gaudio ostensus, post annos fere quingentos conspicitur. Sane tot tempestatibus bellorum, tanto diluvio paganorum, exterminio populorum, subversione urbium et ecclesiarum, mira Dei protectione Augustinianum vestibulum, ut arca Noe, semper manebat intactum. Unde et ubi, et sicut primitus ipse cum beatis collegis suis a die dormitionis est conditus, eodem loco et eodem modo immotissimus est inventus. Patebat forma et quantitas corporis, pietas et qualitas antiquæ obsecutionis, primæque tumulationis. Cernitur cum casula, alba, stola, baculo, sandaliis cæterisque pontificalibus instrumentis, ut putaretur adhuc carneæ integritatis, nisi tactus probasset conditionem mortalitatis; quæ tamen est ad augmentum gloriæ immortalis. Omnium ergo votis speluncam illam inestimabilis pretii thesaurariam fratres idonei cum summo ingrediuntur tremore ac reverentia, cum prece et laude Davidica. Colligunt in scrinia linteata, et palliata illa aurea, ac gemmea pignora, compagine et harmonia corporali rite composita. Asserit etiam aliquis illorum veridica constantia se inter illum pulverem pigmentarium solidas adhuc carnes quingentarii depositi manu contigisse, et suppliciter fovisse: unde hic merito estimatur hæc sacra gleba in custodia supernæ gratiæ, longiturna durasse incorruptione.

CAP. XI. *Fit magna solemnitas. S. Augustini corpus transfertur.* — Interea indicta a præsule summa et omni nitore lætitiæ colenda festivitate, totum monasterium adornatur tanquam Paschali dignitate. Extemplo tantæ novitatis fragrantiam procul odoratur turba remota, confluit urbs tota, inundat Cantia, undique concurrunt populorum examina. Gratulantur immensum Augustinum suum jam quasi de morte reductum, etc. Exportatur itaque cum omni ornatu et processu ac jubilo celebritatis ecclesiasticæ, cum vocum ac cymbalorum modulatione, cum supernorum et infimorum socia congratulatione, atque cum hac altisona gloria, ante authenticum altare summorum apostolorum, velut depositum cœleste componitur, donec parato decenter thoro collocetur. Tanta vero gratiarum Christi charismata refundebantur in populum de tanti Patris dulcedine, ut velut incensum passim stillarent la-

(5*) Sedes Cantuariensis ab anno 1089, quo defunctus est Lanfrancus, vacua fuit usque ad S. Anselmi ordinationem anno 1093 factam. Gundulfus apud Beccum in Northmannia monachus fuerat sub Herluino abbate. Ejus Vita edita est tom. II Angliæ sacræ p. 273.

crymis lætitiæ, quibus ille dies paternæ præsentiæ eo tenus inestimatus potuisset clarescere.

Cap. XII. *Ægri sanantur.* — Nec vacat interea a salute ille locus prioris quietis, ille lectulus prolixæ dormitionis ; calet magni incolæ accubitu, sudat opifera balsama, et odore suo curat morbida : ægri, languidi, debiles, contracti veniunt vespere, et incolumes redeunt mane, etc.

Cap. XIII. *Inimici reconciliati.* — Magna erant tunc de Augustini præsidio miracula corporalium sanitatum , sed majora sunt cordium sanatorum. Vidimus hic irremediabiles inimicos convenisse, *qui ad sancti præsentiam reconciliati sunt*, etc. In tam nova tamque præclara festivitate episcopus missas candido choro conjubilante celebrat , et post evangelium de tanto tanti patroni tripudio populo sermonem dispensat, tantæ lucis mysterium cum spe beatæ resurrectionis, visionis et cohabitationis ejus perpetuæ fideliter intimat. Postremo peccatorum absolutionem, pœnitentibus remissionem, omni populo confluo ejusdem primi præsulis et institutoris sui vice atque auctoritate dat benedictionem, perennemque in Christo confirmat pacem.

Cap. XIV. *Congaudent angeli.* — Superna quoque agmina his solemniis congratulari sunt visa. Contigit hæc celebrabilis translatio in Sabbato, cui sanctæ Dei Genitricis Nativitas succedebat die tertio. In ipso Sabbato et subsequente nocte Dominica, pervigil suorum custos Augustinus cum pernoctantibus psalmicanis ante apostolicum altare præstolabatur apparatum requietionis suæ. Est autem Cantiensis civis presbyter notissimus, probatæ fidei ac veriloquii, qui tunc forte hospitatus Wintoniæ (*Wincester*), in ipsa nocte Dominica circa lucem parabat domum redire. Ecce autem inter somnolentiam vel exstasim, ut ille jurejurando adstipulatur, vidit eminus cœlum apertum super Augustinianum templum, scalamque flammeo fulgore radiantem ab ipsa superna janua usque in caput ejusdem ecclesiæ, qua sanctus Domini accubabat, quasi columnam libratam, angelorumque chorum candidissimo ac splendidissimo habitu per illam descendentem usque in ipsam apostolicam aulam; totum vero monasterium quasi ingens globus flammivomum tantus fulgoris radius cum ipsa scalæ extremitate involvebat, ut repercusso intuitu, quid intrinsecus, vel circa ea loca ageretur perpendere nequiret, etc.

Cap. XV. *Populorum oblationes.* — Deinde post illa Sabbati festa recentia , affulgente Dominica, alia Augustino festivitatis secundatur gloria, cum universa chorea iterum candidata et purpurata, cum præcipiti populorum fluvio et altisono laudum jubilo adornato solemnissime thalamo collocatur, ubi nunc a fronte et facie ecclesiæ pervigil speculator, et custos domus, urbisque, et totius Angliæ suæ aurosa ædicula excubans, rite ab omnibus veneratur, atque ut omnium interventor adoratur. Quis vero tantam vidit oblationem in auro, argento, ceris et candelis, aliisque resellis fidelium? Miraculo erat omnibus tam insueta copia, non capiebant hæc altaria, non sufficiebant colligentium certamina, noctes et dies non quiescebat offerentium turba, etc.

Cap. XVI. *Transferuntur et alii sancti.* — Volebant tunc et beatos ejus consortes transferre, quatinus una ejusdem diei celebritas unius astringeret mentis collegas. Verum et ipso die et sequenti, quæ erat, ut prædictum est, Nativitatis Matris Altissimi Verbigenæ, in uno Augustino componendo manus dedere ; nec suffecerant prorsus, intercurrente jugi plebium glomeratione, opus explere. Tertio demum die, id est tertia feria, vix ædiculam et opertorium accubantis ducis confecere. Quarta tandem die, quæ est quarta feria, quasi expeditis lacertis ad beatissimos contubernales et successores suos, Laurentium ac Mellitum (6), ad ipsum principem devehendos accessere. Laurentius cum ipso duce Augustino primus venit, cum quo et diaboli aciem primus rupit, primusque ab ipso adhuc vivente ordinatus archipontifex, ut quondam sanctus Clemens summo Petro superstiti successit; Mellitum vero electissimum præcellentissimus Gregorius Augustino postmisit auxiliarium, in procinctu Christi strenue succenturiatum. De beato Laurentio dulce esset memoratu quomodo mortuum suscitaverit, super undas maris pedibus cucurrerit, igne de cœlo evocato virtute Eliæ impios conflagraverit; quomodo fontem aridis locis productum in perpetuum rivum effuderit, qua pœna arceatur omnis feminarum accessus ab ecclesia, quæ ejus apostolatui exstructa et consecrata est in Scottia; ut nuper regina Scottiæ inclyta Margareta (7) , cum oblationibus aditum tentare ausa , subito sit percussa atque repulsa, sed clericorum prece restituta. Verum hæc loci artitudine exclusus prætermitto, alibi Deo aspirante retexenda. Mellitissimi vero Melliti, archipræsulis a primitivo Augustino tertii, probatissima sanctitas in Historia fidelissimi Bedæ, conflagrantem urbem Doroberniæ semet ignibus opposito liberat, flammas retrorsum tempestate et turbine violentius propulsat , a cujus facie recidunt ventique rogique, pereuntque citius cum suo terrore. Hujus etiam primi pontificis et illuminatoris Lundoniæ condignis meritis adscriptum legitur, quomodo inclytam ecclesiam Westmonasterii (*Westminster*) nocte Dominicæ diei, qua dedicaturus erat in honore Principis apostolorum , ipse claviger arduum opus prævenerit, et per piscatorem transvectus Tamensem fluvium (*la Tamise*), omne officium et solemnia dedicationis ecclesiastico ordine exegerit; quod claris indiciis intueri fuit, atque in signum facti xenium pontifici insignem piscem miserit.

Cap. XVII. *Quo ordine disposita SS. corpora.* — Pium est etiam posteros audire, quod jam non est inter sanctas locum meruerit. Obiit anno 1097, die x Junii.

(6) Eorum Vitam dedimus Sæculo II Benedictino. Laurentius colitur II Februarii, Mellitus XXIV Aprilis.

(7) Malcolmi uxor, quæ adeo pietate enituit, ut

videre, qua hic sancti prius requieverint positione. Primus Augustinus suæ porticus australe latus possidebat, et sacris vestigiis orientalem maceriam pulsabat; ab ejus læva primus successor et lateralis Laurentius, ut præmonstratum est, simili spatio protendebatur, tantummodo remotus quantum loci altare beatissimi auctoris sui Gregorii, hinc inde utrumque adsciscens, occupabat. Cetera pars aquilonaris latitudinis a sinistra almi Laurentii Adrianum sanctum exceperat; virgo autem Christi Mildretha, unica patrum gemma, a boreali pariete australi Augustino concordi respondebat regione, quos supra translatos extulimus. Ejus vertici ut beati Augustini altare astabat; at capiti sacro Laurentii Mellitus ut proximus successor in producta ecclesiæ area imminebat. Mellitus justifluum Justum secundum suam successionem sibi accommodat ad caput: a Justi vero dextera beatus Honorius successor Justi, a dextra Honorii sanctus et a Deo datus Deusdedit successionis suæ ordine subjungebatur. Is nempe a capite summi Augustini ejusdem australis parietis thorum commeruit, quos tantum medium ostium, quo intrabatur discrevit. Sic tamen erant omnia illa angelorum Dei mausolea distincta, ut transitus haberetur inter singula.

CAP. XVIII. *Ignoti sancti tumulus. Appellatur Deonctus.*—Igitur efferendo beati Laurentii corpore, dum pavimentum, quod coram Gregoriano altare inter ipsum et præclarum Augustinum patebat, prius evellendum censeretur, quatinus a latere fracta tumba facilior exitus sancto pararetur, mirum dictu! ferramenta et ingenia omnium ridebat durities laterum. Sane hæc tam solida structura prodebat thesaurum nostra latentem sæcula. Sed quoniam labor omnia vincit, imo fides, quæ in Deo persistit, sude ferri robustissima ab anteriori margine suffodiunt et impellunt. Tandem rebellis fortitudo crebris ictibus subjicitur; nec tamen munitissimus latercularum textus solvitur. Verum, mirabile visu! quasi ligneum tabulatum conclavatum ad spatium amplæ januæ integer sustollitur. Dumque sic excrustato pavimento evulsa crates erigitur, sepulcralis cryptula, quæ coram ipso, vel sub ipso altari latebat, evulso pariter lapillo violatur. Ita modico foramine facto, protinus ingens vapor inexpertæ suavitatis ebulliens, non solum astantes ut vehemens flatus in faciem percussit, sed et totum claustrum monasterii ac fratres in eo residentes nova aromatum virtute perflavit. Ad tam insperatum miraculum dicebant astantes: «Quis iste est?» dicebant absentes: «Quid est hoc?» Ita hic omnibus ignotus persona et nomine, omnibus et præsentibus et absentibus innotuit meritorum charismate. Adeo enim erat omni nostro ævo jam abolitus, ut nihil minus quisquam animadverteret, quam quod sub illa pavimenti planitie aliquid præter humum latitaret. Gratias Deo omnium bonorum largitori! pro noto patrono Laurentio, quem quærebamus, ignotum consortem invenimus; crescitque duplicatum gaudium nostrum, dum utrumque habemus: verum hic uno dolore indignitas nostra tabescit, quod dum scimus quid sit quod habemus, quis sit nescimus, nisi quod illum de intimis Patris Augustini pignoribus fuisse, qui tali loco consepeliri meruerit autumamus. Nomen vero, quia antiquum perdidimus, novum et familiare sibi fideliter imposuimus, ut usque in diem revelationis vocetur nobis sanctus Deonotus. Sub eodem itaque Gregoriano altari, sacrosancta gleba sepulti ad ipsum orientalem parietem contiguum, sicuti Augustini et Laurentii porrigebatur, qui tanquam filius geminorum patrum æque medius, velut utriusque alis fovebatur. Reserata ergo illa aromatum apotheca magis ac magis anniteutes populos reficiebat divina fragrantia. Unde raptum pulvisculum quidam naribus applicuit, et paradisi amœnitatem æstimavit; quoque magis stupeas, cum statim pulverem reposuerit, manus ejus diutius inde fragravit. Quia itaque die illa propter impetum populi non poterant, ipsius Deonoti sacratissimam glebam plumbea theca susceptam mane, id est quinta feria, in novam ecclesiam transtulere, et post novum altare novæ porticus memoratissimi papæ Gregorii decenter reposuere. Habemus unum ex senioribus monasterii adeo notæ probitatis, ut ejus assertioni non credere injuria sit. Testatur hic sibi postera nocte per soporem quasi hujus sancti faciem et formam præclare conspectam, staturæ proceritate et monachili schemate condignam, sequeita allocutam: « Gratias amicabiles habeo et mercedem perpetuam imprecor, aiebat, vestræ fraternæ devotioni, pro diligentia et labore, quem pridie exhibuistis meo transferendo ac componendo corpori. At equidem non sum ille quem me esse censebatis. » Conferebant enim fratres inter se, hunc esse Rufinianum illum, quem beatus papa Gregorius quondam cum beatis Mellito ac Justo destinaverat in adjutorium Evangelii sacratissimo Augustino, aut aliquem ex illius sacro contubernio. « Nescitis, inquit, quis sim, nec adhuc scietis; scietis autem postea ad nutum supernæ dispositionis.

CAP. XIX. *Transferuntur SS. Laurentius et Mellitus. Miles sanatur.* — Isto igitur præveniente vel, ut jucundius dicam, supplantante priorum Laurentii ac Melliti translationem, ad ipsos cum nostro stilo redeatur. Enucleantur tumbæ illorum a latere, nec minus quam supra diximus, irruenti turbæ cynnamoma et balsama sua effudere. Jamque paratus Laurentius dignum consortem Mellitum præstolatur. Compositis utrisque in adornatis digne loculis, prior effertur, alter subsequitur: procedente candida concione gloriosus in sanctis suis Dominus altisone glorificatur. Jam Laurentius ostium novæ ecclesiæ intraverat, Mellitus exterius immineбat, ibi pium ac celebrandum Dei miraculum ad intellectum bonum populos animavit. Aderat quidam miles, cujus oculum dextrum carbunculus, quod malum Franci per antiphrasim Bonum-malannum vocant, adeo possederat, ut non modo de visu, sed et de vita

periclitaretur. Ipse orbis, ipsa supercilia, nasusque spatium suum a tumore excesserant, tota facies largius extuberabat. Instabat, impingebat, anhelabat, ut ad unum remedium suum Augustinum pertingeret; sed turba, sicut in Evangelio cæco, clamanti obstabat, et confertissima acie reprimendo accessum vetabat : sed vicit, ut assolet, perseverantia, vicit ut potuit, et salutem violentia rapuit. Itaque impellens et irrumpens densatos cuneos elatum brachium protendit, ac desuper nitens extremam partem vectis, quo beati Melliti feretrum portabatur, summis digitis contigit ; ipsumque tactum quasi collyrium, quasi emplastrum, quasi optimum unguentum, morbido oculo infricuit, simulque, « O sancte Augustine, subveni, » proclamavit. O Dei potentiam ! o sanctorum gratiam ! o hominis confidentiam ! cum illius mali tyrannis aliqua læsione irritata magis minetur exitium, statim ad sacrum tactum ut incantatus anguis crepuit, sanies pestifera defluxit, visus et vultus detumuit, omnemque dolorem subita salus et lux tenebras profligavit, etc.

CAP. XX. *Cæca illuminatur.* — Interea depositis sanctis ante altare præsidis Augustini, agitur de ipsis missa celeberrima, ut decebat sanctos sacerdotes Domini, in qua habito sermone ad populum, illorum præclara exponuntur merita. Unde fide illuminata anus quædam, quæ intererat, diu carens luce mundana, dum fideliter clementissimos patres interpellat, reseratis extemplo luminibus, clare diem captat, etc. Post missas adjunguntur Augustino digni consacerdotes, prior Laurentius a dextris, secundus Mellitus a sinistris.

CAP. XXI. *Transferuntur cæteri, Deusdedit, Justus, Honorius, Nothelmus.* — His ita in quinta feria compositis, sextam feriam nanciscuntur reliquis sanctis Justo, Honorio ac Deusdedit (8) afferendis. Sed nimirum divina dispensatio Sabbatum his intendit, quæ dies translationis Augustini jam erat octava, quatinus istorum sanctorum amplius innovaretur gratia, et omnibus per suos dies translatis consecraretur festiva, omnesque conjungeret ac solemnizaret pariter hæc una dies ut charitas una. Ipsa ergo sexta feria itum est ad prænominatos sanctos, quasi facillime ac celerrime adducendos; acceditur ad sacratissimum Deusdedit, qui, ut prænotatum est, australem parietem post Augustinum possedit. Incredibile sed verum dicemus. Totum illum diem, totam sequentem noctem in frangendo vel reserando ipsius mausoleo attritis viribus consumpserunt, mane tandem Sabbati anhelo sudore cryptulam ejus perruperunt. Deinde cryptæ beati Justi usque ad horam primam attentius insudarunt, et vix eam tandem reserarunt. Postremo sancti Honorii, qui horum medius accubabat, pertusa in latere crypta sancto egressum dabat. Hic ergo interroga vitam almiflui Deusdedit, mira odoramentorum suavium gratia de ejus erumpens tumba enarrabit. Sciscitare quis sit Justus, exponet tibi cœlestium aromatum domus : Honorii quoque virtutes et merita uberrima loquitur apothecæ suæ fragrantia. Omnium ergo horum patriarcharum unica paterni affectus viscera, et pectora una proclamat divinarum nardorum prærogativa. Translata sunt itaque hæc tria coram summa Trinitate radiantia candelabra in hac die Augustini octava, quod ad hoc, ut credimus, superna distulit ac retardavit benevolentia, quatinus, uti prætulimus, amplius consecretur et solemnizetur in tot hierarchis hæc eadem dies octava, totaque septimana festive exacta, octava reddatur prima : jamque mysterium resurrectionis in his sanctis operetur, quæ post septena volumina sæculi, octava interminabilis nascetur. Nec ab his separamus beatæ memoriæ archipræsulem et consortem suum Nothelmum, intra altare sancti Gregorii inter eos ante reconditum, et nunc secundo cum eis translatum, quem auctorem et indicem historiæ Anglorum scriptor Beda præconatur (9). Ducebat hos duces suos ut priores solemnissima processio et canora laudatio; ipsisque coram altare præsidis Augustini, donec suis sedibus inthronizarentur, missa festiva celebratur.

CAPP. XXII-XXIII — Hac etiam die irradiata claris miraculis favere superna benignitas dignata est sanctis suis, etc.

CAP. XXIV. *Nova reliquiarum dispositio.* — Nunc autem hi senatores nostri et Patres conscripti pariter ut primitus compositi requiescunt, sicut unus spiritus, una fides, una charitas, una religio et gratia erat in eis. Majordomus Augustinus frontem et principalem ecclesiæ porticum possidet cum primo successore laureato Laurentio, sibi proximo a læva, et melliſluo Mellito, successore secundo, apposito a dextra. Ipse principale caput suaviter reclinat assito altari sanctæ Trinitatis. Post Laurentium justissimus Justus et Dei dato assumptus Deusdedit subjuncti a sinistris honorificentissimo Honorio, et theorito Theodoro respondent a dextris. Hi sunt septem oculi Domini, per quos nos propitius respicit. Hi septem stellæ in dextera ejus, et septem candelabra aurea coram se lucentia, quibus septiformi gratia Spiritus sui septempliciter Ecclesiam suam illuminat. Horum exterioris alæ, borealis Mildreda et australis Adrianus proprias tenent porticus, et altaria ad capita ut Augustinus. Mildreda altari prænitet sanctorum Innocentum, quos omnes virginali fovet gremio, et cum eis cytharizat et cantat canticum novum Sponso suo et Agno, illum quocumque ierit pariter sequendo. Adrianus Protomartyris Stephani, nec non Laurentii ac Vincentii martyrum tenens altarium, martyriali vita marty-

(8) Justus colitur die x Novemb., Honorius xxx Septemb., Deusdedit xv Julii.

(9) In prologo Historiæ. Nothelmus nusquam in Martyrologiis ut sanctus celebratur, dicitur a Godwino die xvii Octobris, anno 741, obiisse.

rum testatur consortium. Item e regione boreali suum quique in meridiem salutant successorem, Laurentius Mellitum, Justus Honorium, Deusdedit Theodorum, Mildreda cum temporali thalamo patrem Adrianum, omnesque præsidem efferunt Augustinum.

Cap. XXV. *Justi elogium. Epistola Bonifacii papæ S. Justo scripta.* — Sed quia horum tres altissimæ Trinitatis confessores, Justus, Honorius ac Deusdedit hanc hodiernam Augustini octavam, sua propria translatione vindicant primam; illorum dissimulare dignitatem, æstimamus injuriam. Sane quia Beda Venerabilis in multiplici historia sua minus horum declaravit miracula, non ideo a fide nostra obliterari debent tantorum merita; an non sufficere tarditati duritiæ nostræ potuit, quod Augustinum cum ipsis suis sociis apostolicam vitam et virtutes cum innumerabilibus signis imitari, atque pro ipsa quam prædicabant fide mori paratos descripsit? Parvæne sanctitatis testimonium æstimandum est, inter alia præconia, quod sacratissimus papa Bonifacius, a præcipuo Gregorio quartus (10), beatum Justum apostolicis litteris collaudet, ejusque meritis ac cœlorum præmiis gentium conversionem adscribat, quod ipsa Epistola partim annotata gratius clarebit. « Dilectissimo fratri Justo, Bonifacius. Quam devote, quamque etiam vigilanter pro Christi Evangelio elaboraverit vestra fraternitas, non solum Epistolæ directæ a vobis tenor, imo inducta desuper operi vestro perfectio indicavit, » etc. *Integra habetur apud Bedam lib.* II *Hist., cap.* 8.

Cap. XXVI. *Honorii elogium.* — Honorium nihilominus sanctissimum Justi successorem (*anno* 634) ab Augustino primario quintum, beati papæ Honorii successoris præscripti Bonifacii apostolicæ litteræ ut fortissimum Christi agonistam victoriosa corona triumphant. Pulchre vero et grata divinæ gratiæ consonantia, uno tempore eadem sanctitate atque eodem nomine iste isti occurrit, ut Romanus orbis suum habeat Honorium, orbisque Anglicus pariter suum. Pulchre, inquam, ille huic univoca prærogativa hoc unanime dilectionis mittit exenium. « Dilectissimo fratri Honorio, Honorius. Inter plurima quæ Redemptoris nostri misericordia suis famulis dignatur bonorum munera prærogare, illud etiam clementer collata suæ pietatis munificentia tribuit, quoties per fraternos affectus unanimem dilectionem quadam contemplatione alternis aspectibus repræsentat, » etc. *Integram exhibet Beda lib.* II, *cap.* 18. Nec illud parvæ gloriæ [ejus] præconium est, quod per sanctum Felicem (11) a se ordinatum Orientalium Anglorum præsulem, illam quoque ad Christum converterit gentem. De cujus nuperrima revelatione parum quid sed magnum fidei monumentum hic inserimus. Derogabat quidam æmulus huic sancto, præferens illi quemdam sæcularis opulentiæ episcopum, qui Ecclesiam Dei multis opibus et ornatibus exstruxerit, cum istum tale aliquid utilitatis in vita sua fecisse nullum vestigium sit. Quod ubi ejus loci alumnus prior nuntiatum ægre ferret, nocte subsecuta cuidam seniori ætate et moribus venerabili quidam honorificentissimus in visu adstitit, ita præclare, ut recolat adhuc cujus formæ illum assimilare potuerit, attonitoque de tam spectabili et magnifica persona sic ait: « Quare ille talis hesterno sanctum domini Honorium abusiva lacerare voluit detractione, in pontificis laudati prælatione? Cur his relatis, prior ex sancto Evangelio non respondit, quia omnibus aurosis et copiosis largitionibus divitum plus duæ minutæ valuerunt pauperculæ apud Judicem justum? »

Cap. XXVII. *Deusdedit*, etc. *a Beda laudati.* — Beatum quoque Deusdedit (12) sanctitate adjungimus consimili, qui beati Augustini apostolatui sextus subjungi, et eidem tam proxime meruit consepeliri. Hi sunt ergo omnes viri misericordiæ, quorum justitiæ oblivionem non acceperunt: quia enim prælatus historiographus (Beda) singulorum gesta describere nimium æstimavit, in fine omnium merita sic conclusit: De his omnibus recte et veraciter dici potest, quia *corpora eorum in pace sepulta sunt, et nomina eorum vivunt in generationes et generationes.* De cæteris vero, id est, regibus, præsulibus, abbatibus, aliisque sanctis translatis nunc est subsedendum; de quibus jam alibi dictum est, vel suo tempore dicendum, cum parato templo thorum perceperint destinatum.

Cap. XXVIII. *Odor suavis ex S. Melliti tumba.* — Post hoc ergo Sabbatum, cum in subsequente Dominica tapetia, quæ fracta et exhausta sanctorum corporibus monumenta tegebant, pluvia et lutum sordidaret, custos illorum venerabilis hærebat animo utrum auferre tentaret, an in ipsorum obsequio, qui meliora reddere possent corrumpi sineret; rursumque recogitabat quod illorum gloria ornamentorum ecclesiæ detrimenta non ambiret. Tandem accedens trepide cum incensu psalmodiæ ad beati Melliti similiter perruptam et evacuatam cryptulam pallium ab apertura paululum seduxit; et ecce expertus pridie vigor cœlestium odoramentorum vernantissime hunc repercussit. Ille perculsus prodigio: « Quid est, inquit, Domine Deus, quid est hoc? Unde spirat gratia? An quatriduo vacua tumba adhuc sudat etiam absentia balsama? » Talia secum

(10) Legendum *quintus*, nam hic fuit Bonifacius hoc nomine quintus, qui et quintus quoque fuit pontifex post B. Gregorium, et infra isti Bonifacio successisse dicitur Honorius, numero sequenti. At quidem hic Bonifacius quartus esse non potuit, qui tertius post Gregorium fuit, et obiit anno 614. Justus vero anno 625 ex Roffensi ad Cantuariensem se dem translatus est, quo anno mense Octobri exstinctus est Bonifacius quintus. Justo, qui defunctus est anno 634, successit Honorius.

(11) De hoc Bollandiani die VIII Martii.

(12) B. Honorio successit anno 653. Cantuariensi Ecclesiæ præfuit usque ad annum 664.

senior ille stupido corde volutans, reposuit tegmina nardifluo foramini, ardens cujus esset hæc gratia certius experiri. Illico obtrusus odor velut exclusus lucis radius evanuit. Rursus ille detexit, rursus facta via effusus odor redolevit, etc

Cap. XXIX. *Item ex S. Augustini tumba.* — Secunda dehinc feria, patente spatio, structura navis ecclesiæ procedit; fundatur columna spatiosa in aquilonari serie, ipso loco unde opulentissimus thesaurus Augustini corporis assumptus est. Cujus tumbæ vel cryptulæ sacratos laterculos alvo capaci pro sacris pignoribus illa complectitur. Substrati vero pavimenti, cui beatissima gleba incubuit, lateres puniceos, nitidos, plano tabulatu contextos, et crocea nardo fumantes certatim excrustantur, et in altari novæ porticus beati Gregorii supra memorato reconduntur. Sub his lateribus inventa est terra mundissima semipedis spissitudine fundamento, quod de pariete veteri Augustinianæ porticus præeminebat superjecta; hæc quoque terra penetrante lateres Augustini odore, mirifica fragrabat suavitate. Quam ad prædicti fundamenti silices exhaustam per sacrata busta Laurentii, Melliti ac Justi, quæ ecclesiasticæ structuræ persecutionem evaserant, distribuendam ac servandam censuerunt. Ne vero posteri nostri, hi qui fuerint filii dilectionis tanti patris, se nescire doleant hactenus descriptum ejus antiqui monumenti locum; notet qui voluerit hanc columnam, quam paulo ante designavimus, ejus continere lateritiam tumbam, numeretque et sciat ab illa, quæ turri orientali arcuatur, tertiam. Quid enim piis hæredibus non videbitur dulce de tanto progenitore dinoscere? Quid vero non sit tuste ejus gratiæ ignorare? Verum de illis balsamaticis lateribus præscriptus senior fidelissimus, qui se hujus gratiæ innotesci repellit, unum clamculo subduxit, ne dicam, furtim subripuit. Laudabilis hæc culpa, quam fides adornat, charitas justificat: quia ille languentium remedio pio sacrilegio hoc prospiciebat. Nam divino instinctu hæc sacra eum reservasse consequentia miraculorum probat.

Cap. XXX, XXXI, XXXII. *Miracula.* — Orientalium Saxonum provincia illustrem virum Francigenam novit incolam, cujus uxor diutino languore jam desperabat salutem et vitam: revelatum illi tandem in somnis est, quatinus propere ad sanctum Augustinum Cantuariæ mitteret, et laterem, qui ipsius salutifero corpori subjacuerat, aqua ablui expetat; quæ inde bibens de Augustini virtute confidat, quia indubitatæ sospitatis remedium percipiat. *Quod factum est. Capp.* 2 *seqq. alia quoque miracula narrantur.*

Cap. XXXIII. *Pulvis et lateres ex tumulo S. Augustini pro reliquiis.* — Reliquias de pretioso Augustini corpore plurimi imploravere: sed nemo (tanta tamque pia est paterni thesauri servandi avaritia) vel unum capillum inde potuit obtinere. Verum de præscripto latere data beneficia adhuc loqui nos cogunt miracula, cujus servator supra memoratus dum hospitatus cœnobio Ramesensi (13) sermocinaretur de virtutibus ipsius præstantissimi patroni, narrabat etiam ipsos thuriferos lateres, quibus incubuerat sepultus, sanitatum charismate redundare. Rogatus ergo a fratribus inde reliquias sub conditione celebrandæ perpetuo translationis suæ, adduxit secum fratrem ex illo contubernio idoneum, præmittensque eum cum signo ad condignum seniorem, dictum Elfwinum, hujus fidei amicissimum apud sanctum Augustinum, ipse oppetiebatur ejus reditum ad Bertingam, provide scilicet dissimulans, ne quis de ipso sacro arcano præsentisceret aliquid abducendum. Ille particulam pulveris, quem de sepulcrali crypta sancti Augustini exhauserat, et duo laterum fragmina, quibus sanctus indormierat, præfato fratri remittit in bustula, qui Bertingensi (14) et Ramesensi ecclesiæ æque divideret utriusque gratiæ xenia. Susceptor itaque horum sacrorum, ut fui metuens deprehendi, aut ut thesaurifer deprædari, ocius de sancto Augustino ad Christi (15) ecclesiam se rapuit, ibique consueta benignitate fratrum susceptus, nocte illa cum ipsis requievit. Mantica ejus servatrix sacri mysterii foris cum famulis remansit: famuli autem insolescentes, et tantæ virtutis præsentiam vel reverentiam ignorantes, ea nocte tanto terrore et horripilatione exagitantur, quantum nunquam in vita perpessi sunt, ut jam interituros, aut in amentiam transituros crederent, cum cur, aut unde hæc formido esset, aut quid portenderet prorsus nescirent. Ipsum quoque fratrem vox divina increpuit per soporem: « Quare, inquit, frater, creditum tibi pignus tam negligenter exposuisti? » Sequenti nihilominus nocte ipso in Roffensi ecclesia (*Rochester*) hospitato, rursus mantica sacrorum thesauraria cum famulis relicta, iterum brutos animos divinarum rerum indociles anterior pavor reverberavit, et plurimum noctis ut vecordes occupavit. Tertia die in Bertingam ad Augustinianum monachum Augustiniana pignora exhibuit, quæ ille lætissime excipiens, nocte imminente secum servavit.

Cap. XXXIV. *Monachi visio, et abbatissæ.* — Ipsa nocte hic sacrorum ærarius magnis visionum

(13) De Ramesiensi cœnobio plura habentur in Vita S. Oswaldi, qui ejus monasterii auctor fuit, Sæc. præced. ad an. 992, pag. 727.

(14) Legendum forte *Berkingense*, cujus nominis parthenon exstitit haud procul Lundonio in comitatu Essekiensi. Certe infra reliquiarum delator pernoctasse dicitur in Roffensi ecclesia, quæ urbs inter Cantuariam et Berkingam medio prorsus itinere sita est.

(15) Id est de monasterio suburbano S. Augustini ad ecclesiam cathedralem Christo Salvatori sacram. Utraque ecclesia monachorum Benedictinorum fuit ad Henrici VIII tempora.

agitur mysteriis, etc. Ut ergo diluculum hausit, illas pulvereas sed mirificas reliquias ecclesiæ intulit, ipsique Deo amabili Animæ abbatissæ, quam ob gratiosam sinceritatem Charam-gratiam patres appellavere, rem omnem visionis et prodigiorum exposuit ordine. Illa dum ejus miratur relationem, amplius admirando propriam sic ingreditur eodem fere tempore declaratam exponere visionem, etc.

Cap. XXXV. — Ornatis itaque sacerdotibus et clericis, nec non sororia processione festive induta, excipitur sua medietas sacrati lateris, et pigmentati pulveris a devotissima ecclesia cum laude dulcimoda, altera medietate alteri ecclesiæ, quam præmonstravimus, reservata. Colligitur hoc pretium pompose decorato scrinio, circumfertur claustro a sacerdotibus in benedictionem cum jubilo, comitatur paternis laudibus virginalis concio. Agitur in beata Augustini memoria missa solemnissima, modulante angelica camina, et superante ærea organa virginum melodia. Tanto adeo decertant triumpho, ac si Augustinum tenuissent corpore solido; missam personat Augustinensis monachus, servator et distributor suorum sacrorum fidissimus. Hic ergo, sacra præfatione finita cum angelico hymno summæ Trinitati sacrato, grande apparuit prodigium, nostroque sæculo tam obstupescendum quam insuetum.

Cap. XXXVI. *Apparet ipse Augustinus.* — Soror ævo maturior, quæ administrabat altari, dum adstat psalmis et orationibus intenta, aspicit palam præsignatum sacerdotem, sicut dominicis sacramentis conficiendis assistebat, etc. Eadem ergo solemnitate processionis, modulorumque et ornatuum, atque missarum, suscepta est altera medietas sæpefati lateris et pulveris quæ obvenit Ramesensi monasterio : et ita celebrari in perpetuum translationem dignissimi patris Augustini promissum et confirmatum est sicut in Bertinga.

Cap. XXXVII. *Translationis festum.* — Hanc itaque semper recolendam sanctorum translationem festivam, annus incarnati Salvatoris millesimus nonagesimus primus, octavo Idus Septembris nostro ævo gratissime consecravit, quo juniorem Willelmum regem Anglia, et Widonem abbatem hujus festi latorem Augustinia habuit, cui Roffensis præsul Gundulfus memorabilis pro archiepiscopo amabiliter obsecundavit. Ipso quoque abbate volente, placuit præstantissimo archipræsuli Anselmo cæterisque pontificibus, haberi in perpetuum hanc octavam præcipuam ac celeberrimam pro prima, quatenus tam Augustino duci quam cæteris collegis suis, Romanæ scilicet Ecclesiæ alumnis et legatis, atque Angliarum principibus, ipsorumque successoribus in commune omnibus consecretur; in qua omnium facta translatio, ut jam supra memoratum est, comprobatur. *Sequuntur miracula ad finem hujus libri, quæ omisimus.*

LIBER SECUNDUS.

Primitivus noster Augustinus, cum posterius translatus sit cum suis lateralibus, prima narrationis serie anticipatur : cæteri hujus amici ante ipsum translati post ipsum recensentur. Ordo præposterus, sed necessario commutatus. Quare? Quia et cui potissimum hæc solemnitas præscribitur primatus debetur, et esurientibus paternas dapes citius medetur, ne longo suspendio diuturnæ ambagis, antequam ad triclinium perveniatur, æger exspectator exanimetur. Nunc ergo quia grata occasio renovati templi hunc nobis in assumpto Augustino cæterisque primatibus peperit triumphum, congruum videtur a superioribus patribus id ipsum parturientibus textum secundare, et, intercurrentibus miraculis, gratiam tam ipsorum quam nostrorum dierum celebrare. Sic ambitus causarum [pensabit] moras colligendorum de pratis Elysiis florum, [et] diversas translationes præcedentium sanctorum ad Augustini jam translati referemus sacrarium.

Cap. I. *Almerus abbas S. Augustini. Item Elfstanus.* — Primo igitur Augustinensis abbas Almerus (16), quasi quodam voto et præsagio futuræ translationis, arcus et columnas super sanctorum corpora Romana elegantia sollemniter ædificatos abstulit, quantumque audebat, viam exsurgendi illis paravit : de ipsis vero columnis et arcubus monasterii sui claustrum exornavit. Hinc de abbate in pontificem mire renitens assumptus est Scirebourne, Elfstano condigno, qui beatissimam Mildredam ad suum Augustinum transtulit, succedente. Verum ipse judicio Dei misericordiæ, verberantis quos diligit, cæcitate percussus, episcopatum tam voluntarie deserens, quam invite susceperat, ad paternum Augustini sinum rediit, et in cella infirmorum degens, otium suum in psalmodiis et orationibus exercuit. Nec prætermittenda est hic admirabilis super eo visio. Jacebat ejus minister vir honorabilis in ecclesia sancti Mauritii, adhærente ipsi cellulæ infirmorum : vidit quadam nocte ut accubabat, plene vigilans, duas personas venerabiles episcopum de eadem cella, in qua quiescebat, hinc inde in ipsam Thebæorum martyrum basilicam adducen-

(16) Seu Elmerus; Vulfrico successit anno 1006, et anno 1022 factus est episcopus Schireburnensis. De quo Wilhelmus Thorn ait quod licet pie sanctus credatur, ipsius tamen festivitas absque auctoritate apostolicæ sedis celebrari nequit.

tes, ibique illum sibi medium familiariter assidentes, multamque cum eo sermocinationem, quam ille contemplator palam audire, etc.

Cap. II. *Henricus imp. desiderat reliquias S. Augustini.* — Præstantissimus autem abbas Ælstanus Romam proficiscens, a præcellentissimo imperatore Henrico ob gratiam famosissimi patris Augustini magnifice suscipitur (17), ubi cum de tanto hierarcha sermones solemnizarent, exclamat imperator: « O si vel minimum articulum, vel aliquem capillum, vel tandem extremum pulvisculum de tanto thesauro nancisci mererer, quantis rerum pretiis id emptum vellem! quod inæstimabilis splendoris bravium! quantum Anglia adeptum gaudet, tantum Roma ademptum fleret, nisi fides utrobique eum adesse, et ubique prodesse de regno superno crederet. » Hæc dicens piissimus princeps insistebat magnopere venerando abbati, quatenus illud tam preciosum decus Romani imperii, ac generis humani jam transferret, sibique aliquid tam sacrorum pignorum conferret : quod si obtineret, quidquid vellet in terris, vinetis, auro et argento sublimiter impetraret; insuper ipse tanti thesauri scrinium auro purissimo pretiosissimisque gemmis augustaliter ambiret. Sed abbas, quamvis eum accessum ad paternum aspectum, quem nostra dies meruit, cunctis opibus terræ præponderaret, tamen pro cunctis opibus rerum, nec suo, nec imperatoris desiderio obsequi auderet. Regressus domum, dum post monasterii sui provectum strenuissime actum quadriennio ante obitum langueret, egregium sui gregis arietem Vulfricum (18), sæculari et ecclesiastica ac litterali eruditione præclarum, abbatem sibi ad apostolicum sancti Petri altare, antiqua videlicet Romani privilegii ac libertatis consuetudine, apostolica auctoritate primitus firmata, ordinari fecit.

Cap. III. *De Vulfrico abbate.* — At Vulfricus, qui in dilatatione reipublicæ commissæ omnes antecessores studebat æquiparare, in ecclesiæ tandem suæ restauratione omnes certabat evincere. Verum impræsumptum cæteris conatum verebatur inconsulte præsumere, et illud tam antiquum, tam primarium, tam innumerabilium sanctorum domicilium sine auctoritate publica temerare. Interea illud splendidissimum ac sanctissimum jubar nostri sæculi papa Leo (19) Simoniacam hæresim in Galliis debellabat, nummulariorum mensas et cathedras vendentium columbas evertebat, omnemque negotiationem avaritiæ de templo Domini ejiciebat. Mittitur ad illum Anglicarum Ecclesiarum principis Augustini vicarius ipse Vulfricus, pro ecclesiasticis magistratibus et gente sua responsurus, a rege scilicet Edwardo destinatus, ut erat in transmarina regna et summa negotia mitti tam assuetus quam idoneus ; comites illi adduntur spectabiles, Dudeco Sumersate episcopus, et Ramesensis abbas Ælfeuvinus. Tunc magnus sacerdos (Leo IX) Domini Remensem ecclesiam Sancti Remigii dedicabat, et fidum Christi dispensatorem miraculis ostendebat. Discussis ordinibus sacris, quis per ostium intraverit, quis aliunde ascenderit, Anglos innocentiores Christi consul invenit ; Anglos, et maxime Augustinensem legatum pro tanti nominis dignitate, ampliori benignitate excepit. Nam antea venerabilis memoriæ pontifex Seriberiæ Heremannus (20), cui laterales adhærebamus, Romæ in amplissimo pontificum senatu (21) lucide disputaverat coram ipso beatissimo Leone, de Anglorum inexcusata omnigenis, vel peregrinis, vel civibus hospitalitate ; de ipsa Anglia ecclesiis ubique repleta, quæ quotidie novis locis adderentur novæ ; de innumera ornamentorum et signorum per oratoria distributione, regumque et divitum in hæreditatem Christi amplissima largitate. Gaudebat summus amicus Domini Leo, adeo ut elatis manibus gratias ageret Deo. Addidit etiam præfatus episcopus nobilitatem Anglicæ hierarchiæ exponere, quod scilicet Cantuariensis præsul apostolica auctoritate, Romæ assidere debeat sanctæ Ruffinæ pontifici (22) ; Augustinensis vero abbas abbati castri Casini. Quæsitum est in decretis et inventum, ibique papæ atque omnium assensu corroboratum. Hujusmodi favoribus idem beatissimus papa Anglos familiarius habuit ; Vulfrico vero ob sancti Augustini gratiam, atque suam concinnitatem deditior exstitit : omnia rememorantem de ipso sancto suisque condignis collegis amantissime audivit ; suggerenti monasterii sui restaurationem gratissime annuit, ac benedixit. Sic Nathan David regis desiderio in ædificando templo favit : sed cum esset uterque propheta, uterque hic a Dei consilio ut homo erravit, nec quisquam quicquam poterit, nisi cui et quando Deus decreverit. Hoc desideriosus abbas non perpendens, et ad sibi inconcessum opus frustra nitens, facta legatione, templum suum a fronte diruit, beatissimam virginem Mildredam ante principale altare Apostolorum conditam in porticum patris Augustini transtulit, et juxta Aquilonarem parietem contra sanctum Augustinum collocavit. Partem quoque ab occidente oratorii sanctæ Dei Genitricis cum porticibus, quibus circumcingebatur, dejecit,

(17) Id Romæ seu in Italia contigisse videtur, ubi erat S. Henricus hoc ipso anno, quo Ælstanus factus abbas Romam petiit.

(18) Vulfricus, hujus nominis secundus, Ælstano successisse dicitur anno 1047.

(19) Leo nonus, qui anno 1049 Simoniacos est insecutus in concilio Remensi, cui Vulfricus abbas cum Dudecone ex Anglia adfuit. Ejus concilii acta et Remigiani archimonasterii basilicæ, in qua habitum est, dedicationis historiam habes parte I hujus Sæculi

(20) Tunc Hermannus Wiltoniensis erat episcopus, sed cum sedem suam anno 1078 Sarisberiam transtulerit, noster auctor ex nova sede eum denominat.

(21) In concilio, ut videtur, Romano, anno 1049, paulo antequam Leo in Gallias ad dedicandam basilicam Remigianam veniret.

(22) Is erat unus e septem episcopis cardinalibus, cujus sedes Portuensi episcopatui unita est.

et inter utramque ecclesiam, fratrum cimiterio quod adjacebat purgato, totum spatium ad fabricam corripit, parietes erigit, columnas et arcus componit. Lætabatur novo opere Cantia, quanquam monasticæ habitationi incongruum fecisset artificum imperitia.

Cap. IV. *Vulfricus ob dirutam S. M. ecclesiam punitus.* — At offensa est Regina poli de injuria templi sui : hoc suum sacrarium ; hoc, juxta Anglicum elogium, suum vestiarium ; hoc multorum sanctorum sinus erat et gremium. Hic, ut in consequentibus patebit, audiebatur concentus angelorum, hic organa virginum, hic assiduabatur virtus miraculorum. Hæc rerum Domina per visum apparere dignata cuidam anui : « Vade, inquit, et dic Vulfrico B abbati, quia morte punietur ob destructionem oratorii mei. » Hoc semel, hoc denuo, hoc tertio mulier admonita, tandem per sororem abbatis bene religiosam, quia illum verebatur, mandat sibi cœlica mandata. Ille reformidans ad tantæ Dominæ majestatem, sed renuens credere quasi aniles fabulas ad nuntii vilitatem, tenuit propositi intentionem, et sidereæ querelæ neglexit satisfactionem. Ruit enim plerumque humanus impetus irrevocabiliter, juxta illud Nasonis :

Difficiles aditus impetus omnis habet.

Incidit itaque reus in sententiam divinam, percussus est lethali sagitta ægritudinis circa Cœnam Domini : quotidie tamen et in ipsa Cœna, et in Parasceve, et C Sabbato sancto, et die Paschæ, secunda quoque ac tertia feria, majores missas in congregatione seipso et ipsa infirmitate fortior complevit ; subsequenti vero nocte, repentino transitu, priusquam fratres accurrere possent, decessit (23), et festos dies suos eis in lamenta convertit : opus autem suum, innumeris sumptibus et laboribus frustratis, ad destructionem aliis reliquit. Nemo tamen judicet tantum virum post ultionem Dei misericordia destitutum, nec bonæ voluntatis suæ fructu exinanitum. Prophetæ inobedientiam quæstor leo punivit, sed de exstincti cadavere, quasi jam purgati, jam justificati, non comedere, nec ipsum ejus asellum lædere præsumpsit.

Cap. V. *Egetsinus abbas privilegio donatur.* — Post D hunc domnus Egelsinus monasteriarcha attollitur, et in palatio regis consecratur, qui Romam profectus ab Alexandro papa mitra et sandaliis sacerdotalibus donatur, hisque uti pontificali vice jubetur. Hunc, inquit, apicem habere perpetuo rectorem decernimus Augustinensem, ob ipsius scilicet et Romanorum alumni et Anglorum apostoli Augustini dignitatem. Hanc itaque prærogativam ille domum revexit, et interim in Augustini potentatu habuit : sed ubi A abbatiam mutavit, Augustinensi successori sua jura alibi impræsumpta reliquit.

Cap. VI. *De Scotlando abbate.* — Interea Willelmus, dux Northmannorum, Deo dispensante eruditionem plebis suæ, in regem transiit (24) Anglorum, a quo domnum Scotlandum, virum probum et prodige eruditum, Augustiniana domus Patrem suscepit accommodum. Hic, ut cæteri antecessores, ordinatus in suo monasterio, cum in ecclesiæ suæ longius protendendæ ædificium, largum extenderet animum, graviter offendebat eum adstans opus impediose productum, offendebat et angustum decretæ machinæ spatium : terrebat vero Dei Genitricis in abbatem superiorem de prærupta ecclesia sua judicium ; terrebat de veteri monasterio longa carie consumpto ruinæ periculum. In his angoribus rapitur legatione regia Romam ad Alexandrum papam. Ibi post regia responsa, consilium accipit ab ipso papa et benedictionem de transferendis sanctis, de destruenda et reformanda basilica sua pro suis votis, ac nutu supernæ largitatis. Dehinc reverendus apostolicus de eadem antemurali ecclesia quam proxime muris civitatis immineret ; præcellentissimus Augustinus et decentissimi consortes sui qua parte ecclesiæ, quo ordine, simul an distinctis porticibus requiescerent, cum diligentissime indagaret, et præclarus abbas ad omnia optata satisfaceret : « Hæc, inquit, est arx civitatis præeminentissima, ac decentissima totius regni regia, ubi ille dux suæ propagationis ecclesiarum, princeps comitum beatorum, hoc est, princeps principum, et in suo apostolatu sanctus sanctorum Augustinus, suum thorum, suumque ad cœlos porrectum posuit triumphum. Quam præclara domus tot et tantorum cœli siderum ! quam veneranda aula universæ genti Anglorum ! quam beata patria sanctorum radiis illustrata patronorum ! »

Cap. VII. *Ægre destruit oratorium beatæ Mariæ, in quo sepulti sancti abbates et reges.* — Tum abbas fidelis ad tantum tanti viri testimonium obstupescens et gratias agens, domum properat, inchoatam molem novi operis subvertit. Verum residua pars virginalis oratorii summæ Mariæ ejus impetum morabatur ; nostræ quoque orationis cursum hic modo remoratur. Occurrunt hujus sacrarii superna præconia, et in ejus gremio adjacentium sanctorum miracula. Hic ipsa præcelsa parens Altissimi sæpius visa, et cum dulcimodo virginum choro ineffabili suavitate cœlestis harmoniæ noscitur audita. Huic candidissimo contubernio angelum Domini exercituum, et post Augustinum suosque consortes nitidissimum decus Anglorum, familiarius ac frequentius interfuisse beatissimum constat Dunstanum (25) : et ut cervum sitientem ad fontes aquarum, ita illum

(23) Hinc patet falsos fuisse eos qui Vulfrici mortem anno 1049 consignant. Hoc quippe anno mense Octobri Remis interfuit concilio in ecclesia Remigiana habito.

(24) Anno 1066 Willelmus Angliam occupavit. Egelsino abbati Augustinensi, qui regis indignationem incurrerat, non comparenti Scotlandus Nortmannus suffectus est.

(25) Ejus Vita data est Sæculo superiori ad annum 988.

supernæ modulationis dulcedine captum inexplebiliter assiduasse hunc sanctorum paradisum. Ne etiam nostris temporibus hujus fidei desit experimentum, ipse Dominici gregis custos Scollandus, quadam nocte ante nocturnas vigilias expergefactus a somno, uti accubabat in vicina ipsi ecclesiæ cella, chorus mire dulcisonus alternatim auditur psallentium, tamquam virorum et puerorum gratissimam consonantiam diapason reddentium, dum modo junctis modulis concinerent, modo distinctis organis parvuli viris responderent. Hærebat in insueta melodia, tamen nondum animadvertens cœlestia carmina, cogitabat fratres jam expletis matutinalibus sacris processionem, ut tunc dies et noctes solebant, in ipsa agitasse ecclesia. Rogat excitatos socios an signa matutinalia audierint, omnes negant. Rogat B an sibi auditos cantus audiant, omnes se plane audire et monachi et laici asseverant. Mittit eo fidelissimum fratrem, Sinvoldum nomine, rei certitudinem explorare : venit, et ostia clausa invenit, nec quemquam ibi cernit, nec ullum jam sonum audit. Regressus omnes lectos fratrum circuit, omnesque dormientes reperit. Quod ubi patri retulit, ille inclinis lectulo modice obdormivit, et ecce vocale signum matutinorum intonuit. Tum vero obstupescens, intellexit incunctanter cum omnibus audientibus vere in illo loco olympica convenisse agmina, sæpiusque ante narrata miracula verissima sibi claruisse experientia, et vere supernos cives hæc incolere habitacula. Nam hunc locum Deo et omni sæculo amabilis Patris nostrique post summum Augu- C stinum optimi institutoris Adriani (26), irradiabat præcipue signi potentissima gleba, simul et sancti Albini (27) discipuli et successoris sui, necnon beati Johannis, superiori tempore abbatis, veneranda corpora. Ad hoc plures sancti episcopi et abbates numerosi, quatuor quoque reges, cum regalibus conjugibus et liberis ac longa nepotum genealogia aulam Dominicam illustrabant et nobilitabant dormitione sua.

Cap. VIII. *De Ebaldo.* — Horum autem regum primus noscitur Edbaldus, tertii Anglorum regum, sed primi Christicolæ Ædelberti filius, qui ab errore idololatriæ velut ab Acheronte emergens, per beatum archipræsulem Laurentium apostolo Petro D pro desperata ove pastorem verberante ad Christi sinum confugit, paternæque pietatis æmulator hanc ecclesiam præcelsæ Dei Genitrici condidit et dedicavit; in qua hactenus requievit, hæreditans quod fecit, et possidens quod dedit, cum justis scilicet, quos in nomine Justi suscepit. Hanc abbate et ordine monastico ut Augustiniano cœnobio incorporaretur religiose informavit, ornamentis et opibus regiis, terris et rerum necessariis abundantissime ditavit, interque regalem villam *Northburna* appellatam adjecit; præterea Christianæ fidei propagandæ beatis Patribus adjutorem et cooperatorem devotum se exhibuit

Cap. IX. *De Lothario.* — Secundus erat Lotharius, rege Edbaldo avo, et rege Erconberto patre, ac Deo dilectæ virginis Mildrethæ avunculo editus. Cujus mater sanctissima regina Sexburga, in insula Scapeia monasterium Dei Genitrici prima fundavit et sanctimonialium choro instituit, ibique, mutato in sacrum velum regni diademate, ancillis Christi se conjunxit, ipso filio suo favente, terrasque et divitias inibi suffecturas regaliter adjiciente. Quæ postea pretiosæ virgini, germanæ suæ Etheldrethæ (28), in Eligensis monasterii successit regimen. Lotharius, dum post fratrem suum Egbrihtum, Raculfensis cœnobii fundatorem, duodecim annis regnasset, bello Australium Saxonum a nepote suo Edrico, fratris sui Egberti filio, oppugnatus, ibique vulneratus, dum medetur emoritur. Edrico autem post annum et dimidium regni adepti sublato, reges externi (29) et incerti dominati sunt tempore aliquanto : quorum unus, nomine Mulus, consepultus erat superioribus ordine tertius.

Cap. X. *De Withredo.* — Quartus erat legitimus rex Withredus, alter superioris Egbrihti regis filius, qui virtute et religione potens paternum regnum ab exteris tyrannis eripuit. Ipse, jubente sibi beato Martino per visum, in ejus honore ad Doveram constituit primus monasterium, ac Dei famulis regalibus donis perpetuo reddidit copiosum; Augustinensi vero Mariæ et beatissimo incolæ ejus Adriano inter cetera munera principe digna regiam mansionem, quæ Listleburna appellatur, perpetualiter largitus est; sicque in ea domo requiem hæreditavit quam opibus auxit.

Cap. XI. *Transfertur S. Adrianus.* — Igitur tot sanctis cum sublimibus personis, ante ipsius ecclesiæ dejectionem transferendis, prælustris abbas. magna supremi Regis Genitrice suis devotorumque fratrum jejuniis, orationibus ac lacrymis placata, primo ad eversionem altaris et tumbæ patris Adriani exportandi venerabiliter accedit. Instrumentum operis areæ complanatur, et Sancti sepulcralis lapis attentissime expurgatur; thesaurus assumendus, quasi ad manum elatus, in noctem differtur, ne quo forte inexperta spes lædatur. Nocte cum luminibus suæ lucis gaudium abducere paratis animis redeunt, sepulcralem lapidem auferunt, prosperato sancti corpore quasi parietem a fundamento surgentem

(26) Missus fuit a Vitaliano papa in Angliam, simul cum Theodoro archiepiscopo. De his Sæc. II ad annum 690, ex Beda, etc. Colitur IX Januarii.

(27) Is ex Anglis primus Augustiniano monasterio præfuit sæculo VIII labente. Bedæ Historiæ scribendæ auctor fuit. Nusquam inter sanctos colitur, sicut nec Joannes abbas infra memoratus, qui secundus ejusdem monasterii abbas fuit. Obiisse dicitur an. 618.

(28) Ethildritæ Vita a Thoma Eliensi monacho scripta habetur Sæc. II Bened. ad an. 679, pag. 738, ubi plura de Sexburga et Mildretha hic memoratis, sicut et de Eliensi monasterio.

(29) Cedwala, Westsaxiæ rex, et Wolf, ejus frater, a nonnullis *Mulus* dictus.

inveniunt. Extemplo confusa pectora nox mœroris occupat, gelidusque per ima cucurrit ossa tremor, putantibus omnibus se tanti Patris præsentia fraudatos. Sed jussu abbatis illa obstructione lapidum eversa, altius fodientibus, a læva cryptula offertur, qua pertusa, cœlesti odore nuntio prorumpente, sanctus Albinus ostenditur; a dextris vero ingens candidi marmoris sarcophagum respiciunt, moxque animi et gaudia de inventione optatissimi Adriani redeunt. Quod circumfodientes dum operculi amovendi casso laborare nituntur, ad pedes inductum sarcophago lapidem contemplantur. Hoc exempto, subito testis et præco quæsiti desiderii exsiliit, paradisum Domini spirans fragrantia. Sed ad gratiorem lætitiam iterum tentantur tristitia, dum a quodam fratre timide inspiciente proclamatur tumba vacua. Ast aliorum cura perspicacius intuita respondetur potius vere plena vera sancti corporis gleba, quæ ita videbatur formosa, ut putaretur adhuc sicut primitus erat impositus, carne jacere integra. Tandem ipse dux gregis inspexit, vidit, atque illico magna exsultatione, *Gloria tibi, Christe*, proclamavit. « Vere, inquit, hæc est beati Adriani pretiosissima corporis margarita, in splendoribus sanctorum vere resuscitanda. » Ad hæc unus fratrum, David nomine, Britto genere, in sanctum corpus temerarie extendit digitum, experiri curiosus an illud adhuc esset solidum. Expertus est autem ejus virtutem, cujus tentare ausus est conditionem. Compungitur digitus velut acu confixus, aut ardenti ferro aut virulento hydro percussus; nec solum digitus, sed tota cum intolerabili cruciatu extuberat manus. Cumque præ angustia clamantem abbas interrogaret causam, ostendit tumidam præsumptricis manus pœnam. Respondet Pater, jure id factum in tam temerarium. At ille reliquum noctis cum insomni ejulatu trahebat. Hinc princeps monasterii incertus æstuat duplici mole curarum: cum nec tutum foret sanctum corpus tangere, nec cum tanto lapidis ponderé videretur efferri posse. Absterruerat enim præsumptor et illos quibus sancti tactus foret salubris. Ponit itaque ut ad tantum thesaurum usque in diem custodes, intus fratres orantes, foris milites vigiles. Jubet illico totum monasterium auleis candescere, palliis, purpura et auro omnique ornatu paschaliter splendescere. Aderat tunc Cantuariæ Bajocensis pontifex Odo, frater regis, et sub rege absente præceptor Angliæ. Ipse lucis crepusculo ab abbate adsciscitur, audit et videt virtutem sancti; consultus hortatur abbatem ne eum emitteret ab antiquo dormitionis suæ toro, sed cum eo, quo primum a sanctis obsecutoribus positus est, efferret sarcophago. Obsequitur consilio auditor prudens, rebusque paratis, cum candidata ac purpurata solemniter fratrum caterva, et populo certatim irrumpente, ad illa sancti sanctorum ornatissime procedit. Totus itaque desiderabilis Adrianus cum saxosa mole sua speciose adornata, robustissimis trabibus excipitur, cum dulcimodis laudum organis astra ferientibus effertur, in porticum desiderantissimi patris Augustini gratissimus collega deponitur, et inter beatissimos ipsius consortes, ac juxta primum ejus successorem Laurentium, archipræsulem sanctissimum condigna sanctitate reconditur. Fit ingens turbis tam Francigenis [*id est* Northmannis] quam Angligenis exsultatio, fit irruendi et considerandi summa intentio, currunt lacrymæ præ gaudio. Addit sanctus tripudium miraculo clementiæ, qui terruerat miraculo pœnæ. Expleta celeberrime et candidissime de ipsius gloria missa, supradictus tentator cum turgida manu miserabilis accurrit; candelam, cujus mensura ejus tumbam circumplexus est, cum lugubri pœnitudine, cum interventu fratrum astantium obtulit, et, o piissimi Patris virtutem ! illico omnis dolor evanuit, manus detumuit, salus et lætitia post angores gratior redit. Tum ille geminam expertus potentiam, severam et serenam, addidit de tam salutiferis pignoribus aliquid exposcere, jurans super ipsa sancta, si vel minimum inde impetraret, quod suo loco in Britannia monasterio Sancti Salvatoris Redonis (30) deferre posset, se effecturum, ut annuatim ejus festivitas in cappis celebraretur, uti monasteriali usu dicitur. Cumque benignitas abbatis annueret, sumptumque parvulum articulum sibi porrigi juberet; porrectum tanto tremore refugit, ut ad suscipiendum nulla ratione persuaderi posset. Videres hominem ardentem in se faculam expavisse, acriusque repercutiendam dexteram, si auderet contingere. Percunctante itaque datore, cur tam pavide renueret, quod tam avide exorasset : « Totius, inquit, mundi promissio jam mihi hoc non infliget. » Ita petitore absterrito, sacrum munus suo reponitur loculo, integrum scilicet electo loco servare se dignante sancto.

Cap. XII. *Puella sanatur.* — Clausa igitur odoriferi corporis apotheca, supervenit de suburbio puella jam multis annis intestinorum cruciatu immedicabili attrita, et post orationem sciscitatur fratres de sui morbi medela. At illi abluta fratris manu, quæ sancti contigerat articulum, propinant morbidæ potum. O fidem ad omnia potentem! o Christi confessorem ad omnia credentibus in Christo præstabilem! tactus sancti corporis sicut præsumptuoso obfuit, ita officioso ut et aliis prodesse contulit. De hujus itaque tactus ablutione gustata plenam sospitatem actutum hausit ægrota.

Cap. XIII. *Transferuntur alia corpora.* — Sic ergo præstantissimo Adriano translato et mirificato, jam post prædicta missarum solemnia, dum inter easdem missas reliqui omnes qui erant transferendi elevarentur a speluncis suis, et pararentur ad exportandum, dispensator Dominicæ familiæ regreditur cum

(30) Monasterium Rotonense in minori Britannia S. Salvatori dicatum, vulgo *Rhedon*, hodieque celebre sub S. Mauri Congregatione.

candidissima processione, transferensque præsulum, abbatum reliquorumque sanctorum pignora cum vocum et cymbalorum alta resultatione, in occidentali turri monasterii omnia composuit ante sanctæ Dei Genitricis altare, donec, nova ecclesia reædificata, novo reconderentur honore. Nec defuere quatuor reges supra memorati huic translationi, cum conjugibus et sua progenie evecti.

Cap. XIV. *Altare B. Mariæ diruitur. Ibi reliquiæ ignotæ.*—Deinde principale altare virginalis ecclesiæ diruitur, ibi quoque opus protelatur, noster etiam sermo subsequens prolongatur. Affulserunt ibi sacrosancta sanctorum pignora, eburneo candore et rubore interfusa, omnique suavitate redolentia, a sanctissimo archipræsule Mellito ibi quondam, quando hoc altare cum ecclesia consecrabat, decentissime reposita Nomina eorum et indicia chartulis inscripta, atque in modum crucis cavato lapidi indita ac distincta, apparuit ibi aliquando flammis absumpta. Dolemus et horum et tot aliorum sanctorum notitiam terris abolitam, cum hoc damnum nostram redarguit inertiam, cum nec illos digne laudare quos novimus, nec ipsa tot tam multorum gesta relegere assurgimus, etc

Cap. XV. *Parvuli corpus.*—Igitur assumptis supradictis reliquiis, ante ipsum altare exstirpatum offenduntur aliæ opes, aliæ margaritæ. Germinat ibi sacra spelunca unius parvuli nivea et lactea membra, ita minuta ut vix possent teneri, ita dura ut difficillime possent frangi. Mirantibus cunctis insuetam et tenuitatem et soliditatem atque candorem, quidam astantium jam maturi ævi prorupit in hanc relationem : « Cum puer essem, ego et coætanei mei pueri sacros cantus in hac ecclesia discebamus. Interea cum quadam nocte, expletis matutinis, concineremus ex more, contigit unum ex nobis ævo et animo promotiorem, quasi spasmantem subito concidere, et velut exanimem sine sensu et voce jacere. Tandem respirans ac suspirans, percunctantibus nobis trepide quid pateretur : An vos, inquit, visum mihi miraculum non vidistis? Negantibus omnibus. Vidi, ait, in ingressu chori parvulum astantem, instar nivis candentem, tensis in cœlum palmulis orantem, post orationem flexa in meridiem via ad altare properantem, sicque inter sanctum Adrianum ac principale altare evanescentem. » Hæc dum ille contemplator tremens et pallens exposuisset, ita omnes et magister et discipuli exterriti sumus, ut pariter ab ecclesia, magistro prævio et hortatore, præcipites fugeremus, etc. Sed te, o puer, quem præscripsimus, et forte indisciplinatis pueris indignatum pensamus; te, inquam, licet nomine ignoremus, meritis Bethlehemitis innocentibus fide ascribimus.

Cap. XVI. *Crypta B. M. exstruitur.* — Sic itaque prædicta ecclesia suis pignoribus evacuata, ad solum evertitur et complanatur, moxque in ipsa fronte arietata novæ facies aulæ erigitur, totumque illum veteris spatii uterum, cum ampliori capacitate complectitur. In ipso priori atque electissimo loco suo cryptam novam altissima Virgo nanciscitur, et Augustini thalamus, et principum apostolorum domus desuper cacuminatur. Summæ autem Mariæ suus torus receptabilis sequentibus signis declaratur.

Cap. XVII-XXII. *Cæca illuminata.*—Necdum erat crypta regia perfecta, et reginæ nostræ arrisit gratia. Erat alma dies Palmarum, in qua Filii Dei et sui mundus celebrabat triumphum. Fecit Ecclesia festiva floridam et palmatam processionem, suscipiens suum cum antiquis Hierosolymitis regem, apud homines asello sedentem, et super cherubim cœlo regnantem. Interea anus quædam oculorum cæcitate et diutina ægritudine tribulata, sola remanserat in crypta cum Salvatoris genitrice ac mundi salvatrice Maria. Miserata est mater misericordiæ miseræ calamitatem, et ante peractam processionem cæcæ reddidit oculorum lumen, et languidæ reliqui corporis plenam sospitatem, etc. *Sequuntur complura miracula, quæ videsis apud Bollandianos.*

Cap. XXIII, XXIV. Alii item fratri, ævo et moribus venerabili, nomine Gregorio quadam nocte ante nocturnos hymnos adhuc sopito, clare auditur ab eadem crypta mira supernæ harmoniæ modulatio, adeo ut præ illo dulci sono expergeretur a somno, Quiescebat æger tunc, ut hodie tenus, in infirmorum cella fronti et ipsi cryptæ monasterii contigua. Residet auditor lectulo et auscultat, cantabatur officium, quod ibi quotidie in gratiam Virginis devotio fratrum assiduat : *Salve, sancta parens, enixa puerpera regem*, et cætera usque in finem, *in sæcula sæculorum*. Putabat ille matutinis expletis conventum fratrum assuetam missam celebrare, nisi quod stupidum reddebat inaudita prius suavitas cantilenæ. Festinavit interesse missæ, venit ad ostium cryptæ, invenit obstructum clave et vecte, stratus fratrum explorat, cunctos sopor altus habebat, et jam inexperta melodia tacebat. Unde necdum mota, et postea sonata signa matutinorum certum sibi dedere testimonium, quod mortalibus dormientibus cœlestem audierit concentum. Summa itaque devotione est animadvertendum, quod [ad] nostros cantus, resultet chorus cœlestium, et reginam cœli hoc dignatam dare indicium, se more nostri obsequii salutari et laudari dignari cantibus superorum, etc.

Cap. XXV, XXVI. *Sancti e veteri ecclesia translati. Lamberti episc. Cantuariæ virtutes et miracula.* — Cum igitur super cryptam reædificata et parata basilica fratres in choro suo ad divinas laudes recepisset, reliquum corpus veternosæ ecclesiæ jam ruituræ supra memoratus abbas Scotlandus, ne quem obrueret, parans diruere, sanctorum corpora, quibus tota erat plena, curat prius eruere. De plurimis electissimi primo transferuntur quinque Cantuariæ archipræsules, velut quinque Dominicæ aulæ prætores, præcluentissimus scilicet ac sanctissimus Theodorus, suique sancti successores Brituvaldus,

Tatuvinus, Nothelmus, Lambertus (31). Longum est de singulis dicere, cum in singulorum elevatione merita singulorum superna prodiderit fragrantia ac virtutum evidentia. Primo autem et ultimo sua monet gratia paululum suppeditare. Lambertus, ex Augustinensi abbate in Cantuariensem archipræsulem assumptus, multas persecutiones propter justitiam est passus. Inter alia cœperat rex Merciorum Offa Dorobernensem archiepiscopatum in sui regni primatum ad Lichfeldensem Ecclesiam transferre, ut ubi de cætero foret caput Ecclesiarum Angliæ, contra perpetuam scilicet auctoritatem primitivæ institutionis beati papæ Gregorii. Restitit armiger Christi Lambertus in virtute Heliæ, et inter crebras regum minas ac repulsas, atque itiones frequentes ad apostolicam Romæ reclamationem, tandem palmam justi primatus ad propriam revexit sedem. Cui inter has aliasque præclaræ sanctitatis virtutes tanta fuit virtutum thesauraria humilitas, ut se juberet in capitolio fratrum apud primicerium Augustinum post obitum tumulari, indignum se judicans in sanctorum ecclesia, et inter tot sacratissimos præcessores suos pontifices admitti. Ita eum post finem in capitolio (32), velut abjectiori loco, sepultum sæpe effusa desuper æthereæ lucis columna cœlesti honore sanctorum probavit dignum. Cumque illum tandem propter hæc et alia miracula reserato busto in ecclesia recondendum curarent efferre, totum undique claustrum mirifice redolebat nardifluo thymiamate. Ibi etiam ab abbate illius temporis a dextro latere altaris ipso venerabiliter reposito, solita signa comitabantur favore supremo; quæ nunc præterimus tædiosis parcendo. Unam tantum ipsius subnectimus revelatiunculam, qua probemus ejus perpetuam super suæ dormitionis domicilium vigilantiam, etc.

Cap. XXVII. *S. Theodorus.*—Prænominatissimi autem Theodori remoto in translatione tumbæ operculo, sua omnibus affatim satisfecit thurificatio, ita ut in claustrum fratrum etiam hæc erumperet oblectatio. Jacebat, uti a primordio erat depositus, integra forma, metropolitani sacerdotii pallio, et monachili tantum obductus cuculla. Tanta erat gratia ut arbitraretur adhuc solida vigere carne, et appositis manibus fratres eum niterentur velut integrum assumere. Verum antea immotus pulvis integritatis prætendebat imaginem, tactus autem probavit resolutionis fidem, resolutio vero gratiam sanctitatis addidit venerabiliorem. Nam ille pretiosissimus cinis gloriæ beatæ resurrectionis destinatus, ita ex tactu potentiori vernabat fragantia, ut ex tritura solent prorsus redolere aromata. Excipit itaque theca plumbea illa sacrosancta pignora attentissime pro gemmis optimis collecta; induitur præcipuis ornatibus; imponitur feretro a duobus quam leviter fratribus, verum non ea levitate effertur. Intonatur responsale præconium; procedit solemne collegium; invadunt electi quatuor fratres exponendum lucis ferculum; hæret humi gleba quasi radicata. Duplicatur auxilium; nituntur totis viribus cum precibus et octonis humeris vix assumitur; gravissime evehitur, et cum summo labore vix ad gradus presbyterii pervenitur. Ibi tandem omnium ferentium vel succurrentium conatus et robur concidit; onus præponderans omnes fixit: quoque plures successerant, eo inaniori nisu anhelantes velut exanimes reddidit. Jamque obruendi erant sua sarcina, cum tandem ad preces et lacrymas conversi, pectus tundere, indignitatem suam accusare, veniam poscere, emendationem vitæ spondere cœpere: tantum sanctus pateretur efferri se. His ille placatus votis, continuo fit levis, et ad principale altare locumque paratum gestatur a paucis, qui paulo ante non poterat a cunctis. Mirantur gaudenter Dei templum et Spiritus sancti habitaculum tam grave vacuis, tam suave devotis effectum. Reconditur itaque in dextro latere altaris in tumba parata, in qua a duobus tantum fratribus deponitur cum plumbea theca. Reliqui quoque quatuor supra nominati sancti sui successores et coepiscopi dum transferuntur, cujus essent meriti ex odoris virtute prodiuntur; in quibus Dominum suavitatis perpetuam mansionem fecisse, suique amoris incensum cremasse mota ipsorum sarcophagorum thymiamateria prædicavere.

Cap. XXVIII. *Æthelbertus rex. Lotharius. Berta. Ethelberti regis laudes. Ecclesias fundat. Monasterium S. Augustini. Petri abbatis sanctitas. Ejus monasterii laus. Regis mors. Inter sanctos cultus.* — Translatus est etiam sanctus ac Deo amabilis rex Æthelbertus (33) apostolici templi ut primus conditor, ita perpetuus hæres et possessor, tertius quidem regum Anglorum, sed primus ascensor regni cœlorum; beatissimi quoque pontificis Letardi (34), cujus sacrosancta ossa majora abbas Vulfricus jam olim aureo scrinio assumpserat, reliquum autem corporis in sarcophago remanserat. Sed et venerabilis reginæ Bertæ agitur translatio pia, cum qua, et pro qua in fide Christi servanda, non timuit ipse Dei athleta in hac vastissima gentilitatis peregrinari ac manere barbarie. Jacebant in porticu beatissimi præsulis Martini, rex in dextro latere altaris ad parietem australem. Pontifex econtra in sinistro ad aquilonem, regina post regem. Illi

(31) Aliis *Jambertus*, ex abbate Augustinensi factus archiepiscopus an. 763. Theodori Vitam dedimus ad an. 690. De aliis egimus Sæculo sequenti ad an. 732, pag. 528.

(32) Papebrochius substituit pro hac voce, *capitulo;* sed capitolium passim medii auctores vocabant.

(33) Is Augustinum, ut omnes norunt in Angliam advenientem suscepit, a quo et ad fidem adductus est. Vide ipsius Augustini Vitam cap. 16, etc., sæc. XI, pag. 511.

(34) De eo plura inferius. Fuerat Silvanectensis in Belgica II episcopus, quem Berta, Chariberti regis Francorum filia, cum in Angliam venit Æthelberto nuptura, secum adduxit. Ejus festivitas infra dicitur mense Maio celebris

habebant altaria sua ad tumbæ suæ verticem. De beato Letardo dicentur imposterum non posthabenda miracula. De Æthelberto nunc textum exigunt evidentissima per Angliam merita; scilicet quod Anglia credit Christo suum est. Quidquid protodoctor Augustinus suique commanipulares evangelici in vinea et messe Domini profecere, salva prævertrice Christi gratia, huic debetur primo, etc. Construxit per Augustinum Domini Salvatoris ecclesiam et archiepiscopatum in regia metropoli sua, ubi ipse Augustinus et omnes successores sui principaliter præsiderent; construxit et monasterium principale extra urbis muros, a fronte orientali, in honore principum apostolorum Petri et Pauli, ubi et rex et pontifex cum omnibus successoribus suis perpetualiter requiescerent. Orientalium autem Saxonum beatissimus Mellitus primus docter et primus episcopus emicuit, quem huic genti auctor Augustinus dedit ac consecravit, qui sibi post in suum apostolatum tertius successit. Hic quoque Æthelbertus Dei amicus in ipsius provinciæ metropoli Lundonia ecclesiam apostoli Pauli, quæ usitate Paules-Berig appellatur, condidit, et ad hanc episcopium regaliter fecit ac provexit. Similiter Roffensis præsulatus, cum præsulari basilica beati Andreæ apostoli, ab ipso principe primitus fundatus et sufficienter ditatus. Justissimum suoque nomine dignissimum suscepit Justum, quem inde Dorobernensis metropolis ab Augustino assumpsit quartum. Eligensis quoque monasterii ipse fundator in antiquis chartis legitur; quanquam etiam beata virgo Ætheldreda, post longam desolationem suam, hinc primatum mereatur. Hæc et alia inclyta vel pontificia vel monasteria, quantum liberalissimus rex et superni regni cultor amantissimus, cum cæteris minoribus oratoriis sublimaverit, non indiget exponi, quod reipsa magis hodietenus elucescit. Illud vero apostolicum domicilium, quo cum suo apostolo Augustino cunctaque successione, ut prænotatum est, ex decreto beati papæ Gregorii requiem hæreditaret, tanto scilicet præstantius nobilitare curavit, quanto specialius hoc sibi cum tot sanctis et excelsis divinitus prærogatum fore perpendit; foris hoc regiis amplificavit possessionibus, intus decoravit regiis ornatibus, regia libertate cum apostolica auctoritate perpetuis stabilivit sanctionibus.

Sunt chartæ, sunt privilegia ipsius ac tot primorum testimonio signata. Primum abbatem huic sacro contubernio a sanctis institutoribus suis electum præfecit Petrum (35), quem in sacra legationis obedientia martyrialiter mari submersum, et ejectum æthereæ lucis radius singulis noctibus desuper affusus ostendit civem supernum, donec digniori loco habeat sepulcrum. Requiescit celebriter Bononiæ (36) in ecclesia canonicorum, ubi nuper factum prodigium videtur memorandum his adeo, qui ignotis sanctis derogant, in exemplum. Loci æditnus ipsius sanctum corpus de ecclesia ejecit in cœmeterium, indignatus in ecclesia honorari quem ipse nescisset, cum etiam nesciret quantus esset quem inhonorasset: qui cum censeret priores suos, qui sanctum sic honoraverant, errasse, suo potius captus est errore. Sequenti enim nocte cum lecto recubans arrogaret se magnifice fecisse, qui ecclesiam purgasset a tam ignobili funere, supervenit ei repente abbas in cuculla et cambutta visus manifeste. Quem increpans aspectu terrifico ac minaci: Adeone, inquit, placet tibi quod me de ecclesia projecisti? Interrogante æditno exterrito quis esset: Abbas, ait, sum, nomine Petrus, qui asto Deo sanctus inter sanctos in cœlestibus: unde nunc scies quem elaboraveris ante destituere quam cognoscere. Insequitur minas effera multa, percutit ac percutit ipsa quam manu gestabat pastorali virga, ferit caput, tundit latera, conquassat omnia membra; tandem, illo semimortuo et immobili relicto, divinus ultor abscessit. Cumque matutinæ usque in ortum solis morarentur sonitore damnato, nec esset qui pulsantibus et clamantibus aperiret, tandem infractis ostiis, ad contritum prorupere, auditaque ab eo querelosa causa, susceptum linteo exportavere, postera die mortuum in cœmeterio sepeliere de fratre gementes; sanctum vero de ipso cœmeterio honorifice receptum in ecclesia recondidere, tanto prodigio proditum gaudentes. Hujus fidei testis est hesternus abbas Scollandus, qui tunc aderat cum hæc recenter facta celebrarentur.

Hæc in beati regis Æthelberti memoraverim reverentiam, ne quis ejus præjudicet merita, quanquam ignorentur miracula; sed de ipso ac suæ habitationis cœnobio cætera solemnizet sermo. In proxima metropoli regnavit, hic requiescit; sic et evangelicus ejus genitor Augustinus ibi sedem, hic habet requiem; ibi est suus thronus, hic thalamus; utrique ergo ecclesiæ sub Christo principatur; illam regit, hanc incolit, etc. Huc etiam suus post plurima lustra cohæres sacratissimus Dunstanus, ut cervus ad fontes aquarum crebris noctibus veniebat, et assuetas sibi visiones, et hymnos supernorum civium frequentabat. Qui hoc etiam fertur expertissime dixisse, quod ubicunque vel in ecclesia, vel in cœmeterio pedem vertisses, super aliquem sanctorum calcares, adeo locus plenus esset sanctorum. Nec vero magno caret sacramento, quod divinus Augustinus cum suis extra portam locum elegit, ab exitu mundano velut in exitu Israel de Ægypto, ut videlicet exiret cum Domino extra portam passo. Verum Æthelbertus migravit ad Dominum, mutato regno in cœlestibus, die vicesimo quarto mensis Februarii, anno imperii sui quinquagesimo sexto, adventus beati Augustini ad se, ac susceptæ Christianitatis vicesimo primo, Dominicæ autem Incarnationis

(35) De hoc Bollandus die 6 Januarii.

(36) Ea in urbe alteram olim sedem habebat episcopus Morinorum. Hodie Tervannensi episcopatu in tres diœceses diviso, episcopum proprium habet Bolonia qui suffraganeus est archiepiscopi Remensis.

sexcentesimo decimo sexto. « Qui, ut Bedæ verba ponamus, inter cætera bona, quæ genti suæ consulendo conferebat, etiam decreta illi judiciorum, juxta exempla Romanorum, cum consilio sapientum constituit : quæ conscripta Anglorum sermone hactenus habentur, et observantur ab ea. In quibus primitus posuit, qualiter id emendare deberet, qui aliquid rerum vel ecclesiæ vel episcopi, vel reliquorum ordinum furtim auferret, volens scilicet tuitionem eis, quos et quorum doctrinam susceperat, præstare. » Prosequitur idem venerabilis historiographus altam genealogiam regis, ad quem lectorem mittimus. Ejus autem sanctitatis testis est antiquitas, veterumque sanctorum favens auctoritas. Quod scilicet antiquitus a primordio inter sanctos ipsius celebrata sit solemnitas. Quod nec amore, nec errore, nec temeritate ab aliquo inter tot sapientes et religiosos, ut credimus, præsumeretur, nisi ille vitæ puritate et cœlestibus indiciis dignus probaretur ; cum filii sui aliique successores, boni ac magnarum virtutum reges, tantum inter fideles defunctos memorentur : nec illum fidelis Beda primum Anglorum regum conscendisse regnum cœlorum scripsisset, nisi meritum didicisset. Nam et multos post eum celeberrimæ sanctitatis reges Anglia protulit et veneratur, etc.

Cap. XXIX. *Letardi sanctitas.*—Nunc beati Letardi exhibeantur inducіæ. Dignus Deo antistes Letardus, præcursor et janitor venturi Augustini apparuit. prævenit hunc ut Lucifer solem ; paravit ei viam, ingressum et locum ut ille pararet Domino. Prodigus ingentis animæ non timuit ferinam gentilium barbariem, sæculi principibus terribilem. Ipse Dei famulæ reginæ Bertæ, dum Æthelberto adhuc gentili Christiana a paterno regno Francorum mitteretur, dux, comes, doctor, servator ac totius pietatis instigator, etc. Quis digne æstimet quanta miracula post tot merita exhibuerit in vita, cujus tanta crebrescunt nostris temporibus post tot sui obitus sæcula, de quibus injuria est non memorare aliqua.

Cap. XXX. *Cæcam illuminat.*—Sub abbate superius memorato Vulfrico puellam a nativitate cæcam, ut ipse testis erat idoneus, ad ipsius sancti tumulum a parentibus deductam, Dei lucifer ignota prius luce donavit, et natalibus tenebris obvolutæ mundum cum sole attribuit.

Cap. XXXI. *Contractum erigit.* — In quadam Quadragesima mulier natum suum inolitis in terga calcaneis contractum ad ejus tumulum deposuit, et hortatu nunnæ (37) religiosæ, quæ illum locum servabat, relicto misero, abscessit. Interea ad vesperas hymnus Dei Genitricis *Magnificat anima mea Dominum* decantatur, et puer a naturalibus vinculis resolutus in clamore versatur. Solutis inversis calcaneis, extenduntur incurvæ tibiæ, fluxus de concreta carne ubertim cruentat pavimentum, puer extensis lacertis sancti tumbam apprehendere contendit; mox in pedes erectus constitit. Populus ad clamorem pueri irrumpere certavit; sed nunna ostium obdidit, donec fratres advenirent, et hymnum laudis pro miraculo decantarent : puer domum redit pedibus propriis qui advenerat alienis.

Cap. XXXII. *Ejus ope annulus amissus invenitur.* — Egregium artificem novimus abbatem Abbendoniæ (38) picturæ, sculpturæ et aurificii probatissimum, Speraver nomine. Is annulum reginæ Edgithæ, pretiosissimum perdiderat, quo ubique frustra quæsito, etiam spem omnem inveniendi perdiderat. Tandem ad sanctum Letardum, nam hic tunc apud sanctum Augustinum invitatus ab abbate Elstano operabatur, confugit, precibus et lacrymis quas angustia potentis depositi extorserat, ejus clementiam exposcit. Res mira ! illico sibi annulus, ubi orabat, reluxit, ubi ille nunquam se posuisse, vel amisisse jurare innoxie poterat. Continuo rapit eum tanta admiratione et lætitia, quanta perdiderat desperatione et molestia ; nec solus gaudebat, sed et omnes fratres tanti relatione miraculi festive lætificabat. Nec solum tanti beneficii memor exstitit, sed ut diutius hæc memoria perseveraret elaboravit. Ejus quippe et venerabilis reginæ Bertæ, quæ suæ peregrinationis est corona, imagines enormi magnitudine ac decore effigiavit, ac super ipsius tumulum solemniter erexit. *Sequuntur alia miracula quæ omisimus ad cap.* 40.

Cap. XLI. *Scollandus abbas obit.*—Igitur omnibus de veteri ecclesia sublatis, et in paratiorem translationem reconditis, sæpe memoratus abbas Scollandus ipsam ecclesiam jam excidium minantem, jam ruere parentem diruit, et nova ibi ædificia usque ad ipsam porticum ac translationem præcluentissimi Augustini ejusque consortum attollit; verum hunc ulterius progredi superno nutu mors obvia vetuit. Prævenit autem faciem Domini pia eleemosynarum cæterorumque bonorum actuum exsecutione, et famosissimo archipræsule Lanfranco omnem ordinem obsequii persolvente, multis hunc lugentibus placido fine quievit. Præcessit uno die obitum regis Willelmi, qui condignum filium reliquit hæredem nominis et regni sui : cujus in ecclesia et sanctis provehendis sollicitum desiderium, quod gratuitæ Dei largitati ac si jam peractum ad remunerandum sufficit, successor ejus explevit uti primus libellus disseruit.

(37) Eo nomine, etiam Anglorum leges sanctimonialem feminam designabant.

(38) Vetustissimum monasterium comitatus Berkeriæ ad Tamesis et Occæ confluentes.

VITA SANCTI SWITHUNI EPISCOPI CONFESSORIS WINTONIÆ IN ANGLIA

AUCTORE GOSCELINO

Apud Bolland., *Acta Sanctorum*, Julii tom. I, die 2, pag. 321.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ 1. *S. Swithuni cultus, translatio corporis, miracula, reliquiæ, orationes propriæ.*

1. Nolim hic in coacervandis S. Swithuni elogiis plus æquo prolixus videri. Isthuc ante me stadii decurrerunt alii auctores, videlicet Guillielmus Malmesburiensis libro II De gestis pontificum Anglorum, Joannes Pitseus in Appendice de illustribus Angliæ scriptoribus centuria IV, cardinalis Baronius breviter, tom. X, ad annos Christi 847 et 862. Ne tamen nihil de ejus laudibus dicam, delibo paucula ad præsens argumentum pertinentia e Martyrologiis. Breve S. Swithuni elogium exhibent Fasti Romani ad diem II, Julii hisce verbis: « Wintoniæ in Anglia, S. Swithuni episcopi, cujus gratia miraculorum effulsit. » In codice Antverpiensi majore, de quo consule præfationem ad novam Usuardim Martyrologii editionem, sic breviter S. Swithuni laudatio absolvitur: « Apud occidentales Saxones, civitate Wenta, depositio S. Swithuni, mirificæ sanctitatis viri. » Codex Altempsianus, de quo agitur in præfatione jam dicta, sancti nostri memoriam recolit die XXX Octobris, sive potius ejus ordinationem: « Ipso die ordinatio sanctissimi antistitis et patroni nostri Swithuni. » Breve est illud, quod Rudburnus ex Lantfredo allegat, de *Swithuno* carmen distichum.

Pauperibus victum, nudis largiris amictum,
Dividis et miseris munera larga, pius.

Sed versiculos illos, a Wolstano monacho Wentano concinnatos, Vitæque quidem metricæ Swithuni insertos, sed in laudem S. Adelwoldi Wintoniensis episcopi, de quo inferius recurret sermo, pronuntiatos, nemo inficias ierit, qui citatæ Vitæ finem inspexerit, excusæ apud Mabilionem Annalium Bened. Sæculo V, pag. 634.

2. Notare obiter lectorem jubeo, ipsos etiam Protestantes, quos dicimus, in Anglia degentes, tam honorifice ac præclare semper de S. Swithuno existimasse, eoque in pretio habuisse annuam ejusdem memoriam, ut post inductum schisma, et caninam adversus Ecclesiam catholicam ejusque sanctos rabiem, nonnulla erga ipsum venerationis suæ vestigia superesse voluerint, relinquendo nomen ejus scriptum in Kalendario reformato novæ suæ liturgiæ; quemadmodum a recentiore quodam auctore invenio observatum.

3. Historiam translationis, cujus summam compendiose tradit Mabilio in Actis Benedictinis sæculo IV, nos integram producemus e codice pervetusto Bigotiano, e cujus fortasse apographo, aut sane simili, sua quoque desumpserit prædictus auctor. Sed de auctore historiæ præfatæ translationis nos pluscul um alibi. Pro ea citat Mathewius in Trophæis Benedictinis tom. II, die 15 Julii isthæc, Missalis et Breviarii Sarisburiensis verba: « Translatio S. Swithuni sociorumque ejus. » Prælibatus auctor A sociorum nomine hic probabiliter designari censet omnes pontifices et confessores præfatæ Ecclesiæ seu civitatis, quamvis fortasse diversis diebus corpora eorum transferri contigerit. Interea commodus sese hic et opportunus offert locus agendi de humili et abjecto tumulo, in quem sanctus iste antistes deferri post mortem corpus suum præcepit, donec interposito centum annorum et amplius curriculo, videlicet anno Christi 971, indictione XIV, detectum postea atque inventum fuit divino monitu, et in honoratiorem locum solemniter delatum. Ea quæ ad præsens argumentum ex Wolstano congessit Mabilio, huc transcribo

Turris erat rostrata tholis, quia maxima quædam,
Illius ante sacri pulcherrima limina templi,
Ejusdem sacrata Deo sub nomine hierarchi.
Inter quam, templique sacram pernobilis aulam,
Corpore vir Domini sanctas requievit humatus,
Cujus adhuc ipso latuit nos tempore nomen:
B Nec fuerunt nisi perpauci qui pandere nossent
Aut nomen meritumque viri, jam tempore longo
Utpote transacto, postquam sacer ille sacerdos
Corpore ibi tumulatus erat; nam vilis apud se
Mente humili in tantum præsul fuit inclitus idem,
Ut perhibent omnes hunc qui novere fideles,
Ut se post obitum sineret nullatenus intra
Ecclesiæ Christi penetralia corpore poni:
Sed nec in electis loca per diversa sepuleris,
In quibus antiqui Patres jacuere sepulti,
Aurea sol oriens orbi qua spicula mittit,
Qua mediumque diem fervente calore perurit:
Sed magis occiduo mandat se climate poni
Illius illustris, quam sæpe notavimus, aulæ;
Contestans lacrymando suum non esse locandum
Corpus in æde sacra Domini, præclara nec inter
Priscorum monumenta Patrum; moderamine Chri
[sti]
Est ita quod factum justo, vir sanctus ut idem
C Qui tactus virtute humili se sprevit, et extra
Est templum quasi vilis homo indignusque sepultus
Innumeris signis, virtutibus atque coruscis
Clarus, apostolicam post transferretur in aulam.

4. Et hæc quidem Wolstanus apud Mabilionem, postquam idem Wolstanus quosdam versiculos superioribus præmiserat, qui sic sonant:

studioque require sagaci,
Præsulis unius sancti sublime sepulcrum,
Quod super invenies positum tumulare sacellum,
Parietibus structum, nec non et culmine tectum,
Sarcophagi inque modum bis bina fronte locatum.
Hoc inter sacramque crucem, quæ sistitur illic
Saxea, somniferam paulatim carpe quietem.

Nec vero suis signis, suis prodigiis caruit isthæc translatio, sed ab illo qui deponit potentes de sede et exaltat humiles (*Luc.* I, 52), magna miraculorum multitudine ac varietate condecorata resplen-

duit, quæ sic summatim ex Gotzelino complexus est Surius, et post illum Mabilio.

5. « Eodem die, hoc est Idibus Julii, puerum a nativitate contractum sanavit, tribus mulieribus oculorum lumine orbatis visum restituit, nexibus ferreis mulierem, in carcere compeditam, ruptis vinculis liberavit, paralyticum curavit, matronam nobilem, sed cæcam, illuminavit, viginti quinque homines, variis vexatos morbis, uno die perfecte restituit; cæcos aliquot, duas contractas feminas intra unum diem; triginta et sex e diversis locis venientes, nec unius generis laborantes ægritudinibus, trium dierum spatio, neque diu post, centum viginti quatuor, intra dies quatuordecim curavit. » Ita illic. « His unum addit, » prout scripto prodidit Mabilio, « Willelmus Malmesburiensis testis oculatus, his verbis : Vidi (quod mirum sit) hominem, cui violentia raptorum effodisset lumina, oculos vel illos vel alios (nam illi longiuscule projecti fuerant) per Swithuni merita recepisse, eratque præteritæ calamitatis indicium, quod aculei punctionum palpebras deformabant. » Annales Wintonienses apud Warthonum in Anglia Sacra parte I pag. 295, celeberrimam nobis exhibent S. Swithuni translationem hisce verbis : « Anno 1093 in præsentia omnium fere episcoporum atque abbatum Angliæ, cum maxima exsultatione et gloria de veteri monasterio Wintoniensi ad novum venerunt monachi, VI Idus Aprilis. Ad festum vero S. Swithuni facta processione, de novo monasterio ad vetus tulerunt inde feretrum S. Swithuni et in novo honorifice collocaverunt. » Et quoniam occasione translationis, simul de miraculis tractandum fuit, magno quoque hac in parte subsidio nobis et adjumento fuit tam dictum apographum e pervetusto codice Bigotiano, quam aliud ex antiquissimis membranis reginæ Sueciæ desumptum, quod non venit ad nostras manus nisi mutilum, utpote capite ac cauda truncatum.

6. Nonnulla quibus defectus iste utcunque possit suppleri, eruo ex laudato sæpius Mabilione, quandoquidem mirifice faciunt ad gloriam Sancti et propositum nostrum. Sic itaque ipse loquitur in Actis Benedictinis Sæculi IV, parte I, pag. 71. « Post superiorem translationem Wintoniensis ecclesia ab ejus [Swithuni] nomine cognomentum accepit. Alfwoldus ex monacho Wintoniensi Wiltunensis episcopus, apud Schireburniam imaginem sanctissimi Swithuni collocavit, facem venerationis extulit, inquit Willelmus Malmesburiensis in lib. II De pontificibus Anglorum. An hanc statuam, referente Gotselino, præclara miracula edi solebant; in his leprosus a lepra mundatus. Denique Emma regina mater Edwardi regis, a Godwino comite violatæ pudicitiæ accusata, cum in cœnobium de Watewella retrusa fuisset, filii jussu, candentis ferri examen Wintoniæ in ecclesia S. Swithuni subiit ad probandum suam et Alwini Wintoniensis episcopi (qui ejus amasius ferebatur) innocentiam.

7. « Emma tota nocte proxima pervigilavit ad sepulcrum S. Swithuni. Die facto in pavimento ecclesiæ scopato, novem vomeres igne candentes ponuntur in ordine, quibus breviter benedictis, detrahuntur reginæ calcei. Tum posito peplo, succincta a duobus hinc inde episcopis, novem vomeres illæsa percurrit, stupente rege, et omnibus, qui aderant, attonitis, uti fusius legitur maxime in Monastico Anglicano a pag. 33. Hæc, liberatori suo non ingrata, dedit ipsa die in oblatione S. Swiphuno pro novem vomeribus novem maneria, Edwardo rege probante, et duo maneria de suo adjiciente. Denique anno 1052 Emma regina migravit a sæculo et Wintoniæ in ecclesia S. Swithuni sepulta est. »

8. Nec vero modice famam posthumam S. Swithuni, signis ac miraculis confirmatam et propagatam, contulisse ad promovendos labores apostolicos S. Ethelwoldi, in episcopatu Wintoniensi successoris ejus, honorificis verbis declaratur in ejusdem Ethelvoldi Vita, auctore, ut Mabilioni videtur, Wolstano monacho, ejus discipulo, conscripta, et impressa apud eumdem Mabilionem Annal. Bened. Sæculo V pag. 616, ubi sic legitur : « Cujus *Athelwoldi* prædicationem maxime juvit sanctus antistes Swithunus, eodem tempore cœlestibus signis declaratus, et infra templi regiam gloriosissime translatus, ac decentissime collocatus. Ideoque gemina simul in domo Dei fulsere luminaria, candelabris aureis superposita, quia quod Adelwoldus salubri verborum exhortatione prædicavit, hoc Swithunus gloriosa miraculorum exhibitione ad laudem nominis Christi mirifice decoravit. » Miracula quædam, ligata oratione conscripta, habes paragrapho sequenti, ubi de scriptoribus. Dicendum etiam de sancti præsulis nostri reliquiis. Edmerus sive Eadmerus, individuus S. Anselmi archiepiscopi comes, descripsit antiquam cryptam ecclesiæ Cantuariensis. Qua ex descriptione omissis aliis, quæ huc non pertinent, paucula excerpo in rem nostram. « Porro aliud altare congruo spatio antepositum prædicto altari erat, dedicatum in honorem Domini nostri Jesu Christi, ubi quotidie divina mysteria celebrantur. In quo altari B. Elfegus caput B. Swithuni..... cum multis aliorum reliquiis solemniter reposuerat. » Adisis partem II supplementi mensis Junii pag. 114. De reliquiis hoc tantillum duntaxat est, quod jam diximus.

9. Pro orationibus propriis seu collectis habe, lector, ex codice nostro ms. « ea quæ sequuntur et excerpta sunt ex Missali elegantissimo, ad usum Anglicanæ Ecclesiæ dato, cœnobio Gemmeticensi a Roberto, qui ejus quondam abbas fuerat, tuncque episcopus Londoniensis circa annum 1050, ac tandem Cantuariensis archiepiscopus, etc. Missalis tabula paschalis est ab anno 1000 ad annum 1005. » Sic igitur ibidem legitur : « Deus, qui jubar æthereum, antistitem Swithunum, moderna temporum dignatus es mundo revelare, suppliciter tuam imploramus omnipotentiam quatenus per gloriosa ipsius Sancti merita, quem facis coruscare signis miraculorum, præbeas nobis, te supplicantibus famulis, omnium incrementa virtutum, et sempiternæ felicitatis tripudium. Per, etc. » Nulla est præfatio. Oratio ad complendum sive postcommunio sic habet : « Deus, qui per sanctum confessorem tuum antistitem Swithunum mederis languoribus infirmorum, concede nobis tuum juvamen, per ejus implorantibus interventionem, præsentis vitæ fungi salubritate et civium supernorum societate. Per Dominum nostrum, » etc. Versiculos sequentes cum oratione desumpsi e ms. continente collectas et antiphonas variorum sanctorum Angliæ.

« O Swithune Pater, præsul mitissime noster,
Per quem mira Deus signa facit Dominus.
Nos fragiles animo petimus defende paterno,
Sanctis atque tuis protege nos meritis.
Quo te pro nobis interveniente patrono
Possumus vitam scandere perpetuam.

« Ora pro nobis, etc. Deus, qui hodiernam diem sacratissimam nobis in B. Swithuni confessoris tui atque pontificis depositione celebrare concedis, adesto propitius Ecclesiæ tuæ precibus, ut cujus gloriatur meritis, muniatur suffragiis. Per Christum Dominum nostrum. »

§ II. *De Scriptoribus vitæ, miraculorum, ac translationis S. Swithuni.*

10. Tria nobis suppetunt de S. Swithuno illustranda instrumenta, nimirum vita, miracula, ac translatio. Ea quæ de iis scriptores ad posteritatis memoriam litteris commiserunt, producemus suo loco, et, quod necesse fuerit, notis illustrabimus, præmissa prius de illorum auctoribus brevi tractatione. Vita habetur descripta in Legenda, antiquis typis impressa, quæ vulgo passim Capgradio ascribi

assolet. Sunt qui hujusce Legendæ auctorem censent fuisse Joannem Tinmuthensem, monachum ordinis S. Benedicti ad S. Albertum, qui Joannes claruit anno 1366, veterumque monasteriorum scrutatus bibliothecas, adjecit animum ad conscribendam historiam ecclesiasticam et sanctorum Vitas. Ex ejus Sanctilogio, seu Historia sanctorum utriusque sexus, fertur Joannes Capgravius vel omnia, vel pleraque in prædictam suam legendam transtulisse, atque usus fuisse pro suis. Consule notam Joannis Bollandi tom. II Februarii pag. 308, littera *a*.

11. Vitam eamdem, quam et hic sumus daturi, paucis mutatis et stylo hinc inde correcto, impressit Surius die 11 Julii sub nomine Gosselini, de quo mox. Vita porro apud Capgravium edita et a nobis insinuata nimis concordat cum ea quam, ut diximus, more suo expolivit dictus Surius, quam ut diversis e fontibus haustæ esse possint, uti conficitur ex utriusque inter se facta a me collatione. Juverit audire quæ de auctore Vitæ commentatus fuit Joannes Mabilio in Actis Benedictinis sæculo IV, pagin. 69 : « Hanc, inquit, e tenebris primus demum vertente sæculo XI eruere tentavit Goscelinus monachus, ex Sithiensi cœnobio translatus in Angliam cum Hermanno episcopo Saresberiensi, qui Goscelinus, referente Willelmo monacho Malmesburiensi, in lib. IV De regibus Anglorum, capite ultimo, innumeras sanctorum Vitas stylo extulit veterum, vel hostilitate amissas, vel informiter editas comptius renovavit. Ab hoc auctore idem Willelmus mutuatus est quæ de Swithuno retulit, agendo de Wintoniensibus episcopis. Institit utriusque vestigiis Harpsfeldius, et post eum Thomas Maihewius, aliique recentiores. » De Gotzelino sic loquitur Vossius libro II De historicis Latinis : « Claruit anno 1110. Signavit Vitam S. Swithuni, Wintoniensis episcopi, quæ ipsa, vel saltem epitome ejus exstat apud Surium, tom. IV, Julii II. » Cum igitur inter eruditos satis conveniat sæpe dictum Goscelinum litteris mandavisse Vitam S. Swithuni, neque auctor huc usque, quantum ego quidem existimo, illo prior assignari queat, qui idem hoc litterarii curriculi stadium decurrerit ante ipsius tempora, superest ut ad hunc unum Goscelinum, tanquam ad primum fontem, quidquid sive Joannes Timuthensis sive Capgravius subsecutis temporibus edidere, referenda esse videantur. Nisi fortasse ipsi etiam Goscelino aliquid lucis prætulerint Lantfredus, et forte etiam Wolstanus, de quibus nunc tractabimus.

12. Expensis hisce verbis, quæ auctor translationis corporis sancti antistitis nostri, historiæ a se conscriptæ inseruit : « Nos ita gestum vidimus, quemadmodum præsens demonstrat codicillus; » et istis insuper, quæ ibidem dicit : « Qui nostra tempestate dignatus est sanctum suum signis et virtutibus mirificare; » expensis, inquam, hisce verbis, liquet, prælictum auctorem translationi corporis S. Swithuni coævum fuisse, quin etiam oculatum testem, jam vero quoniam satis convenit inter eruditos Lantfredum prælibatæ translationis historiam sive miracula post mortem sancti patrata, consignasse oratione soluta; et quoniam aliunde non minus certo constat ipsum floruisse circa annum 980, non equidem video cuinam probabilius et cum majore verisimilitudine tribui videatur posse hoc nostrum ms., quod typis damus, quam eidem Lantfredo, hoc saltem sensu, quod nostrum ex ipsius scriptis sit desumptum, et extractum, omissis aliis miraculis, quæ scripsisse cum majore in numero planum fiet ex iis quæ dein dicentur ex Mabilione. Et quidni hoc ipsum sit idem, vel ex iisdem saltem fontibus haustum, cum eo quod in lucem mittere prætermisit Mabilio, contentus, miracula S. Swithuni summatim tantum retulisse, « ratus, inquit, Lantfredi et Wolstani opera, quæ penes nos habemus, non esse tanti ut lucem publicam mereantur. In illis quædam duntaxat observatu digna invenio, quæ in fine hujus compendii relaturus sum.

13. Nos, salva viri eruditi pace, censemus contra, apprime esse consentaneum antiquitatis scrutatori, neque dum ab ejus instituto alienum, venerandæ vetustatis monumenta e tenebris eruere ac proferre in publicam lucem, nec non lucro apponere quidquid hujusmodi, modo sit sincerum ac genuinum, ad posteros transmitti possit, cujus vel solum et unicum sæpe pretium est candida, antiqua ac primæva simplicitas. Fortasse hoc ms. nostrum coincidit cum alio illo, quod, sicuti scribit recentior quidam auctor, « exstat in eximiæ antiquitatis et pulchritudinis codice bibliothecæ Cottonianæ sub *Nerone* E. I. » Ad prædictam translationis ac miraculorum historiam prout in apographo nostro est, Lantfredo attribuendam tanquam auctori, non mediocriter conducunt hæc ejusdem apographi verba. « Hujus tamen mirabilis præsulis vita et prisca conversatio nobis incognita sunt, quia scripta minime habentur. » Ex quibus apparet convenire auctori hujus nostri apographi id quod de Lantfredo et Wolstano assertum reperio apud Mabilionem, qui « conqueruntur quod præ scriptorum socordia nihil de ejus [S. Swithuni] vita transmissum sit ad posteros. » Non equidem concipio quomodo isthæc cohærere aut conciliari possint cum opinione Pitsei, qui, teste Mabilione, « in libro de scriptoribus ecclesiasticis Anglorum, Lantfredo tribuit duos de S. Swithuni vita et miraculis libros, tametsi, inquit Mabilio, unum duntaxat invenio de translatione et miraculis, nec ullum de ejus vita scripsisse videtur Lantfredus, qui S. Swithuni gesta propter inopiam scriptorum ignorata esse conqueritur. »

14. Postremum illud restat ut miracula illa, quæ Mabilio e Wolstani et Lantfredi scriptis excerpsit, hic producamus. Primum est de homine parricida, ab annis novem, illud ob crimen ferreis vinculis constricto, et catenis soluto, « quod miraculum, ut tradit prædictus Mabilio, in capite 24 narrat Lantfredus, » (et apud nos refertur inter miracula desumpta ex antiquis membranis Reginæ Sueciæ numer. 32). « Hoc genus pœnitentiæ, quale sæpius alias observavimus, ita sequentibus versiculis describit Wolstanus lib. II, cap. 7 :

Contigit interea quemdam patrasse reatum,
Nam occidit proprium crudeli morte parentem.
Unde reo statim præcepit episcopus urbis,
Ferreus ut ventrem constringeret acriter omnem
Circulus, et similem paterentur brachia pœnam :
Continuosque novem semet cruciando per annos,
Atria sacrorum lustraret sæpe locorum,
Viseret et sacri pulcherrima limina Petri.
Quo veniam tantæ mereretur sumere culpæ. »

Pergit dictus Mabilio. « Item aliud in capite sequenti factum refertur de servo cujusdam Flodoaldi, prædivitis mercatoris Wintoniensis, qui servus coram Eadrico præside incerti criminis insimulatus, jubetur, ut

Portaret nudaque manu carbona rubentem
Ignitum calibem : foret inculpabilis et si
Pergeret incolumis : si vero noxius esset,
Plecteret hunc gladio tortor cervice retecto.

15. « Tertium est in capite 11 de Birferthi monachi Abandunensis oculis restitutis, Otgaro tum abbate Abandunensi, cui successit Wlfgarus, qui Wolstano hæc scribente florebat. Quartum est in cap. 12 de cæco illuminato, qui die jejunii Wintoniam adiens religioni duxit solvere jejunium ante solemnem horam Nonam. Quintum est de muliere quadam Gallicana, quæ dum nocte quadam oscitaret, nec signum crucis imprimeret, subito maxillæ infirmitate percussa est. Sextum est de lege Eadgari regis, in latrones constituta, ut quisquis hujus sceleris reus deprehenderetur, cæcatis luminibus, truncatis manibus, avulsis auribus, incisis naribus et subtractis pedibus cruciaretur diutius, et sic demum

decoriata pelle capitis cum crinibus pene mortuus relinqueretur in agris devorandus a feris et avibus atque nocturnis canibus, quod postremum Lantfredus in capite ultimo commemorat. » Qui isthæc proxime commemorata S. Swithuni miracula contulerit cum iis quæ jamjam nos sumus daturi, facile animadvertet pleraque omnia ibidem describi quæ hic recensentur. Nos putavimus lectoris interesse, ut omnia hic, quæ e Wolstani et Lantfredi scriptis a Mabilione excerpta sunt, ponerentur, cum facere possint si non ad notitiam illorum miraculorum, quæ aliunde habentur; poterunt tamen facere ad majorem illorum confirmationem.

16. « Ad apographum nostrum, tractans de miraculis Sancti nostri et extractum est e membranis antiquissimis reginæ Sueciæ, quod attinet, nihil habeo vel de auctore qui illud scripsit, vel de tempore quo scriptum est, certi aut explorati, prorsus ut nihil dicere mihi sit in promptu, præter paucula quæ ea occasione diximus paragrapho præcedente, quo lectorem remitto. Suus hic quoque detur locus epistolæ Lantfredi, quæ ab eo tanquam auctore edita legitur in Anglia sacra apud Warthonum parte I, pagin. 322, sub hoc titulo : « Lantfredi epistola præmissa historiæ de miraculis S. Swithuni episcopi Wintoniensis. » Spero huc ipsam secundo lectore insertum iri, quia tametsi non magnam habet affinitatem cum iis, quæ sparsim per hujus paragraphi decursum tractata sunt; propterea quod nihil admodum novæ lucis eruditionisve historicæ præbeat, servire tamen eadem poterit loco prologi, historiæ miraculorum a S. Swithuno patratorum, præmittendi. Epistola hæc ita sonat : « Dilectissimis fratribus Wintoniæ commorantibus in S. Petri cœnobio, quod nuncupatur Vetustissimum, jugis concordia, salus ac perhennis gloria, gaudium inenarrabile, splendor sine fine, pax sempiterna, caritas continua hic et in cœlo multiplicetur a Domino. Licet, charissimi ac affabiles adelphi, per universam ferme Europam sint divulgata penitus miracula, quæ præpotens auctor miraculorum dignatus est largiri gentibus Anglorum per S. Swithuni meritum; tamen ne tanta Dei beneficia queant posteritatem latere succedentem, nequissimus cunctorum pravis actibus hominum, utpote nulla divinæ prærogativa scientiæ, nulla fultus bonitatis auctoritate; verum vestris obtemperans jussionibus, vestris confisus orationibus, tremens ad tantam pelagi magnitudinem accessi, et quasi stillam de undis Oceani, ita de plurimis Sancti miraculis, perpauca decerpsi.

17. « Quapropter efflagito Conditorem rerum quatenus non meum respiciat meritum sed affectus jubentium. Vos etiam pro meis precor orare dilectis, ne me seducat spiritus falsitatis. Nimirum animus terrenis irretitus curis, nihil veritatis excogitare poterit, nisi prius fallacis caligines erroris spiritus scientiæ et pietatis expulerit. Et quoniam perparum scimus de signis mirabilibus, prodigiis ac virtutibus, quæ Sanctus iste in sua gessit orationibus vita : nimirum, ut inquit Priscianus, auctor grammaticæ artis peritissimus, studiis litterarum transeuntibus in negligentiam per scriptorum inopiam : veniamus ad ea quæ post ejus obitum indubitanter sunt peracta ad viri Dei tumulum. Idcircoque accessimus maxime ad evolvenda hujus Sancti miracula; quoniam ut beneficia Dei dignissimum est laudare, et justissimum eum nescientibus prædicare; sic impiissimum est illa silendo negare, et nequissimum eadem ignorantibus non enarrare. Humanus animus istius est naturæ, ut quotiscunque legendo didicerit, vel audiendo sacros actus antiquorum vel mores patrum, relinquat cordis duritiam, deseratque mentis contumaciam sectatricem vitiorum, et inclinetur ad misericordiam, secteturque humilitatem magistram virtutum. » Nihil, ut vidisti lector, novæ lucis, nihil notitiæ suppeditat prædicta epistola, nihilo tamen secus hisce insecrandam judicavi, ne quis fortasse eruditus eam hic desiderare posset.

§ III. *Respondetur nonnullis quæsitis ad vitam ac mortem S. Swithuni pertinentibus.*

18. Quo fuerit loco natali beatus noster præsul, quo genere oriundus, quod professus vitæ institutum, antequam sacras infulas Wintonienses gestarit, non puto in antiquis monumentis distincte alicubi definiri. « Nobili parentum stirpe eum ortum scribit Florentius Wigorniensis anno Christi 827, » ut videre est apud Maihewium; hoc parachronismi unde hauserit, non discutio. Quod attinet ad vitæ institutionem ante episcopatum Wintoniensem, respondet Mabilio : « Eum Wintoniæ in cœnobio veteri monachorum fuisse censent Harpsfeldius et Maihewius; quorum proinde hæc sententia est. Wintoniensem S. Petri cathedralem ecclesiam medio sæculo IX a monachis excultam, subinde migrasse ad canonicos sæculares, quos Æadgarus rex post medium sæculum x monachis mutavit. Et quidem ita diserte mentem suam explicat Maihewius, ut etiam Wintoniensem ecclesiam principalem, quæ postmodum vetus monasterium dicta est, ab ipsa sui institutione per beatum Birinum episcopum, monachis Benedictinis paruisse existimet. Qua de re fusius in sequenti sæculo disseremus. » Habemus e Vita Gotzelini, postea a nobis producenda, puerilem ejus simplicitatem, morum innocentiam, clericatum, sacerdotium, institutionem Adulphi seu Ethelwlfi, regis Egberti filii, nihilque præterea quod distinctiorem explicatioremque nobis rerum a S. Swithuno ante episcopatum gestarum mentionem ingerat. Asserit quidem Pitseus ex Lelando, ordinis S. Benedicti monachum fuisse Swithunum; sed majorem mereretur fidem, si quam rotunde hoc dicit, tam verosimiliter probaret.

19. Hisce non obstantibus professio ejus monastica ante episcopatum, non obscure eruitur et asseritur apud Mabilionem in Annalibus Benedictinis tom. III, pag. 98, ex instrumento apud quod sine dubio nondum habuit eo tempore, quo conscribendis Actis Sanctorum ordinis S. Benedicti dabat operam, sed postea nactus fuerit; quando ad conscribendos Annales prædictos animum appulit. Profertur illud instrumentum in historia majore Wintoniensi tomo primo, Angliæ sacræ, de qua supra, pag. 201 et seqq., in qua citatur professio Sancti nostri, facta in manibus Colnoti archiepiscopi Doroverniæ, antequam in episcopum Wintoniensem esset consecrandus, ubi inter alia, quæ edicit, terminis expressis monachum antea fuisse se profitetur : « Ego, inquit, Swithunus monachus, servulus servorum Dei, licet indignus ad episcopalem sedem electus Wentanæ civitatis Ecclesiæ, in primis confiteor tibi, reverendissime Pater, Celnode archiepiscope, continentiam meam, quam prius in professione monachali expressi, et dilectionem meam ad te, quod absque ambiguitatis scrupulo, et absque ulla falsitatis commentione est. Credo in Deum Patrem, » etc. Itaque dubitari minime potest quin S. Swithunus ante episcopatum, monastici instituti fuerit sectator, sed quale isthuc fuerit, an Benedictinum, an aliud, ab antiquis non exprimitur. Videtur tacite supponere Mabilio instituti Benedicti monachum fuisse; cum in Actis Benedictinis suum quoque locum ei concedat, non secus atque aliis præmemoratis ordinis sectatoribus.

20. Quæri præterea possit quo anno Sanctus noster Wintoniensibus cathedræ administrationem possessionemque adierit. Contigisse illud sæculo nono satis consentiunt auctores, sed quoto prædicti sæculi anno id contigerit, major inter illos lis est et controversia. Certum pono et indubitatum, necdum eum ad gestamen pastoralis pedi fuisse promotum anno 855. Assertionem meam sic stabilio. Anno 855 Withlafius, rex Merciorum, cum, uti narrat Alfor-

dus noster, in Croylandensi secessu profugus moraretur, diplomate regio sanxit, se, si regnum reciperet, illi loco facturum bene; quod sane abunde et cumulate præstitit, subnotavitque in concilio Londinensi publicum instrumentum, quod ab Ingulpho, prædicti monasterii abbate relatum, videri potest apud eumdem Alfordum et alios scriptores. Privilegio isti regio subscripserunt, primo quidem loco Celnothus archiepiscopus Dorobernensis atque alii deinceps ordine suo archiepiscopi, episcopi, et abbates; quin et ipse post illos rex Egbertus, et ejus filius Adelwlfus, nec non duces tres. Et tandem post memoratos hosce omnes subscripsit etiam Swithunus his verbis : « Ego Swithunus presbyter regis Egberti præsens fui. » Itaque anno 833 S. Swithunus duntaxat erat presbyter regis Egberti atque adeo nondum erat episcopus. Assero præterea non fulsisse ipsum dignitate episcopali ante annum 837, patetque ex eo quod Helmstanus, decessor ejus in episcopatu, anno tantum 837 e vita migrarit.

21. Huc faciunt ea quæ habet prælibatus Alfordus in Annalibus ecclesiæ ad annum Christi prædictum : « Moritur hoc anno Helmstanus, Wintoniensis episcopus, cum quinquiennio ecclesiam gubernasset. De eo hæc habet Godwinus in catalogo : « Obiit « Helmstanus anno octingentesimo trigesimo se« ptimo, et tumulatus jacet super parietem septen« trionalem presbyterii. » Tum pergit Alfordus : « Eumdem mortis annum consignat Wigorniensis, quod ideo notandum; quia non desunt etiam nobiles historici qui putent mortuo Helmstano Ethelwolfum successisse regem occidentis. Sed qui regnum ingressus est IV Februarii, non potuit episcopi sedem septennio occupare, ut velle videntur auctores aliqui. Bene igitur scripsit Godwinus. « Hac circiter « tempestate Athulfum, sive Athelulphum, qui post« ea rex fuit, episcopum Wintoniensem creatum « contendunt historicorum nostrorum non pauci, « Simon Dunelmensis, Henricus Huntindonius. Ro« gerus Hovedem, aliique, et huic sedi anno septem « præfuisse. Id quod mihi nullo modo probatur. » Ita Alfordus ex Godwino.

22. Mancat itaque fixum non occupatum fuisse locum Helmstani Wintoniensem ante annum 837, cui Helmstano, non Athelwlfus, ut nonnullis cæteroquin non infimæ notæ historicis placuit comminisci, sed S. Swithunus successit; idque vel anno proxime sequenti; videlicet 838, quem prælaudatus Alfordus dicit in fastis notari; vel anno præcedenti 837, dicente Maihewio in trophæis Benedictinis Angliæ ad diem 2 Julii : « Agente Etheluulpho, jam rege constituto, ac propterea post illius regni initium, quod contigit 837, cum sedi illi episcopali fuisse præpositum, consentiunt omnes. » Consentit enimvero Malmesburiensis lib. II De Gestis Pontificum Anglorum : « Ethelwolfus, inquit, Swithunum ut altorem doctoremque suum suscipiens (sic enim eum vocabat) non prius abstitit quam episcopatu Wintoniensi honoraret, consentiente clero, ordinante archiepiscopo Cantuariæ Ceolnotho. » Consonat præterea Florentius Wigorniensis, qui ad annum 837 sic habet : « Rege vero Ethelulfo regnante, S. Helmstanus episcopus vita decessit; cui jussu regis B. Swithunus successit. »

23. Thomas Rudburnus, supra memoratus, ordinationem S. Swithuni factam quidem asserit « defuncto Helmpstano, Wyntoniensi antistite, » ac regnante Athulfo seu Ethelwolfo, sed illam removet ac differt usque ad annum 852; at quo nixus fuerit fundamento, non satis assequor. Et vero idem auctor antea proxime producit privilegium, seu donationis chartulam, quæ « scripta est anno Dominicæ incarnationis 844, indictione IV, » (quæ est septima) ubi Swithunus nominatur episcopus his verbis : « Placuit autem tunc postea episcopis Alstano Shirbeurnensis ecclesiæ, et Swithuno Wyntacestrensis ecclesiæ cum suis abbatibus et servis dictum consilium inire. » Whartonus, commentator citati Rudburni seu scholiastes, censet introitum Swithuni ad sedem episcopalem recte a Rudburno positum anno 852; at sphalma irrepsisse in diploma prædictum, seu donationis chartulam, et pro anno 844 substituendum esse 855; eo quod indictio IV ibidem apposita ad amussim concordet cum illo anno (quo fuit ind. III non IV) discordet autem cum anno 844, in quem non indictio quarta sed nona (septima) inciderit. Idem Warthonus ex incuria lapsum arguit Godwinum, quia mortem Helmstani consignat anno 837. Sed an ipsius in hac materia judicium tanti esse debeat, ut præponderet auctoribus antea allegatis? Patet contrarium vel ex erroribus indictionum.

24. Lapsum majorem patentioremque commisit Usserius, dum in indice suo Chronologico statuit Swithunum in episcopali sede successisse Helmstano anno 937, his verbis : « 937 Helmstano in Wintoniensi episcopatu successit Swithunus, quem in Catabriensis academiæ cathedra sacræ theologiæ professorem fuisse volunt; horum æquali, Bonagratia de Villa Dei, in epistola ad nigros monachos Angliæ illud attestante. » Hæc Usserius in indice, postquam in sua historia de Britannicarum Ecclesiarum primordiis pag. 340 dixerat sequentia : « Qui superest Swithunus, ipse fuisse videtur, quem anno 937 Helmstano in Wintoniensi episcopatu successisse notat Florentius Wigorniensis in chronico. » Sed ibidem diserte signatur annus 837, nullaque aut de Helmstano aut Swithuno, anno 937 fit mentio. Tum præfatus Usserius pergit : « Nam et hunc Cantabrigiensem fuisse volunt, idque auctore Bonagratia de Villa Dei, ex cujus epistola ad nigros monachos in Anglia a Thoma Rudburno Historiæ majoris libro III, c. 2, et historiolæ Wintoniensis Ecclesiæ scriptore, verba producuntur ista : « Cum a propria « exsulans patria, in Anglia apud sanctissimos ac « religiosos monachos totius regni vestri degerem « in Wentana urbe, Helmstanum venerabilem abba« tem cathedralis ecclesiæ et venerabilem Swithunum « ejusdem ecclesiæ præpositum, et in professione sa« cræ theologiæ in studio Cantabrigiensi cathedra« tum, me inter ærumnosa exilii discrimina speciali « remunerandæ recreationis gratia confovebant. »

25. In quæ verba Warthonus commentatur in hunc modum : « Vereor ne Swithunus senior, Wintoniensis etiam episcopus, SS. Dubricii et Davidis familiaris et litterarum fama celeberrimus, cum juniore male permistus fuerit. De illo vide Galfridum Monumetensem Histor. Britan. lib. IX cap. 12, et Giraldum Cambrensem in Vita S. Davidis. De antiquitate academiæ Cantabrigiensis splendide fabulatus erat Rudburnus in historia minori hisce verbis : « Anno Domini 871 combusta est univer« sitas Cantabrigiensis, quæ fuit ædificata anno a « mundi creatione 4815 a Cantabro duce, et fre« quentata a philosophis ante Christi incarnatio« nem per annos 314. » Sic ille. Quibus attente expensis ac consideratis, sequitur in hisce et similibus, uti etiam in epocha chronologica superiore, non nimium esse deferendum auctoritati Rudburni, atque adeo in admittenda præpositura Wintoniensi, et professoratu academiæ Cantabrigensis, quibus functum fuisse S. Swithunum vult prædictus auctor, non ero valde facilis, nisi ex antiquioribus ac certioribus argumentis probari hoc videro et stabiliri.

26. « Porro quæ de monachis ecclesiam Wintoniensem ab ipso anno 169 inhabitantibus Rudburnus refert meræ sunt næniæ, » ut dicitur apud Whartonum in successione Priorum ecclesiæ Wintoniensis, atque ex eo colligitur non una eum fabula infarsisse sua scripta. Sed quid ad fragmentum epistolæ, superius allatæ et citatæ, tamquam a Bonagratia de Villa Dei scriptæ? Responsi istuc accipe

Dicere quod illud fragmentum sit omnino supposititium et adulterinum, videtur assertio duriusculæ digestionis. Quid ergo? Fuerint fortasse particulæ aliquæ ex affectione et genio particulari ab interpolatore huc intrusæ; vel si hoc non videatur simile vero, confusio Swithuni senioris cum juniore satis fecunda potuit esse mater, ut fabulam prædictam enixa sit. Hoc tamen ultimum non videtur sufficere ad præsentem controversiam dirimendam, quia habetur adjunctum nomen « Helmstani, venerabilis abbatis cathedralis ecclesiæ, » qui Helmstanus vixit cum juniore Swithuno : nisi forte duo etiam Helmstani fuerint, quorum primus fuerit abbas tantum cathedralis ecclesiæ, secundus vero ejusdem ecclesiæ episcopus et synchronus Swithuno nostro. Id quod non vacat indagare. Verum de his plus quam satis. Nunc ad alia properemus.

27. Extremus jam labor sit, discutere, quo anno sanctus Præsul e vivis cesserit. De hoc tempore satis convenit inter auctores, exiguo duntaxat inter eos relicto unius anni discrimine. « Ejus obitum, inquit Mabilio in compendio vitæ S. Swithuni, pluries jam citato, in annum Christi 862 referunt Gotselinus, Matthæus Westmonasteriensis, Florentius Wigorniensis, et cum eis cardinalis Baronius. Annum sequentem præferunt Wilhelmus Malmesburiensis in Pontificibus, Symeon Dunelmensis in lib. De gestis regum Anglorum, et Rogerius Hovedenus. Diem sextum ante Nonas Julii adsignat idem Gotselinus, et cum eo Martyrologium Romanum, et alia recentiora. Longe errat Egilwardus in libro De Vita S. Burchardi episcopi Wirtziburgensis, qui Burchardum ejusdem S. Swithuni fratrem germanum fuisse appellat, cum centum annis Burchardus Swithunum antecesserit. »

29. Auctoribus postremo loco enumeratis, ac mortem Swithuni anno 863 consignantibus, adhæret Mabilio loco proxime citato; ubi eumdem quoque annum notat. Quid coegerit ipsum recedere a sententia Gotzelini, supra num. 11 pluribus laudati ex eodem Mabilione, ignorare me fateor, neque satis video subesse causæ cur relicta ejus sententia, Sancti nostri obitum figentis anno 862 aliorum recentiorum auctorum placito me conformem, dictum obitum annectentium anno duntaxat proxime sequenti, videlicet 863. Præferendum itaque censeo annum 862, Majores nostros secutus, qui jam pridem ad diem XI Aprilis; pag. 54 in annotatis litt. *l*, ejusdem fuere sententiæ; « S. Swithunus... sedit ab anno 838 ad 862. » Ex dictis lapsus errore convincitur ac crisim meretur, aliorum toties hypercriticus Bailletus, dum in Vita S. Swithuni asserit, quadraginta pene annorum spatium in episcopali munere eum impendisse. Corollarii loco adjicio ea quæ notavit scholiastes Historiæ Wintoniensis in parte prima Angliæ sacræ a Warthono editæ, qui in hæc prædictæ historiæ verba, « Decessit autem S. Swithunus, anno Dominicæ incarnationis 863, » ita commentatur : « Sic quidem Hovedenus, Mailrosensis et plures alii. Vere autem obiit anno 862, VI Non. Julii, feria V; quod ex Wigorniensi et Westmonasteriensi constat. Sic et Historiola Wintoniensis Ms. quæ Swithunum 862, anno III Ethelberti regis obiisse memorat. Crasse errant Annales breves Wintonienses, qui nativitatem Swithuni in annum 826, obitum in 872 protelant. « Hæc præfatus pro lectoris institutione de rebus, ad S. Swithuni Vitam ac miracula pertinentibus, apographa nostra subjicio. »

VITA S. SWITHUNI

(*Acta Sanctorum Bolland.* uti supra ex Surio et Capgravio.)

1. Glorioso rege Anglorum Egberto (40) regnante, qui regi Kinegilpho (41), ab idololatria per beatum Birinum (42) converso, octavus (43) in regni administratione successit, beatus Swithunus, Pater et pastor in Ecclesia Dei futurus, cursus sui in stadio mundi hujus exigendi, divina ordinante misericordia, accepit exordium. Annis vero puerilibus pia simplicitate transactis, jugum Dominicæ servitutis suis humeris imponi voluit susceptumque humiliter viriliterque portavit. Itaque in clerum adscitus, de gradu in gradum, de virtute in virtutem, gressus ejus Deo per omnia dirigente, conscendens, sub Helinstrano (44) Wintano episcopo, ad sacerdotii honorem provectus est. Porro autem curabat seipsum ministrum ideonum et probabilem Deo semper exhibere, verbum veritatis recte et catholice tractare, humanitati et mansuetudini studere, opera pietatis ante omnia exercere, non recte neque ordine viventes, virga castigationis corrigere, humiliter omnibus inservire.

2. Ejus fama ubi ad regis aures pervenit, ab illo accersitus est, et inter præcipuos amicos numeratus. Commendavitque ei rex filium suum Adulphum (45) liberalibus disciplinis erudiendum, et sanctis moribus instruendum; quem postea subdiaconum ordinavit. Attamen patre ejus sine hærede ex hac vita decedente, cum præter eum nullus alius hæres superesset, Leone (46) pontifice dispensante, uxorem duxit. Defuncto vero Helinstano episcopo, omnium

(40) Rex orientalium Saxonum. Regnare is cœpit anno 800, desiit sub initium anni 837, die IV Februarii, uti tradit Alfordus in Annalibus Ecclesiæ Anglicanæ tom. III, ubi plura.

(41) Al. *Kinegilsus*. Auspicatus regnum anno 612, obiit 642, de quo plura apud dictum Alfordum tomo II.

(42) Ad superos discessit anno 650, colitur die III Decembris tanquam occidentalium Saxonum apostolus, de quo alias erit pluribus agendum ex professo, eodem die.

(43) Juxta Alfordi indicem chronologicum, qui habetur ad calcem tomi III Annal. eccl. Angl., Egbertus a Kinegilso est numero undecimus.

(44) De Helinstano seu Helmstano satis multa in comm. prævio.

(45) Al., *Ethelwolfus*, *Ethelvulphus*, *Alidulphus*.

(46) Dispensasse cum illo refert sæpe dictus Alfordus, tomo III, pag. 54, Leonem III, Romanum pontificem; itaque ante annum 817, cum anno præcedente 816 obierit dictus pontifex.

votis Swithunus electus est. Ejus precibus et exhortationibus rex Adulphus permotus, ecclesiis Dei universam decimam terræ regni sui benigne donavit, libereque sibi vindicare concessit. Idem sanctus episcopus pontem Wintoniensem, qui est ad orientem, construxit. Cumque ei ædificando sollicitam navaret operam, quodam die, illo ad opus residente, quædam paupercula mulier eo venit, ova venalia in vase deferens. Quam apprehensam operarii lascivientes et ludibundi magno incommodo affecerunt, ovis universis non ereptis, sed confractis. Illa igitur pro illata injuria damno dato, cum lacrymis et ejulatu coram episcopo conquerente, vir sanctus pietate permotus, vas, in quo erant reposita ova, corripit, dextra signum crucis exprimit, ovaque incorrupta et integra restituit.

3. Solebat vero studiose fabricare ecclesias iis locis quibus non erant, porro dirutas et confractas instaurare. Dedicaturus sacras ædes, non equo vehebatur sublimis, nec sæcularis pompæ apparatum sibi adhibebat; sed clericis et familiaribus suis comitantibus, nudis pedibus humiliter incedebat. Ad convivia sua accersebat non locupletes, sed egenos et pauperes. Os ei semper apertum erat ad cohortandos peccatores ad agendam pœnitentiam. Monebat stantes darent operam ne caderent, lapsos, ut resurgerent. Cibum non ut ventrem sarciret, sed pro sui sustentatione parce et moderate sumebat. Post multas vigilias multosque labores, ne deficeret, somni paululum admittebat, psalmis et canticis spiritualibus semper intentus. Proximis semper, perinde ac sibi ipsi, quod utile, quod honestum, pium et sanctum esset, modesto et humili sermone proponebat. Vixit vir beatus usque ad vitæ exitum in vera observatione mandatorum Dei, omni custodia servans cor suum in omni munditia et spirituali puritate, catholicæ et apostolicæ doctrinæ custos integer, filiorum spiritualiter regeneratorum in sanctæ conversationis studio eruditor pervigil et magister. Humilitatem et mansuetudinem accuratius sectabatur. Denique pacem et sanctimoniam sequens, fontem vitæ et sempiternæ beatitudinis sitiebat. Atque ita feliciter migravit ab hoc sæculo ad sidereas mansiones sexto Nonas Julii, anno salutis octingentesimo sexagesimo secundo (47). Jussit vero non intra ecclesiam, sed extra ejus septa, indigno et vili loco se tumulari (48).

4. Post obitum suum multis coruscavit miraculis. Inter quæ apparuit cuidam viro (49), incredibili membrorum omnium infirmitate laboranti, admonens, ut Ethelwoldum Wintoniensem episcopum adiret, diceretque ei divinæ providentiæ ita visum ut corpus ipsius a loco, in quo conditum erat, sublatum, intra ecclesiam digniori loco honorificentius tumuletur. Si diffidat et hæsitet, testimonii loco habiturum sanitatem, quam, profligato eadem hora morbo, quo diu laborasset, illico esset recuperaturus. Addidit etiam ut ad locum sepulturæ veniat, unum ex ferreis annulis, qui etiamnum lapidi infixi visuntur, sine ulla lapidis læsione extracturus, rursumque pari facilitate, nihil læso lapide, in suum locum repositurus. Surgit ille perfecte sanus, uti prædicta erant, omnia reperit, cunctaque ex episcopo enarrat. Incurvum quemdam, et pecudum more, prono vultu terram respectantem, sanum et incolumem reddidit. Vir quidam nobilis et dives, cum meridiano tempore ad fluminis ripam deambularet, vidit subito apparentes sibi tres ultra modum horrendas, quasi mulieres statura immensa. Eæ fugientem illum comprehendentes, et multis modis affligentes, pestiferoque flatu suo pene suffocantes, incredibili horrore affectum, insano similem reddiderunt. Adducto autem ad ecclesiam, nocte apparuit sanctus Swithunus, et, omni pulso dolore, sanitati eum restituit.

5. Cum Ethelwoldus episcopus corpus beati viri e terra levaret, mira odoris fragrantia omnes pervasit, mulier cæca visum recepit, et multi diversis pressi ægritudinibus, ejus meritis curati sunt. Ea translatio incidit in annum centesimum decimum ab obitu illius, Incarnationis vero Dominicæ nongentesimum septuagesimum primum, et Idus Julii. Eodem die puerum, a nativitate mirabiliter contractum, sanavit; tribus mulieribus, oculorum lumine orbatis, visum restituit; nexibus ferreis mulierem in carcere compeditam, ruptis vinculis, liberavit; paralyticum curavit; matronam nobilem, sed cæcam, illuminavit; viginti quinque homines variis vexatos morbis, qui e locis diversis venerant, uno die perfecte restituit; cæcos aliquot, duas contractas feminas intra unum diem; triginta et sex e diversis locis venientes, nec unius generis laborantes ægritudinibus, trium dierum spatio, neque diu post, centum viginti quatuor, intra dies quatuordecim curavit.

6. Rex Edegardus ob coercenda furta lege sanxit ut in furto deprehensus oculis privaretur, auribus, manibus pedibusque præcisis, cute capitis nudaretur, sicque feris et avibus laniandus objiceretur. Accidit vero innocentem quemdam ea pœna multatum, pene amittere auditum, obstructis sanguine aurium meatibus. Delatus a parentibus in oratorium S. Swithuni, ut solus auditus ei redderetur, non id modo impetravit, sed etiam alia, quæ non rogaverat. Mulierem quamdam dormientem ostio aperto in villa civitatis Wintoniensis, lupus e lecto absportavit in silvam, et horrendo ululatu alios ad se lupos ascivit. Mulier et inedia et ætate debilis, quid faceret ignorabat. Convertitur ad preces, divinam implorat opem, S. Swithunum appellat. Lupus, ejus audito nomine, obdormivit, mulier se subducit; lupus evigilans, cum sociis eam insequitur, sed lædi

(47) Annum hunc nos signandum diximus in commentario prævio num. 28, potius quam sequentem.

(48) Plura in comm. prævio.

(49) De hoc et sequentibus miraculis adi quæ infra dabuntur.

non potuit quam Dei et beati pontificis misericordia liberandam susceperat.

7. Statuam quamdam S. Swithuni episcopus Schireburnensis a fratribus acquisitam, honorifice in ecclesia sua collocavit, ubi præclara miracula crebro edi solebant. Ad hanc statuam quidam leprosus non curationis obtinendæ causa, sed ut ab A illis, qui eo in loco preces funderent, stipem acciperet, accessit. Cumque paululum illic obdormivisset, visum est ei S. Swithunum adesse, lepram ipsius manu abstergere, et morbum illum omnem repente ab ipso depellere. Evigilans, lætus coram omnibus cingulum solvit, et se purgatum ostendit.

HISTORIA TRANSLATIONIS ET MIRACULORUM

Auctore ut videtur Lantfredo (50) monacho Wintoniensi in Anglia.

Ex antiquissimo ms. Bigotiano.

CAPUT PRIMUM.

S. Swithuni corpus divinitus ostensum, ac miracula.

1. Temporibus felicissimi Fabgari [Eadgari] (51) regis Anglorum ac gloriosissimi totius Albionis (52) insulæ imperatoris, anno Incarnationis Domini nostri ac Salvatoris mundi Jesu Christi 971, indictione XIV, cunctipotens Deitas dignata est ostendere Anglis (53) Saxonibus sanctum corpus beati Swithuni antistitis, per cujus merita tot languentes, Deo favente, pristinæ sanitati sunt restituti, quot nemo vivens unquam nec vulgante fama audivit, nec corporeo visu conspexit, nec legendo didicit, ad sancti alicujus tumulum curatos fuisse. Hujus tamen mirabilis præsulis vita, et prisca conversatio nobis incognita sunt, quia scripta minime habentur; C sed clementia omnipotentis Dei merita ejus miraculis coruscantibus, evidentissime manifestare dignata est.

2. Triennio igitur antequam sanctæ prædicti præsulis exuviæ de mausoleo, quo olim fuerant humatæ, a reverendissimo ejusdem loci antistite Athelwoldo fratribusque ejus essent sublatæ, apparuit ipse sanctus in somno cuidam veridico fabro, angelica præclarus effigie, dicens ad eum : Nunquid ad illum agnoscis canonicum, qui cum cæteris prave viventibus nuper a vetusto (54) expulsus est monasterio? Ut eum recognoscas dilucide, Eadsinus nuncupatur vocamine. Faber respondit : Quondam illum novi, Pater, modo tamen nescio ubi est. Cui præsul ait : Nunc Wincelcumbe (55) degit. Et adjecit : Ego te B rogo, tioique in nomine Christi præcipio ut ad illum propere pergas, meaque jussa illi dicas : Hoc tibi, Eadsine, præsul mandat Swithunus, quatenus ad Wintoniensem festinanter pergas civitatem, dicasque antistiti, qui modo tandem regit diœcesim, cui olim præfui, ut corpus meum de sepulcro elevet, et in ecclesia collocet, quoniam quidem cœlitus illi est concessum quod tempore suo manifestandus sum.

3. Faber vero ait ad sanctum : Domine, nullo modo voluerit mei credere dictis. Vir sanctus inquit : Ut tuis credat sermonibus, dic ei, ad meum quo pergat tumulum, et trahat unum annulum, ex his ternis qui sunt fixi mei cooperculo sarcophagi. Si confestim subsecutus fuerit illum, hoc sit ei vere manifestum, quoniam te misi ad illum. Sin autem illum minime hinc poterit evellere, tunc nulla ratione tibi debet credere. Potes deinde illi indubitanter referre quod si utriusque vitæ desiderat perfrui sospitate, debet mores et actus commutare in melius, et ad cœlestis patriæ beatitudinem incessanter festinare. Quin etiam omnibus vaticinando prodas quod mox ut meam aperuerint sepulturam, reperient thesauros tam inæstimabiles, tamque pretiosos ut quidquid usquam est auri et gemmarum, vilescet in comparatione horum. Postquam talia fabro edicta sanctus vates tradidit, cœlos subvolando petiit. Verum faber ille, primo metuens videri falsidicus, hanc visionem prorsus nemini ausus est prima vice indicare viventi.

4. Qui secundo commonitus ac tertio ab eodem sancto præsule acriter increpatur cur nollet suis D

(50) In commentario prævio attigimus ea quæ huc spectant.

(51) Alibi *Edgarus* scribitur. Alfordus noster tom. Annal. Ecclesiæ Anglicanæ natalem ejus ponit anno 943, ex antiquioribus ; mortem anno 975, qui et de illo agit tomo citato locis variis.

(52) Id est, *Britanniæ*. Aristotelis interpres apud Cellarium lib. III Geographiæ Antiquæ cap. 4, pag. 280, dixit *Albion* et *Jerna*, id est *Britannia* et *Hibernia*, ut conficitur ex eodem Cellario ibid. pag. 254.

(53) Ea designatur hic Angliæ pars in qua jacet Wintonia. De Anglorum et Saxonum in Britanniam adventu agit Malmesburiensis lib. I De gestis regum Anglorum, cap. 1.

(54) Dilucidationem hujus loci quære ex iis quæ dicta sunt in comm. prævio sub initium, num. 18.

(55) Locus mihi incompertus. Quid si fuerit pagus aliquis, vel oppidulum ignobilioris notæ

obedire præceptis Tandem accessit ad tumbam almi pontificis, unum ex supradictis arripiens annulum, tali voce, inquit, ad Dominum creatorem rerum : Domine Deus, universæ conditor creaturæ, concede mihi peccatori, ut si sanctus iste, qui hic quiescit corpore, ter comparuit meis obtutibus in noctis sopore, hinc istam possim ferream evellere sphærulam, sicut nuper in somnii visione idem vir Dei meis auribus studuit resignare. Qui statim ut traxit orbem chalybis, ita subsecutus est illum ex lapidea mole quasi foret fixus in marino sabulo. Quem in propria reponens rimula, ita fixus permansit paululum pressus calce ut post hoc inde nequaquam possit avelli a nemine.

5. Eodem vero die, dum peragraret forum, reperit quemdam clientulum prædicti clerici Vintoniam venientem causa necessariæ coemptionis. Cui intimavit ea quæ per somnia viderat, et humiliter eum flagitabat ut talia suo domino narraret. Quo postquam ad proprium pervenit herum per longinqui intervallum temporis, illius rei immemor siluit, sed postmodum pœnitentia motus domino suo cuncta quæ a fabro audivit diligenter narravit. Qui clericus eo tempore non solum antistitem Wintoniensis diœcesis, verum etiam cunctos fratres ibidem commorantes pertæsos habens propter expulsionem canonicorum, nefandis moribus ac spurcissimis utentium, pro quibus venerabilis Athelwoldus eos a prædicto expulerat cœnobio, magis quam sancti Patris jussa implere studeret, audire renuit. Postea vero expleto duorum curriculo annorum, favente superni clementia Conditoris, qui cunctos, quos pressit in vineam laboraturos Dominicam, gratis ad suam deducit gratiam ; idem clericus qui nuper erat, factus est..... venerabilis monachus. Nam nos ipsi ita gestum vidimus, quemadmodum præsens demonstrat codicillus. Benedictus omnipotens Deus, qui peccatores justificat, qui in se sperantes salvat, qui superbos humiliat, qui humiles exaltat !

6. Igitur biennio ante sacri inventionem corporis, vir quidam gibberosus, et propter ingentem strumam valde incurvus, per somnium audivit ut Winthoniam veniret, et ibi per sancti meritum Swithuni, sanitatem reciperet. Qui mane consurgens, sicut valuit, gibbum geminis sustentavit camburtis (56), et ad Winthoniam pervenit, ibique diu mansitans, angelica visitatione iterum admonitus ad tumbam sancti præsulis Swithuni perrexit, et flexis genibus, rogavit Dominum, quatenus ibi sanaretur ipsius sancti meritis, quemadmodum in somnis audierat. Qui mox, ut surrexit a precibus, ita curatus est divinitus ut nusquam deformis gibbi locus appareret. Appropinquante vero sacratissimæ solemnitatis die, quo venerabilis Dei antistes Swithunus corporeis nexibus solutus, de hoc mundo migravit ad Dominum, vir quidam dæmoniacis deceptionibus, omnibus membris miserabiliter debilitatus est. Qui cum diu torqueretur, vicini illius et cognati ad sancti Dei tumulum eum perduxerunt, et illam noctem pervigilem cum amico languente assiduis orationibus peregerunt. Languidus vero mane oppressus somno, paululum obdormivit, et visum est illi quasi quidam ad eum accederent et alterum ei calceamentum de pede subtraherent. Qui statim cum amicis domum sanus reversus est. Subtalaris tamen ejus nimium quæsitus est ; sed nusquam repertus. Curati sunt alii octo debiles ad sancti viri mausoleum, antequam ossa ejus inde elevarentur.

CAPUT II.

Corporis translatio, alia miracula.

7. Quibus transactis Idus Juliis venerabilis Athelwoldus episcopus cum aliis coepiscopis, et abbatibus, cum pluribusque monachis sanctas reliquias, imperante glorioso rege Fabgaro [Eadgaro] de monumento sublevantes, in basilica apostolorum Petri et Pauli cum magna veneratione collocaverunt. Ubi beneficia præstantur omnibus vera fide petentibus. Postea vero quatuor ægri medelam acceperunt ad ejus tumulum per intervallum trium dierum. Deinde per quinque mensium spatia raro fuit aliqua dies qua non sanarentur languidi ad ipsius sancti honorabiles reliquias. Aliquando autem tres, aliquando quinque, modo septem, modo decem, nunc duodecim, nunc vero quindecim. Vidimus namque plusquam ducentos in decem diebus ægrotos per meritum sancti curatos, et in anni circulo, qui carent numero. Quapropter increduli ad sanctum Dei veniant, ut beneficia Conditoris agnoscant et Creatorem laudent.

8. Cognoscant denique fideles quia Dominus noster Jesus Christus, Dei unigenitus, qui in exordio hujus ætatis velatus amictu carnis per semetipsum cæcos illuminavit, claudis officium ambulandi præbuit, surdis auditum reddidit, paralyticos curavit, mortuos suscitavit, supra mare siccis vestigiis ambulavit ; idem nostris temporibus ad clarificandum suæ majestatis omnipotentiam, et ad manifestandum egregii sacerdotis Swithuni meritum, confert sanitatis beneficium ægrorum corporibus, præ multitudine innumerabilibus ut maris arenæ, quibus non est numerus. Benedictus omnipotens Deus, qui nostra tempestate dignatus est sanctum suum signis et virtutibus mirificare ; qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et dominatur per cuncta sæcula. Amen.

9. In illo tempore quo Dominus rerum manifestabat hominibus sanctum suum Swithunum, accidit ut venissent Winthoniam in una die viginti sex ægri, causa recuperandæ sanitatis. Ex quibus quidam erant cæci, quidam surdi, quidam muti, quidam etiam paralytici. Qui cum accessissent ad sancti præsulis monumentum et preces coram Deo effudissent, per ipsius interventionem omnes curati sunt in spatio trium dierum, sicque læti domum cum ingenti gaudio redierunt, magnificantes et lau-

(56) Camburta significat *sustentaculum* vel *baculum*.

dantes Dominum. Nec multo post accesserunt ad eumdem sanctum ex diversis Anglorum et Saxonum finibus centum viginti quatuor infirmi, multiplicibus constructi languoribus : hi omnes per sancti præsulis meritum a variis ægritudinibus Deo volente curati in duarum revolutione hebdomadarum, et benedicentes Domino reversi sunt incolumes ad propria, qui debiles convenerant. Cæcatus est quoque quidam vir in Litania Majore causa latrocinii : sed quia innocens cæcatus erat, venit in Epiphania Domini ad sancti Swithuni mausoleum, preces humiliter effundens. Et oculi ejus, qui erant ferro exstincti, et omnino evulsi, illuminati sunt. Et habebat postea claros oculos omni tempore vitæ suæ. Ergo, quia cuncta miracula, quæ Dominus per sanctum Swithunum dignatus est operari, nequaquam enumerare valemus, rogemus ipsum sanctum præsulem, quatenus animarum nostrarum languoribus mederi dignetur, pro nobis apud Dominum intercedendo, cum quo pro bonis operibus sine fine permanere promeruit. Igitur dum tanta signa Salvator mundi ad venerabilis Patris Swithuni tumbam ostendere decrevisset, beatæ memoriæ Athelwoldus episcopus imperavit fratribus ibidem commorantibus ut semper quando quispiam æger per meritum sancti Viri medelam reciperet, protinus omnes ad ecclesiam pergerent et Deum hymnis et laudibus glorificarent.

10. Accidit autem ut quidam post aliquot dies graviter ferrent, quod excitarentur per noctem aliquando quater, aliquando ter, et suadere cœperunt cæteris prave relinquere, quod imperatum fuerat pie illis a suo præsule. Quod dum incaute foret prætermissum per intervallum quindecim dierum, apparuit ipse sanctus Swithunus cuidam fideli viro per somnium, dicens ad eum : Vade ad monasterium vetus, et dic fratribus quod omnipotenti Deo nimium displicet murmuratio eorum, quoniam quotidie miracula multa coram illis facit, et ipsi tam injuste agunt, quod ei non referunt laudes, sed caduca studia divinis operibus præponunt. Adde etiam ad hæc quod si a laudibus cessaverint, protinus cessabunt magnalia Dei; si vero non desinent glorificare Deum, tot mirabilia ibidem faciet quot a nemine vivente recordantur uspiam peracta. Vir vero præfatus post sancti recessionem evigilans, ad episcopum Athelwoldum festinabat, et ipsi intimavit omnia quæ sanctus Dei imperaverat. Qui commotus animo, cur fratres non egissent secundum illius præceptum, rursus mandavit monachis cum magna comminatione, ut ad omnes sanitates, quæ ad sancti tumbam fierent, facto signo, omnes simul ad ecclesiam pergerent, et Deo omnipotenti laudes hymnidicis vocibus canerent. Quod ita deinceps hactenus observatum audivimus. Cui gloria et laus Deo omnipotenti, qui sic sanctum suum glorificare dignatus est, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

MIRACULI S. SWITHUNI

Ex antiquissimis membranis in cod. reginæ Sueciæ num. 769.

CAPUT PRIMUM.

Pars prima miraculorum.

1. Post quam sanctissimi corpus pontificis infra ecclesiam, sicut prædictum, est positum, quatuor ægri, sive quinque, medelam receperunt ad ejus tumulum per intervallum trium dierum. Expleto autem triduo, ferme per interstitium quinque mensium, raro fuit aliqua dies, qua in basilica, in qua sunt repositæ sancti viri reliquiæ, non sanarentur languidi, quandoque plures sedecim, vel octodecim, quandoque vero pauciores, quinque, vel tres, celeberrime etiam septem, octo, decem, duodecim, quindecim. Vidimus plus quam ducentos in decem diebus per meritum sancti curatos, et in anni circulo, qui carent numero.

2. Vidimus etiam circa præscriptum (57) monasterium plateas adeo refertas utrobique turmis ægrotantium ut quispiam viator difficile reperiret iter gradiendi ad ipsum. Qui post aliquot dies, ita sunt curati, Deo favente, meritis sancti ut etiam infra basilicam vix quinque invenirentur languidi. Quapropter invidi sileant, ac reprobi, qui gloriosa hujus sancti miracula aut negant, aut quod negare nequeunt, in sinistram partem vertunt. Increduli quoque etiam ad sanctum Dei famulum veniant, ut beneficia Conditoris agnoscant, et Creatorem laudent. Cognoscant (58) denique fideles quia Dominus noster Jesus Christus, Dei unigenitus, qui in exordio hujus ætatis velatus amictu carnis, per semet cæcos illuminavit, claudis officium ambulandi præbuit, surdis auditum reddidit, paralyticos curavit, mortuos suscitavit, supra mare siccis vestigiis ambulavit; idem, nostris temporibus ad clarificandam suæ majestatis omnipotentiam et ad manifestandum egregii sacerdotis meritum, confert sanitatis beneficium ægrotorum corporibus præ multitudine innumerabilibus, ut maris arenæ, quibus non est numerus.

(57) Id est, *prædictum*, *præfatum monasterium*. De quo actum esse supponitur ab auctore, cujus hic damus historiam non integram, sed fragmentum, eatenus saltem quod capiti seu principio ac fine sit mutila.

(58) Consonant hic aliquot periodi cum ms. Bigotiano, de quo supra. Vide illud a numero octavo. Unde colligas ex eodem profluxisse fonte tam hoc, quod hic damus, quam illud apographum.

3. In illis diebus tres mulieres in Vectam cæcæ degebant insulam; una lucem corporalem nunquam conspexerat oculis; duæ vero per spatium erant cæcatæ novem annorum. Quæ dum audirent ad tumbam sancti præsulis cæcos illuminari et per virtutem Domini Jesu Christi infirmos quoque curari, rogaverunt cognatos earum et affines quatenus eos quamprimum transducerent (59) insulam, quæ undique undis Oceani est circumsepta, unde facilius quivissent pervenire ad locum, in quo quiescebat somate, (60) Christi præsul. Cumque extra insulam essent expositæ, et fluctuarent absque ductore, et penitus ignorarent quid agere possent, clemens Conditor creaturarum, misertus inopiæ earum, contulit eis [quemdam juvenem a nativitate mutum] (61) ætate circiter 20 annorum. Qui dum ad eumdem devenissent locum, cœperunt eum viragines flagitare unanimi voce ut eas ad Wintoniensem duceret urbem, ubi sanctus pollebat episcopus signis mirabilibus. Qui mirabili dispositione Dei, precibus earum allubescens, in reflexo calle cæcas præfatum perduxit ad locum. Ipsa autem nocte, qua intraverunt basilicam in qua ossa Dei famuli quiescebant, prædictæ tres cæcæ, per sancti meritum præsulis, a vero lumine Deo meruerunt recipere lumen oculorum.

4. Juvenis vero viraginum ductor, clarescente aurora lucis, recte quivit fari quidquid voluit, et mox signum fecit custodi ut extra ecclesiam exiret, quatenus illi loqui potuisset. Qui admirans quid dicere vellet, ad eum venit interrogans cur eum vocaret. Juvenis illi ait : Scias verissime quod modo loqui possum recte. Custos inquit : Nunquid antea loqui poteras? Qui respondit : Nunquam antehac locutus sum, et nunc prima audisti verba quæ de ore meo sunt progressa. Ast ego hesterna luce mutus, tres mulieres huc deduxi cæcas, [quæ] Deo juvante, modo sunt videntes. Quapropter perge, voca fratres, ut solito more reddant grates.

5. Eodem denique tempore quædam ancillula pro parvo erat commisso religata a proprio Wintoniæ domino compedibus ferreis, et exsecrabilibus manicis; hæc pertrahebatur in crastinum crucianda diris verberibus, ac nonnullis vibicibus. Hæc tota non cessavit nocte perfusis Deum lacrymis exarare, ut eam liberaret a pessimo tortore per sancti præsulis interventionem. Rutilante autem diei hora, quo debebatur affligi gravi tortura, inter preces et gemitus, ceciderunt compedes de ejus pedibus; quæ illico periculum evadens, dormientibus dominis, confugit ad tumbam sacri pontificis adhuc ligata manicis. Tum a quibusdam intimatum est ejus domino quod ad sanctum Dei Famulum præfata confugisset servula, et per ejus beneficia esset de compedibus absoluta. Quod cum audisset, permotus iracundia, summa cum festinatione illo perrexit, et non sua sponte, sed Deo cogente manicas reservavit, et prædictam abire illæsam sivit, et de illo facinore nihil mali intulit ei.

6. Vir autem quidam multos paralyticus per annos in provincia Anglorum commorabatur, quæ eorum lingua Hamme dicitur, adeo omnibus membris debilitatus ut de fulcro, quo recubabat, nulla ratione surgere prævaleret. Is audiens miracula quæ Dominus Wintoniæ faciebat per sancti Vatis merita, cœpit sagaci mente præmeditari quod suavius esset illi, si ante salutiferas viri Dei exuvias, saltem unam pervigil duceret noctem. Qui convocans cognatos et amicabiles vicinos, quibus præcepit flagitando nimium quatenus falerarent sonipedes eorum, ac semet baccaulo (62) imponerent, atque ad sancti præsulis corpusculum deferrent. Qui dictis amici obtemperantes ægri, ocius peregerunt quod eis præcepit. Verum antequam æger sermonem finiret, per pietatem gloriosi curatus pontificis, de lectulo consurgens, iter arripuit pedibus, et universos comites cursu præcessit equites, qui cum ipso itinerabant complures, et volucri gressu ad venerandum almi reliquias episcopi pervenit incolumis, adhuc sodalibus longe remanentibus, canterinis licet et adminiculis suffragantibus.

7. Quædam etiam præpotens matrona commanebat in alia Anglorum provincia quæ eorum lingua nuncupatur Bedeforshire (63), hæc erat spatio trium adeo cæcata annorum ut nec splendorem luciferi posset solis contemplari. Quæ dum ingentibus cruciaretur doloribus, promisit sancto se daturam multa sancto præsuli Swithuno donaria, si per ejus meritum lumen reciperet oculorum. Cumque hæc a clientulis foret deducta ad viri beatissimi ossa, dedit Deo sanctoque Swithuno vestem quamdam, quam dum altari supponeret, illico lumen recipere meruit, quod dudum amiserat. Quæ, mente devota laudes Deo referens atque post perceptam salutem cibum capiens, domum redit lætissima, quæ ad sancti monumentum pontificis accessit mœstissima, per virtutem omnicreantis Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi.

8. Alia quoque materfamilias valida ægritudine cœpit infirmari eadem tempestate. Omnes itaque vicissim affines, et famuli ad eam accedentes, horta-

(59) *Ducerent trans insulam.* Vecta quippe insula in mari Britannico, Hantoniæ provinciæ, in qua sita est Wintonia, fere adjacet, et non nisi exiguo ab ea freto dirimitur.

(60) Id est *corpore.* Ex Græco σῶμα, corpus. Vita ms. S. Magnobodi episc. Andeg. cap. 51. « Ubi plurima fidelium *somata*, digna veneratione habita requiescunt. »

(61) Uncis inclusa supplevit P. Papebrochius propria manu, addens ad marginem : « Ita esse videbatur legendum, litteris casu pene omnino deletis. »

(62) Est *feretrum, in quo mortui efferuntur*, alias *bacapulus, baccapulus*, uti est apud Cangium.

(63) *Bedfordiensis comitatus*, provincia Angliæ, in ejus meditullio, satis parva, et a septentrione ad meridiem extensa. Terminatur ad Arctos Northamptonia, et Huntingtonia comitatibus, ab ortu Cantabrigia et Harfordia, ab occasu vero et meridie Bukingamia. Primarium ejus oppidum dicitur *Bedfordia.*

bantur eam gementes ut proprias disponeret possessiones, antequam necis interitus adventaret, quoniam arbitrabantur eam cito obituram. Cum autem languor intolerabilis augeretur diebus singulis, posita in desperatione istius vitæ, proximæ mortis vicinitate, promisit Deo, sanctoque præsuli Swithuno, quod si aliquid per ejus interventum percipere mereretur ægritudinis remedium, cum multis donariis, quantocius valeret, ad ejus mausoleum veniret, et unam vigiliis noctem duceret ante sacratissimum Dei famuli corpusculum. Quod dum promitteret, potita est sanitate corporis : sed amisit vigorem mentis, quoniam quidem Dei beneficiorum immemor, promissiones quibus sese obligaverat non observavit, et gratias Deo debitas, sicut condignum erat, non rependit.

9. Hæc dum post aliquod tempus, cum proprio conjuge meditaretur ad quosdam nuptias equitare, ministris optimos præcepit cornipedes præparare. Qui postquam decentissime sunt ornati faleris, vir ejus, cum paucioribus antecessit clientibus, quem ipsa cum pluribus subsecuta est citius. Quæ, dum phaleratum scanderet equum et dum equitaret post maritum, dolorem non sensit ullum, nec penitus aliquam ægritudinis molestiam. Denique cum ad præfatas pervenisset nuptias, in quibus plures aderant consules et multi præpollentes regis satellites, subito arripuit eam ipse languor, a quo nuper medicata fuerat per sanctum Dei famulum. Tum illa demum intelligens quod injuste egisset, quoniam curata a Deo per meritum sancti, haud retulisset gloriam Conditori, mox, in quantum valuit, pœnitudinem agens, clientulos ad se convocans, quos, secundum quod fari quivit, suppliciter exoravit ut eam, quantocius possent, ad locum, in quo vir sanctus quiescebat, deferrent, quo per Dei misericordiam rursus reciperet sanitatem. Quæ dum illo delata foret clientum juvamine, in sequenti nocte denuo recepit curationem. Postera vero die incolumis ad supradictas repedavit nuptias, omnipotenti Deo gratias referens justissimas.

10. Dum mundi Dominus ac Salvator inclitus mirificaret sanctum suum prodigiis ac virtutibus, præsul venerabilis Adelwoldus, qui Wintoniensi præerat diœcesi, in illis diebus imperavit fratribus, ibidem commorantibus, quod quandocunque quispiam æger per virtutem Domini et meritum sancti antistitis medelam corporis optatam perciperet, protinus omnes illius loci fratres necessaria relinquerent, quæque in manibus tenerent, ecclesiam adirent et condigne Deum glorificarent. Accidit autem ut quidam, illecti dæmonum fraudibus, graviter ferrent quod tam sæpe excitarentur de nocturnis quietibus, scilicet aliquando tribus, aliquando quatuor in una nocte vicibus, ac suaderent cæteros prave relinquere quod illis pie imperatum fuerat ab eorum pontifice.

11. Quod dum incaute foret prætermissum per intervallum quindecim dierum, condolens sanctus Dei famulus, quod fratres præfati bonum parvipenderent opus, et præsulis illorum jussionibus non obtemperarent, nec debitas Deo laudes persolverent, sed in perniciosas Satanæ decipulas inciderent, in somnis (64) apparuit quadam nocte cuidam venerabili matronæ, nivea indutus melote ac talari veste, gerens coronam in capite auream, gemmis decenter preciosis ornatam et Indicis pulchre margaritis comptam, nec non sandalibus pulcherrimis calceatus, dixitque illi blandissimis sermonibus : Mox ut videris Wintoniensem, dilecta Dei, antistitem, dic ei ut imperet monachis degentibus ibidem ne cessent glorificare Deum omnipotentem quotiescunque quispiam ægrotus ad Swithuni tumbam præsulis receperit curationem. Valde etenim displicet omnipotenti Deo, auctori miraculorum, quod quotidie miracula facit innumerabilia coram oculis sanctorum, et ipsi tam injuste agunt, quod Deo laudes non referunt, sed caduca malum studia, quod nefas est dictu, divinis operibus præponunt. Ne sit illis, obsecro, grave per singulas omnicreantis Regis virtutes glorificare omnium Auctorem virtutum, ne sentiant iratum Judicem vivorum atque mortuorum. Quid plura?

12. Deinceps si quispiam cessaverit a laude, repletus nævo invidiæ, torporis ac superbiæ, nisi commissum hoc deleverit pœnitudine, carebit minime vitiorum fraude. Nimirum idcirco Deus tot et tam inaudita, novissimus temporibus, mundo præbet miracula ut mollescant hominum saxea ac resipiscant pravorum corda, et festinent ad cœlestia bonis operibus gaudia, quoniam signa infidelibus populis sunt tribuenda, fidelibus autem nequaquam necessaria. Nunquid Deo rerum conditori obediunt qui ejus beneficia floccipendunt? Nonne Dominum ad iracundiam provocant qui silentio ejus magnificentiam negant? Adde etiam hæc quod, si a laudibus cessaverint fratres, protinus cessabunt magnalia Dei.

13. Si vero non desiverint cœlestem magnificare regem, tot et tanta Dominus omnium patrabit ibidem miracula quot et quanta a nemine recordantur vivente super terram peracta hactenus uspiam, postquam divinitas, quæ in unam Christi personam junxit geminam potentem naturam, Deum et hominem, servum et seniorem, creaturam et Creatorem, vexit ad cœlos nostram humanitatem. Sanctus Dei famulus, mox ut talia illi gloriose præcepta retulit matronæ in soporis visione, angelicum inde removens vultum, cum vibrante luce conscendit olympum. Mater familias autem, post sancti recessionem evigilans a dormitionis gravedine, cœpit multum dolere quod carebat claritudine, quam per somnium conspexerat ineffabilem ; quæ tam ocius quam valuit de fulcro, quo jacebat, surrexit, et accersito venerabili episcopo, intimare studuit quidquid in somnis ab angelo Christi accepit.

(64) Apparitio hæc habetur supra in Historia e ms. Bigotiano sumpta contractius, mutatis aliquantulum adjunctis.

14. Qui commotus paululum, ut decet sapientem virum, cur fratres non egissent secundum illius præceptum, rursus præscriptis mandavit monachis de palatio regis, in quo pro communi utilitate regni, Deo cunctitonanti militabat in diebus illis, quod, si quispiam adesset, qui Deo laudes non redderet, et ad ecclesiam festinus non pergeret illico, ut quilibet æger per virtutem sanctæ Trinitatis sanitatem reciperet, pœnitentiam septem dierum ageret, nil manducans neque bibens præter aquam et panem. Ex quo tempore nequaquam est prætermissum, quotiescunque ad beati viri corpusculum, sive in die, seu in media nocte, actum est quoddam miraculum, edili paululum pulsante tintinnabulum, quatenus fratres non adirent cœnobium ad glorificandum omnipotentem Dominum; cui honor virtus, atque imperium, doxa (65), majestas, paxque, tripudium per immortalia sæcula sæculorum.

15. Quidam denique vir Londoniensis ita erat eodem tempore debilitatus omnibus membris, quod prorsus nullam jam posset sperare medelam. Idem autem audiens miraculorum opinionem, quæ per cosmi (66) Salvatoris pietatem patrabantur ad vatis mausoleum, ab agnatis delatus est Wintoniam secundum ejus desiderium, cupiens accedere ad sanctum Christi famuli corpusculum, et inibi vigilans una nocte degere, sed minime quibat præ nimio dolore. Quo cum post aliquot deportaretur dies, eadem nocte cœlitus curatus est. Vir namque ipse tam gravi percussus erat ægritudine ut manus et pedes illius post tergum versi cernerentur. Verum Deus omnipotens, misericors ac clemens, qui non derelinquit omnes in se sperantes, per sancti meritum Swithuni, suæ misertus est creationi, tribuens infirmo pristinum vigorem corporis ad sui glorificationem nominis, quatenus incolumis effectus magnificaret Dominum, qui facit mirabilia magna solus, omnibus vitæ suæ diebus.

16. Denique ex præfata urbe quondam pariter venerunt Wintoniam homines cæci numero sedecim utriusque sexus. E quibus quindecim e prima cœlitus illuminati sunt die; sextus autem decimus altero lucescente mane cum multis languentibus aliis, per meritum sancti præsulis curationem recipere meruit, et sic postmodum Deo justissimas persolventes læti gratias, reversi sunt videntes Londoniam, qui cæci nuper venerant.

Quidam claudus etiam utroque pede commorabatur in eadem civitate Londoniæ, qui sanitatem per diversas inquirendo provincias pene suam omnem consumpserat facultatem. Is tandem ad sanctum equo vectus Augustinum (67) archipræsulem Cantuariorum, per ejus intercessionem, unius pedes meruit recipere valetudinem, qui post aliquantulum temporis intervallum, audiens opinionem miraculorum Wintoniam (68) veniens, accessit ad sancti viri corpusculum, in ipso die curatus est altero pede, et confestim lætus rediit domum pedibus, magnificans Dominum sermonibus.

17. Venerunt aliquando ad sanctum Dei famulum ex diversis Anglorum provinciis viginti quinque infirmi, variis languoribus constricti, scilicet cæci, claudi, surdi et muti; qui in unius diei revolutione omnes per gloriosam egregii sacerdotis interventionem a Domino meruerunt recipere curationem. Quidam etiam comes multum dives habebat filium, qui a nativitate quinquennio usus est visu corporeo, quo expleto illum amisit, et alio lustro cæcus exstitit, qui dum una nocte vigilaretur a genitrice, cum plurima clientum multitudine in templo, quo quiescebant venerabilis viri reliquiæ, aurora diem ducente, glaucoma ex oculis ejus recessit, et Deo volente clarum videre potuit.

CAPUT II.

Miraculorum pars secunda.

18. Non est autem silentio prætereundum quod ante inventionem sacratissimi corporis Swithuni antistitis, vir quidam nobili ortus prosapia, abundans opibus plurimis, in eadem degebat Anglorum regione, qui cæcatus est casu eveniente. Is itaque Romam perrexit cum omni mentis devotione, quatenus ibi sanaretur per benedicta sanctorum corpora, quæ ibi requiescunt innumerabilia. Qui ferme per intervallum quinque annorum in orationibus permansit, et medicinam propriæ cæcitatis minime impetravit. Qui denique, dum ibi degeret, audivit a peregrinis, de Anglorum finibus ad limina apostolorum Romam venientibus, quod Dominus ægrorum languoribus mederet innumerabilibus per sancti Swithuni meritum, ocius præfatam urbem deserens, et ad regionem unde ortus fuerat regrediens ante sepulcrum sancti præsulis requisivit quam [*imo* cum] partem regni, de qua natus fuit. Quo cum perveniret, eadem nocte lumen meruit recipere pristinum, et a Domino mundi creatore illuminatus, incolumis reversus est domum, glorificans Regem cœlorum et laudans omnicreantem Deum.

19. In illis diebus, quidam manebat in civitate, quæ Brefeceaster nuncupatur proprio nomine, cæcus et paralyticus in utrisque lateribus. Is autem ab agnatis deductus est Wintoniam, ubi sanitatem recepit per sanctæ Trinitatis omnipotentiam. Nimirum postquam accessit ad ecclesiam, in qua sancti membra viri quiescebant, tribus diebus atque noctibus perseveravit in vigiliis et orationibus. Quibus expletis aperti sunt oculi ejus, et vigor priscus rediit in lacertis ac manibus, moxque benedicens Deo, inde recessit sanus.

20. Vir etiam degebat in provincia Anglorum, quæ vocatur hunum..... cæcus spatio septem annorum. Is, dum haberet prævium ductorem, sicut oculis privati habere solent, qui eum vel ad eccle-

(65) Id est *gloria*, Græce δόξα.
(66) Id est *mundus*, Græce κόσμος.
(67) Fuse de illo actum die XXVI Maii.
(68) In ms. nostro passim scriptum reperi *Pintoniam*, pro quo substitui *Wintoniam*.

siam duceret, vel ubicunque illi necesse foret, et deinde domum reduceret quandocunque vellet, tempore quodam iratus ductor, nimium longe ab hospitio reliquit cæcum, qui cum prorsus ignoraret qualiter domum remearet, oravit ad Deum rectorem rerum subnixis clamoribus ut illum respiceret clementius, talibus effundens precibus : O Domine, angelorum dominator et hominum, scio quia nihil potest tuam latere providentiam, vides me captum lumine, longe remotum a propria mansione, et a contumaci desertum ductore. Humilitatem meam respice; actus proprios in tua voluntate dispone, gressus meos ad te dirige, et mihi nequissimo in cœlesti sede lucem sempiternam cum sanctis et electis concede. Miserere mei, Domine, secundum voluntatem tuam, et fac mecum juxta tuæ pietatis clementiam. Ne derelinquas, me Domine, amplius in malignorum manibus, sed vel animam de hoc corpusculo meam suscipe, vel per sancti merita Swithuni, cæcitati meæ lumen clarum restitue. Te etiam rogo, clementissime præsul, per quem Auctor rerum magnificus præbet medelam diversis ægrorum languoribus, quatenus mihi succurras tuis sacris precibus. Credo nempe quoniam impetrabis illico quidquid petieris a Domino. Quapropter posce luminis Principem quo mihi oculorum restituat lumen.

21. Cumque tales cæcus ille preces cum ingenti gemitu profudisset, protinus in eodem loco aperti sunt oculi ejus, et conspicere valuit claritatem aeris, quam nequivit septem annis cernere retroactis, atque sine præduce rediit domum incolumis, vicinis et parentibus, ultra quam credi possit, admirantibus, quomodo cognatus illorum, qui inde paulo ante discesserat lumine privatus, evidenter a Domino sit illuminatus. Qui dum cognovissent qualiter per venerabilem Dei pontificem amicus eorum recuperasset sanitatem, unanimi voce Dominum glorificaverunt, qui facit magna solus mirabilia, cui nomen et imperium sine fine permanet in sæcula sæculorum.

22. In illis etiam diebus quatuor homines utriusque sexus degebant in parte regionis Britannicæ quæ nuncupatur Eastsexan (69), qui per multorum revolutiones æstatum cruciabantur doloribus, ac diversis languoribus; duo scilicet viri manebant cæci, et binæ mulieres utrisque manibus debiles, ac pedibus claudicantes. Qui, audientes Dei beneficia, quæ per suum omnipotens Deus famulum dignatus est largiri dissolutis artubus languentium, venerunt ad sacri pontificis mausoleum, supplici prece exorantes trinum et unum cœli terræque Deum. Quo cum pervenissent in unum, illico aperti sunt oculi cæcorum, sanitasque sincera protinus feminarum manibus restituta est ac pedibus, et ambulare coram omnibus cœpere circumstantibus, signumque crucis sanctæ manibus earum imprimere

(69) Vulgo *Essex*, Latine *Essexia*, provincia in parte orientali Angliæ.

A frontibus, et perficere omnia quæ erant necessaria, sicque redeuntes domum benedixerunt Dominum, auctorem sanitatum.

23. Eadem nempe tempestate viri cujusdam servula furata fuerat in aquilonaribus Anglorum climatibus, atque deducta ab avidis mangonibus ad urbem, in qua quiescebat sanctus corpore Christi præsul, et distracta cuipiam viro præfatæ civitatis Urbano. Hæc dum per longi spatium temporis inibi sub alio mansitaret domino, contigit ut vir idem, a quo prius furto subtracta fuerat, Wintoniam veniret, quatenus sibi necessaria emeret. Quod cum ancillula audiret jam præsignata, audacter ad priscum loqui venit dominum sine illius licentia cujus imperio tum erat subdita. Cum hoc ergo resciret B domina cui serviebat hæc famula, quod fabularetur de alia cum homine provincia, jussit eam vinciri compedibus infesta nimium, ne posset ad antiquum ullo modo remeare patronum.

24. Accidit autem in sequenti die ut mulier eadem lucescente egrederetur mane, ad quoddam negotium sibimet profuturum, et domi compeditam relinqueret famulam. Quæ mox sicut potuit, foras exivit, et juxta ipsius limen domus miserabiliter consedit. Tum tota mentis intentione cunctiereantem Deum cœpit exorare ut eam liberaret a diris pessimæ ligaminibus dominæ. Conversa autem ad templum illud, in quo corpus sancti præsulis venerabatur dignis honoribus, diligenter, per ejus interventum, Dei exoravit beneficium, et confestim desi- C deratum adepta est suffragium.

25. Interea quidam sacerdos cánitie venerabilis, vestibus ornatus candidissimis, properanter ad catenatam accessit mulierculam, dulcibus affaminibus interrogans, quid haberet elegam (70), cujus brachium dextera arripiens manu, eam vexit ad sancti tumulum in pungentis ictu, atque inter innumerabilem populi multitudinem, quæ munitionis similitudine vallabat monasterii limen, infra aditum adhuc illigatam compede, exposuit juxta sacrum altare, super quod vir sanctus requiescebat somate. Mirum enim et mirabile fuit quod nemo circumstantium eam vidit, nec sacerdotem, qui eam illo detulit, donec exposita in sacello exstitit, quod obseratum clave a custodibus, præsens tum cernebat populus. D Domina vero ejus, in quantum valebat, concita servulæ subsequebatur vestigia.

26. Cum autem hanc vidisset monachus qui custodiebat sanctum, et de sacello habebat claviculam, quo quiescebat præsulis corpusculum, admiratus nimium, dixit ad se ipsum : Quis infra sancti cameram, quam cerno, istam clausit feminam? Putasne januam reperit apertam, quam paulo ante opposita clausi ipse serula. Qui accedens ad sacelli valvulam, audiente populo, inquit ad eam : Quis te, fare mulier, intra venerandum, quo nunc stare videris, introduxit locellum? Qua confisa temeritate clau-

(70) Id est *tristem*, Græcobarbara vox a Græca Θλιγερὸς, *luctus lamentatio*.

strum præsumpsisti penetrare quo Christi præsul requiescit corpore? Qua ratione potuisti latere, quia te nequaquam vidi, quando ostium clausi. Tum illa, conspiciens quemdam clericum juvenem retro se stantem extra balconem (71), edili quidem respondit, inquiens : Memet renitente clericus iste, me super scapulas elevavit suas, atque ad suum deportavit locum, modoque exposuit ante sanctum. Qui econtrario respondit cum juramento : Nusquam te oculis ante hac conspexi meis.

27. Mulier dixit : Tu etenim ipse huc detulisti me. Clericus respondit : Mallem ut nocturni canes te haberent corrasam diris morsibus quam dorso imponerem meo tam inhonestum pondus. Quæ, ad se reversa, retulit talia : Presbyter quidam, canus ac valde venerabilis, amictus induviis splendide fulgidissimis, me flentem in limine comperit Dominæ, dulcissimo nec non est consolatus affamine, qui arripiens dexteram meæ vestis manicam, mox ad istam evexit basilicam, cum tanta celeritate corporisque suavitate quantam sermone non possum enarrare; et quoniam postquam in isto me deposuit adito, non vidi alium circum astantem clericum præter juvenem istum; ideo cogitavi quod ipse esset, qui me huc detulisset.

28. Cumque hæc audirent turbæ populorum, quæ præsentes aderant ex diversis partibus Anglorum, admiratæ nimium glorificaverunt Dominum regem omnium, ac Salvatorem hominum, qui tam inaudita dignatus est facere miracula per sancti gloriosa sacerdotis sui merita. Ipsi gloria, laus et imperium, qui cum Genitore sanctoque Pneumate (72) vivit unus, et regnat Deus per infinita tempora sæculorum.

29. Tempore autem illo ex longinquis occidentalium finibus binæ mulieres accesserunt ad viri Dei mausoleum precibus. E quibus una propriis lumen nequibat conspicere oculis, altera erat muta a nativitate, usque ad senectutem ferme. Muta etenim regebat toto itinere cæcam, quo pro ductrice a transeuntibus requirebat ambulandi semitam. Cumque pariter ad locum devenissent, in quo sanctus quiescebat pontifex ; cæca recepit lumen, et muta loquendi facultatem. Quæ cœlitus medicatæ, per viri gloriosi meritum, mox redierunt domum, glorificantes omnipotentem Dominum.

30. Venerunt deinde Wintoniam triginta sex ægri, causa recuperandæ sanitatis, ex quibus quidam erant cæci, quidam surdi, quidam muti, quidam etiam paralytici. Qui, dum accessissent ad sancti præsulis monumentum, et preces coram Deo effudissent, per ipsius interventionem omnes curati sunt in spatio trium dierum ; sicque læti domum cum ingenti gaudio redierunt, magnificantes et laudantes Dominum.

31. Nec multo post accesserunt ad eumdem sanctum ex diversis Anglosaxonum finibus centum et viginti quatuor, multiplicibus constricti languoribus. Hi omnes per sancti præsulis meritum, a variis ægritudinibus, Deo volente, curati sunt in duarum revolutione [dierum,] et benedicentes Domino reversi sunt incolumes ad propria, qui debiles et ægroti convenerant.

32. Indignum quidem æstimo præterire silentio quod vir quidam pro parricidio quod commisit illicito... illigatus chalybe fuerat dirissime, qui novem orbes ferreæ molis gerebat corpore, totidem annos peregre se cruciando pro scelere ; fama volante, inclyta audiens Dei mirabilia quæ per sui sancti meritum patrabantur in provincia Anglorum, Wintoniam venit cœlitus de transmarinis partibus. Qui, dum submissis precibus Deum deprecaretur diutius quo per sancti medicabilem pontificis interventionem refrigeraret intolerabilem sui cruciatus dolorem, Deo favente ferreus, qui ventrem secabat, circulus, in tantum ut vitalia jam penetraret intima, disruptus prosilivit extra hominis viscera, quem cruciabat immensæ magnitudinis pœna. Alius denique orbiculus, qui gravi tortura affligebat brachium hominis illius, quoniam turgescente carnis vulnere, totus jam sanie tegebatur ac sanguine, confestim ante pedes ejus cecidit, et acre doloris tormentum continuo ab eodem recessit. Ille nempe annulus in tantum erat strictus ut vix esse trium capax videretur digitorum, et ideo fuit mirum quoniam integer prosilivit de hominis brachio, et in testimonium hujus miraculi in eodem suspensus est cœnobio.

33. Præsignatis denique temporibus, quidam negotiator, nomine Flodoaldus, vir in rebus prudens sæcularibus, plurimis abundans opibus, habebat quemdam famulum, quem diligebat nimium. Is, pro quodam facinore comprehensus a regis præside, jussus est a regalibus custodiri clientibus, donec ejus veniret dominus, et ignitum carbonibus ferrum nudis manibus idem portaret protinus, et si foret inculpabilis, relinqueretur incolumis, si culpabilis inveniretur, capite plecteretur. Audiens igitur senior (73) illius, quod ipse servus in vinculis teneretur sub diris custodibus, festinantius quam potuit illo perrexit, exposcens regis præfectum, ut dimitteret judicium, et servuli præscriptum conditione famulum possideret illæsum.

34. Qui minime favens ejus sponsionibus, ultra modum superbiens, pro mundanis fascibus servo ferri calidam præcepit gerere massam. Dominus autem ejus hoc audiens de servo, nimium perituro condolens, rursus præposito spopondit regio dare puri libram argenti, et similiter concessit servum illi possidere præfatum, exorans, ut iniquum dimitteret judicium, quoniam dispendium tanti dedecoris minime quibat perpeti, ut mancipium illius,

(71) Italis *balconi*, Gallis *balcons*, sunt exedræ proeminentes. De qua voce Acharisius apud Cangium : « Quidam vocem propriam Venetorum, alii Genuensium esse aiunt. »

(72) Id est, *spiritu*, a Græco πνεῦμα.

(73) Barbarum a voce Gallica *seigneur*, dominus. Vide Glossar. Cangii.

pro vili scelere jugularetur et crimine. Amici quin etiam et parentes culpati hominis tristes gastoldo (74) regis ingentia promiserunt donaria, gestientes cognatum magnopere eorum liberare de contumeliosa morte.

35. Præfectus verumtamen precibus eorum abnuens, prædictum compulit hominem nuda ferre manu chalybem eximiæ molis ferventem, multoque carbone rubentem. Quem dum vir ille coactus a præside, manu gestaret timide, protinus ingens arsura replevit ejus volam tergore adustam. Sigillata est autem manus ejus solito more, usque in tertium diem. Flodoaldus autem in sequenti die convocavit hominem, ac reperit eum damnatum, ac culpabilem. Quinimo commotus dolore pro perituro homine, fratrem convocans et socios qui aderant, domum redire disponebat, quoniam, uti prædiximus, patientem ferre non poterat quatenus verna illius se coram capitalem subiret sententiam.

36. Quid multa? Ipse dominus cum omni comitatus multitudine exoravit rerum Auctorem supplici prece, ut liberaret illum hominem a contumeliosa nece per sancti Swithuni intercessionem, preces convertens ad cosmi Salvatorem, toto mentis conamine inquiens : Libera, Domine Deus omnipotens, hoc mancipium, per gloriosi præsulis interventum, et ego ipsi sancto tradam illum, per cujus sanas meritum langueores diros ægrotantium, si cœlitus eripueris eum de nefandis manibus mortificantium. Transacta denique secunda die postquam portavit chalybem, Phœboque tertiam replicante hymeram (75), deductus est ad præsidem, quo, si mundus ab illato crimine foret, clientuli conspicerent circumstantes. Quid plura multimodis prosequor dictis?

37. Cumque pervenissent ante legislatores, virum inculpabilem ipsum judicant hostes, et inimici illæsum fore asserunt quem dominus ipse cernebat suppliciis dignum, et amici credebant illico morte crudeli damnandum. Sicque mœror amicorum conversus est in gaudium. Enimvero mirum fuit ultra modum quod fautores arsuram et inflationem conspiciebant, criminatores ita sanam ejus videbant palmam, quasi penitus servum non tetigisset ferrum. Quod cum vidissent comites, universi referentes omnipotenti Deo laudes, Salvatoremque Jesum glorificantes, reversi sunt gaudentes, unde venerant tristes, agnatum esse indubitanter divinitus liberatum credentes, unaque omnes voce confitentes, per sancti præsulis preces Swithuni exaudibiles . . . Vir autem, cujus ille prætaxatus fuerat servulus, contulit ipsum beato pontifici præfato, qui eum subtraxit a diro pestiferæ necis periculo.

38 Præpositus Abundonensis (76) monasterii effectus est cæcus per intervallum quindecim annorum. Is, dum nimia cæcitate cruciaretur, complurибus peractis medicaminibus, ustulatum est caput ejus duodecim adustionibus, quæ nihil ei prorsus profuerunt, verum multo magis obfuerunt. Qui demum audiens quæ et quanta clementissimus Auctor rerum miracula per suum dignatus est famulum benignissime hominibus præbere languentibus, Wintoniam nudis veniens vestigiis, ad sancti corpus pontificis accessit cum precibus assiduis. Quo cum pervenisset, et eadem nocte ibidem vigilaret, crastina albescente aurora, lucem oculis conspicere meruit, atque sospes domum rediens, omnipotentem Dominum glorificare studuit.

39. Anno quin etiam ipso, quidam cæcus ex longinquis Anglorum finibus, audiens prodigiorum opinionem, cum puero ductore properabat ad sancti medicationem. Qui dum appropinquaret civitatem Wintoniam, venit ad locum quemdam, in quo fatigatus ex itinere cœpit paululum requiescere. Erat autem, ubi reposabant (77), ingens crux lapidea, tria passuum millia pene distans a præfata urbe. Cumque ibi aliquantulum quiescerent, puer famelicus ait ad cæcum senem : Manducemus, pater, aliquid, quoniam modo magnam patior famem, et sumus prope civitatem, ad quam cum venerimus, edendi non habebimus possibilitatem. Respondit cæcus : Fili, congruum nondum adest tempus. Puer inquit : Utique, pater, jam hora prandendi transacta est. Cæcus respondit : Quantum viæ adhuc superest hinc usque ad civitatem? Puer infit ad ægrum : Cito veniemus ad sanctum. Quapropter sumamus cibum, antequam urbis subintremus murum, quoniam magnus est tumultus.

40. Æger puero respondit : Nondum nona sonuit, exspectemus ergo usque ad horam, te flagito, nonam, et postquam convenerimus ad viri Dei corpusculum, ibi cum Domini benedictione Christi, solvamus jejunium. Ductor rursus inquirere improbus Cum ergo inter se tales disponerent sermocinationes, cæcus ille audivit homines causa vigilandi ad sanctum festinantes, qui protinus ductorem interrogavit quo pergerent. Ipse vero ait : Wintoniam gressus dirigunt ad beati venerandum Swithuni tumulum, quo per ejus interventum salutis medicamentum percipiant languidi illorum. Senex inquit : Qualis est iste locus in quo nos consedimus? Puer respondit : Staurus (78) hic est saxea, fulgens, grandis, altissima, ad laudem Christi posita. Qui, consurgens ocius, Christum oravit precibus ut sanaretur cœlitus per viri magni meritum.

41. Domine Deus omnipotens, meas audi preces, inquiens, redde propriis lumen oculis, suffragantibus meritis sancti Swithuni præsulis. O si istam

(74) Ea nuncupatione gaudebant regionum et urbium præfecti, quorum erant partes, jura plebi reddere, ac judiciis subditorum ignobiliorum præesse. Plura dabit Cangius.

(75) Id est *diem*, Græce ἡμέραν.

(76) Puto scribendum *Abendoniensis*, de quo consule Malmesburiensem l. II De gestis pontificum Anglorum.

(77) Barbare, a Gallico *reposer*, quiescere.

(78) Id est *crux*, Græce σταυρός.

claro lumine civitatem quandoque merear conspicere gaudens! O gloriose confessor Christi Swithune, ora pro me miserrimo peccatore, ne sit mihi grave delictum, quod ante horam frango jejunium. Cumque cæcus ille talem cum gemitu fudisset orationem, illuminatus est ibidem per sacri sacerdotis interventionem; moxque ut glaucoma (79) ab ejus oculis cecidit, suscipiens haud longe Winthoniam conspexit, quam toto mentis ardore paululum ante desiderabat videre, et impransus, ut cupiebat, ad sancti vatis properans accessit reliquias, magnificans Salvatoris omnipotentiam. Quo cum venisset intimavit fratribus loci illius qualiter curatus foret per Conditoris mundi famulum. Qui, ad templum convenientes, hymnidicis vocibus laudaverunt Auctorem virtutum.

42. Venit denique in diebus illis ad sanctum Dei quidam debilis, claudus utroque pede, et sic curvatus ægritudine ut penitus non posset sese de loco removere, nisi binis sustentaretur scabellis. Is confestim ut ad sancti tumbam accessit antistitis, recepit sospitatem somatis, sed mente permansit debilis, quoniam conditori Deo gratias non retulit, sicut cæteri fecerunt ægri. Nimirum primo quam erectus est divinitus, sanctum relinquens, protinus fugam arripuit celerius, et a nemine postea in ipso visus est cœnobio. Scabella tamen, quibus sustentabatur, ægritudinem prodiderunt, quod curatus inde recessit per sancti Swithuni meritum. Turmæ etiam circumstantium, quæcunque ibi præsentes aderant, constanter asseruerunt ita fore gestum per omnia, sicut scriptum continetur in hac pagina.

43. Eadem quoque tempestate quidam consul regis nimium dilectus, in caducis præpotens rebus, cum ingenti comitatu, sicut mos est Anglosaxonibus, properanter equitabat ad quemdam vicum, in quo grandis apparatus ad necessarios convivandi usus erat illi opipare constructus. Accidit autem in ipso itinere, quod quidam puer eximiæ indolis, quem A comes idem diligebat plus cæteris, ruina properante, caderet de sonipede, qui mox, ut cecidit, crus brachiumque fregit, et ita omnibus membris est dissolutus ut omnes qui aderant crederent eum illico mortuum.

44. Paterfamilias autem cum videret puerum sibi dilectum morientem, amici nimium condolens casum, subnixis orationibus exoravit Dominum quatenus pueri illius moribundi misereretur per gloriosi venerabilem pontificis intercessionem: Sancte, inquiens, Swithune, flagita mundi Redemptorem supplici prece quod præstet puero vitam et sanitatem isti, qui, si concesserit petitioni, omnibus diebus vitæ meæ me habebit fideliorem. Quia etiam, summe sacerdos, insontem deducam infantem ad salutiferum tui somatis mausoleum, ut per medicabilem tuam intercessionem Christi sentiat beneficium. B

45. Cumque vir ille talibus Deum exoraret sermonibus, repente puer sursum prosiluit sanus; qui paulo ante jacebat ruina mortis præoccupatus. Quod, cum consul prospiceret, ultra quam effari posset, lætus effectus est, et cum omni devotione mentis, Deum glorificare cœpit, qui cor contritum et humiliatum non spernit.

46. Nec solum in finibus Anglorum, sed etiam in provincia Francorum miracula sunt peracta per hujus sancti merita. In eadem, ut perhibent qui hoc viderant, regione cleptes (80) quidam immanissimo deprehensus in scelere, tenebroso custodiebatur in carcere, nefandis vinctus catenis, et dira C compede, donec in equuleo postridie tali suspenderetur pro crimine. Is audierat a negotiatoribus, Oceanum causa commercii transmeantibus, esse sanctum inventum in transmarinis partibus, per cujus interventum ægri sanarentur a multimodis languoribus, cujus in obscuræ noctis reminiscens tenebris, Dei incomprehensibile exoravit numen Omnipotentis, quatenus...

Cetera desiderantur.

9) Γλαύκωμα est vitium oculi, cum præter naturam glaucescit, transmutato humore crystallino in glaucoum. Vide definitiones medicas Joannis Gorræi.

(80) Id est *fur*, a Græco κλέπτης.

VITA S. YVONIS EPISCOPI PERSÆ

IN ANGLIA DEPOSITI

ET TRIUM EJUS SOCIORUM,

AUCTORE GOSCELINO.

(Apud Bolland., *Acta Sanctorum*, Junii tom. II, die 10, pag. 287.)

COMMENTARIUS PRÆVIUS

De ætate Sancti et Vitæ scriptoribus duobus.

Guilielmus Cambdenus in sua Britannia describens comitatum Huntingdonensem, a præcipua urbe Huntingdonia denominatum, in mediterraneo Angliæ ad septentrionalem ripam Usæ fluminis sita: « Hinc, inquit,

Usa se proripiens, cum Cantabrigienses jam aditurus est, oppido satis nitido, inter amœnissima prata affunditur; quod Slepe olim Anglo-Saxonice, nunc vero *S. Yves* dicitur, ab Yvone Persa episcopo; qui circa annum Christi, ut scribunt, sexcentesimum, Angliam magna sanctitatis opinione perlustravit; divinum verbum sedulo proseminavit; suumque nomen huic loco, in quo fatis concessit, reliquit. Unde tamen brevi corpus ejus Ramesejam transtulerunt religiosi. » Hæc ibi. Est Rameseja abbatia in eodem Huntingdonensi agro versus septentrionem, quinque leucis ab oppido S. Yvonis dissita, sub primo cujus abbate Ednotho peracta est hæc translatio, anno 1001, hoc die x Junii, quo ejus solemnitas hactenus fuit celebrata.

2. Ednotho creato an. 1008 episcopo Dorcastriensi, factus ex priore est abbas Wlsius; quo a Danis interfecto, successit tertius abbas Andreas Withnannus, sive Andreas Leucander an. 1016; qui quarto regiminis anno profectus est Hierosolymam, et anno sequenti reversus, invenit Ethelstanum abbatem. Hic vero ei voluit cedere, sed Withmannus noluit, et elegit vitam solitariam apud Nartheje, ibique vixit plusquam viginti annis. Eodem tempore idem Withmannus (quod etiam testatur Molanus in Auctario Usuardi ad hanc diem) « scripsit elaborate Vitam Yvonis, episcopi Persarum, in Anglia sepulti : quam postea Goscelinus Bertinianus elegantiorem aliquanto reddidit. » Priorem illam hactenus non sumus assecuti : posteriorem, in qua semper *Yvo* scribitur, damus, Maclovioa reverendo domino Leandro Pricharto Benedictino submissam. Inscripsit Gocelinus seu Goscelinus, tunc monachus Ramesejensis, hanc Vitam abbati suo Herberto, creato an. 1087, ac post annos quatuor facto episcopo Norwincensi : cujus encomium habetur in Monastico Anglicano, pag. 1003. Goscelinus in prologo explicat quænam a dicto Andrea abbate, primo Vitæ auctore, acceperit, quidque ipse ex aliorum relatione addiderit. Quæ capite quarto habentur, sunt ab eodem auctore adjuncta, cum viveret adhuc Herbertus episcopus Norwicensis, mortuus XXII Julii an. 1119, cumque regnaret Henricus primus, rex factus an. 1101, vita functus III Decembris an. 1135.

3. Aliam Vitam edidit Joannes Capgravius in Legenda sanctorum Angliæ, ex qua in Appendice damus miracula intercessione S. Yvonis patrata, quæ, aut saltem aliqua eorum, videtur Goscelinus adjunxisse, sed nostri apographi scriptor omisisse. Reliqua de Actis Capgravii observamus in adnotatis. Celebris etiam est memoria S. Yvonis Persæ apud alios scriptores rerum Anglicanarum qui post Goscelinum vixerunt, ut sunt Florentius Wigorniensis, Willielmus Malmesburiensis, Henricus Huntingdonensis, Matthæus Westmonasteriensis, Joannes Brompton, aliique; et inter recentiores, Guilielmus Cambdenus supra relatus, Nicolaus Harpsfeldius, Michael Alfordus atque alii, quorum aliqui in subjunctis adnotatis referuntur. Denique memoria ejusdem S. Yvonis celebratur in ms. Martyrologio, a nobis Romæ reperto inter codices antiquos ducis Altempsii, in quo ista leguntur : « In Anglia apud Ramesejam translatio S. Yvonis archiepiscopi, cum tribus sociis : super cujus sacras reliquias candidissima pervolabat columba per septem milliaria, quoadusque in terram sanctam veherentur. » In Martyrologio Richardi Wilfordi, Anglice Londini an. 1526 excuso, ista habentur : « In Anglia festum S. Yvonis archiepiscopi. Hic erat oriundus ex Perside et regia familia : qui post exantlatos plures labores venit in Angliam, et habitavit in loco Slepe, nunc S. Yvonis dicto, prope Huntingdoniam, octo milliaribus Rameseia; quo per revelationem translatus, magnis claret miraculis. » Secuti Molanus et alii.

De tribus sociis eorumque duplici translatione, agitur infra in Actis, quorum ideo memoriam titulo ascribimus. Horum unus Romanus, patriciæ dignitatis, senatoris filius, ideo patricius num. 3 appellatus, alii etiam Persæ censentur; qui, an Sithius nepos et Inthius cognatus apud Capgravium recte appellentur, dubitamus: ideo solum *tres socios* nominamus. Tempus adventus illorum arbitramur fuisse circa initium sæculi septimi, quo Anglia cœpit converti ad fidem Christi : et sic possunt circiter centum lustra censeri ante translationem corporis, licet sex aut octo lustra desint. Cæterum *Yvonis* nomen nequaquam existimes vel Persicum esse, vel ex Perside allatum; sed potius, latendi facilius causa, assumptum inter peregrinandum per Italiam Galliamve, fortassis ex aliquo cum patrio nomine affinitate vocis.

INCIPIT VITA.

PROLOGUS.

1. Rectori Hereberto frater Goscelinus. Quæ de vita beati Yvonis referuntur, a venerabili abbate Andrea celebrata noscuntur; qui de Anglia ad Dominicam urbem Hierusalem peregrinatus, tam arduam vitam exercuit, ut ei credere nullus fidelis dubitaverit. Testabatur autem in Græcia ejus nomen et vitam gestis multis et miraculis haberi clarissima, et bono odore Christi gratiarum longa lateque notissima ejus esse præconia. Ab inventione vero ejus revelationes et prodigia, quæ hic præcessor scribit, tam oculis visa quam fidelium testimonio comprobata, adhuc pene omnium fratrum Ramesiensium nonnullorumque Forensium cordibus, memorabilius quam in libro, sunt scripta, et scriptis luculentius memorant aliqua prætermissa. Hæc igitur gratia hujus Patris sanctissimi, totiusque Conventus hujus charissimi et venerabilis petitione, paulo brevius collegi; quate- A nus in parvo facilius quam inter multa quod quæritur inveniatur, citiusque breviori via quam longo ambitu ad terminum perveniatur, et de confecta mensula quam de horreo paratius edatur, et de fonticulo gratius quam de fluvio bibatur. Nec adeo tamen de copia fecimus inopiam, ut intellectus queri possit condimento huic nostro tenui deesse, quod illi alteri opimo superfluit; sed modus servatus est, quo nec avidior nec fastidiosior offendatur. Hæc amabili et æternæ memoriæ tuæ, honorificentissime abba, in sacratissimo Patre Yvone condidimus, qui eum suscepimus venerandum tuæ salutis principem cum principatu Ramesiensi : quatenus sicut hic ipsum honorificasti et coluisti, ita te in fine assumat in gaudia suæ lucis.

CAPUT PRIMUM

Vita sancti Yvonis episcopi.

2. Doctor (81) apostolicus, et veri solis nuntius, B

(81) Quæ apud Capgravium, de urbe nativitatis, et in ea episcopatu et parentibus, et dein archiepiscopatu referuntur, cum Goscelino omittimus, ut non satis nobis probata; ea apud illum, et Alfordum

Yvo præsul inclytus, in Perside, ut orientale sidus, est ortus, finibus occiduis Britanniæ a Domino destinatus. Reliquit dulcem patriam, ut exsilium, eoncivis supernarum virtutum; et peregrinus Christi in toto mundo, ad æternum tendebat regnum. Quocunque devenit, suis radiis refulsit; omnia Evangelio Christi seminiverbius replevit; gentes et nationes documentis ac exemplis atque innumeris miraculis ad Salvatorem traxit. Post magnam Asiam, post Illyricum, post Romam (82), post innumeras urbes et populos transitos, Gallias penetravit; ibique nihilominus tantis signis coruscavit, ut ejus cœlestem vitam et angelicam doctrinam mirificæ virtutes loquerentur. Cumque eum (83) rex Francorum et optimates regni ac populi, tanquam angelum Dei, dignis honoribus retinere tentarent; ille, qui parentalem mundi gloriam exsulando fugerat, et per multas tribulationes intrare in regnum Dei decertabat, nulla gratia terrena retineri poterat.

3. (84) Omnibus ergo confirmatis fide, transfretavit, cum dignis comitibus suis ac sociis, in candidam Albionem Britanniæ; gentemque candidam paterna miseratus pietate, tam signis quam prædicatione, prout Dominus dedit, idololatriæ absolvit errore, ac verius candidificavit baptismate. Sequebatur quoque amantissimum patrem adolescens patriciæ dignitatis, vocatus Patricius, cujusdam senatoris filius, qui amore Christi, ipsum per S. Yvonem vocantis, non solum dulces natales et patrios honores postposuit, verum etiam desponsatam sibi virginem cum tota spe sæculi intactam deseruit, dulcique magistro tam charitate quam imitatione inseparabilis adhæsit. Beatus qui intimi illius et pectoralis Christi amici Joannis assecutus est exemplum.

4. Deinde salutifer advena Yvo in provinciam Merciorum progreditur, ad oppidum quod Huntedun appellatur, et in proxima villa quæ (85) Slepe vocatur; cum se intelligens a Domino ad certum locum deductum, multis annis perseveraverit ad vitæ exitum. Hic vero tanta flagrantia cœlestem conversationem induit, quasi hinc demum cœpisset, et quasi post longam sitim fontem petitum reperisset. Hic, inquam, tam suæ quam omnium saluti jugiter invigilando, hic Dominum usque in finem exspectando, ardentibus lucernis virtutum cum castitatis baltheo, tandem venienti et pulsanti aperuit cum gaudio; et Yvo Domini ivit ad Dominum, qui exivit a Patre et venit in mundum, ac de mundo triumphato revexit electorum triumphum. Hic quoque in pace factus est locus ejus, et in pace sepultus est : ubi quamvis centum circiter lustris (ut ex sequenti revelatione computatur) latuerit notitiam hominum, nomen ejus vivit in æternum. Quantus vero in tota vita, charitate, benignitate. pietate, mansuetudine, humilitate, modestia, constantia, patientia, continentia, obsequela, eleemosynis, jejuniis, vigiliis, orationibus, prædicatione, omnique virtutum jubare claruerit; quanta signa vel in loco quietis suæ vel ubivis gentium perpetraverit, fidelius quis inenarrabile credere quam colligere poterit. Benedicat terra nostra Dominum, qui tanquam solem ab Oriente in Occidentem, et tanquam angelum per medium cœli volantem, tam luciferum nostro Occidenti destinavit Parentem.

CAPUT II.

Inventio corporis S. Yvonis.

5. Domino autem ad tempus quidem sustinentiam docente, sed sempiternaliter infinita præmia reddente, ubi tandem post tot annos placuit cœlestem thesaurum absconditum in agro propalare hominibus, quem haberent pretiosum, ac de sub modio lucernam ponere super candelabrum; rusticus impresso molitus vomere terram, impegit in hoc sacrosanctum sarcophagum. Continuo attonitus et spe lucri erectus, boves hærentes revocat, et toto nisu lo-cum purgat. At ubi humanum sepulcrum oculis hausit, consortes aratores advocat. Qui, ablato operculo, inveniunt sacerdotalis æstimationis veneranda pignora. Capiuntur astantis calicis splendore radianti, quem argenteum rati, certatim confringunt. Rapiunt pontificales fibulas, vitreo nitore perspicuas, quas cum sancto corpore et ipsis fragmentis calicis deinde Ramesienses hæreditavere. Advolat monachus (86), præpositus villæ, cum fabro villico. Tunc proximus Ednothus celeri accersitur nuntio, et lota diligenter tam spectabilis Dei famuli membra asportari in ecclesiam, et juxta altare collocari fecit. Plebs accurrens arrectis animis optabat, ut Dominus, qui hunc dedit inveniri, daret etiam quis esset agnosci.

6. Ut ergo claresceret non fortuito casu, sed divino nutu hanc inventionem factam, nocte subsequente ejusdem villæ (87) fabro, innoxio et simplici

ad an. 600 legi possunt : Florentius Wigorniensis maluit ad eumdem annum describere hoc initium Vitæ, a Goscelino propositum : quod etiam postea insertum est apud Capgravium.

(82) Apud hunc sic legitur : « Cum Romam pervenisset consilio papæ, Britanniam intravit. »

(83) Potuit hic fuisse Clotharius secundus, qui cœpit regnare an. 584, factus monarcha an. 613, mortuus an. 628.

(84) Malmesburiensis lib IV De Gestis pontificum Anglorum pag. 292 : « Yvo, ait, pertæsus deliciarum quas amplissimus episcopatus administrabat, reliquit clam suis omnia, peregrinationem longissimam tribus tantum sociis aggressus. Multorum ergo annorum iter permensus, et rusticum se, habitu pannoso, videntibus ementitus, Angliam tandem adnavigavit : delectatusque admodum ignotæ linguæ barbarie, quod quasi fatuus ab omnibus rideretur, in lutosa provincia substitit; ibique vitam suam, quanta fuit, exegit. »

(85) Harpsfeldius sæc. XI, cap. 22, de S. Yvone ista habet : « Pervenit ad quemdam locum, *Slepe* Anglice appellatum (quod est, si interpretere, *Dormitio*) prope oppidum Huntingdonense et monasterium Ramesiense. Eo etiam loci in Christo dormivit, ibidemque sepultus est. »

(86) Capgravio *præpositus* appellatur Elnothus, sed quia abbatis Ednothi tunc evocati ab eo non fit mentio, videtur nominum facta confusio.

(87) Eidem dicitur « faber Ezi vocatus. »

viro (qualibus Dominus ore ad os loquitur, et sua credit arcana, et sapientibus abscondita revelat parvulis) Yvo gloriosus soporato astitit, statura procera, facie candida, specie vivida, oculorum acie flammea cum pontificali insula et virga, atque archiepiscopali cruce prætensa ; attonitumque hominem visionem insueta mulcet voce melliflua, atque ait : « Quem modo in tali loco miramini repertum, ipse sum Yvo episcopus, qui hic cum beatis sociis hactenus latui tumulatus. Accede mane, et metire locum octo pedibus a dextro latere mei mausolei, et invenies tumbam unius sancti socii mei. Alter quoque consepultus non longius aberit quærenti, qui mecum triumphant in gloria. His ergo indiciis certificatus, suggere ex me præposito, ut ipse nuntiet abbati Ednotho, quatenus me cum eisdem sociis meis transferat ad Ramesiense cœnobium. » Verum dum hæc præcepta superna homo pauper spiritu formidat referre, sequenti nocte increpata ejus negligentia, eadem admonitus est auctoritate. Tertia nihilominus nocte adhuc dubitanti, ubi prioribus soporibus, præceptor idem astitit ; jamque districtius inobedientem redarguit, trementemque et signum dari sibi postulantem, episcopali virga pulsavit : « Et hoc signum, inquit, habebis, quo nequaquam carebis, nisi jussa nuntiaveris. »

7. Ex his evigilans, ita doluit eo loco quo se ictum senserat, ac si ferro confossus esset. Qui, ubi mandata cum signo doloris retulit, ipse quidem convaluit : verum, ad majorem Sancti declarationem, idem præpositus credere noluit ; et rusticum, velut phantasmata narrantem, repulit. « Et viles quosque, ait, cineres cujuslibet sutoris transferre et celebrare debemus pro sanctis? » Sic refellentem nocturnus somnus corripit : quem sanctus præsul, austeriori modo et habitu visus, cum districtione excitavit : « Surge, inquit, surge quantocius. Nam ego ille, quem tu sutorem hesterno die subsannasti, ocreas tibi durabiles paravi. His indueris, his domum in memoriam mei equitabis. » Ad hæc assurgente et assidente somniatore, justus castigator ocreas strictissime ejus informat cruribus. Sic itaque concussus evigilat, jamque arctissimus dolor totas tibias a pedibus constrixerat, nec standi nec progrediendi facultas erat. Equitabat ad monasterium alieno gestatorio ; ingressusque, propria (88) pœna ex ordine nuntiat omnia, quæ per alium credere noluerat : tamque ægritudine quam voce vera prædicat, quæ velut phantasmata refutaverat.

8. Tum vero abbas Ednothus, exhilaratus tam insperato cœlestis thesauri lucro, et ejus tam evidenti indicio, devotissimas gratias egit largifluo Domino, cum magno scilicet totius consortii gaudio, quamquam compaterentur dispendio fraterno. Tumque injungens omnibus orationum subsidia, currit ad revelata Sancti sociorumque corpora, in ipsam ejus villam Slepe, octo leucis Anglicis a Ramesia, et tribus ab oppido Huntendun distantem, Ousæ fluvio imminentem. Pigri ei erant currentes equi, et omnes pennas antevolabat ipsius desiderium. Occurrentibus ergo illi primoribus, et plebe lætitiæ indice, descendit in agrum, Sanctorum thesaurariam : flectit genua cum comitibus fratribus, et adorato Dei adjutorio, ipse abbas ferramentum fossorium invadit : eoque ordine nitens, quo sanctus Yvo docuerat, citius quæsitum desiderium reperit. Deinde ulteriorem spem percipiens, utrosque Sanctos, vero divini præsulis indicio, cum supradicto sancto patricio comprehendit ; raptosque inde in ecclesia, cum ipso beato Yvone, in tempus decentioris translationis composuit.

9. At præpositus, ut diutinum foret exemplum non contemnendi cœlestia ; utque diuturna prædicaret debilitate, quem præcipiti repudiaverat infidelitate ; quindecim annis, et ad ipsum vitæ terminum, in compedibus ipsius almi Patris debilis permansit ; quod tamen illi diffusa in sanctis Dei gratia fructum salutis cumulavit. Nam septimo die ante exitum, idem serenissimus consolator, splendido vultu et habitu ei gratulanter apparuit ; eique refoventissima voce dixit : « Jam tempus instat ut verbera quibus te corripui, in remedium tibi transeant sospitatis ; et pro longa nocte incolatus, lætissimum diem possideas æternæ felicitatis : septimo quippe abhinc die, modo paratus esto, veniam te suscipere in nostram lucem de hoc carnis ergastulo. » Hæc ubi ille confratribus exposuit, obnixe præveniens faciem Domini in confessione, et transiens prædicto die, certissimos omnes reddidit promissæ gratiæ. Ut etiam res magis innotescat ex generis claritudine, is erat arctissimo atque illustrissimo Eboraci præsule (89) Oswaldo nobili avunculo ; germano quoque pollens, cœnobiali et priori æquivoco (90) Oswaldo, ut liber ejus versificus testis est, erudito tam devote in Domino ut abstineret oblato pontificio. Hic itaque manifestationis ordo sacratissimi Yvonis omnibus exstat præclarus : quisquis hæc minus exposuerit, scriptor copiosus non est.

10. Facta est autem hæc ejus inventio anno Domini millesimo primo, regnante rege Ethelredo, octavo Kalend. Maii mense Aprilis. Aprilis autem quasi Aperilis ab *aperiendo* appellatur, cum cœlum in æstivos soles clarius aperitur, et mundus in flores et fetus animatur ; et tunc omnis ager, tunc omnis parturit arbor ; tunc frondent silvæ, tunc formosissimus annus, tunc vireta floribus, et volatilia cantivimus.

(88) Westmonasteriensis ad an. 1001 hanc pœnam ascribit abbati, eumque a præposito non distinguens, inquit : « Inventionem cum non reverenter acceptasset abbas Ramesiensis, graviter punitus est. »

(89) S. Oswaldus vita functus est anno 992, die ultimo Februarii, ad quem diem ejus Acta illustra-

(90) S. Edowardus confessor et rex, instinctu Oswaldi monachi nepotis S. Oswaldi, varia dedit Ecclesiæ Ramesiensi an. 1047, uti explicatur in Monastico Anglicano, tomo I, pag. 240. At librum versificum hic citatum non reperiri dolemus.

bus, et omnia rerum gaudia, Christi resurrectioni et paschalibus diebus resultant : tali namque tempore decuit hæc beata pignora reperiri, quæ in æternam gloriam novo cœlo et nova terra debent resuscitari.

11. Congrue etiam provida Dei gratia, tanto lumine declarato, ipsos fratres eodem die exhilaravit, quo eos jam exactis decem annis obitus clarissimi ducis (91) Ethelwini, fundatoris Ramesiensis cœnobii, destituerat; quem hic vel paucis commemorare ad gratiam ipsius pertinet Ecclesiæ. Inter cætera officia, hoc monasterium, annuente beatissimo Eboraci pontifice Oswaldo, cœpit et perfecit; prædiorumque et ornamentorum opulentia, ut hactenus claret, extulit, monachorumque contubernium instituit, martyrum quoque gemellorum (92) Ethelredi atque Ethelbricti germanorum corporibus illustravit : jamque ad altissimum principem pulsante languore vocabatur. Qui a B. (93) Elfego tunc præsule, deinde martyre, confessione solutus, oleo unctus, divina communione refectus, fine urgente suppliciter orat astantes septem psalmos decantare pœnitentiales. His finitis imponit extremum Psalterii organum, *Laudate Dominum*. Ubi vero ultimum verbum hujus ultimi hymni canebant, ipse mente et oculis cœlo intentus cum eis psallebat, ac tertio repetiit : *Omnis spiritus laudet Dominum*. Sicque in hoc verbo, cruce Domini se consignans dextera, et oculos claudens sinistra, spiritum emisit in fide Trinitatis et misericordia, sepultusque est in eodem monasterio quod ædificaverat sancto Patri Benedicto : qui sicut illi mansionem præparavit in terra, ita ab ipso recipiendus creditur in suam mansionem supernam, inter monachorum consortia, dicente Salvatoris clementia : « Qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet (*Matth.* x, 41). » Hujus ergo tristitiam funeris iisdem Kalendis, ut dictum est, abstersit illuminatio B. Yvonis.

CAPUT III.

Translatio corporis S. Yvonis Ramesiam.

12. Postquam sanctissimum corpus beati Patris Yvonis, divinitus prænonstratum, divina aspiratione placuit Ramesiam transferri; accersitus famosissimus abbas (94) Germanus, Floriacensis institutionis, qui præfato Oswaldo Archipræsuli diu adhæserat; quem inde gloriosissimus rex Edgarus monasterio sancti martyris (95) Kenelmi Winckelcumbe præfecerat; filius quoque Edgari successor Ethelredus cœnobio (96) Celesige præposuerat; quod suggestione archiepiscopi (97) Sirici, paterna pietate constructum et dicatum monachis, ordinaverat, pro sancti fratris sui, scilicet Edwardi, regali martyrio et pro regni muro. Cum hoc ergo egregio consorte Germano egregius Pater Ednothus, oratione et abstinentia præmissa, rege et episcopis faventibus, S. Yvonem transtulit in Ramesiense habitaculum. Hi gemini abbates, velut gemini boves Christi, ferebant arcam testamenti Dei, S. Yvonem antistitem. Cæteri fratres qui convenerant, reliquos sanctos cum illo repertos evehebant. Ingens turba prosequitur, rura et oppida huc confluunt; vix patentes campi concurrentes populos admittunt. Preces et hymni laudisoni aera gratificant : cœlum ipsum sanctis favere, sol totis radiis adgaudere videbatur, adeo dulcis hora et dies serena illuxerat.

13. Asserunt etiam plerique fideles quod toto itinere hujus festivæ translationis, columba candidissima supervolaverit glebam beatissimi Yvonis, tam contemplabili multorum miraculo, ut eam cœlitus advenisse in gratiam Sancti omnium esset attestatio. Occurrit cum reliqua plebe Ramesiensis caterva, albis candidata, et purpureis ornatibus redimita, præferens crucifera Christi vexilla et aurata Evangelia, et splendida sanctorum scrinia, et candelabrorum lumina, et thuribulorum incensa thymiamata, et quidquid potuit devotio votiva. Cantibus et cymbalis et tintinnabulis tota resultat insula : resplendent silvæ et flumina. Sic angelis desuper exsultantibus cum humano choro, pretiosæ margaritæ votivo inferuntur templo. Tum hymnum Ambrosianum decantant laudisone, abbate Ednotho gratanter incipiente, *Te Deum laudamus*, subsequuntur missalia solemnia, et dies S. Yvonis translatione quarta Idus Junii consecrata, indicitur perpetuo celebranda.

14. Cumque affatim sollicitarentur, quoniam loco decentius eum thesaurizarent; ipse pervigil suffragator Yvo, noctu visus cuidam fratri devoto, demandat Patri monasterii, ut eum tali loco reconderent, quo cuique ad orationem accessibilis esset. Sicque relatis sacris artibus, ac pretioso panno involutis, repositus est in ascensu presbyterii : ubi adhuc claret, oculis et osculis attrectabilis. Apparet plane cœli

(91) In Vita S. Oswaldi *Ailwinus* dicitur cap. 2, ubi ejus genealogiam deduximus. Donaria ab ipso huic monasterio facta explicantur in Monastico Anglicano pag. 234, et pag. 259 legitur « donasse 200 hidas terræ. »

(92) Coluntur hi martyres 12 Octobris, Ramesiæ sepulti, occisi intra annum 668.

(93) Elfegus tunc erat episcopus Wintoniensis, postea archiepiscopus Cantuariensis, an. 1012 occisus 19 Aprilis, quo die Acta ejus illustravimus.

(94) Aimoinus in Vita S. Abbonis abbatis Floriacensis, an. 1004 interempti, 13 Novembris, meminit hujus Germani « ex sacro Floriacensi assumpti monasterio; » sed perperam *abbatem Ramesensis monasterii* statuit : forte ob hanc translationem in errorem adductus.

(95) Colitur S. Kenelmus, rex Merciorum, 17 Julii, de quo et Winckelcumbe monasterio in agro Glocestrensi, consule Monasticum Anglicanum pag. 182 et sqq.

(96) *Celesige* in textu est, ast in margine *Shepthonia*, *Shastburie* in agro Dorsetensi; et ita debere esse, colligitur ex mox indicato Eduardo rege martyre, de quo et dicto monasterio late actum est ad hujus Acta XVIII Martii.

(97) Siricius dicitur sedisse apud Cantuarienses, ab an. 989 ad 995, quo tempore regnabat Ethelredus, scilicet post S. Eduardum fratrem, an. 978 occisum, usque ad annum 1016; ideo *Longævus* dictus, apud Huntingdonensem De Vitis sanctorum Angliæ, ubi sub eo corpus revelatum S. Yvonis ait.

civem, non hic locum ambire eminentiorem, sed tantum hominum quærere salutem : nam sanctis, qui terrena contempserunt adhuc degentes in terra, quid nunc in cœlo regnantibus conferat infima mundi gloria?

15. Illud etiam ad antiquam Patroni nostri notitiam pertinere videtur, quod apud villam quæ Hirst appellatur, pratum Yvonis dicitur. Ante hæc quoque tempora in Roma vir grandævus, quemdam ex Anglia ad orationem venientem allocutus, ubi Angliam esse didicit, percunctatur attentius, utrum villam quæ Slepe dicitur nosset : quam eum se optime nosse advena respondisset, hæc senior prosecutus est : « Crede, et indubitanti serva memoria, quia non longe a vado propinqui fluminis clarissima latent luminaria, quæ suo tempore attollentur perspicua notitia. » Hæc Anglus reversus in patriam læta fide vulgavit, quæ postea revelata nobis hodietenus veritas probavit. Perduravit etiam ad hæc quidam fidelis clericus, nomine Durandus, qui sæpius promisit, quæ facta videmus.

16. His ergo rebus jam effectu probatis, abbas Ednotbus voto omnium fratrum ecclesiam condidit, in honorem et memoriam B. Yvonis, in eodem scilicet loco suæ tumbæ atque inventionis : quæ ita ornata est, ut ipsa tumba almiflua dimidium infra parietem, et dimidium extra protenderet; quatenus adventantibus, tam obserata janua quam aperta, aqua gratiæ non deesset. Mirabili enim Domino existente in sanctis suis, qui flumina educit de petra, ipsum (98) mausoleum scatet unda dulciflua, et hic fluminis impetus lætificat civitatem Dei in populo fideli. Bene quippe apparet in sepulcrali lapide, quod de intimo pietatis suæ ventre flumina quondam fluxerunt aquæ vivæ et fons scatens in vitam æternam, qui docendo et succurrendo in omnes effuderit paternam venam. De multis itaque hujus aquæ remediis, multisque almifici Yvonis signis atque revelationibus, hic subnotamus pauca, juxta prioris scriptoris compertissima oculis vel auribus testimonia, quæ et fidelium adhuc perdurant in memoria (99).....

CAPUT IV.

Translatio sociorum S. Yvonis ad hujus ecclesiam : Reliquiæ eorumdem, regnante rege Henrico, ad ecclesiam Inventionis revehuntur.

17. Apud prædium quoque quod Ramesiensis ecclesiæ juris est, Slepe vocitatum, ubi quondam sancto rum Yvonis sociorumque ejus corpora, ipsius S. Yvonis gloriosa revelatione inventa, et Ramesiam cum digno honore a fratribus translata sunt, crebra diversorum debilium signis sanitatum divinitus perpetrantur. Quidam etiam ejusdem villæ coloni, noctibus multis, coruscæ lucis radium, ab ipso loco usque in Ramesiam extensum, aliquando in cœlum usque directum, manifeste se vidisse testantur. Villa autem illa non longe a Ramesia, sed quasi septem millibus passuum disparatur.

18. Igitur quorumdam virorum illustrium hortatu atque consultu, fratribus Ramesiensibus placuit, trium B. Yvonis sociorum, inseparabiliter lateri ejus olim adhærentium, reliquias, in theca argentea decenter simul reconditas, ad ejusdem prædii ecclesiam, in honore eorum constructam referri; ut et ipsa ecclesia ob reverentiam Sanctorum honoratior atque celebrior haberetur, et a populis undique diffusis, præsentium intercessione patronorum, affluentius atque devotius frequentaretur : adjicientes etiam justum videri, ut magister majorem locum translationis, discipuli vero minorem locellum inventionis sua præsentia honestarent. Verum, ne temeraria præsumptione divinæ dispositioni contraire, et sanctorum excellentiæ vel veneration derogare viderentur, vigiliis et orationibus ac triduano jejunio voluntatem eorum hac de re consulere decreverunt. Quæ dum agerentur, puella quædam, a sinistra parte corporis sui semiparalytica, in somnis accepit, apud memoriam beati Yvonis sociorumque ejus se esse sanandam. Quæ cum illuc advenisset, et aliquantisper in oratione procubuisset, somnii sui effectum in conspectu fratrum consecuta est. Cujus judicio signi lætiores et fidentiores effecti, jejuniis et orationibus peractis, cum laudibus et hymnis atque honore congruo arcam sanctam, cœlesti manna refertam, ad præfatam ecclesiam v Idus Augusti transtulerunt; deputatis ibidem fratribus, quorum vigilanti solertia cœlestis custodiretur thesaurus, atque divinum officium die noctuque devote perficeretur.

19. Ut autem divina clementia piam actionem et sinceram devotionem eorum approbasse se, et sanctorum suorum præcelsa merita quantum sibi essent accepta evidenter ostenderet; qua die hæc agebantur, ter quinos diversis infirmitatibus debilitatos homines sanitati restituit; atque exinde in eodem loco, sanctorum suorum interventu, opem misericordiæ suæ poscentibus conferre non desistit.

(98) Malmesburiensis, loco supra indicato, hæc ita describit : « Ex ipsis mausolei sinuosis anfractibus erupit unda, bullis uberrima fugacibus. Manat ad hunc diem fons dulcis potui, accommodus omnium valetudini. Nec potest numero æstimari, nedum comprehendi scripto, multitudo per beatum illum sanatorum; adeo ut nullus in Anglia sanctus Yvone vel exoratu facilior vel effectu efficacior. Vidi ego quod dicam. Monachus quidam morbo intercutis aquæ languebat. Jam turgida pellis in altum creverat : jam gravis halitus astantes submovebat; ipse sibi epotaturus totos amnes, exsiccaturus plena dolia videbatur. Admonitus in somnis ad S. Yvonem perrexit : ibique tertio potata aqua, undam superflui humoris ore rejecit. Detumuit venter, remarcuerunt crura : et ne plura, totus homo in sanitatem reviruit : tandemque gloriatus est pro tam salubri vomitu, se aliquando satiari posse de potu. » Hæc Malmesburiensis, Goscelino aliquanto junior, et an. 1142 vita functus.

(99) Hæc in nostra relatione desunt; aliqua in Appendice ex Capgravio dantur. Sequentis vero capitis specialis titulus hic habebatur. « Ut sacræ reliquiæ sociorum S. Yvonis, triduano jejunio celebrato, regnante rege Henrico, ad ecclesiam inventionis eorum, v Idus Augusti, a fratribus Rameseiæ, revehebantur. » Regnavit autem Henricus I ab anno 1088 ad 1100.

APPENDIX MIRACULORUM

Ex nova Legenda Angliæ Joannis Capgravii.

20. Adolescens de Venetia, consularis dignitatis, diabolico instinctu sororem gravidam interfecit. Pœnitentia ductum ferreis nexibus episcopus alligat; a scapulis ad renes ferro constringit, ventrem et brachia ferro accingit : sicque vinctus mundi pervagatur climata, sanctorum poscendo suffragia. Apud S. Dionysium tandem deveniens, vinculum unum Sancti prece rumpitur : mareque transiens, et ad tumbam S. Yvonis perveniens, cum *Magnificat* in Vesperis cantaretur; et versus iste : *Et misericordia ejus a progenie in progenies*, diceretur; invisibili virtute corripitur, totus a terra levatur, terræque citius deponitur : rumpuntur ferri ligamina, et vincula citius sunt discussa. Alii quoque quatuor, ferro per episcopos in pœnitentia astricti, ad tumbam S. Yvonis a vinculis sunt absoluti.

21. Mulierem, propter cæcitatis plagam a viro derelictam, visu reddito, confortavit. Adolescentem miracula sancti episcopi deridentem, Sanctoque detrahentem, curvatis genibus et rigidis, usque ad mortem ad ambulandum reddidit ineptum. Monacho famulos suos in ejus festo operibus servilibus insistere cogenti, sanctoque convitia inferenti, apparuit, dicens : « Tu, nunquid me nosti? » Ille vero tremens respondit, « Non. — Ego sum, inquit, Yvo, quem nuper te nescire dixisti, et festum meum colere volentes prohibuisti; » et dedit ei zonam, dicens : « Ista zona præcingere, et mei notitiam amodo tene; » et præcingens eum, abiit. Expergefactus, quasi ferreo vinculo arctissime se circumligatum sentit : interius vitalium incisione torquebatur; exterius, carne in putredinem defluente, venenosa tabe et inflatione vexabatur. Tandem, quod in Sanctum deliquerat lacrymabiliter confitetur; tumbamque ejus devote visitans, sanitatem reportavit.

22. Cum monachus quidam, normam abhorrens, aufugere conatus esset, spiritus nequam eum invasit; et circa mediam noctem, cum jam melius habere cœpisset, duos ad se tetros homines venire conspexit, qui dicunt ei : « Quia de loco isto fugere voluisti, te ad inferni claustra rapientes deducemus. » Quo audito, concitus surgit, et *Kyrie eleison* clamando, ad monasterium confugit, in domum infirmorum deducitur; et apparente sibi S. Yvone, et signum crucis super ipsum faciente, sanus effectus est. Ex tumba S. Yvonis, aqua perspicua, visu delectabilis, gustu suavis, sumentibus salubris erumpit; surdis auditum, cæcis visum, desperatis et in extremis agentibus conferens sanitatem. Duo leprosi, eadem aqua perfusi, sanantur; et cæci tres oculorum luci restituuntur.

23. Puer quidam, a dominis suis mercatoribus vicem coquinæ sibi deputatam studiose adimplens, aquam de tumba Sancti hauriens, ollæ imposuit, et ignem copiosum accendit : carnes tamen discumbentibus appositæ, crudæ et sanguine plenæ sunt repertæ. Res ut erat aperitur, aqua in olla omnino frigida invenitur : aqua enim S. Yvonis, semper in eodem statu permanens; nescit occasum, nec aliquando patitur eclipsim; et si quandoque in quantitate magna avidius sumatur, sumenti nunquam malum inducit, nec bibentis uterus inflatur.

24. Mulier quædam in tantum juri diaboli fuit mancipata, ut idem malignus cum ea in specie leporis frequentissime coiret; ita quod in ipso coitu infelix illa, quod dictu horrendum est, fluxum seminis per os, ad majorem sui confusionem, evomeret. Confessa est tandem cum lacrymis priori loci delicta sua : et ab eo vasculum cum aqua S. Yvonis accipiens, et de Dei misericordia confidens, videt dæmonem, insolita forma astantem, sed nullatenus accedere præsumentem; comminantem tamen et increpantem, quia contra se murum aqueum erigere voluisset. Mulier vero, de potestate diaboli erepta, nihil confusionis præteritæ experta, incolumis et gaudens ad propria remeavit.

25. Mulier quædam, a nativitate cæca, sanctorum per Angliam circumquaque terens limina, a B. Thoma martyre rediens, S. Yvonis petitura suffragia, villæ illius prope sitæ appropinquans monticulo, fessa residens, paulisper dormire cœpit. Cui duo præclari viri in habitu pontificali (unus itinere, quo venerat, veniens : alter, via qua itura erat) astantes, duos oculos valde lucentes (ut ei videbatur) in manibus gestabant : quorum unus unum quem tenebat oculum, alter alterum capiti suo adaptabant. Expergefacta mulier oculos se percepisse ac visum, gavisa est : quod autem hoc miraculum beato martyri Thomæ sanctoque Yvoni sit ascribendum, nulli venit in dubium.

26. Viri tres, morbo hydropico inflati, aqua Sancti hujus hausta, sedato tumore sanitatem reportarunt.

VITA SANCTÆ WEREBURGÆ VIRGINIS

REGIS MERCIORUM FILIÆ

AUCTORE GOSCELINO.

(Apud Bolland. Februarii tom. I, die 3, pag. 384, ex ms. Guilielmi Cambdeni.)

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. *S. Wereburgæ progenies regia. Vita conscripta. Tempus præfecturæ monasticæ.*

1. Prognata est S. Wereburga patre Wulfhero, Merciorum, Mediterraneorum Anglorum, et regnorum Australium rege Christianissimo, ejusque piissima conjuge S. Ermenilda regina, cui sacer est dies XXIII Febr. quo cum Actis ejusdem Ermenildæ conjungemus res præclare a Wulfhero marito gestas, unaque regni Merciorum in ejus proavo Crida, seu Creadda fundati, aliarumque annexarum dein regionum situm conditionesque nec non varios ex eadem Cridæ et Wulfheri familia succedentes reges : inquiremusque quomodo ab aliis S. Wereburga unica S. Ermenildæ proles habeatur; et tamen a nonnullis Ceonredus, seu Coenredus rex (quem inter et Wulfherum regnavit S. Ethelredus hujus frater) dicti Wulfheri filius prodatur. Sed vel maxime ibidem expungemus fabulosum parricidium, quo a viris etiam in antiquitate historica Anglo-Saxonum alias eruditis, creditur Wulfherus, aut acerrimus a regni exordio Christianorum hostis, aut fœdissimus a fide baptismoque ante suscepto ad idololatriam relapsus, apostata, proprios filios in odium Christianæ religionis sua ipse manu interemisse : docebimusque SS. Wulfhadum et Ruffinum, qui ob fidem Christi occisi martyres coluntur, non fuisse fratres S. Wereburgæ, a dictis Wulfhero et S. Ermenilda genitos. Reliquam S. Wereburgæ stirpem maternam e regibus Cantiorum, eisque conjunctam legitimis conjugiis familiam regiam et Anglorum orientalium, et Francorum transmarinorum infra ad Acta ipsa explicamus. In eisdem referuntur Weduna, natale S. Wereburgæ solum, ejusque miraculis illustre : Eliense monasterium, ubi vitam monasticam primo amplexa est : Tricingham, vulgo Trentham, alterum monasterium ejus morte clarum; ac tertium Hamburgense, ubi ejus corpus conditum, ac longo tempore divina virtute mansit incorruptum.

2. Acta S. Wereburgæ damus ex antiquissimo codice ms. ex Anglia a Guilielmo Cambdeno ad Rosweydum misso. Nomen auctoris non apponitur : is est, nostro judicio, Goscelinus ille, aut Gotzelinus qui, teste Malmesburiensi, l. IV De gestis regum Anglorum c. 1, « innumeras sanctorum Vitas stylo extulit, vel informiter editas comptius emendavit, post Bedam secundus in laudibus sanctorum Angliæ enarrandis. » Floruit is circa annum Chr. 1100, a S. Anselmo archiepiscopo Cantuariensi aliisque ob doctrinam ac pietatem singularem in Angliam evocatus e Belgio, ubi ante monachus S. Bertini apud Audomaropolim varias sanctorum Vitas illustrarat easque inter etiam stylo cultiore emendarat Vitam S. Amelbergæ virginis : quam penes nos ms. habemus, edituri ad 10 Julii, diem ejus natalem. Eam autem Vitam dum hic c. 6 suo stylo recusam agnoscit; et hujus se auctorem esse prodit. Utraque præterea Vita eadem ratione suis est capitibus prio- A priisque titulis distincta. Prætcrea quam ex Catologo scriptorum Britanniæ Molanus ad Usuardum VIII Julii, et hunc secutus Valerius Andreas in Bibliotheca Belgica observant a Goscelino scriptam esse Vitam S. Witeburgæ virginis, eam potius suspicamur S. Wereburgæ Virginis esse, cujus illa magna matertera fuit, seu S. Sexburgæ aviæ hujus soror : quæ, ut infra dicemus, cum S. Wereburga ob nominis similitudinem confunditur : quamvis, ut plurimorum SS. Vitam conscripsit Goscelinus, ita etiam utriusque et S. Witeburgæ et S. Wereburgæ Acta exarasse potuerit, cum Ramesiæ degeret non procul a monasterio Eliensi, ubi et S. Wereburga habitarat, et tum requiescebat corpus S. Witeburgæ, Derha ex comitatu Norfolciæ, ubi constructo cœnobio vitam monasticam sancte egerat, istuc translatum; appositumque reliquiis sacris duarum sororum S. Etheldredæ et Sexburgæ, hujusque filiæ S. Ermenildæ. Ut denique S. Anselmus Hugoni co- B miti, de quo infra, auctor fuit ut ecclesia monasteriumque Cestrense S. Wereburgæ daretur monachis; ita Goscelinum, ut hanc S. Wereburgæ Vitam conscriberet, facile potuit inducere. Compendium hujus Vitæ habent Joannes Capgravius in Legenda sanctorum Angliæ et codex ms. cœnobii Rubeæ Vallis prope Bruxellas, ipsis verbis Goscelini retentis, ut vel hinc colligere liceat, alia ejusdem Capgravii compendia sæpe ex eodem Goscelino desumpta esse : quod observamus ad Vitam S. Ermenildæ matris, et S. Laurentii archiepiscopi Dorovernensis II Februarii, ubi plura de Goscelino damus.

3. Partim ex eadem Vita, partim aliunde hæc leguntur in Eliensi Historia ms. « Werburga filia S. Ermenildæ, post mortem patris sui, intravit monasterium S. Etheldredæ apud Ely, sicut legitur in Vita sua, priusquam mater sua idem monasterium intravit : cujus sanctitatem cum rex Ethelredus patruus suus comperisset, eam inde cepit, et principatum monasteriorum sanctimonialiumque in regno C suo ei tradidit. Sponsa igitur Domini Werburga, cum quibusdam Ecclesiis præesset, post dilectæ genitricis suæ obitum, jure prælationis etiam monasterium Elgæ suscepit. Cum ergo omnium familiæ et monasteriis sibi creditis, præ nimia charitate ardens, optaret adesse, et econtra nulli tolerabile videretur sua dulci præsentia carere, elegit cum divina præscientia Hehamburgæ monasterio corpore requiescere. Quamobrem præcepit Hehamburgensi familiæ, ut, ubicunque migraret ex hac luce, ipsi incunctanter venirent, corpusque ejus ad monasterium suum portarent... Legitur in Anglico, quod Sexburga in ecclesia de Scepeia, quam construxit, a Theodoro archiepiscopo velamen sanctitatis accepit, atque ibidem filia sua Ermenilda sub ea normam religionis, spreto regni culmine, postea sumpsit : quæ, dum iter apud Ely paravisset, filiam suam Werburgam pro se in monasterio abbatissam, sicut diu optaverat, constituit. » Est autem Shepeia in-

sula Cantu orientalis, in qua ob monasterium sanctimonialium tunc exstructum, vicus etiamnum *Minster* appellatur.

4. De tempore quo aut reliquis monasteriis præposita fuerit, aut ex hac vita mortali ad præmium laborum suorum abierit, nihil uspiam traditum est. Monasterium Eliense cœpit ædificare S. Etheldreda an. 673, vita et regno functus est Wulfherus rex an. 675, a cujus obitu sub S. Etheldreda, an. 679 mortua, sacræ religionis habitum sumpsit apud Elienses, quibus secunda abbatissa tum data est S. Sexburga : quæ Malmesburiensi l. IV De pontificibus Anglorum, dicitur sub religione et nomine abbatissæ consenuisse. Sed tum prorsus vetula, cujus ex filia neptis S. Wereburga jam pridem vivo patre Wulfhero nubilis sollicitantes ad matrimonium procos repudiarat. Hinc Edovardus Maiheu in suo indice chronologico ad Trophæa Anglicana ordinis Benedictini hæc habet an. 680. « Eodem tempore claruit S. Sexburga regina et abbatissa. Item S. Ermenilda ejus filia regina, deinde abbatissa; » quasi non diu superfuerit S. Sexburga, eique tertia apud Elienses successerit S. Ermenilda : quod nobis magis probatur, quam quod legimus apud Wionem in notationibus ad 13 Feb. S. Ermenildam factam abbatissam anno Christi 703, quando eam, aut etiam citius, e vivis excessisse credimus. Quo autem tempore illa ad Elienses migravit, S. Wereburgam filiam præfecisse Shepeiano in Cantio monasterio dicenda esset si Anglicano monumento ab Eliensibus citato fidendum est. Inde esset tum a patruo suo S. Ethelredo Rege evocata, et monasterii sanctimonialium regni sui jure abbatissæ (ut explicat Wigorniensis ad annum 676) præfecta : et simul a morte S. Ermenildæ matris Eliensis quarta abbatissa facta. Ab eadem S. Wereburga Wedunam, Wulfhera patris sui regiam sedem, in monasterium conversam esse tradunt post Ranulphum Cestrensem Cambdenus in Coritanis agens de comitatu Northamptoniæ, Harsfeldius sæculo 7, c. 23, et Edovardus Maiheu in suo de S. Wereburgæ Vita tractatu. S. Ethelredus relicto regno monachus factus est an. Christi 704. quo tempore S. Wereburga adhuc supererat : ad quam vero senectutem pervenerit, quove anno decesserit, nusquam legimus. Aliqui S. Ermenildam matrem scribunt ad annum 710 supervixisse, quod nos de filia ejus dicere mallemus : si tamen diutius non superfuerit.

§ II. *S. Wereburgæ reliquiæ Cestriam translatæ, ejus publica veneratio.*

5. Duplex apud Britannos Urbs-Legionum, vulgo *Caerlegion*, seu *Caerlion*, dicta ab hibernis vel stativis legionum. Altera in Britannia II apud Silures, *Isca* priscis, tum *Legio* II a Ranulfo Cestrensi l. I. Polychronici, c. 48, Demetiæ, seu Suthwalliæ ascripta; in eaque illius parte ad fluvium Oscam sita, quæ comitatu Monemuthensi circumscribitur. Sedem olim archiepiscopalem sub primis Britonibus Christianis habuit, inde Landavam ac postea Meneutam, quam *S. Davidis urbem* dicimus, translatam. Hujus Urbis-Legionum cives fuisse SS. Aaronem et Julium in Diocletiani persecutione martyrii palma coronatos tradit libro de excidio Britanniæ Gildas Britannicorum scriptorum antiquissimus. Utrique istic a Britonibus ecclesiam erectam esse docent Giraldus Cambrensis l. I Itinerarii Cambriæ, c. 5, et Galfridus Monemuthensis l. IX Hist. Britan., c. 12, de quibus agemus ad Kal. Julias. Altera non minus clara permansit Urbs-Legionum, Britannis *Caer-Legion*, *Caer-Leon-Vaur*, Saxonibus *Lege-ceſter*, vulgo Anglis *Chester*, et a situ *Vestchester*, Latine *Cestra* et *Cestria*, comitatui adjuncto nomen dedit : Romanis creditur *Deva*, *Deunana*, vel Divana dicta, a Cornaviis exculta, et provinciæ Flaviæ Cæsariensi ascripta : Ranulpho, qui hic suam Historiam elaboravit, « tempore Britonum caput et Metropolis Venedotiæ et Nortwalliæ habetur, postea in confinio Anglorum ad conspectum Cambriæ : inter duo marina brachia, sive duo flumina Dee et Mosee sita. » Creditur sub initium sæculi septimi adhuc a Britonibus detenta, ejusque episcopus cum aliis Britonibus interfuisse colloquio cum S. Augustino Dorovernensium archiepiscopo in finibus Wicciorum et Saxonum occidentalium instituto, de quo agit Beda l. II, c. 2, et de episcopis Britonibus varia disputat Usserius de Britannicarum Ecclesiarum primordiis c. 5. Ranulphus Cestrensis l. V. Polychronici c. 18, tradit « T. Wereburgam Hamburgæ sepultam usque ad adventum Danorum jacuisse. Tum hiemantibus Danis apud Rypemdon, fugatoque Rege Merciorum Burdredo (quod factum esse anno 884 legimus in Chronologia Saxonica), Hamburgenses cives sibi timentes, cum feretro corpus Virginis continente, tunc in pulverem resolutæ, ad Legecestriam, quæ nunc Cestria dicitur, tanquam ad locum tutissimum contra stragem barbaricam confugerunt. »

6. Volunt interim Cambdenus et Spedus, ubi de Cestria agunt, hanc a Danis misere deformatam esse, sed præclare restauratam ab Ægelfleda Merciorum domina, sorore Eduardi senioris regis, qui Anglis imperavit ab an. 901 ad 925, sub quo Ægelfleda cum Etheredo marito usque ad annum 912, et vidua septem dein annis Mercios rexit. Successit huic Eduardos Æthelstanus, a cujus tempore in urbe Cestria, secundum Ranulphum, « usque ad adventum Normannorum, canonici sæculares, collatis vicissim possessionibus, ad virginis laudes militarunt; at secundum Malmesburiensem l. IV. De pontificibus Anglorum, ex antiquo sanctimonialium monasterium fuit, inter quas S. Werburgam cœlibatum professam plurimo temporum curriculo bonis emicuisse virtutibus, » male adjungit. Anno Chr. 973 Cestria Eadgarum regem pompa magnifica triumphantem vidit; quando Regibus Kynatho Scotorum, Malcolmo Cumbrorum, et Macco plurimarum insularum, et subregulis Walliæ quinque ad remos locatis, ipse clavo gubernaculi arrepto, a palatio ad monasterium S. Joannis navigavit; factaque oratione ad palatium remeavit, ut pluribus narrant Wigorniensis aliique. Successit Eadgaro filius S. Eduardus, dein martyr, et post alios alter S. Eduardus confessor; de priore agemus 18 Martii, posteriorem celebravimus 5. Jan., ubi c. 7 Vitæ ejus, « comes Leofricus vidit Christum in ara consistentem, dextera super regem extenta signum sanctæ crucis eum benedicendo depinxisse. Hic comes Leofricus, et uxor nobilis comitissa Godiva, Dei cultrix, et S. Mariæ semper virginis amatrix devota, monasterium Conventri a fundamentis construxerunt : Leonense etiam et Winlaconense cœnobium, S. Joannis Baptistæ ac S. Werburgæ virginis monasteria in Leogecestra sita, et ecclesiam S. Mariæ de Stowe pretiosis ditaverunt ornamentis. Wigornense quoque monasterium terris, et Eoveshamnense ædificiis, ornamentis variis, terrisque locupletaverunt. Decessit Leofricus in bona senectute II. Kal. Sept. anno 1057, » ut ad eum annum referunt Wigorniensis, Hovedenus, Westmonateriensis, Cestrensis, aliique. Cambdenus addit « a Leofrico ecclesiam Cestriæ in honorem S. Werburgæ positam esse. » Sub Guilielmo conquæstore Petrus episcopus sedem suam Lichfeidia Cestriam, ut observat Malmesburiensis, transtulit; dein, teste Wigorniensi, an. 1102 Coventriam relatam. Sunt autem Lichfeldia et Coventria urbes comitatus Staffordiensis : a quibus omnibus sedibus sæpe posteriores episcopi appellationem sumunt. Hic Guilielmus I rex Hugonem Lupum hæreditarium palatinum, Cestriæ comitem creavit, cui ex hæredibus sex Comites ordine successerunt. Hic ille est Hugo, per quem « loco sanctimonialium monasterium Cestrense S. Wereburgæ monachis repletum fuisse »

tradit Malmesburiensis de Pontif. Angl., lib. IV, quos tamen « monachos regulares mavult Cestrensis successisse canonicis sæcularibus, quos pauculos ejectos fœdo et paupere victu vitam transigentes » scribit etiam Malmesburiensis lib. II. De Gestis regum Angl., c. 13, ut hi tum soli fuerint, aut sanctimonialibus additi ad divinum officium decentius celebrandum. Cambdenus addit « ab Hugone comite ecclesiam S. Wereburgæ restauratam esse, monachisque auctore S. Anselmo concessam » : quod factum esse anno 1092 sub rege Guilielmo Ruso passim omnes scribunt cum Annalibus Stoi et Martyrologio Anglicano primæ editionis. In cujus posteriore editione tum primo ex Hamburgensi ecclesia traduntur solemni pompa translata Cestriam ossa S. Werburgæ, exstructaque ab Hugone ecclesia illi dicata cum monasterio, sede nunc Cathedrali honorata : postquam sacræ reliquiæ apud Hamburgenses trecentos circiter annos requievissent, quos etiam Cestrensis annotarat : quamvis « fugato rege Merciorum Burdredo, » ergo ann. 884, ut supra demonstravimus, describat corpus ejus Cestriam translatum, ut errore quodam amanuensium 300 anni loco 170 videantur intrusi ; imo uti sub Guilielmo II ea translatio dicitur facta, ita octoginta circiter anni ultra assignatos trecentos fuissent elapsi : et si eidem Martyrologio credamus, in quo sub annum 676 traditur obiisse, erunt anni ab ejus obitu plures quadringentis.

7. Sub finem Historiæ ms. monasterii Petroburgensis observatur, « S. Werburgam in Leggecestre requiescere. » Referunt eamdem hoc 3 Febr. præter Martyrologium Anglicanum, Carthusiani Colonienses in Auctario Usuardi his verbis : « Item Wereburgæ virginis. » Ferrarius in Catalogo generali : « In Anglia S. Wetereburgæ virginis » ; quam in notis *Wereburgam* vocat. Menardus in Martyrologio Benedictino : « In cœnobio Cestrensi, S. Werburgæ virginis et abbatissæ, filiæ Vulferi regis Merciorum. » Edowardus Maiheu in Trophæis Benedictinorum Anglorum ; « Tricinghamiæ, vulgo Trentam, in comitatu Staffordiæ S. Wereburgæ virginis et abbatissæ, splendore generis et sanctitate vitæ clarissimæ » ; ejusque Gesta ex variis recenset. Ejusdem Vitæ compendium refert hoc die Hieronymus Porterus in Floribus sanctorum Angliæ, in quibus etiam vita functa dicitur « circa annum Domini 676, » quo vitam monasticam, patre Wulfhero anno præcedente mortuo, forte auspicata. Arnoldus Wion eamdem cum S. Witeburga, magna matertera, confundit et celebrat 8 Julii. « In Anglia, inquit, S. Witeburgæ virginis, Wulferi regis Merciorum filiæ et sanctimonialis Eliensis, sanctitate et miraculis claræ, » additque in notis alias dici *Wereburgam* et *Vereburgam*, atque « ab Ermenilda matre regina oblatam fuisse Deo in cœnobio Eliensi circa annum Domini 670. » Florarium ms. 19 Februarii hæc habet : « In Anglia S. Wicburgæ virginis » : ut dubitari possit de S. Witburga an vero Werburga auctor agat. An non etiam S. Wereburga cum S. Walburga virgine et abbatissa ab aliquibus confusa occasionem dederit, ut hæc filia regis crederetur, et pater ejus S. Richardus Angliæ rex haberetur, inquiremus 7. Febr. ad S. Richardi Vitam, et 25 Febr. die S. Walburgæ natali.

8. Agunt denique de S. Wereburga Florentius Wigorniensis ad annum 675 et Westmonasteriensis ad 676 quibus dicitur « magnarum virgo virtutum, multa Deo cooperante miracula patrasse, quibusdam virginum Deo devotarum monasteriis præfecta, cum iis regulariter vivens, illisque in omnibus pie consulens, ad vitæ finem vero regi Christo militasse ; sicque e sæculo migrans ad complexum et nuptias sponsi cœlestis intrasse. » Apud Malmesburiensem l. II De gestis regum Anglorum, c. 13, « S. Ermenildæ apud Hely, et præcipue filiæ Wereburgæ apud civitatem Legionem laudantur merita, extolluntur miracula, cumque omnibus petitionibus sint incunctanter favorabiles, maxime orationes feminarum et puerorum vicino et contiguo auxilii pede attingunt. » Quæ fere eadem leguntur apud Vincentium Bellovacensem l. XXV Speculi historialis, c. 32, et Petrum de Natalibus in Catalogo, l. II, c. 67. Earum virtutum illustres præcones etiam sunt Polydorus Virgilius lib. IV Historiæ Anglicanæ, Harpsfeldius sæculo VII, c. 23. Andreas du Chesne l. VI. Historiæ Anglicanæ, et passim alii.

9. Vita sequens in codice ms. his capitibus distinguebatur quæ hic præposuisse sufficit, facta more nostro nova divisione.

Cap. I. Genealogia S. Wereburgæ.
II. Conversatio in Elio monasterio
III. Conversatio matris suæ in eodem monasterio.
IV. Præponitur monasteriis sanctimonialium Werburga a patruo suo rege Æthelredo. Idem rex hujus sanctitatis exemplo fit perbeatissimus monachus.
V. Werburga ut mater pia, ita fit omnium ministra pro magistra.
VI. Volatilium agmina præcepto captivat et relaxat.
VII. Humilitas ejus. Carnificem retorta in tergum integrum cervice increpat, et supplicem reformat.
VIII. Transitus ipsius 3 Nonas Februarii
IX. Corpus ejus Triecengehamenses custodientes obdormiunt : et Hamburgenses divinitus reseratis foribus auferunt.
X. Post novem annos elevata, inventa est toto corpore et vestibus ut vivens vernantissima.

INCIPIT VITA.

CAPUT PRIMUM.

Illustris ex quatuor regiis familiis progenies S. Wereburgæ.

1. Filia regum, et sponsa Christi decentissima, virgo Werburga in Cestria civitate requiescit, meritorum signis gloriosa. Clara est in tota Anglia, et pura sanctitate, et regia dignitate, et virtutum attestatione, atque Anglicarum historiarum celebritate. A primis Anglorum regibus sublimiter splendescit ; a rege vero Doroberniæ, quod est Cantuariæ, potentissimo (100) Æthelbrichto, qui primus Anglorum regum per protodoctorem suum (101) Augustinum Christo sacrari meruit, imo a quatuor regnis altum et sanctum genus tradit : quod hic sequenti ordine exponi dulce videtur : quo Dei gemma charius appretietur, et quasi de præviis sideribus hæc ma-

(100) S. Ethelbertus rex abavus vita functus anno 616, colitur 24. Februar., quo die de ejus majoribus agemus.

(101) S. Augustinus colitur 26 Maii, ejus socius et in archiepiscopatu successor S. Laurentius 2 Februar.

tutina stella clarius spectetur. Æthelbrichtus igitur ex (102) Berta regina filia regis Francorum (103) Eadbaldum cum Æthelburga filia procreavit, quem suæ pietatis et regni optimum hæredem reliquit (104). Æthelburga vero regina post proprii regis Nordanhumbrorum (105) Æduini interfectionem, reversa ad fratrem Æadbaldum in villa (106) Limminga monasterium ædificavit, in quo cum (107) S. Æadburga requiescit; Eadbaldus quoque ex alterius (108) regis Francorum filia Emma (109) Eormredum atque (110) Ergombertum principes sanctamque virginem (111) Answytham, quæ apud (112) Folcanstam deposita veneratur, propagavit. Eormredo autem ex inclyta conjuge Oslava nati sunt (113) Æthelredus, atque Æthelbrichtus, quos innocenter jugulatos, splendida lucis (114) columna de cœlo prodidit Christi martyres : quatuor quoque sibi filiæ sanctæ (115) Domneva, Ærmenberga, Ærmenburga, et Ærmengida, velut paradisiaci fontis quadrifida emicuere flumina. Fratri vero ejus Ærgomberto regi (116) Annæ regis filia (117) Sæxburga, soror perpetuæ virginis (118) Æthelдrethæ, regaliter conjuncta peperit (119) Ægbrichtum ac (120) Lotharium reges cœloque dignas (121) Eormhildam atque (122) Eorkengodam reginas. Eormhilda (123) Wlfero regi Marciorum (124), Pendæ regis filio, tradita, splendidissimam Werburgam, cui hæc parentalis purpura infloratur, generavit.

2. Beatissima vero matertera ejus virgo Eorkengoda amore sacræ religionis peregrinata trans mare requiescit, ubi se a Domino susceptam tamquam advenam suam multis virtutibus ostendit. At beata et regia (125) Domneva regio Wlferi germano Merwale conjugata, ad summæ Trinitatis gratiam triplicem virginitatis protulit lauream, sanctissimas scilicet sorores (126) Mildburgam, Mildrydam, et

(102) Berta, S. Gregorio Adilberga, filia Chariberti regis Parisiorum, qui S. Wereburgæ atavus obiit anno 570. Chlotharius I tritavus 562, Chlodoveus I, tritavi pater, 509.

(103) Eadbaldus proavus regnavit ab anno 616 ad 640, qui, teste Beda l. II, c. 6, « anathematizato omni idololatriæ cultu, » in quem ab obitu patris relapsus fuerat, « et abdicato connubio non legitimo, » quod cum noverca contraxerat, « suscepit fidem Christi, et baptizatus, Ecclesiæ rebus, quantum valuit, in omnibus consulere ac favere curavit. » De obitu ejus agit Beda l. III, c. 8.

(104) Colitur S. Ethelburga 8 Septemb. Bedæ l. II, cap. 9. « Edelburga, alio nomine *Tate*; suo matrimonio occasio fuit fidei percipiendæ genti Northanhymbrorum. » Quam illi epistolam misit Bonifacius V papa, refert Beda c. II.

(105) S. Edwinus, primus rex Christianus Northumbrorum, regnavit annis 17, occisus an. 633, 12 Octobris. De eo agit Beda a. c. 9, paucis interpositis, ad c. 20.

(106) « Rex Eadbaldus sorori suæ Ethelburgæ dedit villam Limming, in qua ipsa monasterium construxit, et a B. Honorio Archiepisc. Cantuariensi velamine consecrata, mater plurimarum Virginum et viduarum fuit. » Ita Capgravius in Vita S. Honorii. Est autem *Lyming* Cambdeno in districtu seu latha Shepwayensi, prope oppidum Elham, non procul a mari, et portu Dubrensi.

(107) Eadburga, sive *Edburga*. Capgravio in propria Vita dicitur *filia S. Ethelberti*, ut hic legendum sit *cum sorore Æadburga requiescit* : quod huic auctori magis congruit. Sed ea Edburga Capgravio cum altera juniore confunditur, quæ in insula Taneto vixit abbatissa monasterii S. Mildredæ, cujus corpus ea transtulit in novam ecclesiam, dedicatam a Cuthberto archiepiscopo, quem « Nothelmo XVI. Kalend. Novemb. anno 741 defuncto » successisse scribit Wigorniensis post Chronologiam Saxonicam.

(108) Quis fuerit hic rex, nusquam legimus. Emma nubente regnabat monarcha Francorum Chlotharius II, cujus fuerit aut filia, aut soror : aut cognata a regibus Austrasiorum aut Burgundionum orta.

(109) Aliis *Ercomredus* et *Ermenredus*, in Historia Petroburgensi ms. *sanctus* dicitur.

(110) Ercompertus, avus S. Werburgæ, regnavit ab anno 640 ad 664. Hic, teste Beda l. III, c. 8, idola destrui in toto regno præcepit, et jejunium quadragesimale observari.

(111) S. Eanswida, sive *Enswida* colitur 12 Septemb.

(112) « Folkstonium, inquit Cambdenus in Cantio, Anglo-Saxonibus religionis nomine celebre fuit, a monasterio, quod Eanswida Eadbaldi regis Cantii filia virginibus consecravit; nunc viculus est, ejusque partem maximam abrasit Oceanus, » cui adjacet prope Dubrim versus occidentem.

(113) Coluntur hi fratres Ethelredus et Ethelbrictus 17 Octobris, quo die ad monasterium Ramseiæ translati sunt sub rege Ethelredo.

(114) « Radius prolixæ immensæque lucis instar flagrantis facis per summum aulæ regiæ culmen, » ubi sepulti nocte ipsa erant, « usque ad cœlum protendere regi visus est. » *Vita ms.*

(115) In eadem Vita dicuntur *Dompnena*, *Ermenburga*, *Etheldritha et Ermengitha* : ex his Ermenburga colitur 19 Novembris.

(116) Anna alter proavus, rex Anglorum orientalium, occisus an. 654. Ex decessoribus regibus fuit S. Sigebertus martyr patruelis ejus, cui sacer est 17 Septemb. Ipse Anna Bedæ lib. IV c. 29, « vir bene religiosus, ac per omnia mente et opere egregius, » in Eliensi Historia ms. etiam *sanctus* appellatur.

(117) S. Sexburga avia materna colitur 6 Julii : hujus etiam sorores S. Withburga et Ethelbuga, 8 et 7 Julii.

(118) S. Ethildritha, Etheldreda, sive *Etheldrudis*, primo Tondberto principi, tum Egfrido Nordhumbrorum postea regi annis 12 nupta, virginitatem servavit. Agit de ea Beda l. IV, c. 19 et 20. Colitur 23 Junii. Incœpit regnare Egfridus anno 670.

(119) Egbertus avunculus regnavit in Cantio ab anno 664 ad 673.

(120) Lotharius, alter avunculus, post fratrem regnavit ad annum 685.

(121) S. Ermenilda mater colitur 13 Februar.

(122) Earcougota, sive *Erkengotha*, sub matertera S. Ethelburga abbatissa vixit in monasterio S. Faræ diœcesis Meldensis, non procul ab urbe Parisiorum : coluntur S. Earcongota 25 Febr. et S. Ethelburga 7 Julii. Agit de iis Beda l. III, c. 8.

(123) Wulferus pater regnavit ab anno 657.

(124) Regnavit Penda avus paternus ab anno 626 ad 655, cui tum Peada alter filius, huic Wulferus successit.

(125) Convenit Vita S. Milburgæ apud Capgravium, et Vita ms. fratrum S. Ethelredi et Ethelbrecti. Contra, S. Ermenburgam Merwalæ, seu Mervaldo, nuptam scribunt Malmesburiensis lib. I. De reg. Angl., c. 4, Wigorniensis ad annum 675, Westmonasteriensis ad annum 676.

(126) Coluntur S. Milburga 23 Februarii, S. Mildreda, seu *Milthrida* 13 Julii, De S. Milwida egimus

Mildgydam, quæ distinctis monasteriorum suorum lapidibus irradiant patriam. Natus est ei et Merevin filius, qui ad sanctos innocentes a baptismate raptus est parvulus. Almifluæ quoque Werburgæ generositatem ac sanctimoniam proxime exornant sanctissimæ amitæ suæ Pendæ regis filiæ (127), Kyneburga, et Kynewida, quæ cum propinqua sua beatissima Tibba (128) Burgensem superni janitoris Petri illustrant ecclesiam. Suus vero genitor prænominatus ac patrui reges, id est, Peada (129) Ædelredus, ac prædictus Merwala prædictarum sororum fratres, Christianæ institutionis non solum cultores, verum etiam primi atque intensissimi fuere propagatores : et sicut Ædelbrictus Doroberniæ, ita Wlferus in Merciis Christianitatem primus dilatavit. Sic itaque, ut præmisimus ex quatuor regnis et antiquis regibus rosa Christi Werburga florescit. A principe susceptæ fidei Ædelbrichto Cantuariorum, a Berta vel Emma Francorum, ab Anna rege, et avia Sexburga Orientalium Anglorum, a patre vero luculentissima facta Merciorum. Hæc vero ad gloriam prædicandæ virginis prætitulantur, ut de radice sancta ramum sanctum deceat sanctitudo; imo de contempta regni excellentia major ascribatur claritudo. Restat nunc, ut explicemus sanctam ipsius conversationem, et probabilem in Domino finem.

CAPUT II.

Conversatio S. Wereburgæ in Eliensi monasterio : præfectura variorum monasteriorum.

3. A tenero ergo ævi flore, cum formæ pulchritudo insigniter responderet generositati suæ, cœpit speciosa facie cum speciosissima mente ad illum qui speciosus est forma præ filiis hominum (130) contendere: cujus ut inæstimabilem dulcedinem prægustare potuit, protinus in ejus amorem anhelo pectore exarsit, et, ut cervus ad fontes aquarum, virginalis anima ejus in ipso sitivit : adeo dulcis et suavis Spiritus Domini a Patre dilectionis procedens illam attraxit, cœlestes concupiscentias in ejus corde accendit, terrenas exstinxit. Illa amore perpetuæ virginitatis ad sponsum æternæ integritatis convolavit, procos et amatores regificos angelica pudicitia repulit, imo Christus electam sibi inhabitans omnibus appetitoribus eripuit. Sanctissima parens non cessabat assiduis monitis irrigare hortum Domini, et plantare in ea immarcescibilia germina paradisi, et accendere lampadem ejus oleo et flamma charitatis inextinguibili. Ad illam enim vitam flagrantissimam prolem exercebat, quam ipsa adhuc sub jugo maritali gemitibus inenarrabilibus suspirabat. Verum altissima Dei providentia benigne dispensans omnia, matrem eam in regno statuit omnium inopum, omnium necessitudinum refugium, simul etiam ut piis visceribus pignus Deo gigneret acceptissimum, et ampliorem coronam dilatorum tandem reciperet desideriorum. Viluerant divitiæ tam matri quam filiæ : palatium habebant pro monasterio : aurum, gemmæ, vestes auro textæ, et quidquid fert pompatica mundi jactantia, onerosa sibi magis erant quam gloriosa; et, si forte his uti ad tempus regia compelleret dignitas, dolebant se potius vanitati subjectas tanquam captivitas.

4. At vero virginalis B. Werburgæ libertas, mox ut valuit, hæc vincula exuit, et ad (131) Eligense monasterium cum officio sublimium parentum hostia Dei commigravit : ubi primum beata, et intemerata matertera sua (132) Ætheldreda, ac deinde soror ejusdem virginis, sua, ut prædictum est, avia, principabatur Sexburga. Illico abjicitur cultus terreni nitoris, induitur habitus sacræ religionis, vestis pulla pro ornamento gloriæ, velum capitis humile pro regni assumitur diademate. Ita præclara virgo certabat fastum mundi calcare; mente et conversatione, velut hic peregrina, ad supernam patriam tendere ; tota animi submissione humillimam Christi exhibere ancillam, quam ipse exaltare dignaretur in sponsam. Omnes monasterii famulatus anticipabat : omnibus se inferiorem exhibebat : erga omnium necessitates vulneratæ charitatis viscera impendebat.

5. Jam Deo amabilis pater ejus Wlferus, multarum ecclesiarum ædificator, Christianiæ fidei summus amator ac dilatator, quippe qui etiam subjectos reges (133); datis provinciis in mercedem, ad Christi cultum attraxit, septimo decimo imperii sui anno (134) de temporali regno ad perenne trans ivit. Tunc beatissima regina Eormenilda post pios fletus triumphans se solutam a mundiali catena, diu desideratam conversationem arripuit, et cum beata filia in Eliensi monasterio jugum Domini suave subiit. Hic deinceps tanta virtutum flagrantia in omni sanctitate et religione vixit infatigabilis, ut et virginibus exemplum esset castitatis ac totius virtutis. Contendebant alterutra pietate mater et filia, quæ humilior, quæ possit esse subjectior : mater sibi præferebat ejus, quam genuerat, virginitatem ; virgo matris auctoritatem : utrimque et vincere et

17 Januar. ubi multa de Merevino puero dicta sunt, de regno Mervaldi agemus 23 Februarii.

(127) S. Kineburga et Kineswida, aliis *Chineburga* et *Chineswida*, coluntur 6 Martii. In Vita S. Tibba conjungitur et 13 Decembris obiisse traditur.

(128) Corpora harum anno 1005 dicuntur translata « ad monasterium de Burgo S. Petri, » vulgo *Petroburgum*, exstructum a Wulfero, et fratribus et hisce sororibus. De eo agimus ad Vitam S. Ermenildæ.

(129) S. Ethelredus colitur 4 Maii. In Appendice Wigorniensis alius frater adjungitur Mercelmus, ubi etiam Merewaldus, hic Merwala, sanctus habetur.

(130) Capgrav. et ms. Rub. val. *conscendere*.

(131) *Elige* Bedæ l. IV, cap. 19; aliis *Elie* et *Ely*, olim monasterium, nunc oppidum in insula cognomine *ab anguillis* juxta Bedam appellata, ad fluv. Grantum in comitatu Cantabrigiæ apud orientales Anglos.

(132) Exstruxit illud monasterium an. 673, obiit an. 679.

(133) Hæc plene illustramus 13 Febr.

(134) Anno 675.

vinci gaudebant. Nunc autem in eodem cœnobio ad salutiferam ipsius benignissimæ parentis tumbam conspicue elucescit, quibus clementiæ visceribus se in cunctos diffuderit, dum corporaliter vixit; adeo ut experti ipsius beneficia audeant fideliter asserere quod nullus credulus petitor frustretur ejus ope.

6. Igitur patruus almæ Werburgæ rex Æthelredus, qui fratri Wlfero successerat, cum sancta mente totius sanctitatis esset benignissimus, videns in beata nepte divinam prudentiam ac sanctimoniam altius resplendere, qui nimirum virtutem poterat ultra germanitatem diligere, tradidit ei monasteriorum sanctimonialium, quæ in suo regno pollebant, principatum. Pulchre sane superna id actum est providentia, ut sacræ institutionis, cujus perfecta erat discipula, in salutem multorum decentissima foret magistra.

7. Rex vero magis ac magis cœpit imperii tædere, dum se reputaret inter sæcularia negotia quasi animal accline terræ, illam vero columbinis pennis meritorum ad cœlum volitare. Et quid plura? Non quievit æstus spiritus sui, donec (135) vigesimo nono regni sui anno in (136) Bardeniensi cœnobio de rege efficeretur monachus, qui idem jam favore superno probatur meritis venerandus.

8. Dilectissima autem Deo Werburga, erga subjectos ita erat magistra, ut potius videretur ministra : æquabat, vel magis subjiciebat se infimis; malens, si liceret, locum extremitatis quam prælationis. Portabat omnes quasi viscera sua, fovebat ac si uterina pignora, erudiebat exemplo attentius quam imperio. Totam possederat dilectio, et benignitas, pax et hilaritas. Ad indigentes promptissima illi largitas : ad afflictos compatientissima erat pietas : adversa ridebat patientia, vincebat fiducia, calcabat cœlesti lætitia : ad usum vero divinæ sapientiæ accipiebat prospera, abstinentiam pro deliciis, vigilias pro (137) somno, labore pro voluptate, lectiones et orationes sacras pro epulis habebat : corpore in terris, animo conversabatur in cœlis.

CAPUT III.

Obedientia anserum silvestrium : inobedientia villici punita.

9. Sed jam forsitan lectorem lassamus, dum miracula suspendimus. Majora miraculis sunt merita, quibus ipsa sunt miracula : quia possunt esse perfecta merita absque signis, signa vero nihil sunt absque meritis. At vero multis mirabilibus effulsisse probatur dignissima virgo, et in Eliensi cœnobio, et quocunque degebat loco. In (138) Weduna autem regio patrimonio suo, quod est in Hamtuna provincia, jucundum et celeberrimum a generatione in generationem hoc ejus miraculum asseritur ab ipsa plebe tota.

10. Cum in ipsius Wedunæ mansione moraretur regia virgo, agros ejus in solito infinita aucarum (139) indomitarum, quas gantas vocant, depopulabatur multitudo. Nuntiat domesticus ruricola hoc damnum dominæ suæ. Tunc illa magnanimi fide præcepit illi ut omnes adduceret, et includeret, more scilicet animalium, qui depascunt alienas segetes. Vade, inquit, et omnes has volucres introduc huc. Itabat ille altius obstupescens, an garriret, an deliraret hæc jussio. Quomodo enim suspectus advena tot volatilia ire gressibus in vincula cogeret, quibus per cœlum evadere liceret? Quomodo, inquit, ad primum accessum meum in æthera fugientes huc convertam? Tunc virgo propositum urgens : Vade, ait, quantocius, et ex nostro jussu omnes adduc in custodiam nostram. Ille timens vel supervacuum dictum divæ præceptricis negligere, post omnes vadit, dicensque illis : Ite, ite ad dominam nostram ; omnes ante se, ac si captiva pecora, agit. Nulla avis de tanto cœtu pennam levavit, sed quasi implumes pulli vel alis excisæ pedetentim se permovebant, pedestri incessu submissis collis velut pro confusione reatus sui adventabant : sic intra curiam judicis suæ trepidæ et suppressæ quasi damnatæ se collegere, ibique (140) retruduntur captivæ, vel magis servantur indulgentiæ.

11. Noctem illam filia lucis, uti consueverat, in hymnis cœlestibus ac precibus perpetua : mane omnes advenæ elatis vocibus concrepant ad dominam, quasi veniam et emigrandi poscentes licentiam. At illa, ut erat erga omnem Dei creaturam benignissima, absolutas jubet dimitti, interminans ne ultra auderent in hunc locum regredi. Unam autem ex eis quidam ministrorum exiens furto abstulerat, et occuluerat : cumque omnes elatis pennis in æra se sustulissent, seseque circumspiciendo requisissent, damnum contubernii sui una absente (141) percensent. Extemplo universus exercitus supra domum virginis (142) glomeratur, ingentu strepitu injuriam collegii sui conqueritur : cœlum undique diffusis copiis obtegitur, ut quasi hac voce humana judicium miseratricis suæ implorare viderentur : Quare, domina, cum omnes nos relaxaverit tua clementia, una ex nobis tenetur captiva? Et potest hæc iniquitas latere in domo sancta tua, et fœda rapacitas valere sub tua innocentia? Egressa ergo divina virgo ad murmur tantæ plebis,

(135) Anno 704 cœperat regnare a morte Wulferi an. 675.

(136) *Bardena*, *Beardena*, *Peartaneau*, vulgo *Bardney*, in comitatu Lincolniæ, nec procul ab urbe ad sinistram ripam Withamæ.

(137) Ms. Cambdeni *solemniis*.

(138) *Weduna*, in Itinerario Antonini, ut censet Cambdenus, *Banavenna*, vulgo *Wedon*, ad Ausonam fluv. qui inde Northametoniam defluit, caput provinciæ quæ hic Hamtuna dicitur.

(139) Capgr. et ms. Rub. val. silvestrium aucarum, id est anserum.

(140) Ibid., *recluduntur*.

(141) Ibid., *perpendunt*.

(142) Ibid., *congregatur*.

et querimoniam, intellexit causam, acsi præfatis verbis auditam; protinus perscrutatum (143) furtum reus ipse publicat, receptamque volucrem suæ genti pia conciliatrix associat, et abire simul prædicta conditione mandat. Quibus nimirum sic gestiebat, dicebat benigno animo : Benedicite, volucres cœli, Domino. Nec mora ; omnis illa concio ita avolavit, ut nulla hujus generis avicula in ipsa terra almæ Werburgæ, ut famose memoratur, ultra reperta sit. Bene ergo illi pecualis creatura parebat, quæ omnium Creatori tota devotione jugiter obtemperabat. Tale prorsus miraculum in Vita beatissimæ virginis Amelbergæ (144), quam nostro stylo recudimus, legitur, quatenus in eodem opere eadem fides utriusque, licet diverso tempore et loco exstiterint, comprobetur.

12. Quantæ autem humilitatis fuerit, quantæ etiam apud Deum sublimitatis, in eodem loco Wedunensi aliis confirmatur indiciis. Erat illi armentarius, vir piæ conversationis, et quantum licuit sub humana servitute sanctæ vitæ, qui et suis locis fama meritorum perpetuatur ac recolitur festive (145), Alnotus nomine. Hunc villicus dominæ cum forte laniaret cruentissimo verbere, et ille omnia in Dei nomine toleraret mansuetissime, alma virginis compassio non ferens dolorem, proruit ad pedes indignos lanistæ, clamans cum prece, et increpatione : « Parce pro Dei amore, quare excarnificas hominem innocentem, apud altissimum Inspectorem omnibus nobis (ut credo) acceptiorem. » Cumque ille vel præ furore vel præ superbia tardius flecteretur, continuo dura cervix et torva facies superna indignatione in terga (146) illi reflectitur. Sic demum, quod magis debuerat, ipse ad pedes dominæ provolvitur, et veniam, quam insonti negaverat, suo reatu cum lacrymis deprecatur : statimque interveniente virginis clementia, in pristinum statum reparatur. Vir autem Domini memoratus jacet ad Stowam (147) una legia a Buccabrive, quem in silva anachoreticam vitam ducentem latrunculi martyrizaverunt, et divina signa Deo acceptabilem, uti celebratur, perdiderunt (148).

CAPUT IV.

S. *Vereburgæ mors, sepultura, translatio.*

13. Præterea haud dubium est, amantissimam Deo Werburgam quam multis aliis signis emicuisse, et cœlesti beneficio diversos ægros ac debiles curasse. Potuit etiam divina inspiratione plura præscire ac prædicere, diemque ultimum, quem semper præ oculis habebat, totaque vigilantia cum flammanti lampade eminus observaverat, jam proximum ignorare nequibat. Cum ergo omni familiæ, et monasteriis sibi creditis præ nimia charitate jugiter optaret adesse ; et econtra nulli tolerabile videretur sua dulci præsentia carere ; elegit tamen divina præscientia et voluntate Heamburgæ (149) monasterio requiescere corpore, quæ omnibus semper repræsentaretur mente. Quamobrem præcepit (150) Heamburgensi familiæ, ut ubicunque migraret ex hac luce, ipsi incunctanter venirent, corpusque ejus ad suum monasterium transportarent (151).

14. Venit ergo cœlicolæ virgini diu desideratus finis terrenorum laborum, ac dolorum, et ingressus cœlestium æternorumque gaudiorum : nox immortalitatis processit, et dies æternitatis illuxit : tenebræ transierunt, et lumen verum luxit, ac sol lætitiæ perennis ortus est illi. Gaudebat beata anima quasi ad epulas invitata, videlicet de exsilio ad patriam, de carcere ad regnum, de morte ad vitam, de captivitate ad triumphum, de tyrannide sæculi ad illum, quem desiderabat, sponsum sempiternæ gloriæ, transitura. Deposita itaque in cœnobio quod Tricengeham (152) appellatur, per languorem et mortem corporis ad immortalia solemnia ab angelicis choris assumitur, et in cœlestem curiam supernis concentibus triumphatur : cujus depositio tertio Nonas Febr. celebratur.

15. Corpus sacrum in ecclesiam defertur, et in medio populi Tricengehamensium obseratis diligentissime januis custoditur, certantibus nequidquam omnibus, ut Heamburgenses excluderentur, et per suum obsequium vel defensionem præceptum vatidicæ virginis vinceretur, sacerque thesaurus in eodem loco perpetim retineretur. At non est sapientia, non est consilium contra Deum. Dum enim nocte ipsa attentius vigilarent, subito sopor gravissimus omnes occupat. Supervenit illico copiosa plebs Heamburgensium cum Dei ministris ; extemplo omnia ostia monasterii, cadentibus in terram seris et vectibus, reserantur illis. Irruunt ergo omni custodum turba somno sepulta, rapiunt nullo se ad-

(143) Malmesbur. De gestis pontificum l. IV, adjungit novum miraculum, quo vult « aucam » illam « a rustico comestam. Jubet ergo S. Wereburga ossa recolligi : nec mora ; signo virgineæ manus medicante, cutis et caro ossibus superducta, cutis cœpit plumescere, donec ales animata, saltu primo alacri, mox volatu se libravit in æthera. » Quæ minus probantur : et Cambdenus in Northamptonia ait « miracula ejus in fugandis anseribus credulos scriptores decantasse. »

(144) Colitur 10 Julii : in ejus Vita ms. idem miraculum narratur, aves *gantæ* etiam appellantur : una a puero officiali subtracta et abscondita traditur, et postridie quasi ad aliarum preces recepta.

(145) In priore editione Martyrol. Anglic. refertur 27 Febr., at 25 Novemb. in posteriore.

(146) Ms. Cambdeni, *integra ;* uti supra in titulo *integrum ;* melius Capgr. et ms. Rub. val.

(147) Vulgo *Stow* et *Stowe* inter Wedunam et Buccabrive, aliis *Bugbrok*, *Biabroock ;* in ms. *Uccabrue.*

(148) Potius *prodiderunt.*

(149) Vulgo *Handbury* in Staffordia australi.

(150) Capg. et ms. Rub. val. *suis omnibus.*

(151) Ibid : « apud Hamburgense monasterium corpus suum transferrent, et incunctanter sepelirent. »

(152) *Tricingham* aliis, vulgo *Trent-ham* in comitatu Staffordiæ, non procul a fonte Trentæ, postquam ei illapsus est amnis Lyma.

versæ partis movente glebam (153) virginis, et auferunt, secumque cum ingenti lætitia et gratiarum actione laudisona ad Heamburgense monasterium confusis rebellibus deducunt.

16. Quis itaque pensare sufficiat, quanta solemnitate ipsius anima suscepta sit Deo, cujus corpus ad requiem præelectam transferri tanto dedit prodigio? In hoc ergo sacro loco Dei margarita cum debita reverentia et solemni jubilo tumulata, plurimis signorum indiciis se probat vivere in cœlesti regia : sanitas ægrotis, lumen cæcis, auditus surdis, sermo mutis restituitur : leprosi mundatione, et diversis languoribus oppressi una salute percepta gratulantur. Tot itaque post mortem suam vitæ reformat quæ tam sancte vivebat.

17. Post hæc etiam inenarrabilis Domini gratia in ipsa carne virginali diutius incorrupta evidenter ostendere est dignata, qualiter sibi placuerit intemerata ipsius pudicitia cum mente, qua Deum videbat, mundissima. Post novem siquidem annos ejus sepulturæ, suggerentibus Heamburgensibus, placuit regi Ceolredo (154), qui tunc regnabat Merciis, quatenus sacrosancta ipsius gleba de tumulo elevaretur, clamantibus cunctis indignum esse, ut tanta lux multorum sub modio terræ absconderetur. Ablato ergo operculo speluncæ, cum putaretur ab omnibus more humanæ conditionis tota caro defluxisse et tantum nuda ossa superesse; inventa est potius virgo integerrima quasi in dulci stratu obdormire, vestes nitidissimæ et sanæ, sicut primitus induta erat, omnino apparuere ; facies candida, et genæ roseæ, tanquam in primævo flore, amoto reverenter velamine, sunt visæ. Attollitur clamor gratiarum in cœlum, tantæque gratiæ admiratio in laudes Domini accendit frequentem populum. Assumitur ergo a sacerdotibus solemniter adornatis, cum supplicibus votis et canoris chorizantis Ecclesiæ modulis. Explorantibus adhuc diligenti studio, nulla penitus in ea læsio, nulla reperta est corruptio. Ita demum reconditur in theca sibi competenter parata, ubi conspicue fideles populos illustrat præclara lampade sua.

18. Duravit diutius sub angelica custodia hic honor illæsi corporis, usque ad tempora scilicet pagano rum (155), et diem malorum ; quando justissima Dei dispensatione hæc patria Anglorum tradita est gladiis gentilium. Tunc demum vitalis gleba voluit cedere mortali legi, atque resolvi, ne impiis manibus eam contingerent hostes, miraculorum Dei increduli, et beneficiorum ingrati. (156) Potuit plane Dei omnipotentia et in die malorum dilectam suam protegere, sicut servavit plerosque sanctos hujus patriæ ab iniqua contagione, qui adhuc usque jam post quadringentos amplius annos vernant integro et incorrupto corpore, et poterunt indubitanter usque in finem pro divino arbitrio perdurare. Verumenimvero mirabilis et gloriosus Deus in sanctis suis, mira et inæstimabili providentia alios in majorem gloriam resurrectionis ad tempus resolvit, alios perpetua incorruptione in exemplum promissionis suæ custodit. Tot nobilissimi martyres et summi sacerdotes Domini a bestiis, vel avibus, vel ignibus sunt consumpti. « Posuerunt, inquit Psalmographus, mortalia servorum tuorum, Domine, escas volatilibus cœli, carnes sanctorum tuorum bestiis terræ (*Psal.* LXXVIII, 2). » Quo major fuit ignominia, eo major erit gloria. Summus martyrum primicerius Stephanus, dum legitur multa signa in vita fecisse, non ibi tamen legitur mortuos suscitasse. Post mortis vero triumphum omniumque membrorum resolutionem, plerosque mortuos describitur vitæ reddidisse, ut a mortis injuria major nasceretur vitæ potentia. Magnæ itaque gratiæ Dei respectus erat in B. Werburgæ corpore solido, sed major spes æternæ renovationis restat in jam consumpto.

19. Celebremus ergo promptissima devotione sanctissimam ipsius festivitatem, quia omnis ejus celebritas ad Christi Domini pertinet honorem, qui ita eam condignis meritis fecit celebrabilem ; quam nimirum nobis providit ante se interventricem ; quatenus per dilectæ suæ venerationem, suam mereamur propitiationem, qui non habemus meritorum exsecutionem. Tanto quippe benignius illam exaudiet orantem pro nobis, quanto accensiores fuerimus in ipsius Deo offerendis præconiis. Annuat nobis semper memorandæ Werburgæ Coronator, quatenus per ejus sancta suffragia, et hic profutura desideria consequamur, et in æternum beatæ visio-

(153) Alii *corpus*.

(154) Ceolredus S. Ethelredi filius, Ceonredo Romæ an. 709 in monachum attonso, rex factus, an. 716 e vivis excessit, Lichfeldiæ sepultus.

(155) Alii *Danorum*. Cœperunt hi Angliam vastare ab an. 832, Beortulfum regem Merciorum cum exercitu an. 851 in fugam dederunt. Mercii sub Burrhedo rege cum Danis exire negantibus fœdus annis 868 et 872 pepigerunt : et rege Burrhedo an. 874 Romam profecto, Thanus quidam regnum administravit, cujus pars an. 877 regi Ceolvulfo concessa est : sub quo regnum Merciorum omnino emarcuit. Anglorum dein heptarchia in monarchiam coalescente, Eadwardus rex sub initium sæculi decimi Mercios liberavit, constituto Merciorum comite Etheredo marito Ægelfledæ, sub qua Cestriam tradi restauratam supra diximus. Demum anno 942 Eadmundus rex Merciam invasit, urbes Lindicolniam, Snotingahamam, Stanfordam, Deorbejam, aliasque occupavit, totamque Merciam in suam redegit potestatem, ut his fere verbis tradit chronologus Anglo-Saxo, qui eo decimo sæculo scripsit. Dani rediverunt in Angliam anno 991, ac Merciæ provincias vastarunt, potissimum ab anno 1010 ad 1016, quo Canutus Danorum rex septentrionalem partem Angliæ accepit, anno sequenti totius Angliæ imperium adeptus.

(156) Capgr. cum S. Rub. Val. ita hic Vitam concludit : « Translataque tunc sunt ossa illius apud Cestriam, ubi usque in hodiernum diem requiescunt, meritisque ejus crebra fiunt miracula. »

nis ac resurrectionis suæ consortia mereamur. Annuat, inquam, ipse Salvator, qui cum Patre et Spi- A ritu Sancto in omnia sæcula regnat et dominatur. Amen.

VITA SANCTÆ EADGITHÆ

SEU EDITHÆ

EADGARI ANGLORUM REGIS FILIÆ ET SANCTIMONIALIS WILTONIENSIS,

AUCTORE GOTSELINO.

(Edidit MABILL. *Acta Sanctorum Bened.*, t. VI, p. 636, ex tomo IX Surii, qui stylum nonnihil mutavit.)

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. Gotselinus seu *Goscelinus* monachus, cujus de sancto Augustino Anglorum apostolo lucubrationem supra retulimus, inter plures alias sanctorum Vitas, Acta sanctæ Eadgathæ virginis scripsisse dicitur in Catalogo scriptorum Britanniæ, et apud Wionem et Possevinum. Hanc non dubito esse Eadgitham seu *Edgitham Edithamve*, Eadgari Anglorum regis filiam, cujus Vitam stylo nonnihil mutato Surius in lucem protulit. Eamdem hic exhibemus, ascribendo loca seu testimonia Willelmi Malmesburiensis, qui eamdem virginem laudavit non semel, tum in lib. II De regibus Anglorum, cap. 13, tum in lib. II De pontificibus Anglorum, cap. 4. Eamdem celebrat Harpsfeldius in Sæculi X cap. 10, præter Joannem Bromtonem, Maiheuvium, et alios rerum Anglicarum scriptores.

2. Eadgitha monasticem professa est in cœnobio Wiltunensi apud Occidentales Saxones. « Wiltuna, teste Willelmo Malmesburiensi De pontificibus Anglorum, lib. II, cap. 4, est vicus non exiguus supra Wile fluvium positus, tantæ celebritatis, ut totus pagus ab eo vocetur, » olim episcopalis sedes. Asserus in libro De Vita Alfredi nominat montem « Wiltun, qui est in meridiana ripa fluminis Guilou. » Ibi Eadgitha vixit piissime inter sanctimoniales, et sepulturam accepit. « Jacet in eadem ecclesia, inquit idem Willelmus, mater ejus Wilfrith, quam non sanctimonialem, sicut opinio vulgaris delegat [*al.*, delirat], sed subito timore regis suo tantum consilio velatam constat, abrepto velo regio cubili subactam. Unde ille, quod feminam attigisset, quæ vel umbratice sanctimonialis fuisset, a sancto Dunstano redargutus, septennem exegit pœnitentiam. Illa quoque partu explicito voluptati frequentandæ non inhæsit, sed doluit potius et sprevit, sanctaque pro vero asseritur et creditur. » Hanc post vim sibi a rege illatam Wiltoniæ monasticum habitum suscepisse legitur in Vita sequenti.

3. De Eadgithæ sanctitate dubitare non sinit nos Willelmi in præluadato loco testimonium. « Habetur ergo, ait, in plurimis locis Angliæ festum ejus venerabile, quod nemo impune temerare præsumat. » Cnuto rex apud Anglos Danus, quod per jocum sanctam non reverens, ejus sepulcrum reserari jussisset, vix mortem evasit, ut idem auctor ibidem tradit cum Vitæ scriptore. Ad ejus sepulcrum Theodericus, qui ob Natalis Domini religionem stupro et choreis violatam cum aliis cœlitus punitus fuerat, ad sanctæ virginis tumulum sanitati restitutus est. Harpsfeldius factum fuse commemorat ex Brunone Tullensi episcopo, qui postea summus pontifex Leo IX dictus est.

4. Eodem ævo tres aliæ Edithæ regiæ virgines in Anglia vixisse dicuntur præter Editham Ottonis M. uxorem : una Ethelwlfi regis filia, Alfredi regis soror, quæ sanctæ Modwennæ abbatissæ (de qua in sanctis prætermissis Sæculi IV) tradita est; altera Editha, Eadwardi senioris filia, Æthelstani soror; tertia Edmundi regis filia, Eadgari soror; omnes sanctæ, et quidem sanctimoniales in cœnobio Pollesworthensi, quod juxta silvam Ardenniam in Cestrensi diœcesi est. Prima laudatur in Actis sanctæ Osithæ apud Surium die 7 Octob. et sanctæ Modwennæ abbatissæ Streneshalensis apud Capgravium, quæ Modwenna Pollewortensi monasterio a se condito Editham, Alfridi regis sororem, præfecisse perhibetur. Locus postea dictus est *sanctæ Edithæ Pollesworth* seu *de Pollesworda*, ut fidem faciunt vetera monumenta in Monastici Anglicani tomo I, pag. 179. Altera Editha, Eadwardi filia, Sithrico Northumbrorum regi ab Æthelstano fratre in conjugem data, sed ab eodem postmodum repudiata, Pollesworthum secessit, ibique reliquum vitæ religiose exegit, testante Matthæo Westmonasteriensi ad annum 925. Tertia est Editha, Eadmundi regis filia, Eadgari soror, neptis Edwardi senioris, cujus filiam fuisse Editham secundam diximus. Thomas Maiheuvius ad diem 15 Julii, ubi de his tribus simul agit, suspicatur secundam et tertiam non esse diversas, nec aliam quam Edwardi senioris filiam : nam nullam Editham Eadmundi filiam, Eadgari regis sororem inveniri. Verum in Vitæ sequentis cap. 1 laudatur Editha, Edgari regis soror.

5. Hujus tamen difficultatis solutio non ita pendet ex sequenti Vita, ut nullum inde dubium relinquatur. Nam si ejus auctor Gotselinus, qui ineunte sæculo XI florebat, ex ejus sententia rem certo definire non possumus : fuit is, teste Willelmo Malmesburiensi in lib. IV De regibus Anglorum, cap. 1, « Monachus de Sancto Bettino, qui cum Hermanno episcopo Salisberiæ venerat, insignis litterarum et cantuum peritia. Is multo episcopatus et abbatias perlustrans tempore, præclaræ scientiæ multis locis monumenta dedit in laudibus sanctorum Angliæ post Bedam secundus. Musicæ porro palmam post Obernum adeptus. Denique innumeras sanctorum recentium Vitas stylo extulit : vêterum vel hostilitate amissas, vel informiter editas comptius renovavit. Felix lingua quæ tot sanctis servierit; felix pectus, quod tot vocales melodias emiserit, præsertim cum in ejus conversatione certaret honestas doctrinæ. » Hactenus Willelmus.

INCIPIT VITA.

1. *Edithæ parentes. Monasticæ vitæ institutio sub matre.* — Beata virgo Editha filia fuit Edgari regis et Wlftrudis, regii ducis filiæ. Quam quidem Wlftrudem rex sibi perpetuo regni consortio conjungere statuerat, sed illa a partu absoluta deinceps continenter vivere quam illecebris servire maluit, Christi amore eam invitante. Itaque monacharum habitum apud Wiltoniam e manibus sancti Ethelwoldi episcopi accepit, exemplisque et virtutibus proficiens, virginibus mater spiritalis præfecta est. Porro beata Editha sub matris cura relicta, tandem rege assentiente, in eodem monasterio monasticam vestem induit. Eam vero mater non auro, non monilibus, non multivario ornatu, sed litterarum ac virtutum splendore instruxit. Inter multa autem sanctorum hominum exempla, quæ tum in codicibus lectitabat, tum coram intuebatur, aut auditione discebat, cognatorum præsertim et propinquorum suorum vehementius accendebatur virgineæ integritatis palma sanctissimæ amicæ suæ Edithæ, quæ Edgari regis et patris ejus germana soror erat, et in monasterio Pollelwortensi provinciæ Werwici, meritorum signis, perinde ut ipsa Wiltoniæ, clarebat.

2. *Virtutes ejus.* — Sororibus quidem Martham, Christo vero se Mariam exhibebat, erga omnes officiosam se ministeriis impendendis præbebat. Hospites omnes in Christi visceribus complectebatur : ita abstinentiæ dedita, ac si epulis interesset; ita ad epulas accedens, ut a frugalitatis studio non deflecteret. Terrenos favores prorsus devitans, morbidis ac humana ope destitutis sese impendebat, liberisque regiis leprosos anteferebat : et quanto quisque videbatur morbis deformior, tanto illa propensiori animi commiseratione erga illum humanior et ad inserviendum promptior erat. Recte ea dici poterat cæcorum oculus, debilium adminiculus, indigentium vestis et alimonia, desolatorum omnium solamen.

3. *Cilicium ac vestes.* — Cilicio asperrimo ad nudam carnem utebatur, interim nitidis vestibus extrinsecus induta. Cumque beatus Ethelwoldus quandoque vidisset eam ornatiori habitu ingredientem, ait ad eam : « Non his, filia mea, indumentis itur ad Christi thalamum, nec externo cultu corporis delectatur sponsus cœlestis. » Illa vero, interni conscia habitatoris, ita respondit : « Crede mihi, Pater, nequaquam deterior mens, Deo aspirante, sub hoc tegmine, deget, quam sub pelle caprina. Habeo Dominum meum, qui non tam vestem quam mentem attendit (157). » Sensit ergo vir Dei in virgine gratiæ auctoritatem, nec ausus fuit in ea contristare summum judicem Deum. Lætabatur potius Dominum in sanctis suis omnia pro sua voluntate moderari, puramque mentem et in purpura et in sacco placere Deo.

4. *Crucis amor. Abbatissæ dignitas recusata. Mors fratris prævisa.* — Ubicunque Editha ingrediebatur, crux Christi illi comes aderat : crucem in fronte, in pectore, in itinere, omni opere suo præferebat. Cum aliquando escas suo more in disco efferret, in sinu pauperis condendas, a latere puer accurrit eleemosynam petens. Porrexit ea cum solito crucis signo : mox ille puer disparuit, ita ut prorsus ab illa non videretur. Quindecim annos natam pater ejus rex Edgarus tribus monialium monasteriis Wintoniensi, Berckingensi, et tertio cuidam abbatissam præfecit : sed ea ab illa domo, in qua Deo servire cœperat, avelli non potuit. Effecit autem ut singulis illis monasteriis spiritales matres tanquam magis idoneæ præponerentur, mallens matri subesse quam aliis præsesse, potiusque timere matrem quam aliis imperare. Defuncto autem patre Edgaro, et succedente ei filio Edwardo adhuc infantulo, in somnis vidit sancta oculum suum dextrum sibi excidisse, idque sororibus referens simulque exponens : « Videre, inquit, mihi videor hanc visionem fratris mei Edwardi portendere casum. » Nec diu post Edwardus, dum cupit invisere fratrem suum Ethelredum, a filiis iniquitatis, ut in ejus historia videre licet, occisus est. Cumque regni proceres virginem sanctam e monasterio extrahere, et in paterno solio, uti plerisque nationibus feminæ dominantur, collocare vellent, et tandem etiam vim intentarent, adeo illa non assensit, ut facilius saxa in plumbum verti quam virgo Christi a suo proposito et Dei servitio abduci posse videretur.

5. *Edithæ mors a Dunstano prædicta.* — Cum autem in honorem beati Dionysii ecclesiam condidisset, et sanctum Dunstanum (158) ad ejus dedicationem invitasset, vidit is sanctus pontifex sacram virginem crebro pollicem dextrum extendere, et eo signum crucis pingere in fronte sua. Quo ille delectatus, apprehensa dextra manu virginis dixit : « Nunquam putrescat hic digitus. » Paulo post inter missarum solemnia in lacrymas vir sanctissimus prorupit, rogantique diacono suo cur fleret, suspirans, et ab imo pectore trahens vocem : « Hæc, inquit, Deo dilecta anima, hæc gemma siderea, ad patriam sanctorum ab illuvie terrena et hac ærumnosa vita rapietur, neque enim flagitiosus hic mundus tantæ lucis præsentia dignus est, tertio et qua-

(157) Recte hic notat Surius id ab Editha factum et dictum, ut vestis suæ interioris, id est cilicii, asperitatem dissimularet. Willelmus Malmesburiensis memorat hoc factum tum in lib. II De regibus Anglorum, cap. 13, tum in lib. II De pontificibus, cap 4.

(158) Et hoc ipsum refert in duobus præmissis locis Willelmus, quod omittunt Acta Dunstani.

dragesimo abhinc die occidet nobis hæc stella luculenta. Ecce autem ex ergastulo nostro sanctorum lumina, et nos in tenebris et umbra mortis sedemus. Nos pigros senes damnat ætas immatura, dum, nobis dormitantibus, illa cœlos penetrat. »

6. *Edithæ obitus anno* 984.—Appropinquante vero hora qua de mundo erat migratura ad Dominum, adest sanctus Dunstanus, et exhortationibus atque precibus animam ejus communiens, a corpore excedentem manibus Domini commendavit. Interim soror quædam trepida, e Sancti Dionysii ecclesia, ubi sancta virgo obiit, ad monasterium currit, auditque in choro tanquam psallentium magnam frequentiam. Itaque hærenti ei occurrit quidam eleganti vultu et habitu insigni, aitque ad eam : « Noli huc propius accedere, angeli enim sancti Godam puellam (ita enim majori gratia eam appellabat, quæ patria voce Bona cognominabatur) hinc secum asportaturi sunt ad gaudia sempiterna, ut cum hac melodia cœlestis exercitus in aulam perpetuæ jucunditatis ingrediatur. » Sicque anno vicesimo tertio ætatis suæ, decimo sexto Kalendas Octobris, migravit ad Christum, circa annum Domini nongentesimum octogesimum quartum : sepelivitque eam beatus Dunstanus in ecclesia Sancti Dionysii quam ipsa exstruxerat. Hunc autem locum præsaga mente virgo sancta crebro inviserat, dicens : « Hic locus est requietis meæ, » eumque assiduo lacrymarum imbre irrigans. In ipso autem atrio monasterii xenodochium, in quo hodieque tredecim pauperes reficiuntur, instituit.

7. *Apparitio ejus. Brithginæ baptismus.* — Porro tricesimo ab obitu suo die, apparuit virgo sancta matri suæ Wlftrudi, formosa valde et hilaris, atque lumine sicut vestimento amicta et splendida, dixitque illi se Regi suo bene charam in gloria sempiterna : Satanamque ipsam coram illo accusasse, sed sanctorum apostolorum patrociniis se contrivisse caput ejus, et cruce Domini Jesu eum se prostravisse, atque ex illo triumphasse. Eodem tricesimo die nata est ex illustrissimis parentulis infantula, de qua ante ejus obitum rogata beata Editha, ut eam e sacro fonte susciperet, respondit se suscepturam, quemadmodum Domino visum foret. Sed cum ipsa prius nata esset cœlo, quam puella mundo, allata est puella ad ecclesiam, et sancto Elfego illam baptizante, et cereum ei offerente atque dicente : « Accipe, puella, lampadem, cum qua introcas ad nuptias Domini : » subito quasi sancta Editha illam puellam tenente palmulam tenerrimam porrigens, cereum suscepit ac tenuit. Mox vero sanctus episcopus Elfegus intellexit admirandum hoc esse divinæ electionis præsagium, atque parentibus puellæ : « Hanc infantulam soli Deo desponsandam nutrite, et post ablactationem, monasterio eam tradite. » Ea puella Brithgina (159) appellata est, et apud Wilthoniam postea ablatissa effecta, in sanctitate vitam suam finivit.

8. *Edithæ corporis elevatio.* — Post decessum sanctæ Edithæ tredecim elapsis annis, illa beato Dunstano archiepiscopo apparuit, dicens : « Reminiscens Dominus miserationum suarum, assumpsit me, placetque ineffabili bonitati illius ut apud homines in salutem fidelium ejus honore afficiar, cum ille me apud angelicos cives in cœlis honorarit. Ito ergo Wiltoniam, divinaque jussa capessens, corpus meum e terra elevato. Ne dubites, nec ullo te phantasmate deludi putes, hoc enim veritatis erit signum quod præter officia membrorum quibus in puellari levitate abusa sum, puta oculorum, manuum, pedum, reliquum corpus meum uti illibatum, ita et incorruptum invenies. Libidinis enim et crapulæ expers semper fui. Pollicem quoque dextræ manus, quo mihi assidue sanctæ crucis signum impressi, illæsum videbis, ut appareat clementia Domini in parte servata, et paterna castigatio in parte assumpta. » Dunstanus ergo cum apud Sarum prope Wiltoniam pernoctaret, per visum transfertur in ecclesiam Wiltoniæ usque ad tumulum sanctæ virginis : et ecce videt angelica claritate sanctum Dionysium altari assistere, et virginem Editham luce et candore conspicuam, dilectum patronum hisce compellare verbis : « Scis, Pater, quid de me divinæ gratiæ placeat ; tu ergo summi consilii interpres, et divinæ voluntatis legate, huic advenæ, qua fide et auctoritate ipsum huc invitaverim, expone. » Sanctus Dyonisius ait : « Animadverte, frater, visionem quam nuper vidisti, veram esse de hujus dilectæ dominæ declaratione. Digna est enim quam terrigenæ venerentur, quæ inter cœlicolas meruit coronari ; dignum est honore hoc corpus, hoc templum virginalis pudicitiæ, in quo amator virginitatis regnavit Dominus Rex gloriæ. Ejus etiam Christo gratissima suffragia mortalibus sunt necessaria. » Ita ergo tertio Nonas Novembris corpus sanctum e terra levatur, et omnia, sicut prædictum erat, inveniuntur.

9. Monachus quidam Glasconiæ, Edulfus nomine, collectam temere in rugam a corpore sancto tunicam præscidit, simulque sanctum corpus ferro percussit ; confestim sanguis inde copiosus, perinde ut solet ex vena incisa, prorupit, atque in vestes et pavimentum manavit. Territus frater temerarius, ferrum cum sacra rapina projiciens, in faciem ruit, admissum facinus lacrymis expiare contendit ; surgens inde nullum prorsus cruorem vidit. Itemque soror quædam, ut conata est de vitta sacri capitis partem abscindere, miro modo impedita est, vitali capite se attollente, et temerariam minaci indignatione deterrente.

10. Clerici Pictorum in capsa circumferebant

(159) *Brithina* vocatur ab Harpsfeldio in Sæculi x, cap. 10, ubi Theoderici cujusdam curationem ad sanctæ Edithæ tumulum sub hac abbatissa factam commemorat ex Brunone Tullensi Episcopo, qui postea Leo papa IX.

sanctum confessorem Juvium, atque in sanctæ virginis cœnobio honorifice suscepti, in altari beatæ Edithæ sacras reliquias deposuerunt. Cumque inde recedere vellent, tanto pondere reliquiæ illæ altari inhæsere, ut nulla ratione possent amoveri. Plorant igitur advenæ, ejulant, vestes scindunt, capillos vellicant; tandem re desperata, receptis duobus millibus solidorum a Wlftrude abbatissa, in sua tristes abiere.

11. *Cnutonis regis cachinnus punitus. Aldredi invocatio.* — Canutus rex in saera Pentecoste apud Wltoniam inter edendum crebro cachinnum sustollens, nunquam se crediturum aiebat Editham filiam regis Edgari sanctam esse, cujus pater libidini semper ac tyrannidi addictus fuisset. Contradixit autem illi Ednotus archiepiscopus, qui tum aderat, statimque virginis tumulum aperuit. Illa vero cingulotenus se erigens, in contumeliosum regem impetum facere visa est. Tum ille præ metu consternatus animo, humi ceu exanimis corruit. Tandem autem respirans, lætus erubuit, suæque temeritatis veniam poscens, sanctam virginem deinceps in multo honore habuit : ortaque quandoque in mari tempestate, eam invocavit, et serenitate reddita ad portum optatum appulit. Aldredus quoque Eboracensis (160) archiepiscopus, in mari Adriatico in magnum conjectus discrimen, sanctam virginem invocavit, eaque mox visibiliter ei apparens, « Ego sum, inquit, Editha, » et quam primum tranquillitas restituta est.

Prædo dat pœnas. — Usurpaverat quidam terram sanctæ Edithæ, et morte obrutus sine pœnitentia decesserat e vita. Paulo post autem surgens dixit : « Succurrite, amici, subvenite, omnes fideles Dei. Ecce sanctæ Edithæ indignatio intolerabilis ab omni plaga cœli et terræ hanc infelicem animam excludit, suique juris invasorem nusquam consistere permittit, et neque in hoc corpore durare, neque mori me sinit. » Reddita autem terra quam abstulerat, confestim animam exspiravit.

(160) Ex monacho Wintoniensis antistes, idemque simul Eboracensis, teste Willelmo in lib. III De pontificibus Anglorum. Floruit medio sæculo IX

SANCTI LAURENTII

EPISCOPI CANTUARIENSIS

ELOGIUM HISTORICUM.

(MABILL., *Acta Sanctorum ord. S. Bened.* Sæc. II, pag. 60.)

1. *Beda et Gotselinus de Laurentio scripsere.* — Præter Venerabilem Bedam, S. Laurentii Vitam æque ac ejus decessoris Augustini descripsit Gotselinus monachus Bertinianus, qui in Angliam a S. Anselmo Cantuariensi antistite evocatus, Ramesiæ primum, tum Doroberniæ habitavit, ubi varias sanctorum scripsit Vitas. Gotselini de Laurentio lucubrationem cum reperire non licuerit, juvat quæ de ipso idem auctor in Historia translationis S. Augustini, cap. 16, commemoravit hic inserere.

Laurentii facta ex Gotselino. — « Quarta tandem die, quæ est quarta feria, quasi expediti ad beatissimos contubernales et successores suos Laurentium ac Mellitum ad ipsum principem (*Augustinum*) devehendos accessere. Laurentius cum ipso duce Augustino primus venit, cum quo et diaboli aciem primus rupit, primusque ab ipso adhuc vivente ordinatus archipontifex, ut quondam S. Clemens summo Petro superstiti successit. » Et infra : « De beato Laurentio dulce esset memorare quomodo mortuum suscitaverit, super undas maris pedibus cucurrerit, igne de cœlo evocato virtute Eliæ impios conflagraverit, quomodo fontem aridis locis productum in perpetuum rivum effuderit, qua pœna arceatur omnis feminarum accessus ab ecclesia quæ ejus apostolatui exstructa et consecrata est in Scotia, ut nuper regina Scotiæ inclyta Margareta cum oblationibus aditum tentare ausa, subito sit percussa atque repulsa, sed clericorum prece restituta. Verum hæc loci artitudine exclusive prætermitto, alibi Deo aspirante retexenda. »

2. Quam hic promittit auctor S. Laurentii Vitam, edidit sine dubio, teste Willelmo Malmesburiensi in lib. De pontif. Angl. his verbis : « Huic (Augustino) successit Laurentius annis quinque, cujus virtutes et cæterorum (de quibus Beda narrans breviter perstringit omnia, tædii scilicet offensam veritus) Gotselinus quidam quantum veterum relatione addiscere potuit, scripsit, miras prorsus et prædicandas adjiciens quas oculata fide perspexerat virtutes. » Hunc Gotselini de Laurentio fetum legerat Molanus, qui istius fetus exordium refert in Add. ad Usuardum 2 Febr. *Dominis charissimis et paternæ*, etc. Gotselinum Joannes Capgravius in compendium redegit. Sufficiunt quæ ex ipso Gotselino superius delibavimus.

3. *Laurentius presbyter et monachus.* — Dubitant nonnulli an Laurentius ex Italia cum Augustino, an ex Gallia in Britanniam ab ipso evocatus profectus sit. Dubitant etiam fueritne monachus, quem Gregorius passim (Greg., lib. IX, epist. 52, 55, 56) et Beda *presbyterum* appellant. De primo explorata videtur esse res, tum ex Gotselino supra, tum ex ipso facto Augustini qui « archiepiscopus genti Anglorum ordinatus, » inquit Beda in Hist. lib. I, c. 26, « misit continuo Romam Laurentium presbyterum et Petrum monachum, qui B. pontifici Gregorio gentem Anglorum fidem Christi accepisse ac se episcopum factum esse referrent; » non missurus profecto nisi quos Roma secum adductos, Gregorio notos habebat. Ex quo apparet etiam Laurentium monachum fuisse, cum nonnisi « monachos timentes Deum (Beda lib. I, c. 25) » ex Italia Gregorius in Angliam miserit. Quoniam vero rariores tum erant in monasteriis presbyteri, hos presbyteros, non monachos appellare solebant, quo nomine *Beda presbyter* celebrari consuevit. Adde in Ecclesia Cantuariensi ab Augustino ad longa usque tempora, nullos antistites nisi monachos præfuisse. Bedam de Laurentio dicentem audiamus.

4. *Laurentius successor ab Augustino designatus, strenue officium exsequitur.* — « Successit Augustino, » inquit lib. I, cap. 4, « in episcopatum Laurentius : quem ipse idcirco adhuc vivens ordinaverat, ne se defuncto status Ecclesiæ tam rudis vel ad horam pastore destitutus vacillare inciperet. In quo et exemplum sequebatur primi pastoris Ecclesiæ, hoc est beatissimi apostolorum principis Petri, qui, fundata Romæ Ecclesia Christi, Clementem sibi adjutorem evangelizandi simul et successorem consecrasse perhibetur. » Hoc et Valerium Hipponensem « contra morem Ecclesiæ » præstitisse in magnum Augustinum Possidius in Augustini Vita, cap. 8, auctor est. « Laurentius archiepiscopatus gradu potitus, strenuissime fundamenta Ecclesiæ quæ nobiliter jacta vidit, augmentare atque ad perfectum debiti culminis et crebra voce sanctæ exhortationis et continuis piæ operationibus exemplis provehere curavit. Denique non solum novæ quæ de angelis erat collecta Ecclesiæ curam gerebat, sed et veterum Britanniæ incolarum, nec non et Scotorum, qui Hiberniam insulam Britanniæ proximam incolunt, populis pastoralem impendere curabat sollicitudinem. »

5. *Scotos ad ritus catholicos adducere conatur. Epistolam ad eos scribit.* — « Siquidem ubi Scottorum præfata ipsorum patria, quomodo et Brittonum in ipsa Britannia, vitam ac professionem minus ecclesiasticam in multis esse cognovit, maxime quod Paschæ solemnitatem non suo tempore celebrarent, sed, ut supra docuimus (*cap.* 2), a quarta decima luna usque ad vicesimam Dominicæ Resurrectionis diem observandum esse putarent, scripsit cum coepiscopis suis exhortatoriam ad eos epistolam, obsecrans eos et contestans, unitatem pacis et catholicæ observationis cum ea quæ toto orbe diffusa est A Christi Ecclesia tenere; cujus videlicet epistolæ principium hoc est : « Dominis charissimis fratribus, « episcopis vel abbatibus per universam Scotiam, « Laurentius, Mellitus et Justus episcopi, servi ser- « vorum Dei. Dum nos sedes apostolica more suo, « sicut in universo orbe terrarum, in his occiduis « partibus ad prædicandum gentibus paganis diri- « geret, atque in hanc insulam quæ Britannia nun- « cupatur contigit introisse; antequam cognoscere- « mus, credentes quod juxta morem universalis « Ecclesiæ ingrederentur, in magna reverentia san- « ctitatis tam Brittones quam Scotos venerati su- « mus. Sed cognoscentes Brittones, Scottos melio- « res putavimus. Scottos vero per Daganum episco- « pum, in hanc quam superius memoravimus insu- B « lam, et Columbanum abbatem in Galliis venien- « tem, nihil discrepare a Brittonibus in eorum con- « versatione didicimus. Nam Daganus episcopus ad « nos veniens, non solum cibum nobiscum, sed « nec in eodem hospitio quo vescebamur, sumere « voluit. »

« Misit enim Laurentius cum coepiscopis suis, etiam Brittonum sacerdotibus litteras suo gradu condignas, quibus eos in unitate catholica confirmare sategit. Sed quantum hæc agendo profecerit adhuc præsentia tempora declarant. » Reliquum epistolæ desideratur. Non caruit fructu illa epistola, uti constat ex Vitæ S. Laurentii per Gotselinum scriptæ fragmento, quod Usserius in notis ad epist. C 7 Hibern. sic reddit : « S. Terenanus archipontifex Iliberniæ ad eum transiit, vir tantæ sanctitatis ut tres mortuos suscitasse perhibeatur. Qui audiens B. Laurentium de Paschæ observatione aliisque apostolicis institutionibus mutuo conventu disputantem, dedit manus veritati, suosque discipulos indignantes quod tam divinus vir tali advenæ subjaceret, ad veritatis lineam suo exemplo cum sua gente correxit, » id est arguit. Hæc enim quæstio agente S. Wilfrido anno Christi 664 definita ac pene sopita est. Lege Bedæ Hist. lib. III, cap. 25 et 26.

6. *Gregem relicturus a B. Petro corripitur.* — « Cum vero Laurentius, » ait Beda cap. 6, « Mellitum Justumque secuturus, ac Britanniam esset relicturus, jussit ipsa sibi nocte in ecclesia beatorum D apostolorum Petri et Pauli, de qua frequenter jam diximus, stratum parari; in quo cum post multas preces ac lacrymas ad Deum pro statu Ecclesiæ fusas ad quiescendum membra posuisset atque obdormisset, apparuit ei beatissimus apostolorum princeps, et multo illum tempore secretæ noctis flagellis acrioribus afficiens, sciscitabatur apostolica districtione quare gregem quem sibi ipse crediderat, relinqueret, vel cui pastorum oves Christi, in medio luporum positas fugiens ipse dimitteret. *An mei*, inquit, *oblitus es exempli, qui pro parvulis Christi, quos mihi in indicium suæ dilectionis commendaverat, vincula, verbera, carceres, afflictiones, ipsam vostremo mortem, mortem autem crucis, ab infideli-*

bus et inimicis Christi, ipse cum Christo coronandus, pertuli ?

7. *Ostensis plagis regem ad fidem reducit.* — « His beati Petri flagellis simul et exhortationibus animatus famulus Christi Laurentius, mox mane facto venit ad regem (*scilicet* Eadbaldum), et retecto vestimento, quantis esset verberibus laceratus, ei ostendit. Qui multum miratus, et inquirens quis tanto viro tales ausus esset plagas infligere, ut audivit, quia causa suæ salutis episcopus ab apostolo Christi tanta esset tormenta plagasque perpessus, extimuit multum, atque anathematizato omni idololatriæ cultu, abdicato connubio non legitimo, suscepit fidem Christi, et baptizatus Ecclesiæ rebus quantum valuit in omnibus consulere ac favere curavit. »

8. *Mellitum et Justum e Gallia revocat.* — « Misit etiam in Galliam, et revocavit Mellitum et Justum, eosque ad suas Ecclesias libere instituendas redire præcepit. Qui post annum ex quo abierant reversi sunt. Et Justus quidem ad civitatem Roffi (*Rochester*) cui præfuerat rediit : Mellitum vero Londonienses episcopum recipere noluerunt, idololatris pontificibus magis servire gaudentes. Non enim tanta erat ei (Eadbaldo), quanta patri ipsius, regni potestas, ut etiam nolentibus ac contradicentibus paganis antistitem suæ posset Ecclesiæ reddere. Verumtamen ipse cum sua gente ex quo ad Dominum conversus est, divinis se studuit mancipare præceptis. Denique et in monasterio beatissimi apostolorum principis, ecclesiam sanctæ Dei Genitricis fecit, quam consecravit archiepiscopus Mellitus. »

9. Idem auctor paulo post S. Laurentii obitum perstringit his verbis : « Hoc enim regnante rege beatus archiepiscopus Laurentius regnum cœleste conscendit, atque in ecclesia et monasterio S. apostoli Petri, juxta prædecessorem suum Augustinum sepultus est, die quarto Nonarum Februariarum, » nempe anno 619, uti colligitur ex Beda in fine hujus capitis, dum Mellitum Laurentii successorem post regiminis annos quinque affirmat obiisse anno 624. Laurentius prope S. Augustinum in suburbana S. Petri basilica sepultus, tale meruit epitaphium, si Harphsfeldio credimus :

Hic sacra, Laurenti, sunt signa tui monumenti.
Tu quoque jocundus Pater antistesque secundus
Pro populo Christi scapulas dorsumque dedisti,
Artubus hui ! laceris multa vibice mederis.

Verum hi versus Leonini posteriorem longe ætatem sapiunt, et fortasse ad sæculi XI finem, quando sacrum ejus corpus una cum aliis levatum est, referendi sunt.

ANNO DOMINI MC.

LUPUS PROTOSPATARIUS

NOTITIA HISTORICA

(MURATORI, *Rerum Ital. Script.*, t. V, p. 36, Proœm. ad Lupum Protospatarium.)

Hic auctor, genere Apulus, in cujus regionis rebus est fere totus, Materensis civis nonnullis reputatus est, ex illa dicendi forma sibi usurpata in Chronico ad ann. 1093 persuasis, *Urbanus papa venit in Materam.* Nescio cur hoc eodem argumento non illum fecerint Antiochenum, qui ad an. 1098 dicat: *Christiani bellando venerunt usque Antiochiam.* At Latinissime dictum, *venire* pro *ire* tritum est; illud minus, quod observavit Salmasius ad Hadrianum Spartiani, *redire* pro *ire*, sicut *reddere* pro *tradere.* Apud præsentes etiam Italos priora illa duo vocabula sæpe confundi vel pueri norunt. Alii autem Lupum crediderunt Barensem, *quod ille simpliciter ac quasi antonomasticos ad an.* 886 *et* 890 *Barii dynastam principem vocat.* Ab his minime dissentirem; in rebus enim Barensibus multus est Lupus, si Barii, non Beneventi princeps fuisset Ajo ille utrobique descriptus. Erit igitur, dices, Beneventanus. Erit, quibus ea argumentatio probatur; eritque etiam genere Græcus, *quia sæpe græcissat, ac Græcos impense se ostendit amare.* Mihi autem Apulus est; quam gentem diu Græcis variaque fortuna olim subditam et commistam, pleraque illorum vocabula quotidiano etiam in sermone usurpasse, ac ut fieri per factionem solet, plerosque Apulos etiam post sæcula Græcorum amorem animo servasse, non est diffitendum. Verum fueritne munere, an gente dictus *Protospata;* fueritque ex Græci protospatarii muneris nomine gentile deductum suæ genti nomen, comperti nil habeo. Illud novi, in antiquissimi operis lapidea columna apud Brundusium, referente Scipione Ammirato, ubi de logotheta et protonotario, insculptum litteris sequioris ævi haberi hoc epigramma : *Protospata Lupus*, ni inverso ordine legendum sit : *Lupus Protospata*, utpote in orbiculata superficie descriptum, in qua non facile dixeris quid primum quid secundum. Si is fuit hic noster, certe vel patria, vel incolatu, aliave occasione Brundusinus censendus est. Hæc de auctoris genere; de ætate vide ad an. 1088.

LUPI PROTOSPATARII

CHRONICON.

ACCEDUNT

ANNALES BARENSES.

(Edidit novissime D. Pertz, *Monumenta Germaniæ historica*, Script. tom. V, pag. 51.)

ADMONITIO.

ycli decennovennales in Ecclesia Barensi adnotationibus aucti compluribus opusculis inde derivatis originem dederunt. Habemus enim Annales Barenses, quos ex codice 1) Vaticano inter Urbinates n. 983 signato et circa annum 1490 scripto ope Nicolai Aloysiæ descriptos Muratorius Antiquitatum, t. I sub titulo Chronici Barensis (1) primus evulgavit, nosque jam opere V. Cl. D. Heyse Ph. doctoris cum codice collatos multo emendatiores sistimus. Qua in re usi sumus præterea 2) C. regio Matritensi V. 83, membranaceo, sæc. xv, qui magnam Annalium nostrorum partem Chronico Lupi Protospatarii illatum in linguam Italam convertit, atque ex codice vetustiore, Urbinatis fonte, derivatus est; qui quo fato Matritum pervenerit si nescitur, id saltem constat eum antea in Italia descriptum fuisse, prout in codice Lupi apud ducem Andriæ olim asservato factum videtur (2). Complures etiam notitiæ in 3) Chronicon quod sub ignoti Barensis nomine a Peregrinio primum editum est emanarunt (3).— Ultimam Annalium partem circa annos 1040-1043 adjectam fuisse, facile credas.

Annalibus Barensibus usus est etiam auctor Chronici quod sub Lupi Barensis Protospatæ nomine inde a sæculo xvii laudatur. Ediderat id Antonius Caracciolus in Chronologis quatuor Neapoli a. 1626 evulgatis, p. 93, ex apographo codicis Urbinatis male confecto, adhibita versione Itala ducis Andriæ; cujus editionem Muratorius (4), Burmannus (5), Carusius (6) et Pratillus (7) repetiverunt. Auctor quisquis fuerit — nam Lupi nomen codicum nullus profitetur (8) — patria Barensis, cyclis antiquis et Annalibus supra laudatis (9) usus, exeunte sæculo xi, fortasse annis 1082-1090, scripsisse videtur, nisi etiam annorum 1091-1102 historiam ei potius quam continuatori cuidam Materensi attribuas. Fontibus aut minus accuratis usus aut bonis abusus est, siquidem e. g. Ottonis I victoriam de Ungris anno 945, Ottonis II pugnam cum Sarracenis anno 981, Ottonis III obitum anno 1000 tribuit, loco Heinrici III Cononem, pro Wilhelmo I Conquestore Robertum scribit. Annum nonnunquam cum Salernitanis ab Incarnatione Domini d. 25 Martii inchoat (10).

Novam operis recensionem subsidiis compluribus in rem nostram collatis instituere licuit, quorum primum locum obtinet.

1) C. Vaticanus inter Urbinates n. 983, supra laudatus, circa a. 1490 exaratus, quem in usus nostros cum editis contulit cl. Heyse Ph. D. (11). Ad quem proxime accedit versio Itala sive

1a) C. Matritensis V. 83, membr., sæc. xv, a beatæ memoriæ F. Heinrico Knust Hannoverano, sodali nostro nuper heu! præmaturo fato exstincto, exscriptus, quem ex Annalibus Barensibus interpolatum supra monui. Versionis auctor textum nonnunquam male intellectum in universum tamen bene expressit, Inscribitur ita: Incomincia il libro de li annali de li gesti facti in Italia ab anno Domini VIcmo in fine ad Mmo Cmo IIdo.

2) C. Regius Parisiensis n. 6061, chart., in-8vo, sæc. xvi ineuntis, in compluribus quidem cum codice Urbinate consentit, in aliis tamen una cum reliquis ab isto recedit. Contulit eum cum editis Bethmannus noster

3) C. Musei Burbonici Neapolitanus, chart., in-4o, sæc. xvi vel xvii ineuntis, V. F. 52 signatus, cujus in Annalibus nostris t. V, p. 157, mentionem feci, jam anno 1822 a memetipso cum editis collatus, in universum cum superioribus consentit; et cum iis a corrupto.

4) Editorum textu recedit, cujus singula vitia repetere nefas duxi, cum omnibus facile ad manus sit. Adjeci lectiones paucas.

5) et 5b). Chronici sub nomine ignoti Barensis supra laudati, cujus auctor nostrum ante oculos habuit, sed multa addidit, quæ utpote a re nostra aliena et librariorum incuria vitiata omittenda statui.

NOTÆ.

(1) Recusum a Pratillo in Hist. princ. Long., IV, 348 sqq.
(2) V. Peregrinium in præfatione ad Lupum.
(3) E. g. a. 1026, 1034, 1035, 1040, 1042.
(4) SS. Ital. V, 37 sqq.
(5) Thes. Ital IX, 1, 411.
(6) Bibl. Sicil. I, 35.
(7) Hist. princ. Lang. IV, 17.
(8) De Lupo Protospatario Brundusino v. Peregrinii præf.
(9) Cf. a. 901, 924, 926, 927, 947, 994, 1002, 1010, 1019, 1040, 1042, 1043.
(10) Anno 1067 cometam, qui a. d. viii Kal. Mart a. 1066 apparuit, et invasionem Angliæ, anno 1099 synodum Barensem tribuit.
(11) C. Vatic. reginæ Christinæ N. 378 est recens apographum editionis Carracciolii, adjectis lectionibus codicis Urbinatis.

Chronicon breve Northmannicum annorum 1041-1085 a Muratorio in SS. t. V, p. 278-279 editum, maximam partem ex Lupi Annalibus fluxit.

ANNALES BARENSES.

Anno 605 obitus sancti Gregorii papæ. Focas regnavit annis 8 [1].

782. Hoc anno Carolus rex celebravit sanctum pascha in Roma, et baptizatus est Pipinus, filius ejus, ab Adriano papa.

902. Hoc anno descendit Habraam rex Saracenorum in Calabriam, et mortuus est in Cosentia in ecclesia sancti [2] Pacratii [3].

925. Hoc anno Orie (12) capta est a gente Saracenorum mense Julio, et obitus Eusebii in Clauso.

928. Hoc anno comprendit Michael [3], rex Sclavorum, civitatem Sipontum mense Julio, die sanctæ Felicitatis (13), secunda feria, indictione 15 (*an.* 926, Jul. 10).

929. Hoc anno Tarentum captum est a gente Saracenorum mense Augusti, in solemnitate sanctæ Mariæ (*Aug.* 15).

949 [4]. Hoc anno intraverunt Hungari in Italiam, et venerunt usque ad Idrontum, et fuit interitus [boum [5]]. Et Placipodi obsedit Cupersanum.

979. Hic inchoatum est monasterium Barense sancti Benedicti a domino Iheronymo, venerabili abbate.

981. Hoc anno fecerunt bellum Sipontini et Asculenses in Vado Somilo.

996. Hoc anno obsessa est Materies (14) tribus mensibus currentibus ab iniqua gente Saracenorum; et in quarto mense, id est Decembri, per vim inde eam comprehenderunt; in qua quædam femina filium suum comedit.

1003. Hoc anno obsessa est civitas Bari a Saphi apostata atque caiti (15), et perseveravit ipsa obsidio a mense Maio usque ad 10 Kal. Octobr. Et liberata est per Petrum, ducem Venetiarum, bonæ memoriæ.

1011. Hoc anno rebellavit Longobardia (16) cum

LUPUS PROTOSPATARIUS.

A [6] transitu sancti Gregorii papæ anni 252, anni Domini 855, indictio 3.

Anno 860 indictione 8. Hoc anno [7] comprehensa est civitas Barum [8] ab imperatore [9].

861 (17). Mortuus est Michael imperator, et surrexit Basilius parakenumenus [10] [filius ejus [11]] et regnavit ann. 21 ipse solus, et ann. 9 [12] cum filiis [12*].

866. Intravit Ludovicus imperator Beneventum

867. Incensa est Matera a Ludovico imperatore, et idem Ludovicus imperator intravit civitatem Oriæ [13] (12).

868. Exierunt Agareni a Baro civitate per Francos, tertio die intrante mense Februarii [14]; eodemque anno comprensus est prædictus Ludovicus in B Benivento (18).

875. Intraverunt Græci in [15] Baro [16] mense Decembr., die natalis Domini, feria [17] 3 [18] Gregorius stratico, qui et Bajulus dicebatur.

880. Exierunt Agareni de Tarento [19] (19).

884 [20]. Surrexit Aio [21] princeps [22] mense Octobris.

885. Mortuus est [23] Basilius imperator, et cœperunt regere Leo et Alexander [24], filii [25] ejus, annis 26 soli, et [26] cum eo annis 9.

886. Facta fuit perditio [27] in Baro mense Junii, quando [28] princeps fecit prœlium cum stratico Trapezi [29] (20) et Græcis.

890. Obiit Aio princeps, et surrexit Ursus [30] frater ejus [31].

C 891. Intraverunt Græci Beneventum mense Octobris, et stratigo Sabbatichi [32] in Siponto mense Junii.

894. Exierunt Græci de Benevento in mense Aug. per Francos.

900. Descendit Melisiano [33] stratigo in Apulia.

901 [34]. Descendit Abrami rex Sarracenorum in Ca-

VARIÆ LECTIONES.

[1] *in ed. additur :* A. 612 Domitianus regnavit annis 15. *Quod ad annum* 80 *referendum est, et notas primi cycli majoris eidem paginæ inscriptas fuisse ostendit; cf. infra a.* 931. [2] *alia manu in* 1. [3] itachael *c.* [4] *In ed. a.* 931 *additur* : Hoc anno obiit Ambrosius Mediolanensis antistes, *quæ ad a.* 399 *pertinere cyclorum duplicium* ratio *demonstrat.* [5] *ita supplendum esse, patet ex Lupo.* [6] 1*a. ex Ann. Barensibus annorum* 605, 612, 782 *annotationes repetit.* [7] *Hoc modo* : Anno . . . indictione . . . Hoc anno, *etc. cujusque anni notatio incipit, quod ex cyclis decennovennalibus fluxisse videtur, hic tamen omitti placuit.* [8] bari 3. [9] Constantinopolitano *addunt* 3. 4. [10] parascenumenus 1. parast. 2. parascensu 3. [11] f. e. *desunt* 1. 1[a]. [12] octo 1. [12*] f. suis 3. 4. [13] oriem 2. [14] Septembris 3. [15] *deest* 3. 4. [16] Lari 3. harum 4. [17] f. 3. *deest* 1. [18] III, et G. 3. 4. [19] taranto 3. [20] 883. 1. [21] alo *codd. omnes semper.* [22] priceps 1. [23] *deest* 1. [24] alexius 1. [25] filius 1. [26] et c. eo a. 9. *desunt* 1*. [27] proditio 2—4. perditione et uccisione 1[a]. [28] quod 3. [29] st. detrapegi 1[a]. [30] urso 3. [31] ind. 4. *addit* 1. [32] sabbathici 3. [33] meclitanus 3. [34] 902. ind. 5. 1*a. qui hæc ex Ann. Bar. habet.*

NOTÆ.

(12) In provincia Hydruntina.

(13) Dies 10 Julii a. 926 in feriam secundam incidit.

(14) Matera in Basilicata, haud procul Tarento.

(15) Militaris officii nomen apud Sarracenos.

(16) Apuliæ pars quæ Longobardis olim paruit.

(17) A. 867.

(18) Cf. Chron. Salern., c. 107, et Simeon magister ac Basilio c. 20, ed. Bonn., p. 694 sqq.; Ce- D drenus ib., II, p. 221; Zonaras XVI, 9, ed. Par. II, p. 170.

(19) Cf. Theoph. cont. V, 66, ed. Bonn., p. 306 (Cedrenus, II, p. 235).

(20) Κωνσταντῖνος ὁ τῆς τραπέζης Simeon, ed. Bonn., p. 701; cf. Georgius mon. ib., p. 852; Theoph. cont., VI, c. 5, ed. Bonn., p. 356 (Cedrenus, II, p. 253). Cf. etiam Erchemp., c. 76.

ANNALES BARENSES.

Mele ad ipsum [35] Curcua mense Maio, 9 die intrante. Et fecerunt bellum in Betete (21), ubi multi Barenses ceciderunt. Et Ismael fecit bellum in Monte Peluso cum ipsis Græcis, et cecidit illic Pasiano.

1013. Hoc anno obsessa est Bari a catepano (22) Basilio cognomento Sardonti, undecimo die astante mense Aprilis, et completis diebus sexaginta unum fecit pacem cum ipsis, et ipse intravit castellum Bari, ubi sedes est nunc Græcorum magnatum (23).

1021. Hic fecit prœlium Basilius Vulcano [36] cum Francis, et vicit illos in civitate Canni.

1027. Hoc anno descendit Ispo chitoniti (24) in Italiam cum exercitu magno, id est Russorum, Guandalorum, Turcorum, Burgarorum, Vlachorum, Macedonum aliorumque, ut caperet Siciliam [37]. Et Regium restaurata est a Vulcano catepano. Sed peccatis præpedientibus, mortuus in secundo anno (25) Basilius imperator; qui omnes frustra reversi sunt [38].

1035. Hic in epiphania Domini obiit Bisantius episcopus, qui fuit piissimus pater orfanorum, et fundator sanctæ ecclesiæ Barensis, et cunctæ urbis custos ac defensor, atque terribilis et sine metu contra omnes Græcos. Et electus est in ipso episcopatu ab omni populo Romualt prothospatarius. Et in mense Aprilis vocavit eum ad se imperator in exilium ; et quinto Idus intrante Augusto electus est Nicolaus.

1040. Hic nono die intrante Januarii obiit Nichiforus, qui et Dulchiano, catepanus in civitate Ascolo. Et quinto die intrante mense Maii occisus est Michael Criti [39], qui vocatur Kirosfacti, sub castello Mutulæ ab ipsis conteratis [40] (26). Et septimo die astante venerunt omnes in civitate Bari cum Argiro, filio Meli. Tunc ipse Argiro sauciavit Musondo [41], qui erat primus inter eos, et ligatis manibus, misit eum in carcere cum Johanne Stonense. Et omnes conterati dispersi sunt.

LUPUS PROTOSPATARIUS.

labriam, et ivit Cosentiam civitatem, et percussus est ictu fulguris.

912. Complentur ab obitu sancti Martini 500 [42] anni [43].

913. Coronatus est Constantinus imperator, filius præfati Leonis, qui regnavit ann. 47.

916. Exierunt Agareni a Garaliano [44], et sunt anni 350 quo intraverunt Langobardi in Italiam sub Alboin rege eorum.

919 [45]. Explentur octoginta [46] anni, ex quo Agareni introierunt in Italiam [47].

920. Introierunt Hungari, id est Hunni [48], in Italiam mense Februarii.

921. Interiit Ursileo stratigo in prœlio de Asculo mense Aprilis, et apprehendit Nadulfus [49] Apuleo [50] (27).

924 [51]. Capta est Oria a Sarracenis mense Julii, et interfecerunt cunctos mares, reliquos vero duxerunt in Africam, eos venundantes.

926. Comprehendit Michael Sclabus Sipontum mense Julii [52].

927. Fuit excidium Tarenti [53] patratum, et perempti sunt omnes viriliter pugnando ; reliqui vero deportati sunt in Africam. Factum [54] est in mense Augusti in festivitate sanctæ Mariæ.

929. Nandolfus [55] et Guaimari [56] principes intraverunt in Apuliam (28).

936. Venerunt Hungari in Capuam.

939. Obscuratus est sol et apparuerunt stellæ mense Julii adstante tertia die, feria 3, hora 3, luna 29.

940. Intraverunt Hungari in Italiam mense Aprilis. Et in ipso anno factum est prœlium in Matera a Græcis cum Langobardis cum stratigo Imogalapto [57] (29). Et necavit [58] Pao [59] in mari.

942. Obiit [60] Nandolfus [61] princeps decima die astante mensis Aprilis.

945. Ceciderunt Romanus [62] (30) et [63] Ubo (31)

VARIÆ LECTIONES.

[35] ipm sum 1. [36] uulano 1. *sed v. infra* a. 1027. [37] la quale presa, Regio fu *etc.* 2. [38] la vigilia de sancto Martino. Et vivente ello renuntio lo imperio a Romano : et dedeli per moglie Zohi sua figliola. *cf. Lupum a.* 1029. [39] *ita corrigo ;* cati 1. de Cato 2. [40] conterati cive rocti e vinti 2. [41] musando 2. [42] quingenti 1. V. 2. quinque 3. LI. 4. [43] *hæc desunt* 1a. [44] gariliano 2. 4. carigliano 3. [45] 916. 2. 4. Annoque eodem 3. [46] 40 2. 4. [47] hæc desunt 1 *a.* [48] hunnii 1. [49] nandolfus andulph. 3. pandulphum 4. [50] apuleium 3. [51] 925. 1a *ex Ann. Barens.* [52] junio 1. [53] zarenti 3. [54] A. Id f. 2—4. est hoc 3. [55] nadolfus 1. nandulphus 3. pandulphus 4. [56] graimali 1. grabimele 1a guaymari 2. guaymarius 4. [57] imo galacto 3. [58] negavit eum p. 4. [59] Læo 3. paholo presclo anegho in mare 1a. [60] obii 1. [61] nadolfus 1. nadulfo 1a. nandulphus 3. pandulphus 4. [62] romano *sæpius* 2. romani 3. [63] *deest* 3.

NOTÆ.

(21) Fortasse Bitecto prope Barium. Prat.
(22) I. e. capitaneo.
(23) A. 1071 Bari a Northmannis capta est.
(24) I. e. κοιτωνίτης, *cubicularius.*
(25) Obiit Basilius anno 1025, Constantinus a. 1027.
(26) I. e. concivibus.
(27) I. e. *Landulfus Apuliam.* Cedrenus, II, p. 535.
(28) Cf. Chron. Salern., c. 158.
(29) Fueritne Græci hujus ducis nomen ex nomine ductum ὁμογάλακτος, sive dicas agnomen, quod valet *collactaneus*, non definio. Prat.
(30) Imp. Græcorum a. 944, Dec., depositus, obiit a. 948, Jul.
(31) Hugo rex Italiæ a. 947.

ANNALES BARENSES.

1041. Hic venit a Sicilia in Lombardia [64] Michael protospatarius et catepanus, qui et Dulkiano junior. Mense Novembri intravit in Bari; qui et jussit [65] in patibulo furcæ appendi quatuor homines [66] super murum Bottontinum. Mense Martio decimo septimo intrante factum est prœlium Normannorum et Græcorum juxta fluvium Dulibentis [67] (32). Et ceciderunt ibi multi Russi et Obsequiani [68] (33). Ipse vero Dulkiano cum reliquo exercitu, qui remanserat ex ipso prœlio, fugam petierunt in Montem Pelosum (34). Deinde collectis mense Maii in unum omnibus Græcis apud Montem Majorem juxta fluenta Aufidi, initiatum est prœlium quarto die intrante, ubi perierunt plurimi Natulichi (35) et Obsequiani [69], Russi, Trachici (36), Calabrici, Longobardi, Capitinates. Et Angelus presbyter episcopus Trojanus atque Stephanus Acherontinus episcopus ibi interfecti sunt. Nam nempe, ut dictum est ab omnibus qui hæc noverunt, aut (37) plures quam duo [70] milia Normandi fuerunt [71], Græci vero decem et octo milia, exceptis servitoribus. Hinc rediens Michael confusus cum paucis, relictis semivivis pro pavore Normannorum sevientium, scripsit ad Siciliam, et venerunt ipsi miseri Macedones et Paulikani et Calabrenses; et collectis insimul cum reliquis in catuna (38) Montis Pilosi, tunc descendit catepanus filius Budiano in Apuliam; Michael rediit ad Siciliam, jubente imperatore, unde venerat.

1042. Hoc anno tertia die intrante mense Septembri Græcorum exercitus descenderunt ex Monte Piloso, et Normanni ex castello Siricolo; inter duos montes inierunt conflictum maximum, in quo omnes miseri Macedones ceciderunt, et pauci de reliquo remanserunt exercitu. Ibi quippe Bugiano vivus captus, et portatus est per totam Apuliam usque Beneventi patriam. Nam, ut aiunt veraciter qui in ipso bello inventi sunt, Normanni septingenti, et Græci decem milia fuerunt. Postmodum peracto bello tertio jam dicto, inierunt pactum cum ipsis Franchis Ma-

LUPUS PROTOSPATARIUS.

mense Decembri, et perierunt Ungari a rege Ottone [72] (39).

946. Factum est homicidium in Baro mense Decembris [73].

947. Introierunt Ungari in Italiam, et perrexerunt usque Idrontum. Et Platopodi obsedit civitatem Cupersani [74]. Fuit eodem anno interitus [75] bovum [76] per omnem terram.

950. Obsiderunt Græci Ascolum [77].

951. Malachiano fecit proelium in Calabria cum Sarracenis, et cecidit [78] (40).

956. (41) Incensi sunt Marantius Clemeri [79] et Excessula [80] in Baro.

960. Obiit Constantinus imperator, qui regnavit ann. 47, et surrexit Romanus, filius ejus. Et fuit prœlium inter Adralistum et Ismael.

961. Insula Cretes comprensa est a Græcis sub Romano Mense Martii (42), et [81] Trabomen [82] capta est a Sarracenis, et obscuratus est sol.

963. Obiit Romano imperator, et elevatus est Nichiphorus, qui regnavit ann. 7; et Otto rex intravit Romam, et obscuratus est sol.

965. Introivit Manuyli [83] patritius in Siciliam, et mortuus est ibi (43).

966. Introivit Nichoforus magister [84] in civitatem Bari, et sunt anni 400 ex quo intraverunt Langobardi [85] in Italiam.

967. Descendit Otto rex et senex, pater Ottonis regis, qui pugnavit cum Bulchassino rege Sarracenorum et interfecit eum [86].

969. Introivit Otto rex in Apuliam mense Martii, et obsedit civitatem Bari [87], et in alio anno intravit in Calabriam mense Octobris; et sol obscuratus est in mense Decembris (44).

970. Occidit Simischi [88] Nichiforum imperatorem, et elevatus est ille.

972. Pugnavit Atto [89], filius Transamundi [90] (45) marcise [91], cum 40 milibus Sarracenorum. Caytus [92] eorum Bucoboli vocabatur; et vicit Atto [93] cum 60

VARIÆ LECTIONES.

[64] et poi in Apulia 2. *perperam.* [65] qui ejussit 1. [66] principali cictadini Barensi 2.! [67] Olibenti *conjecit Pratillus.* [68] molti Greci Russi et Obsequani 2. [69] obsequani 2. [70] quatro 2. [71] furono morti 2. [72] octone 2. 3. othone 4. [73] inter cives *addunt* 4 1ª [74] conversani 3. [75] interritus 1. [76] bonus introitus 3. 4. [77] et obtinuerunt *addunt* 4 1ª. [78] 3. 4. *addunt :* Anno 955. descendit Marianus patritius in Apuliam. [79] demeri 2. cremeri 1ª cleri (clericus?) 3. cleri 4. [80] thessula 1ª. [81] tertio 1. [82] titabomen 3. 4. ctrabomen 1ª. [83] manuli 1. manuelis 3. manuyci 4. [84] *deest* 1. [85] long. 1. 2. [86] et furonvi morti quaranta milia pagani *add.* 1ª. *cf. infra a.* 982. [87] irritu conatu *addunt* 4. 1ª. [88] simihi 1. simichy 2. simischi 3. 4. [89] apto 1. acto 2. actho 3. asto 4. octo 1ª. [90] transmundi 1. 1ª. [91] marase 1. marchisii 3. 4. [92] caycus 2. [93] asto 1? 4. acto 2. actho 3. octo 1ª.

NOTÆ.

(32) Videtur esse Aufidum innuens rivus Olivento prope Venusiam,

(33) Auxiliares esse videntur.

(34) Mons Pilosus ab oriente Venusiæ.

(35) I. e., Anatolici; orientales.

(36) I. e., Thraces.

(37) I. e., *haud.*

(38) Catuna adhuc vulgariter apud Calabros *Catojo*, locus cavernosus palustris et subtus montem aliquem situs, in qua armenta asservantur.

D PRAT.

(39) A. 955.

(40) Cf. Cedrenus II, p. 358.

(41) Cf. Theoph. cont. VI, 30, p. 453.

(42) Cf. Leo Diacon. II, 6-8.

(43) Cf. Leo Diac. IV, 7, 8; Cedrenus II, p. 353, 360. (Zonaras XVI, 24.)

(44) A. 968, d. 22. Decemb.

(45) Spoletani.

terienses et Barenses, dum non esset qui ex ipsorum manibus eos eriperet. Deinde mense Februarii Normanni et cives Barisani elegerunt Argiro, qui et Meli, principem et seniorem sibi. Mense Aprilis descendit Manichi in Tarentum, qui et magister, et coadunavit omnem exercitum Græcorum, et fecit suda (46) in loco qui dicitur Tara. Tunc scripsit Argiri in Aversam ad ipsos Normandos et in Melfiam, et omnes venientes quasi [94] septem milia in Mutulam. Tunc ipse iniquus Manichi una cum cuncto agmine hostium pavore nimio exterriti, nocte fugientes reclusi sunt in Tarentum. At ipsi Normanni cum starent ante portam terraneam, quærentes pugnam, et minime esset qui eis percunctaret, deprædaverunt totam terram Oriæ, et sic reversi sunt ad sua. Mense quidem Julio miseri Juvenatienses (47), peracto fœdere cum ipsis Græcis manentibus [95] in Trane, ipse princeps Argiro circumdedit eandem miseram Juvenatiam cum Normannis et Barensibus; et eo (48) flebilis tertia die suæ obsessionis per vim capta est et expoliata omni suppellectili; et Græci nec non interfecti in eadem sunt. Populum vero ipse princeps virorum ac mulierum multa præce liberavit ex Normannorum manibus. Postea vero dum Tranenses non acquiescerent Baresanis malum ingerere, ultima hebdomada mensis Junii ipse princeps cum [96] Normannis et Barensibus obsederunt eam triginta sex diebus. Quam proeliis vel aliis calamitatibus angustiavit eandem fortiter. Nam talem turrem ex strue lignorum ibidem componere fecit, qualis humanis oculis nusquam visa est modernis temporibus. Sed ipse Argiro, susceptis imperialibus litteris fœderatis et patriciatus an cathepanatus [97] vel vestati (49) honoribus, jussit argumenta incendi. Et reversi Bari, ad laudem dedit [98] sancto imperatori Constantino Monomacho cum suis concivibus. Hactenus facti talia; nunc ad Maniachi impietatem reducam articulum. Igitur remotis, ut dixero, Normannis ab ejus finibus, conglobato in unum exercitu, mense Junio Maniachi sub nocte una ad Materiem civitatem profectus est; ubi quantos per segetes et undecumque homines capiat, ante coram Materialis oculis plus quam ducentum occidi fecit impius. Similiter secunda

A

B

C

D

milibus [99] suis, persequens [100] Agarenos usque Tarentum.

973. [101] Obiit Passarus prothospatarius [102]

975. Ismael interfectus est, et Zacharias Botuntum [103] accepit.

976. Sarraceni obsederunt Gravinam [104], et obiit Simischi [105] imperator, qui et Joannes, et cœperunt regnare Basilius [106] et Constantinus germani.

977. Incenderunt Agareni civitatem Oriæ [107], et cunctum vulgus in Siciliam deduxerunt.

978 [108]. Mortuus est Joannes episcopus, et surrexit Pao [109] archiepiscopus indict. 6.

979. Occidit Porfirius [110] prothospatarius Andream episcopum Oretanum [111] in mense Augusti.

981. Fecit prœlium Otto rex cum Sarracenis in Calabria in civitate Columnæ [112], et mortui sunt ibi 50 milia paganorum [113] cum rege eorum, nomine Bullicassinus [114].

982. Tradita est Barus in manu Calochiri patritii, qui et Dalfina [115], a duobus fratribus Sergio et Theophilacto mense Junii 11 die. Et Otto rex obiit Romæ.

983. Comprehendit prædictus Dalfina [116] patritius civitatem Asculum [117] mense Decembris.

985. Descendit Romanus patritius cum filio suo in Apuliam.

986. Sarraceni comprehenderunt sanctam Chiriachi [118] civitatem (50), et dissipaverunt Calabriam [119].

987. Occisus est Sergius prothospatarius a Barensibus mense Februarii quintodecimo die. Et in ipso anno mortuus est Andralistus [120] a Nicolao Criti mense Augusti die 15, et obscuratus est sol.

988. Sarraceni depopulaverunt vicos [121] Barenses, et viros ac mulieres in Siciliam captivos duxerunt.

989. Descendit Joannes patritius, qui et Ammiropolus, et occidit Leonem Cannatum [122] et Nicolaum Critis [123] et Porfirium.

990. Occisus est [124] Bubali et Petrus exubitus [125] (51) mense Martii.

991. Fecit bellum Atto [126] comes cum Sarrace-

VARIÆ LECTIONES.

[94] quas 1. [95] mantibus 1. [96] *deest* 1. [97] cathepanus 1. [98] d'd' 1. [99] *ita* 1ª. LX 1—4. [100] prosequens 1 ? 2? [101] 977. 1. [102] protospatha 2. *constanter*. [103] butontem 2. botritum 3. [104] irrito conatu *addunt* 4. 1ª. [105] simichi 1. simichy 2. [106] basulux 1. [107] horiæ 1. [108] *totus annus deest* 1ª. [109] paulus 5ᵇ. [110] profreus 2. [111] horetanum 1. oratanum 3. [112] colupna 2. columna 3. cotruna 4. [113] pœnorum 2—4. [114] bullicassimus 2. bulcassino 3. bulcassimus 4. *horum loco* 1ª *notam a.* 982. *Ann. Barensium refert.* [115] delfina 3. 4. [116] delphinus francorum c. a. 3. [117] ascoli 1. [118] kyrathy 2. chirachi 1ª. [119] totam *addit* 4. [120] andraliscus 2. [121] vichi cio et casali 1ª. [122] canutum 3. [123] cretis 1. [124] descendit 5. [125] exsubitus 2. [126] apto 1. actho 3. octo 1ª.

NOTÆ.

(46) Vallum, castrum.
(47) Incolæ civitatis Giovenazzo.
(48) I. e., *ab eo*.
(49) Dignitas quædam palatina.
(50) S. Chiriaco.
(51) Excubitor, munus in aula Byzantina.

ANNALES BARENSES.

profectione in Monopolim iniquus facere non timuit.

1043. Hoc anno mense Septembri descendit Tubachi prothospatarius et Pardus patricius et Nicolaus archiepiscopus Idruntum cum Chrysubulo [127] et Simpatia. Tunc ipse iniquus Maniachi pacifica fraude eis obviam exiens, statim occidi jussit Pardum gladio, et Tubachi retrudi in custodia, quem mense Octobris occidi similiter fecit.

A

LUPUS PROTOSPATARIUS.

nis in Tarento, et ibi cecidit ille cum multis Barensibus.

992. Facta est fames magna per omnem [128] Italiam [129].

993. Defunctus est Pao [130] archiepiscopus, et Chrysostomus elevatus est [131].

994. Obsessa est Matera a gente Sarracenorum tribus mensibus, et in quarto mense comprehensa est ab eis.

997. Occisus est marco [132] Theodorus exubitus [133] in civitate Oriæ a Smaragdo [134] et Petro germanis.

998. Venit Busitu caitus [135] cum Smaragdo præfato in Barum mense Octobris, et præfatus Smaragdus eques intravit Barum [136] per vim a porta occidentali, et exiit iterum; tunc Busitu cognita fraude discessit.

999. Descendit Trachamoti [137] catepanus [138-139], qui et Gregorius, et obsedit civitatem Gravinam, et comprehendit Theophilactum.

LUPUS PROTOSPATARIUS.

Anno 1000. ab incarnatione Domini indict. 13. B captus est prædictus Smaragdus [140] a Trachamoti mense Julii 11. die, et in ipso anno obiit rex Otto [141] in Roma.

1002. Obsedit Sapi caytus Barum astante Maio 2. die usque ad sanctum Lucam mense Octobris; tuncque liberata est per Petrum ducem Venetorum.

1003. Obsederunt Sarraceni Montem Caveosum [142] mense Martii [143].

1005. Rediit Durachium [144] in manus imperatoris per Theodorum.

1006. Descendit [145] Siphea [146] catepanus mense Julii.

1007. Defunctus est præfatus catepanus in civitate Bari [147].

1008. Descendit Curcua [148] patritius in mense Maii.

1009. Cecidit maxima nix, ex qua siccaverunt arbores olivæ, et pisces et volatilia mortua sunt. Et in mense Maii incepta est rebellio, et in mense Augusti comprehenderunt Sarraceni [149] civitatem Cosentiæ rupto fœdere nomine cayti Sati [150].

1010. Obiit Curcua, et descendit Basilius catepanus Marsedonici [151] mense Martii; et Sillictus [152] incendit ipsos homines in civitate Trani [153].

1014. Venit Henricus [154] imperator Romam mense Februarii, et Cassanum [155] incensum in mense Augusti.

1015. Apparuit stella cometæ mense Februarii, et Samuel rex obiit, et regnavit filius ejus.

1016. Occisus est ipse filius præfati Samuelis [156] a suo consobrino, filio Aronis, et regnavit ipse. Et civitas Salerni obsessa est a Sarracenis per mare et per terram [157].

1017. Obiit in Butruntio Marsedonici [158] catepanus, et in mense Novembrio interfectus est Leo, frater Argiro. Et in hoc anno descendit Turnichi [159] catepani mense Maii. Et fecit prœlium cum Mele [160] et Normannis Leo Patiano exubitus. Iterum in mense Junii 22. die prœlium fecit præfatus Turnichi [161] catepani, et vicit Melem et Normannos, et mortuus est Patiano ibi; [162] Condoleo descendit in ipso anno.

C

1018. Descendit Basilius catepanus, qui et Bugianus, et Abalanti [163] patricius mense Decembris. Et Ligorius Tepoterici [164] fecit prœlium in Trane, et occisus est ibi Joannatius prothospatarius, et Romoald [165] captus est, et in Constantinopolim deportatus est.

1019. Fecit proelium supradictus Bugiano in mense Octobris cum Francis et vicit. Et Mel fugit cum aliquantis Francis ad Enerichum imperatorem.

1020. Descenderunt Sarraceni cum Rayca [166], et obsederunt Bisinianum et apprehenderunt eam; et mortuus est ipse admira [167] et Melis dux Apuleæ.

1021. Captus est Dactus [168] et intravit in civita-

VARIÆ LECTIONES.

[127] chyrisubulo 1. [128] totam 3. 4. [129] et annonæ caritas *addunt* 3. 4. [130] pau 5. [131] *hæc desunt* 1a. [132] nearco 2. marcus 3. marcho 4. [133] excubitus 2—4. [134] smaralgdo 1. [135] kaytus 2. chaytus 3. [136] in baro 2. [137] tracmonti 3. [138-139] catapanus *constanter* 2. [140] S. in tracamotto 3. [141] opto 1. [142] scaueosum 1. [143] et nihil profecerunt *addunt* 4. 1a. [144] craclius 1. [145] descendi 1. [146] xyphea 3. 4. [147] baro 2. [148] curcira 1a. [149] saraceni *constanter* 1. *ubi etiam* normani. [150] nominati 1. n. c. s. *desunt* 3. [151] marcedonico 1. a. mascedoniti 2. macedonia 3. mesardoniti 5. [152] silictus 1. [153] trane 2. [154] enrichus 2. [155] cassanus incensa 2—4. [156] re de Africa *addit* 1a. [157] et nihil profecerunt *addunt* 4. 1a. [158] marsedoniti 2. masardoniti 3. mesardoniti 4. [159] turnici 2. [160] mese 1. [161] turniki 2. [162] et c. d. i. i. a. *desunt* 3. 4. 1. a. [163] ababanti 1. abalautius 4. [164] tepoteriti 2—4. [165] romoala 1. 1a. romoal 3. [166] rabica 1a. [167] ammira 1a. amira 2. amita 3. [168] dictus 1. dattus 2. 4. 5.

tem Bari equitatus in asina 15. mensis Junii.

1022. Venit Enerich imperator in Beneventum mense Martii, et obsedit civitatem Trojorum [169].

1023. Venit Rayca [170] cum Jaffari [171] criti in civitate Bari in mense Junii, et obsedit eam uno die; et amoti exinde comprehenderunt Palagianum [172](52) oppidum, et fabricatum est castellum Mutulæ [173].

1024. Factum est signum magnum in episcopatu Acherontino sub præsule secundo Stephano Materiensi in sancto [174] die paschæ : crucifixus magnus argenteus concussus est tribus vicibus capite, brachiis et pedibus, cunctis hoc aspicientibus. Et in hoc anno ccecidit nix magna. Et in hoc anno transfretavit Bugiano in Chorvatia [175], et comprehendit ipsam Patrocissam [176] uxorem Cismigi [177], et direxit illam Constantinopolim. Et hoc anno mortuus est Enerich [178] imperator, et surrexit Conus [179], nepos ejus.

1028. Descendit Oresti(53) chetoniti [180] in mense Aprilis, et tunc obiit Barensis [181] episcopus Joannes, et factus est Bisancius archiepiscopus.

1029. Venit Eustachius cum filiis Basilisco [182] et [183] Mandatora, et adduxit honorem catepani ad Christoforum ; et Orestes præfatus descendit in Constantinopolim cum Bugiano. Et hoc anno mortuus Constantinus imperator in vigilia sancti Martini, et se vivente imposuit in sede sua Romano, et dedit ei uxorem Zoi, filiam suam. Tandem Raycha et Zaffari [184] obsiderunt castellum [185] Obbianum ; qui Obbianenses, extraneos tradentes, pacificaverunt cum ipsis. Et in mense Julii [186] venit Potho [187] catepani, fecitque pugnam cum Raycha [188] in Baro. Hoc [189] anno obiit Guamarius princeps Salerni.

1031. In mense Junii Sarraceni comprehenderunt civitatem Cassani; et tertia die astante mense Julii fecit prœlium Potho [190] cum Sarracenis, et ceciderunt Græci.

1032. Descendit Hychiacon [191] ketoniti [192], et secum adduxit ipsos Anatolichi [193].

1033. Prima die intrante Maio descendit Constantinus prothospatarius, qui et Opo [194] vocabatur (54), catepani Italiæ.

1034. 11. die intrante mense Aprilis obiit Romanus imperator, et surrexit Michael imperator. Et [195] Argiro Barensis obiit Constantinopoli.

1038. Descendit Michael patricius et dux, qui et Sfrondili [196] vocabatur, et transfretavit cum Maniachi [197] patricio (55) in Sicilia.

1039 [198]. In mense Februarii descendit Nichiforus [199] catepani, qui et Dulchiano [200] dicebatur (56).

1040. Prædictus Dulchianus excussit conteratos [201] 201 de Apulia, et prædicti conterati occiderunt Chirisfactira [202] critiri [203] imperator [204] 204 subtus Mutulam et Romano Materiense [205] mense Maii. Eodemque mense obsedit Argiro, filius Melis, Barum civitatem, et percussit Musandum [206], et ligavit cum vinculo [207], et introivit cum eo in Baro. Et conterati dispersi sunt.

1041. Descendit Dulchiano [208] a Sicilia ivitque Ascolum, et in mense Martii Arduinus Lombardus convocavit Normannos [209] in Apuliam in civitate Malfiæ, et prædictus Dulchianus fecit prœlium cum Normannis fere [210] tribus milibus, et ceciderunt Græci; et mense Maii iterum prœliati sunt Normanni feria 4. [211] cum Græcis, et fugit Dulchianus in Baro (57).

1042. Venit Exaugusto [212] (58) fecitque bellum cum Normannis [213] 3. die intrante mense Septembris, et comprehensus est ille ibi et in Melfia deportatus est. Et in mense Decembris obiit Michail imperator, et [214] elevatus est cæsar [215] nepos ejus nomine Michail imperator. Et in mense Febr. factus est Argiro Barensis princeps et dux Italiæ. Et in mense Aprilis descendit Maniaki [216] (59) magistro [217] Ta-

VARIÆ LECTIONES.

[169] in Capitinata *addit* 4. [170] bayca 3. [171] taffari 3. saffari 4. zaffari 1a. [172] pelag. 3. [173] disutile 1a. [174] secundo 2. [175] curbathia 2. 3. 4. curbachia 1a. corbatia 5. [176] patricissa 5. principissam 2? 4. [177] cosmigi 2. cormici 3. cosmici 4. cosmizi 5. [178] anarich 1. 2. henricus 3. analic 1a. [179] constantinus 3. [180] chetonici 1. ketoniti 2. chetensi 3. [181] baroensis 1. [182] basilicho 2. [183] *deest* 1. [184] zafari 2. saffari 3. 4. [185] *deest* 1. [186] aghosto 1a. [187] protho 1a. [188] raicha 1. [189] Hoc — Salerni 1. *alia manu in marg.* 2. [190] prothocatapano 1a. [191] ykyaconi 2. ychiachon 3. ichiacon 4. ykraton 1a. [192] keconiti 1. et *inserunt* 1. 2. 3. 4. [193] anacolichi 1. anacolitiy 2. anacoliky 1a. anatholicii 3. *Hæc* 5. *ita habet:* Descendit Michail protospata criti tu bilu ke tu ypodromu, et adduxit Anatoliki epi tu Ykyacon catp. [194] qui ropo 1. 1a. [195] et Argiro obiit in c. *in marg. alia manu* 2. *desunt* 3. 4. cerigo 1. [196] sfondili 5. [197] mamachi 1. maniaky 2. muniachi 3. [198] 1038. 1a. [199] nikyforus 2. [200] dulkyano 2. *constanter.* [201] contractos *constanter* 4. [202] kyrifactora 2. christophorum 3. χειρισφακτῆρα. [203] critim 3. [204] imperatorem 2. 4. imp. 3. [205] materiensem 2. 3. 4. [206] musandrum 4. [207] ei vincula 1. [208] dulchia 1. [209] *deest* 1. 2. [210] f. t. m. *desunt* 2—4. [211] normanni quadringenti 1. [212] ex aug[to] 1. 2. exagusto 3. mense aug. 4. Exagusto catapanus filius Bugiano. Iterum fecit 5. [213] et cum Atinolfo dux eorum de Venebento sub monte Pelusio 5. [214] et e. e. c. n. e. n. M. i. *desunt* 1. 1a. [215] cesarus 2. [216] manniky 2. maxiachi 3. [217] magister 3. 4.

NOTÆ.

(52) Nunc Palesciano.

(53) Cf. Cedrenum, II, p. 479.

(54) Idem ut videtur qui Cedreno, II, p. 503 Λέων ὁ λεγόμενος Ὦπος.

(55) Cedreno, II, pag. 512. Γεώργιος πατρίκιος ὁ Μανίακης. Cf. ibid., p. 520, 522, 545 Zonoras XVII, 15.

(56) Μιχαὴλ πρωτοσπαθαρίος ὁ Δοκειανός, Cedreno, p. 545; Michael Dochianus Guillelmo Apulo lib. I.

(57) Cedrenus l. l., p. 546.

(58) Græcum patritium qui in prælio captus est, appellat *Boiannem* Cedrenus II, pag 546. Sed Guillelmus Apulus, lib. I., et Ostiensis, lib II, cap. 67, *Exaugustum*, cognomine ex occasione, forte, illi imposito. PEREG.

(59) Idem qui supra a. 1038; cf. Cedrenum l. l., p. 541, 545, 547.

rentum [218], et in mense Junii deportavit Monopolim civitatem, abiitque in civitatem Matheriem, et fecit ibi grande homicidium. Et in mense Septembris Guilelmus [219] electus est comes a Matera. Et hoc anno depositus est præfatus cæsar [220] Michail [221] a regno, cæcatusque et Zoi et Theodoræ sororum jussione, et Constantinus Monomachus [222] factus est imperator. Et 3 die intrante Julio captum est Juvenatium (60) ab Argiro duce; et in mense Augusti ivit prædictus Argiro ad obsidendum Tranem, seditque super eam mense uno.

1043. Reversum est Barum ad manus imperatoris. Et in mense Septembris descendit Pardus (61) patricius cum multo auro, quem Maniaki [223] fecit occidi, seque [224] imperatorem ab omnibus appellari. Et mense Octobris venit Barum, minimeque illum recepit. In mense vero Februarii descendit Theodorus Canus magister et cathepanus, et Maniaki prædictus perrexit Durachium [225] (62).

1044. Guilelmus [226], filius Tancredi [227], descendit cum Guarimari principe in Calabriam, feceruntque ipsam Stridulam [228] castellum.

1046. Perrexit Argiro patricius Constantinopolim, et Palatinus cathepanus, qui et Eustasius [229], revocavit omnes exiliatos in Barum; perrexitque Tarentum. Et 8 die intrante [230] mense Maii commisit prælium cum Normannis, et ceciderunt Græci. Et hoc anno venit Conus [231] rex Alemannorum [232] Romam, eo quod erant ibi tres papæ, Silvester in ecclesia sancti Petri, in Laterano Gregorius, et Benedictus in Tusculano; quibus ejectis, consecratus est Clemens a prædicto imperatore; deinde prædictus imperator venit Beneventum. Beneventani vero ad ejus injuriam absciderunt strennas [233] (63) equi ejus. Et hoc anno obiit Guilelmus [234], et frater ejus Drago [235] factus est comes.

1047. Comprehensum est oppidum Stira [236] a Guarangis [237] in mense Octobris, et in mense Decembris depopulaverunt Liccem [238], et in mense Junii supradictus papa Benedictus per poculum veneni occidit papam Clementem.

1050. Obiit Zoi imperatrix, soror Theodoræ, quæ fuerunt filiæ Constantini imperatoris. Zoi enim habuit viros tres, primum Romanum [239], secundum Michail [240], tertium Constantinum Monomachum [241]; regnavit cum his tribus viris annis 22. Post mortem vero prædictæ Zoi regnavit [242] ipse Constantinus imperator cum Theodora, sua cognata, jam annis novem.

1051 [243]. Descendit Argiro magister [244] vesti [245] et dux Italiæ, filius Melis, in mense Martii et abiit Barum; et non receperunt illum Adralistus [246] et Romoaldus cum Petro ejus germano. Sed non post multum tempus Barenses receperunt illum sine voluntate Adralisti et aliorum; sed Adralistus fugiit. Romoaldus vero et Petrus fratres ab Argiro sunt comprehensi, ac catenis vincti Constantinopolim deportati sunt. Hoc anno Drago [247] occisus est in monte Ilari a suo compatre Concilio [248], et frater ejus Umfreda [249] factus est comes.

1053. In feria 6. de mense Junii Normanni fecerunt bellum cum Alamannis, quos papa Leo [250] conduxerat, et vicerunt. Et hoc anno fuit magna fames.

1054. Obiit Sico prothospatarius Materiensis [251].

1055. Obiit Constantinus imperator, qui et Monomachus [252].

1056. Cœpit regnare prædicta Theodora augusta, soror Zoi imperatricis. Et Umfreda obiit, et Robertus, frater ejus, factus est dux. Et hoc anno obiit Petrus archiepiscopus Cosentinus.

1057. Mortua est Theodora augusta, et Michail Bringa [253] factus est imperator.

1058. Trombi patricius fecit occidere Scribones [254] in Cutroni civitate.

1059. Mortuus est Michail Bringa [255], et Isaki o (64) Comni [256] factus est imperator.

1060. Elevatus est imperator Constantinus o [257] Ducos [258].

1061. Robertus dux cepit civitatem Acherontinam.

1062. Factus est papa Alexander Lucanus. Et in hoc anno intravit Robertus dux in civitatem Oriem, et iterum apprehendit Brundusium et ipsum miriarcham [259].

1063. Comprehensum est Tarentum a Normannis.

1064. Comprehensa est Matera a Roberto mense Aprilis.

1065. Robertus dux intravit Siciliam, et interfecit

VARIÆ LECTIONES.

[218] tarenti 1. [219] guidelmus 1. 2. guidelmo 1a. gulielmus 3. *constanter*. [220] cesarus 2. [221] *ita* 1. [222] monachus 1. monacho 1a. monomacho 2. et elevatus est C. monomachis in imperium 3. [223] manachi 1. *sæpius*. [224] sicque ab. 1. [225] dyrrhachium 2. 4. *deest* 3. [226] guidelmus 1. 2. [227] t. de sicilia d. 3. [228] inedulam 3. squillaci 4. scridula 1a. [229] eustasium 1. eustachius 3. [230] in Trano 2. 4. [231] conradus 3. [232] alman. *constanter* 1. [233] sercunas 1. strcuuas 2. frenos 3. strenutas 4. le sercue 1a. [234] guidelmus 1. 2. 4. [235] drogo 3. 1a. [236] scyra 2. 4. stita 3. [237] garangis 1. guaragnis 2. [238] liticem 3. litium 4. [239] romano 2. [240] michaelem 2. 4. [241] monachum 1. [242] jam nono anno regnavit imperator Constantinus 2. 3. [243] 1052. 1. [244] magnus 3. [245] vetri 3. [246] adrilastrus, adrilistus, adrilastus 1. adralistus magnus (magister) 3. [247] drogus 3. drogo 2. 4. [248] Con. 3. *deest* 4. [249] umfredus 4. [250] q. prepleo 1. [251] mantuensis 1. 1a. [252] monachus 1. [253] brinza 1a. [254] scribonem 2. 4. [255] brinza 1a. [256] komni 2. coni 3. [257] *deest* 2. 4. [258] ducas 4. [259] ipsam mariarcan 3.

NOTÆ.

(60) Giovenazzo.
(61) Cedrenus, p. 548.
(62) Cf. Zonar. XVII, 22.
(63) I. e. strepas.
(64) Articulus.

Agarenorum multitudinem, et tulit obsides [260] ex civitate Panhormi.

1066. Lofredus [261] comes, filius Petronii, voluit ire in Romaniam cum multa gente, sed obstitit illi quidam ductor Græcorum nomine Mambrita. Et hoc anno princeps Ricardus intravit terram Campaniæ [262], obseditque Ciperanum, et comprehendit eam, et devastando usque Romam pervenit.

1067. In mense Maii mortuus est Constantinus o Ducos imperator, et Michail, filius ejus, suscepit imperium. Et hoc anno apparuit stella cometis; et comes Normannus Robertus fecit bellum cum Araldo [263] rege Anglorum, et vicit Robertus [264], qui et factus est rex super gentem Anglorum.

1068. In 16 die mensis Februarii Robertus dux obsedit civitatem nomine Montempillosum; ubi nihil proficiens, cum paucis abiit Obianum, et cepit eam. Et ex traditione cujusdam Gotifredi intravit ipse dux in præfatam civitatem Montispillosi.

1069. In mense Septembris præfatus dux Robertus [265] obsedit civitatem Bari; et Romano Diogenis, qui cum præfato Michaïl privigno suo tenebat imperium, fraude prædicti Michail privigni sui apud quandam civitatem Armeniæ [266] (65) comprehensus et cæcatus est.

1070. Mense Januarii magnum homicidium factum est in civitate Brundusii; nam Normanni volentes eam comprehendere, tenti sunt ex eis quadraginta cum aliis eorum ministris quadraginta tribus, et [267] capita omnium prædictorum ad imperatorem deportata sunt.

1071. Robertus dux intravit Brundusiapolim, dimissa ante Barum obsidione; nam ipse dux fecit fieri pontem in mari, quatenus [268] concluderet portum præfatæ urbis Bari. Hoc etiam anno dolo cujusdam Argirichi [269], filii Joannaci, occisus est Bisantius cognomento Guirdeliku [270] in Baro. Et [271] in 15 die mensis Aprilis cepit Robertus dux civitatem Bari, et in mense Julii dux prædictus transmeavit Adriatici maris pelagus perrexitque Siciliam cum 58 navibus.

1072. Mense Januarii [272] die 10 introivit Robertus dux in Panhormum civitatem Siciliæ.

1073. Intraverunt primo [273] Normanni in Tranem [274] in octava epiphaniæ cum Petrono [275] comite. Sed Robertus dux, ejecto Petrono [276], introivit in ipsam civitatem in purificatione sanctæ Mariæ.

1076. Comprehensus est quidam nepos Africani regis a Rogerio, fratre ducis Roberti [277], qui præerat Siciliæ, cum 150 navibus in civitate Mazaria [278]. Et hoc anno dedit præfatus dux filiam suam (66) nurum [279] imperatori Constantinopolis.

1077. Obsessa est civitas Salerni a Roberto duce Normannorum, et comprehensa est ab eo.

1078. Obsessa est Neapolis a Ricardo principe, et minime comprehensa; et Robertus dux obsedit Beneventum, sed ejus obsessio dissipata est a Rodulfo Pipino comite. Et hoc anno obiit præfatus Ricardus princeps.

1079. Intravit Petronus in Tranem; et darum rebellavit, ejecto exinde præsidio ducis. Et Bajalardus, filius Umfredæ [280], comprehendit Ascolum. Et in hoc anno ejectus est imperator prædictus Michail a regno, et Botoniati [281] quidam factus imperator, qui abstulit præfato Michail uxorem, et abusus est ea (67). Hoc anno fuit mortalitas hominum in Matera.

1080. Inventum est corpus beati Canionis in Acheruntia [282] ab Arnaldo archiepiscopo, et idem archiepiscopus construere cœpit novum episcopium, id est ecclesiam sanctæ Dei Matris Mariæ. Hoc anno civitas Bari reversa est in potestate Roberti ducis; et idem dux obsedit civitatem Tarenti, et in mense Aprilis comprehendit eam; et [283] iterum obsedit Castellanetam [284], et cepit eam. Et hoc anno imperator Michail descendit in Apuliam, quærendo auxilium a Roberto duce contra Botaniati [285] (68). Et in mense Julii 26 [286] die ejusdem mensis mortuus est Robertus comes eximius [287], et ejecti sunt Normanni de Matera secundo; et cœpit regnare Lofredus comes, filius ejus, pro eo in Matera, in vigilia sanctæ Mariæ mense Augusti.

1081. Robertus dux intravit Tricarim mense Octobris. Et in mense Aprilis Archirici perrexit ad Michalam regem Sclavorum, deditque ejus filio suam filiam uxorem, et Robertus dux cum præfato Michaele imperatore perrexit Idrontum; missisque antea navibus in insula Corifo [288], quæ apprehenderunt eam, ubi et ipse post [289] paululum una cum imperatore transfretavit, posueruntque in mense Ju-

VARIÆ LECTIONES.

[260] obsidionem 4. 1a. [261] loffredus 4. [262] capitaniæ 3. [263] arnaldo 1. 1a. 4. [264] *aeest* 2. 3. [265] *deest* 2—4. [266] arthemiæ 1. arthenie 2. arteria 3. arctenia 1a. [267] *reliqua anni desunt* 1. 1a. [268] quantus 2. 4. conantis 5. [269] arzerizi 1. argirigi 3. [270] girdeliku 1. guirdelithum 3. guinderlichus 4. guirdeliku 1a. [271] et—Bari *desunt* 1a. [272] junii 4. [273] plos (plures?) 1. [274] Baro 1a. trane 2. taranto 3. trano 4. [275] petro 1. [276] patrono 1. [277] *deest* 2. 3. 4. [278] marzaia 3. [279] uxorem 3. [280] umfredi 1. [281] botamiti 1. [282] acherunta 1. [283] et—eam *desunt* 1a. [284] castelanetam 1. [285] bocthamati 1. [286] XXVII. 2. [287] conte magnanimo et eximio 1a. [288] corfu 1. [289] prius 3.

NOTÆ.

(65) Apud Zahram Armeniæ urbem 1071, 24 Aug. victus est. — Cf. etiam Niceph. Brienn. I, 25· Zonar. XVIII, 14, 15.

(66) Helenam sponsam Constantino Ducæ. Cf. Anna Comnena ed. Par. I, pag. 23, 27, 28. (Zonaras XVIII, 17.)

(67) Nicephorus Brienn. III, 24, 25; Anna Comnena ed. Par. III, p. 73; Zonaras XVIII, 18, 19.

(68) Non verum fuisse imperatorem sed monachum quemdam, qui hæc finxerit, tradit Anna Comnena I, p. 28, 29; Michael patriarcha Ephesinus ordinatus obiit.

hi ante Duracenum obsidionem per mare et per terram (69); quam stolus Veneticorum [290] veniens dissipavit, apertumque est mare Durachii (70). Hoc anno Botaniatim [291] factus est monachus, et Alexius factus est imperator. Et Alamannorum rex Henricus [292] venit Romam, ut ejiceret exinde papam Gregorium.

1082. Hoc anno complentur ab initio mundi 6281 et ab Urbe condita 1824 [293]. Et hoc anno Alexius imperator collecto [294] grandi exercitu iniit bellum cum Roberto duce aut [295] longe a Durachio [296], et terga versus fugit, ecciderunteque in ea pugna plus quam 6000 ex suis; fuerunt autem in ejus exercitu 70 milia hominum (71). [Et [297] dominante isto Alexio imperatore episcopus Rubensis nomine Guislibertus [298] donavit priori Montispilosi ecclesiam sancti Sabini [299], quæ est in civitate Rubi; qui prior tenebatur omni anno ad quatuor libras ceræ in die sabbati sancti, et mittere unum hominem equestrem ad suas expensas, quando episcopus Rubensis ibat ad Barensem civitatem [300] seu ad Canusium]. Et in mense Januarii Robertus dux cepit civitatem Durachii [301] traditione quorumdam Veneticorum (72). Et hoc tempore prædictus rex Henricus obsedit Romam, ut ibi [302] introiret et faceret ibidem papam Ravennensem archiepiscopum [303]. Et dux Robertus [304] rediens ab Epidauro, relicto ibi [305] Boamundo filio suo, perrexit Romam, ferens auxilium papæ Gregorio, cum jam rex in partibus moraretur Liguriæ [306] ad debellandum Mathildæ [307] provinciam, quæ cum papa tenebat Gregorio. Hoc anno Bajalardus perrexit ad Constantinopolitanum imperatorem Alexium causa auxilii. Et in eodem anno 16 die intrante mense Maii dedicatum est in Matera novum templum in honore sancti Eustachii [308] ab Arnaldo archiepiscopo sub domno Stephano abbate, auctore [309] ipsius templi.

1083. Hoc anno complentur 517 [310] anni, ex quo intraverunt Longobardi in Italiam. Hoc anno cyclus solaris 28 extitit et cyclus lunaris 17 et cyclus novennalis primus, et epacta [311] luna nulla. Et hoc tempore Romani a papæ Gregorii societate [312] discedentes, legatos ad prædictum direxerunt regem, quo [313] eum Romæ mitteret [314]. sed dux hoc antecipans, direxit plus quam triginta milia solidorum Romanis, quatenus sibi eos papæque reconciliaret; quod et factum est. Attamen rex Romam adveniens, cepit totam regionem trans Tyberim, in qua apostolorum principis eminet templum. Et in mense Junii, relicto ibidem suo præsidio ac filio in castellum, quod ille [315] illic construxit, ad debellandum Gregorium papam, qui in Laterano [316] ac in Cœlio monte se continebat, ablatis secum quadraginta a Roma obsidibus, secessit in partes Tusciæ; et dux in mense Maii posuit ante Cannas [317] civitatem Apuleæ obsidionem, et in mense Junii [318] comprehendit eam.

1084. Robertus dux, collecta multitudine Normannorum, Longobardorum aliarumque gentium, perrexit Romam, ut papam Gregorium dura obsidione retentum [319] liberaret; quod et factum est; nam Romam adveniens, Urbis maximam partem cepit, et papam exinde viriliter abstrahens, secum adduxit Salernum.

1085. Prædictus dux grandem apparatum navium multitudinemque hominum [320] innumerabili exercitu Brundusiopolim venit, et disposita ibidem navali machinatione, ingressus est Adriaticum pelagus, perrexitque in insulam nomine Cassopim [321], ubi stolus Veneticorum et filius ducis Venetiarum cum plurimis [322] navibus erat infestus duci Roberto; sed bello in mari inter eos confecto, victoria ad Normannos concessit. Cæsi sunt in ea pugna plus quam mille [323] hominum, præterea naves quinque captæ; duæ cum hominibus submersæ sunt, ita ut qui gladium potuerunt evadere bellatoris, pelagi eos [324] vorago glutiret (73). Hoc anno mense Maii prædictus papa Gregorius dum moraretur [325] Salerni, diem clausit extremum; quo moriente, tanta fertur grandinum tonitruumque extitisse procella, ut omnes illic positi hujus [326] terribilitatis procella putarent interire. Mense Julii dum jam dictus dux Robertus [Guiscardus [327]] moraretur in loco, qui dicitur . . . . . [328] devictis Veneticis, exercitusque ejus ob quandam civitatem capiendam [329] in Cefalonia moraretur insula, ipse autem in prædicto loco cum parte exercitus resideret, præparans se, qualiter [330] cum grandi apparatu navium [331] et mi-

VARIÆ LECTIONES.

[290] venetorum 1. [291] bothimatini 1. [292] enrichus 2. [293] 824. 2—4. [294] electo 1. [295] *i. e.* haud. [296] *locus vacat* 3. [297] *hæc desunt* 1. 2. 1ª. [298] guisbetus 3. [299] sabbini 3. [300] ad barum 4. [301] dirach. *constanter* 2. [302] ut vi 2. 4. conforza 1ª. [303] sed minime potuit *add.* 4. [304] *deest* 2—4. [305] *ita* 1. 3. [306] lombardiæ 4. 1ª. [307] mathildam 1. [308] eustasii 2. 4. [309] et domino 3. [310] DCXVII. 1. [311] epactæ 3. [312] a papa gregorio sequuti 1. d. subjectione se humiliantes 3. [313] qui 3. [314] mitterent 2. 4. mittere 3. [315] ipse 2. 3. 4. [316] latio 3. [317] cannam 1. *vacat in* 3. [318] julii 2. 4. [319] dentum 1. [320] grandi apparatu navium hominumque 2 — 4. [321] casopim 1. casoppi 3. cassiopim 4. [322] *deest* 1. 1ª *vacat* 3. [323] p. q. quinque milia h. 2—5. [324] equo *superscripto* pelagi 1. [325] dum Momuretum Salerni esset die 3. [326] hujusmodi turbinibus putarent 2. 4. [327] *deest* 1. 1ª. [328] d. Veneti victi a. d. V. 4. *locus vacat* 2. 3. [329] capienda 1. *deest* 3. [330] *deest* 1. 2. præparavit 4ʳ navim cum 3. [331] *deest* 3.

NOTÆ.

(69) Anna l. l., I, p. 37-40; III, p. 92-97 sqq.; IV, p. 103 sqq.
(70) Ib., p. 105 sqq.
(71) Cf. Anna IV, p. 111 sqq. (Zonaras XVIII, 22).
(72) Anna V, p. 125.
(73) Anna VI, p. 159-161.

litum innumera multitudine ad regiam tenderet navigio [332] urbem [333] (74), jussu misericordissimi omnipotentis Dei, qui dissipat ac reprobat [334] cogitationes atque consilia [335] principum [336] non ex suo procedentia, profluvio ventris [337] extinctus est [338] (75).

1086 [339]. Rogerius, filius prædicti Roberti ducis, factus est dux.

1087. In mense Maii corpus beatissimi Nicolai Mirrensis episcopi a quibusdam Barensibus a prædicta Mirrea ablatum, in Barum devectum, caput civitatum Apuleæ. Hoc anno abbas Desiderius Sancti Benedicti montis Casini, consensu quorumdam nobilium Romanorum, factus est papa Romanus, vivente adhuc Clemente papa, qui fuerat Ravennæ archiepiscopus.

1088. Mense Septembris factus est grandis terremotus per totam Apuleam, ita ut in quibusdam locis turres ac domos subruisse fertur; tunc enim cœpta est guerra inter Rogerium ducem et Boamundum, fratrem ejus. Hoc anno comprehensa est Syracusa, Siciliæ condam [340] caput, a Rogerio comite; in qua fertur homines comestos [341] ac infantes ob diuturnitatem obsidionis.

1089. Facta est synodus omnium Apuliensium, Calabrorum ac Bruziorum [342] episcoporum in civitate Malfiæ [343], ubi affuit etiam dux Rogerius et universi comites Apuleæ et Calabriæ aliarumque provinciarum. Qua statutum est, ut sancta treuva [344] Dei teneretur [345] ab omnibus sibi subjectis. Hoc anno obiit Ursus Barensis archiepiscopus; et papa Urbanus nomine venit in civitatem Bari, et consecravit illic confessionem sancti Nicolai et Heliam archiepiscopum [346], qui venerat adhuc cum prædicto papa Clemente, et consecravit Brundusinam ecclesiam præfatus papa Urbanus.

1090. Mense Augusti Acheruntia [347] cremata est a se ipsa. Et hoc anno mortuus est Jordanus [348] princeps.

1091. Jurata est treuva Dei a Normannis, et complentur ab initio mundi anni 6291, epacta 29.

1092. Dum obsideretur Ories civitas a Boamundo, auxilio quorumdam Orietani [349] dissipaverunt ejus obsidionem, et ipse Boamundus fugam petens, cunctum ejus apparatum et signa [350] ceperunt.

1093. Obiit abbatissa Eugenia Sancti Benedicti monasterii Materiensis mense Octobris [351]. Et in eodem mense ipsius anni Urbanus papa venit Materiem, et applicuit cœnobium [352] sancti Eustachii cum grandi plebe hominum suorum.

1095. De mense Aprilis in nocte quinta feria [353] subito visi sunt igniculi cadere de cœlo quasi stellæ per totam Apuliam, qui repleverunt universam superficiem [354] terræ. Et ex tunc [355] cœperunt Galliæ populi pergere, immo totius Italiæ, ad sepulchrum Domini cum armis, ferentes in humero dextro crucis vexillum [356].

1096. Rogerius comes Siciliæ cum 20 milibus Sarracenorum et cum innumera [357] multitudine aliarum gentium, et universi comites Apuleæ obsederunt Amalfim [358], et cum ibi perseverarent, subito [359] inspiratione Dei Boamundus cum aliis comitibus et plus quam 500 equitibus, facientes sibi signum crucis super pannos in humero dextro, reliquerunt obsidionem [360]; et transfretantes perrexerunt in regiam urbem, quatenus cum Alexii imperatoris auxilio bellandum [361] cum paganis pergerent [362] Hierusalem [363] ad sanctum sepulchrum domini Jesu Christi, redemptoris nostri.

1097. Boamundus cum comite Sancti Egidii et cum comite Normanniæ et aliis [364] comitibus occidentis cum innumera multitudine in mense Aprilis a regia urbe se moventes transfretaverunt, et ceperunt [365] terras, quas Turchi imperatoribus abstulerant; et facto bello cum Turchis, victoriamque Christus suis concessit christianis; fertur enim fuisse de paganis 140 milia [366]. Hoc autem est juxta Nicenam civitatem.

1098. De mense Octobris apparuit stella cometis, et christiani bellando venerunt usque Antiochiam, et obsederunt eam. Et de mense Aprilis comprehendentes interfecerunt ibi plus quam [367] 60 milia hominum. Iterumque commissa pugna, christiani vicerunt, et ceperunt multa spolia Turcorum. Et hoc anno comprehensa est Capua a Rogerio comite mense Maii.

1099. De mense Octobris papa Urbanus congregavit universalem [368] synodum (76) in civitate Bari, in qua fuerunt 185 episcopi. Et hoc anno in mense Junii in festivitate sancti Petri apostoli comprehensa est civitas Hierusalem per pugnam a christianis, et

VARIÆ LECTIONES.

[332] navigium 1. [333] civitatem 2. 4. [334] regit 3. [335] a. c. *desunt* 3. [336] p. fluvio ventris procedente defunctus est 3. [337] p. v. e. e. *desunt* 1. 2. 1a. [338] 1. *addit hoc loco quæ ibi et anno sequenti leguntur :* filius prædicti roberti ducis factus est dux; *ita et* 1a. 2. [339] *omnia hujus anni desunt* 2. [340] quondam 4. *deest* 3. [341] comesos 2? 4. [342] brieziorum 1. bricziorum 2. brutiorum 3. 4. abruczesi 1a. [343] melfia 2. [344] trevia 2. 4. trecia 3. *ita et infra.* [345] deten. 3. retin. 4. [346] a. vivente adhuc p. 2 — 4. viv. adhuc *desunt* 1a. *spatio relicto.* [347] admirandum in modum *addit* 4. [348] lordanus 3. [349] orientani 1. [350] insignia 3. le bandere 1a. [351] decembris 1a. 2. [352] ad c. 2? 4. [353] n. die quarte ferie 2. 3. n. diei IV. 4. [354] u. terram 1. [355] exterius 1. [356] signum 4. segno 1a. [357] nimia 1. [358] amalfici 1. 2. [359] *deest* 1. [360] obseditionem 1. [361] bellando 2 — 4. [362] perrexerunt 1. [363] iberus. 1. *constanter.* [364] alii 1. [365] omnem terram quam 4. [366] centum quadraginta milia 1. CXLm 1a. CL milia et XL milia 2. centum milia e XL milia 3. 150 milia 4. [367] p. q. *deest* 1. [368] *deest* 3. universam 4.

NOTÆ.

(74) I. e. Constantinopolim.
(75) Anna VI, p. 162.
(76) Anno 1098

omnes, quos ibi invenerunt, occiderunt. Fertur autem occisa esse ibi 200 milia hominum. Et tunc levaverunt sibi christiani regem Gotofredum, qui fuerat Suevorum dux. Et de mense Julii prædictus papa Urbanus obiit, et electus [369] est Pascalis papa.

1100. Mortuus est Gotofredus prædictus ab urso [370], egrediens a saltu [371], quem antea [372] eum [373] fortiter feriens [374].

1101. Comprehensa est Cæsarea a christianis et ad solum usque perducta. Et in hoc anno de mense Septembris mortuus est Goffridus comes, et Alexius [375], filius ejus, intravit Materiem, et superiora [376] cœperunt habitari [377] a Montensibus [378]. Hoc anno obiit Arnaldus archiepiscopus Acherontinus, et Rogerius comes Siciliæ [379] in mense Junii [380].

1102. De mense Novembris obiit Stephanus abbas Materiensis, et Symeon abbas successit ei. Et in mense Maii electus est Petrus Acherontinus archiepiscopus [381].

VARIÆ LECTIONES.

[369] eleuatus 3. [370] ursa 3. [371] e. ex alto 1. [372] ante 1. [373] ipse 2? 4. [374] ferierat 2? 4. [375] alexander 2. 4. alexii 3. [376] super ea 1. superia 2. supra 3. *vacat* 4. et s. c. h. a. m. *desunt* 1a. *spatio relicto*. [377] habitare 1. [378] a montisibus 1. Amantensibus 3. [379] *deest* 1. [380] iulii 4. [381] Finis 3. Finis Lupi Protospatæ 4.

ANNO DOMINI MC.

EPISTOLA ENCYCLICA
MONACHORUM MAJORIS MONASTĒRII TURONENSIS
DE MORTE BERNARDI ABBATIS

(Mabill. Annal. Bened., V, 668.)

In Majori Monasterio ex hac turbulenta vita hoc anno (1100) ad cœlestem requiem migravit piissimus abbas Bernardus, postquam sacrum hunc locum annis amplius quindecim per varias turbas rexisset, ejusque regularem disciplinam et libertatem strenue conservasset. Encyclicam de ejus obitu epistolam scripsere de more Majoris Monasterii fratres, in qua orbitatis suæ intolerabilem dolorem testantur.

Omnibus Ecclesiæ Dei ubicunque diffusæ filiis et filiabus, Domini servitio dicatis et conservis suis et comparticipibus spei, quæ est in Christo, Majoris-Monasterii fratres mutuæ charitatis in omnibus bonis participationem.

Quoniam, Apostolo docente, nos omnes qui Dominum Jesum confitemur, si fidem nostram male vivendo non mortificamus, membra corporis ejus, quod est Ecclesia, esse didicimus; cum autem patitur unum membrum, cætera commembra oportere compati, eodem insinuante, non ignoramus. Vobis commembris nostris, ut nobis compatiamini, sicut ratio charitatis exposcit, orbitatis nostræ importabilem passionem nuntiamus. Orbati sumus etenim patre nostro Bernardo, viro admodum venerabili, utpote vere, quod primum est, catholico, dulci, sapienti, pio, et ut quid de eo sine errore sentire debeatis breviter pandamus, actu et habitu veræ religionis et sanctitatis reverendo. Unde absque dubitationis hæsitatione confidimus quod ei sit præclarus quietis locus in sanctorum beatifica mansione præparatus. Sed quoniam nullum ita circumspecte vel elimate vivere in hujus ærumnosa carnis mortalitate, cui nihil mundanæ contagionis inhæserit, et probatissimorum sanctorum exemplis et divinæ Scripturæ testimoniis cognovimus, ei aliquid carneæ rubiginis, quod purgatoriis pœnalibus sit expiandum, ex parte aliqua inhæsisse formidamus. Hinc est quod petimus, in quo a vobis piæ compassionis adjutorium postulamus, scilicet ut ne forte propter aliquam carneæ fragilitatis maculam januam lebitæ quietis ad tempus purgationis ei contigerit obfirmari, vos orationum vestrarum clavibus et piarum oblationum impulsibus impetretis festinantius aperiri. Rogamus etiam ut pro nobis communem omnium exoretis Creatorem, quatenus ad beneplacitum suum vivere, et nos regere faciat Patris defuncti successorem. Et quoniam pius Pater noster vir sanctæ severitatis fuit, et non solum verba peccatricia, sed et vana et scurrilia, et quæcunque modo inutilia exosa habuit, et ab auditu suo, quantum potuit, rejecit; sanctitatem vestram precamur ut versuum nænias et derisiones, quæ potius quam prosint defuncto, facientibus accumulant damnationem, ab hac charta summovea-

tis, tantumque simpliciter locorum vestrorum nomina, et quid pro defuncto Patre nostro et pro nobis feceritis adnotetis, ut quid etiam nos pro vobis debeamus facere cognoscamus, sicque præceptum apostoli Jacobi complentes : *Orate pro invicem ut salvemini*, ad Salvatorem nostrum nos mutuis orationibus pertrahamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui vivit et regnat cum A Patre et Spiritu sancto unus beatus et beatificans Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Obiit autem hic piissimus Pater noster anno ab Incarnatione Domini 1100, indictione VIII, epacta VII, concurrente VII, idibus Aprilis, in ipsa hebdomada Paschæ, Sabbato quod est in Albis, in ipso diei exortu, tanquam qui de tenebris egrederetur ad lucem.

ANNO DOMINI MC.

BRUNO

NOTITIA HISTORICA IN BRUNONEM

(OUDIN., *Script. Eccles.* II, 958.)

Bruno quidam hoc anno 1100 vel 1110 claruit, B de quo plura scire non licuit. Fuisse videtur ætatis ejusdem cum Alulfo sub sæculi XII initium, qui ambo Collectaneum Paterianum ex opusculis divi Gregorii in libros Scripturæ compositum, injuria temporum perditum, reparare voluerunt. De Alulfo hæc habet Hermannus in *Historia restaurationis monasterii Sancti Martini Tornacensis* tomo XII *Spicilegii*, num. 38, pag. 395 et sequentibus. « Is primum clericus, deinde monachus in præfato monasterio, *armarii* seu *cantoris* officium 47 annis tenuit, omnesque libros beati Gregorii sæpius relegens, imitatus Paterium, universas tam Veteris quam Novi Testamenti sententias ab eo expositas excerpens, tres exinde codices composuit, et quartum de valde utilibus sententiis superaddidit, eisque *Gregorialis* nomen indidit. » Hæc Hermannus de Alulfo, qui *Gregorialem* componens ad imitationem Paterii, illius operis jacturam, cui prima pars tantum superesset, resarcire voluit. Alter autem qui resarciendæ Paterii jacturæ laborem suum contulit, fuit ille Bruno de quo loquimur, qui cum Collectaneum Paterii in libros Veteris ac Novi Testamenti ex Gregorii libris conscriptum et injuria temporis perditum cerneret, reparare jacturam eamdem voluit. Unde quia operis Pateriani seu Collectanei in libros Scripturæ potiores pars prima tantum superstes esset, addidit primæ huic Paterii antiqui parti, partes secundam et tertiam, ipso nomine etiam Paterii relicto, hic Bruno de quo loquimur ; unde contingit ut in mss. omnibus bibliothecarum, Paterii credantur, quia illius nomine insigniuntur. Spectant tamen hæ partes secunda et tertia Paterii ad Brunonem, ut ex epistola Brunonis ad Wernerum quemdam constat, quam Benedictini monachi ediderunt in editione ultima Operum divi Gregorii papæ omnium, Parisiis, quatuor in-folio voluminibus anno 1705 facta, tomo IV, parte II, sub præfationis finem, quam operi Pateriano a se edito præmiserunt. C Ex hac igitur epistola, constat Paterium quem Benedictini monachi Galli velut genuinum et integrum produxerunt, esse mutilum, ac partem tantummodo primam ad Paterium pertinere ; partes autem secundam et tertiam esse hujus Brunonis, qui anno circiter 1110 Paterium deficientem supplevit, illique duas partes adjecit, quæ temporum injuria perierant.

BRUNONIS GREGORIALE.

(Vide Patrologiæ tom. LXXIX, Opp. sancti Gregorii Magni tom. V, col. 681.)

ANNO DOMINI MC

BERNARDUS TOLETANUS

NOTITIA HISTORICA

(FABRIC., *Bibliotheca mediæ et infimæ Latinitatis*, I, 234.)

Bernardus, archiepiscopus Toletanus, interfuit conciliis Legionensi, Nemausensi et Gerundensi an. 1091, 1096 et 1097. Auctor Sermonum quatuor in antiphonam *Salve, Regina misericordiæ*, editorum inter Opera S. Bernardi Claræ-vallensis.

BERNARDI SERMONES.

(Vide Opera divi Bernardi, inter Patrologiæ tomos proxime edendos.)

ANNO DOMINI MC.

MANEGALDUS

NOTITIA HISTORICA ET LITTERARIA.

(Fabric., *Biblioth. med et inf. Lat.* IV, 12.)

Manegaudus, *Manegaldus*, *Manegoldus* de quo Anonymus Mellicensis cap. 105. *Manegoldus presbyter, modernorum magister magistrorum, strenuus assertor veritatis fuit, a qua nec promissis nec minis schismatici regis flecti potuit. Quin imo in dissensione illa quæ inter Gregorium VII et Henricum IV exorta fuit, pro tuenda justitia laboravit usque ad vincula. Exstat ad eum scripta quædam exhortatoria Ivonis episcopi Carnotensis epistola* (quadragesima inter Ivonianas). *Hic* textum Isaiæ *prophetæ paginalibus clausulis distinxit. Super* Matthæum *vero glossas continuas scribit. Scribit quoque super* Psalterium, *opus præstantissimum, super topazium et aurum ovryzum pretiosum.* Hujus ut videtur opusculum pro Gregorio VII, sed jam defuncto, et post A. 1080, ante A. 1101, scriptum *adversus Wolffelmarum* Coloniensem edidit laudatissimus Muratorius tomo quarto Anecdotorum Latinorum, Patavii 1713, 4°. Quæ autem *contra Epistolam Wenerici* scripturum se promittit, nusquam exstant. Haud dubie idem *Manegundus* est, quem Henricus Gandavensis cap. 28, *ait ingenii sui monumenta in expositione Psalmorum et Epistolarum Pauli posteris reliquisse.* Huic Manegoldo Teutoni tribui a nonnullis Commentarios in Psalmos, Coloniæ 1536, fol., editos, Miræus ex Joan. Molano adnotavit, quos tamen Remigii Antissiodorensis episcopi esse communis est persuasio. Verisimile etiam clarissimo Muratorio visum de eodem mentionem fieri in Ptolemæi Lucensis Annalibus ad. A. 1690 : *Per idem tempus floruit in Teutonia quidam philosophus, cui nomen Menegaldus, cujus uxor et filiæ in philosophia fuerunt permaximæ.* Anonymus apud Andream du Chesne tom. IV, de rebus Francor., pag. 89 : *Hoc tempore tam in divina quam in humana philosophia floruerunt Lanfrancus Cantuariorum episcopus, Guido Langobardus, Maingaudus* Teutonicus, *Bruno Remensis, qui postea vitam duxit eremiticam.* Fuit hic magister *Manegoldus de Lutenbach* inter primos canonicos et præpositus canonicorum regularium *Murbacensium* in Alsatia, de quo Bertholdus Constantiensis in appendice ad Hermannum Contractum ad A. 1093 et 1098, et auctor incertus ad A. 1090, apud Urstium tom. II, pag. 85. Diversus adeo a duobus ejusdem temporis, *Manegoldo abbate S. Georgii* in Suevia, quem a monachis suis occisum (1) refert idem Bertholdus ad A. 1100, et a *Manegoldo Raitenburchensi decano*, cujus librum pro defensione Gregorii VII compositum ipso adhuc vivente, tamen ab ipso non approbatum memorat Gerlachus præpositus Reichersbergensis apud clariss. Pezium tom. II Anecdotorum, parte II, pag. 491. Confer ejusdem prolegomena ad illum tomum pag. XXIX seq. et Diarium eruditorum Italiæ tom. XV, pag. 32 seq. [Opusculum a Muratorio editum longe diversi est argumenti ac censuit hic Fabricius. Totus enim in eo est ut demonstret haud ita probanda esse veterum paganorum scripta ut omnia indiscriminatim admittantur, cum plura in eis esse evincat quæ dogmatibus fidei nostræ adversantur. Hæc contra Wolfelmum usque ad cap. 23 disputantur; tum vero duobus tantummodo capitibus de causa Gregorii VII agitur, quæ adjecisse se in præfatione operis auctor profitetur eo quod sciret Wolfelmum dominum papam Gregorium polluto ore lacerasse ; ideo ait : *aliquid de illo adnectendum duxi.* Mansi.]

1) Acta Sanctor. tom. III, Februar. pag. 52.

L. A. MURATORII
IN OPUSCULUM SUBSEQUENS ADMONITIO.

(*Anecdota Latina*. IV. 163. Patavii 1713.)

Ex codice ms. 305, lit. S. Ambrosianæ bibliothecæ descriptum est hoc opusculum. Ejus auctor nomine tantum ac magistrali munere mihi notus, cætera ignotus, de illo nihil afferentibus celebrioribus historiæ litterariæ scriptoribus. Neque porro mihi aut satis otii ut exquiram, aut satis librorum ut inveniam aliquam

de illo, et de Wolfelmo Coloniensi fortasse ampliorem notitiam. Quod memini me legere olim, in clariss. Baluzii Miscellan. tom. IV memoratur *Manegaudus* quidam, qui vixisse et scripsisse nonnulla videtur circiter an. Ch. 1150. In schedis quoque meis mss. reperio brevem catalogum librorum nondum editorum exhibitum olim eruditissimo Holstenio, bibliothecæ postea Vaticanæ præfecto, ubi hæc habentur : « *Menegaldus* vel *Menengaldus*, Latinus historicus : *Historia ecclesiastica*. Qui plurima e Trogo Pompeio et Justino quoad profana transcripsisse videtur. Initium operis hoc est : *Assyriorum regum potentissimus olim fuit Ninus, qui bellum finitimis inferens regibus*, etc. Sequitur adnotatio. *Lucas Holstenius : Io credo che sia un Manigoldo..... auctor nullius judicii nec pretii, quorum centuriæ reperiuntur passim in bibliothecis monasteriorum, qualis Petrus Comestor, Vincentius Bellovacensis, aliique ejus farinæ consarcinatores, qui cum nullum suis historiis initium reperire possent, ab exordio mundi repetebant, ut mali poetæ Trojanum bellum gemino ordiuntur ab ovo. Forte sub finem ad particularem alicujus gentis Historiam, et ad sua tempora delubitur, quæ usui esse possent ad illorum temporum cognitionem : quod de proximo, et in præsenti desperandum.* At incertum mihi an ista ad Manegaldum sive Manegaudum nostrum aliqua ex parte pertineant.

Quo tamen tempore scriptor hic floruerit, conjectura assequi non difficile possumus. Agit ille de celeberrimis Gregorii VII pontificis maximi controversiis cum Henrico IV imperatore, atque ita agit ut rem non antiquam, sed recentem, et lites ante paucos annos agitatas, non obscure innuat. Carpit enim cap. 22 in Wolfelmo ejusque sociis *contentiones et dissensiones quibus vos operarii carnis maxime totis his temporibus studuistis.* Tum cap. seq. apertius de his agit, Gregorii VII causam defendens, atque inter cætera scribit : *Non defuerunt eo tempore viri magni et religiosi, quibus iniquitas tanta non placuit; hodieque supersunt in eodem regno* (Teutonico) *quam plurimi, qui miserante Deo nondum Baal genua curvaverunt.*, etc., infra subdit : *Pudori saltem vestro sufficere poterant discreti viri in circuitu vestro constituti*, etc., *schisma vestrum libera detestatione impugnantes.* Schismate igitur adhuc sejuncti erant ab apostolica sede Germani Henrico faventes, et adhuc *nulla fere civitas*, ut ipse ait, *in tota Latinitate* erat quæ non haberet divisum in varia studia populum, his pro Gregorii VII, jam vita functi, memoria, illis vero pro Henrico IV, ut reor, vivente pugnantibus. Addit insuper Manegaudus : *Vos ad irritandum Altissimum, et augmentum profanationis, in sacrificiis vestris pro Wiperto tanquam Patre et pontifice animarum vestrarum divinam clementiam imploratis.* Quæ omnia suadere videntur adhuc in vivis fuisse Guibertum antipapam cum hæc scriberet Manegaudus. Reliqua legantur quæ idem auctor habet capite primo et postremo, ac tandem, ni fallor, statuetur, compositum fuisse opusculum istud ante annum Ch. millesimum et centesimum primum (quo verisimilius est e vivis excessisse pseudopapam Guibertum) aut saltem non longe ab iis temporibus. In eam itaque sententiam feror non alium fuisse opusculi hujus scriptorem a Manegaldo, cujus mentionem forte ostendi in Annalibus Ptolemæi Lucensis, pag. 952, tom. XXV Biblioth. Patr. Ita vero scribit historicus ille ad annum Christi 1090 : « *Per idem* tempus floruit in Teutonia quidam philosophus, cui nomen Menegaldus, cujus uxor et filiæ in philosophia fuerunt permaximæ. »

Juvabit autem hinc discere cap. 4 rationem cur veteres Christiani antipodas negandos sibi censerent. Nimirum qui eos statuebant, tellurem excogitarunt in quatuor habitabiles partes divisam, quarum duæ saltem a reliquis præcisæ ita essent causa interpositæ zonæ torridæ, ut nullum hominum inter eas commercium intercedere posset : quare his positis excidebat certissimum, divinitusque traditum, dogma de humani generis ex Adamo propagatione, et de annuntiando Evangelio per totum terrarum orbem. At Columbus, ac cæteri Americæ Indiarumque lustratores primi, tum ethnicorum hypothesim, tum Christianorum metum hac de re omnem sustulere. Deinde cap. 23 discas Historiam rerum gestarum a Gregorio VII papa elucubratam fuisse per Salisburgensem archiepiscopum, quem Gebhardum sive Gebehardum fuisse arbitror, in Baronianis Annalibus memoratum. An autem Historia hæc idem sit ac *epistola S. Gebhardi archiep. Salisburg. ad Hermannum Metensem*, quæ a Tengnagelio edita est Ingolstadii an. 1612 inter *Vetera Monumenta contra schismaticos*, etc., aliorum erit inquirere. Iterum haoes cap. 24 auctorem epistolæ cujusdam dolosæ admodum et calumniosæ contra Gregorium VII fuisse Wiricum Trevirensem magistrum, qui Virdunensis episcopi personam induit. Tu reliqua ad theologiam et philosophiam spectantia perpende.

MAGISTRI MANEGALDI

OPUSCULUM

CONTRA WOLFELMUM COLONIENSEM.

Cum nuper in hortis Lutenbach conveniremus, et more scholarium de Scripturis, quæ tunc inter manus erant, sermo mihi contra te oriretur, multa oratione decursa in hoc quasi quemdam nodum incidimus, et trahere cœpimus contentionis funem, ut tu pauca, quæ tibi displicerent, philosophos, atque Macrobium De somnio Scipionis, de quo tunc verbum erat, dixisse contenderes ; ego e contra plurima fidei et saluti nostræ contraria in ipsis me invenisse assererem ; ac eo usque cursus verborum prolapsus est, ut facile patere posset aut te parum A divinis litteris eruditum, innata feritate et studio contradicendi, quæ nescires velle defendere, aut si ita sentires ut dicebas, plane a rationibus sinceræ fidei deviasse. Et quia contingere solet quosdam strepitum verborum et superficiem narrationis attendere, non expendere sensum mentemque scribentis, velut qui sine gustu et odoratu radicem quidem rerum, sed vim saporis et odoris sensu perdito non discernunt ; quosdam vero per orationum sonum sensuum secreta rimari, et sicut frigida exterius seponunt a calidis, ita interius bona secernunt

a malis, quæ tanto validius reprobant, quanto in bonis fuerint delectati ; ideo accessi propius, et per te ipsum cognovi morbum tuum : obtestans utrum ita tibi in perceptione illarum sententiarum acquiesceres ut eas credentibus non intelligeres esse damnosas, hic satis temerarie respondens subjecisti nescire te quidquam in eis, quod multum tuus animus aspernaretur. Itaque multis a te conviciis lacessitus furibundum minantemque reliqui. Propono ergo aliquid inde ad te scribere, ut in eorum libris et sensibus de quorum errore dissimulas, manifeste cognoscas hæreticam pravitatem contineri. Simul etiam arbitratus sum de domno papa Gregorio, quem polluto ore laceras, aliquid adnectendum, ut recogites quia amplioris peccati causa solet esse præcedens peccatum.

CAPITULATIO SEQUENTIUM.

CAP. I. *Quod non omnes philosophorum sententiæ abjiciendæ sint, sed illæ, in quibus decepti sunt, et decipiunt, et de Pythagoræ sententia de anima valde detestanda.*

CAP. II. *De Platone, et ejus involucris, quibus ostendit ex quibus constet anima, et quod in distantia penetret corpus.*

CAP. III. *De diversis sententiis philosophorum de anima.*

CAP. IV. *Quod in mensurando solem, et lunam, et habitabilibus maculis decepti sint, et si quis inde Macrobio crediderit, in fide facile periclitetur.*

CAP. V. *Quod secundum Apostolum talia probanda sunt, et ad sobrietatem Christianæ regulæ resecanda.*

CAP. VI. *De non sana eorum confessione, et de casu Origenis, qui se nimis eorum dogmatibus affecit.*

CAP. VII. *De sancto Spiritu, et ejus sana et moderata doctrina, quod superbos deserat, et immundo Spiritui dissecandos permittat.*

CAP. VIII. *Quod philosophi partriarcharum benedictionibus privati nihil digne de Trinitatis mysterio sentire meruerint.*

CAP. IX. *Quod a Spiritu maligno talia orta sint, et divisionis auctor idololatriam multis argumentis texuerit.*

CAP. X. *Quoa ipsi sunt Ægyptii a nobis deprædandi, et quod nobis eloquiorum thesauros et ornatus paraverint.*

CAP. XI. *De Deo, quem habemus loquendi materiam, et de recta confessione, et creatione angelorum, et hominum, circa quorum casum sententia Domini misericorditer temperata est.*

CAP. XII. *De præceptis obediendi, quibus homo reparatur contemptor mandati, quæ reparatio multis modis designata sit, ita ut casus priorum patrum ad designandam magnitudinem gratiæ permissi sint, sicut David, de cujus genere Auctor veniæ natus est.*

CAP. XIII. *De prophetis duos adventus vrævidentibus, ac desiderantibus.*

CAP. XIV. *Quod ordinatis quæ oportuit, Deus de Virgine natus sit, destructa philosophorum consequentia.*

CAP. XV. *Quo proventu natus sit.*

CAP. XVI. *De Deo nato quod omnis veritas Scripturarum ab eodem aperta sit, et de suscitatione animarum, et doctrina humilitatis.*

CAP. XVII. *De simplicitate Petri apostoli, et merito fidei suæ.*

CAP. XVIII. *De duobus sacramentis regenerationis et refectionis ante passionem in Cœna institutis.*

CAP. XIX. *Quod in cruce Jesu Christi sit remissio peccatorum, et redemptio omnium, et priorum sanctorum.*

CAP. XX. *De gloria resurrectionis, et quod discipuli, non ad philosophandum, sed ad vitam æternam annuntiandam vocentur.*

CAP. XXI. *De adventu Spiritus, et quid in eis effecerit, et quod in præsentibus non sit perfectio, sed inchoatio beatitudinis.*

CAP. XXII. *Quod breviter de istis dictum sit, ut ostendatur quantum periculum sit acquiescere illorum scripturis, qui nihil de corporum resurrectione noverunt, et qtod eorum definitio destructa sit et hoc spiritus carni subditus non capit.*

CAP. XXIII. *Quod Teutonici quidam ab obedientia, et unitate Romanæ Ecclesiæ exciderint, dicentes se non habere pontificem nisi Cæsarem.*

CAP. XXIV. *De epistola ab eis contra sanctum papam Gregorium facta, et quod ei epistolæ per gratiam Dei respondendum sit.*

CAPUT PRIMUM.

Primum discretionem legentium volumus esse præmonitam nos id nequaquam de philosophis suscepisse, ut omnes eorum sententias damnabiles sentiamus, quarum quasdam pro sua subtilitate vix penetrare sufficimus, quasdam vero a sanctis viris susceptas non ignoramus. Verum temeritatem tuam velle compescere, qui sic eorum subtilitates commendas, ut multifarios errores figmentis illis implicitos non attendas. Neque enim in illis usque adeo primi parentis culpa dotem naturæ damnaverat, quin secundum humanas rationes quarumdam rerum communitates, et discrepantias diligenter satis commodeque distinguerent, quantum homo de se ipso præsumere poterat. Sed quia sine Spiritu illius erant, qui *docet omnem veritatem, cujus sapientia attingit a fine usque ad finem fortiter, ac disponit cuncta suaviter*, necesse erat sicut homines, et ideo mendaces, eos interdum fines veritatis excedere, et semel suscepto patrocinio falsitatis per varia deceptionum argumenta raptari. Inde fuit quod Pythagoras inter primos duces hujus traditionis, quibusdam utiliter inventis et traditis, cum tandem rationalis animalis scrutaretur arcanum, et eam naturam, quæ sine auctore naturæ male sciri potest, mortali ratione persequi et comprehendere niteretur, exinanitum ejus ingenium ad tantam demum bestialitatem redactum est, ut humanam animam perpetua ratione donatam aliquando irrationabilem fieri

mentiretur. Eo scilicet modo quo a simplicitate sui dimota voluntate incorporandi ad hæc infima laberetur; quæ quidem si in primo corpore male viveret in præsenti sæculo, vel aliquo sæculorum futurorum, quorum infinitam seriem promittebat, corpus deterius sortiretur, et ita multiplicatis sceleribus ad hoc ultimum deveniret, ut qui ante fuerat homo, ad vivificandum quodlibet fœdissimum corpus, horribili carcere truderetur. Ecce ad quem proventum sublimis meditatio illa evaserit, qualemque necessitatem secundum stultitiam cordis sui illi creaturæ, quæ ad imaginem, et similitudinem Creatoris omnium condita est indicere non expavit. Dic, quæso, si a sententia ista non dissides, quid honestæ spei concipere potes, quidve de illorum beatitudine exspectas, qui in perfecta corporum et animarum resurrectione duplicem stolam recepturi sunt, secundum ea quæ interim oculus videre non sufficit, nec auris audire, quæ videlicet in abundantia gratiæ et gloriæ suæ præparat Deus diligentibus se? Hoc enim sensu philosophico fit, ut tu et cæteri complices tui in regno Teutonico constituti, qui ab apostolica sede, et obedientia sancti papæ Gregorii dissensistis, et ob innumera flagitia damnationis sententiam excepistis, a præsenti corpore separati in futurum sæculum corpus turpius subintretis, quod cum rursus ferina contagione pollueritis per infinitas species animandorum corporum præcipitati, ad ultimum in visceribus terræ ac sordidis locis conclusi æterna salute in perpetuum careatis.

CAPUT II.

Verum nec in tempore illo a succedentibus philosophis, qui dignius de se ipsis senserunt, crudelitas [*f.* credulitas] ista approbata est, sed per leviores insanias temperata, inter quos Plato acutius cæteris rerum primordia perscrutatus compositionem animæ quibusdam involucris prægravavit, et ex individua et dividua essentia, natura eadem et diversa, eam constare affirmans, sic cœlestia, et terrestria corpora per ipsam vivificari commentatus est, ut ille vigor perpetui ignis pro natura corporum a se vivificatorum propriæ virtutis dispendia pateretur. Quod Macrobius Ciceronem, Virgilium et alios Latinos philosophicæ disciplinæ sectatores sensisse testatur, sicut manifestius cognoscere poterit qui tractatum ejus *De somnio Scipionis* videre curabit. Hic itaque sicut per introductum discipulum suum Timæum commemorat, ut per quædam quasi deliramenta a numeris tracta consideratione eamdem animam quodlibet animatum corpus indistanter penetrare et vivificare ostenderet, cum de Deo fabricante animam loqueretur, prædictarum essentiarum commistionem fermentum appellans; *Primam*, inquit, *ex omni fermento partem tulit, hinc sumpsit duplam partem prioris, tertiam vero hemioliam secundæ*, et alia quædam, quæ pro nihilo ad memoriam reduceremus, quoniam ipsa suæ obscuritatis insolentia animum auditoris obtundunt. Si quis vero ea audire desiderat, ab eodem Platone, sive a Macrobio, qui easdem tenebras quodammodo elucidandas susceperit, hæc animadvertere poterit; mirum tamen erit, si non audita contemnat.

CAPUT III.

Habes ibidem coadunatos Pythagoram, Platonem, Xenocratem, Aristotelem, Possedonium, Hippocratem, Heraclitum, Zenonem, Democritum, alium, Heraclitum, Crisolaum, Hypantum, Anaximenem, Empedoclem, Parmenidem, Xenophontem, Boetem, atque Epicurum, quorum plures diversis errorum spiritibus devii, et sensu carnis suæ inflati, tanquam per quædam abrupta dispertiti, contra se dissonas et controversias sententias in animæ suæ judicio ediderunt. Quorum Plato, quod ad verum satis videtur accedere, animam definivit essentiam se moventem, alius numerum se moventem, alius enteleehiam, quod interpretantur *corporis formam*, alius harmoniam, alius ideam, alius exercitium quinque sensuum, alius tenuem spiritum, alius lucem, alius stellaris essentiæ scintillam, alius spiritum concretum corpori, alius spiritum insertum atomis, alius de quinta essentia, alius ignem, alius aerem, alius sanguinem, alius ex terra et igne, alius ex terra et aqua, alius ex aere, et igne et spiritu mistam. In tam varia igitur divisione considera si te unum omnibus sano sensu accommodare possis, ac si consentire potes animam tuam jure sanguinem nuncupari, dic rogo, quæ cœlorum regna exspectes? Hoc enim modo tu constans, sanguis et caro, regnum Dei possidere non potes.

CAPUT IV.

Quod autem de sphæra, et orbibus, et cœlesti harmonia, de fallaci mensura solis et lunæ, et orbis terræ, de quatuor habitabilibus maculis in circuitu terreni puncti secundum fidem tui Macrobii constitutis, et de antipodis, seu Antoecis per eas incommeabiliter dispositis affirmatur, in quantum periculum talia dicantur, parum mihi attendisse videris. Suscepto enim semel, quatuor habitationes hominum esse, quorum ad se invicem nulla penitus possit esse per naturam commeandi licentia, dic, age, quomodo verum erit, quod sancta et apostolica rationabiliter confitetur Ecclesia, Salvatorem videlicet, per primos Patres ab ipsis, ut ita dicam, hujus mundi cunabulis præsignatum et a patriarchis et prophetis consequenter multifarie et multis evidentibus modis præfiguratum, tandem in plenitudine temporis, ineffabilibus humilitatis et charitatis suæ operibus cognitum ac clarificatum, in salutem totius humani generis advenisse, si tria hominum genera excepta sunt, quæ prædictus Macrobius præter hanc habitabilem quam incolimus secundum zonarum cœli et terræ temperiem posse esse persuadet, ad quæ tantæ salubritatis notitia pervenire non potuit? Ubi est, quod ille fidelis quem invenit Dominus virum secundum cor suum, in spiritu veritatis clamat: *Ante conspectum gentium revelavit justitiam suam Deus.* Et ibidem: *Videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri*, si aliqui fines terræ sunt ab hominibus, inhabitati, ad quos sonus pro-

phetarum et apostolorum nostrorum prohibente natura per inaccessibiles aquarum, frigorum calorumve distantias transire nequivit?

CAPUT V.

Equidem legi hæc tecum, et, ut recordor, frequenter dicere solebam hæc ita debere accipi, ut spheræ tantum notitia haberetur, non ut veritate munita crederentur, quia secundum Apostoli præceptum omnia probanda sunt, et puro mentis intuitu examinanda ; quoniam sicut in his quæ sensibus subjecta sunt, ita quoque in intellectualibus, præsertim in scientiis, tam multæ et variæ species sunt, ut nisi spiritus pietatis adsit, cujus regula dirigamur, cor hominis pravum et inscrutabile pronum sit verisimili ratione seduci ; et nisi sobrietate quadam intelligentia refrenetur, aliquando in altum elata ipso tandem tumore in immensum crescente rumpetur, quandoque vero sinistrosum nimis ad ima devergens in tenebras fatuitatis submergetur. Providebat hoc animus Apostoli, Spiritus sancti gratia illustratus, qui inter regulas fidei quas nobis imitandas præfixit, summopere admonuit, *non plus sapere quam oportet, sed sapere ad sobrietatem*; Proinde cum aliquid menti nostræ occurrit quod ipsa sui sublimitate atque probabilitate delectat, habemus quadraturam Christianæ doctrinæ, quam intellectis et cognitis juxta ponere debemus, et si quid de meditationibus nostris excesserit, ad normam illius festinato judicio resecare. Ita et damnabilium errorum periculum devitari, et philosophorum peritia, quæ tanquam superflua quædam immensitas nostris studiis apta est, commode salubriterque poterit, famulari. Ut autem indissimulabiliter pernoscas quam perniciosum sit eorum imitari fidem quorum ingenium admiramur, aspice quid prætendat in prima parte sui philosophicæ confessionis assertio, quam ab eisdem sumptam Macrobius libro suo apponendam curavit his verbis.

CAPUT VI.

« Deus, qui prima causa et est, et vocatur, unus omnium, quæ sunt, quæque videntur esse, princeps et origo est. Hic Deus superabundante majestatis fecunditate de se mentem creavit. Hæc mens, quæ νοῦς vocatur, qua patrem inspicit, plenam similitudinem servat auctoris; anima vero de se ipsa creat posteriora respiciens. Rursus anima νοῦς patrem qua intuetur induitur, ac paulatim regrediente respectu in fabricam corporum in corporea ipsa degenerat. » Nonne si horum verborum sensibus acquieveris, denuo suscitare videris multos errores, qui in primo statu Ecclesiæ vigili solertia Patrum convicti et suffocati sunt? Inter quos Arius inæqualitatem personarum in simplicitate divinitatis inducit. Manichæus autem partem divinitatis degenerem diabolum, eumdemque malarum creaturarum conditorem affirmat, quorum nefanda perversio quantas strages fidei dederit, quantumque fructum malitiæ fecerit, nullus qui ecclesiasticas historias legit, ignorat. Cujus philosophicæ muscipulæ laqueum Origenes magnus vir in Ecclesia, et divinorum eloquiorum mirabilis tractator, tremendo Dei judicio evadere non meruit; sed cum post multos tractatus, quos utiliter et excellenter ad honorem sanctæ Ecclesiæ edidit, ad enodanda demum Cantica accessisset, asseruit, Patrem a Filio, Filiumque a S. Spiritu non videri. Quod B. Hieronymus in epistolis suis significans, et tanti doctoris casum graviter ingemiscens : *Origenes*, inquit, *cum in aliis cæteros vicisset, in Cantico canticorum se vicit.* Cujus laudabile ingenium quandiu charitate duce incaluit, et ab apostolicæ doctrinæ lumine non recessit, per directum gradiens, altitudinem spiritualem intellectus salubriter aliis ministravit; ubi vero profunditatem sapientiæ et scientiæ Dei incomprehensibilem, et homini per se fatuo non potestate, sed dignatione capabilem, profanis Græcorum dogmatibus, quibus se fortassis prius nimis affecerat, commiscere tentavit, sicut quando de resurrectione tractans soliditatem et veritatem resurgendorum corporum denegavit, miseranda humanæ fragilitatis sorte, vir egregius et sublimis considerationis, quasi de altissima specula lapsus gravissime corruit, exemplumque posteris factus est, cum quanta reverentia et timore divini consilii celsitudo et profunditas mysteriorum Dei attingenda sit, et ut quisque de se sciat quia quanto velocior est animæ suæ motus, tanto paratior illi casus est, nisi cum cautela et cœlesti præsidio moveatur. Quod Salvator discipulis indicat cum ante potestates mundi, quarum timore vel amore de Spiritu sancto facile labi possent, præ testimonio fidei sistendos præmunit. *Nolite cogitare quomodo aut quid loquamini ; non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.*

CAPUT VII.

Hic est ille Spiritus qui disciplinæ effugit fictum, quem corpus peccatis subditum non meretur, qui unde vult recedit, et sine difficultate loci et temporis quocunque vult venit, et signaculum sui veniens secum affert : quod enim suggerit, rectum et pium est; quod emittit, robustum et sanum; quod fructificat, suave et jucundum. In eo enim est gratia veritatis, per ipsum nobis est spes vitæ et virtutis. Cum habitaculum infantium ingreditur, disertos reddit, et cum frigenti et tenebroso cordi supervenit, vitiorum sedem puritatis tribunal facit. In præsentia sua nihil fatuum vel inutile esse potest; nihil diligit singulare vel dissonum, nil immoderatum amat; ipse enim modus et immensurabilis mensura est; omne donum ei sufficiens est, quia etsi desiderio meo parum videtur quod mereor, in plenitudine tamen corporis Ecclesiæ, quam ipse Deus vivificat, totum possidens nullius egestatis detrimento confundor. Hic itaque Spiritus cum mentem de se præsumentem cernit, quia amator humilitatis est, superbiæ locum contemnit, et quia ipse unus et idem, sic gratiarum suarum dona multiplicat, ut tamen per distributionem illam unum simplex et verum inso-

lubilis charitatis corpus efficiat, scissuras et scandala detestans. Quo fit ut animam sectionibus vacantem Spiritus immundus invadat, eamque suis qualitatibus et potentiis informatam miserabiliter distrahat, et per varios errores discerptam ad perditionis interitum perducat.

CAPUT VIII.

Hoc contigit his de quibus loquimur, quos prior ætas gentilium philosophos appellavit, quorum patres a patriarcharum Israelitici populi genere profluentes, hæreditariis benedictionibus privati, vera Domini Dei nostri notitia caruerunt, eamdemque ignorantiæ jacturam filiis suis reliquerunt, donec semen benedictum venit, cui hæreditatio gentium debebatur. Interim ergo naturali fame torqueri cœperunt, et sicut qui panem in caute, seu in silice aurum, vel solem in cavernis terræ quærunt, ita in inquirenda natura rerum, et cognoscenda universæ fabricæ mundi subsistentia, et elementorum concordi discordia alii occupati, alii autem in causarum proventibus dignoscendis, quos indici sibi fatali necessitate per concursum planetarum et siderum opinati sunt, his quasi deviis disparati, circa summum bonum frustra consumptis multis studiis erraverunt. Quod si inter eos exstiterunt quos purior liberiorque ratio stimularet aliquid esse insistendum, quod antiquius et melius ipsa creatura foret, cujus potentia totius creationis universitas ambiretur, cujus providentia sub certis ponderibus et numeris cunctorum existentium, contingenterque transeuntium series necteretur; tamen cum ad illud lumen inaccessibile, quod omne firmamentum omnemque cœlorum altitudinem excedit, perventum est, ineffabilis Trinitatis venerandam adorandamque simplicitatem, ejusdemque simplicis majestatis trinum mysterium sentire nullatenus meruerunt. Unde factum est ut tria sibi principia ponerent, artificem, formas, et materiam intelligibilem esse, mundum in mente divina collocantes, qui exemplum hujus sensilis secundum numerorum rationem cuncta quæ sub sensibus casura erant, in se intelligibiliter contineret; in quibus principiis omnipotentiæ Dei derogabant, nihil ex nihilo fieri sancientes. Hæc sunt in quibus addiscendis te multam operam consumpsisse gloriaris, quæ tecum ipse legi et lecta ex maxima sui parte reprobare curavi. Habebant enim difficultatis plurimum, utilitatis parum, salutis nihil. Cum tamen experiendi causa quorsum evaderent insectarer, quasi per quosdam fumorum orbes immensis tractibus involutum, quo tandem vellent ponere admirabar, nisi quia suspicabar profecto quod nequaquam veritatis exitum promittebant.

CAPUT IX.

Talia sunt nimirum illius semina qui per superbiam Deo suo esse similis affectavit, qui cum gentilium mentes semel sibi permissas invasit, sublimia promisit, eduxit in altum, paravit casum. Nec potuerunt ad cavendos ejus dolos et mille nocendi artes mortalium corda sufficere, quia interdum inducendo impietatem, pietatis spem gerit, laxat jura imperii, ut fautores sui in quamdam partem ad virtutem se erigant, in altera parte premit, ut familiari sibi fœditati subjaceant, et pro tempore suum inficit eorum bonum miserandoque nimis commercio de pretioso alieno vilitatem suæ confusionis circumtegit. Non locorum angustiæ, non longitudo temporis incentivorum ejus spiculis renituntur. In promptu sunt ei secreta naturæ, illam solam arcem subintrare veretur cui præsidet ille Spiritus qui diligit sanctitatem. Hic tam potens et efficax, cum prostratam et jacentem prædictæ generationis massam conspiceret, cœpit in ruinas quas fecerat debacchari, et sicut est discissionis actor, animalem hominem in varia dogmata et contrarias sectas partitus est. Inde Socratici, Pythagorei, Platonici, et aliæ innumeræ professiones diversis tramitibus aberrarunt, et errores suos argutis inventionibus adjuverunt. Proficiente quoque et invalescente diaboli seminario, subsecuta est poetarum turba, qui tanquam joculatores ad nuptias idololatriæ concurrentes, figmentis et immodestis laudibus animas vana sectantium oblectati sunt; causa enim quæstus ad adulandum et maledicendum parati sceleratos principes et violentos prædones deificando, et inflatorum verborum tinnitu et sententiarum ornatu, nulla veri puritate munito, inutili memoriæ et inani gloriæ serviendo, obscena et turpia quibusdam involucris adornarunt, et prout natura singulorum viguit, alii comœdi, alii lyrici, satyrici, tragœdi effecti multis phantasmatibus animas peccantium seduxerunt, simpliciores quoque, qui honorem suæ conditionis sub profunda nocte ignorantiæ non intelligebant, comparabiles, imo deteriores jumentis usque ad culturam lapidum et turpitudinum curvaverunt.

CAPUT X.

Isti sunt Ægyptii quos dispensatio Dei sanctæ Ecclesiæ deprædandos exposuit, quorum spoliis faciem templi Domini adornamus, et naturale donum, quod ipse in superbia et abusione ad damnationem suam detinuerunt, amatores humilitatis in usus debitos retorserunt, nihil de suis juribus præsumentes, nil ascribentes sibi, nec quærentes quæ sua sunt, sed gloriam regni æterni annuntiantes, simpliciter prudentes, et prudenter simplices, armaturam perfidiæ in cultu fidei transtulerunt, et scientiam inflatam et mortuam spiritu charitatis animaverunt. Hi sunt de quibus ad nos dictum est : *Alii laboraverunt, et vos in labores eorum introistis.* Omnis sapientia quorum in altissimis quæstionum puteis devorata est, in quibus fons aquæ salientis in vitam æternam a perscrutantibus non inventus est, sed copiosæ verborum divitiæ, et eloquiorum thesauri nobis, quibus scientia salutis in remissione peccatorum per viscera misericordiæ Dei donata est, commodissime præparati. Itaque laqueos et sensuum fraudes, quas velut aranea tabescentes et interiora sua exhaurientes vane conturbati stultorum imitationi prætexebant, tamquam retiaculum diaboli per-

rumpentes, cadaver idololatriæ nudum reliquimus, et ornatum orationum et quarumdam consuetudinum, quo vasa contumeliæ longo tempore morticinum suum celaverant, Salvatori et Liberatori animarum nostrarum obtulimus.

CAPUT XI.

Materia vero, circa quam supellectilem verborum expendimus, idem ille nobis est, de quo nunquam satis potest esse quod dicitur, Sapientia videlicet Dei Patris, consubstantialis et coæterna illi cum Spiritu sancto, unus Deus immortalis, invisibilis, cujus solius honori et gloriæ cuncta cœlestia, terrestria, et infera, voluntaria vel invita famulantur. Qui cum omnia quæcunque voluit, fecit in cœlo et in terra, in mari et in omnibus abyssis circa miserabile genus humanum, misericordi prudentia reflexit justitiam voluntatis, et charitate temperavit fortitudinem potestatis. Non in aliqua parte sui aliquo modo degenerans, sicut insulsa philosophorum confessio persuasit, nunquam deficit; neque recipit aliquid essentialiter quod ipse incipiat esse et ante non fuerit; ubique totus, et nullas loci angustias sustinens; semper existens, sed conditor temporum, certus librator omnium numerorum et ponderum. De quo tunc recte sapit rationalis homo, cum pertimendam et laudabilem nimis ipsius magnitudinem recognoscit. Cujus sapientia et providentia infatigabiliter et sine errore non solum elementorum distinctionem, sed ex elementis constantium rerum causales proventus serie admiranda connectit. Hic est Dominus noster, et non est alius ad ipsum, qui cum in se perfectus foret, nec alieni favoris vel laudis indigentiam pateretur, secundum beneplacitum voluntatis suæ cœlum, terram et universa quæ cœli ambitu continentur, Dominus universorum de nihilo condidit. Inter quæ nil æquale quidem sibi, sed simile, rationalem angelum creavit, et hominem, ut et in cœlestibus invisibili Deo per innumera assistentium spirituum agmina æterna laus persolveretur, et in terris ab homine gratiarum nihilominus actiones pro facultate transitoria exhiberentur, et ipsa laudum exhibitio pro affectu expensa laudantium hoc tantum laudato Domino grata foret, quo ad consequendum æternitatis præmium laudantibus profuisset. Ab assiduitate cujus laudis prior ille destitit, qui cunctis sublimior factus erat; non enim cogente Conditore, sed ipso abundantia sui arbitrii abutente, et in superbia efferente, mentitus est sibi ipsi, immoderatam rapinam æqualitatis Dei arripere concupiscens. Unde quia altissimo Creatoris consilio irrecuperabiliter factus est casus ejus, cœpit universitatem creationis circuire quærens quem ruinæ suæ asciscceret. Prætermisit legiones angelicas, de quarum stabilitate diffidebat; irrationabilem creaturam neglexit, cujus finem velocissimum sentiebat. In solum hominem, quem, sive staret sive laberetur, æternitati propagatum videbat, totius malignitatis suæ argumenta contorsit, totis nisibus in eo contendens imaginem abolere Factoris, ut sui similis effectus irrevocabilis damnationis judicio multaretur. Persuasit itaque, et auditus est; pugnavit, et vicit. Et licet pius Dominus figmento suo præter libertatem arbitrii, qua non peccare poterat, cautelam contulisset mandati; sciens tamen deceptibilem limum aliunde consilium superbiendi accepisse, ita circa deceptum miserum severitatis suæ sententiam temperavit, quatenus et ex præcepto suo mortalitatis necessitas solveretur, et tamen infra mortis debitum per meritum obedientiæ resurgendi acquireretur facultas, quæ interim animæ præstanda foret; finito vero præsentis vitæ spatio, corpori et animæ pariter restituenda.

CAPUT XII.

Obediendi itaque documenta primis patribus ante legem præfixit, et ut res magnas compendio transigamus, per Melchisedech sacrificium, per Abrahæ circumcisionem et immolationem, per Jacob tituli erectionem in figuram summi sacerdotii verique sacrificii, quæ per Filium suum opportuno tempore Ecclesiæ exhibenda erant, præordinavit. Per Moysen quoque famulum suum præceptis et legalibus institutis carnalem populum prægravavit, tantæ profunditatis mysteriis, ut in illis omnibus humanæ salutis et adventus sui Sapientia Dei Patris multifariis modis sacramenta signaret, et illius populi actiones veritatem in novissimis temporibus agendorum mystica denuntiatione concluderent. Nec enim aliud insistit tota tabernaculi et holocaustorum descriptio et templi Domini cultus, nisi ut præsentis Ecclesiæ status, et futuræ figuretur. Porro quanta cura Deo fuerit, hominem exsuscitare ad sciendum et intelligendum reparationis suæ sacramentum, non servientis creaturæ secreta rimari nec animum sterili meditatione lassare, intueri licet etiam ex casibus virorum prioris populi, inter quos maxime David lapsum sancti nostri altiori intuitu considerantes, magnum gratiæ revelandæ præconium continere arbitrati sunt, nec sine causa vel fidei, quæ in patriarchis gloriose refulsit, commendatione factum esse intelligunt, quod post adulterii crimen, cui nulla ex legis littera remissio debebatur, ad exemplum misericordiæ servatus est. A Domino quippe, qui non impulsor, sed ordinator malorum est, salubriter provideri decebat, ut qui per fidei meritum de imo ad regni sublimitatem pervenerat, per libidinis culpam de sublimi dejiceretur in imum, et electus Domini specialis vicinæ gratiæ prædicator experiretur in se ipso quantum indigeret miserentis Dei auxilio miser homo. Qui enim de carne sua peccavit, fructum carnis, Absalonem scilicet, persecutorem sustinuit; et qui obediendo Deo gloriosus exstiterat, superbientis carnis secutus lasciviam eo usque ignominiosus factus est, ut servorum lapidibus impetitus, et lacessitus maledictis, regalem dignitatem fugitivus amitteret. Verum postquam in se reversus de gravi inferno, ad quem propinquaverat, humiliatus ad misericordiæ fontem, de quo sæpe prius potaverat, pudibundos oculos elevavit, et de profundo

cordis camavit ad multitudinem miserationum Dei, qui nullam sibi spem per legem indultam senticbat, tanquam signifer subsequentis Salvatoris effectus, haustum gratiæ peccantibus se propinaturum promittit : *Docebo*, inquiens, *vias tuas iniquos, et impii ad te convertentur*, ut ex eo ad vaticinium Domini veniens ardentior reus fieret, quo de legali severitate redemptus, nec infamis regno, nec vita privaretur adulter. Imo tantæ dignitatis privilegio rex humilis cumulatur, ut stupendo divinæ dignationis miraculo confitentis genus abundantia fidei justificatum, et gratia Spiritus sancti, quem idem propheta ad innovanda viscera et cor suum sincero affectu poposcerat, emundatum, aptum fieret minister virginalem illam creaturam, quam virga Aaron contribulis ejus sine terreno fomento florens et fructificans insolito miraculo designarat, et Isaias statim evidenti oraculo præmonstraturus erat, Spiritu operante ineffabiliter concepturam totius propitiationis fontem, et totum serviret gratiæ, quod de semine pœnitentis actor indulgentiæ nasceretur. Hoc verbum bonum, hoc opus sanctum, hoc canticum novum Cytharista, qui pœnam legis evaserat, tanquam jam junctus futuro populo, et quasi ante thalamum perpetuæ Virginis saltans, spirituali jubilo præcinebat : *Suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui*, et alia plurima quæ magis indicare videntur plenum gaudium assecuti quam desiderantis affectum.

CAPUT XIII.

Nec tempus remissionis tantum sancti prophetæ prænuntiare contenti sunt, sed alternatim ad duos adventus Filii Dei fideles oculos retorquentes, indicant humilitatis unum, alterum sublimitatis, primum mansuetudinis, secundum potestatis. Et quia humana superbia contemptui habere solet quod humile est, cum quanta reverentia præcedens suscipi debeat, ostendunt per magnificentiam consequentis, ut absque omni præjudicio, qui indulgentiæ tempus contempserit, terribilem in die iræ sententiam mereatur. Hoc evangelizans Isaias, et Jeremias lamentans, prius vocationem gentium et compactos parietes in unum angularem lapidem significant, et sub destructione populi et Hierosolymitanæ urbis communis captivitatis ærumnas deplorantes, manentem civitatem, in qua nos Dominum majestatis cum carne nostra jam sedentem aspicimus, inquirunt. Hæc est repromissionis terra et regio vivorum ; non illa in qua frequenter cecidere multa millia, et in qua prospiciebant filios et nepotes suos violentia regum, fame, gladiis et aliis mortis generibus perituros, sed illa de qua inter alios prædictus David clara veritate admiratur dicens : *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum. Et beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te ;* et ad quem animam suam converti hortatur, postquam Dominus benefecerit ei, quod tunc futurum intelligit, cum eripietur a morte, pedibus a lapsu, et oculis a lacrymis liberatis. Aspiciebant, inquam, et in obtentu illius summis desideriis suspirabant. Verum cum vident desertum mundi plenum amaritudinibus, et convallem lacrymarum interjectam, in terra terrenæ repromissionis positi, validiorem et meliorem Moysen assiduis gemitibus implorabant clamantes : *Veni, Domine, et noli tardare; excita potentiam tuam, dominator Deus.* Nec ante venerabilis ordo illorum Patrum vociferari quievit, donec instante nativitate Jesu magni ducis perurgentibus gaudiis exsultaret, et diceret : *Ecce advenit dominator Deus, et regnum in manu ejus, et potestas et imperium.* His et aliis talibus præparabant mentes carnalium ad suscipiendum Salvatoris humilem ortum veridici præcursores, certisque signis et potentiæ suæ indiciis nascituri in salutem omnium magnitudinem notaverunt, ne perfidus Judæus, et vanus gentilis dissimularet agnoscere, quem tot sibi præsagiis cerneret indicatum. Quorum prophetarum scripta si secundum interiorem degustare curaveris, experieris profecto summæ dementiæ fore ita insistere mundanæ scientiæ studium, ut non colatur et ametur spiritalium salubris profunditas Scripturarum.

CAPUT XIV.

Ordinatis igitur et decursis omnibus quæ ad insinuandum novi hominis ortum figuraliter oportebat præmitti, secundum prædestinationem ante omnia sæcula apud misericordis Dei consilium habitam, in plenitudine temporis *misit Deus Filium suum in terris factum ex muliere, factum sub lege*, ut non solum eos qui sub lege erant redimeret, sed quia neminem perire volebat, neminem a salvatione excluderet. Cum autem audis, *misit Deus*, non intelligas majoritatem mittentis, nec missi mutationem, quia divinitas non recipit vicissitudinem ; sed accipe bonam Patris voluntatem, et piam Filii obedientiam, completam per consubstantialis Spiritus cooperationem. In hujus incarnationis opere si de modo quæris, nescio quid commode dici possit quam quod ex inquirente Virgine et archangelo respondente percipitur, videlicet quod superveniente Spiritu, et obumbrante eam virtute Altissimi, cum virginea carne divinitas uniretur, tanta efficientia sanctitatis, ut Filius Dei, ante omnia tempora Deus de Deo genitus, de Virgine sub tempore nasceretur, credibiliter, non effabiliter factus caro, non confusa substantia, sed Dei, et hominis, una persona. Sic docet Vas gratiæ postquam squamæ perfidiæ ab ejus oculis ceciderunt, qui raptus ad tertium cœlum ea etiam arcana audivit quæ homini loqui non licet. Ut enim indicaret ex naturali et insito Patris et Filii simplicissimam unitatem, *formam Patris* Filium appellavit, ubi nihil rapinæ intervenit propter ejusdem majestatis æqualitatem. Nec propter *formam* verbum, quod tibi significat apud homines, aliquid a formato diversum facias ; in subjecta sectione extendit nos prædicator veritatis, et per verbum sensibilibus commodatum ad sapiendum ineffabile Verbum mortalium intellectum traducit, ut fide capian-

tur, quæ verbo humano enarrari non possunt. Qui ut Incarnationis mysterium ad salutem credentium aperiret, consequenter subjecit, *exinanivit semetipsum*, et ut exinanitionis verbum circa immutabilem deitatem non imminutionis verbum, sed significativum dignationis adverteres, circumspecte subdidit, *formam servi accipiens*. Utraque igitur nativitas admirabilis est. In utraque humanæ inventionis argumenta deficiunt. Prima enim propter unitatem Trinitatis, angelorum et hominum supergreditur intellectum; secunda propter insolitum nascendi modum totius philosophicæ rationis evacuat firmamentum. Constanti namque consequentia proponebant : Si peperit, cum viro concubuit. Verum natus est puer fortis, angelus consilii, philosophus castitatis, et per venerandam de perpetua Virgine nativitatem prædictam propositionem cassavit, cum de matre natus sit quæ virum non cognovit, et ideo nulla ratione cum viro concubuit.

CAPUT XV.

Quo autem proventu novum istud super terram factum sit, redeamus ad magistrum gentium, qui hujus natalis effectum ostendens : *Apparuit*, inquit, *gratia Salvatoris nostri Dei omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem et sæcularia desideria, sobrie et juste vivamus in hoc sæculo, exspectantes beatam spem et adventum gloriæ magni Dei.* Itaque erudimur in novi hominis ortu, ut desideria sæculi, quæ salva pietate amari non possunt, abnegemus, et sicut Patres sancti prioris populi sub desiderio primi adventus anhelaverunt, ita nos, quibus jam veritas de terra orta est, sub exspectatione secundi gemamus, patienter beatam gloriam sustinentes. Ante adventum gratiæ humanum genus soli vanitati et superbiæ vacans male securum vivebat, præter paucos Israelitas quibus datum fuerat præsentire mysterium regni Dei. Pro qua vero Rex humilitatis apparuit magna sollicitudine mansuetudinem ejus sequi et castitatem amplecti jubemur, ut jugiter cruci ejus affixi membra nostra, quæ sub veteri homine immunditiæ servierant, in sanctificationem immobilia conservemus, et omni superbiæ humiliationis Dei signum tanquam vexillum victoriæ opponamus. Et, licet huic signo stultitia gentilium, et Judæi perfidia contradicat, quæ inæstimabilis bonitatis Dei ignara idcirco tantum ingrata fit, quia nimis propter se factus est humilis Deus, nos tamen, qui cum Apostolo audimus quid ipse loquatur in nobis, lignum vitæ superbiæ opponimus, respondentes Judæo cum eo electo ex Judæis Paulo : *Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem Crucis;* gentili vero de inani scientia glorianti : *Nihil judicamus nos scire inter vos, nisi Jesum, et hunc crucifixum, quoniam propter hoc exaltavit illum Deus, et dedit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine ipsius omne genu flectatur;* humilitatis enim finis exaltatio est, sicut superbientis casus.

CAPUT XVI.

Inclinato ergo Rege Judæorum et gentium, et modo convenienti Deo per Virginem edito, utrum ipse esset qui ex lege et prophetis prænuntiatus fuerat, singularis operationis privilegio declaravit, et prius legalem circumcisionem passus est, ut præcedentis testamenti probaretur non destructor, sed actor, et homicida Judæus interficientem litteram persequens per observatum exterius ad interiorem vitam salubriter traheretur. Quapropter scriptum sustinuit ut exhiberet sententiam, complevit litteram, largitus est spiritum, removit figuram, aperuit veritatem, et sicut in Mediatore duæ naturæ convenerant, ita in liberandis hominibus et de tenebris ad lucem rapiendis quemdam ordinem conservavit, dum lex completur, ut ingeratur gratia, restituuntur vitæ mortui, ut vivorum animæ suscitentur, ut utrinque validissima probatione constaret ex subjectione legis verus et justus homo, ex doctrina et operatione omnipotens Sapientia Deus. Hanc animarum suscitationem trium mortuorum resurrectio distincta significat, quoniam quæcunque anima peccatorum morte damnatur, aut intus adhuc est cum archisynagogi filia, ut tanquam e vicino morti tradita vitæ facile reducatur, aut conscientiæ bonæ portas egressa turbis circumstantibus mortua deportatur, aut diuturniori morte jam fetida clausa sub indurationis lapide coarctatur. Sed accedente omnipotente medico manus puellæ tenetur, et surgit; adolescentis loculus tangitur, et vocatus mortuus reviviscit : præmissis compatientis lacrymis tumulatus clamatur, et prodit; nullaque est passio animæ penitus morientis, quæ medentis Salvatoris superat facultatem, quia ipse est, *qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas, qui redimit etiam de interitu vitam tuam.* Ut enim velit, propitiator est; ut possit, Dominus; qui potentia sua in suscitatis mortuis usus est, ut quod cernis in toto homine factum, in parte posse fieri non desperes, idcirco in paucis ut antequam tumuleris accceleres. Nec de indignitate vel infirmitate sua metuat miser homo, quia nullus accedens indignus sanari videtur Deo, qui, ut omnes accessum habeant ad ipsum, dignatus est fieri pauper homo. Hæc est voluntas Patris, hæc est obedientia Filii, ut in assumpta carne humilitatem veram et spontaneam, cujus specialis doctor advenerat, edoceret, et superbum hominem ebrium vanis mundi, et inter corruptelas concupiscentiarum carnalium delirantem, ad se ipsum reduceret. Hoc egit nativitas de paupere et humili virgine, hoc angusti præsepis positio, hoc circumcisionis et oblationis legalis perfunctio, hoc susceptio baptismi a Præcursore, et maligni spiritus congressus, atque jejunii sanctificatio, et postremo electio discipulorum, quæ ita solo respectu humilitatis, et charitatis facta est, ut omnis superbiendi occasio de discipulatu suo penitus amputaretur, cum illi præcipue electi sint, qui nequaquam possent de dignitatibus relictis sive divitiis aliquando gloriari. In quo etiam magna eligentis providentia cautum est ne consortio ejusdem gratiæ alios pro-

pter terrenorum pauperiem indignos arbitrarentur, in quibus de humana gloria nihil inventum est unde eligi mererentur.

CAPUT XVII.

Assumitur præterea Simon Barjona, mansueti conventus magister, qui prærogativa simplicitatis et amoris in Christum in sublimem illam speculationem erectus, non carne et sanguine, sed Patre luminum revelante, puram de Salvatore confessionem et universis fidelibus tenendam, collegis hæsitantibus, festina responsione deprompsit : *Tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti.* Propterea tam perspicacis fidei soliditas ab ipso Dei Filio fundamentum Ecclesiæ facta est, super quod totius ædificii structura consurgeret, et ipse Petrus divino testimonio beatus regni cœlorum clavigeratum suscepit, tanta plenitudine potestatis, ut quod ligaverit, ligatum, et quod solverit, solutum sit in cœlis pariter et in terris. Proinde quia revelationem illam in Petro Pater Deus per Spiritum sanctum fecit, vis solutionis, et collata potestas, quæ ex merito confessionis descendit, secundum interiorem maxime expendenda est, quam experiri non potest nisi qui fidei oculum adhibebit, quanquam ligationis pœna interdum in quibusdam, sicut in Anania et Saphira, usque ad corporalem quoque damnationem proruperit. Quocirca si mundo corde credis, absolveris; si vero ore confiteris, salvaris : quia corde creditur ad justitiam, ore fit confessio ad salutem, et hoc modo ædificatus super fundamentum apostolicæ confessionis justificaris, et justificatus ex fide vivis. Hujus profecto justificantis fidei prævius est apostolorum princeps, cui primatum cœli et terræ inter coelectos fidei copia contulit, hac excellentia dignitatis, ut gratiam Domini obtinere omnino indignus sit, qui clavigeri hujus obedientiam non custodit, nec regnum Dei intrare permittitur, cui non præstat introitum clavis Petri; cujus enim peccatum retinet, retentum est, et cujus dimittit, dimissum. Hoc cœleste munus, et spiritualis potentia, quamvis largiente Redemptore cunctis apostolis data sit, specialius tamen in illo emicere videtur, qui et de amore an plus aliis discipulis diligeret, sæpius prætentatus est, et peculiarius de sollicitudine ovium pascendarum admonitus.

CAPUT XVIII.

Electis autem discipulis, et in regnum filiis adoptatis, miraculorum quoque signis, quæ nunquam posset facere tantum homo, et quæ operatricem Divinitatem inesse corporaliter Filio hominis indissimulabili veritate arguerent, abundanter exhibitis, cum instaret hora in qua ex hoc mundo transiret ad Patrem, susceptæ humilitatis et charitatis propositum servans, ut cohæredibus suis certam spem hæreditatis relinqueret, novum in se ipso condidit Testamentum, secundum quod vetus homo in novam creaturam convertendus ablueretur per lavacrum regenerationis, postmodum de Christi corpore reficeretur, quod de Virgine sumptum erat. Hoc licet ante resurrectionem immortale tamen et incorruptibile, potentia divina porrigitur, ut cum audis Dominum ad cœlos corporaliter ascendisse, non ideo æstimes fideles suos tanto munere defraudari; sed licet irrevocabiliter sedeat ad dexteram Patris, eadem tamen potentia illud idem etiamnum accipit in altari fidelis quod tunc dedit discipulis cum adhuc inter eos appareret mortalis. Sicut enim in baptismo Christo consepeliris in mortem, et baptizantis manus tanquam quædam instrumenta exterius ministrant, medius autem stat, de quo dicitur: *Hic est qui baptizat*, quem fidelis videt, infidelis ignorat, qui effectum operatur salutis; sic in mensa Christi ejusdem non figurativo, sed vero corpore reficeris, quantum fide capis visibiliter, quantum adest ille invisibilis sacerdos propositæ creaturæ mutator, atque assumptor tanta efficacia sanctificationis, ut sacerdote verba Domini, quæ viva et sanctificatoria sunt, proferente, attendendum et sumendum sit, teste B. Ambrosio, non quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit.

CAPUT XIX.

Quo sacramento cum discipulis celebrato et instituto, post sermonem mysteria charitatis et unitatis capitis et corporis inæstimabili dulcedine continentem, sicut S. Joannis evangelistæ narratio indicat, volens uti potestate qua susceperat animam ad deponendum eam, ut eamdem resumeret, infirma quidem carne, sed prompto spiritu processit ad crucem, ut fuso sanguine testatoris firmum fieret testamentum. De cujus sanguinis effusione, quid salutis contineat, quidve ab his quorum redemptioni fusus est, mereatur, hoc sentiendum est quod ad retribuendum omnis humanarum actio gratiarum inferior sit. Est tamen pia præsumptio Christiani, ut vitalem mortem pretium redemptionis suæ continua memoria celebret, et intus applaudens Domino Deo suo tantum beneficium inconcussa fidei firmitate amplectatur, recolens pro se fuisse mortuum quem surrexisse ex virtute Dei et in Patris dextera consedentem omnis creatura rationalis adorat. Humilietur ante crucem Domini sui, configens timore illius carnes suas, et si forte multitudine criminum gravatur, vel angustia temporis ad pendentem latronem elevet oculos. Sanguis enim ille semper lavat nos a peccatis nostris, qui nec in fundendo ab effectu salutis vacavit, dum sub ipsa damnationis pœna et mortis articulo iniquitates longo tempore contractas absolvit, et cui præsens vita claudebatur ex scelere, aperta est per confessionis meritum requies æternitatis ex fide. Sanctificavit etiam tormentum suum Christus, et crux, quæ ante fuerat ignominia damnatorum, eo faciente, apud quem blasphemantis conscientiæ horrendæ immunditiæ æstimantur, facta est terror immundorum spirituum et gloria Salvatoris. Hanc quicunque Jesum sequi desiderat, se ipso abnegato, portabit, qua initiamur ad vitam, roboramur ad pugnam, et contra mundi pericula superbiam calcaturi præferimus, ut in quo

magister oblatus est, discipulus muniatur. Hoc libationis suæ signum cum Dominus ad inferna suos liberaturus descenderet, effractis portis mortis, et tenebrarum principe debellato, cognoverunt vasa fidei, antiqui scilicet sancti, qui sedebant in tenebris et umbra mortis, exspectantes ut viam pacis interclusam sibi per mortificantem Adam, per vivificantem reciperent; quibus utique ad hæreditatem percipiendam quantum ad fidem nihil defuerat, quam quod nobis de præterito certum est, hoc illis spe certa de futuro constabat. Sed quos prius sub pædagogo positos servile jugum legis gravaverat, conclusi sub peccato differebantur a regno, donec Agnus ille verus levaretur in cruce, cujus sanguine signatus Israeliticus populus liberaretur, sub quo Filio tanquam potentissimo cunctorum rege, seniori et juniori populo eadem resurgendi facultas et gratia præstaretur. Quod in quibusdam de prioribus jam contigisse, Evangelii testimonio comprobatur, quando creaturis virtutem morientis Salvatoris indicantibus, *sol obscuratus est, et petræ scissæ sunt, et apertis monimentis multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt, et venerunt in sanctam civitatem Hierusalem, et apparuerunt multis.*

CAPUT XX.

Glorificata itaque mortui contumelia per gloriam resurgentis, tunc demum compleri cœpit quod adhuc passibilis dixerat: *Cum exaltatus fuero, omnia traham ad me* quoniam non solum priores Patres, ut diximus, qui adventum primum desideraverant, de tenebris evocati sunt, verum etiam gentes, quæ in lacu miseriæ et profundo vitiorum jacebant, mox post adventum Spiritus lumen fidei susceperunt, ut apostolis nuntiantibus virtutes ejus qui in suscitato corpore suo evidentissime declaraverat quid futura essent fidelium corpora, firmiter sperarent de se ipsis, quod in eadem natura præcessisse constabat. Neque enim ob aliud Deus Verbum susceperat corpus et animam nostram, nisi ut utrumque unumquodque in suo tempore suscitaret. Quocirca licet adhuc mortali homini dominetur primæ maledictionis sententia, qua mortis debitum solvit, tamen animæ humanæ resurrectionem, cui propter dignitatem sui velocius fuerat succurrendum, nulla cunctatione distulit misericordia Dei, sed clementissime et ante legem, et sub lege per fidem Jesu Christi, quæ vita est, electorum animas suscitavit, quibus vivificatis nihil damni pateretur, etsi solveretur caro credentium, cum apud prædestinationem ejus in fine sæculorum procul dubio futura esset resurrectio mortuorum. Cujus resurrectionis veritatem usque adeo nobis certam Dei Filius præparavit, ut corpus incorruptibile discipulis contra naturam incorruptibilium palpabile exhiberet, et gemino documento dubitantibus sese videndum et non videndum præstabat, ut ex altero dubii munirentur ad fidem, ex altero desiderium festinandi ad illam vitam conciperent, in qua oculis mutatis in melius, jucundissima visione Dominici corporis semper fruerentur, quod hic interdum immortalitate beatificatum mortalibus oculis videre non possent. In qua sui ostensione nec sanctarum feminarum tactum refugit, sed sive contingendo, seu convescendo, more suo humilitatis Dominus usque in diem qua assumptus est, familiarium suorum animos loquendo de regno Dei ad inquirendam illam patriam incitabat, in qua illi masculus et femina, mutato quidem vitio, sed naturæ veritate servata, occursuri erant in mensuram ætatis plenitudinis suæ. Cujus regni hic habemus initium per ipsum, in quo factæ sunt primitiæ resurgentium, et tunc perficietur in nobis, cum cœperit esse corona sanctorum. Unde cum rudes adhuc discipuli ab eodem de baptismo Spiritus audirent, et in virtute illius temporale regnum Israel restaurandum putarent, et quærerent: *Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel? Non est vestrum*, inquit, *nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate, sed accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos, et eritis mihi testes in Hierusalem, et in omni Judæa, et Samaria, et usque ad ultimum terræ.* Non enim creator temporis ad dimetiendas plagas cœli et planetarum concursus sive motus siderum discernendos, seu ad mundanæ philosophiæ studium, quod totum pene circa peritura expenditur, amatores perennis vitæ vocabat, sed *Accipietis*, inquit, *supervenientem Spiritum ad testificandum nomen meum.* Tanquam pauperibus spiritu et mundi contemptoribus diceret: Nolite inquirere solis anfractus, vel evagationem lunæ, quibus nimis mundi philosophi studuerunt; sed ignari adhuc quid vobis quærere, et amare utilissimum sit, *exspectate promissionem Patris, quam audistis per os meum, et sedete donec induamini virtute ex alto. Cum enim venerit Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, et quæ ventura sunt annuntiabit vobis.*

CAPUT XXI.

Hanc promissionem Christo ad cœlos illis videntibus elevato, et ad Patris dexteram ultra omnem sublimitatem collocato, post completionem dierum Pentecostes accepere, facto repente de cœlo sono tanquam spiritus vehementis, apparentis illis in specie linguarum et ignis. In quibus quid effecerit, non est pusillanimitatis nostræ disserere, sed adsit ipse et nobis, et doceat infantiam nostram, ut se digna sentire et eloqui valeamus. Quis enim, nisi flumina de ventre ejus fluant aquæ vivæ, concipere sufficiat qualiter adveniens Spiritus sanctus eos baptizaverit, et purgata totius iniquitatis rubigine, repleverit omnium virtutum munere, ut repente fierent fortes ex timidis, ex fatuis prudentes, ferventes ex tepidis, ea abundantia pietatis, ut esset illis cor unum, et anima una, charitate Dei diffusa in cordibus eorum per divinitatem ejusdem Spiritus, qui copiose datus est eis? Tunc enim demum opere Dei confirmato in illis, vera libertate donati, voluntaria munera fidelium cordium Christo Domino obtulerunt, et qui prius sicut servi timuerant, vivificante

eos Spiritu, magnalibus Dei edocti in conspectu malignantis concilii injunctum resurrectionis testimonium virtute invincibili reddiderunt. Tunc vere cœli enarraverunt gloriam Dei, et firmamento apostolico opus Spiritus nuntiante, vox majestatis desertum concutientis intonuit in virtute et magnificentia. Nec fuere diversitates gentium apud quas voces eorum non intelligerentur, ita ut divini ignis incendio scintillante in omnem terram sonus eorum exiret, et Spiritu omnia continente, ac ideo orbem replente terrarum, multis etiam nationibus vocis scientia traderetur. Hic *dona sua dividens, prout voluit, aliis genera linguarum contulit, aliis gratiam sanitatum, quibusdam discretionem spirituum*, omnibus in Salvatorem credentibus peccatorum remissionem, et quod his excellentius est, indeficientem Dei et proximi dilectionem. Inflammavit linguas docentium et auditorum duritiem emollivit. Complevit loquentium ora, et ad capiendum verbum vitæ corda prævenit discentium, ut esset magisterium sine mora, disciplina sine difficultate, doctrinæ salutaris verax et jucunda perceptio. Tunc compleri cœpit illa effusio quam per Joel Dominus Deus ante prædixerat dicens : *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem*, et filiis Judæorum, sanctis videlicet apostolis, vitam futuram prophetantibus. Hinc Synagoga perdidit cruorem animalium, illinc gentilitas culturam idolorum, quoniam Spiritus, qui per latibula prophetarum signaverat adventum suum, emissus a Patre et Filio, discusso legis velamento, processit in publicum, ut nova creatione facta terræ faciem renovaret, et remotis idololatrarum sordibus disparatos parietes in unam domum Domini coadunaret, et fieret *gens sancta, populus acquisitionis, electum genus, regale sacerdotium*, omnibus vocatis in admirabile lumen Domini J. C. Hoc Paraclito suggerente omnia, et efficiente per apostolicam manuum impositionem, sacrorum ordinum institutum est sacramentum, et venerandi concilii pia collatio. Quam formam sequentes Patres imitarentur, quatenus eodem Spiritu illustrati subrepentes hæreses devitarent, et pro temporum atque locorum ratione sancirent regulas moderamine mansueto. Hoc ipso animati tam apostoli quam apostolici viri constanter caducorum regum superaverunt tormenta, et fide, verbis, moribus Deum in se glorificantes robustiori amoris æstu exustiones corporum contempserunt, in patientia sanctas animas possidentes, et usque ad hujus vitæ exitum et coronam martyrii thesaurum fidei in vasis fictilibus conservantes. Hujus inspiratio est, quod ubique sentit catholica confessio sacerdotum, et quicunque de incarnato Verbo, sive ad aliorum eruditionem, seu ad sui consolationem sano intellectu locuti sunt, non aliunde quam ab illo hauserunt; nemo enim amat Dominum Jesum Christum nisi in Spiritu sancto, qui adveniens electorum cordibus in amorem coæterni sibi Verbi accendit, et postulare eos facit gemitibus inenarrabilibus, et cum Psalmista gemere : *Notum fac mihi, Domine, finem meum, et numerum dierum meorum, qui est, ut sciam quid adhuc* citra mortis debitum commoranti *desit mihi*. Ad hunc manentium dierum numerum infinitum transilire quandoque nos facit spiritus pietatis, et unctione sua, qua docet de omnibus, suggerit, ne totum nos comprehendisse arbitremur, sed præsentibus sacramentis initiati, cum apostolo in ea quæ ventura sunt extendamur ad bravium supernæ vocationis Dei, memores illius hæreditatis in qua de manu omnium inimicorum invisibilium seu visibilium liberati, in sanctitate et justitia coram ipso corporaliter præsentati, omni tempore serviemus ei. Sicut enim priora significativa sunt præsentium, ita ista effectiva quidem salutis sunt, sed præsentatio futurorum; spe enim salvi facti sumus, et videmus nunc per speculum, tunc autem facie ad faciem visuri sumus, cum apparuerit Christus vita nostra, et cœperit apparere quid erimus.

CAPUT XXII.

Breviter longam seriem operum Dei attigimus, et subjecimus conspectui tuo Ecclesiæ status, ut exinde judicares quam inconvenientes in plerisque et dissonæ sint cœlestis institutio et humanorum versutiæ figmentorum. Quamvis enim in morali discretione præter ea quæ ad fidem sanctificantem cuncta pertinent, in pluribus philosophicæ rationes a catholico sensu non discrepent, sicut in descriptione virtutum, quas politicas, purgatorias et purgatas appellant, et aliis multis, ex quibus ecclesiastici rectores et gubernatores divinæ reipublicæ quædam sumpsere, tamen cum ad corporum nostrorum disputationem ventum est, miserabiliter desipuerunt, statuentes sibi perniciosas sententias quæ veniunt contra resurrectionis mysterium, circa quod maxime divitiæ bonitatis et humiliationis Dei versantur, quod nimirum nec natura duce comprehendere, nec inspirante Deo cognoscere meruerunt. Corpus namque ex elementis compactum arbitrantes, quod ipsius ponderosum erat opinabantur in terram inevitabili necessitate redire, ut spiritu ad stellam comparem redeunte, singula ex quibus concretum corpus constiterat, in matrices essentias retexerentur; unde nihil aliud corpus quam carcerem et sepulcrum pœnitentis animæ æstimabant. Proinde quicunque illarum scripturarum sensibus, sicut veris, acquieverit, quæ reparationem corporum in æterna vita impossibilem esse contendunt, tanquam verius reputans quod ab ethnicis sancitum sit, omnia scilicet pondera suo nutu in terram ferri, iste absque dubio hostis est sui ipsius, et ingratus elementorum Auctori, qui omnia quæcunque voluit fecit, cui pro certo tam facile est unum in supremo locare, quam facile fuit in prima creatione compugnans chaos elementaria distinctione stabilire. Et in hoc, ut opinor, mecum convenis, quod omnia quæ vult possit Deus. Sed fortassis inquies : Licet cuncta faciat quæcunque velit, nec aliud faciat, et aliud velit, sed ea etiam velit quæ facit, quia voluntatem ejus nemo compel-

lit, philosophanti tamen in dubio manet utrum ipse voluerit quod eum voluisse et fecisse beata simplicitas fidelium credit. Hic quæstionis nodus sicut non credenti difficilis, ita facilis est credenti, et quantum in homine est, ut existimo, insolubilis, nisi adsit clavis David, quæ claudit et nemo aperit, aperit et nemo claudit. Nobis autem hoc solutum est in fideli Abraham, in cujus semine etiam credens philosophus benedicitur, in columna nubis et ignis tempore Moysi, in divisione maris Rubri, et cæteris a nobis superius comprehensis, in quibus consuetudo naturæ toties victa est, ut jam ipsa de se natura parum confidere possit. Ad ultimum natus est homo Deus de perpetua Virgine, idemque homo sepultus resuscitatus est in æternum cum vero corpore, qui prius in argumentum virtutis suæ fetidum cadaver Lazari veraciter restituerat mortali vitæ. Mentitur ergo philosophus enuntians omnem hominem esse animal rationale mortale, quia Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Ac pro hoc quidam homo factus est animal immortale, qui salutare dogma imitatoribus suis confert, et in disputando adjuvat, quatenus diabolo, qui exstinctor fidei est, et membris ejus viriliter resistentes, credant et clament velociter futurum esse ut collata homini immortalitate, qua Deus differebat ab eo, removeat mortalitatem, qua homo miser recedebat a Deo, et sic per Christi sapientiam et gratiam sub una definitione conveniant, quos mortalis philosophus per infatuatam prudentiam transitoria qualitate dividebat. Hoc non percipitur postquam spiritus subjectus est carni, quoniam cum caro adversus spiritum concupiscat, si spiritus abnegatis fructibus suis, qui sunt secundum Apostolum Galatas cohortantem, charitas, gaudium, pax, fides, continentia, castitas, et alia talia, quæ cogenti legi non subjacent, sub dominio carnis transierit, et turpissimus servus lascivientis dominæ pressus imperio, sensualitatis jugum portare consueverit, statim longanimitate, qua mansura bona sustinentur, abjecta, implicatur et confunditur operibus carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, avaritia, quæ est idolorum servitus, sub qua idololatria comprehenditur, inobedientiæ scelus, contentiones etiam et dissensiones, quibus vos operarii carnis maxime totis his temporibus studuistis, qualia qui agunt, regnum Dei non consequuntur; sicque privatus gratia Dei, quæ est vita æterna, militat stipendiis peccatorum, quæ sunt mortis perpetuæ indeficientia tormenta. Sicut enim carnem spiritus magisterio virtutum et sanctorum exercitio morum ad capessendam immortalitatis stolam erudire et promovere debebat, ita caro eumdem excæcatum et præfocatum demergit secum ad recipienda præmia inferorum. Hinc denique perit fides, quæ per dilectionem operatur, fortissimum argumentum futurorum bonorum, et succedit perfidia, desperationis creatrix, exstinctisque oculis rationis, quibus verum honestum et purum utile discerni solet, vivitur in servitute sensuum, ut appetatur quidquid inhonestum et turpe est, quidquid damnosum ametur, et homo in honorem Dei conditus jumentis insipientibus similis redigitur in dedecus bestiale. Sine differentia namque de vitio itur in vitium, ubi etiam peccati causa fit præcedens peccatum, et assidua peccandi delectatio reprobum sensum in profundum pertrahit peccatorum, ut jam nulla videatur sibi posse fieri remissio delictorum. Tunc quod omni victima potius est, obedientiæ bonum contemnitur, ubi nimirum defuncto timore Dei, soli dominanti libidini obeditur.

CAPUT XXIII.

Confusionis tantæ baratrum, nisi major Dei misericordia perditioni vestræ subvenire dignabitur, vobis et sibi præparasse videntur, non qualescunque personæ, sed quos archiepiscopos et episcopos appellatis, quorum furor in tantum abundante iniquitate desipuit, ut non dubitarent contemnere salubres admonitiones et canonica decreta sancti viri, videlicet Gregorii VII, Romanæ sedis episcopi, et abrumpere se a visceribus apostolicæ Ecclesiæ, universorum matris. Cum enim ab eodem Gregorio pro suis criminibus canonicis rationibus urgerentur, et vel damnati vel metuentes damnari nullum sub prudenti et instanter agenti viro impietati suæ evadendi aditum cernerent derelinqui, involverunt eadem damnatione regem suum Henricum, quem sicut actorem hæresis suæ habuerant, ita et defensorem haberent. Crevit rabies regni Teutonici in immensum, et ultra modum peccantes, imitatores Judaicæ perfidiæ facti estis, dum objicientibus vobis his qui de parte catholicorum stabant, non sic agendum esse contra magistrum totius Ecclesiæ, summæ sedis episcopum, posthabita totius divini cultus reverentia, sæpe clamare non erubuistis: Non habemus pontificem nisi Cæsarem. Ut tamen corpus Satanæ suam integritatem obtineret, petiistis virum homicidam donari vobis, Wipertum scilicet, exarchiepiscopum Ravennatem, quem pro certis et publicatis sceleribus prius in plenaria synodo, eodem Gregorio pontifice præsidente, Romana Ecclesia condemnaverat. Discipulum vero Jesu, qui in hoc se totum impendebat ut sancta Ecclesia ad debitum honorem et necessariæ libertatis statum repararetur, quantum in vobis fuit, expellendum et crucifigendum votis et actionibus nefariis postulastis. Verum quia novit Dominus qui sunt ejus, et in omni gente elegit viros acceptabiles sibi qui eum timeant et operentur justitiam, non defuerunt eo tempore viri magni et religiosi, quibus iniquitas tanta non placuit, hodieque supersunt in eodem regno quamplurimi qui miserante Deo nondum Baal genua curvaverunt, qui præclaras dignitates pretiosiores quam salutem suam facere neglexerunt, sed cuncta quasi stercora reputantes, ut Christum lucrifacerent, ad apostolorum principem et successorem ejus Gregorium se pro defensione fidei contulerunt. Contra quem quam impie etiam secundum leges sæculi actum sit totius quoque gestionem negotii, in quo decennio et eo magis in

Vita sancti papæ non sine gravi quassatione sanctæ Ecclesiæ laboratum est, ex historia, quæ viri in illas partes illustris et apprime in eadem re pro justitia fatigati, Salseburgensis archiepiscopi esse dicitur, manifestius cognoscetur. Ex quo magis mirandum est super imprudentia tua et aliorum, qui in causa Ecclesiæ contra rationes fidei tam frequentes et inanes verborum pugnas facitis, nescientes penitus quid loquamini vel de quibus affirmetis. Si enim Scripturæ sacræ, quas duritia vestra intelligere non meretur, minus satisfaciunt vobis, et Salvatoris verba testantia non esse discipulum supra magistrum : Spiritus sancti quoque auctoritas, qua statutum est summum pontificem a nemine judicandum, et præterea concordia decretorum, quæ non solum impiis manibus vestris judicii gladium, quo patriarcham Christianitatis jugulare intenditis, extorserunt, sed cervicositatem vestram jugo obedientiæ ipsius modis omnibus subdiderunt : pudori saltem vestro sufficere poterant discreti viri in circuitu vestro constituti, eruditi in lege Domini, legales quoque principes Deum honorantes, postremo monachi, eremitæ, omnium propositorum religiosi, schisma vestrum libera detestatione impugnantes. Quod enim canones canonibus objicitis, vecordis imperitiæ est, præsertim ubi res nulla ambiguitate implicita est, quo minus, ubi volueritis, vero judicio demonstretur; ubi autem velle viribus, ubi judicia manifesta sunt, violentorum est et de justitia desperantium. Ita namque usque in hodiernum diem dúæ civitates, quarum una est Christi, altera diaboli, a principio negotii hujus in suis civibus distinctæ manserunt, ut nulla fere civitas in tota Latinitate sit quæ non habeat hujus causæ oppositos defensores, quorum alii cum sanguinario Cain in spicis coram Deo offerunt æristas exacerbationis, alteri cum Abel justo in simplici agno innocentiam veritatis. Unde est etiam quod vos ad irritandum Altissimum, et augmentum profanationis in sacrificiis vestris pro Wiperto tanquam Patre et pontifice animarum vestrarum divinam clementiam imploratis. Nos eumdem hominem hæreticum, qui vivente patre et domino nostro per cruentam manum facinorosi et excommunicati regis ad obligandas obligationes in peccatis sacratissimam sedem apostolorum usurpare et polluere conatus sit, damnatissimum exsecramur. In quo nihil medium est : aut vos, si verum dicimus, tanquam qui pernicciosissime diabolum pro Christo colunt, indissimulabili condemnatione teneri; aut nos, si mentimur, intolerabili et nimis odiosa super innocentis præjudicio præsumptione seduci. Restat itaque ut, eo probato quod objicimus, aut furor et indignatio Dei vos perseverantes corripiat, aut misericordia respiciat pœnitentes. Sed, ut existamus, nullus vestrum qui ipsius patrocinium suscepistis, adeo attritæ frontis erit ut quod de invasione dicitur, audeat diffiteri, cum universus pene Romanus orbis his veluti diffamatis et publica notitia convictis attestetur. Cum igitur protervitatem vestram in hoc validissime coarctari sentiatis, insumitis aliud suffragium evadendi, sicut fures deprehensi, qui pernegant quidquid sibi nociturum prævident, confingunt autem quidquid putaverint profuturum, mentientes illum nunquam fuisse papam, quem sancte et religiose in gremio ejusdem Ecclesiæ a puero educatum, in tempore necessitatis quando ingruentibus vitiis virum plenum fide et Spiritu sancto ad suscitandos canones oportebat assumi, eadem catholica mater per celebrem electionem eorum omnium qui pro instantia temporis interesse debuerunt et potuerunt, præfecit sibi rectorem et gubernatorem omnium in Christo regenatorum. Hunc non solum Gallicanæ Ecclesiæ, sed Teutonicæ et Hispanæ, postremo Græcæ et Latinæ sine contradictione cum debita veneratione susceperunt, et usque in præsentem diem se tantum pontificem habuisse non sine gratiarum actione reminiscuntur. Talia eos canones docuerant. Hoc Spiritus, qui a Patre procedit, columbæ suæ, quæ sine ruga et macula esse cupit, inviolabiliter servandum mandavit, ut successores illius, qui Barjona, id est *filius columbæ*, a Domino dictus est, summi pontifices haberentur, in quos sicut succedenter ejusdem apostoli semel suscepta potestas transfundebatur, ita honor ecclesiastici culminis et aliorum negotiorum pondera referrentur, nec in dandis judiciis de apostolica dignitate quidquam adimeret vita inferior succedentis, ubi per catholicam ordinationem adessent et Spiritus sancti gratia et Petri merita præsidentis. Utrum autem vos eumdem receperitis aliquando summum pontificem, arguit post primam excommunicationem satisfactio regis vestri facta in Italia, quando rerum desperatione compulsus nullus vobis miseriæ exitus occurrebat præter absolutionem ipsius, quem, licet perfidis mentibus Pastorem tamen et Dominum cognovistis. De quibus plura scribere omittimus, cum in præfati viri nistoria de his omnibus plene lucideque digestum sit.

CAPUT XXIV.

Illud vero prætermittendum nobis nulla ratione visum est quod malignitas vestra confinxit de epistola quadam ad corrumpendos minus intelligentes in eumdem sanctum Gregorium composita, et ad persuadendum, et ingerendum scelus vestrum mentibus simplicium, quasi quod agitis, ex æquitatis zelo non ex odii falsitate procedat, per diversas partes regni directa, ut indiscreti homines qui non recogitant utrum sit sicut dicitur, sed credunt ita esse quod sic scribitur, adjuvent partes vestras, et mendaciorum quæ intenditis horrore permoti inauditam crudelitatem vestram excusabilem opinentur. In qua liquidum est recte sapienti, quod vos per quorum ora pater mendacii ex propriis locutus est, ex patre diabolo estis, qui in veritate non stetit, sed talia de Christo Domini et beatorum apostolorum successore, vos dicere et scribere compulit, quæ nec verisimile est in quemlibet plebeium hominem cadere potuisse. Sed quia in toto

malignantium conventu, in quo Treveris, ut audivimus, consilium opprimendi justi habitum est, nemo illorum qui in cathedris pestilentiæ sederunt, idoneus inventus est qui sciret ad increpandum innocentem et subvertendam justitiam verba componere, et ornate detrahere sermonibus veritatis, injuncta fertur esse hujus negotii cura cuidam homini grammatico Wirrico, Treverensi magistro, qui sub persona Eliphat Temanitis, Virdunensis scilicet episcopi, fraudulentis verbis et dolosa percunctatione augeret dolorem sancti Job in sterquilinio mundanæ tribulationis sedentis, et scaturientes vitiorum vermes de corpore Ecclesiæ radentis compassionis manu et testa veritatis. Ille vero grammaticus ad exprobrandum Deo viventi de Philistæorum cœtu electus, gaudens suscepit operam, atque more scholarium rhetorum, qui in suscepto themate non attendunt quid gestum vel non gestum sit, sed in fictis causis præacuentes linguas, tantum eloquuntur quantum quilibet vel inferre injuriam, vel ipse sustinere potuerit, fecit epistolam contumeliis sanctæ Ecclesiæ redundantem, cui velocius respondere deliberamus, adjutorium nobis præstante ipsius gratia, cujus dono scimus discernere quid sit superbia et obedientia, quid turpitudo et castitas, quid distet a falsitate veritas, et angelus Satanæ, cum transformat se in angelum lucis. Ita enim introductus episcopus in verbis illius epistolæ amicum se simulat, ut tamen sub habitu inquirentis totum inimicorum virus effundat. Qui si verus amicus foret, non pateretur sub suo nomine sacrilegorum blasphemias publicari, cum facile illi esset, si curaret, refellere calumnias objectorum. Sed optimus amicus maluit domini et magistri sui ficta convicia decantare, quam offendere impiorum concessum; quæ, si pie saperet, combureret debitis flammis potius, quam susciperet deleganda. Et prædictus quidem Domini servus Gregorius absconditus in abscondito faciei Dei a conturbatione vestra, et protectus in tabernaculo ejus a contradictione linguarum vestrarum, perfruitur decore domus Dei, cujus honorem et libertatem amavit, prædicavit et docuit in verbo veritatis et virtute Dei, cum prædecessore suo B. Paulo in conspectu hominum incedens armatus justitia per infamiam et bonam famam, ut seductor et verax, quasi moriens, et ecce vivit, ad horam contristatus, semper autem amodo gaudens, et locum habitationis gloriæ Dei adeptus, inebriatus ubertate gratiæ ejus, et torrente voluptatis æternæ potatur, experiens cum fideli David quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam absconditi timentibus te. Ideoque linguis vestris adhuc per terram serpentibus, benedicit Dominum, qui mirificavit misericordiam suam sibi in civitate munita superna scilicet Hierusalem, ad quam stultitiæ et maledicta vestra aspirare non possunt, quia ibi præsidet veritas Patris, quæ de loco sancto suo prodit omnes qui loquuntur mendacium; propugnatores vero æquitatis et defensores Christianismi sui indubitanter animat, ut confidant, quia ipse vicit mundum. Quoniam et si differt, non deficit, sed præsens auxilium omnipotentiæ suæ semper illis communicat, quibus dicitur: *Ecce ego vobiscum sum in consummationem sæculi.*

ANNO DOMINI MC

PAULUS

S. PETRI CARNOTENSIS MONACHUS

NOTITIA HISTORICA

(*Histoire littéraire de la France*, t. VIII: p. 254.)

Paul était moine de Saint-Père en Vallée à Chartres et témoigne y avoir vécu avec Ardfaste, ou Arefaste, seigneur normand, homme de probité, de bon conseil et éloquent, que Richard II, duc de Normandie, avait souvent employé dans les négociations, auprès du roi de France et d'autres souverains. Nous avons par là de quoi fixer les commencements de l'histoire de notre auteur. Ce fut en 1022 qu'Arefaste découvrit cette espèce de manichéens qui sont devenus fameux dans l'histoire (Mab. *An.* l. LV, n. 2); et après le concile d'Orléans, tenu à leur sujet, il se retira à l'abbaye de Saint-Père, où il embrassa la profession monastique, et vivait encore en 1029 (*ibid.*, l. LVI, n. 56). Paul, qui y était déjà moine, pouvait par conséquent être né après les premières années de ce XI^e^ siècle, et ne mourut que fort longtemps après, comme on le verra par la suite.

C'était un homme d'esprit, de mérite, fort studieux, qui se fit une occupation particulière de conserver à la postérité les monuments historiques qu'il put découvrir, avec les événements de son siècle, principalement ceux qui regardaient son monastère et la ville de Chartres, qui était peut-être le lieu de sa naissance. Sa candeur, sa sincérité et sa bonne foi lui méritèrent la confiance de ses abbés.

Dès 1038 l'abbé Landri l'envoya à Blois porter une somme d'argent à un nommé Rahère, pour l'engager à se désister des prétentions qu'il avait sur la chapelle royale donnée à Saint-Père. Il avait à son service un valet nommé Tescelin, comme on l'apprend d'un monument de ce temps-là, ce qui ferait croire qu'il aurait été quelque temps cellérier ou procureur de l'abbaye. On est confirmé dans cette pensée en lisant qu'il planta des bornes pour marquer les limites du territoire de ce monastère ; *magnis lapidibus a Paulo monacho solo infixis*, ce qui se fit sous l'abbé Landri (MAB. *ib.* l. LXII, n. 83), et par conséquent avant l'année 1065, qui fut le terme de la vie de cet abbé.

Il est au moins vrai que Paul remplit pendant plusieurs années les fonctions de chancelier ou secrétaire de la maison de Saint-Père, ce qu'on exprimait alors par le terme de notaire. On en a la preuve dans plusieurs chartes qu'il rapporte lui-même, et dans lesquelles se lisent les traits suivants : *Scripsit Paulus monachus; Paulus monachus scripsit; Paulus monachus exstitit notarius.* Lorsqu'il était absent, et qu'un autre tenait sa place, celui-ci avait soin de marquer qu'il l'avait fait par l'ordre de l'abbé; par exemple, sous l'abbé Landri, dont Paul était l'homme de confiance, *Robertus monachus scripsit hanc chartam jubente Landrico abbate.* Au lieu que quand Paul écrivait lui-même, il marquait simplement qu'il le faisait sous tel ou tel abbé. Il y a de ces sortes de chartes au moins depuis 1040 jusqu'en 1077 inclusivement.

Paul confirme lui-même par plusieurs faits, qu'il a fait entrer dans son ouvrage, le temps où l'on vient de montrer qu'il florissait. En effet, il dit expressément qu'il vivait sous l'épiscopat d'Agobert, mort vers 1060, et fait mention des évêques, ses successeurs, Robert et Geoffroi. Il rapporte un événement qui arriva en 1075, et auquel il eut part (MAB. *ib.*, l. LXIV, n. 2). L'évêque Robert, qui était de Tours, voulut donner à Saint-Père pour abbé le moine Hubert, qui était accusé de suivre l'hérésie de Bérenger. Mais il n'y put réussir, ajoute notre écrivain, par la réclamation que nous y fîmes de vive voix, et la forte opposition que nous y apportâmes : *nobis acriter renitentibus, ac viva voce refutantibus.* Hubert ne laissa pas cependant de porter le reste de ses jours le titre d'abbé, quoique Eustache, dont Paul fait aussi mention, eût été substitué à sa place.

Autre fait qui prouve ce qu'on vient d'établir, et qui montre que notre auteur ne vécut pas au delà de ce siècle. Paul nous apprend que le comte Rotrou donna à l'abbaye de Saint-Père le monastère de Saint-Denys de Nogent, et qu'elle en jouit jusqu'à la mort du comte, c'est-à-dire jusqu'en 1079, ou, au plus tard, 1084. Mais qu'alors Béatrix, sa veuve, ôta ce monastère à Saint-Père pour le donner à Cluny, ce qui fut un sujet de contestations entre les deux abbayes, qui ne finirent qu'au commencement du siècle suivant par un accord fait entre elles, dont notre écrivain ne parle point, quoique son dessein l'exigeât, s'il n'eût écrit qu'alors. Enfin on trouve dans les titres du prieuré de Léoncourt, appartenant alors à l'abbaye de Saint-Père, qu'en 1088 Ibert d'Erigni donna à ce prieuré les dîmes, qu'il fit voir au moine Paul monté sur un coursier blanc. Il n'y a nulle apparence que Paul ait vécu au delà de cette époque. Qu'on se souvienne qu'il était moine avant 1029, et que dès 1038 il gérait les affaires de sa maison. Nous nous sommes un peu arrêté à son histoire, parce que jusqu'ici elle n'était pas connue, et que ceux qui ont entrepris d'en parler, nommément l'auteur de la Bibliothèque Chartraine, sont tombés dans plusieurs fautes qu'il serait inutile de relever; ce que nous en venons de dire est tiré de l'écrit même de notre auteur.

L'unique ouvrage qui nous reste du moine Paul est un cartulaire célèbre, connu de plusieurs savants du dernier siècle, qui y ont puisé avec fruit. Tels sont entre autres Sainte-Marthe, dom Hugues Ménard, dom d'Acheri, dom Mabillon, qui, en le citant, en ont un peu changé le véritable titre, le nommant *Liber Aganonis*, ou *Haganonis*, et quelquefois *Apotheca*, parce que c'est un recueil de divers monuments. Il comprend cent trente-huit feuillets de vélin in-4°, d'une écriture du XI^e^ siècle; de sorte qu'il ne paraît pas y avoir de difficulté que ce ne soit l'original de l'auteur. Il n'y en a point non plus qu'il n'appartienne au moine Paul. C'est ce qui est déjà prouvé en partie par le récit de son histoire, et qui se trouve confirmé par un autre cartulaire que l'on conserve aussi à l'abbaye de Saint-Père, et qu'on nomme ordinairement le Cartulaire d'Argent. L'auteur de celui-ci, qui vivait environ un siècle après, transcrivant un morceau du premier cartulaire, l'attribue disertement à Paul, par l'inscription suivante qu'il a mise en tête : *Scriptum Pauli monachi.*

Paul commence son recueil par donner une idée de son dessein. Il avertit que, l'ayant entrepris à la sollicitation de ses frères, il se propose d'y recueillir toutes les chartes et priviléges de son monastère qui avaient échappé aux incendies et autres malheurs des temps, et qu'il avait pu recouvrer, afin de les conserver à la postérité, et que ceux qui y auraient intérêt y trouvassent l'histoire de l'abbaye de Saint-Père. L'auteur a divisé son ouvrage en deux livres, au premier desquels il a donné le titre de *Liber Agani*, parce qu'il contient les donations faites sous l'épiscopat d'Aganon, évêque de Chartres. Et comme le second livre comprend celles qui ont été faites sous l'évêque Ragenfroi, restaurateur du monastère, il l'a intitulé *Liber Ragenfredi.* Mais c'est du premier titre que le cartulaire a pris sa dénomination; et on ne le nomme d'ordinaire que *Vetus Aganus*, d'où l'on a fait *Liber Aganonis*, comme il a été dit, et qu'il se lit même à la fin du livre. Cependant, malgré cet ordre ainsi établi, il ne laisse pas de se trouver, dans la première partie, une charte qui appartient à l'épiscopat de Ragenfroi; de quoi l'auteur a soin de rendre raison, en disant qu'il l'a rangée dans la première classe parce qu'elle regarde les chanoines qui étaient alors établis à Saint-Père, et que cette classe est destinée à toutes les chartes de cette nature, comme la seconde à celles qui concernent les moines.

Il ne faut pas, au reste, regarder ce cartulaire comme une compilation sèche et dénuée de traits historiques, autres que ceux qui se trouvent épars, comme noyés dans les chartes qui le composent en partie. L'auteur a été attentif à le rendre intéressant, en y faisant entrer grand nombre d'événements qui s'étaient passés en son siècle, ou qui l'avaient même précédé, et qu'on ne trouve pas ailleurs pour la plupart. C'est ce qu'il nomme digressions, qui ne doivent pas, dit-il, être désagréables au lecteur. Bien loin de là, on lui sait très-bon gré d'avoir ainsi interrompu la suite de ses pièces originales, pour varier aussi agréablement son écrit. S'il avait moins craint la jalousie de certaines personnes, qui en tous les siècles ne traversent que trop souvent les louables entreprises des autres, et qu'il eût un peu plus présumé de sa capacité, il nous aurait donné une histoire en forme et suivie. Il en avait d'abord le dessein, mais il fut arrêté par les réflexions qu'on vient de marquer. Il craignait si fort d'y revenir, qu'après avoir décrit certains événements, il s'arrête aussitôt par la considération qu'il pourrait paraître passer les bornes d'un compilateur, et faire le personnage d'historien.

Toutes ces précautions n'ont pas empêché notre écrivain de nous donner une histoire abrégée de son monastère, suivant ce qu'il en avait appris des anciens, ou lu dans les monuments qu'ils avaient

laissés a la postérité. L'on y voit l'ancienne situation de l'abbaye hors des murs de la ville, un état de son territoire et de ses bornes; des détails de ses ruines réitérées par les Normands, de la déroute de ces barbares par la vertu de la sainte chemise, qu'on montre encore à Chartres, du zèle de l'évêque Aganon pour rétablir le monastère, et des soins de Ragenfroi pour le dédommager de ce que l'évêque Elie lui avait enlevé. On y trouve de même plusieurs autres événements mémorables qui concernent l'abbaye de Saint-Père. Ce qui donne un nouveau prix à ce morceau d'histoire est la description que l'auteur y fait de la ville de Chartres, de son enceinte, de ses portes et de la plupart de ses rues.

Paul ne s'est pas borné aux événements domestiques, il a été encore soigneux de nous apprendre plusieurs faits qui regardent l'histoire publique. Telle est la découverte des hérétiques, à l'occasion desquels fut assemblé en 1022 le concile d'Orléans. L'auteur de la Bibliothèque Chartraine n'avait pas lu cette relation dans l'original, pour la croire de la façon d'Arefaste. Mais c'est d'Arefaste, auteur de la découverte, avec qui Paul vécut quelque temps, que celui-ci en avait appris l'histoire, et c'est d'après lui qu'il l'a écrite pour la postérité. Telle est encore la découverte du chef de saint Romain, qui se fit à Brou lorsqu'on creusait les fondements pour y élever une église de pierre, à la place d'une autre qui n'était que de bois. Telle est enfin, sans entrer dans un plus grand détail, la relation abrégée des miracles de saint Sigismond, chanoine de Chartres.

On ne doit pas omettre, pour faire connaître tout le mérite de ce recueil, que l'auteur est attentif à y donner les choses pour ce qu'elles sont, et qu'il y pousse l'impartialité jusqu'à ne pas dissimuler les fautes de ses frères. Il doute là où il croit qu'il y a raison de le faire. De là ces expressions assez fréquentes : *J'ignore*, dit-il, *quelle fut l'issue de telle affaire, seulement je sais.... Je ne connais pas un tel lieu, mais je ne doute pas qu'il existe, parce que je le trouve ainsi écrit.* Il va quelquefois jusqu'à marquer la première source d'où il a appris les événements dont il parle. Par exemple, en parlant de la découverte du chef de saint Romain, il avertit que ni lui ni celui qui la lui avait racontée n'en avaient été témoins, mais que ce dernier la tenait de l'archiprêtre Agobert, depuis évêque, qui s'y était trouvé présent. D'autres fois il revient sur ses pas, lorsqu'il s'aperçoit avoir fait quelque écart, et ne rougit point de rétracter ce qu'il avait avancé contre l'exactitude des faits.

C'est de ce recueil que dom d'Acheri a tiré l'histoire des nouveaux manichéens, découverts à Orléans au commencement du XI^e^ siècle (*Spic.*, t. II, p. 670-676), histoire qu'on a fait entrer depuis dans la collection générale des Conciles (*Conc.* t. IX, p. 838-842), et qu'on ne trouve point ailleurs aussi détaillée. C'est à la même source que les auteurs du *Gallia Christiana* (II, 483-87 ; IV, 720-24) ont puisé tout ce qu'ils disent de plus avéré des évêques de Chartres et des abbés de Saint-Père au IX^e^ siècle et aux deux siècles suivants. C'est encore de l'ouvrage de notre écrivain que dom Mabillon a pris tout le fond des éloges des vénérables abbés Alevée et Arnoul (*Mab. Act.* t. VII, p. 279-285; t. VIII, p. 315-319).

L'abbé Landri (MAB. *An.*, l. LXII, n. 83), sous qui le moine Paul passa la plus grande partie de sa vie, mourut en 1065, ou selon d'autres seulement deux ans plus tard, et fut enterré à Saint-Père. On lui dressa une épitaphe en seize vers élégiaques, qui nous a été conservée, et qui est un peu moins plate que les autres pièces de cette espèce du même siècle. Nous n'en parlons après tout que sur ce qu'il y a bien de l'apparence qu'elle est de la façon de l'auteur du Cartulaire.

VETUS AGANO

(Edidit domnus GUÉRARD, *Collection des Cartulaires de France*, tom. I, p. 1, p. 1. Tribus partibus constat Codex diplomaticus monasterii S. Petri, quarum primam tantum, quæ Paulum monachum auctorem agnoscit, recudimus.)

MONITUM

Ex Prolegomenis D. Guérard ad Chartularium S. Petri Carnotensis, p. CCLXVIJ.

Le recueil écrit par le moine Paul est connu sous le nom de *Vetus Agano*, ou de *Cartulaire d'Aganon*. Dans sa préface, qu'il appelle *epilogas*, il annonce avoir donné le nom de *liber Hagani* à son premier livre, qui comprend les donations faites à l'abbaye de Saint-Père pendant l'épiscopat d'Haganus ou Aganon, évêque de Chartres ; et le nom de *liber Ragenfredi* à son deuxième livre, parce que ce fut l'évêque Rainfroi, successeur d'Aganon, qui rendit cette abbaye florissante et l'établit sur des fondements inébranlables. Quant aux livres suivants, il n'en est pas question, et c'est nous qui les avons distingués en leur donnant à chacun le nom de l'abbé sous lequel les actes qu'ils contiennent ont été écrits. Toutefois, nous avons été forcé de réunir dans le livre VII les actes qui se rapportent aux temps des deux abbés Landri et Hubert, parce que ces actes se mêlent les uns dans les autres, sans égard à l'ordre chronologique. Ce livre contient aussi des chartes des abbés Gisbert, Magénard, Arnou et Eustache, qui appartiennent aux livres IV, V, VI et VIII. On y trouve même une charte de l'an 954, dont la place devrait être dans le deuxième livre. De plus, nous rencontrons dans le livre d'Aganon des actes qui sont rapportés au temps de Rainfroi, son successeur. Enfin, quoique l'auteur avertisse qu'il transcrira seulement les actes des huit premières années de l'abbé Eustache, qui finissent au plus tard à 1087, un de ces actes est daté de l'an 1096, et précède des chartes de date plus récente ; on doit donc le considérer comme une

addition faite à l'ouvrage. Ce défaut d'ordre chronologique parmi les chartes n'a d'ailleurs rien qui doive nous surprendre : dans le plus grand nombre des cartulaires, en effet, les pièces sont classées moins d'après leurs dates que d'après le rang des personnes dont elles émanent, et suivant les temps ou les lieux qu'elles concernent (1).

But de l'auteur du Cartulaire d'Aganon.

L'auteur, comme il le déclare dans sa préface, ne consentit à publier, *edere*, un recueil des chartes de l'abbaye de Saint-Père, conservées en original dans les archives de cette abbaye, que sur les instances réitérées et pressantes des moines. Son insuffisance, dit-il, et la rusticité de son style lui conseillaient plutôt de garder le silence que de s'exposer aux traits empoisonnés des envieux, qui se plaisent à déverser le blâme sur les actions les plus louables des gens de bien. C'est donc seulement pour obéir aux religieux, ses frères, et non par un esprit de vanité, qu'il s'est décidé, malgré lui, à recueillir leurs priviléges échappés à l'incendie du monastère (1078), pour en former un petit ouvrage facile à sauver du feu et des autres dangers fortuits, et commode à consulter pour la décision des affaires du couvent. Il s'est aussi proposé de décrire, autant qu'il en aurait le loisir et le pouvoir, les villages, les terres et les autres lieux donnés aux frères pour leur entretien, afin qu'ils eussent de leurs biens une connaissance aussi exacte que les personnes chargées de les faire valoir. Enfin, il lui a paru convenable de rapporter, tels qu'ils les avaient appris de la relation et des écrits des anciens, les faits propres à démontrer que son abbaye mérite, par son illustration comme par la richesse de ses ornements et de ses autres biens, un des premiers rangs parmi les plus célèbres abbayes de la Gaule.

Composition de l'ouvrage

Aussi l'ouvrage du moine Paul, au lieu d'être un simple cartulaire, contient-il à la fois un recueil de chartes, un terrier et un mélange de récits. Il a composé son ouvrage d'après les documents laissés par les anciens, comme d'après la relation des vieillards qu'il a consultés et la connaissance directe qu'il a eue des événements de son temps. La plupart des documents dont il a fait usage étaient gardés dans les archives de l'abbaye de Saint-Père. Pour la description des anciens biens et droits de cette abbaye, il s'est servi de deux volumes ou rôles, *rotuli* : car, pour les titres originaux, il n'a pu les découvrir, soit qu'ils aient péri de vétusté, soit qu'ils aient été brûlés par le feu des ennemis, soit même qu'ils n'aient pas été rédigés faute de personnes capables de les écrire. Il a copié toutes les chartes passées sous l'administration des abbés Wibert, Gisbert, Magénard, Landri et Hubert, qu'il a trouvées dans les archives.

(1) Paul lui-même dit qu'il a mis ensemble les actes concernant la terre de Jusiers.

(2) Une charte de 1077 est classée au milieu de

A Arrivé à l'époque de l'expulsion de l'abbé Hubert, il avertit que l'abbé Thierry de Vendôme, qui le remplaça momentanément, n'a laissé jusqu'à présent qu'une charte à la postérité, et annonce qu'après l'avoir transcrite il transcrira de même celles que firent les moines pendant le temps qu'ils furent sans abbé (2).

Quant aux chartes du temps de l'abbé Arnou, il n'a transcrit que celles qui lui paraissaient avoir encore quelque utilité pour l'abbaye; il a remplacé les autres par une relation abrégée des maux que cet abbé eut à souffrir dans sa vieillesse. Enfin il n'a rapporté de l'abbé Eustache, comme nous l'avons dit, que les actes passés pendant les huit premières années de son administration. C'est d'un B écrit de Fulbert, depuis évêque de Chartres, qu'il a tiré l'histoire de la nomination de Magénard à la dignité d'abbé de Saint-Père.

Parmi les vieillards qui lui ont fourni des renseignements pour son ouvrage, il nomme le moine Robert, ancien abbé de Saint-Maur-les-Fossés, qui l'instruisit d'un accord passé entre Eudes II, comte de Blois, et les moines de Saint-Père. Il nomme aussi l'archiprêtre Agobert, devenu plus tard évêque de Chartres, qui lui raconta comment le chef de saint Romain fut apporté de Rome au château de Brou.

Outre les ravages des Normands, la destruction, puis la restauration de l'abbaye de Saint-Père, et en général l'histoire ancienne de cette abbaye, C l'hérésie des nouveaux manichéens, ainsi que les autres événements qu'il raconte dans son ouvrage, il fait encore connaître plusieurs particularités relatives aux comtes de Blois, et beaucoup d'autres relatives aux troubles de l'abbaye, excités par les évêques de Chartres Thierry, Robert et Arrald. Le premier expulsa de l'abbaye une partie des moines, qui se retirèrent avec leur abbé Arnou à leur tête, dans leur terre de Jusiers. Robert tint pendant trois mois le monastère sous l'interdit, à l'occasion d'un moine de Marmoutiers, sectateur du célèbre Bérenger, qu'il voulut en vain mettre à la tête du monastère. Son successeur continua de maltraiter les moines.

Il rapporte, dans les descriptions qu'il fait des pos- D sessions du monastère, plusieurs détails relatifs à des événements anciens, et place très-souvent, à la suite des chartes qu'il transcrit, des notes explicatives sur ce qu'elles contiennent.

Après avoir été forcé d'interrompre son travail, par les désordres qui régnèrent dans l'abbaye pendant trois ans, et que suscitèrent les rivalités indomptables de personnes dépourvues de chefs, il reprit la plume, afin qu'on ne dît pas de lui qu'il avait commencé à bâtir et qu'il n'avait pu achever.

Manuscrits du Cartulaire d'Aganon.

Il a dû écrire à la fin de son livre la relation des

celles qui furent rédigées pendant la vacance du siége abbatial.

événements recents concernant son abbaye; mais la mutilation que les manuscrits ont soufferte nous a privés des derniers fruits de son travail. Il n'existe de son ouvrage que deux manuscrits anciens, appartenant à la bibliothèque de la ville de Chartres. Ils sont du XII^e^ siècle (3), en parchemin et de format in-quarto. L'un est moins détaillé que l'autre, dont il semble même n'être qu'une copie un peu abrégée; mais on y trouve des parties ou des passages qui manquent dans celui-ci, et notamment le huitième livre et la fin du septième (4). Celui qui peut passer pour l'original des deux a 138 feuillets, la copie en a 110.

Le moine Paul, rédacteur de ce Cartulaire.

Le moine Paul, l'auteur même du livre ou Cartulaire d'Aganon (car le titre du premier livre est devenu celui de tout le recueil), est souvent nommé dans son ouvrage. Le plus ancien acte de date certaine où il figure est de 1060, et le plus récent de 1088. Dans les deux il est qualifié simplement de moine. Un autre, passé en 1079 et 1088, lui donne le titre d'*edituus;* un autre, de 1086, celui de *monachus et edituus, notarius* : ce qui nous apprend qu'il était, au moins dans les derniers temps, concierge, ou plutôt trésorier de l'abbaye de Saint-Père. Dans la plupart des actes qui le mentionnent, il est désigné comme le notaire ou rédacteur de ces actes mêmes. Ainsi donc, parmi les chartes copiées par lui, il y en avait plusieurs dont il avait lui-même écrit les originaux. Les nommés *Ernulfus Niger* et *Tescelinus*, qui paraissent dans les actes au nombre des témoins, avec la qualification de *famulus Pauli monachi*, étaient apparemment des espèces de frères lais attachés à son service.

Le recueil de Paul témoigne de son zèle pour les intérêts de son abbaye, et du soin qu'il mit à faire la recherche des possessions et des droits qu'elle avait ou qu'elle pouvait prétendre. Il eut beaucoup à souffrir avec les autres moines des troubles qui affligèrent le couvent, et dont il ne parle qu'avec douleur.

Ce fut peut-être en sa qualité de concierge ou trésorier qu'il fut chargé de plusieurs affaires pour A le compte de son abbaye. D'après la commission que l'abbé Landri lui donna, il fit un voyage à Blois, et remit, dans le bourg de Vienne sur la Loire, à Raherius, gendre de Berthe, une somme de 40 sous, pour prix d'un arrangement conclu avec celui-ci par l'abbé (5). En 1088 il se rendit dans la terre de Liancourt, et là, monté sur un palefroi blanc, reconnut les terres dont la dîme venait d'être cédée aux moines par le chevalier Ilbert d'Érigni. Ce fut aussi lui qui planta de grandes pierres pour servir de bornes à des terres situées au couchant de la ville de Chartres. Voilà à peu près ce qu'on sait de la vie de l'auteur, et ce que nous aurions pu passer sous silence sans faire tort à l'histoire, si nous avions eu quelque chose de plus remarquable B à mettre à la place.

Qualités de ses écrits.

Son ouvrage, dans les parties qui lui appartiennent en propre, ne se distingue ni par l'ordre des matières, ni par la liaison des idées ou par la diction. Assez souvent la phrase est obscure, et la latinité manque en général, non-seulement d'élégance, mais encore de correction. On doit toutefois tenir compte de la barbarie de l'âge où il florissait, et considérer que s'il est bien au-dessous des écrivains tels que les célèbres évêques de Chartres Fulbert et Yves, qui vécurent dans le même siècle, il écrivait mieux que la plupart des auteurs de son temps. Du reste, il fait preuve de jugement, de candeur et de bonne C foi, et ne déguise pas même les faits peu honorables pour ses frères.

Temps où il a vécu.

Il est d'ailleurs impossible de fixer l'époque de sa naissance et celle de sa mort. On lit dans l'*Histoire littéraire de la France*(6), qu'il devait être fort âgé en 1088, étant né vers le commencement du XI^e^ siècle; mais c'est une opinion qui manque de preuve, et peut-être aussi de vraisemblance. De ce que nous le voyons cette année même voyager à cheval, nous devons supposer qu'il n'était pas alors fort avancé en âge (7).

Orthographe des noms de lieux.

Il est inutile d'avertir que nous nous sommes fait une loi de publier les textes dans toute leur inge-

(3) Les Bénédictins (*Hist. litt.*, t. VIII, p. 257) jugent que le plus ancien des deux, celui qui a 138 feuillets, remonte au XI^e^ siècle, et qu'il est même le manuscrit original de l'auteur. Mais j'ai examiné le manuscrit, et je ne le crois pas aussi ancien, s'il m'est permis de donner un avis différent du leur. D. Muley estime ce ms. du XII^e^, et l'autre du XIII^e^ siècle.

(4) On trouvera lib. I, cap. 6, 8, des paragraphes tirés du second manuscrit. Ils sont enfermés dans des crochets,

(5) P. 124. Les Bénédictins, dans l'*Hist. litt.*, t. VIII, p. 255, supposent que ce voyage de Paul se fit en 1038; mais cette date est fort douteuse, attendu que la charte qui seule nous fait connaître le voyage de Paul n'est pas datée. Seulement elle est au nom de l'abbé Landri, et elle désigne Thibault [III] comme étant alors le comte de Chartres. Or, l'abbé Landri n'est mort qu'en 1069, et Thibault ne devint comte que le 15 novembre 1037, jour de la mort D du comte Eude II, son père (Doyen, I, 139). Donc le voyage de Paul, qui n'a guère pu se faire avant 1038, s'est fait très-probablement plusieurs années après, mais au plus tard en 1069.

(6) T. VIII, p. 254. Du reste, sauf quelques petites inexactitudes, l'article consacré par les Bénédictins au moine Paul et à son ouvrage (p. 254-260) est très-bien fait et digne des auteurs de l'*Hist. litt.*

(7) De ce que Paul se dit contemporain d'Aréfaste, p. 109, et de ce que celui-ci vivait encore en 1029 dans l'abbaye de Saint-Père, où il avait embrassé la vie monastique, les Bénédictins ont conclu que Paul était pareillement moine dès 1029, et qu'ainsi il pouvait être né au commencement du XI^e^ siècle. Mais Aréfaste a prolongé sa vie beaucoup plus tard, puisqu'il figure au nombre des témoins dans une charte de l'abbé Landri (p. 191), rédigée par conséquent entre l'année 1033 et l'année 1069, si l'on suit les calculs du *Gallia christiana*.

nuité, on pourrait quelquefois dire dans toute leur barbarie. Nous avons suivi, même dans la reproduction des noms propres, la variété d'orthographe donnée par les manuscrits. Mais nous devons faire observer, à l'égard des mots *villa*, *villare*, *curtis*, *mons*, et autres semblables, écrits isolément, que nous avons pris pour règle d'imprimer par une majuscule le mot qui faisait partie intégrante du nom; tandis que, dans les cas contraires ou douteux, le mot a été écrit par une minuscule.

A Ainsi, par exemple, nous avons écrit *Manus Villare*, Mainvilliers; *Fracta Vallis*, Fréteval; *Campus Fauni*, Champhol; *Germinionis Villa*, Germignonville, parce que les mots *Villare*, *Vallis*, *Campus*, *Villa*, entrent dans la composition du nom. Au contraire, nous avons imprimé *Cruciacum villa*, Crucé; *villa Lereti*, Léri; *Gesiaci cella*. Jusiers, *villa Condatum*, Condé; *Lupiniacus villa*, etc., parce que les mots *villa* et *cella* sont restés hors du nom.

TITULUS AGANONIS

IN LIBRO CARTARUM SANCTI PETRI (8)

I. Opus hujus libelli ex privilegiis quæ in nostri cœnobii sacris scriniis invenire potui, a fratribus sæpissime rogitatus, usque nunc distuli per ordinem colligendo edere, cum, propter ebitudinem (9) mei ingenii, vel rusticitatem inculti sermonis, quod magis esse rebar utile silentio tegere, quam, imperiti stili officio blaterando innotis (10), ejus nuditatem detegere, tum propter invidentium virosa verborum jacula, qui, solito more, laude digna bonorum facta virorum semper conrodendo vituperant, idque boni quod in sua conscientia non agnoscunt, in aliis dum viderint, serpentini sermonis fuco obumbrare festinant, ut rectorum innocentia laudibus minime extollatur debitis. Unde, patientia comite, virtus probitatis pressa iniquorum sutelis, opinione vulgi videtur jacere in imis, instar imbecillis. Nunc vero, fraterno imperio, non præsumtionis supercilio, privilegia quæ ab incendio nostræ ecclesiæ nostrarumque edium non sine periculo, sunt liberata, ignorantiæ stimulis atque caninis subsannantium postpositis latratibus, in hoc opusculo, velut in parvo cibuto, stolidi sermonis stilo colligere studui, ut ab incendio seu aliis fortuitis facilius tutari possint periculis, nec non si quando, quod sepe fit, aliqua questio de conscriptis monasterii possessionibus surrexerit, citius legendo inventa solvatur. Malui denique fronte rupta vestris obtemperare jussionibus quam non obtemperando deses silere, tacens timore obloquentium qui, simplicium studia pro nichilo ducentes, ipsi in suis voluptatibus sopientes, ab hominibus sine ullo boni operis effectu volunt videri sapientes.

Decrevi etiam villas singulas, vicos, agros, silvas et cætera loca, religiosorum virorum largitione in illorum stipendiis data, si forte fuerit datum michi ocium vel facultas, terminis propriis sive arcifiniis dissidere ab extraneis, ut hi qui intra paradisiacas

B sanctissimi ovilis mandras spontaneo voto sunt inclusi, mundo quidem mortui, Deo autem viventes, carnis desideria jugiter mortificant, bonis moribus animas suas adornant, habeant videlicet præ manibus noticiam suarum rerum ad instar illorum qui prævident eas. Oportet enim omnes scire res quibus victus et vestitus eis administratur, ut sacrilegorum ambitio, quæ litibus et minis semper simplices viros, ut ab eis aliquid extorqueat, exterret, possint repellere. In causis quidem plus valet plurimorum quam unius assertio. Placuit quoque huic inserere pagi-

C nulæ quod locus iste, sicut ab antiquorum dictis vel scriptis didicimus, inter regales per Galliam nobiliter fundatos, et augustalibus titulis, auro vel argento, seu ingenti ornamentorum copia omnibusque rebus mundanis quibus attollitur humana fragilitas, comptus et præclarus extitit.

Verum quia sepe fit ut ubi superhabundant divitiæ, ibi, socia impunitate, ingentes exaggerantur culpæ, quibus miseri homines impliciti largitorem rerum ceca mente neglegunt, et, dum in peccati sumno sopiuntur, hostem secuntur, pœnis plectendi perpetuis; sepe tamen omnipotens Deus et affligendo miseretur peccatoribus, et miserando affligit filios quos recipit.

II. Itaque memoratus locus, non longe a menibus Carnotinæ urbis normaliter situs, non modico monachorum cœtu resplendebat, qui, in Christi amore, carnis vicia mortificando comprimebant; et beato Petro apostolo famulans, velut Lucifer tunc omni-

D bus virtutum luce radiabat. Urbs denique supra memorata, populosa admodum atque opulentissima inter Neustriæ urbes, murorum magnitudine, edificiorum quoque pulcritudine, vel artium liberalium studiis, habebatur famosissima.

III. Quadam vero tempestate, de transmarinis partibus cum rostratis navibus gens pagana ebul-

(8) Il. e.: *Prologus in librum cui titulus Agano, in codice chartarum Sancti Petri.* Summa pagina scriptum est manu recentiore: *Liber Aganonis vetus.*

(9) Ita codd. pro *hebetudinem.*

(10) Ita codd., ut alibi, pro *ignotis.*

liens, evaginato suæ nequitiæ gladio, totam pene Neustriam crudeliter devastabat. Nonnulla quippe loca sanctorum depopulans, voracibus tradebat flammis; civitates vero captas solo tenus evertebat, atque Christianos aut insatiabili ferro laniabat, aut in captivitate ductos sub inrevocabili corona vendebat. Cujus rabies in tantum efferbuit, ut per Sequanam fluvium remigio ascenderet, omnia circumquaque loca depopulans, ad urbem Carnotensem tandem perveniens, anelanti pectore cupiebat evertere; et, omnia quæ in circuitu urbis attingere potuit, vastando inhabitabilem reddidit.

IV. Cum vero urbs, exigentibus incolarum meritis, per multa annorum curricula, tantis afficeretur angustiis, occisis tandem civibus, opibus sublatis atque totis viribus fractis, ex improviso etiam quadam nocte capitur. Christiani omnes diversis mortibus velut pecudes laniantur. Urbs quoque, quæ quondam a Julio Cæsare obsessa decennio perstitit inexpugnabilis et a se Romanas acies Argolicasque pepulit indefessa phalanges (erat enim ex quadratis et immanissimis lapidibus constructa altisque turribus munita, ac iccirco urbs (11) Lapidum vocitata, aquæductibus jocunda, viis subterraneis lætabunda, quibus omnia subportabantur sibi necessaria), nunc ab inopi divinæ virtutis gente, Deo permittente, solo tenus evertitur et ignibus concrematur (12). Dei tamen patientia, quæ sic suorum corrigit proterviam ut in futuro non pereant, impiissimæ gentis crudelitatem ad propria redire non permisit inultam. Nam Franci, undecumque conglobati (13), ad stationem navium parvenire maturantes, revertentibus illis cum spoliis multis, ad rates occurrunt, ilicoque audacter cum eis confligunt; quorum primo impetu ita cesi cadere cœperunt, ut in adulta hieme nemorum folia, flante Borea, solent cadere. Videres eos denique, prisca ferocitate deposita, alios quidem ad necandum sese in flumine, vocabulo Diva, præcipitare, alios vero incassum ad rates confugere et pedibus equorum miserabiliter conculcari gladiisque persequentium confodiri; ita ut ex illa tanta multitudine vix pauci evasisse invenirentur in captivitate ducendi.

V. Dux (14) autem eorum Astingus vocabatur, qui quantæ dolositatis vir fuerit, ex una re ab ipso facta assignare curavimus: is namque, mare navigans terrasque plurimas depopulans, ad Lunensem pervenit urbem (15), qui eam undique perlustrans, cum valde munitissimam vidisset, quadam dolositate concepta, non vi set strophoso ludo delegat capere. Fingens ergo se ægrotare, urbis antistitem ad se accersiens, summissa voce petit, se sacri baptismatis unda a peccatis ablui, et eum sibi patrinum fieri, se ad præsens emori; quamobrem a malis quæ fecerat intimo corde penitere ac toto corde ad Christum converti, Diabolo et pompis ejus velle se abrenonciare, quatinus vel in morte sanctum lavacrum consecutus, evadere quivisset pœnas inferni. Cujus dictis antistes, actutum credulus, sine mora eum catezizans, instar morientium lavit aqua baptismatis (16), eumque de sacro fonte levavit (17). Ex hac re cives cum suo præsule, falsa spe securi, cum barbaris fedus iniunt, urbis portas aperiunt, rerum omnium venalium copiam foris intusque emendi, velut sociis et amicis tribuunt. Qui, possibilitate nacta, tota ebdomada ostiatim urbem perlustrant et vicos ante sibi innotos efficiunt notos. Octava denique die, civibus in foro intentis, quaterni vel seni paulatim per vicos civitatis barbari se ingerunt taciti, portis singulis ponentes custodiam, atque in foro plurimos quasi aliquid mercaturos remittunt. His ita patratis, Astingus in feretro armatus, velut mortuus collocatur, et, in æclesia a suis deportatus, patrino suo præsuli cum simulato fletu exibetur, ut christianorum ex hoc seculo decedentium festinus officium perageret. Qui devote humanitatis officium peragens, cum in sepulchro ex more cadaver mortuum, ut estimabatur, deponi juberet, barbari ingentis vocibus clamare cœperunt, maledicta perstrepunt, totaque æclesia attonita in voces simul attollitur. Quid plura? Ille funestus satelles, de lecto subito exiliens, evaginato gladio, facinus conceptum satagit peragere. Et primo quidem in patrinum suum antistitem, qui, ut ejus animam factori Deo commendaret, infulatus adstabat, ensem levat, eumque, crudeli crudelior, capite truncato, martyrem efficit. Cujus milites per totam quidem æclesiam, multimodam necem peragentes, nulli ætati, nulli sexui parcentes, mortuorum cadaveribus, velut manipulis spicarum Sirius ardens agrum, ita sitiens sanguine gladius eorum cooperuit pavimentum, quod etiam usque in atriis sanguinis rivo manare fecerunt. Quorum voces ut eorum complices per civitatem sparci audierunt, quoscumque obviant velut oves mactant, qui totius humanitatis atque pietatis obliti, senes et juvenes, conjugatas et virgines, parvulos et

(11) A : *urs.* — B : *ubrs* [sic].

(12) B : *Dei tamen sapientia, quæ sic suorum corrigit proterviam ut in futuro non pereant, impiissimorum barbarorum crudelitate sopita, reversis fugitivis et reliquiis populi mundanam pacem reddidit. Qui totam urbis subversionem reedificare minime valentes, civitatis angulum adhuc muro circumdatum ad habitandum eligunt, et ex murorum ruderibus, ad instar muri, sine cemento, posito inibi lapide super lapidem, sicut usque nunc apparet, se munire satagunt.*

(13) Aliter narrat fugam Hastingi Albericus (ad ann. 904), in cujus chronico, minatur Theobaldus Caroli Grossi imperatoris proximum impetum Normanno duci, qui, « præ timore, inquit Albericus, vendita Theobaldo civitate Carnotena, clam discessit et post in Francia non visus est. » Ille autem Theobaldus, Roberti Fortis, ducis Franciæ, gener, filium habuit Theobaldum dictum *le Tricheur*, qui primus habetur Blesarum et Carnotum comes.

(14) Hic, cod. B plura transposuit, totam de Astingo narrationem infra rejiciens, non sine quadam lectionis varietate et omissione, compendii causa, ut videtur.

(15) Anno 858, ut opinatur D. Muley.

(16) A : *babtismatis.*

(17) Addit Dudo Sancti Quintini, p. 64, c, comitem cum episcopo fuisse Astingo patrinum.

pendentes ad ubera, iniquo mucrone perimerunt. Simili modo vagabundi per rostrum (18), ementes pariter et vendentes, euntes et redeuntes, crudeli ense perfundunt sanguine, venalia quoque quæ in rostro reppererunt ad rates exportaverunt. Qui vero civitatem pervaserant, aurum et argentum variasque opes in ea inventas diripientes, eamque concremantes, itidem ratibus commendantes abstulerunt, citiusque revertentes ad urbem, muros ejus evertentes funditus, mortuorum cadavera, in cineres redacta, inter rudera reliquerunt quasi sepulta. Deinde, positis in malorum summitate suparibus (19), prora navium versus occidentem, flante africo, vertunt, atque more piratarum maris semitas perambulantes, insulas locaque maritima populantes, inventam gentem ferro trucidabant (20).

VI. Verumeninvero conditor rerum, qui verberando suis fidelibus misereri solet, atque iniquos tolerando ad inferni claustra exercet, hujus phalangæ sceleris enormitatem diu regnare noluit; set pro peccatis justo verbere correptum christianum populum paulisper respirare voluit et iniquæ gentis malis operibus inponere finem decrevit, suorum fidelium sanguinem vindicaturus in perpetuis Hedlnæ (21) flammivomis ignibus. Itaque cum in finibus Armoricanorum remigio pervenisset, aput pontem Divæ fluminis aplicans, laxa corpora recreare a tanto labore sine ullo pavore cœpit. Tunc a Deo, quem multi mode malis exacerbaverat operibus, derelicta, terræ marique admodum perosa, a Francis inibi undique circundata, et, sicut supra diximus, ita est gladiis depasta, ut ex tanta multitudine non legisse me memini quempiam evasisse, neque aliquem, præter unum, in captivitate ductum (22). De quorum sanguine madidæ bibulæ arenæ per undas sui fluminis, quasi pertesum habentes, ipsum sanguinem evomentes, longo ordine mare contiguum immundo cruore inficiunt.

Set quia calor dicendi me compulit digressionem

(18) Hic, *rostrum* pro *foro* videtur usurpari, nisi sit aliqua vocis corruptio.

(19) Ita cod. pro *supparis*, nempe velis navium.

(20) Dolum Astingi Lunamque urbem ita subreptam fusius narrat præ omnibus Dudo Sancti Quintini, primo operis sui de moribus et acti Normanorum capitulo (*Hist. Normann. script. antiq.* p. 63 sqq.). Quem sequitur Guillelmus Gemeticus, cap. IX et X (*ibid.* pag. 220, C, D), addens barbarum ducem, Lunæ esse potitum, dum Romam cepisse putaret. Primam Lunæ expugnationis mentionem in vetere chronico incerti auctoris, sed qui monachus Floriacensis fuisse videtur, edito ab Andrea Duchesnio, invenimus. Tacet de dolo Normanni, nec aliud refert de urbe Lunensi quam pauca hæc verba : « Alstagnus a Francorum terra per Oceanum pelagus Italiam tendens, Lunæ portum attigit et ipsam urbem continuo cepit. »(*Hist. Normann. script. antiq.* p. 32, B.) Ibi dux Normannus vocatur Alstagnus; a Gemetico autem Astingus. At in Dudone Sancti Quintini, majore varietate, legitur et Anstinnus, et Alstignus, tum Adstignus, Astelmus, tum sæpius Anstignus, ut nomen ducis istius barbari, de quo nullum reperimus vestigium in rerum Italicarum scriptoribus a Muratorio collectis. Inde fortasse

A facere, jam me convertam primum iter peragere, et quæ prima invenire potero data vel possessa sive a clericis hujus supra scriptæ æcclesiæ, sive monachis, moderno tempore a venerabili Ragenfredo præsule divino nutu constitutis, sunt reddita, vel ab aliis religiosis viris pro suarum salute animarum largita, sicut in nostri archisterii scriptis repperiri potest, veri calami officio transcribere curabo.

VII. Prius (23) tamen quod assertione veridica nostrorum didici seniorum summatim perstringere libuit, qualiter a quodam Elia episcopo (24) a prisca nobilitate sive maximo honore deciderit, qui auctoritate regia, quam forte emerat pecuniis, superB eam, potestate indepta, usurpare cum armis non timuit, in ipsius æcclesiæ limitibus multo cruore effuso (25) dum monachi priorem statum colerent atque episcopum abhorrerent. Unde factum est ut monachorum plurimi locum cui se devoverant desererent, et in Burgundiæ partibus aput beatum Germanum Autissiodorensem commorantes, præsentis vitæ cursum ibidem finierunt. Prædictus ergo præsul, nacta occasione præciosa, quæ ibi repperit ornamenta vasaque diversa aurea vel argentea, quæ concupivit, absportavit atque distraxit, terras quoque sanctuarii quas religiosorum virorum munificentia dederat, in quibus extendere manum potuit, propriis usibus stipendiariis mancipare non timuit, suisque domesticis, ausu temerario, in beneficio dividere præsumpsit. Imbecillis autem turba monachoC rum, quæ ibi remanserat, nescia quo pergeret, a præsule parce ac inclementer alebatur. Interim locus olim celebris atque opinatissimus paulatim decrescens, pristina quidem dignitate officioque solito viduatus, a populo nulla veneratione dignus habebatur.

Post non multum vero temporis, mortuo episcopo Elia, qui hunc locum regalibus titulis insignitum, demonis face succensus, ad nihilum duxit, atque alterum sanctimonialium cœnobium in monte Leu-

Normanniæ antiquæ recentior historicus, Theodorus Licquet, vir qui Rotomagi in patria sua eruditus et sagax merito sane habebatur, omnia quæ vetera chronica de prisco illo barbarorum septentrionalium duce tradiderunt, meras fabulas declarare non timuit. Conf. Th. Licquet, *Histoire de Normandie* D *depuis les temps les plus reculés jusqu'à la conquête de l'Angleterre en* 1066, t. I, p. 58, note 2.

(21) Leg. *Etnæ.*

(22) Quæ hic narrat Paulus de Hastingi in Carnotensem pagum invasione et de Northmannorum ad Divæ fluvii ostium clade inter fabulas ableganda.

(23) Hic paragraphus in cod. B. cum levibus varietatibus legitur sicque incipit : *Qualiter autem a prima nobilitate atque maximo honore præfatus locus Sancti Petri deciderit, sicut veridica assertione seniorum dedici summatim perstringere curavi. Fertur ergo a quodam, Helia nomine, qui quadragesimus secundus antistes hujus urbis extitit, auctoritate regia*, etc.

(24) Ab anno 840 ad annum 846. D. Muley.

(25) Cod. B, *pro dum monachi*, etc. habet : *Introitum suum lugubrem atque initialem exibuit, et inextricabiles dividuas habitatoribus injecit. Unde factum est*, etc.

garum non longe ab urbe Carnotum eleganter situm solo tenus destruxit, hostilis manus civitatem obsidione cepit et, sicut præmisimus, igne succendit (26). Tunc equidem sæpe dictus locus ab hostibus profanatus, ignibus etiam concrematur.

VIII. Pace vero, divina propiciatione, reddita, a quodam episcopo (27) divino instinctu, parvo licet scemate reedificatus (28) clericorum officiis cum modico sensu traditus esse perhibetur.

IX. Verumtamen, civium culpis exigentibus, a paganis transmarinis urbs rursum vastatur, et ipse locus funditus destruitur, et usque ad tempus Haganonis, gloriosi præsulis, ita permansit. Qui clarus generis nobilitate ac humanarum rerum copiis habundans, bonisque virtutibus emicans, condoluit locum olim quidem ab hominibus venerandum, nunc autem admodum neglectum et in solitudine redactum. Divinæ virtutis zelo succensus, accersiit lapidum cesores atque cementarios, inpensas tribuit, magnopere locum ipsum restaurare (29) jubens, restauratumque pontificali benedictione sacrare decrevit. Clerinomiæ quoque seriem instituens, quæ perdia pernoxque laudes Deo debitas inibi redderet; et in usus necessarios tribuens ei vineæ clausum terramque contiguam, quam antecessores ejus, sacrilego voto, sibi subripuerant, rura quoque quæ credidit sufficere clericorum numero perpetua largitione condonavit. Qui, quandiu vixit, cordis intuitu sagire voluit, intentus utilitatibus atque provectibus loci. Quo felici obitu (30) ad sanctorum consortia de mundi hujus pelago ab angelis translato, in episcopatu ei venerabilis Ragenfredus successit, qui quanto amore locum dilexerit facile sequenti opere potest agnosci. Nam ejus sagaci ingenio atque instanti sucgestione, clarus genere et opere Alveus; ejusdem loci abbas, cum canonicis quibus præesse videbatur artam viam ingredi cupiens qua tenditur ad Deum, in Floriacensi cœnobio clerinomiæ seriem religionis habitu exornans, per trienium normam beati Benedicti sedula intentione per obedientiæ bonum didicit, indeque, revocante sepe memorando episcopo Ragenfredo, cum suis instructus regularibus disciplinis, ad locum proprium rediit Carnotis, secum sumens et alios duodecim monachos, quos ex congregatione supramemorati cœnobii maluit eligere, ut contra hostem antiquum velut robustissimos tyrones in novo certamine haberet adjutores. Episcopus ergo, per totius interstitium triennii quo se in sancta religione informaverunt, edes ad manendum, claustrumque monachis congruum instanti construxit opere. Quibus cum magno gaudio receptis, atque adnitente totius populi consensu, supra memorato Alveo abbate sacrato, victum et omnia necessaria largiter eis accommodavit, æcclesias etiam atque villas quas antecessores sui prava usurpaverant ambitione, omni excluso dubietatis bithalapso (31), subtrahens sibi, stipendiariis usibus jamjamque redivivi ordini alacriter reddidit. Viridiarium quoque quod situm erat juxta cœnobium terramque contiguam, priscis temporibus, ab episcopis male retentam, per ingens quoddam turibulum argenteum libens contradidit. Quia vero tam ab Elia quam ab aliis post eum episcopantibus reddere terras nequivit sine quolibet recuperationis respectu, militibus in casamento datas, XII prebendas in majori æcclesia monachis adtribuit jure perpetuo possidendas, anathematis jugulo feriens aliqua dolositate hujus largitionis donum adnullare volentes vel aliqua exorbitatione minuere machinantes. Itaque monachos in summa pace degentes agmentando, quandiu vixit, fovere non destitit, ammonitione paterna persepe exortans, firmo gressu in sancta religione persistere, correctionis sarculo desidum vicia evellere, bonos ut in melius proficerent jugi informare eulogiis, rudes et inscios sanctarum Scripturarum oraculis imbuere, ad gaudia uranicæ patriæ totis præcordiis annelare. Quo felici obitu ab hujus mundi fluctuantis naufragio ad cœlestem patriam transmigrante (32), ejus gleba corporis in cœnobio supra memorato ante altare beati Petri apostoli cum choris psallentium simul et flentium honore debito est sepulta, ad cujus levam in corpore quiescit Guantelmus, venerandus antistes, qui proprio interventu, atque ostensione interioris tunicæ semper Virginis Mariæ, ab obsidione urbis odiosas Normannorum abegit phalanges. Deinde Fulbertus præsul (33) memorandus, qui quantæ fuerit sapientiæ ejus agiographa mira dulcedine flagrantia legentibus insinuant. Ad dexteram vero, Theodericus episcopus, cujus Ambrosiæ opes velut torrens affluentes, præclarum opus almæ matris Domini aulæ complentes, perediæ quoque atque bibesiæ (34) inopum jugiter oviantes (35), sacro dignum præconio efficiunt.

X. Post obitum denique sepe memorandi præsulis Ragenfredi, episcopavit (36) frater ejus Arduinus, locum ejus obtinens, non religionem; qui fastu superbiæ tumidus plus equo secularem sequebatur ambitionem. Unde factum est ut monachos exosos haberet, ac eorum commodum suum fore magnum putaret detrimentum. Quicquid enim monachorum usibus eximius præsul concesserat oblucuvians quasi

(26) Cod. B subjungit : *Atque christiani diversis mortibus velut pecudes laniantur.*

(27) B : *A successore Helia*, pro *a quodam episcopo.*

(28) B : *Reedificatur ecclesia, clericorumque officiis cum modico censu perhibetur esse tradita*; deinde, *meliorato tempore, monachilis ordo adibetur.*

(29) Anno circiter 930. D. Muley,

(30) Anno 950. D. Muley.

(31) Leg. *bithalasso.*

(32) Anno 960.

(33) Anno 1007.

(34) *Peredia* edendi aviditas; *bibesia* bibendi aviditas, ex interpretatione Domni Muley.

(35) Ita codex, fortasse pro *obviantes*, quod esset idem ac *providentes.*

(36) Anno 960.

sibi subreptum deplorabat. In tanta itaque cupiditate exarsit, ut de XII prebendis quas frater ejus, ut præmisimus, dederat, medietatem extorquendo subripere non timeret. Cujus sacrilegii tramitem nonnulli succedentium episcoporum sequentes, propria profligantes, aliena cupientes, occasiunculis monachos sollicitantes, imnissiones ac dolos pretendentes, ausu sacrilego auferre dubitaverunt minime ; plisima (37) quæ fidelium dederat largiflua caritas, et cum ipsorum esse deberent defensores, mentis cecitate correpti, facti sunt tiramni atque expilatores.

XI. Ex quibus in hoc opusculo litteris annotare curavi : Rodbertum Turonensem qui, ob quendam Majoris Monasterii monachum, Berengarii sectam sequentem, ut a veris relatoribus audivimus, quem in abbatiæ suggestu obtrudere non valuit, nobis agriter (38) renitentibus ac viva voce refutantibus, apostolorum sacrosanctum altare, contra legem canonicam, celebratione misterii corporis et sanguinis Christi tribus mensibus et eo amplius carere fecit ; monachos quoque auxilium Dei et matris ejus exorantes longe fieri ab eo, minarum spirans palam omnibus prophano ore contestatus, contradicente æcclesiæ Romanæ legato, pariterque divinum officium eis interdixit ac publice in principali æcclesia excommunicare ausus fuit. Deinde Braimensem abatem Arraldum, cui tanta dolositas inerat, ut, nisi eam lepos sermonis ejus obumbraret, non ipsæ dolositatis habitum videretur habere, set eadem dolositas esse putaretur. Tantum quippe in eo valuit, ut aurasiæ (39) cecitate, bonorum etiam oculos veritatis lumine sermone sacrilego citissime carere faceret. Unde crocotillo (40), tempore, et abate locum privavit et obtimam partem monachorum expulit, atque quondam monachum abatem ex inproviso fecit et quater XX libras sibi abstulit ; ac nisi cito inaudita mortis atrocitas malis suis imposuisset finem, secundum nomen suum omnia monasterii exteriora et interiora abraderet ; nam dicebat : aurum vel argentum preciosaque æcclesiæ ornamenta fomenta esse monachis superbiæ atque incitamenta lasciviæ. Pisces quoque monachos vel adipem comedere aiebat crudele facinus, eis amnuens nuda edere olera atque sine quolibet edulio suggerebat xyrophagos (41) persistere, cum ipse sibi magnos pisces exoticaque edulia dari juberet, ventri suo castrimargiam (42) semper habens vernaculam.

XII. Verum quia digressionem a cœpto tramite stili officio satis superque fecisse me perpendo, retro cupiens regredi, fateor me ideo id egisse quoniam quæ inexui a nostro opere minime discrepant, nec legentibus debent fieri onerosa, maxime cum non delucerata semper essent, perobscura oblivionis palla cooperta. Quædam tamen cudimus in calce operis tam recenter facta, ut etiam non ignoret puerilis ætas, set quia tam insolenter tamque atrociter in nobis sunt operata, et nos ut ut ea pertulisse dinoscimur, posteros nostros ignorare nolui, ne forte minora vel similia, cum perferre temporis malicia exegerit, intolerabiliter ferre velint, præ oculis habentes, olim nos his malis fuisse triennio et eo amplius implicitos offudis (43) quorundam nostrorum, postea quoque, repropiciante Dei gratia, liberatos ac rebus prosperis redditos. Tandem quoque in finem saliens epilogi, lectori intimare curavi quod ea quæ primo scripturus sum a præsenti usu admodum discrepare videntur ; nam rolli conscripti ab antiquis et in armario nostro nunc reperti, habuisse minime ostendunt illius temporis rusticos has consuetudines in reditibus quas moderni rustici in hoc tempore dinoscuntur habere, neque habent vocabula rerum quas tunc sermo habebat vulgaris. Unde interius, propria luce relicta, mens nimia ebitudine concutitur, quod per se nequeat perpendere, hi usus priscis temporibus monachorum fuerint, an postmodum clericorum temporibus, quos præsul venerabilis Hagano in loco restaurato instituit, omnipotenti Deo famulaturos. Verum quorumlibet fuerint legentibus investigandum relinquo, ne forte a peritissimis vel sapientioribus periphrastes seu alucinator insulso sermone inveniar. EXPLICIT.

ITEM.

XIII. Quoniam quidem in epilogo præscripto memini me scripsisse canonicorum famulatui hunc locum bis esse delegatum, postquam Heliæ insatiabili est depravatum ambitione, idcirco Aimerici præsulis scriptum, in archivis nostris inventum, in testimonium sumpsi, qui multo tempore ante venerabilem Aganonem extitisse dinoscitur. Quem etiam monasterium solo tenus a transmarinis dirutum et ipsius scriptis et eximii Ragenfredi, ejus successoris, didicimus pleniter restaurasse atque canonicis cum victualibus stipendiariis tradidisse. Set quia fidelium donaria, scriptorum penuria, illo in tempore aut non sunt scripta, aut si sunt scripta, neglegentia archiscriniorum, præ nimia vetustate sunt aboleta ; ideo de antiquis cartis nullam præter istam invenire valui, quæ subscripta innuit regia dignitate privatum, ac propria habitudine exutum, canonicis hunc locum esse traditum. Sic itaque incipit Aimerici præsulis scriptum (44) : « Cum christia-

(37) Hanc vocem *plurima* interpretatur D. Muley.
(38) Leg. *acriter*.
(39) D. Muley legendum putat *aurariæ*, quam vocem interpretatur *adulationis*.
(40) *Crocotillus*, Festo *exilis, exiguus. Crocotula* vestis genus ad usum feminarum. Plaut. *Epidic.* II, II, 47.
(41) Pro *xerophagos*, Ξηροφάγους, id est *sicca* vel *arida edentes*.
(42) Pro *gastrimargia*, gallice *gourmandise*.
(43) Ita codex ; legendum putat D. Muley *offuciis*, quod interpretatur *fard, fourberies, tromperies, fraude*.
(44) In cod. B idem Aimerici scriptum (editum in *Gallia Christiana*. t. VIII, instr., col. 287) his subjungitur verbis : *Quod sequitur scriptum Haimerici venerabilis episcopi ideo in executione ejus operis posui ut prudens lector intelligat post desolationem hu-*

nissimus atque catholicus, divæ moderationis ope suffragante, invictissimus imperator augustus sanctæ et universalis æcclesiæ statum provectioris fastigii dignitate sublimare cuperet, ne aliqua sui habitus parte fuscare videretur, pari voto pariqne consensu imperii sui obtimatum, protulit edictum ut universa canonicorum claustra in regno suo consistentia, absque census conditione deinceps absoluta permanerent, quatinus, absolutiva libertate donata, sinceriorem per succedentia tempora divini cultus Domino valeat exibere militiam. Quod etiam inclita ejus proles, successor videlicet rex Karolus (45), patris imitamina sequens, sub auctoritatis suæ præcepto perpetim observandum mandavit. Ego igitur in Dei nomine Aimericus, nullis præcedentibus stipendiorum meritis, sed sola favente divina misericordione, humilis Carnotensium episcopus, supradictorum principum sacræ constitutionis memores, compertum esse volumus cunctis matris æcclesiæ sanctæ Mariæ fidelibus nostrisque, qualiter quidam diaconus et canonicus noster, Frotgingus nomine, ab ejusdem æcclesiæ nobiliter educatus cunis, veniens in presentiam nostram, humiliter postulavit ut ex sua area quam quidam presbiter et canonicus Sancti Petri, nomine Winemarus, viam universæ carnis abiens, ei olim noscitur vendidisse (46), firmitatis cartulam exinde facere et roborare nostro nomine delegeremus. Quod quidem, per consensum canonicorum et fidelium nostrorum, dignum duximus faciendum. Est autem ipsa area in prospectu civitatis Carnotis infra claustrum Sancti Petri, ad meridianam scilicet plagam, habens in longum perticas XXXVI, et in uno capite perticas VIII et dextrum unum, in altero vero capite perticas VII et dextrum I. Terminatur autem ab uno latere et una fronte terra fratrum Sancti Petri, ab altero latere via publica, et una fronte exitus (47) in claustrum. Infra has terminationes præfatam aream, cum vinea quæ eidem areæ superposita esse videtur, perpetuo per hujusmodi cartulam ei habendam concedimus: ita duntaxat ut, juxta memoratorum principum decreta, absque census exactione eam obtinens, liberioris obsequii cultibus Domino valeat famulari ; censum vero nullum cuipiam, sicut supra dictum est, exinde exsolvat, nisi illum qui ad divinæ servitutis pertinere videtur militiam. Insuper etiam ei licentiam damus ut, salvo pontificali jure, vel sicut in regali continetur præcepto, cuicumque conferri in eadem canonica domino militanti libuerit potestatem habeat eandem concedendi aut venundandi. Hæc vero cartula, ut per succedentium temporum curricula inviolabilem inconvulsamque obtineat firmitatem, manu propria subter eam firmavimus, et canonicorum nostrorum propriis manibus roborandam decrevimus. Data est anno secundo regni Odonis regis (48) feliciter. Ingelgaldus, sacerdos indignus, scripsit. »

Silentio tradita corroboratorum nomina subscriberem, si emolumentum præsentibus vel futuris aliquod scirem. Verum quia in his detrimentum neque emolumentum ullum perpendo, ad domni Agani scripta stilus (49) vertatur, qui locum a paganis destructum, divina opitulante gratia, decenter restaurans clerinomiæ seriem inibi Deo militaturam subrogavit quadam portiuncula rerum olim loco pertinentium delegata, quæ corporum necessitatibus supplementa suggereret, atque, procul expulsa rerum exterorum (50) sollicitudine, clerus libera meditatione divinis insisteret laudibus. Unde (51) dignum duximus ut de membranulis collectis donariis quæ vel ipse vel alii devotissimi viri loco contulerunt, usque ad id temporis quo venerabilis Ragenfredus decentiori statu atque religiosiori cultu eumdem locum infastigiavit, liber Hagani vocitetur; in quo diligens lector omnia fere inveniet quæ in ipso intersticio duorum eximiorum præsulum a fidelibus collata vel concessa esse videntur.

Sequentis vero operis agiographa Ragenfredi liber noncupetur, quia, propiciante divina clementia, ejus studio geminis provectibus locus cepit provehi, atque per omne ævum fundamentum quod jecit, quamvis estuante salo per hujus mundi pelagus persepe naufragium perferat, victrici tamen patientia invincibile manebit in secula.

jus loci quæ cepit fieri sub Helia episcopo bis esse delegatum clericis et tantumdem monachis. Continet autem hoc modo : cum christianissimus, etc.

(45) Carolus Calvus, filius Ludovici imperatoris.

(46) Hic superscriptum *reliquisse.*

(47) Fort. leg., *et altera fronte exitu.*

(48) Anno 889 vel 890.

(49) B : *pennula.*

(50) Ita cod.

(51) B : *Unde dignum duxi ad finem hujus epilogi cartas scribere editas ab episcopis Agano videlicet et Ragenfredo atque sancti Carauni abbate Gradulfo, de rebus datis vel redditis atque concessis Sancto Petro ab eis, dum adhuc canonici loco deservirent. Deinde res possessas ab illis quas scriptas repperi in duobus rotulis, atque consuetudines quas ab agricolis accipiebant, quæ multum discrepant a consuetudinibus nostri temporis. Earum denique rerum cartas, vel nomina illorum qui eas largiti sunt minime inveni. Utrum autem vetustate abolitæ sunt, aut hostium igne crematæ, aut nunquam scriptæ, scribarum penuria, minime scio.*

LIBER PRIMUS (52)

SIVE

HAGANI PRÆSULIS

(Ab anno 931 ad annum 954.)

CAPITULUM I.

Scriptum Agani de clauso vinearum, et de terra non longe a monasterio reddita.

(Circa a. 930.)

§ 1. « In (53) nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Divinorum voluminum eloquia plena oculis ante et retro indicant unicuique præterita mala sollerter cavere et bona sibi desiderabilius prospicere. Prerogativæ igitur pontificalis reverentiæ, quæ in specula Domini adornata consistit, oportunum valde est ut, limpidius speculando, consideret vias æquitatis et per eas plebem sibi commissum ire disponat, depravata corrigat, dispersa in die nubis et caliginis congreget, subtracta restauret, fracta consolidet, quæ abjecta fuerant reducat, fasciculos deprimentes solvat et omne onus secundum justiciæ normam disrumpat. His ergo divinæ commonitionis incitamentis admonitus (54), ego Aganus, nullis existentibus meritis, set sola Domini gratuita pietate, episcopus Carnotensis ecclesiæ, super quodam monasterio nostro pene diruto, in honore sancti Petri dicato, condoluimus, quod non longe ab ipsa distat civitate, illudque a fundamento reædificare et canonica institutione clericorum cunctorum graduum inibi Deo servire, sanctam exercendo religionem, jussimus. Tempore si quidem pacis jam olim splendide locus ille viguit, in canonicis Deo militantibus et in exercitiis bonorum operum bene decertantibus; set ingruentibus paganorum infestationibus cæterisque supervenientibus pressuris, ipsum pene desolatum invenimus. Nunc autem, adjuvante Dei gratia, cupimus pritinos (55) religionis renovare usus, ut ibi laus Dei perhenniter celebretur canonicali autentico in psalmis, ymnis et canticis spiritalibus, perpetuali ritu observandum. Interea est quædam terra in absitate redacta, Sancti Petri haut procul ab ipso monasterio, ubi clausus fructiferæ vineæ indominicatus quondam fratrum ejusdem cœnobii extitit; set a nostrorum quodam antecessorum alimoniæ eorum subtractus dominioque episcopali, inepta cupiditate, detentus. Qui etiam A terminatur, ab uno latere, via publica ad Sancti Martini quæ ducit monasterium; ab alio quoque, terra de eadem potestate; ab una autem fronte, terra de eadem potestate et Sancti Piati; ab altera autem, via quæ ducit ad jam dicti Sancti Petri monasterium. Ego itaque Aganus constitutus antistes, cui divinitus judicii statera et æquitatis est concessa, una cum consensu et obsecratione fidelium nostrorum, dantes reddimus juste eandem clausi indominicati terram, ut habeant secure, teneant absolute possideantque jugiter eam prælocuti fratres Sancti Petri, in propriis usibus stipendiariis, absque ulla repetitionis calunnia, et desuper securi edificent, plantent et construant, Christi juvamine, nulla refrangante inquietudine. Dedimus etiam in alio loco B similiter, ipsis quoque canonicis, terram prope civitatem, quæ incipit a loco ubi terminatur terra Sancti Aniani usque ad portam ejusdem Sancti Petri monasterii, cum ascensu et descensu vallis, quæ terminatur ab uno latere via publica, a civitate usque ad idem monasterium prætaxatum, ut desuper, nullo obsistente repagulo, ædificent et extruant et quocunque meliorare modo melius potuerint, Christo adjuvante atque nostra licentia, habeant liberam facultatem. Si quis autem nostrorum successorum, quod absit, tam malesanus esse voluerit ut de hujus largitionis nostræ dono subtrahere quippiam (56) conatus fuerit, quandiu in hac voluerit perstare voluntate, anathematis baculo percussus, ab omnipotenti Deo separatus, Ananiæ C et Saphiræ morte multetur. Hæc vero cartula, ut firmior permaneat, manu propria subterfirmavimus, et manibus tam clericorum quam fidelium nostrorum manibus, roborandam tradidimus. Actum Carnotis, publice in domo matris æcclesiæ. Aganus, humilis episcopus. Graulfus, subdiaconus. Alcharius, presbiter. Ganzo, presbiter. Suggerius, canonicus. Lambertus, canonicus. Bernardus, presbiter. Giroardus, vicedominus. Aymo, Burchardus, laici (57). — Alios quoque ponere pertesum fuit. »

§ 2. Set hoc quippe inserere dignum duxi, quod

(52) Cod. *Incipit liber Hagani.*

(53) Chartæ jam antea editæ asterisco distinguuntur. — Scriptum illud Agani episcopi de monasterio Sancti Petri reædificato, videtur paulo antiquius charta capitis sequentis III, data Nonis Juniis a. 931; ideoque circiter ad a. 930 referri possit.

(54) Superiora adhuc neglecta fuerunt ab editoribus, in *Gall. Christ.*, t. VIII, instr., col. 288.

(55) Leg. *pristinos.*

(56) Ita cod. pro *quidpiam.*

(57) Quæ sequuntur omittit codex B, qui brevem hic inserit commemorationem : *Felici itaque obitu ad sanctorum consortia de mundi hujus pelago ab*

terra illa quam prædictus Aganus præsul dedit, nunc usque ad terram Sancti Martini, fidelium donis dilatata, proceditur (58). Dividuntur vero a quadam via, quæ descendit a regia strata, super clausum nostrum eunti ad vicum Sancti Martini, usque ad portam nostri vici, ibique terra Sancti Martini; ad dextram intrantium vicum, usque ad Guestraudi puteum (59) inclavatur; pergens, sicut ostendunt positi lapides, usque ad Auduram. Terra autem Sancti Petri transit flumen usque ad Sancti Launomari terram, quæ tantummodo vadit usque ad viam publicam, a qua iterum incipit Sancti Petri terra, jam fructiferis vineis impleta, tenditurque fere usque ad crucem quæ est in atrio sancti Bartolomei. Hanc itaque terram tam liberam voluit Sancto Petro in monachorum usus stipendiarios largiri venerabilis præsul Ragenfredus, ut nullus exactor exinde censum vel decimam exigendo, monachis ullam inquietudinem faceret. In qua etiam præsul, cum Arduino fratre suo, fere XIII aripennos vineæ plantavit. Alveus (60) quoque abbas factus et alii monachi sensim totam plantavere, ut in toto videntur esse XXVII agripenni vineæ. Terminatur autem ipsa terra a cruce quam prædiximus, via quæ descendit ad portam Morardi, aliaque fronte, terra Sancti Launomari, in qua fronte inclavatur quodam loco usque ad Auduram. Ad meridiem clauditur vineis plurimorum hominum. Ad orientalem plagam terminatur duobus agripennis vineæ, quos dedimus duobus nostris carpentariis, aliisque vineis.

Jamjamque ad terram Burgi vertatur pennula, quæ iterum incipit a via quæ ad portam Morardi vadit ab Audura, linquens in bivio terram filiorum Belial (61), nostris semper odiosam, atque ab ipsa porta usque ad viam quæ in transverso vadit ad posticam quæ Trievitulus (62) vocitatur, indeque a leva redit usque ad Auduram; quæ flumen transit per pontem Mergentis pediculi (63), vadit juxta flumen usque ad angiportum quod a flumine pergit usque Merdosam viam (64). Via quoque, quæ incipit a ponte præscripto et vadit usque ad posticium Fulcherii Nivelonis, dividit terram Sancti Petri a Sancti Aniani terra Sanctique Piati; quæ foro pergentibus est ad dextram, ad lævam vero Sancti Petri, videtur fore ab Audura flumine usque ad viam Sancti Michahelis, quæ pergit ad Sancti Martini monasterium. Ubi vero finiatur non est repli-

camus ad portam Benedicti Clansoris et terram quæ est ad lævam intrantibus vicum ducamus per atrium Sancti Hilarii, via publica quæ pergit ad portam Cinerosam (65); cumque veneris ad angustam viam, quæ descendit de rostro ac cimeterio Sancti Aniani, juxta Sancti Piati terram, sicut superius diximus, et superius et inferius terra Sancti Petri est usque in Audura, infra quoque civitatem a porta quæ dicitur Aquaria (66) usque ad portam Cinerosam. Prisci monachi ac canonici post eos, juxta murum, sicut via dividebat, ab una porta pergens ad alteram portam, jure hereditario totam possederunt terram; set a comite in civitate introducto facta turri, ac in circuitu vallis censum subripuit aliosque consuetudinarios usus. Tamen comes, pro hac ipsa re, singulis annis, ad occidentalem plagam, in campo Fabro, unum modium vini jussit monachis dari, quamvis possidentes vineam in hoc sint negligentes. Iterum quoque a porta Cinerosa, terra Sancti Hilarii incipiebat Pictavensis, quæ fere quadram civitatis obtinebat, quam terminabat via pergens per mediam civitatem ad turrem. Itaque quidam miles hanc terram quodam jure possidebat, set divino amore flagrans, Sancto Petro eam concessit, donans, eo videlicet tenore, ut in atrio Sancti Petri monachi *in honore sancti Hilarii* æcclesiam construerent, quod et factum est. Set terra ipsa quam acceperunt a milite, vi potentum et inbecillitate propria, ita est ab eis possessa, ut vix sexta pars census eis reddatur ab incolis. Dedit etiam miles de quo supra diximus, de eadem potestate Sancto Petro in Manu Villare grandem amplitudinem terræ in qua monachi in honore sancti Hilarii secundam æcclesiam ædificaverunt. Set et in circuitu urbis, tam in burgo quam extra burgum, pluribus in locis est terra Sancti Petri: ad occidentalem quidem plagam est medietas terræ Pendentis Pediculi, Sancto Petro, moderno tempore, concessa pro quodam milite facto monacho, reddens in psollennitate sancti Mauricii XII nummos, nam ex ejus potestate esse videtur. Fulcherius denique, de cujus beneficio erat, XL solidos nummorum, Gungerius quoque, qui de eo tenebat, XXX solidos, ex consensu acceperunt; nos vero in festivitate sancti Remigii a cultoribus XXI solidos accipimus. De ea autem quæ solo tenus est tantum spica-

angelis translato, corpus ejus in cœnobio Sancti Petri est humatum. In quo Gantelmus, præsul venerabilis, in corpore requiescit; eique venerabilis Bagenfredus præsul successit, qui quanto amore locum dilexerit sequenti opere potest agnosci.

(58) Ita cod. Leg. *progreditur.*

(59) Puteus Guestraudi (sic in cod.), gallice *le puits Guestrand*, situs erat in parochia Sancti Brixii, via *des Basbourgs*, jamque Domni Muley tempore, saxi fragmento clausus.

(60) Hic Alveus, qui temporibus Ragenfredi episcopi ejusque fratris Arduini, et Geroardi vicedomini Carnotensis vixit, nempe ad annum 950, primus est abbas Sanpetrinus cujus nomen a codice servatum est. Ab illo igitur incipit abbatum series.

(61) Docet D. Muley *terram filiorum Belial* ab auctore vocari locum situm post pontem Sancti Hilarii, fluvium inter et viam portæ Morardi a dextra, viam autem *de la Grenouillère* a sinistra.

(62) Unde nunc via nominata *Tireveau.*

(63) Hodie *le pont Taillard.*

(64) Postea *rue aux Fumiers.*

(65) Hac porta, Gallice *porte Cendreuse*, prope crucem Belli loci, olim erat introitus civitatis.

(66) Portam Aquariam jampridem destructam inter portas Willelmi ac Morardi sitam fuisse idem docet D. Muley.

rum manipulos sumimus. Terminatur itaque ipsa A terra duabus viis publicis, ad dextram pergentibus ad boscum, non solum via, set etiam magnis lapidibus a Paulo monacho (67) solo infixis. Ad orientalem quoque plagam terminatur terris cultis et incultis de potestate Sanctæ Mariæ.

Sequitur Manus Villare, cujus maxima pars terræ dividitur quadam via quæ meta esse videtur terræ Sancti Petri terræque Sancti Mauricii. Ex una fronte terminatur via publica quæ pergit ad portam Perticanam; alia fronte, via quæ ducit ad portam sancti Johannis Valeiæ. Ad orientalem plagam colligit domum aurifabrorum; et sic per sulcum vinearum in transversum non longe ab æcclesia Sancti Hilarii pergit ad viam publicam, de qua nunc superius diximus, atque ibi terminatur non longe a quodam B prelo.

Item xxx agripenni vinearum in Luciaco secuntur, quæ, una fronte, terminantur via quæ ab æcclesia Luciaci ad æcclesiam Manu Villaris pergit; alia fronte, via quæ ducit ad Seras; tercia quoque fronte, via quæ terminat Manum Villare terminat et ipsos. Frons vero quæ prospicit ad civitatem aliis vineis terminatur. Fuerunt quoque dati ad plantandum monachis ab episcopo Ragenfredo, remota omni exactione ab eis.

Ad meridiem quidem est quædam æcclesia inter vineas, in honore sancti Leobini constructa, quæ olim fuisse abbatia dinoscitur. Quam æcclesiam matrona quædam, Ermentrudis nomine, uxor Nivelonis, voto Sancto Petro dimisit moriens pro anima sua, cum terris ac decimis pertinentibus ad ipsam æcclesiam; datis vero suo, pro consensu, monilibus suis et armillis aureis; erat enim æcclesia ex patrimonio suo. Cum vero viam universæ carnis abisset, vir ejus, petitione conjugis postposita atque suæ promissionis oblitus, omnia suis usibus retinere maluit; et, quandiu mundanis rebus uti potuit, nunquam resipuit. Verum, cum se videret ad extrema duci, monachus in cœnobio Sancti Petri effici voluit; quod autem sanus facere noluit, cassa petitione filiis (68) facere monuit. Quo mortuo, filius ejus Paganus, modico tempore, patris beneficio fungitur; nam cum debellaret castrum quod vocitatur Fracta Vallis, patri a D Gausfrido Martello sublatum, in ipso castri introitu, ab hostibus gladiis interimitur. Pro quo frater ejus Fulcherius, jam clericus, mundanis armis præcinctus, secularem miliciam est secutus. Cui venerabilis abbas Landricus, vota matris petitionemque patris replicans, impetravit ab eo æcclesiam sancti Leobini cum quibusdam agripennis vinearum, de quibus habemus censum et decimam. Tunc etiam censum remisit vinearum beati Siemundi, decima sola retenta.

Adhuc in territorio comitis, non longe ab æcclesia supra memorata, quasdam vineas habemus, olim cuidam in beneficio datas, postea vero, cogente penuria, Bertæ comitissæ, eo tenore, nostro assensu, venditas, ut, post obitum comitissæ, ab omni exactione liberas, usibus stipendiaris propriis, eas sine qualibet protelatione rehabeant monachi, quod postea frater comitissæ, comes Tedbaldus, coram suis fidelibus amnuit.

Nunc ad septentrionalem plagam vertatur penna, in qua super vallum, non longe a porta Drocensi, tenet in beneficio filius Geraldi negociatoris de sancto Petro terram reddentem solidos x numnorum.

In vico quoque sancti Andreæ in dominicatu sanctus Petrus possidet duos solidos nummorum de censu, non longe a ponte qui respicit ad portam Ainboldi (69). A qua porta non longe est domus Johannis cum vinea quæ solidos tres numnorum reddit.

Quomodo autem campus Fauni terminetur, suo loco dicetur. Nunc vero ad ea quæ capitula præsignant redeamus.

CAPITULUM II.

De agripenno terræ ad plantandum vineam, a canonicis in clauso dominicato dato.

(1 Octobr. 940.)

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Nos canonici ex monasterio sancti Petri, quod est in suburbio Carnotis civitatis, divinis laudibus insistentes, notum fieri volumus cunctis sanctæ Dei æcclesiæ fidelibus præsentibus scilicet atque futuris, quia veniens quidam homo, nomine Teodericus, ante præsentiam nostram, suppliciter postulavit ut sibi et uxori suæ, nomine Dominicæ, filiæ nec non suæ Gerois, unum aripennum terræ sub manu firma concederemus ad plantandam inibi vineam, in clauso dominicato fratrum, ab usibus eorum multis annorum curriculis abstracto, nunc vero, sicut ab antiquo, juste reddito, qui prope sancti Michaelis æcclesiam consistit. Nos vero, ratam ejus petitionem considerantes, quidquid nobis supplicavit benigne assensimus et concessimus prædicto scilicet Teoderico, uxorique suæ Dominicæ, filiæque eorum Geroisæ, eundem terræ aripennum ad plantandam et construendam inibi vineam, una cum consensu et permissu domni Agani præsulis, qui in regimine videtur habere idem cœnobium; qui etiam terminatur ab uno latere, terra sancti Piati, et alia parte, terra sancti Petri; ab una fronte, via publica quæ ducit ad sancti Martini monasterium; alio quoque latere et fronte, terra ipsius clausi; eo scilicet rationis tenore dedimus illis, ut annuatim festivitate Sancti Petri, quæ evenit VIII kalendas marcias, censualiter solidum I solvere studeant partibus fratrum. Quod si ex hoc censu tardi aut negligentes extite-

(67) Ipse est hujus operis auctor; de quo vide l'*Histoire littéraire de la France*, t. VIII, p. 225.

(68) Correctum vero *filio suo*.

(69) Portam antiquam quæ vocabatur *la porte Ambaud*, fuisse prope pontem Sancti Andreæ, postea *du Massacre*, inter portas Drocensem et Guillelmi, a D. Muley discimus.

rint, legaliter emendent et quod tenere videntur A nullo modo perdant. Dedimus etiam eis licentiam dandi vel vendendi, prout oportunum eis fuerit cuicunque voluerint, tantum ut venditiones in usus fratrum veniant. Hæc vero cartula ut verius credatur et firmius per cuncta teneatur tempora, prædicti senioris domni Agani præsulis manibus roborandam poposcimus, et nos exinde manu propria firmavimus. Aganus, Carnotentium humilis episcopus. Alveus, humilis presbiter et archiclavus. Joannes, presbiter. Majenfredus, presbiter. Airmandus, presbiter. Bernoardus presbiter. Benedictus, presbiter. Odelricus, acolitus. Lambertus, acolitus. Galcherius, acolitus. Hardradus, clericus. Warengaudus, clericus. Data kalendis Octobris, anno v regnante rege Ludovico. Aregarius, ad vicem Clementis, scripsit. »

Quoquomodo postea hæc res præscripta abierit nescio; hoc tamen scio, quia domnus abbas Landricus hunc aripennum vineæ, dum præesset loco Sancti Petri, a quodam clerico, Albuino nomine, taxata pecunia emit. Emit etiam alium aripennum vineæ inferius in eodem clauso a presbitero Sancti Eparii, nomine Dominico, cujus nomen aripennus vineæ adhuc retinet.

CAPITULUM III.

De arca farinarii Lupchiaci, duobus fratribus concessa.

(5 jun. 931.)

« In nomine Dei æterni et salvatoris nostri Jhesu Christi. Nos fratres ac canonici monasterii Sancti Petri, quod est in suburbio Carnotis civitatis, sacris laudibus insistentes, notum esse volumus cunctis ipsius monasterii fidelibus præsentibus ac futuris, quia venicus quidam vir, vocabulo Adremarus, nostram ante præsentiam, humiliter deprecans ut sibi et fratri suo Ebboni, sùæque sorori Eldesindi, quandam aream, super fluvium Auduræ, cum farinario noviter ab ipso constructo, non longe a villa quæ vocatur Lupchiacus, per manum firmam censualiter ex nostro indominicato concederemus, quod quidem unanimes assensum præbentes, benigno favore assensimus; eandemque aream per hanc auctoritatem concessimus, ut desuper firmiter edificent, construant et inmeliorare studeant; eo pacto ut annis singulis, in festivitate cathedræ sancti Petri, quæ evenit VIII kalendas martii, in censum canonicis hujus monasterii, Domino famulantibus incunctanter, solidos III^or persolvant; et si ex hoc censu in solvendo tardi aut negligentes inventi fuerint, legaliter emendent et præfatum molendinum tempore vitæ suæ non perdant; et amplius eis in censum non requiratur, nisi quod superius continetur insertum; et habeant licentiam venundandi aut condonandi cuicum voluerint, salvo jure ecclesiastico, sicut mos pagi est, vel sicut in archivo hujus æcclesiæ continetur. Quatenus vero hæc manus firma inviolabilis per diuturna tempora permaneat, manibus domni Agani præsulis senioris nostri corroborandam obtulimus, et nos similiter libenti animo, nullo contradicente, subterfirmavimus.

« Actum Carnotis civitate, in domo matris æcclesiæ publice. Aganus, humilis Carnotensium episcopus. Sanson, presbiter. Aimo, decanus. Deotimus, presbiter. Adelveus, presbiter. Frodgingus, presbiter. Cleotinus, presbiter. Aregarius, levites. Arduinus levita. Ansoldus, subdiaconus. Data Nonis Junii, anno VIII regnante Rodulfo, serenissimo rege. Ragenfredus, humilis levita, ad vicem Clementis præsbiteri et cancellarii, scripsit. »

CAPITULUM IV.

De Germinionis Villa canonicis reddita et condonata ab episcopo Rageufredo. Item in eodem duo adjacentia Plaiseni Villa et Moirollum Villare. Item in eodem de Ursi Villari æclesia. In eodem de æcclesia Immonis Ville cum VIII mansis. In Ginonis Villa de duobus mansis. De Bodasi æcclesia B *et de terra infra muros civitatis.*

(Circa a. 954.)

« Orthodoxorum patrum et fidelium præcedentium maximeque pontificum cordibus divina gratia salubriter inspiravit, ab exordio nascentis Christianæ religionis, ut sponsam Christi, sacrosanctam videlicet Æcclesiam, quam idem mediator Dei et hominum homo Christus Jhesus, sibi insolubili glutino copulavit, per diversa loca terrarum fundarent et de rebus temporalibus honestare atque sublimare procurarent. Horum igitur exempla pia, eum catholicis et religiosis quibusque in commune habeantur agenda et fideliter imitanda nobis procul dubio, ejusdem scilicet sanctæ matris Æcclesiæ provisoribus, vigi- C lantissima sollicitudine specialius est procurandum, ob venerationem sponsi illius, agni videlicet immaculati, eam, pro scire et posse nostro, congruis honoribus decorare et rerum competentium utilitatibus ampliare. Talibus exemplis patrum informatus, et salubrium Scripturarum documentis excitatus, ego videlicet Ragenfredus, gratuita Domini clementia Carnotensis æcclesiæ humilis episcopus, sanctorum loca nostræ æcclesiæ civitatique contigua, malis ingruentibus diruta, reedificari desiderantes, ante reliqua omnia monasterium sancti Petri, quod tempore prædecessoris nostri domni Agani reverendi præsulis, ipso præcipiente, et plurima dona ad idem opus peragendum largiente, Alveo quoque, ejusdem loci præposito, in omnibus curam agente, restauratum erat; in pristini honoris statum quo antiquitus viguerat reducere deliberavimus, et commodatibus rerum temporalium ac stipendiarium canonicos ibidem Domino sanctoque apostolo suo Petro famulantes munerare disposuimus, penuriam ab eis auferre ambientes quam pati videbantur in necessitate cotidiani victus. Quapropter notum esse volumus cunctis successoribus nostris et fidelibus sanctæ Dei Æcclesiæ præsentibus et futuris, qualiter quandam terram ex nostro indominicatu, nomine Germinionis Villam, ejusque duo adjacentia, hoc est, Pleseni Villam et Moirollum Villare cum suis terminationibus, in pago Dunensi sitam, jam dicti monasterii canonicis tradimus ac donamus, et de

nostro dominio in eorum ditionem transfundimus, usibus illorum stipendiariis delegantes, et perpetualiter illis habendam decernentes. Donamus etiam illis, ad eosdem usus, in ipso pago eademque parocchia, æcclesiam villæ quæ dicitur Ursus Villaris cum decimis et ceteris redibitionibus suis. In pago quoque Carnotensi concedimus eis aliam æcclesiam in loco qui vocatur Ymonis Villa cum octo mansis de terra. Item in eodem pago, in Bodasi Villa, reddimus eis terciam æcclesiam quam præfatus Alveus ipsius monasterii tenet, eo pacto quo quandiu vixerit eam teneat, post obitum quoque illius in usus illorum sine contradictione alicujus calumniatoris vel refragatoris redeat. In Ginnonis quoque Villa, in eodem pago videlicet Carnotensi, donamus eis duos mansos de terra. Præterea ad peragendum hujus nostri desiderii negotium, perducere cupimus omnino in memoriam et noticiam omnium successorum nostrorum reliquorumque Christi fidelium, quod terram quandam quam crebro dicti canonici sibi reclamabant, asserentes eam a suis antecessoribus, priscis temporibus fuisse possessam, postea quoque malo ordine sibi subtractam, eisdem reddimus, quatinus ita illam juste et pleniter possideant, veluti illorum prædecessores eam tenuisse multorum testimoniis comprobatur. Ipsa vero terra conjacet infra muros Carnotis nostræ civitatis, juxta portam Cinerosam, terminata uno latere vel fronte via publica quæ ducit ad supra dictam portam; altero vero latere hæret muro civitatis; fronte vero secunda terminatur terra sanctæ Pictavensis æcclesiæ. Hæc autem omnia prælibata, tam in terris quam in supramemoratis æcclesiis earumque decimis aliisque reditibus, sepe fati monasterii fratribus donamus et reddimus, eo pacto ut ab odierna die et in relicum nullum debitum vel servitium circadis, synodis, censibus et omni genere redibitionum inde exigatur, nullaque repetitio ab ullo succedentium fiat ipsis canonicis, devote nostri ac successorum nostrorum in psalmis, ymnis et canticis spiritalibus memoriam agentibus, et divinis laudibus liberius desudantibus. Ut autem hujus facti nostri auctoritas a nostris successoribus aliisque personis minime violetur, omnimodis interdicimus, et quod a nobis coadunatum datum quoque ac redditum est quo nullomodo dirimatur, eis anathematis repagulum obponere satagimus. Si quis ergo temerarius raptor et æcclesiasticarum sanctionum improbus violator donationis sive redditionis hujus statuta contempserit et ea adnullari nisus fuerit, quod præsumpserit evindicare non valeat, set æterna dampnatione, cum Dathan et Abiron, dampnatus pereat, cum Diabolo quoque et angelis ejus ultrices scelerum flammas sine fine sustineat. Quatinus autem hæc pagina validioris firmitatis anchora roboretur, A manu propria eam subterfirmavimus et venerabilium episcoporum manibus, ceterorumque fidelium manibus clericorum roborandam tradidimus. Hildemanus, archiepiscopus Senonensis. Joseph, archiepiscopus Turonorum. Constantius, episcopus Parisiorum. Ragenfredus, episcopus Carnotorum (70). »

Terram denique quæ in Ymonis Villa a præfato episcopo data ac reddita fuit, sicut superius prælibavimus, non pleniter possidemus, neque terram civitatis in qua turris et ceteræ ædes comitis sunt constructæ; pro qua comes, turris constructor, dedit monachis in campo Fabri unum modium vini singulis annis in censum. Set vineam possidentes per insolentiam in dando negligentes existunt, dum non sit judex qui sectetur justiciam ac reprimat B usurpatorum violatiam (71) neque habens æquitatis libram, ulciscatur sanctæ Æcclesiæ injuriam; episcopi enim desidiæ somno sopiuntur, superbiæ visco tumidi, adulantium vento de rectitudinis via exorbitati, instar mercenariorum, sanctarum edium detrimenta vilipendunt, et, ut ait papa Gregorius, « Lupum venientem fugiunt non mutando locum, « set subtrahendo solatium, de quibus dicitur per « prophetam : *Ve pastoribus Israel, qui ex adverso « stare noluerunt, neque se obposuerunt murum pro « domo Domini.* » His et aliis modo sancta Æcclesia diâtim decrescens, suis viduatur honoribus, nec est rex, neque princeps qui ei condoleat vel qui ejus singultibus sive cotidianis fletibus quovis auxilio respirare concedat. Quare flagiciosi quique, im- C punitate freti, Dei cultoribus invidentes, de eorum detrimentis temporalia sibi lucra comparant, dolisque colore mendatii compositis, eorum bona usurpando auferunt et quæ nequeunt, insaciabili aviditate depopulando, vastant. Verum quia longum est rememorare omnia mala quæ, Satana suggerente, nostra æcclesia pertulit, de multis perpauca subinferam : sicut de ecclesia Baliolis Villæ quam Radulfus episcopus de dominio monachorum ad suos usus retorquens cum aliis rebus, beatum Petrum apostolum vilipendit offendere. Agobertus quoque, nostra tempestate præsul (72), canonicis assensum præbuit usurpandi non modicam partem terræ campi Fauni, versus orientem; quam antecessores nostri D sine ulla calumnia et nos moderni monachi longo usu possedimus. Gauslinus denique de Leugis, non longe a fluvio Auduræ pertinaciter sibi retinet censum nobis annuatim reddendum, de quibusdam vineis ab episcopo Hugone sibi relictis. Herveus etiam de Gualardone non longe a suo domicilio, quandam terram nostri juris usurpavit, quæ uni bovi dicitur sufficere. Set, his modo relictis, ad assignandas res vertatur pennula quæ nobis divino nutu manent et manebunt in secula.

(70) Conf. hanc chartam cum alia ejusdem Ragenfredi, col. 219.

(71) Leg. *violentiam*.
(72) Ab an. 1052 ad an. 1053.

CAPITULUM V.

De duodecim agripennis vinearum a venerabili Ragenfredo præsule canonicis datis.

(13 jun. 949.)

« In (73) nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Si, Conditoris omnium institutione, ad laborem homo nascitur, id procul dubio sibi est elaborandum summo opere unde geminum valeat assequi commodum; ita quoque, prudenti ratione, utrique rationabiliter labori debet incombere, ut per ea quæ gesserit laborando, beatitudinis nomen et præmium consequatur, sese interius exteriusque pascendo, merito dicatur illi illud propheticum : *Labores manuum tuarum manducabis. Beatus es et bene tibi erit.* Set et si proficiente labore, exterius divitiæ affluunt, non apponendum est cor, quoniam in adquirendis mundanis rebus tollenda est sollicitudo et adibendus labor. Qui ergo utriusque boni verus desiderat esse possessor non bonorum temporalium amore est astringendus, ne non dominus fieri videatur, set servus ; quia, terrenorum amore astrictus, non possidet set possidetur ; neque etiam quæ temporaliter adquirimus carni nostræ, set potius animæ nostræ dare debemus (74), cum, sicut scriptum est, *redemptio animæ viri substantia est ejus.* Hujusce modi igitur atque aliis sanctarum Scripturarum documentis instructus, ac superni amoris igne succensus, ego Ragenfredus, sanctæ Mariæ matris æcclesiæ humilis episcopus, notum esse volumus cunctis sanctæ Dei Æcclesiæ fidelibus præsentibus atque venturis, nostris quoque successoribus, qualiter quendam vineæ clausum, proprio sumptu et labore a nobis plantatum atque constructum, pro remedio animæ nostræ, seu absolutione parentum nostrorum a peccatis aput Deum obtinenda, canonicis monasterii Sancti Petri, quod situm est in suburbio Carnotinæ civitatis, usu stipendiario perpetualiter habendum tradimus, ac donamus. Ad confirmandam etiam istius donationis causam, dignum duximus, ex prædicta vinea cartam fieri jam dictis canonicis, cum assensu ac deprecatione Graulfi, qui abbatiam Sancti Carauni tenere cernitur per auctoritatem nostræ largitionis. Est autem ipsa vinea prope cimiterium ipsius videlicet Sancti Carauni ad aquilonalem plagam ipsius loci, habens in totum aripennos XII et dimidium, dimensos singillatim perticis quinquagenis. Terminatur etiam duobus lateribus terra ejusdem potestatis; duabus quoque frontibus, viis publicis. Infra has igitur terminationes præfatam vineam ita eis, sepe dicto abbate Graulfo deprecante, concessimus, ut desuper securi edificent et bene construant, habeantque licentiam vendendi vel dandi eandem vineam quicumque voluerint. Hoc denique donum ideo etiam, tota animi devotione, procuravimus, quatinus a præscriptis canonicis, habundante illis terrenæ substantiæ viatico, in præsenti liberius a (75) superna tendatur et in supra dicta Petri apostolorum principis æcclesia plenius divinæ servitutis expleantur officia, nobisque in cælestibus reddantur inde remunerationis præmia centuplicata. Si quis autem successorum nostrorum vel alia aliqua persona hanc donationis paginam violare presumpserit, iram Dei incurrat, beatus Petrus ei contrarius fiat, et inimicus cum ceteris apostolis omnibus; cælestis regni ovile ingredi non mereatur, cujus claves ipse tenere, Domino largiente, dinoscitur, calumniatoris temeritas pænitus frustretur, præsens quoque auctoritas inviolabilis mansura roboretur. Quatenus vero hæc pagina validius firmitatis obtineat robur, manibus propriis eam subterfirmavimus, et canonicis nostræ æcclesiæ seu fratribus jam dicti monasterii ac reliquis fidelibus nostris roborandam decrevimus. Ragenfredus, Carnotum præsul, hujus donationis paginam fecit ac roboravit. Graulfus, abbas. Waracco, presbiter. Bernardus, presbiter. Ragenbaldus, presbiter. Arduinus, levita. Alcarius, levita. Aimericus, levita. Malbertus, levita. Ebroinus, levita. Widó, levita. Ardradus, presbiter. Isaac, presbiter. Ardradus, levita. Lambertus, subdiaconus. Gauslinus, subdiaconus. Humbertus, clericus. Heirveus, clericus. Dodo, clericus. Actum Carnotis civitatis in domo matris æcclesiæ. Data idus junii anno XIII regnante Ludovico rege feliciter. »

CAPITULUM VI.

Item de eadem re scriptum Graulfi abbatis, in monasterio sancti Petri monachis jam positis.

(Ann. 949.)

« In Christi nomine. Graulfus, qui abbatiam Sancti Carauni, quæ est in suburbio Carnotis tenere videmur, notum esse volumus cunctis successoribus nostris et reliquis Christi fidelibus, qualiter quasdam vineas, a Ragenfredo episcopo et fratre suo Arduino necnon et ab Alveo abbate plantatas, et monasterio Sancti Petri, quod situm est in suburbio Carnotensi, donatas atque relictas, monachis ejusdem loci, cum consensu fidelium sanctæ Mariæ Carnotensium matris æcclesiæ, libenter concedimus. Sunt autem ipsæ vineæ in tribus locis constitutæ clausus unus videlicet ex XII^cim aripennis et dimidio, juxta monasterium Sancti Carauni, quem dederunt Ragenfredus et Arduinus, et III^er aripennes ac duæ partes quinti aripennis, non longe a loco qui appellatur Ad crucem Sancti Carauni. Terminatur autem jam dictus clausus duobus lateribus, ipsa potestate; duabus frontibus, viis publicis. Quatuor vero aripennes quos dedit Alveus terminantur uno latere, ipsa terra; altero latere, terra fratrum Sancti Carauni; una fronte, via quæ ducit ad civitatem; altera quoque fronte, terra Sancti Martini. Illæ etiam duæ partes unius aripenni terminantur uno

(73) Charta maxima sui parte vulgata in *Gall. Christ.*, t VIII, instr., col. 289.

(74) Ita, sed postea correctum *habemus.*
(75) Leg. *ad.*

latere, terra Sanctæ Mariæ; altero, potestate fratrum Sancti Carauni; duabus vero frontibus, viis publicis. Infra has itaque terminationes, præfatas vineas concedimus perpetualiter tenendas, ut desuper securi edificent, et habeant licentiam vendendi vel dandi eas cuicunque voluerint. Quatinus autem cartula hæc firmior sit, manibus propriis eam firmavimus, et canonicis Sanctæ Mariæ atque Sancti Carauni roborandam obtulimus. Actum Carnotis publice. Signum Graulfi, abbatis. Sugerii, decani. Arduini, archiclavi. Marini, presbiteri. Alcarii, presbiteri. Teodorici, presbiteri. Algeri, presbiteri. Josberti, presbiteri. Odberti, presbiteri. Leobini, presbiteri. Girardi, diaconi. Evrardi, diaconi. Adelardi, diaconi. »

[Res (76) denique quas scriptas inveni et ad canonicos pertinere videbantur, deinde res quæ ad luminaria æcclesiæ et ad victum editui delegatæ erant, et quæ postea ab episcopis additæ sunt, Agano videlicet atque Ragenfredo, monachi modo nequaquam possident. Nam quædam loca scripta inveni quorum nunc nomina ita sunt abolita et innota, ut ab hominibus penitus ignorentur, nedum habeantur. Sunt quæ sciuntur et tamen non habentur, sicut in Verno terra Odulfi, quam promisit præsul Ragenfredus post mortem Odulfi haberi, et sicut Gundrevilla cum brogilo et pratis, quibus carere videntur, et sicut in Imonis Villa ubi sunt dati octo mansi, set minime possidentur. Sunt etiam quæ possidentur et possessa sunt ab antiquis, de quibus noticia litterarum periit, sicut de Bosco Medio in territorio Dunensi, et sicut de terra Sancti Petri Pictavensis, quæ est intra civitatem Carnotis, quam quidam miles, quodam jure possidens, sancto Petro Carnotensi eo tenore concessit, ut in atrio Sancti Petri æcclesiam in honore sancti Hilarii construerent; quod et factum est, set vi potentum et militum in ea habitantium detinetur census de eadem terra, ut vix sexta pars reddatur. Dedit etiam præfatus miles Sancto Petro, de prædicta potestate, in Manu Villare grandem amplitudinem terræ pro qua monachi in honore sancti Hilarii secundam æcclesiam edificaverunt. — Jam nunc expletis cartis et rebus canonicorum, currendum ad cartas et ad res redivivi ordinis, monachorum scilicet qui sub venerabili Ragenfredo episcopo reformati sunt in cœnobio Sancti Petri.]

CAPITULUM VII.

De rebus fratrum monasterii Sancti Petri Carnotensis.

1. *De vineis juxta vineam episcopalem.* Priscis temporibus, quia raro habebatur Carnotis usus vinearum, juxta vineam episcopalem fratres habebant tantummodo tres aripennos vineæ, sibi datos a quodam Bernoino nomine (77).

2. *De quatuor farinariis.* Erant eis IIIIer farinarii, quorum custos de duobus melioribus singulis annis C modios mixtæ annonæ solvebat fratribus, duosque frumenti et XIIcim avenæ, ad cervisiam faciendam; anguillas C, porcos crassos IIIIor, gallinas VI cum ovis, omni mense bis eulogias; reliqui duo farinarii præbendas fratrum molebant et ligna comparabant ad panem coquendum.

3. *De Bodasi Villa.* In Bodasi Villa erat casa dominica cum horreo et horto, cincta moderno tempore ab Ursone monacho muro novo, juxta quem ad orientalem plagam est vineæ clausus, V continens aripennos. Est et æcclesia beati Laurentii martyris, lapide cementoque constructa. Eadem villa inter IIIIor loca, habebat de terra bonuaria XVcim, agricolas V : Teogrinum, Ragenbaldum, Frodoardum, Teotradum, Riculfum. Faciebat quisque rigam, ad hibernam IIas perticas, ad tramissem perticam I et dimidiam, in corvedam tantundem. Pro qua aratura dabat quisque modios frumenti IIos, ad hostem solidum I, caplim dies XVcim faciebat, et carridium (78), manuum opera sibi injuncta. Requisitam avenæ, modium I, solvebat, et pullos tres cum ovis. Solus Riculfus pro riga (79) et corveda IIIIor frumenti modios dabat, ad hostem solidos IIos, pullos VI, requisitam avenæ modios IIos; faciebat caplim. Erat quoque mansus unus et dimidius ibi absolutus.

4. *De Domani Villa et de Moris Villa quæ juxta Bodasem esse videntur.* In Domani Villa unus erat mansus quem Frogaudus illo in tempore tenebat, unde faciebat perticas IIIIor ad hibernam, pro corveda tantundem. Pro ipsa aratura dabat frumenti modios IIIIor, ad hostem IIIIor solidos, octo denarios pro multone, pro pastione frumenti modium I, ordei modium I, de lignis carra IIo. Claudit circa curtem, vel de fossato perticam I. Facit manuum opera; solvebat CC et XX scintulos, pullos tres vestitos (80), requisitam avenæ modium I, faciebat caplim; vinericia de carro dimidio. In Moris Villa simili modo reddebant agricolæ Balduinus, Vintharius, Arehanius, Fulcherius, Adalgrimus.

5. *De Cavannis.* In Cavannis Villa erant hi agricolæ : Teodradus, Winebertus, Amalbertus, Godulbertus, Archenarius, Godefredus, Beneventus, Madalgaudus, Beraldus, Hildeboldus, Sadrius, Petrus, Guaningus, Raduinus, Adalcarius, Richrannus, Odoenus, Electeus, Ingeraldus, Bernardus, Guinebertus, qui omnes solvebant sicut ceteri supra scripti.

6. *De Cipedo.* In Cipedo agricolæ erant: Adelardus, Erchenarius, Petrus, Agifredus, Guineboldus, Angenbertus, Gandremarus, Bernegarius, Goduirleus, Hunebertus; solvebant sicut supra scripti. Hæc villa moderno tempore translata est a monacho Ursone in loco qui vocatur Nova Villa, nam vicaria

(76) Quæ uncis inclusa solo in codice B leguntur.
(77) Addit cod. B: *de quibus si cartam invenissem, scribere non piguisset.*
(78) Idem videtur ac *carrigium.*
(79) Deinde superscriptum I *aratura.*
(80) Pullus *vestitus*, cui nempe, opinor (Ducangio hic silente), ova, numero plerumque quinario, adjunguntur.

eam graviter affligebat. Est autem sita non longe a Bodasi Villa, ad orientalem plagam.

7. *De Comonis Villa.* In Comonis Villa Albuinus, qui tenebat de terra bunuaria v, solvebat III modios frumenti et alios usus, sicut supra dictum est. Rainaldus tantundem; Adalveus VI bunuaria de terra, et dabat IIII frumenti (81) modios, et alios usus; Gindbertus similiter.

8. *De Moenis Villa.* In Moenis Villa habitabant III Erembertus, Benedictus, Amaltrudis; et solvebant II frumenti modios et reliqua sicut supra.

9. *De Abbonis Villa.* In Abbonis Villa scura dominica erat; de terra inter diversa loca bonuaria XV. Ignoro bonuaria quid sint; set, sicut didici in hac villa, habetur terra aratrorum novem. Miror quoque quod, usu dissociabili ab aliis supra scriptis, in reditibus reddendis erant agricolæ hujus villæ numero XXXIII: Bertegaudus, Leobinus, Garnuinus, Godulgarius cum Dadone, Rainaldus, Leotardus, Radfulsus, Johannes, Sigaldus, Godobaldus, Gualterius, Rainarius, Adalmarus, Electrudis, Gaurembertus, Guido, Christianus, Adoardus, Remedius, Guillelmus, Watraldus. Singulis solidum I. solvebant. Municarius III solidos; Agedardus et Radoardus solidum I et dimidium. Similiter Godoardus. Benedictus solidos II; Raincarius et Benedictus denarios VIII; Godovertus solidum I et denarios IIII^or, Goduinus VIII denarios; Natalis, Aloinus, Raduinus, VI denarios. Decima hujus villæ nostra est, quamvis ad aliam æcclesiam pergant, non habentes propriam.

10. *De Ahildulfi Villa.* In Ahildulfi Villa, quam nescio ubi sit, ruricolæ vero erant: Teodoaldus, Municharius, Adalgaudus, Adalguinus, qui singuli solidum I solvebant; Frodegis vero solidos II^os. Hi omnes habebant de terra bonuaria tria, et faciebant corvedas diesque VI in blado. Dabat III pullos cum ovis; requisitam avenæ medietatem modii, et denarium I. In loco qui vocatur Absa, tria tantum erant hospicia: quem locum penitus ignoro; set, quia scriptum reperio, ideo fuisse non dubito.

11. *De Buxeto.* In loco hoc, quo caremus modo, quem etiam ignoro, erat saltus fratribus, ad saginandum quingentos porcos; de terra dominica tria bonuaria de prato inter duo loca, unde exhibant III^a carra feni. Agricolæ: Teodardus, Bernardus, Teodbaldus, Mammenus, Adalgis. Hi faciebant rigam ad hibernam perticas III, ad tramissem tantumdem, et corvedam. Solvebant solidum I et denarium, Caplim omni anno; carrada una et carrigium; pullos tres cum ovis. Rada vero solidum I, Teotardus IIII^or denarios. Leotrannus tantundem. Pro riga hibernatica solidum I et dimidium. In monte Cenoso mansi duo de terra arabili.

12. Hæc omnia quæ proposui et alia loca plurima ab antiquis monachis sunt possessa et habita, sed de quibus periit litterarum noticia, aut negligentia oblivioni tradidit, ea quidem scribere floccipendi. Tantummodo de quibus litterarum series certum me reddidit, vel semper a substitutis clericis sunt possessa, pro modulo tenui ingenii mei membranis inserere studui, ne forte lector hunc locum aut fuisse inopem censu, fallaci æstimet opinione. Locus denique qui Boscus Medius nuncupatur et cingitur a septentrionali parte saltu non modico, atque ab australi parte rivulo Ederæ, semper habuisse fertur ab his qui hunc locum noscuntur tenuisse. Tenuerunt etiam in territorio Vilcasini Genet Villæ terciam partem, quam regina sanctissima, nomine Baltildis, in tribus partibus divisam, unam quidem, pro gloria æternæ vitæ adipiscenda, huic æcclesiæ beati Petri apostolorum principis contulit; aliam quoque Gemmeticensi æcclesiæ almæ Matris Domini, atque terciam beati Remigii, Remorum archiepiscopi, basilicæ usibus fratrum stipendiariis delegavit. Pars vero beato Petro data, a Guiberto abbate quondam improvide cuidam militi et duobus heredibus suis in manu firma concessa esse dinoscitur. De qua, singulis annis, V solidi nummorum consuete reddebantur. Set, illis de hoc seculo decedentibus, ex genere eorum quædam matrona, nomine Addela, viribus potestateque subnixa, per vim eam tenere usque ad senectam non timuit; donec obligata longo excommunicationis vinculo, gehennæ ignis timore, cum cirographo, omni annuente parentela, beato Petro redderet. Quam cum æcclesia, jure hereditario, fere quinquennio possideret, surrexit quidam miles, Gaubertus nomine (82), habens neptam prædictæ matronæ, ab usu servorum Dei retorsit, suisque usibus impune mancipare non timuit. Non solum hæc, set et alia plurima ab usibus nostris in aliorum usibus transierunt: sicut Gundre Villa cum octo mansis, brogilo et pratis omnibusque appendiciis; quam quidam abbas hujus loci cuidam puero, quem de sacro fonte susceperat, in aucmentum dedit; cujus genealogia usque ad hanc diem, invitis fratribus, tenere videtur. In Normannia denique, juxta mare, Tedis Villam Robertus comes Sancto Petro abstulit et cuidam militi tradidit. Sublata sunt nobis in eadem patria et alia plura, tam in æcclesiis quam in piscatoriis, quæ dedit memorandus comes Richardus, qui æcclesiam Sanctæ Trinitatis regaliter sublimavit et in Periculo maris montem Sancti Michaelis regulariter, datis sumptibus, ordinavit. Cujus bonitas in evum laudem adquirens, æterne vitæ gloriam cum omnibus sanctis feliciter adquisivit.

CAPITULUM VIII.

Secuntur res editui Sancti Petri.

1. *De farinario prope urbem.* Edituo æcclesiæ hujus farinarius unus prope urbem, ad majorem mensuram, singulis annis reddebat XXX modios

(81) Cod. *dabat frumenti* IIII *frumenti.*
(82) Post *Gaubertus nomine* cod. B addit, *de Calido Monte.*

annonæ, tritici modium I, anguillas XXX, porcum unum aut pro porco V solidos; unoquoque mense fogatias II et sextarium vini, pullos III cum ovis.

2. *De Giaco.* Ibi erat pratellum de quo colligebantur IIo carra feni. Agricolæ IIIIor : Elisardus, Acculfus, Gualbertus et Salomon, qui V solidos cum eulogiis in missa sancti Petri reddebant XVcim dies tempore messis; requisitam avenæ, sextarios XV; et V denarios.

3. *De Cortrone.* Hujus loci habitatores erant: Walterius, Aclardus et Aclulfus; solvebant in censu solidos IIIIor et denarios VIIIto. Eorum quisque, tempore messis, faciebat dies XIIcim aut redimebat denarios VI; solvebat pullos IIIIor cum ovis; donabat requisitum IIIIor denario (83).

4. *De gereni Villare.* Habebantur de terra, in dominicatu, juxta estimationem, bonuaria XXXta, de silvula bunuaria IIIIor; agricolæ Adelulfus, Godenous et Hernes, solvebant in censu solidos II; dabat quisque pullos IIIIor vestitos per focos; donabat requistum avenæ modium Inum, ad mensuram venalem, et denarios IIos.

5. *De Tilido.* Quintinus et Adalbertus ibi habitantes, in censu solvebant solidos IIIIor. Quisque eorum solvebat pullos IIos vestitos, dabat requistum avenæ modium dimidium, ad venalem mensuram, et IIIIos denarios.

6. *De Pincionis Villa.* Adrevertus ibi habitans solvebat in censu solidos IIos, dabat requistum et denarios IIos.

7. *De Monticellis.* Unus farinarius solvebat, singulis annis, XVcim solidos; Gislarius et Guauzelmus tres solidos solvebant in censu; et quædam vineola quam tenebat Hildegildis, solidum unum.

8. *De Haireni Villa.* Electeus et Ercatringa, agricolæ, in censu solvebant solidos IIos et denarios IIos et IIos pullos cum ovis.

9. *De Seresii Villa.* Erat ibi de terra arabili unde exibant VIII denarii.

10. *De terra quæ est in Berquu* (84). De terra quæ est in eodem loco IIo denarii exiebant.

11. *De terra quæ est in Duabus Casis.* Est ibi de terra arabili unde VI denarii exiebant.

12. *De Wadriaco.* Ibidem erat unus mansus qui V solidos in censu reddebat. De quo manso proclamabant canonici ejusdem æcclesiæ, quod illis Wenilo concanonicus eorum, pro animæ suæ remedio, reliquisset moriens. Est etiam ibi mansellus unus qui solvebat solidum unum.

13. *De Cintriaco.* Erat ibi terra arabilis solvens VIII denarios.

14. *De Felcherolis Villa.* Erat ibi mansus unus quem quidam, Lanto nomine, Sancto Petro dedit; unde filius ejus Hermarus duos solidos, singulis annis, in censu solvebat.

15. *De Mitanis Villare.* Ecclesia Sanctæ Mariæ Magdalenæ in honore fundata, ibidem pertinebat ad luminaria æcclesiæ Sancti Petri, et ejusdem æcclesiæ presbiter solvebat, unoquoque anno, III solidos. In eadem villa Capitiarius habebat de terra arabili bonuaria II.

16. *De Walardone.* Juxta eandem villam terra est Sancti Petri, quæ unum solidum solebat reddere; nunc vero Herveus, ejus loci dominus, suis viribus confidens, Dei timore postposito, neque solitum solidum neque ullam consuetudinem vult reddere.

17. *De Nido Corbino.* Ibi de quadam terra arabili exibant ad lumen ecclesiæ denarii VIIIto, ad opus fratrum denarii IIIIor.

18. *De Joiri Villa.* Ibi manselhus unus, quem tenebat Adalbertus, solvebat solidos tres, quem fratres reclamabant, sicut et illum de Wadriaco.

19. *De beneficio Winemari canonici.* Beneficium quod vivens Winemarus tenuit canonicus, moriensque Sancto Petro reliquit ad luminaria concinnenda, concessum ea tempestate fuit. De quo beneficio juxta atrium Sancti Petri erant VII areæ, solventes solidos VII; quorum incolarum nomina paginæ addere operosum fuit, præsertim cum utilitatis nil attulisset, neque per eorum vocabula filii vel nepotes quivissent agnosci. Juxta dominicum vivarium ex eodem beneficio erant duo aripenni et dimidius vineæ cum pratello sibi juncto, unde V solidi exire solebant. De eodem quoque beneficio ante portam fratrum, supra fluvium Auduræ, erat aripennus unus solvens solidum unum. Possidebantur alio in loco, ad ipsum lumen altaris pertinentes, duo aripenni obtimæ vineæ.

20. *De Capaticis.* Isti omnes subscripti, de capitibus propriis reddebant unusquisque IIIIor denarios : Banegildis, Ansgundis, Christianus, Flodegarius, Saxenildis, Rainburgis, Lanbertus, Godenildis, Dominica, Frotlandus, Acchildis, Isentrudis, Berta, Bertranna, Bertingus, Dominicus, Ermenaldus et soror ejus, Widlegis, Aintrudis, Dominicus, Agenardus, Wandalgis, Lambertus, Leodoardus, Anstrudis, Landrada, Anstrudis, Bracca, Savera.

21. Quæ huc usque novis paginis curavi intexere, ex canonicorum hujus loci cartis nimium pervetustis accepi, in quibus etiam usum fructuarium clericis, singulis annis, ab agricolis reddendum repperiens, posterorum noticiæ assignare volui, ut, discrepante qualitate vel quantitate ejus ab istius temporis usu, prudens lector animadvertat jamjamque senio fessam tellus torpescere, dum sibi credita sepe numero semina, inani spe delusos, reddendo parca manu, metentes decipiat. Villas quoque et rura quæ ab ipsis canonicis, litterarum testimoniis, semper visa sunt possideri adnotare malui, ut frigutientium linguas obstupescere faciam;

(83) Cod. B. *Requisitum avenæ et* IIII *denarios;* et sic inferius.
(84) Sic.

quorum alii insanis vocibus Bodasem Villam ejusque adjacentia ex episcoporum donariis,. alii quoque ex comitum largitionibus fuisse proclamando affirmant; set falluntur, nam episcopi fere omnes, sequentes Heliam qui temerario ausu et insatiabili vesania locum primus pervasit, et, sine bonitatis respectu, ejecta religione, nudavit, ejusdem morbo laboraverunt, atque præter paucos, ceca intentione, quæ potuere suis usibus retorsere. Inter quos Gislevertus præsul munificus emicuit, qui cernens in sæpe memorato Sancti Petri cœnobio modicum numerum monachorum, qui ex rebus angustis quæ ab ipso Helia relicta sibi fuerant et a paganorum frequenti infestatione depopulata, vix naturæ necessitatem explere valebant, bono usus consilio, depellere studuit, aut aliquatenus illorum paupertatem temperare; infra comprehensa contulit, ut libentius Domino famularentur, ac devotiores existerent. Ad thesaurum ipsius loci et ad luminaria ipsius æcclesiæ, sicut inveni in carta ab ipso scripta, delegavit mansum unum prope monasterio in ipso vico, in Maslaico mansa duo, in Calnaco mansa tria, in Campiniaco vineæ aripennes III, juxta æcclesiam vineæ duas partes aripennis; similiter et aliis in locis x aripennes vineæ terrasque arabiles. Set quia diu est quod a cultu discesserunt et ab hominibus deserta esse noscuntur, nomina eorum adnotare litteris frivolum esse duximus. Ad annuum diem peragendum quorumdam parentum suorum, in Maslaco duo mansa, in aliis locis VIII aripennes vineæ; ad cameram, in quodam loco mansa IIIor et dimidium, in Parido mansum unum et dimidium, in alio loco mansa duo, in Planca mansum unum, in Campiniaco vineæ aripennum unum et vineam unam juxta murum; ad domum infirmorum, in vico mansum unum et molendinum unum, in Campiniaco vineæ aripennem unum, in alio loco vineæ aripennes quatuor, super Aurosam hospitiola tria; ad hospitale, in Saliniaco mansum unum, in Guarenno vineæ aripennum unum et de terra arabili anzingas XV, in Gerillas quicquid habuit; ad cellarium, vineæ aripennes tres et dimidium; ad hortum, mansum dimidium; in Maslaco unum hospitiolum. Ad finem vero cartæ, hæc erant scripta: « Hæc, inquit, præter illa quæ habebant, largiti sumus fratribus opem postulantibus; et ut ea securius nostris futurisque temporibus possiderent, subscriptione propria roboravimus, fratresque et coepiscopos nostros, ut idem facere dignarentur obsecrantes, ad idem præstandum beneficium facile fleximus. Supplicamus autem omnes successores nostros, ut quod benigne a nobis actum est ipsorum quoque benivolentia conservetur, ut in divina retributione munificentiæ nostræ fiant participes. » Archiepiscopi Senonensis nomen vetustate exoletum in scriptum dimisimus. « Gislebertus, humilis Carnotensium episcopus, huic decreto a nobis facto subscripsi. Hildegarius, Meldensis æcclesiæ præsul. Æneas, Parisii episcopus. Folchichus, indignus episcopus Augustæ Tricorum. Cristianus, Autisiodorensis indignus episcopus, egrapsi (85). Aius, Aurelianensium episcopus. In Dei nomine ego Lupus, abbas Ferrariensis monasterii (86). » Hæc autem carta ideo est in fine libri conscripta, quia in quodam pitaciolo coopertura sero fuit inventa.

22. Post exitum denique Gisleverti præsulis, pagani transmarini, cum multa classe venientes, pene totam Europam flammis atque prædis ferroque crudeli depopulando vastaverunt; nam Lunensem urbem, ut retro affatim scripsi, dolo capientes, cruento ense utrumque sexum peremerunt, indeque, subversa urbe, levato artemone Affricoque flante, redeuntes Aquitanorum regionem atque Pictavorum juxta mare adjacentem, prædis et iniqua cæde depopulantes, intra partes Neustriæ navigantes, in portum fluminis Divæ applicuerunt. Jamque securi, relictis ibi navibus et variis prædarum manubiis, ad hanc urbem pernici cursu pervenere. Noctu denique, circumdata urbe et civibus ex improviso obsessis, barbari per mœnia ab hostibus persepe diruta ac per portas irruentes, obviantes sibi, sine differentia, ferro necaverunt, atque, intra matrem æcclesiam, non modicam plebem cum suo episcopo, nomine Frodboldo, canonicisque æclesiæ et monachis qui ad eandem æcclesiam confugerant, cruentis gladiis velut oves mactaverunt, urbeque depopulata atque succensa, læti et alacres, uti suæ libidinis compotes, dum ad rates relictas arbitrantur cum magnis copiis redire, interveniente beata Dei genitrice Maria, quam parvi penderant offendere, per os janitoris inferi ad inclementem barathrum una die, merita morte, descenderunt; nam Franci, antequam ad rates suas potuissent pervenire, congressi sunt cum eis, et opitulante Deo victoria ex eis potiti, per campos cadavera eorum trucidata avibus et feris corrodenda reliquerunt (87).

23. [Operæ (88) precium duxi huic orationi inserere obsidionem factam tempore Gancelini præsu-

(85) Pro ἔγραψα. De singulari signo hujus episcopi græcissantis, vide Mabillonium *De re diplomat.* l. VI, tab. 57.

(86) Ob ætatem qua vixerunt subscriptores videtur charta circiter ad a. 860 referenda.

(87) De ea victoria Francorum uberius codex B: *Nam Franci undecumque cumglobati, antequam barbari ad relictas naves adtingere potuissent, congressi sunt cum eis, et, Deo præsule, victoria ex eis potiti, sicut usque hodie aparet, per campos trucidata eorum corpora avibus et feris corrodenda reliquerunt. Populus denique qui effugere potuit gladium barbarorum, ad concrematam urbem regreditur, atque collegit busta crematorum, et in puteo quodam, intra ipsam æcclesiam sito, projecit; unde ipse puteus Locus Fortis a civibus usque hodie vocitatur, ubi jugiter meritis eorum quorum ibi cineres præstolantur cum Christo resurgere atque in cœlis cum eo regnare, ipso cooperante, multa fiunt mirabilia.*

(88) Hanc de Rollone digressionem, quam uncis inclusimus, solum dat codex B, codice A recentior.

lis, cum propter novitatem temporis, tum propter memorandum miraculum quod in ea patrare dignatus est Dominus Jhesus Christus, interventu ejusdem genitricis beatæ Virginis Mariæ. Nam transmarini pagani, quibus dux præerat Rollo, mare transmeantes in Neustriæ partibus, maximam terræ partem virtute belli invadentes, septem civitates jam obtinuerant : a quorum vocabulo eadem terra sortita est nomen. Ipsi enim a flatu Norici (89), Normanni vocantur : a quo nomine Normannia vocitatur. Visco itaque insaciabili avaritiæ laborantes, per Sequanam fluvium navigantes, Parisiacam urbem obtinere ambiunt. Qui cum desidua obsidione et armorum exercitione, incassum laborare cernerent, proras navium retro vertentes, obsidionem liquerunt. Itaque animi sui ambitionem ad urbem Carnotensem toto nisu verterunt. Ad quam per Sequanam remis currentes, in Givaldi fossa aplicuerunt. Ibi denique navibus relictis, præpeti cursu, ad urbem veniunt, eamque in circuitu obsidione vallant. Verumenimvero præfatus præsul venturam obsidionem divino relatu prænoscens, Pictavensem comitem venire sibi in auxilium mandat, ducemque Burgundiæ atque duos potentissimos Franciæ comites, qui, die constituto a præsule, pari voto cum exercitu maximo parati, Christiano populo auxilium ferre adsunt. Cumque pagani viribus et armis confidentes admodum insisterent, et civitatem capere festinarent, pontifex, die qua noverat supra dictos comites sibi venire in auxilium, valde diluculo jubet omnes suos armis muniri et ad portas ventum ire. Trahens itaque interiorem tunicam Dei genitricis Mariæ super portam quæ Nova vocatur, obtutibus paganorum obtulit portasque urbis aperuit, et Christianos fidenter præliare jubet. Tunc Christiani, ab omnipotente Deo viribus sumptis, fortiter pugnant. Pagani vero a Deo destituti, omnium membrorum viribus perditis, ex una parte a civibus mactantur, et ab alia parte a supervenienti exercitu velut agri fœni sternuntur. Ex quibus tanta cedes fuit, ut mortuorum cadaveribus aqua fluminis excluderetur, atque omnes pariter, ipsa die ultrici, gladio sternerentur, nisi ultimi cum A suo duce, præsidio fugæ, metis mortis carere potuissent. Unde factum est ut, jam sero facto, in monte Leugarum devenirent, ibi castrametati sunt atque de coriis animalium (90) se undique muniunt. Christiani vero eos insequentes, montem vallant, ut proxima die fugientes aggrediant. Quem (91) videntes pagani pavefacti, machinantur quomodo a periculo mortis se salvare possent. Elegerunt denique tres viros fortissimos qui latenter exirent de castris, longeque positi a castris canerent tubis. Qui cum abissent et tubis canerent, Christiani audientes veriti sunt ne pagani complices illorum venirent in auxilium. Tunc se colligentes in una parte, expectabant eventum rei. Pagani autem vi- B dentes locum fugiendi, paulatim silenter exeunt a castris, impedimenta omnia derelinquentes ; veloci cursu ad suas naves redeunt, indeque ad propria. Memoresque suæ confusionis atque detrimenti, nequaquam ultra addiderunt reverti ad urbem Carnotensem.

His ita omissis, ad domni Agani præsulis scripta vertatur pennula, qui locum a paganis destructum, divina opitulante Gratia, decenter restaurans, clerinomiæ seriem inibi Deo militaturam subrogavit, quadam portiuncula rerum olim loco pertinentium delegata, quæ corporum necessitatibus supplementa suggereret, atque procul expulsa rerum exterorum sollicitudine, clerus libera meditatione divinis insisteret laudibus. Unde dignum C duxi ad finem hujus epilogi cartas scribere editas ab episcopis Agano videlicet et Ragenfredo atque sancti Carauni abbate Gradulfo, de rebus datis vel redditis atque concessis sancto Petro ab eis, dum adhuc canonici loco deservirent. Deinde res possessas ab illis quas scriptas repperi in duobus rotulis, atque consuetudines quas ab agricolis accipiebant, quæ multum discrepant a consuetudinibus nostri temporis. Earum denique rerum cartas, vel nomina illorum qui eas largiti sunt minime inveni. Utrum autem vetustate abolitæ sunt, aut hostium igne crematæ, aut nunquam scriptæ, scribarum penuria, minime scio.

(89) Pro *northi*, q. e. septentrio.
(90) Cod. *animalium.*
(91) Ita cod. pro *quod*, mendose, ut videtur, etiam in hoc infimæ latinitatis stylo.

Explicit liber Haganonis vræsulis.

LIBER SECUNDUS

SIVE

RAGENFREDI PRÆSULIS

(Ab anno 954 ad annum 960.)

INCIPIT PRÆFATIO LIBRI RAGENFREDI.

In sequenti opusculo videor videre solummodo ad scribendum sufficere episcoporum atque abbatum scripta singulorum singula, ut quibus gradibus locus iste paulatim inoleverit, quantaque sollertia ejus utilitatibus quisque eorum insudaverit, facile prudens indagator agnoscat legendo. Quod autem ea quæ in priori scripto domni Ragenfredi præsulis, sine capitulis, reddita vel concessa esse invenerit, ideo actitatum est quia in primo opere capitulatim eadem sunt scripta ab ipso præsule semel canonicis similiter reddita vel concessa.

EXPLICIT PRÆFATIO LIBRI RAGENFREDI.

[*De rebus quas dedit vel reddidit Ragenfredus episcopus sancto Petro.*

(Circa a. 954.)

* « In (92) nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Ragenfredus, nullis extantibus meritis, sanctæ sedi Carnotinæ sublimatus antistes. Quotienscumque præcedentium patrum ad medium deducuntur exempla, sanis mentibus incitamenta sunt virtutum, informatio melioris vitæ, inoffensa progressio viæ mandatorum Dei. Divina autem quia sunt pleraque rationis incapabilia ammirationis, nonnunquam subeunt contemplativa. Unde ego Ragenfredus vocatus episcopus, cum a secularium negociorum tumultibus, quibus plus necessitate quam voto implicitus teneor, paululum animum expedissem, totum me intra me colligens, cœpi in ammirationem habere beneficia miserationis divinæ erga salutem stirpis humanæ; quemadmodum quos diligit vulnerando, medicabili dextra medetur, et paterno percutiendo affectu, salutis ac sanitatis prospera subministrat. Cujus clementiæ magnitudo, licet ubique terrarum se dignanter impendat, ut michi tamen videtur, præ reliquis, nostræ sedis diocesim suæ dilectionis amore dignam duxit, dum, exigente filiorum suorum peccaminum mole, ita eam verbere disciplinabilis correctionis submisit, ut efferam gentem paganorum quaquaversum cædibus, incendiis, depopulationibus debachari sine aliqua retractatione permiserit. Nullus honor impendebatur locis, voraci eos indifferenter flamma lambente, nulli dignitati, ætati vel sexui accedebant remedia parcendi, gladio impiissimæ A crudelitatis universa metente. Tunc omnia hujus episcopii destructa sunt igne, monasteria consumpta, æcclesiæ pene omnes funde tenus (93) dirutæ. Si qua vero eorum evasere manus, domesticæ oppressionis tam privatorum quam potentum senserunt detrimenta. Tandem prospiciens de excelso propitiatio superna, indoluit afflictorum lacrimis et gemebundis miserorum querelis, sicque, cœlis misericordiæ rorem stillantibus obsidioni pene protritæ urbis, divina se subveniendo, indulsit, dum post illorum bellorum validissimam oppressionem diu optatæ pacis gaudia arridere concessit. Interea non multo post, Agano, vir illustris, hujus æcclesiæ sublimitatis indeptus pontificatu, totam animi intentionem in reedificandis monasteriis restruendisque æcclesiis B dirigere sategit.

« Erat in suburbio jam dictæ urbis Carnotis celebre a priscis temporibus monasterium in honore principis apostolorum dicatum, regularibus disciplinis assuetum, set, præmissa vastatione, neglectum, vixdum in parvula æcclesia in canonica institutione transductum, cui, nostris temporibus, præerat venerabilis vir Alveus, quamvis sub scemate canonici; amator et cultor religionis, qui persæpe cum præfato pontifice tractare cœpit *qualiter quod* animo deliberabat, opere ad effectum perduceret. Quod superna annuente Gratia et antistis favorabili accedente in hoc suadela, sui compos effectus est voti. Præparatis siquidem inpensis, non parvæ jecit fundamenta fabricæ, et, procedente temporis spacio, C superposuit basilicam quantitatis amplæ, pulcritudinis operosæ, sicut in præsenti facile est cernere, ilicoque auctoritate pontificali canonicorum servitia inibi delegavit. His ita se habentibus, ultimo vocationis suæ diem præsule sortito, ego Ragenfredus, quamvis nullius meriti prærogativo, in hujus cathedræ fastigiatus sum solio; quo intronizatus, vigili meditatione cœpi animo conferre, si quid acceptum oculis divæ majestatis valerem offerre, et quod proficuum foret remedio animæ meæ. Ad quod, reor, non se difficulter obtulit materiei præbitio; namque pervidens præmissi Sancti Petri æcclesiæ clericos proclive se agentes, et, relicta spiritalis militiæ exercitia, mente et actu sectari terrea et caduca, et

(92) Hanc chartam habes editam, sed non sine omissione in *Gall. Christ.*, t. VIII, instr., col. 289 291. D

(93) Sic duo codices; sed legendum, *funda tenus*.

jamque dictu committere nefaria, cum consultu bonæ memoriæ prænominati Alvei, abbatem cœnobii Sancti Benedicti Vulfaldum accersivi, in quo, salvo discretionis bono, artius et perfectius religionis censura valere prædicabatur ab omnibus. Quo adventante cum quibusdam ejusdem ordinis comitibus una cum eo, in antiquitatis monasticæ observantiam sæpe dictum reformavimus locum.

« Quibus monachis, ne incusandæ egestatis penuria subiret occasio evagandi foras, quæcumque eidem loco a prædecessorum nostrorum aliorumque invasionibus injuste videbantur subtracta, tam ex beneficiis militaribus quam ex nostro indominicato, ut se temporis optulit ratio reddere studuimus; quanquam, vita comite, si facultas subpeditaverit pluriora reddere michi animus suggerit, quorum quædam huic pontificali privilegio, quædam aliis inserere ratum duximus.

« Reddimus itaque eis terram quandam a suis antecessoribus, priscis temporibus, possessam, postea malo ordine subtractam, quatenus illam pleniter possideant veluti illorum prædecessores eam tenuisse, multorum testimonio, comprobatur. Ipsa vero terra conjacet infra et extra muros Carnotis civitatis, juxta portam Cinerosam; terminatur vero ipsa terra uno latere, via quæ est exitus civitatis, altero vero latere terminatur terra Sancti Petri Pictavensis et Sancti Aniani : set terra Sancti Petri Pictavensis terminatur infra muros civitatis, terra vero Sancti Aniani infra et extra. Una fronte terminatur terra Sancti Petri Carnotensis via quæ ducit per medium civitatis usque ad murum; altera fronte, via foris portam quæ vadit ad ipsum monasterium. Commutavimus etiam, pro terra quam habebant in loco Belmontus, alodum Oidolonis, juxta supra terminatam terram in ipsa civitate, ante portam claustri Sancti Petri, in via quæ vulgo dicitur Merdosa; tantum eis restituimus de terra, unde exeunt solidi decem et octo, non longe a fossa Algisi, vinearum aripennos VIII; terram vero ad plantandum, juxta æstimationem, bonuaria octo. In ipso situ cœnobii dedimus eis hortum cum XV aripennis vinearum, et non longe a Luceiaco campum vacuum ad plantandum XXX aripennos. Facta est autem commutatio inter canonicos Sanctæ Mariæ et monachos Sancti Petri : ex ecclesiis ipsorum dederunt nempe canonici Sanctæ Mariæ æcclesiam Ursi Villaris cum uno aripenno de terra ad ipsam æcclesiam pertinentem, et acceperunt in Centriaco æcclesiam e contra cum dote. Dedimus etiam ex potestate Sanctæ Mariæ, in prædicta parrœchia Ursi Villaris, Germinionis Villam in pago Dunensi, cum XXX mansis cultis et incultis. In pago quoque Carnotensi dedimus æcclesiam quæ dicitur Immonis Villa cum novem mansis et dimidio; æcclesiam quoque de Alona dedimus cum tribus mansis et dimidio ad eam pertinentes; item capellam Sancti Victoris in villa quæ dicitur Vernus cum molendino uno, et post obitum Odulfi totam villam; item capellam in Mitani Villare. Has omnes æcclesias reddimus, eis concedentes decimas, et remittentes synodum et circadas; simul etiam et de æcclesia in Bodasi Villa, quam ipsi omni tempore tenuerunt, ita ut neque a nobis neque a successoribus nostris eis umquam ullo modo requiratur. Reddimus etiam illis in pago Carnotino, in villa quæ dicitur Britiniacus, mansos de terra VIII cum mansuris terris quoque cultis et incultis; in Campchiaco mansum unum cum mansuris, terris quoque cultis et incultis; in Cosentiaco mansum unum; in Emprani Villa et Concreciis quicquid ex ipsa potestate haberi dinoscitur; in Sancta Maria, super stratam mansum unum; in Spotmeri Villa mansum unum; in Magnerias mansos tres et dimidium; in Gondri Villa mansos VIII cum brogilo et pratis; in Cepido mansum unum; in Fontinido mansum unum, cum duobus aripennis de prato in Villeta conjacentibus; in Levesi Villa unum mansum; in Wadreio quartarium unum; in Teuvasio mansum unum; in Vallis mansum unum, cum pratis, aripennis scilicet novem; in monte Otrico molendinum unum, cum aripennis de prato decem; in Mandri Villa mansum unum; in Lotdreio mansum unum, cum molendino uno; in Bertoni Villare quartarium unum; in Saxna Villa, in eodem pago, mansos de terra duos; in pago Stampense, in villa quæ dicitur Malaredus, mansum unum; in Dunensi pago, in villa quæ vocatur Alpedagnus, æcclesiam unam cum omni terra quæ conjacet ibi ex ipsa potestate.

De cetero, sub pontificali excommunicatione auctorabili et anathematis condempnatione inevitabili, interminamus tam præsentibus quam cunctis insuper venturis seculis futuris, ut nemo antistitum, clericorum seu laicorum nullus, eos in omni molestetur negocio, non in exigendo decimas et circadas, quas alii paratas nominant, non in terrarum invasione nulla secularis dignitatis ambitio, ejus potestatis, homines distringere præsumat, non thelonea, non freda extorquere, non quaslibet vel minimas sibi suorumque servientium inrogare injurias; quin potius, remota inquietudine sollicitudinis, tranquillam in Dei servitio et in monachico proposito ducant vitam, memores, omni tempore, nostri nobisque commissæ æcclesiæ inter suorum tam privatarum quam et communium vota orationum. Quod si quis his episcopalibus decretis obviare præsumpserit aut irrita facere, æternæ maledictionis confodiatur jaculis et cum Juda proditore, Anna et Caipha, atque Pilato et, capite eorum diabolo, persolvat pœnas perpetuæ dampnationis, gehennalibus deputandus flammis, nisi resipuerit et ab hac intentione animum revocaverit. Ut autem hujus privilegii auctoritas inconvulsam perpetualiter obtineat firmitatem, tam nostra quam coepiscoporum manibus subterroborandam decrevimus. Actum Carnotis civitate, publice. Ragenfredus, Carnotis civitatis præsul, hujus auctoritatis paginam firmavit ac roboravit. Hildemannus, archiepiscopus Senonensis. Graulfus, abbas sancti Carauni. Arduinus, archiclavus. Teodericus, pre-

sbiter. Arcarius, presbiter. Adelandus, presbiter. Gauzzo, diaconus. Ardradus subdecanus. Radulfus, presbiter. Bernardus, presbiter. Gerardus, diaconus. Lambertus, canonicus. Aymo, Walleranus, Burchardus, milites subscripti inantea, postea firmaverunt. Joseph, archiepiscopus Turonorum. Constantius, Pariseorum episcopus. Gunhardus, Ebroicæ episcopus. Mainardus, Cinomannicæ episcopus. Mablo, Paulinani Britanniæ episcopus. Nordoardus, Redonensium episcopus. Tedbaldus comes (94). Hugo archiepiscopus, filius Tedbaldi comitis. Odo comes. Hugo, dux Franciæ. Hugo (95), filius ejus. Ledgardis (96) comitissa. — Sequenti tempore : Odo, episcopus Carnotensium. Ottho, comes Burgundiæ. Suggerius, decanus. »

Post obitum denique clarissimi viri Ragenfredi præsulis (97), qui hunc locum pio affectu in antiquo gradu desudavit ponere, atque in sancta religione studuit innormare, frater ejus Arduinus in episcopatu successit; set, sicut prædiximus, neque locum coluit, neque locupletare voluit; set quædam quæ a fratre suo largita fuerant, subtrahere non timuit. Unde de eo quod pagini (98) inseram nichil aliud habens præter quod inserui, nisi solum opus lamentabile quod priscorum relatione didici : obstrusum videlicet sibi episcopatus aditum, quem ut faceret pervium, abbatiam Sancti Martini de potestate episcoporum ejecit, comitumque habendam in perpetuo tradidit potestati.

Itaque, eo relicto, cum Aremberto quem, post beati Alvei excessum, patrem congregationi præfecit, ad venerabilem Widbertum transeundum est, quem Vulfaldus præsul abbatem sacravit; qui quantæ doctrinalis scientiæ vir fuerit, beati Emani passio quam decenti stilo composuit declarat; quantæque religionis extiterit, plurimorum fidelium donaria, quæ cartis inferius scriptis sunt adnotata, demonstrant : multi enim ejus sanctitatem agnoscentes ejusque sapientiæ sale verborum copia conditi, terrenas divitias vilipendentes, pro regni celestis aditu commutabant.

(94) Tedbaldus I, cognomine *le tricheur*, illius Tedbaldi qui urbem Carnotensem ab Hastingo emisse fertur filius, obiit anno 978, cum sæculum fere integrum vita sua adæquasset, unde etiam dictus *le vieux*.

(95) Hugo Capito, Hugonis Magni filius.
(96) Tedbaldi I uxore.
(97) Obiit circa a. 960.
(98) Leg. *paginis* vel *paginæ*.

LIBER TERTIUS (99)

SIVE

WIDBERTI ABBATIS

(Ab anno 965 ad annum circiter 980.)

CAPITULUM PRIMUM.

De ecclesia Sancti Georgii sancto Petro data (100).

(Anno 965.)

« Auxiliante (101) Christo domino et salvatore nostro, Walterius (102), comes Dorcassini comitatus. Notum esse volumus omnibus sanctæ Dei æcclesiæ fidelibus tam presentibus quamque futuris, quia adiit nostram præsentiam nobilis vassallus Teodfredus, postulans ut assensum ei præberemus super quandam æcclesiam beneficii ipsius, videlicet in honore sancti Georgii consecratam, quam ipse tradere disponebat monasterio Sancti Petri Carnotensis ubi præesse videtur Guibertus (103), humilis abbas. Siquidem eandem æcclesiam expetierunt ab eo monachi sancti Petri omnes in commune tradi sibi donatione perpetua, tali ratione et convenientia quali inter eos deliberatum est. Considerans igitur salubrem ejus petitionem, ejus voluntati libentissime annui, maxime propter animæ meæ remedium parentumque meorum et prædecessoris mei Landrici (104) comitis; quod simili de causa confirmavit se idem facere Teodfredus, pro obtentu veniæ suorum parentumque peccatorum. Ad cavendam autem (quod minime credimus) subsequentium inimicorum calumniam, causa recognitionis, singulis annis, missa sancti Remigii quæ evenit kalendis octobris, trium solidorum pensionem solvere eis statuimus. Quod si quis contra hanc donationis traditionem venire temptaverit, aut aliquam calumniam ullo umquam tempore inferre voluerit, æcclesiastica

(99) Sequentium librorum desunt in codice numeri et nomina; quæ adjecimus ex indicibus capitum cuique novo abbati rursus incipientium. Inde, post duos primos libros Aganoni et Ragenfredo episcopis ab auctore dicatos, sequentibus sex (sicut ab ipso auctore clare dividuntur) abbatum nomina imponenda putavimus.

(100) Apocryphum sine dubio diploma. 1° Hic comes Walterus prædium donat non sui, sed Richardi dominii; 2° post comitem subscribit Richardus, vassalli instar; 3° nunquam Richardus *dux* audiit, sed *marchio Northmannorum*, ut videre est in diplomatibus Lotharii regis et Joannis XIII papæ.

(101) A : *Auxiante*.

(102) Walterius I, comes Dorcassinus et Velcassinus, comitis Walerani filius, S. Dionysii advocatus, cujus ante hanc chartam nulla mentio est in historia, alia deinde largitus diversis monasteriis, vivebat adhuc anno 987.

(103) Vide Hist. litt. Galliæ, t. VI, p. 406-421, in GUIBERTO abbate.

(104) Landricus ille, comes Dorcassinus, pater erat Evæ, Walterii I uxoris, ex qua Walterius comitatum Dorcassinum tenebat, cum ex patre comes Velcassinus, ex matre autem Eldegarde Ambianensis jam esset.

dampnetur auctoritate, et episcopali percutiatur excommunicationis anathemate; nobis autem nostrisque successoribus, socio fisco coactus, v libras auri cocti emendando persolvat; monachis autem nullo umquam tempore usque in finem seculi nichil aliud exinde requiratur, nisi quod supra scriptum est. Itaque ut hæ notitiales litteræ stabilem et inconvulsam obtineant firmitatem, tam manu nostra quam Richardi ducis in cujus comitatu esse videtur, quam etiam nobilium laicorum, subter roborare decrevimus. Actum Ebroico comitatu, publice. Signum Walterii comitis, hujus cartulæ auctoris. S. Teodfredi militis. S. Richardi ducis. — Anno ab Incarnatione Domini DCCCC° LX° V°. indictione VIII^a, regnante Clothario rege anno XI. Scripta est hæc donatio a levita Germano. »

CAPITULUM II.

De commutatione terrarum inter monachos Sancti Petri et Ingelerium.

(8 Mart. 967.)

« In nomine Domini et Salvatoris nostri Jhesu Christi. Placuit atque convenit inter monachos Sancti Petri Carnotensis cœnobii, quibus præesse videtur Wibertus abbas, et quendam virum nomine Ingelerium, ut terras suas commutare deberent; quod et ita fecerunt. Dederunt itaque in primis monachi jam dicto Ingelerio in Piei Villa, et in Sirei Villa, et Adorlei Villa, et Atellei Villa, et Abassinei Villa, quicquid ibi visi sunt habuisse. E contra dedit Ingelerius monachis Sancti Petri villam Septem Modiolos nuncupatam, cum silvis et campis et omnibus ad eam pertinentibus. Terminatur ipsa terra, ex una parte, terra Sanctæ Mariæ; ex altera, terra Sancti Martini; tertia parte, terra ipsius Sancti Petri; quarta parte, terra Tetmaris. Ea ratione hæc commutatio facta est ut ab hodierna die unaquæque pars de jam dictis faciat quicquid voluerit, et ut ipsa commutatio firma et stabilis permaneat, placuit exinde hanc cartam fieri et propriis manibus corroborari. Actum Carnotis, publice. Signum Wiberti abbatis. S. Herimanni decani. S. Gisberti. S. Norboldi. S. Germani. S. Warengaudi. S. Eberti. S. Durandi. S. Alvei. S. Odonis. S. Bernardi. S. Aimonis. S. Fulcuini. S. Tedberti, monachorum.

« Data VIII Idus Marcii, anno tercio decimo regnante rege Lothario.

« Waldricus notharius, rogatus, scripsit. »

CAPITULUM III.

De area duorum molendinorum Falesiæ ab Ardrado canonico censualiter empta.

(12 Maii 768.)

« (105) In Christi nomine, Eirveus, qui abbatiam sancti Carauni per largitionem domni Odonis episcopi tenere videmur. Notum esse volumus cunctis successoribus nostris et reliquis Christianis fidelibus qualiter cuidam canonico Sanctæ Mariæ, nomine Ardrado, et duobus fratribus suis Benedicto atque Magenfredo, quandam aream duorum molendinorum cum ipsis molendinis ab Alcario suo avunculo constructis, consentiente seniore nostro Odone, per manum firmam censualiter concedimus. Est autem ipsa area in pago Carnotino, super fluvium Auduram, in loco qui dicitur Faliza, cum uno manso de terra, qui conjacet in valle sancti Carauni et in alio loco qui dicitur a Lupo Vulto. Hanc itaque aream, cum molendinis et prædicto manso de terra, ita eis ad censum concedimus, ut desuper securi edificent et, annis singulis, in festivitate sancti Carauni, quæ est V Kalendas Junii, in censum solidos X persolvant. Si de hoc negligentes extiterint, legaliter emendent, et molendinos et terram non perdant; set habeant licentiam vendendi vel dandi cuicumque voluerint, ita ut venditiones et census ad seniorem perveniant, eisque amplius non requiratur in censum, nisi quod superius est insertum. Quatinus autem hæc carta firmior sit, manu propria eam firmavimus et seniori nostro ejusque fidelibus roborandam obtulimus.

« Actum Carnote. Signum Odonis, præsulis. S. Suggerii, decani. S. Eirvei, qui hanc cartam fieri jusit. S. Alcherii, presbiteri. S. Otbaldi, presbiteri. S. Evrardi presbiteri. S. Widonis, levitæ. S. Teduini, levitæ. S. Johannis, levitæ. S. Rogerii. S. Dolionis, majoris.

« Data III Idus Mai, anno XIII regni Clotharii regis. Grimuinus scripsit, ad vicem Suggerii. »

CAPITULUM IV.

Item qualiter eadem area ad monachos Sancti Petri devenerit.

(27 Jun. 971.)

« In Christi nomine, Odo gratia Dei Carnotensium humilis episcopus. Notum esse volumus cunctis successoribus nostris et reliquis Christi fidelibus, qualiter cuidam canonico Sanctæ Mariæ et nostro, nomine Rodberto, quandam aream duorum molendinorum, pertinentem ad abatiam Sancti Caurauni, cum ipsis molendinis quos de Ardrado, proprio sumptu, comparavit, per manum firmam censualiter concedimus. Est autem ipsa area in pago Carnotino super fluvium Auduram, in loco qui dicitur Faliza, cum uno manso de terra, qui conjacet in valle Sancti Caurauni, et in Dorulfo Monte, et in alio loco qui dicitur Lupo Vultus. Hanc itaque aream, cum molendinis et prædicta terra, ita præfato Rodberto ad censum concedimus, ut desuper securus edificet et, annis singulis, missa sancti Carauni, in censum solidos X persolvat. Si de hoc negligens fuerit, legaliter emendet et aream non perdat, set quandiu vixerit teneat; post obitum quoque suum eosdem molendinos fratribus et monachis Sancti Petri derelinquat, ut pro sua anima et matris suæ Ermentrudis Deum jugiter exorent et seniori ejusdem abbatiæ, sicut supra dictum est, solidos X persolvant. Quatinus autem hæc carta firmior sit, manu propria eam firma-

(105) Hæc carta deest in cod. B.

vimus et fidelibus nostris roborandam obtulimus. Signum Odonis, Carnotensium præsulis. S. Suggerii, decani. S. Evrardi, presbiteri. S. Rogerii, levitæ. S. Ardradi. S. Teduini. Actum Carnote, publice. Data v Kalendas Julii, anno xvii regni Clotharii regis. »

CAPITULUM V.

De terra vineali quam dedit Odo præsul juxta brogilum episcopalem, et de Placentiaco Villare.

(5 Febr. 974.)

« Venerabilis et Deo amabilis Odo, pontifex æcclesiæ Carnotensis, dum in conventu nobilium clericorum et laicorum consedisset, cœpit, prudenti ratione et canonica auctoritate, tractare de statu commissæ sibi sanctæ æcclesiæ, et ministros quibus æcclesiarum commissarum a se cura transfusa fuerat, sagaci adhortatione monere, ut in sibi commissis æcclesiis, diligentissimis invigilarent excubiis et sanctæ religionis cultum inreprehensibili functione exequerentur. Cumque et alia multa profluo sermocinaretur eloquio, tandem ventum est ad cœnobium Sancti Petri, situm in suburbio Carnotinæ urbis, jam olim a monastica institutione, quibusdam ex causis, depravatum et canonicali sub regimine redactum, set nuperrime ab antecessoribus suis præsulibus pristinum monasticæ religionis reformatum esse gradum. Qui et eidem loco, prout tempus dictavit et ut possibilitas se obtulit, in stipendiis monachorum unde adhuc sustentantur, in elemosina obtulerunt; essetque eorum deliberatio inpendere pluriora, nisi subtracti fuissent funere mortis invidæ. Cumque hæc et nonnulla alia erga eundem locum beneficia ab eisdem antecessoribus exhibita, auribus sancti antistitis promulgata essent, ille, eorum exemplis incitatus, quin potius divinæ pietatis gratia tactus, respondit narrantibus, non minori affectu jam pridem circa idem cœnobium se teneri desiderio, seque alia ex parte ad efficientiam perduxisse, nisi quæ omnibus notæ sunt, officientes sibi emersissent causæ. Interea ut hæc deliberationis voluntas omnibus ex parte nota fieret, dedit ad eundem locum terram vinealem xx solidorum, quæ est proxima civitati Carnotinæ, sitam ad septemtrionalem plagam, juxta brogilum episcopalem. Terminatur, ex una parte, terra de eadem potestate; altera parte, terra canonicorum; tercia parte, terra Sancti Mauricii; quarta vero parte, terra (106) via publica quæ ducit ad civitatem. Dedit etiam quandam villulam ex toto sitam in Belsia, nomine Plascentiacum Villarem, ut omni tempore utrumque possideant : tantum ut ipsius memoriam habeant in suis sacris orationibus. Si quis autem hanc donationem irritam facere voluerit aut adnullare, perpetua excommunicationis detrimenta tam ab ipso quam ab coepiscopis ipsius incurrat, sociatus diabolo et angelis ejus, et cum his qui mittendi sunt in stagnum ignis æterni, ubi vermis non moritur et ignis non extinguitur. Sit illius perditio cum Juda proditore; sentiat dampnationem cum Dathan et Abiron quos viventes terra absorbuit; perseveret super eum illa perpetualis divinæ ultionis indignatio qua dampnabuntur illi quibus dicetur in judicio : *Discedite, maledicti, in ignem æternum qui paratus est diabolo et angelis ejus.* Amen. Ut autem hæc donatio perpetuam et inconvulsam obtineat firmitatem, tam manu domni episcopi, quam totius æcclesiæ subter roborari ex animo dignum visum est. Odo, Carnotensis æcclesiæ præsul, firmavit. Suggerius, decanus. Salico, ypodecanus. Suggerius, claviger. Lambertus, archidiaconus. Rodulfus, præcentor. Wido, archidiaconus. Alcarius, præpositus. Alto præpositus. Bernardus, præpositus. Erembertus, archidiaconus. Hilduinus, subeditus. Waracco, presbiter. Ardradus, presbiter. Ebroinus, presbiter. Isaac, presbiter. Wenilo, presbiter. Humbertus, levita. Winemandus, levita. Hildegarius, levita. Eirveus, levita. Johannes, levita. Teudo, levita. Gauzbertus, miles. Fulcarius. Romaldus. Uebertus. Hugo. Albertus. Salo. Gilduinus. Grimvinus, indignus sacerdos, scripsit. Data Nonis Februarii, anno xx Hlotarii regis (107). »

(106) Expungenda, ut videtur, vox *terra*.

(107) Publici juris facta est charta in *Gall. Christ.*, t. VIII, instr., col. 292.

(108) Videat prudens lector ubi sit terra vinealis quam juxta brogilum suum dedit Odo præsul; quia nec terra a quoquam nostrorum scitur, nec brogilus alter noscitur, nisi qui videtur fuisse juxta Baliolem villam.

CAPITULUM VI.

De ecclesia Baliolis villæ vendita Geraldo canonico.

(Ante a. 977.)

« In nomine Domini, Odo, Carnotensium humilis episcopus. Notum esse volumus omnibus Christi fidelibus qualiter veniens quidam canonicus noster, nomine Geraldus, ad nostram præsentiam, deprecavit ut sibi ac uni hæredi æcclesiam ex villa nostra quæ appellatur Baliolus, in honore sancti Stephani dicatam, in Carnotensi pago sitam, per litteras firmitatis concedere dignaremur. Nos itaque petitioni ejus assensum dantes, cum communi consilio et voluntate fidelium nostrorum clericorum sive laicorum, concedimus eis jam dictam æcclesiam, ita ut, Deo præsidente, nostris futurisque temporibus sic eam possideant, regant atque disponant, velut in ea per omnes gradus ordinati forent, nullusque eos inquietare ac inde removere præsumat, nisi (quod absit) a tramite deviaverint veritatis; verum tamen secundum canonicam auctoritatem eam libera potestate regant atque disponant, annisque singulis, in festivitate sanctæ Mariæ, quæ est vi Idus Septembris, in censum solidos v persolvant eisque amplius non requiratur in censum, nisi quod superius est insertum. Et ut hæc auctoritas firma permaneat, manu propria eam firmavimus et fidelibus nostris roborandam tradidimus. Actum Carnote, in æcclesia Sanctæ Mariæ. »

(108) Deest hæc notula in codice B, ubi tantum legitur : *Hanc donationem postea sibi extorsit Rodulfus præsul.*

CAPITULUM VII.

Item de eadem ecclesia qualiter ad Sanctum Petrum devenerit (109).

(Febr. 977.)

« Neminem ortòdoxæ fidei et Catholicæ professionis latere usquequaque credimus quanta excellentia tam in præsenti quam in futuro polleant qui, pro nomine Christi, ex propriis facultatibus aliquam largitatem sanctis et fidelibus ejus hilari animo præbent, cum Dominus dicat : *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis*, et iterum : *Date et dabitur vobis.* His et cæteris documentis bene instructæ, et Spiritus Sancti flamine interius illuminatæ, ego Godeleva et compar mea tam ætate quam gratia, nomine Clementia, quandam æcclesiam quam taxato precio a quodam canonico dicto Geraldo, cum consensu eximii pontificis domni Odonis Carnotinæ civitatis, emimus, sancto Petro apostolorum principi, pro absolutione peccaminum nostrorum, quam illi Deus tam in terris quam et in cœlis merito concessit; et pro remedio animarum nostrarum, donamus et datum esse volumus, a præsenti die et in omni tempore. Vocatur autem præfata æcclesia Baliolus. in honore sancti Stephani dicata, in Carnotensi pago sita, ut monachi Domino et sancto Petro sub regulari tramite inibi famulantes teneant atque possideant. Eo autem tenore præfatus præsul pia devotione concessit, ut memoria illius, tam in orationibus quam in missarum psollemniis perpetuo celebretur, et ut omnibus annis in censum persolvant denarios XII, absque synodo et circada. Si quis vero successorum ejus contra hanc donationem, avaritiæ æstu succensus, venire temptaverit et irritam facere, salvo gradu pontificali, Deo et sancto Petro rationem reddat in extremi judicii die pro tanta præsumptione. Et ut hæc donatio firma permaneat, eam subterfirmavimus et fidelibus ejusdem æcclesiæ nostræ, tam clericis quam laicis, roborandam obtulimus. Actum Carnote, publice. Odo, gratia Dei Carnotensis præsul, propria manu firmavi. Odo comes. Suggerius, archiclavus. Rodulfus, præcentor. Salico, subdecanus. Atto, præpositus. Wido, præpositus. Alcarius, præpositus. Vitalis. Teudo. Romoldus. Rodbertus; et alii. Data in mense februarii, anno XXIII regni Hlotharii regis. Grimvinus, levita, scripsit. »

(110) Quandiu vixit vir iste venerabilis, præsul Odo, firmiter monachi possederunt præfatam ecclesiam, quam sibi religiose sanctimoniales feminæ emerant; verum, ubi exivit ex hac vita, Rodulfus præsul loco ejus subrogatus, avariciæ æstu succensus, et ecclesiam et res ceteras, quas repperit ab episcopo datas Apostolo, suis usibus usurpare non timuit.

CAPITULUM VIII.

De Greseico (111) *regali sede, et de Fontimido, et de Limaio, datis Sancto Petro a nobilissima Letgarde comitissa.*

(5 Febr. 978.)

« Mirabiliter (112) laudabilis et laudabiliter semper mirabilis provida dispensatio Conditoris nostri, a primordialis exordio mundi, qui redemptis sui sanguinis precio, et, sacri baptismatis ablutione, originali mundatis crimine, prævidens et præsciens post ista omnia nec unius diei spatio a qualicunque peccato quempiam vivere inmunem, nec humanæ corruptiónis labem posse evadere, contulit multa animæ salutis remedia, quibus non solum vitiorum curantur morbida, set etiam beatæ inmortalitatis adquiruntur gaudia; inter quæ, elemosinarum plurimum valet largitas, cui non solum plurimorum patrum astipulatur auctoritas, set etiam ipsius voce Domini laudatur beata dicentis : *Dimittite et dimittemini, et quæcumque feceritis uni ex minimis meis, michi exibebitis.* Super his etiam quidam sapiens dicit : *Redemptio animæ viri, propriæ divitiæ ejus;* et illud : *Date elemosinam, et omnia munda sunt vobis;* et multa his similia inveniuntur in dando elemosinam ad hortationem præcipua, in quibus longum est ire per singula. Talibus instructa exhortationibus præcedentium Patrum non improbanda devotio, utpote filii ecclesiæ multis prædiorum suorum reditibus eandem dotaverunt ecclesiam, et multa ei contulerunt, variis necessitatibus profutura, quibus per quadrifidum decoratur orbem et rerum opulentia dilatatur, gaudet et exultat. Horum ego Ledgardis (113) exempla secuta, instinctu divino ammonita, proposui in cordis mei secretario, quatinus de prædiorum meorum possessionibus hereditariam facerem sanctam Dei ecclesiam. Verum, quia beato Petro apostolo specialiter collata est potestas solvendi atque ligandi a Domino, ut quodcumque solverit et ligaverit in terris, solutum et ligatum sit statim in cœlis, nullum melius censui michi consulendum et pro peccatis meis, aput eum quem tanto dilexit amore, misericorditer intercedendum. Ergo tam pro meis criminibus veniam impetrandis quam pro nobilissimi senioris mei atque gloriosi comitis Tedbaldi, ut utrisque Dominus indulgere dignetur omnium peccatorum remissionem, consentientibus omni honore dignissimis, archipræsule scilicet Hugone et excellentissimo comite Ödone, filiis meis, cedo ad locum Sancti Petri Carnotensis æcclesiam in honore apostolorum principis clavigerique regni cœlorum, Petri, consecratam, in loco qui dicitur

(109) B : *De æcclesia Baliolis villæ, quam Rodulfus præsul Sancto Petro abstulit.*

(110) Quæ sequuntur desunt in codice B.

(111) A, in indice, *Giseico.* B. *Jesiaco.*

(112) Exstat, nonnullis prætermissis, in *Gall. Christ.*, t. II, instr., col. 7, apudque Ph. Labbe, *Alliance chronol.*, t. I, p. 379.

(113) Heirberti, comitis Tricassini, filia, primis nuptiis Guillelmum Longa Spata dictum, Normanniæ ducem, secundis vero Tedbaldum *le Tricheur*, comitem Carnotensem, maritos habuit. Inter principes qui pietate monasterium Sanpetrinum ditaverunt, facile primum locum obtinet hæc comitissa.

vulgariter Gizei, cum villa eodem vocabulo dicta A Gizei, cum mansis XVI, cum terris cultis et incultis, hospiciis, pratis, vineis, aquis aquarumque decursibus; in alio quoque loco quandam potestatem, vocabulo Fontenedum, cum ecclesia in eadem potestate posita, cum masingilis (114) et vineis, et cum omni integritate ad ipsum pertinente; et item in alio loco, in villa quæ, lingua rustica, nominatur Limais, quantumcumque ad me videtur pertinere. Sunt autem præfatæ res in pago Velcasino super fluvium Sequanæ. Hæc omnia, ut præscriptum est, trado et traditum esse volo in perpetuas æternitates. Si quis vero contra hanc donationem nostram (quod absit) venire aut eam infringere temptaverit, aut aliquam inferre calumniam, Dei omnipotentis indignationem inrecuperabiliter, B nisi cito resipuerit, incurrat et æternaliter infernalibus detrudatur cruciatibus, ubi vermis qui nunquam moritur ejus conrodat carnes, et ignis qui nunquam extinguitur ejus semper pascatur cruciatibus. Ut autem hæc donatio inviolabilem obtineat firmitatem, manibus propriis eam firmavimus, et fidelium nostrorum manibus roborandam decrevimus. In calce quoque hujus scripturæ intimare volui quia, sicut pro anima mea omnia prefata Christo et beato Petro apostolo monachis famulantibus, in eorum usibus, concessi, ita pro anima patris mei Heirberti, Trecassini comitis qui michi præfatas res in hereditatem dedit atque concessit.

« Odo comes. Hugo, sanctæ Biturigensis æcclesiæ archiepiscopus. Odo, Carnotensis præsul. Ledgardis comitissa, quæ hæc largita est. Emma comitissa Pictavæ urbis. Landricus. Hilgaudus. Suggerius. Rotrocus. Arduinus. Ucbertus. Fulcherius. Teudo. Widgerius. Erembertus. Hugo de Aloia. Gelduinus. Avesgaudus. Isaac.

« Huic maternæ donationi iccirco ego Hugo, primorum primus archipræsul, et Odo comes ditissimus, assensum præbuimus, ut cotidie, exceptis feriatis diebus, psalmus nobis a fratribus prænominati loci, *Inclina*, *Domine, aurem tuam*, decantetur et memoria nostri assidue fiat in officiis matutinalibus, quandiu superstites vixerimus; post excessum vero nostrum anniversaria dies nostrorum officiosissime cum antiphonis et responsoriis, interpositis D lectionibus consuetudinariis et missarum psollempniis, celebretur. Adsit etiam ita pro nobis laborantibus fratribus copiosus in cibo et potu eadem die apparatus. Et hoc memoriale nostrum nulla oblivione deleatur, dum duo fratres supervixerint in generatione generationum, ante Déum et sanctum Petrum, ejusdem loci custodem et protectorem continuum. Data nonis februarii die, regnante Lothario rege, anno XXIIII, propiciante Domino. »

CAPITULUM IX.

De alodo in Probata Villa a sanctimonialibus empto.

(16 Aug. 979.)

« Ego in Dei nomine Ledgardis, devotissima atque fidelissima famularum Dei. Notum sit omnibus orthodoxæ et catholicæ æcclesiæ fidelibus, quod ego ipsa et quædam alia Deo sacrata, nomine Godeleia, michi tam corpore quam anima conjuncta, quendam alodum, conventione habita, emimus a quodam viro, nomine Othberto, totum et ad integrum, quidquid jure hereditario tam ab avis quam attavis illi derelictum atque dimissum est, in villa quæ communi vocabulo Probata Villa dicitur, taxato prout oportunum fuit precio, in comitatu scilicet Carnotensi; ea ratione ut ab ejusdem persona et jure in B nostram, ab hodierna die et in reliquum ævi terminum, transeat dominationem atque potestatem. Est autem hæc emptio tali tenore et devotione habita, ut, quandiu superstites fuerimus, in nostræ voluntatis dispositione maneat; post depositionem vero nostram, in potestate et dominio Sancti Petri, in suburbio Carnotis constituti, et fratrum inibi Deo famulantium, cum omni integritate et absque ulla opposita persona hoc calumnianti, transeat atque dirivetur. Hanc autem cartam, ut firmior veriorque credatur, manu propria manibusque fidelium sanctæ Dei æcclesiæ roborari fecimus. Actum Carnotis, publice. Odo comes. Conamus comes Brittanniæ. Landricus. Arduinus. Rodbertus. Erchembaldus clericus. Teduinus. Data XV Kalendas Septembris, anno XXV C regni Clotharii regis. »

CAPITULUM X.

De VI *aripennis vineæ beati Sigemundi presbiteri.*

(Feb. 981.)

« In (115) nomine Cunctipotentis. Fulcherius, qui abbatiam Sancti Leobini, quæ est in suburbio Carnotis, per largitionem senioris mei Odonis comitis tenere videor, notum esse volo cunctis successoribus meis qualiter aripennos VI et amplius de vinea, ex potestate supradicti Sancti Leobini, Sigemundo presbitero, cum duobus monachi Sancti Petri, Petro et Durando, per manufirman censualiter concessimus. Terminatur ex duabus partibus de ipsa potestate, et de aliis partibus viis publicis. Per hanc vero cognitionem ita eis ad censum concedimus, ut hanc terram firmiter teneant et possideant, et annis singulis in festivitate sancti Leobini, quæ est septimo decimo kalendas octobris, in censum solidos III denarios V persolvant; et si de hoc negligentes fuerint, legaliter emendent, et vineam non perdant; set habeant licentiam vendendi vel dandi cuicumque voluerint, ita ut venditiones et census ad seniorem veniant. Ut autem hæc carta firmior sit, manu propria eam firmavi, et seniori meo ejusque fidelibus roborandam obtuli. Actum Carnotis, publice. Odo comes. Fulcherius abbas. Vivianus. Rodbertus. Teudo. Evrar-

(114) *Massingelum* idem videtur ac *Masgnellum*, de quo vide Du Cange, *Glossar.* in voce.
(115) Extat in *Gall. Christ.*, t. VIII, inst., col.293.

dus. Odo. Data in mense Februario, anno XXVII regni Clotharii regis. »

Hic beatissimus vir Siemundus (116), in prescripta manufirma, secum duos monachos Sancti Petri ideo ponere voluit, ut, si forte mors eum præveniret antequam votum almiflui sui desiderii complere potuisset, saltem quamdiu superstites isti fuissent, vineam Sanctus Petrus possideret. Set quia Deus pia vota sibi placentium semper respicit, et ut digna mercede remuneret ad effectum pertrait (117), vir magnificus, antequam migraret a seculo, sicut in sequentibus patet, peregit ut beatus apostolus de eadem vinea perpetuus fieret heres. Quantæ vero bonitatis vir fuerit, quantæque sanctitatis vita ejus cunctis adornata virtutibus, tam in clero quam in populo, clarius luce cunctis innotuit. Fuit enim fide igneus, sermone jocundus, castitate egregius, humilitate præcipuus, consilio providus, elemosinis largus, lectioni intentus, orationi assiduus, omni honestate morum præclarus. De cujus miraculis quæ vivens in corpore edidit, vel quæ a veris didici relatoribus, in hoc opusculo intexere curavi, ne in futuro de talento michi credito et in secreto posito a Domino reprehendar quasi piger et iniquus servus. Verum, ne notarii metas videar transgredi atque historicorum latam ingrediar viam, duo tantum de eodem beato sacerdote miracula dicam.

Quadam denique die, dum ex more in æcclesia almæ matris Domini adesset cum clero, et inceptæ missæ finem prestolaretur, echonomus ejus ibi accurrens, silentio ei nonciavit privatæ familiæ victum non solum in apotecis suis defecisse, sed quid indigentibus largiretur pœnitus non haberi. Nam mos beati viri in omni vita sua extitit ut a domo ejus numquam pauper vacuus rediret. Cumque, expleto ex integro opere Dei, ante altare Dei genitricis Mariæ, flexis genibus, parumper tacitus Dominum exoraret, muniens se crucis signo atque surgens ab oratione, domum rediit. Qui, accercito echonomo, « Vade, inquit, aperi michi omnes domus apothecas. » Quæ ut apertæ sunt atque ab eo signo crucis signatæ, ilico, Creatoris nutu, ita fuerunt plenæ inventæ quasi a presenti autunto (118) fuissent inpletæ, statimque convocans echonomum, « Noli, inquit, esse in dando sollicitus : timentibus enim Deum nichil deest; set largiter quæ gratis Dominus nobis peccatoribus largiri dignatus est, manibus pauperum repone. Non enim hæc deficient donec, novo anno redeunte, novis supervenientibus, vetera projicies. » In quo facto illius prophetæ non impar esse videtur, qui lechitum olei ac pugillum farinæ prædixit non minui, donec infunderet Dominus suam benedictionem super terram (119). Denuo comes civitatis Odo, longe lateque famosissimus, dum quadam vice esset pransurus et a pincernis per opidum obtimum vinum sibi quereretur, didicerunt a quibusdam quod in cellario beati Siemundi honorarium vinum venundaretur. Qui gaudio repleti ad domum viri sancti præpetes currunt, ausuque temerario cellarium intrant, atque ex vino utres omnes implere accelerant, et impletos ad curiam reportant. Interea vir Dei ab æcclesia regreditur. Cumque adhuc pincernarum magister in cellario cum quibusdam adesset, hominem Dei illic intrantem subsannando interrogans infit : « Domine, dic michi istud vinum utrum valde sit obtimum, an non? » Cui vir beatus blando sermone respondens dixit : « Frater, in promptu illud habes; non est tibi necesse ut per alium discas quod, te magistro, quam cito potes experiri. » Qui cum sibi sciphum quo biberet dari requireret, ait ad eum rursum vir beatus : « Nequaquam, in alio vase melius illud invenies quam in illo in quo trahitur. » Cumque ille miser cantarum ad os ut biberet posuisset, ita statim a morbo paralisy est percussus, ut spumans ad terram caderet, et omnium menbrorum penitus officio careret. Qui ilico armigerorum manibus in curia delatus, a militibus circumvallatur et a multis plangitur. Deinde comiti nonciatur. Qui cum didicisset rem quare hoc ei accidisset, accersiri fecit beatum Siemundum. Qui cum venisset, pro injuria ei facta jussit comes eorum oculos erui qui violenter de domo ipsius vinum absportaverant, idque in domum confestim reportari. Cumque vir beatus comitis animum vidisset admodum bile succensum, non prius ab eo discessit donec comitem verbis almifluis ab ira revocaret, et reos a pœna liberaret, et vinum ut comes biberet munere charitatis obtineret, atque ipsum pincernam paralisi percussum fusa oratione pristinæ sanitati redderet. His ita patratis, ab omnibus magnis attollitur laudibus; pennulaque mea, parum ab ordine digressa, ut in eo redeat scalpello comitur.

CAPITULUM XI.

De VI *agripennis vineæ supradictis a Siemundo canonico Sancto Petro datis.*

(Ante a 986.)

« In nomine Cunctipotentis. Fulcherius, qui abbatiam Sancti Leobini, quæ est sub urbe Carnotis, per largitionem senioris mei Odonis comitis tenere videor, notum esse volumus cunctis successoribus nostris præsentibus et futuris, quia agripennos VI vineæ et amplius Siemundo presbitero atque canonico, et post excessum ejus Sancto Petro Carnotensi et monachis ejus, per manufirmam censualiter concedimus. Terminantur autem ex duabus partibus terra de ipsa potestate, de duabus aliis partibus viis publicis. Per hanc vero cognitionem ita ad censum eis concedimus, ut hanc terram usque ad crucem firmiter teneant et perpetuo possideant, annisque singulis in festivitate sancti Leobini, quæ est XVII kalendas Octobris, rectori ejusdem terræ solido III denarios V incunctanter persolvant; et si ex hoc

(116) A : sic.
(117) Ita codd.
(118) B : *autumno*.
(119) Reg., l. III, c. XVII, §§. 12, 14, 16.

negligentes extiterint, emendent legaliter, et vineam non perdant, set habeant licentiam vendendi vel dandi cuicunque voluerint. Ut autem hæc carta firmior sit, manu propria eam firmavi, et seniori meo Odoni comiti ejusque fidelibus roborandam obtuli. Actum Carnotis publice.

« Odo comes. Fulcherius abbas. Vivianus (qui postea factus monachus dedit Pomeretam cum appenditiis suis, terris cultis et incultis, cum brogilis, arbutis et frutectis; dedit etiam in Lovis Villa quicquid ibi habere videbatur; et quicquid dedit omni mala consuetudine carere videbatur. Harduinus.) Teduinus. Alcharius. Ebrardus. Guauslinus. Rodbertus. »

Censum supradictæ vineæ, vivente Landrico abbate, Sancto Petro remisit Fulcherius, Nivelonis filius, pro incolumitate propria atque animabus parentum suorum, cum æcclesia Sancti Leobini ac quadam terra juxta cimiterium ipsius æcclesiæ, x quoque solidos nummorum in psolennitate beati Leobini.

CAPITULUM XII.

De commutatione facta inter canonicos Sanctæ Mariæ Carnotensis æcclesiæ et monachos Sancti Petri, in suburbio ejusdem civitatis ad australem plagam constructi.

(Ante a 986.)

In Dei Patris et Filii et Spiritus Sancti nomine, qui est unus potentialiter et trinus personaliter. Facta est commutatio inter canonicos Sanctæ Mariæ Carnotensis æcclesiæ et monachos Sancti Petri, in suburbio ejusdem civitatis ad australem plagam, olim multa elegantia ac nobilitate nec minus modo quantum ad presens ævum attinet, constructi. Dederunt sane prefati canonici sanctæ virginis Mariæ ad eundem locum Moris Villam et quicquid in Subritana et in Uni Villa videntur habere, æquo et prompto animo, prout decet sanctos consultum ire venerabilibus et Deo dignis moribus. Econtra vero, mutua vicissitudine, receperunt a nobis monachis, videlicet Sancti Petri, in sua ditione, totum quod in Ginone Villa et Petripertusa a priscis temporibus videbamur possidere. Harum autem situs villarum in pago Carnotensi esse dinoscitur. Quod ea ratione atque intentione noverint tam presentes quam superventuri fideles sancte Dei æcclesiæ factum, ut inviolabilis et semper benefida caritatis custodia conservetur inter utrumque ordinem, prout tempus et res, Deo provisore, dictaverit. Ut autem hæc inconvulsam obtineat firmitatem, manibus clericorum obtulimus examussim roborandam.

« Odo præsul. Suggerius decanus. Salico ypodecanus. Lanbertus archidiaconus. Rodulfus præpositus. Atto præpositus. Hunbertus levita. Aimo subdiaconus. Hilduinus. levita. Isaac sacerdos. Warnerius levita. Guido archidiaconus. Gauzbertus levita. Adelmus decanus jul. (120). Morandus levita. Erbertus subdiaconus. Arembertus subdiaconus. Suggerius claviger. Ailbertus subdiaconus. Romoldus subdiaconus. Gauzbertus miles. »

(120) Sic.

CAPITULUM XIII.

De alodo dato Sancto Petro a Lamberto in villa prisco nomine vocitata Guadresigia.

(Ante a 986.)

« Posthabitis aliquantulum mordacibus hujus sæculi curis, in quibus lætatur caro, spiritus contristatur, tactus quodam spiramine intrinsecus, ego Lambertus, audiens deificam vocem dicentem : *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis*, et *Date et dabitur vobis;* volens omnimodis aliquam partem habere cum his qui hoc præceptum Domini, corde perfecto et obtimo, adimplere studuerunt, cogitavi et voto meliori statim me obligavi de rebus meis quas in hoc præsenti sæculo videor possidere, aliquid pro amore et respectu omnipotentis Dei conferre loco Sancti Petri et servis ejusdem inibi, sub levi jugo Domini et sub regulari professione sancti Benedicti commorantibus, quibus præesse videtur venerabilis abbas Widbertus, absque ulla dilatione, ne, fortuito casu subripiente mortis articulo, reus inveniar hujus inperfectæ voluntatis. Ab odierna ergo die et deinceps, pro remedio animæ meæ et uxoris filiorumque meorum in succedentibus generationibus, trado et traditum esse volo, cedo et cessum sine ulla calumnia esse cupio, præfato loco, alodum quendam, totum ad integrum, situm in villa prisco nomine vocitata Guadresigia, ut habeant, teneant et possideant omni tempore seculi; conventione facta ut, dum vixero, teneam et singulis annis missa sancti Petri, quæ est tercio Kalendas Julii, in censum persolvam XII denarios; post discessionem vero et corporis mei depositionem, sicut hæc præsens scriptura testatur, quo animæ meæ mox subveniat et occurrere dignetur primus et pius pastor æcclesiæ Petrus, cum omni melioratione et integritate ad prefatum cœnobium revertatur. Hoc igitur omnibus orthodoxæ et apostolicæ fidei cultoribus notum esse volo. Si quis vero contra hanc donationem venire quodam ausu temptaverit, maledictionem Judæ apostatæ et traditoris Domini in corde et corpore ilico percipiat. Hanc ergo donationem manu obtimi comitis et senioris mei Odonis manibusque fidelium ejus roborare cum manu mea decrevi. Actum publice Carnotis. Odo comes. Rotrocus. Arduinus. Teduinus. Alcharius. Gauslinus. Lambertus, qui hanc donationem fecit. »

Set utrum habeamus an non, vel si modo alio nomine vocitetur, relicto priori nomine, vel ubi sit fundus iste, penitus ignoramus.

CAPITULUM XIV.

De æcclesia Ermenteriarum, et de omni terra quam emerant monachi Sancti Petri ab Archinulfo quodam milite.

(Ante a. 986.)

« In nomine Domini et salvatoris nostri Jhesu Chri-

sti. Comes Walterius, notum esse volumus omnibus tam præsentibus quam futuris, quia adierunt presentiam nostram monachi Sancti Petri Carnotensis, ut eis ex nostra parte concederetur quatinus liceret eis comparare ecclesiam ex beneficio Archinulfi fidelis nostri, de cujus est beneficio nomine Ermenteriæ, simul cum omnibus in eadem villa et ejusdem Archinulfi beneficio pertinentibus. Quod, eo consentiente simul et precante, libenti animo annuimus. Terminatur autem ipsa terra ex uno latere fluvio Arvæ, altero latere via publica, una fronte fluviolo vulgari nomine Berlo vocitato, quarta fronte dividitur ipsa terra ab illa quæ continetur ab Evroldo Villare. Infra has terminationes, totum quod ibi continetur concedimus, terras tam cultas quam incultas, tam eam quæ videtur esse silva, pro precio quod inter Archinulfum et monachos complacuit; ea ratione ut annis singulis in festivitate sancti Martini, quæ est III idus novembris, dent monachi Archinulfo, et post ejus obitum suis heredibus, solidos duos pro caritate et custodia loci; et nulla omnino alia res ab eis requiratur, atque æcclesiam omnemque terram quam diximus jure perpetuo, sine ulla calomnia, possideant ac teneant nunquamque ammittant; alteram autem æcclesiam, quæ in vicino est, Roheria dicta, pro animæ meæ remedio et uxoris meæ Evæ voluntariæ, ipsis concessimus. Etiamque Archinulfus, qui in eadem æcclesia partem habebat, cum filio suo Roscelino, exemplum nostrum secutus, eodem tenore similiter facit. Ut autem hec traditiones omni tempore firmæ et stabiles permaneant, secundum petitionem monachorum, conscriptionis cartam eis fecimus, et manu nostra ac fidelium nostrorum subterfirmare curavimus. Si quis igitur has donationes irritas facere voluerit, aut aliquo modo destruere, aut plus aliquid quam supra posuimus requirere, aut aliqua prava consuetudine habitatores gravare, iram Dei omnipotentis incurrat, et cum Dathan et Abiron atque Juda traditore et ipso Antichristo et angelis ejus infernalem dampnationem in flammam ignis æterni perpetualiter incurrat.

« Actum Drocis, publice.

« Walterius comes. Eva comitissa. Erchenulfus et Roscelinus, filius ejus, qui venditores et datores fuerunt præfatarum rerum. Albertus. Baldricus. Urso. Marcuardus. Salico. Hadebrandus. Gosfredus. Nanterus. Anseius. Rainardus presbiter. Anfredus. Erenbertus. Haimo. Gislebertus. Hubertus. Hugo. Emmo. Magenardus. Hilgaldus. Evrardus. Alo. Hugo. »

CAPITULUM XV.

De terra juxta Buxedulo, data ab Arduino milite monachis Sancti Petri, ad censum.

(Ante a. 986.)

Ego in Dei nomine Odo, Carnotensium comes, notum esse volumus omnibus tam præsentibus quam futuris, quia adiit præsentiam nostram vir nobilis Arduinus, fidelis noster, manifestans nobis qualiter venientes monachi sancti Petri Carnotensis, quibus præesse videtur abbas Wibertus, petentes sibi ut eis quandam terram ex beneficio suo ad censum concederet. Quorum petitionem rationabilem considerans, cum consensu ipsius Arduini et aliorum fidelium, tam clericorum quam laicorum, assensum dedi; eo tenore ut omnibus annis festivitate sancte Marie, quæ est VIII decimo kalendas Septembris, solvant vel ipsi aut illi qui ipsum beneficium tenuerint in censum, solidum unum. Qui si de hoc censu tardi extiterint aut negligentes, lege emendent sua, et propterea prædictam terram non perdant; set habeant, ædificent atque possideant per cuncta succedentia tempora sine ullius contradictione. Est autem ipsa terra in pago Dunensi, super quandam aquam quæ noncupatur Edera, proxima villulæ vocabulo Buxidulo. Habet vero ipsa terra in longum perticas ducentas, in transversum quinquaginta, et terminatur tribus partibus terra Sancti Petri Carnotensis cœnobii, quarta parte supradictus fluviolus (121). Et ut hæc donatio firma et stabilis permaneat, eis has litteras fieri decrevimus, et manu mea et aliorum tam clericorum quam laicorum corroborari dignum duximus. Actum Carnotis, publice. Odo comes. Arduinus miles, hujus terræ largitoris (122). Suggerius archiclavus. Fulcherius. Teduinus. Archebaldus. Aldricus præpositus. Stephanus vicarius. »

CAPITULUM XVI.

De alodo in Erminulfi Villa majori monachis Sancti Petri vendito a quodam nomine Heldeberto.

(Ante a. 986.)

« In Christi nomine, convenit inter me Heldebertum et monachos Sancti Petri Carnotensis, quibus præesse videtur Wibertus abbas, ut eis alodum juris mei vendere deberem quod ex successione parentum michi contigerat: quod et feci cum consilio parentum vel amicorum meorum. Est autem situm in Erminulfi Villa majore; et terminatur uno latere terra Corbonis, altero latere alodo parentum meorum, uno fronte via publica et altero fronte terra Sancti Mauricii. Accepi autem in venditione solidos quinque; et tradidi eis ipsam terram perpetualiter, ut quicquid ex ea, a die præsenti, facere voluerint, sine ulla contrarietate, firmissimam potestatem habeant; eamque sub auctoritate cartæ ipsis tradidi, manuque propria eam firmavi, stipulatione subnixa. Si quis autem contra hanc venditionem vel traditionem venire vel calumniam inferre temptaverit, inferimus ei multam auri libram unam; ac præsens venditio omni tempore rata permaneat. Actum Carnotis publice. Signum Heldeberti venditoris. S. Salomonis. S. Amalberti. S. Teodulfi. »

(121) Ita duo codd. casu nominativo.

(122) Sic.

CAPITULUM XVII.

De terris redditis monachis Sancti Petri a præsule Odone.

(Ante a. 986.)

« In (123) Christi nomine, Odo Carnotensis ecclesiæ cathedra sublimatus, notum esse volumus filiis sanctæ nostræ æcclesiæ tam presentibus quam futuris, quia adiit presentiam nostram turba monachorum, cui præesse videtur Wibertus humilis abbas, in suburbio ejusdem urbis posita, ut eis videbatur, quædam a nostra mansuetudine exposcens rationabilia. Reclamabant enim ipsi monachi, in proximo dictæ civitatis, quasdam terras nostro episcopio intermixtas, quas eis reddendas a nostra religione summopere deposcebant. Set nos præcedentium hujus sedis episcoporum sequentes, pro posse, vestigia, qui eundem locum sublimare et, prout possibile fuit, possessionibus ditare maluerunt, non solum quæ in calumnia erant restituere deliberavimus, set etiam quæ ex nostro ibi contigua erant indulgere censuimus; quæ et illis stipendia fierent, et pro nobis omnique statu nostræ æcclesiæ cotidiana orationum ab ipsis impenderetur merces. Terra autem de qua loquimur, pars quædam conjacet in villa quæ dicitur Manus Villaris, et terminatur ex duabus partibus terra Sanctæ Mariæ de rebus fratrum dictæ sedis, uno latere terra episcopii et fratrum, altero latere via quæ ducit ad Amiliacum villam.

« Concessimus etiam eis, in altero loco qui dicitur Campus Follis, quæ sub nostra dicione partim videbamur habere. Quæ etiam terra terminatur uno latere via publica, altero latere usque ad concessam precariam quam Herveus tenet, una fronte terra Sancti Piati et de potestate episcopali, altera fronte prope vallem quæ dicitur Sancti Caurauni. Hæc igitur omnia sicut premissa sunt, nostra auctoritate et consensu æcclesiæ nostræ, tam clericorum quam laicorum, eis concedimus; et ut perpetuam obtineat stabilitatem unanimiter decrevimus; et ut inviolato robore conserventur, subscriptione manus propriæ omniumque fidelium nostrorum adnotatione correximus. Si quis autem contra hoc beneficientiæ nostræ donum se obponere voluerit, aut eum infringere temptaverit, perpetuæ maledictionis confodiatur anathemate, partemque cum his habeat, æternis detrusus incendiis, qui dixerunt Domino Deo : *Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus.* Signum Odonis præsulis. S. Suggerii decani. S. Hugonis archiepiscopi. S. Fulconis. S. Fulcherii. S. Helgaldi. S. Giraldi. S. Widonis. S. Aimerici. S. Rodulfi. S. Attonis. S. Alcherii. S. Wigerii. S. Gelduini. S. Aremberti. S. Hilduini. S. Johannis. S. Herivei. S. Adam. S. Ardradi. S. Lamberti. S. Bernardi. S. Dodonis. S. Fulconis. S. Odilardi. S. Romaldi. S. Alonis. S. Ysaac. S. Vulgisi. »

CAPITULUM XVIII.

De loco qui Aurion, vulgo vero Evron, dato Sancto Petro in subjectione atque abbatibus Carnotensis cœnobii.

(Anno 985.)

« Mundi terminum omniumque quæ ipsius compagine continentur evanescentem imminere transitum continuatio multiplicium attestatur signorum. Nemini itaque differendum seu procrastinandum; nemini dum vacat, de propriæ salutis acceleranda conversione dissimulandum, immo de inolita benignitate Conditoris nostri miserabiliter diffidendum. Quocirca universalis æcclesiæ Dei presens utique necne futura per succedentis ævi perpetuitatem perpenderit milicia qualiter vel quibus facultatibus ego indignus Rodbertus, perlascivis actibus admodum implicitus, pro ademptione culparum seu adeptione præmiorum, intra locum in honore perpetuæ Virginis ac præcelsæ Dei genitricis dedicatum, in Cinomannico pago situm, qui dicitur Aurion, vulgo tamen noncupante Evron, quem ex beneficio senioris mei comitis Odonis, cum aliis multo amplioribus, tenere videor, ut ab antiquiori fuerat, monasterium inibi Deo, magistrante patre Benedicto, servientium, deliberando, pro viribus, propicia divinitate, desudaverim. Dum hæc igitur mecum sollicita mente deliberando pervolverem, revolvendo deliberarem, atque id ipsum effici juxta vires proprietatis impossibile fore decernerem, monasterium beatorum apostolorum Petri et Pauli, in suburbana Carnotinæ urbis, speculativæ vitæ institutis divinitus innormatum, opere pretium duxi festine ac suppliciter expetendum; ejusdemque archisterii, qui tunc præerat, magis tamen proderat, abbati et provisori, domno utique Wiberto venerabili, ipsius quoque fratribus ibidem alacriter agonizando, Deo non sibi viventibus, mei animi diutinum atque votivum ex intimo pateleci desiderium. Complacuit ergo æterno et incommutabili omnipotentis Domini nostri Jhesu Christi consilio dominum meum, utique Odonem, simul cum sua matre Ledgarde, pariterque dominam meam Bertam, ipsius æque conjugem, huic voluntati vel deliberationi meæ favorabiliter consentiendo, concurrere; eosdemque etiam mecum præfati loci Harion oratorium, jam præscripto xenodochio (124), summi privilegii apostolorum perhenni ditione, subjugasse et subjugando concessisse; convenit quoque jam prædictum beatæ memoriæ abbatem ex suis monachos contuberniales, juxta professionis suæ normam, ad famulandum Deo ejusque inlibatæ ac perpetuæ genitrici devotius assistendum, adibito communi consilio fratrum, direxisse. Ego autem, in recuperatione ipsius loci sive in alimonia seu in vestiariis fratrum, vel susceptione hospitum, seu quibuslibet necessitatibus explendis, prout potui, eidem monasteriolo in præsentiarum restitui restituendique

(123) Vulgata in *Gall. Christ.*, t. VIII, inst., col. 293.
(124) *Xenodochium.* A.

votum teneo, tenebo et tenui. Quo abbate intra gremium placidæ regionis recepto, ipsius nichilhominus successorem, domnum videlicet et imitabilis vitæ Gisbertum abbatem, supplex ac devotus supplicator expetii, ut unum ex suis monachum benedicendo in prædicto oratoriolo abbatem substitueret. Quod primo quidem abnuit, tandem aliquando mei etiam domni meisque commilitonum quoque meorum precibus, ut erat benivolus atque exorabilis, devictus, assentiendo quod suppliciter exoraveram, benigne supplevit; ea scilicet domni mei, me deprecante, promulgata conditione, regii insuper consensus accedente immunitate, conformidabili pontificum interminatione, decreto quoque tam æcclesiasticarum quam sæcularium potestatum, una cum totius plebis scito, ut sepe dictus Haurion locus pro tradendis benedictionibus, vel substituendis abbatibus, in potestate præfati archisterii suppremi apicis apostolorum, ejusdem loci provisoris, perpetualiter permaneat, quippe a quo suæ recuperationis seu instaurationis summam habet et principium. Sepe scripti utique Haurion cœnobioli abbatem Carnotensium pater, quem secundum decreverit, subrogando substituat, accedente in unum suorum utriusque loci, fratrum consensu simul cum electione ejusdem locelli defensoris vel advocati, si quidem Dei zelum sapuerit; ipse autem ordinatus in præsentia sui ordinatoris vel patris, non prioratus vel æqualitatis seu parilitatis locum, set junioris et discipuli humilitatem attendat, omnemque eidem subjectionem, secundum institutionem sancti Benedicti, vicino obœdientiæ pede exibeat; pareat, inquam, jubenti, obtemperet imperanti. Si ergo tergiversator aut inpugnator cupiens existere (quod absit!) diaboli effectus imitator, de collo suo jugum debitæ subjectionis procaciter excutere voluerit, excommunicetur. Quod si adhuc improbus in sua perstiterit pertinacia, deponatur, eidemque alius subrogetur, præclaris atque victricibus obœdientiæ armis melius instructus. Ipse vero aut cujuslibet A ordinis, sexus vel dignitatis, quicumque hujus securitatis evulsor vel effractor persistere præsumpserit, in præsenti quidem cum Giezi, mercatore fraudis, participationem adeptus, æternaliter autem cum Dathan et Abiron tenebrosis caliginibus mancipatus, tunc veniam consequatur quando consecuturus est diabolus. Obsecro itaque clementiam regum omniumque in Christo dignitatum, ut, si subsequenti ævo (quod absit, quod utique, ut creditur, aberit) aliquis abba in Carnotensi cœnobio emerserit, qui supra scriptum Haurion monasteriolum, existente sine Deo cupiditate, quæ sua sunt, non quæ Jhesu Christi, querens, desolare voluerit, nullum in prosecutione obtineat effectum, et sepius dictum stabiliter permaneat cœnobiolum. Ut autem hujus securitatis causa perpetualiter consistat inconvulsa, suggillata pœnius totius fraudis vel calumpniæ controversia, domno meo obtuli, duci quoque ceterisque in Christo proceribus, corroborandam; placuitque atque convenit tandem in utroque loco uno tenore eademque habitudine conscriptam contineri. Signum Hugonis ducis. S. Odonis comitis. S. Hugonis, sanctæ (125) Biturícensis archipræsulis. S. Letgardis comitissæ. S. Bertæ comitissæ. S. Gauzfridi vicecomitis. S. Hugonis de villa Aloyæ. S. Huberti. Avesgaudi. S. Fulcherii. S. Landrici. S. Helgaudi. S. Rodberti, qui hanc conscriptionem fieri jussit. S. Suggerii. S. Rotroci. S. Harduini. S. Teudonis. S. Gilduini. S. Isaac. »

Quantas invenire potui cartas, sub tempore Wiberti abbatis scriptas, in hoc opusculo per ordinem scripsi; nunc autem aggrediar scribere eas quæ michi videntur editæ Gisberti abbatis sub tempore. [Hoc autem volo scire legentem, quod vir beatus Wibertus moriens jussit corpus suum poni in communi poliandro, dicens quod intra æcclesiam dum ponuntur corpora peccatorum, augentur in inferno pœnæ animarum eorum.]

(125) Suppl. *Ecclesiæ.*

LIBER QUARTUS

SIVE

GISBERTI ABBATIS

(Ab anno 984 ad annum circiter 1001.)

CAPITULUM I.

De privilegio a rege Clothario firmato.

(Anno 985.)

« In (126) nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Patris videlicet, Filii et Spiritus sancti. Clotharius, propicia divinitate rex. Sicut de tabernaculi gloriæ Dei decore in præsenti sæculo cogitantibus, in domo æternitatis ipsius vitæ reseratur aditus, ita ejusdem pervasoribus procul dubio in inferni baratro perpetuæ mortis patebit ingressus; huic spei

(126) Publici juris facta est hæc charta in *Gall. Christ.*, t. VIII, instr., col. 294.

fideliter inconbendo invisibili veritate gaudemus, huic inherendo firmamur. Quapropter universalis Dei æcclesiæ omnium fidelium nostrorumque, tam præsentium quam succedenti sæculo futurorum, noverit pia sagacitas quia fideles nostri regni, Odo scilicet Carnotensium præsul, atque illustrissimus comes fidelis noster ac inter alios magis dilectus Odo, cum sua æque conjuge Berta (127) nepte utique nostra dulcissima, magnificentiæ nostræ genua suppliciter adierunt, accedente quoque etiam in hoc incliti ducis fidelis nostri Ugonis favorabili obsecratione, ut quoddam monasterium quod in suburbio prænotatæ videlicet Carnotinæ civitatis in honore beatissimorum duodeni apicis principum Petri et Pauli, Deo propicio, constat nobiliter fundatum, non minimo grege ibidem opinabiliter redotente monachorum, contemplativæ vitæ institutione probabiliter retractantium, nostræ serenitatis aliquo munere sublimius dignaremur decorare. Est enim egregium decus, eritque, Christo favente, in seculorum progenies, ipsius monasterii celsitudo semper in tripudio, gloria monachorum in triumpho, et exultatio plebis spiritali in jubilo, quod (128) [prædicti fideles nostri serenitatis nostræ fundamine perpetualiter cupiunt stabiliri. Nostræ siquidem altitudinis exorabilitatem prece et voto supplici adhierunt, principaliter tamen ac præcipue circa decorem domus Dei mirabiliter ardentissimo amore divinitus inspirati. Memorati fidelis nostri ac dilecti comitis Odonis, in cujus oppido prælibatum disnoscitur esse cœnobium, ipsius quoque jam dictæ conjugis Bertæ, neptis nostræ, supplicia vota benigne favore extiterunt, quatinus ob nostrum et suum ibidem memoriale æternum sepedicti sepiusque dicendi archisterii claustrum, cum omni integritate suorum apenditiorum, eorum scilicet quæ in jure beneficiorum aut comitatuum] præfati fidelis nostri comitis Odonis sive prope, sive longe, in ejusdem monasterii possessione pertinere seu respicere videntur, vel fidelium devotione futuro tempore ibidem conferetur, nostræ soliditatis processu quasi muro et quodam antemurali ab omni exactione quam terrena justicia videtur exigere, liberum redderetur et immune. Igitur de Dei causa atque ejusdem loci reverentia pie pertractantes, per deprecationem præfatorum fidelium nostrorum, maxime tamen supplicibus votis consensu pariterque benigno superius nominati fidelis nostri Odonis comitis necne ipsius præfatæ conjugis, quorum, ut dictum est, suppliciter invigilanti sollercia præsens nostræ auctoritatis supradicto monasterio confertur anchora, ex more regiæ celsitudinis decrevimus atque constituimus prænotatum oratorii locum, cum

A

B

C

D

cunctis finibus rerum in universis comitatibus sive beneficiis sepe memorati fidelis nostri Odonis comitis sibi adjacentium, universaliter ab omni respectu judicum, ordine mundi decurrente inviolabili soliditate, solutum et illibatum permanere; ea si quidem ratione ut, ab hodierna die et deinceps, remota omnium potestate, nullo aditu, nullo tempore, aliquis principum æcclesiasticorum aut secularium pontificum, ducum, comitum, vicariorum vel quorumlibet diversi generis officialium, in claustro prædicti monasterii, aut in cunctis rebus, juxta quod superius decretum est, ipsi adjacentibus, aliquas impetrat exactiones, id est, neque bannum, neque districtum, aut quicquid in aliquo terrenæ justiciæ titulo dici potest; videatque pia ac provida sollicitudine tum æcclesiastica tum secularis celsitudo præsentis ac futuræ generationis, ut id quod pro Salvatoris exobtabili amore, pro scelerum integerrima ademptione, pro beatæ spei perhenni perceptione, apostolis summi apicis concedimus, caste et inviolabiliter, suggillatis penitus calumniis totius perfidæ conceptionis, conservet in perpetuum et roborante bonitate defendat in evum. Quoniam quidem tunc servi Dei attentius et liberius vacabunt orationibus si non inquietabuntur corda eorum querimoniis forensibus. Ut autem in Dei nomine hoc edictum auctoritatis nostræ in sæculorum successione validiori innitatur vigore, manu propria ipsum substipulavimus et anuli nostri sigillatione informari atque nobilitari imperavimus. — Anno Incarnationis Dominicæ DCCCCLXXXVII (129), anno XXXI regnante domno Lothario gloriosissimo rege. Actum Compendio palatio. Ego Arnulfus, notarius ad vicem domni Adalberonis archiepiscopi et sumni cancellarii, recognovi. S. Odonis comitis. S. Gilduini. S. Fulcherii. S. Alcherii. S. Teudonis. S. Huberti et filii ejus Huberti. S. Odonis. S. Hugonis. S. Rainaldi. S. Erchembaldi. S. Gilonis. S. Guascelini. S. Adraldi. S. Hervei. S. Haimonis. S. Nivelonis. S. Rodberti. »

CAPITULUM II.

De Pomereda et Lovis Villa datis a Viviano, fratri Fulcherii.

(Anno 988.)

« Singularis necnec præcipua est divinæ misericordiæ causa, quia benignitati Salvatoris Domini Dei nostri, ea dignationis ratione, humanæ fragilitati naturæ placuit providendo consulere et consulendo providere ut in divinis voluminibus et sanis ornamenta et egrotis congrua dispensaverit remedia. Cum enim non sit possibile quemlibet hominum corruptionis suæ labem effugere, immunemque peccati in hac corruptela vivere, providit pius et mi-

(127) Odo I, Carnotensis comes, uxorem duxit Bertam, Conradi regis Arelatum filiam, quæ, post mortem Odonis, anno 995, nupsit Roberto, regi, Hugonis Capitonis filio.

(128) Uncis inclusa sumpsimus ex apographo domni Muley, qui addidit etiam in ipsius codicis A margine : « *L'auteur a passé ici plusieurs lignes que j'ai insérées dans ma copie de* 1774, *ayant l'original devant les yeux.* » Quibus omissis pariter in codice B, constat (ut sæpe alibi) codicem illum ex codice A fuisse descriptum.

(129) Emendandum 985, cum auctoribus *Galliæ Christianæ*, t. VIII, instr., col. 295.

sericors quasdam occasiones seu oportunitates quibus, ipsius propiciatione, nostra facile valeamus peccata redimere. E quibus omnibus illa duo suavius redolent medicamina egrotanti anime specialius familiaria, de quibus ipsius Veritatis vox sic intonuit beata : *Dimittite et dimittetur vobis.* Hujus igitur tam præclaræ pollicitationis veritatem obedienter accipiens, zelo domus Dei exardescens, infinita fidelium devotio laude et imitatione dignissima, utpote filii æcclesiæ amplissima prædiorum suorum largitione eam ditaverunt, pluribusque proprietatis suæ eam súblimaverunt, quibus in hoc temporum cursu ex fide vivens illam stabilitatem æternæ sedis per patientiam expectans, omnia sancta et justa Deoque amabilia plenissime dispensat, variis usibus profutura. Exultant ergo jam spe prestantioris gloriæ in semetipsis impletum illud apostoli : *Hilarem datorem diligit Deus;* illud etiam viri sapientis : *Redemptio animæ viri divitiæ illius;* et, *Qui dat pauperibus nunquam egebit.* Illud quoque dominicum : *Verumptamen date elemosinam, et ecce omnia munda sunt vobis;* et, *Sicut aqua extinguit ignem, ita elemosina extinguit peccatum;* et, *Qui fecerit uni ex minimis meis, michi facit;* aliaque piæ adortationis exemplaria de quibus innumeris perstrinximus perpauca compendii causa. Unde et ego Vivianus tanta beneficia tamque præclara piissimi Conditoris medicamina totis nisibus michimet indulgeri cupiens, eorum quos prælibavimus exempla secutus, deliberando in corde meo proposui ac proponendo deliberavi ex facultate prædiorum meorum sanctam æcclesiam michi heredem substitùere, fideli devotione, Christi propicia divinitate. Verum quia beati Petrus et Paulus, merito gloriæ germani in arce sanctitatis, acsi specialius refulgere splendidiusque præ ceteris creduntur enitescere, ipsis me ex animo commisi atque sub eorum protectione me totum contuli, quia nec potioris potentiæ in criminum absolutione, neque clementioris animæ ad placandum iram divinæ justitiæ potui invenire. Quapropter pro meorum redemptione peccaminum necne utriusque parentis requie, patris scilicet et matris, cedo ad locum beatissimorum summi apicis apostolorum Petri et Pauli Carnotensis cœnobii, favore adhibito atque consensu fratris mei Fulcherii fidelium quoque nostrorum, quandam proprietatis meæ villam, Pomerariam vocitatam, in pago Carnotensi sitam, cum terris arabilibus cultis et incultis, silvis quoque et pascuis, omnem rem quæ ibidem meæ esse dinoscitur dominationis, rem utique tam exquisitam quam exquirendam ad predictum alodum, scilicet Pomerariam, aspicientem vel pertinentem. Trado etiam ad præfatum locum in Drocensi territorio omnem rem portionis meæ in Levoz Villa quicquid ibi videtur mea possessio esse seu dominatio, ea scilicet ratione ut, ab hodierna die et deinceps, monachi qui in prædicto monasterio Deo servierint prælibatam terram teneant atque possideant et quicquid ex ea facere voluerint in omnibus liberrimam, propicio Christo, habeant facultatem. Si quis vero contra hanc donationis cartulam insurgere aut ei calumniam inferre voluerit, regio morbo percussus, luminum cecitate multatus, et præsentem vitam miserrimo exitu celerrime finiat, et sempiternam dampnationem cum Zabulo subeat, ubi, igneis constrictus catenis, æternaliter ingemiscat, vermis quoque nunquam moriens ipsius carnes conrodat, et ignis qui nescit extingui pabulum et esca perhenniter existat. Ut autem hujus traditionis noticia perhenni in Christo nitatur anchora, pro meis culpis redimendis necne pro patris mei Fulcherii, seu matris meæ Anstrudis, vel fratris mei Rodulfi, jam defunctorum, requie, proque fratris mei Fulcherii incolumitate et æterna remuneratione, propria manu eam substipulavi aliorumque virorum nobilium manibus ac notaminibus corroborandam obtuli. Signum Odonis Carnotensium præsulis. S. Rodulfi decàni. S. Salomonis ipodecani. S. Geroldi archidiaconi. S. Odonis comitis. S. Bertæ comitissæ. S. Fulcherii fratris Viviani, qui hanc donationem fecit. S. Gelduini. S. Teduini. S. Erchenoldi. S. Alonis. S. Alberti. S. Rotroci. S. Balduini clerici. S. Rodberti. S. Teudonis. S. Einiardi. S. Arduini. S. Atthonis. S. Gradulfi. S. Segenfredi. DCCCCLXXXVIII anno Incarnationis dominicæ. Actum Carnotis publice, in præsentia domni Odonis præsulis necne generosissimi Odonis (130) patricii, eorumque fidelium diversi ordinis et ætatis. »

CAPITULUM III.

De Bon Villa data a Fulcherio signifero.

(Ante a. 1002.)

« Regalis (131) auctoritas et legum jura assensum prebent ut quicumque alicui casæ Dei pro remedio animæ suæ aliquid de rebus suis delegare voluerit, traditionem ei publice facere procuret. Idcirco recolens ego Fulcherius me in conspectu Dei oculorum et sanctorum ejus multas offensiones exercuisse, causa redimendæ animæ meæ ac conjugis meæ sive filiorum meorum ac parentum meorum, trado et concedo potestati Sancti Petri Carnotensis, ad stipendium monachorum quibus præesse videtur Gisbertus abbas, alodum quem michi videtur habere in villa quæ dicitur Bon Villa, intus vel foris, ita ut ab hodierna die quicquid exinde facere voluerint liberam faciendi potestatem habeant. Si quis autem aut ego ipse, aut aliquis parentum meorum, vel alia aliqua subintroducta persona hanc traditionis meæ donationem infringere vel litem inibi deservientibus monachis inferre voluerit, primo maledictionis et excommunicationis anathemate perfodiatur, et insuper, publica potestate coactus, quinqua-

(130) Odo primus, comes Blesensis, filius Theobaldi *le Tricheur* (anno 978-995).

(131) Hanc chartam ante annum 1002 ponendam demonstrat nomen Gisberti abbatis, qui obiit anno 1001.

ginta libras auri persolvat. Ut autem hæc traditio firmiori ratione roboretur, eam manu propria subsignavi cum stipulatione subnixa. »

CAPITULUM IV.

De terra data in villa quæ Thevas dicitur a Rotroco de Nogiomo.

(Ante a. 996.)

« In Dei nomine, Rotrocus seculari miliciæ deditus et Odonis comitis fidelitati devotus, notum esse volo omnibus, tam præsentibus quam futuris, quia petiit michi Gisbertus abbas sancti Petri Carnotensis cœnobii et cuncta congregatio sibi commissa, ut eidem loco concederem terram de æcclesia Sancti Hilarii, quæ est in Thevas, pertinentem ad abbatiam Sancti Martini. Est autem ipsa terra subtus montem ejusdem villulæ, excludens aquam. Itaque amnui petitioni eorum, eo tamen pacto ut annis singulis in festivitate sancti Remigii, quæ est kalendis Octobris, in censum solvant denarios XII. Quod si de hoc negligentes extiterint, legaliter emendent et prædictam terram non perdant. Ut vero hæc cartula obtineat firmitatem senioris mei Odonis et omnium obtimatum ejus, roborandam obtuli. Actum Carnotis civitatis, publice. »

CAPITULUM V.

De Gunherii (132) *Villa data a comitissa Eldegarde.*

(Ante a. 987.)

« Laudanda (133) et nimium prædicanda est ineffabilis misericordia Conditoris nostri qui, redemptis precio sui sanguinis et unda sacri baptismatis originali crimine mundatis, prævidens et præsciens post ista omnia, nec unius diei spacium a qualicumque peccato vivere immunem nec humanæ corruptionis labem posse quemquam evadere, contulit multa animæ salutis remedia quibus non solum viciorum curantur morbida, set etiam inmortalitatis adquiruntur gaudia. Inter quæ elemosinarum plurimum valet largitas, cui non solum plurimorum patrum astipulatur auctoritas, set etiam ipsius Domini voce laudatur beata dicentis: *Dimittite et dimittemini*, et *quæcumque feceritis uni ex minimis, michi exibebitis.* Super his etiam quidam sapiens dicit: *Redemptio animæ viri, propriæ divitiæ ejus*, et illud: *Date elemosinam, et omnia munda sunt vobis.* Et multa his similia inveniuntur in dando elemosinam adhortationum præcipua, in quibus longum est ire per singula. Talibus instructa exortationibus precedentium patrum non improbanda devotio utpote filii æcclesiæ multis prediorum suorum reditibus eandem dotaverunt æcclesiam et multa ei contulerunt variis necessitatibus profutura, quibus per quadripertitum decoratur orbem et rerum opulentia dilatatur, gaudet et exultat. Horum ego Eldegardis exempla secuta proposui in corde meo qualiter de prædiorum meorum possessionibus hereditariam facerem sanctam Dei ecclesiam. Verum, quia beato Petro apostolo specialiter conlata est potestas solvendi atque ligandi, nullum melius censui michi consulendum et pro peccatis meis aput eum quem tanto dilexit amore misericorditer intercedendum. Ergo, tam pro meis criminibus veniam impetrandis quam pro senioris mei Waleranni, ut utrisque Dominus indulgere dignetur peccatorum remissionem, consentiente Walterio comite filio meo, eedo ad locum Sancti Petri Carnotensis alodum juris mei, quem senior meus supra nominatus, secundum legem salicam et secundum consuetudinem qua viri proprias uxores dotant, michi in propriam conecssit, nomine Guntherii Villa, et de dominatione mea in dominationem monachorum ibidem servientium perpetualiter transfundo atque transcribo. Sunt autem mansi VIII, habens unusquisque bonuarios XX. Si quis vero contra hanc donationem (quod absit) venire aut eam infringere temptaverit, aut aliquam inferre calumniam, Dei omnipotentis indignationem inrecuperabiliter, nisi cito resipuerit, offendat; et æternaliter infernalibus detrudatur cruciatibus, ubi vermis, qui nunquam moritur, eorum conrodat carnes, et ignis, qui nunquam extinguitur, eorum semper pascatur cruciatibus. Ut autem hæc donatio inviolabilem obtineat firmitatem, domni Hugonis Francorum ducis, et nobilium virorum sibi adsidentium manibus corroborare congruum duxi, stipulatione subnixa. Actum Pontis Isera castro, publice. S. Hugonis ducis. S. Walterii comitis. »

CAPITULUM VI.

De Vileta data a Teduino milite.

(Anno 984.)

« Gratuita benignitatis Christi clementia, omne hominum genus ad cognitionem sui venire desiderans, eorum corda diversis atque impenetrabilibus tangere consuevit modis, modo videlicet ad horam eis prospera multa tribuendo, nunc vero eorum prosperitatem in diversa mutando. Altera enim parte, cœli sumus; altera, terræ: in quantum terreni terrena agimus, in quantum cœlestes cœlestia mente contemplamus. Set, heu! pro dolor! gravati nequitiis peccatorum et luto fecis, obliviscimur patriæ qua sine fine tendere debuimus; et, in hac incolatus nostri peregrinatione, iniquitatem semper super iniquitatem adjiciendo, prestolamur finem mortalitatis male vivendo. Hoc terrore ego Teduinus corpore et corde tactus, destinavi animo, ex rebus quæ me contingunt ex jure materno, pro remedio patris mei Adelardi et matris meæ Eldegardis, et meorum parentum remissione, quoddam alodum, vocitatum Vileta, et aliud, alio in loco, noncupatum Duplex Curtis, et quicquid ad eadem pertinent, cum silvis, pratis; et quicquid usque hodie visus sum inibi habere quesitum et inexquisitum, beato Petro Carnotensis cœnobii, in quo venerabilis abbas Gisbertus videtur preesse, cum consensu parentum meorum, facta

(132) Ita codd.; inferius autem *Guntherii-villa*, hodie, *Gondreville*.

(133) Annum 981 huic chartæ assignant *Annales Benedictini*, t. IV, p. 3.

sollenniter donatione, publice tradere. Ea tamen ratione ut, quandiu ego superstes fuero, in mea maneant dominatione, et omni anno, missa sancti Petri, pro recognitione, XII^cim denarios jam dictis monachis non neglegam solvere; post obitum vero meum, absque ulla contradictione, cum omni melioratione, jam dicti monachi teneant atque possideant. Est autem in pago Wastiniensi supradicta largitio mea, non longe a Soisiaco castro. Contra quam si quis quicquam inferre præsumpserit, in primis iram omnipotentis Dei incurrat, et maledictioni perpetuæ subjaceat; insuper cui litem inferre præsumpserit, coactus publice, libram auri cogatur solvere, et sua petitio nullum obtineat effectum. Hæc autem carta, ut firmior veriorque credatur, manu mea subterfirmavi, et manibus seniorum et amicorum meorum roborandam tradidi. Actum publice, Carnotis civitate. S. Hugonis, archiepiscopi Biturigensis æcclesiæ. S. Odonis comitis. S. Gausfridi, comitis Wastiniensis. S. Rodulfi militis. S. Adelardi, patris Teduini. S. Teduini, avunculi Teduini. S. Hunbaldi, ejusdem Teduini avunculi. »

CAPITULUM VII.

De pratis de Teuvas datis ab Arnaldo milite.

(Ante a. 996.)

« In Dei nomine. Arduinus, seculari miliciæ deditus, et Odoni comiti fidelitati devotus. Notum sit omnibus, tam præsentibus quam futuris, quia adiit præsentiam meam abbas Sancti Petri Carnotensis cœnobii, nomine Gisbertus, cum quibusdam fratribus, expostulans concedi sibi et ad ipsum locum supradictum pratos omnes et aquam, quæ habere videtur quidam fidelis meus, nomine Arnoldus, in villa quæ dicitur Teubas, ex potestate scilicet Sancti Martini. Cujus petitionem rationabilem considerans, voluntati eorum assensum præbui; eo tamen pacto, ut omnibus annis, festivitate sancti Remigii, quæ est kalendis Octobris, illi qui beneficium tenuerit solvant in censum solidos duos. Quod si de hoc negligentes extiterint, legaliter emendent, et quod concessum est non perdant. Ut autem hæc auctoritas firmiter habeatur, manu mea et senioris mei Odonis comitis atque suorum fidelium manumissione corroborandam tradidi. Actum psollenniter Carnotis, in arce. S. Odonis comitis. S. Arduini. S. Arnaldi, de cujus beneficio largitio præfata extitit. »

Reticendum vero minime est quod census inscriptus superius postea a successoribus Arnaldi ex integro Sancto Petro remissus est, sicut et alii quamplures qui in cartis ab antiquis positi sunt, et sequenti tempore a successoribus eorum, quibus olim solvebatur, pro præmio vitæ æternæ, salubri consilio, eos commutaverunt.

CAPITULUM VIII.

De Haimone duabus sororibus ejus libertati donatis, ac de duobus agripennis terræ ab eis datis.

(An. 1000-1001.)

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Gisbertus, Dei misericordia, Carnotensis cœnobii abbas. Notum esse volumus cunctis sanctæ Dei æcclesiæ fidelibus, quod quidam homo nostræ ditioni subditus, nomine Haimo, ad nos venerit, suppliciter postulans ut, accipientes ab illo quoddam prædium quod habebat in villa quæ vocatur Pinus, sibi et duabus sororibus suis, quarum una Ermengardis, altera Roscelina dicebatur, cum suis infantibus, censum capitis proprii remittentes, libertate donaremus. Cui prædio quia a quibusdam suis parentibus imponebatur calunnia, qualiter in suam partem venerit libere dimissus ab ipsis benigne, ipsoque tradente, nos cœpissemus possidere, præsenti cartulæ mandare studuimus. Predictus Haimo, quia natus de patre ingenuo et matre orta ex nostra familia, partem hereditatis, quam ei pater dimiserat, reclamabant. Tandem, ipso rogante, ad hoc sunt adducti, ut, si, tradito prædio, posset fieri libertus, ex parte illorum amplius querela non fieret. Accepimus ergo in supradicto vico duos aripennos terræ, et in altero loco unum; concedentes prædicto homini et duabus sororibus, cum suis infantibus, libertatem, sic firmiter, ut ab hac die sit absolutus ab omni servili lege censusque redditione, tam ipse quam sorores, cum propriis infantibus. Et ut ne quis maledicus contra hoc usurpare presumat, nomina fratrum nostrorum inculcare fecimus. S. Gisberti abbatis. S. Herberti, abbatis Latiniacensis. S. Durandi decani. S. Arnulfi. S. Viviani. S. Mainardi. S. Herberti. S. Bernardi. S. Beringerii. S. Walterii. S. Gualdri. S. Richerii. S. Marcuini. S. Rodberti. Actum monasterio Sancti Petri, in urbe Carnotis, regnante rege Rodberto anno v. Alveus monachus scripsit. »

Cartas sub abbate Gisberto factas, quantas in nostris scriniis invenire potui, scriptitare non renui. Nunc quoque ad eas quæ Magenardi abbatis tempore sunt adeptæ, pennulæ cursus pervenire temptat.

LIBER QUINTUS

SIVE

MAGENARDI ABBATIS

(Ab anno 1001 ad annum 1023.)

CAPITULUM I.

De æcclesia de Rescolio data Sancto Petro a comite Richardo.

(Ante a. 1024.)

« Universorum conditor Deus mirabilis est in suis operibus, dum ex aliis alia, ex minoribus scilicet portat (134) majora. Cujus rei sinceram considerationem intus faciendo, et in hoc ipsi grates debemus non minimas, et in illo, corde, voce, opere, quam maximas, quod non solum, ut prælibavimus, ex temporalibus fovet perpetua; verum etiam ea, rationabiliter dispensando, misericorditer provehit ad æterna. Ad hujus itaque perfecti et tam obtabilis gaudii fidem firmandam, inter cetera quæ mortalibus spem sanctæ æternitatis ingerunt, ipsa ait Veritas per semetipsam : *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut, cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Quod dono sentiens ejus, ejusdem nutu, Normannorum comes ego Richardus, inter cetera quæ, eo inspirante, ei ex suo reddidi, quandam æcclesiam in ipsius nomine monachis Sancti Petri Carnotensis cœnobii dedi, quæ in Ebroicensi comitatu est sita, in villa quæ est ex nomine Rescolium dicta. Hoc autem, hujus rei gratia, credidi istis apicibus, ut dapsilibus in exemplum et testimonium sit rapacibus. Quod si quis contradictionem dationi fecerit suprascriptæ, quandiu in hac permanserit intentione, humana et divina multetur maledictione. S. Richardi comitis. S. Rodberti archipræsulis (135). S. Gunnoridis comitissæ. S. Richardi, filii comitis. S. Rodberti, filii comitis. S. Uufridi (136). »

Supradictus viculus, a rebus colligendis, Rescolius olim quidem dicebatur : ibi enim res fisci colligebantur vel congregabantur. In quo, non longe ab Arva flumine, propter quandam fontem, quædam æcclesiola lignea sita erat in honore sancti Remigii. Defluente vero tempore, et viculus cum æcclesia bellis assiduis ad nichilum pene deducitur, et tunc, annuente comite Richardo, parrocia ipsa unita est Sancti Georgii parrochiæ, cujus æcclesia non longe aberat; et altare Sancti Remigii in ala istius æcclesiæ a siæ a monachis translatum est, ubi permansit (137), donec a modernis monachis major cemento et lapide est edificata.

CAPITULUM II.

De æcclesia Wadonis Curtis data Sancto Petro a Rajenario.

(Ante a. 1024.)

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Ego Ricardus, Normannorum dux. Notum volo esse, tam præsentibus quam futuris, quia adiit præsentiam meam fidelis meus, nomine Rajenarius, cum consensu suæ conjugis, Wandelburgis vocabulo, humiliter petens ut, pro remedio animæ meæ, æcclesiam in comitatu Ebroico, cui nomen est Wadonis Curtis, seu pro filii sui anima, cujus vocabulum fuit Rodbertus, vel pro abolendis suis peccatis, monachis Sancti Petri cœnobii Carnotensis concederem. Qui, justam petitionem tanti viri considerans, assensum prebui, insuper sanctiens ut, ab hodie in subsequenti generatione, nullus suorum, vel quorumlibet aliorum, jus dominationis seu violentiam cujuslibet inruptionis, hujus firmitudinis nostræ compactionem, temeraria procacitate, inrogare conetur. Ut autem hæc cartula in Dei nomine firmiori innitatur vigore, manu propria subscripsi, fidelibus quoque meis ad corroborandum tradidi.

« S. Richardi comitis. S. Rodberti archiepiscopi. S. Herberti episcopi. S. Teoderici abbatis. S. Rodberti clerici. S. Rajenarii, qui hanc donationem fecit. S. Hunfridi de Vetulabus. »

Utrum illius temporis monachi possederint vel habuerint præfatam æcclesiam, penitus ignoro; nam neque eam habuisse ab antiquis monachis audivi, neque a modernis mentionem aliquam fieri umquam audivi.

CAPITULUM III.

De Blidun Villare a Teduino milite Sancto Petro dato.

(Ante a. 996.)

« (138) In Dei nomine. Ego Teduinus cum uxore mea, nomine Adalais, recognoscentes nos multas offensiones exercuisse ante oculos Domini et sancto-

(134) Verba, *vel perpetrat*, superscripta sunt in codice A.

(135) Richardi comitis frater archipræsul Rothomagensis.

(136) Cod. B addit : *de Vetulabus.*

(137) B : *Donec moderno tempore a monacho nomine Huberto major cemento et lapide est edificata.*

(138) Hæc charta referenda, ut videtur, vel ante a. 996, vel ad ipsum a. 996, quo vita functus est Odo.

rum ejus, ob remedium nostrorum peccaminum seu parentum, a quibus ea jure tenemus, tradimus et concedimus potestati Sancti Petri Carnotensis cœnobii alodum, nomine Blidun Villare (139), simul cum broilo; ibi insuper quicquid habere videmur jure hereditatis : ita ut, post obitum alterius nostrum, monachis supradicti cœnobii, ibidem Deo deservientibus, jure perpetuo ad possidendum succedat, nullusque eis inquietudinem faciat filiorum vel parentum. Quod si aliquis fecerit, maledictione perpetua dampnetur, et insuper coactus potestate quinquaginta libras auri persolvat. Ut autem hæc carta inconvulsa in posterum permaneat, ex consensu comitis ejusdemque comitatus nobilium, propriis nominibus eam substipulavimus. S. Odonis comitis. S. Bertæ comitissæ. S. Teduini militis, qui hanc donationem fecit. S. Gerardi, filii ejus. S. Adalais conjugis, cum duabus filiabus eorum. S. Fulcherii militis. S. Arduini. S. Gelduini. S. Rodberti. S. Rodulfi clerici. »

CAPITULUM IV.

De alodo Sclusellarum dato a Gausfrido et Joscelino filio.

(Ante a. 1024.)

« Quoniam permanet scriptum atque sancitum in decretis veterum, si quis nobilium laicorum aliquam æcclesiam vel aliquod monasterium de propriis hereditatibus honoraverit, vel donationem fecerit, nullatenus nec a filio nec ab aliquo successore repetere (140); idcirco ego Joscelinus, Gausfridi filius, notum esse cupio omnibus, tam præsentibus quam futuris, qualiter et qua ratione pro his quæ a patre meo dimissa sunt atque tradita Sancto Petro Carnotensis cœnobii, post mortem ipsius, adierim domnum abbatem Majenardum et omnem ipsius loci congregationem. Pater siquidem meus Gausfridus, ob remedium suorum peccaminum, alodum, nomine Exclusellas, in comitatu Dorcasino, Sancto Petro delegavit, super fluvium Auduræ, me puero et matre vivente. Ego autem ipsum alodum expetii, non ideo ut velim retrahere ab ipso venerabili loco cui est traditus, nec ut aliqua fraude possideam, set eo tenore et tali conventione, ut, quamdiu vixero, nos solidos in censum persolvam, statuto termino, debitumque servitium persolvam; nec umquam michi liceat nec vendere, nec tradere alicui, nec filio, nec alicui meorum propinquorum; set semper, dum flatum emisero, in mea manu meoque dominio habeatur. Post finem vero meæ vitæ, ut major memoria sit patris et partem valeam habere in ipsius benefacto, non modo illud quod pater donavit, quod nunc teneo, dono domni abbatis Majenardi et aliorum seniorum, set omnia cum his quæ in ipso sunt, scilicet molendinis, terris cultis et incultis, pratis, silvis, ad eundem locum, a quo accepi, deveniant in usus servorum Christi. Ut autem absque calumnia ulla vel contradictione hoc fiat, litteris mandare studui; ob hoc maxime ne aliquis meorum succedentium, nec etiam filius, si aliquis michi fuerit, sibi vindicet. Seniori quoque meo Odoni, comiti inclito, proceribusque suis, trado corroborandum. ut sequens in evum firmum et inconvulsum permaneat quod insertum est. S. Odonis comitis. S. Bertæ, matris suæ. S. Agnetis, filiæ ipsius. S. Walterii comitis. S. Gausfridi militis. S. Hervei vicecomitis. S. Rodulfi. S. Gausberti. S. Alberti. S. Wascelini. S. Sulii. S. Joscelini, qui hanc cartulam firmari instituit. S. Gausfridi, militis sui.

CAPITULUM V.

Conventio comitis Odonis de Bosco Medio.

(Ante a. 1024.)

« Notum sit, cum presentibus tum futuris, de quadam conventione quæ facta est inter comitem Odonem (141) et monachos Sancti Petri. Habent enim prædicti monachi quandam terram, in comitatu Dunensi, quæ vocatur Boscus Medius, de cujus quadam parte contentio erat inter homines ejusdem comitis et homines Sancti Petri, quæ etiam sacramentis et judiciis inter eosdem est partita. De ea vero parte quæ ad comitem Odonem pertinuit, præfatus comes, pro animæ suæ remedio, habuit conventionem erga Magenardum abbatem et monachos ejusdem loci, ut eis illam redderet; ea scilicet ratione, ut eam prædictus comes tantum in vita sua teneret, et monachi unum colonum in vestituram; post mortem vero præfati comitis ad eundem locum terra prædicta remaneret. Et ut hæc conventio firma inter eos fieret, hoc scriptum comes fieri jussit; et ut in perpetuum ratum et firmum permaneret, manibus suis illud roboravit, et manibus fidelium suorum roborandum tradidit. S. Odonis comitis. S. Ermengardis (142), uxoris ejus. S. Bertæ reginæ. S. Agnetis. S. Ivonis. S. Rainoldi vicedomini. S. Nivelonis. S. Wascelini. S. Landrici largi. S. Gilonis. S. Tedbaldi laici. S. Odonis. S. Gausberti. S. Siebodi. S. Walterii. S. Tedbaldi clerici. »

Hæc conventio secuta minime fuit; nam, gladio Lothariorum interfectus, non valuit sequi conventionem, nec filii ejus in propriis usibus terram prefatam nequaquam habuisse noscuntur. Milites quoque qui eam possident asserunt eandem terram, cum saltu adiacente, datam esse Walterio de Alogia

(139) B : *Blumvillare.*

(140) Sic.

(141) Odo II, comes Carnotensis, priorem uxorem duxerat Mahildem, anno 1005; alteram autem Franciæ Ermengardem, Roberti I, Arvernensis comitis, filiam, anno 1020.

(142) In *Gall. Christ.*, t. VIII, col. 1220, Magenardus abbas conjicitur obiisse a. 1013; sed ex subscriptione Ermengardis comitissæ, itemque inde quod Adrefastus, post concilium a. 1022 Aurelianis habitum, superstite tunc Magenardo abbate, in monasterium Sancti Petri secessit, videtur hujusce abbatis regimen usque ad a. 1023 producendum.

ab Odone comite, in prælio Pontis Levigati (143) ubi male pugnavit contra Fulconem (144), Andegavensem comitem. Utrum vero verum dicant, an non, certus non sum; tamen scio quia colonus, qui sicut superius, datus est a comite monachis in vestituram, sub potestate eorum usque in præsentem diem permanet. Terminatur denique ipsa terra de qua loquor, ab orientali plaga, saltu magno, quem quantum arcus sagittam potest jacere tantum possidere videmur, cum illis qui participantur nobiscum eandem terram; et ab occidentali quidem plaga, dividitur quadam via, sub qua via usque ad aquam vocitatam Ederam tota terra, ab antiquis temporibus, monachorum potestati subdita, et usque ad fontem nominatum Meidlai, de quo mulier aurire nullo modo valet inulta (nam fertur quædam temere ausisse statimque lumen amisisse); ex altera parte, terra Buxeduli, quæ a modernis monachis etiam et ipsa potestati eorum, jure emptionis, subposita esse noscitur. Verumenimvero de supradicta conventione, id quod domni Rodberti, nostri monachi atque Fossatensis cenobii quondam abbatis, relatione persepe audivi, silere nequeo; quia, dum cordis caminus indignationis igne valde succenditur, necesse est aliquo aditu ignis fumum, ut ad alta evolet, egredi. Unde ipse quod ab eodem viro audisse me memini palam proferam. Referebat namque quia tunc temporis monachi quandam villam habebant, non longe a castro quod Provinus vocitatur, et ipsa Guuiz nominatur; quam statim, in præfata conventione, Magenardus abbas cum omnibus fratribus comiti dederunt, ut partem ipsius terræ quam supra diximus, post comitis mortem, reliquæ terræ, quæ propria erat jure hereditario, adjunctam, possiderent. In quo, pro incertis cetera relinquentes mores canis sunt secuti carnis offam ore tenentis, cujus aviditas tanta esse cernitur, ut, fluminis aquam transmeans, dum viderit umbram carnis in fundo fluminis, hianti ore currens ad umbram nonquam sumendam, offam perdidit, undis currentibus, fugientem.

CAPITULUM VI.

De Tesneriis et Grosso Testiculo Sancto Petro datis.

(Ante a. 1024?)

« In Christi nomine. Ego Ermentrudis, Erchembaldi primum, postea vero Bernardi conjunx, notum esse volo sanctæ Dei æcclesiæ fidelibus, universis præsentibus atque futuris, qualiter alodos meos, quos habebam in Carnotensi pago, juxta Pomeriatam, Sancti Petri monachorum terram, eidem Sancto Petro, Carnotensi videlicet cœnobio, trado et perpetualiter habendos transfundo, per deprecationem Hunveri militis mei, pro anima Solionis filii mei, et Bernardi mei senioris, et mea. Sunt itaque alodi de quibus est sermo juxta Pomeriatam, Sancti Petri terram monachorum: nomen uni Tesnerias, et alteri, sibi contiguo, nefarium nomen, tamen vulgo, Grossus Testiculus. Terminatur autem ex una fronte, terra Sancti Petri, videlicet supradicta Pomeriata; altera vero, Sancti Martini Carnotensis; tercia si quidem parte, Sigenfredi hominis Fulcherii; quarta vero fronte, terra filiorum Guaszonis. Infra has itaque terminationes, alodos Sancto Petro concedo, ea conventione, ut annis singulis, in festivitate Sancti Mauricii, duos solidos denariorum de censu persolvant supradicto Unvero, vel illis ad quos beneficium devenerit. Si vero negligentes fuerint in solvendo, legaliter emendent, et quod damus non perdant; set desuper securi edificent, et in perpetuum possideant. Ut autem hæc noticia sit firmior in secula, manu mea corroboravi, militumque meorum manibus corroborandam tradidi. S. Ermentrudis. S. Ermentrudis, neptis ejus. S. Unveri. S. Ermæ, uxoris ejus. S. Raherii, filii ejus. S. Aremburgis, filiæ ejus. S. Adelais, filiæ ejus. S. Ebrardi, nepotis ejus. S. Hugonis. S. Odonis. S. Giroldi. S. Drogonis. S. Osmundi. S. Bernardi. S. Teudonis, filii Unveri. S. Solionis. S. Rorigonis. S. Gerardi. S. Rainerii. S. Rogerii. S. Guidonis. S. Berionis. S. Germundi. »

Census iste inscriptus constat esse concessus, quia modo minime datur neque a quoquam requiritur.

CAPITULUM VII.

De Jerani Villare per precariam dato Gradulfo militi, et de Palisiaco in recompensatione ab eo dato.

(Ante a. 1024.)

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Patris videlicet, Filii, et Spiritus Sancti. Fulbertus, gratia Dei, Carnotensium episcopus, et abbas Sancti Petri monasterii Magenardus, et congregatio fratrum. Notum esse volumus sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus universis, præsentibus atque futuris, qualiter ante nostram præsentiam veniens miles quidam, nomine Gradulfus, humiliter expetiit, ut de quadam terra nostri prædicti monasterii precariam sibi faceremus, et ipse, pro reconpensatione, quendam alodum suum delegaret nostris usibus; ea videlicet ratione, ut, quandiu viverent ipse et uxor ejus, nomine Oda, in cujus dote est prædictus alodus, utrumque tenerent; post decessum vero eorum, utrumque fratribus remaneret. Cujus petitionibus libenter adquievimus, per assensum Odonis comitis, in cujus comitatu sunt utræque terræ de quibus est sermo. Nostra siquidem terra, quam per precariam poscit habere, in Carnotensi comitatu posita, vocatur Gerani Villare; et ille alodus quem reconpensat, in Drocasensu (145) comitatu, super flumen Blesis, positus, nominatur Palisiacus. Nostram itaque terram Jerani Villare, eo tenore Gradulfo supra nominato per precariam concedimus, ut, quandiu ipse advixerit et prædicta ejus Oda uxor, utrumque

(143) Commissum est id prælium Ponte Levigato (*Pontlevoi en Touraine*) pridie nonas Julii anni 1016.

(144) Cognomine *Nerra*.

(145) Sic. B : *Dorcasini*.

teneant; post decessum vero eorum, et terra quam damus, et alodus jam nominatus, quieta et solida ad usus fratrum perveniant. Placuit iterum ut hæc nostra conventio in duabus cartis scriberetur, quarum unam prædictus miles haberet, altera vero nobiscum remaneret. Et ut hæc noticia permaneat firma, nostra nomina assignavimus et comitis Odonis, eorumque qui huic negocio maxime interfuerunt nomina subnotavimus. S. Fulberti episcopi. S. Odonis comitis. S. Magenardi abbatis. S. Durandi decani. S. Arnulfi. S. Marcuini. S. Richerii. S. Beringerii. S. Waldrici. S. Letaldi. S. Cristophori. S. Gauzberti. S. Guinefredi. S. Otberti. S. Huberti. S. Rodberti, et ceterorum. »

Post mortem quidem Gradulfi et uxoris ejus Odæ, de supradictis terris multa mala perpessi sunt monachi a parentibus prædictorum, dicentibus jure sibi competere quod parentes eorum ante se visi sunt tenere. Unde monachi, infinitam pecuniam dantes, tandem, Deo opitulante, in suis usibus retorserunt.

CAPITULUM VIII.

De Agneis Villa.

(Ante a. 1024.)

De Agneis Villa litteras, preter subscriptas, in scriniis nostris invenire non potui : unde, ut conjicio, aliæ minime factæ fuerunt; set, per has, illi quibus terra excambiata fuit a comite Odone, donum Sancto Petro et monachis fecerunt, et in testimonio terræ datæ usque in præsentem diem sunt servatæ. Litteræ autem hujus modi sunt :

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Odo, Carnotensium comes. Notum namque volumus esse omnibus sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus, nostrisque successoribus, præsentibus atque futuris, quia quidam clericus, vocabulo Ledbertus, cum fratre suo Heriberto, nostram ante præsentiam postulavit, ut illis quendam alodum, pro sua hereditate quam habebant in pago Senonico, concambiassem, firmitatemque litterarum sibi corroborari fecissem. Quod quidem et feci. Est autem præfatus alodus in pago Dunensi, in loco qui vocatur Agneis Villa, et pertinent ad ipsum duæ olchæ cum puteo; alioque in loco campi duo, de terra arabili agripenni duo; et in tercio loco, ad puteum Sichardi agripennum unum; in quarto loco, qui vocatur Budelea, agripennum unum. Terminatur præfatus alodus ex una parte, alodo Ragenardi; ex altera, Ugonis; a tercia, via publica; a quarta, terra Sancti Florentini. Dedimus etiam jam dictis personis vendendi vel dandi eum cuicumque voluerint. Si quis vero, quod minime venturum credimus, qui contra hanc auctoritatem insurgere voluerit aut infringere, iram incurrat Dei, et quod repetierit non evincat, set, judiciaria potestate coactus, libram auri cui litem intulerit solvat. Quatinus autem hæc carta firmior sit, manu propria cum signo crucis eam subterfirmavimus, fidelibus quoque nostris roborandam obtulimus. [S. Odonis comitis. Ledgardis comitissæ. Rotroci. Gelduini. Rotberti. Hugonis. Landrici largi. Alberti. Gilonis. Nivelonis.] »

Scriptis (146) autem, quas repperi, cartis sub tempore Magenardi abbatis editis, ejus introitum, a domno Fulberto, postea præsule, scriptum, huic operi inserere curavi, ut omnibus pateat non solum simplices, set etiam peritissimos viros, persepe caducorum bonorum ambitione decipi.

Abbate (147) Sancti Petri graviter egrotante, set adhuc mentis et sermonis compote, Magenardus monachus, ante michi non mediocriter carus, noctu sese de claustro subripuit, et ad Tedbaldum comitem, qui Blesis tunc morabatur, abatiæ petendæ gratia, properavit. Comes illum postridie remisit ad nos cum legatis, qui denonciarent recipiendum magnifice, sicut abatem, canonicis et monachis. At nobis fere omnibus ea res æquæ nova et horribilis fuit. Respondimus itaque longe aliter nobis videri; nec enim legitime fieri abatem, nec debere recipi, qui abatiam alterius, ipso vivente, per ambitionem petit; qui a fratribus non eligitur et super illos nititur dominari; postremo qui noster neque monachus sit, neque clericus, et plures habeat testes curialiter agitandi quam monastice vivendi. Hæc ille non gratanter accipiens, ad comitem redequitat, iramque juvenis adversus nos vehementer inflammat; set, die quinto postquam suum ambitum publicavit, prædictus abbas suam egritudinem morte limitat. Conveniunt ad capitulum nostri monachi et quidam canonici, quos ratio postulabat admitti. Interrogavimus an aliqui fratrum incepto Magenardi favebant. Negant singuli, negant omnes. Decrevimus quosdam eorum esse mittendos ad comitem, nobis videlicet designatum episcopum, ut patris Gisberti obitum nonciarent, et alterius eligendi regularem precarentur licentiam. Quibus missis, ecce alii duo, Vivianus scilicet et Durandus, alter inlitteratus, alter litterarum malesanus interpres, ambo præpositi, simulantes, causa communis commodi, ad obedientias suas se velle exire, ac ne aliorsum pergerent sibi interdicente decano monasterii, Magenardum tamen secuti sunt; cui ceptam presumptionem occulte persuaserant, et Blesis, in presentia domni Tedbaldi, ipsum Magenardum a fratribus peti et eligi perfide mentiti sunt. Horum suffragio lætus, comes statim eum baculo pastorali publice donat. Quo audito, fratres qui in claustro remanserant, contra hanc fraudulentiam zelo divinæ legis accincti, libellum reprobationis fecerunt atque subscripserunt hujusmodi :

« Sciat omnis æcclesia quia Magenardum nostrum abbatem fieri non eligimus, non laudamus, non volumus, non consentimus; set reprobamus, refutamus

(146) Deest hic epilogus in cod. B.
(147) Hoc scriptum Fulberti exstat apud Bouquet, *Rec. des Hist. de France*, t. X, p. 444.

et omnino contradicimus, non videlicet de cœnobio Sancti Petri quorum nomina subscripta sunt. Durandus decanus. Genesius. Isembertus. Alveus. Richerius. Herbertus. Benedictus. Rodbertus. Evrardus. Arnulfus. Marcuinus. Warinus. Walterius. Guarnerius. Beringerius. Waldricus. Bernardus. »

Isti itaque omnes sua nomina aut subscripserunt aut subscribi jusserunt, me vidente. Die proxima, comes Tedbaldus redit; set in monasterium recipi cum processione præmandat. Monachi respondent se libenter hoc agere, si præsumptorem illum non adduxerit secum. Ille denuo iratus ipso tamen die sustinuit, set in sequenti, cum strepitu cominantium, in Sancti Petri monasterium suum Magenardum obtrusit. Ad cujus violentum ingressum sancti fratres, contaminari ipsius communicatione timentes, sanctuario Domini salutato cum lacrimis, exierunt, atque, aliud refugium nescientes, ad limina principalis æcclesiæ confugerunt; ibi quoque utroque pastore desertæ oves mestis sese vocibus consolantur. Set recipit eos sancta mater Domini, solita pietate. Recipit Rodulfus decanus, dulci benignitate. Inde transierunt ad cœnobium sancti patris Herberti, cujus dives caritas, de paupere censu, quæque potest illis necessaria subministrat. Ceterum ille frater cujus importunitate depulsi sunt, ab Herviso quodam, ut aiunt, Britannicæ regionis episcopo, quarto nonas Februarii, abbas simulatus est in suburbio Carnotensi, absente clero, indignante populo, legato archipræsulis palam contradicente ne id fieret, reclamantibus etiam quibusdam monachis qui in loco remanserant, vero vultu, viva voce atque regulari auctoritate. Set et nunc ille primas in abatiæ suggestu seculari potentia fretus, de peracta victoria gloriosus, in auctores ejus, abbates, episcopos atque ipsum papam ambitiendo, ne quid gravius statuatur in illum modis omnibus elaborat. Jacet interim victa confusaque fratrum expulsorum humilitas, nec est præsul in Galliis, cujus viscera tangat affectio pietatis aut zelus sacræ legis inflammet, ut consurgat ad frangendos impetus herrorum, ad relevandas spes dolore tabescentium. Defuncta etenim est Dionisii fortitudo, non comparet pietas Martini. Tu quoque dereliquisti nos, sancte pater Hilari, qui olim unitatem æcclesiæ Spiritus Sancti gladio tuebaris. O derelicta! o mesta! o desolata Galliarum ecclesia! Quæ jam erit spes salutis ulterioris? Ubi amplius anima Christiani afflicta respirabit? Hoc namque solum vel maxime nos confortare videbatur, quod si contingeret ruinas mœnium tuorum resarcire non posse, liceret saltem ad firmum adhuc capitolium vitæ monasticæ confugere. Quod etiam si furibus inreptare aut impune quibuslibet ambitiosis invadere licet, pro dolor! funditus cecidisti. Unde jam ad te revertens, venerande pater, quem ego credo et video adjutorem a Domino nobis esse provisum, cum domno meo tuoque fideli Rodulfo, deprecor et obtestor per ea quæ tibi data sunt sapientiæ sancta karismata, per dulcedinem fraternæ caritatis, si quid potes, inpugna hostes Domini, fratres allisos refove, nec perire sinas, inopia solacii tui, pro quibus credis esse fusum sanguinem Christi.

Interea, orationis gratia, comes Romam perrexit (148), et, inde rediens, in itinere peregrinus obiit, atque veiculis deportatus Carnotis, in capitulo Sancti Petri, ad pedes fratris sui Teoderici, cum magno fletu, collocatur. Deinde Rodulfo decano a Roberto rege in episcopatu sublimato, amaritudinis zelus, comitis timore paulo ante sopitus, vehementer in Magenardum abbatem inflammatur atque in tantum progreditur ut, baculo pastorali auctoritatis manu extorto, in domo episcopi per diès aliquot commorari fecerint. Postquam vero instantem in orationibus per noctem in vigiliis, luculentum in sermonibus, pollentem in litteris, eum animadverterunt, postposita lite, et pastoralem baculum et abbatiæ suggestum, gratanti animo, reddiderunt. Qui, quandiu vitalis flatus ei comes fuit, pio amore oves sibi commissas duplici victu affatim pavit. Quo mortuo, antequam matri redderetur, Arnulfus edituus a Fulberto episcopo loco ejus subrogatur. Ad cartas ergo suo tempore patratas nostra veridica vertatur pennula, ut capitulatim conglobatas studiosus indagator cito quod voluerit invenire valeat.

(148) Anno 1004.

LIBER SEXTUS
SIVE
ARNULFI ABBATIS.

(Ab anno 1023 ad annum 1033.)

CAPITULUM I.
De guerpo Ursi Villaris ecclesiæ.
(Ante a. 1028.)

« (149) Sub æterno regimine summoque sacerdotio Christi, meo tempore, constitutus, ego Odolricus, Aurelianorum episcopus, notum fieri volo contemporalibus atque successoribus meis modum et finem causæ quæ in hac cartula scripta est. Mona-

(149) Exstat hæc charta in *Gall. Christ.*, t. VIII, instr., col. 491

chi Sancti Petri Carnotensis cœnobii possidebant, ex longo tempore, quandam æcclesiam in pago Dunensi, in loco qui dicitur Ursi Villaris. Quidam vero casatus noster, nomine Hilduinus, cum suis propinquis, intendebat eis calumniam de ipsa æcclesia, dicens eam ad casamentum nostrum et ad suum beneficium pertinere. Addebat etiam temporibus antecessorum meorum se satis agitasse calumniam istam, set justiciam minime consequi potuisse. Convenimus ergo domnum Fulbertum, episcopum Carnotensem, et Arnulfum, Sancti Petri abbatem, ut de ista causa darent nobis audientiæ locum; quod et fecerunt semel in eadem villa quæ dicitur Ursi Villaris, et iterum in villa quæ dicitur Castanetus. Discussa itaque ex utraque parte controversia, invenimus partem monachorum ita scriptura et testibus et longa vestitura suffultam, ut nulla Christianorum lege posset supradicta æcclesia ab eorum possessione auferri. Unde contra jus atque fas contendere nolentes, ego videlicet Odolricus episcopus, et frater meus Isembardus, et predictus Hilduinus, cum filiis et ceteris propinquis suis, ex toto gurpivimus inceptam calumniam monachis Sancti Petri, annuentes ut solide et quiete possideant ecclesiam suam Ursi Villaris in perpetuum, sicut justum esse comperimus. Interdixi etiam, episcopali auctoritate michi a Deo tradita, ne quis successorum nostrorum prædictos monachos Sancti Petri, per hujus modi sacrilegam calumniam, ulterius inquietet. Quod scilicet interdictum si quis temerarius violare præsumpserit, sacrilegium præsumptionis suæ legaliter emendet, et punitus ab incepto desistat. Quod si pertinaciter odiosæ calumpniæ inherere maluerit, illo quo Deus iratus incorrigibiles dampnat anathemate feriatur. Fiat, fiat. Nos vero qui calumniam supradictam gurpivimus, nomina nostra nostrorumque fidelium qui præsentes aderant, in præsenti cartula, memoriæ causa, fecimus adnotari. S. Odolrici, Aurelianensis episcopi. S. Fulberti, Carnotensis episcopi. S. Alberti abbatis. S. Isenbardi laici. S. Erfredi clerici. S. Salonis clerici. S. Bovonis, decani Sancti Martini Turonensis S. Tescelini clerici. S. Tedoini clerici, filii Alberici. S. Hilduini laici. S. Hilduini, filii ejus. S. Odolrici, filii ejus. S. Pontelini, nepotis ejus. S. Godefredi laici. S. Adroldi vicecomitis. S. Frederici fr. laici S. Hugonis Radoardi. S. Gualoi laici. »

CAPITULUM II.

De rebus quas Richardus comes Sancto Petro dedit.

(Ante a 1028.)

« (150) In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Ego Richardus, Normannorum comes humillimus. Dum, catholicæ religionis scripturam audiens per verba ammonitionis exponi, hujus transitoriæ perpetualisque, scilicet secularis et cœlestis, conditionem adquisitionis mecum tacitus reputarem, quæ harum præstantior firmiorque consisteret; tunc, per divinæ illustrationem gratiæ, istic fluctuationis motionem, illic vero stationis vocationem esse percepi. Deinde, simili ratione, in propatulo constitit non humanæ set potius divinæ esse concessionis me tantæ imperiositatis dominio sublimari, nec ob aliud nisi a t sanctæ matris æcclesiæ defensionem et constituen dam juris publici normalitatem. His ita per r tionis indagationem cognitis, veritus sum ne illad evangelicum : *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidatur et in ignem mittatur*, michi infructuoso deputaretur, si non per bonorum emolumentorum fructificationem cœlestis adquisitionis consecutor fieri meruissem, nec sanctæ ecclesiæ congregationem, probitatis exemplo, ad meliora revocarem. Ac memor illius quod dicitur : *Habentes donationes secundum gratiam quæ data est vobis*, possessionis michi divinitus concessæ Deo portionem dare decrevi, quia qui in Christo thesaurizat non ignorat cui congregabit ea. Quapropter cunctis Christi fidelibus innotescat qualiter ego supradictus Richardus, pro animæ meæ parentumque meorum remedio, tradidi Sancto Petro Carnotensis cœnobii et monachis ibidem servientibus quandam hospitalitatis receptionem, cum terra ceterisque suppellectilibus, in villa Lereti, in comitatu Constantini, dicto Techvillam, cum ecclesia et molendinis, omnibusque appenditiis, ritu videlicet consuetudinario in pristinorum loco decretorum perpetualiter existendo; et in comitatu Lesuin piscatoriam in fluvio Tolca, per sabati vesperum et diem dominicum integrum; in Sequana vero, cum dierum noctiumque continuatione, a summo sabati diluculo usque ad eundem feriæ secundæ terminum, tractus octo mearum saginarum, duarum scilicet in portu Danes et quatuor in portu Guellebod, duarum in fossa Helluini; et ut in omnibus mercimoniis ubivis locorum meæ potestatis agendis nichil telonei persolvant, pro Christi amore, perpetualiter perdonavi. In villa quoque Cadoni, supra memorati cœnobii monachis quandam mansionem cum omnibus intrinsecus et extrinsecus appenditiis tradidi, eo rationis tenore, ut ex illis ceterisque rebus prætitulatis, absque omnis contradictionis molestia, liberam habeant potestatem retinendi. S. Richardi comitis. S. Gonnor comitissæ. S. Richardi, filii ejus comitis. S. Rodberti, comitis ejusdem filii. S. Willelmi, filii ejusdem. S. Roldrici clerici. S. Rodberti archiepiscopi. S. Herberti episcopi S. Teoderici, abbatis S. Hunfridi. »

CAPITULUM III.

De rebus quas dedit Arefastus monachus Sancto Petro.

(Ante a. 1028.)

« In nomine Domini. Ego Arefastus notum esse volo omnibus Christianis, quia res hereditatis meæ Sancto Petro concedo Carnotensi cœnobio, pro salute mea et antecessorum meorum nec non et pro salute comitis Richardi (151) et matris suæ Gonnoridis, et

(150) Vulgata a Mabill. *Sæc. Benedict.* VI, part. I, p. 282.

(151) Hic agitur de comite Richardo II, qui vita functus est anno 1027.

filiorum utriusque, quorum consilio et favore id facio. Sunt autem ipsæ res in pago Constantinensi, provinciæ Normanniæ, per loca divisæ, quarum nomina subscripta videntur. In villa scilicet quæ vocatur Hams, sextam partem de omnibus reditibus quæ de illa exeunt, videlicet de æcclesiis, et de silva, et de plano, et de mariseo, excepto molendino et exclusa quam fecit Rogerius fieri. Set tamen in molendino illo, qua hora voluerint fratres, quibus hæc concedo, molere poterunt, absque respectu, si dominica annona illius inventa non fuerit cujus est molendinus, nullum inde emolumentum reddentes. Concedo etiam in aqua ejusdem villæ, cui nomen est Uldra (152), duas piscarias; et in eadem villa manentes tres milites concedo cum beneficiis suis, qui sic vocantur, Rollo et Angoht et Unbeina, ut inde persolvant liberum servitium. Concedo etiam de Torgis Villa terciam partem, hospitibus exceptis duobus, Suedan et Anschetil nigro, cum illorum duabus salinis, quos meo nepoti Bosolino concessi ut de hoc persolvat liberale servitium Sancto Petro. Ceterorum hospitum salinæ, cum masuris suis, quas habent in illa tertia parte de Torgis Villa, Sancti Petri sint. Et unam piscatoriam in mari Sancto Petro concedo, et unum molendinum in ea villa quæ dicitur Barna Villa. Si quis autem supradicti cœnobii, vel abbas vel minister, aliquid hujus donationis vel totum seu vindiderit sive dederit, Sancto Petro, cui ego dono et ille tollit, rationem reddere cogatur. Amen. »

Sciendum vero est tam præsentibus quam futuris, quoniam nos contemporanei Arefasti illos tres milites quos dicit esse ad serviendum nobis in Ham Villa, nec habuimus nec novimus, præter unum solum, Rogerium nomine, qui, ut reor, septem achras terræ in beneficio ex monachis possidet. Boselinus quoque nepos ejus, quem bene novimus, in Turgis Villa, hoc quod a nobis tenere videbatur et a patruo suo datum fuerat, latrociniis et aliis nequitiis ita fuit obnoxius, ut totum illud beneficium nobis relinqueret et in quodam croto, juxta peribolum quod edificavit venerabilis Landricus abbas in circuitu cœnobii, cum omni domo sua, monachorum prebenda, non parvo vixit tempore.

Rursum (153) quoque duxi dignum memoriæ tradendum de præfato viro, scilicet Arefasto, quomodo in Aurcliana urbe, divina ope suique ingenii salubri acumine, hereticam pravitatem latenter pullulantem, jamjamque per Galliarum provincias nefandi herroris venena exitialia propinantem, non solum deprehenderit, sed etiam omnino compresserit. Erat enim de genere comitum Normannorum, eloquio nitidus, consilio providus, bonis moribus comptus, ac iccirco legationis officio, tam aput Francorum regem quam aput proceres, notissimus extitit. Hic in domno sua quendam clericum habuisse dicitur, A nomine Herbertum, qui, lectionis gratia, Aurelianam urbem adire decreverat. Verum dum veritatis auctores querere satageret, ceco itinere in totius heresis baratro dilabitur. Nam ea tempestate in eadem civitate duo clerici Stephanus et Lisoius (154) aput omnes sapientia clari, sanctitate ac religione magnifici, eleemosinis largi, opinione habebantur vulgi. Eosdem memoratus expetiit clericus et, parvo temporis intersticio, docilis discipulus, cum divini verbi dulcedine, ab eis debriatur mortifero nequitiæ austu. Qui dementia et herrore diabolico ineuntes, totius divinitatis expers, sapientiæ arcem conscendisse se credidit. Qui patriam repedans, dominum suum, quem singulari affectu diligebat, subtilitate verborum in herroris viam sensim ammonendo, B secum adtrahere cupiebat, testificans Aurelianam urbem, præ ceteris urbibus, coruscare luce sapientiæ atque sanctitatis lampade. In cujus verbis domnus ejus, intellectuali auditu, ipsum animadvertit a via justiciæ devium, et cito comiti Richardo causam innotuit, atque rogavit ut Rodberto regi, litteris, pestem in regno ejus adhuc latitantem, antequam propagaretur, patefaceret, et ut rex eidem Arefasto, ad expellendam eam, oportunum auxilium non denegaret. Itaque rex, insperata re attonitus, mandavit ut idem vir, cum clerico suo, ad Aurelianam urbem cito gressum dirigeret, pollicens omnimodis in hac re suum auxilium. Cumque, jubente rege, iter ageret, Carnotis devenit, Fulbertum venerabilem antistitem super hac re consulturus, qui forte tunc C aberat; nam Romam, gratia orationis, abierat. Tunc causam sui itineris cuidam sapienti clerico, Ebrardo nomine, Carnotensis æcclesiæ sacriscrinio, innotuit, flagitans sui consilii opem, qualiter stare deberet in acie, et quibus armis se muniret contra multimodas artes diabolicæ fraudis. Qui, sapienti usus consilio, eum perdocuit ut cotidie, primo mane, Omnipotentis opem quæsiturus æcclesiam devotus adiret, orationi incomberet, atque sacrosancta communione corporis et sanguinis Christi se muniret, deinde fidenter ad audiendum hereticam pravitatem, signaculo sanctæ crucis protectus, pergeret, nichil horum quæ ab eis audiret contradiceret; set, simulato discipuli vultu, omnia tacitus in pectoris domicilio conferret.

D Igitur Aurelianis deveniens, uti edoctus fuerat, cotidie sacra communione ac supplici oratione munitus, ad eorum doctrinam veniens, ad instar rudis discipuli, ultimus, intra domum herroneorum, ultimus adsidebatur. Cumque primum divinorum voluminum exemplis eum et quibusdam rerum similitudinibus informarent, atque, more perfecti discipuli, subdita aure intentum viderent, inter alias similitudines silvestri arboris similitudinem ei proferunt. « Tractandus es, inquiunt, a nobis ut arbor silvestris qui translatus in viridiario, tandiu aquis perfunditur

(152) Fortasse *l'Orne*, ut conjicit D. Muley.
(153) Deest hæc narratio de manichæis in codice B. Edita est in Script. Franc., t. X, p. 536.

(154) Sive *Lisovis*, cum utramque lectionem proferant litteræ

donec humo radicetur; dehinc spinis et rebus superfluis emundatur, ut, postmodum terræ tenus truncatus sarculo, meliori inseratur ramusculo, qui postmodum fertilis sit mellifluo pomo. Itaque tu, simili modo translatus de iniquo seculo in nostro sancto collegio, aquis perfunderis sapientiæ, donec informeris, et gladio verbi Dei vitiorum spinis carere valeas, ac, insulsa doctrina tui pectoris ab antro exclusa, noctram doctrinam a sancto Spiritu traditam mentis puritate possis excipere. » At ille de omni verbo quod proferebant semper Deo gratias referebat; unde rati sunt eum conversum esse in eorum herrorem, jamjamque suæ nequitiæ sentinam, verbis divinorum librorum antea coopertam, securi aperiunt, dicentes Christum de Virgine Maria non esse natum, neque pro hominibus passum, nec vere in sepulchro positum, nec a mortuis resurrexisse; addentes in baptismo non esse ullam scelerum ablutionem, neque sacramentum corporis et sanguinis Christi in consecratione sacerdotis. Sanctos martyres atque confessores implorare pro nichilo ducebant. Cumque hæc et alia execranda perditi et miserrimi homines a fetido pectore evomerent, Arefastus sic ad eos dixisse fertur : « Si in his quæ enumerastis salus hominum quæ speratur nulla, ut dicitis, esse potest, a vobis obnixe rogo, michi aperiri in quibus sperari poterit, ne meus animus in dubio positus cito cadat in desperationis ruinam. — Procul dubio, trater, inquiunt, in Caribdi falsæ opinionis actenus cum indoctis jacuisti; nunc vero erectus in culmine totius veritatis, integræ mentis oculos ad lumen veræ fidei aperire cœpisti. Pandemus tibi salutis hostium, quo ingressus, per impositionem videlicet manuum nostrarum, ab omni peccati labe mundaberis, atque sancti Spiritus dono repleberis, qui scripturarum omnium profunditatem ac veram divinitatem, absque scrupulo, te docebit. Deinde cœlesti cibo pastus, interna societate recreatus, videbis persepe nobiscum visiones angelicas, quarum solatio fultus, cum eis, quovis locorum, sine mora vel dificultate, cum volueris, ire poteris, nichilque tibi deerit, quia Deus omnium tibi comes numquam deerit, in quo sapientiæ thesauri atque divitiarum consistunt. »

Interea rex et Constantia regina, sicut vir memoratus mandaverat, ad urbem Aurelianam, cum episcoporum collegio, venientes, die sequenti, illo ipso suggerente, omnis illa nequissima congregatio simul per officiales regios de domo ubi erant congregati sunt abstracti, et in æcclesiam Sanctæ Crucis ante regem atque episcoporum ac clericorum cœtum adducti. Set, antequam ad conflictum veniamus, de cibo illo qui celestis ab illis dicebatur, quali arte conficiebatur, nescientibus demonstrare curabo.

Congregabantur siquidem certis noctibus in domo denominata, singuli lucernas tenentes in manibus, et, ad instar letaniæ, demonum nomina declamabant, donec subito demonem in similitudine cujuslibet bestiolæ inter eos viderent descendere. Qui statim ut visibilis illa videbatur visio, omnibus extinctis luminaribus, quamprimum quisque poterat, mulierem quæ ad manum sibi veniebat, a l abutendum arripiebat, sine peccati respectu, et utrum mater aut soror aut monacha haberetur, pro sanctitate ac religione ejus concubitus ab illis estimabatur. Ex quo spurcissimo concubitu infans generatus, octava die, in medio eorum copioso igne accenso, piabatur per ignem, more antiquorum paganorum, et sic in igne cremabatur. Cujus cinis tanta veneratione colligebatur atque custodiebatur, ut christiana religiositas corpus Christi custodiri solet, ægris dandum de hoc seculo exituris ad viaticum. Inerat enim tanta vis diabolicæ fraudis in ipso cinere, ut quicumque de præfata heresi imbutus fuisset et de eodem cinere, quamvis sumendo parum prælibavisset, vix unquam postea de eadem heresi gressum mentis ad viam veritatis dirigere valeret. De qua re parum dixisse sufficiat, ut Christicolæ caveant se ab hoc nefario opere, non ut studeant sectando immitari. Verum quia digressionem fecisse videor, ad eadem modo quæ dimisi vertatur oratio, ac succincto cursu infidelium crudelitas, transcurrendo peragatur, ne prolixior controversiæ sermocinatio fastidium generet delicato lectori.

Igitur, ut dictum est, illis introductis ante regem et episcoporum conventum, prior Arefastus regem allocutus est dicens : « Domine, mi rex, miles sum Richardi, tui fidelissimi comitis Normanniæ, et inmeritus teneor vinctus et catenatus ante te. » Cui rex ita respondit : « Causam tui adventus cito nobis indica, ut, ea agnita, aut reus in vinculis teneariş, aut innoxius, a vinculis solutus, dimittaris. » Ad hæc ille respondit : « Audita sapientia et religione horum qui vincti adstant mecum ante te, ad hanc urbem venire volui ut inde, exemplo bonorum operum atque doctrina eorum, melioratus redirem. Hæc quidem causa est pro qua de patria mea exire volui et hanc urbem petii. Quod si reatu aliquo pro hoc opere teneor, præsules tibi assistentes videant et judicent. » Tunc præsules dixerunt : « Si sapientiæ ac religionis modum quem ab his didicisti nobis proferas, nostro judicio facile dinoscetur. » At ille ait : « Regia majestas et vestra auctoritas eis jubeat ut quæ me docuerunt ea ipsi coram vobis dicant, quatinus audita a vobis, aut digna laude habeantur, aut indigna oblivioni tradantur. » Quibus rex atque antistites cum juberent ut suæ fidei normam referendo patefacerent, totius veritatis inimici, alia pro aliis dicentes, intra suæ heresis fœditatem nullo aditu introire volebant; set ut serpens quanto plus in manibus stringitur, tanto amplius elabitur, ita et isti, quo anplius concludebantur veritatis sermone, tanto magis labiliores videbantur effugisse. Tunc Arefastus videns quod redimerent tempus, et sermonum clipeo festinarent obnubilare suæ fidei herrorem, ad eos est conversus, dicens : « Veritatis magistros, non herroris, vos habere putavi, dum constanter illam michi do-

ctrinam, quam salutiferam evangelizabatis, viderem vos docere, atque pollicebamini, pro pœnis inferendis et etiam pro morte tolleranda, nunquam eam esse a vobis denegandam. Nunc vero, oblita fide quam promisistis, ut video, timore mortis, ab illa doctrina longe vultis fieri, meque adhuc rudem discipulum in periculo mortis dimittere parvipenditis. Unde regiæ jussioni parendum est, et obœdire tantorum præsulum auctoritati oportet, ut in his quæ a vobis didici, si qua sunt christianæ religioni contraria, istorum judicio cognita, quæ sequenda sunt et quæ respuenda agnoscam. Docuistis equidem me nullam in babtismo promereri veniam peccatorum, neque Christum de Virgine esse natum, neque pro hominibus passum, neque vere sepultum, neque a mortuis resurrexisse, neque panem et vinum quod super altare, manibus sacerdotum, sancti Spiritus operatione, effici videtur sacramentum, converti posse in corpore et sanguine Christi. » Cumque hæc Arefastus viva voce perorasset, Guarinus, Belvacensis præsul, interrogavit Stephanum et Lisoium, qui hujus herroris videbantur esse magistri, si ita sentirent et crederent quæ ab Arefasto erant memorata. At illi, cum diabolo in inferno jam mansionen paratam habentes, vera esse memorata, et ita se sentire ac credere constanter asserunt. Quibus cum præsul diceret voluisse Christum nasci de Virgine, quia potuit, et pro nostra salute pati in humanitate, ut, tercia die, devicta morte, resurgeret in sua deitate, nosque doceret esse resurrecturos in reformatione; viperino ore responderunt dicentes : « Nos neque interfuimus, neque hæc vera esse credere possumus. » At (155) hæc præsul eos inquit interrogans : « Carnales parentes habuisse creditis, an non? » Cumque se credere assererent, præsul respondit : « Si ex parentibus vos esse procreatos creditis, cum non eratis, ante sæcula Deum de Deo genitum sine matre, in fine temporis, sancti Spiritus obumbratione, de Virgine natum, cur credere respuitis? » At illi dixerunt : « Quod natura denegat, semper a creatore discrepat. » Quibus præsul respondit, dicens : « Antequam quicquam fieret per naturam, non creditis per Filium Deum Patrem fecisse omnia ex nichilo? » Cui alienati a fide dixerunt : « Ista illis narrare potes, qui terrena sapiunt atque credunt ficta carnalium hominum, scripta in membranis animalium; nobis autem qui legem scriptam habemus in interiori homine a Spiritu sancto, et nichil aliud sapimus, nisi quod a Deo, omnium conditore, didicimus, incassum superflua et a Divinitate devia profers. Iccirco verbis finem impone, ac de nobis quicquid velis facito. Jam regem nostrum in cœlestibus regnantem videmus, qui ad immortales triumphos dextera sua nos sublevat, dans superna gaudia. »

Cumque ab hora diei prima usque ad horam nona multifaria elaborarent omnes, ut illos a suo herrore revocarent, et ipsi, ferro duriores, minime resipiscerent, jussi sunt singuli sacris vestibus indui in suo ordine, statimque ab antistibus a proprio honore sunt depositi, et, rege jubente, Constantia regina ante valvas basilicæ stetit, ne populus eos intra æcclesiam interficeret; et sic de gremio sanctæ æcclesiæ ejecti sunt. Qui cum ejicerentur, regina Stephani, sui olim confessoris, cum baculo, quem manu gestabat, oculum eruit. Deinde extra civitatis educti muros, in quodam tuguriolo, copioso igne accenso, præter unum clericum atque unam monacham, cum nefario pulvere, de quo supra diximus, cremati sunt. Clericus enim et monacha nutu divino resipuerunt.

CAPITULUM IV.

De æcclesia de Fontinido, quam fecit liberam Rodbertus archipræsul.

(Anno 1033).

« (156) Deo et Domino nostro Jhesu Christo præsidente. Decernimus, ego Rodbertus, gratia Dei Rotomagi archipræsul, et coepiscopi nostri Herbertus Lisivæ civitatis, Rodbertus Constantiæ, Radbodus Saxiæ, Hugo civitatis Ebroicæ; decernimus, inquam, atque sanccimus, ut æcclesia de Fontinido, pro amore et honore sancti Petri, apostolorum principis et magistri nostri, ab hac die in perpetuum ab omni sit inquietudine tam episcopi quam archidiaconi remota; eodem modo quo et Gesiaci cella Sancti Petri Carnotensis cœnobii cum illa æcclesia est subjecta, ab omni, inquam, respectu et inquietudine permaneat secura, tribus his solummodo exceptis : videlicet, ipsius æcclesiæ reconciliatione, olei et sacri chrismatis perceptione, et pœnitentium reconciliatione. Quæ omnia, sicut opus fuerit, ab episcopo cujus est diocesis postulentur, et ab eodem gratis et absque ulla præmii postulatione vel datione, propter honorem Sancti Petri, conferantur, ut et nos et successores nostros ab omni jugo peccati dignetur absolvere supradicti magistri nostri potestas et misericordia. Et ut hæc noticia inconcussa permaneat, manibus nostris eam roboravimus, signo quoque et nominibus corroboravimus, et Guascelino archidiacono, cui sub me proprius intererat, consignandam et confirmandam et aliis clericis et laicis nostris proposuimus. Si quis vero antichristus hoc pietatis opus, quod in Dei nomine cudimus, attaminare temptaverit, ex ore veri Christi et nostrorum omnium, quos vocare dignatus est Christianos suos, anathematis gladio juguletur. Hanc autem sugillationem vel, ut ita dicam, sigillationem singuli singulorum nominibus coepiscoporum subscribi decernimus. Rodbertus archipræsul, qui hoc opus pietatis incœpit et perfecit. Rodbertus Constantiæ. Rodbertus Lisivæ. Radbodus Saxiæ. Hugo Ebroas. Maingisus Abrincarum. Willelmus. Richardus. Ro-

(155) Sic, pro *ad*.
(156) Edit. in *Gall. Christ.*, t. VIII, instr., col. 297.

dulfus. Hugo. Wascelinus archidiaconus. Henricus, abbas Sancti Audoeni. Balduinus archidiaconus. Heinricus, presbiter et decanus. Rodulfus capellanus. Herluinus, levita et canonicus. Corbucio. Willelmus. Paschasius capellanus. Rodulfus de Sancto Sancsone. Atto, levita et capellanus. Odo præpositus. Odo, levita et capellanus. Osmundus Tudeborti. Rogerius, filius Hunfridi. Lescelinus. Guimundus parvus. Rogerius, filius Odonis præpositi de Noiomo. Albertus hostiarius. Rodulfus, filius Osberti. »

CAPITULUM V.

De recumpensatione Arnulfi abbatis.

(Anno 1033.)

« (157) In nomine Domini nostri Jhesu Christi. Ego frater Arnulfus, Sancti Petri Carnotensis cœnobii, licet indignus, abbas, cum fratribus michi commissis. Notum esse volo nostris successoribus, quia pro caritate et multa benignitate quam nostro loco et nobis inpendit, propter honorem Sancti Petri, amplectendæ memoriæ archipræsul Rotomagi domnus Rodbertus, de æcclesia nostri siquidem cœnobii, de qua omnem violentiam archidiaconi et successorum ejus removit in perpetuum, sicut in archivo nostro continetur, scriptum quod quidem ipse frequenter nominandus archipræsul domnus Rodbertus coram se scribi fecit et nobis servandum perpetuo contulit; pro hac, inquam, benigna caritate, notum esse volumus, quia gratanter constituimus atque sanccimus, ut, pro anima ejus, ab hac die in æternum, unus pauper quotidie pedes lavetur, reficiatur, vivus procuretur, mortuus sepeliatur; oportunis diebus psalmus in conventu plenario pro eo cantetur : *Exaudiat te Dominus, in die;* per singulas ebdomadas missa pro eo specialiter celebretur, cum plenario conventu. Multa enim alia præter hæc beneficia nobis largitus est, quæ omnia sibi recumpenset manu benignissima qui vivit et regnat unus Deus in Trinitate perfecta. Et ut hæc reconpensatio firma permaneat in secula, manibus nostris et nominibus confirmavimus, et in nostro aureo textu sancti Evangelii, ad inviolabile testimonium, posteris nostris scribi mandavimus. Arnulfus abbas. Ebrardus monachus. Beringarius decanus. Richerius monachus. Marchuinus monachus. Gausbertus monachus. Rodbertus monachus. Hubertus monachus. Letaldus monachus. Rogerius monachus. Guinefredus monachus. Berardus monachus. »

CAPITULUM VI.

De alodo Calidi Montis (158).

(Circa a. 1020.)

« (159) In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti. Catholicæ vereque matris æcclesiæ populis in christicolis laus semper viget, vigeatque perhenne. Hoc autem dignissimum justum quoque extat, quoniam est mater nostra, Christi vero Domini nostri sponsa, quam adquisivit suo cruore precioso : in ea enim renascimur per baptismatis lavachrum, ac in ea resurgimus a morte animæ per penitentiæ luctum, et post vitæ terminum nostra tumulantur cadavera in ejus atrium. Hanc Christus supra fidem quam confessus est fidelissimus Petrus fundavit, dum Domino dixit : *Tu es Christus, Filius Dei vivi.* Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jhesus. Sunt vero beati qui catholice vivendo habitant ibi, ut David cecinit : *Beati qui habitant in domo tua, Domine! in secula seculorum laudabunt te.* His aliisque dictis quampluribus, sanctorum dictis ac sacræ Scripturæ mysteriis edocta et ammonita, ego Hildegardis, vicecomitissa Castridunis, do sanctissimo Petro Carnotensis cœnobii alodum meum de Bello Monte, cum terris cultis et incultis, et silvis piscatoriisque ibidem pertinentibus, assentiente et annuente filio meo Hugone, archiepiscopo Turonorum, videlicet eo tenore quo, post exitum meum, sepeliar in claustrum monachorum, ut semper transeuntes super meum tumulum orent pro me jugiter. Hoc viderunt et annuerunt Castridunenses proceres, qui sunt scripti subter. Si quis vero ex progenie mea aut alius invasor, stimulis vel sagittis exsagittatus diabolicis, vim fecerit monachis, et elemosinam, quam Sancto Petro dedi, quocumque modo abstulerit, dampnatione dampnatus perpetua, pereat cum Dathan et Abiron et Anna et Caipha; auctoritateque filii mei archipræsulis Hugonis anathematizatus permaneat. Hugo archipræsul. Gausfridi, nepotis ejus. Huberti. Godescalci, filii ejus. Huberti, thesaurarii Cinomannensis. Radulfi, legis docti. Fulcaldi. Gathonis. Odonis Brunelli. Huberti Brunelli. Helgaudi, filii archiepiscopi. Helgaudi Nigri. Gradulfi. Firmati canonici. Frederici. Hugonis vicarii. Bernardi de Buslo. Junanigui, jussu archiepiscopi, has litteras fecit. »

CAPITULUM VII.

De exclusatio molendinorum Aneti.

(Ante a. 1034.)

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Patris videlicet et Filii et Spiritus sancti. Ego miles Urso, filius Germundi de Aisiaco notum esse volumus omnibus Christianis præsentibus atque futuris, quia medietatem de exclusatio molendinorum Sancti Petri Carnotensis cœnobii, qui sunt ad Anetum, quam meus avus dederat Sancto Petro et mei antecessores auctorizaverunt, et ego per malum consilium calumniabar, ab hac die, Sancto Petro quietum dimitto, ut et ego partem habeam in elemosinam meorum antecessorum. Et ut hæc noticia permaneat firma, vos seniores de Castello Ebriaco, in quorum præsentia hoc facio, testes estis Sancto Petro, quia ego manu mea illam firmavi, et ad quos pertinebat coroborandam proposui. S. Ursonis,

(157) Hanc chartam habes editam in *Gall. Christ.*, t. VIII, inst., col. 298.

(158) B : *De alodo Belli Montis.*

(159) Publici juris facta est charta in *Gall Christ.*, t. VIII, instr., col. 295.

filii Germundi, qui hanc cartam fieri jussit. Germundi vicecomitis. Hugonis, præpositi clerici. Gervini. Aitardi, fratris Germundi, qui hanc cartam fecit. Odonis, filii Ascelini Bordeti. Hugonis, fratris ejus. Bodonis. Odonis, filii Ragenadi. Borgereti. Guillelmi, filii Guascelini, recto nomine Achardi. »

CAPITULUM VIII.

De terra data in villa quæ dicitur Pinus.

(Ante a. 1034.)

« In Christi nomine. Ego miles Guarinus de castro Drocas, filius Alberici, militis Ragenoldi vicedomini, notum esse volo omnibus Christianis præsentibus atque futuris, qualiter Sancto Petro Carnotensi cœnobio, cui venerabilis abbas Arnulfus præest, pro anima mea vel parentum meorum, dono alodum meum in pago Drocassino ad villam quæ B vocatur Pinus, quantum sufficit ad duos boves ad omnes sationes; ea ratione ut quandiu vixero teneam illam terram, et investituram habeat Sanctus Petrus et campi partem et decimam de me sicut de uno extraneo. Et ut hæc noticia sit firmior per omnia, meis manibus istam cartam posui super altare Sancti Petri, videntibus his quorum nomina subscripta sunt et aliis quamplurimis. Et postea Droeas, videntibus et annuentibus meis senioribus Riboldo et Ansoldo, et contribulibus meis qui aderant, feci legere; et monachum Sancti Petri misi in alodum, vice Sancti Petri, et ille me foras, sicut est consuetudo. »

In supradicta villa, post multa curricula annorum, quidam monachus Sancti Petri, Hildegarius nomine, ab agricolis illius emit non modicam partem terræ. Guaszo quoque ille famosissimus areas domorum et curtillos villæ, pecunia data, emit ab eis, penuria victus, deditque Sancto Petro, pro salute animæ suæ, et agricolas aput Sanctum Georgium abitare fecit.

(160) Expletis denique cartis scribendo quas novi esse profuturas, illas esse relinquendas existimavi in quibus rememorando nulla utilitas ad presens putatur. Verum de beato viro, scilicet abbate Arnulfo, sub cujus diebus præfatas cartas novimus fore factas, cudere dignum duxi mala quæ a domesticis in senectute sua passus est. Fuit enim a puero monacus et adplene monialibus studiis eruditus, pudice agens adolescentiam suam, bonisque operibus quotidie exornans, meruit post Magenardum abbatem a domno Fulberto præsule sacrari et in regimine abbatiæ subrogari. Cujus vita et innocentia ea tempestate eo rutilabat, ut ab Odone, palatino comite, admodum diligeretur, atque Richardi Normanniæ comitis confessor fieret, cujus sepe honorificentiis fruebatur. Inter quas æcclesiam sanctorum Gervasii et Protasii, cum appenditiis suis, ei dedit. Set insatiabili avaricia quorumdam monachorum quos ibi posuerat postea perdidit. Est enim ipsa æcclesia non longe a mœnibus Rotomagi urbis sita. Cumque singulis diebus in quoquina comitis piscium decimam a cocis, seu a piscatoribus, super ripam Sequanæ, supradicti monachi reciperent, non edere neque Carnotis fratribus mittere gratum esse ducebant; set, publice eorum precium ab emptoribus accipientes, in suis conferebant crumenis. Ex quo opere ab omni plebe urbis Osi aput comitem fama pervolat, a quo etiam, propter hunc avariciæ morbum, jussi sunt a loco egredi. Abbas vero, dum vixit, nullo modo tramitem regulæ a quoquam passus est deviari; set, ipso prævio, omnes magistram sequebantur regulam, et operibus variis diatim affluebant in Domino. Unde diabolus, invidens semper felicissimis actibus, per quosdam eorum, quorum leve erat ingenium, persepe inmeritas actitabat beato et simplici viro injurias. Set quia longum est ire per singulas, unam earum palam fieri volui, quam ei humani generis inimicus congessit per Walterium, monasterii decanum, qui, quamvis in studiis æcclesiasticis honorabilis haberetur, tamen in exteris rebus cor facile sequebatur. Hic cum fautoribus suis aput Teodoricum, tunc temporis antistitem, egit ut a monasterio pellerentur religiosi et obtimi monachi, Ebrardus scilicet, abbas Britogili castri, qui tunc aderat ibi, ac certis ex causis eo tempore abbatiam suam reliquerat; Guinefredus, Durandus, Arefastus atque Ernaldus. Hii denique regulæ vigorem cum abbate maxime fovere volebant, et eorum consilio ubi ubi opus erat abbas utebatur. Cum ad hoc denique ventum esset, epi- C scopus cum magna clericorum et laicorum caterva, ad monasterium venit, et, ante beati Petri apostoli sedens altare, aurea vasa æcclesiæ atque argentea necnon et alia ornamenta in ceris conscribi jussit, deinde præfatos monachos a monasterio abire præcepit. Abbas quoque, pii pastoris sequens vestigia, testabatur quia, si illos ejiceret, sese cum eis profecturum omnemque eorum laborem perlaturum; episcopus vero, ejus verba parvipendens, domum suam rediit. Abbas ergo, die octavo, cum prædictis monachis a monasterio egressus, ab omni plebe cum fletibus prosequitur, et, non parva equitate fretus, in Gesiacam cellam se recepit; ibique commorans per tres menses, per Odonem comitem, postmodum rediens in abbatiam suam, cum honore D debito est receptus; in qua fere per triennium postea feliciter vivens, senex et plenus dierum, laborum suorum mercedem a Christo Domino recipere meruit sine fine mansuram. Cumque humum foderent intra basilicam beati Petri apostoli, videlicet ante altare martyris Laurentii, ad levam quidem Rodberti filii comitis Richardi, nullum habentes sarchophagum, inventus est ibi unus, ut opinor, a Deo paratus, miræ pulchritudinis, ac si eo die a latomis fuisset politus atque beati viri glebæ aptatus. Ibi menbra illius posita requiescunt secura de resurrectionis gloria. Tercia vero die postquam obiit, in visione domno Ebrardo abbate, jam in abbatia sua regresso, apparuit, dicens ad eum : « Frater dilectissime, ab

(160) Deest hæc narratio in codice B.

hujus mundi turbinibus me erutum scias, nuncque felici requie perfrui; set hos quibus fui in odium non diu esse gavisuros. » Quod et factum est : nam illorum pars in eodem anno ab hac vita decessit, et quos mundus vivos detinuit, temporum vicissitudo perturbata inclementer ac duriter semper eos tractavit.

Verumenimvero, quoniam de beati vita viri parum elucidavi, jam stilus vertendus est ad cartas quæ factæ sunt sub abbate Landrico (161), successore scilicet præfati abbatis Arnulfi. Qui quantum invigilaverit ut locus sibi commissus per locorum aucmenta suo in tempore cresceret, multiplex cartarum numerus ostendet, nisi obstet mutata temporis vicissitudo, quæ ingrata et abbatem a loco pepulit, et nos omnes perturbavit; et quosdam, certis ex causis ejectos, monasterium intronizans, nobis invisa super exaltavit. Set quia equanimiter toleranda est, licet lemtim et tortuoso itinere, utpote longe positus et ab idiotis eas inordinate recipiens, pro posse meo scribere curabo.

(161) Hunc locum librarius in cod. B adulteravit adscripsitque ad calcem libri Landrici abbatis; præterea mutavit *abbate Landrico* in *abbate Huberto;* ac inter *nisi* et *obstet* addidit *sub Arraldo episcopo.*

LIBER SEPTIMUS

SIVE

LANDRICI ET HUBERTI ABBATUM

(Ab anno 1033 ad annum 1069; — ab anno 1069 ad annum 1079 (161').

CAPITULUM I.

De Regia Capella.

(Ante a. 1070.)

« In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Ego Landricus, abbas Sancti Petri Carnotensis, et omnis congregatio michi commissa. Notum esse volumus presentibus atque futuris, quia adivimus presentiam domnæ Bertæ matronæ et filiorum ejus, Walterii clerici, Hervei, Hugonis, Tedbaldi, Sigebodi, Enguciæ; deprecantes ut, pro redemptione animæ suæ et filiorum filiarumque suarum, terram de Regia Capella, quæ proxima est terræ nostræ de Bosco Medio, nobis concederet, cum æcclesia et duabus areis molendinorum omnibusque rebus quæ ibi pertinent. Quæ libentissime cum filiis et filiabus suis annuit, ea conventione, ut domno nostro comiti Tedbaldo, ex cujus beneficio esse videtur, annuere facerent, et ex omnibus calumniis quæ inibi orirentur liberam facerent. Quod ita factum est, videntibus his quorum nomina subscripta sunt. Et concessit ita fieri domnus noster comes Tedbaldus, pro salute animæ suæ ac sui patris, et manu propria nominibusque suorum fidelium has litterulas corroboravit. S. comitis Tedbaldi. S. Gilduini vicecomitis. S. Hugonis vicedomni. S. Hervei vicecomitis. S. Ivonis clerici. S. Fulcherii, filii Gradulfi. S. Ilberti, filii Nivelonis. S. Alberti, abbatis Sancti Martini. S. Richerii, abbatis Sancti Launomari. S. Vigerii de Castaneto. S. Willelmi. S. Warini. S. Herberti clerici de Imonis Villa. S. Hermuini majoris de Bosco Medio. S. Bernerii presbiteri. S. Gualterii de Bodacis Villa. S. Huberti, privigni Adventi. S. Giraldi coci. S. Morardi. S. Hugolini servientis. »

(161') In uno libro collegimus chartas, horum temporibus abbatum datas, quæ in Codd., ordine turbato, confusæ referuntur.

CAPITULUM II.

De altare Capellæ Regiæ.

(Ante a. 1048.)

« (162) Si pietatis ac religionis constat esse ad laudem, et gloriam summi et æterni Regis, æcclesiis in honore martyrum seu etiam confessorum constitutis a fidelibus, honorificentias exibere; quanto magis his quæ in memoria illius sunt stabilitæ, super quem catholica fundata est æcclesia, cui etiam a superno Conditore, commissis cœlorum clavibus, ligandi atque solvendi pontificium constat esse traditum. Unde, pro æternæ felicitatis adquisitione, quam ipsius interventione apostolorum principis aput animarum liberatorem speramus facilius adipisci, altare, quod situm est in æcclesia quæ Capella Regia vocatur, concedo (163) Carnotensi æcclesiæ in præfati apostoli memoria constitutæ, ad stipendia monachorum inibi Deo militantium; ea conditione ut, ab hodierna die ei per succedentia tempora, ab omni conditione et comparatione, a sinodali circada, ab omni debito vel parata, absoluta permaneat; ita ut nonquam nos, neque successores nostri, ab ipsa Capella Regali horum aliquid umquam requirere vel recipere vel repetere præsumat. Et ut nostræ liberalitatis munificentia omnibus sanctæ matris Æcclesiæ fidelibus esset nota, summo studio et diligentia exarari præcipimus; quatinus quod manu propria, signo crucis inpresso, statui-

(162) Vulgat. in *Gall. Christ.*, t. VIII, instr., col. 298.

(163) B : *Ego Theodericus presul concedo* ..

mus esse ratum, per curricula succedentium temporum maneat inconvulsum. Et si quis hujus elemosinæ porciunculam temptaverit esse violandam (quod absit!), iram Dei incurrat, atque nostra nostrorumque omnium auctoritate convictus abscedat, et pro illicita præsumptione, venturi in fine seculorum judici sententia perpetuo anathemate se perfossum atque in inferno inferiori retrusum sine fine doleat.

« Teodoricus præsul, qui dedit hanc donationem. Arnulfus præcentor. Agobertus succentor. Fulcherius archidiaconus. Hildegarius subdecanus. Hugo præpositus. Guiddo Rubeus. Rodbertus. Bernerius. Ingelrannus. »

CAPITULUM III.

De calumnia ejusdem Capellæ Regiæ.

(Ante a. 1070.)

« Notum esse volumus omnibus christicolis, tam presentibus quam futuris, ego Landricus abbas omnisque fratrum nostrorum congregatio, quoniam Capellam Regiam, quam, sicut, superius scriptæ litteræ ostendunt, a Berta matrona et filiis ac filiabus suis, probata pecunia, emeramus, postea gener ejus Raherius, conjunx videlicet Enguciæ, calumniabatur. Pro qua re convenientes eum Carnotis ante comitem Tedbaldum, et ipso comite atque obtimatibus ejus nobis suggerentibus, spopundimus ei XL solidos nummorum Carnotorum, ut ipse calumniam, quam faciebat ante comitem, dimitteret. Quod et libenter egit. Nos quoque postea, per Paulum monachum, misimus ei solidos nummorum XL, quos ei tradidit Blesis castro, in vico Vianæ super Ligeris ripam; et intra castrum, ante æcclesiam Matris Domini, publice calumniam missam fecit, una cum uxore sua Engucia, et unico filio nomine Rainaldo, nec non et filiabus duabus, Berta scilicet ac Adelina; ibique has litteras jussit fieri, et eas manu propria manibusque omnium suorum corroborari voluit, coram convicaneis et contribulibus suis. Raimundo de Viana. Teoderico de Sancto Briccio. Gausfrido, filio Archembaldi. Pila de Lupo. Rainaldo de Calido Monte. Herveo. Burchardo. Haimerico decano. Huberto, filio Gislardi. Gunterio, filio Andreæ. Herberto, filio Teduini. Rodberto clerico. Huberto. Bernardo. Ernulfo Nigro, famulo Pauli [monachi, qui hanc cartam scripsit]. »

CAPITULUM IV.

De banno Bermerii Villæ.

(Ante a. 1038.)

« Domino Jhesu Christo rerum conditore presidente. Ego Odo, gratia Dei, palatinus comes, parentum meorum munificentiam atque benignitatem sequens, quam erga locum Sancti Petri Carnotensis habuisse plurima locorum et maxima donaria, quæ eidem loco contulerunt, testantur, omnibus sanctæ Dei æcclesiæ filiis, tam præsentibus quam futuris, notum esse volo, quia, inter alia beneficia quæ contuli, una cum consensu meorum fidelium, conA fero etiam eidem loco bannum Bermerii Villæ, quem Redono etiam et alias consuetudines ad me pertinentes, si forte ibi unquam fuisse memorantur; atque nunc, V idus julii, savinæ ramusculo donum super altare sancti Petri apostoli, publice, pro salute mea, malui ponere. Et ut hæc cartula inconvulsa permaneat, meo nomine nominibusque fidelium meorum corroborari jussi, ut, si forte aliquando quislibet huic meæ largitioni contraire temptaverit, ii ex adverso stent et eum commotum et confusum abire sine effectu cogant. Odo, palatinus comes. Sansgualo senescallus. Hugo de Melius. Hilduinus de Ramerud. Hugo Tronellus. Fulco vicecomes. Hugo de Versalliis. Ingelgerius de Islaris. »

CAPITULUM V.

De redditione Villulæ.

(Ante a. 1061.)

* « (164) In nomine Domini nostri Jhesu Christi. Ego Landricus, cœnobii Sancti Petri Carnotensis abbas, cum fratribus michi commissis. Notum esse volumus, tam præsentibus quam futuris sanctæ Dei æcclesiæ cultoribus, quoniam adii præsentiam Gausfridi, Andegavorum comitis, cognomine Martelli, aput eum querimoniam faciens de ejus nepote Gausfrido, territorii scilicet Guastinensis comite, qui terram quæ Villula dicitur, quondam a Teduino milite sancto Petro datam, suo cuidam militi injuste dederat, et sancto Petro usurpando tulerat. Quod audiens præfatus comes, id egre tulit, et rem non recte actam corrigens, ilico prædictam terram Sancto Petro reddidit, et has litteras nomine proprio nominibusque primatum suorum corroborari jussit. Gausfridus, Andegavorum comes. Bartholomæus, archiepiscopus Turonorum. Johannes de Cainone castro, frater archiepiscopi. Ivo Mala Corona. Teodericus, filius Unbergæ. Rainaldus de Castello Gunterii. Richardus de Castello Landonis. Guidbertus. Godefridus, filius Ansgardis. Radulfus de Malli Villa. Ex nostris : Gausfridus Bicotus. Gilduinus major. Landricus major. Walterius clericus. »

CAPITULUM VI.

De vicaria Ermenteriarum villæ.

(Ante a. 1070.)

« In nomine Domini nostri Jhesu Christi conditoris omnium rerum. Ego Landricus, gratia Dei abbas cœnobii Sancti Petri Carnotensis, atque omnes fratres quibus preesse videor, notum fore volumus omnibus fidelibus, tam præsentis quam futuri ævi, quod, postquam ab antecessoribus nostris Ermenteriarum villa, tunc inhabitabilis, cum æcclesia, de quodam milite, Roscelini patre, sicut in archivis nostris habetur scriptum, omni consuetudine libera, præter duos solidos nummorum de custodia et pasnadium, fuit empta; set idem Roscelinus, inreverenti et infrunito animo victus, post venditionem, vicariam ejusdem villæ usurpare non erubuit. Qui tandem

(164) Vulgat. in *Gall. Christ.*, t. VIII, instr., col. 302.

moriendo resipiscens, pro animæ suæ remedio, cum assensu domus suæ, Sancto Petro reddidit. Cujus filius Teudo postea, pravo consilio suorum, eandem vicariam per sonum campanæ æcclesiæ rursum invasit. Verum tamen, a Warino monacho, precibus multis exoratus, acceptis inde solidis nummorum x, ipsam vicariam, quam injuste invaserat, gurpivit, habens secum Hugonem de Manselaria et Walterium Christallum de Senunchiis. Deinde hujus Teudonis domnus Albertus, Ribaldi filius, quadam occasione accepta, præfatos duos solidos nummorum cum pasnadio et ipsam vicariam suis usibus mancipavit. Qui, cum per plusculos annos tenuisset, sancto Petro apostolo hanc ipsam vicariam, pro animæ suæ salute, jure perpetuo possidendam, reddidit, ac duos prædictos solidos, cum pasnadio suo, cuidam fideli Isnardo de Mori Villare condonavit. Hujus rei testes sunt : Guado, Hugo Drocensis, Herbertus de Burseriis. Dodo senescallus. »

Inferius dicemus de rebus quæ additæ sunt loco nostro a viro nobilissimo, Alberto nomine.

CAPITULUM VII.

De rebus datis et æcclesia data Sancto Petro ab Alberto, per consensum regis et apicibus.

(Ante a. 1061.)

« (165) In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Ego Henricus gratia Dei Francorum rex. Cum regalis solium dignitatis multiplex virtutum cultus exornet, liberalitas tamen et munificentia inter has precipuum locum tenet, quarum effectus multorum necessitatibus condescendat et justorum petitionibus satisfaciat. Notum sit ergo omnibus sanctæ matris æcclesiæ fidelibus et nostris, tam presentibus quam et futuris, quod quidam meus fidelis, Albertus nomine, filius scilicet Ribaldi, nobilissimi viri, nostræ serenitatis adiit presentiam, rogans et obnixe postulans, ut, regali pietate nostræ munificentiæ aurem assentando, suis precibus inclinare dignaremur; quatenus quod, Deo inspirante, maturabat implere, nostræ liberalitatis assensu, ad effectum ducere quivisset : videlicet ut quandam æcclesiam, quam pater ejus, fidelis noster Ribaldus, in honore beati Germani Altissioderensis episcopi, cementariorum opere, in Bruerolensi vico, pro salute animæ suæ construxerat, regia quidem voluntate, liceret ei dare beato Petro, apostolorum principi, et monachis sibi famulantibus in cœnobio quod situm est non longe a mœnibus Carnotinæ urbis ; atque ex rebus quas ex nostro beneficio possidere videbatur, præfatam æcclesiam, tam ipse quam ejus fideles, pro Dei amore, nostra favorabili clementia locupletare liberaliter quivissent. Cujus justam ac Deo acceptam petitionem judicantes, cum episcopo Agoberto in cujus diocesi æcclesia eadem est, necnon et obtimatibus nostris qui nobiscum præsentes aderant, dignum duximus, pro nostra salute et integritate regni nostri, assensum præbere intentioni suæ. Damus itaque ei licentiam, ut et memoratam æcclesiam, ex nostro beneficio quod possidet, amplificet; et quidquid ei conferre et annuere voluerit, ita sit liberum atque ab omni judiciaria potestate solutum; ut idem fidelis noster Albertus, actenus a nobis tenuit liberum atque solutum, quatinus monachi ibidem Deo famulantes, sine ulla inquietudine cujuslibet secularis hominis, noctes diesque orationibus insistentes aliisque bonis operibus vaccantes, quietam agant vitam. Placuit ergo serenitati nostræ, auctoritate regia, interdicere ne quis umquam, per succedentia tempora, huic nostræ munificentiæ operi quod cudimus, aliqua temeritate, præsumat contraire; neque de rebus quas jam dedit vel daturus est præfatæ æcclesiæ fidelis noster Albertus, sive alii homines, nec in magno nec in parvo minuere audeat; neque hujus æcclesiæ homines corvedis premat; neque banno, neque teloneo, neque vicaria, neque exactione qualibet gravet, aut sollicitet; set liberi ab omni consuetudine secularium hominum, securi ac liberi inhabitent et monachis præfatæ æcclesiæ serviant, et sua debita persolvant. Quod si quis presumptor aut insanus contra hanc auctoritatem nostram temere quicquam agere presumserit, quinquaginta libras persolvat auri, et ejus inefficax remaneat conatus. Placuit etiam nostræ pietati huic operi addere atque cartam subscribere, factam jussione fidelis nostri Alberti, de rebus quas ipse jam dedit prefatæ æcclesiæ et quas post mortem corporis relinquere decrevit, necnon et cetera dona quæ suo assensu fideles ejus largiti sunt, ut, in calce ipsius nostro nomine nominibusque primatum nostrorum atque regiæ dignitatis sigillo corroborata, rata et inviolata in æternum permaneant.

« Ad occasum cuncta ruitura secularia, et e contrario cœlestia æternaliter mansura, divinorum voluminum testatur scriptura. Precipit ergo fidelibus, Christi cruore redemptis, ut, dando viliora, adipiscantur nobiliora. Unde ego Albertus, nobilissimi Ribaldi filius, cupiens cœlestium naccisci consortium, favente mea carissima conjuge, Adelaisa nomine, pro animabus nostris parentumque nostrorum, liberam ab omni calumnia universorum hominum æcclesiam de Bruerolensi vico, quam pater meus in honore sancti Germani episcopi construxit, cum atrio et sepultura ac decima ipsius æcclesiæ, quæ in manu mea esse videtur, Sancto Petro cœnobii Carnotensis concedo; ut monachi ipsius cœnobii, ab hac die in antea, eandem æcclesiam habeant, teneant et in æternum possideant. Altare quoque ejusdem æcclesiæ, quod ab episcopo Carnotensi semper in fevo tenueram; huic largitioni meæ domnus meus Agobertus episcopus, una cum assensu canonicorum qui cum ipso erant Drocis, in curia regis, addidit, petitione Landrici abbatis et nostra flexus. Item, censum ipsius vici cum decima mercati concedo, et quicquid ex omni genere olerum, seu pomorum, potest accipi jure mercati, necnon et pugillum salis qui colligitur

(165) Edit. in *Gall. Christ.*, t. VIII, instr., col. 301.

ab unoquoque salinario. Item, duas partes furni in ipso vico, præter quem alter minime sit in tota villa. Item, post capitium ipsius æcclesiæ, duos agripennos terræ et pratos, quos sub ipso vico habuisse videor, concedo, terramque Walterii Costati, quam tenuit dum præpositus fuit. Concedo et lucum qui adjacet. Terram quoque quæ michi colitur, cum luco adjacenti, cum hunc iniquum seculum vivus relinquero, aut mortuus corpore dimisero, habendo possideant et possidendo colant monachi supradicti cœnobii, commorantes ibi et pro nobis omnibus in præfata æcclesia deprecantes. In bosco denique, qui dicitur Sancti Remigii, singulis annis amnuo monachis pasnadium suorum porcorum, unumque agripennarium, ubi subulci monachorum, cum porcis suis dormituri, reditum habeant domesticum. De cætero omnibus meis tribuo licentiam, ut, ex rebus quas ex meo beneficio videntur habere, pro animabus suis, præfatam æcclesiam ditent atque exornent, sicut jam fecit Walterius (166), prenomine Palardus, qui medietatem terræ Bulfiniaci, pro anima sua, in stipendiis monachorum concessit; post mortem vero alteram partem terræ quam vivens retinet, alteri parti eodem modo adjicit, sicut alio in loco habetur scriptum. Item, Rodbertus de Fossatis terram unius aratri in Fontanis concessit. Item, Hersindis quædam vidua Sancto Petro et Sancto Germano, in loco qui dicitur Juris Vena, terram quam ex nostro beneficio tenebat, cum medietate æcclesiæ Cruciaci villæ et casatis omnibus quos ibi ex me habebat, pro remedio animæ suæ, tribuit, addens se prebendæ monachorum. Emptiones quoque et commutationes vel commercia monachi quæ fecerunt vel facturi sunt amnuo. Similiter monachis Sancti Petri concedo liberum transitum per totam meam terram, ut nulla umquam consuetudo ab eis requiratur de piscibus, de coriis, seu de omnibus rebus quæ monachorum esse ostendentur. Possem et alia addere quæ mei fideles loco prædicto contulerunt; set, quia alias scriptum est, et finem verbis facere et corroborare hanc cartam sigillo domni mei regis, cum nominibus obtimatum suorum, festino, hoc solum in fine hujus operis omnibus notum fieri volo, quod, sicut ego a domno meo rege libere tenui actenus, ita a monachis libere teneantur ea quæ, pro salute animæ meæ ac animarum parentum meorum, dedi, et quæ alii contulerunt simili modo, pro animabus suis : ut a monachis (167), neque ab hominibus terræ eorum aliqua consuetudo a nullo homine requiratur, non vicaria, non bannum, non corveda, non expeditio; set, sicut superius dictum est, monachi orationi insistant, et homines eorum monachis solis sua debita solvant. Si quis autem heredum meorum aut aliorum hominum huic operi contradicere voluerit, cum Anna et Caipha, Anania et Saphira et Juda traditore, nisi resipuerit et ad satisfactionis remedium confugerit, in inferno trusus pœnas luat perpetuas. S. Radulfi comitis. S. Walterii comitis, filii Radulfi. S. Hugonis comitis. S. Alberti, qui hanc largitionem fecit. S. Teudonis, fratris Alberti. S. Guarini, fratris ejusdem. S. Frederici. S. Balduini. S. Simonis. S. Agoberti episcopi. S. Hugonis decani. S. Guillelmi præpositi. S. Sigonis. S. Ascelini. S. Genceiini decani. »

Post mortem autem Henrici regis, secundo anno regni sui, Philippus rex, cum regina matre sua, Drocis, in sua camera, hanc cartam, domno Alberto exorante, manu propria firmavit manibusque suorum corroborandam tradidit. « Balduinus, Flandrensis comes. Simon, Radulfi comitis filius. Tedbaldus de Monte Morentiæ. Hugo butillarius. Adelardus cubicularius. Ingerrannus, pedagogus regis. Hugo Dublellus. Rodbertus Rufus. »

CAPITULUM VIII.

De terra Gualterii Costati.

(Ante a, 1080.)

« In nomine Domini Jhesu, conditoris omnium rerum. Notum esse volumus, ego Hubertus abbas, successor Landrici abbatis, omnesque monachi Sancti Petri cœnobii Carnotensis, omnibus christianis, tam præsentibus quam futuris, quia quandam terram, quam dederat venerabilis Albertus Sancto Petro et Sancto Germano de Bruerolis, quæ olim quidem data fuisse dinoscitur cuidam viro Walterio, prænomine Costato, dum præpositus fuit, atque iterum data est Richardo præposito; set, sicut diximus, a domno Alberto, apostolo Petro et sancto Germano data. Quandiu vixit, de eadem terra siluerunt utrique et Richardus præpositus et heres Walterii Costati; cum vero obisset domnus Albertus, surrexit ipsius Walterii filius, Guinebertus nomine, et calumniabatur terram ipsam, quæ erat cum luco adjacenti in prospectu præfati vici; diuque luctans in hac re, tandem a nobis, pro ipsa terra, pecuniam, quantum taxavimus in invicem, id est XX solidos nummorum accepit, et guerpum super altare publice posuit, coram testibus in fine subscriptis. Deinde Richardus præpositus, successor Walterii, calumniam intulit; cui etiam datis VII solidis nummorum, ipsam calumniam guerpire fecimus, coram omnibus his : Rodberto, quondam abbate cœnobii Fossatensis; Gausfrido Guiscardo, monacho, qui VII solidos tradidit; Rodberto præposito, Hugone de Famis, Bernardo de Lameri Villa, Ingenulfo, Richerio pistore, Ernulfo, Wimundo puero, Rodberto mulnario, Huberto, Rodberto Canarno, Adelelmo et aliis quampluribus. Has autem litteras qui contraire voluerit, aut terram ipsam reclamare voluerit, C solidos nummorum judici persolvat, et nisus ejus inefficax remaneat; et, nisi resipuerit, in baratro inferni cum diabolo trusus ardeat sine fine. »

(166) De qua concessione Walterii vide inferius, cap. XIV, col. 284.

(167) Voces *a monachis* cancellatæ in col. A, omissæ sunt in cod. B, ubi loco *eorum*, quod sequitur legitur *monachorum*.

CAPITULUM IX.

De terra empta a Warino monacho.

(Ante a. 1070.)

« In nomine Jhesu Christi Domini nostri. Notum esse volumus omnibus christianæ fidei, tam præsentibus quam futuris, ego Landricus abbas, omnesque monachi cœnobii Sancti Petri Carnotensis, quod quidam monachus noster, Warinus nomine, non longe a vico Bruerolis, cum assensu nobilissimi viri Alberti, quandam terram emit cum luco adjacenti a quodam homine, Mascelino nomine, filio scilicet Geraldi de Rest; pro qua tres libras nummorum præfato Mascelino, una cum consensu domni sui Herberti, de cujus beneficio eadem terra erat. Assensum etiam præbuit Hildeburgis, conjux ejusdem Herberti, necnon et filii eorum, Herveus videlicet atque Hugo. Pro quo assensu eidem Herberto dedimus XX solidos nummorum, et ejus conjugi supra memoratæ X solidos; filiis vero dedimus congrua dona. Deinde Carnotis omnes una simul venientes, donum præfatæ terræ publice super altare sancti Petri posuerunt, ac in nostris orationibus ibidem eos collegimus. Has autem litteras ideo fieri voluimus, ut, si quis aliquando huic dono contraire voluerit, excommunicationis gladio percussus, et testimonio convictus eorum quorum nomina subscripsimus, sine effectu cum verecundia discedat. Domnus Albertus, cujus largitionis initium plurima subsecuntur dona. Herbertus de Burseriis. Rodbertus de Fossatis. Rainerius Finemundus. Richardus præpositus. Sulpicius. Gualterius de Ungena. Item, Gualterius Pungens asinum. Haimericus. Rodbertus Mischinus. Guinebertus. Tescelinus, famulus Pauli monachi. Radulfus, famulus Guarini monachi. »

CAPITULUM X.

De ecclesiæ Cruciaci medietate, et terra data ab Herside matrona Sancto Petro.

(Ante a. 1080.)

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti. Ego Hubertus, nullis extantibus meritis, abbas, omnisque congregatio monachorum cœnobii Sancti Petri Carnotensis. Notum esse volumus, tam præsentibus quam futuris, sanctæ Dei æcclesiæ fidelibus, quoniam quædam mulier, Hersindis nomine, jam mortuo suo viro, et orbata filiis, diu commorans in territorio Dorcasini castri, in loco scilicet qui vocatur Cruciacus; dum ex more militari servire cogeretur, pro beneficio quod tenebat de domno Alberto, filio videlicet Ribaldi clarissimi viri; ejusque servicii mole, ut fragilis mulier, admodum gravaretur, salubre propositum eligens, donni Landrici abbatis, antecessoris mei, præsentiam adiit, obnixe petens ut sua prece obtineret aput domnum suum prædictum Albertum, quatinus, pro anima sua et pro animabus parentum suorum, daretur sibi facultas dimittendi terræ suæ medietatem Sancto Petro propriis usibus altera medietate retenta sine servitio dum adviveret. Quam rem, ut erat liberalissimus ac Deo devotus nostrique A loci amicissimus præfatus Albertus, libentissime amnuit ea scilicet ratione, ut, post mortem mulieris, pars retempta ab ea, cum omnibus militibus ad ipsum fiscum pertinentibus, et medietas æcclesie Cruciaci villæ quam tenebat, ad Sanctum Petrum rediret. Quo facto, post mortem amborum, abbatis scilicet Landrici ac sepius nominandi domni Alberti, prædicta matrona, incurabili morbo percussa, præsentiam nostram adiit, et medietatem Cruciaci villæ æcclesiæ, quam tenebat perpetuo jure, beato Petro apostolo, et cetera quæ præmisimus contradidit; eo videlicet tenore, ut viva procuraretur, mortua a nobis sepeliretur, et anima ejus ac unicæ filiæ, Alpes nomine, et conjugis Gauslini, necnon et omnium parentum suorum animæ, per apostolum Petrum et B orationum nostrarum suffragia, ab omni vinculo peccatorum absolutæ, januam intrare mererentur æternæ vitæ. Huic autem largitioni, ipsa interveniente, assensum præbuit supramemorata Alpes, filia ipsius, cum conjuge Gauslino et nepotibus Simone et Radulfo, quorum sorores Emmelina, Eva et Elisabeth subscripserunt, et aput Sanctum Clodoaldum, cum matre, hanc cartam roboraverunt. Si quis vero huic dono aliquando contraire voluerit, judici prius C libras persolvat auri, et, nisi resipuerit, cum his qui Dominum cruci fixerunt, in inferno lapsus penas luat perpetuas. Acta est cartula Carnotis, VIII kalendas octobris, et publice super altare beati Petri apostoli posita a Gauslino viro Alpes, atque crucis signo ab eodem corroborata. Cum C quo fuerunt : Albericus, clericus de Medanta castro, et Nivardus, filius Hugonis. Nobiscum vero fuerunt : Ernulfus Niger, Rainaldus agaso, Gilduinis major, Stephanus Galoius, Fulchardus, Frodo, Adventius, Tescelinus, Leodegarius, Girardus, Rainaldus, Laurentius, item Laurentius. Aput Sanctum Clodoaldum, ubi Alpes, uxor Gauslini hanc cartam, cum filiis filiabusque, firmavit, fuerunt hi : Ogerius, decanus Sancti Chlodoaldi; Teudo, Othgerius, Radulfus; Albertus, filius Ingenulfi, Ernulfus; Gunherius, filius Ernaldi de Vallo. Hanc quoque cartam firmaverunt filii Waszonis, Hugo videlicet, domni Alberti heres, et Guaszo, frater ejus. In fine quoque nomina eorum placuit ponere, de quorum beneficio præscripta largitio descendit, ut et pro ipsis jugiter oretur : Maingotus, vir Hersindis, quæ hoc donum dedit; Ingenulfus, cujus filium jam præmisimus, Albertum nomine. »

CAPITULUM XI.

De molendino Malæ Pœnæ.

(Ante a. 1070.)

« In nomine Domini nostri Jhesu Christi. Notum esse volumus omnibus Christi æcclesiæ fidelibus, tam presentibus quam futuris, ego Landricus abbas, monachique cœnobii Sancti Petri Carnotensis, quod, cum æcclesia de Bruerolis a nobilissimo viro Alberto nobis fuisset concessa, visum est nobis profuturum esse, ut sub ipsa æcclesia stagnum construeremus. Quod cum minime posset fieri, nisi foret empta area

unius molendini, olim nominati Mala Pœna, cuidam militi Walterio de Ungena, cujus erat eadem area, jussimus dare unum æquum obtimum et quadraginta nummorum solidos, qui dati sunt a Warino monacho, provisore et edificatore ipsius loci. Eo quidem tenore ipsam aream emimus, ut, nullo unquam contradicente, in æternum habendo possideamus, et singulis annis pro eadem area prædicto Walterio et posteris ejus solidos duos nummorum in festivitate sancti Remigii solvamus. Quod si in dando negligentes fuerimus, legaliter emendetur, et area semper habeatur. Si quis autem huic operi aliquando contraire temptaverit, cum Juda traditore in inferno pœnas luat, nisi satisfaciens resipuerit. Testes hujus rei subscribere curavimus. Teudo, filius Roscelini. Richardus de Bairo. Rodbertus de Fossatis. Ivo de Regemalasto. Sulpicius, filius Hadeberti. Richardus præpositus. Rainerius Finemundus. Rodbertus Mischinus. »

CAPITULUM XII.

De commutatione terræ quam stagnum cooperit.

(Ante a. 1070.)

« In Christi nomine. Ego abbas Landricus, et omnes monachi cœnobii Sancti Petri Carnotensis, notum esse volumus præsentibus et futuris, christianæ videlicet fidæi cultoribus, quod, annuente clarissimo viro, domno videlicet Alberto, pro quadam terra quam cooperit aqua stagni, infra vicum Bruerolensem constructi, dedimus in commutatione duobus fratribus, Guauscelino scilicet atque Sulpicio, aliam terram non longe a vico; quæ terminatur ex una parte, quadam piro, et ex alia parte rivulo aquæ quæ vocatur Medua. Dedimus etiam, pro hac ipsa re, Sulpicio V nummorum solidos et unam domum. Hanc quidem commutationem factam annuerunt uxor prædicti Sulpicii, nomine Roscelina, et Rodbertus filius ejus. Subscripsimus etiam nomina testium, ut insurgentes forte ex adverso, ratione convicti, inefficax conatus eorum deficiat. Walterius de Ungena. Richardus præpositus. Rainerius Finemundus. Rodbertus. Guinebertus. Radulfus. Hanc autem cartulam si quis temerarius contradicere temptaverit, X libras argenti persolvat; et, si pertinax fuerit, sit anathema, donec resipiscendo ad emendationem veniat. »

CAPITULUM XIII.

De terra et luco empto de Guarnerio Gazello.

(Ante a. 1080.)

« In nomine Domini nostri Jhesu Christi. Notum esse volumus, nos monachi Sancti Petri Carnotensis, sub abbate Huberto regulari tramite viventes, quod quidam miles, nomine Guarnerius, agnomine Guazellus, nobis vendidit portiunculam sui luci qui juxta lucum nostrum adjacet; terram quoque arabilem ante lucum, versus terram illam quam emerat Warinus monachus a Mascelino, Geraldi filio. Accepitque predictus Guarnerius, tam de luco quam de terra, taxatam peccuniam a domno Ernaldo monacho, qui tunc in vico Bruerolis commanebat, eumque collegit in orationibus nostris, ac in infirmitate jacentem cibo aluit, et mortuum sepelivit. Post cujus mortem, frater ejus Vitalis terram atque lucum calumniatus est, et, cum pertinax esset calumniando, pro eadem re a Gausfrido monacho X nummorum solidos accepit, et, cum Guarnerii filio, guerpum super altare Sancti Germani posuit, coram subscriptis testibus. Walterio de Ungena. Lamberto de Lammeri Villa. Rodbertus Mischinus. Sulpicius, filius ejus. Ernulfus sutor. Wineberbus. Si quis autem huic emptioni contraire voluerit et rem ad placitum duxerit, libram auri primum persolvat; et quandiu in pertinatia perstiterit, ore Dei et sanctorum sanctarumque omnium sit anathema. »

CAPITULUM XIV.

De terra Bulfiniaci data Sancto Petro a Walterio Palart.

(Ante a. 1070.)

« In nomine Patris et Filii et spiritus sancti. Notum esse volumus, ego Landricus abbas et omnis congregatio monachorum cœnobii Sancti Petri Carnotensis, omnibus tam presentibus quam futuris, sanctæ Dei æcclesiæ cultoribus, quod, postquam vir clarus et honorabilis domnus Albertus, prout tempus contulit, loco nostro et nobis æcclesiam Sancti Germani de Bruerolis, cum aliis rebus, est largitus, cujusdam sui militis aspexit terram quæ Bulfiniacus dicitur, in parrœchia Cruciaci villæ; de qua terra, tunc quidem inhabitabili, sepius ipsum militem submonebat ut eam beato Petro apostolo et sancto Germano, pro animæ suæ remedio, daret. Qui, diu differens, in bello quod longo tempore inter domnum Albertum et Guaszonem fuit, idem miles, Walterius nomine, Palardus cognomine, ante Castrum Novum, forte accidit ut graviter plagaretur, et dum timeret mori, dominum suum Albertum atque suos commilitones advocans, medietatem predictæ terræ, cum assensu domni sui, sancto Petro et sancto Germano concessit, donumque super altare sancti Germani transmisit: eo quidem tenore, ut suis usibus, dum adviveret, medietatem alteram retineret; post mortem vero corporis ipsa sua medietas, sibi retemta, alteri juncta medietati, ad præfatum apostolum rediret et ad sanctum Germanum. Quod et factum est; nam, eo mortuo, jubente domno Alberto, terram ex integro habuimus, et eumdem Walterium in nostris orationibus, cum omnibus benefactoribus nostris, posuimus ac pro ejus anima æcclesiæ signa pulsantes, atque Deo preces fudimus debitas et usque in æternum a nobis fundendas. In supradicto quoque dono, sepe memorandus domnus Albertus, sicut in ceteris donis, tam a se quam a suis fidelibus factis, hoc addidit, ut si antea aliqua consuetudine gravabatur, neque vicaria, neque banno, neque teloneo, postquam datum fuerit, ullo modo gravetur. Hoc quoque sancto Petro et sancto Germano, Deo devotus vir dedit, volens ut quiete monachi semper inibi vivant et Deo serviant. Voluit etiam maledictionem subscribi, ut, si quispiam aliquando voluerit huic bono operi esse contrarius, ipsum Deum et

omnes sanctos, nisi resipuerit, sentiat sibi esse contrarium, et cum ipso diabolo et angelis ejus æternis cruciatibus in inferno se cruciari doleat. Testes harum rerum subscribere curavimus. Herbertum de Burseriis. Rodbertum de Fossatis. Tedbaldum de Valle Grinnoso. Ebrardum, filium Walterii. Dodonem senescallum. Walterium de Ungena. »

CAPITULUM XV.

De æcclesia Castellariorum.

(Ante a. 1080.)

« Domino nostro Jhesu Christo, omnium rerum conditore, præsidente. Omnibus sanctæ Dei æcclesiæ filiis notum esse volumus, ego Hubertus abbas et monachorum conventus Sancti Petri cœnobii Carnotensis, quia quidam miles, nomine Rodbertus Fossatensis, atque Agnes, ejus venerabilis conjunx, pro remedio suarum suorumque parentum animarum, in honore beati Petri apostoli, in Pertico, non longe a Mori Villare, Castellariorum æcclesiam, cœmento et lapide constructam a sanctimoniali femina, nomine Hadvisa, matre videlicet præfatæ Agnetis, cum assensu et prompto affectu istius sanctimonialis, pariter et filiorum filiarumque suarum, nostro loco contulerunt; et ne sola videretur esse hæc eorum largitio, in eodem loco addiderunt, ad excolendum, terram unius aratri et duos aripennos prati. Quorum animæ, in gremio Abrahæ patriarchæ collocatæ, accipiant a Christo præmium æternæ vitæ. Si quis vero hoc eorum bonum opus calumniari aliquando presumpserit, cum Nerone, qui Petrum apostolum crucis stipite extinxit, et coapostolum ejus Paulum gladio necavit, in inferno trusus, perpetuis ignibus, nisi resipuerit, crucietur, et a vermibus numquam morit uris sine fine conrodatur. »

CAPITULUM XVI.

De decima Finemundi.

(Ante a. 1080.)

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti. Notum esse volumus præsentibus et futuris ecclesiæ Dei cultoribus, nos monachi cœnobii Sancti Petri Carnotensis, quod quidam miles, nomine Rainerius, vulgo Finemundus vocitatus, egrotans, ad mortem petiit habitum monachilem, pro adipiscenda suorum delictorum venia. Quod quidem adeptus est a nostris monachis tunc militantibus Deo et sancto Germano, in loco Bruerolensi. Dedit autem præfatus Rainerius sancto Petro apostolo et sancto Germano, in stipendiariis fratrum inibi Deo militantium, domno suo Hugone annuente, decimam quam tenebat in masingilo, qui nomen sortitur a Cantante Pica; ut ab ipso judice, qui in fine seculi unicuique nostrum, prout quisque gesserit, sive bonum sive malum, accipere mereretur vitæ æternæ præmium. Est autem ipsa decima in masura, quæ dicitur Monticulorum; in alia quoque masura quæ ante lucem est, vocata Grandis Campus. Cui dono si quis umquam contraire voluerit, cum Anna et Caipha et Juda traditore, in igne inferni positus, nisi resipuerit et ad satisfactionis remedium confugerit, æternis pœnis se doleat cruciari. Hujus rei testium nomina subscribere curavimus. Richardus præpositus. Rodbertus Mischinus. Guinebertus. Gualterius de Ungena. Hubertus de Cantante Lupo. »

CAPITULUM XVII.

De æcclesia Fessonis Villare.

(Ante a. 1070.)

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, quæ personaliter trinus et essentialiter unus est Deus. Notum esse volumus, ego quidem abbas Landricus et omnis cœtus monachorum Sancti Petri cœnobii Carnotensis, omnibus sanctæ Dei æcclesiæ cultoribus, tam presentibus quam futuris, quod quidam miles, nomine Guado, in territorio Dorcasini castri, illecebris atque hujus seculi voluptatibus finem imponere volens, in servitio Dei et sanctis operibus sese mancipans, habitum sanctæ religionis toto affectu sibi perobtavit, ac, sub tutamine beati Petri apostolorum principis, a nobis monachilem habitum expetiit, eximii patris Benedicti normam obsecuturus. De rebus denique quas in seculo tenuerat, in usibus fratrum, assensu filii sui Baldrici, prænomine Jhotardi, medietatem ecclesiæ Fessonis Villaris et atrii Sancto Petro contradidit. Post eandem vero æcclesiam, dedit terram unius aratri, quæ terminatur ab uno latere, ipsius æcclesiæ atrio; ab alio vero, via publica quæ ducit Tegularias; aliis lateribus, piris aliisque arboribus terminatur. Hanc autem cartam si forte aliquis sicophanta adnullare temptaverit, in judicio deductus, VI, auri libras judici persolvat, et nisus ejus inefficax remaneat. Quod si pertinax fuerit, anathematis gladio confossus, nisi resipuerit, cum diabolo et angelis ejus pœnas in inferno luat, veniam habiturus cum eam diabolus est consecuturus. »

CAPITULUM XVIII.

De medietate æcclesiæ Cruciaci villæ.

(Ante a. 1102.)

« (168) In nomine Domini nostri Jhesu Christi. Notum esse volumus, ego Eustachius abbas omnisque conventus monachorum Sancti Petri Carnotensis cœnobii, omnibus christianæ fidei cultoribus, tam præsentibus quam futuris, quod quidam clericus, Hugo nomine, filius Gauscelini de Vernogilo, sponte adiit quorumdam monachorum nostrorum præsentiam, Rodberti scilicet quondam abbatis Fossatensis, atque Gausfridi tunc provisoris loci Bruerolensis, offerens eis ad emendum medietatem æcclesiæ Cruciaci villæ, quæ, sine ullo incola, in solitudine redacta tota ceciderat, nullum habens ex ea emolumentum. Quam quidem æcclesiam præfatus pater ejus ei reliquerat, hereditario jure, aliis fratribus cetera beneficia relinquens : monachi denique, alteram medietatem ejusdem æcclesiæ jam habentes, per

(168) Transferenda hæc charta in librum Eustachii abbatis.

assensum domni Hugonis, nepotis viri clarissimi Alberti, a prædicto clerico, absque ullius hominis calumnia, emerunt etiam et alteram medietatem; dantes ei primum VII solidos nummorum, deinde V solidos, rursumque III solidos; sepiusque ad eos redeunti dederunt ei munuscula sibi ipsis necessaria. Testes hujus rei subscriptos lector videre potest. Balduinum presbiterum. Walterium de Ungena. Baldricum Bucellum. Rodbertum Mischinum. Guimundum et Sulpicium, fratres. Osmundum. Stephanum. Morardum. Richardum præpositum. Rodbertum carpentarium.

« In hac quoque carta etiam omnibus fidelibus notum esse volumus, quod a prædicto Gausfrido monacho unus agripennus terræ est emptus de quodam milite, nomine Rodberto, datis, pro eo, XXX^ta solidis nummorum. Quem agripennum Bardulfus, filius Bertranni, postea calumniatus est pro suo. Proin convenerunt super terram domnus Hugo cum suis fidelibus atque domnus Gislebertus de Tegulariis, et certa ratione invenerunt non esse verum quod Bardulfus asserebat. Tunc ipsi domni omnesque alii milites supradictum agripennum terræ sancto Petro et sancto Germano, pari assensu, annuerunt. Set quia omnes pariter tam parvi quam magni de ipso vico affuerunt, testium nomina subscribere superfluum duxi, cum etiam assensum ibi præbuerit Guarinus de Islo, cui propius ipsa terrula intererat. In quo etiam loco Milesindis matrona, cunjunx quondam Gualdini militis jam defuncti, pro anima sui senioris et sua, juxta terram nostram, quam emit Warinus monachus, dedit portiunculam suæ terræ, exorata a monacho Guausfrido; quæ inferius incipit a quadam spina, quæ terminat et terram superius dictam, quam emit idem Gausfridus a Rodberto milite; superius quoque terminatur via quæ vadit ad saltum, per mediam terram nostram.

« Volumus denique ab omnibus sciri, quod quidam miles, nomine Hugo de Famis, pro salute sua, ultra stagnum, dedit sancto Petro, inter duas vias, particulam suæ terræ adherentem ipsi stagno, ut ruptum videlicet violentia aquæ semper reficiatur, nullo unquam contradicente. Qui cum gladio Normannorum interemptus fuisset, pro ipsius anima conjunx ejus, Hildeburgis nomine, cum assensu suorum fidelium, dedit sancto Petro et sancto Germano quandam terram saxosam et incultam, inter viam quæ ducit ad Fontanas villam, et viam quæ ducit ad villam Matonis Villaris; quæ a rupe in transverso incipit, quæ sita est juxta crucem Osannæ, et descendit inter duas vias, usque ad id loci ubi conjunctæ viam unam faciunt. Ad cujus divisionem atque ostensionem plurimi de vico fuerunt, inter quos Herbertus præpositus, Richardus, Rodbertus mischinus, Hunbaldus miles Rodbertus et Albertus. »

(169) Vide hanc alteram chartam, cap, 6, lib. VII.

CAPITULUM XIX.

De vicaria Ermenteriarum.

(Ante a. 1080.)

« Omnipotens Deus, inter alia salutis monita, ortatur nos dare ut accipiamus, scilicet terrena, ut recipiamus cœlestia; iterumque, dare elemosinam et omnia nobis esse munda. Iccirco in illius nomine qui talia monet, Ego Rodulfus, pro salute animæ meæ et remissione peccatorum meorum et conjungis meæ, et filiorum meorum, Teudonis et Ingenulfi, seu parentum vel successorum meorum, concedo Sancto Petro Carnotensi et monachis ibidem servientibus vicariam et commendaticiam quam habeo in terram ipsorum, scilicet in villa quæ dicitur Ermenterias. Et ut ista concessio in perpetuum permaneat, coram testibus has litteras corroboravi, et uxor mea seu filii prænominati. Quod si aliquis, flamma cupiditatis accensus, præfatam elemosinam delere temptaverit, de libro vitæ in perpetuum deleatur.

« S. Rodulfi, qui hoc præceptum fieri jussit. S. Teudonis et S. Ingenulfi, filiorum ejus. S. Ageverti archipresbiteri. S. Erardi. S. Hervei. S. Odæ. uxoris Ragenoldi vicedomni. S. Hancboldi. »

Miraris, lector, quod alteram cartam (169), de eadem vicaria, retro actam inveneris, quod impossibilitas hanc habendi fecit. Verum illam alteram, quæ prior scripta invenitur, sicut a vero relatore didici, ita edidi. In hoc vero discrepat prior ab ista, quod in ea pervasorem vicariæ Roscelinum nominat; in hac autem Radulfum : quod idcirco forte accidit, quia binomius fuit, et usu quidem semper est Roscelinus ore vulgi vocitatus, et in lavachro baptismatis a patrinis Radulfi nomen est impositum. Verum, quoquo modo sit, hanc, sicuti scriptam inveni, ita subscribere volui, ne tedium vel pigricia mea fratribus incommodum aliquod obiciat.

CAPITULUM XX.

De ecclesia Nantiliaci.

(Antè a. 1070.)

« Neminem orthodoxæ fidei catholicæ professionis latere usquequaquam credimus, quanta excellentia, tam in presenti quam in futuro, polleant qui, pro nomine Christi, ex propriis facultatibus aliquam largitatem sanctis ac fidelibus ejus, hilari animo prebent. Cum enim non sit possibile quemlibet hominum corruptionis suæ labem effugere, immunemque peccati in hac corruptela vivere, providit pius et misericors quasdam occasiones, seu oportunitates quibus facile nostra valeamus peccata redimere. E quibus omnibus illa duo suavius redolent medicamina, egrotanti animæ familiaria, de quibus ipsius veritatis vox sic intonat beata : *Date et dabitur vobis;* et iterum : *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis;* et illud : *Date elemosinam et ecce omnia munda sunt vobis;* et : *Sicut aqua extinguit ignem, ita elemosina peccatum.* Unde et ego Bernardus miles de castro Ebroico, tanta adortamina scripturæ divi-

næ mente consideraus, una cum consensu senioris mei Rodberti filiique ipsius Rodberti, ex cujus beneficio est, cedo ad locum Sancti Petri Carnotensis, et monachis ibidem Deo famulantibus, quandam æcclesiam, cum omni decima quæ in meo dominicatu erat. Est autem ipsa æcclesia in prospectu Ebroici castri, in villa quæ Nantiliacus vocatur; estque sacrata in honore clavigeri Petri. Do itidem licentiam meis militibus, ut, si concedere voluerint ex decimis quas ex me tenent, eidem loco dent sine ullo contradictu. Et ut hoc donum firmum esset, gravi incommodo tactus, ab abbate Landrico habitum monachilem ibidem suscepi. Si quis vero (quod absit!) diaboli instinctu, hoc nostræ parvitatis donum infringere temptaverit, iram Dei incurrat; beatus Petrus illi contrarius fiat et inimicus, cum ceteris apostolis omnibus; ovile Christi intrare non mereatur cujus ille claves a summo pastore accepisse creditur. Testes hujus rei sunt ii quos subscripsimus. Rodbertus miles, cum Albereda uxore, et Rodberto filio suo, et Hildeburge uxore. Rodbertus monachus et Richardus, fratres. Gualterius presbiter. Urricus clericus. Bernardus frater. Radulfus et Richardus, fratres, cum sorore Emma. Isnardus. Radulfus Pinguis Lingua. Girardus. Tiberius. De hominibus Sancti Petri : Arnulfus, Rainaldus, Gualterius, Giraldus. De monachis : Odo, Strabo, Gervasius, Herbertus presbiter, Arnulfus Rufus. »

CAPITULUM XXI.

De quadam terra in Capella Regia.

(Ante a. 1070.)

« In Christi nomine. Ego Gualterius, privignus Ansgoti, et mater mea Pleitrudis, volumus notum fieri tam præsentibus quam futuris, quod abbas Landricus monasterii Sancti Petri Carnotensis sepissime meam præsentiam adivit, deprecans quatinus quandam terram, quæ est aput Capellam Regiam, sancto Petro tribuerem. Quod prius quidem facere nolui, set, ipso persistente in prece, accepta pecunia ab eo, ipsam terram sancto Petro dedi, annuente meo seniore Huberto, ex cujus beneficio ipsam terram tenueram. Census terræ IIII^or denarii solvendi kalendis septembris, in nativitate sanctæ Mariæ. Et ut hæc cartula firma permaneat, mea manu signum crucis inpressi. Si quis vero, aut ego aut heredes mei, seu ulla opposita persona, contra hanc cartulam venire aut eam infringere conatus fuerit, una cum cogente fisco, auri solidos C componat, et quod repetit vindicare non valeat; set præsens cartula omni tempore firma permaneat et inconvulsa, constipulatione subnixa. S. Ervei. S. Bernaldi. S. Huberti, filii Magnonis. S. Huncberti Firmitatis. S. Ernulfi, filii Ansgoti. S. Ingelbaldi. S. Laurentii. S. Martini. S. Rainaldi. S. Giraldi. »

CAPITULUM XXII.

De terra Brogili Amari.

(Ante a. 1080.)

« In nomine Patris et Filii et spiritus sancti. Ego Rodbertus, Guillelmi filius, et mea uxor, nomine Adelina, cognitum volumus fore presentibus et futuris, quia adiit nos quidam Sancti Petri Carnotensis cœnobii monachus, nomine Guarinus, deprecans nos, ut sibi terram, C videlicet aripennos, quam in dominicatu nostro, in Brogilo Amari, tenere videbamur, Sancto Petro censualiter concederemus. Quod benivole concessimus ad censum, ut deprecatus est, ob remedium animarum genitoris et genitricis meæ et nostrarum. Et concessimus terram ipsam ad victum fratrum in loco Sancti Petri Carnotensis manentium, ita ut a modo perpetualiter ipsam teneant, et secure in ea edificent, absque ullo debito et redditione, exceptis tribus solidis, quos de censu solvant in nativitate sancti Johannis Baptistæ : et si negligentes ex hoc fuerint legaliter emendent et terram retineant. Ut autem hæc donatio firma in seculum permaneat, hanc cartulam manibus propriis firmavimus, et simul omnes mei homines ex hoc testes existentes. Quam donationem si quis falsare voluerit, libram auri componat, et, nisi resipuerit, dampnatus pereat. S. Rodberti, largitoris hujus doni. S. Adelinæ. S. Willelmi de Plancis, S. Ernaldi, filii Ansgui. S. Osberti de Orgulio, S. Lancelini, filii Willelmi. S. Rodberti, filii Aszonis. S. Fulberti, filii Bertranni. S. Hubelini, hominis nostri. S. Herberti, fratris Morini de Curba Villa, »

CAPITULUM XXIII.

De æcclesia Plancarum.

(Ante a. 1067.)

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti, amen. Universorum conditor Dominus Jhesus Christus, qui a Deo Patre missus in mundum, ut quæ perdita erant restauraret et restaurata conservaret, vivens incarnatus ex semper Virgine Maria in nobis, docuit nos ea quæ ad utilitatem animarum nostrarum forent proficua. Inter quæ monuit nos dare pro se ex his quæ possidemus, quatinus centuplicata in futuro recipiamus. Deinde per apostolum suum, inter alia, monet quatinus oremus pro invicem, ut salvemur. His aliisque quamplurimis pulsi suasionibus, ac moniti allocutionibus, ego Guidmundus et mea uxor Emma, cum nostra prole, ut moles peccaminum nostrorum alleviaretur, et pro nobis diatim orantes non deforent, corde benigno promptaque voluntate, locellum sanctæ Mariæ de Plancis concedimus sancto Petro ex Carnotensi cœnobio, cum decima quæ ad locum pertinet, et suburbio et teloneo et fera; eam scilicet partem quæ ad me pertinet: et unum farinarium, cum tribus leugis aquæ ad piscandum, id est, in Rislo et in Moira et in Itone; et unam piscatoriam in Terciaco, et decimam ex aliis piscatoriis et de exclusis quæ ibi sunt pertinentes ad me. Do etiam de pratis tres aripennos ante ecclesiam, et de terra culta, quantum duabus carrucis sufficit. De Molinis videlicet meo castro, decimam mercati totius anni concedo, et de omni tributo pertinenti ad ipsum castrum. Loculum quoque præfatum ita adornent monachi Sancti Petri et edificent, uti suum pro-

prium, ut in hoc et super hoc glorificetur Deus per ipsos. Hæc vero donatio loci ut firma in perpetuum permaneat, manibus propriis hanc cartam corroboravimus, ego et uxor mea et filii nostri; et domno meo Guillelmo comiti, ex cujus beneficio tenere videor, roborandam tradidi, episcopoque nostro voni, et omnibus convicaneis et obtimatibus meis, qui subscripti sunt: idcirco ut si aliquando, instigante diabolo, aliquis successorum (quod absit!) hanc donationem et concessionem nostram infringere cupierit, corroboratores subscripti testes et defensores sint, vice sancti Petri, apostolorum principis. Si quis autem hanc donationem infringere temptaverit, nisi resipuerit, dampnatus pereat in æternum, S. Guillelmi comitis (170). S. Guillelmi, filii Osberti, S. Guimundi, qui hanc donationem fecit. S. Emmæ, uxoris ejus. S. Rodulfi, filii ejus. S. Rodberti, filii ejus. S. Antonii, filii ejus. S. Guimundi, filii ejus. S. Hugonis, filii ejus. S. Alanni, filii ejus. S. Guillelmi, filii ejus. S. Toresgaudi, filii ejus. S. Guillelmi de Plancis. S. Fulberti clerici. S. Radulfi capellani. S. Guillelmi telonearii. S. Fulberti, filii Bertranni. S. Guiddonis clerici. »

CAPITULUM XXIV.

De terra Gerardi Capri et Pagani præpositi.

(Anno 1077.)

« (171) Cum cunctos mortales insatiabili gutture mors inrevocabilis semper devoret, ad exempla tamen humanæ propagationis utillimum fore decrevit priscorum industria, non solum memoriæ posterorum pia facta virorum fidelium, verum etiam litteris mandare paginulis: quatenus mens ipsorum, plurima peragrans, pro præsentibus præterita obliviscens, non tantum quæ se vidisse meminit, set ea quæ a principio facta relegens, tanquam ea quæ viderit noscat. Unde ego Gausfridus, Sancti Petri Carnotensis monachus, totius congregationis assensu, atque Huberti abbatis præceptione, super his rebus quæ habere videntur in Normanniæ partibus custos et provisor factus, omnibus, tam præsentibus quam futuris, sanctæ Dei æcclesiæ fidelibus, notum esse volo, quod quidam vir, nomine Girardus, prænomine Caper, pro animæ suæ redemptione, necnon et parentum suorum, sanctæ Mariæ de Plancis et sancto Petro apostolo, cujus cella esse videtur ipsa sancta Maria, cum consensu matris suæ Emmelinæ seu fratrum suorum Guarini et Huberti, gratuita bonitate, quandam terram, non longe a terra sanctæ Mariæ, concessit, donumque, per Guarinum fratrem suum, super altare sanctæ Mariæ misit, inpeditus quodam bello ad hoc peragendum. Cui facto assenserunt Guillelmus de Molinis castro et uxor ejus Albereda. Insero etiam huic paginæ terram Pagani, quam dedit sanctæ Mariæ, pro undecim libris nummorum, quas debebat nobis de teloneo supradicti castri. Quam terram ipse Paganus inguadiaverat pro viginti solidis nummorum, quos etiam reddidimus: set et, pro assensu, Gauscelino Pagani domno, XX^ti solidos nummorum, et ejus tres solidos dedimus; Willelmo denique, domno utrorumque, Girardi scilicet et Pagani, propter consuetudines quas videbatur habere in ipsis terris quas remisit, XXX^ta solidos, et uxori ejus Alberedæ solidos V dedimus. Qui adfuerunt et viderunt et audierunt, notati subscripti sunt. Guillelmus presbiter. Guiddo presbiter. Guauscelinus, filius Ricuardi. Rodbertus Lupeculus. Fulco de Tedis Villa. Hugo de Chira. Herimannus, filius Hugonis Tronelli. Ebrardus de Rugia. Gualterius de Asperis. Paganus præpositus. Richardus, famulus Girardi et Warini. Willelmus, famulus monachorum. Actum Plancis, publice, vivente Willelmo, invictissimo Normannorum duce, Anglorumque rege; in Francia vero regnante serenissimo rege Philippo; indictione xv. Paulus monachus extitit notarius. »

Sunt et alia bona, supradicto locello pertinentia, quæ inscripta, scriptorum penuria, habentur: sicut æcclesia martyris Laurentii, quæ data est prædicto loco ab Odone Rufo. Est autem hæc æcclesia ultra fluviolum qui currit ante æcclesiam Sanctæ Mariæ, sub edibus monachorum.

CAPITULUM XXV.

De æcclesia Sancti Romani, data sub Braiai castro.

(Ante a. 1070.)

« In nomine sanctæ Trinitatis et unicæ Deitatis, Patris scilicet et Filii et Spiritus sancti. Notum esse volumus, quod, cummuni consilio et pari affectu, ego Airardus de Buslo et Landricus de Toriello, cum devotissimis nostris coequalibus opidanis, Gausfridum cummilitonem convenimus, ut loculum, in quo æcclesia in honore sancti Romani martyris habebatur, Sancti Petri cœnobio Carnotensi, pro remedio suæ suorumque animarum, concederet; et quia non longe a castello Braiao distat, set tunc temporis et vilis et incultus aput nos estimabatur, quanquam in conspectu divinæ majestatis præclara sanctitate creditur, præfatus miles nostris precibus annuit, consiliis paruit, de suo ibi dedit, et sic abbati Landrico totum commisit, quatinus in tantum celebris haberetur in quantum prius despicabilis putabatur. Qui abbas quinquaginta solidos nummorum, sponte sua, militi, et bonitatis gratia, dedit. Unde quod divino instinctu fecimus, domno nostro Gausfredo et Mahildi domnæ nostræ verbis munstravimus. Qui devotissime laudaverunt, et ditare de suis facultatibus locum promiserunt; atque licentiam dederunt, ut quicumque ex proprio jure quid vellet ibidem Deo et sanctis, pro meliore recompensatione, largiri, libera sibi facultas permitteretur. Quocirca hujus rei gestæ cartulam hanc fieri postulavimus, quatenus, subscriptis testium nominibus, ipsa testis et index veri semper firma habeatur. Quod si quispiam huic contradicere præsumpserit, et, quantulumcumque (quod absit!) donationis istius

(170) Guillelmus Conquestor.

(171) Hanc chartam retulimus ad a. 1077, cujus est indictio xv, quique incidit in tempora Philippi Guillemique regum, ac Huberti abbatis.

rescindere seu repetere quoquomodo conatus fuerit, non ei consentiatur; set sub anathemate constitutus centum libras auri principi terræ persolvat. Nomina testium. Gausfredus domnus, cujus assensu actum est hoc. Mahildis, ejus conjunx. Willelmus, filius ejus. Airardus de Buslo. Bernardus, frater ejus. Landricus de Toriello. Willelmus præpositus. Odo de Domicilio. Gausfridus. Guarinus. Gausfridus. Raiardus qui hanc donationem fecit. Rainaldus forestarius.»

Sunt (172) et alia dona data, quæ, per negligentiam sive scriptorum penuriam, inscripta adhuc permanent. Quia vero locus et ocium scribendi tempus congruum præbet pretercundum non estimo qualiter beati Romani martyris caput ad præfatum locum sit a Romana urbe delatum et ibidem collocatum, diuque ab hominibus incognitum. Set, postquam moderno tempore, sicut superius diximus, sub potestate Landreci abbatis locus prædictus meliorari cœpit, atque a populo, gratia orationis, frequenter repeti, monachi ibi commorantes, oratoriolum illud ligneum in meliorem statum construere volentes, terram fodere cœperunt, ut majoris oratorii fundamenta cemento et lapide stabilire potuissent. Set, priusquam Romani martyris capitis inventionem explicem, exordiendum est qualiter et qua occasione sanctus martyr ibi, per quendam Britonem, caput proprium deferri voluerit. Fuit olim quidam locuples homo in hac citeriori Britannia, nobilibus natalibus procreatus, qui, divina propiciatione, christianitatis titulo insignitus, in baptismatis lavacro pompis diaboli abrenonciatis, sancti Spiritus illustratione, ab omni piaculorum sorde mundatus, Paulinus est vocitatus. Qui cum zelo deifici amoris estuaret, premeditabat fieri quovis suorum prediorum æcclesiam in honore cujuspiam martyris, si forte posset aliunde adipisci reliquias illius ipsius martyris. Cumque super hac re hereret animo, a multis audivit urbem Romanam, præ ceteris urbibus, innumerabilium martyrum corporibus fore decoratam. Illuc, sine mora, unum ex fidelibus suis, nomine Maurum, christianissimum et simplicem virum, misit, ut quovis modo cujuslibet martyris somata inde transferret. Qui cum Romam venisset, tria per anni tempora ibi conversatus, nulli secretum sui pectoris patefecit, neque solum per se desiderium domni sui explere quivit. Cumque intra se anxiari cepisset, et sumtus pecuniarum jam pene defecisset, dumque iter ad patriam repetere maturaret, hospes ejus animadvertens animum ipsius insolito egrotum, causam egrotationis diligenter inquirit, et inventam amicæ consolationis medicamine fovit, atque omne auxilii robur, ut amico hospiti, impendit. Qui a quodam archimandrita beati Romani martyris emens actutum venerabile caput, caute in psistarchia peregrini hospitis sacrosanctum thesaurum, sindone munda involutum, cum apicibus posuit, pacisque osculo dato, citato gressu eum ab urbe Romana exire præcepit. Cumque, Dei nutu et prospero itinere, ad Braiaum vicum deveniret, Osanam fluvium transiens, egritudine corporis ibidem detemptus, Deo disponente, glebam corporis, cum thesauro quod detulerat, juxta parietem æcclesiæ, quæ tunc ibi aderat, cum defunctus esset, a christianis cummanentibus exorando poni præcepit. Itaque thesaurus et tam incomparabile munus a Deo collatum, per multorum annorum tempora labentia, hominibus incognitum mansit: donec, propiciante divina clementia, a monachis supradictis officia divinæ servitutis inibi complerentur, et ab omni plebe locus ipse celebris haberetur, atque, aucmentando paulatim, longe lateque volans fama diffunderetur. Tunc, opitulante plebe, majora jacientes æcclesiæ fundamina, insperatum thesaurum repperiunt, corpus quidem præfati peregrini, et, juxta ejus corpus, psistarchiam ipsius illesam, caput supra memorati martyris continentem. Quam quidam homo inmeritus cum a terra temere voluisset levare, præsumtionis suæ pœnam statim ultione divina merito recepit; nam infelix, antequam manu tangeret id ad quod extenderat, oculorum lumine caruit. Quo facto, loci illius homines in uno cuneo conglobati, cum religiosis personis, ac honore debito laudes concinentes, tecam illam, cum sacris reliquiis sine difficultate levantes invenerunt, martyris caput et apices inconvulsas, beati Romani martyris esse caput demonstrantes. Quod cum a terra levaretur, odor suavissimus tantus adfuit, ut omnes qui aderant se sentire crederent odoramina redolentis Paradisi. Inter hæc denique martyris virtus non defuit, nam prædictum hominem lumine orbatum, ille qui cecum a nativitate non dedignatus est illuminare, ipse hunc, meritis Romani martyris, ad laudem et gloriam nominis ejus clariori lumine illuminavit. His ego, vel ipse qui michi hoc retulit, non interfui: set, ut affirmabat, Agobertus, archipresbiter et postmodum præsul Carnotinæ urbis, interfuit, a quo et ipse hoc didicit. Nunc quoque ad sequentia vertatur pennula.

CAPITULUM XXVI.

De æcclesia Buxeti in Pertico, data ab Isnardo milite Sancto Petro Carnotensi.

(Ante a. 1080.)

« Conditor atque Salvator noster Dominus Jhesus Christus qui omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire, ortatur nos pie ac misericorditer, dicens: *Honora Dominum de tua substantia;* itemque: *Date elemosinam et omnia sunt vobis munda.* Idcirco, ego Hisnardus, unus Christianorum ejus filius Sulpicii, volens obaudire voci ejusdem piissimi Domini mei Jhesu Christi, concedo sancto Petro, cœli clavigero, ad cœnobium ejus, quod situm est in suburbio Carnotensi, æcclesiam meam quæ est in Buxido, cum atrio, ob remedium patris et matris meæ et antecessorum meorum et seniorum; annuente Teudone seniore meo, filio Bosonis, qui eam tenet ex beneficio regis. Do etiam terram juxta æcclesiam, quantum arare potest una carruca. Ego

(172) Quæ sequuntur absunt a cod. B.

vero in dominicatu non teneo omnes decimas, set in fisco tenent mei homines plurimas, quibus concessi, ut quisquis sancto Petro dare voluerit, ex mea parte licenciam habeat. Dono etiam pastum omnibus porcis monachorum Sancti Petri cœnobii Carnotensis, in mea silva, sine pasnatico. Item do decimam unius molendini quod situm est in Alneto; et do decimam denariorum quos accipio de pastu porcorum; et dono decimam nummorum mercati Morti Villare. Et ut hæc mea donatio firmissima permaneat, domno meo Teudoni, ex cujus beneficio teneo, corroborandam tradidi, filiusque meus Hisnardus et filiæ meæ utræque, cum matre sua Albereda, hæc omnia quæ dedi consentiendo annuerunt, et annuendo consentiunt, et manibus propriis has litteras corroboraverunt; et ex hoc testes sunt isti homines qui subscripti sunt. Si quis vero adversarius, aut Dei inimicus, aut infidelis vel falsus christianus, hanc meam donationem calumniatus fuerit, in thesauros regis centum libras auri coactus ponat, et perpetuo anathemathe ejus damnetur anima, et cum Dathan et Abiron omnino pereat. S. Teudonis, ex cujus beneficio est. S. Isnardi, qui hanc donationem fecit. S. Alberedæ, uxoris ejus. S. Isnardi, filii ejus. S. Columbæ, filiæ ejus. S. Aremburgis. S. Rodberti Rufi. Hugo de Mor Villare. Baldricus. Mascelinus de Curba Villa. Gausfridus de Longa Luna. Guarinus de Puteo. Arroldus de Croto. Richardus frater. Rodulfus de Calloet. Ex nostris: Bernardus, filius Vulmari; Albertus, Frodo, Stephanus Gualoius, Ermulfus Rufus; Rainaldus filius ejus; Fulchardus; Tescelinus, filius Hildegarii; Arnulfus Niger, Giraldus cocus. »

CAPITULUM XXVII.

De terra Gausberti Villæ.

(29 aug. 1060.)

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Notum esse volumus omnibus Christi fidelibus, tam præsentibus quam futuris, ego Landricus, gratia Dei abbas, omnisque conventus monachorum Sancti Petri cœnobii Carnotensis, qualiter nostro loco data fuerit terra quam possidere videmur in Gausberti Villa, a quodam milite et claro genere, Richardo nomine, vel qualiter concessa sit a nobilissimo comite Normanniæ Willelmo, seu a fratribus supradicti militis, Willelmo scilicet atque Balduino. In anno igitur quo finitum esse intestinum bellum dinoscitur, quod inter regem Hainricum et Willelmum comitem diu duraverat, supradictus miles Richardus a comite, cum aliis Normannis, missus fuerat, custodiendi gratia Tedmarum castrum : quod castrum cum habitatoribus suis tunc anathematum erat. Qui dum ibidem esset, infirmitate corporis, qua et mortuus est, tactus, diligenter animæ suæ detrimentum timens, Nigello quodam ad se vocato, qui sororem suam in conjugio habebat, seu aliis amicis, petivit ut quidam monachus noster Gausfridus, qui tunc forte aderat, ad episcopum civitatis curreret, seque, tam ipse quam alii absolvi facerent et ad cœnobium sepeliendum deferrent; eo tenore ut ab illo die in æternum, monachi nostri loci tertiam partem Gausberti Villæ possiderent, exceptis militibus, quicquid videlicet ipse possederat in domibus, in terris, in pratis, in aquis, in æcclesia, in hobus. Impetrata quoque absolutione, et, ex more sanctæ religionis, inter primates civitatis corpore sepulto, nomen ejus memoriale fecimus, et faciemus diebus omnibus, cum cæteris quorum beneficiis vita nostra sustentatur, Auctorizavit autem hoc donum gloriosus comes sepe nominandus Willelmus, pro cœlestis vitæ præmio, in villa quæ vulgo dicitur Curtis Dominicus, non longe a castro Drocis, coram obtimatibus suis, quorum nomina sunt hæc: Willelmus, filius Osberti; Walterius Gifardus, Fulco de Alno, Hubertus de Rigia, Rodbertus Bertrannus, Willelmus Marmio, Rainaldus Darsellus, Radulfus Falchemandus, Hunfridus, Turoldus; Willelmus, Corbucionis filius; Beneclinus de Schoht, Raberius et Wilelmus de Vernone; Hugo, filius Gerelmi. Auctorizaverunt et fratres defuncti, coram omnibus his supradictis, Willelmus scilicet atque Balduinus, ut et ipsi cum fratre suo in recumpensatione participes esse merentur. De nostris adfuerunt : Bernardus, filius Vulmari; Warinus cocus, Walterius major, Oydelerius stabularius. Si quis hanc cartulam contradicere voluerit, perpetuo anathematis jugulo feriatur, et, frustratus voluntate, tres libras auri persolvat judici. Concessa est et roborata hæc donacio pridie nonas Augusti, die qua mortuus est Hainricus rex Franciæ [et scripta a Paulo monacho]. »

CAPITULUM XXVIII.

De Raimberto servo et Frodburga.

(Ante a. 1061.)

« In Dei nomine. Ego Odo, filius comitis Manassæ, annuente fratre meo Hugone ac sorore nostra Eustachia, notum esse præsenti populo et futuro, me scilicet dedisse Carnotensi monasterio Sancti Petri ac Jociacensi cellæ prædicti monasterii, ex nostra familia servum, nomine Raimbertum, et ancillam, vocabulo Frodburgam; fratrem videlicet ac sororem, cum filiis et filiabus eorum, pro salute patris nostri animæ et matris nostræ. Huic ergo dono si quis nostrorum heredum aliquando contrarius esse voluerit, cum Juda traditore et cum his qui Dominum crucifixerunt, a beato Petro, cui a Domino Jhesu Christo collata est ligandi et solvendi potestas, anathematizatus ac extra portas Paradisi exclusus, diabolo tradatur in inferioribus flammis, omni tempore cruciandus. Precor igitur omnes qui hanc largitionis nostræ legerint vel audierint scripturam, ut Dei pietatem, pro patre nostro Manasse et pro nostra matre Constantia, seu pro nobismet ipsis ex orare studeant, quatenus, post mundi hujus cursum, per sanctum Petrum apostolum, cui supradictum contulimus donum, omnipotens Dominus æternæ vitæ nobis aperiat januam. Hanc autem cartulam semper inviolatam fore cupientes, V idus Augusti, in palatio Meleduni castri, præsente domno nostro rege Hain-

rico, manibus propriis corroboravimus, manibusque plurimorum ibi astantium corroborandam tradidimus. Subscripsimus iterum et nostra nomina, facientes signum salutiferæ crucis et ponentes nomina testium utrarum partium. S. Odonis comitis, qui hanc donationem fecit. S. Hugonis comitis, fratris Odonis. S. Eustachiæ, sororis amborum comitum. Secuntur testes : Gualterius comes, Droco de Conflante, Gualerannus de Parisio, Teduinus vicecomes, Oidelardus ; Hugo, filius Richardi de Bistisiaco ; Guaszo de Pissiaco ; Hugo, filius Liperici ; Rodbertus Budicus, Fulcuinus ; Balduinus, archicapellanus regis; Guiscelinus et Richardus, capellani ; Albertus, præpositus Jociaci cellæ ; Rodbertus de Fraxino, Hulgerius major. Johannes cubicularius dictavit hanc cartulam. Droco, archidiaconus Vilcasini. Qui vero, diaboli instinctu, huic rei contraire voluerit, fisco regis persolvat centum libras colati auri, et conatus ejus sine effectu permaneat. »

CAPITULUM XXIX.

De cella Sanctæ Gausburgis.

(Ante a. 1061.)

« In gremio sanctæ matris æcclesiæ cum fides principatum teneat, misericordia, quæ grece dicitur elemosina, cum ex fonte caritatis procedat, inter virtutes cæteras non habetur ultima. Quæ quidem, dum minimis Christi distribuitur, remissio peccatorum adipiscitur, regnum cœlorum operantibus eam aperitur, unde est illud : *Benefacit animæ suæ vir misericors*, et plura his similia. Salvator etenim noster, universitatis Dominus, cum ipse sit potens, potentes non abicit, quoniam neminem vult (173) perire, set ad agnitionem veritatis venire et per fructus bonorum operum omnes fideles vocat ad se ; qui etiam, in Evangelio, mundi amatores terret : *Omnis*, inquit, *arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, et in ignem mittetur ;* et plura his similia quæ non sunt huic stilo credita. Unde ego Ivo, cassibus mundanæ conversationis inretitus, præ omnibus, peccatorum pondere pressus, verumtamen de multitudine misericordiarum Domini præsumo indignus opus bonum et quod creditur laudabile ; locellum Sanctæ Gauburgis, in territorio Belismensi situm, cum omnibus ad ipsum locum rebus pertinentibus, Sancto Petro Carnotensi committo et dono, quatinus ibidem militaturus Deo monasticus ordo habeatur. Ut autem hoc donum stabile et inconvulsum permaneat volo omnibus, tam presentibus quam et futuris, per succedentia tempora, notum esse, domno meo Hainrico regi, ex cujus beneficio est, me corroborandum tradidisse. Si quis vero, diabolicæ pravitatis instinctu, huic facto (quod absit !) contrarius extiterit, iram Dei incurrat ; beatus Petrus illi contrarius fiat et inimicus, cum ceteris omnibus ; et propria præsumptione confusus, mille libras auri regi Francorum, ob temeritatem injuriæ, persolvat. »

Hic loculus præmemoratus primum a comite Willelmo datus quidam monacho Bonævallensi, Beringario nomine, dinoscitur esse ; set abbas consecratus, bellorum frequentiam atque loci paupertatem cotidie crescentem diu ferre non valens, sponte ad suum cœnobium est reversus, ubi postea suam transegit vitam. Post mortem vero Willelmi comitis et Rodberti filii ejus, quem securi inimici ejus in carcere positum interfecerunt, Ivo, frater Willelmi, in honore succedens, abbatem Landricum rogans expetiit, ut locum præfatum Sancto Petro perpetuo habendum susciperet et monachos suos illuc dirigeret, ibidem militaturos. Cujus petitioni abbas obsequens, misit quosdam de suis, qui locum fere per triennium tenuerunt. Accidit autem ut quidam juvenis, nomine Solo, monachus, Deodatus a lavacro sacro vocitatus, ibidem, ut ferebatur, quedam nefaria actitabat, et, zabuli instinctu, majora adhuc flagitia moliretur agere ; ab ejus complicibus denudatus est ; et, præsidio fugæ elapsus, in Britanniam se suscipiens, suorum operum pedorem nobis grandem relinquens, nos alienavit a loco, et locum a nobis.

CAPITULUM XXX.

De ecclesia sancti Dionisii Nogiomi.

(A. circit. 1078.)

« In (174) gremio sanctæ matris æcclesiæ cum fides principatum teneat, misericordia, quæ grece dicitur elemosina, cum ex fonte caritatis procedat, inter virtutes ceteras non habetur ultima. Quæ quidem, dum minimis Christi distribuitur, remissio peccatorum adipiscitur, regnum cœlorum operantibus eam aperitur. Unde est illud : *Benefacit animæ suæ vir misericors ;* et plura his similia. Salvator etenim noster, universitatis Dominus, cum ipse sit potens, potentes non abicit, quoniam neminem perire (175), set ad agnitionem venire veritatis, et per fructus bonorum operum omnes fideles vocat ad se ; qui etiam, in Evangelio, mundi amatores terret : *Omnis*, inquit, *arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, et in ignem mittetur ;* et plura his similia, quæ non sunt huic stilo credita. Unde ego Rotrocus, cassibus mundanæ conversationis inretitus, militiæ armis accinctus, præ omnibus peccatorum pondere pressus, verumtamen de multitudine misericordiarum Domini præsumo indignus opus bonum et quod creditur laudabilius ; monasterium scilicet, quod meus genitor Gausfredus in honore sancti Dionisii construere cœpit, in territorio non longe distante a castello Nogiomo dicto, cupio amplius adornare et magnificare. Venerandæ quippe memoriæ abbas Landricus me adiens obnixe rogavit, quatinus eundem monasterium Sancto Petro Carnotensi, ob mei memoriam et uxoris filiorumque meorum, et pro anima supradicti genitoris mei et matris meæ, donarem. Quod ego libentissime annui, ut idem pastor

(173) Sic, et superius, cap. 26.

(174) Hanc chartam habes editam in *Gall. Christ.*, t. VIII, instr., col. 364.

(175) Omissum *vult*.

et princeps michi et animabus eorum succurrere dignetur, aperiens nobis portas regni cœlestis, quas, a domino potestate accepta, omnibus fidelibus aperit. Ut autem hoc stabile et inconvulsum permaneat, volo omnibus, tam præsentibus quam et futuris, per succedentia tempora, fidelibus notum esse, manibus omnium fidelium meorum me corroborandum tradidisse. Si quis vero, diabolicæ pravitatis instinctu, huic facto (quod absit!) contrarius extiterit, anathema sit, in infernoque inferiori retrusus, ubi vermis, qui nonquam moritur, ejus corrodat carnes; et ignis, qui nonquam extinguitur, semper ejus pascatur cruciatibus.

Iste locus, quandiu vixit comes Rotrocus, per plusculos annos a nostris monachis est possessus, donec ab uxore Gausfridi, nomine Beatrici, jussi sunt egredi; occasione nacta, quod domnus Hubertus, quondam nostri loci abbas, officio abbatis non poterat uti; cui vivens Rotrocus per abbatem Eustachium ecclesiæ regimen dederat, virgaque pastorali donaverat; et moriens, quicquid in auro et argento, vino et tritico, possederat, in usus monachorum totum reliquit. Quo mortuo, filii ejus omnem triticum et vinum mutuantes, inimicum habentes feneratorem, si quando requireret quod mutuo prestiterat; Beatrix quoque, uxor majoris filii, intra arcem suam aurum et argentum habens, se sibi propinquiorem estimans, preter calicem unum quem fecerat aureum, nichil omnino voluit reddere. Dum vero persepe a supradicto procuratore loci verbis acriter moneretur, ut elemosinam mortui redderet, ad terras emendas et edes construendas, in tanta ira exarsit, ut et monachos nostros a loco pelleret, et Clunienses monachos inibi poneret. Qui semel anathematis pulsi mucrone, rursum redierunt, Allobrogum inediam fugientes quoquo gentium; more girovagorum arida ac maria transmeant, ut inveniant escas.

CAPITULUM XXXI.

Donatio quorumdam collibertorum a comite Tedbalao.

(Ante a. 1080.)

« Quicumque sibi obligatum hominem, propter amorem Dei, a debito relaxat servitio, præmium sibi ab eo confidat, sine dubio, retribui in futurum; dicente ipso per prophetam: *Dimitte eos qui confracti sunt liberos, et omne honus disrumpe. Tunc invocabis et Dominus exaudiet, clamabis et dicet: Ecce adsum.* Quapropter ego comes Tedbaldus, in Dei nomine, pro remedio animæ meæ, quosdam servos mei juris, natos ex servis meis ancillisque Sancti Petri Carnotensis, cum uno servo meo libero, trado monachis ipsius loci, ut, ab hac die, servitium debitum persolvant. Ea denique conventione hoc annuo, ut omni tempore, exceptis feriatis diebus, in pleno conventu, michi psalmus post lætaniam ab eisdem fratribus decantetur. Et ut hujus donationis carta sit omni tempore firma, ego ipse manu mea A signo crucis eam roboravi, et filio meo roborandam proposui. S. Stephani comitis. S. Gausfridi de Calido Monte. S. Widonis de Breina. S. Hainrici dapiferi. S. Widonis de Monte Leodorico. S. Alcherii, filii Guauslini. S. Hugonis, filii Tedbaldi. »

CAPITULUM XXXII.

Donatio collibertorum a vicecomite Ebrardo.

(Ante a. 1070.)

« In nomine Domini nostri Jhesu Christi, filii Dei summi. Ego Ebrardus, Carnotensium vicecomes (176), notum esse volo præsentibus atque futuris, quod adierunt meam præsentiam Sancti Petri Carnotensis monachi, deprecantes, ut, pro remedio animæ meæ, dimitterem calumpniam quam immiseram in filiis Girberti, mei servi, de Ymonis Villa, qui ex ancilla Sancti Petri Carnotensis nati sunt. Quod et feci, accipiens ab eis centum solidos nummorum et unciam auri; et concessit Sancto Petro Carnotensi et monachis famulantibus ibidem, absque calumpnia, ipsos filios Girberti et Beringerium, cognatum eorum, cum uxore et filiis et filiabus suis, et progenie ipsius Gisberti, qui infra terminos Imonis Villæ degit, pro remedio animæ meæ, et parentum meorum, uxorisque meæ Hunbergæ et filiorum meorum; quatinus ab hodierna die et deinceps serviant monachis, absque ullo contradictu et calumpnia. Quod si quis hanc cartulam et donationem dampnare voluerit, dampnatus pereat in æternum. S. Ebrardi vicecomitis, qui hanc donationem fecit. S. Ebrardi, filii ejus. S, Hugonis, filii ejus. S. Hunebergæ, uxoris ejus. S. Odonis, filii Guaszonis. S. Guarini, filii Guarini de Turre. S. Gualterii, filii Loscelini de Curte Entismo. S. Gunterii, filii Haimonis. S. Guidonis Apostoli, et Gausberti, fratris ejus. Ex nostra parte: Arnulfus Bigotus; Stephanus, Dodonis filius; Gausfridus Tosardus, Teduinus major, Hubertus Bovardus, Gualteriolus de Monasterio. Rodbertus monachus hanc cartulam scripsit, jubente Landrico abbate. »

CAPITULUM XXXIII.

Agnitio de terra Rodberti Cornei.

(A. 1028-1037.)

« Agnitio qualiter terra, quam abbas Magenardus dedit Rodberto Corneo, revocata est ad victum fratrum. — Dum Rodbertus Corneus mortuus fuit, voluerunt monachi ipsam terram recipere; set uxor ejus judicium portare fecit, quoniam ea conventione suo data fuit seniori, ut ipsa, quandiu viveret, eam possideret. Quam feminam quidam miles, Sulio nomine, in conjugio accepit; qui multis vicibus, servitium abbati Arnulfo obtulit. Quod servitium semper abbas sprevit et nonquam recepit. Quo Sulione vivente cum supradicta femina, filii Rodberti jam dicti mortui fuerunt. Post mortem vero feminæ, reclamaverunt ipsam terram nepotes ejusdem Rodberti; set monachi fortiter restiterunt eis. Tunc venerunt utique in curiam Odonis comitis et episcopi

(176) Hic vicecomes Ebrardus, cum crucesignato rum exercitu in Terram Sanctam profectus, inter fectus est in Antiochena obsidione, a. 1097.

Teoderici, et ibidem factum est placitum. Affirmabantque nepotes Rodberti, quoniam ea conventione judicium femina portare fecerat, ut, post mortem ejusdem feminæ, heredes Rodberti ipsam terram in fisco de abbate tenerent. Ad hoc contradicendum satis habuimus testes. Tunc Odo comes judicavit campum fieri, scilicet ex hoc quod illi dicebant heredes Rodberti in judicium, quod femina Rodberti fecit portare, fuisse missos. Testis vero Sancti Petri dicebat non, nisi solummodo feminam. Tunc Rodbertus, unus ex jam dicti nepotibus, dedit comiti guadium. Teodericus vero, homo Sancti Petri, qui jam major fuit, similiter suum guadium comiti dedit ad contradicendum. Postea vero, remanente campo, concordia sic facta fuit. Abbas Landricus, episcopo Teoderico rogante, quadraginta solidos ipsi Rodberto et Sancelino, fratri ejus, dedit, et duos aripennos vineæ remisit, quos Rodbertus Corneus Sancto Petro dedit, dum ab abate Magenardo ipsam terram recepit. Ipsi vero fratres Rodbertus et Sancio guerpiverunt terram, et fidejussores dederunt seipsos et duos homines suos, Gilduinum et Emalricum, ut, si quando ab aliquo, ex parte eorum, ipsa terra calumpniaretur, ipsi liberam eam redderent, et totam calumpniam in curiam comitis eraderent. Hæc concordia in episcopi curia facta fuit ; et interfuerunt multi, ex quibus quidam hic subscripti sunt : Nivelo, Albertus de Gualardone, Rogerius Podardus, Haimo Barbatus, Girogius clericus , Herbertus Carnotensis. Ex nostris : Dodo, Herbrannus, Adventus, Teduinus, Lambertus , Labaddon; Gausfredus , filiaster Osberti. »

CAPITULUM XXXIV.

Donatio consuetudinum burgi a Gilduino vicecomite.

(29 April. 1046.)

« Quoniam certum est æternaque lege positum, ut nichil contet genitum, cunctis congruit christiani nominis in hoc fortunæ salo positis, non credere fugacibus bonis; pensandum est nobis itaque ut, digno fructu pœnitentiæ pariter et elemosinæ, mereamur gaudium sine fine, rapiente nos sero die. Hujus rei gratia, ego quidem Gilduinus, vicecomes Carnotinæ urbis, uxorque propria, nomine Emmelina, una cum filiis nostris dulcissimis, sancto Petro, apostolorum principi, consuetudines scilicet sui suburbii, quæ nostri sunt juris, gratanter concedimus, ut monachi devote ei servientes in cœnobio quod situm est juxta præfatam urbem, jus habeant orandi pro salute nostra, et singulis annis, post mortem carnis, singulorum anniversaria celebrent. Tribuimus etiam unum furnillum, excepto censu, ab omni consuetudine liberum, et ortulum arborum lætissimum. Hanc autem cartulam firmavimus horum testimonio quorum nomina subscripsimus, signo crucis eam corroborantes. Gilduinus vicecomes, qui hanc donationem fecit. Harduinus vicecomes, filius ejus. Elisabeth, uxor ejusdem. Joannes medicus. Guiszo medicus. Girbertus presbiter. Goscelinus presbiter, Rodbertus de Villa Pali. Herbrannus de Transgrandi Ponte. Rodulfus Musculus. Guarinus, princeps cocorum vicecomitis. Durandus, pincerna comitis. Teduinus, major Sancti Petri. Ernulfus. Durandus cellerarius. Hugolinus cocus. Tedbaldus Boldardus. Ericus puer. III kalendas mai hoc auctum est, regnante invictissimo rege Henrico; secundo anno post bellum quo captus est Tedbaldus, comes palatinus, a comite Andegavensi, Gausfrido Martello. »

CAPITULUM XXXV

Emptio terræ Gualterii et Guarnerii.

(Ante a. 1070.)

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti. Ego Landricus, gratia Dei, abbas cœnobii Sancti Petri Carnotensis, quod decenter et honorifice, non longe ab ipsius civitatis porta quæ vocatur Cinerosa, priscis temporibus situm est; in quo non modica monachorum congregatio, secundum regulam sancti Benedicti ac aliorum præcedentium patrum exempla, pie vivens in hymnis et canticis spiritalibus, intimo cordis affectu pervigil, ceterarumque virtutum claris adornata insignibus; perdia et pernox tendit ire, Petro præsule, per hujus mundi numquam quietum pelagus, ad æternæ patriæ portum semper amœnum; Christum quoque sedula prece exorat pro cuncto populo catholico, specialiter vero pro his quorum beneficiorum atque largitionum juvamine, in hoc fragili carnis gurgustio, dum vivit, sustentatur. Cum hac, inquam, ego prædictus abbas notum fore volumus cunctis fidelibus, tam presentis quam venturi evi, quod quidam monachus noster, Warinus nomine, nostræ cujusdam cellæ provisor, in finibus Normanniæ in honore Dei genitricis Mariæ constructæ, in villa quæ vulgo Plancas vocatur, a quodam presbitero, nomine Fulberto, jure perpetuæ emit emptionis terram, videlicet Gualterii de Vico terramque Guarnerii. Pro hac quoque XX solidos nummorum dedit, pro altera tres libras nummorum. Domini quippe supradicti presbiteri, duo scilicet fratres, Willelmus de Fageto et Guimundus, ut huic venditioni præberent assensum, XX solidos, tantumdemque etiam domno eorum dedit, Guimundo scilicet Felici, cujus tunc erat ipsum castrum de Molinis, de cujus beneficio supradicti duo fratres terram illam tenuerant. Itaque, tam a presbitero supradicto quam a domnis ejus supradictis, positum est donum super altare almæ matris Domini, videntibus et audientibus his quorum nomina subscribere mandavimus. Prius vero assignare curavimus, quia Giraldus, supradicti presbiteri filius, adnisus est reclamare sibi supradictæ terræ partem ; set, convictus in curia de Molinis castri, coram domna ipsius castri Albereda, scilicet filia Guimundi Felicis, donum et ipse posuit super altare, habens inde quinquaginta solidos. Cujus rei testes sunt hi : Guido presbiter, Fulbertus de Plancis, Herbertus de Melicurte, Seirannus de Plancis , Restaldus mediator, Corbellus, Guillelmus vinitor, Turoldus famulus,

Willelmus Canutus, Willelmus de Aspris· Willelmus, filius Milonis; Ebrardus de Ruga. »

CAPITULUM XXXVI.

De æcclesia Villæ Villonis, ac de terra ibi data.

(Anno 1059.)

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Ego Odo, filius Guazzonis, notum esse volo, tam præsentibus omnibus quam succedentibus, quia memor divini eloquii dicentis : *Date, et dabitur vobis*, ipse, inquam, pro salute animæ meæ ac conjugis, ex beneficiis, quæ denique temporaliter possidere videor, æcclesiam, quæ olim quidem sita est in loco qui vocatur Villa Villonis, nunc vero, imminentibus malis, ad nichilum redactam, cum terra ac decima ad æcclesiam pertinenti, terramque aliam unius aratri, sancto Petro atque abbati Landrico monachisque ejus jure possidendam tribuo ; Agoberto, venerabili episcopo annuente, necnon nobilissima domna mea Mahilde atque ejus filio Willelmo, de quibus id possideo. Hanc quidem æcclesiam Richerius quidam miles actenus ex me tenuit; set, a me nuper pecunia accepta, eam michi reddidit in conspectu plurimorum hominum, de quibus in testimonium paucos subscribam : Bernardum de Buslo; Rodulfum, filium Hungerii; Gausfridum de Braiao, Guillelmum præpositum ; Radulfum, filium Leodegarii. Quorum etiam consultu supradictam donationem feci, ut habeam, videlicet ipse et uxor mea, nomine Ermengardis, ex hac die et deinceps, beneficiorum suffragia et orationum monachorum. Quod si alibi ipsi melius viderint supra memoratam æcclesiam reedificandam esse, ubi voluerint, in opus æcclesiæ seu cimiterii tres aripennos terræ, in eadem villa, libenter tribuam, reservato sibi loco mutato æcclesiæ. Quia vero ab apostolo scriptum esse audio, *hilarem datorem diligit Deus*, augeo huic dono quendam meum militem, nomine Stabilem, cum terra seu decima, quam ex meo beneficio in eodem loco tenebat. Abbas itaque et monachi, pro istis rebus, quinquaginta solidos nummorum michi dederunt caritatis dono. Hanc autem cartulam, nominibus propriis corroboratam, si quis contrarius nostræ saluti suggillare aliquando nisus fuerit, cum Dathan et Abiron ignibus gehennæ subjaceat. Scripta est denique Hainrico rege regnante, in eodem anno quo substituit sibi in regno Phylippum, filium suum. S. Odonis, qui hanc donationem fecit. S. Ermengardis, uxoris ejus. S. Avesgaudi, nepotis ejus. S. Ervei. S. Hugonis de Barzilleriis. S. Herberti de Teonis Villa. Ex nostra : Stephanus, Ernulfus, Fulchdus, Tescelinus, Gauscelinus de Fragante Villa. »

CAPITULUM XXXVII.

De æcclesiæ censu Salicioli et terra data.

(Ante a. 1080.)

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti. Omnes in Christo renatos, quique in ipso pie vivere volunt, semper intentos esse condecet, ut maculas terrenæ contagionis, quæ sibi carnis delectatione adheserunt, pœnitendo defleant, et futura caveant, seseque bonorum operum sincera voluntate adherendo conjungant, ac toto nisu Conditoris jussionem sequantur dicentis : *Qui reliquerit agrum vel domum, seu aliud aliquid in hoc mundo, propter me, centuplum in futuro accipiet, ac vitam æternam late possidebit.* Hoc ego dulcissonum Christi eulogium patula aure, Urso nomine, auriens, una cum consensu domni mei Walterii, filii Viviani, cujus beneficium actenus tenere visus sum, censum videlicet æcclesiæ de Salicioli, necnon et XX^tiIII^a jugera terræ, juxta ipsam æcclesiam, ad orientalem plagam sitam, pro salute animæ meæ et parentum meorum, Sancto Petro cœnobii Carnotensis, donatione directa, concedo ; ut, nullo unquam in evo, aliquo modo, ad ullum heredum meorum id retorqueatur. Adibeo etiam conjugis meæ Ausindis atque filii mei unici Gisleberti et filiarum mearum consensum, quatinus mecum retributionis participes esse in æterna vita valeant. Quod si michi vita comes fuerit, ac propius ad ipsum cœnobium, monastice victurus, accedere voluero, quantum Deo facultatis aderit, augens donum supradictum, et, sicut ait Psalmographus : *Placabo Dominum meum in vita mea ; psallam Deo meo quandiu ero.* Ut autem hæc cartula inviolabilis permaneat, fidejussores seu testes, subscribi volui : Richardum clericum; Adraldum et Bernardum, fratres ejus; Gualterium, nepotem meum, prænomine Postellum ; Marcuardum de Givriaco. Subscribi volui quosdam audientium et videntium, ut, si forte (quod absit!) aliquis huic donationi contraire voluerit, omnes adversus eum consurgant, et pro Deo videant, ut ejus nisus non valeat. Urso, qui hanc donationem fecit. Ausindis, uxor ejus. Gislebertus, filius ejus. Gualterius Domnus, filius Viviani. Vivianus, filius ejus. Hildeburgis uxor Walterii. Fulco præpositus. Herbertus de Berseriis. Rodulfus de Calliolo. Amalricus. Guidio presbiter. Herbertus presbiter. Giraldus decanus. Isengrius. Rainaldus de Harei Curie. Radulfus Gruellus. Ivo, filius Fulconis. Radulfus de Mercato. Walterius Postellus. Rodbertus, infirmorum custos. Walterius de Groslu. Leodegarius, filius Hildegarii. Guauscelinus de Villaris. Otrannus, filius ejus. »

CAPITULUM XXXVIII.

De vicaria atrii æcclesie Anetis villæ, et molendinorum.

(Ante a. 1080.)

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Ego Adelina, parentibus orta secundum seculi dignitatem natalibus, clarissimo cuidam viro, nomine Rodberto, jam secundis nuptiis, nobiliter copulata ; ego, inquam, notum esse volo omnibus sanctæ Dei æcclesiæ cultoribus, quoniam, pro salute domni mei Rodberti, qui tactus gravi corporis incommodo, divini verbi non immemor dicentis : *Qui amat patrem aut matrem aut uxorem aut filios, plus quam me, non est me dignus ;* omnia quæ in mundo temporaliter possidebat derelinquens, sub abbate Landrico, in sanc-

cti Petri, apostolorum principis, cænobio, scilicet Carnotensi, comam capitis deponens, monastice victurus, factori suo se tradere studuit; ejus quidem deprecatione, pro salute animæ suæ pariterque animæ patris mei Ingenulfi, atque Johannis, primi mei senioris, sancto monachorum cetui, inibi degentium, concedo illam vicariam, quæ a parentibus meis videbatur mei juris esse, tam in atrio æcclesiæ quam in molendinis, et in terra eorum; ut perpetuo jure et vicariam et omnes consuetudines judiciariæ potestatis possideant, et sine ulla calumpnia teneant. Ut autem hæc cartula in hac re firmius valeat, manu propria eam corroboravi, manibusque multorum testium corroborandam tradidi, quorum nomina etiam subscripta sunt. Andreas de Moncello. Guiddo, filius Girelmi Malum Auxilium. Adraldus de Croto. Frodelinus. Gualerius presbiter. Giraldus cocus. Rainaldus agaso. Frodo. Adventius. Richardus clericus, et alii. »

CAPITULUM XXXIX.

De æcclesia superioris Croti.

(Anno 1061.)

« Cunctorum creatori famulans, cum duobus fratribus meis, Richardo clerico et Bernardo laico, ego, inquam, Adraldus Sancto Petro cœnobii Carnotensis superiorem æcclesiam Croti, cum quatuor hospitibus, perpetualiter libens concedo, pro anima quidem propria, atque animabus parentum meorum; ut, sicut in orationibus monachorum Majoris Monasterii, quibus eam primitus vendideram, collecti sumus, ita in istorum simus qui postea ab ipsis emerunt. Habeant itaque monachi Sancti Petri ipsam æcclesiam, ac æterno jure possideant, ab hac die in antea, nulla refrontante calumpnia; et a quo voluerint sacerdote deserviatur, priore postposita conventione, qua firmavimus ut monachus ibi semper non deforet. Pro hac, inquam, re decem solidos nummorum accipiens, deprecatione Ascelini monachi, consobrini mei, hanc novam cartulam mea manu corroboravi, ceterisque inferius scriptis corroborandum dedi : Gencelino decano, Gerardo presbitero, Rainaldo clerico, Godefrido, filio Raherii; Isnardo, Ursoni, Postello, Odoni, Fulberto, Beringerio, Walterio, Rodberto. Facta est hæc carta secundo anno Philippi regis regni, et recitata ac robo- D rata ante portas æcclesiæ sancti Stephani, Drocis castro. »

Hæc præfata æcclesia a quodam monacho Majoris Monasterii, Ascelino nomine, empta fuit; set, cum videret parum utilitatis inesse, atque diuturnam inprobitatem (177) Adraldi, a quo emerat, vix egre ferre valeret, ad abbatem Landricum se (178) convertens, petiit ut ab eo eam emeret, quatinus æcclesiis Sancti Petri, inter quas erat, jungeretur. Itaque abbas, prevídens utilitatem futuram, postposuit presentem inportunitatem viri, quæ cum carne finiret, dedit monacho sedecim nummorum libras; et A cartam, quam sibi monachi Sancti Martini fecerant, per consensum totius capituli, nobis reddidit, quæ, usque in præsentem diem, inter alia agiographa, penes nos servatur.

CAPITULUM XL.

De septem acris terræ datis sancto Petro.

(Ante a. 1070.)

« In Christi nomine Ego Landricus, abbas cœnobii Sancti Petri Carnotensis, omnisque congregatio nostra monachorum, notum esse volumus omnibus christianæ fidei cultoribus, tam præsentis evi quam futuri, quod quidam Normannus genere, Herbertus nomine, de Meli Curte, in territorio Molinorum castri, septem accras terræ, pro anima, sancto Petro, cum omni consuetudine, tribuit, do- B numque super altare sancti Petri manu sua posuit; et pro hac re ante ipsum altare, per argenteum missalem, de orationibus, tam præsentium fratrum quam succedentium, eum revestiri voluimus, coram testibus his : Hugone, presbitero Bonevallensi; Arnulfo Nigro; Warino cellerario; Hildulfo et Gausfrido, fratribus; Oidelerio, Ainerio lavendario, Engelberto coco. Si quis autem huic dono contraire voluerit, auctoritate apostoli Petri, cui datum fuit, sit excommunicatus; et, nisi vivens ad satisfactionem confugerit, in inferno mortuus, doleat se sustinere pœnas perpetuas. »

CAPITULUM XLI.

De consuetudinibus Broillamat (179).

(Ante a. 1067.)

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, in cujus regno viget quietudo pacis perpetuæ. Omnibus in comitatu meo degentibus, ego Willelmus, comes Normanniæ, notum facio quod penes nos actum esse perdocebit subscripta narratio. Est in partibus nostris villa quædam, Broillemat nominata, sancti Petri apostoli monasterio Carnotensi ab ejusdem constructoribus antiquitus data, quod videlicet sancti Petri monasterium in Carnotis civitatis est suburbio situm. Hujus itaque monachus quidam, Gausfridus nomine, veniens ad nos, rogavit sancto Petro donari prædictæ villæ potestatem judiciariam, quam ego, Deo donante, inter alia plurima hactenus possedi per sortem hereditariam. Sperans igitur ego michi quandoque debere relaxari peccata, potestate solvendi per redemptorem sancto Petro collata, ipsius monasterii abbatis Landrici et omnium fratrum annuo petitionibus, quas nobis præfatus monachus suggessit, ipsis precipientibus. Quicquid igitur in prædicta villa videor obtinere, sancto Petro, jam ex hac die perpetualiter, trado; quia in futura vita id illum michi retribuere debere indubitanter credo. Subscriptis autem nominibus idoneorum virorum, scilicet in hac traditione presentium, ipsa confirmatur, ut a nullo successorum meorum posthac dissolvatur. S. Willelmi comitis, qui hanc donationem fecit. S. Rodberti, fratris ejus. S. Willelmi,

(177) Addit cod. B : *et insatiabilem rapacitatem.*
(178) Addit idem cod. : *astu.*

(179) In indice capit. scriptum est, *Broidlamar.*

filii Osberti. S. Corbutionis de Falesia. S. Gisleberti, præpositi de Usmis. S. Balduini de Gaci. S. Herberti de Meli Curte. »

Sopito persecutionis turbine, et restinctis iracundiæ flammis quas evomebat insatiabilis acephalorum amaritudinis zelus, rursum animus intimi amoris ad cartas scribendas accenditur, quas omiseram, tabescens sevissimæ tempestatis horrore; cupiens ceptum opus ad finem perducere quatinus, pietate divina propiciante, ab illa detestabili voce mancam immunis : *Iste homo cœpit edificare, et non potuit perficere.*

Nunc ergo cartas Gesiaci cellæ, cum præ manibus habeam, libet contexere.

CAPITULUM XLII.

De manu firma quam Gisbertus abbas fecit.

(29 Sept. 986.)

« (180) In Christi nomine. Gisbertus, divina propiciatione, abbas, omnisque grex Carnotensis cœnobii summi apicis apostolorum Petri et Pauli, universæ militiæ præsentis seu futuræ fidelibus. Quamvis æterna lege sanctiatur nichil constare genitum, nichilque esse diu quandoque futurum; constat tamen nullo melius genere reformari posse memoriam præteritorum quam attestatione litterarum. Quocirca universorum fidelium, tam præsentium quam succedentium, perpenderit industria, quoniam adierit quidam miles, Ubertus nomine, nostræ devotionis unanimem consensum suppliciter deprecans, ut sibi sueque conjugi, vocabulo Aigæ, unique hæredi eorum, in pago Vilcasino, ex abbatia beatæ semper virginis Mariæ, quam illius loci incolæ Avangliam dicunt, in loco qui vocatur Altera Villa, mansum unum in dominicatu, cum universis ejusdem mansi appendentiis, sub annuo reditu vel censu concederemus. Igitur petitioni ejus concordibus animis assentientes, sibi atque ipsius jam dicte uxori, uni quoque heredi eorum, ut dictum est, præfatum mansum concedimus, illa videlicet ratione servata, ut, singulis annis in solennitate sancti Remigii, solidos VI persolvant. Quod si negligentes aut rebelles de hoc censu extiterint, legitime emendent, et prænotatam terram non perdant. Hæc vero cartula, ad obtinendum firmiorem sui vigorem, manibus nostris adtrectata et plurimorum nominibus habetur insignita atque corroborata. Odo comes. Walterius (181) comes. Abbas Gisbertus. Durandus decanus. Erbertus monachus. Alveus monachus. Tedbertus monachus. Johannes monachus. Benedictus monachus. Magenfredus monachus. Actum Gisiaco fundo, III kalendarum octobrium, primo anno regni Cludovici, indictione (182) IIII. Erbertus scripsit, monachus et levita. »

Hæc res gesta magnum nobis generavit detrimentum, sicut jam prælibavimus; nam, defunctis his quibus prefata carta tenendi assensum præbuerat, eorum superstites, vi et impunitæ audaciæ præsumptione, per annorum multorum curricula tenere voluerunt. Quorum quædam mulier, nomine Adela, secularibus fulta præsidiis, ictum cotidianæ excommunicationis fere per tria lustra sustinens, vix jam senio fessa et inrevocabili morte perterrita, dimisit invita, ferre timens excommunicationis vincula. De qua re XXX libræ nummorum sunt datæ duabus ejus filiabus et earum conjugibus, ut vel sic extingueretur immoderata eorum cupiditas, quæ quinquennio nobis quidem tacita fructum fundi sumere permisit. Nunc autem rediviva, ebulliens, fas et nefas equa lance pensans, injuste usurpat quod reliquerat, beato Petro apostolo inspiciente et adhuc pia manu retinente vindictam.

CAPITULUM XLIII.

De consuetudine data a Walterio comite (183).

(Circa a. 1006.)

« In (184) nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Salubre atque utile et proficuum animæ nostræ judicamus, ut ex his quæ in præsenti seculo nobis a Deo collata sunt, Deo servientibus, pro salute animarum, concedamus. Quicquid enim in hoc mundo cernimus, momentaneum et transitorium et instabile omnino comprobamus. Iccirco ego Walterius (185), gratia Dei, comes, profectum et salutem animæ meæ et conjugis meæ Adelidis filiorumque meorum, quicquid consuetudine temporali ad nos pertinere videtur de navibus Sancti Petri Jociacencis, per Sequanam transeuntibus prope nostrum castellum, quod vulgo dicitur Medanta, per deprecationem Mainardi abbatis et ceterorum fratrum, eidem loco concessimus; ea ratione ut neque ego, neque filii mei, vel aliquis ministrorum nostrorum, per succedentia tempora, accipere aliquid debeat. Quod si aliquis contra hoc nostræ largitionis donum insurgere temptaverit, maledictionis et anathematis vinculo obligatus, perpetuæ dampnationi subjaceat; et, quia cum benefactoribus partem habere noluit, cum blasphematoribus et persecutoribus Domini, et Juda traditore, Dathan quoque et Abiron, quos terra vivos absorbuit, in æternum dispereat. Et ut hoc nostræ auctoritatis præceptum inconvulsum permaneat, manu nostra illud subscriptione firmavimus, et manibus filiorum et fidelium nostrorum roborandum tradidimus. S. Walterii comitis. S. Rodulfi, filii ejus. S. Dro-

(180) Hoc instrumentum transferendum est in librum Gisberti abbatis, supra col. 241-242.

(181) Walterius I, comes Dorcassinus et Velcassinus, de quo vide supra, cap. I.

(182) Hic prætermissa videtur in cod. littera numeralis x, quandoquidem dies III kalend. octobr. a. 1 Ludovidi V, quod tempus convenit cum die 29 septembr. a. Chr. 986, in indict. XIV incurrit.

(183) Hujus chartæ tempus conjicitur ex charta Gemeticensi monasterio ab eodem Walterio, Velcassini comite, data, anno 1006, de eodem vectigali a navigiis per Sequanam commeantibus exigendo. Vide *l'Art de vérifier les Dates*, t. II, p. 682.

(184) Ista charta ad librum Magenardi abbatis pertinet.

(185) Walterius II, Albus cognomine, Walterii I filius.

gonis, filii ejus. S. Walterii militis. S. Rorigonis. S. Hugonis. S. Sansonis. S. Uberti. S. Hugonis. S. Addonis. S. Guadsonis. »

CAPITULUM XLIV.

De ancilla data a Waleranno comite.

(Ante a. 1071).

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti. Ego Gualerannus (186), Mellentis castri comes, notum esse volo sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus, tam presentibus quam futuris, quia quidam homo ex familia Sancti Petri Gisecii ortus, qui locus cœnobii Carnotensis cella esse dinoscitur; homo quidem vocatur Walterius; qui accepit sibi uxorem unam ex ancillis meis. Quod cum rescissem, utrumque et hominem et mulierem meo juri mancipari disposui. Interveniente vero cum quibusdam monachis abbate præfati cœnobii, nomine Landrico, pro amore Dei omnipotentis, qui omnia necessaria sua gratuita bonitate amministrat suis fidelibus; cum consensu dulcissimæ meæ conjugis et sobolum fideliumque meorum, ipsam dimisi mancipationem, et mulierem quæ mei juris erat, simul cum viro suo, sancto Petro concessi, ut, ab hac die in antea, jure perpetuo possideat tam ipsos quam quos qui ex his procreandi sunt. Si quis autem heredum meorum huic largitionis meæ portiunculæ contraire voluerit, sanctus Petrus ei obvius portam claudat Paradisi, et, nisi resipuerit, gehennalibus claustris puniendum tradat. Ut autem hæc cartula sit firmior, signo astipulationis meæ, ante æcclesiam sancti Nigasii, eam signavi, et filiis fidelibusque meis corroborandam tradidi. S. Gualeranni comitis. S. Hugonis primogeniti. S. conjugis Adelidis. S. Gualeranni filii. S. Fulcoisi filii. S. Teduini vicecomitis. S. Heluisi clerici. S. Drogonis de Coflante. S. Ansoldi Parisii. S. Hilduini, filii Hermeri. S. Willelmi Calvi. S. Guarnerii præpositi. S. Odonis de Porta. S. Bernardi Alba Sella. S. Guarini clerici. Vitalis. Johannis. »

CAPITULUM XLV.

De prava consuetudine usurpata a vicecomite Hilduino.

(Ante a. 1080.)

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Ego Hilduinus vicecomes, auditor quidem dicentis, quia gaudium est angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente, notum esse volo tam præsentibus quam futuris sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus, quoniam pascua terræ meæ, more antiquo jureque perpetuo, omnibus bestiis terræ Sancti Petri Jociacensis cellæ, tam in bosco quam extra boscum, reddo, ut, absque ulla contradictione, deinceps habeant et pascant æstu ac hieme; pro salute scilicet animæ meæ et pro remedio animæ patris mei Hugonis, qui, absente justicia, hanc pravam consuetudinem intulit, ut et herbam vetaret quam Deus de terra jussit omnibus bestiis producere, atque pro pastu ipsius herbæ precem aratrum sive boum quasi per consuetudinem extorquere ab hominibus non timeret. Pro hac, inquam, consuetudine mala quam ipse post eum usque nunc usurpavi, graviter me peccasse confiteor; atque, Hugone fratre meo annuente, sicut proposui, pro animabus nostris, coram omnibus, relinquo. Hanc autem cartam manu propria cum crucis signo corroboro, nomenque meum et nomina fidelium nostrorum subscribere jubeo. Si quis autem malesanus aliquando hanc rem contraire voluerit, nisi cito resipuerit, cum Dathan et Abiron vivus absorbeatur humo; cum Herode innocentum occisore, atque Juda, Domini traditore, tradatur ignibus gehennæ. S. Hilduini vicecomitis, qui hanc consuetudinem dimisit. S. Hugonis, fratris ejus. Nomina testium : Gualerannus, monachus et præpositus, qui pro hac re XXX nummorum solidos vicecomiti dedit; Paulus monachus, qui hanc cartam scripsit; Roscelinus, Odo de Roseto, Aimardus, filius Guntardi; Adam de Buscheledo; Walterius, filius Hugonis de Aincurte; Willelmus, nepos ejus; Willelmus Plicans Montem, Hugo Brustans Salicem, Hubertus de Roseto, Hurso mercator; Turoldus, filius ejus, Hubertus Donzellus, Gauslinus Normannus, Gambardus, Garnerius Bultio. »

CAPITULUM XLVI.

De fera quam usurpaverat Droco comes.

(Ante a. 1036).

« Veritas, quæ est Dei filius, qui dixit : *Ego sum veritas*, ortatur et docet aliena non rapere et propria largiri. Quapropter ego Droco (187), comes Ambianensium, ob amorem filii Dei et salutem animæ meæ, consuetudinem quam calumniabar me habere in fera Sancti Petri Gisiacensis, quæ est III kalendas julii; et brennaticum quod injuste accipiebam in Calderiaco et sancto Cirico et Droconis curte, ex toto dimitto; et ut hæc remissio firma in perpetuum maneat, manu propria has litteras corroboravi cum uxore et filiis et fidelibus meis. S. Droconis comitis. S. Ehtde comitissæ. S. Fulconis, fratris comitis. S. Rodulfi, filii comitis. S. Gualterii, alterius filii. S. Sansonis. S. Hugonis Brustans Salicem. S. Arnulfi præpositi. S. Agardi Fortini. S. Galterii de Gronniaco. S. Rodberti de Viri. S. Othmundi S. Guidonis, filii Sansgualonis. S. Ivonis Guespæ. S. Gualterii Franci. S. Huberti de Roseto. S. Ursonis archidiaconi. S. Hugonis Bascodelis. »

CAPITULUM XLVII.

De Rainberto et Frodburga, ab Odone comite datis.

(Ante a. 1061).

« In Dei nomine. Ego Odo, Manasse filius, notum facere volo præsenti populo et futuro, cum Hugone, fratre meo, annuente, me dedisse Carnotensi monasterio sancti Petri ac Josiacensi cellæ prædicti monasterii, ex nostra familia servum, nomine Raimbertum et ancillam, vocabulo Frodburgam, fratrem videlicet ac sororem, cum filiis ac filiabus eorum,

(186) Gualerannus sive Walerannus II, Mellentis castri comes, obiit vel. a. 1069 vel sequente.

(187) Droco, comes Ambianensium, veneno necatus in Bithynia, exeunte a. 1036.

pro salute patris nostri animæ et matris nostræ. Huic ergo dono si quis contrarius esse voluerit, infernalibus involvatur flammis, cum Juda traditore Domini; et ab eo anathematizatus, cui a domino Jhesu Christo collata est potestas ligandi et solvendi, extra Paradisi portas maneat, a diabolo omni tempore cruciatus. Precor igitur omnes qui hanc scripturam legerint, ut Dei pietatem pro patre nostro Manasse et pro matre nostra Constantia et pro nobismet ipsis exorare studeant, quatenus, post mundi hujus cursum, per beatum Petrum apostolum, cui supradictum contulimus donum, dominus Christus æternæ vitæ nobis aperiat aditum. S. Odonis comitis. S. Hugonis, fratris ejus. Corroborata est hæc cartula V idus augusti, Meledumo castro, in palacio Henrici regis, manibus duorum fratrum prædictorum et aliorum quamplurimorum hominum; de quibus paucos eligentes, eorum nomina subscripsimus in testimonium duarum partium : Oidelardus; Hugo, filius Richardi de Bistisiaco; Hugo, filius Liperici; Rodbertus Budicus, Fulcuinus; Albertus, monachus et præpositus; Balduinus archicapellanus; Richardus et Guiscelinus, capellani; Ulgerius major, Johannes cubicularius. Droco, archidiaconus Vilcasini, hanc dictavit cartulam. Quam si quis contraire voluerit, conatus ejus inefficaps remaneat, et regi C auri persolvat libras. »

CAPITULUM XLVIII.

De consuetudine dimissa ab Hugone vicecomite.

(Ante a. 1034).

« In (188) Christi nomine. Ego Arnulfus, abbas humilis Sancti Petri Carnotensis, notum esse volo omnibus, tam presentibus quam futuris, de Hugone vicomite Vilcasini. Vendicaverat enim sibi violenter idem vicecomes vicariam quandam, in terra Sancti Petri Gisiacensi, in maisnilibus qui vocitantur Droun Curtis et Sanctus Ciricus et Calderiacus, pertinentes ad Fontinidi potestatem. Quia gurpivit eam, videntibus plurimis consodalibus suis, quorum nomina subscripsimus, cum voluntate et jussu senioris sui comitis Droconis, de cujus beneficio se eam fatebatur tenere; in primis, præfatus comes Droco, cum supra dicto vicecomite Hugone, gurpiverunt eam super altare Sancti Petri Gisiacensi. Et hujus rei sunt testes audientes et videntes : Gualerannus frater ipsius vicecomitis; Richardus de Nielfa, consanguineus ejus; Sanson, vicecomes de Medanta; Gualterius, filius Odonis de Longa Essa; Odo Morellus, Rodbertus Friscus, Grurengarus, Gualterius statualis (189); Addo, Guaszo, Ivo Guespa, Guillelmus, Guido Jerusalem; Gualerannus et Richardus, frater ejus; Arnulfus præpositus, Fulcuinus Claudus, Hugo de Aincurte, Hildebertus de Grunniaco, Mascelinus de Gresiaco : hi sunt Medantenses. De Mellento : Teduinus vicecomes; Amelius, frater ejus; Guarnerius præpositus, Hervisus clericus, Hildegarius Bodinus, Willelmus Eloquens, Odo, Bernardus, Hervisus laicus, Fulco decanus, Ernaldus, Gualterius, filius Bebonis, et Achardus, frater ejus; Rodulphus Delicatus, Ivo de Arcura, Hubertus de Insula, Hubertus Dunensis, Rainardus juvenis. De nostris : Hildulfus, Rainboldus, Stephanus, Gualonius. »

(188) Hæc etiam inter chartas Arnulfi abbatis reponenda est.

(189) Superscriptum est in cod. A, *vel statuerus.*

CAPITULUM XLIX.

De teloneo Andeliaci dato a Malgerio archiepiscopo.

(Ante a. 1056).

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Oportunum valde est et omnino necessarium cuique fidelium Deum timentium et portionem habere cupientium in regione vivorum, ut de rebus, quas temporaliter possidet, Deum et sanctos ejus atque eorum loca honorare, ditare atque sublimare studeat; quatinus pro temporalibus æterna adquirat, pro terrenis cœlestia obtineat. Ab exordio igitur nascentis æcclesiæ fuerunt viri religiosi, Deum timentes et vera bona promereri desiderantes, qui ecclesiam Dei de suis possessionibus honoraverunt et exaltaverunt; unde a Christo dignam receperunt mercedem. Quod quidem cogitans et vigili mente sepe tractans, ego videlicet Malgerius (190), gratia Dei, sanctæ Mariæ Rotomagensis æcclesiæ archiepiscopus, pro divino amore et remedio animæ meæ et redemptione animarum parentum meorum, census telonei, quod apud Andeliacum a ministris meis accipitur, Sancto Petro Carnotensis cœnobii, et monachis ibidem famulantibus, perpetualiter perdonavi, ut nullum teloneum in posterum persolvant de rebus Sancti Petri, per flumen Sequanæ Rotomagum adductis. Hoc quoque perdonavi, interventu videlicet Landrici, prædicti cœnobii abbatis. Si quis autem æcclesiæ rerum invasor hanc donationem voluerit delere, destruat illum Deus, ita ut non habeat partem in regno Christi et Dei. Quatinus autem hujus donationis auctoritas firma permaneat, manu propria eam cum signo crucis firmavi, et fidelibus meis, quorum nomina hic scripta habentur, firmare mecum præcepi. S. Malgerii archiepiscopi. S. Osberni decani. S. Hugonis archidiaconi. S. Fulberti cancellarii. S. Radbodi canonici. S. Rodberti levitæ. S. Gisleberti levitæ. S. Gerardi, pincernarum magistri comitis Willelmi (191). S. Heriberti laici. S. Stephani laici. S. Alberti, monachi et præpositi Gisiacensis. S. Rainerii, monachi et editui. S. Mainardi, monachi et bajuli Landrici abbatis. S. Gausfridi laici. S. Haimerici laici. S. Roscelini Rotomagensis. S. Oduini majoris. »

CAPITULUM L.

De eodem teloneo iterum dato a Maurilio archiepiscopo.

(Ante a. 1068.)

« Ego Maurilius (192), Dei gratia, Rotomagensium archiepiscopus, pro elemosina domni mei Willelmi, comitis Normannorum, et pro salute animæ meæ

(190) Obiit Malgerius archiepiscopus circa a. 1055

(191) Conquestoris.

(192) Obiit Maurilius archiepiscopus a 1067.

et antecessorum seu successorum meorum, condono cœnobio æcclesiæ Carnotensis, quod in suburbanis ejusdem civitatis situm est, in honore beati Petri, apostolorum principis, teloneum vini proprii, quod antehac accipi solebat in loco juris nostri, cujus caput est Andeleium, ut amodo ministri prædicti cœnobii securi eant per prædictum locum, absque ulla exactione alicujus telonei, amodo et usque in sempiternum. Actum Rotomagi, pridie idus octobris, in præsentia domni Maurilii archiepiscopi, astantibus et faventibus canonicis, Benedicto archidiacono, Stigando cantore, Godberto canonico, Landrico canonico, Walchelino canonico, Willelmo; monachis etiam, Waleranno præposito Gisiaci, Teduino fratre ejus; laicis, Gelduino majore, Deodato, Goisberto. »

CAPITULUM LI.

De pascuis quæ vetabat Teduinus vicecomes.

(Ante a. 1070.)

« In Dei nomine. Ego Teduinus, vicecomes castri Mellentis, volo notum fieri omnibus tam præsentibus quam futuris, quoniam consuetudinem illam, quam actenus injuste in terra mea tenui, scilicet vetuendi pascua bestiis Sancti Petri Gisiacensis, quam injuste tenebam, cum meo filio Gualteri, prænomine autem noncupato Pagano, astantibus plurimis, ante altare ejusdem Sancti Petri Gesiacensi dimisi; ac postmodum deprecatus sum monachos loci ipsius, ut Carnotum pergerent abbatique monasterii Sancti Petri, videlicet Landrico, et omnibus fratribus dicerent, quatenus mihi absolutionem, de eo quod per tam longum temporis spacium ipsam consuetudinem injuste tenueram, darent. Quod libenti animo adimpleverunt. Si quis vero hanc consuetudinem iterare voluerit, anathematizatus atque convictus testibus in perditionem eat, cum Anna et Caypha. Ut autem hæc cartula inviolabilis consistat, ante ipsum altare, mea manu et manu filii mei supranominati, firmavi, coram subscriptis testibus : Johannes præpositus, Adelelmus de Feluix, Odo de Monte Morentii; Teduinus, filius Viviani; Walterius de Ancis, Rainaldus senescalcus. Ex nostris : Gausfridus Bicotus, Oduinus major; Odo et Bernardus, fratres; Brunellus; Stephanus, filius Aitrudis; Huboldus, Gislebertus, Bernerius, Gausbertus pistor, Herbertus pistor, Herbelinus de Rupe, Guarnerius, Constantius; Roscelinus, prænomine Equulus; Teduinus, filius Rodberti; Ernulfus, filius Oduini. »

CAPITULUM LII.

De teloneo Vernonis castri.

(Ante a. 1061.)

« In Dei nomine. Notum esse volumus omnibus Christicolis, tam præsentibus quam futuris, ego Hugo monachus, cum filio meo Willelmo adhuc puerulo, quia, pro remedio animarum nostrarum seu parentum nostrorum, consuetudinem telonei, quod apud Vernonem castrum nostrum nunc usque est acceptus, Sancto Petro cœnobii Carnotensis atque Josiaci cellæ, monachisque illic Deo famulantibus, perpetualiter concedimus, ut nullum in posterum persolvant teloneum de rebus Sancti Petri, per flumen Sequanæ, sive per terram, Rotomagum adductis vel inde reductis. Hoc quidem per prædicationem Landrici præfati cœnobii abbatis concessimus, a quo proinde et orationes loci ac unum equum optimum recepimus. Si quis autem ecclesiæ rerum invasor contra hanc largitionem nostram insurgere temptaverit, insolubili maledictionis nexu ligatus, cum zabulo tradatur perpetuis pœnis. Hanc autem cartulam manibus nostris cum signis corroboravimus, aliisque, quorum nomina subscripta habentur, corroborandam dedimus. S. Hugonis monachi. S. Willelmi, filii ejus. S. Richardi vicecomitis. S. Rogerii. S. Schroc. S. Willelmi. S. Raherii. S. Willelmi præpositi. S. Godefridi. S. Osmundi. S. Girelmi. S. Letardi capellani. Hi testes sunt ex parte Hugonis, hujus rei largitoris. Ex parte abbatis : Albertus, monachus et præpositus; Mainardus, monachus et bajulus; Gausfridus Bigotus; Bernardus, filius Vulmari; Hubelinus, Guiddo clericus. Actum est hoc in Vernone castro, die festivitatis sancti Clementis martyris, regnante inpavido rege Hainrico, et Willelmo illustri comite tenente Normanniæ monarchiam. »

CAPITULUM LIII.

De servo et ancilla data a Gamenone.

(Ante a. 1071.)

« In Christi nomine. Ego Gameno notum esse volo tam præsentibus quam futuris, conventionem quam erga monachos Sancti Petri Gisiaci feci, sub quorum prævidentia tunc locus ipse habebatur, scilicet de quodam meo servo, nomine Reinerio, suaque conjuge et filiis ejus. Interpellaverunt enim me prafati monachi de supradicto servo, ut traderem illum Sancto Petro. Quod ego libenter annui petitioni eorum. Tradidi ergo eum Sancto Petro, cum uxore et filiis, tali tenore, ut tam ipse quam omnis successio ejus perpetualiter permaneant in servitio loci ipsius. Et, ut hæc conventio firma permaneat, has litteras in membrana fieri jussi, manuque propria eas firmavi, et signum sanctæ (193) inposui, cum uxore et filiis meis; seniori quoque meo, nomine Waleranno (194), eas obtuli corroborandas. Quas si quis parentum meorum sive successorum meorum contradixerit, vel conventionem destruere temptaverit, jaculo eternæ maledictionis, cum Juda proditore, subjaceat. Subscripsimus etiam testes audientes et videntes. Hilduardus. Ricuardus. Milo. Guinemundus. Johannes. Alhaldus. Guarnerius. »

(193) Omissum *crucis*.
(194) Is est comes Mellentis castri, Walerannus II, de quo supra, cap. XLIV.

CAPITULUM LIV.

De Letaldo et uxore et fratre, datis a Hugone.

(Ante a. 1061.)

« Quicumque fidelis vel christianus hominem sibi nodo servitutis subjugatum pro Dei omnipotentis amore liberum dimiserit, sciat sibi a pio Domino reddi mercedem tempore perpetuam. Ipsa enim veritas, quæ Christus est, suos fideles ad bene agendum instruit, in evangelio dicens : *Dimittite, et dimittemini; date, et dabitur vobis.* Iccirco ego, in Dei nomine, Hugo cum filio meo Hugone et filia Beatrice, hunc mei juris collibertum Letaldum, cum uxore sua Amalberga et fratre Rannulfo, cum filiis et filiabus qui ex eis nati fuerint, cedo ad locum Sancti Petri Carnotensis cœnobii, quatinus liberi in servitio ejusdem loci remaneant. Si quis autem B hujusce donationis esse voluerit (195), fisco regis coactus libram auri persolvere cogatur. Et ut hæc (196) donationis meæ inconvulsa maneat, mea manu firmavi et manibus fidelium meorum corroborandam tradidi. S. Hugonis Brustans Salicem, qui hanc donationem fecit. S. Hugonis, filii ejus. S. Beatricis, filiæ ejus. S. Radulfi Mali Vicini. S. Amalrici. S. Hescelini. S. Hugonis de Arculo. S. Rodberti, filii Landrici. S. Gausfridi. S. Huberti de Roseto. S. Ansfridi Gabardi. S. Constantii. S. Benedicti. S. Widonis. S. Tedaldi sacerdotis. Actum est hoc publice Gesiaco, regnante serenissimo rege Hainrico. »

CAPITULUM LV.

De consuetudine remissa a Hugone vicecomite.

(Ante a. 1061.)

« Ego Hilduinus, Hugonis vicecomitis filius, presentibus et futuris notum facio, me deseruisse calumniam quam injuste inferebam terræ Sancti Petri Jociacensi, quam eidem Sancto Petro avus meus Hilduinus vicecomes contulit, sicut ipse eam possidebat; hoc est scilicet omnes consuetudines quas in ea habebat, videlicet collocationem et pastum caninum, et insuper omnia quæ pertinent ad vicecomitatum. Cujus terræ nomen Calciacus nominatur, et alterius terræ Berneacus. Cujus consuetudinum calumniam quam injuste faciebam, me dereliquisse fateor. Quarum rerum donum et guerpum super altare sancti Petri posui, simulque mecum frater meus D Hugo. De qua calumnia me peccasse graviter confiteor. Hoc igitur scriptum qui dampnare voluerit, in inferno, cum Juda traditore Domini, cruciationem sustineat. Hujus rei auditores et testis sunt isti quorum hic nomina notantur. Droco archidiaconus; Hilduinus, qui hanc calumniam dimisit; Hugo, Teduinus, Walterius statuerius, Odo Rufinus, Hugo Brustans Salicem, Willelmus de Bacello Monte; Odo, filius Aluzonis; Berardus, Normannus de Guadonis Curte, Johannes præpositus, Raimerus, Nicholaus de Jutogilo, Warnerius de Medanta, Hugo de Fagetulo, Johannes cubicularius, Hulgerius A major, Gamelinus major, Hoduinus major; Odo, filius Constantii; Rainaldus Cossardus, Albericus bovulcus, Hilduinus Tirellus, Radulfus de Bello Monte (197), Bernerius, Germundus, Guiardus, filius Roscelini. Sienfredus scripsit, regnante Henrico rege. »

CAPITULUM LVI.

De teloneo Rupis, quod Guiddo et Richardus dederunt.

(Ante a. 1080.)

« In Christi nomine. Notum esse volo tam presentis quam futuri evi omnibus Christicolis, ego scilicet Guido de Rupe, una cum consensu Richardi fratris mei, quoniam, pro amore Creatoris nostri ac salute animarum nostrarum, nec non et pro requie animarum parentum nostrorum qui de hoc labenti seculo transierunt, et eorum qui propagatione nostra in carne sunt futuri, Sancto Petro Carnotensis cœnobii et fratribus Christo inibi militantibus, quibus jure debito subministrat obediendo Gesiaci cella; ipsis, inquam, libens concedo exactionem telonei, per omnia succedentia tempora, de navibus Sancti Petri quæ sub munitione nostra Rupis per Sequanam Rotomagum transeunt et inde redeunt. Hanc autem cartam, tam ego quam frater meus, manibus nostris publice firmavimus, inprecantes Dathan et Abiron perditionem atque Jude traditoris pœnas omnibus illis qui contradicere voluerint huic largitionis nostræ dono. »

CAPITULUM LVII.

De consuetudinibus datis a Hugone Pirario

(Ante a. 1080.)

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Patris videlicet et Filii et Spiritus Sancti. Ego Hugo, qui cognominor Pirarius, et uxor mea, Ledgardis nomine, et filius noster Fulcoisus, audientes vocem Pauli apostoli dicentis : *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes;* cujus vocis sententiam implere cupientes, omnes consuetudines quas antecessores mei habuerunt, et ego actenus habui, contra jus et legem divinam, in Droconis curte, scilicet in terra Sancti Petri Gesiacensis, amodo dimitto, pro honore Dei et sancto Petro, apostolorum principe; ut ipse animam meam et uxoris et filii mei introducere dignetur in regnum cœlorum, Jhesu Christo annuente, qui vivit et regnat in secula seculorum. S. Hugonis Pirarii. S. Ledgardis uxoris. S. Fulcoisi filii. Ex parte quorum fuerunt hii : Albertus presbiter, Johannes eques; Gualterius, prænomine Goscelmus; Bernardus, filius Ernulfi; Gauslinus de Alba Via; Ernulfus, filius Ermenfredi Croculi. Ex nostra parte : Hugo, vicecomes de Domicilio; Hugo de Aiga Curte; Guidardus, filius Roscelini; Radulfus de Herii Villa, Ulgerius major; Anscherius, filius ejus; Girelmus, nepos ejus; Odo major; Bernardus, frater ejus; Elvisus miles; Teduinus et Bernardus, fratres; Brunellus et Morellus, fratres; Guarnerius, filius Germundi; Guarnerius,

(195) Sic, codd.
(196) Sic, codd.
(197) B : *de Mollo Monte.*

filius Hilduini de Ablani Monte; Bernardus de Prato; Huboldus, filius Martini; Gausbertus major; Boldardus, filius Rainardi. Paulus scripsit monachus. »

CAPITULUM LVIII.

De Aigæ Curte data a Geretrude.

(Anno 1062.)

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti. Cum cunctos maneat sors inreparabilis horæ, præcavendum est unicuique nostrum, ne teneat levum iter, tendentem ad pœnas inferni; set summopere custodiat justiciæ semitam, ducentem ad amœnas æternæ vitæ sedes, quam quidem custodire quisque poterit, si mandatis Domini lanter obœdire vuluerit. Dominicum quoque præceptum est, ut sua quisque, pro Dei amore, largiatur; ait enim : *Date et dabitur vobis;* et, *quicunque dederit calicem aquæ frigidæ tantum in nomine meo, amen dico vobis, non perdet mercedem suam.* His et aliis Dei omnipotentis dictis, ego peccatrix, Geretrudis nomine, secundum seculi dignitatem non infimis parentibus orta, libentissime, in quantum prævalet mea pusillanimitas, obedire studens, alodum quendam, quem jure, videor, possideo in Aiga Curte, Deo omnipotenti et Sancto Petro Gesiaci, cellæ scilicet cœnobii Carnotensis, post mortem meam, hereditario jure possidendum, annuo; quatinus idem, cui a Domino est dictum : *Quæcunque ligaveris super terram, erunt ligata et in cœlo;* et, *quæcumque solveris super terram, erunt soluta et in cœlo;* vincula videlicet peccatorum meorum meique conjugis, nomine Hilduini, filii Hermari, et parentum meorum, solvat, ne judex equissimus, in ultimo examine, cum reprobis ad infernales pœnas mittat; set illam nobis mellifluam vocem inferat, qua demulcebit justis inquiens : *Venite, benedicti Patris mei, possidete regnum quod paratum est vobis ab origine mundi.* Concedo, inquam, ipsius alodi terram cultam et incultam, irriguam et aridam, prata et silvam, ingressus ejus et exitus, atque æcclesiæ partes duas quæ sunt mei juris. Quandiu autem vivens tenere voluero, de supradicto alodo duos hospites tantum investitura Sancto Petro, unum scilicet propria voluntate, alterum præfati conjugis mei petitione. Hanc autem cartulam manibus nominibusque propriis corroborare volumus, et nominibus aliorum corroborari dignum duximus, ut, si forte aliquando (quod absit!) attaminare voluerit inscriptam nostram hanc dationem quam fecimus, anathematis jugulo feriatur et ante judices digna lege acriter castigatus, tres auri libras solvat et ejus nisus minime valeat. Actum est hoc secundo anno regni Philippi regis adhuc pueruli, gubernante abbate Landrico locum nostrum. Paulus monachus scripsit. »

Hæc autem matrona Geretrudis antequam seculum moriendo relinqueret, sancto Petro et nobis prædictum alodum reliquit; et per plura tempora possedimus, non solum ea vivente, set etiam postquam mortua fuit et sepulta ante fores atrii Gesiaci æcclesiæ. Deinde, instigante diabolo, quædam neptis ejus, nomine Hildeburgis, uxor scilicet Rodberti militis de castro Ebroico, vi et seculari potentia invasit omnia quæ sancto Petro matertera ejus, pro sua contulerat anima, et Dominum et apostolum ejus Petrum, tam ipsa quam prædictus vir ejus, exhereditaverunt, et mundanos homines heredes facere maluerunt. De quorum facinore nos interim tacentes, Deo, equissimo judici, examinandum linquimus.

CAPITULUM LIX.

De redditione Geneth Villæ.

(Anno 1066.)

« In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Adela uxor quondam Huberti militis de Medanta castro, tam præsentibus sanctæ Dei æcclesiæ fidelibus quam futuris, notum esse volo, quoniam pater viri mei superius memorati, Gisberti abbatis monachorumque sanctorum apostolorum Petri et Pauli cœnobii Carnotensis præsentiam humiliter adiit, petens obnixe ut sibi et conjugi propriæ unique eorum heredi, in manu firma censualiter concederent terram scilicet Geneth Villæ, quæ est in Vilcasini territorio; quæ tertia etiam pars villæ videbatur esse, cujus antiquum vocabulum, quia præsentibus est perincognitum, futuris scribendum minime perpendimus esse profuturum. Hanc denique terram dum vixerunt, jure heredes, visi sunt non injuste possidere. Qui autem post eos usurpando tenuerunt, cum animæ suæ detrimento, sine dubio, exinde paradisum perdiderunt. De quorum numero ipsa peccatrix, peccata peccatis adiciens, sub anathematis vinculo, per XX et amplius annos post viri mei mortem, contra fas non timui michi retinere. Verum, quia jam anus in hujus vitæ metis pedem impono, a malo principio eum salubri consilio retrahere cupio. Quo aditu id valeam facere, ipsa communis ratio pandit videlicet ut hujus immanissimi facinoris postulem veniam, quæ male tenui dimittens. Unde nunc ipsam manum firmam primum reddo, ante domnum nostrum comitem Radulfum ejusque filium, nomine Walterium, terram vero retinens brevissimæ vitæ meæ necessariam. Postquam ergo defuncta fuero, nullo refragante, habeant monachi Sancti Petri ipsam terram perpetuo possidendam. Huic quoque redditioni præbuerunt assensum Anscherius gener meus et filiæ ejus, quarum nomina sunt hæc : Havisa, Mahildis, Avicia, Adela, Helvisa quoque, jam conjugata cum viro suo statuali. Quia vero in locum unum eas colligere nequivimus, et loca singula in quibus assenserunt et singulorum locorum separatim huic cartulæ inserere curavimus. Itaque ante comitem Radulfum filiumque ejus Walterium fuerunt hi : Gausfredus de Gummeth, Simon de Monte Forti; Mainerius, frater ejus; Radulfus Malus Vicinus; Rodbertus, filius ejus; Arraldus, Sansgualo, Waszo, Urso de Fontanis, Albericus de Blara ecclesia, Gualterius de Montiaco, Guidardus de Stampis, Hubertus d

dus, Odo, filius Cuschæ; Odo, frater Frohardi; Ericus, Rogerius Normannus, Ulgerius major, Odo major; Bernardus et Arnulfus, fratres; Gausbertus major; Gualterius et Rainerius; fratres, Hubertus, Johannes, Letaldus, Odardus de Alto monte; Hilduinus et Guarnerius, filius ejus; Roscelinus equulus, Rainardus; Odo filius Ogis. In villa quæ dicitur Ri annuit Anscherius gener Adelæ, cum filia sua nomine Advisa. Hujus rei testes sunt : Gislebertus; Eustachius, filius Hugonis ex Ansellis Villa; Rodulfus; Girardus, filius Hugonis de Dorlech; Adelelmus, filius Alfridi. Gerardus de Alleato. In Noviomo annuerunt Mahildis et Avicia, sorores, filiæ Anscherii. Hujus rei testes sunt : Gislebertus; Anscherius, filius Guantelmi; Guenelannus, filius Gisleberti de Portibus, Rogerius, filius Alfredi; Girardus, filius Hugonis de Dorlech. Hugo statualis in Medanta castro annuit, cum conjuge sua Helvisa. Teste sunt : Sansgualo; Odo, frater Frohardi; Amalricus Sine Pilo, Tedbaldus de Episcopi Monte, Gausfridus Cocardus, Gadelo; Teduinus et Johannes, fratres; Ascelinus, Ebrardus, Odo major, Ulgerius major, Gausbertus major; Rodbertus de Botonis Curtæ, Mauricius, Bernardus, Rogerius pistor, Herbertus, Tedbaldus, Hilduinus, Brunellus, Garnerius, Hilduinus Tirellus, Huboldus, Fulchardus. Hanc autem cartam manu propria firmavi, manibus comitum Radulfi et filii ejus Walterii corroborandum tradidi, necnon et obtimatum eorum. Huic vero operi si quis heredum meorum contradicere voluerit, cum Juda traditore pereat in inferno sine fine. Actum hoc VI anno Philippi regis, indictione VII (198). Paulus monachus perscripsit, et Gualerannus monachus pro hoc ipso XXX libras nummorum dedit, præter minima exenia.

CAPITULUM LX.

De consuetudine vineæ Guarini clerici et Gualterii Franci.

(Ante a. 1070.)

« Notum sit omnibus sanctæ Dei æcclesiæ fidelibus, tam præsentibus quam futuris, quoniam ego Walterius, prænomine Paganus, Teduini filius, et vicecomes castri Mellentis, pro adipiscendis æternæ patriæ præmiis, de his quæ in seculo præsenti tenere videor, una cum conjuge mea, nomine Rainsuinde, pro anima patris mei et matris meæ, sancto Petro, Gesiacensis videlicet cœnobii Carnotensis cellæ, consuetudinem quam michi clamo in vineam Warini clerici remitto. Dono etiam consuetudinem vineæ Walterii Franci, quam dederat ipse sancto Petro; ut nullus heredum meorum deinceps audeat quicquam consuetudinis in his vineis repetere. Sunt autem hæ vineæ in territorio Maisiaci, villæ meæ. Posui denique, per deprecationem Gualeranni monachi, metas petrinas quæ dividant sancti Petri terram ac meam, ne amplius sit jurgium inter me et monachos sancti Petri, seu servos meos et servos eorum. Ut autem hæc carta firmior permaneat, post roborationem propriæ manus manuumque testium subscriptorum, pœnam excommunicationis subscribere mandavi; ut quisquis huic cartulæ contraire voluerit, cum Juda traditore, cum Dathan et Abiron, quos vivos terra obsorbuit; cum Herode, innocentum occisore, et cum Nerone, Petri et Pauli interfectore, in inferno pereat. Paganus vicecomes. Rainsuindis, uxor ejus. Joscelinus de Botigniaco. Hugo Comedens Rusticum. Odo de Vernugilo. Ebrardus, filius Ernaldi. Joscelinus parvulus. Fulco præpositus. Teduinus, filius Otoldi. Fulcolinus de Nielfa. Herbertus vicarius. Guibertus de Maisi. Ansoldus. Rodulfus et Odo, fratres. Teduinus Vivanda. Ex parte Gualeranni monachi : Ulgerius major, Odo major; Bernardus, frater ejus; Oduinus; Arnulfus, filius ejus; Rainaldus Cossardus, Herbertus Illuns; Germundus et Bernerius, fratres; Hilduinus et Amalricus, fratres; Hilduinus Tirellus, Odo de Alto Munte; Guarnerius, filius Germundi; Teduinus, filius Rodberti; Brunellus et Morellus, fratres; Sansgalo, Otoldus, Hubaldus. »

CAPITULUM LXI.

De quarta parte Guairiaci.

(Ante a. 1070.)

« Veritas, quæ Christus est, suis sequacibus jubet aliena non rapere et sua largiri. Idcirco, pro Redemptoris amore, ego Hugo, Brustans Salicem prænomine, quandam terram juris mei, pro remedio animæ meæ uxorisque meæ et filii mei, Sancto Petro, Gesiacensis videlicet cellæ cœnobii Carnotensis, concedo, quartam scilicet partem æcclesiæ et villæ, quæ vocatur Guairiacus, quartamque partem silvæ et molendini atque pratorum, excepto viridiario et culturis. Ut autem hæc cartula firma maneat, manu mea et manu senioris mei comitis Walterii, in cujus comitatu est, manibusque fidelium meorum, corroboravi. Si quis autem contra hanc donationem aliquid temptaverit agere, in inferno inferiori mittatur, ubi ignis, qui nonquam extinguitur, eum ardeat; et vermis, qui nonquam moritur, carnes ejus conrodat. Adeus etiam huic dono, sancto Petro concedo quandam collibertam, nomine Ingelburgim, filiam scilicet Gualterii Capræ. Atque ex ambabus rebus donum super altare sancti Petri publice posui. Cujus rei testes sunt hi : Hugo, filius meus; Beatrix, filia mea; Adelelmus, Frodmundus, Odo Donzellus, Ansfridus Imbardus, Huboldus major, Hubelinus, Bernardus, Hugolinus. Ex parte monachorum : Gausfridus Bigotus; Arnul, frater ejus; Oduinus, Rannulfus presbyter, Rainaldus Cossardus, Adventus, Gausbertus, Fulchardus, Rodbertus de Gizeeio et Arnulfus, filius ejus. »

Hic vir ex superioribus castri Medante extitit, secundum seculi dignitatem; prædia et divitias terrenas pro Dei amore relinquens, comam capitis et barbam, in hoc cœnobio sub abbate Landrico, totundit, et, habitum monachilem suscipiens, de seculo nequam nudus totum se contulit bonis

(198) Indictio VII convenit cum a. 1069, non autem cum a. 1066. *Art de vér. les dat.*

operibus informari. Qui, summum obœdientiæ et humilitatis apicem conscendens, a præfato abbate provisor et custos Gesiaci loci constituitur. Quem cum sine dolo et ambitione regeret feliciter, quantæ simplicitatis et castæ astutiæ extiterit prudens lector conicere in solo sermone potest (199). Nam cum, quadam vice, cum abbate in villa quæ vocatur Fontinidus comedisset, et ad monasterium festinus redisset, a fratribus inquisitus, utrum eo die comedisset an non; in se reversus paulalum herere cœpit animo et cogitare, intra se dicens : Si dixero comedi, forsitan jejuni prævaricator esse reprehendar; atque si veritatem denego, mendacii nevo correptus abibo. Tunc, fratribus interrogantibus, respondisse fertur : « Si do- « mnus abbas comedit, et nos; set si domnus abbas « non comedit, nec nos. » Postquam vero de presenti seculo decessit, filius ejus, equivocis nominibus, functus sub balteo militari, bonis moribus a patre non discrepans, in prædicta villa, scilicet in Guairiaco, sancto Petro, simili modo ut pater ejus, aliam quartam partem villæ concessit, donumque super altare posuit coram testibus, ex eadem parte investituram modo unum hospitem relinquens; atque, post hujus vitæ cursum, tota pars integra existat; quatinus heredes ejus, ex tunc in antea, medietatem villæ possideant, et sanctus Petrus, pro ingressu cœlestis patriæ, tantumdem habeat.

CAPITULUM LXII.

De Gibuino et Gualando, et uxoribus eorum.

(Anno 1061.)

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti. Cunctis pateat fidelibus, tam præsentibus quam futuris, de quodam homine, Gibuino nomine, qui in terra sancti Petri decem et octo annis libere mansit. Quem pater meus, vicecomes, Teduinus nomine, vi et potestate sibi jure servitutis usurpavit. Iloc namque accidit, ut summum jus summa sit injusticia. Tenuit itaque pater meus eundem hominem, et ego, post ipsum, per plusculos annos. Verum, quia ex una re male possessa plurima sustantia persepe corripitur, timore cruciatuum æternorum ductus, pariter et amore Dei omnipotentis, dicentis : *Solve fasciculos deprimentes et omne honus disrumpe;* ego, inquam, Walterius, prænomine Paganus vicecomes, et uxor mea Raisindis, per quam supradicti hominis servitutem possederam, versa vice, Gibuinum, fratremque ejus Walandum, et uxores eorum omnemque prolem atque omnem eorum sequentiam, a jugo servitutis absolvo, et vineas quas idem Gibuinus Arnulfo de Medanta castro vendiderat dimitto. Et, ut hec facta libertas firma in æternum permaneat, propriis nominibus, cum signis manuum nostrarum, corroboravimus hanc cartam, et aliis corroborandam tradidimus; ut, si forte aliquis male sanus aliquando contradicere voluerit, legibus convictus, et auctoritate Dei excommunicatus, libram auri judici persolvat, et conatus ejus inefficax permaneat. Testes hujus rei sunt ii : Radulfus, filius Gualonis presbiteri; Gualdricus de Rangisport; Sigismundus, filius Ernaldi de Brugilo; Guillelmus citharedus. Testes Gibuini, vice sancti Petri, cui se sponte subdidit : Ulgerius major, Gausbertus major, Rainaldus Cossardus, Johannes, Radulfus, Amalricus Bornus, Alelmus, Ernulfus. Facta est hæc libertas secundo anno regni regis Philippi adhuc pueruli. »

Nunc vertamus calamum ad cartas quæ restant, quia Gesiaci, quas in manu habuimus, perscripsimus.

CAPITULUM LXIII.

De vineis et domo data a Firmato, canonico Sancti Leobini.

(Ante a. 1049.)

« (200) In Christi nomine. Ego Firmatus sacerdos Sancti Leobini Dunensis castri, notum volo esse tam presentibus quam futuris, qualiter, ob remedium animæ meæ et fratris mei Elberti, do Sancto Petro Carnotensi domum meam sitam in castro Dunense, non longe a monasterio sanctæ Dei genitricis Mariæ; tali si quidem ratione ut, quandiu vixero, per voluntatem et jussionem monachorum Sancti Petri, eam custodiam ipsique, jure dominorum, in perpetuo possideant. Si quis autem, prænonitus a diabolo, calumpniam vel vim Sancto Petro inferre temptaverit (quod minime estimo), pontificali auctoritate se dampnandum in perpetuum sciat, nisi diguam fecerit pœnitentiam. Iloc ergo, ut firmum permaneat, meo pastori, domno Teoderico pontifici, cujus tempore hoc egi, corroborandum obtuli. Do etiam beatissimo Petro, juxta Sanctum Albinum, in territorio supra dicti castri, tres quartarios vineæ, absque ulla consuetudine; item dimidium aripennum vineæ, juxta vineas fratris mei Ailberti. Hujus rei testes sunt isti : Odo archidiaconus, Odo decanus, Fredericus presbyter, Dago presbiter, Godescaudus miles; Ascelinus miles et Hugo miles, filius ejus; Odo Brunellus; Engelbaldus miles et Rainaldus, filius ejus; Dodo, Sancti Petri canonicus; Elbertus, Hildierius clericus. »

CAPITULUM LXIV.

Manus firma de Trunniaco.

(Ante a. 1070.)

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Ego Landricus abbas, et omnes monachi cœnobii Carnotensis, notum esse volumus omnibus, tam præsentibus quam futuris, quoniam ad nos venit quidam, nomine Roszo, postulans sibi dari nostram quandam terrulam quam ipse quidem per antecessores suos reclamabat. Terra autem dividitur duabus partibus, una quoque in Trunniaco, altera Gomma sita est. Deprecatus est etiam ut fratri suo, nomine

(199) Quæ de Hugone inde sequuntur absunt a cod. B.

(200) Hanc chartam retulimus ad tempus Theoderici, Carnotensis episcopi, qui vita functus est a. 1048.

Alcherio, concederemus et uni heredi eorum; quod quidem fecimus, eo quoque tenore, ut in natale apostolorum Petri et Pauli, quæ est in mense julii, XII denarios de censu reddant. Quem terminum si transgressi fuerint, emendent, et terram prædictam teneant. Ut autem hæc cartula inviolata maneat, nostris eam manibus corroborari censuimus. S. Landrici abbatis. Rainerii prioris. Marcuini. Rodberti. Arefasti. Agenardi. Durandi. Raimundi. Ernaldi. Alberti. Magenardi. Martini. Pauli. Rage-naldi. »

CAPITULUM LXV.

De duabus areis redemptis a Landrico.

(Ante a. 1061.)

Notum esse volumus, ego Landricus abbas et omnes monachi sancti Petri cœnobii Carnotensis, tam præsentibus quam futuris, quoniam, III nonas novembris, Walterius, cognomine Fugans Lupum, cum uxore sua Unberga atque privignis, Simone, Milesinde et Oydela, annuente domno suo Guarino, cum uxore sua Adelaide, duas areas terræ, cum duobus incolis, sancto Petro perpetuo habendas dimisit; proinde a nobis unum equum accipiens, tres libras valentem, et orationum beneficia. Terra autem ipsa est super clausum nostrum, in vico qui respicit ad portam quæ est juxta Sancti Michaelis, olim quidem ab abbate Arnulfo ad tempus concessa Teudoni, antecessori Warini de Turre. Hujus rei testes sunt : Ansoldus de Mungerii Villa, Walterius de Munheri Villa; Gausfridus, filius ejus; Landricus, filius Hungerii; Stephanus et Adventius, filius ejus; Hugo presbiter, Fulco Eunucus, Oidelerius; Girogius, filius Gauscelini; Ermenoldus, Stephanus, Teduinus, Warinus pistor. Actum est Carnotis publice, in ecclesia sancti Petri, regnante Henrico rege. Paulus monachus scripsit. »

CAPITULUM LXVI.

De sancto Germano Alogiæ.

(Ante a. 1070.)

« In Christi nomine. Ego Landricus, gratia Dei, abbas cœnobii Carnotensis, et omnis monachorum congregatio michi conmissa, notum esse volumus cunctis successoribus nostris, tam presentibus quam futuris, quod quidam presbiter æcclesiæ sancti Germani Alogiæ, Natalis nomine, tantæ dilectionis et amoris erga nos et locum nostrum extitit, ut, sanus mente et corpore, quesierit a domnis suis, de quibus prædictam ecclesiam et alias res in beneficio tenebat, ut omnia quæ ab eis videbatur possidere, pro Dei amore ac redemptione animarum suarum, facultatem ei tribuerent transfundendi in potestatem sancti Petri et monachorum ejus; quatinus jure perpetuo, sine ulla calumnia, possideant et habeant præfatam scilicet æcclesiam, terramque ad altare pertinentem, offerendam et sepulturam, decimulasque quas tenebat, molendini unius medietatem, terramque aratri unius; et in Alto Pedaneo duos aripennos vineæ, eo quidem tenore, ut, si aliquando voluntas ei suggereret venire ad monachilem habitum in nostro cœnobio, pro præfatis rebus datis, reciperetur; si vero mors eum in clericali habitu præveniret, corpus ejus in ciniterio humaretur. Quod libenti animo domni ejus, Bernardus videlicet de Buslo et Walterius de Monte Mirabili, assenserunt, et de suis rebus præfatum donum, ut in suis locis dicetur, augere maluerunt; et super altare apostolorum Petri et Pauli publice, in præsentia omnis congregationis atque plurimorum hominum, poni mandaverunt, et apicibus omnibus posteris notificari jusserunt; omnes contraire conantes nodo excommunicationis constringentes et eorum animas, nisi resipuerint et ad satisfactionis remedium confugerint, in infernum imprecantes labi, cum diabolo veniam et requiem habituras. Huic rei assensum præbuit Gausfridus de Medena, qui eo tempore honorem Alogiæ ex integro tenebat. Assenserunt etiam Mahildis, conjunx ejus, et Willelmus, privignus Gausfridi, atque Walterius, filius ejus. Alios testes subscriberem, si superfluum non videretur. »

CAPITULUM LXVII.

De terra data a Mahilde matrona.

(Ante a. 1070.)

« Quicquid boni agitur, in ipsius nomine agitur a quo homo ut bonum velit inspiratur et ad agendum erigitur, et usque in finem perseveratione factus perfectus in æternum remuneratur. Domna igitur Mahildis, pro redemptione animæ suæ atque animarum seniorum suorum, Willelmi videlicet atque Gausfridi, ac parentum filiorumque suorum, dedit sancto Germano terram, quæ, juxta ejusdem ecclesiæ ciniterium sita', dividitur via, qua pergunt ab eadem basilica ad Colummerios, et ab eadem terra terminatur; et hinc de Monte Canori et ab Algunni Villa, atque, ex altera parte, de Ulsiaco et de terra Insulæ et de terra de Balduino. Totam hanc terram cum prato, sicut in dominicatu obtinuerat, donum super altare sancti Germani posuit. Cujus rei testes existunt : Algrinus; Adelelmus ac Natalis, sacerdotes; Guiddo Guarini, Rodbertus Lamberti. Hoc ipsum donum, sicuti mater fecerat, ita domnus Willelmus filius ejus libenter concessit. Hujus rei sunt testes : Walterius, Hugonis frater; Eirardus de Busto Loco, Walterius de Monheri Villa, Hamelinus Livarecus, Briccius de Castello Leti, Gausfridus, Hugo de Barzilleriis, Rajenaldus Gausfridi, Bernardus de Villa Abonis. »

CAPITULUM LXVIII.

De via data ab eadem Mahilde.

(Ante a. 1070.)

« In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Notum esse volo omnibus sanctæ Dei æcclesiæ fidelibus, tam presentibus quam futuris, quod ego, Mahildis nomine, quæ, hereditario jure, honoris Alogiæ, divino nutu, domna esse videor; pro Dei amore, de quo omnia quæ ad usum vitæ humanæ pertinent habeo et cui omnia debeo, seu pro honore beati Petri, apostolorum principis, cui, inter alia dona, æcclesiam sancti Germani in ipsa Alogiæ area con-

cedimus; nunc quidem publicam viam, quæ actenus juxta parietem ipsius visa est ire, pro remedio animæ meæ vel parentum meorum, ab ipso loco amoveo, ut, ab hac die in antea, foris eat eadem via procul ab æcclesia, ut monachi inibi commorantes a commeantibus atque exactoribus tributi consuetudinarii, sine inquietudine aliqua, sint remoti. Hanc autem cartulam fieri jussi, ac donum viæ præfatæ per eam super altare apostolorum Petri et Pauli posui, crucis signum mea manu imprimens; idem fieri jubens his qui mecum aderant præsentes : Warino præposito, Eirardo, Bernardo de Barzilleriis, David. »

CAPITULUM LXIX.

De vicaria empta de Mitanis Villare.

(Ante a. 1080.)

« Quoniam, juxta veritatis sententiam, iniquit te habundante et multorum caritate refrigescente, res quæ a priscis fidelibus ecclesiis collatæ sunt ab infidelibus insaciabili cupiditate invaduntur et diripiuntur, et, secundum prophetiæ vaticinium, rara invenitur qui ex adverso ascendens obponat murum pro domo Israel, perutile est ecclesiarum cultoribus, ad confutandam calunniam pervasorum, de rebus eisdem ecclesiis traditis cirographum condere et servare. Quapropter nos cenobitæ beati Petri Carnotensis studuimus litteris mandare donum quod fecit Fulcherius, Girardi filius, apostolo Petro, pro sua suorumque parentum animabus, de vicaria quam habebat in Mitani Villare et in omni terra beati Petri. Ipse quippe, et omnes quorum nomina inferius scripta sunt, qui in supradicta terra per eum aliquid habere videbantur, dederunt beato Petro quicquid sibi competebat jure; et acceperunt karitative a Gausfrido Nigro, domnus Fulcherius XL nummorum solidos; Ingelrannus de Nociaco X solidos; Hilduinus, filius Fulcherii de Scriniololis, X solidos; Herveus de Caletulo XXV solidos; Hugo, frater ejus, V solidos et societatem; Rogerius prænomine Cochinus, X solidos; Fulcho quoque, filius ejus, V solidos, et Rainaldus alter filius semimodium avenæ. Hii omnes, quos memoravimus, donum præfatæ vicariæ super altare beati Petri posuerunt, præsentibus his quorum nomina memoriæ mandare maluimus : Gauscelinus de Fragani Villa, filius ejus Roscelinus, et Gerogius, et Walterius, nepos ejus; Rodbertus Adoratus, Gunterius Gruem Ad suam sellam; Galterius, Archenoldi filius, Udo de Scriniolis. Isti ex parte ipsorum. Ex nostra parte : Walterius trapezeta; Bernardus, filius Vulmari; Bermerius presbiter, Landricus major, Walterius major; Durandus, Gualdrici filius; Laurentius cubicularius, Gerogius canonicus, Giraldus archimagirus, Herbertus archimagirus, Guarinus echonomus, Oidelerius stabularius; Tescelinus, filius Hildegarii; Frodo; Gislebertus, filius Lorini. »

CAPITULUM LXX.

Item de eadem vicaria.

(Ante a. 1080.)

Notum esse volumus omnibus christianæ professionis, tam præsentibus quam futuris, nos monachi sancti Petri, quia, postquam vicariam de Mitani Villare emimus, sicut superius diximus, ab omnibus his cujus esse videbatur, filii Fulcherii de Scrineolis, videlicet Hiduinus et Walterius, viva voce atque toto nisu, instinctu diabolico, reclamare cœperunt, variis modis injuriam nobis facientes; tandemque resipiscentes, et de peccato suo veniam postulantes, sponte, guerpum vicariæ quam reclamabant super altare sancti Petri ponentes, et venia impetrata quam poscebant, nostrarum precum participes nobiscum esse cœperunt. Testes autem ex hac re de nostra parte fuerunt : Frodlandus et Gunbaudus, filius ejus; Stephanus major, Laurentius cubicularius; Herbertus et Warinus, pistores; Walterius sartor, Hubertus matricularius. Ex parte eorum : Giraldus, armiger Walterii. Si quis vero huic cartulæ contraire temptaverit, nisi ad emendationem resipiscens confugerit, anathematis jugulo sauciatus, in inferno, cum Anania et Saphira sacrilegio peremptis, sine fine pœnas luat. »

CAPITULUM LXXI.

De medietate sepulturæ et panis atque candelæ æcclesiæ Alogiæ, data a Walterio de Monte Mirabili.

(Ante a. 1080.)

« Notum esse volumus omnibus successoribus nostris, videlicet nos monachi sancti Petri cœnobii Carnotensis, quia, postquam Bernardus de Buslo æcclesiam sancti Germani de Alogia, vivente Landrico abbate, pro salute animæ suæ contulit, quidam clericus, nomine Walterius de Castello, cui vocabulum est Mons Mirellus, in eadem æcclesia clamare cœpit medietatem sepulturæ, panis et canoelarum. Tandem nostris flexus petitionibus atque pecunia, quicquid in prædicta æcclesia habere dicebat, pro animæ suæ remedio vel parentum suorum, voluntariæ sancto Petro, in usibus fratrum, conferre decrevit; et filium suum Walterium, jam clericum, ad hanc urbem venire, atque guerpum prædictarum rerum super altare Petri apostoli publice, coram nobis et famulis nostris, ponere jussit, ut, ab illa die in antea, possideamus et habeamus, absque ulla inquietudine cujuspiam calumniatoris. Qui, complens quod jusserat pater, XXII sibi solidis a nobis datis, ad patrem rediit. Cujus rei notitiam, ne tradatur oblivioni, huic operi maluimus inserere; atque, si quispiam heredum præfatorum calumniam temptaverit inferre, pecunia proinde data obiciatur, et judices, ante quos cuiquam litem intulerit, auri libram ab eo exigant; conatus quoque ejus inefficax permaneat, et tamdiu excommunicatus perstet quamdiu in hac pertinatia perstiterit. Testes largitionis quam fecit Walterius, prænomine Infans, et filius ejus, sunt hi quorum nomina curavimus subscribere. Ex parte ejus fuerunt hii : Droco de Domicilio, Nihardus, Hubertus de Monte Mirelli. Ex nostris : Tedaldus, frater Huberti quondam abbatis; Fulcardus, Oidelerius; Gausfridus et Hildulfus, fratres; Gilduinus, major de Sesni Villa;

Durandus filius, rasator: Durandus faber, Harduinus et Gaudius, fratres; Rainaldus agaso, Haldricus sutor, Herbertus pistor, Rainaldus adlocatus. Isti et alii viderunf ponere guerpum super altare principali. »

CAPITULUM LXXII.

De terra data in Corbonensi a Girvardo.

(Ante a. 1070.)

« Notum esse volumus omnibus christianæ fidei cultoribus, tam præsentibus quam futuris, ego Landricus abbas cœnobii sancti Petri Carnotensis, cum omnibus michi commissis, quod quidam miles, Girvardus nomine, in Corbonensi territorio olim quemdam alodum emit a quodam homine, Ansberto nomine, et ab aliis quibusdam, quorum nomina in subsequentibus habentur. Unde carta facta est, et a duce Hugone atque a comite præfati territorii corroborata. Quandiu et libuit, possedit et tenuit; postea censualiter a Gisberto abbate data est in manu firma duobus præfati Girvardi parentibus unique heredi eorum, eo quidem tenore, ut, statuto tempore et die, census redderetur; quod si in reddendo tardi extitissent, legaliter emendarent et terram non perderent. Ex hoc carta facta ´et ab omni fratrum (201) corroborata. Post quoddam interstitium temporis, in castro Mauritaniæ voraci igne cremata est. Nostra quidem tempestate cum eam requirerem ad videndum, confessi sunt eam minime se habere, obnixe flagitantes, ut eis clementia nostra eam renovaret, et, simili modo ut prius in altera carta positum erat, duobus et uni heredi eorum concederem. Quod et feci, statuens, ut in festivitate sancti Remigii, sine dilatione, censum redderent, quinque scilicet sol. nummorum; qui si negligentes in reddendo extiterint, legaliter emendent, et terram non perdant, donec deficiat tercius heres. Placuit etiam huic paginæ cartam Girvardi inserere, quam super altare sancti Petri, præfatam terram dans, posuit. »

CAPITULUM LXXIII.

De alodo empto a Girvardo milite.

(25 Jun. 954.)

« (202) In Dei nomine, Notum esse volumus cunctis fidelibus, tam præsentibus quam futuris, ego videlicet Lambertus, filius Ansberti, cum Girberga, sorore mea, necnon et propinquis nostris Guaningo et filiis ejus Gadilone atque Ingone, et filia Girberga, quia nostrum alodum, quem in territorio Corbonensi actenus hereditario jure possedimus, Girvardo militi fratrique suo Gertranno, Odoni quoque atque Ildegario, transfundendo distrahimus; accipientes ab eis in argento XXIII solidos nummorum. Est autem alodus ipse, quem vendimus, in villa Condato nomine, cum terris cultis et incultis, pratis et pascuis, areaque molendini unius super Odanam fluvium, cum omnibus terminationibus suis, pertinentibus ad ipsum alodum. In Rovredo quippe villa est mansus unus cum terris et pratis, pertinens ad præfatum alodum. Itaque, in commune consentientibus omnibus propinquis nostris, prædictis viris ea ratione tradimus ac vendimus alodum nostrum, ut, ab hodierna die et deinceps, eundem alodum possideant, potestatemque habeant vendendi et dandi cui voluerint, sine ulla calumnia. Terminatur denique ab uno latere Odana fluvio; secundo latere, via publica; tercio, terra sancti Launomari; quarto, alodo Ruinnaldi. Si quis autem heredum nostrorum hanc venditionem infringere vel calumpniare temptaverit, iram Dei incurrat, et quod repetierit non evincat; set cui litem intulerit libram auri persolvere cogatur. Quatinus autem firmior hæc carta permaneat, manibus propriis corroboravimus, atque ducis Hugonis nobiliumque virorum corroborandum dedimus, quorum nomina mandavimus subscribere. S. Hugonis ducis. S. filiorum ejus, Othonis et Hugonis. S. Odonis comitis. S. Hugonis, comitis Cenomannorum. S. Hervei, comitis Mauritaniæ. S. Lamberti vicecomitis. S. Willelmi advocati. S. Siefridi. S. Aimonis. S. Gualeranni. S. Erlandi vicarii. Data est VII kalendas Julii, anno primo regni regis Chlotharii. »

Nostri denique antecessores hanc sibi cartam sufficere credentes, in archivis ecclesiæ servare curantes, ad posterorum noticiam, super hac re alteram scribere neglexerunt, præter manum firmam quam datam esse ab abbate Landrico præfati sumus.

Nunc ergo stilus ad cellam Ledonis Curiæ festinus vertatur, atque cartas tantummodo duas quæ Landrici abbatis tempore datæ sunt scribentes, finem faciamus, et sic ad abbatis Huberti (203) cartas pennula nostra currat.

CAPITULUM LXXIV.

De cella Ledonis Curiæ data a Walterio comite.

(Feb. a. 1055.)

« Summe (204) necessarium unicuique nostrum, ut ex his quæ in hoc mundo sunt sibi a Deo collata, propter honorificentiam Omnipotentis, æcclesias in sanctorum memoria late per orbem constructas, apostolorum videlicet ceterorumque sanctorum locupletare muneribus. Dignum est itaque apostolum Petrum placare quam optimis donis, qui summum tenet apicem a Domino ligandi solvendique peccaminum nexus in terra et in cœlo. Iccirco ego, comes Walterius, pro salute animæ meæ et remedio animarum antecessorum meorum, laude fidelium nostrorum, superiorem æcclesiam Ledonis Curiæ fratribus cœnobii sancti Petri Carnotensis, per deprecationem Landrici abbatis, concedo atque submitto; quatinus monachi ejusdem cœnobii liberam habeant et possideant, sicut ego, et pater meus Droco comes, ha-

(201) Sic in codd.

(202) Confecta est charta ista tempore Ragenfredi, episcopi Carnotensis.

(203) Complures hujus Huberti chartæ jam supra editæ sunt; eas ejusdem abbatis, quæ solo in cod. B referuntur, mox quoque prodemus.

(204) Exstat in *Gall. Christ.*, t. VIII, instr., col. 302.

buimus et possedimus, remota omni consuetudine et inquietudine archidiaconi. Concedo etiam terram intra vallem, sicut olim castrum fuisse videtur; decimam quoque pecudum atque jumentorum, candelam et panem, necnon et sepulturam hominum inibi habitantium; inferius quoque unum furnum, cum terra in qua situs est, qui omnibus incolis superioribus et inferioribus sit singularis : quod si solus non sufficit omnibus, nemo alterum potestatem edificandi habeat, neque inferius neque superius, nisi monachi quorum erit emolumentum furni. Do etiam per campos terram quantum aratrum eorum arare poterit, cum decima; non longe quippe ab æcclesia molendini unius medietatem et piscatoriam unam in Villa Nova. Assensum denique omnibus meis fidelibus præbeo, quatinus de rebus propriis quas ex nostro beneficio videntur tenere, tam in terris quam in decimis, licentiam habeant dandi sancto Petro, ut præfatus locus, cui dedimus initium, deserviatur a monachis die noctuque; et non solum per me, sed etiam per fideles meos, augmentetur, ut pariter, beato Petro apostolo interveniente, a peccatorum vinculis absoluti, mereamur in cœlestibus regnis sanctorum omnium consortes fieri, bonis adepti æternæ gloriæ. Si quis autem prophanus, diabolico instinctu, hanc cartam contradicendo adnullare temptaverit, ore Dei et omnium sanctorum excommunicatus, nisi resipuerit satisfaciendo, permaneat, et auri libras X phiscis regis persolvat, nisusque ejus inefficax remaneat. Placuit etiam cartam hanc, ut inconvulsa permaneat, manu propria cum crucis signo, corroborari; manibusque meorum fidelium corroborandum tradi ratum duximus, quorum nomina subscripta habentur. Dieque dominica quæ dicitur LXX, anno XXIIII regni Hainrici regis, super altare sancti Petri Gesiaco, quæ præfati cella est cœnobii, publice posuimus. Teduinus, vicecomes Mellentis castri. Gualo, vicecomes castri Calidi Montis. Nivardus de Monte Forti. Radulfus Malus Vicinus. Gualterius de Pensiaco. Drogo de Cuflante. Guarnerius et Amalricus de Ponte Iseræ. Radulfus Delicatus. Walterius Francus. Ericus et Ingelerius, fratres. »

CAPITULUM LXXV.

De terra data a Drocone in Loconis Villa.

(Anno 1060.)

« Cunctis sanctæ Dei æcclesiæ fidelibus, tam præsentibus quam futuris, notum esse volumus, ego Droco de Cuflante castro, intra Sequanam fluvium sito, quoniam, pro remedio animæ meæ atque pro animabus parentum meorum, assensu fidelium meorum atque deprecatione Landrici abbatis cenobii Carnotensis, sancto Petro Ledonis Curiæ, quæ cella esse dinoscitur Carnotensis cœnobii, data videlicet a comite Walterio, libens quidem donando, concedo in Loconis Villa VII hospites plenarios, cum quadam parte bosci, sicut publica via Belvacina dividit ad levam, atque medietatem tributi Calcedæ, sicut Trenna aqua currit. Quæ, quamvis videantur esse dona parvissima, tamen, quia fide plena et integra devotione hæc exequor, nequaquam incredulus ero illius elogii dicentis : *Qui dederit tantum calicem aquæ frigidæ in nomine Domini, mercedem accipiet.* Ut enim ait Scriptura : *Regnum Dei tantum valet quantum habes.* Placuit etiam hanc cartam, ut semper inconvulsa permaneat, manu domni mei Walterii comitis et mea atque omnium nostrorum fidelium præsentium manibus corroborari, et inter cetera donaria in archivis monasterii reponi; quatinus monachi præfati cœnobii res datas a me, quandiu mundus perstiterit, habendo possideant et possidendo habeant, atque semper pro nostris delictis Deum exorent, ut, vel in ultimo examine, a justo judice Deo mereamus veniam nostrorum delictorum. Si quis autem profanus aliquando hanc cartam violare temptaverit, nisi cito resipuerit et ad satisfactionis remedium confugerit, cum Dathan et Abiron, quos suæ presuntionis merito vivos terra obsorbuit, et cum his qui Dominum crucifixerunt, inferni ignibus vermibusque nunquam morituris tradatur. Nomina quoque corroboratorum subscripta lectori legenda ostendere curavimus, ut occasio in nostro opere nulla inveniatur ab aliquo calumpniatore. Data anno XXIX regni Hainrici regis, et posita publice super altare sancti Petri Ledonis Curiæ. Walterius comes. Drogo, qui hoc largitus est. Guarnerius de Ponte Iseræ. Rodbertus Calvus. Balduinus. Amalricus de Ponte Iseræ. Ericus de Medanta. Abbas Landricus. Albertus monachus. Gislemarus monachus. Rodbertus. Gausfridus Bigotus. Bernardus, Vulmari filius. Oduinus major. Bernardus, nepos Gislemari. »

CAPITULUM LXXVI.

De conventione Gauscelini de Fraganis Villa.

(Ante a. 1070.)

« Conventio Gauscelini Gausfridi de Fraganis Villa cum abbate Landrico cœnobii sancti Petri, ut sibi, dum viveret, in Manu Villare, aripennum unum terræ abbas concederet ad construendum ibi horreum unum; eo scilicet tenore ut quicquid vivus ibi reponeret, sancto Petro mortuus dimitteret, et insuper alodum proprium in villa quæ vocatur Hulsetum, cujus alodi (205) cultor erat Suggerius rusticus. Non solum autem abbas hoc concessit, set etiam domum unam, quæ in Luciaco super prælum quodam erat, ad construendum horreum, cum decem nummorum solidis dedit. Qui Gausfridus, prænomine Gauscelinus, statim ut impetravit quod petierat, cum uxore et liberis, super altare sancti Petri alodi donum posuit, et, dum viveret, statuit investituram singulis annis quatuor nummos sancto Petro dari. Quo mortuo, filii ejus et plurimi nepotum, pro anima defuncti et sua salute, publice, secundo, super altare sancti Petri præfati alodi donum reposuerunt.

(205) Hic desinit cod. A. extremis foliis avulsis. Quæ ad hanc partem primam adjecimus, ea ex cod. B sumpta sunt.

Pro qua re beneficium a monachis orationum beneficia receperunt. Placuit etiam, secundum morem æcclesiasticum, nomina tam filiorum quam nepotum, qui præsentes fuerunt, necnon quorumdam aliorum hominum, subscribere; ut, si aliquando insurgere aliquis insanæ mentis contra hoc donum temptaverit, testimonio horum cumvictus, ejus nisus depereat, et ejus anima in inferno pœnas luat. Roscelinus, Gerogius, Hugo, Fulco, fratres, filii defuncti qui hoc donum fecit; Guidbergis et Hersindis, sorores defuncti; Gerogius, Gualterius, Stephanus, Ansoldus et Guarinus, nepotes ejus. Ex parte monachorum : Gauslinus de Leugis, Ingelrannus de Nociaco, Gualterius trapezeta; Gualterius, filius Gandeberti; Hildulfus et Gausfridus, fratres; Gunbaldus, Tescelinus, Adventius, Laurentius. »

CAPITULUM LXXVII.

De alodis Mesliaci.

(Ante a. 1070.)

« Præsens æcclesia per quam itur ad ibam cœlestem quæ nescit abire finem, semper quidem a Christi fidelibus beneficiis dilatari et aligeri solet, et, quamvis diabolus dolis infestacionibusque suorum satellitum eam debellare festinet, tamen, fidei stabilitate atque caritatis firmitate subnixa, immobilis usque in finem seculi invincibilisque permanebit. Itaque filii ejus, pro sui capacitate, fide et caritate radicati, terrena prædia mundanasque divitias suæ matri conferunt, ut pro caducis et terrenis rebus mercentur cœlestes. Unde, sicut scribuntur in cœlorum albo, ita dignum est ut eorum nomina apicibus memoriæ fidelium tradantur, quatinus ab ipsis ad Deum pro illis semper oretur, ut in resurrectionis gloria inter sanctos resuscitati respirent. Igitur ego Landricus, cœnobii Carnotensis abbas, et omnis monachorum grex michi commissus, in hac scedula, nomina eorum mandavimus ponere, qui in loco qui vocatur Mesliacus, sancto Petro, pro animabus suis, proprios fundos contulerunt. Quorum primum poni jussimus Germundum presbiterum, qui, habitum monachilem suscipiens, et fundum et omnia quæ habuit sancto Petro reliquit. Secundum, Radulfum, patrem Gualterii monetarii, qui moriens fundum suum sancto Petro dimisit. Tercium, eundem Walterium, qui quos potuit emere in eodem loco fundos sancto Petro dimisit, pro anima filii sui Gausfridi clerici, ut ejus anniversarium annuatim fiat, cum signis sonantibus; redemit etiam nobis duos aripennos vineæ in clauso nostro, juxta Sanctum Bartholomeum, versus meridiem, pro anima patrui sui Hatonis, ut singulis annis fiat ejus anniversarium cum signis sonantibus. Quartum, Herveum, patrem Fulcherii canonici sancti Martini, qui ibidem suum fundum duobus modiis sementis sancto Petro reliquit. Quintum, Ansoldum, cum Ermengarde sua conjuge, qui alodum suum, in eodem loco, sancto Petro dimisit. Si quis autem prophanus ex his donis quicquam demere temptaverit, anathematis gladio percussus, cum diabolo in inferno trusus, penas luat sine fine mansuras. »

CAPITULUM LXXVIII.

De vicaria Hunis Villæ, et atrii æcclesiæ Reclamantis Villæ.

(Ante a. 1080.)

« In (206) nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Ego Hubertus, gratia Dei, abbas, et omnis congregatio sancti Petri Carnotensis cœnobii, notum esse volumus, tam presentibus quam futuri evi, sanctæ Dei æcclesiæ fidelibus, Walterium, videlicet filium Fladaldi, medietatem vicariæ Hunis Villæ necnon et Reclamantis Villæ atrii æcclesiæ, ac tocius terræ quæ ad istas duas villas pertinet, pro salute suæ et conjugis animæ, atque pro animabus parentum suorum, sancto Petro concessisse perpetuo jure; pro eaque accepisse agripennum unum vineæ, quæ vocatur Radfredus, pro quo nobis offerebantur XXV libre nummorum. Huic quoque dono assensum præbuerunt Walterius de Alneto, cujus beneficio hanc ipsam vicariam supra dictus Gualterius tenuerat; filiique ejus Gunherius, Gauslinus, Gualterius cum patre, assenserunt. Subscripsimus etiam propinquos Walterii, eosque qui cum eo fuerunt, quando super altare sancti Petri hujus rei guerpum posuit, necnon et famulorum nostrorum nomina, quos hibi habuimus; ut si quis unquam huic operi calumniari temptaverit, prius a liminibus sanctæ Dei æcclesiæ sequestratus, et anathematis jugulo sauciatus, ab uno horum baculo ultionis propellatur, nisi resipuerit, in inferno inferiori. Rajenaldus, frater Gualterii. Fredesindis, conjux ejus. Beliardis, soror ejus. Rajenaldus, filius ejus. Adelina, filia ejus. Gislebertus de Britiniaco. Nobiscum : Gerogius et Fulco, fratres et canonici; Erardus canonicus, Gualterius monetarius, Gilduinus major, Girbertus major, Stephanus major; Goscelinus et Rodbertus, telonearii; Guarinus pistor, Teodaldus, Fulchardus, Aventius, Lorinus, Gislebertus, Gunbaldus, Oydelerius, Laurentius, Rainaldus agaso, Ragenfredus de Reclamantis Villa (207). »

CAPITULUM LXXIX.

De orto empto super flumen Audure.

(Ante a. 1080.)

« Notum esse volumus, ego Hubertus abbas, et omnes monachi cœnobii Carnotensis, quia quendam ortum, in nostra terra juxta ortum nostrum situm, quædam mulier, Roscelina nomine, per XX et amplius annos, a primo seniore suo Gausfrido, dotis jure, concessum tenuerat; de quo nullum habuit sobolem. Nunc, quadrigama, a nobis taxatam peccuniam accipiens, reliquit perpetualiter possi-

(206) Nonnullas jam chartas Huberti abbatis edidimus inter eas Landrici; deque ordine temporum in codd. turbato monuimus supra, initio lib. VII.

(207) In cod. dicto *Argenteo*, post nomina testium, addita sunt hæc : *Actum est hoc publice Carnotis, regnante Philippo rege anno IX.*

dendum, donumque vel guerpum, cum presenti suo seniore Huberto, necnon et filiis tribus quos habuit de Frodone, quibus etiam dedimus munuscula, super altare apostolorum Petri et Pauli posuit, sub præsentia nostri ac nostrorum servientium, quorum nomina subscripsimus : Bernardus, filius Vulmari; Stephanus major et Salomon, frater ejus; Dodo major, Oydelerius, Alcherius mulnarius; Belod, filius ejus; Fulchardus, Rainaldus agaso, Ascelinus major, Hugo berbellus, Gislebertus. Ex parte mulieris : Walterius de Alneto et Sugerius, quorum prius astipulator constitutus est soliditatis. »

CAPITULUM LXXX.

De farinario dato a Rogerio, in Haraca Villa Normanniæ.

(Ante a. 1080.)

« Notum esse omnibus fidelibus quoniam Rogerius, miles olim, postea monachus, unum farinarium, in Normannia, cum terra unius aratri, sancto Petro dimisit, una cum consensu Eunardi vicecomitis, ex cujus beneficio id tenebat; et per manum Mainerii, filii Anselmi, super altare sancti Petri ipse vicecomes hoc donum jussit poni : erat enim extra æcclesiam. Cujus rei sunt testes : Willelmus Paganus; Ivo, filius Norberti; Bernerius de Britogilo, Stephanus de Britiniaco, Odo Sanglarius, Haimericus Bobinus, Gausfridus medicus; Rodbertus, frater ejus; Guiddo de Mulceto. Ex nostra parte : Rainaldus major, Stephanus major; Hildulfus et Gausfridus, fratres; Fulchardus, Rodbertus pelliciarius, Gunbaldus filius, Frotlandus, Sugerius. »

CAPITULUM LXXXI.

De saltu Munticulorum concesso a Haimerico de Vilereto.

(Ante a. 1080.)

« Notum sit omnibus, tam præsentibus quam futuris Christi fidelibus, quoniam, Kalendis Augusti, in festivitate sancti Petri quæ dicitur ad vincula, Haimericus de Virello super altare sancti Petri assensum posuit de saltu Monticulorum, per deprecationem Gualterii trapezetæ, qui ipsum saltum in fisco de filiis Avesgaudi tenebat, illi quoque de Haimerico. Fecit autem hunc assensum, per partem ferulæ, seu per artavum manubrii almi, in presentia Huberti abbatis ac tocius congregationis, testificantibus his quorum nomina subscripsimus : Fulcherius, filius Gerardi; Gualterius trapezeta, qui saltum dedit, cum omnibus appendiciis suis; Ribaldus de Fraxino; Salvisus, filius Odonis, aucipitrix. Ex nostra parte : Frotlandus et Gunbaldus, filius ejus; Fulchardus; Sugerius; Gislebertus et Laurentius, fratres; Tescelinus, filius Hildegarii; Martinus, Roscelinus; Rodbertus, filius Gausfridi; Stephanus et Salomon, fratres; Adelandus, Rotbertus pelliciarius. Huic rei assensit Vulferius, filius Haimerici, inde habens scutum unum X solidorum. »

CAPITULUM LXXXII.

De vicaria Abonis Villæ.

(Ante a. 1080.)

« Notum sit omnibus sanctæ Dei æcclesiæ fidelibus, quod Gualterius, filius Fledaldi, et uxor ejus Fredesindis, cum assensu Gualterii de Alneto, de cujus fisco erat, sicut antea dederat Berardus socer ejus, pro anima patris ac matris fratrisque Guaningi interfecti, vivente abbate Landrico, ita postea vivente abbate Huberto, vicariam Abonis Villæ et totius territorii ejusdem villæ, cum alodo Picati Villaris, sancto Petro gurpivit, de eo quod injuste sibi usurpaverat, post mortem præfati Guaningi. Hujus rei testes sunt : Gualterius de Alneto et filius ejus Gualterius, Evrardus de Levois Villa, Gualterius Blancardus; Gislebertus, frater Beringarii; Rainaldus, filius Hugonis de Reclamantis Villa; Hugo de Treijone, Gunbertus de Raschin Villa, Germundus de Sancto Albino, Gerogius de Haimulfi Villa, Gilduinus major, Stephanus major, Bernardus, Fulchardus; Ernulfus et Rainaldus, filius ejus; Tealdus, frater abbatis; Gislebertus et Laurentius, fratres; Adventius; Oydelerius et Rodbertus, fratres; Gualterius et Adventius, sartores; Teduinus et Gaudius, fratres; Gausfridus carpentarius; Ingelbertus et Gausfridus, coci. »

CAPITULUM LXXXIII

De sepultura et decima Gerardi de Buxeto.

(Ante a. 1080.)

« Notum esse volumus, ego Hubertus abbas et omnes monachi Sancti Petri Carnotensis, quia, pro remedio animæ suæ seu parentum suorum, II idus Augusti, Girardus de Buxeto super altare sancti Petri publice donum posuit de sepultura domus suæ, vel totius suæ terre, quæ est in parrochia Buxeti æcclesiæ. Dedit etiam, in dedicatione hujus æcclesiæ, medietatem suæ decimæ, una cum consensu Isnardi, domini sui, et filii sui, qui præsens aderat, seu etiam Gerogii, fratris ejusdem Gerardi, atque Alberedæ, matris Isnardi. Testes sepulturæ sunt : Stephanus major, Rotbertus telonearius, Hubertus de æcclesia. Gaudius, Theodaldus, Frotlandus et Gunbaldus. Testes autem decimæ, omnes qui ad dedicationem præsentes fuerunt, vicini sunt. »

CAPITULUM LXXXIV.

De dono Fulcandi de Arro.

(Ante a. 1080.)

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti. Ego Fulcandus notum esse volo omnibus fidelibus, tam præsentibus quam futuris, annuentibus dominis meis, Gausfrido videlicet atque Guillelmo, ejus privigno, necnon et Mahilde, matre Guillelmi, sancto Petro cœnobii Carnotensis concessisse terciam partem æcclesiæ de Arro, cum terra altaris, quam solebant presbiteri tenere, et medietatem offerendarum IIII festarum, quam michi retinebam; terramque unius aratri, per tria tempora anni, ubi monachi aspexerint, atque

duos agripennos prati; item VI denarios de censu molendini Odonis; item sepulturam IIII denariorum, scilicet puerorum albatorum; item sepulturam totam de Buxeto, quæ est terra sancti Petri, et medietatem archadii ipsius æcclesiæ; item medietatem sepulture totius atrii quod inhabitari fecerint; item medietatem census et furni, atrii, necnon et omnis consuetudinis quæ humana consuetudo exigit. Concedo etiam decimam de Buxedulo, quam ex meo beneficio videtur tenere, si forte monachi ab eo aliquando potuerint emere. Actum est in Capella Regia, regnante rege Philippo, gubernante abbate Huberto cœnobium sancti Petri, atque huic rei insistente Huberto monacho, prænomine Querco, et matre mea Sufficiæ. Quam largitionis donationem volui facere pro anima patris mei et matris meæ, necnon pro salute propria et conjugis atque filiorum et filiarum mearum, sive omnium parentum meorum. Cui donationi si aliquis contraire voluerit, CCC libras auri persolvat, et voluntas ejus inefficax remaneat; atque, nisi ad emendationem venerit, pœnis inferni, cum Juda proditore, subjaceat. Subscripsimus etiam nomina testium qui ex utraque parte fuerunt testes donationis hujus. Herbertus, frater Fulcaldi, firmavit. Suffitia, mater eorum. Fulcaldus, hujus doni largitor. Lizinia, uxor ejus. Joannes et Rotrocus et Herbertus, filii ejus. Milesindis, filia ejus. Arembargis, soror ejus. Hugonis Palestelli. Durandus presbiter, Lambertus. Odo. Asce-linus. Bernardus. Ex nostra parte: Hermoinus, major Bosci Medii; Herbertus Canis Parvulus, Ernaudellus, Anstasius, Guarinus; Lorinus, filius Gualonis; Rainaldus de Sancto Romano. »

CAPITULUM LXXXV.

De vicaria Abonis Villæ data a Fulcone.

(Ante a. 1080.)

« Sanctæ æcclesiæ fidelibus, tam præsentibus quam futuris, notum esse volumus, ego Hubertus abbas indignus, et omnis congregatio monachorum cœnobii sancti Petri, quoniam quidam miles, nomine Fulco, moriens, vivente abbate Landrico, una cum consensu filiorum suorum, Hugonis scilicet et Guarini, adhuc puerulis, et Richildis sororis, vicariæ medietatem, quam habebat in Abonis Villa, sancto Petro apostolo ac monachis sibi famulantibus concedendo tribuit, pro remedio animæ suæ et animarum parentum suorum atque incolumitate filiorum; donumque super altare sancti Petri misit, per manus filiorum et propinquorum suorum. Post cujus mortem, filius ejus Hugo, jam adultus, cupiditate victus, postposito dono patris, vicariam invasit; sed, a nobis postea XXX nummorum solidis acceptis, vicariam, quam injuste invaserat, reliquit, guerpumque, cum fratre suo Guarino, super altare sancti Petri publice posuit, sub testimonio horum quorum nomina subscribere curavimus. Cum ipso Hugone fuerunt: Girogius, patruelis ejus; item Girogius de Haimulfi Villa, Herbertus Corbonensis, Siguinus. Nobiscum. Stephanus Gualoius et filius ejus Adventius, Stephanus major, Oydelerius; Teduinus et Gaudius, fratres; Gunbaldus, Laurentius; Isembertus, filius Goscelini; Fulchardus; Ernulfus et Rainaldus, filius ejus; Rodbertus, fratrer Frodelini. »

CAPITULUM LXXXVI.

De vineis quas emit Berta comitissa.

(12 maii 1069.)

« Notum sit omnibus, quod quasdam vineas Radulfus, prænomine Calculus, in territorio comitis, ex beneficio nostro tenens, nobiscum tradicentibus comitis Tedbaldi sorori, nomine Berte (208), vendere voluit. Verum, quia fas non erat, adiit Landrici abbatis præsentiam comitissa, ut eo pacto sibi concederent, ut, quandiu viveret, eas teneret, ac, post mortem ejus, nobis dimitteret. Quod pactum postea ante fratrem suum comitem Tetbaldum recognoscens, et jam, per deprecationem ejusdem fratris, firmavit, pro anima patris, matris, fratris et suæ, IIII idus maii, præsentibus his: Gualeranno monacho, Otberto monacho, Gausfrido de Calido Monte; Girardo, coquorum magistro; Radulfo præposito. Actum Carnotis publice, inter turrim et portam Cinerosam, in camera comitissæ, de qua sermo est; eo anno quo Rodbertus peregre episcopus obiit; tunc etiam sine episcopo urbe, et dum viveret Hubertus, abbas a nobis electus. »

Ponendæ sunt hic domni Huberti cartarum metæ, quoniam, flante vento nequitiæ, et quatiente dolositatis turbine, fere omnes sui ab eo alienati, inextricabili nodo constrictum, ab honore violenter eitiunt; atque Teodericum (209) Vindocinensem, loco ejus, ab Arraldo præsule, velint, nolint, suscipiunt. Qui solum regulæ vigorem retinens, exterminavit plurimos eorum qui antecessorem suum fecerant extorrem. Hic denique, in suo quo vixit tempore, in exteris rebus multum ebes, vix unam cartulam usque nunc, nobis minus profecuam, posteris reliquit. Qua scripta, vertemus stilum ad eas quas, dum penduli essent monachi sine abbate, ediderunt.

CAPITULUM LXXXVII.

De æcclesia sanctæ Mariæ de Alogia.

(Anno 1069.)

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti, qui unus est essentialiter et trinus potentialiter. Notum esse volumus cunctis sanctæ Dei æcclesiæ fidelibus, tam presentibus quam futuris, ego Teodericus, cœnobii sancti Petri Carnotensis abbas, omnisque congregatio monachorum cui preesse videor, quoniam Gualterius, prænomine Infans, sancto Petro apostolorum prin-

(208) Bertha, uxor comitis Britanniæ, Alani V, sororque Theobaldi III, Carnotensis comitis, hanc chartam dedit anno quo Landricus abbas et Rodbertus episcopus obierunt, eodemque, nec tamen completo, quo Hubertus abbas electus est, i. e. 1069.

(209) Auctores *Gall. Christ.* hunc Theodericum inter abbates Sancti Petri non inscribserunt.

cipi, pro anima sua et conjugis ac parentum dominorumque suorum, presbiterium æcclesiæ sanctæ Mariæ, quæ non longe sita est a flumine Alogiæ villæ, et omne quicquid ad ipsum presbiterium pertinere noscitur, tam in altare quam in offerendis, sepulturis, decimis, jure perpetuo concessit, ut habeamus atque sine ulla contradictione possideamus. Donum itaque hujus largitionis, per assensum domnæ suæ Mahildæ, de qua id beneficium tenebat, super altare sancti Romani martiris posuit, qui non longe a Braiao castro apostolo quæritur et veneratur. Cujus filius Gualterius clericus Carnotis postea abiit, et ex eadem re domum super altare sancti Petri posuit; indeque XXX solidos nummorum a nobis recepit, ac matri suæ V solides in uno mantello empto detulit. Quam donationem quisquis retrahere voluerit ab omnibus sanctis Dei excommunicatus, cum omnibus Domini crucifigentibus et cum Juda proditore, nisi resipuerit, in inferno pereat. Actum est hoc publice, Brajao castro, intra horreum Sancti Romani, anno nono regis Philippi, assistentibus his quorum nomina subscripsimus : Bernardo de Buslo; Landrico de Toriello et Odone, fratre suo; Gualterio Infante, qui hanc donationem fecit; Radulfo præposito, Gausfrido, Raiardo, Rainaldo forestario. Ex nostra parte : Girvardo majore, Laurentio cubiculario; Bernardo, filio Vulmari; Frollando. »

CAPITULUM LXXXVIII.

De junioratu æcclesiæ sancti Leobini Castridunensis.

(Ante a. 1080.)

« Christianæ religionis obtimi viri quondam, dum omnibus florerent copiis, et æcclesias, longe lateque per orbem in honore Dei atque sanctorum sanctarumque memoriis nobiliter constructas, religiosissime colerent, eas diversis donariorum titulis insignitas, locupletare voluerunt; quorum privilegia in ipsis æcclesiis, una cum eorum memoriis, servantur et servabuntur, Christo Domino annuente. Itaque ego, Albertus nomine, Hugonis sanctæ æcclesiæ Carnotensis vicedomini, filius, notum esse volo tam præsentibus quam futuris, meis scilicet successoribus, de æcclesia sancti Leobini, quæ in Braiao castro super fluvium Osannæ fundata est, et a domno meo Willelmo, ipsius castri domino, cum aliis rebus tenere videor; de ipsa, inquam, cum consensu mei carissimi fratris nomine Guerrici, qui nunc est post patris mei mortem, vicedominus, junioratum quidem sancto Petro, ac monachis sibi famulantibus in cœnobio ipsius, quod decenter in suburbio situm est supradictæ civitatis, concedens annuo et annuens concedendo, pro animabus parentum nostrorum, necnon et pro salute tam mei quam fratris antenominati, perpetualiter concedo : ea scilicet lege, ut presbiteri ipsius æcclesiæ nec a me nec a meis successoribus ullo modo dominentur, set ab ipsis monachis, ab hac die in antea, mittantur in ipsa æcclesia, dominentur et ejiciantur, si forte mereantur. Habeant tamen a nobis de decima æcclesiæ quam retinemus, per singulos annos, duos modios tritici, sine ulla datione precii; habeantque altare et offerendas per circulum anni, preter quatuor festas, in quibus duas partes offerendæ adhuc in nostris usibus retinemus. Dimittimus etiam calumniam æcclesiæ sancti Romani, quæ est ultra fluvium supra memoratum, ut nullus nostrorum heredum quicquam audeat unquam exigere ab ea, sed eam monachi ex toto possideant, ædificent et secure habeant. Hujus autem donationis cartam nostram, videlicet jussione scriptam, manibus nostris nominibusque corroborari voluimus, ut semper inviolata et inconvulsa manere in secula valeat. »

CAPITULUM LXXXIX.

De ecclesia sancti Leobini Castri Dunensis.

(Ante a. 1080.)

« Terrenæ divitiæ, sicut earum, pro libitu carnis ac desideriorum luxu, profligatores, ad infernorum pœnas; sic, pro Dei amore, qui eas indigentibus largiuntur, ad æterna deducunt premia. Quapropter ego Willelmus, honoris Alogiæ dominus, quantum ad seculi dignitatem attinet, clarus quidem genere, sed pravo perobscurus opere, inter hujus fluctivagi procellas seculi, armis præcinctus militaribus ac mundanis implicitus negotiis; dum nequeo meis meritis, quæ parva vel pocius nulla sunt, innumerabilia quæ cummisi diluere facinora, donariorum pertempto largitionibus redimere. Unde ratum fore duxi beatum Petrum, apostolorum principem, cui Dominus suæ æcclesiæ curam cummisit atque ligandi solvendique animas potestatem contulit, michi intercessorem ascisci, eumque ex rebus propriis placabilem fieri. Sic enim Domini nostri præcipitur eulogio : *Date*, inquit, *et dabitur vobis;* et alio in loco : *Facite*, inquit, *vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Itaque, annuente venerabili matre mea Mahilde, una cum karissima conjuge Eustachia, seu liberis nostris adhuc infantulis, Hugone ac Willelmo; pro redemptione quidem animarum antecessorum nostrorum, necnon et pro nostra incolomitate, concedens dono et donans concedo beato Petro apostolo, ac ejus monachis sibi normaliter famulantibus in cœnobio quod non longe a mœnibus Carnotine urbis situm est, æcclesiam scilicet beatissimi Leobini confessoris et episcopi prædictæ urbis. Quæ æcclesia, a prisco tempore, intra vallum Castri Duni decenter constructa videtur, atque a patribus nostris, jure hereditario, possessa est. De qua donum quoque super ipsius apostoli altare VIII idus Decenbris, posui, cum fidelium meorum assensu, qui tunc Carnotis erant mecum, quorum nomina in fine hujus scripti notavimus. Habeant ergo, ex hac die in antea, jureque hereditario supradicti monachi eandem æcclesiam possideant, cum omni ornatu ejus vel rebus omnibus, tam intus quam foris, ad ipsam pertinentibus, quæ videlicet in meo dominio videbantur esse. Concedo etiam, juxta eandem æcclesiam, areas quæ dicuntur Arnulfi; necnon et Bovonem militem, cum suo fevo, quid ad supradictam æccle-

siam pertinere noscitur. Si tamen ipse vertere voluerit, decimas denique atque census ad prefatam æcclesiam pertinentes libens concedo, ut a monachis, vel precario vel precio, redimantur ab ipsis militibus qui ex nostro beneficio videntur possidere. Hæc enim omnia perexigua sunt : terrena enim sunt atque transitura; cœlestia quoque vel æterna eminentiora et potiora sunt, quæ, Christo presule, pro his miminis in futuro recipiemus. Profuit enim viduæ, de qua legitur, quod in templo obtulit duo minuta; profuit et danti aquæ frigidæ calix. Hujus ergo largitionis donum, ut firmum et inconvulsum permaneat, signo crucis, manibus propriis, firmare censui, meorumque fidelium manibus propriis firmandum tradidi, quorum etiam nomina subterscripta inveniuntur. Quod si quis aliquando huic meæ largitioni, diaboli instinctu, contraire nisus fuerit, nisi cito resipuerit, presumptionis suæ veniam petens, cum Dathan et Abiron, quos terra vivos obsorbuit, cum Herode, innocentum laniatore, cum Juda proditore, et cum his qui Christum Dominum crucifixerunt, in inferno trusus, pœnas luat; ubi anguis gulosus non moritur, nec vorax ignis extinguitur, nec umbræ mortis desunt, nec caligo tenebrarum. S. Mahildis, matris Willelmi. S. ipsius Willelmi. Eustachiæ, conjugis ejus. S. filiorum ejus, Hugonis et Willelmi. S. Willelmi de Monte Boone. Gausfridi. Warini. Osmundi. Guarnerii. Anisardi. Hugonis, filii Burchardi. Rainaldi, filii Gausfridi. Radulfi, filii Willelmi. Gausfridi de Salmeredo. Odonis Cratonis. Willelmi de Monte Mirabili. Girardi Brunelli. Willelmi. Bernerii. Gauslini. Helgot. Walterii, filii Burchardi. Hildegarii archidiaconi. Rainaldi decani. Vitalis presbiteri. Bernardi de Buslo. Radulfi Nothi. Landrici de Toriellis. Odo Radulfi. Gausfridi. Letaldi. »

CAPITULUM XC.

De ecclesia Treionis vici.

(Ante a. 1080.)

« Salomon, monens omnem hominem curam animæ suæ, dum vivit, habere : *Quodcumque potest manus tua*, ait, *facere, instanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec sapientia erit apud inferos, quo tu properas* (210). Unde ego Wenricus, cum fratre meo Alberto, votum patris nostri quod, dum viveret, solvere induciavit, vice ipsius perficientes, sancto Petro contradimus æcclesiam Treionis, quæ titulata est sub honore sancti Dei genitricis, pro remedio ejusdem patris nostri, et antecessorum nostrorum atque nostrarum. Quam quia liberam ab omni pontificali exactione possedimus, excepta crismatis datione et æcclesiæ reconciliatione, ita etiam, remoto impedimento talium negotiorum, sancto Petro et abbati, fratribusque inibi Deo servientibus, liberam atribuimus. Insuper etiam adicimus curtim construendis officinis monachorum, et hortum plantandis arboribus et herbis, et terram aratri unius; et molendinum Spinæ, et dimidiam clusuram vineæ; et quicquid hominibus nostris ex eodem beneficio addere placuerit, annuimus. Testes hujus donationis sunt hii : Ingelrannus decanus, Adelardus subdecanus, Ascelinus Britto; Gausbertus, magister scole; Bernerius canonicus, Gerogius canonicus; Fulcherius, filius Nivelonis; Gauslinus de Leugis, et filius ejus Gauslinus; Rainaldus, filius Flealdi; Gauslinus, filius Gausfridi; Ingenulfus, filius Norbeti; Ansoldus de Mungeri Villa (211). »

CAPITULUM XCI.

De vicaria Imonis Villæ, et de calumnia duorum agripennorum vineæ quæ est juxta Sanctum Bartholomeum.

(26 nov. 1077.)

« Omnibus, tam presentibus quam futuris, sanctæ Dei æcclesiæ fidelibus, nos monachi sancti Petri Carnotensis cœnobii, notum esse volumus, in anno quidem quo nostri cœnobii ediumque nostrarum tecta vorax cunsumpserit flamma, VI quoque kalendas Decembr. (212), quod Robertus, prenomine Aculeus, vicariam nostræ terræ de Imonis Villa, quam injuste possidebat, sancto Petro dimisit, guerpumque super altare ejus publice posuit; calumniam quoque II agripennos vineæ, qui juxta Sancti Bartolomei sunt cimiterium, in capite scilicet nostri clausi, missam fecit, inde fratrum orationes accipiens atque equum unum, VI libras valentem. Adfuit cum eo Ansoldus de Mungerii Villa; Rainaldus et frater ejus, filii Walterii. Nobiscum vero Laurentius cubicularius, Laurinus agaso; Gaudius et Teduinus, fratres; Stephanus major, et cæteri. »

CAPITULUM XCII.

De ecclesia Superioris Croti.

(Circa a. 1080.)

« Notum esse volumus nos monachi sancti Petri cœnobii Carnotensis cunctis sanctæ Dei æcclesiæ fidelibus, a monachis sancti Martini Majoris Monasterii quamdam æcclesiam, sitam in Croto superiori super fluvium Auduræ, olim emptam fuisse ab abbate Landrico, faventibus fratribus de quorum patrimonio fuerat, Arraldo scilicet, Richardo et Bernardo, qui hanc ipsam sancto Martino vendiderant, faventibus domnis de quorum beneficio tres supradicti fratres tenuerant. Verum, quia paupertas semper claudicat. Arraldus persepe reditus æcclesiæ in suis usibus, victus inopia, et nobis invitis retinebat, obiciens in conventione fore eandem æcclesiam cemento et lapide a nobis debere fieri. Quapropter, multis vicibus a nobis excommunicatus atque iterum, specie tenus usurpatis rebus dimissis, absolutus; tandem, sapienti usus consilio, in sese reversus, ad limina

(210) *Eccl.*, IX, 10.

(211) Sequuntur in hoc cod. B chartæ duæ de vicaria Mittanis Villæ, quas superius edidimus, p. 194 et 195.

(212) Quod incendium, ut dicetur inferius, c. 104, incidit in annum primum Gausfridi, Carnotensis episcopi; in secundum autem ante Eustachii abbatis electionem, i. e. in a. 1077.

sancti Petri venit, cum conjuge, nomine Adelidæ, et filia Badehilde, ante altare de commissis veniam peciit, ae de ipsa æcclesia donum super altare posuit; sub verbum pro missivis dicens se nunquam, ab illo die in antea, aliquam calumniam inferre nobis de ea, neque se ullam consuetudinem habiturum in ea neque in terra ad eum pertinentem; neque de annonis quæ in æcclesia ponende sunt molturam ullam, sicut prius faciebat, nec omnino aliam aliquam rem accepturum; sed ideo ita liberam deinceps a nobis abendam, ut æcclesiam sancti Georgii et æcclesiam sancti Cirici de Aneto. Quam rem postea annuere fecit filiis suis, Gualterio scilicet et Gisleberto, filiæ quoque minori. Milesinde nomine. Actum est Carnotis publice, V kalendas Junii. Placuit quoque nomina eorum subscribere qui ex utraque parte fuerunt præsentes: Marcuardus; Gualterius et Albertus, fratres; Walterius, Blancus Oculus. Ex nostra pater: Gilduinus major, Walterius clericus, Richerius major, Stephanus major, Laurentius, Gislebertus, Adventius, Oydelerius, Rotbertus nosochomiarius, Radulfus, Gilduinus, Gaudius. »

CAPITULUM XCIII.

De quinque olcis terræ datis sancto Petro in Nantilliaco.

(Ante a. 1080.)

« Omnes scire volumus qui has litteras sunt lecturi, quoniam adiit quidam miles, nomine Herluinus, habens secum Germundum de Raschiniaco et Isenbardum armigerum suum, sancti Petri scilicet Carnotensis cœnobii monachos; petens ab eis orationum suffragia, ut ab illa die in antea, cum ipsis monachis earum particeps fieret, V olcas terræ, non longe ab ecclesia sancti Petri in Nantilliaco, perpetualiter concedendo sancto Petro donavit. Cujus terræ donum super altare ipsius posuit, in octabas apostolorum videlicet Petri et Pauli; eo quidem tenore, ut, sicut ipse ab antecessoribus suis ipsas V olcas libere tenuerat, ita et supradicti monachi, absque ullius hominis inquietudine, habeant, possideant, incolent, vel quicquid inde facere voluerint faciant. Si quis autem suorum heredum vel alius aliquis hujus suæ largitionis donum contraire voluerit, cum Dathan et Abiron, damnationem in inferno accipiat, nisi resipuerit et ad satisfactionis remedium confugerit. Testes ex nostra parte fuerunt hii: Gausfridus cocus, Johannes janitor; Herveus et Durandus, fabri; Teduinus, Gaudius et Harduinus, fratres; Laurentius cubicularius, Laurinus auriga, Adventius Sophia, Engelbaudus, Gislebertus. »

CAPITULUM XCIV.

Die æcclesia Speltereolis villæ.

(Ante a. 1080.)

« In Dei et Domini nostri Jhesu Christi nomine. Omnis monachorum congregatio sancti Petri cœnobii Carnotensis, notum esse volumus omnibus Christianæ fidei cultoribus, quod quidam miles, nomine Hugo Drocensis, patrocinante Huberto abbate hoc cœnobium, medietatem æcclesiæ de Spelterolis villa et terram duum boum sancto Petro dederit, recipiens a nobis recumpensatione orationes fratrum et alia misericordiæ opera. Sed, quia res nobis tunc modica et infructuosa visa est, et filii predicti militis calumniabantur eam, minime fuit a nobis possessa. Post multum autem temporis, præfatus miles efficitur monachus in Burguliensi cœnobio, et inde postea, visendi gratia, ad nos rediens, incommoditate corporis graviter tactus, apud nos obiit. Cujus animam dum Christo ex more commendavissemus, glebam corporis, cum fratribus nostris, congruo honore sepelivimus. Uxor quoque ejus, nomine Olisia, quam reliquerat in seculo cum filiis, Gausberto scilicet atque Guarino, ibidem adfuit. Qui simul cum matre, post humationem patris, ante altare apostolorum Petri et Pauli properantes, præfatam ecclesiam cum atrio et medietate decimæ, pro anima patris, pari voto publice contulerunt, terramque unius artri; ac donum super altare posuerunt, imprecantes Annæ et Caiphæ, Ananiæ et Saphiræ maledictionem omnibus refragatoribus hujus largitionis. »

CAPITULUM XCV.

De alodo dato a Haimerico de Vibrante Lupo.

(Anno 1081 sive 1082.)

« In Christi nomine. Ego Girardus prior, cum omnibus fratribus cœnobii sancti Petri Carnotensis, notum esse volumus cunctis successoribus nostris, quod ea tempestate qua domnus Eustachius abbas Romæ morabatur, cum Gausfrido episcopo atque Parisiacensi episcopo, ut pariter ostenderent injuste prolatam esse excommunicationem in concilio Exodunensi ab episcopo Diensi Hugone super Gausfridum Carnotensium præsulem, videlicet in præsentia domni Gregorii papæ VII, quem etiam tunc Hainricus imperator, cum Alamannis et Langobardis, debellabat; ea, inquam, tempestate, quidam miles, vocabulo Haimericus Vibrans Lupum, corporis infirmitate laborans qua et obiit, ut evaderet inferni pœnas, monachus apud nos efficitur; fundos quos jure hereditario possidebat, juxta locum qui Miseriacus vocatur, cum tribus militibus qui ex parte fundi ipsius levati erant, una cum consensu filii sui Pagani, sancto Petro et nobis reliquit. Cujus fundi donum filius ejus super altare sanctorum apostolorum Petri et Pauli publice posuit, inde ibidem orationes fratrum recipiens. Cui dono si quis inquam contraire temptaverit, nisi resipuerit, anathema sit. »

CAPITULUM XCVI.

De alodo dato a Balduino intra Burgum Carnotinæ urbis.

(Ante a. 1080.)

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Ut præsentes non amittant et futuri sciant, hoc scriptum in scriniis nostris reservabitur. Nam adiit præsentiam nostram, monachorum sancti Petri Carnotensis cœnobii, quidam miles, Balduinus no-

mine, poscens suppliciter quatinus eum faceremus monachum; quod annuimus. Et propter hoc dedit sancto Petro et nobis, exemptione sua, terram in qua quondam fuere vineæ, et modo sunt in ea ortuli plurimorum hominum; et reddit in censu VII solidos et X denarios, in sancti Remigii festivitate; et est liberrima ab omni vicaria, et ab omni captione, et ab omnibus consuetudinibus. Quod factum annuerunt uxor ejus et filius. Et ut libentissime assentirent, dedimus eis, ex nostro, tria modia frumenti et duo modia avenæ. Et ipse Balduinus deprecatus est, ut, si quis calumpniator ex hoc foret, excommunicatus ex Deo et sancto Petro foret. Ut autem firmior hæc res esset, testes hujus rei hic ex sua et nostra subnotavimus parte: Ermengardis, uxor Balduini; Hugo, filius amborum; Ingenulfus, Otbertus, Willelmus; Hamelinus, filius Herbranni. De nostra parte: Guarnerius major, Guarinus et Laurinus, artocopi; Laurentius et Gislebertus, fratres; Gualterius et Adventius, sartores; Joscelinus, filius Gilduini; Arroldus agaso; Radulfus, filius Hildegarii portarii. »

CAPITULUM XCVII.

De terra data a Roscelino in Pendente Pediculo

(Ante a. 1080.)

« Notum esse volumus tam præsentis quam futuri evi Christi fidelibus, nos monachi Sancti Petri, quoniam terram Pendentis Pediculi, in conversione Roscelini monachi, frater ejus Gerogius medietatem quidem sancto Petro dedit in stipendiis fratrum, per assensum Teudonis qui cognominatur Caput Ferri, cui annuatim de parte nostra debentur duodecim nummi in censu; postea vero ipsa terra a Fulcherio, filio Girardi, et a Gerogio de Curba Villa ambitione est invasa, de quorum esse videbatur beneficio. Quibus ut assensum præberent, Fulcherio quidem quinquaginta nummorum solidos dedimus, et Gerogio XXX; atque ipsi super altare sancti Petri guerpum ponentes, eandem terram possidendam concesserunt, tantum ut in festivitate sancti Remigii census prædictus reddatur. Actum est hoc in æcclesia sancti Petri publice, videntibus et audientibus his quorum nomina subnotavimus: Gualterio monetario, Gerogio clerico, Stephano majori, Arnulfo Rufo; Fulchardo; Stephano, Aventio et Laurentio, fratribus; Ascelino majore; Teduino, Gaudio et Harduino, fratribus; Willelmo, Arraldo Hildegario et Radulfo, filio ejus (213). »

CAPITULUM XCVIII.

De rebus datis pro Ernaldo puero.

(Ante a. 1080.)

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, scilicet Patris et Filii et Spiritus Sancti. Notum esse volo omnibus sanctæ Dei æcclesiæ fidelibus, tam præsentibus quam futuris, ego Landricus, militiæ seculari deditus, una cum uxore mea, Ermelina nomine, et Hugone filio meo primogenito, Deo omnipotenti et beato Petro apostolorum principi, filium meum jam octonem, Ernaldum nomine, mancipans, trado in cœnobio supradicti apostolorum principis, ut ibi serviat omnes dies vitæ suæ Deo et sanctis ejus, ac pro nobis et omnibus Dei fidelibus die noctuque preces fundat. Pro quo præfato cenobio tradendo, concedimus, in loco qui vocatur Baliolus, terram duum animalium, cum manso. Cui dono addimus quartam partem brennadii quod actenus habuimus in vico Sancti Romani, juxta Braiao castrum, ut ab hac die et deinceps habeant monachi supradicti cœnobii et in perpetuum possideant. Concedimus etiam junioratum æcclesiæ domni Petri, sicut Rainaldus decanus tenere videtur, et omnia quæ de nobis possidet in ipsa villa. Volumus autem hanc largitionis nostræ cartulam manibus nostris corroborare et salutifere crucis signum imprimere, ut nulli unquam refragatori sit fas ad hanc aspirare. † Landrici. S. Ermelinæ. Hugonis. Rainaldi decani. Odonis (214). »

CAPITULUM XCIX.

De rebus datis pro Hugone puero.

(Ante a. 1080.)

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti. Notum esse volo cunctis fidelibus, tam præsentibus quam futuris, quia ego Hildegardis, prænomine Franca, quondam uxor cujusdam militis, vocabulo Gausfridi Nigri, qui spernens omnia hujus seculi caduca atque peritura, Deo devote militaturus, in sacrosancto cœnobio beati apostoli Petri Carnotensis militarem balteum deposuit, et, secundum Domini præceptum, uxorem et filios, agros, domos et omnia quæ habuit in mundo relinquens, obedientiæ gressibus ipsum Christum sequens, ad etheris aulam anhelat tendere; sic itaque ab eo viduata, duos filios, quos ei peperi, dum ætas in adolescentiæ flore proveheret, orbatam (215) incognitas terras Apuliæ adeuntes; quorum unus, Fulco nomine, de quadam puella filium parvulum eundem in cunis michi dimisit, quem loco filii tenere nutriens, in puerili ætate sacris inbuendum litteris tradidi; deinde jam octennem in supradicto cœnobio, in quo et avus ejus et consanguineus, Fulco nomine, Deo deserviunt, ibi, cum consensu Rotberti prioris ceterorumque monachorum pro anima mea et omnium parentum meorum deprecaturum, ut sub norma monachili Deo serviat mancipari (216); dans pro eo in Belsia, in villa quæ Pantaginis Villa dicitur, terram quandam olim datam in manu firma duobus fratribus Frogerio et Fulconi et uni heredi eorum, a quibus Heribranno

(213) Charta quæ huic subjicitur præfert titulum illum : *De decima Rainerii Finemundi*, editaque est superius, p. 138.

(214) Sequitur charta cui titulus: *De via data apud Sanctum Germanum de Alogia*; quam jam vulgavimus, p. 194.

(215) Sic. Sensus tamen flagitat, *duobus filiis..... orbata sum.*

(216) Leg., *mancipavi.*

cuidam militi est vendita, cujus nunc filius Haimericus clericus eam possidet, dans in festivitate sancti Carauni nummorum solidos VII; item in territorio Dunensi, in parrœchia Sancti Ebrulfi, in villa quæ dicitur Torellelis, unam masuram terræ, liberam ab omni exactione et consuetudine cum domo et horreo; item in Bahardi Villa agrum unum in quo modius unus et semis seritur. Hanc autem cartulam Carnotis publice super altare apostolorum Petri et Pauli ego Hildegardis posui, inprimens crucis signum. Quam si quis contraire voluerit anathema sit (217). »

CAPITULUM C.

De alodis Guntardi.

(Ante a. 1080.)

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis Patris et Filii et Spiritus sancti. Notum esse volumus omnibus sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus, tam presentibus quam futuris, ego scilicet Rotbertus prior et omnes monachi sancti Petri cœnobii Carnotensis, quod quidam miles, nomine Guntardus, de Garenceriis, ad nos misit, obnixe petens ut sibi unum ex fratribus nostris concite mitteremus. Qui cum ad eum venisset, et sciscitasset quid vellet : « Ego, inquit, infirmitate pressus qua et mori timeo, annuente Domino, cupio fieri monachus; et, ut merear assequi delictorum meorum veniam, ex terrenis rebus, quas usque nunc possedi, sancto Petro donans concedo et concedens dono, directa largitione, alodum meum, in territorio scilicet Abbonis Villæ; itemque alium in parrœchia Imonis Villæ, in loco qui Rosetus nominatur. Hanc autem donationem, per assensum filii mei Gualterii, in præsentia plurimorum hominum faciens, inprecor maledictionem omnibus nitentibus contraire præfate donationi, ut in inferno, nisi resipuerint, cum Juda proditore pœnas luant. » Hæc denique locutus, prædictus homo, antequam habitum monachilem qui sibi ferebatur a cœnobio indueret, viam universæ carnis est ingressus. Cujus glebam corporis frater ille qui ad eum ierat assumens, ad monasterium detulit, atque inter fratres monasterii honorifice curavimus sepelire. Nomina vero testium prælibatæ donationis voluimus subscribere ad memoriam posterorum et ad refragandam inquietudinem calumpniatorum : Harduinum, nepotem Guntardi; Martinum, armigerum ejus; Herbertum presbyterum, Albertum majorem, Hildegarium, Johannem, Mainerium, Guarnerium de Poponis Villa, Vulgrinum de Sancto Scubilio, Albertum de Segetis Villa (218). »

CAPITULUM CI.

De alodis Herberti.

(Ante a. 1080.)

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti. Notum esse volumus nos monachi sancti Petri cœnobii Carnotensis omnibus sanctæ Dei æcclesiæ cultoribus, tam præsentibus quam futuris, quod quidam miles, Herbertus nomine, de Galardone castro, veniens ad conversionem sub abbate Huberto, pro redemptione animæ suæ, una cum consensu filiorum suorum, Hervei scilicet atque Fulcherii et unicæ filiæ, nomine Guiburgis, alodos quos habebat in territorio castri Dunensis sancto Petro et ejus monachis concessit, unamque domum intra castrum, in Premetis quidem villa, alodum quem mater sua Rotrudis possedit, necnon et manum firmam; item in Marlai villa, in dextera parte viæ Dunensis, VI aripennos terræ, et in sinistra parte ejusdem viæ V aripennos; item in Angeliaco aripennos tres et dimidium; in Boardi Villa quicquid hereditario jure possedit; in Isiginiaco terram quam Constantius, pater Vitalis, coluit, vel Rotrudis mater sua visa est habere dum vixit. Signum Herberti, qui hoc donum dedit. Hervei. Fulcherii. Testes hujus rei sunt : Ebrardus, Gauscelinus Lupulus, Normannus, Amalguinus, Frotlandus, Tescelinus, Gaudius. Si quis hoc adnullare voluerit, nisi resipuerit, anathema trusus in inferno pereat. »

CAPITULUM CII.

De alodo Piei Villaris et Huni Villæ et Argentelæ.

(Ante a. 1080.)

« In nomine Jhesu Christi Salvatoris nostri. Notum esse volumus omnibus successoribus nostris, tam præsentibus quam futuris, ego Walterius, filius Fledaldi, cum uxore mea et sorore ejus, quod guerpum facimus de alodo Piei Villaris, quem dedit Berardus, pater uxoris meæ, pro anima fratris sui Guaningi, et de alodo Huni Villæ, atque de alodo Argentelæ, quem sancto Petro dederunt parentes uxoris meæ, nepotes scilicet Fulconis monachi; et quicquid in his alodis invadendo pervaseram, pro remedio animarum nostrarum, dimittimus, et guerpum super altare sancti Petri ponimus; et has litteras fieri voluimus, ut in his testes subscripti ex adverso stent omnibus qui, demonis instinctu, huic rei contraire voluerint. Testes autem ex nostra parte sunt : Rainaldus, frater meus; Fulcherius, Hugo de Treione, Gislebertus de Britiniaco; Haimericus, filius Heribranni. Testes monachorum : Guálterius monetarius, Odielardus trapezeta, Hugo Berbellus, Balduinus, Arnulfus Rufus, Fulchardus, Arnulfus Niger, Rotbertus, ejus frater; Stephanus major; Tescelinus, filius Hildegarii; Stephanus, filius Dodonis; Bertrannus clericus. Si quis autem huic rei calumniam intulerit, nisi cito resipuerit et ad satisfactionis remedium confugerit, anathematis mucrone confossus, cum Juda traditore in inferno sine fine pœnas luat. »

CAPITULUM CIII.

De rebus quas dedit Willelmus præpositus de Alogia.

(Ante a. 1080.)

« In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Notum esse volumus nos monachi Sancti Petri Carnotensis, quod quidam miles, nomine Willelmus, quondam præpositus de Braiao castro, tactus corporis

(217) Subsequentem chartam, *De medietate ecclesiæ Sancti Germani*, retulimus superius, cap. 71.

(218) Post hanc occurrit charta, *De terra data a Mathilde*, quam jam habes, supra, cap. 67.

infirmitate qua postmodum de hac vita exiit, timens inferni pœnas, habitum monachilem apud nos suscepit, et de rebus mundanis quas in mundo possederat in Alogia, sanctum Petrum nosque heredes constituit. Quæ licet a nobis admodum parvissimæ sint visæ, apud Deum forsitan sunt magnæ. Quapropter in hac menbranula litteris mandare curavimus : aripennum unum terræ, videlicet ante fores ecclesiæ Sancti Germani; item in Agonis Villa totam decimam; simili modo in Luetone et in Fola Villa. Quæ omnia filius ejus Willelmus superstes concessit. »

CAPITULUM CIV.

De sex aripennis alodi.

(Ante a. 1080.)

« In nomine Domini nostri Jhesu Christi. Notum esse volumus omnibus Christi fidelibus præsentibus et futuris, omnis monachorum congregatio sancti Petri cœnobii Carnotensis, quoniam, pro anima cujusdam Gausfridi, ab hominibus Alonis Villæ tempore messis interfecti et a nobis humati, fratres ejus et ceteri parentes sex alodi diurnos, non longe ab Inpregni Villa sitos, sancto Petro dederunt, donumque super altare principali publice posuerunt, IIII idus octobris, missam nobis celebrantibus, præsentibus his quorum nomina inferius scripta habentur : Rotbertus, presbiter de Alona; Siguinus, venditor equorum; Herbertus pistor, Guarinus cellerarius, Gausfridus lignarius, Martinus Baiardus. Fratres vero interfecti : Girbertus, Walterius, Gislebertus. Parentes : Girbertus et Ledgardis mulier. Anathema sit refragator hujus crocotillæ elemosinæ. »

Non superbiæ flatu impulsus, neque flamivoma ingenii igne succensus, sed obedientis pede longum iter per devia aggrediens; sibilum legentium et subsannationem floccipendens, ut spopondi fratribus, eorum parui jussionibus; et, litterariæ artis expers, inpolito sermone, qualiter iste locus a splendido et nobili situ esse desierit, et rursus quo modo ad statum antiquum religionis, pii operis venerabilium præsulum studio comitumque donariis atque plurimorum fidelium, lemtim inoleverit, enucleatim patefeci. Deinde abbatum nomina et eorum scripta, quæ in archivis nostris sunt reperta, seriatim in unum collegi usque ad id temporis, quo, nostris excessibus exigentibus, edax flamma hanc æcclesiam cum ædibus cremavit (219); quo tempore præsul Gaufridus et Eustachius abbas, Deo disponente, presul quidem ante incendium, III Kalendas Augusti, abbas vero secundo anno post incendium, V Kalendas Sebtenbris, sui honoris gradum uterque est adeptus. In pretaxato itaque opere prudens lector animavertere potest hunc locum ab hostibus non semel esse destructum, cum ter legat monachis bisque canonicis delegatum esse. Jam nunc ipse, ab antiquorum scriptis, quæ memorie mandanda esse videbantur, expeditus, legenti intimare curavi V cartas (220), quia michi tarde occurrerunt non esse in his locis ubi fore debuissent : videlicet una Landrici abbatis de terra data a Mahilde; quatuor autem Huberti abbatis, id est de terra Pendentis Pediculi, de medietate æcclesiæ Sancti Germani, de alodis Herberti; de alodo Picati Villaris et Iluni Villæ et Argentelæ. Hoc denique intuli ne fraudem fecisse cuiquam videar.

Nunc ad ea quæ ab abbate Eustachio jam per octo annos sunt patrata, subcinctus scribere maturabo.

(219) Julii die 30, an. 1077.

(220) Vide capo. 67, 71, 97 et 102 hujus libri.

LIBER OCTAVUS

SIVE

EUSTACHII ABBATIS.

(Ab a. 1079 ad a. 1088.)

CAPITULUM I.

De prava consuetudine usurpata a Fulcone de Vadis in Ermenteriis.

(Ante a. 1088.)

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Notum sit omnibus s nctæ matris æcclesiæ fidelibus filiis, tam præsentibus quam futuris, quod Fulco de Vadis usurpabat unam tortam consuetudinem in Ermenteriis, villa scilicet sancti Petri Carnotensis monasterii. Unde, per justiciam domni Isnardi, ad placitum contra domnum Eustachium, prædicti loci abbatem, venit, et inde duellum aput Drocas constitutum. Et cum non posset jus ostendere Fulco in prædicta consuetudine, ipse et filius suus Godefridus Deo et beato Petro eam perpetualiter guerpiverunt, et iccirco de bono sancti Petri VII libras denariorum habuerunt. Testibus his : Hugone de Castello, Gisleberto de Tegulariis, Isnardo supradicto, Chotardo, Rotberto Rufo. De parte abbatis : Arroldo de Croto, Laurentio camerario, Fulchardo, Lorino auriga, Johanne coco, Durandulo serviente, Adventuo. »

CAPITULUM II.

De rebus datis pro Widdone vuero.

(Ante a. 1088.)

« In nomine Domini nostri Jhesu Christi, conditoris omnium rerum. Ego Eustachius abbas et omnis

congregatio monachorum sancti Petri cœnobii Carnotensis, notum esse volumus tam presentibus quam futuris sanctæ Dei æcclesiæ fidelibus, quia adiit nostram presentiam quædam matrona bigama, nomine Gila de Pertico, habens pueros duos de Huberto primo seniori suo, Vivianum scilicet ac Widonem; quorum juniorem obtulit Deo et sancto Petro, ad serviendum ibi, quamdiu viveret, in sanctæ religionis proposito et abitu monachili; atque de rebus sui juris largita est sancto Petro medietatem saltus de Bustello, et agripennos duos prati; censumque quem dabamus de terra quæ dicitur Mala Cultura remisit, et in proprio bosco pasnagium porcorum nostrorum singulis annis concessit; et domos nostras et horrea de ipso bosco, prout opus fuerit, reedificare, ignemque domus nostræ cotidie nutrire jussit. Hæc omnia Vivianus jam dictus, filius ejus, assensit, donumque cum matre super altare sancti Petri posuit. Hujus rei fidejussores ac testes fuerunt hii : Fulbertus, presbiter de Roheria; Amalguinus, Sulpicius clericus, Rodbertus de Bodvers, Durandus Ketellus. Ex nostra parte : Teduinus et Gaudius, fratres; Stephanus et Salomon, fratres; Oydelerius et Rodbertus, fratres; Fulchardus, Aventius et Lorinus, fratres; Laurentius cubicularius, Gilduinus matio, Guarinus cellerarius. Pro prefatis rebus dedimus Willelmo de Baindis Terris, ex cujus beneficio erant, X solidos nummorum et orationes loci; et assensum prebuit. Si quis autem profanus aliquando huic rei contraire voluerit, nisi cito resipuerit, in olla Vulcani demersus, cum Theoderico profano rege, sentiat pœnas perpetuas. »

CAPITULUM III.

De æcclesia Monasterioli.

(Ante a. 1088.)

« In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Notum esse volumus, ego Eustachius, abbas cœnobii sancti Petri Carnotensis, cum omni congregatione michi commissa, omnibus æcclesiæ Dei filiis fidelibus, de quadam æcclesia, que Monasteriolus vocitatur, quam olim venerabilis abbas Landricus a quodam milite, nomine Radulfo, adquisisse dinoscitur, eo quidem pacto ut medietatem æcclesiæ monachi in suis usibus haberent; alteram vero Radulfus, quamdiu viveret, sibi retineret, et post ejus mortem et æcclesia et res ejus quæ in supradicto loco, tam in terra quam in aqua, videbatur possidere, tota ad sanctum Petrum rediret. Cum autem ita prefatam æcclesiam per plurimorum annorum curricula communiter possiderint, surrexit quidam miles. nomine Vitalis, consanguineus predicti Radulfi, in eandem æcclesiam jus suum ostendit, atque medietatem obtinuit. Qui, quandiu vixit, partem a monachis emptam sibi retinuit. Post mortem vero amborum domnus eorum Baldricus, prænomine Chotardus, cum quodam filio parvulo, nomine Eustachio, quem Dei servitio sub monachili habitu mancipavit, sancto Petro æcclesiam dedit, et quicquid in loco eodem sui juris esse videbatur, per assensum Hugonis, filii Guaszonis, et omnium horum quorum nomina subscripsimus, concessit. Isnardi de Mori Villare. Rodberti Rufi. Walterii, filii Nivardi. Guarini, filii Josberti. Simonis de Monte Pincionis. Ranaldi de Bello Puteo. Guarini de Islo. Symonis, filii ejus. Rainaldi Corbuli. Adventii. Laurentii. Fulberti majoris. Hanc autem cartam prefatus Baldricus fieri voluit, ut si quis aliquando (quod absit!) contraire voluerit, in mallo convictus, auri libram judici persolvat, et anathematis mucrone saucius, nisi resipuerit et ad satisfactionis remedium confugerit in inferno demersus cum diabolo penas luat. »

CAPITULUM IV.

De pravis consuetudinibus dimissis a Willelmo in Plancis.

(Ante a. 1088.)

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti. Notum esse volumus omnibus christianæ fidei cultoribus, tam præsentibus quam succedentibus, ego Gausfridus, prænomine Niger, monachus scilicet cœnobii sancti Petri Carnotensis, sub abbate Eustachio loci Plancarum procurator, quod, multis precibus flexus, domnus Willelmus de Molinis castro pravas consuetudines, quæ paulatim inoleverant, per iniquos servientes, in loco Plancarum suo tempore, eas quidem ex integro Deo et ejus genitrici virgini Mariæ atque beato apostolo Petro, per assensum filii sui Rodberti, pro animæ suæ remedio, condonavit, donumque super altare sanctæ Mariæ Plancis publice posuit; eo videlicet tenore, ut deinceps nullus successorum suorum in prefato loco aliquam consuetudinem umquam exigat, non teloneum, non bannum, non incendium, non latronem, non carrucas; sed sit ipse locus liberrimus ab omni exaccione et consuetudine, preter unam rem, id est munitionem prefati castri; atque, cum tempus exegerit, incolæ memorati loci muniant ostensum sibi locum in predicto castro; teloneum quoque, quod pretermisimus tam ab incolis loci quam a forensibus hominibus, totum, sicut prælibavimus, remisit, exceptis solummodo burgensibus Molinorum castri. Unde cartulam hanc fieri voluimus, ut, si quis profanus umquam violare vel contraire huic largitioni temptaverit, nisi cito resipuerit et ad emendationis satisfactionem confugerit, in inferno excipiat pœnas Judæ traditoris et illorum qui Christum crucifixerunt. Testes hujus donationis subscripti fuerunt hii : Gualterius de Asperis, et frater ejus Ingenulfus; Balduinus de Melente castro, Rotgerius dapifer, Willelmus sacerdos, Widdo de Medante castro, et Stephanus; Rotbertus, armiger ejus; Rotgerius, et Tescelinus de Scagiolis; Joscelinus, filius Ricoardi, et Rotbertus, filius ejus. Ex parte abbatis Eustachii : Guarinus sacerdos, Ernulfus clericus, Rainoldus Rufus; Rogerius, filius Widdonis presbiteri; Corbellus et Beroldus, filius ejus; Richerius et Gualterius, majores; Fulchardus, Gunbaldus, Laurentius, Rodbertus de Jesiaco, Raimun-

dus, Johannes Brustinus, Leodegarius, Odelinus et Guarinus. »

CAPITULUM V

Guerpum de consuetudine cibi Hugonis.

(Ante a. 1083.)

« In Ejus nomine per quem cuncta sunt secula creata. Cunctis sanctæ Dei æcclesiæ cultoribus notum esse volumus, ego Eustachius abbas et omnis fratrum congregatio sancti Petri cœnobii Carnotensis, quoniam, tempore quidem Huberti abbatis, Gausfridus Niger, noster monachus, de Herveo, fratre Hugonis, emit vicariam de Mittanis Villare, per assensum Fulcherii primicerii, de cujus beneficio erat ipsa vicaria. Unde ipse Hugo quinque solidos nummorum pro assensu habuit. Nostra autem tempestate addidit sibi esse datam hanc consuetudinem, ut, dum veniret ad monasterium, habens secum sex aut quatuor milites, dandum ei consuete panem, vinum, carnem sufficienter, equis quoque suis itidem advenam et vinum. Cujus (221) inportunitatem conferre noluissemus, et ei consuetudinem quam requirebat negaremus, assinos nostros, exploratos quadam vice, tulit; pro quorum redemptione XXX dedimus solidos. Rursum, altera vice, eos tulit; sed per Willelmum, præpositum comitis, invitus reddidit. Tunc denique per Bertam comitissam et præfatum præpositum ipsam pravam consuetudinem reliquit; et celebrantibus nobis sancti Firmini festum, super altare sancti Petri inde guerpum posuit, atque a nobis XXV solidos accepit; et, si forte aliquando monachus effici voluerit, cum rebus quas habuerit, recipiatur; morte vero præventus sepeliatur a nobis, suis eque rebus nobis relictis. Testes hujus rei, ex sua parte, fuerunt : Dodo, Guarinus, Godefridus et Geraldus. Ex nostra parte : Stephanus major, Gilduinus major, Laurentius cubicularius, Teduinus matricularius, Johannes cocus, Gislebertus puer; Oydelerius et Rodbertus, frater eius. »

CAPITULUM VI.

De tutela Argentelæ.

(Ante a. 1088.)

« In nomine sanctæ et individuæ trinitatis. Notum esse volumus, ego Eustachius, divina ordinatione, abbas, omnisque sancti Petri congregatio monachorum, super quodam tutela quam Rodbertus porcarius de Curba Villa dicebat in terra quæ vocatur Argentela habere; pro qua non modicum nobis detrimentum intulit, insuper et homicidium perpetrare non timuit. Tandem ad hanc concordiam venientes, dedimus ei quinquaginta solidos nummorum atque loci hujus beneficium, ut terram quam habebat insuper memorata Argentela, cum tutela quam clamabat, sancto Petro dimitteret; quod libenter concedens fecit, donumque super altare beati apostoli Petri posuit, astante monachorum grege turbaque famulorum quorum nomina memorie mandare curavimus : Stephanus et Salomon, fratres; Girogius clericus; Teudo et Gauduus, fratres; Oydelerius et Rodbertus, fratres; Adventius et Lorinus, fratres; Laurentius cubicularius; Ingelbertus et Gausfridus, coci; Gislebertus puer, Fulchardus; Hildulfus et Gausfridus, fratres. Ex parte Rodberti : Mainfredus prepositus, Richerius et Gauslinus. Actum est hoc Carnotis publice, in monasterio sancti Petri ante altare, regnante Philippo rege. Paulus edituus scripsit. »

(221) Fort. leg., *Cujus cum.*

CAPITULUM VII.

De domno Germano

(Anno 1081.)

« Domino nostro Jhesu Christo, omnium rerum conditore, propiciante. Ego Willelmus de Sumbone, militiæ armis accinctus, terrenarum rerum locupletissimus, atque Diabolo instigante, malorum actuum cassibus involutus; ego, inquam, omnibus sanctæ Dei æcclesiæ fidelibus, tam præsentibus quam futuris, notum esse volo, quod quidam meus fidelis, nomine Sulpicius, votum habuit in cœnobio sancti Petri Carnotensis, ab hoc deceptibili seculo nudus, veri Dei famulatui se mancipari, et beneficium quod ex me tenebat, in territorio Carnotensi, clavigeri (222) summo ac monachis inibi militantibus, in stipendiis ipsorum, relinquere; sed, falso seculi amore detentus, mors inprovisa avida fauce eum rapiens, non permisit votum ex toto perfici. Ipse tamen animam intra pectus moribundum retinens, suis fidelibus et conjugi jussit, ut corporis sui glebam ad cœnobium, poliandro fratrum mandandum, deferrent, atque beneficii donum, quod pro se dari devoverat, super altare sancti Petri coram omnibus ponerent. Cui dono Asceliuus, filius ejus, postea præbuit assensum, qui non longe post quadam plaga mortuus, et ipse pro hac re juxta patrem est tumulatus. Hujus doni Gausbertus de Evroldi Villare, Rainerius et Guaszo, eorum milites, extiterunt testes. Deinde Winebertus, frater Sulpicii, de territorio Vilcasinensi, per Hubertum Querculum adductus, assensum super altare sancti Petri ponens, in orationibus fratrum est collectus. Nos autem duximus illud beneficium quale sit ostendere, id est quicquid in parrœchia domni Germani, in æcclesia videlicet, in decimis, in terris cultis et incultis silvis et militibus, ac omnibus exquisitis et inquirendis, videbatur ex me tenere. Hoc totum pro anima sua præfatus Sulpicius apostolorum principi et ejus monachis reliquit. Quod et ego, Eustachii abbatis et monachorum prece ductus, cum uxore mea Ermengarde et unico filio, vocabulo mei nominis nuncupato, pro redemptione animarum nostrarum, fieri volui; et, die Purificationis almæ matris Domini, super altare Petri apostoli assensum posui, atque hanc cartam publice astipulando crucis signo corroboravi. Pro qua re a præfato abbate centum solidos carnotorum nummorum accepi, meaque conjunx duas auri uncias, et filius meus renonem unum varium. Testes ex parte mea fuerunt : Rodbertus de Bello Monte; Jhotardus Willelmus et Renaldus de

(222) Sic.

Gaudena, et Gualterius. Ex parte monachorum : Stephanus et Salomon, fratres ; Oydelerius et Rodbertus, fratres; Teduinus et Gaudius, fratres ; Guarinus cellerarius; Tescelinus, Hildegarii filius ; Laurentius cubicularius, Adventius et Lorinus, fratres, et alii. Si quis, huic cartulæ contradicendo, extiterit contrarius, janua cœli ei claudatur, et, nisi resipuerit, cum Juda proditore, sine fine pœnas luat in gehennæ ignibus. Actum est hoc Carnotis publice, anno XXI regni Philippi regis. »

CAPITULUM VIII.

De æcclesia Stilionis

(Ante a. 1088.)

« In Christi nomine, conditoris omnium rerum. Notum esse volumus cunctis sanctæ Dei æcclesiæ fidelibus atque futuris, ego scilicet Willelmus et uxor mea Ermengardis, cum unico filio meo Willelmo, pro animarum nostrarum redemptione, Deo omnipotenti et sancto Petro, apostolorum principi, in cujus monasterio apud urbem Carnotensem sacræ religionis habitum ipse suscipio, quandam æcclesiam in honore matris Domini fundatam, in Pertico loco, qui dicitur Extiliolus (223) concedendo partimur, ut in æternum possideant medietatem decimæ ac archadii atque sepulturæ totumque altare, medietatemque atrii, atque duobus bobus terram quantum sufficit, et aripennum unum prati; atque harum rerum donum super altare beati Petri mittere jussi, et testium nomina subscribere volui. Et si quis unquam heredum meorum huic dono contraire temptaverit, excommunicationis dampno prius incurrat, deinde octo uncias auri cui litem intulerit solvat, et conatus ejus inefficax permaneat. Signum Ermengardis conjugis, quæ donum hujus largitionis super altare posuit. S. Willelmi filii. Hugonis, avunculi Gausfridi coci. »

CAPITULUM IX.

De decima de Caletulo.

(Ante a. 1088.)

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Ego Eustachius, abbas cœnobii sancti Petri Carnotensis, cum omnibus fratribus ibidem Deo militantibus, notum esse volumus omnibus orthodoxe fidei cultoribus, quod quidam miles, nomine Guinebertus, frater scilicet Sulpicii, qui moriens reliquit sancto Petro in nostris usibus æcclesiam domni Germani cum omnibus rebus quas ibi videbatur tenere, ex beneficio Willelmi de Sumboone, sicut supra dictum est, in decimis, terris, hucis, militibus; postquam quidem et ipse super altare sancti Petri assensum posuit et in orationibus fratrum susceptus fuit, cuidam mulieri partem præfatæ decimæ XXV solidis vendidit. De qua re in judicio apellatus, dixit decimam illam pertinere ad fevum Guaszonis, fratris Hugonis de Castello, ac ideo frivolum esse assensum suum sine nutu domini. Unde Waszoni unum equum A valentem quadraginta solidos, et XX solidos nummorum, unumque scutum ac nostri loci orationes dedimus. Ipse quoque, per artavum sui armigeri, super altare sancti Petri guerpum decimæ vel assensum misit per Hubertum Querculum et monachum, audientibus et videntibus is quorum nomina subscripsimus : Radulfo, Willelmo, Rodberto, Philippo, Hugo Huberto, Tetardo, Ledfredo, Fulberto, Rainaldo, Guarnerio, Fulconi, Raimboldo, Rodberto, Laurentio, Aszoni. Est autem ipsa decima in loco qui vocatur Caletulus. Actum est hoc Drocis castro publice. »

CAPITULUM X.

De tributo concesso a Mainerio in Agili Villa.

(Ante a. 1091.)

B « Notum esse volumus, ego Eustachius, abbas cœnobii sancti Petri Carnotensis, omnibus sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus filiis, quia, dum essem in curia Philippi regis aput castrum Stanpensem, et regem pro utilitate nostri loci interpellavissem, conveni ibi Mainerium, fratrem Symonis de Monte Forti, ut, pro sui patris anima necnon et matris, atque pro incolumitate propria suorumque sobolum, Deo et sancto Petro liberum concederet transitum, tam salis quam piscium, et nostrarum rerum quæ per Agili Villam Carnotis ad usus fratrum veherentur. Qui libenti animo ab omni consuetudine, VI iduum februarum, ita liberum transitum Deo et sancto Petro dimisit, ut, ab illa die antea, neque a se neque a successoribus suis, ullum teloneum vel C consuetudo aliqua requiratur de rebus sancti Petri transeuntibus per præfatam villam ; sed, sicut pater ejus Amalricus per totum ejus territorium iter liberum de rebus sancti Petri concessit, ita et præfatus Mainerius, episcopo Gausfrido (224) præsente, et Simone fratre ejus comiteque Belli Montis Ivone, concessit. Simili modo assensum patris et fratris alacriter per totam terram suæ potestatis in supramemorato castro ratum esse decrevit domnus Simon, filio suo Amalrico præsente et assensum præbente, atque Hugone de Puteolo castro. Si quis vero assensioni contraire aliquando voluerit, quandiu pertinax fuerit, excommunicationis baculo semper feriatur, et nisi resipuerit et ad satisfactionis remedium confugerit, animam ejus vermis, qui nunD quam moritur, in tenebris inferni sine fine depascat. »

CAPITULUM XI

De decima Ledonis Curiæ, quam reclamavant Beccenses monachi.

(Ante a. 1088.)

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti. Notum esse volumus omnibus christianæ religionis, tam præsentibus quam futuris, nos monachi sancti Petri cœnobii, Carnotensis, Guarnerius scilicet ac Joscelinus Ledo-

sis episcopus, simoniæ damnatus, episcopatu dejectus est a. 1091.

(223) Extiliolus, Stilio, Steliones, hodie *les Étilleux*.

(224) Gausfridus, sive Godefridus I Carnoten-

nis Curte, quæ est cella præfati cenobii, sub abbate Eustachio militantes,. qualiter lis et calumnia, quam nobis inferebant monachi Beccenses, finem acceperit in camera domus Pagani, filii Hugonis Franconis, apud castrum Calidi Montis. Ibi quidem aderat Anselmus, abbas cenobii Becci, et cum eo ex ejus monachis Gislebertus, ortus de genere Crispinorum, et Eustachius, prænomine Paganus ; aderant et meliores ex illo castro, tenentes placitum de presbitero ecclesiæ sanctæ Mariæ, quæ sita est inferius non longe a Ledonis Curte ; et volebant aut uxorem ejus illi excutere aut æcclesiam quæ illorum erat. In medio quoque placito ab archiepiscopo Rotomagensi (225) missæ sunt nobis quædam litteræ, exorantes ut, pro archiepiscopi amore, decimas rerum et sepulturam nostræ ecclesiæ, quam a nostris hominibus accipiebamus, intra Fossatos cummanentibus, Beccensibus monachis redderemus. Quod cum castrenses, tam clerici quam laici, audissent, extranea eis res audita visa est, ut quod Gualterius comes sancto Petro, fere abhinc XXX annis et amplius, contulerat, et optimates ejus assensum prebuerant, a monachis, nuperrime æcclesiolam prædictam habentibus, injuste nobis tolleretur. Tunc omnes viva voce et indissimulato vultu testimonium præbuerunt, quod, ipsis videntibus et audientibus, comes Gualterius sancto Petro dederat sepulturam et decimam hominum intra Fossatos habitantium, videlicet de bubus, de ovibus, de asinis, de equis ; decimam quoque de terra quam monachi exararent ; decimam etiam aripenni ubi furnus olim fuerat situs. Hoc audientes monachi, cum abbate suo, injustam calumniam deponentes, deinceps siluerunt. Testes hujus rei etiam curavimus subscribere : Manassem archipresbyterum, Herbertum, Genricum, Gualterium, Sansonem, canonicos ; Odonem vicecomitem, Herbertum pincernam, Rodbertum præpositum, Rogerium militem, Givelinum ; Rodbertum, militem de marina. »

CAPITULUM XII.

Item, donum de saltu Godefridi.

(Ante a. 1088.)

« In Christi nomine. Ego Guarnerius, ...a cum Joscelino, sancti Petri apostolorum principis Carnotensis cœnobii, atque sub abbate Eustachio, provisores loci Ledonis Curtis, in territorio Vilcasini castri, quem Gualterius comes, filius Drogonis comitis, regnante Hanrico rege, sancto Petro perpetualiter habendum, abbate Landrico vivente, concedendo tribuit ; notum, inquam, esse volumus tam præsentibus quam futuris sanctæ Dei æcclesiæ fidelibus, quod quidam miles, nomine Godefridus de Fluriaco, infirmitate qua mortuus est detemptus, per filium suum, nomine Hugonem, et uxorem suam, Adelam, donum sui saltus misit super altare sancti Petri ponendum quatinus monachi præfati loci perpetuo jure habeant, sine ulla calunnia : ita videlicet ut inde æcclesiam, domos et horrea sua, quando opus fuerit, ædificent, agros et curtem suam claudant, atque omnia sua necessaria excludant. Post mortem autem ejus, in cimiterio sancti Petri corpus ejus est sepultum, V idus aprilis. Tunc quoque uxor et reliqui filii ejus rursum donum saltus prælibati super altare, pro anima patris, posuerunt. Hujus rei testium nomina subscripta sunt : Gerelmus presbiter, Milo presbiter, Urso miles, Odo miles, Ivo miles de Fai ; Hilduinus, frater ejus ; Givelinus ; Rainaldus, filius ejus ; Godefridus miles. »

CAPITULUM XIII.

De vicaria Belsiæ.

(Ante a. 1091.)

« In Christi nomine. Ego Walterius, filius Flealdi, abbatis sancti Petri Eustachii et sibi commissæ congregationis precibus adductus, vicariam omnem quam in omnibus terris sancti Petri habebam, uxore mea Fredesindi et filio meo Rainaldo, cum fratribus et sororibus suis, atque etiam Lisiardo annuentibus, pro animarum nostrarum et parentum nostrorum redemptione, per consensum domni mei Gunherii ecclesiæ sancti Petri in perpetuum dimitto ; accipiens michi in concanbium a prefato abbate et monachis tres agripennos vinearum, in convalle Sancti Bartholomei, in clauso qui dicitur Ingelbaudi. Unde etiam predicti monachi præfatæ uxori meæ duas auri untias, et filio meo equum argenti marcis sex comparatum donant, prædicto etiam Lisiardo V addentes solidos. Quod etiam posteritati nostræ notum facere et per succedentia tempora ratum manere cupientes, litterarum memoriæ tradi voluimus ; et manu nostra annotando firmavimus, atque domnis et amicis nostris ad corroborationem tangendum obtulimus. S. Gualterii, filii Flealdi. Fredesindis, uxoris. Rainaldi, filii ejus. Heliæ. Hugonis. Lisiardi. Adeline, filiæ ejus. Elisabeth. Ex parte Gualterii : Rodbertus, filius Rodulfi ; Hugo, filius Lamberti ; Ivo, filius Norberti ; Oydelardus, nepos Gualterii ; Einardus, Raimbaldus presbiter, Lanbertus presbiter. Ex nostra parte : Gausfredus præsul, Ingelrannus decanus, Adelardus subdecanus, Gauslinus archidiaconus, Guerricus clericus, Hilbertus de Gurzeis, Gerogius clericus, Guerricus vicedomnus, Willelmus præpositus ; Tedbaldus, frater ejus ; Tedbaldus Farsit, Willelmus Mordens, Jhotardus, Gunbaldus, Laurentius cubicularius ; Fulchardus; Teduinus et Gaudius, fratres ; Hildulfus et Gausfredus, fratres ; Adventius, Stephanus et Salomon, fratres ; Ingelbertus, Johannes, Gausfredus, coci ; Gualterius sartor, Ribaldus de Frausino ; Stephanus, filius Dodonis ; Radul, filius Hildegarii. »

(225) Guillelmus I ecclesiæ Rothomagensi præfuit ab a. 1078 usque ad a. 1110.

CAPITULUM XIV.

Donum Gunherii de vicariis.

(Ante a. 1088.)

« In nomine omnium Conditoris rerum. Notum esse volumus, ego Eustachius abbas omnisque congregatio monachorum Sancti Petri Carnotensis, omnibus fidelibus, tam presentis quam futuri evi, quod Gunherius de Monte Letardi, filius videlicet Gualterii de Alneto, de vicariis quas in Belsia nobis Gualterius filius Flealdi vendidit, tam in Abonis Villa quam in aliis locis, assensum libentissime prebuit, donumque super altare sancti Petri posuit. Non solum de datis vel venditis, set etiam de dandis vel vendendis, solidam nobis firmitatem dedit, ut a suis militibus acciperemus; et non solum vicarias quæ de ejus beneficio esse noscuntur, sed etiam terras quas sui milites sancto Petro dare vel vendere voluerint, assensum præbuit ut habeamus. Quapropter nos eum collegimus in orationibus et in omnibus nostris bonis operibus, ut particeps præmii sit nobiscum in regno cœlorum. Testes concessionis ejus in hac scedula subscribere usu æclesiastico voluimus. De sua parte : Ansoldus de Mungerii Villa. De nostra : Balduinus, frater abbatis; Wibaldus et Rainaldus, filius Ernulfi Rufi; Fulchardus, Laurentius, Durandus, Richerius, Rodbertus pelliciarius, Stephanus, Isenbardus, Gualterius de Ver. »

CAPITULUM XV.

De vicariis redemptis a vicecomite Hugone.

(Anno 1096.)

« In Christi nomine. Ego Eustachius, cœnobii sancti Petri Carnotensis abbas, et omnis monachorum congregatio michi a Deo commissa, notum esse volumus tam præsentibus quam futuris sanctæ Dei ecclesiæ filiis, quod, tam ab antecessoribus nostris quam a nobis, vicariæ quæ erant in terra nostra, vel tutelæ per Belsiam, omnes quidem sub comite Tedbaldo, ab ipsis ad quos pertinebant, datis justioribus et melioribus rebus, emeramus. Sed, Stephano comite in honore patris succedente, Hugo vicecomes jure hereditario easdem vicarias reclamans, ab eodem comite suscepit. Nos vero ab inquietudine securi vivere cupientes, precibus ad hoc vicecomitem fleximus, ut, in nostris orationibus cum uxore et tribus filiis et filia collectus, easdem vicarias, annuente Stephano comite, sancto Petro, sicut emeramus, concederet; et super principale altare sancti Petri, cum uxore et filiis, donum posuit, videntibus et audientibus his quorum nomina subscripsimus : Adelidis, uxor vicecomitis; filii eorum, Ebrardus, Hugo, Guiddo, et filia Unberga. Fideles eorum, Ernulfus de Domicilio, Gausfridus Boviculus, Petrus Aper, Gerogius de Fraganis Villa, Guarinus de Alona, Adelardus præpositus, Gausfridus de Novale, Ansoldus Infans, Rodbertus Paganus, Gualterius de Alneto. De nostris : Laurentius cubicularius, Adventius, Gunbaldus, Fulchardus; Stephanus et Salomon, fratres; Teduinus, Gaudius et Harduinus, fratres; Radulfus et Richardus, fratres; Leodegarius, Stephanus, Martinus, Rodbertus pelliciarius; Gualterius, Aventius et Durandus, sartores; Engelbertus et Gausfridus coci; Durandus pistor. Actum est hoc Carnotis publice in æcclesia sancti Petri, anno dominice incarnationis millesimo nonagesimo VI, regnante Philippo rege in Francia. »

(226) Vid. Genes. XVIII, 32.
(227) Luc. V, 20 et 24.

CAPITULUM XVI.

Donatio vicariæ de Domna Maria.

(Ante a. 1088.)

« Non solum novæ legis sed etiam veteris instruimur paginis, quia, fide vel merito bonorum, peccatoribus venia prestatur suorum peccaminum, dicente Domino ad Abraham : *Si decem boni fuerint inventi, ceteri salvabuntur propter ipsos* (226). Hac adtestatione de veteri lege habita, de evangelica lege sumamus secundam, ubi dicit evangelista de submisso paralitico in domo per tegulas ante Jhesum; ait enim : *Quorum fidem ut vidit, ait paralitico : Fili, dimittuntur tibi peccata tua. Tolle lectum tuum et ambula in pace* (227). His et aliis multimodis adtestationibus subnixus, ego quidem Ansoldus miles, cum uxore mea carissima, nomine Hildegardi, necnon et omni prole nostra, et assensu domni mei Gunherii, dans concedo concedensque dono vicariam atque banneriam; vel si est alia aliqua exactio, quam ex beneficio domni mei supradicti actenus visus sum tenere, in terra sancti Petri quæ est in Domna Maria, pro remedio scilicet animæ filii mei Willelmi, gladii morte preventi, beatissimo Petro, apostolorum principi, dono jure perpetuo et monachis in cœnobio ejusdem nocte dieque famulantibus, quod situm est non longe a mœnibus Carnotine urbis; ut, orationibus eorum absolutus ab omni vinculo delictorum, in dextera Domini collocatus, inter sanctos et electos suos in resurrectionis gloria resuscitatus respiret. Donum autem hujus nostræ largitionis III idus Julii super altare beati Petri per hanc cartam ponere maluimus, imprecantes ut si quis umquam huic cartule contraire voluerit, nisi cito ad emendationis remedium confugerit, cum Juda proditore in infernum trudatur ignibus Hetnæ cremandus. Hanc autem cartam ut inconvulsa permaneat, presenti seculo permanente, manibus propriis et nominibus cæterorum circumadstantium corroborari voluimus. Ansoldi, qui hanc donationem fecit. Rainaldi. Gauscelini et Arnulfi, filiorum ejus. Gualterii, avunculi eorum. Gausfridi, patrui eorum. Hilberti, clerici et consanguinei illorum, qui donationem hanc, vice patris et matris, super altare posuit. Gausfridi de Monte Boonis. Gausfridi non bibentis aquam. Teudonis Tronelli. Guerrici clerici, nepos (228) Fulcherii primicerii sanctæ Mariæ. Tedbaldi de Vidicis. De nostris : Adventius et Lorinus, fratres; Stephanus, Laurentius, Frodo, Dodo major, Stephanus major, Oydelerius, Durandus

(228) Sic

Gislebertus. Actum est hoc Carnotis publice, regnante Philippo rege in Francia. »

CAPITULUM XVII.

De æcclesia Domni Petri.

(Ante a. 1088.)

« In Christi nomine. Notum esse volumus omnibus successoribus nostris, quod ego Landricus, una cum filiis meis, ipsius eulogii dicentis : *Date et dabitur vobis*, non surdi auditores, sed quantum paupertas nostra permittit, pro animabus nostris parentumque nostrorum necnon et pro incolumitate Willelmi, senioris nostri, matris quoque ejus Mahilde, cum eorum assensu, jam olim presbiterium æcclesiæ de Domno petro et terram pertinentem ad altare, sancto Petro, cœnobii videlicet Carnotensis, dedimus, per deprecationem quidem patris Rainaldi decani, qui in præfato cœnobio, sub abitu monachili Deo militare in senectute maluit. Nunc quoque damus medietatem decimæ præfatæ æcclesiæ quæ in dominicatu nostro æcclesiæ esse videtur, necnon et medietatem archadii atque sepulturæ. Tribuimus quoque res quæ ad altare pertinent, et terram Ernaldi mediatoris quam pater meus Teduinus vivens concessit, pratumque desuper, vivarium quoque de Mota liberum. Quod si ibi aliquando molendinus fieri potest, medietas sit filiis meis, nisi forte propria voluntate suam partem sancto Petro annuerint. Ad exteram partem vero ecclesiæ libere damus terram ubi habitatio monachorum et horreum eorum et cætera sibi necessaria sint. Quod ita libere damus, ut neque sepultura neque alia aliqua consuetudo a filiis meis vel ab aliquo homine exigatur. Medietatem quoque furni similiter damus (229). . . . Et si quis nostrorum fidelium de beneficio, quod ex nobis tenet, partem dare voluerit, libere habeat sanctus Petrus et monachi. Hoc donum IIII kalendas Martii egimus, ego Landricus de Toriello, et filii mei, Gausfridus, Hugo et Landricus, publice, donumque miserunt sancto Petro per Eustachium abbatem, regnante Philippo rege. Volumus etiam omnes scire quod, quando opus fuerit, filii mei pro vicario XX solidos dabunt. Hujus rei testes sunt : Gilduinus de Domno Petro, Gausfridus faber, Odo de Floriaco ; Rainaldus, frater ejus ; Rodbertus major, et Willelmus, frater ejus ; Odo, filius Ingilsindis ; Ernaldus, Bernardi filius ; Rainaldus decanus, Odo presbiter ; Frogerius, mediator decani ; Willelmus jugulator, et Gualterius, socius ejus ; Rainaldus pellicearius. Ex nostra parte : Gilo et Elias, filius ejus ; Tedbaldus, Dolardus ; Herbertus, filius Fulcadi ; Vitalis presbiter, Richerius major, Laurentius cubicularius ; Rodbertus, major Capelle Regie ; Rainaldus, nepos Majenardi monachi ; Tescelinus, filius Hildegarii ; Adventius, Beringerius agaso, Johannes cocus. Hanc autem cartam si aliquis prophanus contraire voluerit, nisi resipuerit satisfaciens, sicut Dathan et Abiron, terra vivum absorbeat, et in inferno inferiori cum diabolo pœnas luat. Volumus etiam sciri in fine hujus cartæ, quod, sicut dedimus præfatas res, ita etiam dedimus viridiarium ex integro, quod situm est juxta capitium æcclesiæ. Annuimus quoque quod Odo miles noster decimam dedit de novalibus quam de nobis tenebat. »

CAPITULUM XVIII.

De alodis Bernardi de Buslo.

(Ante a. 1088.)

« In nomine Domini nostri Jhesu Christi. Notum esse volumus omnibus successoribus nostris, ego Eustachius et abbas omnis cœtus monachorum cœnobii sancti Petri Carnotensis, quod quidam vir nobilis, in hac regione valde opinatissimus, toto corpore plagis in bello debilitatus, per multa curricula annorum in lecto recubans, ut nec sedere neque pedem ante pedem ponere valeret, et tamen consilio et salubri verborum auxilio nulli petenti unquam defuit ; qui, locum nostrum valde diligens, vivens in corpore, in quantum potuit semper nobis profuit, sub abbate quidem Landrico, sancto Petro dedit æcclesiam sancti Germani de Alogia ; et, ab hac vita decedens, alodos quos habebat in Belsia sancto Petro reliquit, unum videlicet in Fontinidi villa, alterum in Marchesi Villa, atque juxta Braiaum, unum prati aripennum ; jussitque fidelibus suis ut eo mortuo corpus Carnotis deferrent, inter fratres tumulandum. Quod et factum est idus novembris ; atque a parentibus suis præfatarum rerum donum super altare sancti Petri publice est positum, quorum nomina subscripsimus : Ernaldus, filius Evæ ; Widdo de Barzilleriis, Alcherius, Hugo clericus. De nostris : Stephanus et Salomon, Laurentius, Adventius, Stephanus, Oydelerius, Martinus Gunbaldus, Fulchardus, et cæteri. »

CAPITULUM XIX.

De libertate æcclesiæ Bruerolis.

(7 maii 1084.)

« In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, amen. Ego Gausfridus, quamvis indignus, æcclesiæ Carnotensis episcopus, notum facio successoribus meis et aliis æcclesiæ nostræ fidelibus, quod frater Eustachius, abbas sancti Petri Carnotensis monasterii, rogavit humiliter cum precibus parvitatem meam, ut sibi et congregationi monachorum ibidem servientium darem altare de Bruerolis, sine ulla redemptione ulterius habendum. Quia ergo ista petitio et utilitati eorum et meæ honestati convenire visa est, dono eis prædictum altare, non sine assensu fratris Gauslini, in cujus archidiaconatus est, solidum et quietum ab omni venditione, a sinodo, a circada, ab omni etiam consuetudine et ab omni inquietatione, sive exactione justiciæ a presbitero serviente in loco. Ut autem per succedentia tempora firmum et stabile maneat hoc donum, præsenti scripto mandavi, et signo crucis manu mea facto roboravi, et fidelium meorum manibus corroborandum tradidi. S. Gausfridi episcopi. Hilduini precentoris.

(229) Sequuntur lineæ tres, quarum scriptura, penitus deleta, legi non potest.

Guauslini archidiaconi. Frodonis succentoris. Morini presbiteri. Landrici. Willelmi, nepotis episcopi. Ernaldi, nepotis Morini. Rogerii. Engelranni decani. Adelardi subdecani. Ernaldi præpositi. Hilgoti. Guerrici. Guarini, fratris Roberti succentoris. Frodonis, filii Algisi. Stephani, filii Odilardi. Durandi. Data nonas mai, indictione VII, anno ab incarnatione Domini millesimo octogesimo IIII, regni autem Philippi XXIIII. »

CAPITULUM XX.

De vineis Herberti, concessis a Philippo rege in Area Braca.

(Anno 1086.)

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti. Cum regalis solium dignitatis multiplex virtutum cultus exornet, liberalitas tamen atque munificentia præcipuum locum tenet, quarum effectus multorum necessitatibus condescendat et vis eorum petitionibus satisfaciat. Notum ergo esse volumus, ego Philippus, gratia Dei rex Francorum, omnibus sanctæ Dei æcclesiæ fidelibus et nostris, tam præsentibus quam futuris, quod Eustachius, abbas videlicet sancti Petri cœnobii Carnotensis, nostræ serenitatis adiit præsentiam, obuixe postulans, ut munificentiæ nostræ aurem ejus precibus inclinare regali pietate dignaremur, quatinus, pro incolumitate nostra et statu regni nostri, liberalitatis nostræ assensum preberemus cuidam Herberto atque ejus uxori, Ingelburgi nomine, ut quod, Deo inspirante, longo tempore maturaverant implere, nostra licentia ducere quivissent ad effectum; scilicet ut de rebus propriis quas habebant in Area Braca sanctum Petrum et monachos ejus heredes facerent: videlicet de duobus aripennis et dimidio vineæ, de domo sua, horreo et furno, omnique supellectili eorum. Cujus justam petitionem judicantes, cum nostris fidelibus qui nobiscum præsentes aderant, dignum duximus, pro anima patris mei Hanrici regis atque pro nostra salute, assensum prebere donationi prædicti viri et uxoris ejus. Placuit etiam serenitati nostræ regia interdicere actoritate, ne quis umquam per succedentia tempora huic nostræ munificentiæ operi, quod cudimus, aliqua temeritate præsumat contraire, neque de concessis jam dictis rebus, neque in parvo neque in magno, quicquam minuere audeat; neque custodem, quem ibi monachi posuerint, qualibet corveda seu exactione premat vel gravet, sed, liber ab omni consuetudine seculiarium hominum secure ibi maneat, et monachis serviat: tantummodo, statuto tempore, quindecim denarii quatuor vini cantari, mina avene, panis et gallina una, nobis habenda, officio nostro reddantur. Quod si in reddendo monachi tardi extiterint, emendent, et res nominatas non perdant. Mandavimus itaque hanc cartam nostro nomine nominibusque primatum nostrorum atque regiæ dignitatis sigillo corroborari, ut rata et inviolata permaneat in evum. S. Philippi regis. Gausfridi, episcopi Carnotensis. Amalrici clerici. Frogerii de Catalaunis. Rodberti de Rupe Forti. Guausfridi, comitis Maritaniæ. Gervasi, dapiferi regis. Philippi capellani. Tedbaldi, stabularii regis. Lancelini, pincerne regis. Gisleberti de Tegulariis. Hugonis de Curte Sexaudi. Fulconis pincernæ. Udonis, dapiferi episcopi. Wibaldi clerici. Adventii. Johannis Brustini. Arroldi. Richerii et Girardi de sancto Georgio. Actum est hoc Drocis castro publice, ante portam sancti Vincentii, anno ab incarnatione Domini millesimo LXXX°VI°, indictione nona, regnante Philippo rege anno XX°VI°. Ego Gislebertus notarius, ad vicem Gaufridi, Parisiorum episcopi, summi cancellarii regis, relegendo subscripsi. »

CAPITULUM XXI.

De libertate V æcclesiarum quæ sunt in Perlico

(4 mart. 1086.)

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Patris videlicet et Filii et Spiritus Sancti, ab utroque procedentis. Ego Gausfridus, licet indignus, æcclesiæ Carnotensis episcopus, notum volo fieri meis successoribus et aliis æcclesiæ nostræ fidelibus, quod frater Eustachius, abbas sancti Petri Carnotensis cœnobii, rogavit humiliter parvitatem meam, ut sibi et congregationi monachorum ibidem servientium darem plurima altaria, sine ulla redemptione ulterius habenda, altare videlicet de Ermenteriis, et de Roheria, et de Buxseto, et de Castellariis, et de Cruciaco. Quia ergo ista petitio et meæ honestati et eorum utilitati convenire visa est, dono eis predicta altaria, cum assensu fratris Gauslini archidiaconi, solita et quieta ab omni venditione, a sinodo et circada, ab omni etiam consuetudine et ab omni exactione justitiæ, fratre nostro Gauslino hoc tantum sibi, quandiu vixerit, retinente, justiciam scilicet de presbiteris in eisdem locis servientibus. Ut autem per succedentia tempora firmum et stabile hoc donum maneat, præsenti scripto mandavi et signo crucis manu mea facto roboravi, et fidelium meorum manibus corroborandum tradidi. Signum † Gausfridi episcopi. Adelardi decani. Hilduini præcentoris. Widdonis, abbatis sancti Johannis. Hilberti de Gurzeis. Rainbaldi de Calniaco. Ernaldi de Curba Villa. Giraldi presbiteri. Mainardi presbiteri. Garini diaconi. Durandi. S. Willelmi archidiaconi. Gauslini subdecani et archidiaconi. Frodonis subcentoris. Fulconis archidiaconi. Hilduini, Girardi filii. Landrici. Odonis, nepotis Ernaldi. Morini presbiteri. Gausfridi presbiteri. Hæc carta tradita est a Gauslino cancellario, IIII nonas Marcii, indictione VIIII, anno ab incarnatione Domini millesimo LXXX°VI°, regni autem Philippi regis XXVI. »

CAPITULUM XXII.

De pravis consuetudinibus remissis in loco Sancti Georgii.

(Anno 1086.)

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis,

Patris videlicet et Filii et Spiritus Sancti. Omnes denique qui Christum credunt lapides vivi dicuntur, ut Apostolus ait : *Vos estis lapides vivi ædificati, domus spiritales* (230). Igitur, si volumus ut inhabitet Christus in nobis et nos in ipso, hostes nostros, id est vitia debemus interficere, Samuelis prophetæ sequentes exemplum, qui, gladium accipiens, Agag, regem pinguissimum (231), in frusta concidit, nobis in hoc ostendens facto, pugnantes contra carnis vicia nulli omnino debere parcere, sed omnia interficere, ne in mortis culpam incidamus, sicut rex Saul, qui Agag regi, contra preceptum Domini, pepercit (232), et ideo Dominus ab eo recessit, et spiritus malignus eum arripuit. Hoc exemplo et aliis quamplurimis Sanctarum Scripturarum exemplis plene edocti, notum esse volumus omnibus sanctæ Dei æcclesiæ fidelibus, tam præsentibus quam futuris, ego, videlicet Hanricus, et frater meus parvissimus, nomine Morinus, militari balteo utrique accincti, quoniam ambitionem nefariam, quæ nos, in adolescentia positos, actenus decepit, a nobis abigimus, et, humili prece Eustachii, abbatis cœnobii sancti Petri Carnotensis, ad hoc sumus perducti, ut, pro Dei amore et nostra salute, pravas consuetudines et intolerabiles, quas injuste accipiebamus in loco sancti Georgii, qui situs est non longe a flumine quod Arva dicitur, ex toto dimittimus ; solummodo eas retinentes, quas pater noster Rainbertus, pro defensione hominum, precario habuisse refertur, rusticorum videlicet boves ter in anno ad exercendam terram in eodem loco. Simili modo semel in anno et tempore congruo, de arietibus atque agnis, si fuerint, sine gravamine incolarum, monachus loci rector rogatus nobis prebebit, quatinus nos libenti animo ab omnibus hominibus, pro posse nostro, et locum et omnem rem loci intus et exterius defendamus. Negocium quidem si fuerit inter ipsius loci homines, quod sine bello finire nequeat, præsente monacho, finietur in nostra curia. Prandium vero quod in sancti Georgii festivitate inverecunda fronte requirebamus, omnino dimittimus, quia male solennitatem celebrat qui se ab inlicitis non custodit. Et, ut prælibavimus, omnes execrabiles consuetudines quas usurpabamus in præfato loco, nunc et deinceps remittimus, præter illas quas patrem nostrum habuisse a plurimis dicitur ; quæ præcario requirantur a monacho, non vi ab hominibus extorqueantur. Has autem litteras, quas fieri jussimus, signo sanctæ crucis publice in Drocis castro inpresso corroboravimus, pariumque nostrorum ac fidelium manibus corroborandum tradidimus, quorum nomina inferius in testimonio jussimus scribi. Si quis autem profanus huic largitioni nostræ contraire voluerit, nisi pœnituerit, cum A Juda proditore, et cum his qui Dominum Jhesum crucifixerunt, in inferno pœnas habeat carentes fine. Data est hæc carta Drocis castro publice, anno dominice incarnationis millesimo LXXX°VI°, indictione VIIII, Philippi regis regni anno XXVI. Paulus, monachus et edituus, notarius extitit. »

CAPITULUM XXIII.

De æcclesia Puteosæ villæ.

(Anno 1086.)

« In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, qui trinus est personaliter et unus essentialiter. Desertæ gentilitati, id est æcclesiæ de gentibus collecte, per Isaiæ prophete vocem, Dominus spiritualium virtutum dona promittens, inter odorifera arbusta ulmum atque buxum posui (233) dicens : *Ponam in deserto abietem, ulmum et buxum simul* (234). Nunc autem abiete in hac serie prætermisso, quo sancti homines panduntur, quorum mentes jugi meditatione sancto desiderio ad celestia contemplanda elevantur, nos quoque fragiles et mole iniquitatum pressos minoribus rebus informari oportet, ut vel ulmi aut significationem buxi gerere videamur, torpentes in bonis operibus, et hujus caduci atque fugitivi seculi inservimus honoribus : ulmus quidem in altum crescit, sed minime ferens fructum, eos procul dubio significat qui, mundanis rebus admodum inretiti, spiritualium operum fructu sunt vacui. Tamen, sicut ulmus sepe vitem cum botris sustinet, ita et potentes hujus seculi servos Dei per æcclesias longe lateque beneficiis inclitis sustentant. In qua re spiritualia eorum opera sua esse faciunt, et cum eis in futuro seculo æterno remunerantur premio. Buxus denique, solam viriditatem retinens, eos ostendit qui veræ fidei perfectionem inmutilato voto servant. His prefatis rebus, ego Isnardus de Pertico, balteo militari accinctus, me adjungere cupiens, pro salute animæ meæ ac omni dilectione amplectendæ matris meæ Alberedæ, illi cui a Deo collata est ligandi solvendique potestas, quique cœlestis regni januam fidelibus aperit et infidelibus claudit, sancto Petro videlicet cœnobii Carnotensis, ipse, inquam, et mater mea carissima, libenti animo, damus, in Pertico, æcclesiam in honore sancti Johannis, sitam in villa quæ ab incolis Puteosa vocitatur, cum atrio et decima, omnibusque reditibus ad nos pertinentibus. Concedimus etiam unum mansum terræ ejusque consuetudines, ut deinceps ita monachi possideant sicut et nos actenus possedimus. Decrevimus quoque, ut, si quis nostrorum de rebus quas de nostro beneficio (235), sancto Petro aliquid dare voluerit, det fiducialiter, nullo refruntante, sicut jam fecerunt mei fideles Bernardus et Rogerius, in præfato cœnobio monachi effecti; quorum primus, in loco qui vocatur Manseleria, unum mansum ita liberum

(230) Vid. Petr. I, 2, 5.
(231) Reg. I, 15, 32 et 33.
(232) *Ibid.*, 9.
(233) Leg. *posuit*.
(234) Isa. XLI, 19.
(235) Prætern.assum, *tenet*.

dedit ut de me tenuit; alter vero simili modo unum mansum, non longe a prefata æcclesia quam dedimus. Dedit et mater mea nuper infirmitate detenta, juxta æcclesiam de Buxeto, quam pater meus vivens dedit sancto Petro, unum hospitem; ego quoque alium in dedicatione ipsius æcclesiæ. De quibus rebus, domno meo Symone, filio Gaucherii, annuente, de cujus beneficio hæc omnia sunt, abbati Eustachio, vice sancti Petri, publice donum dedi in ipsa æcclesia quam dedi; postea Carnotis, laude nostrorum fidelium, donum super altare sancti Petri posui. Data est hæc carta anno ab incarnatione Domini millesimo LXXXVI, indictione nona, Philippi regis regni XXVI. »

CAPITULUM XXIV

De calumnia saltus Munticulorum.

(1086.)

« In Domini nostri Jhesu Christi nomine. Ego Eustachius abbas, cum omnibus fratribus cœnobii sancti Petri Carnotensis, notum esse volumus cunctis sanctæ Dei æcclesiæ fidelibus, tam presentibus quam futuris, quod, Huberto abbate hunc locum gubernante, saltus Munticulorum, cum omnibus appendiciis suis, per assensum dominorum ad quos pertinebat, in usibus fratrum, a Gualterio trapezeta sancto Petro est datus, et a fratribus fere per XV annos est possessus sine calunnia. Nostris vero temporibus, quidam adolescens, Mainerius nomine, filius videlicet Germundi, de cujus beneficio præfatus saltus fuerat, cœpit quidem post mortem patris calunniari eum. Cujus tandem calunniam extinximus XXV solidis nummorum sibi datis et orationibus fratrum. Unde ipse veniens III kalendas Augusti, super altare sancti Petri guerpum posuit publice, coram his quorum nomina subnotavimus. Ex parte ipsius : Archenaldus et Savericus. Ex nostra parte : Gauscelinus, frater Carnalis; Gumbaldus, Stephanus et Salomon; Gausfridus et Hildulfus, fratres; Gislebertus, Teduinus, Gaudius et Harduinus, Rodbertus nosocomiarius (236). »

CAPITULUM XXV.

De calunnia Spelterolensis æcclesiæ remissa a Gualterio de Alneto.

(Ante a. 1088.)

« In Christi nomine. Notum esse volumus omnibus nostris successoribus, ego videlicet Eustachius abbas et omnes fratres cœnobii sancti Petri Carnotensis, quod, postquam Spelterolensis æcclesia data nobis est a Hugone Drocensi et a filiis ejus, Gausberto et Guarino, necnon et a matre eorum, nomine Osilia, frater ille quem illuc misimus frequenter a Gualterio de Alneto injurias et danna pertulit, donec prefato Gualterio quinquaginta nummorum solidis dedimus : eo quidem pacto, ut fratrem illum in pace vivere dimitteret, et calunniam quam de ipsa æcclesia faciebat missam faceret. Quod libenter annuens, Carnotis publice super altare sancti Petri guerpum calunniæ posuit, secum habens Rainbaldum clericum. Nobiscum vero fuerunt, Gerogius clericus; Stephanus et Salomon, fratres; Teduinus, Gaudius et Harduinus, fratres; Oydelerius et Rodbertus, fratres; Hildulfus et Gausfridus, fratres; Adventius, Fulchardus, Stephanus, Tescelinus; Ingelbertus et Gausfridus, coci; Herbertus et Guarinus, pistores. »

CAPITULUM XXVI.

De teloneo dato ab episcopo Gausfrido.

(14 nov. 1087.)

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Patris videlicet et Filii et Spiritus Sancti. Noverint omnes christianæ religionis participes, tam futuri quam præsentes, et præcipue pontificalis cathedræ meæ successores, et ceteri æcclesiæ nostræ fideles, fratrem Eustachium, sancti Petri Carnotensis cœnobii abbatem, cum maxima humilitate et multarum precum prolixitate imploravisse me Gaufridum, licet indignum, Carnotensis æcclesiæ episcopum, quatenus sibi et fratribus inibi Deo militantibus, portionem telonei de suburbio supratаxati apostolorum principis, quæ jure episcopali me contingebat, perpetualiter concederem. Cujus petitioni ego adquiescens, et eorum utilitati providens, et meæ honestati consulens, integre et absque ulla mutilatione supradictum teloneum, a prædecessoribus meis et a me ipso hactenus habitum, eis tribuo; ea utique firmitate, ut nullus quocunque tempore successor meus futurus hanc benedictionem infirmare præsumat. Ut autem hoc donum per succedentium temporum curricula firmum et inconvulsum permaneat, præsenti scripto commendavi et manu propria signo crucis confirmavi, et manibus canonicorum fideliumque meorum corroborandum tradidi. S. Gaufridi episcopi. S. Adelardi decani. Willelmi archidiaconi. Widoni abbatis sancti Joannis. Ebrardi capicerii. Giraldi sacerdotis. Warini diaconi. Warini succentoris, filii Durandi canonici. Wauslini subdecani. Odonis archidiaconi. Hilduini, Girardi filii. Morini presbiteri. Gausfridi presbiteri. Guerrici canonici. Gisleberti canonici. Rainbaldi canonici. Hæc carta data est a Gauslino cancellario VIII decimo kalendas decembris, anno XXVII regni Philippi regis (237), positaque est ab episcopo pretaxato super altare sancti Petri VIII kalendas februarii, præsentibus his quorum nomina subscripsimus : Hilduino cantori, Hugone vicecomite, Gauslino de Leugis, Niveloni, Philippo, Bartholomeo, Willelmo, olim preposito,

(236) *Actum est hoc ab incarnatione Domini* M° LXXXVI *anno, ind.* IX, *anno* XXVI. *regni Philippi regis.* Cod. Argent.

(237) Super voces *Philippi regis*, recentior manus scripsit *Ludovici Junioris*, nescimus qua de causa; nam liquet hanc chartam a Gausfrido I, Carnotensi episcopo, qui obiit a. 1090, et cujus episcopatus convenit cum regno Philippi regis, fuisse datam, non autem a Gausfrido II, cujus episcopatus initium habens a. 1115, nullomodo incidere potest in tempora Eustachii abbatis, de quo hic agitur, quique regimen abbatiæ abdicavit a. 1101.

Waffrido osculans Acnfonem et pluribus aliis, tam suorum quam nostrorum. »

CAPITULUM XXVII.

De furno Bruerolis.

(Ante a. 1088.)

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti. Omnibus sanctæ Dei æcclesiæ fidelibus, tam præsentis quam futuri ævi, notum esse volo ego Landricus, filius Gisleberti, una cum uxore mea Hildeburgi, filiis atque filiabus meis, quia medietatem furni qui situs est in vicò Bruerolensi, quam olim quidem Arnaldo monacho pro XXV solidis nummorum inwadiaveram; nunc, inquam, pro anima mea et antecessorum meorum atque successorum animabus, annuente domino meo Warino de Islo, ex cujus beneficio eandem partem furni tenere videor, necnon et Symone, filio ejus, sancto Petro, apostolorum principi, cœnobii Carnotensis, cui præest Eustachius abbas, et sancto Germano concedo jure perpetuo, ut habeant, teneant et possideant, ab hac die in antea, sine ulla calumpnia sancti Petri monachi. Pro hac itaque re a Gaufrido monacho, prænomine Wischardo, L solidos nummorum accepi; et uxor mea, nomine Hildeburgis, teristrum unum duorum solidorum filiique mei, Isnardus et Radulfus, singuli singulas crepidas; necnon et filia mea Adelina, quam dedi Rainaldo militi, cui etiam prædictam furni partem dederam, anulum aureum; Warinus quoque, domnus meus, X solidos, et filius ejus tantumdem. Has autem litteras fieri volui ad memoriam posterorum; atque Drocis castro VIII kalendas aprilis publice corroborando astipulavi; ut, si quis unquam heredum meorum his contradicere conatus fuerit, cogatur prius fisco regis auri libras persolvere XXX, denuo conatus ejus inefficax permaneat; et si pertinax fuerit, excommunicationis baculo feriatur, donec resipiscat. Nosque et parentes nostri, cum domno nostro Guarino, pro hoc facto, fratrum orationibus semper frui mereamur. Testes hujus rei etiam subscribere curavimus. S. domni Hugoni. S. Gisleberti de Tilerias (238). »

(238) Manca est charta illa, cujus finem reperies in parte II, lib. IV. In hoc cod. B, librarius, post istam chartam transcriptam, paginam complevit subscriptionibus ad aliam chartam pertinentibus, quæ sic habentur : *Hi sunt testes ex dono molendini quem dedit G. filius N. sancto Petro : ipse G. ; Adelina, uxor ejus; Amalricus et Simon, filii ejus; Philippa, filia ejus; Gualterius de Trotto, Gualterius de Bociaco, Urso de Tinniaco Valle, Erchenbaldus de Geremari Villa, Radulfus de Sibriaco, Bernerius de Ebriaco, Milo presbiter, Ernaldus abbas, Johannes de Saliciolo, Raimbaldus. Ex nostris : Marcoardus presbiter; Algerius, frater ejus; Bodo, Richerius, Adventus, Laurentius; Berengerius et Johannes, frater ejus; Herlebaldus, Richardus....*

EPITAPHIUM LANDRICI ABBATIS

Auctore, ut videtur, PAULO *monacho*

(MABILL., *Annales ordinis S. Benedicti*, tom. IV, lib. LXII, n. 83, p. 668.)

Huc flectens oculos paulum subsiste, viator,
Disceque quis fuerit, quem tumulus tegit hic.
Hæc corpus parva Landrici continet urna,
Nostri pastoris et Patris eximii.
Vivere dum quivit, subjectos qui bene rexit,
Ostendens factis, quod docuit monitis.
Mitibus exstitit hic clemens, pius atque benignus;
Inflatos spernens, fortiter hos reprimens.
Vir bonus et prudens ad grandem vexit honorem
Hanc sibi commissam digniter Ecclesiam :
Ter denis et ter binis cui præfuit annis.
Tunc caput extulit hæc, post similis viduæ.
Exiit hic hominem, sanctus sicut Leobinus.
Cujus Mars festum monstrat adesse diem.
Pax tibi sit, Landrice Pater, requiesque perennis:
Cunctis cum sanctis gaudia jam tibi sint. Amen.

ANNO DOMINI MC.

GODEFRIDUS BULLONIUS

LOTHARINGIÆ DUX, HIEROSOLYMÆ REX PRIMUS

NOTITIA HISTORICA.

(*Histoire littéraire de la France*, tom. VIII, pag.598.)

§ I. — *Histoire de sa vie.*

Godefroi, qui a fourni la matière de tant de romans français (1) et italiens, et que presque tous les écrivains de la première croisade ont pris pour leur héros, n'a point eu cependant jusqu'ici un seul auteur qui ait donné son histoire complète. Le peu qu'en ont écrit par occasion l'abbé Fleuri, l'abbé de Choisy et le P. Maimbourg, n'est propre qu'à faire désirer de voir un aussi riche sujet traité avec une juste étendue par quelque habile plume. Dieu veuille que ce que nous en allons dire à notre tour puisse faire naître ce dessein, et que l'exécution le suive de près. Si la vie de cet incomparable héros présente de mémorables événements pour l'histoire militaire, ecclésiastique et civile, elle en offre aussi pour l'histoire littéraire. C'est à ceux-ci que nous nous arrêterons plus particulièrement.

(2) Il était fils aîné (3), selon Guillaume de Tyr et Orderic Vital, ou seulement puîné, selon d'autres, d'Eustache II, comte de Boulogne et de Lens, l'un des plus puissants seigneurs et des plus braves capitaines de son temps, qui se fit autant de réputation dans les pratiques de la piété chrétienne que dans la profession des armes. Sa mère, qui se nommait Ida, et qui ne se rendit pas moins célèbre par sa vertu que le comte son mari, était fille de Godefroi le Grand, ou le Barbu, duc de la basse Lorraine et de Bouillon, lequel épousa en secondes noces Béatrix, marquise ou comtesse de Toscane, et se trouvait par là nièce du pape Etienne IX, et sœur du duc Godefroi le Bossu qui épousa l'illustre Mathilde, fille unique et héritière de la comtesse Béatrix. (4) Par Mathilde, son aïeule paternelle, fille de Gerberge et petite-fille de Charles, premier duc de la basse Lorraine et frère de Lothaire, roi de France, notre héros descendait des rois carlovingiens, et par son aïeule maternelle, de ceux de Lombardie. C'est sur ce principe qu'Orderic Vital et l'historien de la bienheureuse Ida attestent que le comte Eustache, son père, était de la race de Charlemagne (5).

(6) Godefroi naquit à Boulogne-sur-mer à l'extrémité de la Picardie, ou plutôt à Basy, dans le Brabant français, et eut pour frères Baudouin, qui lui succéda dans la suite au royaume de Jérusalem, et Eustache, qui hérita des états de leur père, et contracta alliance avec Marie d'Ecosse, dont il eut une fille unique, nommée Mathilde, qui épousa Etienne de Champagne, depuis roi d'Angleterre, à la mort d'Henri I. (7) Guillaume de Tyr et quelques autres écrivains donnent encore à Godefroi un troisième frère nommé Guillaume, que les généalogistes comptent pour la souche des derniers ducs de Lorraine. (8) Mais une généalogie écrite vers l'an 1095 ne reconnaît que trois fils du comte Eustache et de la comtesse Ida, Eustache Godefroi et Baudouin. De même ni la comtesse Ida, ayant occasion de parler de ses enfants, ni Godefroi, parlant de ses frères, ne nomment jamais ce Guillaume. Quoi qu'il en soit de ce quatrième fils du comte Eustache, (9) Godefroi eut une sœur, nommée Praxède-Adélaïde, qui épousa Henri IV, roi de Germanie, puis empereur.

La Providence, qui destinait Godefroi à de grandes choses, voulut que sa naissance fût précédée de celle d'un autre fils, qui fut nommé Eustache, comme son père, afin que, par le droit d'aînesse, il fût appelé à la succession de ses états, et que Godefroi, libre de tout autre soin, pût se livrer tout entier à la gloire des armes et à la défense de la religion.

(1) Il se trouve effectivement au moins trois ou quatre anciens romans de Godefroi de Bouillon en notre vieille langue française. On connaît d'ailleurs la *Jérusalem délivrée*, ou *Godefroi*, le plus excellent poëme du Tasse, et la *Syriade*, ou Des expéditions de Godefroi de Bouillon dans la terre sainte, en douze livres, par Pierre Ange de Barga, autre poëte italien.

(2) Will. Tyr. l. IX, n. 5; Ord. Vit. l. IV, 9, p. 508, 509, 743, 757; Mir. not. Eccl. Belg., p. 257-259, 262, 263; Boll. XIII Apr., p. 142, n. 4.

(3) Ida, sa mère, dans une de ses chartes le nomme le premier de ses trois fils; mais dans une autre elle nomme Eustache, son frère, avant lui.

(4) Spic. t. VII, p. 584, 585; Mir. ib., p. 262, 263.

(5) Ord. Vit. l. IV, p. 508; Boll. ib., p. 141, n. 3.

(6) Will. Tyr., l. VIII, n. 24; l. IX, n. 5, 6; Mir. ibid., p. 259; Boll. ib., p. 145. n. 17.

(7) Will. Tyr. l. IX, n. 5; Mir. Cod. don., p. 225.

(8) Mir. Not. Eccl. Belg., p. 262, 263; Cod. don. p. 223, 224, 229, 230.

(9) Ord, Vit. l. IV, 7, pag. 509, 639; Berth. Chr. an. 1095; Dod. Chr. an. 1093, 1097.

des choses, le fit naître avec toutes les dispositions nécessaires du cœur, de l'esprit et du corps. (10) Bientôt on découvrit en lui des inclinations naturellement portées à la vertu, un riche fonds de bonté, de générosité, de compassion, même pour les coupables, de douceur, de modestie, d'humilité, de crainte de Dieu, une probité de mœurs exempte de nuages et de variation, un esprit aisé, vif, pénétrant, élevé, capable des plus grandes entreprises, une grandeur d'âme dont on a peu d'exemples, un courage intrépide, soutenu d'un tempérament robuste et d'une grande habileté dans les exercices militaires. Ces heureuses dispositions lui donnaient plus d'un trait de ressemblance avec Charlemagne, dont il descendait, *cui vere plurimus inerat Carolus, tam sanguine quam mente.* Rien de plus digne de louanges que l'alliance admirable qu'il savait faire de deux professions, incompatibles en apparence aux yeux de la plupart du monde. (10*) S'agissait-il de l'art militaire? Il y brillait autant que le comte son père, qui s'y était fait une brillante réputation. Etait-il question du culte de Dieu? Godefroi s'en acquittait avec la même piété que sa mère, elle-même, qui jouissait déjà d'une grande réputation de sainteté. (11) Il regrettait, comme il s'en explique lui-même, que la profession des armes l'empêchât de s'appliquer aux choses divines autant qu'il l'aurait souhaité. C'était pour y suppléer, et avoir plus de part aux bonnes œuvres des serviteurs de Dieu, qu'il se portait volontiers à les obliger et à leur faire du bien. Il en avait reçu l'exemple de ses pères, qui sont reconnus pour fondateurs ou bienfaiteurs de plusieurs monastères (12).

La bienheureuse Ida avait été trop bien instruite des lettres en sa jeunesse, pour négliger d'en faire aussi instruire ses enfants. (13) Baudouin s'y rendit habile, suivant le témoignage d'un historien proche du temps. Mais Godefroi le surpassa en ce point comme en tant d'autres. (14) Il est visible par sa lettre au prince Boëmond (15) et par une de ses harangues que Guillaume de Tyr nous a conservée (16), qu'il parlait aussi purement latin qu'aucun autre écrivain de son temps. S'il a dicté lui-même les chartes que nous avons de lui, on y trouve une autre preuve de ce que nous avançons ici.

A la connaissance de la langue latine il joignait celle de l'ancien langage français et de la langue teutonique. Cette connaissance lui servit plus d'une fois à la croisade pour apaiser les différends qui s'élevaient entre les Français et les Allemands (17).

La solidité de sa piété ne permet pas non plus qu'on doute qu'il ne fût fort instruit de sa religion. Nous en avons un autre indice, qui, bien que pris de choses assez communes, fait néanmoins préjuger avantageusement de ce qui se passait dans les plus importantes. (18) Godefroi ne voyait point d'images et de figures dans les églises, qu'il ne voulût savoir ce qu'elles représentaient. A cet effet, il s'adressait aux clercs et autres personnes qui lui paraissaient plus instruites, et les priait de l'en instruire lui-même. Le rôle brillant qu'il joua en tant d'occasions, soit dans les combats ou dans les campements, soit aux siéges de villes ou dans les négociations, soit enfin dans le gouvernement du royaume de Jérusalem, quoique son règne ait été très-court, tout cela annonce qu'il possédait toutes les connaissances nécessaires à un grand capitaine, à un habile politique, à un sage souverain.

Tel était Godefroi (19) en 1076, année où mourut le duc Godefroi le Bossu, son oncle maternel, qui lui laissa le duché de Bouillon. Il prit aussitôt le titre de duc de Bouillon, sous lequel il est plus connu, et qu'il a immortalisé. Il devait aussi succéder à son oncle dans ses autres possessions puisque celui-ci, n'ayant point d'enfants, l'avait adopté pour son fils et désigné comme son héritier; mais le roi Henri IV, regardant les fiefs de cette succession comme lui étant dévolus, revêtit Conrad, son propre fils, du duché de Lorraine, et donna au jeune Godefroi le marquisat d'Anvers, par une espèce de dédommagement. Dans la suite cependant, Conrad ayant donné sujet de mécontentement au roi son père, ce prince lui ôta la Lorraine et la rendit à Godefroi, à qui elle appartenait de droit, et qui d'ailleurs l'avait bien méritée par les services signalés qu'il avait rendus à Henri, comme on le verra par la suite (20).

On distinguait alors la haute et la basse Lorraine. Mais la haute Lorraine n'était presque connue que sous le nom de *Mosellana;* et par la dénomination de Lorraine on n'entendait que la basse, qui n'était autre que le duché de Brabant. Dans la suite le nom de Lorraine passa à la Mosellane. C'est ce qui commença, ce semble, dès le temps de Jacques de Vitri qui, faisant l'éloge de notre héros, le qualifie duc de Brabant, quoique tous les historiens qui l'avaient précédé lui donnent le titre de duc de Lorraine (21).

(10) Rob. Ges. Fr. l. IX, p. 76; Rad. Ges. Tancr. p. 121, 122, n. 14; Mab. Mus. It. par. II, p. 133. Will. Tyr. l. IX, n. 5; Ord. Vit. l. IX, p. 757; Malm. De reg. Angl., l. IV, p. 133, 142. Ursp. Chr. an. 1097.

(10*) Rad. Ges. Tancr. ib.; Mab. ibid.

(11) Mart. Anec., t. I, p. 261.

(12) Mir. Not. ib. p. 195, 199, 223, 226; Mey. An. 1090. Boll. XIII. Apr.; p. 141, n. 2.

(13) Ord. Vit. l. VII, p. 639;

(14) Guib. Ges. Fr. l. II, c. 7.

(15) Will. Tyr., l. II, n. 10.

(16) Ibid. l. II, n. 10.

(17) Otto. Chr. l. VII, c. 5; Ursp. Chr. an. 1099; Alb. Chr. an. 1099, par. II, p. 180.

(18) Will. Tyr. l. IX, n. 2.

(19) Lamb. Schab. an. 1076; Spic. t. XII, p. 284; Mir. Not. ib., p. 257, 258; Cal. *Hist. de Lor.* t. I, p. 1125.

(20) Malm. ib. p. 143.

(21) Mart. ibid. t. III, p. 282.

Une des premières occasions où Godefroi signala son courage (22) fut un combat singulier qu'on le contraignit de soutenir contre un autre jeune seigneur du pays, son parent. Ils étaient en désaccord au sujet d'une terre considérable, et il fallut terminer le différend par cette voie meurtrière, ce qui n'était alors que trop ordinaire, surtout parmi la noblesse. Le jour venu pour l'action, les deux champions entrèrent en lice en présence de Henri, roi de Germanie et de toute sa cour. Après plusieurs passes Godefroi porta sur le bouclier de son adversaire un si rude coup, que l'épée se brisa dans sa main. Les spectateurs, voyant que la partie n'était plus égale, voulurent faire cesser le combat. Mais tous deux s'y refusèrent. Godefroi, se servant alors comme il put du tronçon d'épée qui lui restait, en frappe si rudement son adversaire à la tempe gauche, qu'il le renverse demi-mort et le désarme aussitôt; mais se voyant maître de la vie de son ennemi, au lieu de la lui ôter, il pria les seigneurs présents de l'engager à accepter un accommodement honorable. La générosité et la valeur que Godefroi fit paraître en cette rencontre lui acquirent une gloire immortelle.

(23) Il entra ensuite dans les armées du roi Henri, depuis empereur, et servit ce prince avec beaucoup de bravoure et de succès. Il assista à la bataille qui se donna en Saxe en 1080, et personne ne fut jugé plus digne que Godefroi de porter l'aigle impériale.

(24) La fortune sembla favoriser d'abord les Saxons, et déjà le roi voyait son armée fuir devant ses ennemis victorieux, lorsque Godefroi changea leur victoire en défaite en tuant de sa propre main le roi Rodolfe (25), cause de la guerre. Au bout de trois ans, le roi Henri, toujours irrité contre le pape Grégoire VII, ayant mis le siége devant Rome, et y ayant perdu beaucoup de temps, Godefroi trouva enfin le moyen d'y entrer le premier, et en ouvrit les portes aux assiégeants : service signalé qui mit Henri en état d'effectuer le dessein qu'il avait depuis longtemps de se faire couronner empereur, ce qui se fit à Pâques de l'année suivante (26).

Il arriva cependant que celui qui avait si avantageusement servi ce prince se trouva dans l'obligation de lui déclarer la guerre. Henri ayant outragé l'impératrice Praxède, sœur de Godefroi, ce héros, infiniment sensible au point d'honneur, ne crut pas devoir laisser un affront de cette nature sans vengeance (27). Il arma donc contre l'empereur, et fut assez heureux pour le battre et le mettre en fuite (28).

A la faveur de cette guerre, Thierri, surnommé le Grand, évêque de Verdun (29), tenta de tirer de A la dépendance du duché de Bouillon le comté de Verdun, qui en dépendait effectivement, comme on le voit, à n'en pas douter, par les statuts de l'aïeul maternel de notre héros (30), pour tenir dans le devoir les avoués de cette Eglise. Afin de mieux réussir dans son projet (31), Thierri engagea l'empereur à établir vicomte de Verdun Albert, comte de Namur, seigneur puissant et reconnu pour ennemi de Godefroi. Albert, soutenu par les troupes de l'évêque de Verdun, vint assiéger Bouillon. A cette nouvelle Godefroi y vole avec son armée, et en fait lever le siége après y avoir tué beaucoup de noblesse. Ensuite par représailles, Godefroi, ayant délivré Henri, comte de Grandprey, que l'évêque de Verdun tenait en prison, le lâcha sur les terres de ce dernier, et B bâtit de son côté une forteresse à Stenai, sur les confins du même diocèse. La guerre s'alluma de nouveau, et Thierri, aidé du comte Albert et d'autres troupes auxiliaires, vint mettre le siége devant Stenai. On combattit de part et d'autre avec beaucoup de valeur, et la victoire resta douteuse. Godefroi envoya Eustache et Baudouin, ses frères, lever des troupes en France et en Allemagne, et avec ce renfort, il s'empressa de secourir Stenai, dont l'évêque de Verdun fut contraint de lever le siége. C'était en la 40e année de l'épiscopat de Thierri, vers 1086; et les choses demeurèrent en cet état jusqu'au temps de la publication de la croisade.

(32) Alors Godefroi, animé d'un esprit de piété, C prit le parti de tourner ses armes contre les ennemis du nom chrétien, et s'y engagea par vœu. Dès ce moment il fut délivré d'une fièvre lente que lui avaient laissée les fatigues du siége de Rome, et sa santé alla toujours se fortifiant de plus en plus, ce qui lui inspira une nouvelle ardeur pour la guerre sainte. Afin de l'entreprendre avec plus de succès, il fit généreusement la paix avec Richer, évêque de Verdun, successeur de Thierri. Non-seulement il lui céda le comté de sa ville épiscopale, que Richer, par esprit de reconnaissance, transporta sur-le-champ à Baudouin, frère de Godefroi, et que Baudouin, à son départ pour la croisade, rendit à l'évêque par un plus grand trait de générosité; mais il rasa encore la forteresse de Montfaucon, qu'il avait construite dans le diocèse de Verdun et donna à cette D église les places de Stenai et de Mousay. En dédommagement l'évêque et le clergé de Verdun donnèrent au duc des sommes considérables qu'il employa aux frais de son voyage. Ceci ne suffisant pas encore pour sa dépense, il aliéna à l'église de Liege son beau duché de Bouillon, moyennant trois marcs d'or et trois cents marcs d'argent (33).

(22) Will. Tyr. ib. n. 7.
(23) Malm. ib.; Wil. Tyr. ib. n. 8.
(24) Berth. Chr. an. 1080. Ursp. ib.
(25) Will. Tyr. ibid.
(26) Berth. ibid. an. 1082; Malm. ib.; Hug. Fl. Chr.. pag. 227, 228.
(27) Berth. ibid. an. 1095; Dod. ibid.
(28) Ord. Vit. l. VII, p. 639.
(29) Spic. t. XII, p. 284.
(30) Mart. Anec. t. I, p. 189,190.
(31) Spic. ibid.
(32) Malm. ib. p. 144.
(33) Ibid. Mart. Amp. Coll. t. IV, p. 1079.

(34) Après ces préparatifs, Godefroi, comptant encore plus sur le secours de Dieu que sur ses propres forces, partit dès le printemps de l'année 1096, avec ses frères Eustache et Baudouin, à la tête de plus de deux cent mille croisés, tant Frisons, Saxons et Allemands, que Lorrains et principalement Français (35). Il prit sa route par la Hongrie, après en avoir obtenu la permission du roi qui le traita avec beaucoup d'honneur. Godefroi de son côté retint son armée dans une si exacte discipline, qu'elle n'y causa aucun dégât. Il n'en fut pas de même aux approches de Constantinople. Le duc ayant appris que l'empereur Alexis, prince fourbe et rusé, y retenait captifs Hugues le Grand, frère de Philippe, roi de France, et quelques autres seigneurs croisés, lui écrivit pour le prier de les mettre en liberté. Alexis refusa, et continua à faire sentir aux croisés les effets de sa haine contre les Latins. Il en fallut venir aux mains; et les troupes de ce prince mal conseillé ayant été battues, il craignit pour ses Etats et comprit les suites de sa fausse politique. Il fit donc sa paix avec le duc et le renvoya comblé de présents.

Godefroi, ayant donné en cette rencontre des preuves de son intrépidité et de sa grandeur d'âme, eut encore occasion de faire paraître sa douceur et sa modération. (36) Le comte de Saint-Giles étant arrivé presque aussitôt près de Constantinople, avec les croisés qu'il conduisait, et ayant reçu du même empereur des sujets de mécontentement, voulait tirer vengeance de sa perfidie. Mais le duc Godefroi lui représenta qu'il ne convenait point qu'ils tournassent leurs armes contre des chrétiens, tels qu'étaient les sujets d'Alexis, et l'engagea à aller trouver ce mauvais prince pour prévenir toute hostilité.

Après que les différentes armées des croisés se furent réunies pour agir contre les infidèles, si l'on n'élut pas en forme le duc Godefroi pour en être le chef principal, avec Adhémar, évêque du Puy, qui en qualité de légat et de lieutenant du pape y tenait le premier rang, il est au moins certain qu'il fut regardé comme tel (37). On ne pouvait effectivement faire un meilleur choix (38) puisqu'il réunissait en sa personne, comme il a été dit, toutes les vertus chrétiennes, civiles et militaires. Il avait appris à faire la guerre à la française et s'y était déjà acquis beaucoup de gloire. Il avait d'ailleurs une force extraordinaire, dont on rapportera quelques traits dans la suite; et depuis longtemps il n'avait paru de capitaine qui eût et plus de courage et plus de valeur. Il méritait donc à juste titre de conduire cette multitude innombrable de chrétiens armés contre les ennemis du nom chrétien. Aussi soutint-il tout le poids du commandement. *Qui totius exercitus*, dit de lui Guillaume de Tyr, un de ses plus fidèles historiens, *quasi singularis erat columna*. Sous un tel chef l'armée chrétienne aurait fait des merveilles si les croisés avaient été plus susceptibles de discipline et qu'il eût régné plus d'harmonie entre les seigneurs qui les commandaient

On commença les opérations de la Guerre sainte par le siége de Nicée en Bithynie (39). Godefroi fut le premier, avec le comte de Flandres, qui l'attaqua, et eut beaucoup de part à la prise de la ville, qui se rendit par composition (40). Baudouin, frère de notre duc, qui s'était séparé, avec quelques troupes, du gros de l'armée, ayant été reconnu prince d'Edesse, où il fonda un puissant Etat, les autres croisés s'avancèrent en Syrie et allèrent faire le siége d'Antioche (41). Ce fut à cette expédition qui coûta aux chrétiens beaucoup de monde et de fatigues, que Godefroi montra autant de constance que de valeur; *claruit ibi multum dux Lotharingiæ*. En approchant de la ville il se signala par une action héroïque qui méritait de ne pas tomber dans l'oubli. Se trouvant avec douze de ses gens seulement, il fut rencontré par un parti de Turcs au nombre de cent cinquante. Tout autre aurait sans doute tremblé, et peut-être succombé en pareil cas; mais l'intrépide Godefroi, dont le courage était supérieur à cette sorte de périls, chargea ces infidèles avec tant de vigueur, qu'il en tua trente sur la place, en fit trente autres prisonniers, et mit en fuite les autres qui périrent dans les marais et la rivière voisine.

On n'est point surpris d'un exploit aussi prodigieux lorsqu'on lit dans les historiens du temps quelques exemples choisis de la force extraordinaire que la nature avait mise en ce héros (42). Ayant rencontré sur le pont d'Antioche, durant le siége de la ville, un turc cuirassé, Godefroi d'un seul coup de cimeterre le coupa par le milieu du corps, de façon que la partie supérieure tomba sur la place, et l'autre fut emportée par le cheval que montait ce malheureux. En une autre rencontre il fendit en deux, aussi d'un seul coup de cimeterre, un autre turc depuis la tête jusqu'à la selle de son cheval qu'il coupa même, et blessa le cheval à l'épine du dos. (43) Dans une partie de chasse qu'il fit un jour par délassement avec d'autres seigneurs croisés, se trouvant dans un bois éloigné d'eux, il fit rencontre d'un ours de grandeur énorme qui allait dévorer un pauvre homme qui ramassait du bois sec. Godefroi, naturellement compatissant, pousse son che-

(34) Ursp. Chr. an. 1066, 1097. Mart. ib.; Malm. ib., p. 133.
(35) Will. Tyr. l. II, n. 3.
(36) Tud. ib. Ges. Fr., l. II, p. 781.
(37) Willl Tyr. l. IV, n. 22.
(38) Ord. Vit. l. IX, p. 757; Malm. ib.
(39) Willelm. Tyr. l. III, c. 1; Tud. ib., l. II, p. 781. Raim. de Ag., p. 141.
(40) Will. Tyr. l. IV, n. 1, 5, 9, 13.
(41) Raim. de Ag. p. 147.
(42) Tud. ibid. l. III, p. 780; Malm. ib. p. 144; Will. Tyr. l. V, n. 6.
(43) Will. Tyr. l. III, n. 17.

val pour délivrer ce pauvre misérable. L'ours, le voyant venir, quitte sa première proie et tourne contre lui toute sa fureur. Notre héros en cette occasion eut besoin de toute sa force et de toute sa dextérité. Forcé d'abandonner son cheval blessé, il parvint à saisir la bête de la main gauche tandis que de l'autre il la perçait de son épée. Il en reçut lui-même des blessures graves qui le conduisirent jusqu'aux portes du tombeau. C'est Guillaume de Tyr, cet historien si véridique, qui nous a conservé ce mémorable événement.

Guillaume de Malmesburi le rapporte aussi de son côté, comme l'ayant appris d'un témoin oculaire. Mais au lieu d'un ours il dit que c'était un lion.

(44) Cependant le découragement s'emparait des croisés, retenus depuis six mois devant Antioche, et ils songeaient sérieusement à lever le siége. Godefroi, à qui le bruit de ses derniers exploits avait concilié une nouvelle confiance, s'en étant aperçu, releva leur courage, et les engagea à faire de nouveaux efforts. Il y fit lui-même des prodiges de valeur ; ce qui fut suivi d'une victoire sur l'ennemi et de la prise de la ville le troisième de juin 1098. (45) Peu de jours après il leur fut encore d'un plus grand secours, lorsque, assiégés eux-mêmes par une armée innombrable de Turcs, ils se virent réduits à une telle extrémité que les chefs mêmes des chrétiens étaient résolus de tout abandonner et de se retirer pendant la nuit. Godefroi, qui ne savait rien craindre sous la protection de Dieu, eut recours à son éloquence, et secondé de l'évêque Adhemar, il réussit par ses pathétiques remontrances à les retenir. Il n'y eut qu'Etienne, comte de Chartres qui quitta la partie. Les autres reprirent courage, et, ranimés d'une nouvelle confiance en Dieu par la découverte de la sainte lance, ils firent un tel effort, que le 28 du même mois, après avoir extrêmement souffert pendant vingt-cinq jours, faute de vivres, ils mirent les ennemis en fuite, prirent leur camp, et firent sur eux un butin immense.

(46) Après qu'on eut rétabli toutes choses à Antioche, l'armée chrétienne marcha vers Jérusalem, et y arriva le 7. Mais l'armée ne comptait plus que vingt mille combattants et tout au plus quinze cents chevaux, au lieu qu'il y avait dans la ville, disait-on, quarante mille hommes bien armés, et fournis de toutes sortes de munitions. (47) Godefroi se chargea avec Tancrède de l'attaquer par l'endroit le plus fort, tandis que le comte de Saint-Giles, le duc de Normandie et le comte de Flandres l'attaqueraient de deux autres côtés. (48) Quoiqu'il y eût parmi les seigneurs croisés plusieurs capitaines expérimentés, courageux, intrépides, aucun cependant ne prévenait aux attaques le duc Godefroi. (49) Il se porta à celle de Jérusalem avec tant de succès qu'il réussit le premier à entrer dans la ville, qui fut prise le 15 juillet suivant. (50) Godefroi, qui s'était abstenu du carnage après la victoire, laissa ses compagnons livrés à l'excès de leur joie, et, suivi de trois serviteurs, se rendit sans armes et nu-pieds dans l'église du Saint-Sépulcre. Cet acte de dévotion édifia toute l'armée et lui rappela les devoirs de la piété.

Après la prise de Jérusalem on s'occupa d'en rétablir le royaume. Quatre personnages également illustres, Godefroi, Raimond, Robert, duc de Normandie, et Tancrède, pouvaient prétendre à la couronne. Dix chrétiens, choisis parmi les personnages les plus recommandables du clergé et de l'armée, furent appelés à élire le roi de Jérusalem. Les électeurs proclamèrent le nom de Godefroi et l'armée reçut cette décision avec la joie la plus vive. On conduisit le duc en triomphe à l'église du Saint-Sépulcre, et là, il fit le serment de respecter les lois de l'honneur et de la bonne foi. La cérémonie de son inauguration se borna à cette formalité, car il ne voulut jamais porter les marques de la royauté, disant qu'il ne convenait pas qu'on lui vît une couronne d'or sur la tête dans le lieu même où Jésus-Christ en avait porté une d'épines pour le salut des hommes. Il refusa pareillement de prendre le titre de roi, se contentant de celui de duc et d'avoué du Saint-Sépulcre. Tous les historiens, qui ont parlé de cette élection, et dont la plupart avaient connu personnellement Godefroi, y applaudissent avec les plus grands éloges. (51) Il était juste, dit l'un, qu'en cette occasion Godefroi eût la préférence, puisqu'il était au-dessus de tous les princes de l'armée, tant par ses exploits héroïques et ses conseils que par sa foi et ses vertus. Il la méritait, ajoute un autre, par la raison qu'il était plus propre à donner du relief à la dignité royale qu'à en recevoir d'elle. Car ce n'étaient point les honneurs qui le rendaient illustre, c'était au contraire lui qui relevait l'éclat et le brillant des honneurs. Ainsi il arriva, que pour un duché qu'il avait abandonné par piété, la Providence lui rendit un royaume.

Ce royaume, il est vrai, était alors peu de chose, et ne laissa pas néanmoins de subsister quatre-vingt-huit ans. Les villes qui en dépendaient étaient en petit nombre, et séparées les unes des autres par de vastes déserts. Pendant le peu de temps que régna Godefroi, il pensa moins à faire des entreprises sur l'ennemi qu'à conserver les conquêtes des chrétiens, et à y établir une bonne police. Il se présenta toute-

(44) Will. Tyr. l. v, n. 4-6.
(45) Will. Tyr., l. vi, n. 7, 10, 13, 14, 19-22.
(46) Will. Tyr., l. viii, n. 5 ; Raym. de Agil., p. 177.
(47) Tud. ibid. l, v, p. 809 ; Alb. Aq. l. vi, p. 274.
(48) Malm. ibid.
(49) Tud. ib. p. 811 ; Will. Tyr. l. viii, n 18, 24
(50) Alb. Aq. ibid., p. 281, 282.
(51) Alb. Aquens. p. 281. Will. Tyr. l. ix, n. 1, 2; Rob. ib. p. 76; Bald. Gest. Fr. l. iv, p. 135; Malm. ib., p. 142, 144 ; Ord. Vit. l. ix, pag. 757; Fulch. Gest. Fr. l. i, pag. 836; Spic. t. XII, p. 293.

fois une occasion qui fit craindre et respecter fort au loin le nouveau roi. (52) Le soudan d'Egypte, irrité de la prise de Jérusalem, assembla une armée innombrable de Turcs, d'Arabes, de Sarrasins, et marcha avec le roi de Babylone, pour la reprendre sur les chrétiens. Ses troupes, selon divers auteurs, et de l'aveu même de Godefroi dans sa lettre au pape Paşcal II, allaient à quatre cent mille gens de pied, et cent mille chevaux. Le roi, en étant averti, fit faire des prières publiques pour implorer le secours du Seigneur, et vint avec les autres princes croisés au devant de l'ennemi. Ils le trouvèrent campé dans les plaines d'Ascalon ; et quoique l'armée chrétienne ne fût que de cinq mille chevaux et quinze mille hommes de pied, elle attaqua cette multitude d'infidèles, en tua cent mille sur la place, mit les autres en fuite et fit sur eux un butin immense. C'était le 4 août, peu de jours après l'élection de Godefroi ; et dès lors les émirs ou princes d'Ascalon, de Césarée et de Ptolémaïde recherchèrent son amitié et se rendirent même ses tributaires.

Après cette triomphante expédition la plupart des seigneurs croisés s'en retournèrent en leur pays; et Godefroi tourna tous ses soins au bon gouvernement de son nouvel Etat. Sa piété le fit commencer par le spirituel. Il y fit établir un patriarche, fonda et dota richement deux chapitres de chanoines, l'un dans l'église du Saint-Sépulcre, l'autre dans l'église du Temple, et un monastère dans la vallée de Josaphat. Il plaça dans ce monastère les moines qu'il avait amenés avec lui, après les avoir tirés des maisons les mieux réglées. Après quoi il travailla à donner à ses sujets un code fixe qui leur servît de règle dans les affaires civiles. C'est ce qu'on nomme les *Assises*, ou bons Usages du royaume de Jérusalem, et dont il sera parlé plus en détail dans la suite.

Il n'y avait pas tout à fait un an entier que cet excellent prince régnait, lorsque Dieu, voulant récompenser ses travaux et couronner sa vertu, l'appela à un royaume qui n'aura point de fin. Godefroi, intrépide dans les combats, le fut aussi aux approches de la mort. Intrépidité au reste, qui ne venait que d'une ferme confiance aux miséricordes de Dieu, bien différente de celle de ces esprits prétendus forts et vains philosophes. Comme sa maladie fut de cinq semaines, et qu'on pleurait d'avance la perte qu'on allait faire, il avait l'attention de consoler lui-même les affligés. Etant consulté sur son successeur, il répondit tout simplement que ce devait être celui qui en serait digne. Enfin sentant le mal s'augmenter, il se confessa avec beaucoup de componction et de larmes ; et ayant reçu le saint viatique, il s'endormit dans le Seigneur. Sa mort, qui arriva le 18 juillet 1100 (53), fut pleurée de tous les chrétiens, et même de plusieurs des infidèles parmi les Turcs, les Arabes et les Sarrasins. On enterra son corps avec la pompe convenable dans l'église du Saint-Sépulcre, qui devint depuis le lieu de la sépulture des rois ses successeurs.

Foucher, clerc de Chartres, chapelain, et historien de Baudouin, frère de Godefroi, à qui il succéda, fit un épitaphe pour orner le tombeau de ce pieux roi. Mais elle est d'une si grande platitude, qu'elle ne mérite pas d'être rapportée. On en trouve une autre commune aux deux frères, entre les œuvres de Philippe, abbé de Bonne-Espérance en Hainaut. Mais en voici une troisième qui nous paraît originale, et qui vaut mieux que les deux autres.

EPITAPHE.

Mirificum sidus, dux hic recubat Godefridus :
Ægypti terror, Arabum fuga, Persidis horror.
Rex licet electus, rex noluit intitulari,
Nec diademari, sed sub Christo famulari :
Cujus erat cura Sion reddere sua jura,
Catholiceque sequi sacra dogmata juris et æqui :
Totum schisma seu [teri] circa se jusque fovere
Sic et cum superis potuit diadema mereri :
Militiæ speculum, populi vigor, anchora cleri.

Cette épitaphe, jointe à tout ce qui vient d'être dit de Godefroi dans l'histoire de sa vie, suffit pour le faire connaître tel qu'il a été. Il réunissait éminemment en sa personne toutes les vertus chrétiennes, civiles et militaires, sans mélange d'aucun défaut. Nous ajouterons qu'il avait la taille au-dessus de la moyenne, la mine et le port majestueux, et une force extraordinaire. Il vécut sans contracter d'alliance, et mourut sans enfants. Aucun des écrivains du temps, ou de ceux qui les ont suivis de près, ne nous a appris l'âge auquel mourut cet incomparable héros. Le P. Maimbourg est le seul que nous connaissions entre les modernes qui l'ait fixé à quarante ans. (53') Il est certain qu'il ne mourut pas vieux, puisque sa mère vivait encore en 1098, et même qu'elle ne mourut qu'en 1113. Suivant cette supputation, il serait né en 1060 ou 1061. On dit qu'il vint au monde avec la figure d'une épée, empreinte sur la partie extérieure du bras droit, depuis l'épaule jusqu'au poignet (54).

Guillaume de Tyr, en finissant son éloge, assure qu'il mourut dans la pénitence, et lui donne le titre de confesseur de Jésus-Christ. Molanus, Fisen et les successeurs de Bollandus en font quelque mention. Plusieurs monastères, entre autres les abbayes de S.-Hubert, d'Affighem, de Gorze, et le prieuré de S.-Dagobert de Stenai, l'honorent comme leur

(52) Will. Tyr. ib., n. 10-12; Alb. Aq. ib., p. 288; Dod. chr. an. 1100, p. 464, Sig. Chr. an. 1099; Tud. ib. p. 813, 814; Raim. de Ag., pag. 182, 183.

(53) Il s'est glissé une faute dans le P. Maimbourg, qui lit huitième pour dix-huitième. Orderic Vital (l. x, p. 777,) en fait une plus considérable en donnant à Godefroi trois ans de règne.

(53') Mir. Cod. don. p. 230. Boll. ib. p. 144, not.

(54) Andr. Bib. Belg. p. 291.

bienfaiteur (55). Les églises de Liége et de Verdun sont en droit de le regarder en la même qualité, à raison des grands biens qu'il leur a faits. Nous finirons ce que nous avons à dire sur la personne de ce héros chrétien par le beau portrait que M. l'abbé de Choisy en fait en peu de mots (56). « Jamais l'antiquité fabuleuse, dit cet historien si poli, ne s'est imaginé un héros aussi parfait en toutes choses que la vérité de l'histoire nous représente Godefroi de Bouillon. Sa naissance était illustre ; mais ce fut son mérite qui l'éleva au-dessus des autres, et l'on peut dire de lui que sa grandeur fut l'ouvrage de sa vertu. » Horstius et Picard, l'un et l'autre éditeurs de S. Bernard, donnent à notre héros pour femme Mathilde, fondatrice de l'abbaye de S. Satur. Mais il est constant, par la suite de son histoire, qu'il ne contracta jamais d'alliance. De sorte que ces écrivains pourraient fort bien l'avoir confondu en ceci avec Godefroi le Bossu, son oncle maternel.

§ II. — *Ses écrits.*

Quant aux écrits de Godefroi, l'on ne doit pas s'attendre qu'ils soient en grand nombre ni de longue haleine. Il y en a toutefois suffisamment pour lui mériter le titre d'écrivain.

1° Le plus célèbre, comme le plus considérable, sont les *Assises*, ou *bons Usages du royaume de Jérusalem*. Il n'y a qu'à lire l'inscription suivante, qu'elles portent en tête, pour ne pas douter qu'elles ne soient originairement son ouvrage. La voici dans les mêmes termes qu'elle est énoncée : *Ci commence le livre des Assises et des bons Usages dou royaume de Jerusalem, qui furent establies et mises en escrit par le Duc Godefroy de Bouillon, lequel fu ehleu à Roy et Seignor doudit royaume, et par le conseil des autres Roys, Princes et Barons que aprez le Duc Godefroy furent, et par l'ordenement dou Patriarche de Jerusalem.* Dans le manuscrit qu'en avait René Choppin, elles sont intitulées : *Des Assises, et des Usages, et des Plais de la haute Cort dou royaume de Jerusalem ;* et dans Guillaume de Tyr : *Le Droit coutumier, suivant lequel se gouvernoit le royaume d'Orient.*

Godefroi ayant conçu le dessein de dresser ce Code, ou recueil de statuts, lois, usages et coutumes, qui servit de règle tant à ses sujets qu'à tous les étrangers qui viendraient dans ses Etats, soit pour s'y établir, ou n'y faire qu'une résidence passagère, prit toutes les mesures d'un habile politique pour y réussir. Après la fameuse victoire remportée près d'Ascalon et le départ du plus grand nombre des princes croisés, ceux qui étaient restés en Syrie et en Palestine, avec presque tous les habitants chrétiens, s'assemblèrent à Jérusalem à la fête de Noël de la même année 1099. Le roi profita de ce concours pour y exposer son dessein, qui y fut applaudi; et de l'avis du patriarche, des princes, des barons et des autres qui avaient plus de lumière, on choisit des personnes habiles qui furent chargées de faire les perquisitions nécessaires auprès des gens du pays, pour savoir quels étaient les usages et les coutumes de leurs terres. On leur enjoignit de plus de mettre par écrit tout ce qu'elles en pourraient apprendre ou découvrir, et de porter leurs mémoires au roi. Godefroi les ayant reçus, assembla le patriarche, les princes, les barons, et les leur communiqua. Ensuite, de concert avec eux, il fit choix de ce qui lui parut le plus convenable, et en forma son Code. On lui donna le titre d'*Assises*, parce qu'il fut rédigé dans l'assemblée ou assise des grands du royaume. Il fut écrit en lettres majuscules dont la première était en or et la table en rouge.

Il semble qu'il y en avait deux exemplaires, l'un et l'autre signés du roi, du patriarche et du vicomte, et scellés de leurs sceaux. L'un de ces exemplaires était à l'usage de la cour haute ou souveraine, dont le roi était le premier juge ou président ; et l'autre exemplaire à l'usage de la cour des bourgeois, où présidait le vicomte. Ces deux exemplaires étaient conservés dans un coffre au Saint-Sépulcre, d'où ils n'étaient tirés, lorsqu'il était question de les consulter, qu'avec beaucoup de précaution. Il fallait que ce fut en présence du roi, ou d'un de ses grands officiers en sa place, de deux de ses hommes-liges ou vassaux, du patriarche, ou du prieur du Saint-Sépulcre en son absence, de deux chanoines, du vicomte et de deux jurés de la cour des bourgeois. Le lieu où se conservait ce code lui faisait quelquefois donner le nom de Lettres du Saint-Sépulcre.

Godefroi le commence par invoquer le secours de la sainte Trinité, Père, Fils et Saint-Esprit, et déclarer les motifs qui le lui avaient fait entreprendre. et le but qu'il se proposait dans l'exécution. Ce qu'il dit en cet endroit, qui faisait le premier chapitre de la rédaction originale et qui fait le cinquième de celle que nous avons, est parfaitement digne de sa tendre piété, et annonce un prince attentif au bonheur spirituel et temporel de ses sujets.

De là il passe au détail des qualités que doivent avoir d'abord le seigneur de Jérusalem, soit qu'il porte le titre de roi ou tout autre titre, en quoi l'on reconnaît le langage du duc Godefroi : ensuite les barons et autres seigneurs du royaume, qui ont droit de justice. Il n'oublie pas de marquer entre ces qualités, qu'ils doivent savoir la jurisprudence, et être attentifs à bien gouverner les seigneuries. Puis venant aux juges chargés de rendre la justice, il décrit fort bien, quoiqu'en peu de mots, leurs obligations essentielles; leur recommandant surtout de craindre plus Dieu que les hommes, et d'avoir plus d'égard pour le salut de leur âme et leur propre honneur que pour leur intérêt temporel. Il en use de

(55) Mart. am. Coll., t. IV, p. 996. Anec. t. I, p. 261, 262. Mit. Cod. don., p. 224 ; Spic. t. X, p. 605.

(56) *Journ. des savants*. 1712, p. 119.

même au sujet des qualités et des devoirs de ceux qui plaident les causes des parties. Viennent ensuite les instructions qui concernent les préliminaires de la procédure.

Il serait fort difficile de déterminer sur l'exemplaire imprimé de ces *Assises*, ce qui appartient originairement à Godefroi (57), par la raison qu'elles ont été, telles qu'on les a, rectifiées, augmentées et peut-être changées, en certains points, par les rois ses successeurs. De sorte que la suite des temps en a occasionné différentes rédactions. Jean d'Ibelin, comte de Japhe et d'Ascalon, mort en 1266, en fit une vers 1250. Au bout de plus d'un siècle, en 1369, il y en eut une autre qui fut faite par ordre de Jean de Lusignan, prince d'Antioche et baillistre de Pierre de Lusignan, roi de Chypre, son neveu. Jean de Lusignan y employa seize personnes choisies dans l'assemblée des Etats du royaume; et leur rédaction fut mise au trésor de l'église de Nicosie, dans un coffre scellé de quatre sceaux. C'est dans cette dernière rédaction, comme il paraît, qu'on ajouta ce qui regarde le royaume de Chypre. Additions considérables, qui remplissent les vingt-deux derniers chapitres, sans parler de quantité de traits sur le même sujet intercalés dans les chapitres précédents.

On ne laisse pas néanmoins de s'apercevoir visiblement, au travers de toutes ces additions étrangères, que la rédaction originale commençait au chapitre cinquième de celle qui est venue jusqu'à nous. Il n'est pas moins visible que ce chapitre et les suivants, jusqu'au vingtième exclusivement, ont été les plus respectés, et qu'ils sont tels que Godefroi les avait rédigés. Tout le changement qu'on y a fait, est d'avoir un peu poli la langue romance, en laquelle ces *Assises* furent écrites dès la première rédaction. Encore cette langue retient-elle plus de son ancienne grossièreté dans ces chapitres, que dans le reste de l'ouvrage. Pour ce qui est des quatre premiers chapitres, il est clair qu'ils y ont été ajoutés, ou par Jean d'Ibelin, ou par les derniers rédacteurs.

Il ne paraît point que ni les uns ni les autres aient touché à l'ordre que Godefroi y avait établi. Aussi est-il juste et assez naturel. Il avait divisé son Code en chapitres, dont les premiers traitent de la procédure et de tout ce qui y a trait, commençant, comme on l'a vu, par caractériser les juges et autres gens de justice. Il employait les chapitres suivants à traiter des appeaux, ou appels, des gages de bataille et des duels. Cette partie est curieuse, en ce qu'on y voit toutes les cérémonies, et autres circonstances des combats singuliers entre les champions. Une autre partie était destinée à établir ce qui concerne les baux et les gardes : une autre à discuter les matières féodales, et principalement les services dus par les vassaux en guerre, en justice et en mariage. C'est ce morceau en particulier qui fait voir que le fonds de ces Assises est tiré de notre jurisprudence française, et qu'elles sont une des plus anciennes et plus pures sources de notre droit coutumier. Dans une cinquième partie, Godefroi traitait des diverses matières qui n'entrent point dans les précédentes; et dans une sixième partie, des droits du roi et des grands officiers de la couronne.

On a retenu le même ordre dans les rédactions qui ont suivi la première; et l'on y compte aujourd'hui trois cent trente-un chapitres, en y comprenant les additions. Ces *Assises* ont été longtemps célèbres en Orient, où elles avaient force de loi. Baudouin, premier empereur français de Constantinople en 1204, les fit apporter de Jérusalem (58), et ordonna qu'elles seraient observées dans les pays de son obéissance. C'était par conséquent avant que Jean d'Ibelin en eût fait sa rédaction. En France nos jurisconsultes de ces derniers siècles, et autres écrivains, nommément Du Cange dans sa belle édition *De la vie et des établissements de saint Louis*, en ont fait beaucoup d'usage. Il paraît cependant que les anciens manuscrits de ce Code sont fort rares, et qu'il n'y en a point d'autre que celui de la bibliothèque du Vatican, sur lequel ont été faites toutes les copies qu'on en voit en France. Il y en avait un exemplaire entre les manuscrits de Jean Selden en Angleterre (59), mais on n'est pas à portée de voir s'il est ancien ou récent. S'il remontait jusqu'au XII^e^ siècle, et qu'il représentât l'ouvrage tel qu'il était avant la rédaction de Jean d'Ibelin, il serait précieux. Il ne paraît point au reste qu'on en ait de cette nature, quoique l'usage qu'on fit de ce Code dans l'empire de Constantinople, au commencement du XIII^e^ siècle, dut en faire multiplier les exemplaires. Les manuscrits de la dernière rédaction ne sont plus de grand prix, depuis qu'elle est imprimée.

L'édition en est due aux soins de M. Gaspar Thaumas de la Thaumassière, avocat en parlement, qui y a joint les lignages de deçà la mer; les anciennes Coutumes du Beauvoisis par Philippe de Beaumanoir; celles de Riom et d'Orléans, ensemble de savantes notes et observations sur les *Assises de Jérusalem* et les Coutumes de Beauvoisis, et un Glossaire pour expliquer la plupart des vieux mots. Toutes ces pièces réunies ensemble forment un volume *in-folio*, qui a été imprimé à Bourges, et vendu à Paris en 1690.

Avant cette édition, le texte original des *Assises*

(57) Il résulte du travail récent de M. Beugnot sur les *Assises de Jérusalem* que les titres primitifs sont perdus et qu'il ne nous reste qu'un texte postérieur d'un siècle à Godefroi de Bouillon, œuvre de deux jurisconsultes laïques. Voyez *Assises de Jérusalem*, par M.^le^ comte Arthur Beugnot. Paris 1841, in-fol., Imprim. royale. EDIT. PATROL.

(58) *Journal des Savants*, 1690, p. 309

(59) Ang. Bib. ms. par. I, n. 3457.

ayant été traduit en Italien, fut imprimé à Venise dès 1535, et n'y fut débité qu'en 1543. Mais la division originale de l'ouvrage a été changée dans cette traduction. L'on y distingue deux parties : l'une intitulée l'*Alta Corte*, l'autre la *Bassa Corte*. D'ailleurs les chapitres n'en répondent pas à ceux du texte original. Le P. Labbe, qui a fait entrer dans son *Abrégé royal de l'alliance chronologique de l'histoire sacrée et profane*, quantité de choses des *Assises de Jérusalem*, a eu soin d'y marquer les autres différences qui se trouvent entre ces mêmes *Assises* en romance, et leur traduction italienne.

2° Il y a sous le nom du duc Godefroi plusieurs lettres, dont quelques-unes lui sont particulières, et les autres communes avec d'autres princes et prélats croisés. Quoique celles-ci ne soient pas apparemment des productions de sa plume, plus d'une raison exige néanmoins que nous en rendions compte. D'un côté, elles portent son nom ; et par conséquent elles lui appartiennent par quelque endroit, comme y ayant eu quelque part, et peut-être la principale en qualité de premier général de l'armée chrétienne. De l'autre, elles méritent d'être connues, puisqu'elles concernent les aventures des croisés ; et nous ne pouvons avoir d'occasion plus convenable que celle-ci de les faire connaître.

La première de ces lettres dans l'ordre des temps, et qui est particulière à notre héros, fut écrite des environs de Constantinople au mois de mai 1096, lorsque l'empereur Alexis Comnène faisait sentir à l'auteur les effets de sa haine contre les Latins (60). C'est une réponse à celle que le prince Boëmond, avant de partir pour la croisade, avait écrite à Godefroi pour lui faire connaître le caractère de duplicité et de fourberie de cet empereur, et l'avertir de s'en donner de garde. Godefroi, qui ne l'avait déjà que trop connu par sa propre expérience, confirme dans sa lettre tout ce que son ami lui en disait. Elle est bien écrite à tous égards, et nous a été conservée par Guillaume de Tyr, qui lui a donné place dans son Histoire de la guerre sainte.

Foucher de Chartres (61), autre historien de la Croisade, nous a transmis une autre lettre adressée au pape Urbain II. Celle-ci fut écrite d'Antioche le onzième de septembre 1098, et porte en tête les noms de Boëmond, nommé le premier parce qu'il avait été reconnu prince d'Antioche : de Raimond comte de Saint-Giles, de Godefroi duc de Lorraine, de Robert comte de Normandie, de Robert comte de Flandres et d'Eustache comte de Boulogne. La première partie de cette lettre roule principalement sur la manière dont fut prise la ville d'Antioche par les croisés, ce qu'ils y eurent à souffrir, lorsque trois jours après s'en être rendus maîtres, ils s'y virent assiégés par une multitude innombrable d'infidèles ; la découverte de la sainte lance, qu'ils regardèrent comme un gage de la protection de Dieu sur eux ; et la victoire signalée qu'ils remportèrent sur leurs ennemis au bout de vingt-cinq jours, à compter du troisième de juin qu'ils avaient pris la ville, jusqu'au vingt-huitième du même mois, que les infidèles en levèrent le siége, et furent défaits.

L'autre partie de la lettre est employée à annoncer au pape la triste nouvelle de la mort d'Adhémar, évêque du Puy, qu'il avait établi son vicaire pour la croisade, et à le presser de venir le remplacer. Pour l'y déterminer, les princes croisés se servent des motifs les plus puissants et finissent par prier Dieu qu'il lui fasse exécuter ce louable dessein.

M. Baluze, qui ne s'était pas sans doute aperçu que cette lettre se trouve enchâssée dans l'histoire de Foucher, l'a réimprimée dans ses *Miscellanea* (62). Mais son édition, qu'il a donnée sur un ancien manuscrit de la bibliothèque du Roi, n'est pas tout à fait inutile. Elle contient une addition, ou *postscriptum*, qui manque dans l'exemplaire de Foucher, et qui nous apprend la date précise de la lettre. L'addition est pour se plaindre de ce que le pape, qui avait été le prédicateur et le principal auteur de la croisade, accordait cependant à quelques croisés dispense de faire le voyage auquel ils s'étaient engagés, ce qui était très-préjudiciable à l'exécution du dessein projeté. L'on y donne aussi avis au pontife romain que l'empereur de Constantinople n'avait point tenu aux croisés ce qu'il leur avait promis. C'est un seul personnage qui parle dans cette addition, *mihi quidem relatum est*, quoique la lettre soit au nom de tous, et que tous y parlent en commun, excepté l'endroit qui regarde la convention de Boëmond avec un Turc pour lui livrer la ville, et où ce prince raconte ce fait seul, en parlant en son nom.

Du reste les différences qui se trouvent entre les deux exemplaires de cette lettre ne sont pas fort considérables. Celui de Foucher, en marquant le jour de la prise d'Antioche, porte le troisième des Nones de juillet, qui serait le cinquième du même mois : ce qui est une faute, comme il est clair par le témoignage de Guillaume de Tyr et d'autres historiens. Il faut lire de *juin* au lieu de *juillet*, ainsi qu'il est exprimé dans l'exemplaire de Baluze. Dans celui-ci le prince d'Antioche, au temps de sa prise, est nommé *Cassien*, et *Gratien* dans Foucher. Ici la forteresse de la ville est toujours nommée *Castrum* ; et *Asylum* dans Baluze. De même l'émir ou commandant qui la rendit aux croisés est nommé *Admiratus* dans Foucher, et *Admirabilis* dans Baluze, ce qui est une faute. Enfin l'inscription originale de la lettre est plus entière dans l'exemplaire de Foucher que dans celui de Baluze.

Dom Martène et dom Durand nous ont donné une autre lettre des princes croisés (63) ; mais elle ne porte en tête que les noms de Boëmond, de Raimond

(60) Will. Tyr. l. II, n. 10.
(61) Fulc. Ges. Fr. l. I, n. 15, p. 830, 831.
(62) Tom. I. p. 415, 419.
(63) Anec., t. I, p. 272, 273.

comte de Saint-Giles, du duc Godefroi et de Hugues le Grand. Elle est circulaire, étant adressée généralement à tous les catholiques, pour leur apprendre les progrès de la croisade. Quoique beaucoup plus courte que la précédente, elle comprend néanmoins plus de faits, mais seulement en général et sans leurs circonstances. Elle remonte jusqu'à l'accommodement, que les princes croisés firent au mois de mai 1096 avec l'empereur des Grecs, et touche l'action entre l'armée chrétienne et celle des Turcs à la fin du même mois, dans laquelle les croisés perdirent trois mille hommes, et tuèrent trente mille de ces infidèles. Elle passe ensuite à la prise de Nicée et à celle d'Antioche, sans y joindre d'autres circonstances, sinon que cette dernière ville avait coûté dix mille hommes aux chrétiens, et soixante-dix mille aux Turcs. La lettre finit par annoncer aux fidèles à qui elle est adressée que le roi de Perse se disposait à livrer bataille aux croisés le jour de la Toussaint suivant, et par les conjurer de leur obtenir le secours du Seigneur par leurs prières, leurs jeûnes, leurs aumônes. Pour les y porter plus puissamment, elle ajoute que ce prince avait assuré que s'il remportait la victoire, il ne cesserait, avec le roi de Babylone et plusieurs autres rois infidèles, de faire la guerre aux Chrétiens, au lieu que si ceux-ci étaient les victorieux, il embrasserait, lui et tous ceux qu'il pourrait gagner, la foi de Jésus-Christ.

Les éditeurs avaient déjà publié cette lettre sur un manuscrit de Saint-Aubin d'Angers, en la rapportant à l'année 1097, lorsque l'ayant trouvée dans un autre manuscrit de S. Thierri près de Reims, ils l'ont donnée de nouveau (64), en lui assignant l'année suivante, à laquelle elle appartient. En effet, quoiqu'elle soit sans date, il y a toute apparence qu'elle fut écrite et envoyée en Europe, au même temps que la précédente au pape Urbain II. On ne peut même en douter en voyant qu'elle fait mention de la prise d'Antioche, qui se fit le troisième de juin 1098, et qu'elle ne parle d'autres faits qui la suivirent, que de ceux qui devaient arriver à la Toussaint suivante.

Dans ce dernier exemplaire, la lettre est accompagnée d'un billet de Hugues, évêque de Grenoble, à l'archevêque de Tours et à ses chanoines. Hugues y dit que cette lettre lui ayant été apportée à Grenoble, il leur en envoie copie, afin qu'ils la communiquent à tous ceux qui se trouveraient à la fête, apparemment de Saint-Martin, qui se célébrait alors avec un concours prodigieux de peuples, et que ceux-ci à leur tour la fassent connaître dans les divers lieux de leur résidence. Ce pieux prélat se proposait par là, comme il le déclare expressément, d'augmenter le nombre des croisés et de leur procurer les secours spirituels qu'ils demandaient.

Dodechin dans sa continuation de la Chronique de Marien Scot (65), nous a conservé une autre lettre du roi Godefroi qui n'y prend néanmoins, par une humble modestie, que la qualité d'avoué de l'église du Saint-Sépulcre. Celle-ci lui est commune avec Daïmbert, archevêque de Pise, établi patriarche de Jérusalem, et Raimond, comte de saint Giles. Elle est adressée au pape Pascal II, successeur immédiat d'Urbain, et fut écrite peu de temps après la célèbre victoire que l'armée chrétienne remporta sur les infidèles près d'Ascalon, le quatrième d'août 1099, et dont elle fait une relation un peu circonstanciée. Le pape cependant la reçut un peu tard, puisqu'il n'y répondit que le quatrième de mai de l'année suivante : retardement qui fut causé sans doute par les mesures qu'il lui fallut prendre pour envoyer un légat aux croisés. Il paraît que l'intention des auteurs de la lettre était qu'elle fût circulaire. C'est ce que fait juger l'inscription, dans laquelle ils joignent au pape tous les évêques et tous les fidèles du monde chrétien. Outre la relation de la journée d'Ascalon, dont il a été parlé, la lettre contient une récapitulation succincte des conquêtes de l'armée des croisés, depuis la prise de Nicée jusqu'au départ du duc de Normandie et du comte de Flandres, pour retourner dans leurs Etats, ce qui arriva peu de temps après la victoire d'Ascalon. Elle finit par conjurer ceux à qui elle est adressée d'avoir tous les égards possibles pour les croisés qui s'en revenaient en Europe, et qui en furent vraisemblablement les porteurs, et de les aider à payer leurs dettes.

Dom Martène et Dom Durand, ayant trouvé cette lettre dans un manuscrit de l'abbaye de Signy au diocèse de Reims, l'ont publiée de nouveau (66). Le texte dans leur édition est un peu plus entier que dans l'exemplaire de Dodechin. Il s'y est cependant glissé une faute qui est à remarquer. On y lit après les premières lignes, *ut de ariete nummus*, au lieu qu'il devrait y avoir, *ut de ariete minimus*. Le défaut de points sur les *i* dans les anciens manuscrits a donné occasion à cette faute.

Valère-André (67) témoigne qu'il y avait encore une autre lettre du roi Godefroi, à qui elle était propre. Elle se conservait au temps de ce bibliographe chez les chanoines réguliers de Tongres. Godefroi l'adressait au pape, on ne dit point lequel, si c'était Urbain ou Pascal II, et y traitait de ses guerres en Palestine. Si Valère-André y a regardé de près, et que cette lettre soit effectivement particulière à Godefroy, elle doit être différente des deux autres adressées, l'une à Urbain, l'autre à Pascal, et desquelles on a rendu compte. En ce cas elle mériterait qu'on la recherchât et qu'on en fît présent au public qui y trouverait peut-être des faits ou circonstances de faits qui ne se lisent pas dans les autres, quoique sur le même sujet.

De toutes les harangues, remontrances ou exhor-

(64) *Am. coll.* t. I, p. 568, 569,
(65) Dod. Chr. an. 1100, p. 463-465.
(66) Anec. ibid. p. 281-283.
(67) Andr. Bib. Belg. p. 291.

tations qu'ait faites Godefroi, soit aux croisés, en qualité de général de leur armée, soit à ses sujets, en qualité de souverain, on ne nous a conservé que celle qu'il fit au siége d'Antioche, lorsque toutes choses paraissant désespérées pour l'armée chrétienne, elle était sur le point de le lever. Nous en sommes redevables à Guillaume de Tyr, qui a eu soin de la faire entrer dans sa belle Histoire de la Croisade (68), honneur qu'il n'a pas fait à tant d'autres, rapportées par les autres historiens. Cette harangue est courte, mais pathétique, puissante en motifs, pleine de traits de piété et de grandeur d'âme. Elle eut son effet, en inspirant aux croisés un nouveau courage, et les portant à faire de nouveaux efforts, qui furent suivis de la défaite des infidèles et de la prise de la ville.

Le style de cette pièce, et celui de la lettre qui est particulière à Godefroi, montrent que leur auteur parlait latin assez purement, et même avec une certaine élégance pour son siècle. On voit la même chose par trois ou quatre chartes qu'on a de lui, en faveur d'autant de monastères : supposé néanmoins que ce soit lui-même qui les ait dictées.

(68) Will. Tyr. l. v, n. 5.

GODEFRIDI REGIS

EPISTOLÆ.

EPISTOLA PRIMA.

PRINCIPIS ANTIOCHIÆ AD GODEFRIDUM BOEMUNDI.

(Anno 1096, Mai.)

Ut Græcorum versutiam et dolos caveat.

[Will. Tyr. l. II, n. 10.]

Noveris, vivorum optime, quod tibi contra feram pessimam et cum homine nequam incumbit negotium, cujus propositum est semper fallere et omnem Latinorum nationem usque ad mortem modis omnibus persequi ; et quod de eo recte sentiam, tuo quoque aliquando approbabitur judicio. Novi enim Græcorum malitiam et odium adversus Latinorum nomen pertinax et obstinatum. Cede ergo, si placet, urbe relicta, ad partes Adrianopolitanas, vel circa Philippopolim, et legiones tibi a Domino commissas, in locis uberibus, alimentis et otio præcipe recreari. Ego autem, auctore Domino, circa veris initium festinus adero, consilium et auxilium fraterna charitate, tanquam domino meo, contra impium Græcorum principem ministraturus.

EPISTOLA II.

GODEFRIDI AD BOEMUNDUM.

(Anno et mens. eod.)

Ad præcedentem responsoria.

Novi, dilectissime frater, et fama referente pridem edoctus sum quod odio inexorabili Græcorum astutiæ populum semper nostrum persequi ardentissime studuerunt, et si quid mihi defuit prius ad scientiam, quotidie per experimentum addisco plenius ; nec dubito quin justo zelo adversus eos movearis, et de eorum nequitia recte sentias. Sed Dei timorem habens præ oculis, et propositum meum considerans, arma infidelibus debita in populum convertere Christianum reformido. Adventum tamen tuum nobis desiderabilem, et aliorum principum Deo devotorum præsentiam avidissime Deo amabilis, qui nobiscum est, exspectat exercitus.

EPISTOLA III.

BOEMUNDI, RAYMUNDI S. ÆGIDII, GODEFRIDI, ROBERTI COMITIS NORTHMANNIÆ, ROBERTI COMITIS FLANDRENSIS, EUSTACHII COMITIS BOLONIÆ AD URBANUM PAPAM.

(Anno 1098, Sept.)

De obsidione et expugnatione Antiochiæ.

[Vide in Urbano II, Patr. t. CL, col. 551.]

EPISTOLA IV.

BOEMUNDI, RAIMUNDI COMITIS SANCTI ÆGIDII, GODEFRIDI DUCIS, ET HUGONIS MAGNI AD UNIVERSOS CHRISTI FIDELES.

(Anno 1098.)

De pace inita cum imperatore Constantinopolitano, deque victoriis ab exercitu Christianorum reportatis in Turcas.

[Martene, *Ampliss. Collect.*, t. I, p. 568, ex ms. monasterii S. Theoderici.]

Boemundus, filius Roberti, atque Raymundus, comes S. Ægidii, simulque Godefridus dux, atque Hugo Magnus, majoribus et minoribus totius orbis catholicæ fidei cultoribus vitam adipisci perpetuam.

Ut notum sit omnibus qualiter inter nos et imperatorem facta sit pax, et quomodo in terra Sarracenorum nobis postquam illuc venimus evenit, direximus ad vos hunc nostrum legatum, qui omnia quæ apud nos facta sunt vobis per ordinem diligenter edisserat. Primum dicendum est quod imperator medio mense Maio dedit nobis fiducias atque securitatem cum juramento, dando etiam nobis obsides, scilicet nepotem atque generum suum, adjungensque in his quod nemini peregrinorum S. Sepulcri contumeliam amplius inferre conaretur. Postea misit proprium suum... per omnem terram suam, dirigens eum usque ad Duratium, jussit ut aliquem peregrinum tangere in malo nemo ausus esset. Quod si quis hoc infringeret, suspendii pœnam illico

digne sùbiret. Quid plura? modo revertamur ad ea quibus maximo gaudio vestra repleri debent corda. In fine vero mensis Maii prælium cum Turcis fieri stabilivimus. Illos autem Deo gratias devicimus. Ex illis autem procul dubio in ipso prælio xxx millia mortua sunt, ex nòstris vero tria millia in pace defuncta sunt, qui sine dubitatione ulla vita gloriantur æterna. Ibi certe innumerabiliter copiam auri et argenti atque pretiosarum vestium, nec non et armorum omnes nos recuperavimus. Nicæam quoque ingentem civitatem virtute forti comprehendimus, et ultra eam castra et civitates, et per decem dietas acquisivimus. Postea apud Antiochiam bellum magnum fecimus quod multum viriliter devicimus, adeo quod ex eis sexaginta et novem millia occisa sunt, ex nostris vero decem millia in pace defuncta sunt. Quis tale gaudium vidit? *Sive* enim *vivimus*, *sive morimur*, *Domini sumus* (*Rom.* XIV, 8). Ad hæc pro certo sciatis regem Persarum in festivitate Omnium Sanctorum nobis prælium se peracturum mandasse, asserens quod si nos devicerit, nullatenus cum rege Babyloniæ et aliis pluribus regibus paganis super Christianos cessabit. Porro si perdiderit, A se et omnes quos adjungere poterit, Christianos futuros spopondit. Unde vos valde precamur, ut inde jejunia, ac eleemosynas missasque assidue cum devotione faciatis. Specialiter autem tertium diem ante festum qui est dies Veneris, in quo triumphante Christo prælium potenter commissuri sumus, devote cum eleemosynis et orationibus observetis.

Ego Gratianopolitanus (69) episcopus has litteras mihi allatas Gratianopolim vobis sanctæ Turonensis Ecclesiæ archiepiscopo et canonicis mitto, ut per vos omnibus qui ad festum convenerint innotescant, et per eos diversis partibus orbis ad quas redituri sunt, alii eorum justis petitionibus, orationibus et eleemosynis subveniant, alii vero cum armis accurrere festinent.

EPISTOLA V.

DAIMBERTI PISANI ARCHIEPISCOPI, GODEFRIDI BULLONII ET RAYMUNDI COMITIS S. ÆGIDII AD PASCHALEM PAPAM.

(Anno 1100.)

De victoriis ab exercitu Christiano in terra sancta reportatis.

[Vide in Paschali ad an. 1118.]

(69) Is erat S. Hugo, qui anno 1081, a Gregorio papa VII consecratus, paucis post annis S. Brunonem ejusque socios excepit, atque eis Carthusiæ solitudinem ad novum vitæ genus instituendum ibidem commisit. Præerat vero tunc Turonensi Ecclesiæ Radulphus II.

GODEFRIDI REGIS

CONCIO AD MILITES CHRISTIANOS

Ut pristinæ virtutis memores obsidioni Antiochiæ insistant.

(WILLELM. TYR., l. v, n. 5).

Si ita, ut nobis nuntiatum est, peccatis nostris exigentibus, Domino permittente, de dominis et fratribus nostris hostes nominis et fidei Christianæ triumphaverunt, nihil aliud restare video, viri illustres, quam ut cum eis moriamur, aut tantam Domino Jesu Christo illatam ulciscamur injuriam. Mihi, credite, quia nec vita, nec salus morte, vel quolibet ægritudinis genere, charior est, si tantorum principum sanguis impune effusus est super terram; aut tanta Deo devoti populi strages maturam non invenerit ultionem. Videtur ergo mihi quod C hostes de præsenti aliquantulum elati victoria, imprudentius se habebunt; et de sua virtute præsumentes, per nos ad urbem redire, prædam et manubias inferre non verebuntur. Nos ergo, si tamen, ita vobis videtur, hic simus parati; et justam causam foventes, de obtinenda victoria, in eo cui militare nos credimus, spem certam habeamus: et hostes, si per nos redire voluerint, in ore gladii, hostium more suscipiamus, injuriæ memores illatæ, et a paternis virtutibus non degeneres.

GODEFRIDI REGIS

DIPLOMATA.

Præceptum Godefridi ducis pro cella Satanacensi (70) *— Ecclesiam S. Dagoberti martyris, apud Satanacum sitam et ab Arnulfo comite occupatam, Gorziensibus monachis restituit.*

(Anno 1093).

[MARTEN., *Anecd.*, t. I, p. 162].

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Patris, D et Filii, et Spiritus sancti. GODEFRIDUS, divina propitiante gratia, dux et marchio.

Justum et utile nobis esse scire et considerare debemus: ut, quoniam sæcularis militiæ negotii occupati divinis intendere, prout expedit, nequaquam valemus, saltem Deo et sanctis peculiarius in monasteriis Deo servientibus consilium nostrum

70) *Stenai.*

et auxilium exhibentes, per hoc beneficentiæ eorum pariterque mercedis, ipso Deo donante, participes existere valeamus. Unde notum esse volumus sanctæ universalis Ecclesiæ filiis fidelibus, tam futuris quam præsentibus, quia dux Godefridus avus meus cum Beatrice uxore sua apud Sathanacum juris sui villam, in ecclesia sancti martyris Dagoberti pro suarum animarum remedio monachos de monasterio Sancti Gorgonii constituerunt, eisque inter alia ad supplementum victus et vestitus ecclesiam villæ Mosaci, quæ sine contradictione suæ proprietatis erat, legaliter condonaverunt; quam etiam ipsi monachi tota vita ipsius avi mei et filii sui avunculi mei quiete et pacifice possederunt. Postquam vero ipsis defunctis in nostras manus honor eorum per successionem devenit, et pene omnis regio ipsis ante subjecta in odium nostri atque inimicitias gratuitas conjuravit, ipsi tunc hostes nostri, causa odii in nos assumpti, in ipsos quoque monachos insurrexerunt, eisque per summam injustitiam atque violentiam ipsam ecclesiam de manibus abstulerunt, atque alteri in beneficium tradiderunt, multisque annis, usquedum videlicet erga nos in gratiam redirent, cœptam injustitiam Deo sanctisque sibi famulantibus intulerunt. Super qua re cum apud Sathanacum, nobis præsentibus, quæstio oborta fuisset, et ipsis etiam coessentibus qui ipsam violentiam exercebant, concio monachorum nos super hac interpellari cœpisset, seque jam super hoc apud synodum Treverensem proclamationem fecisse, et judicio synodali ipsam ecclesiam suo juri adjudicatam fuisse et auctoritate pontificali pacem et quietem possidendi sibi imperatam esse dixisset, simulque adhuc superesse testes qui prædictæ donationi avi mei interfuissent efficaciter affirmasset, ipsos testes undique evocari et ante nos coadunari effecimus, et ipsis testificantibus vera esse quæ ipsi asseverabant omni parte reperimus. Quibus omnibus auditis et diligentius consideratis, visum est nobis comitem Arnulfum qui princeps ipsorum fuerat ecclesiæ pervasorum, sub nomine sacramenti et fidei conjurare, utrumnam hæc omnia cognosceret vera esse, an potius ea vel vellet vel posset veraciter impugnare. Qui sine ipsa adjuratione confessus est. Hæc ita, ut diximus, acta esse, seque et interfuisse, et audisse, et vidisse et, ipso avo meo hanc donationem faciente, laudasse. Hac ejus confessione percepta, subsequenter eum monuimus, ut sancto et nobis exinde faceret quod facere jure deberet, et ipsam invasionem coram Deo et sanctis emendans, deinceps ab ipsa ecclesia cum omnibus sibi subjectis perpetualiter abstineret, et ipse jure obniti non valens, ad opus Dei et S. Dagoberti sibique deservientium monachorum ipsam ecclesiam nobis integre et sine omni in posterum reclamatione reddidit, et verpivit, et nobis ipsius ecclesiæ donum sancto Dagoberto super altare restituentibus, ipse spontaneus interfuit et laudavit. Unde ut hæc rerum gestarum memoria per tempora succedentia firma permaneat et inconvulsa, hanc descriptionem memorialem fieri jussimus, et sigilli nostri impressione ac testium idoneorum affixione roborari statuimus.

Signum Godefridi Dei gratia ducis et marchionis. S. Amalrici. S. Simonis fratris sui. S. Valteri. S. Attonis. S. Dudonis. S. Gerardi. Signum Hembardi. S. Helberti. S. Arnulfi. S. Aleranni. Signum Simonis. Signum Ursionis, S. Heriberti, S. Hagineri, S. Oilardi, S. Guigfridi, S. Franconis, S. Hugonis, S. Harmanni.

Acta Bullioni anno Dominicæ Incarnationis 1093 indictione I, anno regni Henrici quarti XXXVII, imperii X, pontificante domno Fulberto Trevirorum, archiepiscopo, anno sui pontificatus X (71).

II.

Godefridus Bullonius, dux Lotharingiæ, postea rex Hierosolymorum, copiosius dotat monasteriolum seu prioratum S. Petri, in municipio Bulloniensi, a Godefrido Barbato, Lotharingiæ duce, fundatum. Anno 1094).

[MIRÆUS, *Opp. diplom.*, I, 76.]

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, Amen. Ego GODEFRIDUS, legitimus successor et hæres ducis (71*) Godefridi Barbati, filiique ejus potentissimi et justissimi ducis Godefridi (72) avunculi mei, repræsentans, nec non beneficia, quæ divina mihi gratia donaverat, recogitans, de iisdem donis suis, ad augendum servitium ejus, destinavi reddere aliqua.

Et quia præfatus avus meus Godefridus apud ecclesiam beati Petri apostolorum principis, quæ sita est ante castrum Bullonium, religiosos fratres ex cœnobio beati Huberti pontificis, concedente venerabili Theoderico abbate, pro remedio animæ suæ

(71) Hanc chartam edidit Miræus in notitia ecclesiarum Belgii, sed valde truncatam et cum nonnullis mendis, integram hic ex chartario Gorziensi et sanam damus.

(71*) Godefridus, cognomento *Barbatus*, Goziloni patri, adhuc viventi, in ducatu Mosellano suffectus est, juxta Hermannum Contractum. Ducatu illo postmodum, ob rebellionem, ab Henrico IV rege privatus, in Italiam se contulit, et Beatricem, Bonifacii Italiæ marchionis viduam, Frederici II Mosellanorum ducis filiam, duxit uxorem. Exinde ducatum Lotharingiæ inferioris obtinuit, et anno 1070, moriens, Virduni est conditus. Liberos reliquit Godefridum cognomento Gibbosum, seu Strumam, seu Justum ut apud Tyrium lib. IX, cap. 5, et Idam, Godefridi Bullonii matrem.

(72) Godefridus, cognomento *Gibbosus*, seu *Struma*, seu *Justus*, ut supra in hoc diplomate vocatur, patri in ducatu Lotharingiæ inferioris successit, et una Marcam Antverpiensem tenuit. Uxor illi fuit Mathildis potentissima Italiæ marchionissa, Beatricis paulo ante laudatæ filia, quæ amplissimas possessiones Ecclesiæ Romanæ, testamenti tabulis, legavit, et anno 1115 obiit. Godefridus porro Gibbosus anno 1076 Antverpiæ a sicario confossus est, et Virduni juxta patrem humatus. Sine liberis moriens Gibbosus nepotem suum ex sorore Ida Godefridum Bullonium universi patrimonii sui (in his Bullonii, teste Gomicurtio,) scripsit hæredem. Tyrius lib. IX, cap. 5, spectavit Bullonium jam olim ad suos ex parte matris majores : unde et Godefridus cognominatur Bulloniensis. Gom. ex Sigeberto.

constituerat, et eamdem constitutionem suam de nominatis ibidem redditibus, auctoritate et privilegio Alexandri papæ confirmari fecerat, mihi quoque visum est justum, ex effectu divinæ inspirationis, ut qui eram ejus honoris, essem et particeps devotionis.

Hanc meam intentionem cum retulissem matri meæ Idæ, prædicti ducis filiæ, et fratribus meis Balduino et Eustathio, eorum deinde consilio et consensu voluntario, ecclesiam nostram, nostri proprii et hæreditarii juris de Baseio, destinavimus et donavimus, ad augmentum prædictæ eleemosynæ avi mei Godefridi donandam perpetualiter beato Petro et beato Huberto.

Quod donum ut ratum et firmum esset, eamdem matrem meam et fratres meos Bullonium duxi, et in præsentia optimatum meorum, vestituram prædictæ ecclesiæ in Baseio (73), sine ulla calumnia et contradictione, simul deposuimus super altare beati Petri; eamdemque donationem ego ipse, qui eram legalis advocatus Ecclesiæ (seu monasterii S. Huberti), abbate Theoderico ibidem præsente, jure tuendam recepi.

Actum publice Bullonii anno Dominicæ Incarnationis 1094, indictione II.

III.

Godefridus Bullonius, Lotharingiæ dux, ejusque frater Balduinus (qui postea Hierosolymitani ex ordine reges fuerunt) ecclesiam S. Dagoberti, in Sathanaco (74) Lotharingiæ oppido sitam, amplius dotandam curant.

(Anno 1096.)

[MIRÆUS *ubi supra*, p. 365.]

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, GODEFRIDUS Dei gratia et misericordia dux et marchio.

Quoniam quidem negotiis sæcularibus satis superque detenti, divinis prout necesse est intendere non valemus, et per hoc temporalia emolumenta spectantes, animarum statum, quod nobis valde formidabile est, negligere non timemus, operæ pretium est nobis saltem Deo regulariter servientium utilitatibus providere: quatenus, ipsis pro nobis orantibus, mercedis eorum apud Deum in aliquo participes valeamus existere.

Unde ego et frater meus Balduinus notum facimus omnibus nunc vel futuris temporibus sanctæ Ecclesiæ filiis et fidelibus quod ecclesia apud Sathanacum olim villam, nunc castellum, in honore S. Dagoberti martyris constructa, temporibus priscis, ab avo nostro duce Godefrido Barbato et Beatrice (75) conjuge sua, S. Gorgonio Gorziensi et Henrico ipsius loci abbati venerando, et monachis ipsius, cum omnibus appendiciis suis donata, et ab ejus filio Godefrido similiter duce, nostroque avunculo, tota vita sua laudata; sed postea nobis in eorum hæreditatem succedentibus, et multis gravibusque contra nos excitatis bellorum tumultibus, ex uno ab hostibus nostris, occasione nostri odii, per circuitum suum direpta est et vastata; ex alio, nobis in ejusmodi tempestatibus occupatis, non ita ut dignum et necessarium fuerat, provisa est et defensa.

Quapropter monachis, qui ibi dispositi erant, penurias aliquantas patientibus, et super hoc quibusdam honestis hominibus apud nostram audientiam querimoniam facientibus, statuimus dominum Warnerum, Gorziensem abbatem, prædicti Henrici successorem, ad nos cum suis fratribus convocare; et consilio inter nos communicato, justum et utile visum est per nostram et ejus donationem ipsorum fratrum Sathanaci commorantium substantiam multiplicari et crescere; quatenus dum minus rerum temporalium sollicitudinibus occuparentur, divini servitii studiis efficacius insistere animarentur.

Prædictus ergo abbas cum consilio fratrum suorum, ad supplementum substantiæ, quidquid Ecclesia Gorziensis in Gaudiaco villa, super fluvium Mosellam sita, possidebat, contulit et perpetuo possidendum rata donatione firmavit, scilicet in ecclesia, decimis, vineis, campis, pratis, pascuis, silvis, terris, et suis omnibus pertinentiis; accepto tamen navali transitu et reditu, qui ibi inter monasterium et civitatem decurrit.

Nos autem quidquid primum præscriptus avus noster Godefridus Barbatus, et conjux sua Beatrix, ad ecclesiam ipsam et monachorum in ea Deo famulantium sustinentiam et utilitatem contulerat, et postea vel quorumdam præsumptio hostilis abstulerat, vel nostra occupatio et auxilii indigentia etiam a nostris contra ipsos violenter teneri pertulerat, porrectis simul manibus, scilicet ego Godefridus dux et frater meus Balduinus, integre et absolute reddidimus; utque deinceps in perpetuum fratres prædicto loco deservientes pacifice illud, et absque cujusquam inquietudine teneant, per manus liberorum fidejussorum, super altare S. Gorgonii donum ipsum poni et vestitura legali confirmari effecimus: scilicet ecclesiam S. Dagoberti, cum domo quæ

(73) *Baseio.* Godefridus Bullonius, natus est ac nutritus in Baisu juxta Genappiam, ut legitur in ms. Nivellensi Genealogia ducum Brabantiæ; et in chronico magno Belgii est prope Villers in Gallo-Brabantia, ad Tiliam.

(74) *Sathanacum*, vulgo *Stenay*, oppidum est hodie ducatus Lotharingiæ.

(75) Beatrix, Frederici II Lotharingiæ Mosellani ducis filia, primum Bonifacio Tusciæ marchioni, post Godefrido Magno seu Barbato, utriusque Lotharingiæ duci nupsit. Ex Bonifatio Mathildem, et ex Godefrido Magno genuit Godefridum Gibbosum, Lotharingiæ inferioris ducem, et Idam Eustathii II comitis Boloniensis conjugem, Godefridi Bullonii matrem. Mathildis virilis animi mulier, anno 1077 et 1102 varia Tusciæ et Liguriæ oppida S. Romanæ Ecclesiæ dono dedit, quæ hodie patrimonium S. Petri nuncupantur. Anno 1115 e vita decessit, bis quidem nupta, primum Godefrido Gibboso supra nominato, post, ann. 1089, Welphoni, Welphonis IV Bajoariæ ducis filio, Azonis marchionis Ferrariensis nepoti, sed semper intacta, ut Bertholdus, Donnizo, Leo Ostiensis, et scriptor Chronici de Guelfis, tom. II, Canisii, narrant.

vulgo cella vocatur et cum omnibus ab antiquitate appendiciis suis in decimis, pratis, silvis, terris cultis et incultis, viridariis, molendinis, aquis, piscationibus, acquisitis et acquirendis et omnibus quæ quocunque modo nominari possunt pertinentiis, simulque ecclesiam de Mosaco, cum omnibus utilitatibus suis, et omnibus, quæ prædictus avus meus superaddidit, donationibus prælibatis.

Præterea ne quis unquam huic nostræ constitutioni et vestituræ legali audeat refragari, nostra et omnium successorum nostrorum auctoritate et banno prohibemus et interdicimus, et quidpiam late præsumpserit, ad divinum eos judicium provocamus.

A Ut etiam hæc nostra statuta rata et inconvulsa permaneant, hanc memorialem descriptionem fieri jussimus, et sigilli nostri impressione, testiumque idoneorum affixione signavimus.

Signum Godefridi ducis qui hanc chartam describi fecit.

S. Baldwini, fratris sui, S. Walterii, advocati, S. Henrici comitis, S. Amalrici, S. Richeri, S. Ottonis, S. Ludonis, S. Heriberti, S. Everardi, S. Albrici, S. Leudonis, S. Sihardi, S. Sozfridi, fratris sui, S. Helgaudi, S. Franconis, S. Hugonis.

Actum Sathanaci, anno Dominicæ Incarnationis millesimo nonagesimo sexto, indictione quarta.

ASSISES DE JERUSALEM.

Rubricas et excerpta nonnulla tantum damus cum præfatione editoris. Vide si lubet : *Assises et bons usages du royaume de Jérusalem, tirés d'un manuscrit de la bibliothèque Vaticane, avec les notes et observations de Gaspard Thaumas de la Thaumassière, écuyer, seigneur du Puy-Ferrand, avocat en parlement.* — Bourges, 1690; vel hujus Collectionis præstantissimam recensionem, quam novissime edidit illustrissimus comes Arthurus Beugnot. Paris, 1841.

PRÆFATIO

Editionis Bituricensis anni 1690.

Les Assises de Hierusalem sont les loix, statuts, B usages et coutumes accordées au royaume de Hierusalem par Godefroy duc de Buillon l'an 1099, par l'avis du patriarche et de ses barons, aprés qu'il en eut été élu roy. Elles sont appellées Assises, parce qu'elles furent faites en l'assise ou assemblée des grands du royaume, de même que la celebre ordonnance de Godefroy comte de Bretagne et de ses barons de l'an 1185, pour le partage noble, est appellée l'Assise du comte Godefroy. Et chez Houeden : *Assisæ Henrici regis factæ apud Clarendonum* dans le *Regiam majestatem* lib. III., c. 27, § 2., *Ex beneficio Constitutionis regni, quæ Assisa nominatur.* L'assise du roy Bauduin ch. 117. L'assise du roy Amaury ch. 273. Assise du roy Amaury et du roy Bauduin son fils. Ass. ch. 288. Assise du roy Hugues ch. 309. Spelman. f. 53. *in verbo* Assisia.

Ces Assises furent écrites par l'ordre de Godefroy de Buillon, et scellées de son sceau, de ceux du patriarche et du vicomte de Hierusalem. Elles furent appellées les Lettres du Sepulchre, parce qu'elles étoient gardées en un cofre, dans l'eglise du Sepulchre, d'où elles étoient tirées en la presence du roy, ou de celuy qui était par luy commis, du patriarche, ou en son absence du prieur du Sepulchre, de deux chanoines et du vicomte, lorsqu'il y avoit débat sur quelque article de ces coutumes.

Mais, comme elles avaient été corrigées et augmentées à diverses fois par Godefroy et ses successeurs rois de Hierusalem, elles furent redigées par écrit et mises en ordre par Jean d'Ibelin, comte de Japhe et d'Ascalon, seigneur de Baruth et de Rames, vers l'an 1250. Il étoit fils de Balian d'Ibelin et d'Eschive de Montbeliard, et il mourut l'an 1266.

Elles furent une seconde fois revuës le 3 novembre 1369, aprés la mort de Pierre de Lusignan roy de Chipre, par l'ordonnance de Jean de Lusignan prince d'Antioche, baillistre de Pierre de Lusignan roy de Chipre son neveu, par seize hommes nommez et choisis en l'Assemblée des états du royaume, et aprés elles furent mises au tresor de l'eglise de Nicossie, dans un cofre scellé de quatre sceaux.

C J'en ai recouvré par le moyen de M. d'Herouval un exemplaire en la bibliotheque de feu M. Brodeau, transcrit sur le manuscrit de la bibliotheque Vaticane, et un autre dans celle de M. Colbert; les Assises ont été traduites en Italien, et imprimées à Venise en l'an 1543.

Rhamnusio dit que Baudouin I, empereur de Constantinople les fit apporter de Jerusalem pour les faire observer dans l'Empire, et pour regler les services de fiefs et des vassaux.

Il est certain qu'elles ont été tirées des coutumes et usages de la France, comme le justifient les chapitres 294 et 295 et *Willel'n. Tyrius* lib. XVI, ch. 2, et lib. XIX, ch. 2.

Les Assises en Italien sont divisées en deux parties, la première intitulée l'*Alta Corte. Le Assise et bonne usanze del Reame de Hierusalem.*

La seconde partie. *La Bassa Corte. Le Assise et bonne usance del Reame de Hierusalem.* La table des chapitres commence par ces termes. *Queste sono le Rubriche del libro de le Assise de l'Alta Corte del Reame de Hierusalem in pladeante, id est in forma de litigio, composto per il Bon Joanne de Ibelin conte del Zaffo, et Ascalona et signor de Rames,* avant le ch. 163. qui répond au ch. 147 de nos Assises, *Ques est l'Assise quand on aliene tout son fié ou partie, autrement que par l'Assise,* il y a ce titre, *Di feudi.* A la fin de la premiere partie il est dit, *Li Assise de l'Alta Corte del Regno de Hierusalem, et Cypro, traduite de Francese in Lingua italiana, d'ordine de la Serenissima Ducal Seignoria de Venetta, per me Florio Bustron Cosi Commandato de la Clarissimi Seignori Rectori di questo Regno de Cypro, Como Nodaro de li magnifici deputati a la ditta Traductione.* Il est dit à la fin que l'impression fut achevée au mois de mars 1535.

Le P. Labbe, jesuite, dans son *Abregé Royal de l'Alliance Chronologique de l'histoire sacrée et profane,* imprimé à Paris en 1651, pag. 560, a marqué la différence qui est entre les Assises en françois, et la version italienne. Le même a tiré les trente tableaux généalogiques qu'il donne dans le même livre depuis la page 351 jusques à la 420 du lignage d'Outremer qui fait partie de ces Assises, et il a fait imprimer le lignage d'Outremer depuis la page 422 jusques à la 461, et le commencement de ces Assises depuis le chap. 1. jusques au 8, et la table des chapitres depuis le chap. 9. jusques au 281, et il finit la premiere partie au chap. 281.

Et commence la seconde au chap. 282 qu'il fait le premier de la seconde partie, qu'il finit au cinquantième chapitre, et commence le second livre de ces Assises par le chap. 282. « Come doit estre le seignor et gouverneor dou païs et dou peuple, » jusques au ch. 308, « Comment messire Hugues de Lusignan a requis le royaume de Chypre à messire Guy de Ibelin, » etc. Il obmet les quatre chapitres suivans, et donne ensuite les chapitres suivans, concernans les services du royaume de Jerusalem jusques au chap. 330, « Des aydes que les eglises et les bourgeois doivent, » etc. par où il finit le second livre des Assises. Mais, parce que je n'ai pas trouvé cette distinction dans les manuscrits qui m'ont été communiqués, je me suis contenté de cotter et nombrer les chapitres dans l'ordre que je les ai trouvez, sans rien changer. Le P. Labbe a aussi imprimé le livre des Lignages d'Outremer qui consiste en trente chapitres, qui sont à la fin des Assises dans le manuscrit que j'ay suivi.

Voici l'ordre que garde l'autheur de ces Assises.

Les 81 premiers chapitres regardent la procédure.

Les chapitres 82 et suivans, jusques au 112, traitent des apeaux, gages de bataille, et duels.

Les chapitres 113 et suivans, jusques au 137, des Assises de differentes matieres.

Les chapitres 138 et suivans, jusques au chapitre 175, de la matiere des fiefs.

Les chapitres 176 jusques au 181, des baux et gardes.

Dans les chapitres 182 et suivans jusques au 274, il reprend les matieres feodales, et specialement des services dus par les vassaux en guerre, en justice et en mariage.

Le chapitre 275 et suivans, jusques au 281, contiennent les assises de differentes matieres.

Le chapitre 282 et suivans, jusques au 292, parlent des droits du roy et des grands officiers de la couronne.

Les chapitres 293 et suivans, jusques au 308, concernent les differens pour le bailliage et succession du royaume, entre Hugues de Lusignan et le comte de Braine, et Marie de Beaumont.

Les chapitres 309 et suivans, jusques au 313, contiennent les ordonnances et assises nouvelles.

Les chapitres 314 et suivans, jusques au 330 et dernier, parlent des services dus au roy par les evêques, grands du royaume, nobles et communautez.

Monsieur Du Cange fait mention de ces Assises en sa preface sur les Etablissemens de S. Louis, où il dit qu'il en a lu le manuscrit dans un des volumes des Memoires de M. de Peiresc, copié sur celui du Vatican, d'où la pluspart des copies qui sont dans les bibliotheques de Paris ont été tirées. Il dit au même lieu qu'il ne desespere pas qu'il ne se rencontre, avec le temps, quelque personne assez curieuse, pour donner ces Assises et autres anciennes coutumes au public, et pour entreprendre un travail si glorieux et si utile au public, et à ceux qui font profession de la jurisprudence française, il en rapporte plusieurs passages dans son docte Glossaire, et dans ses notes sur les Etablissemens de S. Louis. Chopin les a citez en sa Coutume d'Anjou, et M. Julien Brodeau sur le titre de Retrait Lignager de la Coutume de Paris, et autres lieux de ses ouvrages.

Je souhaiterais que ces doctes et sçavans auteurs eussent pris le soin de les faire imprimer avec leurs notes et observations, mais comme leurs grandes occupations ne leur ont pas permis de le faire, j'ay cru que je ferois plaisir aux curieux, et à tous ceux qui aiment les origines de notre jurisprudence françoise, en les faisant imprimer avec mes notes et observations. Cela servira peut-être à exciter quelque autre à donner au public les autres anciens docteurs et praticiens françois qui n'ont pas jusques à present été imprimez, et qui meritent de l'être.

ASSISES DE JERUSALEM.

I.

RUBRICÆ.

1. Ci comance les rubrices du livre des assises et des bons usages dou royaume de Jerusalem, qui furent établies et mises en escrit par le duc Godefroy de Buillon, lequel fu ehleu à roy et à seignor doudit royaume, et par le conseil des autres roys, princes et barons, que aprez le duc Godefroy furent, et par l'ordenement dou patriarche de Jerusalem.

2. Ci dit coment le duc Godefroy establi deus cours seculieres, l'une ci est la haute court de que il fu governor et justicier, et l'autre ci est la court des borgés, laquelle est appellée la court dou visconte.

3. Ci dit coment les assises et les usages doudit royaume de Jerusalem furent par plusiors fois amendées par le duc Godefroy, et par les autres roys et seignors que aprez luy furent.

4. Ci dit coment le peuple des Suriens vint devant le roy dou royaume de Jerusalem, et luy prierent et requistrent que il fussent menés par l'usage des Suriens.

5. Ci dit coment le seignor dou royaume de Jerusalem, et les barons qui ont coins, court et justice, doivent savoir les assises et usages doudit royaume.

6. Ci dit coment et quel doit être le chief seignor dou royaume de Jerusalem soit roy ou autre, et tous les barons et seignors doudit royaume, qui ont court, et coins, et justice.

7. Ci dit de quel maniere doit estre le pleideoir.

8. Ci devise coment et dequoy, et pourquoy l'on doit demander conseil de court.

9. Qui demande conseil de court, quel il doit demander à son conseil.

10. Coment l'on doit demander conseil, si que celui que l'on demandera à conseil ne puissede celle querele conseiller son aversaire.

11. Pourquoi l'on peut demander conseil de court par esgard.

12. Pourquoi l'on peut demander conseil de court sans esgard.

13. A qui l'hom ne peut demander conseil de court se son aversaire le contredit.

14. A quels gens le seignor ne peut, ne doit neer conseil de court.

15. A qui le seignor doit donner conseil de court quant on le requert.

16. Quel differance il y a entre ce que le seignor tient hom à son conseil, et à sa parole garder.

17. Com le seignor doit retenir hom à son conseil et à sa parole garder.

18. Coment et pourquoy le seignor doit home retenir à sa parole garder.

19. Coment l'on doit pleideer en la haute court dou royaume de Jerusalem, ou en celle de Chipre.

20. Pourquoi l'hom peut plaidoier en haute court.

21. Des choses dequoy l'on doit pleideer en la haute court.

22. Pourquoi l'on peut pleideer contre son seignor et contre son home.

23. Quel le bon pleideoir doit estre, et que li convient faire, et dequoi il se convient garder au plait.

24. Quel chose doivent savoir ceaus qui s'entremetent de pleideer en la haute court dou royaume de Jerusalem, et de celle de Chipre.

25. Que doit faire qui est à conseil d'autre, et viaut dire la force de sa parole et seir à l'esgard.

26. Qui se veaut clamer d'home o de feme qui est present en court, coment il le doit faire.

27. Quant home ou feme de qui l'on s'est clamé n'est en la court, coment l'on se doit clamer de luy.

28. Que doit faire celui qui est droiturier et leau quant l'on li requert aucune chose encontre, ou quant l'on se clame de lui.

29. Quans jours l'on a de respondre au noveau clam quant l'assise ne tot le jour.

30. Quantes fuites principaus il y a en plait, et quelles elles sont au royaume de Jerusalem et de Chipre.

31. Coment l'on doit plait fuir par la premiere fuite principau de plait.

32. Coment l'on doit fuir plait par la segonde fuite principau de plait.

33. Coment l'on doit fuir par la tierce fuite.

34. Coment l'on peut longuement plait fuir.

35. Coment l'on se doit deffendre quant la querele est de heritage qui est dedens vile.

36. Ci dit que por teneure que l'on face de heritage de mermiau.

37. Neja por teneure de heritage de fors parle ne li griege.

38. Coment l'on doit demander jour quant l'on veaut plait fuir.

39. Coment le requerant se doit garder que le fuiant n'ait plusiors esgars et aprez le jour.

40. Qui veaut plait fuir coment il doit demander jour au clam dequoi assise tot le jour.

41. Coment le requerant se doit garder que le fuiant ne ehloigne son plait por demander jour.

42. Coment le clamant doit plait abregier.

43. Que doit faire qui veaut tost son plait atteindre.

44. Qui veaut le plait atteindre coment il doit pleideoir, et le fuiant fuit par la premiere fuite principau de plait.

45. Coment l'on doit atteindre plait quant le fuiant fuit par la seconde fuite principau de plait.

46. Se le fuiant fuit par la tierce fuite principau de plait, coment l'on le doit atteindre.

47. Coment l'on doit demender jour à tous clams que l'on fait de luy en court, mais que à ceaus dequoi l'on est attaint qui ne respont sans jour demander.

48. Quant aucun se clame d'autre, et il demande jour, et l'a par court, parquoi l'un et l'autre doit metre en escript le clam tel come il a esté.

49. Quant les parties sont ajornées par court, coment et pourquoi chascun doit demander au seignor ou il comande que il garde son jour.

50. Quant les parties sont ajornées par court, et il gardent bien lor jour si com il doivent, coment le B clamant doit renoveler son clam.

51. Quant l'on garde le jour que l'on a par court, et le clamant se clame si com il s'est autrefois clamé, coment le fuiant doit respondre.

52. Quant celui de ceaus qui sont ajornés par court garde son jour si com il doit et l'autre ne le garde, ne contremande si com il doit, que celui qui le garde doit dire et faire.

53. Quant l'on vient garder son jour en leuc ou l'on est ajorné par court, et l'on ne treuve le seignor, ne home qu'il ait establi en son leuc, que lon doit dire et faire.

54. Quant gens sont ajornés par court, et il gardent lors jours si com il doivent, et il ne treuvent hom devant qui le deffendant soit tenu de respondre, et le clamant se clame à ung autre jour aprez tout auci com il autrefois s'est clamés, que le clamant doit respondre

55. Quant gens sont ajornés par court, et il gardent lor jour si com il doivent, et le seignor ou celui qui est en son leuc ne veaut cel jour entendre à oyr cel plait, que lor doit dire et que li doivent respondre.

56. Qui est ajorné par court, et il veaut son jour contremander, coment il le doit contremander, et par quaus et par quels homes.

57. Qui est ajorné par court, et il vient à oure et à tens son jour garder, et il a tel essoigne au chemin que il ne peut son jour garder, coment et par D qui il le peu contremander.

58. Pourquoi home de qui l'on se clame en court où il est present, ne doit partir de la court sans respondre au clam, ou demander jour.

59. Pourquoi celui à qui l'on met sus aucune malefaite en court, ou à qui l'on requert aucune chose y doit respondre ou neer se l'on li euffre à prouer.

60. Coment et pourquoi celui à qui l'on met sus malefaite en court et la noie, et l'on ne li euffre à prover ains que la court s'empart, celuy qui li a mise sus ne li peut aprez riens demander.

61. Ci dit que chascun sage doit mout eschiver A plait à son pooir, et sur que tout à son seignor plus que à autre.

62. Que l'on doit dire et faire qui veaut recouvrer saisine de ce dequoi l'on l'a dessaisi.

63. En quel cas force de turs tot saisine, et en quel elle ne l'a tot.

64. Quant le pleideoir doit acuillir la preuve à soi, et quant doner à son aversaire, et coment l'on doit prouer la negative.

65. Coment l'on doit deffendre d'acuillir la preuve à soi quant son aversaire veaut qu'il prove à sien ce que il a et tient com sien.

66. Coment et par quoi et pour qui l'on doit prover en la haute court.

67. Coment l'on doit estre garni de previlege ou de recort de court.

68. Qui veaut prover par guarens quieus et quaus ses garens doivent estre.

69. Ques gens ne pevent porter guarantie en la haute court dou royaume de Jerusalem et de Chipre.

70. Que doit faire celui encontre qui l'on veaut prover par guarantie.

71. Quant on veaut prover aucune chose par recort de court, que celui doit dire et faire contre qui l'on veaut prover.

72. Coment l'on doit guarens empeschier, et coment rebuter, et coment torner.

73. Quant chevalier porte guarantie contre home qui n'est chevalier, coment il le peut rebuter, et co- C ment torner.

74. Quel terme l'on a de mener ses guarens selon le leuc ou il les a vochés.

75. Quant l'on a amené ses guarens à court, que l'on doit dire et faire, et que les guarens doivent dire et faire à la guarantie porter.

76. Pourquoi le guarent vif peut porter guarentie pour le mort, et coment il la doit porter.

77. Qui conoist devant gent que il doit à aucune persone dethe, ou que il est pleige, ou que il ait autres convenans, et celui à qui il dit que il est de aucune desdites choses tenus est là present, se ladite conoissance li doit valoir.

78. Ou qui devant gent conoist que il a aucune persone doit dethe, ou que il est son pleige, ou que il ait autres convenans, et celui à qui il dit que il est de aucune desdites choses tenus n'est là present, se ladite conoissance li doit valoir.

79. Des choses que l'on se peut clamer par l'assise dequoi l'assise tot le jour.

80. De quels choses l'on ne se peut deffendre par l'assise ou par l'usage de aerdre se de bataille.

81. Qués gens pevent faire apeau de murtre, et à qui l'on est tenu de respondre.

82. Quant l'on doit pleidoier de murtre soutillement et quant se le cors huse.

83. Quelle soutillence il y a en plait de murtre.

84. Quelle chose est murtre, et pourquoi l'on doit

savoir, et que doit faire et dire qui veaut faire apeau de murtre.

85. Que doit faire celui ou celle qui le murtre a presenté en court, et se il sait que le murtrier ait esté arresté.

86. Qui veaut faire apeau de murtre, et le murtrier est en la court present que il doit faire et dire quant il l'a apellé.

87. Quant l'on veaut faire apeau de murtre par champion coment on le doit faire.

88. Qui est en fers ou en liens amenés en la court et hom se clame de luy de murtre, ou d'aucune autre malefaite, que il doit dire au seignor ains que il responde.

89. Qui veaut faire apeau de personne qui ait esté tué autrement que en murtre que il doit faire pour metre soi en droit guage.

90. Quant home se clame de murtre, et il a joint homecide o le murtre, coment l'apelloir s'en peut partir sans bataille.

91. Quant home apelle autre de murtre, et il n'est des ceaus vers qui l'on se peut deffendre de respondre, com on se doit deffendre.

92. Coment et pourquoi l'apeau de homecide est grief à amener à bataille, se le deffendant s'en sait guarder, et coment l'on le doit faire, et coment l'on se doit garder.

93. Coment l'on doit et peut avoir plusiors batailles d'un home occis qui a plusiors cos.

94. Quant l'on apelle hom de traison et elle n'est aparant, et il s'en euffre à deffendre de son cors, et tent son guage, coment et quant le seignor peut la bataille deffaire.

95. Qui apelle home de traison qui n'est aparant, et il ne s'en veaut à lui aerdre, coment il le doit faire.

96. Coment et dequoy la traison est aparant.

97. Qui veaut faire apeau de traison aparant coment il le doit faire.

98. Coment il peut avoir bataille d'atraire contre son seignor chose à son fié qui ne soit.

99. Qui veaut apeller home de chose que il fait atraite à son fié contre son seignor, coment il le do faire.

100. Comment toutes manieres des champions doivent estre armés quant il s'en vont pour offrir en court la bataille faire.

101. Coment chevaliers doivent estre armés qui combatent pour murtre, et coment pour autre querele, et coment il doivent venir pour offrir, et où, et à quel oure.

102. Quant jours l'on a à la bataille faire aprez ce que les guages sont donés et receus.

103. Coment au jour de bataille se doivent offrir les champions.

104. Coment l'on doit apeller home d'arap.

105. Coment qui apelle feme des choses en que il ait bataille et elle ait baron, son baron la peut defendre, et coment se il ne veaut deffendre la elle s'en peut deffendre par champion.

106. Ques gens se peuvent deffendre par champion.

107. Qui se claime de force, et ne l'euffre à prouer, parquoi celui de qui l'on se clame n'est tenus de non néer la.

108. Coment toutes autres manieres des gens autres que chevaliers qui guagent bataille, doivent estre armés à la bataille faire.

109. Que les seignors doivent faire quant pere et fis, ou deus fraires tendent lor guages l'un contre l'autre.

110. Qui veaut la court fausser qu'il doit faire et dire, et qui la fausse en dit coment et pourquoi tous les homes de la haute court la doivent aleauter.

111. Ci dit coment l'on se doit guarder que nul ne puisse le fausser se il ne fausse toute la court.

112. Coment les assises doivent estre tenuës et maintenuës fermement en toutes choses.

113. Quel est l'assise des bestes restives et coment l'on se doit guarder.

114. Quel est l'assise dou cop aparant, et coment l'on se doit clamer.

115. Quel amende doit faire celui de qui l'on se clame par l'assise de lui de cop aparant, se il le noie et à qui.

116. L'amende dou cop aparant par l'assise dou roy Bauduin d'autre persone que de chevalier.

117. Ques est l'assise dou chevalier qui doit dethe et la conoist ou l'on la li preuve, et il n'a dequoi paier ta.

118. Ques est l'assise d'autre hom que de chevalier quant il conoist dethe en court ou vers qui l'on la preuve.

119. Coment l'on se doit clamer de plegerie.

120. Que doit faire celui qui est pleige vers autre, et il en est membrant.

121. Quel est l'assise de la chose prestée que l'on pert.

122. Quant l'on dit à home que il est son pleige, et il le noie, que celui vers qui l'hom est son pleige doit faire et dire.

123. Quant home dit à autre que il est son pleige, et celui dit que il n'est mie membrant.

124. Coment le pleige doit faire venir celui de qui l'on dit pour qui il est pleige, pour savoir se il vodra riens dire contre les guarens.

125. Coment l'on doit faire que pleige par l'assise et l'usage dou royaume de Jerusalem.

126. Qui demande guage a son pleige, et il dit faites me membrant que je suis vostre pleige et je le vous donrai, que l'on doit dire et faire.

127. Se guage de plegerie est vendu pour plegerie quant il se peut clamer de celui pour qui il est vendu.

128. De qui est le sarement de la valuë de guage qui est vendu par plegerie.

129. Pourquoi home qui est semons dou service

que il doit n'est tenus de faire que pleige tant com il est en la semonce.

130. Qui est semons dou service que il doit pourquoi il ne doit amender guage qui ait esté vendu pour lui deplegeer tant com il est en la semonce.

131. Coment pleige et dethe est plus fort que plegerie n'est, et plus perillouse au pleige.

132. Quant home est semons d'aucun service, parquoi celui qui est pour lui pleige, ne doit mie faire que pleige tant com il est en la semonce.

133. Coment celui vers qui l'on est pleige et dethe pour celui qui est enci tenus par laquel des deus voies que il vodra tenir.

134. Quel est l'assise de la chose mal attirée, et est de prest perdu, et coment l'on se doit clamer par l'assise.

135. Qués est l'assise qui achete esclaf ou esclave mezel ou mezele, ou qui chiet de mauvais man.

136. Qués est l'assise de dethe dequoi l'on ne n'at gage ne pleige, ne guarens.

137. A qui le sodoier se doit clamer de son seignor de ce que il li doit de ses sodées, et quel est l'assise de ce.

138. Qués est l'assise quant l'on done congié a son sodoier, et l'on ne le paie de ce que l'on li doit de ses sodées.

139. Quans jours à l'entrée dou mois le seignor peut doner congié à son sodoier, sans ce que il soit tenu de paier le de celui mois, et quans jours à l'issue le sodoier peut prendre congié sans perdre les sos de celui mois.

140. Pour qués choses le sodoier qui est à foi et à fiance à son seignor, et à terme nomé, s'en peut partir de lui dedens ledit terme sans sa foi mentir.

141. Qui fait chose vendre à l'anchantement par autre que par le criour establi, pourquoi le seignor la peut prendre com sone.

142. Qués est l'assise de beste venduë sans enchantement.

143. Ce est l'assise dequoy les seignors se doivent plus pener de savoir, et toutes manieres des gens.

144. Coment le chief seignor dou royaume de Jerusalem peut fié doner.

145. Coment ceaus qui sont homes dou chief seignor, et ont court et coins et iustice pevent fié doner.

146. Quel est l'assise quant on aliene tout son fié ou partie autrement que par l'assise et par l'usage dou royaume de Jerusalem.

147. Quel chose le conquereour dou fié peut faire dou fié que il a conquis.

148. En quel maniere celui qui a fié conquis, le peut doner au quau que il le veaut des ses heirs.

149. Ci devise l'esclercissement coment l'on peut fié doner de son conquest au quau que il veaut des ses heirs.

150. Qui a fié de son conquest ou déscheete, coment il le peut et doit doner à son droit heir.

151. Qui a fié de son conquest, et il le rent au seignor de qui il le tient, et le seignor le done au droit heir de celui qui li a rendu, et quite à ses heirs à qui cel fié peut escheir, se il meut sans heirs de feme espose.

152. Quant fié escheit qui doit service de cors à home ou à feme qui a fié au royaume dequoi il a fait homage, et autre fié li escheit qui doit tel service et tel homage com est avant dit, et com il le peut avoir et deservir.

153. Quant plusiors fiés escheent en un jour ou en plusiors, pourquoi l'ainsné des ceaus à qui il escheet qui est plus droit heir de celui ou des ceaus de par qui il escheent, les peut tous avoir se il les requiert.

154. Ci orrés coment fié ou fiés doivent estre partis entre seurs.

155. Coment et pourquoi le fis ou la fille se peut metre de s'autorité elfié qui li est escheu de son pere, ou de sa mere.

156. Pourquoi le seignor ne doit souffrir que autre que l'ainsné des fis ou des filles de celui ou de celle de par qui le fié lor eschiet se mete de s'autorité en la saisine, ne en la teneure.

157. Coment le fis ou la fille ne demoure en saisine dou fié dequoi son pere morut saisi et tenant se il n'est le droit heir.

158. Pourquoi fis ou fille ne se doit metre de s'autorité en saisine ne en teneure de fié, que son pere ou sa mere ne soient mors saisis et tenans com de lor droit, ou que il en aient esté les derrains saisis et tenans com de l'or droit.

159. Pourquoi nul ne se doit metre en saisine de fié que il li soit escheu d'autre que de pere ou de mere s'il ne le fait que par le seignor de qui il doit tenir le fié.

160. Com l'on peut requerre la saisine dou fié qui li est escheu de par autre que de par pere, ou de par mere, et que le seignor en doit faire, et coment on le peut eloigner, et coment on le peut attaindre.

161. Pourquoi le seignor n'est tenus de respondre de fié que autre ait et tiegne dequoi il ait com de son droit par esguart ou par connoissance de court, ou par assise ou usage.

162. Ci dit del fié que le seignor encombre coment il doit respondre.

163. Quant le fié eschiet à plusiors gens, et aucun autre que le droit heir en requiert la saisine au seignor com droit heir, pourquoi le seignor ne le doit metre en saisine, se il ne le requiert com le plus droit heir aparant et requerant en la court.

164. En quel cas le seignor est tenus de respondre à qui li requiert saisine defié que autre ait et tiegne, et dequoi il soit son home.

165. En quel cas le seignor ne se peut deffendre de respondre à qui li requiert saisine de fié que autre

ait et tiegne, et dequoi il est en l'omage, et en service dou seignor.

166. En quel cas il ni a tornes de bataille contre le guarent qui porte la guarantie de parenté, et en quel cas la torne y doit estre par raison se il ni a propre assise que en tel cas la torne de bataille, ou que en tous cas la bataille de preuve de parenté, car se elle n'estoit, mout des maus en poroient avenir, et des gens estre desherités à tort et sans raison.

167. En quel cas le seignor ne se peut deffendre à celui qui li requiert saisine de fié qui li est escheu par droit que il n'a, ne tient cel fié, et que autre l'a et tient, qu'il aura à droit se il se veaut c'amer de luy.

168. Quant le seignor a et tient chose que l'autre dit qui est de son fié, et il en requiert la saisine, coment il doit se prouer à son fié ou partie de son fié, et coment l'on a usé com de son fié qu'on a et tient.

169. Coment l'on doit prouer contre son seignor tout son fié, ou partie de son fié.

170. Coment l'on doit requerre son fié, ou ce qui est de son fié.

171. Qui veaut requerre au seignor carau ou terre, ou autre chose que rante des besans disant que ce est de son fié, coment il le doit requerre, et par qui il le doit offrir à prouer, et coment et pourquoi et de qui le recort des homes de la court de chose où le seignor n'est present et porté come recort de la court et des homes de court, et est tenu auci com recort de court des homes de court là où le seignor n'est present.

172. Que il convient à dire as homes de court qui recordent saisine et teneure et usage de fié si que le recort a avoir la saisine dou fié à celui ou à celle qui a offert à prouer par lor recort.

173. Coment l'on peut prouer son fié ou partie de son fié contre autre que contre son seignor.

174. Coment enfant à qui fié eschiet tant com il fu merme d'aage peut avoir cel fié quant il est d'aage.

175. Coment qui veaut fié requerre quant pere ou mere meurt, et il ont enfans merme d'aage, qui doit avoir le baliage, et qui l'enfant en garde.

176. Coment il doit estre gardé se il est seignor de terre.

177. Ci dit à qui le baliage de fié doit escheir; et qui le doit requerre.

178. Ci esclercisse le fait par quel raison l'on peut demander baliage.

179. Porquoy celui ou cele qui tient baliage de damoiselle, le doit tenir tant que elle soit mariée tout ait elle douze ans ou plus, et coment peut avoir le fié qui li est escheu quant elle a passé douze ans.

180. Coment damoiselle qui a passé douze ans peut avoir baliage qui le escheit.

181. Coment nul ne peut avoir escheete qui escheuë li soit, s'il ne se saisit personament.

182. Si aucun seignor done fié en besans à home ou à feme, ou l'assene en aucun leuc moti, et se de la defaut sur toutes les autres rentes que il a et aura, et aprez done à ung autre home fié, et l'en assene à un autre leuc moti, et il deffailli dou leuc ou le premier est assené par nom, et il veulle estre paié avant de l'autre dou leuc dont il est assené, lequel des deus doit estre paié avant de celuy leuc.

183. Qui est assenés de son fié en un leuc moti, et il defaut de cel fié une année ou plusiors, si que celui qui est assené n'ait peu estre paié de son fié, et il rent une autre année aprez el tens d'autre seignor ou bail tant que il puisse estre paié de quanque l'on li doit de son fié de viel et de nouveau, coment et en quel cas il doit estre paié sans ce que le seignor, ou le baill ne s'en puisse deffendre, pour dire que se l'on vous doit ce n'est mie de mon tens pourquoi je ne vous veu paier que ce que l'on vous doit de mon tens.

184. Quant homme ou feme qui a et tient seignorie meurt, et que il a plusiors parens à qui ce fié peut escheir à qui il escheit, et lequel doit avoir celle escheete devant les autres.

185. Quant aucun home ou feme qui a et tient seignorie ou fié meurt, et que il a plusiors fis ou filles, ou autres parens à qui le fié puisse escheir, et l'ainsné des fis en a aprez luy la seignorie et la saisine et la teneure, et ses freres ou ses seurs ont enfans, et meurent avant de celui qui a et tient la seignorie ou l'eritage, et il meurt aprez sans heir que de luy soit dessendus, lequel des heirs qui seront dessendus des ses freres ou ses seurs, ou des ses autres parents doit avoir l'escheete d'eritage ou de baliage.

186. De quel maniere de fié feme doit au seignor de qui elle tient mariage de marier soi par semonce; et de quel maniere elle ne se peut marier sans l'otroi dou seignor, ne il ne la peut efforcer de marier la par semonce, ne autrement.

187. Dequoi les femes qui ont doaire le pevent renir, et à qui le baliage peut et doit escheir par raison.

188. Quant baliage escheit à feme, coment elle se peut garder que le seignor de qui elle le doit tenir ne la puisse marier par baliage.

189. Porquoi celui qui ne veaut son fié desservir, le doit comander au seignor de qui il le tient, avant que estree le.

190. Coment le seignor se peut et doit metre el fié estrée, et quel perill et quel damage a et peut avoir celui qui estrée son fié plus que celui qui le comande.

191. Coment l'on peut et doit fié desmembrer par l'assise ou l'usage dou royaume.

192. En quantes manieres l'on peut son fié eschan-

gier, et coment l'on peut fié eschangier si que l'es- A change soit estable.

193. Pour quel chose l'on peut perdre son fié an et jour, et coment toute sa vie, et coment luy et ses heirs.

194. Coment et porquoi l'on ne peut vendre par l'assise partie de son fié, et coment et pourquoi hom le peut tout vendre par ladite assise, et coment il doit estre vendu, et coment l'on doit fournir l'assise, et coment quant le fié est vendu coment et en quel tens doit faire paier les dethes de que le fié a esté vendu, et lesquels dethes que l'on doit à celui à qui l'on a la dethe conuë en court, ou qui la prove, doit dire et faire quant il en veaut estre payé, et quant home ou feme de qui le fié a esté crié à vendre par l'assise ne veaut fournir l'as- B sise, que le seignor en doit faire

195. Ci dit coment celui qui a son fié livré à vendre quant il est destourné de fournir l'assise coment l'on le doit conduire.

196. Coment celui à qui on a dethe conuë en court ou qui l'a provée doit dire et faire quant il en veaut estre paié par le seignor.

197. Qués gens ne pevent fié acheter par l'assise, et la raison pourquoi il ne le pevent, et quel fié peut feme acheter., et par quel raison elle le peut acheter.

198. Qu'on doit faire de celui ou de celle de qui le fié aura esté vendu, se la dethe que il ou elle a conuë, ou que l'on li aura provée en court, est C plus que la vente dou fié.

199. Sur lesquels des fiés des homes dou seignor son previlege ne peut, ne ne doit porter guarantie qui soit valable, et sur lesquels des fiés des homes le previlege de lor seignor peut porter guarantie.

200. Pour quantes choses et pour que l'hon peut et doit estre desherité lui et ses heirs.

201. Pour quantes raisons l'hom peut et doit estre desherité de son fié toute sa vie, et pour quel chose l'on le perd an et jour.

202. Quant un home est forjugés par court com traitour pour traison que il ait fait vers son seignor, coment et pourquoi ses heirs doivent estre desheri és de son fié et des fiés dou traitour.

203. Ci dit coment as livres des empereors dient D coment les traitours doivent estre desherités.

204. Coment l'on doit homage faire au chief seignor dou royaume, et coment à celui qui n'est chief seignor, et dequoi l'on est tenus à son seignor par l'homage que il a fait, et dequoi le seignor est tenus à son home.

205. Ci dit coment le seignor est tenus à son home, et dequoi par l'omage que il li a fait.

206. Coment les homes des homes dou chief seignor dou royaume li doivent faire la ligesse par l'assise, et de que il li sont tenus par la ligesse, et coment les autres gens dou royaume doivent jurer au chief seignor feauté.

207. Ci orrés qués est l'assise pourquoi l'on fait la ligesse par l'assise.

208. Ci dit coment les homes des homes dou chief seignor se doivent contenir vers le chief seignor quant il ont fait la ligesse par l'assise.

209. Encore dit coment les homes des homes dou chief seignor doivent faire à la requeste dou chief seignor et sans requeste, pour sauver la foi de quoi il sont tenus.

210. Dequoi le chief seignor est tenus as homes des ses homes qui li ont la ligesse par l'assise, et coment et dequoi, tous les homes sont tenus les uns las autres par l'assise dou royaume de Jerusalem.

211. Ci esclercisse coment tous les homes des homes dou chief seignor sont par ladite assise tenus les uns as autres, et coment il se doivent entre aider et conseillier.

212. Se le fié d'aucun des homes est arresté par le seignor sans esgart ou sans conoissance de court, celui le doit destraindre par le conjurement de ses pers.

213. Et se le seignor defaut à aucun des ses homes de faire esgart ou conoissance si com il doit, ou recort de court si com court a esgardé ou concu ou recordé, ou aucune autre chose, et le seignor ne li tient ou fait tenir, et celui à qui le seignor faudra d'aucune des avant dites choses requerra ses pers de ce que il devront, il deoivent lor seignor requerre que il le fasse et guager de lor service en la maniere avant devisée, tant que il l'ait fait.

214. Coment le guagement dessusdit fu fait meismes en Chipre à tens dou roy Henri.

215. Se le seignor congée son home de sa seignorie sans esgart et sans conoissance de court de la ou celui est son home, car l'ome qui enci est congée doit dire et requerre au seignor et à ses pers, et que ses pers en doivent dire et faire.

216. Coment et dequoi l'ome ment sa foi vers son seignor, et coment et dequoi le seignor ment sa foi vers son home, et coment l'un peut attaindre l'autre, et quel amende l'un en doit avoir de l'autre.

217. Ci dit que nus ne doit faire justice a autrui en sa terre, et cil qui le fait si mesfait vers son seignor, et quel amende le seignor en doit avoir.

218. Se le seignor fait prendre son home et emprisoner sans esguart et sans conoissance de court, que les pers de celui qui est enci pris et emprisoné doivent faire et dire à lui delivrer.

219. Ci orrés autre maniere de conjurement quant aucun home est menacé.

220. Et se le seignor ne fait tenir à son home esguart ou connoissance que la court ait fait ou defaut à l'ome de ce qu'il a requis en la court, coment celui peut conjurer ses pers.

221. Coment et pourquoi home qui a plusiors seignors peut porter armes contre son seignor sans mesprendre de sa foy.

222. Coment seignor doit faire semondre (77) home ou feme de faire droit en sa court quant on s'est clamés de lui ou d'elle, et quant l'on est enci semons et l'on a essoigne, com il doit contremander s'essoigne, et par qui et se il ne vient à jour que il aura esté semons, ou ne contremande s'essoigne si com il doit, que son aversaire doit requerre au seignor et que le seignor en doit faire.

223. Se le seignor fait semondre aucun home de son service, ou est merme d'aucune chose de son fié que le seignor ait et tiegne sans esguart et sans conoissance de court, ou que le seignor li doive aucune chose parfaire de son fié que il li ait requis en court que il li parfasse, et il ne li ait fait, coment il se peut deffendre d'acueillir celle semonce tant que le seignor li ait son fié parfait ou rendu ce que il entent en la maniere dessus dite.

223 *bis*. Ci dit coment quant le seignor semont son home dou service que il li doit, et se le seignor li doit de son fié, coment home se peut deffendre d'acueillir la semonce, et coment il le doit faire se le seignor ne n'a essoigne aparant, com de estre assiegé de ses ennemis.

224. Coment le Banier doit semondre les homes dou seignor.

225. Encor de ceste raison meismes, et se le seignor semont aucun d'aucune chose.

226. Se home se veaut deffendre d'acueillir semonce de service que il doie quant le seignor a et tient aucune chose de son fié sans esgart et sans conoissance de court, ou que il li doive parfaire aucune chose de son fié, et il n'a au seignor aucune desdites choses requise, que il doit dire et faire quant il est semons dou service que il doit.

227. Quant le seignor fait semondre aucun par trois de ses homes com court, si celui qui fist la semonce au leuc dou seignor n'est present en la court, se les deus qui furent com court la ou il la fist, la recordent sans lui en la court, se la semonce vaut ou ne vaut, et se celui qui est en leuc dou seignor est en la court, et l'un des ceaus qui furent com court faut, se le recort vaut, ou ne vaut auci.

228. Qués manieres de services doivent ceaus qui doivent service de lor cors au seignor à il qui il le doivent, et en quel leuc il li doivent service.

229. Coment et ou le seignor peut et doit faire semondre les homes dou service que il li doivent.

230. Pourquoi le seignor ne doit son hom faire semondre de son service se il ne n'a mestier, et pourquoi home ne se doit faire essoignés se il ne l'est, quant il est semons dou service que il doit au seignor.

231. Coment le seignor peut et doit semondre et faire semondre ses homes dou service que il doivent, et ou et quant il les a semons ou fait semondre, que il doit faire et dire quant l'ome defaut dou service que il doit, aprez ce que il en a esté semons, si com il doit, quel droit le seignor en doit avoir et se le seignor ne le fait quel amende l'on en doit avoir et qui est semons dou service que il doit, et il est essoigné, coment et pourquoi il doit contremander s'essoigne.

232. Quant home à qui le seignor doit de son fié est semons dou service que il li doit, et il en veaut acueillir la semonce, coment il doit faire si que il n'ait damage et coment l'ome qui est semons de son service doit faire.

233. Que doit perdre home qui est en leuc par semonce, et il s'en part sans le congié dou seignor, ou de celui qui est en son leuc.

234. Coment le seignor peut faire son home semondre en son hostel, et pour quel chose, et que ceaus qui semonent doivent faire et dire à la semonce et aprez.

235. Qui est semons dou service que il doit au seignor, et le seignor li doit de son fié de que le terme de sa paie est passé, que il doit faire et dire se il ne veaut celle semonce acuiellir, tant que il soit paié de ce que l'on li doit de son fié.

236. Qui doit service de compagnon, et il le fait semondre de tel service com il li doit, ou de celui dou compagnon, et ledit compagnon est essoigné, si que il ne puisse celui service faire, que le semons doit dire et faire et garder a que le seignor ne puisse avoir de lui amende, com de hom qui defaut de service.

237. Coment le seignor peut faire semondre ses homes de venir à court, et destraindre d'estre y tant com la court se tirera hors.

238. Qui est semons dou service de son cors a aler en un leuc à cheval et à armes, et il n'a qu'un cheval, et le cheval est essoigné, que il doit faire et dire à garder soi que son seignor n'ait de lui amende com de home defailli de service.

239. Quant home a passé âge ou il est mehaigne de mehain aparant doit estre quite dou service.

240. Coment et pourquoi le seignor peut faire semondre feme qui tient fié qui doit service dou cors de prendre baron, et elle ne le prent, quel amende le seignor en doit avoir.

241. Encor dit coment feme qui est semonce de baron prendre, coment elle doit respondre.

242. Quant feme est semonce si com doit de baron prendre, et elle a passé âge, coment elle peut et doit sa semonce refuser que ja le seignor n'aura de elle amende de defaut de service.

243. Quant feme a et tient plusiors fié de plusiors seignors, de quel fié elle doit le mariage, de qui elle tient le fié.

244. Quant feme tient un fié ou plusiors d'un ou de plusiors seignors, et elle se marie sans congié de celui à qui elle doit le mariage, quel amende, il et les autres seignors en doivent avoir.

245. Quant home dou seignor prent feme qui tient fié dou seignor, et il l'espose sans son congié, que

(77) *Ajourner*.

il doit faire si que le seignor ne autre ne le puisse A geter de sa foi.

246. Se aucun des homes dou seignor espose feme qui tient fié dou seignor, et s'en saisit dou fié, quel amende le seignor en peut avoir, et coment un des homes dou seignor le peut appeller de foi mentie.

247. Ce sont ceaus qui peuvent guager ou semondre le seignor, ou conjurer de sa foi, et coment, et lesqués non, par l'assise dou royaume de Jérusalem.

248. Coment hom doit son seignor destraindre que il le fasse paier se il li doit de son fié, ou de ravoir se il tient aucune chose de son fié, ou de faire li abatre force que crestien li fait de son fié, ou de partie de son fié.

249. Se un home est assené en un leuc moti de B sòn fié qui ne rent tant que il soit paiés enterinement de son fié, si com est assenés d'estre paiés, il doit le seignor guager de son service, si com est aprez devisé.

250. Se un home ou une feme est assenés de son fié en un leuc qui ait tant valu que il puisse estre paié, et le seignor l'ait pris, et que par ce li est sa paie defaillie, il le doit requerre au seignor par la maniere ci aprez devisée.

251. Ci devise coment l'on peut son seignor guagier et faire guagier dou service por la paie de son fié en plus brief terme.

252. Qui veaut son seignor destraindre d'avoir sa paie de ce que il li doit de son fié, pour lui semandre et conjurer de sa foi, il ne le doit mie faire ensemble, mais l'un aprez l'autre. C

253. Ci orrés coment l'on doit conjurer son seignor et dequoi, et se il le fait autrement que enci com il est devisé, il doit amender au seignor.

254. Quant home conjure, ou contraint, ou semont son seignor autrement que il ne doit sans ce que il ne l'ait à faire, quel amende le seignor en doit avoir.

255. Se le seignor tient aucune chose dou fié de son home autrement que par l'assise ou par l'usage, ou par esquart, ou par conoissance, il doit requerre au seignor et par court.

256. Ci orrés coment je qui ais fait cestui livre fais certainement ces esconjuremens destreces D dessusdites de home au seignor.

257. Se aucun Crestien fait à aucun des homes dou seignor force de tout son fié, ou de partie, il se doit clamer au seignor de qui il le tient qui li abate la force, et se il ne le fait, il le doit destraindre par ses pers.

258. Ci orrés coment se un home ou une feme est assenés sur les rentes d'un casau que autre que le seignor tiegne, et le terme de sa paie est passé et il n'a esté paié, il le doit requerre au seignor, et le seignor le doit faire payer.

259. Se le seignor ne tient ou fait tenir l'esgart ou la conoissance que sa court a feit, coment celui por qui lesgart, ou la conoissance aura esté faite, peut le seignor destraindre par trois manieres cidessus devisées.

260. Coment celui qui n'est home dou seignor le peut destraindre et faire destraindre de faire tenir l'esgart ou la conoissance que sa court a fait.

261. Se un home est semons dou service que il doit au seignor, et il veaut comander son fié au seignor, ou livrer le à rendre por aucune des choses devant dites pour quoi l'om peut son fié vendre, le seignor n'est pas tenus de recevoir le fié, et faire le vendre, ne la comande dou fié, puisque il l'a avant semons de son service tant que cette semonce soit passée, ains le peut bien refuser par raison.

262. Qui veaut son fié comander, et il le veaut faire sans perill, quant il le comande au seignor, se le seignor ne le reçoit, si li die que il veaut que il le recoive par esgart.

263. Ci dit coment l'on doit requerre devise et partison de terre, et coment le seignor doit comander à faire, et coment ceaus à qui il la comandé le doivent faire, et dans quel terme.

264. Quant fié eschiet à home ou à feme, et il le requiert au seignor, il le doit recevoir par la preuve dou parenté ains que par grace.

265. Quant hom reçoit fié qui li est eschen, lequel fié l'on a requis au seignor et offert à prouer par l'esgart de la court, et on ne le preuve, ains le reçoit par grace, coment il en peut estre travaillés.

266 Ce sont les choses que le seignor à la reque te de son home peut et doit livrer sans clamor.

267-268. Coment et en quel maniere il ni a point de bataille en chose qui monte à plus d'un marc d'argent, et coment et en quel maniere y peut avoir bataille des uns as autres guarens par l'assise.

269. Ci orés coment celui de qui l'on se clame peut à soi atraire la preuve, et tollir la au requerant.

270. Ci endroit orés quel est l'usage dou fait des doaires au royaume de Jerusalem.

271. Coment seignor et home se peuent entrequiter l'un l'autre de la foi que il s'entredoivent.

272. Coment et pourquoi l'ome peut vendre le fié de sa feme sans son otroi avant que le sien, laquel vente est contre l'assise.

273. Ci dit dou chevalier palatin de qui doit estre le fié, et que l'on doit faire de lui. D

274. Vous avés oy ci devant mout des assises, et encor en orés aprez, vous orés ci aucunes paroles ou il y a mout des biens.

275. Ci orés l'assise et l'establissement des vilains et des vilaines, coment on doit user, et premierement coment l'on les doit requerre.

276. Ci dit quant les vilains s'en fuient, ou partent de la terre de lor seignor, coment il les doit recouvrer.

277-278. Ci dit quant les vilains se marient hors de la terre de lor seignor sans le comandement dou seignor de la vilaine.

279. Ci dit qués amendes doivent faire ceaus qui

deffaillent le droit des vilains ou des vilaines dessus-dites.

280. Ci orés quel aage et desqués roys furent les assises que vous avez leües en cestui livre, et coment elles furent faites et ordenées.

281. Ci dit quel home doit estre seignor et gouerneor dou pais et dou peuble.

282. Ci dit de seignorie, et de ses pilliers.

283. Ci dit coment l'eir costeer à qui escheit le royaume, le doit requerre as homes dou royaume de Jerusalem.

284. Ci orés quel est le serment que le chief seignor fait à ses homes avant que il li facent homage, ne que il le recoivent à seignor.

285. Ci devise quel seremcnt doit faire baill quant il reçoit le baillage dou royaume, et coment il se doit contenir.

286. Ci dit ou le roy dou royaume de Jerusalem doit estre coroné, et qui le doit coroner.

287. Ci dit quel maniere de serement fait le roy dou royaume de Jerusalem au patriarche quant il li met la corone au chief.

288. Nous vous dirons ci aprez les offices des offeciaus dou royaume, et premierement dou seneschau.

289. Ci dit l'office dou conestable.

290. Ci dit l'office dou mareschal.

291. Ci aprez nous dirons l'office de chamberlain.

292. Ci sont les erremens dou roy Hugues et dou conte de Braine sur le fait dou baillage dou royaume de Jerusalem, et tout premier ce est le dit dou roy Hugues.

293. Ce est le dit dou conte de Braine aprez que le baill a fait sa requeste.

294. Ce est le segont dit dou baill à premier dit dou conte.

295. Ce est le segont dit dou conte au segont dit dou baill.

296. Ce est le tiers dit dou bail au segont dou conte.

297. Ce est le tiers dit dou conte au tiers dit dou baill.

298. Ce est le quart dit dou baill au tiers dit dou conte.

299. Ce est le quart dit dou conte au quart dit dou baill.

300. Ce est la maniere coment la haute court dou royaume de Jerusalem coneut par l'assise doudit royaume que le baillage de Jerusalem montoit au baill pour ce que il estoit ainsné de son cousin le conte de Braine, et coment il li firent les homages.

301. Ce est la maniere coment les homes de la haute court de Jerusalem receurent à seignor ledit baill, et fu coroné roy doudit royaume aprez la mort dou roy Hugues qui estoit mermeaus, qui tenoit son bailliage.

302. Ce est la maniere coment le susdit baill assembla la haute court dou royaume de Jerusalem, et lor requist ledit royaume com droit heir, et coment ladite court coneut que il estoit le droit heir, et li offrirent lor homages.

303. Ci est coment damoiselle Marie fille de messire Beaumont fit lire une chartre par un clerc en la presence de la haute court de Jerusalem, faisant lor assavoir que elle estoit plus droit heir à avoir ledit royaume que le baill n'estoit, pour ce que elle estoit dessenduë de l'ainsnée seur de la mere dou susdit baill.

304. Ci est le respons que le susdit baill fist contre la requeste de la susdite damoiselle Marie.

305. Ce est la maniere coment les homes de la haute court vindrent en presence doudit roy, et li firent savoir coment il estoient venus faire respons à la susdite damoiselle Marie sur la requeste que elle lor fit, et trouerent que elle estoit partie de la, et li manderent par trois homes que si elle voloit attendre il li feroient respons de ce qu'elle a requis.

306. Ce est le respons que le susdit roy fit as homes de ladite court que nule chose n'estoit dite ou faite que il deust arrester de non faire envers eaus ce que il doit, et que il fissent vers lui ce que eaus faire devoient.

307. Ce est la maniere dou remede qui fu fait par le roy Henry et ses homes des choses qui ont esté faites au tens dou sire de Sur, à ce que la gent ne soit perdans, lequel fu fait à mois de Jen de 1310 de Crist.

308. Coment messire Hugues de Leseignan conestable dou royaume de Chipre a requis le royaume de Chipre à messire Guy de Ibelin lieutenant dou seneschau, et l'ot par conoissance de la court.

309. L'assise des oiseaus et des chiens, et des chevaucheures perdues.

310. L'assise des esclas et des esclaves.

311. L'assise des vilains et des vilaines fuitives.

312. L'assie des larrons dou bestaill.

313. Ce est l'ordenance et le remede que il a esté par l assent des homes par court le mardy à 16 jour de jenvier l'an 1362. de Crist, lequel remede, se doit joindre au livre des assises.

314. Ce sont les services dou royaume de Jerusalem, et les aydes que chascun doit faire quant besoing est audit royaume, et les gens qui ont court et coins et justice, et tous les perlas doudi royaume et lor suffragans deviserai-je l'un aprez l'autre, et tous par chapitres.

315. Ci dit quans suffragans a le patriarche de Jerusalem.

316. Ci dit quans suffr. à l'archev. de Sur.

317. Ci dit quans suffragans à l'archevêque de Cesaire.

318. Ci dit quans suffragans a l'archevesque de Besain.

319. Ci dit quans suffragans a l'archevesque de Bethsereth.

320. Ci dit quans suffragans a l'archevesque de Babach.

321. Ci dit quans suffragans à l'evesque de saint A Jorge de Lile.

322. Ci dit quans suffragans a l'evesque d'Acre.

323. Ci dit quantes baronies y at ou royaume de Jerusalem.

324. Ce sont les leucs qui ont court et coins et justice ou royaume de Jerusalem.

325. Ce est le service que les barons et les autres gens dou royaume de Jerusalem doivent au chief, seignor dou royaume.

326. Ce est le service que la sainte cité de Jerusalem doit.

327. Ce est le service que la cité de Naples devoit.

328. Ce est le service que la cité d'Acre devoit au royaume de Jerusalem. B

329. Ce est le service que la cité de Sur doit au royaume de Jerusalem.

330. Ce sont les aydes que les yglises et les borgeois doivent quant il y a grant besoin en la terre dou royaume de Jerusal.

331. Ici comence le livre des lignages de ça mer.

332. Ci dit des roys de Jerusalem

333. Ci parle des lignages des roys de Chipre.

334. Ci dit des roys de Ermenie.

335. Ci dit des princes d'Antioche.

336. Ci dit des contes de Triple.

337. Ci dit et parle dou lignage de ceaus de Ibelin.

338. Ci dit des heirs de Tabarie.

339. Ci dit des heirs de Saiette.

340. Ci parle des ceaus de Cesaire.

341. Ci dit des heirs de Isabeau la fille Piere de Baruch.

342. Ci dit de ceaus de Saissons

343. De ceaus de Monfort.

344. Des heirs dou Touron

345. Des heirs de Guy de Milli.

346. De ceaus de Bessan.

347. Ci dit des Contes de Rohais.

348. De ceaus de Baruch.

349. De ceaus de Jor.

350. Des seignors de Giblet.

351. Des seignors de Mareclee.

352. Des seignors dou Margat.

353. Ci dit des heirs de Boutron.

354. Des heirs d'Adelon.

355. De ceaus de Mangastiau.

356. Des heirs de Caiphas.

357. Ci dit des heirs dou Conestable Menassier.

358. De ceaus de Mimars.

359. De ceaus dou Morfa.

360. Ci dit de ceaus d'Antioche.

361. Ci dit des Petis.

II.

EXCERPTA QUÆDAM.

CHAPITRE PREMIER.

Ci comence le livre des Assises et des bons usages dou royaume de Jerusalem, qui furent establies et mises en escrit par le duc Godefroy de Buillon, lequel fu ehleu à roy et à seignor doudit royaume, et par le conseil des autres roys, princes et barons que aprez le duc Godefroy furent, et par l'ordenement dou patriarche de Jerusalem.

Quant la sainte cité de Jerusalem fu conquise sur les ennemis de la crois, et l'an de l'Incarnation nostre Seignor Jesu Crist MXCIX. par un vendredy, et remise el pooir des feaus Jesu Crist par les pelerins qui s'ehmurent à venir conquerre la par le preschement de la crois, qui fu preschée par Pierre l'Ermite, et que les princes et les barons qui l'orent conquise orent ehleu à roy et à seignor dou royaume de Jerusalem le duc Godefroy de Buillon, et il ot receu la seignorie, et il ne volt estre sacré ne coroné à roy el dit royaume, por ce que il ne volt porter corone d'or la ou le roy des roys Jesu Crist le Fis de Dieu porta corone d'espines le jour de sa passion. Il fu ententis à mettre le royaume en bon C point, et en bon estat, et que ses homes et son peuble, et toutes manieres des gens allans et venans, et demorans el dit royaume fussent gardés et governés, tenus et maintenus, et menés à justice, à droit et à raison. Il ehleut par le conseil dou patriarche de la sainte cité et yglise de Jerusalem, et par le conseil des princes et des barons, et des plus sages homes qu'il pooit avoir, sages homes à enquerre et à savoir des gens de diverses terres qui la estoient les usages de lors terres, et tout quant que ceaus que il ot ehleu à ce faire en porent savoir ne aprendre il mirent et firent metre en escrit, et aporterent cel escrit au duc Godefroy, et il assembla le patriarche et les avant dis, et lor mostra, et lor fit lire par devant eaus cel escrit, et aprez par D lor conseil et par lor accort il concuilli de ceaus escris ce que bon li sembla, et en fit assises et usages que l'on deust tenir et maintenir, et user au royaume de Jerusalem, par lesquels il, ses gens, et son peuble et toutes autres manieres des gens alans et venans et demorans, fussent governés et menés à droit et à raison el dit royaume.

CHAPITRE V.

Ci dit coment le seignor dou royaume de Jerusalem et les barons qui ont court, coins et justice doivent savoir les assises et usages doudit royaume.

Pour ce que il me semble droit et raison que le chief seignor dou royaume de Jerusalem, et les barons et les autres riches homes qui ont court, et coins et justice, sachent les assises et les usages dou dit royaume, que le chief seignor jure ains qu'il soit reçeu à seignor, ne oint ne sacré à roy de tenir les à son pooir, et faire les tenir en son royaume, et que tous ses homes et les homes de ses homes le doivent auci jurer, et pour ce que lors homes qui doivent estre juges de lor cors sachent bien et droicturierement juger les jugemens que il devront faire selon celles assises et ceaus usages, ci que je comance a faire cestui livre, tout soit ce que je conoisse bien qu'en moi ne n'a sene conoissance parque je le deusse enprendre à faire, mais la fiance et l'esperance que je ay en Dieu, et en la puissance de Dieu le Fis, et en la beneureté dou saint Esprit qui me donne sens et grace de bien faire le selon ce que j'ay apris et retenu de ceaus à qui je ais oy parler ; et qui ont esté les plus sages homes de mon tens, à qui je ay oy parler des assises et des usages doudit royaume et des plais de ladite court, et por ce que lor ay vehu faire et user, l'ay je empris en faire, si en pri la sainte Trinite que elle m'envoit la grace dou saint Esperit, si que je puisse mener cestui livre à tel perfection qui soit à honor de Dieu, et au profit de m'arme, et au droit gouvernement dou peuble dou royaume de Jerusalem, selon les droites assises, et les drois usages doudit royaume, et au prouffit des armes et des cors de tous ceaus qui le liront, lesquels je prie et requiers et conjure de la part Dieu que il de chose que il ait n'en usent malement à tollir ne ehloigner le droit, ou celui d'autrui aprochier ou deffendre selon ce que mestier li seroit, car m'entention n'a esté, ne n'est de ce livre faire que pour enseigner ceaus que mestier en auront et auront droit et le requerront, de savoir le aprochier et desreigner, et à ceaus à qui l'on requerra ce que est lor droit, de savoir les ehloigner et dessendre, et pour ce il me semble que ains que je parle en cest livre des assises et des usages, ne des plais de la haute court doudit royaume, que je doie avant parler dou roy qui est chief seignor doudit royaume tout ne soit il corones, et les autres riches homes et barons qui ont el dit royaume court et coins et justice doivent estre, et que les juges et les pleideours et lor cors deviserai je au comancement de mon livre, ce que je ay empris à dire dou roy et des avant dis.

CHAPITRE LXXXI.

Des quels choses l'on ne se peut deffendre par l'assise ou par l'usage de aerdre se de bataille.

Ce sont les choses de que il y a bataille par l'assise ou l'usage dou royaume de Jerusalem dequoi l'on se peut deffendre par esgart ou par conoissance de court sans bataille.

A De murtre aparant murtre en court.
De traison aparant.
D'omecide aparant murtre en court.
De querele d'un marc d'argent ou de plus.
De atraire contre son seignor chose que à son fié ne soit.

Et de toutes autres choses qu'on pert vie ou membre, ou son honor qui en seroit attaint ou prové en la haute court.

CHAPITRE LXXXII.

Qués gens peuvent faire apeau de murtre, et à qui l'on est tenu de respondre

Pour ce que le murtre est avant divisé en cest livre que les autres choses dequoi l'on se peut clamer par l'assise et avoir en droit, et auquel clam il n'a point de jour, et y a tornes de bataille par l'assise ou B l'usage dou royaume de Jerusalem en parlerai je premier, si veuil diviser avant quel maniere de gens peuvent faire apeau de murtre, vers qui on ne se peut deffendre de respondre dou murtre par l'assise ou l'usage dou royaume de Jerusalem.

Feme espouse dou murtri.
Hom espous de la murtrie.
Tous parens et parentes de sanguinité.
Tous parens et parentes d'afinité.
Tous parains.
Tous maraines.
Tous fillous.
Tous filleures.
Tous comperes.
C Tous comeres.

Tous ceaus et celles qui sont dou pais dou murtri, se il est pelerin estrange.

Tous ceaus et toutes celles qui vindrent au passage à que il vint se il est d'outre mer.

Tous ceaus et toutes celles qui ont esté avec le murtri ou la murtrie an et jour si com est devant dit.

Tous ceaus ou celles qui sont tenus de foi au meurtri ou à la murtrie, soit home ou feme, ou seignor ou dame.

Tous ceaus ou celles qui sont dou comun dou murtri ou de la murtrie, se il est de costume.

Tous ceaus ou celles qui sont de la frerie dou murtri ou de la murtrie, se il est de la frerie.

D Feme se elle a esté soignant dou murtri.
Home se il a tenue la murtrie à soignantie.

Mais feme qui ait baron ne peut faire apeau de murtre que par l'otroi de son baron, et por ce le peut tel maniere de gens appeler et autres non, que il est bien semblant que amour les meine à ce que il font l'apeau pour l'amour qui a esté entre eaus et le murtri ou la murtrie, et non pour haine ou pour lover, ou pour malice.

CHAPITRE CI.

Coment toutes manières de champions doivent être armés quand il s'en vont pour offrir en court la bataille faire.

Ci est la maniere coment toutes manieres de gens,

champions, chevaliers et autres doivent combatre, et coment il se doivent avant venir pour offrir au seignor et ou et coment, et de quel maniere il doivent estre armés, et venir à court pour offrir eaus de bataille, et coment et de quels armeures il doivent estre armés el champ et à la bataille el champ à cheval, coment et dequoi les chevaus doivent estre couvers.

CHAPITRE CII

Coment chevaliers doivent estre armés qui combatent pour murtre, et coment pour autre querele, et coment il doivent venir pour offrir, et ou et à quel oure.

Les chevaliers qui se combatent pour murtre ou pour homecide se doivent combatre à pié et sans coiffe, et estre roignés à la reonde, et estre vestus de cottes vermeilles ou de chemises, ou des doubles de coude courtes jusqu'au genouil, et les manches coupées jusques dessus le coude, et avoir chausses vermeilles de drap à estrier sans plus, et une targue que l'on appelle harasse qui soit plus grant de lui de demi pié, ou plain paume, en laquelle ait deus pertuis de commun au grant en tel endroit que il puisse son aversaire veir par ceaus pertuis, et doit avoir une lance et deus espées, l'une ceinte et l'autre attachée en son escu, si que il la puisse avoir quant mestier li sera, et il ni a que trois jours de respit de tel bataille, puis que les gages sont donés et receus. Et quant les champions qui ont gage tel bataille se veulent offrir à jour de bataille, il doivent venir à pié entre prime et tierce en l'ostel dou seignor, et l'apelloir avant ensi vestus et chaussés com il est dessus devise, et faire porter avant soi plusiors harasses et plusiors lances et espées, si que il puisse prendre à l'entrée dou champ lequel que il vodra, car se chascun ne presentait que une, et elle estait brisée fenduë ou empirée en aucune maniere ains que il fust au champ, il ni poroit avoir nule autre puis fors celle que il aurait presentée au seignor et à la court et l'apeloir se doit venir avant pour offrir, et dire ce quant il sera venu enci en la court dou seignor. Sire, je me presente moi et mes armes à vous et à la court, et vees ci mes armes et mostrer les, et moi pour euffrir à fornir ce que je ay offert à faire, et à fornir de la bataille que je ay gagée contre tel et le nome. Et lors le seignor doit faire toutes ses armeures veir à la court se elles sont telles com elles doivent estre, et puis livrer les armeures à ses homes et comander as champions que il allent el champ, et ceaus qui portent les armeures o lui. Et le defendoir doit apres venir pour offrir soi si com est dessus dit de l'apeloir, et le seignor doit auci faire et dire à lui com à l'apelloir, et se l'une des lances est plus longue que l'autre, le seignor la doit roigner dou grant, et doit les deus champions faire bien garder alant el champ que aucun des eaus ne s'en fuie ou destourne, ne que l'on lor face mau ou vilainie dou cors, ne die ne face honte ne ennui, car le seignor les doit de ce tout faire garder, que il sont en sa garde. Et quant il seront el champ le seignor y doit metre de ses homes pour les garder, et un des eaus doit dire devant les autres à chascun des champions, choisisses de vos armeures, lesqueles vous vodrés avoir à la bataille faire et il le doivent faire et doivent telles retenir el champ, et les autres oster del champ. Et aprés doivent faire jurer à chascun des champions que il ne porte bref ne charei, ne sorcerie, ne que il pour ceste bataille il ne l'a fait faire, ne autre pour lui que il sache, ne n'a doné ne promis à aucune persone quel qu'elle soit en aucune maniere chose pour brief ou espirement, ne charei, ne sorcerie qui à celle bataille li puisse aidier, ne à son aversaire nuire, ne que il n'a aucunes autres armeures sur soi que celles que la court a vehues. Et puis doivent les champions mener ensemble emmi le champ, et avoir là un Evangile, et le deffendoir doit premier jurer sur sains à genouil la main destre sur l'Evangile, et dire que enci li ait Dieu et les sains Evangiles que il n'a tel murtri et le nome. Et l'appeloir doit dire que il ment et l'en doit liever com esparjur et prendre par le poing, et jurer que enci il ait Dieu et les sains Evangiles, que il a tel murtri, et le nome. Et aprés ce les gardes doivent mener chascun des champions en une part dou champ, et le banc doit estre crié tel à quatre cantons dou champ, que ni ait nul si hardi de quel langage qu'il soit qui ose dire ne faire chose par quoi l'un de ces deus champions soit en aucune chose aidiés ne veés, ne estre ne le puisse, et que se aucun le faisoit que son cors et son avoir seroit encheu en la merci dou seignor. Et se le murtri est empresenté il doit estre en une part dou champ tout descouvert, et se il y a home ou feme qui ait fait l'apeau par champion, il doit estre de les le cors, en tel maniere que il ne nuise ne aide à nul des deus parties ne en dit ne en fait, ne en contenance fors de Dieu proyer, on tel maniere que les champions ne le puissent oyr. Et les armeures dou vaincu, et celles qui cheent dou vainquor brisées et entieres doivent estre dou seignor, et s'il y a conestable, dou conestable; et se pais en est faite puis qu'il sont laissés aler ensemble, et aucune des armeures douquel que ce soit est brisée ou chiet au champ, elle est dou seignor, ou dou conestable se il y est. En apres les gardes dou champ doivent partir le soleil si que il ne soit contre la chiere de l'un plus que de l'autre, puis doit dire l'un des gardes au seignor sire, que comandes vous, nous avons fait quan que nous devons faire. Et le seignor lor doit dire lors laissés les aller ensemble, et traire se en une part dou champ, et laisser les convenir; et se le champion porte arme reporte autre que celle de la court, et il s'en veaut aidier pour son aversaire gregier, et les gardes dou champ s'en aperçoivent, si le doivent maintenant prendre, et le seignor en doit faire dou murtrier, et se l'un prend l'autre, et il s'entre abatent, les gardes dou champ se doivent traire celle part, et estre plus pres que il porront des yaus, si que se l'un dit le mot dou

recreant que il puissent loyr, et se il le dit et il l'oyent, il doivent maintenant dire à l'autre laissés, assés avés fait, et maintenant celui prendre et laisser un commandement dou seignor, et le seignor le doit maintenant de la faire trainer jusques as forches et pendre le par la goule et de celui qui aura esté occis tout n'ait il dit le mot recreant.

Et qui veaut faire apeau de murtre et il n'est chevalier, il doit faire si com il est devant dit de toutes choses fors tant que les champions doivent estre autrement armés, et enci et tels armeures com est devisé en cestui livre et aprés que les champions autres que chevaliers doivent avoir, car sergens à pié se combatent de toutes quereles d'unes armeures.

CHAPITRE CIV.

Coment au jour de bataille se doivent offrir les champions.

Au quatrieme jour des champions se doivent venir offrir en l'ostel dou seignor entre prime et tierce l'apeloir avant et le deffendoir apres et doit chascun des eaus avoir plusiors chevaus couvers si com est devant devisé, et faire aporter des armeures avant dites de chascune plusiors : porce que se il ni portoit que une, et il ni faisoit mener que un cheveau, et celui fust mort ou essoigné, ou aucune des armeures fust mau mise ou empirée, il n'en poroit avoir, ou recouvrer d'autre puis que il l'auroit presenté à court. Et quant l'apeloir vient devant le seignor, il li doit dire. Sire, je suis venu au jour que vous et la Court m'avés doné garant et apareille de ce que mestier me ait a ma bataille fournir, et cuffre à ma bataille faire en fait ce que je ay offert à faire en dit, et vous prie et requiers que vous comandés que je aille au champ ma bataille faire. Et le seignor doit dire, soffrés vous en tant que je le vous commande. Et adonc il doit se traire en une part en l'ostel dou seignor, et quant le deffendoir vient devant le seignor, il doit enci faire com il est dessus devisé de l'apeloir. Et quant il se sont enci venus pour offrir, le seignor doit comander devant à l'apeloir que il voise au champ, et apres au deffendoir, et doit à chascun bailler de ses homes qui les accompagnent jusques au champ, et qui les gardent que nus des eaus ne s'en destourne : ne que on ne lor die, ne fasse mau ne vilenie, ne outrage, mais quant il viendront pres d'ou champ chascun d'eaus doit avoir tentes tenduës ou loges faites hors dou champ là où il s'arment, et le seignor doit là venir, ou ses homes, et là establir de ses plus prodes homes au champ garder, et doit avoir assés de ses homes armés entour le champ pour garder que tort, ne force, ne otrage ne soit fait à sa seignorie, ne a aucun des champions. Et quant il sont là venus, le seignor doit faire venir les champions devant lui, et dire à chascun lequel est le cheval que vous volés avoir a combatre, où sont vos armeures de qui vous volés combatre, et ils les doivent mostrer, et le signor les doit faire prendre et faire veir en sa court se elles sont telles com elles doivent estre a tel fait faire; et lors la court doit les lances mesurer, et se l'une est plus grant que l'autre roigner la, si qu'elles soient d'une grandeur, et se l'une des espées ou le fer des lances est tel que il puisse passer par la maille dou haubert sans rompre et tailler la maille, l'on le doit faire changier que il ne les aient tels com est devant dit qu'elles doivent estre. Et quant cela sera fait, le seignor doit dire as champions que il s'en voisent armer de toutes lors armes fors de heaume et de la lance. Le seignor doit comander à ses homes que il les metent au champ, que l'on mene devant eaus lors chevaus, et portent lor escus et lor lances et lor heaumes, et entrent à pié el champ, et mener les a une part chascun par soi. Et quant ce sera fait, ceaus des homes que le seignor a establi a garder le champ doivent porter une Evangile, et faire jurer à chascun des champions par soi que il ne portent sur eaus ne sur lors chevaus armeures parquoi il puissent l'un l'autre gregier autres que celles que la court a vehuës, ne que il ne portent que il sachent sur eaus ne sur lors chevaus brief ne chartre, ne sorcerie ne autre pour eaus que il sachent. Et apres ce sarement il doivent faire venir les deus champions emmi le champ, et avoir une Evangile que un des gardes dou champ doit tenir, et doit dire au deffendoir venés avant, et jurés ce que vous devés, et il se doit agenouiller et metre la main sur l'Evangile et dire enci, m'aid Dieu et les sains Evangiles que je n'ay pas faite la traison que cestui me met sus, et le nome, et l'apelloir le doit maintenant prendre par le poing, et dire tu es esparjure, et je t'en lieve com esparjure, et jure que enci m'aid Dieu et ses sains Evangiles que tu as comise la traison que je te meis sus. Et adonc les gardes dou champ doivent mener chascun des champions en une part dou champ et comander que le bau soit crié és quatre parties dou champ, et doivent chascun des champions faire monter sur lors chevaus, et adonc baisse son heaume, et prendre son escu en sa tente, et les gardes doivent tenir chascun des champions par le frain dou cheval; et les autres doivent partir le soleil, et quant le soleil sera parti, et le banc crié, il doivent dire au seignor qui doit estre hors dou champ à cheval. Sire nous avons fait quau que nous devons, que comandes vous, et le seignor lor doit dire laissés les aler ensemble, et lors ceaus qui les tienent les doivent laisser aler, et l'un doit movoir contre l'autre et faire le meaus qu'il sauront, et se aucun des champions porte armeure, et il l'a trait pour son aversaire gregier, il en doit estre fait com il a esté dit là où il parle dou murtre et d'omecide. Et celui qui sera mort ou recreant el champ, le seignor le doit faire trainer et pendre, et le cheval et les armes dou vaincu doivent estre dou conestable, et celles dou vainquor qui sont brisées et chieent el champ, et se pais est faite de la bataille puis que les champions s'en sont laissés aler ensemble, toutes les armeures qui sont cheus el champ brisées et entieres doivent estre

dou conestable, et s'il ni a conestable doivent estre A dou seignor. Et se celui qui est appel é de la traison est vaincu, il est attaint de la traison, car l'on li a provée si com l'on doit, si doivent estre ses heirs desheritès com heirs de traitour ataint et prové de traison, et se le seignor veaut avoir le fié, et celui qui est attaint et prové de la traison si com est devant dit com il aura esté otrée, et la justice en sera faite, il doit faire assembler la court, et doit dire coment tel et le nome fu appellé de traison, et que il en a esté attaint com celui à qui l'on l'a prové par bataille, et qui en a esté vaincu par bataille, si requiert à sa court que elle li connoisse se ses heirs en sont desherités del fié de celui qui a esté attaint de la traison, par ce que l'on li a prové en champ par bataille, et la court doit connoistre se cuit que B ses heirs en sont desherités del fié que il tenoient de lui, et de tout quauque par lui lor est escheu si com heirs de traitour aparant, et attaint et prové de traison. Et lors le seignor peut faire saisir son fié et avoir le et faire tenir, et faire en toutes ses volontés com dou sien que enci l'a eu par esgard ou par conoissance de Court.

CHAPITRE CVII.

Qués gens se pevent deffendre par champion.

Se sont les gens qui se pevent deffendre par champion, feme, home mahaigne, home qui a passé aage de soixante ans, et se lor champion est vaincu, il sera d'ambedeus fait si com est dessus dit.

CHAPITRE CIX.

Coment toutes autres manieres de gens autres que chevaliers qui gagent bataille doivent estre armés à la bataille faire.

Toutes manieres de gens autres que chevaliers pour quelque querele que ce soit se doivent combatre a pié en bleant, ou en cotes rouges et chausses à estrier, et braies et braier tel com est use que champions à pié les ont, et estre roignés à la ronde, et avoir chanevas et bastons de champions, et qui avoir ne les peut, si ait autres bastons qui soient d'un lon, et les armeures dou vaincu et dou vainquor seront faites en la maniere devant dite, et apeau qui est fait de murtre ou d'omecide ne n'a respit dou jour que les gages sont donés et resseus B jusques au jour de la bataille, que trois jours, et de toutes autres quereles jusques au jour de la bataille quarante jours, et au jour que il lor est doné de bataille par le seignor ou par la Court, il doivent venir et eaus offrir en l'ostel dou seignor apareilles enci com est devant dit en cestui livre que le seignor le doit faire, et quant il seront au champ, les seremens et les bans, et les autres avant dites choses doivent faire faire les gardes dou champ si com est avant devisé en cestui livre.

CHAPITRE CX.

Que les seignors doivent faire quant pere ou fils, ou deus fraires tendent lor gages l'un contre l'autre.

Il est assise au royaume de Jérusalem que le seignor ne doit recevoir les gages de père à fils, ne de fils à père, ne deus fraires l'un contre l'autre.

ICY COMENCE LE LIVRE DES LIGNAGES DEÇA MER.

CHAPITRE I.

Ci dit des rois de Jérusalem.

La sainte cité de Jerusalem, où il plot à nostre C Sauvour souffrir mort et passion pour nous racheter des peines d'enfer, fu conquise sur les ennemis de nostre foi par un vendredy à oure de None à 15 jours dou mois de juignet l'an de l'Incarnation de nostre seignor Jesu Crist M. XCIX et fut remise el pooir des feaus de Crist. Li baron et li pelerin ehleurent à roy et à seignor Godefroi de Buillon duc de Lorraine, lequel ne se vost coroner, ne porter corone, car il dit que en la cité où nostre Sauvour porta corone d'espines le jour de sa passion, ne porteroit corone d'or, et que celui coronement que nostre sauvour ot en passion pour nostre rédemption suffisoit pour tous les roys qui devroient estre de celui saint royaume. Lequel Godefroi de Buillon ne regna que un an, et moru sans heir de son cors. Aprez la mort doudit Godefroi fu rois de Jerusalem Bauduin ses frères, lequel estait conte de Rohais, et dona le conté à un sien cousin qu'il avoit nomé Bauduin dou Bourc qui estoit fis au conte Huet de Retel, et de la contesse Melissent. Li dessus dis rois Bauduins fu mout prod'hom et moru sans heir, et furent escrit sur sa sépulture ces vers qui dient enci. *Rex Bauduinus alter Judas Machabæus, spes patriæ, tutor Ecclesiæ, quem formidabant, cui dona et tributa reddebant Cesar Dam Egiptus ac homicida Damascus, proh dolor! ut tam modico clauditur hoc tumulo.* Aprez la mort dou devant dit roy Bauduin fu roy de Jerusalem Bauduin dou Bourc conte de Rohais, qui fu fis au conte Huon de Retel et de la

contesse Melissent com a esté dit, lequel dona le conté de Rohais à un sien parent qui avait nom Jocelin de Courtenai. Le devant dit roy Bauduin esposa feme la fille d'un riche home de Ermenie qui estoit sire de Meletin, et nom avoit Gabriel, laquele estoit nomée Morfie, et ot d'elle 4 filles Melissent, Aalis, Odiart et Joie. Melissent esposa Fouques le conte d'Anger, Aalis esposa Beimont prince d'Antioche, Odiart fu feme dou conte Reimont de Triple, Joie fu nonain, et fu pour lui estorce l'abaie de saint Ladre de Betanie. Aprez la mort dou dit roy Bauduin fu roy de Jerusalem Fouques ses gendres, maris de sa fille Melissent, et ores deus fis Bauduin et Amauri. Le roy Fouques chassait un lievre au plain d'Acres, et ses chevaus li chei sur le cors et fu mors. Puis sa mort fu roy de Jerusalem Bauduin ses fis, et Amauri fu cuens de Jaffe. Li rois Bauduin envoia en Grece pour avoir feme, et ot Jodore la niesse de l'empereour Manuel, et n'en orent nul heir. Puis la mort dou roy Bauduin, Amauri ses frères fu rois, mais le patriarche ne le vost coroner tant que il se parti de Agnés, la fille dou conte Jocelin de Rohais, laquele estoit sa cousine, ceste Agnés avoit fiancé Hues de Ibelin, et si com elle venoit au royaume elle arriva à Jaffe, le cuens Amauri par le conseil de ses homes la prit à force et l'esposa, et ot d'elle un fils et une fille, Bauduin et Sibelle; pour ce ne le vost le patriarche coroner tant qu'il la laissast, laquelle vint à Hue de Ibelin, et dit qu'il estoit ses maris, et il la prit. Li rois Amauri esposa feme de Grece Marie la niece de l'empereour Manuel, et orent une fille qui ot nom Isabeau. Aprez la mort dou roi Amauri fu roi de Jerusalem Bauduin se fis lequel il avoit eu de la susdite Agnés et fu Mezel. Sebille sa seur fu femme dou marquis de Monferrat, et orent un fis qui ot nom Bauduin, et puis la mort dou dit marquis elle esposa Gui de Leseignau. Isabeau la fille dou roy Amauri et de la royne Marie esposa Gaufroi dou Thoron. Puis la mort dou roy Mezel fu roy de Jerusalem Bauduin ses niés, qui estoit fis au marquis si com vous avez oy, lequel son oncle le roy Mezel avoit fait coroner en l'aage de 7 ans, lequel fut nomé le petit roy et moru enfant. Puis fu rois de Jerusalem Gui de Leseignau maris de la susdite Sebille, jaçoit ce que li baron offrirent à Aufroi dou Thoron qui estoit mari de Isabeau la fille dou roy Amauri et de la royne Marie qui le feroient roy, et il fu si chatif qu'il ne le vost, ains ala au roy Gui, et il li fit homage. Au tens de celui roi Huis fu la terre perduë, puis aprez au siège d'Acre moru la royne Sebille sa feme, et fu royne Isabeau sa seur qui fu feme de Hauffroy dou Thoron, et esposa Conrar le marquis de Monferrat, et orent une fille qui ot nom Marie que l'on apelloit la Marquise. Les Hassissins occirent le dessusdit marquis, et la royne Isabel esposa le comte Henry de Champagne, et orent 2 filles Aalis et Phelippe. Aalis esposa le roy Hugue de Chipre, et Phelippe esposa Gerart de Briene, et ot 5 filles et un fis. L'une fille fu dame de Hauteville, et l'autre fu dame de Montmoreli, et la tierce contesse de Grant-pré, et la quarte de Bieuvres, la quinte fut abaiesse de une abaie en Champagne, en une vile qui a nom de Nerru, laquelle abaie a nom la Pitié. Le fils a nom Gerart si comme son pere. Le conte Henri de Champagne dessusdit chei d'une fenestre dou Chasteau d'Acre au fossé, et moru, et la royne susdit Isabel esposa le roy Eimeri de Chipre, et orent 2. filles Sebille et Melissent, Sebille esposa le roy Luion d'Ermenie, Melissent fu feme dou prince Reimont d'Antioche, que l'on apelloit le prince Borgne. Puis la mort de la susdite royne Isabeau escheit le royaume à Marie sa fille, laquelle elle avoit eu dou marquis de Monferrar, ci com est dessus dit, laquele exposa Johan de Briene et ce fu le roy Johan d'Acre et orent une fille qui ot nom Isabeau qui esposa l'empereor Frederic, et orent une fille et un fis qui ot nom Conrat, et ce fu le roy Conrat qui fut pere de Conradin, à cui le roy Charles fit coper la teste à Naples.

APPENDIX PRIMA.

BEATÆ IDÆ

COMMITISSÆ BOLONIÆ, REGIS GODEFRIDI MATRIS.

VITA.

(Bolland. *Acta Sanctorum*, Aprilis t. II ; die 13, p. 139.)

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ 1. *Conjugium B. Idæ. Ejus et mariti genus regium. Liberi procreati.*

1. Bononiam sive *Boloniam*, urbem Picardiæ inferioris, in Morinis ad fretum Oceani Britannici sitam, antiqui videntur Gessoriacum, Morinorum navale, appellasse, eique circumpositam regionem dixisse Gessoriacum pagum. In hoc natus est et in monasterio a se constructo mortuus, sæculo Christi septimo, die 20 Julii, S. Vulmarus abbas, a quo monasterium ejus vocatur S. Vulmari in Nemore, aut in Silviaco, aut in Bosco. Porro civitas Boloniensis oppida duo continet; superius nempe cum castro aliquo, et inferius. In superiori, præter cathedralem ecclesiam, quæ Deiparam virginem agnoscit patronam, habet alia templa et monasteria, inter quæ fuit abbatia S. Vulmari ordinis S. Augustini, in qua Patres Oratorii Domini nostri Jesu Christi modo degunt. Hoc monasterium S. Vulmari intra muros olim construxit B. Ida comitissa Boloniensis, vidua; et aliud S. Vulmari in Nemore collapsum restauravit.

2. Andrea Du Chesne, in suis Probationibus ad historiam genealogicam familiarum Ghisnensis, Ardrensis, Gandensis et Conciacæ, adducit pag. 5 extractum ex antiqua genealogia comitum Bolonienſium, conscripta tempore S. Ludovici regis Francorum, ex quo ista huc transferimus : « Guido, inquit, comes Boloniensis habuit tres filios. Primogenitus vocabatur Balduinus, cui pater dedit Boloniam et Lens. Medius vocatus est Hugo, cui pater dedit Sanctum Paulum, qui fuit primus comes, qui fuit unquam apud Sanctum Paulum. Tertius vocabatur Willelmus, cui pater dedit Ghisnes, qui primus fuit comes de Ghisnes. Ille autem comes Guido, post hæc facta, obiit, et sepultus est apud S. Vulmarum in Nemore, uti postea filius Balduinus comes Boloniensis, cujus filii, præter Fulconem episcopum, fuerunt Gaufridus comes Boloniensis, et Eustachius comes a l'Oel; ambo apud S. Vulmarum de Nemore A sepulti. » Hæc ibi quæ ab aliquibus ut non omnimodo certa habentur. Traditur autem comitatus Boloniensis devenisse ad Gulielmum Pontivi comitem, a quo filius ejus Ernuculus sive Arnulfus comitatum Boloniensem habuit anno 972 ; eique filius Balduinus successit, ac tradidit filio suo Eustachio I, socero B. Idæ, nuptæ Eustachio II, filio dicti Eustachii I et Mathildis, filiæ Lamberti comitis Lovaniensis et Gerbergæ; per quam hæc familia ex Carolo Magno scitur exorta, scilicet per Ludovicum Pium imperatorem, Carolum Calvum, Ludovicum Balbum, Carolum Simplicem et Ludovicum Transmarinum reges Francorum, et Carolum ducem Lotharingiæ inferioris, cujus filia fuit dicta Gerberga, avia Eustachii II, cui nupta fuit B. Idæ. Ordericus B Vitalis, lib. IV Historiæ ecclesiasticæ ad an. 1667, de his conjugibus ista habet : Erat Eustachius comes magnæ nobilitatis, ex prosapia scilicet Caroli Magni, Francorum strenuissimi regis; erat quoque magnæ potestatis, utpote sublimis princeps trium comitatuum, Boloniensis, Ghisnensis et Tarwanensis generosam et religiosam Itam habens uxorem. Hæc Ordericus. Verum fallitur in duobus comitatibus Eustachio attribuendis. Vivebat tunc proprii comites Ghisnenses, accurate descripti a Lamberto presbytero Ardrensi in Historia comitum Ardrensium quam anno 1181 absolvit, quamque habemus manuscriptam, et cujus maximam partem in suis probationibus ante indicatis edidit Andreas Du Chesne comitatus etiam Tauranensis : a Miræo et aliis creC ditur idem fuisse cum comitatu Sancti Pauli, qui comitatui Boloniensi fuit aliquando adjunctus, sed postmodum disjunctus et datus Hugoni filio seu Guidonis seu Guilelmi. An tamen Eustachius comitatus utriusque titulum gesserit nolumus divinare. Dicitur superius una cum Bolonia comitatus Lens traditus, qui postea datus fuit Lamberto fratri Eustachii II : qui, illo sine liberis an. 1054 defuncto,

eumdem comitatum simul obtinuit; uti infra ex fundationibus ibidem factis clare constabit.

3. Hanc mariti sui nobilitatem nacta est B. Ida, cui non minorem contulit, ipsa etiam ex stirpe Caroli Magni prognata, per Ludovicum Pium, Lotharium, et Ludovicum II imperatores : hujus ultimi Ludovici, regis etiam Italiæ, filia Ermengardis, nupta Bosoni provinciæ regi, peperit Chunegundem, matrem Godefridi Ardennensis, vulgo captivi ; qui comes Virdunensis et Ethanensis, genuit Godefridum Improlem ; et Gothilonem Magnum, utriusque Lotharingiæ ducem, et B. Idæ avum, mortuum anno 1044, Gotheloni successerunt duo filii : Gothilo, Ignavus dictus, non diu post cum superstes; et Godefridus Barbatus, Audax, et Magnus cognominatus : qui contra imperatorem, quod sibi plena successio negaretur, rebellis exstitit; ac tandem ei reconciliatus, utriusque Lotharingiæ ducatum obtinuit. Duas hic habuit uxores; primam Dodam, matrem B. Idæ et Godefridi Gibbosi; secundam Beatricem, Bonifacii Tusciæ marchionis viduam, cui illa genuerat Mathildem marchionissam, sua generosa indole apud scriptores notissimam. Andreas Du Chesne, sub initium præfationis ad Historiam genealogicam familiæ Drocensis, asserit, « primam Godefridi uxorem habuisse magnam aviam paternam Chunegundem, filiam Ermengardis, » quam supra diximus Bosoni provinciæ regi nuptam fuisse.

4. Nata videtur B. Ida circa an. Christi 1040, itaque potuit nuptui tradita fuisse an. 1057, sicut scribit Jacobus Malebrancus lib. VIII de Morinis cap. 49, aut saltem anno 1059, quem aliqui assignat. Tres marito suo peperisse filios certum est, quos Acta antiqua hoc ordine collocant, ut primogenitus sit Eustachius III, nomine patris sui et avi ita appellatus, et post illos comes Boloniensis creatus. Alter statuitur Godefridus postea Bullonitus appellatus, quo nomine avunculus ejus et avus maternus vocabantur. Tertius dicitur Balduinus, nomine suo repræsentans proavum paternum : et hi duo ultimi mortui sunt reges Hierosolymorum. Eodem illos ordine recenset B. Ida, in charta donationis, anno 1098 factæ pro monasterio S. Bertini. Ast in diplomate pro monasterio Affligemiensi, an. 1096 signato, S. Ida primum nominat Godefridum, tum Eustachium et Balduinum; quo etiam ordine recensentur in secunda Vita, infra ex ms. Hagiologio Rubeæ-Vallis referenda, in Chronico Alberici ad an. 1096, et in Magno Chronico Belgico, et ab aliis posteribus historicis. Ordericus Vitalis supra memoratus hoc ordine recenset, Godefridum, Balduinum et Eustachium. Lambertus Ardrensis cap. 18 B. Idam appellat Godefridi et Balduini regum Hierosolymorum, et Eustachii nobilissimi comitis matrem, respectu ad dignitatem regiam habito. Verum in antiquissima Vita B. Idæ, Eustachius primo loco collocatur, et in antiqua genealogia, scripta antequam duo alii in reges fuerunt electi. Genealogiam istam habemus in illustri codice, nobis ex bibliotheca Brugensi Societatis Jesu communicato, in quo post Chronicon Hugonis Floriacensis continebatur, inde excusa a Miræo lib. I Donationum Belgicarum c. 30 et hæc inde damus : Mathildem, Gerbergæ filiam, ut supra diximus, duxit uxorem comes Eustachius de Bolonia, et genuit ex ea duos filios, Eustachium et Lambertum, Eustachius accepit filiam Godefridi ducis, Idam nomine, genere nobilem et moribus : et genuit ex ea tres filios; Eustachium, Godefridum ducem nunc Lotharingiæ, et Balduinum : » quæ inde, omissa particula nunc, descripta sunt in ms. codice Nivellensi. Hic autem Godefridus, ab avunculo Godefrido Gibboso, moriente sine liberis anno 1076, hæres factus patrimonii sui, ac nominatim ditionis Bulloniensis, Bullonius est dictus : cui Henricus III, imperator, et IV rex Germaniæ, anno 1076 Marcam Antuerpiensem contulit, et anno 1089 addidit ducatum Lotharingiæ Inferioris, in dicta genealogia indicatum.

5. Aliquis hic scrupulus movetur, num B. Ida, præter tres memoratos filios, pepererit marito suo plures liberos, nominatim filium Guillelmum dictum, et unam alteramve filiam. Willelmus Tyrius archiepiscopus, lib. IX Expeditionis sacræ circa annum 1174 scriptæ, de Godefrido Bullonio ita loquitur : « Fuerunt porro huic tres ex utroque parente fratres, quibus et morum dignitas et virtutum præstantia tanti principis dabat esse germanos : dominus videlicet Balduinus comes Edessanus, qui eidem postea successit in regno. Dominus quoque Eustachius, comes Boloniensis, qui in bonis succedens paternis post patrem obtinuit comitatum. Tertius fuit dominus Willelmus, vir inclytus, a paterna et fratrum simul honestate et strenuitate non degener. Duo primi dominum et fratrem suum in expeditione secuti sunt, tertio domi remanente. » Hæc Tyrius quem sæculo XV secutus est S. Antoninus, et alii posteriores. Verum quia illius non meminerunt ulli antiqui scriptores qui tunc in Europa doctrina floruerunt, neque ipsa Ida in diplomatis eum inter filios suos recenset; non obtinet Tyrius sufficientem fidem apud Ludovicum Chanterellum Fabrum lib. II De considerationibus historicis genealogiæ Lotharingicæ et alios, arbitrantes quod Tyrius fratrem alterius principis, in terram sanctam profecti, annumerarit inter fratres Godefridi Bullonii. Ordericus Vitalis lib. IV, p. 509, nulla facta Guillielmi mentione, aliis tribus filiis B. Idæ relatis, addit filiam, quæ nupsit quarto Henrico imperatoris Alemannorum. Aubertus Miræus, in Chronico Belgico pag. 263, appellatam ait Agnetem aut Adelheidam, Henrico IV regi Romanorum nuptam, sed paulo post repudiatam. Idem Ordericus, lib. IX, pag. 755, inter viros illustres, in terram sanctam profectos, refert fuisse Cononem, comitem Alemannum, virum probum ac sapientem. Consiliarium, qui sororem Godefridi ducis conjugem habebat, Miræus indicat fuisse Cononem Montis Acuti comitem, et ex iis prognatum Lambertum. In Historia ms. cœnobii Broniensis, in

comitatu Namurcensi dicitur Godefrido Bullionis duci, et Balduino regi, et Eustachio comiti fuisse sororem, cujus filius Manasses exstitit, possidens castrum et oppidum quoddam, Hirgiam nomine, villas et reditus satis tenues, quantum ad tantæ claritatis virum. Num uni sorori hæc omnia an pluribus tribuenda sint, non æque liquet. Miræus duas illis fuisse sorores arbitratur. Dicta Hirgia, aliis Herca est oppidum agri Leodiensis vicinum Brabantiæ, in antiqua Hasbania situm.

6. Cum Guilielmus dux Northmanniæ, regnum Angliæ accepturus, in eam insulam anno 1066 cum copioso exercitu navigasset, coactus fuit cum exercitu Anglicano confligere. Inter eos qui huic prælio interfuerunt, et victoriam Guillelmo pepererunt ab Orderico Vitale lib. III primus nominatur Eustachius Bolouiæ comes. At postea, ut Ordericus ait lib. IV ad annum 1067, « multimodis Northmannorum oppressionibus Angli ad rebellionem lacessitis, Boloniam legatos miserunt, et Eustachio comiti, ut cum classe, diligenter militibus et armis instructa, ad suscipiendam Doveram acceleraret, mandaverunt. Qua expeditione non succedente, non multo post Eustachius comes Willelmo regi reconciliatus est, ejusque amicitia longo tempore postmodum perfunctus. Quandiu postea vixerit non constat. De ecclesia Lensiensi restaurata, et privilegiis stabilita anno 1070 infra agemus. Exstat charta Balduini comitis Gisnensis in Chronico Andrensis monasterii pro fundatione dicti monasterii, relata ab Andrea Du Chesne; in probationibus ad Historiam genealogicam dictæ familiæ Gisnensis pag. 25, in qua inter testes post Goiffridum Parisiacensem episcopum, prima adhibetur Ida Boloniensis comitissa. Facta autem ea charta est anno Incarnationis Domini 1084. Quanto tempore tunc vidua fuerat, non constat. Vixisse eam usque ad annum 1106, ex diplomatis variis infra proferendis manifestum fiet.

§ II. *Obitus B. Idæ. Varia Acta scripta. Titulus sanctæ et beatæ.*

7. Mortuam esse B. Idam die Dominica Idibus Aprilis Acta referunt. Eam ad annum 1106 superfuisse testatur infra Lambertus episcopus Atrebatensis in diplomate pro Lensiensi Ecclesia et collegio canonicorum, isto anno VII Idus Junii signato. Post annum jam dictum dies Dominica incidit in Idus Aprilis an. 1113, cyclo lunæ XII, solis II, littera Dominica E, quando Pascha celebratum fuit die 6 Aprilis, et sequens Dominica in Albis incidit in Idus Aprilis. Tunc autem B. Ida erat aliquot annis septuagenaria major : ut non videatur ad majus senium, cujus acta non meminerunt, vitam protraxisse.

8. Acta ejus habemus triplicia : horum antiquiora damus ex pervestuto codice ms. collegii Brugensis Societatis Jesu, composita (quantum assequi possumus) a monacho Wastensis monasterii, ab ipsa in agro Boloniensi fundato, in quo et sepulta est. Corpus post multos dies integrum cum vestibus repertum esse, ipse auctor occulatus testatur. Adduntur deinde aliqua miracula, aliorum testimoniis roborata : inter quæ est fere ultimum, præstitum nepti ipsius B. Idæ ex filio Eustachio, quo adhuc vivo scripta videntur dicta Acta, post an. 1130, quo mortuus est B. Joannes episcopus Tarvanensis, quem titulo piæ memoriæ honorat auctor. Acta hæc, prout habentur in dicto apographo, in varias lectiones sunt distributa, et additur sub finem trita lectionum conclusio, *Tu autem, Domine, miserere nostri. Deo gratias;* titulus autem præfigitur hic : *Vita B. Idæ, comitissæ Boloniæ, viduæ*, et in contextu appellatur *sancta, sanctissima, beata, beatissima, veneratissima, venerabilis*, et ad venerationem ejus post mortem multi dicuntur accurrere.

9. Altera Vita datur ex codice ms. monasterii canonicorum regularium Rubeæ-Vallis prope Bruxellas, ex prima parte Hagiologii Brabantinorum, collecta et conscripta a Joanne Gillemans, qui ante ducentos annos magna industria et labore plures sanctorum Vitas collegit, et huic Vitæ ante suam præfationem præposuit hunc titulum : *Vita S. Idæ viduæ et Boloniensis comitissæ, de stirpe Karolidarum*, nonnullaque in Brabantia gesta addit, in priore Vita omissa. Aliud compendium habemus ex ms. codice Ultrajectino S. Salvatoris, cum hoc titulo : *Vita sanctæ Idæ comitissæ Boloniensis*, reliqua omittimus, utpote ex prima Vita contracta. Passim in utraque hac Vita, ut in titulo sic etiam in ipso contextu historiæ, sancta et beata Ida appellatur. Eodem modo Gerbrandus Leydensis et auctor Chronici Belgici sanctam Idam compellant. Auctor ms. Florarii sanctorum tali eam elogio exornat ad hunc 13 Aprilis : « Depositio S. Idæ viduæ, comitissæ Boloniæ, matris Godefridi et Balduini fratrum Coloniensium, postea regum Hierosolymitarum, de stirpe Carolidarum. » Eamdem celebrant Molanus in Natalibus sanctorum Belgii, Miræus in Fastis Belgicis et Burgundicis, Ferrarius in Catalogo generali, et passim recentiores. Malbrancus in Historia sua de Morinis passim beatam appellat, et lib. IX, cap. 35, asserit so in loco sepulturæ ejus fuisse, « vidisse signum ejus e candido lapide, quinque pedes altum, in divi Michaelis æde; et velle incolas, illuc tumulum magnificum ab Eustachio filio eam consecutam, atque etiamnum ostentare marmor supernum cum signo illo seu statua; quæ ab excidio illius templi inculta jacent. »

BEATÆ IDÆ VITA

AUCTORE MONACHO WASTENSI COÆVO.

(Ex ms. Brugensi Societ. Jesu.)

PROLOGUS.

1. Sæculo attestatione Scripturarum senescente, et jam pene ad finem, ut casus ejus indicat, cadente, præsentium quia destituitur meritis, succurrendum est præteritorum. Primi enim hominis peccatum, sæculo incipiente, cum promissa morte apparuit, ac deinde illud non sine peccato mors sub pede tenuit. Multiplicato quidem peccato, vidit Dominus terram esse corruptam, et repletam iniquitate, omnesque ad malum tendere; et judicium per aquam sæculo primum intulit : verumtamen non multorum, qui tunc fuerant, justorum meritum, ne omne periret, profuit sæculo. Deprecatio autem Abrahæ non pœnitentem Sodomam incendii minime liberavit a periculo. Quare? quia non fidem Abrahæ imitari, nec monitis voluerunt credere. Post legem vero, quasi per nebulas sæculum juvantem, sancti Patres venturam sæculo promiserunt salutem, atque frequentatam suis meritis sæculi sustinuerunt incommoditatem. Accedens quippe prædicata salus, sæculo labenti manifestavit, quas patitur diaboli varias incursiones. Sed adhuc velut declinans et pendens, juvant illud sanctorum merita et orationes. Semper igitur merita præteritorum, quos valere putamus, postulata fideliter sæculo cadenti supponamus. Celebratis, siquidem et invocatis meritis utriusque sexus jam translati ad gloriam, corroborati obnixe atque viriliter, sæculo nequam contradicentes, egredimur obviam. Nullus namque gradus prætermissus est, de quo non sit testimonium sanctitatis. Quibusdam a diluvio in arca salvatis, quibusdam per circumcisionem sanctificatis, quibusdam per legem justificatis; quibusdam per baptismum digne renatis, concessum est ut sæculo [prodessent] meritis suæ quam habuerunt semper benignitatis, verbi gratia : si beatæ illæ quæ non genuerunt testimonio veritatis dicuntur; matres profecto supradictorum, in libro vitæ, suis et filiorum meritis, scribuntur. Et si virginitas bona prædicatur, castitas post filios, sine qua opus non est bonum, magna probatur. Legis namque præcepto prolis exsultat fecunditas, et filiorum maledicitur non apparens posteritas. Melius est nubere quam uri; unde lapsus sæculi valeat sustentari. Jam vero ad illam incepta descendat propositio, et quænam sit, vero manifestetur testimonio. Vox igitur et manus scribentis concordent, quod utique esse veritatis hujuscemodi notificent, quatenus legentes et audientes Deum inde non dubitantes glorificent.

CAPUT PRIMUM.

B. Idæ prosapia, educatio, matrimonium, liberi, virtus in conjugio.

2. Fuit itaque post multi temporis curricula, quædam nobilissima exorta prosapia, insignis adolescentula, nomine Ida. Pater ejus supra potentes atque fama majores, coram imperatore Alemannorum, gradum altiorem et quasi privilegium dignitatis atque potestatis obtinens fuit, nomine Godefridus (1), mater vero ejus, non minus egregia Doda (2) vocabatur; unum habentes filium, sicut et patrem (3) vocatum, militari habitu et acta laudabilem, nativitate prævenientem Idam venerabilem. Illis nimirum alta et humilia pro ratione gerentibus prædicta puella litteris imbuta est, usque ad ætatem congruam in annis suis puerilibus. Ditata vero moribus honestis, non vitæ præsentis intendebat lasciviæ, sed magis ac magis ad amorem suspirabat cœlestis patriæ; per quod satis compertum notumque est, quanta qualive replebatur gratia.

3. Quadam namque nocte cum se sopori dedisset, de supernis cogitans, vidit per somnium, quod de cœlo sol omnis descendisset, unumque tanquam momentum in sinu ejus fecisset. Hoc autem magnum quid futurum ostendebat somnium, quoniam ex ea procederent, qui ad tempus possiderent regnum et imperium... Signa quidem nonnulla ordinat divina providentia [futura] quibusdam per aspirationem, pluribusque per visionem antequam fiant, demonstrans. Et quia omnia tempus habent; significata per venerabilis puellæ, de qua nunc agitur, visionem, tempore congruo atque a Deo prædestinato, sunt notificata. Quomodo autem vel quali ratione ista fuerunt; charitati atque benignitati tam præsentium quam futurorum fidelium enucleare conamur. Fuit namque tempore præfati ducis Godefridi

(1) Godefridus hic cognominatur *Barbatus*, *Audax*, *Magnus*, Gothelonis Magni ducis Lotharingiæ filius, mortuus anno 1070. Reliqua supra diximus.

(2) Doda, uxor prima Godefridi : qua mortua, uxor ejus secunda fuit Beatrix, tunc vidua Bonifacii marchionis Thusciæ et mater celebris Mathildis, uti ante indicavimus.

(3) Hic est Godefridus Gibbosus, aliis *Strumosus* dictus, a Sicario læsus, absque liberis mortuus, anno 1076.

heros quidam genere nobilissimus, Carolo (4) etiam regi consanguinitate proximus, corpore et animo actuque sæculari validissimus, longe lateque fama nominatissimus, nomine potens Eustachius (5). Hic autem Boloniæ comes et dominus præerat, quæ civitas magno dominatu et potentia tunc divulgata fuerat. Dicitur, et verum est; quia fama, probitatis sectatores conjungit; cujusque ordinis homo probatur, similem sibi quærit. Multorum quippe relatione verissima comes Eustachius mores et actus atque pulchritudinem prædictæ virginis Idæ, generisque dignitatem ejus audiens, misit nuntios (6), sensu et eloquentia instructos, ad prædictum ducem Godefridum, ut filiam suam Idam sibi daret in conjugium; per quod in sempiternum esset inter illos generositatis eorumdem vinculum. Inito ergo consilio super hac petitione, quia non defuit gratia cœlestis, honorificam virginem Idam, viris qui propter eam venerant, adjunctis nonnullis personis honestis, tradiderunt parentes. Appropinquantibus ergo illis Boloniensi territorio, urbs omnis exiit obviam magno cum gaudio.

4. Recepta namque, ut decuit, honorifice, copulata est comiti Boloniæ, scilicet Eustachio, pro more Ecclesiæ catholicæ. Celebratis igitur nuptiis solemniter, venerabilis Ida, quæ Dei erant curiosa sub consulari dignitate, amabat fideliter; quæ mundi autem videbantur, non inquirebat pertinaciter. Servato nempe caste, conjugio, juxta præceptum Apostoli, utens viro debite, tanquam non habens virum, tres filios, sicut præindicatum erat, coram Dei clementia genuit, apparentes per supradictæ visionis vaticinium. Primus filiorum ejus fuit Eustachius (7), vir potens in omnibus actibus sæculi ac religione laicali egregius. Iste vero patris imitans nobilitatem, ejus, ut notum est, tenuit hæreditatem viriliter. Secundus quippe fuit Godefridus, avi sui vocabulo et possessione dux (8) vocitatus, qui, Deo propitiante, Turcis triumphatis, sub nova gratia rex (9) primus fuit in Jerusalem prædestinatus. Huic autem natu posterior, sed non minus in actu potentiaque potentior fuit tertius, bonæ memoriæ Balduinus, Acconensis civitatis eidemque subjacentium proconsul et dominus, ac demum post obitum fratris sui Godefridi (10), regis ut vices expleret, honore regio ditatus. Factum est autem cum tantarum venerabilis Ida mater esset filiorum (11), adhuc illis in cunabulis jacentibus, non sinebat alienis sed propriis lac dari uberibus, timens ut pravis contaminarentur moribus.

5. Omnibus amabilem, cunctis placabilem, per omnia laudabilem cum illam comes conspiceret, non moleste sustinuit : verum etiam ut perseverans ad meliora omnimodo tenderet, admonuit. Tunc quippe Dei famula, viri sui assensu et voluntate, imo repleta superna gratia et divina pietate, ecclesias frequentans, magna et devota cum humilitate, utilia ac apta divinæ servituti ac ejus ministris præparabat libenti assiduitate. Hæc vero dum ageret Ida, Deo dilecta et hominibus, intra mœnia civitatis absconsa sub chlamyde mentis suæ, ecclesias extra fundare flagrabat, portans aut mittens munera largæ charitatis. Audierat etenim, quod legem observanti a Domino præcipitur : Non apparebis vacuus in conspectu meo, atque vota cordis tui non differes reddere Deo : quod bene intelligens Psalmista ait : *In me sunt vota, quæ reddam, laudationes tibi, Deus* (*Psal.* LV, 12). Hæc igitur audiens et observans beatissima Ida, superna sibi gratia propitiante, vota, quæ reddere, illi qui dederat grata, suscepit in mente placida. Eminebat in ea humilitas, quam Esther regina fertur habuisse qua regia ornamenta coram Deo æstimabat quasi menstruata indumenta (*Esth.* XIV, 12). Non parvipendens ergo hæc imitatrix tam potentis reginæ devotam humilitatem, præsentis vitæ superfluam in omni actu suo despexit felicitatem. Agebat sollicite pauperum curam, retributionem exspectans futuram; viduas et orphanos circumquaque et infirmos, maxime domesticos fidei, orationibus assiduisque juvabat muneribus. Casta familiaritate potentes, pia consolatione senescentes, humili verbo innocentes, venerabilis domina studebat habere.

CAPUT II.

Virtutes ejus in viduitate : monasteria fundata : miracula patrata.

6. Istis et his similibus dum polleret studiis, nobilis vir ejus Eustachius, interveniente morte inevitabilis, vitæ hujus luce caruit (12). Tunc vero veneratissima Ida, lege dissoluta conjugii, bona quæ faciebat opera non deserens, sed multiplicans est secuta; quia quamvis viri consolatione fuisset

(4) Videtur intelligi Carolus Magnus, cujus avus fuit Carolus Martellus, et nepos Carolus Calvus : hujus iterum nepos Carolus Simplex, et hi tres reges Francorum fuerunt. Ultimi Caroli iterum nepos Carolus solum fuit dux Lotharingiæ, et proavus Eustachii comitis, mariti B. Idæ.

(5) Eustachius, aliis *Eustachius*, et absque aspiratione *Eusthacius*.

(6) Malbranchus lib. VIII de Morinis cap. 47, tradit Eustachium ad B. Idam accessisse, et nuptias celebratas esse Cameraci anno 1057, quod contra hunc auctorem coævum deberet plusquam simplici scriptoris hodierni assertione probari, ut fidem adhiberemus.

(7) Eustachius comes etiam cum fratribus in terram sanctam profectus est, sed inde anno 1102 reversus, in comitis Boloniensi diu post matrem superstes fuit.

(8) Godefridus dux Bullonius deinde etiam Lotharingiæ, scilicet inferioris, et marchio Antuerpiensis.

(9) Capta 15 Julii anno 1099 Hierosolyma, omnium consensu rex Hierosolymitanus creatus est.

(10) Mortuo Godefrido 19 Julii anno 1100, subrogatus est Balduinus rex usque ad annum 1118, quando frater Eustachius absens electus, cessit affini suo Balduino de Burgis.

(11) An plures liberi fuerint, supra examinavimus.

(12) Post 1070 mortuus est, sed quo anno præcise assequi non potuimus.

desolata superno amore jugiter erat ditata, filiorumque suorum nobilitate lætata. Ædificans nempe prius in animo, docta instinctu divino; quæ postea numero apparuere trino. Cum itaque hæc pio verteret in pectore, ut manifestaretur ejus sanctitas, in Alemanniam parentum (13) suorum illam perduxit charitas. Factum est autem cum iter faceret, venit ad quamdam ecclesiam in honore S. Walburgis (14) virginis fabricatam; grandi quippe gratia, ei ecclesiam intranti, duplex patrandum miraculum obviavit. Erat ibi quædam infirma mulier, gressu destituta, nec non hydropico morbo per totum corpus involuta: eam vero dulcissima Ida propriis manibus e terra levavit, atque tumescentes artus palpavit: sicque sanata quibus tenebatur infirmitatibus, surgens cito, cum illa, cujus meritis erat incolumis, intravit in ecclesiam, extollens vocem magis cum laudibus. Visitatis consanguinitate et affinitate propinquis, Ida eximia *metavit* propter argentum, quæ illic habebat ex genere paterno, allodia. Quo facto quæ diu cogitaverat completura, repedavit ad propria. Reversa siquidem ecclesiam locumque Vulmari (15), consilio simul et adjutorio filii sui, tunc Boloniæ comitis, intra civitatis muros adhuc imminens honorificum construxit cœnobium: ubi etiam servientes Deo, et unde viverent constituit.

7. Tunc quippe veneratissima Ida, Dei gratia edocta, et ad meliora perficienda hilari animo atque corde devoto semper intenta, locum quemdam in territorio Boloniæ (16) magnis et devotis precibus expetit: cujus assensum et auxilium pia mater promeruit, et quasi ad resuscitandum illum locum pervenit. Locus autem ille antiquitate rerumque temporalium felicitate famosus exstiterat; sed, mole peccaminum exigente, pene ad nihilum redactus erat. Adveniens illuc venerabilis Ida, piissimi Gerardi (17) Tarvanensis episcopi assensu consilioque roborata, redemit quæ fuerant ejusdem loci calumniata; ditrutam ecclesiam reparavit, ornamentis et codicibus adornavit, ut cum Psalmista Deo diceret, *Domine, dilexi decorem domus tuæ* (*Psal.* XXV, 8): claustra quoque et domus reædificavit, et redditibusque, et multis opibus ditavit; insuper ipsum locum (18) sua præsentia inhabitans decoravit. Interim nempe S. Hugoni (19) abbati, ut mitteret Cluniacensis ecclesiæ quosdam fratres, ad locum Wast (20) appellatum institutione monastica inornandum, supplicavit; atque cum multiplicatis et devotis precibus exoravit, quatenus eam in filiam adoptionis redimeret, et inter fratres spiritualiter hæreditaret. Sanctus vero ac Deo dilectus Hugo hæc audiens, sciensque sanctitatem et devotionem ejus, desiderio atque petitioni dominæ devotæ satisfecit. Tunc illa fratres transmissos vultu placido, animo jucundo suscepit; atque cura diligenti et corde libenti erga eos exstitit.

8. Sic sollicita cum esset beatissima Ida (21), opportuna ratio transmeare illam fecit in Angliam: ubi claudus quidam, intrantibus in quamdam ecclesiam, petebat sibi dari eleemosynam. Factum est autem cum pauper ab illa, nulli negante charitatem, eleemosynam accepisset in manibus, sanus et incolumis erectus stetit in pedibus. Admirantes qui eum noverant, et interrogantes qualiter ei subita contigisset sanitas, respondit: Domina quædam mihi, non cognita, sed multum venerabilis et inclyta, donavit quam quæsieram charitatem, simul et desperatam sanitatem. Illa quidem beata, hoc facto miraculo, populi laudes declinavit, atque hoc fecisse obnixe negabat. Multis vero infirmantibus non carmine ficto, sed pia oratione et manus suæ impositione, sanitates diversarum reddidit infirmitatum, quæ non recitantur.

9. Crescente itaque hoc in loco religione per Cluniacensium fratrum institutionem, nec non per meritorum sanctissimæ Idæ perfectionem, nominati-

(13) Per *parentes* more Gallico *consanguinei* intelliguntur. Malbrancus censet *Beatricem* novercam ejus adhuc vixisse in hisce partibus Lotharingiæ inferioris, quam auctor more Gallico *Alemanniam* appellat. Verum dicta Beatrix, non diu post mortem mariti sive post annum 1070, in Italiam profecta est, et Pisis diem extremum obiit 18 Aprilis anno 1079, ut Donnizo, auctor coævus, in Rebus gestis Mathildis filiæ, testatur. Quomodo ergo Malbrancus mortem Eustachii mariti ad annum usque 1090 distulit? Quod ex Iperio sumpsit argumentum, infra rejicitur.

(14) *S. Walburgis*: Acta late deduximus die 25 Februarii, quo obiit; et varias illi dicatas ecclesias recensuimus, quas potuit in hoc itinere invisisse. Harum prima sit urbis Furnensis in Flandria primaria et collegiata, ubi in suburbio alia ejus ecclesia exstat. Est Brugis in eadem Flandria inter antiquiores ecclesias parœchia S. Walburgis. Tertia in Flandria Aldenardensis ecclesia primaria ampla et magnifica. Præterea Antuerpiæ, ubi filius ejus Godefridus marchionatum possidebat, est templum S. Walburgis cum crypta, in qua eam habitasse aut hospitio exceptam fuisse pie creditur. Demum Leodii aliqua ejus ecclesia olim fuit, unde et aliqua urbis porta inde nomen suum traxit et hactenus servat.

(15) Colitur *S. Vulmarus* 20 Julii: de duplici ejus monasterio supra egimus.

(16) Videtur monasterium *S. Vulmari in Nemore* seu *Bosco* indicari, nomine omisso quod istic maritus cum aliis majoribus esset sepultus.

(17) *Gerardus* præfuit Ecclesiæ Morinensi ab anno 1083 ad annum 1099.

(18) Videtur intelligi *parvum Saulmerium*, circa annum 1098 per modum Appendicis adjunctum, de quo infra agemus.

(19) Colitur S. *Hugo* 29 Aprilis, mortuus anno 1109, cum 60 annos abbas fuisset.

(20) *Wastum* in comitatu Boloniensi, ubi B. Ida est sepulta. Aberrat Malbrancus dum canonicis regularibus exstructum scribit. Magis alii errarunt, dum intellexerunt aut Wastinense monasterium ad Lisam inter Ipras et Insulas; aut Watenense inter Audomaropolim et Brouckburgum, fundatum anno 1071 a Roberto Frisio comite Flandriæ: sed hæc fuerunt canonicorum regularium et extra comitatum Boloniensem. Infra de Wasto Boloniensi iterum agimus.

(21) Arbitramur aliqua istic a Guillelmo Conquæstore dominia collata fuisse Eustachio marito, ob beneficia præstita.

vus ille locus, perfectissima et Deo gratissima vidua Ida vivente, longe lateque habebatur. Et quamvis beatissima Ida mortali viduata viro videretur, immortali sponso, per castam et cælibem vitam, piisque actibus bonisque operibus repletam, nupsisse credebatur. Verumtamen non jactantiam bonæ opinionis nec laudis humanæ appetebat, sed in sacrario cordis gratiam cœlitus datam reponebat. Hæc enim per sancta desideria quæ sursum sunt sapiens, ad eorum gloriam ædificare cupiens, locum vulgari sub appellatione, qui dicitur Capella (22), ædificavit : quem siquidem in honore Dei genitricis et perpetuæ virginis Mariæ fundatum, suis opibus propriisque redditibus ampliavit, atque insuper pretiosissimis sanctorum pignoribus ditavit. Locus autem quoniam videbatur aptus et habilis ordini monastico, abbatem Ravagerum (23), et congregationem fratrum, consilio et assensu Joannis (24) piæ memoriæ Morinorum pontificis, institutionem S. Benedicti pro posse servaturos, constituit. Hunc vero locum tota virtute corporis ac spiritu diligebat, de fratrum et pauperum refectione sollicite agebat, atque divinis intenta servitiis humiliter et moderanter cum fratribus psallebat.

CAPUT III.

Puella surda et muta sæpius sanata. Pius obitus et sepultura B. Idæ.

10. Et quia sanctus ut sanctificetur de virtute in virtutem condescendere conatur, idem Ida fecisse veraciter notificatur. Eodem namque tempore, quo illa frequenter versabatur infra cœnobium, diu noctuque observans faciensque monachorum servitium, venit admirabile prodigium factura. Erat autem ibi quædam puellula a nativitate surda et muta, sed et temporalium commoditatibus necessariis multum destituta : cui venerabilis Ida manum charitatis extendere ad quotidianum victum consueverat (*Psal.* LXVII, 36). Deus enim, qui semper est *in sanctis suis mirabilis*, huic infirmitatem illam geminatam dederat, ut utraque infirmitate sanatam monstraret, ad laudem sui nominis, et merita sanctissimæ Idæ declaranda. Factum est autem, cum quadam nocte matutinis laudibus persolvendis fratres interessent, aderat et Deo dilectissima Ida ; supradictam vero infirmam eadem nocte mater ejus ad ecclesiam, non sine nutu Dei, curandam adduxit : tunc enim magnæ festivatis erat celebritas. Cumque puella infirma frigore opprimeretur, toto corpore tremuit : quod dulciflua domina cognoscens, innuit ad se venire, atque subter chlamydem suam benigne recepit. Sentiens autem puella vestimentorum beatissimæ fragrantiam, imo meritorum ejus demonstrandam gratiam, mox nova auditione usa est, quam non habucrat ; nec non sibi data locutione, quam non noverat, audiens et voces et melos psallentium fratrum, hanc primam enixa est vocem : Mater, mater. Accurrit itaque mater ejus audire filiam, quam amplius loquentem non audierat. Quo cognito, abbas Ravagerus *Te Deum laudamus* iterum incœpit : et in crastinum concessa est sanatæ puellæ ab abbate præbenda. Multa quidem mira eveniunt, ut mirabiliora tempore congruo appareant. Nam ista, de qua nunc agimus, puella, non post longum tempus suæ curationis, amissa virginitate concepit et peperit : et in priores, quibus sanata erat, infirmitates miserabiliter cecidit, atque per apparentem casum præbendam perdidit. Contigit vero quod mater iterum in nocte cujusdam magnæ festivitatis ad ecclesiam adduxit miseram filiam : quæ ob merita sanctissimæ Idæ denuo consecuta est misericordiam. Tunc laudes et gratias pro duplici miraculo fratres, qui viderant, Deo reddiderunt lætantes. Proh dolor! Cecidit misera rursum in eamdem culpam easdemque infirmitates; et quam habebat perdidit ecclesiæ præbendam. Sed quia misericors est Deus, qui B. Petro non solum septies, sed septuagesies septies peccanti dimittere præcepit (*Matth.* XVIII, 22), hanc peccatricem tertio, per fidem et sanctitatem suæ famulæ Idæ, sanitati restituit ; sanataque iterum præbendam habens, castimoniam usque ad finem servavit. At vero magnæ devotionis compos et meriti nobilissima Ida, erga quos construxerat locos curiosam se habens, uti omni corde suo inhærens, alterius omnino curam gerens, neutrum nullatenus deserens, singulis et utriusque fideliter ministrabat.

11. Beata igitur Ida, debilitatis nimirum viribus corporis, jejuniis et vigiliis orationibusque assiduis (25), et quas gerebat *in animo* sollicitudinibus fratrum et pauperum, ad finem, quasi jam proximum, feliciter tendebat ; non formidans de morte sua, sed exspectans retributionem a Domino perpetuam : paulatim vero infirmata, ægritudine invalescente, in lectulum longæ infirmitatis devenit. Tunc juxta Pauli dictum intrinsecus roborata, devotione majore, charitate largiore, *bonum* operabatur, *maxime ad domesticos fidei* (*Gal.* VI, 10). Mundana siquidem proprietate nudata, viduis et orphanis et indigentibus omni qua utebatur veste donata, ut Apostolus præcipit, sanctam unctionem, veramque atque vivificam communionem cum lacrymis atque pio affectu a fratribus quæsivit. Audientes vero monachi de Wast, quod beatissima Ida ageret in extremis, venerunt ejus interesse officiis. Sacramentis itaque catholice susceptis, sancta et venerabilis Ida, spiritu prophetiæ, fratribus qui venerant, voce sup-

(22) Infra in Analectis late de hac fundatione agimus, quod ea marito Eustachio ab Iperio et aliis tribuatur.

(23) *Ravengerus* ab aliis scribitur, uti etiam in diplomate Manessis comitis Ghisnensis, anno 1097 acto, suscribit.

(24) Vitam *B. Joannis* illustravimus 27 Januarii, in qua dicitur episcopus ordinatus anno 1099, mortuus 1130. Hinc videtur illud consilium initio datum a B. Joanne necdum episcopo, et postea probatum.

(25) Nihil hic de decrepita senectute dicitur, quam agnoscere debent qui usque ad annum 1122 aut 1127 vixisse tradunt.

plice ait : Ite, pro certo scientes quia proximo die Dominico, viva vel mortua, in ecclesia de Wast mansura fuero. Cumque mors inevitabilis ad eam, prædestinata hora debitum suum susceptura, venisset, media nocte Dominica (26), Idibus Aprilis, sanctissimæ Idæ spiritus carnis ergastulum vitamque præsentem exuit ; atque vitam sempiternam possidens, jucunditatis amictum induit.

12. Tunc quippe, ut justum fuerat, dignanter et valde veneranter corpus compositum, in ecclesiam ante altare, non sine lacrymosis gemitibus suspiriisque inenarrabilibus, allatum est a fratribus. Viduarum et orphanorum, et eorum quorum gerebat curam, voces flebiles invalescebant : quæ multorum audientium lacrymas movebant. Fama quoque velocissima obisse venerantissimam Idam circumquaque nuntiavit, quæ usque ad defunctum corpus ejus utriusque sexus multitudinem conduxit. Abbas etenim et monachi S. Vulmari, quoniam vir illius Eustachius (27) Senior apud illos sepultus fuerat, jure quasi hæreditario corpus uxoris juxta virum quærebant. Similiter et canonici Boloniæ civitatis, ob reverentiam filii sui Eustachii comitis, ideoque quia primo monasterium illorum reædificaverat, sanctissimæ Idæ corpus examine sepeliendum requirebant ; ecclesiæ (28) autem fratres, ubi finierat, juste illic esse sepeliendum asserebant. At vero utrorumque facta petitio, et eorum ostensa ratio, non prævaluerunt contra præsagium, quod dixerat beata, vivam vel mortuam ad Wast se Dominico die proximo esse sine dubio mansuram. Sublatum exinde corpus, sanctæ impleta prophetia, ad locum ubi jacet, deportatum fuit. Congregatis autem ibi nonnullis religiosis personis, plebisque coacervata multitudine, sepulturæ, post nimias a circumstantibus lacrymas, cum gemitibus multisque clamoribus effusas, digne atque honorifice traditur. Hunc ergo locum Dei famula vivens corde animoque dilexit, et modis quibus potuit ad incrementum provexit. Nunc autem et amodo etiam mortua, meritis atque prodentibus miraculis protegit et munit. Debiles namque sive infirmi diversis pro infirmitatibus ad sepulcrum ejus venientes, si non hæsitant in fide, sanantur, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

CAPUT IV.

Corpus incorruptum. Miracula post mortem.

13. Sepulta quippe beatissima Ida, in loco qui nunc usque vulgari sub appellatione dicitur Wast, sicut illi divina promiserat censura, cujusque sexus nonnulli a diversis languoribus sanari cœperunt ; quos utique non hæsitans ad sepulcrum ejus fides perduxit. Famam quidem miraculorum, non solum per circuitum, verum etiam longe lateque merita Idæ sanctissimæ declaranda transtulerunt. Fama itaque non tacet, sed clamat ; quoniam veritas probata compellit. Volavit igitur redolens attestatio miraculorum sanctæ usque ad ejus propinquitati proximos in Alemanniam ; qui glorificantes Dominum super his auditis, modum tamen quo possent corpus B. Idæ illuc transferre meditati sunt. Statuerunt autem quosdam, tali negotio doctiores, ad locum in quo jacebat mittere ; sed nihil contra statutum Dei prævaluerunt. Cognita autem fratres loci eorum fraudulenta calliditate, servare thesaurum studuerunt attentius. Opportuno deinde, ut exigebat ratio, consilio inito prudentium, fratres prædicti loci, visitandi corpus constituerunt diem. Congregatis autem multis provinciæ, apertum est sepulcrum, et corpus sanctissimæ Idæ integrum, et indumentum ejus mundissimum, qui adfuerunt meruerunt conspicere. Nulla vero macula, nullaque contaminatio illam, quæ jam per multos dies ibi jacuerat mortua, labefactare nunc usque convaluerant. Odoris pravitas nulla astantes offendit, exinde egrediens ; sed suavitas replevit satis sufficiens : hoc autem, ut dignum est, fidelibus credendum magno pro miraculo testamur.

14. Erat quidem interea, quæ præclaræ vitæ illius refert insignia, ei etiam collata post mortem virtus fugandi dæmonia, sicut quorumdam obnixe asserunt testimonia. Cuidam nempe juveni, de villa quæ vocatur Vertum, spiritus nequam apparuit, ad similitudinem bovis, auferensque ab eo sensum, intravit in illum : faciem quippe miseri juvenis valde ferocem, cassam et terribilem vocem, ut mos est, fecit dæmonium ; oculis circumquaque respicere torvis et terribilibus, fetidum emittere sputum ex faucibus, proferre singultus, et stridere dentibus fecit eum malignus. Illum itaque cum ad nonnulla parentes ejus pignora sanctorum duxissent, nihilque profecissent, tandem ad sepulcrum B. Idæ adduxerunt. Quem ex alto meritis sanctæ Dominus prospiciens, post triduum rediit sanus et incolumis, et in fide quam hostis ei abstulerat, nihil deficiens.

15. Aliud quoque non dissimile huic miraculo miraculum, per merita ejusdem Deo dilectæ, perpetratum a multis asseritur, atque, ut dignum est, memoriter pro magno recolitur. Villa quædam nomine ..... est sita non longe a monasterio, in quo multa infirmis nunc usque sanitatum beneficia præstat Ida beata ; cujus ante tumulum quidam dæmoniacus, ex supradicta villa, ligatus adducitur, parentes autem et amici ejus cum lacrymis pro eo beatissimæ supplices efflagitabant suffragium. Quorum devotionem fidemque, meritis et intercessionibus Idæ venerabilis, suscipiens misericors et miserator Dominus, sicut paralyticum coram se per tegulas submissum sanavit, ita istum a dæmonis

(26) Mortuam videri anno 1113, septuagenaria majorem, supra diximus ; eratque Dominica in Albis.

(27) Eustachius, licet filius Eustachii I comitis, Senior appellatur respectu Eustachii III ejus filii, qui dum hæc Vita scriberetur adhuc vixisse videtur.

(28) Ecclesia B. Mariæ de Capella.

oppressione liberavit, et in se reconciliatum, exsultantibus qui eum adduxerant, ad domum suam remisit.

16. Admiratione dignum et recordatione aliud manifestandum est fidelibus miraculum, quod ad laudem sui nominis et ad venerationem sanctissimæ Idæ peregit, ob merita ejus, divina clementia, supradictis æquale miraculis. Idem vero inimicus generis humani, qui semper *tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret* (*I Petr.* v, 8), quamdam de territorio Boloniensi mulierculam invasit, ejusque spiritum bonum expulit, et in ea sibi sedem paravit. Peragratis quippe cum illa multis sanctorum locis, parentes non proficientes ad propria reversi sunt. Torquebatur acrius misera quam prius a dæmone, amissisque animæ corporisque virtutibus, discerpens et dilanians se jacebat ligata. Mater vero sua, recordata sanctitatis et potentiæ sanctissimæ Idæ, super hujusmodi infirmitatem habitæ, filiam una cum nonnullis parentibus, infirmæ gavisuris de liberatione simul et sanitate puellæ, ad S. Michaelis, in qua multis Ida sanctissima operabatur salutem, venerunt ecclesiam. Qui, dum ante cujusdam altaris præsentiam cum infirma excubassent per triduum, magna cum devotione rogarunt, ut monachi ecclesiæ infirmam portari sinerent ante sepulcrum S. Idæ; quod factum est. Erat tunc quidem Vigilia B. Joannis Baptistæ; vespertinis autem peractis officiis, per merita S. Idæ, utramque salutem adepta puella, cœpit vocare matrem, et se sanam et incolumem professa est. Sic enim per istam Dei solitæ pietatis gratia, interventu beatæ et venerabilis Idæ, refulsit : sicut de alio per Evangelium dicitur : Surdus audit, mutus loquitur, possessus a dæmone liberatur (*Matth.* xi, 5). Facto autem mane, pro audito miraculo, non solum parentes, verum etiam vicinæ affinitatis multi, cum oblationibus laudes et gratias Deo et S. Idæ gratulantes obtulerunt, gaudentesque recesserunt.

17. Beata itaque Ida dilectionem Dei, quæ prima est, et proximi generat amorem, quam vivens habuisse dignoscitur, post mortem etiam non deseruit. Hac igitur dilectione propinquos, nec non natione longinquos nonnullos, sanasse a variis languoribus probatur. Contigit autem quod improba et misera infirmitas febrium, filii sui filiam, Boloniæ comitissam, nomine Machtildem (29), acriter arripuit : ista vero non modicum per tempus nimiis attrita doloribus, tandem confidens atque præsumens de beatissimæ Idæ sanctitate, simul et ejus ex qua descenderat consanguinitate, sananda sepulcro venerando cum multis se præsentavit : quæ, dum devotis et multiplicatis precibus beatissimæ merita postulasset, post aliquantulum moræ sana et incolumis recessit. Sic utique, mandatum, quod in lege amicum diligere præcipit (*Lev.* xix, 13), venerabilis Dei famula implevit Ida. Illud autem Sapientiæ quo dicitur : *Ego diligentes me diligo* (*Prov.* viii, 17), sanitatum gratiam largiendo famulantibus sibi, alienisque, si corde supplicant, adimplet.

18. Cuidam namque Hugoni monacho, ei devotissime nocte dieque servienti, passione febrium nimium afflicto, non speratæ sanitatis, ob familiaritatem et servitutem, quas sanctæ viventi et mortuæ impenderat, gratiam exhibuit. Tu autem, Domine, miserere nostri. Deo gratias.

(29) Machtildis sive Mathildis, nata patre Eustachio III et Maria filia Malcomi regis Scotiæ. Nupta ea fuit Stephano comiti Blesensi et Moritonii, et per eam Boloniæ, nec diu post in regem Angliæ coronato, scilicet Kalendis Januarii anni 1136; et superfuit Mathildis regina usque ad annum 1153, sepulta in villa regia Ferasheim, in qua conventum monachorum et mansionem eorum ipsa disposuerat, uti scribit Joannes prior Hagustaldensis, qui tunc vivebat, in Appendice ad Simeonem Dunelmensem. Quia auctor Vitæ hujus matrimonii non meminit, arbitramur ante illud tempus eum scripsisse.

ALIA VITA.

AUCTORE JOANNE GUILLEMANS CANONICO REGULARI

(Ex ms. codice Rubeæ-Vallis.)

PROLOGUS.

1. Festivitates sanctarum viduarum curriculosa per anni tempora dum revolvimus, immensas divinarum virtutum laudes soli Deo referimus : earum nihilominus exemplis ad amorem cœlestis patriæ properare conamur, quatenus ad mansionem perpetui decoris, ubi lux summæ claritatis refulget, Auctore summo juvante, per angustum callem qui ducit ad vitam, consecuturi per eos et cum eisdem fructum sexagesimum, perpetuis nisibus incedere valeamus; atque illam delectabilem vocem Domini audire, dicentis : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi* (*Matth.* xxv, 34), pro laboribus, quibus studiose certastis : ibique immarcessibiles coronas accipietis ab illo qui dicit : *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos; jugum enim meum suave est et onus meum leve.* (*Matth.* xi, 30.) Et Apostolus ait : *Quis nos separabit a charitate Christi? Tribulatio an fames? an frigus? an mors?*

an vita? an periculum? an gladius? (*Rom.* VIII, 35.) Et iterum ipse Dominus in Evangelio ait : *Ignem veni mittere in terram*, quem volo ut ardeat (*Luc.* XII. 49). His solati sacris adminiculis, hostis antiqui calcemus insidias : ut cum beata Ida nobilissima matrona (cujus gesta hic breviter inserere curabimus, tum quia virtuosa sunt, tum quia proposito nostro congruunt; cum ipsa, de qua hic fit mentio, de stirpe Carolidarum prodierit, ad sedem perveniamus florigeram, perpetualiter cum ea regnaturi in cœlestibus. Amen.

HISTORICA RELATIO VITÆ.

2. Fuit quædam virgo, nobilissima exorta prosapia, insignis adolescentula, nomine Ida ; cujus pater, nomine Godefridus, primus apud imperatorem exstitit, et comes Ardennensis claruit; mater vero ejus non minus nobilis, Doda vocabatur. Erat autem eo tempore inclytus comes Boloniæ, nomine Eustatius, filius Eustatii et Mathildis Bruxellensis comitissæ, cujus secundi Eustatii uxor S. Ida effecta, tres ei filios genuit, videlicet Godofridum, Balduinum et Eustatium. Hæc filios in omni disciplina et timore Dei educavit, et quæ digna sunt principatu agere docuit, atque ad sanctos et bonos mores informavit. Horum Godefridus, post mortem avunculi sui Godefridi Gibbosi, majorem partem Brabantiæ possedit, et postmodum electus est rex et princeps in Hierusalem, postquam terra sancta recuperata fuit a Christianis, ac post eum frater ejus Balduinus : qui multis claruerunt victoriis contra perfidam gentem Sarracenorum. Factumque est ut cum tantorum B. Ida mater esset filiorum, non sineret eos alienis, sed propriis lactari uberibus.

3. Cumque comes Eustatius vir suus illam conspiceret omnibus amabilem, cunctisque placabilem, et per omnia laudabilem, nequaquam moleste sustinuit; verum etiam ut in bonis perseverans ad anteriora et meliora tendere conaretur, admonuit. Sancta vero Ida ut cognovit erga se viri sui Eustatii comitis Bolonicnsis voluntatem bonam, cœpit ecclesias construere, pauperes recreare ac ditare, ac in omni opere charitatis et misericordiæ perfecta existere. His igitur devotis studiis dum eleganter polleret, vir ejus Eustatius comes in Domino moritur : quæ post hæc, ipso sepulto, ad parentes suos revertitur. Hæc B. Ida post mortem viri sui sanctissime vixit; quin et in vita et post mortem suam claruit miraculis. Denique primo venit ad quamdam ecclesiam, in honore S. Walburgis virginis dedicatam orandi gratia; et videns eminus mulierem hydropico morbo per totum corpus oppressam, eam propriis manibus de terra levavit; et orans ac eam sanans, ad propria repedare permisit.

4. Adveniens autem venerabilis B. Ida ad Cluniacensis ecclesiæ fratres (30), S. Hugoni, ejusdem ecclesiæ reverendissimo abbati, ut mitteret quosdam de discipulis suis, quos in disciplina regulari gra-

(30) Videtur potius per litteras aut nuntios missos ad S. Hugonem hæc peregisse.

A viter educaverat, ad locum Wast appellatum, instanter ac devote supplicavit; atque obnixis precibus exoravit, quatenus inter fratres eam hæreditaret. Sanctus autem ac Deo dilectus Hugo hæc audiens, ejusdem petitioni satisfecit, destinans fratres ad monasterium construendum de novo.

5. Post hæc contigit ut beatissima Ida in Angliam navigaret : quæ, dum quamdam ecclesiam ingrederetur, obviam habuit quemdam claudum pauperem, petentem eleemosynam ab ea; quæ non modo pecuniæ stipem eidem erogavit, verum etiam illi manum porrigendo ipsum erexit ac sanavit. Dehinc remeans ex Anglia, apud Bruxellam, civitatem Brabantiæ nobilissimam, vel circa eam, magna ex parte vitæ suæ, mansionem fecit : et juxta Genepiam (31), B cum filiis honestissime conversans, habitavit. Monstratur illic usque hodie fons sacri baptisterii in quo Godefridus ejus primogenitus fertur fuisse initiatus.

6. Factum est autem posthæc, cum quadam nocte sanctissima Ida una cum fratribus matutinis interesset laudibus, venit ad eam supplex quædam mulier, habens secum filiam suam surdam et mutam, quam beata matrona pristinæ sanitati restituit, et ut in crastina, ab abbate loci illius, puellæ sanatæ præbenda concederetur impetravit. Quæ puella non multo post, instigante generis humani inimico, de quodam viro concepit et peperit, ac perinde in pristinas infirmitates decidit, præbendamque sibi impetratam amisit. Sed tandem ob merita venerabilis C Idæ denuo consecuta est misericordiam, et tunc gratias pro duplici miraculo fratres reddiderunt altissimo Deo. Post modicum præfata puella, iterum recidivans, concepit et peperit; et ob hoc tertio cecidit in pristinas infirmitates, cui B. Ida tertio miserta fuit, et eam oratione facta pristinæ sanitati restituit.

7. Tandem venerabilis Ida, dum debile ac tenerum corpus suum vigiliis, jejuniis, atque orationibus continue castigasset, infirmari cœpit ac de die in diem nimirum deficere; et sic ad finem quasi jam proximum tendebat. Audientes vero monachi de Wast, quod sanctissima mater eorum spiritualis ageret in extremis, cœperunt valde contristari de D morte ipsius. Media igitur nocte Dominica, Idibus Aprilis, sacratissimæ Idæ spiritus carnis ergastulum deseruit, ac vitæ præsentis exuvias subiit, atque vitam possidendo perpetuam, jucunditatis amictum induere meruit.

8. Tandem, ut justum fuerat, corpus gloriosæ matronæ ante altare, non sine lacrymosis gemitibus, allatum est a fratribus, ibique honorifice sepultum. Hunc etenim locum Dei famula vivens dilexit, nunc autem et mortua prodentibus miraculis munit ac protegit. Debiles namque sive infirmi, diversis languoribus obsessi, ad sepulcrum ejus venientes, si non hæsitant in fide, sanitatem repor-

(31) De Genepia et vico vicino Bascio allodio B. Idæ, infra agemus.

tant. Corpus autem beatissimæ Idæ post multa tempora illæsum inventum est, atque ab omnimoda corruptione alienum : ad cujus sepulcrum quidam obsessus liberatus est a dæmonio, similiter et quædam obsessa. Cuidam quoque viro, nomine Hugoni, eidem matronæ devotissimæ servienti, et passione A febrium nimis afflicto, ob familiaritatem et servitutem, quas illi in vita et post mortem sæpissime impenderat, gratiam sanitatis exhibuit; præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivit et regnat, Deus trinus et unus, per infinita sæcula sæculorum. Amen.

DE B. IDÆ REBUS GESTIS

ANALECTA EX VARIIS AUCTORIBUS.

CAPUT PRIMUM.

Beneficia ecclesiæ Lensiensi et collegio canonicorum præstita.

1. Lensium sive Lendium, quod *Lenense castrum* dixit Baldricus in Chronico Cameracensi lib. II cap. 22, est oppidum hodiernæ Artesiæ, quatuor Duaco et quinque Atrebato distans leucis, cum amplo territorio, antiquis comitatu, qui ad jurisdictionem comitum Boloniensium olim pertinuit, et ab Eustachio I comite donatus est Lamberto, filio suo secundo genito; quo absque liberis anno 1055 defuncto, comitatus iste devenit in potestatem Eustachii secundi et B. Idæ ejus conjugis, qui collegium canonicorum Lendiensium prædiis ac privilegiis dotarunt; an etiam erexerint, videtur controverti. Jacobus Meyerus, lib. II Annalium Flandriæ, ad annum 1028 ista scribit. Ecclesia Lensensis sacerdotes habere cœpit canonicos unde hanc ibi memoriam leges :

Anno milleno, ter deno, bis minus uno,
Hunc intrare chorum cœpit grex canonicorum.

Meyerum sequitur Georgius Colvenerius, in suis ad Baldrici Chronicon notis, et addit « etiamnum esse ecclesiam collegiatam simul et parochialem, in qua decanus et duodecim sunt canonici. » Baldricus solum scribit « haberi monasterium canonicorum, ubi sanctus quiescit Vulganius, » de quo agendum erit ad diem secundum Novembris. Scripsisse autem Baldricum librum I et II Chronici sui sub finem vitæ Gerardi I episcopi Cameracensis, circa annum 1040, multis probat Colvenerius. Non reflexit animum ad ista Malbrancus, dum lib. VIII De Morinis, cap. 49, scribit templum Deiparæ virgini et simul Vulganio a B. Ida exstructum et collegium canonicorum fuisse institutum. Placet ejus verba ascribere.

2. Ida, Eustachii comitis uxor, animadvertit Lensium oppidum tenui admodum æde excoli : unde apud Eustachium maritum questa suaviter, dixit sibi in animo esse magnificum illic templum ad Deiparæ honorem ædificare. Non illubens annuit Eustachius, imo gratissimum esse sibi testatus est uxoris extrancæ animum, quo in mariti proprias ditiones ita piis monumentis adaugendas feratur. Quod magis Christianum possit excogitari connubium, quam ubi conjux, patria sua relicta, conjugis B sui oppida et ditionem templis ornat et sacerdotiis. Assurgit igitur Mariana basilica, et consummatam ut venit S. Liethertus, Atrebatium et Camaracenorum præsul, sacraturus, placuit Idæ et Eustachio comitibus, S. Vulganium, cujus corpore potiuntur, alterum jungere templi præsidem. Accedebat et aliud ad id præstandum non leve incitamentum, quod magnus ille quondam Cantorberiæ Anglicanæ archipræsul, derelictis suis transmarinis, in Morinos angelico monitu transfretasset, et Bononnesium septem annorum spatio egregie excoluisset; nec porro deseruisset, nisi xenodoxiæ, per nimiam miraculorum lucem insurgentis, metus, ad aliam eremum quærendam, propulisset. Hinc non mirum si ab Atrebatibus sacrum ejus corpus ad Lensiense C oppidum, tanquam Bononici principis comitatum, transierit. Imo divina providentia factum forsan ut Lensii dominatus transierit Bononiensibus. Hæc uberi calamo Malbrancus de basilica erecta ad honorem Deiparæ virginis et S. Vulganii archipræsulis, quem alii potius confessorem appellant. Si tamen episcopus fuisset, ex iis censendus esset, qui, Anglo-Saxonibus adhuc idololatris Britanniam obtinentibus, in Cambriam sive Walliam confugerant, et inde in hasce partes transierant, uti latius diximus 4 Februarii ad Vitam S. Lietphardi, etiam episcopi Cantuariensis apud dictos Cambros et inde in Belgium profecti, et martyrio coronati. Sed ad institutionem canonicorum revertamur, quam ita prosequitur Malbrancus.

3. « Eximius Ecclesiæ splendor Idam ad ulteriora et meliora invitavit, atque ad illam insigni canonicorum collegio condecorandam. Confectis tabulis D prædia et locupletes census attribuit, complura sacerdotia instituendo, quibus præesset decanus, a canonicis ipsis ob vitæ probitatem et necessarias ad id muneris dotes deligendus. Lensio inerant duo minora sacraria, divos Laurentium et Leodegarium martyres in præsidem suspicientia : eorum episcopales redditus in canonicorum usus ac dispositionem convertit Liethertus episcopus. Cæterum qui in Lensiensi ecclesia olim legebantur versus, temporis horum institutorem indices, hisce interpunctionibus sunt afficiendi :

Anno milleno, ter deno bis, minus uno,
Hunc intrare chorum cœpit grex canonicorum.

Comperio enim in libris editis id referri ad annum 1028 sic describentibus ter deno, bis minus uno; et male : cum satis appareat eo anno Idam necdum hanc lucis usuram hausisse, et necessario bis ter denos annos supra mille accipiendos, quos uno minus numerando annum 1059 comperies, scilicet Ida thalamos suos anno 1057 ineundo, et honorifico suo ingressu Lensium condecorando, jusserit eam condi basilicam, et biennio post collegium canonicorum introduxerit. » Hæc Malbrancus subtiliter satis torquens antiquos illos versus. Arbitramur potius ecclesiam diu ante conditam fuisse, et ab Eustachio primo comite Boloniensi et Lensiensi ejusque conjuge Mathilde collegium canonicorum anno 1028 fuisse institutum. Movet nos ad id ita arbitrandum charta donationis Eustachii II et B. Idæ excusa a Miræo lib. I Diplomatum Belgicorum cap. 38 et contractius in notitia Ecclesiarum Belgii cap. 101, unde ista hic damus quæ ad institutum pertinent, et sunt ejusmodi.

4. Ego Eustachius Boloniensium comes, et uxor mea Ida, ecclesiam in loco isto, qui appellatur Lens, ab antecessoribus nostris honorifice constitutam, specialiter cupimus exaltare. In principio fundationis, terris et libris et conditione liberali fuit dotata : sed præsumptio temeritatis et invidia diaboli ecclesiam cum libris, et privilegium cum signis comburens, annullare putavit universa. Sed quod delevit per invidiam, favente Deo et domino episcopo nostro Lietberto, volumus emendare per benevolentiam. Liberam igitur potestatem concedimus canonicis assumendi quemcunque voluerint advocatum, qui tandiu et non ulterius eorum rebus vel eorum causis præsit, quandiu eis placuerit. Altaria etiam S. Mariæ et S. Laurentii ab omni servitute libera esse ostendimus. Et ut nostra ecclesia foret æqualis aliis, quæ gaudent dote libertatis, scilicet S. Mariæ Atrebatensis et S. Gaugerici Cameracensis, multum laboravimus, et, Deo gratias, laudante Lietberto episcopo, ad finem præduximus... Anno ab Incarnatione Domini 1070, indictione VIII, in basilica S. Mariæ hæc peregimus. » Hæc ibi, ex quibus liquet ecclesiam ab antecessoribus fuisse constitutam, sed invidia malevolorum combustam, ab Eustachio et B. Ida emendatam et restauratam, et denuo dedicatam : uti S. Lietbertus in subjuncto diplomate indicat his verbis : « Ego Lietbertus, Dei gratia episcopus Cameracensis, justis petitionibus comitis Eustachii et uxoris ejus Idæ comitissæ, ecclesiam, quam apud Lens in honore sanctæ Dei Genitricis, Dei cooperante misericordia, consecravimus, et ejusdem loci canonicorum sustentationem sive gubernationem, ab omni exactione episcopi et ministrorum ejus, censu videlicet vel redditu, amodo liberam esse permittimus. Et, si quid amplius libertatis ecclesia S. Gaugerici Cameracensis, imo ecclesia S. Maria Atrebatensis habere dignoscuntur, ipsi Lensenses canonici simili pace sua possideant. Actum apud Lens in basilica S. Mariæ anno 1070, indictione VIII. » Reliqua cum subscriptionibus apud Miræum legi possunt, potissimum confirmatio reddituum et possessionum quæ ad dictam ecclesiam pertinent

CAPUT II.

Monasteria in comitatu Boloniensi exstructa et restaurata, monasterium Capellæ fundatum.

5. De monasterio S. Vulmari, intra muros Bononienses a B. Ida jam tum vidua erecto, et alio monasterio S. Vulmari in Nemore restaurato, supra egimus. Huic tertium additur Wastense monasterium, ab ea constructum, et S. Michaeli sacratum, ubi et sepulturæ mandata est. Malbrancus lib. IX De Morinis cap. 55 asserit se ibidem fuisse « et leucis binis Bononia dissitum esse Wisantum versus et Wasconvillare » olim dictum; sed aberrat, dum canonicorum collegium fuisse scribit. Fuit monasterium Benedictinum, secundum reformationem Cluniacensem, monachis ab ipso Cluniaco a S. Hugone abbate transmissis : uti auctor Vitæ, qui nobis Wastensis fuisse videtur, multis explicet :

6. Quartum ab eadem similiter vidua constructum, est monasterium S. Mariæ de Capella dictum, in quo vitam hanc mortalem exuit, ad meliorem migratura. Joannes Iperius, in Chronico Bertiniano capitulo 39, par. 2, hanc fundationem tribuit Eustachio et B. Idæ, quasi adhuc ille anno 1090 vixisset. Verba ejus sunt ista : « Anno Domini 1090, Eustachius Boloniæ comes et uxor ejus Ida, parentes et genitores illius clarissimi et illustrissimi Godefridi de Bullione, ac Balduini, postea regum Jerusalem, fundaverunt monasterium B. Mariæ de Capella, in terra da Merck, juxta Calesium, in loco qui prius dicebatur Brocham, et monachis Hamensibus instituerunt : ubi et ipsa Ida comitissa undecim de capillis B. Mariæ virginis, quos ab Hastulpho Hibero reges magnis precibus impetravit, cum aliis sanctorum reliquiis ibidem obtulit. » Hæc Joannes Iperius, abbas S. Bertini creatus anno 1369, mortuus 1380 : quo ducentis annis senior Lambertus Ardrensis, ascribit eam fundationem B. Idæ viduæ in suo Cronico Ghisnensi, cujus hactenus inediti capiti 31 hic præfigitur titulus : *Quomodo Ida Boloniensis comitissa fundavit monasterium B. Mariæ de Capella :* et cum cap. 30 actum fuisset de Andrensi cœnobio, a Balduino comite Ghisnensi instaurato, ista dicto cap. 31 referuntur.

7. Unde ad tam piæ operationis imitationem Lotharіæ ducis Godefridi quondam filia, Boloniensis comitis Eustachii quandoque vidua, Godefridi et Balduini (in Judææ regno, sancta Hierosolymorum civitate ab Arabicis et Sarracenis aliisque gentibus alienigenis et incredulis, in manu forti et brachio extenso cum Antiochia viriliter expugnata, penitus liberata, regum Hierosolymorum) et Eustachii nobilissimi Boloniæ comitis mater, nomine et vitæ sanctitate venerabilis Ida, Boloniensis comitissa, in confinio Mercuritii, in villa Bruchain olim nominata, sub honore beatæ et gloriosæ semperque vir-

ginis Mariæ fundavit ecclesiam, et insigne religionis monasterium instauravit : et in eadem ecclesia, quos ab Hibero rege Anstulpho, non sine maximo labore et studii diligentia, perquisierat et impetraverat ejusdem beatæ virginis Mariæ, super aurum et lapidem pretiosum, pretiosissimos undecim recondidit capillos et collocavit, et cum aliis innumerabilibus sanctorum reliquiis, sancto loco oblatos, præ omnibus instituit honorari : simulque agium monachorum conventum ex Hamensi monasterio, ab Engelrammo Lileriensi domino nuper constructo, cum venerabili viro Ravengero abbate sumptum, aliosque honestæ et religiosæ vitæ fratres, in memoriam sanctæ Dei genitricis semperque virginis Mariæ et venerationem in perpetuum extollendam, perenni Deo perenniter et jugiter servituros, instituit, et in præparatum Dei introduxit habitaculum. Hic siquidem locus S. Mariæ celeberrimus, dum nova adhuc et tenera sanctæ religionis ibi pullularet infantia, virtutibus insignis, miraculorum frequentia gloriosus, charitate et religione sanctissimus, rerum abundantia admodum locupletatus, personis morum compositione et liberalium artium, non minus quam theologicæ scripturæ informatione, cujuslibet honoris sublimatione et prælatione dignis, abundantissimus, famæ (absit omnis invidiæ lividitas) præconio nominatissimus, omnibus locis eminebat, et præeminebat adjacentibus : utpote quem divina indesinenter sua Deus illustravit præsentia, et quem ea, qua olim perfusa est beata Virgo, cœlesti visitavit gratia, et pie poscentibus ibi innumera præstitit beneficia.

8. « Tanti ergo nominis et venerationis fuisse creditur locus ille, quod quidam adjacentis terræ nobiles, aliique Christi fideles populi, si quas habebant ecclesiolas, vel alia aliqua ecclesiastica beneficia, vel etiam prædiola, aut eidem loco ex integro ex toto conferre, aut aliquo subjectionis titulo innodare et subjugare satagebant; putantes et reputantes, imo pro certo credentes et agnoscentes, suas ecclesiolas liberiore stare et militare proventu, si tam sancto et venerabili loco aliquo subjectionis nodo subjicerentur, quam si in propria qualicunque, prout constitutæ sunt, libertate persisterent et permanerent : sic enim ipsis et hoc ipsum adjudicantibus meliori nomine militarent, et amplioris titulo auctoritatis radiarent. Locus enim ille ab omni turpitudinis et exactionis et indebitæ consuetudinis objectu liberrimus esse cognoscitur. Unde et capella dicitur, capella, inquam, summi pontificis, videlicet domini papæ, in honore B. Mariæ virginis constructa. In cujus libertatis auctoritatem et memoriam, illius liberi loci ecclesia singulis annis Ecclesiæ Romanæ debet duodecim denarios; quos simul collectos per quinquennium vel decennium, abbas loci illius sanctissimi mittit Romam, ad suæ libertatis, ut diximus, cognitionem. Habet autem abbas illius loci in Romana Ecclesia talem dignitatem, quod si ipsum abbatem in Romana Ecclesia ad missam domini papæ præsentem esse contigerit, librum tenere debet subdiaconi, dum idem subdiaconus Epistolam pronuntiaverit. Sed ne in dispendium, militibus nostris murmurantibus, verba protrahamus, de hoc sanctissimo loco et monachis inhabitantibus religiosis hoc tantillum dixisse sufficiat, quosque majori et ferventiori studio, loco et tempore ad alia quædam interserenda, ad ipsos scriptoriam pennam convertamus. » Hæc ibi : et mox capite 32 agitur de constructione Ardensis ecclesiæ, et ad imitationem præponitur, « monasterium B. Mariæ de Capella ab Ida Boloniensi comitissa ædificatum, » ubi sub finem dicitur, « ecclesia B. Mariæ de Capella fundata, anno 1091. »

9. Est vetustissimum et nobile monasterium ordinis B. Benedicti, in marchia pagi Pictonici situm, Carogum S. Salvatoris ex quo dictus supra Engelrammus, dominus Lileriensis, monachos adduxit, et in monasterio Hamensi, circa annum 1084 inter Lilerium et Aeriam constructo, collocavit. Hinc vero assumptus Ravengerus cum aliquot monachis, primus constitutus est abbas S. Mariæ de Capella, et donationi Manassis comitis Gisnensis, factæ monasterio Andrensi, subscripsit anno 1097, apud citatum ante Du Chesne pag. 58, ex relatione Willelmi abbatis in Historia Andrensi. Inter successores fuit Theodoricus, qui a Balduino domino Ardrensi ecclesiam Ardrensem cum collegio canonicorum anno 1144 accepit, ita ut mortuo aliquo ex dictæ ecclesiæ canonicis aut clericis substitueretur monachus : deinde etiam ab eodem domino Balduino emit molendinum de Bramis cum adjacentibus terris, in quibus cellam monachorum constituit, eisque Caradochum primum priorem constituit, postea in Ecclesia S. Mariæ de Capella abbatem. Quæ omnia late describit Lambertus, memorati domini Ardrensis filius, ac presbyter ecclesiæ Ardrensis, in sua Historia Ghisnensi cap. 137 et tribus sequentibus, et ex eo Du Chesne pag. 1609 et sequentibus. Fuerunt hæc accuratius deducenda contra Iperium, cujus errores Meyerus, Miræus, Malbrancus et alii descripserunt : et confirmanda erat auctoritas scriptoris, qui monasterium B. Mariæ de Capella, supra in Vita, asserit a B. Ida vidua constructum fuisse. Munus undecim capillorum Deiparæ virginis a B. Ida donatum ecclesiæ Capellæ, acceptum erat ab Hibero rege Ansculpho Iperio Hastulpho, Malbranco lib. VIII, cap. 80 Haistulpho Hibernorum rege. Porro plures tunc adhuc in Hibernia dominabantur reges, postea sub annum 1172 ab Anglis subacti : nomen tamen adeo manifeste et Gotthicum, ut longe consultius videatur intelligere aliquem istius nationis regulum, in Iberia sive Hispania. Situm fuisse monasterium Capellæ tradit Malbrancus, « Markium inter et Scalas, sequenti sæculo Calisium dictum, in prædio juris Bononici Broucham appellato, Markiensis territorii : at Lamberto Ardrensi ponitur in confiniis Mercuritii. In generali registro beneficiorum diœcesium Gallicanarum, in diœcesi Bolonicnsi

memorantur pag. 10 « collationes seu præsentationes curatorum undecim, et capellaniarum novem abbate de Capella dependentes : » inter quas sunt capellaniæ ecclesiarum Ardrensis, Ogensis et Markiensis, e quibus optime colligitur quod antiquus hujus monasterii situs fuerit per continua inter Anglos et Francos bella mutatus.

CAPUT III.

Varia beneficia præstita monasteriis, Bulloniensi, Affligemensi, Bertiniano et Lensiensi. Visa in exstasi Hierosolyma capta.

10. Godefridus Barbatus, dux Lotharingiæ et pater B. Idæ, fundarat olim prioratum S. Petri in municipio suo Bulloniensi, acceptis monachis e cœnobio S. Huberti. Adjunxit aliquam dotem Godefridus Bullonius, charta donationis signata Bullonii anno 1094, a Miræo in codice Donationum, cap. 67, et Notitia Ecclesiarum Belgicarum, cap. 11, vulgata : in qua ista habet Godefridus : « Hanc meam intentionem cum retulissem matri meæ Idæ, prædicti ducis filiæ, et fratribus meis Balduino et Eustachio; eorum deinde consilio et consensu voluntario, ecclesiam nostram, nostri proprii et hæreditarii juris de Baseio, destinavimus et donavimus ad augmentum prædictæ eleemosynæ avi mei Godefridi, donandam perpetualiter B. Petro et B. Huberto. Quod donum, ut ratum et firmum esset, eamdem matrem et fratres meos mecum Bulonium duxi, et in præsentia optimatum meorum, vestituram prædictæ ecclesiæ in Baseio, sine ulla calumnia et contradictione, simul deposuimus super altare B. Petri. » Est dictum Baseium vicus Gallo-Brabantiæ, versus comitatum Namurcensem, vulgo Basy, in territorio Genapiensi ad flavium Tiliam; in quo vico diximus supra credi ab incolis Godefridum Bullonium natum fuisse et educatum. Ipsa autem Genapia, seu Genapum, Nivellam inter et Gemblacum, illustre satis municipium cum veteri arce, ubi forum est sive tribunal, quod vulgo dicitur summa curia Lotharingiæ in qua administrari solet justitia tam in civilibus et capitalibus, quam in clientelaribus causis, et repræsentat adhuc aliquam speciem Lotharingiæ inferioris. Hujus loci decimas concessit B. Ida monasterio Affligemiensi, in eadem Brabantia Bruxellas inter et Alostum sito : cujus donationis chartam edidit Miræus in codice Donationum cap. 68 et in Notitia Ecclesiarum Belgii cap. 119 : ex qua hæc excerpimus.

11. « Ego Ida Boloniensis comitissa, humilis Christi ancilla, notum fieri cupio tam præsentibus quam futuris, signum meæ dilectionis erga dominos meos et fratres, videlicet monachos Novimonasterii, cui vocabulum Hafflingem inditum erat ab antiquis. Quoniam quidem mihi multisque eorum complacuit conversatio et religionis affectus, dignum duxi me commendare talium orationibus, nec in incerto divitiarum sperare, sed has potius cum eis participare. Igitur in allodio meo et villa quæ vocatur Genapia, pro salute animæ meæ, patris quoque mei ducis A Godefridi, et comitis Eustachii domini mei, ecclesiam cum decimis et universis ejus redditibus, perpetuo jure tenendam dedi supra dictis fratribus, in idipsum filiis meis Godefrido, Eustachio et Balduino mihi cooperantibus. Filius quoque meus dux Godefridus in eadem villa Genapia quinque mansos terræ donavit iisdem fratribus, ad quos ego postea in augmentum concessi quasdam partes circumjacentes, plane sextum mansum continentes, ab omni comitatu et censu tributario liberos et expertes. Insuper autem quidquid sibi vindicabant, quippe quod a prioris doni tempore possederant, sive in silvis, sive in pascuis, sive in satis, eis concessi eadem libertate qua tenui : sed et omne participium in silva et reliquo usuario communi, in hoc nihilominus meis filiis B consentientibus mihi. Factum est autem apud Trajectum in ecclesia S. Servatii confessoris, præsentibus etiam reliquiis S. Gertrudis, pro simili negotio illuc tunc allatis;.. anno Incarnationis Domini 1096, anno profectionis Christianorum contra paganos Jerusalem. »

12. Cum paulatim majore senio gravaretur B. Ida, non destitit piis operibus insistere, sed merita sua auctura, dotavit S. Bertini monasterium : cujus oblationis chartam edidit Miræus in codice Donationum cap. 70, et contractius in Notitia Ecclesiarum Belgii, cap. 121. Ex priori hic inserimus quæ sequuntur : « Cum constet unicuique incerta et imminens mors, quam necessarium nobis sit, saluti nostræ, C bonis operibus eleemosynarumque largitionibus, insistendo, consulere, quotidianus mundanæ rei defectus satis ostendit. Unde ego Ida, Bolonienſium Dei gratia comitissa, notifico tam futuris quam præsentibus quibuslibet, quod ob salutem animæ meæ, nec non pro anima domini mei comitis Eustachii, et pro incolumitate filiorum meorum Eustachii, Godefridi et Baldvini (qui contra paganorum incursus ex præcepto apostolico Hierosolymam profecti sunt) omnes consuetudines et comitatum, et quidquid ad me pertinebat de terra quam Ondigir et Berewoldus Deo et S. Bertino ad eleemosynam pauperum tradiderunt, domno Lamberto abbati de cœnobio ejusdem Christi confessoris Bertini et fratribus ibidem Deo servientibus perpetuo possidenD das concesserim, ea videlicet ratione, ut nullus de hæredibus prædictorum virorum de terra illa amplius usurpare audeat, nec comes Boloniensis, neque quisquam ex parte ejus de consuetudinibus seu comitatu illius aliquid exigere; sed libera et quieta ad usus pauperum in perpetuum permaneat. Actum in villa Merck, anno Dominicæ Incarnationis 1098. Signum Idæ gloriosæ comitissæ... »

13. Prævaluerunt arma filiorum in terra sancta, « B. Idæ parente ardentissimis precibus bellicum illorum negotium commendante, et e Morinis spectante, » uti ex tabulis monasterii S. Vulmari explicat Malbrancus lib. IX De Morinis cap. 6 suis verbis : « Quod insinuatum est de Ida matre sanctissima, planius edisserendum. Cum ipsa parvum Saulmerium, ut

vocant, id est parvum cœnobium, quasi a majore S. Vulmari Appendicem, exædificasset; et assumptis ab illo monachis egregiam ascripsisset dotem, curavit illud superiore vel hujus anni 1099 prioribus mensibus, per Gerardum Tarvannensem episcopum, divæ Virgini lamentabundæ seu dolorosæ sacrari... Igitur in illo dolorosæ Virginis peculiari sacrario B. Ida dies precibus extrahit; et apud divam matrem et S. Vulmarum loci præsides, rem filii Godefridi bellicam agit ardentissime. Qui sane bonam feminæ mentem non sunt frustrati; sed effecere ut inter precandum in exstasi rapta, quodammodo cerneret Godefridum filium castello ligneo suos animantem, tela in hostes creberrima ejaculantem, heroica impressione primum omnium mœnia conscendentem : denique dici posset omnium quæ illic gestæ sunt rerum, ad prolem spectantium, species ei cœlitus tanto terrarum intervallo fuisse objectas. Nam, cum jam ab annis compluribus Bononiæ versaret, in eo divæ Virginis et S. Vulmari sacrario comperi in tabula exaratum. [Hic Idam, dum sacris interesset mysteriis, vidisse filium Godefridum Hierosolymam, eximio stratagemate ac viribus heroicis, invadentem; nec non in regem Hierosolymæ coronatum.]

« Quæ cum diversis temporibus peracta sint, videntur media et adjuncta etiam sub ejus mentis oculos cecidisse. » Deinde cap. 8 de Godefrido in regem coronato agit et de B. Ida ista addit. » Etsi id intra templi Hierosolymitani septa gererctur, in extremos hominum Morinos regius ille apparatus, et regii diadematis pia aspernatio perlata sunt ad oculos Idæ, matris sanctissimæ, sacris missæ ritibus operam dantis, in novo illo Vulmarensium ascetarum, lamentabundæ Virgini obsequentium, monasterio. »

14. Mortuo anno 1100 Godefrido rege, in ejus locum subrogatus est Balduinus, alter B. Idæ filius : dein tertius Eustachius reversus est ad B. Idam matrem suam et comitatum Boloniensem : qui curavit a Lamberto Atrebatensi episcopo Lensensium canonicorum collegium, astipulante B. Ida matre, confirmari. Diploma episcopi ex mss. monumentis Lensiensibus excudit Malbrancus in scholiis ad caput 16 libri IX hoc exordio : « Ego Lambertus, Dei miseratione episcopus Atrebatensis, justis et honestis petitionibus honorabilis comitis Eustachii et nobilis ejus uxoris Mariæ comitissæ nec non et matris prædicti comitis, Idæ religiosæ comitissæ acquiescens, quod a ministerio nostro exigunt, scire volumus tam præsentibus quam futuris filiis nostris, in libertate spiritus Lensiensi Ecclesiæ et canonicis ejusdem ecclesiæ, ex petitione prædictarum personarum, ratum et stabile perenni tempore per nostræ auctoritatis privilegium confirmasse... Datum Atrebati, anno Dei Christi 1106, indictione XIV, VII Idus Junii, anno pontificatus domini Lamberti episcopi Atrebatensis XII, regnante Philippo rege in Francia, Roberto Juniore comite Flandriæ, Eustachio comite Bononiensium et Lensensium. »

BEATÆ IDÆ

DONATIONES ECCLESIASTICÆ.

(*Vide supra col.* 453, 454, 457, 458.)

OSMUNDI EPISCOPI ASTORICENSIS

EPISTOLA AD IDAM.

(Edidit MABILL. *Analecta*, nov. edit., pag. 435.)

MONITUM.

Scripta est hæc epistola circiter annum 1059, quo Ida, Eustachii comitis Bononiensis uxor, in castro Lenensi pagi Atrebatensis, recentioribus Lensio, Deiparæ Virgini templum construxit, instituitque canonicorum collegium. Præterea reliquias undequaque conquisivit, easque intulit in basilicam a se ædificatam, scilicet reliquias sancti Vulganii, cujus corpus Lenensi monasterio canonicorum quiescere testatur Baldericus in Chronici lib. II, cap. 22. Hinc factum puto, ut Ida ex Hispania per Osmundum episcopum obtinuerit capillos beatæ Mariæ, de quibus in hac epistola agitur. Lege Jacobum Malbrancum in lib. VIII De Morinis. cap. 48, ubi de Ecclesia Lensiensi.

Osmundus, Dei gratia Astoricensis episcopus, Ioæ, A nobili Boloniensi comitissæ, salutem in Christo.

Quoniam tua summa prudentia investigare, insuper invenire desiderat qualiter civitas Astorica reliquias tantas capillorum sanctæ Mariæ Dei Genitricis habuerit, et unde invenerit, sanctæ petitioni tuæ et investigationi piissime satagere, prout in sententiis librorum nostrorum invenimus, sub brevitate decrevimus. Invenimus namque quod, persecutione gentilium urgente, Hierosolymam septem discipuli, Torquatus et Iscius. cum cæteris quinque, Hispaniam navigarent, deferentes eas et alias quamplurimas usque Toletam pervenerunt. Rex vero Hispaniæ et omnis populus ejus honorifice susceperunt B eas, et in magna reverentia læti eas, sicuti decebat, habuerunt. Cumque iterum gens Saracenorum Hispaniam perurgeret, episcopi et omnes viri religiosi ad nostras Alpes, videlicet Astoricenses, quæ ab Astorica habent nomen, confugere, et quidquid præcipuum ducebant, asportaverunt, et in civitate nostra Astorica atque Oveto omnia recondiderunt. Nos vero posteri sic eas habentes, et præcepto nostri regis, videlicet Adefonsi, non obviantes, misimus vobis de melioribus et dignioribus magnam partem, obsecrantes ut sitis memoratrix Astoricensis Ecclesiæ.

Ego vero Adefonsus rex hanc chartam vidi et legi, et quæcunque in ea scripta sunt, propria manu confirmavi.

GENEALOGIA COMITUM BULONIENSIUM

ED. L. C. BETHMANN.

(Ap. Pertz, *Monumenta Germaniæ historica*, Script. tom. IX, pag. 299.)

Carolingicæ domus genealogia primis temporibus ultra Ansbertum non ascendit. Sed postquam regnum adepti sunt Carolingi, non defuerunt qui eos per Blithildem a Merovingis deducerent, scilicet ut legitimo hæreditatis jure possidere viderentur id quod revera per vim tantum atque assensu populi possidebant regnum. Hujusmodi sunt genealogiæ infra p. 296 et SS. II, 308 propositæ. Eorum vero qui, hac stirpe a regno Francorum dejecta, per Carolum ducem ex illa processerunt, genealogiam complures exhibent codices; qui quamvis multum inter se differant, ad unam tamen omnes reduci possunt

A. Formam primariam, *anno fere 1096 conditam, quæ a Priamo usque ad Godefridum Bullonensem descendit. Eam continet*

1) *codex Bruxellensis n. 9823 sæc.* XII, *olim Pamelii, tum soc. Jesu Brugensis, exhibens Roberti et Fulcheri Historias, descriptionem Terræ sanctæ, catalogos epp. Hieros., regum, paparum, descriptionem sanctuarii Lateranensis, miraculum in Saxonia, septem mir. mundi, genealogiam regum Francorum, carmen de Mahumeth, genealogiam nostram.*

2) *Vaticanus Christinæ n. 236 post Hildeberti epistolas genealogiam habet, quæ fortasse ejusdem generis est.*

B. Secundæ familiæ *codices dicimus, qui eidem notitiam* Quomodo disjunctum sit regnum Francorum a genealogia Karoli Magni *subjecerunt; scilicet*

1) *Marchianensis, jam Duacensis n. 838 s.* XII, *de quo. cf. Pertz Archiv. VIII, 430, eadem fere continens, quæ A1 et B4.*

2) *Bruxellensis n. 9857 s.* XII, *post Bedæ Chronicon.*

3) *Vaticanus Christinæ n. 596, s.* XII, *post catalogum pontificum.*

4) *Vaticanus Christinæ n. 712, membr., continens Roberti et Fulcheri Historias. R. descriptionem Terræ sanctæ, catalogos epp. Hieros., descriptionem sanctuarii Lateranensis, catalogum pontificum, hanc genealogiam, descriptionem sanctuarii Constantinopolitani, lamentum de Carolo Flandrensi.*

5) *Vaticanus Christ. n. 637 chartac. s.* XVII, *continens Einhardi Vitam Caroli, Vitam Ludowici, hanc genealogiam.*

6) *S. Medardi Suessionensis, multum interpolatus et ad a. 1241 deductus, quem edidit Dachery Spic. II, 493.*

C. Tertiæ familiæ *est qui a Carolo Calvo incipit et in Eustachio desinit codex S. Quintini, dein Pamelii, tum soc. Jesu Brugensis, jam Bruxellensis, a. 1227 per Petrum monachum exaratus, post Hugonem Floriacensem, cf. Pertz Archiv. VII. 531, ex quo eam ediderunt Miræus* Dipl. Belg. *I*, 363. *Le Roy* Balduinus Avesnensis *p. 2. Butkens* Trophées *I*, preuves 5.

D. Quartæ familiæ *codices a Karolo Magno eam incipiunt et ad Balduinum sextum sive ad annum fere 1172 deducunt*

1) *Aureævallensis, jam Luxemburgensis n. 22, de quo cf. Archiv. VIII, 593, continens Freculfum, Johannem de rege et septem sapientibus, Turpinum, genealogiam nostram.*

2) *Lobiensis quem edidit Martene Thes. III, 1431 et inde Brial XIII, 585.*

3) *Parisiense sæculi* XVII *apographum inter Baluzianos arm.* II, *p. 1, n. 3.*

L. C. Bethmann.

Hæc est genealogia regis Karoli, qui vocatus est Magnus, de cujus prosapia ortus est rex Godefridus ejusque frater rex Balduinus [1].

Priamus genuit Faramundum. Faramundus genuit Clodionem. Clodio quia sine filio fuit, successit ei in regno nepos ejus Merovecus. Merovecus genuit Hildricum. Hildricus genuit Clodoveum, quem sanctus Remigius baptizavit, et in baptismate mutato nomine vocatus est Ludovicus. Ludovicus genuit Lotharium et fratres ejus. Lotharius genuit Hilpericum et fratres ejus. Hilpericus genuit Lotharium magnum ex Fredegunde. Lotharius genuit Dagobertum et Blihildem sororem ejus [2]. Dagobertus genuit Clodoveum et Sigebertum. Clodoveus genuit Lotharium Hildricum et Theodericum. Theodericus genuit Clodoveum et Hildebertum. Hildebertus genuit Dagobertum juniorem. Dagobertus junior genuit Lotharium. Hic Lotharius septem etate mensium apud villam regiam que Kala dicitur, ad nutriendum committitur, et majores domus Ragemfridus atque Hilpericus regnum invadunt. Blihildis vero soror Dagoberti senioris genuit Arnoldum ex Ansberto illustri viro. Arnoldus genuit Arnulfum, post Metensem episcopum. Arnulphus dux, qui postea fuit episcopus, genuit Aystulfum Metensem episcopum et Qualchisum Clodulfum et Ansigisum. Ansigisus dux genuit Pipinum seniorem ex Begga filia Pipini majoris domus. Pipinus [3] senior et dux genuit Karolum Martellum. Karlus dux genuit Pipinum regem Parvum. Pipinus rex genuit Karolum Magnum regem [4]. Karolus Magnus genuit Ludovicum Piissimum augustum. Ludovicus genuit Lotharium, Pipinum et Ludovicum ex Ermengarde, et Karolum Calvum ex Judith. Karolus [5] Calvus genuit Ludovicum, de quo dictum est qui nichil fecit, quia post mortem patris duobus [6] tantum annis vixit. Ludovicus filius Karoli [7] genuit Karolum Simplicem et Karlemannum. Karolus vero Simplex ab Heriberto captus est. Qui Karolus ex Ogiva genuit Ludovicum. Ludovicus genuit Lotharium regem et Karolum ducem ex Gerberga. Lotharius rex genuit Ludovicum juvenem [8], et Karolus dux, frater Lotharii regis', genuit Ermengardem et Gerbergam. Ermengardis genuit Albertum (32) comitem de Nanuco. Albertus genuit Albertum qui nunc est [9] (33), et fratrem ejus Henricum comitem de Durboio (34), Gerberga vero soror Ermengardis genuit (35) Henricum seniorem de Bursella. Henricus senior genuit (36) Lambertum comitem et Henricum fratrem ejus et Mathildem sororem eorum. Hanc Mathildem duxit uxorem comes Eustachius de Bolonia, et genuit ex ea duos filios, Eustachium et Lantbertum. Eustachius vero accepit uxorem filiam Godefridi (37) ducis, Idam nomine, nobilem genere et moribus, et genuit ex ea tres filios, Eustachium [10] et Godefridum qui nunc est dux Lotharingiæ [11] (38) et Balduinum [12].

VARIÆ LECTIONES.

[1]) *ita A. B*5. Hæc est prosapia, unde ortus est rex Karolus, qui vocatus est magnus *B*2. Incipit genealogia, de qua ortus est Carolus magnus rex Francorum et imperator Romanorum *B*6. [2] *sequentia usque ad* Blihildis *desunt B*6. [3] *multum interpolata leguntur in B*6. [4] qui ad defendendas res ecclesiæ ab Adriano I. papa Romæ convocatus, jus et potestatem eligendi pontificis et ordinandi apostolicam sedem a supradicto papa et a 153 episcopis religiosis et abbatibus inibi ad concilium congregatis accepit; insuper dignitatem patriciatus ei concessit, archiepiscopos, episcopos per singulas provincias etiam ab eo investituram accipere definivit; et ut nisi a rege laudetur et investiatur, episcopus a nemine consecretur; et eum qui contra hoc decretum esset, anathematis vinculo innodavit. Postea vero a Leone III papa, successore prefati Adriani, Karolus rex unctus est in imperatorem in ecclesia beati Petri, die natalis Domini. qui *addunt A. Ceterum hic incipiunt D, præcedentibus omissis.* [5] *hic incipit C.* [6] *ita B*6. quatuor *C*. Ludov. q. n. f. q. quatuor tantum *B*7. Ludovicum Balbum qui duobus annis regnans interiit *D*2. Ludovicus Balbus *D*2. [7] *ita correxi;* f. Ludovici *B*1. 6. *C*. [8] i. Ludovicus juvenis rex obiit, et successit in regno avunculus ejus, scilicet Karolus dux, frater Lotharii. Sed impediente Hugone Chapet duce Francorum non fuit inunctus in regem; sed predictus Hugo ipsum predictum Carolum captum expulit a regno, sicut superius scriptum est. *addit. B*6. [9] *ita B*6 qui nunc mortuus est *C*. qui n. é. *desunt B*1. 3. *D*2. et f. e. H. c. d. D. *desunt B*6. *et C. qui eorum loco habet :* a quo procreati sunt quatuor filii. Fredericus prepositus sancti Lamberti, Godefridus, Henricus et Albricus. [10] comitem Boloniæ *addit B*1. [11] *ita B*6. God. ducem nunc Loth. *C. et fortasse B*2. p. n. e. d. L. *desunt A. B. D.* [12] reges Iherosolimæ *addunt A. B*1. 3. *C. procul dubio in codice originario alia manu additum fuerat. Totum locum B*6. *ita habet* : et genuit ex ea quatuor filios, Guillermum, Godefridum, q. n. e. d. L. Balduinum et Eustachium. Godefridus vero et Balduinus fuerunt reges herosolimorum. Eustachius vero genuit filiam nomine Matildem, quam postea duxit in uxorem Stephanus rex Anglorum. — *Posthæc B addunt* : Qui vero voluerit agnoscere, quomodo disjunctum sit regnum Francorum a genealogia Karoli Magni, hinc poterit agnoscere, *et cet. quæ brevissima, ad Gallicam tantum historiam faciunt. Atque B desinit in vocibus* Ludovicum. Iste est de progenie Karoli Magni; *B*2. *in* Philippus genuit Ludovicum; *B*3. *in* : Philippus genuit Ludovicum, Ludovicus genuit Ludovicum, Ludovicus genuit Philippum, *quibus alius adscripsit* :Philippus genuit Ludovicum, Ludovicus genuit Ludovicum bonum, Ludovicus Philippum. *B*5. *in :* per eam Pictavos possedit omnemque Aquitaniam; *B*6. *autem usque ad* Dagobertus jam defuncti erant, *anni* 1241.— *Horum omnium loco D. post* Godefridum et Balduinum *continuo pergunt ita, ut supra expressimus.*

NOTÆ.

(32) Alii Ratbodum seu Robertum II hic inserunt tanquam filium Ermengardis atque patrem Alberti. Cum nostro facit genealogia Metensis.

(33) Tertius qui obiit c. 1105.

(34) *Durbui*, in duc. Luxemburg.

(35) De Lamberto Barbato, comite Lovaniensi, qui obiit a 1015.

(36) Falsum. Henricus senior non pater fuit Lamberti atque Mathildis, sed frater.

(37) Quarti, seu Barbati, ducis Lotharingiæ.

(38) Obiit d. 18. Jul. 1100.

D addunt:

Eustachius, frater Balduini regis Jerusalem, duxit Mariam filiam regis Scotiæ, et genuit Mathildem. Mathildis nupta Stephano, filio Stephani Blesensis comitis, genuit Mariam abbatissam. Cumque defecissent in Bolonia legitimi heredes, Matheus filius Theoderici comitis Flandrensis, licet illicite, duxit abbatissam, et suscitavit semen hereditarium duas filias generando, et remisit eam ad locum suum. Albertus autem (39) de Namurco genuit Godefridum et Henricum comitem de Rupe (40), patrem Mathildis quæ genuit Jacobum Avesnensem (41). Godefridus autem frater ejus Henricum comitem Namurcensem, qui caruit liberis (42) et sororem ejus Alithiam (43), quæ nupta Hainoensi comiti Balduino (44), genuit Balduinum, qui duxit (45) Margaretam filiam Theoderici Flandrensis comitis, et genuit filium equivocum sibi [13] (46).

VARIÆ LECTIONES.

[13] *Posthæc D1. 2. repetunt nomina sola* Karolus magnus. Ludovicus augustus— Maria abbatissa, *prouti edidit Martene p. 1432. Quæ omisimus, quippe nullius prorsus pretii.*

NOTÆ.

(39) Tertius.
(40) *La Roche, en Ardennes.*
(41) Occisum a. 1192.
(42) Masculis; filias enim habuit duas.
(43) Aliciam seu Adeliciam, Ade.eidem.
(44) Quarto.
(45) A. 1169.
(46) Balduinum VI, natum a. 1171.

APPENDIX ALTERA

MONUMENTA DE BELLO SACRO

IMPERATORIS CONSTANTINOPOLITANI

EPISTOLA

AD ROBERTUM FLANDRIÆ COMITEM ET OMNES CHRISTIANOS

Ut sibi contra paganos opem ferant.

(Anno 1095.)

[MARTENE *Thes. Anecd.* 1, 267, ex mss. duobus, uno monasterii S. Albini, altero monasterii S. Ebrulfi.]

(1)Domino et glorioso Flandrensium comiti ROBERTO et omnibus totius regni principibus, Christianæ fidei amatoribus, tam laicis quam clericis, imperator Constantinopolitanus, salutem et pacem in eodem Domino nostro Jesu Christo, et Patre ejus, ac Spiritu sancto.

O inclytissime comes, et maxime fidei consolator, notificare prudentiæ vestræ volo quantum sanctissimum imperium Christianorum Græcorum angustiatur fortiter a Pincinaois (2) et Turcis quotidie, et deprædatur et acquiritur sine intermissione, et fiunt cædes diversæ, et inenarrabiles Christianorum interfectiones et derisiones. Sed quia sunt multa mala, quæ agunt, et, ut diximus, inenarrabilia, de multis dicamus pauca, quæ tamen sunt auditu horribilia, et conturbant etiam ipsum aerem. Nam pueros et juvenes Christianorum circumcidunt super baptisteria Christianorum, et circumcisionis sanguinem in despectum Christi fundunt in eisdem baptisteriis, et desuper eos mingere compellunt, et deinceps in circuitu ecclesiæ eos violenter deducunt, et nomen et fidem sanctæ Trinitatis blasphemare compellunt. Illos vero nolentes ex diversis pœnis affligunt, et ad ultimum eos interficiunt. Nobiles vero matronas ac

(1) Scripta fuisse videtur anno 1095, quo Alexius ad Urbanum II concilium in Placentina civitate celebrantem legationem misit, ipsum, *omnesque Christi fideles suppliciter imploravit, ut aliquod auxilium sibi contra paganos pro defensione sanctæ Ecclesiæ conferrent, quam pagani jam in illis partibus deleverant, qui partes illas usque ad muros urbis Constantinopolitanæ civitatis obtinuerant,* inquit Bartholdus Constantiensis.

(2) Al., *Pincinatis.*

earum filias deprædatas invicem succedendo ut animalia adulterando deludunt. Alii vero corrumpendo turpiter virgines statuunt ante facies earum matres, compellentes eas nefarias et luxuriosas decantare cantilenas, donec compleant stupra ipsa sua nefaria. Sic enim legimus actum in Dei populo antiquitus, quibus impii Babylonii post diversa delubria deridendo dicebant : *Hymnum cantate nobis de canticis Sion* (*Psal.* CXXXVI, 3). Sic et in stupro filiarum matres compellunt nunc cantare cantilenas nefarias, quarum voces non cantum, sed magis, ut credimus, plus resonant planctum, sicut scriptum est in morte innocentium : *Vox in Rama audita est, ploratus et ululatus multus : Rachel plorans filios suos, et noluit consolari quia non sunt* (*Matth.* II, 18). Sed licet matres innocentium, quæ per Rachel figurantur, non valuerint consolari pro morte filiorum, valuerunt tamen consolari pro salute animarum. Istæ tamen nullatenus, quod pejus est, consolari valent, quia et in corporibus et in animabus pereunt. Sed quid adhuc? Veniamus ad deteriora. Totius ætatis et ordinis viros, id est pueros, adolescentes, juvenes, senes, nobiles, servos, et, quod pejus et impudentius est, clericos et monachos, et heu proh dolor! et quod ab initio non dictum neque auditum est, episcopos Sodomitico peccato deludunt, et etiam unum episcopum sub hoc nefario peccato jam crepuerunt. Loca vero sancta innumerabilibus modis contaminant et destruunt, et pejora eis minantur. Et ad hæc quis non plangit? Quis non compatitur? Quis non horret? Quis non orat? Nam pene tota terra ab Jerusalem usque Græciam, et tota Græcia cum suis regionibus superioribus quæ sunt Cappadocia minor, alia major, Phrygia et Bithynia et minor Phrygia, id est Troja, Pontum, Galatia, Libya, Pamphylia, Isauria, Lycia et insulæ principales Chios, et Militina, et multæ aliæ regiones et insulæ, quas non valemus modo enumerare, usque Thracias, ab eis jam invasæ sunt, et fere jam nihil remansit, nisi Constantinopolis, quam ipsi minantur citissime nobis auferre, nisi auxilium Dei et fidelium Christianorum Latinorum velociter subvenerit. Nam et Propontidem, qui et Aridus dicitur, et ex Ponto juxta eamdem Constantinopolim in mare Magnum decurrit, cum ducentis navibus invaserunt, quas Græci ab eis prædati fabricaverunt, et remigiis, velint nolint, deducunt, et minantur tam per terram quam per eamdem Propontidem Constantinopolim, ut diximus, velociter capere. Hæc pauca de innumerabilibus malis, quæ hæc impiissima gens agit diximus et scripsimus tibi, comes Flandrensium, Christianæ fidei amator. Cætera vero ob fastidium legentium dimittamus.

Igitur pro Dei nomine et pro omnium Græcorum Christianorum pietate rogamus, ut quoscunque fideles, Christi bellatores, tam majores quam minores, cum mediocribus in terra tua acquirere poteris ad auxilium mei et Græcorum Christianorum, huc deducas, et sicut Galiciam et cætera Occidentalium regna anno præterito a jugo paganorum aliquantulum liberaverunt, ita et nunc ob salutem animarum suarum regnum Græcorum liberare tentent, quoniam ego, quamvis imperator, nullum tamen mihi remedium, neque idoneum consilium scio invenire, sed semper a facie Turcorum et Pinemacorum (3) fugio, et tandiu in singula civitate maneo, donec adventum eorum prope sentio. Et melius subjectus esse vestris Latinis cupio quam paganorum delubriis. Ergo antequam capiatur ab eis Constantinopolis, certare totis viribus maxime debetis, ut gloriosam et ineffabilem mercedem in cœlo gaudentes recipiatis. Nam melius est ut vos habeatis Constantinopolim quam pagani, quia in ea habentur pretiosissimæ reliquiæ Domini, id est statua ad quam fuit ligatus, flagellum unde fuit flagellatus, chlamys coccinea qua fuit indutus, corona spinea qua fuit coronatus, arundo quam vice sceptri manibus tulit, vestimenta quibus ante crucem spoliatus fuit, pars maxima ligni crucis in qua crucifixus fuit, clavi quibus affixus fuit, linteamina post resurrectionem in sepulcro inventa, duodecim cophini fragmentorum de quinque panibus et duobus piscibus, caput cum capillis integrum et barba sancti Joannis Baptistæ, reliquiæ vel corpora multorum innocentium, quorumdam prophetarum, et apostolorum, et martyrum, et maxime sancti Stephani protomartyris, et confessorum et virginum, quæ ob nimium incrementum singulariter scribere intermisimus. Quæ tamen omnia prædicta Christiani magis quam pagani habere debent, et munimen magnum erit omnibus Christianis, si hæc omnia habuerint ; detrimentum vero et judicium, si perdiderint. Quod si ob hoc certare noluerint, et aurum magis amaverint, in ea plus invenient aurum quam in toto mundo. Nam soli thesauri ecclesiarum Constantinopolis in argento, auro, gemmis et lapidibus preticsis et pannis sericis, id est palliis, sufficere possint omnibus mundi ecclesiis ; quos tamen omnes thesauros inæstimabiliter thesaurus matris ecclesiæ, scilicet Sanctæ Sophiæ, id est Dei sapientiæ, superat, et absque dubio thesauro templi Salomonis coæquari potest. Quid iterum de infinito nobilium thesauro dicam, cum thesaurum negotiatorum ruscorum nemo æstimare possit? Quid invenitur in præteritorum imperatorum thesauris? Pro certo dico non erit lingua quæ illum recitare valeat ; quoniam non solum Constantinopolitanorum imperatorum ibi thesaurus habetur, sed etiam omnium antiquorum Romanorum imperatorum thesaurus ibi est translatus, et in palatiis absconditus. Quid amplius dicam ? Quod certe patet oculis hominum, nihil est quantum ad illud absconditum. Currite ergo cum tota gente vestra, et omnibus vestris viribus certate, ne talis thesaurus in manibus Turcorum et Pincinatorum cadat, quia cum sint infinita, adhuc LX mil-

(3) Al., *Pincinatorum*.

lia exspectantur quotidie, et timeo ne per illum thesaurum paulatim nostros seducant cupidos milites, quemadmodum Julius Cæsar olim fecit, qui regnum Francorum cupiditate invasit, et quomodo Antichristus capturus totum mundum in fine mundi est acturus. Agite ergo dum tempus habetis, ne Christianorum regnum, et, quod majus est, Domini perdatis sepulcrum, et inde non judicium, sed meredem habeatis in cœlum. Amen.

PATRIARCHÆ HIEROSOLYMITANI

ET ALIORUM EPISCOPORUM

EPISTOLA AD OCCIDENTALES.

Significant victoriam a paganis reportatam, petuntque novas adversus eos suppetias.

(Anno 1097.)

[Marten. *Thesaur. Anecd.*, I, 271, ex ms. S. Ebrulfi.]

Jerosolymitanus patriarcha, et episcopi, tam Græci quam Latini, universaque militia Domini, Occidentali Ecclesiæ consortium cœlestis Jerusalem, et sui laboris præmii portionem.

Quoniam Ecclesiæ incremento gaudere vos non ignoramus, et sollicitos ad audienda, tam adversa quam prospera, credimus, ampliationis prosperitatem sic notificamus. Innotescat igitur charitati vestræ Deum in XI principalibus civitatibus, et in ducentis castris suæ Ecclesiæ triumphasse, tam in Romania quam in Syria, et nos adhuc habere de loricatis præter vulgus centum millia, amissis tamen multis in primis præliis; sed quid hæc? quid unus in mille? Ubi nos habemus comitem, hostes XI reges; ubi nos turmam, hostes legionem; ubi nos militem, ipsi ducem; ubi peditem, ipsi quoque comitem; ubi nos castrum, ipsi regnum. Nos autem, non confisi multitudine, nec viribus, nec præsumptione aliqua, sed clypeo Christi, et justitia protecti, Georgio et Theodoro, et Demetrio, et beato Basilio, militibus Christi vere nos comitantibus, hostium cuneos securi penetravimus et penetramus, et in quinque generalibus bellis campestribus, Deo vincente, vicimus. Sed quid plura? Ex parte Dei et nostra, patriarcha et episcopi, omnisque ordo Domini præcipiendo oramus, materque nostra spiritualis clamat: Venite, filii mei dilectissimi, venite ad me; suscipite coronam ab insurgentibus in me idololatriæ filiis, ab initio mundi vobis prædestinatam. Venite ergo, oramus, militatum in militia Domini, ad eumdem locum in quo Dominus militavit, in quo Christus passus est pro vobis, relinquens vobis exemplum, ut sequamini vestigia ejus. Nunquid non Deus innocens pro vobis mortuus est? Moriamur ergo et nos, non pro eo, sed pro nobis, ut moriendo mundo, vivamus Deo. Tamen non oportet nos mori, nec multum pugnare. Quod enim fuit gravius sustinuimus, verum castra civitatesque retinendæ a nobis multum imminuerunt exercitum. Venite ergo, festinate præmio remunerandi. Ecce nostri sanguinis effusione undique viæ; nihil vobiscum afferatis, nisi quæ pertinent usque ad nos. Viri tantum veniant, feminæ adhuc dimittantur. De domo in qua duo sunt, unus veniat expeditior ad bellum, et maxime qui vota fecerunt; nisi veniant, et vota persolvant, excommunicamus, et a communione eos Ecclesiæ removemus. Patriarcha, et apostolicus, et episcopi, et vos idem facite, quod nec apud vos sepulturam habeant, nisi certam remanendi causam habeant. Valete.

ANSELMI DE RIBODIMONTE

EPISTOLA

AD MANASSEM ARCHIEPISCOPUM REMENSEM

De expeditione Hierosolymitana.

MONITUM.

(*Histoire littéraire de la France*, VIII, 496).

Anselme, comte de Ribemont et seigneur de plusieurs autres terres, déjà connu par ses pieuses libéralités envers les églises, et par sa valeur extraordinaire à la guerre sainte, mérite encore de l'être entre les écri-

vains de son temps. Il descendait des anciens comtes de Valenciennes, et apporta au monde d'excellentes qualités pour soutenir sa naissance. On loue principalement en lui le grand cœur, la générosité, la magnificence, de merveilleuses dispositions pour les armes, *in regenda militia mire industrius* : ou, comme s'exprime Guillaume de Tyr (1), *vir in armis strenuus*.

La fameuse expédition pour la délivrance de la terre sainte ayant été résolue au concile de Clermont, en 1095, Anselme voulut en être, comme tant d'autres seigneurs chrétiens. Le Chroniqueur d'Andres faisant l'énumération de ceux de la seconde Belgique qui furent du voyage, le nomme avant tous les autres (p. 375), immédiatement après Godefroi de Bouillon, qui en fut le chef. Tous les historiens de cette guerre rendent témoignage à la valeur héroïque qu'y fit paraître Anselme (2). Mais après avoir échappé aux périls des siéges de Nicée et d'Antioche, il vint échouer devant le château d'Archos, ou Arcas, à deux lieues de Tripoli. Les croisés n'ayant pu l'emporter d'emblée résolurent, sans nécessité, d'en faire le siége, qui dura trois mois moins un jour, depuis le quatorzième ou quinzième de février 1099 jusqu'au treizième de mai suivant. Anselme, un des plus zélés capitaines pour l'avancer, y fit de nouveaux prodiges de valeur, et y perdit la vie d'un coup de pierre qu'il reçut à la tête. Sa mort, qui fut regardée comme une espèce de martyre, suivant l'idée qu'on s'était formée de ce genre de guerre, arriva en février ou en mars, puisqu'il est nommé entre les premiers qui y furent tués.

Tous les assiégeants en firent un grand deuil ; et ayant enlevé son corps, ils l'enterrèrent avec l'honneur convenable (3). Anselme, la nuit qui précéda sa mort, en avait eu un pressentiment dans une vision, rapportée diversement par les historiens, mais dont il profita pour s'y préparer sérieusement (4). Presque tous ces mêmes écrivains ne parlent de lui qu'avec de grands éloges; les uns le qualifiant un illustre héros, d'autres, un homme digne d'une mémoire éternelle, *perpete dignus memoria* (5).

Entre les éloges que Guibert, abbé de Nogent (6), donne à Anselme de Ribemont, il relève principalement le service qu'il avait rendu à tous les gens de lettres, en leur apprenant ce qui s'était passé de plus mémorable à la Croisade, pendant le temps qu'il y porta les armes. Service que Guibert regardait comme une insigne marque, et de la vive foi et de l'ingénieuse attention de ce Héros. Dans le compte qu'en rend cet Ecrivain, on distingue clairement deux différentes relations d'Anselme à ce sujet : l'une dans laquelle il faisait le détail de la prise de Nicée en Bithynie par les croisés, et de tout ce qui leur était arrivé en passant par la Romanie et l'Arménie : l'autre qui contenait le récit du siége, de la prise d'Antioche et de leurs suites, comme aussi des divers combats que l'armée chrétienne avait eu à soutenir contre les émirs, princes ou gouverneurs de Calapie, de Damas et de Jérusalem. Ces deux relations étaient adressées à Manassé II, archevêque de Reims, à qui l'auteur avait recommandé sa terre de Ribemont.

Malheureusement on ne nous a conservé que le second de ces deux écrits; et l'on y voit que la notice qu'en donne Guibert est fort juste. Anselme le dressa peu de jours après la fête de S. Pierre, c'est-à-dire au commencement de juillet, après que les chrétiens se furent rendus maîtres de la citadelle d'Antioche, par conséquent en l'année 1098 (7). Il y entre dans un assez grand détail des principaux événements ; mais il les touche d'une manière trop précise et trop succincte. Ses narrés au reste sont agréables, vifs, animés ; et l'on sent bien que c'est un témoin oculaire, et même un des acteurs qui parle. En général le style d'Anselme est simple et noble tout ensemble, naturel, et mêlé de traits de piété qui lui donnent un nouveau relief.

L'éloignement de son pays et le tumulte des armes ne lui faisaient point oublier ce qu'il devait à ses vassaux. C'est pourquoi il prie le prélat à qui il adresse son écrit de maintenir la paix dans ses terres, et d'empêcher que les églises et les pauvres ne soient opprimés. En parlant des prospérités de l'armée chrétienne, il les attribue moins aux mérites et à la valeur des croisés qu'aux prières qu'on faisait pour eux. Il en prend occasion de conjurer Manassé de continuer à leur rendre ce bon office, d'engager les autres à en faire autant, et de n'y pas oublier ceux que la mort leur avait enlevés. Le soin charitable qu'avait Anselme de faire prier ceux-ci, on le prit pour lui-même après sa mort. Le même archevêque, l'annonçant à ses confrères, les exhorta à recommander à Dieu le repos de l'ame de ce brave seigneur.

Anselme, dès le commencement de cette relation, rappelle à Manassé celle qu'il lui avait déjà envoyée touchant la prise de Nicée et le passage des croisés par la Romanie et l'Arménie. L'abbé Guibert, qui avait l'une et l'autre entre les mains, et qui y a puisé beaucoup de choses pour son Histoire de la croisade, en faisait tant de cas pour la certitude des faits, qu'il en préférait l'autorité à celle de tous les autres écrivains de la guerre sainte, qui étaient déjà en bon nombre, lorsqu'il entreprit lui-même d'en écrire.

(1) l. VII, c. 17.
(2) Ray. de Ag., pag. 164; Mab. mus. It. p. 204, n. 97; Guib. de Nov., Ges. Fr. p. 645; Will. Tyr. ib.; Du Ches. t. IV, p. 807, 808.
(3) Mab. ib. p. 211, n. 104, 105.
(4) Ray. de Ag. ib. Mab. ib., p. 210, 211, n. 104.
(5) Will. Tyr. ibid.
(6) Guib. de Nov. Ges. Fr. l. VI, c. 8.
(7) M. Fabricius ne met cette relation qu'en 1099; mais l'Auteur, comme on l'a vu, avait perdu la vie dès le mois de février ou de mars de cette année.

IN NOMINE DOMINI

Incipit epistola quam transmiserunt sancti peregrini qui amore Dei perrexerunt Hierosolymam, anno ab Incarnatione Domini 1099, tempore Urbani papæ, indictione septima.

Domino suo et Patri M. Dei gratia Remorum venerando archiepiscopo, A. de Ribodimonte, (8) suus fidelis homo et humilis servus, salutem.

Sciat sublimitas vestra, reverende Pater et domine, quia etsi non præsentialiter, tamen absentes, in cordibus nostris a vobis auxilium quotidie postu-

(8) *Ribomontium*, *Riburgismons*, *Ribodium*, omnium vero optime *Ripemontium*, in monte situm ad ripas Isaræ præterfluentis, duabus leucis ab Augusta.

lamus; nec solum a vobis, etiam ab omnibus sanctæ matris Ecclesiæ Remensis filiis, in quibus sane maximam fiduciam habemus. Quia etiam dominus noster estis, et totius regni Francorum maxime a vobis pendet consilium; notificamus paternitati vestræ aliqua de his prosperis et adversis quæ nobis evenerunt. Cæteris vero per vos notificetur; ut pariter in adversis nobis compatiamini, et in prosperis nobiscum gaudeatis.

Mandavimus vobis obsidentes atque capientes Nicæam, et inde recedentes, totam Romaniam atque Armeniam peragrantes quomodo nos habuimus. Nunc autem restat ut de obsidione Antiochiæ, de multimodis periculis illic prælibatis, de innumeris præliis contra regem Galapiæ, contra Damascum, contra illum ad ultimum Hierosolymitanum perpetratis, aliquantulum loquamur.

Obsessa est igitur Antiochia ab exercitu Domini nimis viriliter et audacius quam dici potest. Quam inauditos conflictus ibi ad quamdam occidentalem portam cerneres! Quam mirabiliter illos per sex portas prosilientes quotidie, si præsens adesses, videres! Utrisque, illis videlicet et nostris, pro libertate et vita certantibus. In illis diebus nostri principes, cupientes civitatem magis ac magis arctare, orientalem portam tunc primum obsedimus; castelloque ibi firmato, Boamundus in illo posuit partem sui exercitus. Principibus autem nostris tunc temporis aliquantulum intumescentibus, Deus, qui flagellat omnem filium quem diligit, adeo nos castigavit, ut vix invenirentur DCC equites in nostro exercitu, et non ideo quia homines probi et audaces nobis deessent, sed quia equi, aut inopia victus, aut nimietate frigoris, fere omnes perierunt. Turci vero equis et omnibus necessariis abundantes castra nostra quotidie circuibant, fluvio quodam interposito, qui pro muro nobis habebatur. Aderat et castellum Turcorum fere VIII millibus; qui ingredientes et egredientes, de nostro exercitu quotidie occidebant. Contra quos nostri principes exeuntes, Deo adjutore illos in fugam verterunt, et multos eorum occiderunt. Videns ergo Antiochensis se læsum, Damascum in auxilium advocavit; qui, providentia Dei, Boamundum et Flandrensem comitem, qui ad quærendas escas ierant cum parte nostri exercitus, obvios habuit, et ei auxilio præeunte, victus fugatusque est ab eis. Adhuc Antiochensis cogitans de salute misit ad regem Galapiæ, pecuniaque maxima promissa, ad hoc ut veniret cum omnibus copiis suis, illum excitavit. Quo adveniente, nostri principes castra egressi sunt, et Deo adjutore, illa die cum DCC equitibus et paucis peditibus, XV millia Turcorum cum suo rege devicerunt, et in fugam verterunt, et multos eorum occiderunt. In illo igitur prælio nostri, non paucis equis recuperatis, cum victoria gaudentes reversi sunt.

Ex illa ergo die magis ac magis convalescentes, viribus receptis, consilium inierunt quomodo occidentalem portam, quæ nobis portum maris, ligna, et herbam auferebat, obsiderent. Communi vero consilio Boamundus et comes Sancti Ægidii portam adierun', illos addicturi [*f.* adituri] qui illic morabantur. Interim qui remanserant ad sarcinas, cupientes sibi acquirere nomen, quadam die post prandium incaute illam occidentalem portam adierunt, unde turpiter repulsi atque fugati sunt. Tertia post hæc die Boamundus et comes Sancti Ægidii revertentes, miserunt ad principes exercitus ut illis occurrerent, et sic pariter portam obsiderent. Illis autem parumper morantibus, Boamundus et comes Sancti Ægidii a Turcis victi atque fugati sunt. Itaque nostri homines dolentes, atque suum dedecus pariter gementes (nam illa die de nostris mille corruerant), ac rebus ordinatis Turcos militum [multum] repugnantes ac retinentes, vicerunt et in fugam verterunt. Perierunt autem illa die de inimicis fere mille et CCCC tam armis, quam fluvio, qui hyemalibus pluviis abundabat.

Ilis ita patratis, nostri firmare castellum aggrediuntur; illoque multiplici vallo, muro firmissimo, necnon et duabus turribus munito, comitem Sancti Ægidii cum balistariis et sagittariis illic collocant. O cum quanto periculo, cum quanto labore, illum firmavimus! Pars quædam nostri exercitus castellum orientale, alia pars castra servabat, cum omnes castellum firmabant. Ex illis, balistarii et sagittarii portam custodiebant. Reliqui, et ipsi principes, aggerem jacere, lapides portare, murum struere non cessabant. Quidam numerare multimodas tribulationes, quæ tacitæ etiam satis per se patent, videlicet fames, aeris intemperies, timidorum militum fugas, quæ quanto asperiores, tanto alacriores nostri in sustinendo fuerunt. Verumtamen illud silendum minime putamus, quod quadam die Turci se civitatem reddituros simulaverunt, et in tantum nos deceperunt, ut de nostris ad illos exciperent, et de suis ad nos plurimi exirent.

Dum hæc ita agerentur, utpote nihil habentes fidei, insidias nostris posuerunt, ubi occisus est Wallo conestables. Et alii, tam de suis, quam de nostris, plures corruerunt. Post hæc autem transactis paucis diebus, nuntiatum est nobis Corbaran principem militiæ regis Persarum in nostram mortem conjurasse, et cum innumerabili exercitu magnum flumen Euphratem jam præteriisse. Deus autem, qui semper sperantes in se non deserit, non dereliquit suos, sed civitatem Antiochiam tribus civibus eam tradentibus in Nonis Junii misericorditer nobis dedit. Depopulata autem civitate, ipsa die omnes paganos in ea occidimus, exceptis quibusdam in castello civitatis se tuentibus.

Sequenti ergo die adveniens Corboran cum rege Damasci, et duce Baldach, et cum rege Hierosolymitano, et aliis quam plurimis, civitatem obsedit. Nos igitur obsessi ab illis, et obsidentes prædictos paucos in castello civitatis, ad edendas carnes equorum et asinorum compulsi sumus. Secunda die adventus illorum, Rogerium de Barnonisvilla nobis occide-

runt. Tertia die castellum, quod contra Antiochenses firmavimus, aggrediuntur. Sed nil proficerunt. Rogerium tamen castellanum insulæ vulneraverunt, unde mortuus est. Videntes quia ex illa parte nihil proficerent, montana ascenderunt. Nos autem contra illos egressi, victi sumus ab illis atque fugati. Ipsi vero nobiscum muros ingressi, illum diem et noctem sequentem insimul fuimus, distantes ab invicem quasi uno lapidis jactu. Sequenti die aurora apparente, altis vocibus Baphometh invocaverunt; et nos Deum nostrum in cordibus nostris deprecantes, impetum facientes in eos, de muris civitatis omnes expulimus. Ibi mortuus est Rogerius de Bithiniacavilla. Ipsa vero castra moventes, totas civitatis portas obsederunt, ad redditionem cupientes nos compellere inopia victus.

Positis ergo in tanta tribulatione servis suis Deus auxiliatricem dexteram suam porrexit, et divina revelatione lanceam, qua perforatum est corpus Christi, misericorditer revelavit. Latebat autem in ecclesia Beati Petri sub pavimento quasi duas staturas hominis. Inventa ergo ista pretiosa margarita, cor omnium nostrorum revixit; et vigilia apostolorum Petri et Pauli accepto inter se consilio, miserunt nuntios ad Corbaran, qui dicerent : « Hæc dicit exercitus Domini : Recede a nobis, et ab hæreditate beati Petri : alioquin armis fugaberis. » Quo audito, Corbaran evaginato gladio juravit per regnum et thronum suum quod defenderet se de omnibus Francis, et dixit se terram possidere et semper possessurum juste vel injuste. Mandavit enim quod nec verbum ab illo audirent, donec, derelicta Antiochia, Christum denegarent et legem Persarum profiterentur.

His auditis, Christiani confessione mundati, perceptione corporis et sanguinis Christi firmiter armati, parati ad prælium, portam egressi sunt. Egressus est primus omnium Hugo Magnus cum suis Francis. Deinde comes Northmannorum atque Flandrensis. Post istos venerandus episcopus Podiensis, et acies comitis S. Ægidii. Post illum Tancredus. Ultimus omnium Boamundus invictissimus. Aciebus ergo ordinatis, lancea Domini præeunte et ligno Dominico, cum fiducia maxima cœperunt præliari, Deoque juvante prædictos principes Turcorum confusos et omnino victos in fugam verterunt, et innumeros eorum occiderunt. Revertentes igitur cum victoria, grates Domino egimus, et solemnitatem apostolorum cum lætitia maxima celebravimus. Ipsa die redditum est nobis castellum, filio regis Antiochensis cum Corbaran in fugam verso. Ipse rex, die qua reddita est civitas, fugiens a rusticis interemptus fuerat in montanis.

Hæc idcirco mandavimus vestræ paternitati, ut de ereptione Christianorum et de libertate Antiochensis matris Ecclesiæ gaudeatis, et pro nobis omnibus Deum devotius exoretis. Confidimus enim multum in vestris orationibus; et quidquid proficimus, non nostris meritis, sed vestris precibus reputamus. Nunc ergo precamur ut terram nostram in pace custodiatis, et ecclesias et pauperes de manibus tyrannorum defendatis. Precamur etiam ut de falsis peregrinis consilium capiatis, quatenus aut signum salutiferæ crucis iterum cum pœnitentia assumant, et iter Domini peragant, aut periculo excommunicationis subjaceant. Sciatis pro certo quia janua terræ aperta est nobis; et inter alios bonos nostros eventus, rex Babyloniæ missis ad nos nuntiis, dixit se obedire nostræ voluntati. Valete. Obsecramus in Domino Jesu, ut omnes ad quos hæc epistola pervenerit, pro nobis et pro mortuis nostris Deum exorent.

ODONIS BAJOCENSIS EPISCOPI

CHARTA

Per quam Jarentoni S. Benigni Divionensis abbati monasterium Sancti Vigoris Bajocensis concedit.

(Anno 1096.)

[Dom Plancher, *Hist. de Bourgogne*, t. I, Pr., p. 32, ex archivis abbatiæ S. Benigni Divion.]

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, ego Odo Bajocensis episcopus cogitans peccatorum meorum immanitatem, perpendens etiam districti judicis de actibus meis discussionem, pro remedio animæ meæ et parentum meorum, et pro requie episcoporum hujus sanctæ sedis Bajocensis, et canonicorum qui dormierunt, qui sunt et qui futuri sunt, constituo et do Deo et Sancto Benigno, Jarentoni abbati Divionensi et successoribus ejus et fratribus ejusdem cœnobii futuris et præsentibus, monasterium Sancti Vigoris de Monte Chrismatis cum appenditiis suis, videlicet plenam decimam totius villæ, in qua monasterium situm est, et omnium ad eamdem villam pertinentium, et quidquid ad ecclesiam, quæ ibi erat prius, pertinebat cum presbytero et universis consuetudinibus suis, et præterea medietatem ejusdem totius villæ, tam in hominibus et territorio, quam in cæteris redditibus cum medietate annualis mer-

cati quod fit ibidem, in festivitate omnium Sanctorum, et quatuor Burgenses, duos in Campo Florido, et duos ad Pontem Oliberti cum terra et consuetudinibus eorum, et apud quamdam villam, quæ vocatur portus Piscatoris, cum terra in qua manent, et navi sua et consuetudinibus ejus. Et plenam decimam de tota Chricea villa, cum terra et omnibus quæ ad Ecclesiam pertinent, et Ecclesiam Detor, et de Crusseio et de Ulferes, et de Colgrino, cum plenis decimis et terris quæ ad ipsas ecclesias pertinent, et terris presbyterorum. Hæc itaque omnia sicut ea etiam jam pridem et tempore Guillelmi fratris mei regis Anglorum, ac Northmanniæ comitis, præfata Ecclesia sancti Vigoris possidere visa est, et quidquid ipsi dono, trado, laudo et concedo Ecclesiæ Divionensi, assensu et laude canonicorum, et fidelium nostrorum, salva reverentia et debita obedientia sanctæ Bajocensis matris Ecclesiæ. Constituo etiam ibidem fieri sepulturam corporis mei et successorum meorum et canonicorum ritu sempiterno laude eorumdem canonicorum. Quod si adeo creverit locus ipse ut abbas ibidem juste possit constitui, videlicet ut tanti sint redditus qui hoc possint pati, abbas quoque Divionensis et episcopus Bajocensis communiter id tractaverint et simul judicaverint expedire; abbas Divionensis de suis in capitulo Divionensi electionem faciet, et personam electam assignabit episcopo Bajocensi, qui ordinatus sub eodem abbate erit, et eamdem potestatem quam prius in præfato monasterio tam super ipsum quam super cæteros abbas Divionensis habebit. Istud sane donum laude et assensu domini mei comitis Northmanniæ Roberti confirmatum est, qui et dedit eidem monasterio Sancti Vigoris plenariam libertatem, videlicet omnes consuetudines per totam terram suam quæ ad illum pertinebant de dominicis suis rebus, tam in passagio et teloneo, quam in cæteris redditibus, et de suo proprio in quotidiano usu fratrum ibidem Deo servientium onera quatuor asinorum de viridi ligno in nemore suo Verneio; et quisquis de terra sua aliquid de suo præfato monasterio traderet, id sibi ratum fore concessit, ne occasione juris sui ullo modo posset revocari, et ut monasterium idem Ecclesia Divionensis possideret jure sempiterno. Quisquis igitur cartam hanc donationis infringere tentaverit, ira Dei veniat super eum, deleatur de libro viventium, et cum justis non scribatur, et sit anathema Maranatha, usque in diem Domini, nisi resipuerit : qui autem ista laudaverit, et fidelis cooperator accesserit, pax super illum et benedictio usque dum videat Deum Deorum in Sion. Et ut hæc charta firma et inconvulsa permaneat, sigilli nostri impressione eam firmavi, et testibus corroborandam tradidi.

† Ego Odo Bajocensis episcopus hanc chartam lectam et perlectam confirmo et suscribo.

† Signum Roberti nobilissimi comitis Northmanniæ.

† S. Willelmi decani.

† S. Rodulphi archidiaconi.

† S. Helgoldi archidiaconi.

† S. Roberti de Tribus Montibus.

† S. Willelmi de Archis monachi.

† S. Eugebranni filii Hilberti.

† S. Willelmi de Bretulio.

† S. Willelmi de Similiaco.

† S. Willelmi de Columberiis.

Anno ab Incarnatione Domini 1096, indict. IV, concurrente II, anno XIX principatus domini Roberti, Willelmi regis Anglorum, filii ducis Northmanniæ, hæc charta confirmata est et sigillo suo signata.

Actum publice Bajocas; mense Maio, die 24 ejusdem mensis, IX Kal. Julii, luna XXVII, feria septima, bissextili anno.

HUGONIS EDESSENI ARCHIEPISCOPI

Epistola ad R. Remensem archiepiscopum et canonicos SS. Apostolorum et B. Symphoriani.

Reliquias S. Thaddæi et Abagari regis mittit.

(MARLOT, *Metropol. Rem.* II, 241.)

R..... Dei gratia venerabili Remensi archiepiscopo et canonicis SS. apostolorum et beati Symphoriani, HUGO, eadem gratia Edessenæ urbis archiepiscopus, salutem et fraternam in Christo dilectionem.

E..... regis Hierosolymorum et vester capellanus, post captionem comitis Jozelini cum prædicto rege ad Edessam urbem veniens et quosdam amicos suos de partibus vestris, honestos valde viros in Ecclesia vestra reperiens, consilio cum illis habito super ecclesia Apostolorum et beati Symphoriani, in qua eum præfecistis, quæ etiam antiquitus sedes exstitit episcopalis, et quod nullum corpus nominati sancti in ea jaceret illis intimavit, et quod petere vellet innotuit, et quod devote petiit re vera assecutus est. Tandem itaque Deo volente, et rege coadjutore, sed et nostra permissione ab Ecclesia nostra thesaurum recepit pretiosissimum, videlicet re

liquias de sancto Thaddæo apostolo et sancto Abagaro rege et confessore, quot ut verum esse credatis, testimonio nostro et personarum Ecclesiæ nostræ, Gerardi archidiaconi, Stephani decani, atque Thesonis thesaurarii confirmamus et sigilli nostri impressione signamus. Valete (2).

(2) His litteris appendet plumbum cum filis sericis rubeis, cui impressa est effigies archiepiscopi cum baculo ex uno latere, in altero vero legitur hæc latina circumscriptio : *Hugo, Dei gratia Edcssenæ archiepiscopus.*

FULCONIS ANDEGAVENSIS COMITIS

DONATIONES PIÆ.

I.

Ecclesiæ S. Mauritii Andegavensi prædia quædam concedit.

(Anno 1096.)

[*Gall. Christ.* ed. 1, t. II, p. 128.]

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Fulco Andegavensis comes.

Inter alia suæ sollicitudinis studia quibus peccatorum sibi providere remedia humanam miseriam oportet, illud non postremum est, si juxta Domini nostri Jesu Christi salutare monitum dando eleemosynam de transitoriis hujus mundi rebus lucra facere perennia satagamus : et quidem id multis misericordiæ itineribus adiri posse videtur, sed hæc compendiosior esse via existimatur, si per Ecclesiæ sacrosanctæ universorum fidelium matris manum terrena facultatis temporalis possessio in æternam transferatur possessionem, ita procul dubio et jugibus Dei laudibus pariter et pauperum Christi usibus collatura subsidium. Quæ profecto res hoc potissimum tempore magni potest esse et exempli et meriti, cum mundo tam vehementer in maligna prolapso instant tempora periculosa, et sunt homines nequam, seipsos ut arbitrantur, amantes, sed revera odientes, ac si Dei direptores parati sunt innumeri, sustentatores vero vix inveniuntur paucissimi. Igitur in nomine Dei Salvatoris mundi, ego Fulco divina dispensante clementia, Andegavensis comes de Creatoris nostri misericordia non desperans, notum fore cupio tam præsentibus quam futuris ad quorum notitiam pertinere videbitur, quoniam aliquid, Deo placente, et S. Mauritio et S. Maurilio eorumque servitoribus constituere divina deliberatione desideravit, ac demum ad effectum, Deo propitiante, et filiis meis, Gaufrido scilicet et Fulconello, et filia mea Ermingarde concedentibus et confirmantibus, produxi. Dono ergo Deo et S. Mauritio, Matri Ecclesiæ Andegavensi, cui dominus Gaufridus de Meduana Deo ordinante præest episcopus, totum quod habeo in insula Calonnæ solutum et quietum, sicut habeo, in perpetuum habendum, tenendum, vendendum, seu donandum cui voluerit, vel successores ejus, sed et aquam juxta decurrentem de parte Septentrionali quæ vocatur Meduanilis totam sicut habeo cum omni integritate, et omnibus quæ ad ipsam insulam vel aquam pertinent, excepto quod si forte homines mei per eamdem aquam transeuntes inter se seditionem quoquo modo fecerint, foris factum erit meum, quod si homines episcopi inter se seditionem fecerint, foris factum erit episcopi, si vero homines mei cum hominibus episcopi, vel homines episcopi cum meis, seditionem fecerint, inter me et episcopum erit foris factum, sed episcopus distringet eos vel præpositus ejus et accipiet de districtione 11 solidos et dimidium. Itaque, sicut supradictum est, donamus et firmam fore hanc donationem in perpetuum volumus tam ego, quam filii et filiæ, acceptis tamen quinque mille solidis Andegavensis monetæ ab ipso episcopo Gauffrido. Et ut hæc donatio et concessio firmum et inviolabile in perpetuum robur habeat, advocatis tam de parte mea, quam de parte episcopi et videntibus et audientibus legalibus ac probabilibus personis, quorum nomina subscripta sunt, propria manu donum per cultellum super altare Dominicum fecimus et scribi jussimus, et S. Crucis hanc chartam subter firmavimus. Quod si quis successorum vel hæredum meorum, quod absit ! aut vi, aut malo confisus ingenio hanc chartam aliquando cassare tentaverit, centum libras auri purissimi damnatus persolvat, et conatus ejus effectum non habeant, et ante tribunal Christi rationem redditurus assistat, et Judæ Iscariotis, vel omnium qui impias manus in Dominum injecerunt socius perpetuo et indissolubili anathemate condemnetur.

Actum Andegavis in camera episcopi, IX Kal. Julii, vigilia S. Joannis Baptistæ anno Domini 1096, indictione IV, epacta XXIII, anno quo innumerabilis populus ibat in Hierusalem ad depellendam Pincenatorum perfidiæ persecutionem, scilicet secundo anno quo Urbanus papa Andegavum visitavit, Philippo regnante super Francos, Fulcone juniore dominante super Andegavinos, anno dominationis ipsius XXIX, sub Gauffrido de Meduana Andegavorum episcopo, anno I ordinationis ipsius, quod viderunt præsentes et audierunt isti canonici et clerici; de parte episcopo, Gosbertus decanus, Hubertus cantor, Bernardus abbas S. Sergii, Petrus mona-

chus, Guillelmus Transligerensis archidiaconus, Guarnerius Transmeduanensis archidiaconus; Eudo archipresbyter, Gaufridus Girbanei, Vuillelmus de S. Laudo, Radulphus de Valle, Richaldus, Gaufridus Guid Gedeon, Willelmus Musca, Bernerius Macondus canonicus cellarii, Alberius capellanus episcopi, Willelmus de Camiliaco, Juhellus, Gofridus de Castro Gonterii, Benedictus presbyter, Gosbertus S. Mauriki canonicus, Laurentius S. Maurilii canon., Goffridus Cosin, Radulphus clericus, Rosocelinus presbyter, Joannes de Ramorforti canonicus S. Joannis; et isti laici : Goffridus filius Eudonis de Calonna, Paganus frater ejus, Eudo filius ejus, Americus clericus; de parte comitis, Leo de Brioledo, Fulco filius Ursonis, Segebrandus comes stabuli, Petrus Rubiscallus, Giraldus præpositus, Cericus filius ejus, Herveus Rosondelli, Richardus de S. Quintino, Gauffridus Trevis, Hugo de Vado, Ranulfus de Credone.

Signum Fulconis comitis; S. Gofridi filii ejus; Falconis filii ejus, Ermingardis filiæ.

II.

Charta donationis pro monasterio S. Nicolai.

(*Breviculum fundationis et series abbatum S. Nicolai Andegavensis* auctore Laurentio Lepelletier, pag. 5.)

Priscis temporibus nonnulli reges ac principes ecclesias in Christi nomine ædificare curaverunt. Et ego Fulco comes Andegavorum, licet de ultimis et desidiosis hominibus unus, in Dei nomine atque summi præsulis Christi Nicolai, ecclesiam in prospectu urbis Andegavæ ædificare decrevi. Ac millesimo vigesimo anno ab Incarnatione Domini a domno præsule Huberto nomine urbis prædictæ, feci sacrare. Post cujus sacrationem, non multo post tempore, ex monachis Sancti Martini monasterii majoris nomine Baldricum abbatem constitui, atque ad fratrum sustentationem, atque pauperum, ex meis rebus propriis ipsam ditare curavi. Dedi illi ecclesiæ super ripam Brionel vineas ac viridigarium genitricis meæ, cum culturis propriis quas exstirpavi et complanavi; dedique illi in lupello duodecim et eo amplius arpennos pratorum. Hæc omnia sine censu et sine decima, libera et quieta ut regale alodium. Via autem triumphalis quæ ducit ad civitatem, dividit culturas has et terram ad eas pertinentem. Super ripam vero Brionel a parte meridionali, est mansio canum nostrorum. A parte vero australi, mansio bubulconum nostrorum, illicque descendit in fluvium. Dedique illi ecclesiæ terram Accisoriæ, liberam et quietam scilicet vicariam, foderum, omnesque consuetudines, quas terra reddere solet. Hanc autem concambiavit mihi Vuido thesaurarius Sancti Mauritii; et ille eam tenebat de Alberico de monte Joannis quondam optimate nostro. Concambia quæ ei dedi propter terram, hæc fuerunt : medictas ecclesiæ, clausum vineæ inter Meduanam et Brionel, trans flumen vero vineas alias. Si vineæ cum vinagiis monachis datæ fuerint, aut emptæ, liberæ et quietæ erunt. Si vinum meum cum banno vendidero, bannerius meus torrentulum de Barra non transibit causa capiendi vasa ensentium monachorum vinum. Si duellum inter homines insurrexerit, illic finiatur : si cum uno illorum hominum et alio extraneo, similiter. Præpositus, nec vicarius de illorum homine non se intermittat, nec terram illorum intret, nec justitiam de illorum homine faciat; quoadusque clamorem ad abbatem his factam habeat. Ad villam vero Lanariam exartum dedi in angulo. Sed non est tacendum quod ecclesiæ concessi, si exercitus meus ierit in terram inimicorum meorum, causa vastandi aut castrum faciendi, non eat homo ecclesiæ illius, nisi bellum insurrexerit, plaustra nec boves, nec asini illorum a meis ministris non capientur. Omnia libera et quieta sint eis. Hanc autem donationem feci anno XXVII Roberti regis filii Hugonis Magni. Postquam vero Baldricus abbas monasterium dereliquit, eremumque furtim petiit, ac postremum majus monasterium repatriavit, apud Thabennensium monasterium vitam finivit. Post hunc domnus Albertus Reginaldum monachum loco ejus restituit, qui ante benedictionem ad filium meum Gauffredum fugit, atque regimen monasterii Vindocinensis noviter constructi absque licentia sui abbatis suscepit. Postquam vidi esse illusum a duobus abbatibus, iratus valde jussi ut monachi alii ad monasterium suum cito remeassent. Deinde rogavi domnum Vualterium abbatem Sancti Albini ut domnum Hildinum priorem illius ecclesiæ concessisset. Qui ordinatus anno 1032 ab Incarnatione Domini, die Nativitatis beatæ Mariæ, qui est annus tertius Henrici regis, monasterium regulariter regit. Res autem ecclesiæ præscriptas a domino Berengario, atque domino Reginaldo scribere jussi, et priusquam ad Jerusalem ultima vice perrexissem manu mea corroboravi.

III.

Altera donatio pro eodem monasterio S. Nicolai (*Ibid.*, p. 7).

Quantum intellectus sensusque humanus potest mente sagaci pensare, atque solerti indagatione perpendere, nihil amplius valet inter hujus sæculi fugitiva gaudia, ad æternam retributionem promerendam, quam si res proprias locis divinæ venerationi præparatis in alimoniam curemus impendere, quatenus terrena bona per manum pauperis Christus ipse suscipiat, et nos de caduca substantia mercimonia conficiamus æterna. Quocirca in Dei nomine, ego quidem Fulco Andegavorum comes et uxor mea Hildegardis, filiusque noster Gauffredus notum fieri cupimus sanctæ Ecclesiæ fidelibus, qualiter auctore Deo monasterium in honore beati Nicolai confessoris, in prospectu urbis Andegavæ fundantes, monasticum inibi ordinem secundum beati patris Benedicti regulam instituimus, ipsumque locum ex rebus possessionis nostræ disponimus. Itaque pro divinæ majestatis honore, et spe retributionis æternæ, peccatorum quoque remissione, ac animarum salute,

per hanc concessionis scripturam, donamus, donatumque in perpetuum esse volumus cœnobio sancti Nicolai et congregationi monachorum inibi degentium de facultate nostra ; hoc est, in Andegavo pago, non longe a civitate, terram quæ dicitur ad Accisarias totam integre et quiete, sicuti eam ab Alberico dominico vallo nostro Quidone sancti Mauritii ædituum tenuisse, nosque a Vuidone thesaurario per concambia commutasse constat. Donamus in alio loco juxta monasterium, interfluente tantummodo fluvio Brionello, de terra arabili ad stationem modiorum duodecim : et in ea viridegarium et vinearum arpennos duos. Item in loco qui nominatur A Lupellus, in ripa Meduanæ pratorum arpennos duodecim. Item apud villam Lanariam, inter saltum Captiæ, terram ad stationem modiorum trium. In terra sancti Petri, vinearum arpennos undecim ad censum et decimam.

Signum † firmitudinis a comite Gauffredo manu propria impositum. Hujus autem constitutionis seu donationis auctoritas ut in Dei nomine, per succedentia tempora, firmiorem obstineat rememorationis et conservationis vigorem, manibus propriis eam signo crucis insignivimus et fideles nostros roborare rogavimus.

RAIMUNDI DE CURAMONTA

Charta qua Hierosolymam proficiscens, prædia quædam monachis Tutelensibus impignorat.

(Anno 1096.)

[Baluz. *Historia Tutelensis*, p. 441.]

Noverint præsentes et futuri quod ego Raimundus de Curamonta, quando volui pergere Jerosolymis cum Raimundo vicecomite Torennense, impignoravi abbati Willelmo monachisque Tutelensibus quartam partem ecclesiæ de Brancellis, videlicet quartam partem decimi et proferentii et fevum presby- B terale meamque turrem et alias domos, etc. Hoc autem factum est anno incarnati Verbi 1096, indictione IV, anno pontificatus domni Urbani papæ secundi octavo, Philippo rege regnante, Lemovicina sede episcopo carente, Willelmo abbate Tutelensis monasterii pastoralem curam agente.

RAIMUNDI COMITIS S. ÆGIDII

DIPLOMA

De donatione medietatis villæ Gibellet facta S. Victori Massiliensi.

(Anno 1103.)

(Edidit Martene, *ampl. Collect.*, I, 600. Ex archivis S. Victoris Massiliensis eruit D. Furnerius.)

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, ego (1) Raimundus, gratia Dei S. Ægidii comes et Provinciæ marchio, princeps autem, Deo auxiliante, militiæ Christianæ in Hierosolymitano itinere, considerans peccatorum meorum immanitatem, atque parvissimæ quæ mecum est Christianitatis, pro diversis excessibus imbecillitatem, instante etiam omnibusque modis inquirente, laboresque suos et sollicitudinem in meo servitio expendente domno Richardo S. R. E. cardinali et Massiliensi abbate, dono et concedo C unigenito Dei Filio, ejusque venerabili matri S. Mariæ, necnon pretiosis martyribus Victori et sociis ejus, aliisque quorum reliquiæ apud honorabile monasterium Massiliense in Christo requiescunt, medietatem civitatis quæ vocatur Gibellet, quæ etiam in littore maris Magni, altis muris, firmisque turribus munita inter Tripolim et Beritum, et omnium ad eam mari et terra pertinentium, videlicet in ecclesiis, villis, castellis, casalibus, terris cultis et incultis ; in portu, ac naufragiis, sive in cunctis ubi-

(1) Hanc chartam edidit Baluzius in suis ad Historiam domus Arvernicæ probationibus, sed adeo truncatam et interpolatam, ut necessario fuerit recudenda.

que pertinentiis. Ista omnia ego R. Dei gratia comes immutabili donatione confirmo et corroboro Domino Deo, prædictisque sanctis ac monasterio, præsenti quoque ejusdem loci abbati R. vel illius monachis etiam præsentibus et futuris ibidem Deo servientibus, sine fraude et dolo omnique malo ingenio, ut in perpetuum honorifice possideant, potestative teneant, feliciter honesteque habeant. Hoc autem feci venerabilibus commilitonibus meis consulentibus, imo cohortantibus, Wilhelmo scilicet Arvernensi comite, Biterrensi vero vicecomite B. denique (2) Aicardo Massiliensi, Berengarioque Narbonensi, quatenus omnipotens Deus per dictorum sanctorum congregationis intercessionibus et meis propitiari dignetur iniquitatibus, et suæ paucissimæ Christianitatis, quæ me sibi post ipsum in caput et principem elegit, se opponat adversitatibus. Chartam vero donationis hujus ita firmam et ratam inviolabilemque tam ego quam præscripti nostri exercitus proceres esse volumus, et volendo sancimus, sanciendo ex auctoritate superni judicis, beatique Petri apostolorum principis, cujus obedientia ac fidelitate præsentia arma gestamus, omniumque sanctorum, et nostra, contradicimus quod nullus rex, nullus princeps, nulli denique cujuscunque dignitatis ordinisve, sive clericus sive laicalis potestas, ei aliquam violentiam irrumpendo inferre præsumat. Si autem, quod absit! post nostrum excessum, quia mortis legibus subjacemus, aut ante, quoniam judicia Dei abyssus multa, aliquis hujus nostri laboris, Deo permittente, potestate præditus, cupiditatis suæ tyrannidem super eleemosynam aut donationem nostram exercere, eam infringendo tentaverit, divinæ ultioni A in futuro pœnis plectendus subjiciatur, et in præsenti quemadmodum Achab pro agro Naboth Jesrahelitæ, quem male possidere concupivit, dehonestetur, ac judicio publico condemnetur, omni honore privetur, nisi quod injuste præsumpserit, digna satisfactione emendare curaverit, in pristinam dignitatem honorem restituens, et pro damno quod intulerit, monasterio auri optimi libras mille componens, charta ista et donatione stabili immutabilique permanente in perpetuum.

Facta est autem charta donationis hujus anno ab Incarnatione Domini 1105, mense Januario, sub die XVI Kalend. Februarium, luna V, indict. XI, in castello quod appellatur Mons-Peregrinus, et est ante portam Tripolensem constitutum, regnante etiam in B Francia rege Philippo, epacta XI concurrente.

† Raymundus comes firmat.
† Signum Arvernensis Willelmus comes firm.
† Signum Bernardus vicecomes firm.
† Signum Aicardus firm.
† Signum Berengarius Narbonensis firm.
Signum Willelmus Ugonis firm.
§ Signum Petrus (3) episcopus Glandensis firmat.
§ Signum Arbertus S. Evrardi abbas firmat.
Signum Pontius Grillonensis firmat.
Signum Willelmus Petri firmat.
Signum Berengarius Willelmus firmat.
Signum Aicfredus firm.

C Videntibus Durando et Raimmundo, qui hanc chartam fecit monachis et Bernardo, et Stephano clericis.

(2) Baluzius scripsit, *Aicardo reverendissimo Massiliensi*, atque inde occasionem sumpsit in indice ad tom. II Aicardum faciendi Massiliensem episcopum, quasi *reverendissimi* titulus nulli alii quam episcopo convenire posset. Verum præterquam quod ille *reverendissimi* titulus in hujus chartæ autographo peregrinus est, avertere debuisset eum ab hac opinione *commilitonis* nomen, quod hic ei tribuitur; nam vel ipsa hujus loci lectio demonstrat omnes hic commemoratos esse illustres milites cruce signatos. Baluzii opinio in errorem traxit auctorem novæ Galliæ Christianæ, qui ut Aicardo pseudo-episcopo Massiliensi locum daret in serie antistitum Massiliensium, Remundum qui tunc sedem illam occupabat, diuque post supervixit, bipartitus est, ut Aicardum duos inter Raimundos collocaret.

(3) Hic episcopus hactenus ignotus desideratur in vulgatis indicibus præsulum Glandatensium, ubi collocandus est inter Pontium et Imbertum.

DERMATII CUJUSDAM HIBERNIENSIS PROFICISCENTIS JERUSALEM ITINERARIA SEU EXHORTATORIA.

(MARTEN. *Thesaur. Anecd.*, I, 340.)

Ego DERMATIUS, natione Hyberniensis, omnibus D qui manentem hic se cognoscunt non habere civitatem, futuram inquirere, exire de Babylonia, et ire vel redire Jerusalem.

Babylonis nomine, mundum hunc, charissimi, hic vos intelligere volumus in maligno sic utique positum (*I Joan.* V), ut nihil confusius sit, nihil turbulentius, cujus omnino nihil vel certitudine sit incer-

tius, vel incertitudine certius. Hic non jam turrim ædificat, quia, etsi non sanctis meritis, tamen ad sancta utcunque contendat ascendere, sed fodit lacus, cisternas, puteos, pedicas ponit et decipulas, quibus, si fieri possit, etiam cœlestes terrenos tentet efficere, eoque jam loco est, sic in profundum venit ut jam pene ei congruat quod de peccatore dicitur : *Peccator cum venerit in profundum, contemnet* (*Prov.* XVIII). Quis est enim qui recogitet, qui tribunal ipse suæ mentis ascendens, ante judicium de judicio cogitet? Nec tamen cessat pius ille nos Pater cœlestis monere, tanto quidem solito nunc frequentius, quanto post pravitates cordis nostri ire nos videt pertinacius. Vidistis hoc anno, charissimi, millesimo videlicet centesimo decimo septimo ab Incarnatione Domini, quoties quasi descendit et venit ad nos, nunc in virga, nunc in baculo. Qnid enim ? Nunquid aliquando imbres tanti vidistis impetus ? Nunquid hujus fragoris audistis tonitrua? Nunquid aliquando fulmina tot sævierunt in discursibus ? Terræ motus etiam per loca tanti fuerunt ut non solum subruerentur urbes, quod aliquando audivimus ; verum etiam montes novo quodam stupendoque miraculo ab ipsis subverterentur radicibus. Terrores autem de cœlo et signa hæc quæ prius ætas fuisse meminit, noctis tempore a regione aquilonis, cœlum partim quasi clibanus succensus incanduit, partim quasi die media ad medium fere noctis clara admodum luce resplenduit. Has, charissimi, has nobis voces Altissimus dedit, his et terribiliter nos admonuit, et clementer exterruit ; nam et si aliquando fulgura multiplicans sic nos conturbavit ut etiam in ipsis ecclesiis morte corporali quosdam prosterneret, Leodii tunc positi quod contigisse vidimus, in hoc ipso non crudelis in nos exstitit, sed pietatem nobis suam exhibuit, disciplinæ videlicet severitate, mortibus corporum longe mitioribus quam sint æterna supplicia gehennarum, perpetrata flagitia vindicans. « Mortibus enim corporum, ait Augustinus, legimus alios mortuos, propter non sua, sed aliena peccata ; ubi magis est in dolore cordis plaga viventium quam in resolutione carnis pœna morientium ; ubi animæ de corporibus exeuntes, suas causas habent, vel bonas, vel malas, non propterea gravatæ, quia exutæ. » Hæc Augustinus in primo contra Marcionitas. In secundo autem : « Quis scit, ait, quid vel eis post mortem bonæ compensationis Deus tribuit, quorum mortibus viventes, aut emaxdavit, aut terruit ? Nam delicta, ait, quorumdam ad pœnalem animi dolorem terroremque majorem etiam illorum qui ea non admittunt, non spiritualibus, sed corporalibus mortibus plerumque Deus vindicat, ut conditio qua sunt post paululum morituri, etiam isto modo serviat Dei providentiæ, et in usum nostræ cedat disciplinæ. »

Ecce charissimi, non me, sed Augustino docente, didicistis in ultione plerumque alienorum peccatorum aliquos hic a Deo percuti, nec percussis ipsis obesse, nec mediocriter non percussis prodesse, quippe cum et mitius erga eos fiat, quos temporaliter sic Deus percutit, eisque non cautum non sit, quos et ipse aliorum hic mortibus emendat et corrigit. Cum gratiarum itaque actione, non ut indignationem, sed ut paternam et piam hanc Dei suscipientes correptionem, nolite, charissimi, nolite negligere sic corripientem, ne forte manum suam aggravet, ne forte vos in furore suo conturbet, ne forte vos in ira sua præcipitet. Exite, ut dixi, exite de Babylonia ; ite, aut redite Jerusalem : lapides sanctuarii qui dispersi sunt recolligite ; muros quos destruxit Nabuzardan, princeps militiæ Babylonis, restruite. Sed quid putatis ? forsan de Jerusalem hac terrestri, ad quam ire vel redire me cernitis. Quod dico, me dicere creditis, quanquam et ad hanc propter illam de qua hic intendo ire laudabile sit, non tamen de hac mentionem hic facio. De spirituali ago, charissimi, de cœlesti Jesusalem, *quæ ædificatur ut civitas* (*Psal.* CXXI), in cujus nimirum ædificationem quas quisque virtutes acquisierit, tot quasi lapides porrigit. Ad hanc, charissimi, cum de Babylonia, de mundo videlicet, vos exire moneo, vos provoco ad hujus ædificationem vel reædificationem qualicunque mea hac exhortatione vos excito, ad hanc qui peregrini estis super terram, velut ad *manentem* (*Hebr.* XIII) *et fundamenta habentem civitatem* (*Hebr.* XI) de domo hac lutea vos evoco. Hæc utique sita est in montibus, ideoque onustus ad eam omnino aliquis ascendere non prævalet. Exoneretur ergo primum oportet, quisquis montana hæc vult conscendere. Sarcinam hanc mundanam, concupiscentiam videlicet et curam sæcularem projiciat, seipsum abneget, extra portam cum Christo exeat, improperium ejus tollat, carnem suam cum vitiis et concupiscentiis crucifigat. De benevolentia vero et communione ex abundanti est exhortationem his fieri, quibus, Apostolo docente, innotuit talibus hostiis Deum promereri (*Hebr.* XIII). Hoc bonum illud est, quod, juxta eumdem Apostolum, ad omnes debemus operari, maxime ad domesticos fidei (*Gal.* VI).

Pensate ergo quantum, vel quale bonum hoc sit, a quo conditionis humanæ nemo excluditur; tantoque hoc mihi cæterisque domesticis fidei impendite propensius, quanto inhumanius nobis negabitis quod debetis omnibus. Videtis quod exsulem me feci rim pro Deo, videtis quod crucem non hanc tantum quæ in panno est : sed quod crucem Christi ego bajulo. Videtis quod ad Deum non Jerosolymis tantum, sed ubique, quia ubique est, confugio. Per ipsum ergo moneo vos, cavete, quantum in vobis est, ne in via hac deficiam. Est aliqua profecto ad Deum via, his qui in via Dei sunt, pro Deo ministrare necessaria ; hanc tenete, ab hac deviare nolite, per hanc vel voluntatis passibus indesinenter incedite. Hæc revera via est, quæ de exsilio reducit ad patriam ; hæc via est quæ ducit ad *manentem et fundamenta habentem civitatem ;* hæc, inquam, via est, quæ recte de Babylonia ducit, et reducit Jerusa-

em. Si igitur, fratres charissimi, ut in initio dixi- A cistis, *mihi fecistis* (*Matth.* xxvi), nisi sic feceritis, ne
mus, manentem hic vos civitatem habere non cognoscitis, si futuram inquiritis, hac via quærite et invenietis, hac via incedite, et pervenietis; hac via videre satagite, et Deum deorum in Sion videbitis. Nec miremini quod mihi via ista est; etenim etsi Hybernensis sum, etsi sum Scoticus, tamen sacramentorum Ecclesiæ vestræque fidei sum condomesticus. Quod ergo sæpe jam dixi erga domesticum hunc fidei vestræ beneficentiæ et communionis nolite oblivisci; nisi enim mentitur Apostolus, *talibus hostiis promeretur Deus* (*Hebr.* xiii). Adnitimini, dum adhuc estis in via, inter eos fieri, quibus dicturus est Filius hominis : *Quandiu uni ex minimis meis fe-*

irascamini mihi, ne commoveamini; pro vero vobis iste dicit Scoticus, quia ibitis *in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus* (*ibid.*). Date ergo potius operam, charissimi, ut dicatur vobis: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi* (*ibid.*), quod sic assequi poteritis, si pro Deo ex eo quod habetis in pauperes Christi beneficentissimi fueritis. Valete. Et cum, annuente Deo, vestram hanc sensero beneficentiam, etiam pro Raimbaldo, quæso, Leodiensi orate, qui proficiscenti mihi hanc pro viatico providit et conscripsit epistolam.

GESTA TANCREDI

IN EXPEDITIONE JEROSOLYMITANA,

AUCTORE

RADULFO CADOMENSI EJUS FAMILIARI

(Marten. *Thes. Anecd.*, III, 107, ex ms. codice Gemblacensi.)

ADMONITIO PRÆVIA

Chronici Siciliæ appendix est sequens Tancredi historia. Rogerii enim illius egregii bellatoris agnomine Wiscardi, qui Siculam gentem a Saracenorum jugo vindicavit, cognatus erat Tancredus, et sub Boamundo Rogerii ejusdem filio, in expeditione Jerosolymitana, quasi dux sub rege et secundus ab eo militavit.

Quamvis autem non omnem vitæ seriem, sed ea solum hæc historia complectatur, quæ sub tanto principe quinque annorum spatio dux ille inclytus præclare gessit, magnum et insigne est virtutis illius monumentum, ipsumque ut maximum ætatis suæ ducem extremæ posteritati commendabit. Hæc ipsum ostendet in recuperatione terræ sanctæ plurimum et feliciter insudasse, cæterisque Christiani exercitus ducibus, quos adeo prædicavit antiquitas, longe ipsum præstitisse, et de vindicata ecclesiæ Palæstina eamdem ferme laudem quam de Sicilia Rogerius Wiscardi promeritum fuisse. Istud porro testantur quæ Niceæ, quæ Tarsi et Mamistæ, dum expugnarentur; quæ Antiochiæ ante et post expugnationem omnium molestissimam; quæ Jerosolymis, quæ in transfretatione fluvii Bardal, quæ coram Alexio imperatore, quæ tandem ubique legitur gessisse : nec enim quidquam hoc bello susceptum, nisi leve illud sit, et feliciter consummatum fuit, in quo præclara virtutis eximiæ, singularis sapientiæ et consilii specimina Tancredus non dederit.

Iis igitur omnibus enarrandis totus incumbit hujus auctor historiæ, nec aliud sibi proposuisse hac sua lucubratione asserit expresse, articulo 53 *his verbis :* Celebret suos Normannia Robertos, reliquos duces occidens reliquus, mihi unus Marchisides sufficit, cui non sufficio vel totus.

Quisnam vero is auctor fuerit, qua ex gente, quave ætate vixerit, nomen, ingenium, vitæ institutum, operæ pretium est ex ipsius historia investigare : nec enim parum ad ejusdem historiæ commendationem conferre hæc possunt. Nomen ipsi Radulfo fuisse prima hæc inscriptio prodit Tancredus Radulphi, patriam vero Normanniam ex articulo LVII *colligimus, ubi Antiochenam describens expugnationem, quæ inchoata anno* 1097 *producta in integrum annum fuit, hæc de se quasi obiter dicit :* Signum illud, cum adhuc in paterna domo Cadumi adolescentulus degerem, nondum mihi visa seu nota nisi nomine tenus Antiochia, sed nec Roma.

Natus igitur Cadomi est anno circiter 1080 *eadem vero in urbe educatus, et a teneris sub celeberrimo illo Arnulpho, qui comitis Normanniæ capellanus in bello sacro erat, et per obitum Adhemari Podiensis episcopi, Christiano præpositus exercitui, Jerosolymitanam sedem sortitus est, operam et studium impendit optimis disciplinis; unde et librum ei suum dicat, et præceptorem ipsum appellat.* Elegi te, *ait in præfatione*, Arnulphe, patriarcha doctisssime doctorum, qui paginæ meæ superflua reseces, rimas impleas... mollita mihi erit quæcunque erit correctio tua, si quem sortitus sum præceptorem puer juvenem, nunc quoque correctorem te impetravero vir senem.

Quales sub tali præceptore, et quantos in studiis progressus Radulphus fecerit, judicet æquus lector ex ipsius scribendi modo; hanc vero litteraturam parvo admodum intervallo temporis consecutus est. Nondum enim excesserat ex ephebis, quando in militiæ disciplinam vocatus est. Anno autem circiter 1107 *cruce si-*

gnatus, sub Boamundo vrincipe meritus est stipendia, et biennio post in expeditione Edessana sub signis Tancredi militavit.

Quas tunc in exercitu partes gesserit silendum putavit modestissimus scriptor, sed præcipuas credimus ipsum egisse, qui singularem, uti satis insinuat in citata jam præfatione, utriusque principis benevolentiam consecutus est. Nec levis nos movet conjectura quin Radulphum illum de Acone, quem sub Rogerio nepote Tancredi, et in principatu Antiochiæ strenuum civitatis ejusdem ducem fuisse scribit Gauterus cancellarius in libro cui titulus Bella Antiochena, *hunc nostrum Radulphum existimemus esse, cum alias nobis non constet de isto Radulpho quisnam fuerit. Quem enim Tancredus, tum ut sibi, tum ut Rogerio consuleret, ipsique ut principatum in extera regione confirmaret, huic debuit muneri destinare, nisi certe militem illum, de cujus fide et integritate maxime esset securus, cujus et acies ingenii et belli usus et strenuitas essent explorata?*

Quamvis autem ea imprimis sibi proposuerit Radulphus describere, quæ in Jerosolymitana expeditione Tancredus gessit, non tamen iis contentus limitibus, alienum omnino a proposito suo esse putavit, si ea interdum tractaret, quæ generalem expeditionis ejusdem historiam spectant; sed veterum more scriptorum, si celebris pugna, si urbis expugnatio, si victoria, aut quodvis aliud insigne sub ipsius Tancredi, aut Boamundi, vel ipsis præsentibus sub aliorum imperio præclare gestum etiam ab aliis est, illud non prætermisit, ut ex meritorum collatione novus herois sui virtuti splendor accederet. Hæc itaque historia non uni Tancredo propria adeo est et singularis, quin et compendiosa quædam ac digesta belli Jerosolymitani narratio dici possit. Quæ quidem omnibus quæ hactenus de eodem argumento prodierunt in lucem relationibus perfectior et accuratior nobis videtur. Earum namque fere omnium auctores relationum nullo delectu adhibito, singulorum actus principum narrare gestientes, multa simul congesserunt inutilia, nec in tanta rerum varietate indagare quidquam valentes, et penitius examinare, nudam suis circumstantiis historiam confecere. At noster Radulphus certis contentus limitibus, res solummodo præcipuas aggreditur, earum causas rimatur, initia et progressus enarrat, consecutiones exquirit; de singulis præterea artis militiæ peritissimus, sane et integre judicat, nec temere, sed scienter loquitur.

Quis exempli causa Alexii imperatoris artes malas adeo plene copioseque descripsit? quas molitus fuerit insidias, quid tentaverit ut Christianos principes circumveniret, averteret a sancto proposito, aut gravibus clientelæ non debitæ obsequiis eos sibi devinciret? terrores, minæ, blanditiæ, nihil omissum est, et hæc omnia referuntur articulis 9, 10, 12 quæ nusquam legisse me memini. Plures et inimicas adversus Tancredum dissensiones sæpius concitasse Balduinum et Raimundum S. Ægidii comites, nec absque sanguinis effusi magno discrimine non unus auctor scriptis tradidit: hujus vero odii causas quas vix attigerunt, retulit auctor noster quasi ex instituto, quæ quidem præcipuorum quorumdam eventuum rationes indicant et patefaciunt. Quæ vero de Jerosolymorum expugnatione scripsit idem auctor, ipsi uni debetur, si non fuerint omni prorsus deleta oblivione; nam quæ anonymus ille a Mabillonio editus Musæi Italici *tom. I, ea de re retulit, a nostro Radulpho, ipsius suppresso nomine, accepit. Id ne cui indubium veniat, evidens argumentum est ms. codex quo usi sumus, nam et charactere auctoris ævum spirat, et si nostra nos non fallit conjectura, ipsius est autographum. Istud satis suadent frequentes quibus refertur additiones, translationes, correctiones, periodorum inversiones, eadem manu scriptæ quæ exemplaris indices primigenii esse nemo vel leviter in antiquitate versatus non videt. Latebat is codex in insigni bibliotheca Gemblacensi, quæ quidem maximo litterarum detrimento triginta abhinc annis cum monasterio in cineres redacta pene fuit, sed ereptus ab incendio cum paucis ejusdem notæ est, eumque optimus abbas monasterii ejusdem pro sua humanitate nobiscum communicavit. Integerrimus autem videtur esse, sed integram eo contineri historiam Radulphi vix crediderim, nec enim ipsum probabile est ad annum 1105, quo militiæ nomen vix dederat scribendi finem fecisse, qui agens de Antiochena expugnatione, quæ gesta præsente se fuissent prolixius sese tractaturum his verbis promiserat:* Ignosce, Gallia scriptoribus dives, juvat me Antiocheno vacare principi, præsente me gesta liberius persolvam. *Quidquid illud sit, ut paucis concludam: scripsit Radulphus stylo eleganti et ornato, cujus majestas et pompa omnes temporis sui scriptores longe superat: sed neque minus veraci, utpote qui Tancredo ac Boamundo semper adhærens, res prout ab ipsis acceperat aut ipse viderat, scripto commisit, multas etiam variorum eventuum circumstantias referens, quas apud alios ævi scriptores minime reperias: hinc magno apud omnes in pretio opus ejus futurum esse speramus.*

PRÆFATIO

Nobile est studium res probe gestas principum recensere, cujus beneficii largitas nihil temporis immune præterit, sepultos celebrat, oblectat superstites, posteris longe ante vitam præstruit doctrinam; dum quod transiit refert, dum victorias profert, dum victoribus defert: segnitiem aufert, prohibitatem affert, vitia transfert, virtutes infert, plurimam confert. Debemus igitur summa ope niti et legere scripta, et scribere legenda; quatenus legendo vetera, scriptitando nova, hinc nos antiquitas egentes satiet, inde posteritatem satiati nutriamus egentem. Hæc mihi sæpius attentiusque consideranti, occurrit felix illa peregrinatio, sudor ille gloriosus, qui matri nostræ Jerusalem hæreditatem suam restituit, idololatriam exstinxit, fidem reparavit: ut scilicet non absurde qui in his applauserit: *Ecce filii tui, Jerusalem, de longe venerunt, et filiæ tuæ,* A Joppe videlicet; *compluresque aliæ ruinam pressæ de latere surrexerunt.* Hujus tam præclari laboris cooperatoribus me contigit militare Boamundo cum Dyrachium obsideret; Tancredo paulo post cum Edessam ab obsidione Turcorum liberaret: quorum utriusque sermo quotidianus Turcos fugisse, institisse Francos, nunc peremptos hostes, nunc captas urbes, Antiochiam noctu dolis, Jerusalem die armis memorabat; interque memorandum, papæ! aiebant, quonam modo segnities nos perdit; cum priscis summa vatibus fuerit scribere voluptas? Et illi: quid adinventiones fabulosas ordiuntur? militiæ Christi victorias tacent hodierni: ignavum equidem pecus, et fucis astruendi. Hæc publice moventes, specialiter in me, nescio quo auspicio sæpius visi sunt oculos retorquere, ac si innuerent; tibi loquimur, in te confidimus: sic me uterque, at præcipue

Tancredi familiaritas accendit, quo nullo fuit benignior dominus, nemo largior, nemo tam blandus : huic, inquam, vehementius instanti, tacita sic respondebat mens mea : quod petis vivus, si superfuero, accipies sepultus : non te laudabo in vita tua; laudabo post mortem, magnificabo post consummationem : tunc enim neque laudatus, neque laudans, aut in elationem surgit, aut corruit in adulationem. Porro invidus tacebit, obmutescet susurro, cum te exstincto, munera cessabunt, quibus nunc incessanter a superstite muneratum, venenosæ linguæ fabularum me venditorem circumagerent, te emptorem. Hanc igitur, sed et aliam habuit causam dilatio : quod meis ipse viribus diffidens, interim exspectabam, si quis ad hæc solertior stylum, si quis Tancredi muneribus obligatior anhelaret. Alios autem negligere, alios torpere, alios, proh nefas! reniti comperio susurrones. Papæ! ubi reverentia, ubi libertas, ubi munera, ubi toties ille principum decus obscuros illustravit, obnoxios absolvit, inopes ditavit? Mihi ergo relictum suscepi laborem : non utique suscepto dignus, sed quia digni dedignantur, indignatus. Veruntamen quoniam

Est quodam prodire tenus, si non datur ultra,

HORAT.

licet incomptam rem. . . . . ad posteros transmittam : ornabit, auguror, benigna posteritas quod hodierni inornatum mihi reliquerunt. Unde invicem, o lector, debemus, ego tibi supplicare; tu ignoscere mihi, quod nunc jejuna oratio, nunc pinguis, ut aiunt, Minerva a suæ fastu materiæ longe degeneravit : quippe cum hæc vix Maronis pertingant vertices, illas ferme inutilis lingua balbutit. Me quidem in hac parte sentio infirmum : sed de ejus, id est Christi firmitate totus pendeo, cujus vexilliferum et triumphos describere intendo; a quo secundum elegi te, Arnulfe, patriarcha doctissime, doctorem; qui paginæ meæ superflua reseces, rimas impleas, obscura illustres, arida superfundas : nullius etenim liberalis scientiæ te cognovimus exortem, præsertim mellita mihi erit quæcunque erit correctio tua, si quem sortitus sum præceptorem puer juvenem, nunc quoque correctorem te impetra vero vir senem.

INCIPIT TANCREDUS RADULPHI.

I. — *Tancredi parentes.*

Tancredus claræ stirpis germen clarissimum, parentes eximios Marchisum habuit et Emmam : a patre quidem haud ignobilis filius, a maternis autem fratribus nepos longe sublimior : nam cætera familiæ illius prædecessio, a contermina satis esse duxit laudari vicinia; matris vero fratres militiæ suæ gloriam extra supraque patriam, id est Normanniam, extulerunt. Quis enim Wiscardi probitatem non probet, cujus signa sub uno, ut aiunt, die Græcus Alemannusque imperator tremuerunt victricia? Romam namque præsens, ab Alemanno liberavit. Græcorum autem, in B. prole bellica vincendo regem, subjugavit regionem : reliqui vero fratres numero 11. Campaniam, Calabriam, Apuliam contenti debellare. Excipiendus est Rogerius, cui subacta gentilitas Sicula, gloriam peperit inter fratres a Wiscardo secundam : sed in his non diutius me sinit immorari eadem quæ in has me immisit moras narratio.

Regia Tancredi indoles; ad bellum sacrum se disponit.

Nunc redeo ad Tancredum : ipsum nec paternæ opes ad lasciviam, nec ad superbiam traxit potentia cognatorum. Adhuc adolescens juvenes agilitate armorum, morum gravitate senes transcendebat : nunc his, nunc illis novum virtutis spectaculum. Extunc præceptorum Dei sedulus auditor, summopere studebat et audita recolligere, et quantum permittebat coævorum conversatio, recollecta implere, nemini detrahere, etiam cum sibi detrahebatur, dignabatur. imo hosticæ strenuitatis præco, aiebat, *hostem feriendum esse, non rodendum.* De se ipse nihil dicere, at dici insatiabiliter sitiebat : proinde somnos vigiliis, quietem labori, satietatem fami, otium studio, postremo superflua omnia necessariis postponebat. Sola erat laudis gloria, quæ juvenis mentem agitaret, cujus quotidianos mercando titulos, facilem crebri vulneris ducebat jacturam : eoque nec suo parcebat sanguini, nec hostili : disputabat secum in dies animus prudens, eaque frequentior eum coquebat anxietas, quod militiæ suæ certamina præcepto videbat obviare dominico : Dominus quippe maxillam percussum jubet, et aliam percussori præbere; militia vero sæcularis, nec cognato sanguini parcere : Dominus tunicam auferenti dandam esse, et penulam admonet; militiæ necessitas ambabus spoliato reliqua quæ supersunt esse auferenda. Hæc itaque repugnantia, si quando indultum est indulgere quieti, sapientis viri audaciam sopiebat. At postquam Urbani papæ sententia universis Christianorum gentilia expugnaturis peccatorum omnium remissionem ascripsit : tunc demum quasi sopiti prius experrecta est viri strenuitas, vires assumptæ, oculi aperti, audacia geminata : prius namque, ut præscriptum est, animus ejus in bivium secabatur ambiguus utrius sequeretur vestigia; evangelii, an mundi : experientia vero armorum ad Christi obsequium revocata, supra credibile virum accendit militandi duplicata occasio. Igitur data commeatui opera, brevi quæ necessaria sunt parata sunt : nec magnas quidem expensas coegit homo qui in morem a puero duxerat res antequam venirent in suum, in jus traducere alienum : arma

tamen militaria, caballos, mulos, et alia hujusmodi pro commilitonum suorum numero, sufficienter aptavit.

II. — *Boamundi elogium.*

Erat iisdem temporibus magni nominis heros, cujus adolescentiæ supra mentio facta est, Boamundus Roberti illius egregii bellatoris agnomine Wiscardi filius, paternæ audaciæ strenuissimus æmulator : hujus quoque animos eadem quæ cæteros per orbem principes apostolica prædicatio ad liberandum ab infidelium jugo Jerusalem excitaverat. Ejus imperio quidquid est oppidorum et urbium a Siponto ad Oriolium in maritima, omnes prorsus in montanis et campestribus locis, omnes fere serviebant : ad hæc sua tam urbes quam oppida Apuli montes, Calabrique plurima sustinebant. Is Græcorum imperatorem Alexium bis sub patre in fugam converterat : primo quidem in oculis patris sub Dyrachii mœnibus; secundo autem patre Romam reverso, ipse paterno exercitui apud Larissam vicarius relictus : quæ victoria sicut prius gloriam geminaverat, ita modo, victorem licet, sub pacis nomine transfretaturum acrius pungebat : metuebantur enim Græcorum insidiæ, qui familiare habent quos etiam bene meritos invitaverunt ad munera, retrudere ad flagra. Quid ergo exasperati? quid victi sæpius molituri erant, quidve suis de se dabant sperare victoribus? miseris aut inferendam esse perniciem, aut terrentium in potentia cessaturam. Hæc igitur sollicitudo Boamundi navigio moras innectebat; quapropter strenui cujusque viribus proprias vallare sapienter sibi consuluit, portibus interim exitu negato. Auditus vero eodem incaluisse desiderio Tancredus, cognati sollicitudinem et minuit, et auxit : minuit, robur robori creditus addere; auxit, viam fœderis improvidum cogens providere.

III. — *Cum eo fœdus iniit Tancredus.*

Multis itaque opibus blanditiisque præmissis, apud Tancredum obtentum est ut sub Boamundo ipse quasi dux sub rege secundus ab eo militaret : nam præter blanditias, oblatasque opes, urgebant eum alia duo : propinquitas generis, et difficultas transfretationis; quarum quidem hæc amoris, illa timoris poculum vicissim ei propinabant : nisi enim Boamundo in his quæ rogabatur morem gereret, facile et de invidia argui et a littore dignus videretur qui deberet repelli : proinde facilem viam ad impetrandum meruit precibus donisque cumulata petitio. Confœderati igitur ambo Wiscardidæ, totius generis sui præcellens strenuitas, laxis navigio habenis, Epyrum delabuntur. Tancredus itaque nactus exercendæ virtutis locum, modo præviis insidiis occursabat, interdum post exercitus vestigia arcebat latrunculos. Sive prævius, sive sequens, semper utilis, semper armatus, periculis gaudebat exponi. Cæteris vino sepultis et sopore, ipse pervigil excubare in triviis, nivesque clypeo temperare et grandines. Felix anicula illa quæ aut ex inedia Tancredo inveniebatur defecta, aut cis ripam fluvii rapacis pedes vadatura : nam famelicæ continuo cibus; vadaturæ equus pro navi, pro remige eques, eques, inquam, ipse Tancredus libens supplebatur.

IV. — *Fluvium Bardal cum suis trajicit. Græcos superat.*

Tali populus ille beatus præsidio, feliciter ad flumen quod *Bardal* dicitur, perducitur : ibi castrametati dies aliquot in mora consumpserunt. Obsistebat eorum transitui fluvius rapax, et utraque ripa minis plena hostilibus, plurimos terrebat : nam qui transeundo procederent his Turcopolos a fronte; qui tardarent illis a tergo timendum esse videbatur. At Tancredus ubi exercitum mussare videt, periculo vitam objicit; gurgitem transit, paucis sequentibus : his, inquam, coactis, ille ultroneus. Metuebant coacti ne turmæ tam exili hostilis incurreret multitudo. Tancredus contra, ne dum transiret ad pugnam, terreret in fugam : sicque audacia victoriam quidem pareret; verum altero victoriæ pretio spoliis careret. In qua sollicitudine flumine superato, in alterius votum utriusque timoris præsagia cesserunt : nam insidiatoriæ pluralitati paucitate oblata, visum est gentis prædam venisse in pugnam, latebrarum ignaros, non præscios : prosilientes igitur e latibulis sagittæ, terribiliter figurant dum volant, nubem; dum cadunt, grandinem; dum astant, segetem. Nondum ad Francos ventum erat, cum jam nullum dimicandi latebat genus : non cursim, non rapide, non saltim; sed pedetentim obviabat, missa eminus tolerans spicula, dum eo usque processum esset, ut caderent post terga. Quippe gentis illius pugnam congressu plurimo expertus, quo facilius more vincendi erant cognoverat : ideoque animos per se effrenes, per prudentiam refrenabat. Ut ergo cominus res geri potuit, patientiæ moras redimit copia subsecuta. Habenas laxant, calcaribus utuntur, lanceas vibrant, incumbitur vibratis, peltæ Græcorum fiducia incumbentibus non resistunt. Porro sagittæ hastis urgentibus, quorum prius tutela fuerant, in sarcinam convertuntur : nam postquam ad enses ventum est, usus præteriit sagittarum. Sic Græci tegmine destituti et jaculo, vulnera tantum excipiunt, nec reddunt. Miseri! quibus sine dubio et sine medio mortem aut fugam præsentem omnia intentant! Miseri! sed sicut nullius misericordes, ita nulli miserabiles. Sternitur plebs invalida, et docetur non *ultra de Francorum raritate præsumere : sed in uno centum formidare.* Tancredus viam gladio aperit; et quot aggreditur cædendos, tot præterit cæsos. Illum sequentibus facile qua se vertisset, vestigia declarabant. Trunci semineces a dextra et læva medio cruoris alveo supplebant ripas. Nec passim vagandi licentia : sed per effusoris semitam currere dabatur. Hinc effusor ipse, non qui effuderit; sed qui ediderit sanguinem, apparebat : adeo suffectus, adeo cruentatus Tancredum diffitebatur in colore, sed non diffitebatur in opere. Simili modo pubes socia fu-

gando, cædendo, prosternendo, singuli pro suis viribus arva cruentabant.

V. — *Partem exercitus Boamundi quæ nondum flumen transmiserat, aggrediuntur Græci.*

Igitur Boamundi exercitus, qui adhuc citra fluminis ripam alteram pigritans, Tancredum præmiserat, Græcos in fugam versos prospiciens, moras solvit, fluvium alii tranant, pars remigare docta cymbas traducunt, alii utriusque ignari, equorum caudis pro remigio utuntur : sicque brevi spatio tota illa multitudine transvecta, quasi 600 restabant transvehendi; non milites, non armati, non qui vel in hostem ruere, vel ruentem repellere potuissent; vulgus inerme, nisi si quos armatos aut senectus debilitasset, aut morbus. Tunc Græci qui missi fuerant Latinorum insidiari vestigiis, locum nacti ut sanguine ferrum imbuerent, irruunt in relictos, seu lupi pastore orba et canibus ovilia trucidantes. Fit clamor, mœret ripa utraque, hinc et inde nec querelæ desunt nec gemitus. Illi dolent de mora, illi de festinantia : hos pudet, quia non datur invadere; illos magis, quia evadere non licet, piget. Tancredus interea adhuc fugientibus Græcis instans, sequentium instantiam celeri cursu accipit nuntiatam : neminem resistere, succurrere neminem, armatos ultro fluvium remigasse, inermes citra, ipsos jam fere quasi mordicus dissipatos. Hæc ut piissimo et ad omnem promptissimo strenuitatem duci comperta sunt, haud secus ab aliis ad alios se convertit intrepidus : quasi nacta prædam lea, si quas ex adverso paratas, relictis catulis, insidias respicit, e vestigio ad prædonem versa, prædam siccis faucibus relinquit.

VI. — *Quos, in flumen insiliens Tancredus fugat.*

Reversus igitur ad flumen (1) Tancredus, remige spreto, gurgitem insilit, equo navis, equo remigis obsequium supplente : segnis quippe mora visa est viro, et cognata timori, si dum navigium pararet, parantes sequi milites exspectaret. Quapropter sicut præscriptum est, præceps fluvium quasi campum ingreditur : aquæ vero cursu rapido exceptum submergunt; at mox ripæ alteri redditur illæsus. Simili quoque remigio commilitonum acies, quæ domini præeuntis vestigia sequuntur, utuntur. Græca phalanx perterrita Tancredi simul adventu et nomine; id enim unum utraque personabat ripa, cædi metuens, cædere desistit, ad consuetum fugæ præsidium studio redacto. Fugitur per abrupta, per avia, per omne quod victis promittere latebras, victoribus accessum negare videbatur. At victor nihilominus fugientibus instabat, illius magis sanguinem sitiens, quem per inaccessibilia pes raptabat fugacior : nam vertere faciem nemo victus meminerat, nisi si quem genibus victoris supplicare fuga coegerit deprehensa : adeo intepuerat calor, resederat rabies, spes tota ab armis in pedum velocitatem transierat. Itaque arcus projicere, phare-tras solvere, peltas demittere, thoraces exuere, summum ad vitam supererat solamen. Quocirca multus et multa politus arte, grandi redemptus ære, diutino tractus molimine, labor vias, labor invia pariter ditabat. Victrices opperiens manus sine pretio, sine certamine omnia rapturas : nec defuit tamen qui ea tolleret, quive sequeretur audito Tancredi nomine turbam fugientem. Quoniam quidem cædi prædictæ superstites relicti, hi, inquam, quos præsidium superveniens liberaverat, sine ordine fugientes, sine ordine sequebantur; oneratos vacui, armatos nudi, lassos expediti : plurimi etiam in servitutem ducendi, ruptis nexibus absoluti, suos versa vice nexores nexuerunt. Alii dum erepta sibi requirunt spolia, et raptoris projecta inveniunt et sua : fuerunt etiam qui dum prædicta quærerent, quæsita invenirent, inventa sustulissent : abjiciebant sublata, ut tollerent potiora. Sive autem alieno onere, sive suo, nullus castra non suffarcinatus revisebat.

VII. — *Tancredi victoria prædicatur.*

Igitur Tancredus sociorum ultus vulnera, nactus spolia, beatus gratia, omnes trans fluvium præmittit, ipse omnium subsequitur postremus. O quantis excipitur laudibus! quantus ipse, quam major sese cordibus omnium futurus apparet, quanta simul nobilitatis et plebis veneratione donatur! Una quippe omnium et mens erat et fabula. O ubi, et quando, et quis in filiis hominum par tibi, Tancrede! a quo tam remota segnities? tam disjuncta quies? tam aliena formido? tam elimata superbia? tam elimata luxuria? Quis vocatus velocior, quis rogatus facilior, quis offensus placabilior? felices tanto pignore atavi, tanto atavo posteri, tanto alumno Calabri, tanta sobole Normanni! felices illi quibus tu contigisti gloria sua : ac nos longe feliciores, quibus est pro muro audacia tua. Tua audacia adversus impugnatores nobis est clypeus, adversus pugnandos arcus et gladius. Si periculum antecedit, illuc præmitteris; item si sequitur pone, cædis. Benedictus Deus qui te reservavit præsidium plebi suæ, et tu benedictus qui eam protegis in brachio virtutis tuæ. Talibus omnes at plerique majoribus victoris reditum gratati præconiis hæc sæpius ingeminantes, per vias et tentoria usque ad Tancredi ipsum prosequuntur. Extunc Tancredum sociare, securum fieri, sine eo in exercitu esse, quasi in exercitu non esse præ solitudine videbatur. Unde plurimi de magnis quæ viderant majora conjectantes, ejus dominio tam se quam sua mancipabant. Ipse vero audaciam viresque juvenum captabat pretio, allicie-bat merito, merebatur exemplo. Eo abundante, nemo qui ei militaret egebat : eo egente, a ditioribus sociis mutuabatur, pecunia quæ pauperiorum indigentiam ditaret erogata. Rursus si repeteretur quod mutuaverat, alios item quærebat creditores : sicque ad alios propter alios quasi mendicabat, dum eum seu præda opulentasset, seu bellum. Adeo vir pru-

(1) His consentit Robertus monachus l. II *Historiæ Jerosolymitanæ*, addit duo millia equitum cum Tancredo flumen irrupisse.

dens his largum, illis se veridicum, imo et omnibus veridicum exhibebat.

VIII. — *Alexio imperatori Boamundi et Tancredi adventus et victoria nuntiantur.*

Interea imperatorem Alexium aut hac aut simili narratione nuntius exploratum missus, perturbat reversus : « Boamundus Wiscardigena Adriaticum transivit, etiam Macedonia potitur. Illius vires sæpius jam expertus es magnas, at præteritas hodiernæ non minus superant : quasi passer aquilæ collatus superatur. Olim quippe ei milites Normannia, Longobardia pedites suggerebat : Normanni, qui vincerent; Longobardi, qui numerum augerent, in bella trahebantur : horum populus, alter belliger, alter venerat ministrator. Ut autem ambo belligeri; tamen duo tantum, et de duobus pauci. Ad hæc conducti pretio, coacti edicto, non ultronei, non gloriæ avidi militabant : nunc contra gens totius Galliæ excita, totam quoque Italiam veniens sociavit. Ultra cisque Alpes ab Illyrico usque Oceanum nulla est regio quæ Boamundo arma negaverit. Milites sagittarii, funditores præ multitudine sua nullum turbæ imbelli locum in exercitu reliquerunt. Cismarinus panis armatis non sufficit : ab ipsis terræ cavernis erutus, nedum plebs inermis ab otio se et copia ad laborem et inediam transferret. Omnes armati, omnes bellici, omnes laboriferi, quicunque Wiscardigenæ castris famulantur. Adde Wiscardidas Tancredum et fratres Willelmum Robertumque Pœnis leonibus audaciam similem tam cognatione generis, quam belli studio Boamundi germanam. Quorum neminem, ut quondam ipse, cogit : sed transfretavit omnium supplicatione coactus. Unde raro abrumpi poterunt, quos voluntas una, par intentio, studium idem in concordiam fœderavit. »

IX. — *Alexius ad Boamundum epistolam mittit.*

His versutus imperator percussus rumoribus, novos corde dolos, nova pectore versat consilia. Retibus studet leones implicare, quos venabulo lacessere non audet. Igitur nuntios laqueis onerat, qui Boamundo venienti cum hujusmodi blanditiis occurrant :

« Rex Alexius Boamundo salutem.

« Nuntiatum est mihi de tuo adventu, quem paternis visceribus suscepi auditum. Quia nunc quidem moribus tuis dignum opus exerces, cum belli studium ad barbaros convertis. Aspiravit, ut video, Deus cœptis Francorum, quos tanto comite muniendos prævidit. Meis quoque desideriis efficaciam tuus singulariter promittit accessus : nam, ut cætera taceam, ipsi etiam vates Turci de gente sua tibi destinant triumphos. Euge igitur, accelera, fili, et te præstolantium apud me moras ducum veniens absolve. Ad te duces, ad te proceres, ad te populus omnis suspirat. Sunt apud me Latini heroes, et ipsi magnis muneribus donati : sed quanto tu mihi cæteris notior, tanto majora restas accepturus. Hic pallia, hic aurum, hic caballi, hic te omnium manet affluentia thesaurorum. Quidquid uspiam vidisti, nihil est ad id collatum quod apud me est. Quæ omnia parata tibi noveris, tanquam filio si benignum te, si fidum mihi paraveris tanquam filius. Invenies ergo fontem auri, ut quoties quæsita consumpseris, toties consumenda repetas, repetita sine difficultate sumpturus. Ut autem expeditiori viam pede arripias, paucis contentus, adventum liberius maturabis. Cæteræ vero multitudini, ducibus relictis, via eo commodior, quo segnior carpenda est. »

X. — *Promissis Alexii seductus, ei præstat hominium coactus.*

Legati his præter suas instructi fallaciis, exeunt, adeunt, obviant, eloquuntur. Boamundus itaque mellita verborum superficie debriatus, venenum latens inferius non sentit; fallunt eum oblatæ ultro Constantinopolitanæ divitiæ, propter quas terram ac pelagus sanguine multo diu asperserat. Ad hæc tam facile indultum esse gaudet, quod in Græcos diutina expugnatione deliquerat. Unde placuit, ut ipse cum paucis quo vocabatur præcederet; Tancredus vero cum reliqua multitudine tardior sequeretur. Quod Marchisidæ auribus non displicuit illapsum : nam qua sedulitate accipiter laqueos, aut hamum piscis; ea is fraudulentam Græcorum familiaritatem horrebat. Ideo regis munera aspernatus, jam tum præsentiam ejus subterfugere proposuerat. Igitur Boamundus, ubi quos ductu, quos dimissu dignaretur, deliberatum est; ab eo quod Chympsala oppidum dicitur, digreditur. Dumque fatigant promissa animum; animus equitem, eques caballum, infra dies paucos Constantinopolim venitur. Illic Boamundus oblatus Alexio, ei jugo, quod hommagium vulgo dicitur, subditur. Coactus quidem, sed tamen tanta Romaniæ dimensione donatus, in qua equus dies quindecim per longum, octo autem expenderet per transversum. Nec mora fama volans, novum Tancredo patefacit eventum et addit. Similis quoque deditio ipsum te qui sequeris, manet eo vilior, quo merces minor.

XI. — *Boamundi casum occulte gemit Tancredus.*

Tancredus, his auditis, Boamundo condolet, sibi timet, quippe proximum videns parietem accensum, suo non dubitat imminere incendium. Itaque animo volvit, studet, recogitat qua via præterire, quibus artibus fallere, quibus viribus dolos perfidi regis valeat punire. Confert autem hinc vires, inde dolos, hinc audaciam, inde potentiam : hinc milites, inde divitias : hinc paucitatem, inde multitudinem. Quid struat? dimicet? at potentior hostis : supplicet? at inexorabilis idem : transeat? at pelagus intersævit. Videns ergo Francos duces implicitos donis, Boamundum dolis, se augustiis, sic adeo insistit, secumque ita corde volutat : « Proh scelus! ubi *fides*? ubi prudentia? O hominum corda! hujus *perfidum*, illius improvidum : hujus ad nocendum *impudens*, illius ad cognoscendum imprudens. Exiit homo ad divitias nomine filii elicitus, patris visceribus am-

plectendus. Venit ad regnum, invenit jugum. Venit ut sublimior fieret : alium vero coactus est sublimare, factus ipse humilior. Nimirum fraudis ignarus, blanditiis credidit fraudulentis. At jussus est, exercitu relicto, cum paucis præcedere quasi turbæ sarcina absolvendus. Nonne hoc vel solum sufficerat, ut inique spingos ambages solveremus? illa una determinatio, si mens non læva fuisset, et exclauserat insidias, et clauserat vias. Itum est tamen comitantibus paucis, quasi præsidio fuerint manus inermes non armatæ. Nam quid de ducibus Galliæ dixerim, quibus ipsa sua multitudo non modo jugum hommagii subtrahere, verum etiam rebelles quosque debuerat subjugare? Miseret me hominum, pudetque quos tamen ipsos sui nec puditum est, nec misertum. Videre jam videor rei exitum, cum absumptos sumptus pœna, penuria, pœnitentia sequentur. Pœnitebit utique cum se viderint ad injusta cogi, et gravari coactos, et non posse erui gravatos. Tunc, inquam, pœnitebit : sed quis pœnitentiæ locus, ubi correctioni nullus? nam quæ jam ultra restat correctio? Nunquid abjurari poterit quod semel juratum est? nunquid sui juris esse poterunt, qui se alieno sponte subdiderunt? nunquid liberi, qui venditi? nam uter justius servit, qui ipso se venditore emitur; an qui prædonis violentia vænum producitur? Merito igitur pœnas dabunt futurorum securi, præsentibus contenti. »

XII. — *Ad Alexium fugit accedere.*

Tancredus his Boamundi conquestus casum, Alexii tegnas, Galliæ jugum; hoc effugere, illum solari, illas punire sapienter decernit. Constantinopolim igitur veniens, non sicut cæteri declinat ad regem, non classica præmittit, non tuba intonat, clam transit. Nam exuto milite peditem induit; quatenus vestis rustica dum Tancredum tegeret, Alexium falleret. Itaque naulo, remige, borea velum urgentibus, refugit a tergo Europa, Asia festinantibus occurrit. Wiscardides interim nautas ad remos invitat, et ipse remo Hellesponti versat cerula. Nec mora puppis optato infigitur littori festinantium votis brevitate itineris suffragante. Asiana igitur potitus arena, Marchisi filius habitum nomenque resumpsit jam tutior : sicque ducibus cæteris Nicæam proficiscentibus, comes additur. Boamundus vero Thracium littus nondum reliquerat, rogante Raimundo Sancti Ægidii comite moratus : quem morari quidem et intercedere ea compellebat necessitas, quod rex præscriptus comiti legem qua cæteros præcedentes obligaverat, subsequenti imponere volebat. Comes autem longe jucundius sibi esse respondebat mortis compendio hanc conditionem præcidere : atque definienda valde ei necessarius erat Boamundi accessus. Igitur ubi Alexius ab exploratoribus suis Wiscardidam clam transfretasse cognovit, elusum se dolens, a præsentibus exigit absentem; eorumque dolo imputat, quod suum Tancredus sapienter evaserit. Præcipue in Boamundum oculi retorquentur, quos faciebat ira novercales. Illis itaque fulminantibus, simul intonante minas gutture, velit nolit, Boamundus jurat se Tancredi manus regis hommagio redditurum : alioquin nec manere tutum fuerat, nec exire.

XIII. — *Boamundo legatos mittit.*

Dum hæc agerentur, Tancredus milites duos Atropium et Garinum Constantinopolim remittit, qui Boamundi moras increpent, quique Turcorum bella nuntient adventare : nisi maturaverit, ejus spes cassandas fore, quippe sine eo hostibus superatis : quod nec ignorante Alexio potuit nuntiari. Quapropter ad se nuntios vocat, cum eis de domino suo acturus, et quasi novum aliquid suæ metu præsentiæ extorturus. Legati vero cujates et cujus, et ad quid missi essent rogati : Normannos se a Tancredo ad Boamundum eliciendum missos esse securi respondent. Videns autem rex nihil mussare intrepidos, dimittit impunitos, quorum pœnam videbat sibi inutilem futuram. Cum ergo hæc tum a legatis, qui redeundo præcesserunt, cum a Boamundo qui secutus fuerat, Tancredus accepisset : neque dictu facile est, neque creditu quam ægre tulerit, quantumque vigilantiam suam alienæ somnolentia indoluerit deceptam : nec cohibere flammas potuit fornax accensa, rumoris rapidi turbine ventilante, undantes. Quapropter fertur intrinsecos gemitus præsenti effudisse querela. « Heu! cæcas futuri mentes mortalium! quas, cum visæ sibi fuerint consummasse, tum de integro incipere oportet. Frustra prudentia, ubi invida adversatur fortuna : sicut contra; cui numina favent, frustra adversari. Provisum satis mihi esse putaveram, nihilque loci segnitie neque socordiæ relictum. Munera spreveram, solus aufugeram, fefelleram excubias, evaseram insidias, quod vix affectare, mihi fuerat efficere concessum. Proh! quantum erat hostem per laqueos illæsum transisse, quos etiam insontibus evadere non licet illæsis? Videram viros nobiles, alios ducum, alios regum progeniem ultroneo regna exsilio mutasse, venisse pacificos, loca immania, regna barbara venientibus inclinasse; non terram obstitisse, non pelagus. At simul ad id, quo triformis chymera monstrum crudelius non fuit, ventum est, nullus fuit pegasus qui expediret implicitos, nullus qui asportaret attonitos. Omnes quasi sub domina hasta transire, omnes omnia quæ jurare jussi sunt, coacti sunt. Ut ad me redeam, exactorem districtum meritus, districtissimum verebar ultorem; unde tanto vigilantiorem me qui eruerer esse oportuit, quanto ultionis zelus in me major exarserat, inde erat quod castrorum regimen adhuc, et meipsum abjeceram, dum ne inclinarem, ut alii, et liberius iras ulciscerer aliorum. Nam quid de homine queri attinet, qui in eam quam abruperam compedem me redegit? cui nexuisse suum, nisi etiam meum necteret colum, non sufficit : quem invidisse felicitati meæ forsitan os negat; verum illud jusjurandum de fonte invidiæ manasse, et lippis patet, et exitus probat. Ipsius quidem in dubium venit, majorne pigri-

tis, an imperitia in hunc me conjecerit dolorem. Quippe magna utraque, et utraque prosperitatis meæ noverca. At coactus in perniciem meam juravit, quasi his verbis invidiam dissimulet, indignationem mitiget, excuset factum, absolvat actorem : hac vero, ut innocentiam prædicent ; moras tamen innocentes non faciunt, nec morantis somnos a crimine defendunt. Verum esto ; salvabo votum, redimam perjurium, mei, inquam, mei periculo redimam alienum. Elusus sum, sed non mea incuria, superatus ; sed alterius debilitate : captus, sed cognati liberatione. Profecto hujus victor certaminis, odium, si vixero, efferasse dolebit, nec meruisse concordiam. Nam pro levi duco irritum facere, quod non ultro jurare appetiverim : sed dictante tyranni violentia subjecerim invitus : præsertim cum promissi illius observantia damnum sit publicum ; contemptio autem commodum generale. »

XIV. — *De obsidione Nicææ, et primo de ducibus obsidentibus. Godefridus Bullio.*

Sed jam his quæ aut quæstus est, aut quæri potuit Marchisides evolutis, respiret paululum ipse ; dum obsidione Nicæam cingere, dum castra metari, dum nomina, genus, moresque principum, quibus urbs ea oppugnata cessit, recolere libet. Hæc enim hujusmodi sunt, ut et laudibus non obvient præscriptis, et ministrent scribendis. Igitur clariores famæ duces, a quibus alii, non qui ab aliquibus Martiatica receperunt, hi fuerunt : Dux Godefridus, senis Eustachii Boloniæ comitis filius, cui dignitatem ducis nomenque Bullio idem qui eum miserat, dederat. Est autem Bullio in Lotharii regno oppidum, adjacentis caput ducatus, a duce avunculo Godefrido sene juniori relictum. Junioris hujus nobilitas multis polluit virtutibus cumulata cum sæcularibus, cum divinis. Divinis, largitate in pauperes, erga delinquentes misericordia. Porro humilitate, mansuetudine, sobrietate, justitia, castitate insignis ; potius monachorum lux, quam militum dux emicabat. Nec minus tamen ea quæ sæculi sunt, noverat tractare, prœliari, ordinare acies, armis ecclesiam propagare. Primus aut in primis ferire hostem, adolescens didicit, juvenis assuevit, senex non destitit. Adeo belligeri comitis et comitissæ religiosissimæ filius, ut etiam ab æmulo conspectus, audire mereretur : ad belli studium, ecce pater ; circa Dei cultum, ecce mater. His ducem præditum moribus innumeri bellatores ad prædictæ urbis mœnia primum prosecuti sunt obsessorem.

XV. — *Robertus Normanniæ comes, Boamundus, Hugo Magnus, Stephanus comes Blesensis, Robertus Flandriæ comes, Raimundus comes Sancti Ægidii.*

Subsecutus est autem Robertus Normanniæ comes, Willelmi regis et expugnatoris Angliæ filius ; genere, divitiis, facundia quoque non secundus duci, sed superior ; par in his quæ Cæsaris sunt ; quæ Dei, minor : cujus pietas largitasque valde fuissent mirabiles : sed quia in neutra modum tenuit, in utraque erravit. Siquidem misericordiam ejus immise ricordem sensit Normannia, dum eo consule per impunitatem rapinarum nec homini parceret, nec Deo licentia raptorum. Nam sicariis manibus latronum gutturi, mœchorum caudæ salaci, eamdem quam suis se reverentiam debere consul arbitrabatur. Quapropter nullus ad eum victus in lacrymis trahebatur, quin solutus mutuas ab eo lacrymas continuo impetraret. Ideo, ut dixi, nullis sceleribus frenum, imo omnibus additum calcar ea tempestate Normannia querebatur. Hujus autem pietatis sororculam eam fuisse patet largitatem, quæ accipitrem sive canem argenti summa quantalibet comparabat. Cum interim mensa consularis unicum haberet refugium rapinam civium, atque hæc tamen intra patriam ; verum fines patrios egressus, magna ex parte luxum domuit, cui ante per magnarum opum affluentiam succubuerat. Tertius in hoc ordine Boamundus fulget, cujus repetere hic genealogiam superfluum, mores et animos adnotare præmaturum videtur : præsertim cum de ejus genere superior pagina egerit. Inferior vero circa fortunas ejusdem et infortunia quasi quemdam cardinem fere tota versetur. Hugo magnus, Franciæ regum Philippi frater, Henrici filius, quartum obtinet locum ; magnus genere, magnus cognomine, magnus probitate, magnus etiam et potens tum sua, tum fraterni regni militia : venerabilior tamen regii gloria sanguinis, quam aut opum ubertate, aut præcellenti multitudine, aut triumphalibus meritis. Quintus Blesensis comes Stephanus, et ipse regum proximus, quippe Gallorum pronepos, et gener Anglicorum : cujus si largitatem hilaritas, si audaciam fervor, quanti debuerant, illustrassent ; nihil ei deerat ad ducem, nihil ad strenuissimum militem. Sequitur hunc comes Flandriæ Robertus, Flandriæ nutricis equitum, Flandriæ feracis equorum, Flandriæ Cereris, Flandriæ periculorum, quæ puellari quoque pulchritudine præcellens, reges Gallicum, Anglicum et Dacum meruit generos : quibus comes præsens sublimis affinis, populare fastidit regimen, dum ipse super omnes exercituum rectores in ense et lancea laudaretur : unde postea contigit, ut ipse quidem multo plus cæteris ducibus celebraretur habere de milite ; at neglecta regiminis cura, multo minus de duce. Novissimus omnium Raimundus comes Sancti Ægidii emicat obsessor. Novissimus, inquam, tempore, non divitiis, non potentia, non consilio, non militari multitudine : nam in his omnibus a primordio claruit inter primos, et mox aliorum cum effluxisset pecunia, hujus affluxerunt et præcelluerunt divitiæ. Illa nimirum gens frugi non prodiga, parcitati potius quam famæ serviebat ; exemploque territa alieno, non, ut Franci, in detrahendo, sed semper in augendo substantiam desudabat. Ergo suum comitem egere rerum sagax utilium, divinusque futuri populus non permisit : virum æquitatis cultorem, iniquitatis ultorem ; virum ad timidos agnum, ad tumidos leonem.

XVI. — *Urbs circumdatur. Tancredus primus omnium Turcam occidit, alios fugat.*

His igitur expugnatoribus Nicæam circumdari, debellari, postremo ad deditionem cogi, Gallia certavit, Græcia adjuvit, Deus perpetravit. Sed dum novissimus, ut dixi, Raimundus comes ante portam orientalem tentoria figeret, illa enim area cæteris jam occupatis, unica vacabat: ecce per compendia montis proximi Turcus descendens exercitus, quasi urbem ab eadem porta ingressurus apparuit, festino impetu cupiens subvenire obsessis. Exoritur clamor. Comes proximus loco, primus obviat; mox cæteri duces. Pars armati, alii semiermes, ut ardor belli quemque exciverat, occurrere festinant. Tancredus spatio remotus, in equo advolat ardens quod ei vulneris primi gloriam locus inviderit. Itaque quod abstulerat locus, reddit animus: nam absente eo, fuga et impetus nunc his, nunc illis varias spei ac metus distribuerant vices: at postquam is qui unus pro multitudine, miles pro agmine et habebatur et erat, superveniens irruit; cæsa illico cervix Turca, Christi efferavit milites, effeminavit hostes. Exanimati igitur ad montes ora, ad Francos terga, ad fugam studia convertunt; animatos vero audacia comes, fuga hostium, morarum pudor, fugientibus immittit. Quod nisi montis proximi asylum refugos subito recepisset, paulo tardius sanguis barbarus Latinæ cuspidis sitim imbuisset ad satietatem. Quia vero montis viciniæ timor, cujus est pedibus alas addere, subitus accessit, facile qua descendendo invasum fuerat, ascendendo evasum est, illa tantum absente anima quam Tancredus suæ præconem audaciæ sub tartara miserat. Multi tamen inhonesta tergo vulnera domum reportarunt. Christicolæ hilares in castra revertuntur, hi cruenta, illi recurva cuspide, alii fraxíno trunca, pars hebete gladio insignes. Turci capitis spectaculum vulgo præsentatur. Tancredus per universi exercitus populos, linguas, ætates, sexus, professiones primus Turci verticis celebratur unius abscisor, et innumerabilium fugator. Quod non sine quodam futuri Tancredi præmonitorio quisquis rem diligenter attenderit, actum esse comperiet. Sane tales cœlitus oblatæ decuerunt virum primitiæ, qui jam extunc, imo a sæculo prælectus erat, ut omnium invictissimus bellica subire deberet, et in nullo superari discrimine.

XVII. — *Urbs redditur. Alexio sistitur Tancredus. Verba Tancredi ad imperatorem.*

Postquam obsessi obsidentium vires auctas, suas exspectatis diu subsidiis destitutas viderunt, simul territi quod Raimundus comes, quia ultimus mœnia foderat, acrius suffossa funditus quatiebat, urbem eo tenore reddunt, ut quam rem emere sibi non licet, liceat saltem perdere illæsis. Placet utrobique conditio, sicque ad imperatorem mittitur. Imperator autem felici illo rumore impertitus, et munimen mittit, et ipse missos usque sinum, qui vulgo Sancti Georgii brachium dicitur, sequitur. Inde munita urbe, Boamundus per pacta fœdera, per junctas dexteras, per hommagii fidem adjuratus, ad eum navigat, secum, sicut promiserat, Marchisidem reducens. Ubi ejus hommagio Alexius magis terrefactus quam tutus, multo dejectior quam erectus, exaggeravit iram, non impetravit reverentiam. Nam velut divino oraculo instructus, metiebatur vir prudens illos qui deinceps secuti sunt rerum exitus. Regni Græcorum non longitudinem immensitate sua Hierosolymitanum attingere. Tanti spatii urbes a Turcis captas, Christiano cultui fore mancipandas. Porro Græcis ereptas talibus non oportere reddi tutoribus. Francos esse qui hujusmodi tutelæ soli sufficerent; alioquin urbes et oppida restitui Græcis, id esse restitui Turcis: se simul duobus dominis, scilicet reipublicæ et regi Græciæ famulari non posse. Hæc animo volvens vir providus, fertur regias aures simillima huic implesse querela: « Cognatus sanguis Boamundus tua impulsus potentia, huc me, o imperator, impulit retransire. Si promissa tua, si munera, si familiaritas me cepissent, non deerant aditus per quos irrumpere licebat. Cæterum ubi ea displicuerant, frustra mihi tuus placuisset accessus. Hæc attendens operam dedi, qua te præterirem liberior, vigili cura liberatum tua me huc violentia retrusit invitum; quominus tibi confidendum noveris, si quid hodie pepigero coactus. His te præmonitum, sequentia quoque attendere oportet. Ecce ad id ventum est, ut cognati fœderis sacramentum absolvam. Verum ea lex aderit media, ut te Hierosolymi petas adjuvante, stet fœdus mox casurum, cum eorum aut successibus invideris, aut infortunia non levabis. Absit vero ut aliquando fidum me habeat, quisquis ab eorum fidelitate discesserit. Si ergo dominari desideras, famulari stude, de Tancredi certus obsequio, ubi Christi exercitium certificaveris de tuo. Omnium minister, tibi quoque pro omnibus non abnuo ministrare. Summam autem horum compendiosus sermo diffiniat. Qualis antecedet tua erga Francos devotio, talem meam Græci erga se exspectent secuturam.» His de arcano pectoris prudentiæ tabernaculi, sapientiæ domicilii fonte derivatis, laudatur animus qui et tam fideliter pro republica intercedit, et tam constanter nec pro domestica timet, nec a justitia recedit. Tollitur clamor Gallicus, Græca quoque murmura meritum non abnuunt favorem.

XVIII. — *Ipsius petit tentorium. Indignatur imperator.*

Postquam Alexius viri mentem videt pecuniæ contemptricem, neque aureo sicut cæterorum posse vinculo irretiri, quia eum post se nequit trahere; trahentem sequitur, et sermonibus consonat dictitatis. Jungunt dextras, stomachante tamen intus Marchisida, extra vero torvis luminibus crudescente. Celebrato ritu quem, ad hæc fœdera principes observant, invitatur Tancredus, ut quidlibet a rege petat, nullam passurus de petito repulsam: æstimabatur enim aurum, argentum, gemmas, pallia et his similia petiturus, necessarium viæ subsidium

et avari animi blandimentum. Spretor pecuniæ, sublimitatisque regiæ animus æmulator, vulgaria temnit, quem duces alii oblatum præ onere honorem recusarent, illum affectat, et solum de regalibus ait præplacere. Erat namque regi tentorium, quod arte simul et natura mirabile duplicem spectatori jactabat stuporem : ad hæc urbis instar turrita atria, camelos viginti gravi sarcina non fraudabant, capacitas conveniendæ multitudini opportuna ; apex tantum cæteris præeminens.

Quantum lenta solent inter viburna cupressi.
(VIRG., 1 *Bucol.*)

Hoc ergo magnanimi Wiscardidæ mentem munus unicum capit, hanc sibi destinat aulam idoneam; onus quidem inutile præsenti, sed signum haud ignobile futuri. Quo comperto, Alexius sic fertur æstuasse ad petentem sicut olim Delius ad Phaetontem; nisi quia illic paterna pietas trepidabat, hic sæviebat indignatio hostilis. Phœbus ingemiscebat de periculo filii, Alexius super animo sublimi. Phœbus filium ad salubriora optandum hortatur : « Alexius sic optatum negat, ut post negatum his increpet : Ergone, Marchisides, confert se mihi, regalia petendo insignia? sordent vero ei communia, nisi singulare meum in toto orbe affectet palatium? quo impetrato, quid restat ultra, quin capiti diadema meo detrahat, suo imprimat? at puto desunt ei atria congestos satis explicitura clientes, neque tantæ militum copiæ intra septa valent concludi domestica. Itaque regia petitur, quæ suis dimensionibus immensa, domino sufficiat magnifico. Ut autem cedat ei petita, ubi muli, ubi muliones, aptum tantæ moli vehiculum? nimirum hanc adepto relinquitur, ut ipse pedes impositam quasi numina sequatur. Recolat vero asino se dissimulanti, fuisse damno leonis exuvias : quibus indutus ut terreret, meruit rusticum sentire terribilem. Quo admonitus exemplo ne affectet mei umbra nominis terrere ignaros, ne demum cognitus pateat Tancredus. Metiatur se autem modulo suo ac pede, sarciat sibi pro se tentorium; hujus vero spem omnino deponat. Quod si irasci pergit de repulsa, floccipendo iras, et quantum iras, minas. Jam enim magis magisque mentem hominis stolida mihi ambitio reseravit. Donec tacuit, philosophus credi : insanus autem, os ut aperuit, meruit. Eia igitur quidquid fraudis, astutiæ, irarum ac furiarum habes Marchisida, in meum ventila caput : excipio ardentem : Ego nec hostem mihi te dignor nec amicum. » Hæc Alexius ira simul et astutia dictante profatus; partim dissimulabat timorem, partim tumorem atrocissimæ bilis leniebat. At Tancredus quasi jocosæ illius imaginis imitator ultima de multis verba arripit nullique libentius unquam responsurus, ait : « Hostem mihi te dignor, nec amicum. Ab his digressum est, neque ultra congressum. »

XIX. — *Ex ipsius manibus se eripiunt Tancredus et Boamundus.*

Tancredus ad littus redit, ubi parato remige, A fortuna simul et vocatur et adest. Transfretat nihil morans, is cui adeo ingratum nihil quam mora. Boamundus autem paulo tardior egressus, regias fere exspectavit et incurrit insidias : sed latenter edoctus, vertit se ad fugam, alioquin ad catenam. Deinde regis nuntius reclamans, revocans secutus est egressos : verum donati rude, extricati nodis, procellis emersi; rursus iisdem nolunt exponi turbinibus. Sordet revocatio absentis, cujus præsens contempta est persona, neque adituri summi regis cunabula, Herodis audiunt perfidiam revocantis. Immissave aratro manu, lumina non reflectunt, semel quam sit illa reflexio damnosa experti. Sed et illæ quarum altera cahos Sodomæ respexit; altera Treïcio conjugi est respecta, emersos ad lucem rursus prohibent tenebris immergi. Tot admoniti exemplis, omnia hæc visi sunt B sibi evadere tormenta ; dum hunc unum prætercunt tortorem. Igitur longo morarum tractu afflicti Latini duces, tædia vincunt, necessariisque justa sibi ac vectoribus jumenta onerant alimentis : nam media quæ fertilitatem submovebat sterilitas, per dies plurimos transeuntibus occurrebat; nullo frugis solatio inopiam levatura. In cujus confinio Solymannus rex Turcus opperiebatur venturos, quatenus ignaris incurrerent providi, famelicis opulenti, fessis alacres, languidis robusti. Consultum est vero quasi divinitus fideli populo, ut victualium copiam per incultam solitudinem traduceret, quæ vecta, suos quodammodo veheret vectores. C

XX. — *Exercitus Christianorum in bivio dividitur.*

Sed cum penultima circa exitum illius ariditatis transiisset dies, pene fortunæ ludus suum illum favorem a Christicolis ad Mahumicolas convertit, et in partes Tancredi ausa est nimium. Nam redintegrato sicut soliti erant quotidiano, vel, ut ita dicam, quotinocturno calle, secta est in bivium via, et exercitus Christi factus est biviator. Plurimorum opinio errorem illum industriæ deputavit ; quo terra genti opulentius serviret diffuse spatiosa, quam stipate contracta. Huc accedebat quod casus idem Normanniæ comitem, Boamundumque Tancredumque scorsum a turba diverterat, quasi ut unigenæ uno consilio unam patriæ suæ gloriam prærogarent. D Alii vero non ultroneum sed casuale, nec tam prælusum quam invisum fuisse, ipsis qui diverterant, divortium asserebant, sane miserantes fortunam, et lenientes invidiam : quæ quidem sententia his suffulta firmior stabat præsidiis, quod præmemorati duces domitis plebeculæ non amoverant sarcinam, quod alienigenæ militiæ comitatu gaudebant, quod suam denique, quæ maxima aberat, non præmunierant.

XXI. — *In mutuo occursu acies Latinæ et barbaræ concurrunt ad arma.*

Igitur ubi Normannorum vexilla minas belli Turcis denuntiant (nam Tancredus impiger morem suum præcurrendi obtinens, primus et conspicere et conspici maturaverat). Dispositum est

utrobique, ut a fluvio, qui medius discurrebat, velociores tardos arcere debuissent. Cœperat autem crepusculo vesper cedere, cum Latinæ barbaræque acies mutuum compererunt occursum. Expensa itaque nocte instanti ad mediam in quietem, a media in laborem : pars fidelis promptior, mane circa horam primam ad ripas præscripti fluminis prævenit infidelem, ubi vix metator sedulus prima infixerat castra, cum : Ecce hostis! ecce hostis! et ingeminatur acriter, et occurrit audacter. Armantur qui armandi venerant; at qui armati, in bella feruntur : retunditur sagittipotens manus, nunc perfossa lanceis, nunc ensibus decisa. Retunditur, inquam, ut quæ prima fuerat, in mediam referri ; quæ vero media, præ tutela fieri cogeretur. Cum igitur eo usque Normanni fugientibus institissent ; densati cunei vires resumunt, et qui modo fugaverant, ipsi in fugam sunt conversi. Interea Normanniæ comes et Boamundus duas tantum, singuli suam, instruxerant acies : jamque gradatim alacres prælium inibant. Instantibus itaque Turcis, contraque Christianis subvenientibus, magna vi hinc et inde certatur : nihil arcus, parum lancea, ensis plurimum agit. Turcos sua numero carens numerositas defendit; nostros autem loricæ, scuta et galeæ. Multum cruoris utrinque funditur, plus barbari : illius quidem non cessat strages ; at tanquam recidiva hydræ capita, ubi pauci occidunt, innumeri succedunt.

XXII. — *Christiani in fugam vertuntur. Robertus comes Normanniæ animos colligit.*

At vero fidelis legio communem cum his quidem habet occasum ; sed non commune supplementum. Igitur lassata dum percutit, quassata dum resistit, inaminata dum rarescit, dat terga : quodque nunquam usquam ante didiscerat, in momento docta est fugere. O bellum miserabile! O fuga lugubris! O damnum in damno! O in vulnere vulnus! militaris fugæ impetus pedestrem conculcat tarditatem, inque vicem densissima pedestrium hastarum silva nunc fugam impedit, nunc exstinguit : fitque vel hosti miseranda clades, cum terga sagittis horrent, illa lanceis velut torrendorum verubus affinguntur. Dum itaque non parcunt, aut qui fugant arcubus, aut qui fugantur calcaribus, refugitur in castra, minimum tamen solatium, sed unum. Ibi denique regius sanguis Willelmides, quis, cujus stirpis, cui militet memor, verticem nudat, Normanniam exclamat, Boamundum collegam, imo confugam suum his increpat : « Eho! Boamunde, quorsum fuga? Longe Apulia, longe Hydruntum, longe spes omnis finium Latinorum : hic standum, hic nos gloriosa manet aut pœna victos, aut corona victores; gloriosa, inquam, sors utraque, sed etiam eo beatior altera, quo celerius efficit beatos. Ergo agite, o juvenes, moriamur, et in media arma ruamus. » His adnoniti agglomerant sese ducibus cætera juventus, morti deinceps quam fugæ paratior : astant intrepidi, ceu quondam [*f.*, quædam] venabula in furore operiens leo, qui modo longa quiete piger a latibulis excitus, paulatim lucratur iras latratu, lituo, clamore, jaculis lascessitus, et tanquam non sua cujusque, sed una utriusque ab altero discurrat ad alterum quanto acrior ira accenditur leonis, tanto tepescit segnior venatoris. Pari forma dum fidelis populus crudescit, infidelis remittitur, neque ultra audet invadere, quem cœperit nil timere. Respirant igitur ambæ partes, alios, ut dictum est, remorante audacia, et alios metu.

XXIII. — *Magna fidelium strages.*

Interea nuntius mittitur, qui eventum rei exercitui declaret ignaro, festinetque abesse, ut adesse ab illis festinetur. Ast adversarii alios et ad aliud emittunt, speculatores scilicet ad cladem, non opis imploratores ad salutem. Turba itaque illa equites nostros prætervolans, ad plebeculam transilit, numero tamen maximam, sed viribus imbecillam. Hi palantes præfestinantis militiæ vestigia legebant, muros periculis opposuisse putantes, cum subito irruunt primo sagittis, mox ensibus sævientes Turci, adepti ultra spem prædam, citraque bellum victoriam. Trucidantur itaque senes, pueri abstrahuntur, ætas media utrius partis expressius figurat faciem, ejus patitur sortem : sæpissime tamen ac sævissime mucro et de impubibus præsumit, prædæ copia sæviorem de sævissimo faciente prædonem : cui cur Briarei manus non sufficerent ad rapinam, cædibus insistit, quatenus vel sic animum expleat voracem. Unde factum est, ut de tanto numero perquam rarissimos præteriret aut vulnus aut vinculum. Neque in tot usquam seu qui præcesserunt, seu qui venturi erant, bellorum casibus tantum de Latino sanguine gladio licuit gentili. Quid plura? Cædentium lassata, nec dum satiata rabie, victi victores in castra sequuntur suapte sarcina seu socia onerati : militiæ nostræ spectaculum satis miserabile ; nulli vero audaciæ satis miseratum : quippe quorum vota his contenta finibus, hærebant, ut oppugnatoribus suis resisterent; non ut cessantes interim aliquatenus oppugnarent.

XXIV. — *Acriter resistit Tancredus.*

Porro Tancredus ex adverso castrorum latere hostes debellabat, qui tentoria dirimentem conscenderant tumulum ; unde facilius lædere, difficiliusque lædi potuissent. His, inquam, uno et rapido incursu dejectis, vir fortis occupaverat ascensum, multos adorsus, paucis adjutus. Boamundo enim invito quin prohibente, res cœpta vix comites aliquot elicere impetravit; ideo autem prohibente, quod exercitus hostilis diffusus nostrum quadam theatrali specie circumsepserat, ex omni parte necem significans inclusit. Quamobrem Christianorum providentia, æstuantibus juvenum animis ad congressum egressum negabat, ne forte paucorum temeritas rei ordinem turbaret universum.

XXV. *Et ipsius frater Willelmus, hostes cædunt.*

Willelmus tamen Marchisides, dum fratri metuit, sui non meminit, qui nec revocantem Boamundum, nec hostilis vires multitudinis veritus, fraternæ fieri

comes ardet audaciæ. Oh! facto miser atque beatus eodem, qui in mortem ruit, ad vitam transiturus! nam repulsa, ut præscriptum est, a tumulo turba, non tam cesserat, bis quorum præsenserat gladios, quam quos frustra timuerat secuturos. Igitur ubi quot, non quos fugerit respicit, numerum librans, nec animus redit : acrior quippe cujus laborem dolor, dolorem pudor cumulabat. Irruunt itaque primi arcubus projectis, audacius strictis mucronibus sævituri. Quibus quidem jam non putabatur hæc pugna, sed pœna : nec adversus hostes confligendam, sed tanquam de capitalium rerum condemnatis, ultio secunda. At vero numeri parvissimi robur maximum, muralem contra objectat audaciam, non si vel rex ipse Solimannus cum omnibus suis copiis in eos sæviat cessuram. Fit fragor; hi lanceas vibrant, illi gladios, ut dictum est, stringunt. hi pectoribus loricas, loricis scuta, munimen adhibent; illi peltas. Horum pugna a summo descendit; illorum ab imo nititur. Illos pudori mistus dolor stimulat; hos ceu in specula stantes, tot urgent stimuli, quot spectant oculi. Aliis ergo loci situs, armorum commoditas, quin ipsa sua paucitas præsidio erant : aliis ad incommodum cuncta, etiam in qua confitebatur, pluralitas. Enimvero ascendenti Turco fraxinus objecta eminus obviat, casuroque similem vi tactum, impactum facile aut conficit aut dejicit. Confectus autem dejectusve unus, plures dum rotatur, parili impetit ruina. Uno tamen cadente, ut fit in numero ingenti, mox plurimi subeunt, rursusque his plurimis alii item plures; sicque factum est, ut qui in furore, in indignatione, in contemptu bellatum venerant; prius ipsa sui ruina aggerem æquarent quam calcarent : contraque numerus Christi nec minutus est nec læsus. Adeo cuspis fraxinea largæ prodiga opis, usum simul utrumque et scuti supplet et gladii. Quid contra hæc mucro? Mucro, inquam, cujus est proximum cædere, remotis parcere; immergi cominus, minari eminus; utque paucis ejus facultatem includam, cujus licentiæ pares habet terminos longitudo, evaginatus minari poterat, lædere non poterat vel emissus. Unde comperiens utpote experta acies fracta in audaces, tutam non esse audaciam : jam non ultra viribus contra vires decernere satagit, artes arcusque quos abjecerat resumens. Quod si ut primo cœperat, pedem pedi, manum manui, umborem umboni conserere aliquandiu inarsisset, profecto magnanimi sævæ strages huic collata succumberet; id tantum solatii objectura, quod ipsa unum, hæc sævas omnes suos habuerit bellatores.

XXVI. — *Cadit Willelmus.*

Sed resumptis arcubus, grando volans quibus enses pepercerant, non parcit; quos non attigerant, perfodit; ubi nec ascenderant, descendit. Hactenus ergo sarcina tantum gravis, loricæ, scuta et galeæ : nunc gratissimus obex, vitæ mortisque fines disterminat. Eatenus tamen, si quatenus molesta, quod levitas captata ad limen sæpius artifices manus reforcerit. Fluentibus itaque vulnera Turcorum nervis, nostri, dum degrandinet, sustinent; siquis alicunde turbo perflans tantam telorum nubem discutiat. Cognatæ acies juxta, hostis undique, adjutor nusquam, interea gemunt saucii. Hic manum perfossus, ille oculum effossus; alii suffossi pedem, pars verticem superfossi. O pietas! o dolor! o luctus! Clypeus aliorum Marchisides et ipse cum aliis affligitur Willelmus. Aliorum dolor hærebat in vulnere, hujus vulnera usque sub mortem doluerunt. Labitur corpus nobile, socii exceptum in castra referunt, pauper, belli causa, agger relinquitur. Quis tibi, Tancrede, spectanti talia sensus? quosve dabas gemitus? viri corda, cui modo robur et æs triplex circa pectus erat; jam muliebres mollescunt ad lacrymas, ora femineum ululant ejulatum; digiti mentum, genas, caput decalvant : postremo quæcunque hominem armant particulæ, reliquas inermes crudeli seditione dilaniant. Multi quoque heroum fidelium in eadem lamenta resoluti, super Marchisidas lugent : neque minus hujus lacrymas quam illius necem miserantur. Dum hæc agerentur, vix debellatus Turcos receperat tumulus, et ecce Christicolas pulvis testatur adesse cohortes, submissi tolluntur animi, contra elati submittuntur. Exclamatur, *Deus vult*, hoc enim nostri interjiciebant lætantes. Adversarii, *Heu*, et, *At*, *at*, murmurantes, ingeminant : quippe non tam spes ablatas, quam oblatos metus trepidantes.

XXVII. — *Hugo Magnus instat.*

Advolat ante alios regum clarissima proles
Magnus Hugo, galeis contentus ferme trecentis.
Irruit in medios non ut qui pugnet in hostes,
Sed qui post pugnam fugientia terga sequatur.
Sic rapidus, sic intrepidus, sic undique tutus
Aggreditur, lacerat, fugat, insequitur, premit, arctat,
Fulminat, exsultat, fremit, exclamat, furit, ardet.
Mittit in hunc aciem ferratam rex Solymannus;
Ingentem numero, virtute, minis, feritate,
Quæ numero superet segetes, o Gargara, vestras :
Quæ virtute suis æquet convallibus Ethnam,
Quæ feritate minis totum sibi vindicet orbem,
Quæ perferre graves, et reddere gaudeat ictus.
Ergo alacres hinc tanta cohors, tot tela, tot arcus :
Inde comes magnus quam nomine tam probitate
Occursu parili, numero sed dispare freti,
Bellum ineunt, stant oppositi pars obvia Gallis :
Conserti clypeos clypeis, atque ensibus enses :
Pars lateris dextri gyrum, pars altera lævi
Occupat, et volucres mittunt utrobique sagittas.
Undique septa armis audacia Gallica et hoste,
Ad quos se vertat, nisi se convertat ad omnes,
Ignoraus : modo ad hos, mode se convertit ad illos,
Qualis apri, quem turba canum circumvenit ingens,
Fulmineus nunc hos dens, nunc eviscerat illos;
Nunc retro mordaces, et nunc a fronte minaces.
Sic vir magnanimus, et eo duce freta juventus
Innumeros ardens se circumflectit in orbes,
Et quæcunque ruit cædens, cæsus ruit hostis.

XXVIII. *Turcos fugat.*

Ergo recens acies jam multa cæde cruento,
Jamque fatigato comiti congressa, laborem
Sudoremque viri crudeli exaggerat ira.
Sauciat ante, retro, dextra lævaque, nec ullam
Dat requiem gravibus, nullo sudore gravata.
Postquam nulla valet vis innumeros revocare.
Ad numerum, majorque redit quam corruit hostis.
Magna comes parvæ miseratus funera turbæ
Ora in terga refert, hæc sola timentis imago :
Cætera victoris lacerantis, dejicientis,
Atque fugantis erant : in terga fugacia cuspis
Ensis dimidians, equus ardens, dextera flagrans,
Quippe retrocessit, qui retro occiderat hostis :
Ut versam faciem videt, aspectumque minacem,
Expers qui mortem fugiens incurrit eidem,
Tutius ignotis sperans occurrere multis,
Quam semel expertæ restare ad verbera dextræ.
Consul agit trepidos, graviterque instatur agenti,
Et fugit et sequitur, pariter fugat atque fugatur.

XXIX. — *Et cum eo Robertus comes Flandriæ.*

Obviat his hasta metuendus, et ense Robertus
Flandrigena, effrenique volans ad prælia cursu,
Damna morasque levat, dum quam ultimus bau-
[serat aure ?
Primus inardescit pugnam impinguare cruore.
Obvius ergo fugæ, pertransit in usque fugantes,
Quaque videt densas acies fervere sagittis,
Et stridere minis ; ibi fervere stridere tendit.
Incurrunt Turci in comitem, comes acer in illos :
Flandrensesque fere numero, et virtute phalanges
Igne pari accensæ ; pede, strage, fragore sequuntur.
Sternitur arcitenens acies, sparguntur et arcus.
Rumpuntur pharetræ, calcantur ut alga sagittæ,
Peltæ, thoraces quasi stamina linea ad enses,
Sarcina sunt tectis, et non tutamina Turcis.
Sic comes armipotens Gallorum terga sequentes,
Rursus terga dare : et versa vice pectora Gallos
Vertere compellit ; numeroque carentia primum
Agmina sub numerum sternendo necando reducit.
At Turci nec ulla quidem, nec multa rependunt.
Vulnera, spes quorum ferratæ nescia calcis,
Tota retrosuadæ de verbere pendet habenæ ;
More tamen patrio fugiens quo vulnerat arcus ;
Sed tremebunda metu ferit, et non lædit arundo,
Tantus ad internas pertransiit usque medullas.
Papæ ! quem genuit Flandrensis flamma tremo-
[rem !
Dum comes indomitus domat hostes, densaque
[spargit
Agmina ; sparsa secat, secta obruit, obruta calcat
Magno magnanimo comite stipatus Hugone.
Nec cessat strages, donec socia arma fugatos
Excipiunt ; nectuntque moras, arcentque fugantes.
En iterum viresque novas animosque recentes
Congressusque manus avidas, et cætera ad usum
Congrua bellorum , nova cuncta recentia nostri
Inveniunt, multaque licet jam cæde gravati,
Accipiunt acres, et reddunt acriter ictus,
A Rollandum dicas Oliveriumque renatos,
Si comitum spectes hunc hasta hunc ense furentes.

XXX. — *Godefridus in hostes ruit.*

Dux Godefridus homo totus bellique Deique
Cujus non fervor, non vires, non animosus
Spiritus Hectoreis cessit ; sed præfuit armis,
Lætus adest. O quas acies, quæ pectora ferri
Quam longum calybem lateris munimina lævi
Cernere erat comitata ducem ! quis flatus equo-
[rum,
Quis fremitus hominum, quæ gloria Lotharidarum ?
Dux ergo Turcas acies premit, insequiturque
Non astu vigili, non commoditate locali,
Non quæ vel timidos in fortes excitat, arte
Adjutus : verum turbans his omnibus hostes
B Scilicet adjutos astuque, locoque, doloque.

XXXI. — *Aggere potitur ; fugientes insequitur, mons vicinus hosti favet.*

Stabat in occursu ducis agger, agerque sub ipso
Retrocedentem dirimebat ab aggere montem.
Huc ubi fisa dolis gens plus quam fisa sagittis
Diffugium fecit : ratus aggere velle potiri,
Ad pugnam refugos, dux fraudis et artis iniquæ
Ignarus, belli faciem convertit in illos,
Et celeri incursu tumulum prius hoste gravatum
Liberat, inde fugam ad montem per plana coactam
Strage premit multa, hostis scilicet atque suorum.
Nimirum gens illa dolis armata sequentem
Æque transfigit loricam, quam fugientem :
Et nisi equus velox fugientibus iggerat hastas,
C Quo magis effugiunt magis horrida vulnera spar-
[gunt,
Ut faciat Turci fuga, quod victoria Franci.
Monte recepta cohors, non ære gravata nec armis,
Ære graves, armisque viros post terga ruentes
Evadit facile, et facili pronaque sagitta
Sauciati, intortæ comtemptrix eminus hastæ.
Anxius objecti dux frendens in pede montis
Rursum in plana redit : si quos mons invidet hostes
Eliciant, vacua arva duci repetitus et agger.
Hostis ad hæc gaudet, descendit, et ultro lacessit,
Semper discurrens, et semper vulnera spargens.
Fretus equo celeri, montisque favore propinqui,
Dux iterumque iterumque sequens in pectora multos
D Excipit, et plures in terga remunerat ictus.
Monte tamen meritos semper curtante triumphos,
Quippe sinu victis, victricibus obice signis,
Ceu quondam accipitrem qui circinat aera gyro,
Ceu qui in fronte sedet querularum turba volucrum
Circumagit, varioque replet virgulta latratu :
Tum si forte procax cornix propiore volatu
Jam tumidum ostendit, ille indignatus et ardens
Fertur in aeriam toto conamine turbam :
Illa fugit trepidis repetens cunabula pennis,
Cum similem hesuro porrectis unguibus arctæ
Saxi seu terris cohibent te prædo latebræ :
Ungue tamen plumas referens insignia palmæ,
Nacta sede doles, alasque expansus hianti
Rostro, luminibus flammatis, pectore anhelo

Suspicis elapsæ plumosa repagula prædæ.
Haud secus ira ducem turbat, dum pulsus ab arvis
Turcus habet tutas latebras confinia montis.

XXXII. — *Hugo Magnus subvenit duci et cum Raimundo comite montem superat; Terror invadit Turcos.*

Sed cum Magnus Hugo diverso prælia tractu
Aggressus, montis latus ex facili superasset
Pervium, et hoste vacans : mox nec juga, nec via [præceps
Deprensos inhibent, quin laxis cursor habenis
Raptet equus, refugos per plana, per ardua Turcos.
Hinc igitur comitem, inde ducem fugiente caterva
Hostili, comes accelerat metuens Raimundus
Ne sibi neve suis desit qui dimicet hostis :
Hunc suus, hunc alii pedites, equites comitati
Belli ductorem, legionum dispositorem
Tanto ditabant numero, munimine, signis :
Ut credi posset absentum nullus abesse,
Qui meriti fuerant credi, nullum superesse.
Ergo formidans ne formidabilis esset
Præcidendo metum, rupto petit ordine bellum.
Si furor Ideas quercus ad littoris ima
Sigæi rapiat, tremat omnis proximus Idæ
Et mons et vallis, lateat sub pulvere Phœbus :
Si lucem demas galeis aut frondibus addas :
Hic status, hæc species, similis fremitus, tremor [idem.
Turba sodalis erant comitis, turbæque sodalis
Qui fragor attonitas Turcorum ut perculit aures,
Atque oculos fulgor : totam occursare paventes
Europam, nullo duce, consule, rege relicto.
Primo stant dubii mox ut Raimundica cuspis
Obvia quæque rotat, colliditur, et subit ensis :
Tunc nec Arabs jaculo, nec fidit Turcus in arcu,
Sed nec equus frenum, nec equum via, nec fuga [gyrum
Senserunt, adeo fugere est sperare salutem.
Ergo Cylix Tharsum, nemora Ætheritanga Coatræ,
Antiochena Syrus, Sidonia mœnia Phœnix,
Artasium Jacobi, turres Elamita Calepti.
Præterea innumeræ notas sibi quisque latebras
Diffugiendo petunt, sine more, sine ordine gressus.

XXXIII. — *Duces, hoste disperso, versus Antiochiam metantur; Tancredi audacia.*

Triumphato, cæso, disperso hoste; victore reverso, ditato, jucundato ; via solitum revocat viatorem, quo jam tutior, eo diffusiorem. Duces turmis pedestribus Antiochiam versus gyro prolixiori, sed facili cultam planitiem metandam provident, provisamque metantur. At Tancredus nemorum devia, montium ardua, Cylicum flumina prætervolanda eligit, qua ad prædictam urbem semita accelerabat directior. O bellatorem stupendum, cui voluptati labor, cui securitati bellum, cui otium difficile, cui facilis quævis difficultas, cui postremo nihil dulce nisi fuerit sudore conditum! Stupeamus interim hominem qui nunquam stupuit, eique metuamus, quia nil metuit. Papæ! quænam hæc est audacia, imo amentia, Tancrede? Antiochiam prædaturus centum sociare loricas contentus es : arcuum tuorum numerus vix ducenti ; in his millibus Syriam oppugnas? Paucos adhibes : supple numerum, multus est hostis tuus, multi adversum te gladii, hostis tuus plures armat populos quam tu viros. Ut te patrocinandum vocent quæ adversarium exspectant oppida et urbes paucos ducis custodes. Surgat, quæso, surgat in quintuplum summa municipum ; ne saltem custode vacet numerositas municipiorum, alioquin vocatus tutor non sufficis tutelæ ; ut singulis plebibus singulos distribuas assertores. Præsertim urbs Antiochia munita armis, stipata armatis, assueta bellis, superba triumphis : dominando insenuit, dominari non novit. Moderare præcipitis cursum animi, et sapientis cujusdam viri sententia pro freno utere. Dux ille et miles, quid ducis, quid militis refert expertus. Sic ait, *et priusquam incipias, consulto, et ubi consulueris, mature opus est facto :* Quod consulere, ad ducem ; quod ad militem, agonizare referendum est, etiam simplicibus quibusque palam est : verumtamen, vel alter utri utrumque vel utrique alterum : imo utrique et hoc et illud sæpius incumbit: et te quidem utriusque nominis accendit gloria, sed ab humiliori superbiam tanto petis incautius, quanto a sublimiori efficacius impetrasses. Miles flagras intrepidus appellari : eoque prudens fueris, ut imprudens furere dicaris ; dumque levem hanc emis auram; projicis vitam, perdis operam, lucraris invidiam, incurris infamiam. Redi ergo ad te, reduc te in ducem, prius consule, et ubi consulueris, explica cohortem ; alioquin namque, cum ventum in pericula fuerit, sero consules, cito fatisces; voles consultus venisse in prælium, non in consilium prælialus.

XXXIV. — *Tharsum obsidet; insidias parat.*

Hac simili et forsitan dicatiori revocatione Tancredi aures obtundente, ipse in aspidem surdam obduratus, vel ut incantatores excludit quos habet monitores : quin et cœli flammis, tigride feta ocior Bythiniam transvolat, Tauros montes, Buteoti valles ; has Baritis, illos polo contiguos, percurrit. Cilicia potitus, Tharsum obsidet. Indignatio Turcis, exsultatio Græcis, exhortatio Armenis, stupor universis. Ea namque tempestate Turcis dominari contigerat, Græcis famulari, Armenis montium arduitate tueri libertatem. Sed eminus tamen conspecta urbe, admiratus fastigia turrium, spatia montium, superbiam domorum, tentare vires properat incolarum. Igitur dispositis insidiis ubi..... S..... tis quæ providenda erant provisa sunt : præmittuntur arcitenentes Marnys Turcopoli, aliquot tamen loricatis suffulti nostratibus . hi præstruuntur, abstractis per pascua armentis, quo ordine, quo diffusio diverterat, ne ruituri per prædam hostes, et ante deprehendant insidias, quam deprehensi ipsi dent pœnas. Dictum et factum : prædones emissi, volant, suburbium populantur, cooperto simulato metu, qua jussi fuerunt recursant. Urbs excitat quidquid armorum, quidquid virium habet, post vestigia immittit; interim vix

numero portarum custodiæ paucos relinquente. Igitur accelerant hi, accelerant illi capti ab. . . . Mox igitur qui fugiunt, ad salutem : qui fugant, ad necem ; qui fugiunt ita vincunt, qui fugant ut vincantur. Interea fieri dum. . . . . instatur. Fugientem instans crebro perfodit, succurrens velocior, contraque lancea fugiens dum se. . . . . instantiam ferre nequit, convertitur; et subvertit, has ludente fortuna vices aliis evasum est, aliis supervasum. Dato igitur a speculo signo, vallis gravida armis palam fundit quos conceperat armatos, ac primo quidem fremere incipiunt hastilia præferrata, moxque in silvam surgunt quercus et fraxinus, pari modo irruentibus galeis, clypei succrescunt, post loricæ, postremo et equites et equi Cadmeo semini ortus simillimus, quos ubi audax comperit Turcorum raties, ultro conversa torridam more suo emittit urbem ferratam ante, post alatam.

XXXV. — *Hostes cædit et fugat.*

Tancredus elicitos ad pugnam videns, utpote numero fretos suorum maximo nostratum minimo ipse primus mediis prælium infert, obvium quemque aut ense dividens, aut cuspide configens, juventus fida Turcorum cædunt primo pectora, mox terga : nudi quippe lævam aliqui, pectus nonnulli. . . pus universi; galeas scuta loricas non sustinent, et vestes amplectitur. Ergo porta reduces modo quidem angusta quos paulo ante eduxerat spatiosa, adeo confusi territi amentes congloberati limina subeunt. . . . gladio urgente victoris. Quod nisi muralis custodia grandinem saxeam pluens consertam umbonum cratem diremisset, uno impetu mœnia et cives subiissent et hostes : aliis itaque admissis alii repulsi per trunca redeunt cadavera, Christo gratantes. Intra mœnia dolor, extra gaudium : intra spes in timorem vertitur, extra converti nescit, sed augeri. Inter hæc dies clauditur, et deliberandi opportuna consiliis nox ruit.

XXXVI.— *Urbemaggreditur.*

Tancredus sub exorto jubare portas frangere, fossa implere, scalas applicare, turres conscendere festinat, et jam moras noctis annum vocat. Somnus illi nullus, aut si quis, brevissimus; ab oculo tamen clauso ad actum crastini præsagiis Turcos sollicitat suos. . . . . quippe quo hostibus tam suis civibus diffidentes territat, noctem diutinæ imago pugnæ, neque a quoquam fulminans rejicit Tancredus. . . . . ac mentibus singulorum. Itaque solem. . . . . fugam committitur. . . . . . *(Lineæ hic desiderantur duodecim, quæ legi nequeunt.)* et quos debelles habeas et quibus parcas pac. . . . . libertate concessis Tharsensium hic adhuc tantos muros. . . . . ad propria signum victoriæ. . . .

XXXVII. — *Inopinato adventu Balduini terretur. Balduini elogium.*

Vexillum turris sublimior ventilabat, cum subito, stupendum visu audituque horrificum, specula clamat de partu montium nasci arma, jamque arva discurrentibus scaturire armatis. Quo Marchisides fremitu excitus sociam. . . . . excit militiam, moxque ipse accito equo, primus evolat, socii pone subeunt. Se moverat autem a frequentia periculosæ multitudinis idem propagandi nominis ardor qui et Marchisidem, et fortuito eadem contigerant egresso vestigia, is a Godefrido duce comiteque Eustachio proles Eustachides de. . . . . millibus complures sibi defloraverat comites, in quibus Cono comes plurimum sonabat suas etiam vires Normanica augente militia, cujus ipse sub comite Roberto gerebat principatum. Præterea sua sibi juventus non deerat. . . . . armorum avidi, avidissimum hunc præelegerant ducem. Virum liberalem pecuniæ, studiosum militiæ, affatu humilem, magna vi, pietate sublimem, cujus proceri formam corporis a planta ad verticem contemplatus : ecce dixeris quem natura in militem manu propria exsculpsit. . . . . tot vitæ intervallis ornari, quæ a Francorum sceptro lucem ingressa, ab Hierosolymitanorum erat egressura; utque liquidius claret, a magno illo rege Carolo genus trahens, super solium David sessurus divinitus trahebatur. Jure ergo ac merito Alexandrum vivebat, cujus illustrabant Carolus ortum, David occasum; nec degenerare debebat gladius hebes, cujus sic fulgerent cunæ et tumulus. His accensa super nobilitas facibus, de magno exercitu segregaverat quos fervidiores agnoverat socios, eratque numerus ejus quasi milites quingenti ac peditum duo millia, quibus a monte in platea jam progressis, Marchisides arma nostratia cernens, auxiliaria credens, nostrates nesciens, nesciens insidias, pugnam, victoriam hesternas ostendit, spolia refert, relata profert, prolata offerri dimidiat, illæsis sequentibus quod integrum. . . . . remitto repugnaverat prævius.

XXXVIII. *Balduini injustitia erga Tancredum.*

At tuti agminis dux longe tutior aut viritim scuta, tumque distribuendum fore objicit, aut omnia inarmatis manus fortioris cessura; fugam hostium non præcursoribus gladiis, sed subsequentium horrori deputandam. Tancredum quidem dimicasse, sed contigisse palmam Balduino : quod non fere secius Marchisides oblatum, atque Telamonius Pelidæ arma sibi accipit negata; æstuat, furit, dolet, se non sibi tulisse vellera dolet, mellæ, auri venam ab infimis terræ eruisse cavernis; ut prædo in fiscum traduceret ingratus : nam de ea quæ objecta est miseranda divisione quid attinet? Ipsa illa quæ modo placuerat ultronea, jam displiceret, seu coacta. Translato enim victoriæ suæ titulo, non tam ultra impertitor spontaneus, quam redditor videretur obnoxius. Quid ergo? pugnet? concivis est hostis; laceret? Christianus est sanguis; Tharsum subeat? vile est includi Tharsenses; excitet cum barbaris in fratrem pugnare? id est apostatare. Ergo malum vinci, sed multo vincere pejus. Mille semitis viam investiganti, sedet denique floccipendere de-

bellata, festinare ad debellanda, sic aquilæ accipiter, sic cedis, parde, leoni, sic licet urgentes majori quique minores. Abit Marchisides unum gemens, Tharsensium servitutem de Latinorum adventu liberatam non esse, sed gravatam : abit, inquam, quo majores vocant, ne qua ad auditum nomen ejus diffugia terram pauperent opulentam.

XXXIX. — *Tancredo nihilominus feciales mittuntur de Urbis reductione.*

Sed jam præcurrerat fama velocior, quæ de tanti viri indole nihil reticuerat Addianis, quantus foret christiani nominis defensor, quantus gregis incredulæ expugnator, quantæ mansuetudinis erga subditos, quantæ in rebelles duritiæ : his civitas gratiis læta ultro feciales suos mittit, virum cum hymnis et tympanis manibus inducturos. Misertus namque plebi suæ Christus nuper ab eorum cervice jugum excusserat, dominatoribus expulsis, ipsorumque retento in compedibus Turco principe homine, imo cane, cujus nec sedari iræ, nec ebrietates jucundari, nisi in oculis ejus sagittato ad palum Christicola, consueverant. Quapropter is qui *humilia respicit et alta a longe cognoscit*, eamdem ei qua mensus fuerat, Tancredo dispensatore, mensuram reservavit. Divinum id quidem, nec enim lex æquior ulla est, quam necis artifices arte perire sua.

XL. *Idque Ursini industria, cujus hic narratur historia.*

Ursinus eo tempore urbi præerat, homo Christicola, Armenus : isque, ut præscriptum est, legatos miserat Marchisidam advocatum, qui et ipse in adventum tanti hospitis egressuri dextra et fide obvium mulcet, vires socias vel magis famulas spondet, ad Mamystanæ civitatis spolia invitat, quam loco proxima, tam captu facillima : nec minus et ipse contra digna se accipit, quin de sparso semine messis resurgit in centuplum : in his mœnia subeunt non sine totius plebis plausu et cantico. Ubi ergo tapetis equus, epulis fames, Baccho curæ cesserunt : Ursinus super urbis præsentis statu præterito quomodo durare potuerit, qua vi cives protegere tot circumventus hostium millibus potuerit rogatus, incipit. « Novum, ait, incolam ad veterem restituendam libertatem missum me vides : cum enim campi et valles Turco subjecti dominio, diu miserabiliter servirent : ego montes colebam, liber quidem : sed Christianæ plebis servitutem non minus quam qui paterentur, ingemiscens ; quodque multi jam annorum curriculi etiam illatum viderent et perpessum ; cum multa sinistra aggressis, una tandem certa patuit via libertatis. Prata suam reddiderant messem, passæ falcem telluris in fenum aruerant comæ, quod curriculis huc advehere quotidianus instabat labor : rura autem eo tempore incolebant, quos modo nobiles vidisti in equo fremere et fulgere in purpura : » (viderat enim paulo ante plurimos e Turcis discurrere purpuratis, qui cum sæpius, sæpiusque recurrendo solivagi plaustra ducerent, eo uno bobus conservis præcellebant ; quod sua boves premebantur custodia ; ipsi nulla). « Orta est igitur ex opportunitate suspicio, ex suspicione consilium, ex consilio audacia, ex audacia libertas : nam cum fenum plaustris illocarent, custode liberi, arbitrati sunt eadem pariter armis virisque posse onerari, occultarique intus bellum : circum circa pacem dependere, allatis intra municipium armatis, facile Turcos aut perimi aut repelli. Hæc illis volventibus, ad me ventum est ; ubi in montibus, ut prædixi, manebam, cognitaque adventus causa ; gaudeo, moneo, urgeo, ne morentur, neve impellenti cœlitus se subtrahant gratiæ. Vos, inquam, reditum maturate, curate plaustra, ego vobis quos invehatis parabo bellatores. Illi accelerant jussa, ego promissa impleo : nec mora infodiuntur feno satellites, ego ex adverso prædas simulo, quatenus eliciti ad pugnam exteriorem, oppidani, facilem reliquissent ingressuris victoriam. Sicut prævisum est, sic secutum : nam cum urbem exuissent qui post me irruebant, plaustra bellum important mœnibus ; pace et feno prudenter tunicatum : inducti ergo intra muros armati pacem exuunt, portis obdunt repagula, ipsarum cædunt custodes, ipsi custodiæ succedunt ; atque hæc quidem secreto omnia, ut porticus præsens occultæ cædi arcus præstruxerat latebrosos, inde passim per vias, per palatia, per turres discurrunt : væ illi qui seu cum arcu, seu absque, eques aut pedes, puer aut senex inventus est Turcus : nec ætati, nec formæ, nec sexui parsum est : omnes in gladio corruunt, humiles et magni, semel omnia victor punit vulnera quæ a diebus antiquis pertulerat, in multimoda nece cognatæ servitutis. Reservatur tamen superstes unus Turcorum, non minus scelerum quam sceleratorum princeps : is columbari gravissimo vinctus compede in tormentis tormenta, in temporalibus præstolatur æterna : sed cum cæteræ infidelis turbæ intemeratum nihil gladius reliquisset, tympana scandunt muras, totamque usquequaque viciniam lætabundo replent tonitru. Id enim præcepti dederam, ut peractam cædem plaudentes nobis concinere debuissent. Cum ergo arrectis auribus turres lætisonas hausissem : *Io, comites*, exclamo, *convertamus faciem in terga ; buccinas accipio gaudii nuntias, urbs nos revocat in cives, captam namque fingentes prædam, simulato reditu instantiæ hostium, terga dederamus : sed ad lituos tubasque conversi revocantes audacter aggredimur, quibus modo prudenter cedebamus.* Illi ad insolitam stupefacti audaciam, cunctantur : paululum deinde nobis vices fugæ mutuas rependunt, nos eo securius instare quo magis magisque civitas propiabat. Hostes rerum ignari, æs tinniens, tympanum tonans, oppidum reboans, properæ opis suæ instrumenta putabant : sicque contigit ut et nobis præter spem gratia, et hostibus præter timorem geminaretur pœna. Vox eadem, dictu mirabile ! nobis verax, illis mendax ; verosque reducit ; nos inducit, illos seducit quorum recursus jam suburbii vicinitate gaudebat, cum fallacia sonitus se comperiunt illusos, prospectis per mœnia discurrere Armenis. Quid faciant ? a mœnibus spes elapsa est, a

tergo gladii urgent, extra nec stari potest, nec intra claustra recipi. Porro nec locus fugæ, nec locus pugnæ : tentata est tamen fuga omnibus, sed nec uni omnium benigna : nam mente improvida, casuque inopinato confusi, quibus modo evasuri fugerant ut viverent : iisdem mox vestigiis redibant ut perirent. Dei siquidem ecclesiæ profanatores oculos habebant, nec videbant : sic et manus, et arcus, et gladii in propriis usibus elanguerant, omnia nobis contra vires tam sua tristis quam nostra hilaris fortuna geminabat. Sed ne mea te offendat prolixitas, aggredimur confusam, amentemque turbam, nec unum gladius superstitem relinquit : surdus quippe inter cædentem, non audit pecuniam, quæ se crebro pro miseris obsidem spondet, ex illo *Allachibar*, quod infidelitas orando exclamat, hac in urbe obmutuit, ac pro eo *Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat;* tanquam rediens postliminio, reboavit. » Hæc Ursinus ; cum loquentis verbo ultimo, Deo gratias Tancredus occinuit.

XLI. — *Cives Tancredum conveniunt.*

In his noctem diei continuant donec sopor intus diurno labore gravatos levat, levatosque ad crastinum remittit : nondum enim luciferi bigas Phœbus attriverat, cum accelerantis includere Mamystanos Tancredi Mamysta galeas comperit sublustres. At Turci quibus urbem diu indulserat mora tam justo longior, quam longa : tam rapacior quam delicata : tam delicatior quam secura : ab ipso permuniti conticinio cesserant pugnæ Tharsensis vice formidata : quod ut sole orto cives comperiunt, egrediuntur ad fœdus, ut Tancredi vestigiis, et vix conquiniscens suave jugum onusque leve subire mereretur : impiissimo quippe famulitio erepti, regnare autumant servire ereptori. Facile igitur apud eum bene merentes impetrant, a quo nec immeritus vacuus rediisset. Potiuntur itaque sese vice mutua Tancredus urbis filiali obsequio ; urbs Tancredi regimine paterno.

XLII. — *Recedit Balduinus; qui suburbana metatus castra pacem petit; a Tancredo pacem obtinet t commercium.*

Interea spoliis onustus, misericordia vacuus, licentia abusus, illicita..... gatus Balduini comitis exercitus, Tharsum liquerat, Tharsum damno suo Francorum millenaria centenariis commutans..... comitis injurias abominans ad maj..... quos levibus quibusdam viderat occupatos..... sollicite invitator suus Euphrates cujus adhuc præsens legatio a dextra alvei turbasse illum, a læva Edessam indesinenter promittebat, quorum neuter locus parem dignabatur, aut hoc in cunctis Syriæ citerioris oppidum, aut illa trans Euphrateæ quæ Mesopotamia dicitur civitatem, utrumque divitis uber agri, multorum famulitio et oppidorum et urbium imperare gaudebat : hæc nuntii prælato, hæc prælatus subditæ genti frequenter commemorans, Tharsum exierat ; jamque singularum singula Addanæ, Mamystæque vix flumina transvadatus vicino tentoria affixerat Tancredo. Indignati namque supprimi a rustica planta alvei, solis urbibus pontes concesserant ; per quos tamen non patuerat aditus, quoniam eis Tancredus sequentes arcere præceperat ; nolebat enim sicut fratrem jam appellare, qui eum expelleret sicut hostem. Igitur Balduinus comes suburbana metatus castra, pacem ab urbe petit, victualia non jam gratis, neque raptim, sed ratione et pretio erat impetrari. Noverat enim viri mentem recenti adhuc injuria turbidam, seque qui eam intulerat odiosum. Porro urbs munita turribus, populi capax, armis referta, nulla sui infirmitate spem raptoris firmabat : præterea comitem illum Cononem, quem superior pagina celebravit ; valetudo gravis lecto affixerat : quare nec relicto eo procedere volebat, nec eum abducere, nec ibi manere Balduinus commercio poterat negato, tot curæ anxium de postulanda pace eum incusabant. Res mira ! sed quantum aliis ignota principibus, tantum Marchisidæ quadam singulari familiaritate conjurata, qui nudiustertianis damno, injuria, convicio efferatus, petitam ab eo pacem, mox ei donat et prædicat. Qui lætus, offensusve nunquam claudicat, ad rectum invitatus : quem inclinare ad veniam, hoc erat interpellare de venia. Rogatus ergo, ut dictum est, pacem alterutro polliceri ; respondet utroque, nec commercia renuit : dummodo vim non sentiant merces. Eunt, redeunt, vendunt, redimunt ab urbe in castra, isti a castris in urbem, illi errant permisti armati inermibus et contra quos forensecus affligebat languor, torrebat Phœbus, velociores spe remedii inter umbram et mœnia servantur : quæ dilatatio paucos habuit dies : nam sicut heri et nudiustertius redintegratis commerciis ortæ sunt lites, ut fit, cum emptoris venditorisve æstimatio de pretii venaliumve quantitate dissentit.

XLIII. — *Frangitur ; singularia certamina.*

A pergula cauponæ lixa, hoc genere incœptum ad ipsos principes exundat bellum : injuriam alter qui pertulerat putat præsentem præteritæ ex usu succrevisse : at qui obtulerat talionem sibi reservatum veretur : sic varia ambos deludit opinio, dum uterque id adversario imputat, in quo quater peccarat. Surgitur hinc inde ad gladios, furor arma invasit, castrenses in mœnibus reperti, qui languet custodiæ mancipatur, qui valet pugnis et fustibus pulsatur, pulsatorum vulgus expellitur, nobilitas servatur vinculata, similiter extra agitur de similibus oppidanis in suburbio deprehensis. Parum id militiæ visum est, nisi pars extera portas urbis assultu quateret : interna quassas ad bellum egrediens, aperiret. Ubi ergo nulla obstant aut his aut illis repagula : campus tantum in medio, vexilla hinc inde disposita, tum demum duces suis adversarii viribus collibratis tanto se discrimini invicem committere verentur. Balduini numerus, ut præmemoratum est, multus erat, viresque prævalidæ : ideoque longiuscule secesserat, ut a murali subsidio hostem eliceret pauciorem. Tancredi valde minor, quæ causa turres missilibus armarat ; quatenus bello prima occurre-

rent, sicque pugnæ inferioris paucitatem, superior fulciret jaculorum descensus. Talibus confisi diffisique solatiis et desolatiis duces alter alterius præstolabatur incursum : neuter enim prior impetere, quam impeti malebat · sed e converso uterque. Plures suberant causæ : hæc autem maxima, quod qui prior ad murum nefas irrueret, ipse nocentior sonaret; in qua tamen mora, ut fert militaris consuetudo, aliquot ex utrisque partibus adolescentes singularem ineunt congressum, utra pars ergo justioris causæ tutelam susceperit, ex his declarari posset, si alterius tantum incursores succumberent, et alterius prævalerent. Quia vero ab utraque lucra, ab utraque damna, ab utraque corruunt, ab utraque obruunt : quis justius induit arma, scire nefas. Sed eorum qui medii ludum martium interludebant, Ricardus de principatu nec genere minor nec animis, cognatas partes et lingua simul animabat, et lancea. Is comitis Vilhelmi filius, Wiscardi nepos, relicta fratri Tancredo Syracusa, Boamundum secutus amitalem suum, sociaverat Tancredum. Dumque intervolans hunc præterit, illum proterit; insidiatrix ex transverso lancea latus fodit improvidum, peditemque de equite mox substituit. Cui autem lapso ensis strictus quid confert rotatus? Hostilis in eum turba ruit, ut ipse paulo inconsultius sodalium exierat subsidia, adversariis propior. Solus itaque tot circumvallatoribus oppressus, capitur, trahitur, exarmatur, servatur. Sors eadem plurimos utrinque ab equo et scila in pedes degradaverat; cum visum est majorum prudentiæ, insaniæ ascribendum egressos in arma hostilia unanimes in se sua vertisse discordes: ditiori turba adversus barbaros necesse est nedum exiguam pauperare.

XLIV. — *Pax renovatur.*

Multa ergo in hunc modum sollicite pensantes, pacem bello commutant viri sapientes quod tamen suasu difficillimum aure surda avertisset, injuriis lacessitus Marchisides, nisi quia avuncularis proles Ricardus lenit animos rediturus, quos exacerbaverat abstractus, idemque et unus modo fit causa odii, modo pacis. Similiter Cono ille præscriptus comes in urbe languens sociis mentem reddit, pacis commercio reddendus. Redeunt itaque alternatim ad propria; heros pro heroe, eques pro equite, pedes pro pedite, damna et lucra quo ordine cœperunt, in eo penitus inconcussa consistunt; ut ad hæc merito vulgaris nænia reduci possit : qui habet, habet; qui perdidit, perdidit. Nec cohabitant diutius, abit alter ut acquirat; alter manet et fruitur. Verum mansio illa non segnis, neque longa moratur virum : cujus arbitrio vel brevis quies, longa erat segnities. Igitur paulo moratus ad Syros exit : feliciter Cilicia potitus; at felicius multo Syria potiturus. Ante tamen et de illo nequam Turco, quem Adana incarceraverat, pœnas sumit; et plus paternas, quam principis leges Mamystanis imponit. Quibus expletis, montes qui medii Alexandriolam Guastonemque oppidulum diri-

A munt, conscendit; viam difficilem, sed cunctarum ad Syros directissimam. Illic superno omnium colle superato, fertur Antiochiæ rupes, et plana, vias, et devia, paludes et sicca oculo simul metiri et animo. Inde totam percurrit planitiem, quia medii *Sepchet*, *Spitachchet*, *Domith*, *Commith*, fluvii, oppida, urbes interveniunt.

XLV. — *Artasium venit Tancredus, Balduinum ab Antiochenis circumventum liberat. Artasium ab hoste impugnatus.*

Artasium vero ubi venitur; invenitur comes Balduinus felix Artasiensium Turcorum exclusor : sed ab Antiochenis miserabiliter inclusus. Quibus superveniens visus Marchisides, collectis partim sarcinulis, partim missis, abscessum indixit. Putabatur in B adventu unius, omnes occursare magni exercitus duces, tanti sequebantur virum terror et fremitus : cujus tamen militiæ altera apud Cylicas pars relicta, de centurione quinquagerium reddiderat. Sed prænuntia veri fama, multi instar militis unum Marchisidam præcinuerat. Subit Artasium hospes novus, at hospitii recompensatio valde est minor a magnitudine meritorum : ab interioribus arcetur, conceditur vero habitandus murus exterior, seu ut opposita urbem muniret custodia, seu ne intrinsecæ rixas renovarent angustiæ, vel certe nuper abscisæ contemptionis nondum penitus radix aruerat; quæcunque vero sufficit causa, muro adamantino se inclusit, quisquis periculo Tancredum objecit. Antiochia C Latinorum vires auctas intelligens, quas expertæ senserant; fugerant, nuntiaverant manus, plurimo supplet infirmos robore, et numero paucitatem; remittitque secundo, septies, si septies remiserit, superandos. Illi, ne quis relictus tentandi modus desit præsidiis, etiam dolos struunt, parum armis sibive confisi. Nocturni subeunt umbras quæ S. Palladii virgultum vulgo appellantur. Inde orta luce quinque præmittuntur, qui Artasium lacessant equites : at bellum in ramis latet et frondibus. Qui missi sunt nil morati, subitas Artasio ostentant minas, qualis interim pastoribus pecora; talis fiunt pecoribus tutela pastores. Trahuntur simul hi et illa : nihil evadit a facie raptorum. Clamatur a specula, ululant pro foribus opiliones et subulci. Una hæc erat D omnium querela, malo suo sibi adversus Turcos, Francos advenisse tutores. Inde se gravius cruciari quod de advenarum patrocinio libertatem speraverint : quod Tancredus audiens, festinus exiit, bello suspicans urbem circumdatam, sed viso exteriori rerum statu; illico comperit patentes animos de latentibus pendere, audaciamque horum alienam, plus esse quam suam : ad cujus tamen rei evidentiam Turcopolos tres obviam mittit, ut si his cederetur, timida solitudo; si obstaretur, deprehenderetur spes subsidiorum. At quinque non modo non cedunt impetentibus, verum etiam versos cædunt impetes Tunc manifestius eo quod latuerat comperto, para tur bellum, acies disponuntur, itur obviam.

XLVI. — *Mars favet Turco.*

Cæterum hostis sagittifer plurimo sui numero plurimum immanis, nostro viso latebras spernit, occurrit palam, pudet latuisse, qui hastas singulas denis et supra arcubus oppugnabat. Congrediuntur itaque Turci Latinis, incolæ peregrinis, gnari locorum, hominumque locorumque ignaris. Primo in congressu lancea viget, lancea perfodit, lancea dejicit : quæ mox tanto sub onere fatiscens, ut penetrare peltas, pectora, clavengos nequit integra : quoniam hanc clitellæ dissilientes extenuant; illam cuspis truncata decurtat, aliam Turcus ensis dimidiat, ut hastitenens putetur potius venisse armatus sude pedes, quam lancea miles : at frugalior longe arcus vulnerumque ditior, semper mittit, crebro lædit, nunquam mittitur, sero læditur : cominus, eminus, ante, retro fervidus; etiam cum ab intentione propria fallitur, casu sæpe ministro, non permittitur falli. Hac solante alios, alios desolante fortuna simul Balduini Tancredique ducum altero alteri parum auscultante; in seipsos divisi, desolati sunt, et usque sub mœnia repulsi. At Turci ante urbem castra metantur, noctem diei continuantes pervigilem.

XLVII. — *Balduino Artasium committitur.*

Dies crastinus fulgebat, cum, reverso Antiochiam hoste, amotus est metus. Tunc Marchisides exire jussus, ut semper nulla fides regni sociis, ab ipso exteriori muro quæ Barbicana appellatur, expellitur. Eustachides, Balduino, cujus consulatu longo post tempore floruit Edessa, Artasii regimen tradit : ipse cum reliquis consulibus Airardo et Conone proficiscitur Edessam. Tancredus sciens quia militia vita est hominis, simul bello nihil tutius habens; montes proximos occupat, manu parva magnas aggrediens cohortes, tanto nomine exciti colles barbari; pars diffugium maturant, alii occursum, nonnulli intrepidi manent : ut quosdam fides eadem Francis consecrabat; reliquos abjungebat error fanaticus. Igitur qui Christum norunt, Christicolas excipiunt venientes : quibus vero hoc nomen aut nescitur tacitum, aut spernitur auditum; *Barisan* et *Hersen* oppida relinquere timor suadet, fuga complet. Quæ relicta, vocant Marchisidem, ingressumque multa victualium copia opulentant. Jam ergo mutata sede, exsul felicior urbis hospite, damna, cædem, vincula non sentit : nam solitos reditum et insidias hostis exercens, sepelit in frondibus bellum; prædam autem mulos, muliones, rhedas, rhedarios urbano spectaculo exponit : jumenta sub paleis quasi palliis onerata gemunt, eunt gnara periculi quasi periculi ignara. Jam proxima fluvio, qui Balenæ oppidi jugera irrigat, pene simul urbi visa, captata, captaque sunt : adeo prædæ socii alii alios prævenire satagebant. Heu miseri ! quid praedam distrahitis mox distrahendi præda ? quid cæditis, nectitis, angitis : mox angendi, mox nectendi, A mox cædendi. Vix enim portæ hos effuderant, cum repente insidiatricem turbam irrumpere properantem pene sero repellunt.

XLVIII. — *Obsidetur Antiochia, cujus situs describitur.*

Itaque, obsessa urbe, obstruso reditu; quidquid Latini sanguinis egressum fuerat subsecuti aut nexu aut gladio conficiunt Turci. Misertum est tamen cœlitus afflictionis obsessæ, ut festinantibus ad obsidendam Antiochiam Francis, Antiocheni cederent obsessores. Pertransiens igitur urbes, vicinaque oppida, flumen quoque *Farfar* interfluens venerabilis ille regum exercitus : anhelatæ tandem Antiochiæ suburbium metantur. Planitiei mediæ latera, gemini alter ab Austro, alter a Borea, angustant montes : B frontem ab occasu pontus verberat : sed hæc quo magis orientem versum a littore submovetur, tanto jam latior, latiorque rupes submovet. Hanc a meridie descendens Damascenus *Farfar* interluit, sinuoso tractu ad mare per plana illabens : montium medius sub Australi vicinior : adeo autem in ejus umbram interdum vergens; ut nil nisi semita intersit medium : sed qua jam in angustias illas descendere clivus incipit, sita est civitas, hinc flumin', inde monti in longum collaterans. Quin etiam montis latus licet in hospitale sibi continuat, mœnibus in summum eductis, ibidemque municipio constructo : at eadem sic item in fluvium descendit, ut a sui medio cum flumine in occasum tendens, mox ab eo in cornu occiduo paululum recedat, in ortu us- C que ad medium longe seposita : in qua tamen parte muros duplices certius munit palus reflua ipsa sui tremoris mollitie, super omnem saxi duritiam munimen firmius. Sola itaque frons urbis Phœbo nascenti obnoxia; ad medium sui, id est a porta (2) Jusum accessum patitur : nam a porta Susum rupis abruptæ præcipitium humanis tantum patet suspiciendum oculis, non gressibus adeundum.

XLIX. — *Ordo obsidentium.*

At vicina huic ex adverso rupes signa Boamundi tenet in eam usque quæ a porta exit descendentia viam : hæc proximum portæ cumulum erigit; in quo Tancredus castra locat, cæteris quantum funda jacit, urbi propior. Post eum comites Northmannus et qui ei adhærebant, ipsius Tancredique Flandren- D sis medius. Ab altero autem latere Blesensis, Bolo- niensis, Albamarensis, Montensis, Sanctipaulensis, et Hugo magnus : nam omnes hi comitis Northmanni muneribus, aliqui etiam hommagio obligabantur. Ab his usque flumen eo tenent ordine planitiem heroum castra, quo paginam nomina. Dux Godefridus, Podiensis episcopus, comes Raimundus. Hæc igitur prima castrorum positio quartum urbis cornu, cæteris vacantibus, obsidet : quippe hoc planitie vicina accommodum, reliquis aut fluminis, aut fossæ, aut montis obice inaccessis. Postea vero succedenti diei die : hunc immutare ordinem aliquando inva-

(2) Porta Jusum est porta inferior, porta Susum est porta superior.

dentis hostis necessitas, interdum invadendi hostem voluntas compulerunt. Enimvero rupes quæ Boamundi imminebat castris, licet aditu difficillima visa, tamen est Turcis, in quam a monte ad sagittandum descenderent, opportuna ; sicque peracta cæde, levibus armis ad muros patere refugium, ubi sequentium gravia nullum invenirent ascensum. Ad his ergo resistendum incursibus, tumulus supra Boamundi rupem muro cingitur, Hugonis magni viribus tuendo. Porro Boreales duæ effundere Turcos consueverant portæ, cistransque fluvium exercitus nostri damno patulæ : quarum citeriorem dux Godefridus aggrediens, egressum tandem cohibuit : primo tamen congressu Guarnerii marchionis nece desolatus. At remotior per pontem contiguum transfundere hostes solita, Raimundo comiti placet obstruenda : nam castris vacua spatiosior trans flumen planities, laxiores vaganti Turco indulserat habenas. Ideo supernatantis fabricæ pons trajectus est, cujus intextas trabes subjectarum navium onus superjectæ crates onerarent. Hæc itaque riparum continuatio transmeando alveo serviens, ad inhibendum supradictæ portæ egressum comitem traduxit. Adjuvit autem ipse loci situs obsessorem, obsidionis firmandæ utilis cooperator. Excreverat enim in collem modicum tellus, cujus vertici fanum quod vulgo Mahummariam vocant, saxeum supersedebat : hoc fluviali portæ et oppositum et vicinum opportunitate sua comitem invitavit. Comes vero quæ restabant munimini castrorum supplevit cætera : fossam videlicet per circuitum ductam tum suæ concavitatis depressione, tum ejectati aggeris arduitate robur duplex : super hunc quoque fundatus est murus in se humilis : sed tutoris sui audacia superbus. His jam magis magisque Turci coarctati angustiis, minus et minus lædere poterant : quippe solita vagandi licentia sublata. Restabat tamen in occasu porta ad nocendum efficax, ad obsidendum difficilis.

L. — *Difficultas obsidionis.*

Obsidionem mediæ montis et fluminis angustiæ prohibebant : eisdem claustris, altero vadum, altero descensum negantibus, ignari advenæ excludebantur, gnari indigenæ transvadabantur : viam quæ ad portum descendit observantes, Christiano sanguine frequenter aspergebant. Itaque non nisi in acie, ea tamen interdum parum tuta, aut a portu ad exercitum, aut ab exercitu ad portum transmeare licebat, tantopere obseratos egressus portæ unius redimebat licentia. Huic malo Tancredus remedium invenisset, sicut posterior eventus indicavit : sed mœnibus propior, primus Turcis obviabat furentibus. Quapropter jejunus sub sole diem, noctem sub rore pervigil transigebat : unus ipse et adhuc modicus totius belli sustinebat occursum. Tanto denique viri sudore repulsi hostes, jam lacessere desistunt, turribus et latibulis contenti. At, inquies, Tancredi audacia ab domito ortu illico ad indomitum se convertit occasum, illic in occursu hostium inventam maceriam paratum sibi oppidum adesse dicit, vix initium parandi. O laudis amor ! o audacia ! o temeritas ! ad cætera enim te, Tancrede, strenuum dixirim, hic temerarium : ad cætera constantem, hic pertinacem. Casus cæteros aut loci commoditas, aut spes subsidii, aut necessitas irruens, aut si qua alia prudenti semita patet, habuit excusare : hunc autem temeritatis omnia arguunt ; parietina vetus, grassator robustus, propinquitas hostium, remotio sociorum : cætera ut aspirent, *Farfar* transvadatus, subsidia disjungit, enimvero si quod absit Turcorum armis traditus succumberes, velocius in ventres hostium transisses coctus, quam ad socias aures captus. Manes tamen ; manes, pugnas, obsides, portam munis, portam quatis, nunc tu hosticam, nunc hostis tuam. Totus occidens quantus quantus est, in ortu pugnat ; tu solus ad occasum, paucis commilitonibus gaudes, sed fortibus : præscriptum enim illud munimen satis arctum multitudinem non admittebat, paucos vix capiens.

LI. — *Tancredus 700 Turcos ad prædandum egressos delet.*

Studuit namque primo ut ad initium redeam, rem clam gerere Tancredus, quatenus lateret cives qui nullo sole intermisso, in partem illam egredi herbas messuri consueverant : inde fuit quod claustrum illud subiit nocturnus : illi vero nescio quo auspicio in hanc ipsam suspicionem ducti, primo die paucos ipsos a longe emittunt messores, quatenus hoc pateret examine, si novas formidare insidias debuissent : quo viso, nostri mox se abscondunt, nec exit quispiam. Redeunt itaque Turci qui exierant intra mœnia, nullo turbati armorum incursu : similiter die postera exeunt, sed et plures, et castro propius ; fecerat eos jam tutiores dies hesterna, quæ transierat tuta herbilegos incolumes ducens ac reducens. Tunc vix Tancredus leones cohibet, visis prope ovibus astare. « Sustinete, inquit, adhuc modicam hanc dieculam, viri fortes : cras, ni fallor, incidet in retia nostra præda uberior. » Sicut prævidit, sic accidit : nam bis jam prætentato aditu, et biduana herbæ sustentata penuria, die tertia hinc tuti egrediuntur, hinc coacti ; et quia propiora urbi prata messuerant : quia de Francorum præsentia adhuc hæsitabant, et multi exeunt, et Francos transeunt. Tunc ruptis claustris Tancredus irruens, quid prudentia audaciaque junctæ possent, subito ostendit : qui in medios irrumpens, tanto avidius in ore gladii omnes absorbet, quo acrius eorum viscera torrentur, quibus sustenta est inter pocula sitis triduana. Ne longum faciam : cæsis circiter septingentis, cæsorum capita Tancredus 70 Appodiensi transmittit episcopo, decimam de triumpho : quibus oblatis, episcopus gemino percellitur gaudio. Tum de amici victoria, tum de sibi impensis in allegatione muneris honore et gloria. Eodem itaque remunerat victorem numero marcharum, quot et ipso donatus fuerat cervicibus peremptorum. Tancredus eo multum æris tempore

commilitonibus suis debebat, in loculis nihil habens. Gaudium igitur et exsultatio comitata sunt pecuniam, quæ mox ducem absolvit a debito, militumque inopiam distributo relevavit argento. Forte etiam contigit ut missum a præsule nuntium alius præierit non missus; quo audito, statim dispergitur, quod nondum habebatur; mox alios ditat, qui adhuc egebat, ita enim dicebat in corde suo : « Thesaurus meus sint milites mei; egeam ego dum ipsi abundent, non sollicitor habere; sed habentibus imperare. Onerent hi argento marsupia; ego eos curis, armis, sudore, tremore, grandine, pluvia. » Quos tamen die bellis, nocte vigiliis fatigatos ipse leniter supportabat vici debitæ subeundo, qua vulnus excusaret, seu morbus : suam vero nunquam dominii reverentia desidem fecit; quin ipse et semper explebat suam, et non solum, ut præscriptum est, supplebat, sed et præripiebat alienam.

LII. — *Singulari certamine Tancredus tres Turcos confodit.*

Quod dum sæpius ageret, contigit ut uno comitatus Achate ad excubandum egrederetur, lorica galeaque cessantibus, accinctus gladio equitabat, puer hastam gerebat et clypeum : item armati tres excubabant Turci, quos Antiochiæ porta emiserat : errabant autem alii aliorum ignari : nam longiusculum castra ab urbe spatium dirimebat; frutices, monticulos, convalles interjiciens, aptas insidiis latebras. At duobus tres compertis, irruunt in quem alterutrum irruant ignari. Quinimo miseri, fugite : fugite, inquam, Castoris, Cyllarum, Achyllis fraxinum; dextram Meleagri, animos Tydei, Herculis trinodem, Ajacis septemplicem : hæc enim omnia unum hunc bellatorem armant : frustra lacessitur; ultro ipse occurrit omnibus his armatus, quem fugere cautum est, exspectare stultum, impetere furiosum : verumtamen quoniam invitum qui servat, idem facit occidenti. irruite ocius, ut quantocius corruatis : corruite subito, ut supersit Marchisides in æterno. Qui occursum aspiciens dementem, velociorem, ut fit, arrepta fraxino occursorem transfigit. Pelta et thorax alios tueri solent, sed alii objectæ perfossori : hic perfossor nullam sinit esse loricam fidelem, nullam non fallacem : hic percussor de galea facit mitram, de clypeo pallam, de thorace subuculam; perforat denique ut linum lignum, ut cannabem calybem, ut lanam, lammam : sed primi medius, nece conspecta, fit tardior : ut tardioris, ultimi subsidio fulciretur. Infelix qui modo velociori præcursum invidebas : nunc segnioris beatam præfers tarditatem; et id tamen frustra : uni siquidem debentur dextræ velox et tardus, unus quippe ambos aggrediens, hujus adhuc obviantis frontem dissecat, illius fugam tergo sistit trajecto. Sed est quod stupeam, nec satis valeam stupere : cum homo tam pretiosus laudis emptor, mox præsentis ora armigeri silentio concluserit adjurato : pudorne, an religio, an adhibendi fidei diffidentia causæ fuerint, prorsus ignoro : nam si pudor; quid aliquando quis ducet honori, qui armatos tres uno perimere impetu ducit pudori? quod si religio; monstri simile aiunt pisces sub aratro scatere : ast ego longe monstruosius tam cupidum laudis laudem fugere. Denique tam clarissimus bellator tot difficilia aggressus, tot aspera perpessus, tot certàmina supergressus, facile fidem impetret, præsertim strage armis vicinia testibus, ante omnia lingua ipsius, cui ut nulli certius credebatur : verumtamen latente causa effectus patuit, causa, inquam, silentii effectus cædis patuit etiam longo tempore post rei series, ut adjuratus armiger diem silentii complevit præfixum.

LIII. — *Christianorum patientia in dura hac et longa obsidione.*

Monet me tempus ad intermissam redire obsidionem, ut vel quantulam de sudore tanto qui sudavere accipiant mercedem : nam in ejus exercitu jam fere octimensis mora multi strenue multa; maxime majores viri majora fecerunt : socialiter autem summi, mediocres, et imi gravia pertulerunt, famem, terræmotum, aquarum inundationem, aeris terrores varios, impetus quoque nunc cœli ruentis, nunc belli ingruentis : prodigia quoque et visiones : hæ multis clam, illa cunctis palam cœlitus effulserunt : quorum singula si suis ordine, modo, dignitate explicem : nimis interim sileat Tancredus sicut quietis scriptor, ita silentio indignus. Porro cymba nostra sero veniat in portum, si tanti procellas pelagi sulcare aggrediar : quis enim de Godefridi viribus stupendis præsumat, cujus ense trajectus Turcus duo factus est Turci : ut inferior alter in urbem equitaret, alter arcitenens in flumine nataret. Aut quis illud Raimundi digne admiretur, quod sæpius occurrenti Antiochiæ solus restitit, quod interdum fossas, interdum muros supergressam viriliter repulit : imo quod nullo exercitus remoti fretus auxilio, pontem obsedit. Nonne sola Flandrigenæ Roberti lancea singulariter suum expostulat scriptorem? quem dum quotidianis mortibus Antiochiam ditat, quotidiano comes equo pauperatur, ut scilicet fallente damnum ardore laudis, aliquando principi tanto deesset equus, nisi succurreret vicatim mendicatus. Deferebatur pelvis patula per tabernas, quam rem miserantia supplebant comiti equum, macellum ex caupona. Porro quid simile illi sæcula nostra viderunt, quod ducenti circiter semiermes XV, millia armatos pars major asinarii caballarios, languidi fugavere robustos? cujus victoriæ fertur Blesensis comes dux fuisse Godefrido Boamundoque sociatus. unde septingentorum et eo amplius capitum asportatio Antiocheno spectaculo facta est ostentatio lugubris, inter quæ sigillatim palis affixa, quantam putas illud Blesensi gladio gloriam contulit, cujus oculorum distantia semipes fuit? Horum ut dixi via centifida iterum me revocat, nedum singulis vagabundus insistam; a cœpto tramite devius aberrem. Celebrent suos Normannia, Flandria, Robertos, reliquos duces occidens reliquus :

mihi unus Marchisides sufficit, cui non sufficio vel totus. Ignosce Gallia scriptoribus dives, juvat me Antiocheno vacare principi, præsente me gesta liberius persolvam debitor creditori. Verumtamen ne nulla bene meritos silentium meum mercede remuneret, compendiosum quippiam conabor perstringere, quod scriptura posteritas prolixiori valeat stylo explicare.

LIV. — *Graves obsidentium angustiæ.*

Igitur a tribus ventis urbe obsessa, Auster solis nullum perflavit obsesssorem ; in latere illo nihil humidum, nihil planum, quæ incommoditas commoda civibus clausores exclusit, clausos absolvit. Illinc insidiæ, illinc duri viatoribus occursus; cum aut egrediens Francus victualia quæreret, aut inventa regrediens afferret. Tantus populus, tot gentes, tot millia multo indigebant pecore, multa cerere. Syria, Cylicia, Rodus, Cyprus opulentissima, quædam insulæ, quædam regna exercitum alebant, sed parce tamen : licet Chio, Samo, Creta, Mitilena, aliisque famæ minoris pene innumerabilibus insulis adjutæ. Aderat imperatoris Alexii præco, qui ad comportandas segetes terra marique populos urgebat. Cœperat cum hyeme obsidio, per quam evoluta universos hiemis pertulit horrores; aquæ diluvia, nunc subita, nunc continua, tantos cœli terræque motus; ut soluto elementorum fœdere, hæc ad summa surgere, illud ad ima corruere videretur. Nam quid de turbinibus, quid de ventorum rabie dicam ? Illis grassantibus, nec tentorium stabat, nec mappale, vix palatium seu turris. Durabat sub jove juxta cum plebe nobilitas, hiems neutri parcebat : tanto tamen nobilitati asperior, quanto est durior rusticus milite, laborifer delicato. Tot procellas sociabat esuries, esuriem mors : mors passim habenis laxis et homines præcurrebat, et bellorum solatia equos, rarum erat in castris stabulum, cui fames novem sublatis, decimum reliquisset. Armorum quidquid ferri erat et calybis corripuerat rubigo, clypeos dimiserant clavi et coria ; hastæ, sellæ materies lignea, paucorum erant integræ, multorum resartæ, nullorum lucidæ, nonnullorum nullæ : sine nervis vacabant arcus, et sine arundinibus sagittæ : undique inopia, undique calamitas, undique desolatio.

LV. — *Mira Christianorum fiducia.*

Dura hæc nimis et tristia, cum subito gravia gravibus cumulantur, succedente Piscibus, Ariete, vere hiemi cujus temporis herba Medorum Persarumque equos bello redintegrat. Improvisi adsunt Turci, numerus multus, et vires ad prælia paratæ. Prope jam aderant, die eadem aut subituri mœnia, aut castra irrupturi, cum rumor prænuntius advolat, qui rem, ut erat, pandit Christianis. Addit etiam more suo, et de magnis majora loquitur. Hinc exciti Latini proceres obviare parant, quod tamen difficillimum, imo quasi ob vitæ tædia in mortem ruere potuit æstimari. Nam de tanto numero, de tantis militum qui urbem obsederant copiis, vix 200 A corrogantur, in equis obviam profecturi. In his tamen asini bona pars supplent vicem equorum : nam forte equos, gens nostra nil tale veriti, longe miserant frumentatum. Igitur tam exilis numerus adversum quindecim millia, sicut ab his qui adfuerunt didici, ad pugnandum egreditur : mira audacia! sæclisque omnibus prædicanda ! in procinctu hoc duces fuisse memorantur Godefridus, Boamundus, Blesensis Stephanus : ii cum ad eum venissent, quem corrupte vulgus pontem Ferri pro *Farfar* nuncupat, visis ultra procul hostibus, non restant ut timidi, transeunt ut timendi, præcedit Boamundus, subsequitur Godefridus, in subsidio est Stephanus.

LVI. — *Hostes aggrediuntur pauci et fugant.*

B Monticulus trans, et prope pontem in planitie exstat, sub ipso exspectant nostri, per ipsam quæ amplissima est Turci advolitant : prospexerant enim nostros a longe, mirati qua fiducia gens tam modica pontem transmearent. Illa autem transmeatio tam prudens quam audax, magnum incussit terrorem hostibus, nostrorumque paucitatem, plurimæ multitudinis opinione cumulavit. Ideo Turci cum appropiant substant, metuentes ne mons præscriptus paucos ostenderet, multos absconderet : ipsum hoc simulantes Christicolæ. hastas vexillis armant, singula singulis aptantes, quasi tot abderent agmina, quod proderent vexilla : moxque nihil cunctati, erectis hastis, tali hostes perturbant impetu, ac si falC conum turba fulicas impetisset. Surgit pulvis, sonant arma, ungulæ perstrepunt, claugunt buccinæ, oculi caligantur, aures vacant, corda hostium stupent, ut plura timeant e latebris surgere Francorum millia, quam viderint vexilla. Dictu mirabile et tanquam a fide alienum! terga quantocius vertunt, multitudo tanta, paucis de Christi numero amissis, majore in his Gunano comite Britannico, qui animis furentibus, uno contentus socio, Persarum exercitum primus invadere præsumpsit. Illius mihi juxta pontem in via longo tempore post ostensus est tumulus, quantum licuit, ut gentis est pietas, saxo et cruce decoratus. Sed adepti victoriam Franci, fugam persequuntur, brevi tamen instantiam longam prohibentibus equitum raritate, equoD rum tarditate, utrorumque inedia. Referunt ad castra signum victoriæ 700 cædis exercitæ capita : prius tamen prædicto comite, sociisque martyrii, prout res tulit, consepultis. Illa, si memini, luce hæc facta sunt, qua Latinorum gens ventri et carnis edulio studiosus indulgent, cinere vertices in crastino aspersuri.

LVII. — *Patria auctoris hujus historiæ. Fames in urbe.*

Nox sequens robore horribili cœlum intecit, ut qui in occidente positi cernerent ; oriens pugnat illico clamarent. Vidi egomet signum illud cum adhuc in paterna domo Cadumi adolescentulus degerem, nondum mihi visa seu nota nisi nomine tenus Antiochia : sed nec Roma. Stupuerunt multi illo viso, qui omnes uno ore bellum indixerunt ac

sanguinem : sed, reversis ad socia arma victoribus, allata palis capita infiguntur, pali tellure ante muros in conspectu hostium seriatim. Inventum est unum inter cætera et hoc memoriale ab oculo ad oculum semipedalem distantiam habens. Clamant qui infigunt, spectantibus de muris civibus : ecce spes vestra, ecce minæ vestræ, ecce adversus Francos vires corrogatæ, eadem vobis stipendia reservamus, similis exitus similes manet, inclusi estis, erepta est fuga, consumpta Ceres, fames inducta, subsidium ademptum, adversa omnia. Viso auditoque quod gesserant Franci, ac dixerant : Urbs trepitat, nec de cætero sicut prius portas aperit, tabescit in fame, luget in timore ; in hac ver continuum calamitate transigunt, panis inopiam verna copia frondibus herbisque more pecudum levantes. Tunc Cassianus, hoc erat principis inclusi nomen, dat edictum, et qui scrutentur mittit, ut apud quem civium inveniretur annona ; dimidiam ipse ad curiam mitteret ; de reliquo ut posset, vitam sustentaret. Civitas, hoc audito, grave ferunt, tolerant tamen : annonam dimidiant, hoc curiæ illud vitæ ; mitigat damnum usus ipse damnorum, maxime quod bellatricem manum sumptus ille alere debebat.

LVIII. — *Multi duces ab obsidione recesserunt.*

Abscesserant interea ex castris exosi tædio comites Blesensis in Cyliciam, Laodiciam Normannus ; Blesensis Tharsum ob remedium egestatis, Normannus ad Anglos, spe dominationis. Angli ea tempestate Laodiciam tenebant, missi ab imperatore tutela ; cujus fines vagus populabatur exercitus, ipsam quoque cum violentia irrumpere tentantes, in hac formidine Angli assertorem vocant præscriptum comitem, consilium fidele ac prudens. Fidei fuit fidelem domino suo virum, cui se manciparent asciscere, jugo Normannico se substraxerant, denuo subdunt, hoc prudentiæ, gentis illius fidem experti et munera facile redeunt unde exierant. Igitur Normannus comes ingressus Laodiciam, somno vacabat et otio ; nec inutilis tamen dum opulentiam nactus, aliis indigentibus large erogabat : quoniam conserva Cyprus Baccho, Cerere, et multo pecore abundans Laodiciam repleverat, quippe indigentem vicinam Christicolam et quasi collacteam : ipsa namque una in littore Syro et Christum colebat, et Alexio serviebat. Sed nec sic excusato otio, prædictus comes frustra semel atque iterum ad castra revocatur. Tertio sub anathemate accitus, redit invitus : difficilem enim habebat transitum commeatio, quæ comiti ministrare Laodicia veniens debebat.

LIX. — *Obsidentium ducum stationes.*

Principes alii propiora occupaverant municipia, ideoque facile alebat eos opportunitas commodior. Duci sedium contigerat copiosa, populosa civitas et vinosa. Vallem propinquam tenebat Flandriæ comes, in qua *Balena*, *Barthemolin*, *Corsehel*, *Barsoldan* oppida erant, præter hæc complura : inde est quod adhuc illa dicitur Valliscomitis, sicut etiam sedium ducis civitas : porro *Emma* et *Harenc*, Tancredo serviebant, eumque his multa et proxima castris et uberrima. Ipse primus adventaverat omnium, sicut supra memoravi, præcursor : quæ præcursio illud vulgi effectu suo corroborat, qui primus nascitur, primus pascitur ; nam ubi fames increbuit, ipse opulentus neminem de domesticis suis a mensa exclusit, multos ab aliis exclusos suscepit ac fovit. Vallis *Doxa* Boamundum alebat, quæ merito tale sortita est nomen, si quidem ipsa inter cæteras vallium gloria messibus, vineis, arboribus, rivis exuberat, ut antiquitus *Dapne*, quod apud Græcos amœnitas sonat dici mereretur, Antiochiæ contigua ab austro magno indiguit tutore, qui esuriem civium arcere sufficeret a copia alimentorum. Habebant et alii principes alia oppida, quorum memoriam dies longos delevit : non delevit tamen Raimundo comiti *Rubeam*, *Rufam*, *Arican*, *Belmesyn*, municipia servisse.

LX. — *Gravis in exercitu fames.*

Sic primates provinciam occupaverant. Ast alii famæ minoris, licet magnæ multa penuria afficiebantur : quoniam quidem nec exire mors, nec manere fames geminæ quasi sine medio angustiæ populum dimittebant. Induxerant enim famem mora longa, et populus infinitus ; porro non erat dies qui obsidentium aures de egressorum ad victualia nece non terreret audita : principes tamen nunc hic, nunc ille vicissim præsidium viatoribus ferebant, interdum et ipsi præsidio egentes : nam supra memorata illa australis porta semper insidiis patens, nunquam desistebat cohortes fundere, quæ augusta viarum obsiderent, sicque viatoribus occurrerent ignaris. Jam vero acrior altera, id est fames præponderavit, quæ spreta nece huc illuc palantes, veluti apum examina misit exercitum. Quid fames non spernit ? ad quid non impellit ? quem pudere sinit ? Illa fuit etiam Guidoni Rubeo Wilhelmoque agnomine Carpentario abscessus causa, viris illustribus interque palatinos regis Franciæ non obscuris : iis, inquam, abire parantibus, Boamundus adest. « Et quam, inquit, vobis requiem quæritis, nihil de communi labore solliciti ? nobiles estis, patet via, est hic tentoria manebunt ad æternum nominis imo generis vestri [*f.*, infamiam] publicæ reservanda cloacæ » Discedunt illi infamiæ securi, fames stimulis contemnit infamiam : comitem sequuntur Stephanum qui in Cyliciæ finibus quietem agere supra scriptus est. Unius generationis, unius moris viri, unanimiter laborem oderant, otium sectabantur, pugnaces tamen : sed inter bella deliciis assueti.

LXI. — *Provincialium mores.*

Gentis hujus sublimis est oculus, spiritus ferox, promptæ ad arma dexteræ, cæterum ad spargendum prodigæ, ad congregandum ignavæ. Ilis quantum anati gallina, provinciales moribus, animis, cultu, victu adversabantur : pace vivendo, sollicite perscrutando, laboriferi : sed ne verum taceam minus bellicosi. Muliebre quiddam esse, aiunt, et tanquam

vile rejiciunt corporis ornatum; equorum ornatui A invigilant ac mulorum. Sedulitas illorum tempore famis multo plus juvit quam gentes plurimæ, bellare promptiores; ii ubi deerat panis, contenti radicibus durabant, siliquas non aspernantes, eorum dextræ longi gerulæ ferri cum quo intra viscera terræ annonam fascinabantur : inde est quod adhuc puerorum decantat nænia : *Franci ad bella, provinciales ad victualia*. Unum quidem fuit quod cupide nimis committebant ac turpiter : caninam carnem pro lepore, pro capra asininam gentibus aliis venditabant, vel si remoto indice ad equum pinguem, sive mulum licebat accedere, per retroneum seu purgatorium foramen in viscera vulnera demittebant, moriebaturque jumentum. Stupor omnibus, qui iguari fraudis illud pingue, alacre, robustum, lascivum B modo viderant : nulla comparebant vestigia vulnerum, necis signum omnino latebat. Spectatores territi viso monstro : « Absistamus procul, aiebant, dæmonis spiritus hoc jumentum afflavit : his discedentibus, necis conscii tanquam nescii accedebant, prohibitique tangere : malumus, inquiebant, in hac esca mori, quam jejuni. » Miserabatur damni patiens illatorem, illator illi risum rependebat. Tunc corvorum in morem ad cadaver gens illa advolantes, quas quisque poterant particulas divulsas aut in ventrem aut ad macellum demittebant.

LXII. — *Cassiani erga Armenum duritia.*

Sed jam expertus miseratusque athletas suos Christus, lætos ad exitus agonem ducit; perusto solibus C populo, urbem, et umbram aperit hoc modo. Fuit inter eos, quorum Cassianus annonam dimidiaverat, vir dives Armenus, qui abrenuntiato Christi dogmate errores gentilium sequebatur : is plurimam habebat familiam, juxtaque familiæ numerum annonam : quod ubi fame crebrescente Cassiano innotuit, denuo illud dimidiat quod prius vitæ miseræ reliquerat solamen : prior fuerat per domos et familias generalis rapina; hæc singularis, eoque gravior, quasi damno adjecta injuria. Spoliatus ille vitæ subsidio, lugubris et amens principis vestigia osculatur, liberis inopibus solatium repetens ademptum. Quem non moveat lacrymarum fluvius, clamorque æthera feriens? « Væ vobis liberis meis non jam dicendis, ut prius, charis pignoribus, sed diris D vulneribus : vestra fames meam consumit, vestra cor meum penetrat, meam non sentio. Quid prodest cibis pavisse delicatis, quibus modo denegatur, qui servis datur inutilibus, panis? Satius patri misero fuerat videre trucidatos, quam inedia afflictos, prius lanceæ genitorem perfodiant, prius fulmina crement, prius maria submergant, quam vestrum illum quem anima mea abhorret aspiciam finem. Væ! sic erit : hoc unum jam restat mihi solatium, mors mea præibit, liberabit me a conspectu vestræ aut mucro, aut laqueus. Sed misoremini, o cives! intercedite pro innoxio, vel certe puniar ego ut nocens, dum mea famis tormento non crucietur familia. »

LXIII. — *Proditur civitas.*

Multis ad hunc modum ille miserabiliter, sed inutiliter effusis, spernitur, irridetur, repellitur. Commissa ei fuerat ab obsidionis exordio turrium unius custodia, longe ab exercitu in angulo civitatis ad zephyrum supra montem sitæ : hujus proximam inferiorem fratri ejus custodiendam Cassianus tradiderat, ut dici posset sorores duas duobus fratribus esse commissas : nec tamen incaute hoc, vel casualiter actum est : prudenter longe a Christianis deputati sunt custodes, qui aliquando fuerant Christiani, hoc provisum est et hoc actum. Sed ubi alter fratrum ille repulsus objectum se contumeliis videt, nullo intercedente, nullo miserante; saluti propriæ consulit, generali civium perditione suas ulturus injurias. Sopitis nocte intempesta excubiis, de muro cui junctam turrim observabat, funem demittit, per hunc gemino comitatus pignore descendit, longo fatigatus circuitu ad Boamundum tandem pervenit. Eum inter cæteros quasi principum principem orientalis ille populus arbitrabatur, quod olim Wiscardo Græciam debellante, Boamundi fama terruerat Græcos plurimo certamine gloriosa : extunc factus Asiæ celebris, nunc quoque omnium dominus putabatur. Sed jussus ad quid venisset exponere Armenus : urbis introitum pandere se paciscitur, diem statuit et horam, locumque aditui opportunum. Mox filiis obsidibus ultro oblatis, datisque, solus ad funem revertitur, comitantibus tamen impellentibusque ira, audacia, spe, timore, sursum facile volat.

LXIV. — *Boamundus episcopo Podiensi rem nuntiat. Oratio Podiensis episcopi ad milites.*

At Boamundus nunquam pari excitus gaudio, sole orto Appodiensem episcopum, virum quem papa Urbanus tanquam alterum eumdem exercitui præfecerat, adit, ipsius fidei secretum hoc committit. Episcopus autem et fideliter rem tegere, et tectam sedulo se spondet promovere. Igitur statim exercituum rectores convocat, et qui erant in populo majores; quibus congregatis sic fatur :

« Multum diuque, fratres, vexavit nos labor præsens, multum diuque, nisi oculus Domini super nos fuerit, vexabit. Machinas struximus, palam obstitit; mœnia fodimus, repulsi sumus; pugnavimus, hoc unum prospere cessit : sed timendum est ne hæc quam instare aiunt pugna, eo sit gravior quo numerosior. Ille hostium numerus quindecim millia fuit : hi sunt, ut perhibent, quater centena millia, hostium vires non cessant crescere, nec nostræ minui. At respicite quæ est firmitas urbis, quis sit situs : fossæ ejus tria latera impervie ambiunt; quartum palus et fluvius, per circuitum muri, quibus si velit mundus pares astruere non habet; fontes intus scaturiunt, cætera ad usum vitæ congregare sufficienter potuerunt, apud quos per adventus nostri minas annus transiit. O Antiochia, aut nunquam esses, aut nunquam obviasses! causa viæ Jerusalem est, quid Antiochiæ et nobis? quod si hanc post tergum dimittimus, si ab hac repulsi ultra progredimur,

nihil est actum, nihil restat sperandum. Hanc, inquam, si dimittimus, non ipsa nos dimittet : semper sequitur comes ; sed ut verius dicam, adversatrix hæc vias obstruet, hæc a tergo, hæc a fronte pugnabit, hæc resistens, resistendi spem aliis dabit, quæ capta omnes alias formidine involvisset. O mœnia ! utinam aut nunquam surgeretis, aut procul ab oculis atque auribus nostris ! Sed deliberemus, o proceres ! conferamus in medio, proponamus præmium virtituti, excitabimus, spero, corda hominum audita summa præmiorum. Respicite Saul quid fecerit, et de antiquis exempla sumamus. Non fuit in Hebræis, qui contra Goliath surgeret, donec regis filia et libertas patriæ domui promissa David suscitarunt. Aiunt intra se multi, atque etiam palam : cui laboro ? ad quid me crucio ? cur vulnera excipio ? ego vitam meam pretium Antiochiæ dabo ? ingratus quispiam nescio quis principabitur. Absit ego plorem, alius per lacrymas meas rideat ingratus. Quare agite, non moveat vos ambitus regnandi : sed potius viæ cœptæ consummatio : melius ipsa civitas illi contingat merces, si cujus ope nos receperit, quam præmii expers virtus torpeat, excusationem quam audistis objiciens. Hoc est quod sanius, quod efficacius, quod præstantius, meditari, indagare, excogitare mens mea potest : discretio vestra, o proceres ! si quid minus dixerim, suppleat; si plus, adimat ; si male, mutet ; si bene, annuat. »

LXV. — *Principatus urbis ei promittitur per quem in ipsam futurus est aditus.*

Ad hæc universus consilii favor : prius qui primi, qui post primos posterius pro dignitate sua singuli assonant : nemo non favet, omnes ei quicunque sit urbem annuunt, per quem aditus patebit. Tunc Boamundus : « Promissum, inquit, quod jurejurando obstringitur jam quasi datum est, ut transeat quodammodo futurum in præsens, spes in gaudium : quod si soluta ab hoc vinculo tantum sunt verba, quid confert autem ? pollicitis dives quilibet esse potest : quare si cupitis ratum fieri, fixumque stare, quod promittitis conjuretis. » Nulla fit mora, nulla retractio, sicut moniti sunt jurant, etiam si majora his monuisset, in spem remedii parere non duri. Sic jam certior experrectiorque Boamundus aliquot primatibus consilium suum aperit, omnibus ad ingrediendum parandum esse manifestius indicat, maturam opem adeo sub certa spe promittit. Tunc vale invicem dato, ad propria redeunt, funibus struendis dant operam. Ille maxime qui unus inter currentes bravium comprehendere intendit ; ille accelerat, ille cogitat, ille totus de noctis proximæ adventu pendet quæ pigra sibi supra quod amicam exspectanti vel opus debentibus videtur.

LXVI. — *Traditur civitas.*

Ea tandem cum advenisset, medio omnia tenente silentio, Boamundus promissam sibi turrim non sine multo sudore pedes adit, neque enim loci asperitas equos admittebat : eundo tamen nuntium præmittit, qui excubet, qui prævideat, si tutus satis est ad mœnia accessus. Sanctus ille proditor hujusmodi signum dederat abscedens : « Cum veneris, inquit, domine mi, nuntium ad pedem turris meæ præmitte ; ego in muris sedulus excubabo : si prospera omnia, lapidem post lapidem demittam, si adest periculum, unus indicabit. » Ad hæc igitur discernendum excubator præmissus, turri appropians statim agnoscitur, agnitus prosperitatis signum accipit, rediens annuntiat quod audivit. Boamundus ergo, sicut cœperat, ad mœnia pervenit, funem deforis pendentem invenit, in eo suos ligat, Armenus trahit ; cumque satis firmos struxisset nexus, juventus volucris pennata corpora accincti gladiis per funes volant, Gouel Carnotensis primus, sicut aquila provocans pullos suos ad volandum, et super eos volitans, vir ille nobilis, et a puero nihil esuriens ut laudem neque sitiens, non propter vitam laudari, sed propter laudem vivere cupiebat. Primo tacitum est, dum paucitas multitudinem formidavit : at ubi multitudo introducta, formidinem exclusit ; jam in leones vertit animus, quos aquilis similaverat ascensus.

LXVII. — *Cædes civium.*

Currunt ad portas, quibus si quis occurrit, occumbit. Primus gladios eorum expertus est, in cujus primam turrim descenderunt, illius sui introductoris germanus, quem secreti hujus frater reliquerat ignarum, ne gnarum facere hoc esset sibi suisque patibulum struere. Illo itaque sociisque custodiæ repentino gladio jugulatis, fit clamor, quo turres aliæ tremiscunt, fugiunt vigiles quibus licet, aliis ipsæ factæ tumuli, sepultos servant a quibus modo servabantur ; sic ad portas descendunt nostri, propiorem in occasu, repagulis excisis, Boamundo aperiunt alteram quæ boream excipit et pontem Raimundo. Ad illam per abrupta per avia Boamundus descenderat, hanc de proximo diu obsederat Raimundus, qui audito tumultu de intus, mox adest nihil cunctatus. Fuerat illa curarum maxima, ille timor magnus, ne introductis nostris, occurreret civitas, portas tueretur, auxilium excluderet ; at miserante populum suum Christo, dum hi veniunt, illi fugiunt ; portæ custodia vacantes facile patent, ubi secures altrinsecæ in mediæ trabis excidium laborant. Nox hactenus Christianis obsecuta est, aurora rutilat, dies accelerans tantum nocti gaudium invidet. Igitur orta luce, Christiani palatia irrumpunt, captæ urbi insultant, latibula rimantur, aurum, parvulos, matronas, puellas, præterea quid quisque invenit, arripit ; mares quod bellicosum est trucidat, quod imbelle reservat. At cives, qui promptus fugæ, qui pede celer, relictis omnibus, in montem fugiunt, saucium pater filium non exspectat, sed nec filius patrem grandævum.

LXVIII. — *Princeps Antiochiæ Cassianus fuga sibi consulit.*

Situm in summa rupe castrum multos recepit, quam plurimi excluduntur, quos Christianus ensis

obvius avertit : hi pars in montem corruunt, A quidam per interiores gradus ascendunt muros, dant saltum foras, exitialem aliis, atque aliis redivivum. Latus illud urbis, ut supra dictum est, obsessore vacabat; ideoque quos egrediendi licentia expediebat; visum est illis aptum fugæ divortium. Ipse etiam princeps Cassianus verticem gladio, tergum lancea, jaculo saucius femur hac evaserat, quantumque nox, diluculum, calcar, equus adjuverant, jam prope Rubeam oppidum elongaverat : illic equo destitutus, ac tenebris in fruteto absconditur, sperans sive de præsenti luce viatorem opiferum, vel saltem de nocte instanti tenebras fugæ solatium : hac in spe miser ille saucius, ut dixi, anhelus, sitiens, arrectis auribus, oculis ad vias intentis, in dumo latitabat, lepusculo similis quem catulorum faucibus ereptum vepris celat. Proh mundi gloria! Quid nunc eo infelicius? idem heri Antiochiæ princeps, Syriæ dominator ac Phœniciæ, Assyriæ terror, regum orientalium potentissimus, uni Solidano cui regnum Persida regnaverat, secundus; sed dum tantis miser vexaretur angustiis, sitis acrior viscera torrebat, viso ruricola aquæ amphoram bajulante; illi innuit, accessit, bibit. Aspiciens rusticus habitum, faciem contemplatur, stupensque ad casum et vulnera : « Heu! inquit, domine mi princeps, cui de te tantum licuit, cujus in te tanta surrexit audacia? » agnoverat enim eum, ut semper plebis oculi ad regiam majestatem intenduntur : stupebat ergo eventus adhuc recentis ignarus.

LXIX. — *A rustico occiditur.*

Tunc Cassianus misertori infelicitatis suæ fidem adhibens, simul metuens ne dissimulando diffideret, diffidendo vices hostis exsequi videretur : « Perdita est, inquit, Antiochia, Franci tenent. Ego qualem vides terno hac vulnere vix aufugi : at tu, obsecro, ne palam facias : vesperi scilicet fugæ operam dabo. Tu mercedem quam maximam a me, si evasero, exspecta. » Vulgus fortunam sequitur, qua ridente, multos in eo numerabit amicos; eadem trista, diffugiunt siccatis cadis cum fæce, ferre jugum pariter dolosi. Attonitus tanto, tam repentino casu rusticus, apud se non est, infremit spiritu, stupet, deliberat tandem quid in tanto rerum cardine sit agendum. Statim tractat interitum ejus, cujus modo vulnera miserabatur, in qua re duo pensat : accessum facilem, effectum utilem. Si hunc occiderit, præsto est merces, vestes regiæ et equus, ad hæc Francorum gratia : præferenda tamen his fuerant amicus Christus, cujus inimicum interemisset, et de tanti nece principis laus immortalis, quæ in mortem multos impulit mortales : sed hæc aliena a mente rustica nobile nihil attendente : sic utilitatem considerat. Porro fessum, exsanguem, semineccm, solum, inermem videt facile arbitratur, vitæ quod restat exstinguere. Quid plura? immemor honesti, pietate neglecta, servus dominum clava sublata dilaniat, cerebrum spargit, spolia satis arcta ingentibus præferens promissis.

LXX. — *Tancredus hujusce expeditionis se conscium non fuisse conqueritur.*

Tancredus interea ignarus omnium quæ acciderant, (3) more suo vias procul ab urbe obsidebat, quæ introitum exitumque sæpius indulserant urbanis : cum ergo a profugis illac egressis captisque res gestas accepisset : « Heu mihi! heu! ingeminat, qui in tanto tam ineffabili gaudio solus cogor dolere. Proh pudor! quis laboravit, et ego quievi? qualis excubavit, et ego stertui? O Boamunde, Boamunde! aliis palam fecisti, clam mihi : o cognate sanguis! B hoccine fuit cognati sanguinis? Absentasti me, cujus præsentiam noveras in hac tanta militia primas partes non declinare. Noveras si adessem, primus ad mœnia currerem, primus funes apprehenderem, primus supervolarem, primus detruncarem : hanc mihi gloriam invidisti, quanquam tibi eam vires, ætas, fortasse animus negabant. O felix ille, quicunque est, qui has Domino Deo nostro primitias libavit! sed properemus, o socii, præcursum amisimus, saltem subsequamur. Neque enim hæc ille etiam auferet, qui vos pauperes fecit, me inglorium. At qui finxit sigillatim corda hominum, qui intelligit opera ipsorum, ipse judicet, ipse vindicet. » Hæc fatus Antiochiam venit, gaudium invenit, et ipse qui modo flebat cum flentibus, jam cum C gaudentibus gaudet : quippe gaudium commune, privatam de corde nobili expellit tristitiam. Accedit tamen et communi lætitia parva, quod relicti ad tutelam castrorum, pars militiæ audito turbarum sonitu, cum Boamundo introierant, absentique domino palatium præparaverant insigne : jamque introgressis omnibus qui principabantur, solus Blesensis comes aufuit : seu merita superum ira, seu fortunæ invidia pudenter exclusus.

LXXI. — (4) *Casus mirabilis.*

Accidit per id temporis quiddam inopinabile sine exemplo casus, cujus generis nec antecessisse nec secutum esse prodigium ætas prisca meminit, aut præsens. Considebant Boamundo vocati ad cœnam comites, Flandrensis dexter, lævus Bolonien- D sis : aderat multa plebis palatio in eodem frequentia, pars discumbentes, pars ministri, ut fit ubi principes tanti tres ad mensam conveniunt. Cibus tacitos facit; potus, quod per quemdam prudentem dictum est, loquaces : librabat Boamundus dextra cultellum post cœnam, cum Flandriæ comes alludens sic ait : « Quid sibi vult hæc libratio? manifestum est, video, solliciti signum, non eget curis hoc tempus, hora est gaudii, non curarum : Imo, inquit Boamundus, domine comes, alia est res, præ-

(3) Econtrario Baldericus lib. II : *Tancredus enim, ait, suique consiliarii rem totam ab origine noverant.* Sed major fides nostro Radulpho.

(4) Quæ hoc numero continentur, exstant in charta gestis Tancredi assuta, sive ab eodem auctore, sive ab alio post modum addita : quæ tamen narrationis seriem interrumpere videntur.

sentia vestra non me sinit esse solicitum, cui lu- A dum struo dum trutino cultellum : Hunc cujus grossitudo cæteros premit (et ardebat coram eo cæteris grossior super candelabrum cereus) hunc, inquit, semel ictum in duo dispertiam. » Visus est comitibus sermo delirus, et quem nulla possit sequi effectus facultas : quapropter subjicit Flandrensis : « Aggredere quod jactas, princeps, voti compotem donabo chlamide mea : tu vero impos me tua ne abnuas donare. » Conceditur : qui mox sublato B. ictu astantem dissecat cereum, descendens quippe ex obliquo dextra facilem caute impetravit sectionem. Fit itaquè cereus unus duo, quod dictu est mirabile, ardens ardentes : ardet quæ ardens deciderat pars superior; ardet inferior quæ fixa astabat, neminis manu admoto igne per se accensa. Aspicientium stupent mentes, omine acti actor ipse terretur. Volitante populum rei fama, ex omni atrio, ex omni officina accurritur, stupetur, nequeunt expleri corda tuendo, adhuc stupentibus iis, adhuc mirantibus, ille subito accensus subito quoque ignis exstinguitur, augurium triste. Quod si societatem integram manendi pereundique cera et flamma conservassent, longa hæreditas, longa promitteretur successio, ad supremum sæculi diem perducenda : quia vero ortus evanuit quod succreverat igniculus, sobolis quidem aruspices promittunt spem futuræ, at mox transituræ. Ostendent, aiunt, terris hunc tantum fata, nec ultra esse sinent, et cætera quæ subdidit Mantuanus : quæ nos in nece Boamundi junioris vidimus completa. Prodigii novitas comitem defendit : non est de oppignerata chlamide ramentum, imo opes atque inopia, hæ principem illa comitem circumvallantes. Itaque non solum quod debetur non exigitur : verum etiam plurimo com[illegible] munere cumulatur.

LXXII. — *Christiani urbe potiti ab infidelibus innumeris obsidentur.*

Dies illa dies gaudii fuit, at crastina mœroris. Corbozan regis Persarum dux cum quadringentis millibus equitum adest, urbem obsidet, inclusis mortem minatur et carcerem. Hæc audiens Blesensis comes, quantum licet maturat fugam, instar victoriæ reputans, si evadere datur sociis, præsentibus morti addictis. Igitur Græciam versus revertens, imperatori Alexio apud Cuthai civitatem Lyciæ obviat cum Græcis centum millibus in auxilium Francorum festinanti. Veniebat cum eo Guido Boamundi frater, et quidam alii Francorum nobiles circiter decem millia armatos habentes. Cum ergo de obsessis Francis, de obsessoribus Persis imperator a Stephano rumorem accepisset : fama est primo eum voluisse succurrere, sed ejus qui incitare debuit, verbis revocatum, cessasse. Respondit Stephanus, aiunt, de Persarum numero consultus; si, inquit, domine mi, exercitus hic tuus illi pro esca daretur : non sufficeret ut unusquisque modicum quid accipiat. Territus verbo imperator, in Græciam refugit, oppida, rura, casas per quæ redit incendio vastat, post se populos trahit, ne forte suis ipse alimentis hostem pasceret instantem. Voluit Guido, vixque retentus est, quamvis Græco destitutus auxilio, Christicolis opem ferre inclusis : sed eodem quo imperator dehortante retrahitur.

LXXIII. — *Dira fame affliguntur*

Interea septos hostili milite Francos,
Mœnibus inclusos, Persarum spicula passos,
Dira fames cruciat; res dura, sed asperior spes.
Nulla quies miseris : hinc monte pluente sagittas,
Illinc planitie, cohibent hanc murus et unda.
Montem nihil horum : mons pervius incitat hostem.
Ergo dies bellum, bellum nox excit opaca
Summa tenent Turci, defendunt ima Latini.
Adversum innumeras stat lancea pauca sagittas, B
Dispar certamen, numerus, vires, locus, arma;
Omnia disparia, præstant hæc omnia Turcis.
Tantum animi Francis animis præstantibus, om-
[nem
Tristitiam pellunt : superant quibus omnia præ-
[stant,
Consilum faciunt, qua declinare laborem
Arte queunt : oculique leves inducere somnos.

LXXIV. — *Resistunt et propugnacula instruunt.*

Cæmentum, lapides, perpendicula, artificesque,
Funes, vasa, dolabra parant; cunctisque paratis,
Nocturni fabricant, bona res, lucem tamen odit;
Exit opus noctem, redeunt in luce sagittæ,
Lancea stat contra, dumque instat, fabrica surgit.
Dum refugit, cessat; sic fortunam inter utramque. C
Construitur murus, Turcis descensibus obex,
Si sit opus lignis, ut materiam petat ignis;
Illuc ad sparsas juga mitte bis octo sagittas,
Accipias reduces fluidos sudore jugales.
Nemo redit vacuus, pharetras implere paratus;
Ergo aliquam nactos, sed vix utcunque quietem :
Serius infigunt jam Partica spicula Francos,
Jam versant alias alio discrimine curas,
Omnimoda populus lacryma, anxietate, labore,
Plagis, esurie, curis, algore, calore;
Quod poterant avidi carpebant nocte soporem.
Ille loco panis ventres pascebat inanis.

LXXV. — *Dum indulgent somno hostis instat.*

Dum gens stertebat, murus custode carebat :
Nam, sic vulgus ait, male servat qui bene stertit, D
Cujus erant summæ latebrosa palatia causæ,
Vicatim clamans, o surgite, surgite, præco;
Hostis adest, turres ascendit, jam tenet urbem :
Vos quæ pigra quies? miseri succurrite vobis.
Hæc dum clamat, ad hæc clamata ita surgitur ac si
Ismarus et Rodope, quas durat Thracia rupes
Surgere jussa forent, jussi clamoribus iisdem,
Hinc proceres statuunt latebrasque sedesque cre-
[mare :
Ædibus accensis, custodes murus habebit.

LXXVI. — *Robertus urbem incendit ut mox adsit miles*

Flandrigena huic operi Robertus adesse monetur :
Impiger ipse pigros celer excit, et hac ope tardos,
Ne pereant magni, dum tractant otia parvi

Fit quod dictum est, urbem Robertus et igne
Vastat, et urbanos dum servat mœnia salvat.
Si recte memini, Provincia miserat illos,
Quos umbræ pigros, celeres flamma addita fecit;
Illa secus montem, sed non tamen in pede montis.
At vicina pedi gens atria maxima habebat,
Primos introitus portis sortita reclusis,
Primo quas placuit summas elegerat ædes,
Principis hinc etiam Raimundo contigit aula,
Inde quies genti partim ægra, superbaque partim :
Ast ubi Vulcanus depascit culmina, surgunt
Qui pigritabantur, piget indulsisse quieti.
Currunt ad muros, propter tentoria figunt.
Pars tegetes fabricant, sic proxima perditioni
Mœnia servantur, sic damnis damna levantur,
Sic generale malum cessans, in particulari
Sancit quod legitur : *dolor est medicina doloris.*

LXXVII. — *Templa et palatia ignis consumit.*

Urbs accensa magis accenditur, ac magis, eheu!
Excedit medicina modum, domibusque nocenti
Igne pererratis, innoxia templa cremantur :
Templa, quibus visis stupuisset pictor Achivus,
Auri fusor Arabs, sculptores Scottus et Anglus.
O quantam, quam materiam decor ille tegebat
Quippe columnarum pariis de cautibus ordo;
Forma pavimenti, vitreum mare, par cristalli
De cedris Libani fragrantia tigna, Coatus
Exsecuere trabes de silvis ætheritangis :
Marmor Atlas, vitrum Tyrus, æs Cyprus, Anglia
[ferrum.
Singula regna suas studuerunt mittere gazas :
Et quamvis furnus latens coquat Antiochenus
Plumbum, aiunt, templis misisse Amathonta tegen-
[dis,
Alterius domini culturam mater habebat :
Alterum erat Jacobi dubitatur an ense necati,
An ligno necti de templo præcipitati.
Tales materiæ, tantum decus, hoc perit igne.

LXXVIII. — *Servatis muris, instat nihilominus hostis.*

Sed jam servatis tanto discrimine muris,
Hostis adhuc instat : custodes fallere tentat,
Nox cavet insidias, lux spernit scire cavendas.
Qui spectant altis de rupibus inferiora,
Cuncta palam spectant, qui stertit, quis vigilatve,
Quæ tutore carent partes, quæ præside gaudent.
Gens Alemannorum frontem quæ spectat ad Eurum
Noctu servabat, somnis in luce vacabat :
Sæpius hæc Turci summa de rupe videntes,
Spem capiunt somnis ascendere posse sub illis.
Scalas ergo parant, veniunt ad mœnia furtim :
Ilicet ascendunt, nullo prohibente, jacebant
Custodes miseri, quasi morte sopore soluti :
Plurimus in turres jam scanderat arcus et ensis,
Cum de longinquo cernuntur talia muro.
Fit clamor, fremit urbs tandem sopita resurgit
Turba stupet, visis prope se discurrere Turcis.
Pars gladios stringunt, pars diffugiunt stupefacti :
Qui stringunt feriunt, qui diffugiunt feriuntur,
Instant Christicolæ, fugiunt ad mœnia Persæ.

A Felix cui scalæ vel cordæ contigit usus,
Cui neutræ infelix : de mœnibus exsilit altis
Audax in silices, timidus strictos fugit enses,
Dum tandem exciti surgunt, urgent Alemanni,
Turba Latinorum, pudor ! ut testantur et ipsi,
Per plateas Græci clamantes Caco Alemanni.

LXXIX. — *Obsessos fames urgens ab urbe nobiles quosdam exire compellit.*

Nec tunc destitit fortuna lacessere Christum,
Seu Christi famulos, superata resurgere tentat
Aquila, succubuit scandens, ingressaque muros
Descensum egressumque parat : nihil intentatum
Linquens, nunc dextra tractat, nunc arma sinistra ;
Dicens, si nequeo superos, Acheronta movebo.
Christicolas clausos patientes aspera luce,
B Aspera nocte fames omni crudelior hoste
Affligit, lacerat, consumit, macerat, inflat.
Trux here, nunc trucior, cras, postcras sævior, atque
Sævior accedit, quanto magis esca recedit.
Quæ tanta macie, tanta inter tædia vitæ
Expers auxilii, pars militiæ fugiendi
Consilium tractat; proba, nobilis, inclyta bello
Usque sub hoc tempus, dignissima laude juventus,
Wilhelmus fratresque sui, Albericus, et Ivo.
Isti tres cognomen habent de *Grente Maisnil*,
De Fontenella Radulphus et is Turonensis :
At fratres, pudet, heu! pudet, heu! Normannia mi-
[sit.
Illud ubique genus victoria, gloria mundi,
Anglorum victor populus, victor Siculorum,
C Victor Græcorum, Capuanorum, Apulicorum;
Cui Cenomanensis, Calaber, cui servit et Affer,
Cui Japix, horum patitur de stirpe pudorem.
Admoniti plures illorum voce fuerunt,
Ut fierent tanti comites ad fœdera probri :
Sed Deus, Arnulfusque suus parere paratos
Arcent, et turpi revocant a conditione :
Ast oblita Dei, patriæque, suique juventus
Illa probrosa viæ cœptrix, auctorque pudendæ,
Perstat in incœpto, nullo revocabilis ore :
Egregium factu rata, præclarumque relatu :
Si reliquis cæsis, hæc se substraxerit hosti.
Ergo struit funes, structis quibus atque ligatis,
Pendula de muro fit noctua nocte volando :
D Sic nocturna fugit, fuga sole oriente patescit,
Moxque fit edictum ne quis dissolvere funes.
Audeat, opprobrii monimentum posteritati.

LXXX. — *Obsessi lethiferis cibis utuntur.*

Ergo ubi jam paleas pepulerunt vannus et aura,
Purum quod remanet frumentum, aurum igne pro-
[batum,
Purgatum terræ, gens imperterrita constans,
Sed lacerata fame, miserabilis, irrequieta,
In spem vivendi currunt ad opes, moriendi
Lethiferos gustus, ut sunt salvinea, cicuta,
Elleborum, lapan, lolium, zizania mandant.
His miseri ad vitam dum vescuntur, moriuntur.
Præterea ventres solcæ quocunque repostæ.
Et quidquid corii inveniunt ubicunque rejectum.

Immissum cacabo, flammis mollescit et undis,
Inde struunt epulas, felix cui sors dedit illas,
At quibus invidit mortem morbosque reliquit.
Pressa malis, assueta bonis tam nobilis illa,
Tam præclara ducum, comitum, regumque propago,
Qualem nulla prius sepserunt mœnia nec post,
Exbavet esuriem : pro nectare vix habet amnem.
Hinc ventris fluxus, febris, hinc pestis aquosa :
Nullum solamen, partam videt undique mortem.

LXXXI. — *Singulare certamen ore Petri Eremitæ petunt a Persis.*

Multa studet, volvit, rimatur, circinat, ambit.
Qua vi quove modo, quanam ratione vel arte
Declinet mortem, vitam revocet fugientem,
Sit nox, sitve dies tractat, fecit ista palamque
Consilioque inito legatos mittere ad illum
Persarum satrapam, cui nomen Corboran audent :
Quinque, inquam, mittunt, inter quos Petrum Ere
[mitam :
Petrum cujus erant color ater, spiritus acer,
Pes nudus, statura brevis, facies macilenta.
Instar asellus equi phaleræ sibi sicut aselli.
Petrum more eremi vilissima cappa tegebat :
Scemate sub tali trabeati adit ora tyranni.
Cernentes habitum, vultum, mox cætera Persæ
Gaudent, et sperant procumbere velle misellum
Principis ante pedes, ut flexus flecteret ipsum
Poples, et ad pacem prænuntius ante veniret.
Non sic impietas, non sic : sed pulvis ut ille
Quem ventus rejicit, sic et tu rejiciere.
Tunc sic est orsus sed recto vertice Petrus :
« Gallica nobilitas Christi peregrina sepulcrum
Dum petit, egregia quæ nil timet urbe potitur,
Petrus apostolici dux agminis hic dominatur,
Hanc fovet hospitio, conservos gaudet habere.
Tu fines ejus popularis, et obsidione
Claudis Christicolas : jubeo sub nomine Christi,
Sub Petri, discede suis de finibus, et cito : vel si
Justitiam sequeris, si Persica regna quid æquum,
Quid rectum curant, armentur et egrediantur
De vestris deni vel sex, vel denique terni :
Contra par numerus concurrat Christicolarum,
Vincat uter populus, sibi serviat Antiochenus :
Victus uter fuerit, discedat ab Antiocheno.
Aut si conditio gravis hæc tibi displicet, audi
Quid sequitur, quid nos proponimus, altera restat
Fortassis gravior : cum crastina fulserit Eos
Ne dubites, bellum tibi noveris affore partum.
Hæc sunt quæ populus mandat tibi verba Latinus. »

LXXXII. — *Persarum responsio.*

Dum Petrus mediis proponit talia Persis,
Ridet turba ducum, ridet quoque grex popularis,
Subsannant miserum trabeati more locutum :
Tandem dux tumido respondet gutture summus.
« Persarum regnum populantes gens peregrina
Offendere deum Mahumet, eique secundum
Solum Solidanum, perquirere, perdere missus,
A Inveni prædam : sed claudunt mœnia, frangam,
Corpora vestra canum dabo rictibus, atque leonum.
Hæc mea vade tuis responde verba Latinis :
Nam quid ego Petro, quid vestro reddere Christo
Inveniam? Quanti Petrus, tanti mihi Christus :
Cura mihi neuter, risus mihi, risus uterque. »
Post audita Petrus spiramina tanta minarum,
Ad socios remeat, rabiem ducis ordine narrat.
Protinus accingunt se bello audacia Galli
Pectora; sed consumpta fame, et sine carnibus
[ossa.

LXXXIII. — *Fideles irruptionem meditantur.*

Area lata jacet sub muro proxima portæ,
Quæ patet in Boream, ponti contermina et amni.
B Illuc conveniunt, ibi se metitur inermis
Ille sacer populus, statuunt quis primus in hostes,
Et quis prima sequens tollat vexilla secundus :
Sic reliqui certo disponunt ordine bellum,
Quo stent pila loco, quo lancea, quove sagittæ·
Unde eques, unde pedes aut irruat, aut stet in ho-
[stem.
Ordine cuncta suo sic disponentibus illis,
Sol ruit, extrahitur in crastina tempora bellum.
Transierat Byssæ, restabat tertia noctis,
Cùm suus Arnulfi cursu festinus anhelo,
Voce manuque simul didascalus atria pulsat,
Surge age, surge cito, quid signa, polumque mo-
[raris?
C Cœlitus ecce micat victoria, suspice stellas :
Ante sequebatur modo qui præcedit, at illa
Quæ nunc retromeat, nunc usque, Arnulfe, præibat :
Surge, ducesque ciens, in prælia coge, pericli
Si quidquam est, obses tencat, cremer aut crucifigar;
Et conjux, et uterque parens, et gnatus uterque :
Namque et uterque parens, gnatique, uxorque erat
[illi.
Doctus hic a puero quo currant ordine stellæ ·
Vel quid portendant, seu mutet regna cometes,
Sive senex gelidus pyrram minitetur et imbres,
Seu Phaetontæos currus, leo sævus, et ignes
Aut latus ensiferi nimis æstuet Orionis
Auspicium belli, vel quidquid quæque minetur,
D Summus in hac doctor multos instruxerat arte,
In quibus Arnulfum, geminasque ostenderat illi
Belli a principio prodentes omina stellas.
Altera Christicolis fatum dabat, altera Turcis :
Ordine tunc alio currentes, ac prius illæ
Exitium Persis prodebant, gaudia Francis :

LXXXIV. — *Irruunt in hostem.*

Ergo ubi signa poli lingua digitoque magistri
Linceus Arnulfi percepit ocellus et auris :
Ad proceres summos citus exit et excit in arma :
Et verso versum cursus docet ordine fatum :
Jam bona cuncta nova, quia transivere priora.
Interea Phœbo nox cesserat, ergo reclusis
Esuriens bellum gens exsilit inclyta portis.

Nunc ope, nunc opus est, nunc, Spiritus alme, vocanti
Affer opem, quæ prima acies, vel cuja secunda,
Quæ reliquæ fuerint, qui te sitit imbue vatem.

LXXXV. — *Ordo ducum in aggressione hostium.*

Primus Hugo magnus Francos educit ab urbe :
Prævius ante micat, prænobilis ante micabat :
Proxima Normanni subeunt vexilla Roberti.
Summi ambo comites, soli ambo regia proles
Clarior Hugo genus, Robertus cætera major,
Non sine re partes belli meruere priores.
Tertius extrahabens Godefridus in agmine multos,
Utpote Lotharidas cum Lotharidis Alemannos.
Quartus Tancredo bellantum contigit ordo,
Armis præcipuus, sed non adeo numerosus.
Viribus et numero sublimis in ordine quinto
Fulget vexillum Wiscardigenæ pretiosum ;
Partim materia, partim crucis indice forma.
Subsequitur sextus magno fremitu Raimundus,
Hic ut se Turcis, non ut se misceat armis :
Præsidio substet bellantes, undique spectet,
Pube peremptura perimendæ suppleat arma,
Sit robur belli, sit murus, et instar azyli.
Flandrigenæ comitis vigilantia præsidet urbi,
Ipse regit portas, murum armis ipse coronat,
Turres omnimoda jaculorum nube, sagittis,
Stipitibus, telis, saxis, sudibusve perustis,
Sæpius ad fabricam convertens frena recentem :
Unde minæ, unde metus, ne rupta admittat et hostem :
Nunc ducis ore tonat, nunc militis ense trucidat :
Ille obex Turcis descensibus unicus ille
Magno præsidio magni tutoris egebat.

LXXVI. — *Terror Persas invadit.*

Persarum satrapam scaccis operam dare fama est,
Gallica cum primus vexillifer extulit arma :
Illico rumor adest exire ad prælia Francos :
Princeps nil motus ludum tractabat ut ante,
Sed neque cum magni comitis vexilla Roberti
Surgere clamantur : proh quanta superbia! surgit,
Tertia cum subeunt, ingens erat ille tumultus.
Demum captivis nostra de gente vocatis,
Nam quosdam nostræ captivos gentis habebat :
Quorum sint, quid significent vexilla requirens
Quidnam figurent, quorum sint protinus audit.
Hoc est Roberti, Godefridi hoc, illud Hugonis :
« Hæc est nobilitas, at major in urbe potestas.
Vel jam pugnabis, vel pugnam scire negabis. »
Sic fando Tancredus adest, et adest Boamundus,
Et robur belli cum signiferis Raimundi.
Corboran accinctos bello, jamque irruituros
Christicolas cernens timet, accitoque repente
Traduce verborum ; quam Christicolæ prius illi
Obtulerant, quam reppulerat modo conditionem,
Rursus eis offert, at rursus spernitur illa.
Tunc mora nulla citi pharetras arcusque sibi aptant
A Assyrii, Persæ, Parthi, Libies, Elamytæ,
Phœnicesque, Arabesque, Indique, Tyrique, Medique,
Cumque his multimodæ quas propter tædia longa
Nomine quæque suo prohibemur scribere gentes.

LXXXVII.

Transierant inter montem Christique cohortes
Maxima Turcorum rabies, quasi millia centum,
Scilicet a tergo missuri spicula, tanquam
Venator cervos indagine claudere tentat :
Æneus his murus opponens se Boamundus
Ad socios tergum, vultum convertit in hostes.
Ergo pugna Deo bifrons, similanda bifronti :
Seu cui pone caput geminat pictura draconi :
Hinc atque inde suum pro Christi sanguine fundit,
B Inque vicem fusum de cædibus expiat hostis :
Eia strenuitas, constantia martyrialis.
Athletæ Christi, totius gloria mundi,
Utimini dextris : vos pauci, centuplus hostis,
Utimini gladiis : eget his hæc area marris,
Hic ager, hæc messis reliquis vos pascet in annis.
Altera frons belli Boamundus solus et expers
Auxilii humani sperans in numine cœli,
Fidentes numero, confisus præside Christo
Aggreditur gentes, crux prævia nobile signum
Signum signorum præfulgurat, hostibus horror,
Christi militibus spes, murus, gloria, splendor.
Miles in egrégiis non ultimus admodum acerbus.
Fortis, magnanimus Boamundus, Martis alumnus
C Atque nepos, illud prædictum insigne gerebat
Robertus celebris Girardi filius orbi,
Is dextra et lingua quin mente et corpore Christi
Pronus in obsequium, pronissimus in quasi fratris
Frater, et in socias quascunque vices Boamundi :
Pertransit Turcas iterumque iterumque catervas,
Hortando socios, hosti insultando ruenti.
Turcis Robertus, Roberto instat Boamundus :
Non illis ille, nec huic hic cessat adesse.

LXXXVIII. — *Territi fugantur Turci.*

Ad crucis aspectum perdit gens Persica visum,
Fit tremebunda, gemens quæ venerat acris et horrens.
Non est amentum, non est qui exerceat arcum.
D *Evax, ha! ha! he!* vertuntur in *at! at!* et *heu! heu!*
Ergo se pecudes, Francos genus acre leonum
Fassa fugam morti præfert, et vivere laudi,
Dum nequit ad montem regredi refugit secus amnem :
Victores instant, et nunquam sternere cessant :
Donec utrasque acies sociæ excepere cohortes
Victas, vincendæ victrices vincere sanctæ.
Jam non pugna bifrons, jam certior ac fuit ante,
Jam spes aucta aliis, aliis metus additus armis :
His pugnare, illis pugna decedere suadet
Multus adhuc populus, numerus cui cedit arenæ,
Et quod rarus equi premit acris terga Latinus
Christicolis obstat, Turcis solatia præstat :
Accedit tamen his astutia ; sed nihil astus,

Nil dolus in Christum, sine quo nihil est nihil actum.

LXXXIX. — *Anceps pugna.*

Venerat in bellum regnis citus a Nabathæis
Confinesque suos Persas sociaverat Eurus :
Ipse regebat equos, ipse arcus, ipse pharetras :
Nec minus adversis, obverso turbine, dextris
Tela retorquebat, tortores torta per ipsos.
Vix stabat gladius contra Euri spicula Francus.
Languidus Æolio Zephyrus torpebat in antro,
Traditor in bellum Francos a Gadibus usque,
Atque Pyrenæis nivibus, per et invia et Alpes,
Per freta, per syrtes, per Syllam, perque Carybdim,
Fidus ubique comes adduxerat, at modo fallax
Abdicat auxilium, dum Francia pugnat in Eurum :
Hæc animadvertens gens Persica, quod nequit armis
Molitur hammis, fumo, et caligine tetra
Christicolarum oculos seu nocte involvere tentat
Subdit arundinibus incendia, subdit et ulvæ,
Subdit viminibus, quantum licet excitat Eurus.
Ille suas nebulas, fumum de vepribus ille,
De reliquis dumis, seu hamno, sive rubetis
Perflat in obstantes furiali mente phalanges.
Ergo dies piceas fulgens conversus in umbras,
Fortes debilitat, confortat debile vulgus.
In tenebris enses pugnant, in luce sagittæ.
Seu contra linces ineant certamina talpæ :
Sic furiis Euri nutat sententia belli.
O quotiens illa Zephyrus dum tardat in hora :
Clamatum est, Zephyri succurrite, surgite pigri :
Eurus pro Turcis furit, et vos surgite nobis.

XC. —*Prævalent Christiani.*

Sic dum clamatur, Deus afflictos miseratur,
Thesaurosque suos aperit, producit et inde
Corum propitium, qui flando reverberet Eurum :
Inque suas cogat victum revolare cavernas,
Fumo Turcorum qui lumina turbet eorum,
Liber ab occiduo productus carcere Corus.
Nec mora mandatis obtemperat : omnia quassans,
Omnia convellens, obstant quæcunque volanti :
Jamque in bella venit, veniens non arma virosque
Tantum pulsat : equos terret, tentoria vellit,
Horrent atque tremunt mons, vallis, campus et arbor.
Eure fugis, fumoque tuo tu involveris ipse,
Inque tuos Persas sua fraus, lex æqua redundat.
Tunc oculis clausis Turcus, sed Francus apertis
Dimicat, et subito versa vice prævalet ille
Qui prope victus erat ; superatur qui superabat :
Hic fugit, ille fugat; Baal ruit, obruit alpha.
Persarum velox equus est, et pinguis et acer :
Contra Francorum tardus, macer, anxius, æger :
Ille fugit facile; nequit hic instare proterve :
Ille quasi innumerus : vix hic quasi sexcentenus :
In vigilando fugæ post versa pericula Persæ

(5) Lynca est fluvius in Macedonia, qui in Erigonem excipitur, cujus meminit Ovidius lib. XV Metam., hoc versu :
Hunc fluit effectu dispar Lyncestius amnis.

A Qui celer aut celeri raptatur equo velut igni,
Qui fugit emersus ruit, avius, et stupefactus.
At cui segnis equus, nec pes citus : ille vel armis
Occidit, aut servi trahitur ducendus in usum :
Hac juvenis plantam memorant in cæde repertam,
Qua potuit tecti vice sol imberve repelli :
Tunc trahit occasus, trahitur quem miserat ortus :
Sic et opes reliquas, scutellas, pocula, mensas,
Urceolos, tripodes, lecticas, labra, lebetes,
Ollas, flascones, tentoria, pallia, vestes :
Omnia purum aurum, vel opus pretiosius auro
Victor habet. Populus de paupere jam fit opimus :
Jam sedet, et Turcas avido vorat ore placentas :
Jam satrapis partam Persis plerique ferinam,
Jam de captivo inter eos contenditur ostro.

B XCI. — *Victos Tancredus insequitur, eorum miram strugem facit.*

At proba Tancredi laudem esuriens sitiensque
Strenuitas, præter laudem nullius avara,
Pauper opes, jejuna cibum, in sudore quietem
Spernit, quaque iter est inter duo brachia fissi
In bivium *Farfar*, nusquam locus aptior illi :
Multos persequitur, paucis comitantibus armis.
Ergo inter Parthos et Persas, mistus et Indos,
Inter omnigenum vires Mahumicolarum ;
Pardus ut inter oves, stragem Wiscardida miscet
Calcibus urget equos, retrosuadis urget habenis
Horrificis urget clamoribus, et stimulandi,
Qualibet arte fugax acies incumbit in armos :
Collo infert stimulos, mutilat quacunque gravatos
C Parte, vel ante jubis, inutilibus retro caudis :
Ut mortem evadat, nec sellas solvere tardat :
Ensibus et pharetris etiam fugat illa solutis.
Tancredus virides respergit sanguine glebas,
Tancredus fossas morientum stipat acervis,
Vulnere multa perit, perit et sine vulnere multa,
Vulnera dum metuens, declinat vulnera turba,
Quidam sponte ruunt, freno sellaque relictis ;
Et subeunt dumos sperando latere sub imbris :
Horum cornipedis eviscerat ungula partem,
Partem dum ruitur, tento pede, mors remoratur :
Quem pes non tenuit : cor huic crepuit, jecur illi :
Flumine salvari pars plurima posse putantes,
Intromissa vadis perit auxiliaribus undis :
D Viva subit tumulos eques, atque equus intrat apertos;
Ut ripas ineunt, palam hunc absorbet et illum,
Ergo pharetrati, loricati, phalerati,
Dum Styga sic adeunt manes, alii tremefiunt.
Ipse timet Pluto repeti, pavet, ac fugit uxor :
At vada certa quibus sors obtulit, ii quoque partim
Emergunt ab aquis, partim merguntur in ipsis :
Nec sic evadunt, qui sic evadere tendunt.
Tancredus sequitur, vada scit quasi (5) Lynca vadatur :
Usque recens, acer dum cuncta recentia, cuncta
Acria parta suum sibi suggerat obvium Harengum :
Natura pariter firmum munimen et arte

Non timuit Turcus in tanta peste sagittas,
Undique turritum, robusto milite fultum
Nunc aperit portas diuturno tempore clausas;
Occurrit domino venienti congrua pubes,
Ille ciens supplete novos, supplete caballos,
Arma, viros, et equos simul invenit omnia parta.

XCII.

Planities super Arthasii, sub mœnibus Emmæ
Herbida dividui cursu circumdatur amnis:
Illa viatores prius excludebat, eratque
Circuitus longi properantibus invida causa;
Abscidit invidiam geminus de monte recisus,
Atque viatorem admittens, altrinsecus arcus.
Hos inter pontes gens Persica jam quasi tuta,
Jam quasi nacta fugæ post tædia longa quietem
Fessa quiescebat, bellum evasisse putabat.
Cum Tancredus adest, et adest equus, arma virique:
Pugna recens, visis se mutuo qui fugat *Evax!*
Exclamat Turcus, fugiens immurmurat *at! at!*
Magna fuit cædes sub mœnibus Antiochenis,
Multus ubi atque recens commisit prælia cæsor:
Hinc est, atque illinc per mutua vulnera fletum,
Hinc illinc risum, non est hic hac vice gestum:
Altera pars risit tantum, tantum altera flevit:
Flevit Turca fugax, risit Normannica bellax.
Normannus sternit, Turcus cadit, ut subitarum
Impetus hastarum, geminique angustia pontis,
Effugium retinent, bellum committere terror
Non sinit, atque fugæ labor, et vires labefactæ,
Plurimus et sanguis multo de vulnere fusus:
Ut quot membra fere', tot gestent vulnera Persæ:
Ergo væ miseris quidquid tentetur ab illis:
Nam nec pugna fugam solatur, nec fuga pugnam:
Turcus utram tentet, neutram procedere gaudet:
Ut pecus ergo perit, leo, cui leopardus inhæsit.

XCIII. — *Artasium castrum redditur.*

De tanta turba paucos fuga salvat, et ulna:
Sic aliis stratis, aliis sternendo fugatis,
Castrum restat adhuc Turcis, belloque refertum,
Restat adhuc, inquam, sed inexpugnabile tanquam
Quiddam non hominum fuerit, sed fabrica divum:
Pergama Neptuni, Phœbi Ilium, utrumque utriusque
Collata huic: tantum, quantum illis cætera cedunt;
Illa tamen pubes sociorum territa cæde,
Nil sibi confidens opes, æque pauper et expers:
Hinc item, inde moras examinat: ergo morarum
Sublata trutina, præponderat et placet ire:
Nil sibi cum Francis, nil cum cœlestibus armis
Aiunt: post victos superorum numine Turcos.
Quosdam de populo Raimundi; sive coactos
Esurie dira, captosve cupidine falso;
Christo posthabito, Mahumet jura colentes,
Turcatos eadem qua Turcos claustra tenebant.
Illi consulti quis major Christicolarum,
Quisve fide potior, cui castrum reddere, cui se,
Cui sua sit tutum: Raimundo credere suadent.
Ille fide potior, comes, aiunt, robore major
A Non locus est metui, si vos committitis illi.
Quid moror in verbis? res est rem claudere paucis:
Creditur, accitur, referatur, abitur, initur.

XCIV. — *Podiensis episcopi morientis verba ad exercitum.*

Interea præsul moritur Podiensis, et intra
Basilicam Petri conditus conditur almi:
At moriens proceres ad se vocat, hisque vocatis
Verba facit, monumenta sui, documenta salutis,
« Dum Deus indulsit, dumque in me sospita mansit:
Nec studium fratres, nec sedulitas mea vestro
Defuit obsequio: vos sicut mater alumnum
Sollicitus fovi, docui, monui, stimulavi:
Lethifera avulsi, vitalia semina sparsi:
Pervigili cura solvi mihi tradita jura.
B Jam nunc delibor, jam vitæ terminus instat.
Sic me doctrinæ vobis papa ministrum
Tradidit Urbanus: sic vobis hunc ego trado: »
Tradidit Arnulfum nulli hoc in agone secundum:
« Filius hic, inquit, meus est dilectus, in ipso
Est mihi complacitum, vos aures vertite ad ipsum;
Tu vero, Fili, monitus memor esto paterni:
Divini large documenti semina sparge,
Acceptam gratis sementem reddito gratis,
Peccantes revoca, bene agentes laude corona,
Urge propositum, Christi te ostende ministrum
Sedulitate proba, commissa negotia tracta,
Nullus ad injustum donis te flectat onustum,
Utque brevi breviter, vita, loquar, esto pudicus:
C Sobrius, et prudens, humilis, pius atque quietus. »

XCV. — *Ejus epitaphium.*

Sic monet, et paulo cunctatus transit ad illum
Quem mens, quem vires, quem vox coluit sua Jesum.
Vir magni meriti, vir quovis dignus honore,
Vir dignus titulo, si non potiore, vel isto.
Conditus est Moysis clarissimus hic imitator
Doctrina, studio, moribus, officio.
Dux populi Moyses, et dux populi fuit iste:
Ambo duces Christi, cœlitus ambo sati,
Ambo justitiæ, doctrinæ ambo studiosi:
Ambo fuere Dei vox media et populi.
Causa viæ Moysis tellus Chanaan memoratur,
Huic quoque causa viæ terra fuit Chanaan:
D Cernere, non uti Moysi conceditur illa:
Huic quoque non uti, cernere ferme datum est.
Longa Deo Moysen jejunia conciliarunt:
Hunc quoque longa Deo consecrat esuries.
Ipse Deus Moysen, hunc papa Urbanus, et ipse
Præco Dei sequitur, misit utrumque Deus.

XCVI. — *Tancredus cum Normanniæ et Provinciæ comitibus Marram obsidet.*

Postquam urbs capta, victores gazis, victos cædibus donatos, alios ab humili ad sidera extulit, alios sub tartara a luxu et crapula submersit: Boamundus Antiochiæ principatum adeptus, ad præsidium manet; Tancredus intermissum viæ laborem redintegrat; algorem, æstum, inediam, sitim, montibus, vallibus, agris, municipiis, præfert: ad quorum amœ-

nitatem Tempe Thessa a sordescunt, Emma Helico- nem suum, *Harenc* vireta, *Barisan* vites, *Hersen* segetes contemni dolent : præter hæc autem, et aliorum oppidorum numerus ingens singula suis opibus alienas præferri. At Marchisides alter Julius nil actum credens, dum quid superesset agendum, causam itineris Jerusalem esse commemorat, et per Antiochiam fuisse peregrinandum, non per Antiochiam peregrinatum. Igitur quærentes bellum comites Normannum et Provincialem sociat, cum eisdem Marran oppidum et populosum et uber aggreditur. Præviderant sibi Marrenses seu capta Antiochia territi, seu quia plurimum Francis in obsidendo obstiterant, seu volante fama ab Antiochenis contribulibus præmuniti. Harum quapiam, fortasse omnibus præmoniti causis, tota usquequaque nudata vicinia, urbem suam impleverant, obsessuro exercitui nihil relinquentes. Huc accedit quod suburbanos etiam obstruxerant puteos, atque inopia advenas repelli posse arbitrati. At Christicolæ qui sublata cruce semetipsos abnegaverant, qui propter Deum corpora sua ad supplicia tradiderant, nihilominus urbe circumdata gratulantur, quasi ad epulas invitati : alii machinas struunt, alii struentibus ministrant : hi fundis balearibus turres quatiunt, illi silices instrumenta quassandi scapulis asportant : hos videas cursitare agiles ad spem cereris, illos regredi sub onere gementes : quidam puteos ad priscum usum revocabant, quidam in fabrica novorum exercebantur : nonnulli de cataractis cœli opem exspectantes, aquæ cœlesti carcerem præparabant : Quorum intuens vota, is qui solus laborem et dolorem examinat, qui præsumentes de se non relinquit, misso cœlitus imbre, omnibus suffecit : adeo enim gravis imber et uber secutus est, ut et qui pluvias ante postulaverant, post depostularent, et lacuum opifices cassi operis pœniteret.

XCVII. — *Fames horribilis in castris fidelium.*

Inundantia hæc nimia peperit famem, putrescente in castris allata cerere, nullam de foris quoquam afferente, protelabatur victoria. Panis fluxerat, fames invalescebat. Pudet referre quod audierim, quodque didicerim ab ipsis pudoris auctoribus. Audivi namque qui dicerint cibi se coactos inopia, ad humanæ carnis edulium transisse, adultos gentilium cacabo immersisse, pueros infixisse verubus, et vorasse adustos : vorando æmulati sunt feras, torrendo homines, sed caninos. Hunc ipsum finem membris propriis minabantur, cum aliena deficerent : nisi aut captæ urbis, aut cereris advenæ intercessio esuriem lenisset.

XCVIII. — *Discordia inter Tancredum et Raimundum.*

Hæc dum ita geruntur, Tancredi Raimundique ministros discordia agitat : moxque a ministris surgit ad dominos. Vix, ah! vix compescit Tancredus animos quin Provincialium strage iram leniat, sed occurrit viro ratio, quæ sanguinem vetat fundi Christianum : melius ipsa ad Wiscardi monet artes recurrere per quas orbi gloriosus innotuit. Ergo nihil cunctatus Antiochiam venit, castri tutoribus hujus adhuc discordiæ ignaris; obiter autem suos instruit milites, quomodo enses clam teneant, et quomodo deprimant. Inde cappati tam ipse quam socii castro appropriant, janitorem vocant, januæ reserantur, pacifice admittuntur qui pacem simulabant. Ingressi autem unus post alium, ubi primum numerus pugnæ sufficit, simul cuncti, hæc simul cuncta, lacertos, mentes, gladios nudant, Raimundi milites extrusos ad ipsum non sine colaphis remittunt : ultus itaque qua licuit Raimundum Tancredus, potentiorem astutior, corpori caput abscissum restituit, dum Trojæ suæ Ilium Boamundo reddit : Boamundus enim dum adhuc expers suspiceret oppidum, adeo ipse sibi mutilus videbatur, ut semiprincipem se, non principem diceret, Raimundumque collegam suum in principatu Antiochiæ nominaret : Hæc insomnem, hæc in somniis principem molestia torquebat. Verum ubi odium atque dilectio altrinsecus collidentes mutilo, ut dictum est, principatui cornu reddiderunt, tunc elevatum est solium Boamundi, jamque ipse experrectior cum magna manu Tancredum sociat Marram revertentem. Infesti ambo Provincialium comiti, magnifice sua adversus hostium arma munierunt.

XCIX. — *Discordiæ origo.*

Ad hujus odii fontem recurrere libet, quo minus æstuantis impetum fluenti derivantes miremur. Dum adhuc Antiochia Galliæ principibus clausa resisteret, Boamundi atque Raimundi ministros media intercurrit discordia. Frumentatum utrobique missi, annonam simul inveniunt et pugnam; ferro ceres dividitur, sauciant tanquam territæ ambæ partes, saucii populus uterque domum revertuntur. Viso famularis turbæ sanguine principes turbantur : et si quando similis occurrerit casus, sauciorum animos ad talionem accendunt : in castris tegendum fore ignem præcipiunt, extra turbine rapido flammas suscitandas. Jussum hoc aures patulæ libenter admittunt, quas difficile erat revocare prohibitas. Ubi ergo exinde major alterius partis turba minori alterius onustæ obviasset, depositis illico oneribus victualium, onerabantur colla procellis alaparum; sicque editior viribus, spoliis gaudebat : impar autem aliis non sibi desudasse lugebat spoliatus : qui alterutri linguæ consonabat, modo cum ea verberabat, interdum pro ea innocens verberabatur. Narbonenses, Arverni, Wascones, et hoc genus omne Provincialibus : Apulis vero reliqua Gallia, præsertim Normanni conspirabant. Britones, Suevos, Hunos, Rutenos et hujusmodi linguæ suæ barbaries audita tuebatur, et hoc quidem extra muros.

C. — *Commentum de lancea Domini.*

In urbe quoque non effluxit seditio, sed affluxit : cum enim in supradicta fame populus turbaretur obsessus, surrexit de gente Raimundi versutus mendaciique commentor Petrus, qui salutem populi revelatam sibi prædicaret hoc modo : « Apparuit, inquit, mihi semisopito beatus Andreas apostolus, at-

que hoc auribus meis præceptum indixit : *Surge, et annuntia populo laboranti consolationem cœlitus elapsam, quam lateris Dominici perforatrix lancea conferet inventa : ea intra basilicam beati Petri sub terra latet : tu in tali loco* (et locum designavit) *pavimentum solve, ibi fodiendo annuntiatum invenies ferrum. Ubi ergo armorum horror ingruerit, illud opponite hostibus; in eo vincetis.* Experrectus delusum me a somno arbitrabar, nec palam feci in perpetuum taciturus, nisi secundo et tertio commonerer : tenebat me rursus secundæ noctis quies, cum rursus idem apostolus redit, ipsum idem quod prius ingeminans, sed increpanti similis et irato. *Quare*, inquit, *contempto me siles? multorumque salutem unus moraris? Clamavit ad Dominum populus, et exauditus est, et adhuc eum tua negligentia facit quasi neglectum : festina igitur quantocius hoc corrigere, ut possis vivere.* His perterritus, ubi somnum evasi, jam simul certior factus sum et sollicitior : adhuc tamen ambigens clamne facerem, an palam : in hac cura totum transegi diem, et bissem noctis orationi et jejunio vacans, postulansque a Deo vicem tertiam, si duæ ab eodem fuissent. Bis acclamaverat auroram gallus, cum vix tandem sub cantu tertio fessos artus sopor alligat : nec mora, qui primo, qui secundo venerat, illico tertiat vicem, semper terribilior, semper imperiosior, *Surge, age*, inquit, *ignavum pecus, canis mute, mora salutis, cunctatio triumphi, damnum civium, hostium solamen; timore illic trepidasti, ubi non fuit timor : ubi est, illic non times.* Restabant adhuc minæ et jurgia, cum præ timore exterritus spiritus minis subtraxit se et sopori. Sudor pariter tremorque simul corpus alternabat, ac si latus alterum torreret ignis, alterum in glacie rigeret. Iis gradibus ad docendum veni quod didici : vos autem, patres ac fratres, ne tardetis rei sinceritatem experiri : superest mihi locum designare, vobis suffodere. » Qui rumor ubi Raimundi auribus est illapsus, statim concione habita, Petrus ad Petri basilicam vocatur, locum rogatus, sicut finxerat prius, altare significat, fodere monet; utque pondus verba habeant, vultum etiam fingit. Foditur ergo, nec proficitur, suffossa humus nequit reddere quod nec commissum fuerat, nec acceptum. Habebat autem ipse etiam apud se cuspidis Arabicæ ferrum, de cujus inventione fortuita, materiam fallendi sibi assumpserat : Scabram quippe intuitus, exæsam, annosam, usui nostro forma et quantitate dissimilem, auspicatus est illico hinc fidem novis figmentis adhæsuram. Nactus ergo fallendi tempus, ligone arrepto, fossam insilit, conversusque ad angulum : « Hic, inquit, fodiendum est, hic latet quod quærimus, hinc exibit. » Tunc sæpius sæpiusque ictum multiplicans, demissam fraudulenter a se lanceam fossorio illidit : cooperata est dolis umbra, umbræ populus frequens, frequentiæ loci angustia.

CI.

Cæterum ubi ferrum ferro illisum tinniit, aures simplicium arrectas idem fraudis commentor, sublata lancea, his implevit : « Ecce, ecce quod cœlum promisit, quod tellus conservavit, apostolus revelavit, oratio populi contriti impetravit. » Vix hæc fatum foras extrahunt, hymnis et canticis lanceam prosequuntur, muneribus donant, auro involvunt et palliis. Hæc Raimundus et qui ei favebant concinnabat : sed et aliarum partium rudis simplicitas oblationibus deserviebat; ante victoriam quidem instanter, post eam vero multo instantius, quasi trophæi gloria prælatæ in bellum lanceæ juxta Provincialium clamorem foret adscribenda. Igitur Raimundi ampliabatur fiscus, extollebatur animus, insolescebat exercitus. Favebant ei de principibus aliqui, quos ipse modo blanditiis, modo obsequiis sibi allexerat.

CII. — *Boamundus fallaciam suspicatur in lancea.*

At Boamundus, ut ipse non imprudens, rei seriem scrutatur, quisnam somniator ille esset, quibus populum ambagibus involvisset, quem fossoribus locum significasset, utque ipse insiluisset, fodisset, invenisset : statim fallaciam deprehendit, inventionem irritam, inventorem conjecturis falsificat argutis. « Pulchre, inquit, commentum est beatum Andream apparuisse homini, quem audio cauponas frequentare, fora præcurrere, nugis amicum, triviis innatum. Honestam elegit sanctus apostolus personam, cui cœli panderet arcanum : nam de loco, cui fictus non patet locus? si Christianus abdidit, cur altaris proximi latibulum declinavit? aut si gentilis seu Judæus, cur intra parietes ecclesiæ? cur secus altare? quod si neutri, sed fortunæ ascribitur; apud quem historiographum venisse Antiochiam Pilatus invenitur. Scimus nempe et lanceam fuisse militis, et militem Pilati : at vero placet quod sequitur : quod audio inventorem illum, laborantibus frustra fossoribus, insiluisse, concessumque uni esse in tenebris, quod multis palam est negatum. O fatuitas rustica! o rusticitas credula! o credulitas facile convincenda! Esto, personam honestas, locum vicina crucifixio roborat : non satis vel hæc novissima hominis illius fraus patet : si pure, si simpliciter in via Dei ambulasset, si advocato sibi in apostolo confidisset, non ferret ipse inventioni suæ testimonium, sed mereretur alienum. Nam quid tantæ illi contumeliæ rependam, quod nostram quæ de sursum est descendens a patre luminum victoriam, ferro suo Provinciales deputant? Deputent ipsi suam comes cupidus, et vulgus stolidum : nos autem in nomine Domini Dei nostri Jesu Christi vicimus et vincemus. Hæc Boamundus et cum eo qui summatum subtilius discernebant Normannus et Flandrensis comites, Arnulphusque vicepræsul et Tancredus.

CIII. — *In quo et Raimundo displicet.*

Igitur Raimundus acutis Boamundi argumentorum spiculis sauciatus, mille artibus. mille semitis vindictam investigat : ita secum sine medio disjungens Wiscardidæ contumelias, aut præmoriar aut

ulciscar. Si palam occursus non suppetit, suppetat occultus : ubi non valet lancea, valeat sica.

..... *Dolus an virtus quis in hoste requirat?*

(Virg. *Æneid.* lib. II.)

Cum, inquit, mea est urbis tutela, præsidium montanum, mihi regia princeps, mihi forum, mihi pons et porta parent : lancea quoque, populi numerus arbitrii est mei. Quid restat, nisi ut exstincto, principatum obtineam Boamundi? Hæc et multo plura volventi, præ omnibus sedet motum iri inter plebes seditionem, ut a pede ad caput exundetur, proludant in foro hinc inde jurgia, surgat clamor turbari populos, duces utrinque suis auxilium ferant, in Boamundum omnis arcus, omne jaculum intendatur. Has dum Raimundus tanquam leo in spelunca sua molitur insidias : noluit taceri iniquitatem Deus, quin Arnulfo indicata, ilicet per eum Boamundo indicatur. Sic elusa fraude, salvata est a morte anima viri, cujus vita plurimum Jerosolymipetis jam profuerat, plurimum adhuc profutura. Hanc igitur habuerunt iræ originem, hinc cœpit odii fomes.

CIV. — *Marra capitur.*

Sed revocat me obsidio, tanquam messorem seges intermissa dum is retrogradus spicas recolligit elapsas. Igitur Marram usquequaque bello circumseptam suffodiunt, Marræ supervolitant sagittæ, concutiunt fundæ, tremefaciunt minæ : undique clamor, undique assultus, undique plaga : contra urbani quasi par pari reddunt, reverberant balearica tormenta similibus, missilia jacula eminus, cominus vomeres marmora demittunt : plurimum sauciant, plurimum sauciantur : hi moriuntur ut vivant, infirmantur ut valeant, fluunt ut durent : illis intentio est cœptum, jamque semiactum opus peragere, tanto labori finem quærere, adipisci gloriam superando, superare fortunam patiendo : sed dum crebrius crebriusque tanquam malleis incus, vel flagellis area, silice infatigabili mœnia percelluntur, fatescit turris, murus solvitur, propugnacula ruunt, ruina simul et claustra pandit et gradus exstruit. Igitur væ, væ Mahumicolis, Christicolis gaudium : quippe his prospera omnia, illis omnia etiam ipsæ suæ spes adversantur. Nec mora, patefacto aditu, aditor non deest, contra civitas obsistere nititur, quidquid virium habet, introitui opponit : summopere certatur, dum hæc invalescit pugna, dum horsum fervet, aliorsum tepescit defensio, minus jam minusque scuta sonant, quale paulo ante ad grandinem saxorum pene fatiscebant. Ergo applicantur muro scalæ, superat turres ascensor, urbi captæ insultat : sed audito strepitu, visoque discursu, defendentis turbæ cadunt animi, pedes refugi latebras petunt, armis projectis vivere speratur. At nostri urbe capta, alii cædibus insistunt, alii gazis; pars victum quæritat, pars rapinas exercet, victoriam adeptos laborum juvat meminisse jocundius graviorum. Sic venatricem olim turbam et ipse venator jocundantem, licet jejunam vidi, quos a præcedentis noctis hora penultima ad tertiam sequentis dies media fatigaverat.

CV. — *Arcæ obsidentur.*

Jamque sæpius de valle lacrymarum ad montem gaudii excelsum surgere assueti Christicolæ successus urgere suos, instare favori numinis haud cessant. Arcas oppidum aggrediuntur, non impari ac Marram nisu, sed dissimili eventu. Surgit in margine planitiei tumulus declivia Libani ab austro pertingens, mare ad occasum quasi stadiis viginti remotus despectans : ejus pedem fluvius abluit, qui ab ortu ad littora derivans, Hierosolymitano lævum latus imperio concedit, Antiochiæ dextrum, inter Tortuosam et Tripolim limes notissimus, munitum arte et natura præsidium, difficilem hosti grassaturo aditum minabatur. Christicolæ autem plurimo jam certamine, virtuti omnia cedere experti, Arcas circumdant, pars fluvium transmeat, ut portarum obstruat egressum : pars citra manet, de opibus Crach. et Raphaniæ oppidorum, ac reliquæ hujusmodi citerioris viciniæ facilius alenda. Tancredus in primis transmeatoribus emicat summopere exsultans, quod desiderati regni oram ingredi meruisset : pons tamen saxeus antiqua fabrica continuabat exercitum, ut facile ab his ad illos posset transmigrari. Ergo ubi armis clausa sunt claustra ; fortia fortibus, gentilia Christianis, principes de more tormenta muralia struunt : singuli singula, unum comes Normannus, alterum Raimundus, tertium Tancredus : nam Boamundus Marra eversa Antiochiam redierat, ubi etiam dux Godefridus et comes Flandrensis adhuc hiemabant. Hugonem magnum ad Ciliciam revocaverat bellum, in quo saucius femur Tharsum fertur curandus, imo humandus. Solis igitur tribus suprascriptis principibus obsidionis labor incumbit, oppugnant incessanter, et acriter expugnantur. Dum sic autem certatur, quiddam contigit quod præterire socordia est, memorare utile et honestum.

CVI. — *Mirabilis visio Anselli proximæ mortis præsaga.*

Erat in exercitu nostro heros nobilis, cui magnum nomen contulerant hinc probitas, inde genus, tertia honestas, quartus Ribot mons hæreditas propria militiæ fetura præclaræ notissimus. Vocabulum illius viri Ansellus regi Franciæ, imo ternæ Galliæ curias celebre personabat. Is in meridie, ut est moris, cum lassos somnus ocellos submisisset, somnium vidit, quod experrectus adito sapienti viro indicatori meo Arnulfo indicavit. « Videbar, inquit, mihi per somnium super cæni congeriem stare, unde palatium suspiciebam excelsum, cujus quam maxime simul omnia communem usum excellebant : spatiositas, celsitudo, materia, forma, soliditas, ornatus. Pedem ejus marmor, ebur, argentum formabant; reliquum corpus aurum prorsus et gemmæ. Deambulabant per porticus in excelso personæ innumerabiles, quarum singulas tanti ædificii censura decuisset : adeo speciosi, adeo proceri, adeo ornati, adeo per

omnia venusti proceres eminebant; cumque perspicacius intuens admirarer, deprehendi quasdam præcognitæ mihi figuræ reliquias, quibus comites militiæ hujus nostræ hos fuisse animadverterem. Tunc mihi corde et animo studiosius inhianti, et si quis patuisset aditus anhelanti conscendere, apparuit quidam ille noster, quem taliter ibi tunc amisimus : (nomenque et modum locumque et diem obitus viri recolebat) ille mihi, inquam, sic ait : *Hanccine beatorum turbam agnoscis, Anselle?* Vix, inquam; neque enim alia ad cognoscendum signa remanserant : nisi qualibet quinquagenarium quempiam regressum agnoscimus, qui a nobis puer septenni est egressus. Tunc ille : *Hi sunt Jerosolymipetæ, qui viam Dei in qua adhuc et tu laboras, ab initio aggressi rebus humanis excesserunt, et meruerunt habere coronas perpetuas : tu quoque in proximo, ne forte invideas, ad nos conscendes; bonum enim certamen certavisti, et cursum consummasti.* Hic me stupefactum sopor dimisit et visio : tua, Domine, sapientia mihi consulat. » Tunc Arnulfus metum verbis a viri pectore solatoriis excludens : monet tamen confitendum peccata esse, accipiendam pœnitentiam, et post hæc eucharistiam. Actum illico, et ministris commilitonibusque suis stipendia reddere debita est adjectum. Jamque intrepidus equo insidens, stipante militum caterva, circa muros, ut solent nobiles, spatiabatur : cum repente silex improvisa de turribus illapsa est, quæ Anselli occiput sparsit et cerebrum, moxque labentem militia excipit; illuc corpus reportant cum lacrymis, unde modo gaudentes exierant, spiritus ad beatitudinem ascendit promissam.

CVII. — *Oppidani Arcarum acriter resistunt.*

Condito, prout decuit, illustri viro, cum exercitus noster nihil in obsidendo proficeret, præscripto dant mandatum Arnulfo, ut Antiochiam revertatur, quatenus morantium Godefridi Robertique Flandrensis quietem increpet, bellumque adesse nuntiet Damascenum : Arnulfus autem ut semper ipse ad reipublicæ utilitatem promptissimus, libens ultro scapham ascendit propter navalia hostium Tortosæ, Heracliæ, Valoniæ, Gibel : tandem Laodiciam pervenit, inde Antiochiam per multa pericula, paucis comitantibus excurrit. Illic principes causam viæ nactus expergisci monet, docet bellum imminere, cujus fortunam, nisi maturatum fuerit, horum terminabit absentia.

Cognito autem belli rumore, Franci militia principatum stimulat, nec minus ipsa ab ipso stimulatur, unanimiter arma frementes, breve tempus inter parandum perveniendumque expendunt. Ergo ubi exercitus congregati fama finitimos percurrit, cessat bellum, satagit hostis se tueri, non alios grassari : at nostri perpetuo impetu, sed non efficaci proposito urgent : sagittas, jacula, silices, et quidquid in turres hostiliter mittitur, incunctanter mittunt; natura pro loco pugnat, nihil proficiunt. Compertum habebant plurimi et expertum quiescendo interdum vincere, ubi frustra fuerit laboratum : propterea ex hoc in hoc sibi consulunt inclinare, ut cunctando fame crucient oppidanos. Consilii magistra fuit ubertas exterior parituram se intus minitans egestatem.

CVIII. — *Probatione ignis impostura de lancea declaratur.*

Dum ergo vacant arma, dumque otium curas excludit mavortias, oboritur quæstio de supra memorata cuspidinis inventione examen factura : vexabat namque schisma populum, his factum laudantibus, illis damnantibus, neutra parte admodum rata. Unde placuit summis procerum ut qui erroris initium fuerat, ipse litem finiret, ignito argumento rei dubiæ fidem facturus. Accito itaque in concilium Petro, adjudicantur novem passus hinc inde flammantium medii spinarum, quatenus hac examinatione aut illæsi vera probetur inventio, aut falsa ustulati. Datur jejunio triduum, legitime orandi vigilandique induciæ : sic disceditur; at mox postridie iterum convenitur. Flammescunt ordine gemino spinæ; Petrus tunica et braccis velatus, nudus cætera per medium graditur, in exitu ambustus cadit, postridie exspirat. Videns quid actum est populus, calliditate verbosa seductum se fatetur, errasse pœnitet; Petrum Simonis Magi discipulum fuisse testatur.

CIX.

At Raimundus et complices sui Provinciales obstinatis animis reum defendunt, sanctum prædicant, Arnulfo minantur, utpote fraudis revelatæ summo scrutatori; denique manum armatam in eum mittunt, domi improvidum oppressuram; nisi præmonitus ad Normanniæ comitem, cui militabat, ipse festinasset. Comes epulabatur et cum eo Flandrensis, ambo simul juncti discumbebant, sed audita festinantiæ causa vocatur, in medium sessurus; comites altrinsecus secedunt, mittuntur arma armatis occursura. Cæterum, illi, audito Normannorum fremitu, territi rem dissimulant, aliud quærere atque aliorsum tendere simulantes : hoc se artificio tuentur; alioquin non tam frustra quam male arma sumpsisse, si quos absolvisset fuga, dolituri.

CX. — *Proponitur fabricanda aurea Salvatoris imago.*

Postquam fraudis commentor Petrus, quam meruit, pœnam luit; denuo fit conventus, ut elapso cassatæ inventionis gaudio, novum succedat solatium. Imago Salvatoris auro purissimo effigienda proponitur, ex populo Israelitici structura tabernaculi, quantæ in his, quantæ in illis fuerint expensæ; devotio illius sæculi retrectatur, nec præteritur merces incunctata, frequentes ex hoste victoriæ; moneturque et pro amotis jam periculis Deo esse gratandum, et pro amovendis supplicandum. Hujus igitur exhortationis Arnulfus prædicator ipse auditores suos quocunque volebat inclinabat. Marthranensis autem episcopus homo paulo rudibus eruditior, et pene sine litteris litteratus prope astabat, ut expleto sermone benedictionis insigne super popu-

lum dextram extenderet : hos penes quos jus fabricæ consistebat, reliqui omnes oblationibus insistebant. Itaque brevi opus magnum consummatur, quod nisi sedula excudisset instantia, massa informis Jerusalem perferretur : nam tertii jam mensis labor in quartum exierat, cum pœnitet morarum principes, pudet quoque circa oppidulum via intermissa, tandiu excubasse.

CXI. — *Jerusalem pergit exercitus.*

Quapropter opera inutili dimissa ante urbium portas Tripolis, Gibleth, Baruth, Sidonis, Tyri, Achon, Caiphas, Cesareæ feliciter transitur : ab his omnibus æs grande et victualium copia audacter exigitur, incunctanter redditur, liberaliter erogatur; nam omnes hæ littus a borea in austrum vergens, turribus altis muniunt ordine præmisso peregrinantibus obviæ. At ubi dimisso littore a tergo Ramulam venitur, Tancredus pernox, castra movet, ante lucanus socios prævenit, Hierusalem pervenit, muros circumvenit. (5) (Veniens tamen, Bethlehem ab hostibus liberat, quæ obsessa ad eum pridie clamaverat per legatum.) Eminus tamen sub primo aspectu visam Jerusalem salutat, genua humo affixus, oculos urbi, cor cœlo, cujus videlicet salutis imago metrum est præsens.

Salve Hierusalem, gloria mundi,
In qua nostra salus, passio Christi
Probris Judaicis ludificata
Cœlo sole solo testibus alma,
Humani generis hoste perempto,
Immunes sceleris traxit ab orco,
In te passa crucem clausa sepulcro
Lux de luce, Dei dia propago,
Infernum penetrans inde reduxit
Quos seductus Adam sub Styga mersit.
At mox docuit tum redivivam
Surrexisse dies tertius illam.
Post hæc æthereas scandit ad ædes,
Nam suscepit eum splendida nubes,
Quem cum suspiceret gens Galilæa,
Audit : sic veniet seu petit astra.
Hæc scis dicte sacer mons ab Olivis,
Salve præterea, regia Sion,
In qua discipulos, Kyrie eleison
Clamantes, sonitu sub vehementi,
Demisso veluti turbine cœli,
Replestis subito, Spiritus alme,
In linguis veniens terror et igne,
Salve stella maris, janua cœli,
Partus psalma, tuæ filia prolis,
Semper virgo manens post in et ante
Partum, vel minimæ nescia mendæ.
O per circuitum flumina, ripæ,
Fons, nemus, urbs, casa, mons, vallis, avete.

CXII. — *Tancredus solus e monte Olivarum urbem considerat.*

Cumque vicina turri Davidicæ signa affixisset, A dato metandis castris edicto, ipse procul solus sine socio, sine armigero montem conscendit, unde ad patrem Christum Deigenam ascendisse didicerat. En temeritas, en novum obsidionis genus. Occasum obsidet Tancredi miles, ortum Tancredus : partem aliam pauci, aliam unus : aliam sine duce militia, aliam sine militia dux : neutrius uterque, imo nullius auxilio confisus. Ille maxime qui quanto ortui propior, tanto a Francorum subsidio remotior erat ; suorum longe in occasu metantium, exercitus sequentis valde remotius in occasu sequenti. Ipse igitur eques, ipse pedes, ipse signifer Tancredus, a monte Olivarum in civitatem obtutum fixerat, solo vallis Josaphat intervallo abscisam. Inspiciebat enim populum discurrentem, turres armatas, militiam B frementem ; viros ad arma, nurus ad lacrymas, sacerdotes ad vota conversos ; ejulatu, strepitu, clangore, hinnitu vias intonantes. Stupebat templorum Dominici aeriam rotunditatem, Salomoniaci insolitam longitudinem, spatiosæ porticus gyrum, quasi alteram in urbe urbem. Sæpius vero ad Calvariam sepulcrique templum dominici oculos reducebat ; spectaculum quidem remotius, sed arduitate sua patulum, ipse tamen loco sublimior. Ad hæc suspirans, ad hæc conquiniscens ; illa ævum pro luce pascici cupere, si quando cujus prospectabat fastigia liceat sibi Calvariæ osculari vestigia.

CXIII. — *Cui occurrit eremita.*

Obtulerat autem ei fors ad hæc discernenda opC portunum doctorem Turricolam consultum sibi eremitam, qui ipsum ubi prætorium Caiphæ, ubi suspendium Judæ, quæ portarum Aurea, quæ Speciosa, unde Jacobus in præceps dejectus, qua Stephanus ad lapides ejectus, et hujusmodi prorsus quænam hæc, quænam illa forent instruebat. A quo et ipse mutuo cujus esset sectæ, patriæ, stirpis, nominis rogatus, Christianum se Normannigenam Wiscardidam Tancredum respondit. Sed audita Wiscardi sobole, stupens ille ac perspicacius intuens ait : « Tune illius sanguis es ducis, quo fulminante, totiens Græcia tremuit ; quo bellante, Alexius fugit ; quo obsidente, Dyrrachium patuit ; cujus imperio tota usque Bardal Bulgaria paruit ; non loqueris ignaro : neque enim me tantus patriæ D meæ fefellit populator. Hostis hic quondam meus nunc demum, te misso, oblatas mihi injurias delinivit. Vivit in te adhuc, vivit ille formidatus populis, audaciæ avuncularis vigor, cujus pristini nova mihi refers insignia : stupebam primo hostem advenam spreto consorte solivagum occursare, tantum armis et equo confisum, socias sequi aut antecedere sperabam cohortes. Stuporis causa ignorantia mea erat, cum qua et ipsum a me repulisti. Jam simul mihi creatus es, et de ignoto cognitus, et de temerario strenuus, et de hoste veteri frater novus. Jam te deinceps non stupebo, si feceris stupenda : imo stupebo, si stupenda non feceris ; ex illa ortum

(5) Inclusa parenthesi erant in margine addita, unde non adeo oratio connectitur.

familia communem hominum viam terere non decet: attamen cave, cave fili, ecce hostis. »

CXIV. — *Irruentes ab urbe milites solus fundit.*

Ecce porta milites effundit, quæ tunc, ut ad eum conascenderent, in vallem Josaphat quinque demittebat : illi tanto fiducialius adventabant, quo abundantius superat comitem dux, quinarius unitatem. Ergo alii aljos quisque reliquos ad diripienda spolia præcurrere festinabant : at Wiscardides vale dato, colloquium dimittit, ad incursum os, animum, sonipedem, fraxinum convertit, et quem primum reperit in montem advolasse, primi cogit spiritum sub Styga, corpus in vallem corruere. Idem manebat secundum casus : sed damnatus ruinæ equus equitem salvavit : illum, inquam, equitem infortunio fortunatum, cujus frons humum dum reperit, cuspidi obviæ pectus non est repertum ; præcidit itaque ruinam ruina speratam insperata quæ tamen... dium facit magis dejecturo quam dejiciendo si... tit odiosa. Nam licet ambobus utilis hunc a labore, illum a nece liberaret; damnatur tamen utilitas, ubi damnosa utriusque impeditur voluntas. Tertius accelerabat, et hunc quoque felicem dixerim, si ipse jacens jacentem se pariter lugeat infelicem. At voti compos, impotem se fecit, qui dum ad congressum ruinam distulit, in congressu durius et miserabilius ruit. Illæsi restabant duo quorum stamina rumpentes retinuit parcas. In egrediendo rumpi cœperant, at mox refugis redintegratæ sunt colus : quippe Tancredi plusquam leonino attonitos fremitu ad portam fuga celeris reducit : sic quondam catuli ovile repetunt, ubi claustra feram summovent, quam in ipsos tutores fames egit acerbior. Victor a mœnibus repulsus super spoliis nil movetur oblatis, equorum discursu libero, phalerato ornatu, divite armorum, huc illuc sparsorum, aureo fulgore ; redit ad suos solaturus reditu quibus jam ingeminabat mora desolationem desolatis abscessu. Interea frequentes copiæ, subsidium libens, juventus fervida adventaverant; quin et tenera, duriorque ætas, sexus quoque mollior, omnes aderant : adeo firmis infirmos in concurrendo æquabat æqua sive una concurrentum devotio.

CXV. — *Descriptio civitatis.*

Tempus est in explanando sanctæ civitatis situ paululum delectare : ut quorum oculos pascere non valet propter remotionem, saltem animos juvet transmissa ad manus et fusa per aurem. Hujus ergo sancti ambitus quadrangularis est forma, capacitas ampla ; Eoa frons latr... boreale directa, altera vero et alterum sinuosa : nam medii intervenientes anfractu australi in Galilæa occiduo quod frons altera.... tatum est ad turrim David lateribus normam... dent linearem : sed ab eo quod in Eurum.... vallis Josaphat montem Oliveti submovet... situ humilis ; contentorum tamen dignitate præcellens : ibi namque Gessemani, ibi torrens Cedron, ibi Dei aulæ aula, cœli reginæ sepulcrum, ibi protomartyris Stephani lapidatio ibi cum sanguineo sudore A Dominica monstratur oratio. Porro ut rem ordine prosequar, ibi pyramides duæ, superior regis Josaphat rotunda, inferior vero beati, ut fertur, Jacobi quadrata : infra Siloe, infra puteus Jacob, circum circa ab utroque vallis latere eremitalis plurima erepido. Item a meridie vallis montem *Sion* ab *Acheldemach* disterminat ; juxta puteum præscriptum a valle Josaphat exiens, et usque sub turrim David gyrum ducens, huic fronti latus præbet continuum monticulus in urbis cornu a Zephyro descendens, in dextro latere paulo erectior, in sinistro viciniæ humili fere coæqualis : sed hæc vicinia usque Josaphat quartum sociat latus castris accommoda figendis.

CXVI. — *Dispositio exercitus.*

B Igitur comites Normannus et Flandrensis hac in parte obsident, ei quæ adhuc S. Stephani dicitur portæ oppositi. Dexter ab his Tancredus imminet, si tamen ad Phœbi ortum terræ situm metiris, tunc quidem inferior ; si vero ad depressionem tumoremque loci, paulo superior. Ipsi præscriptum illud cornu expugnandum contingit, unde adhuc expugnata turris, Tancredi appellatur. At ducis castra vallis opaeat, cujus frons supradictą eminentem Tancredi pertingebat viciniam. Porro mons Sion Raimundo comite metatore gaudet, solo muri humilis obice ad Jerusalem submotus ; nunc suburbium, antiquitus pars urbis, imo urbs, eam quæ nunc est Jerusalem suburbium habens. Tribus itaque portis terna deputata est obsidio : e regione, duabus : tertiæ id est occidentali, ex obliquo : hanc subjecta valle ab occursibus faciente liberam, illas vicina planitie assultibus opportunas. At vallis Josaphat vacavit libera tum loci situ, tum populi statu liberata : si quidem pars illa urbis timere nescia valle reducta, aggere, arduo muro inexpugnabili munitur.

C

CXVII. — *Boamundus abest et alii duces.*

Porro exercitus advena partim bellis partim morbis attritus, præsertim Gallorum comitum Stephani Hugonisque absentationibus, nec non Boamundi principantis absentia minoratus, nec muro humiliori sufficiebat oppugnator, nedum munitas natura turres in ortu occasuve cingere tentaret : sed duorum utcunque laterum, utriusque autem quasi ad medium longitudine obarmata, tanto acrius Christicola populus expergiscitur, quo ampliorem invaserat hostem numerus minor ; quo augendam fore hostilem, suam minutum iri turbam certissime constabat ; quo aridiore siti mensis Junius torrebat castrenses. Ad interiores, satiem, umbram, quietem, otia, somnos ; ab exterioribus fame, sole, labore, bellis, vigiliis laceros cogens.

D

CXVIII. — *Aptantur machinæ.*

Igitur avidi quietis labori insistunt, quærunt solliciti machinas, proximæ parasceves auroram muris destinant scandendis. Sic enim præmemoratus mihi præmonuerat ille turricola monachus, Tancredo indice, nostratibus ea die assultum indicens. Cæterum perlustrata circumquaque vicinia, nullum fuit ne-

mus, non palatium, non turris, quæ ad scalarum fabricam lignum mitterent. Memphis ab Hierusalem Damascum expultricem suam veterem nova vectrix expulerat, ideo recens adhuc ille Ægyptiæ expeditionis annus nihil siccum, nihil viride reliquerat intentatum : secretæ tamen latebræ aliquantas celabant trabes, quæ solertem nequiverunt Tancredi fallere sollicitudinem. Abstractæ igitur et allatæ, unam duntaxat scalam implent, hoc in tempore omnem removisse inopiam æstimatæ, aderat namque dies capiendis armis præfinita, citra quam ultraque hinc coarctaverant, inde imminebant graves utrobique angustiæ : citra, quoniam investigandæ scalarum materiæ arctas concesserat inducias breve biduum : ultra, si quidem post illum, nec in illo die præfixo muros invadere, hoc erat datum a monacho oraculum annullare. Propter hæc igitur scala, et una non habuit sociam et sine socia gratati sunt unam. Itaque muro applicatur qui turres continuat lævas Tancredi, secundam tertiæ : Jamque astabat sublimis, et quasi sesquipedalia hæc jactans : « Quoniam quidem socias cum exspectarim non habeo, deinceps ut habeam non exspectabo. »

CXIX. — *Murus conscenditur.*

Igitur vicinia, inventio, opus, propinquo repertori opifica ad reptandum in muros ducatum Tancredo dabant : quem tamen si cujus alius invita sors vertisset, animus acer hanc sibi tantam arrogat laudem. Itaque morarum nescius, jam primis innitebatur gradibus, jam stricto ense dextra fulminabat. Porro majestas generis, dignitas nominis, gratia meriti, spes merendi : hinc plebs reclamans, inde nobilitas reluctans, incœptis obviant; jamque hærentis lævæ dextram exarmant apprehensam. Subit revocati officio juvenis, et ipse si fors juvet, gaudere dignus : si invideat, flere dignior. Felix ille per omnes ab imo ad supremum gradus; in summa operis infelix. Arripuerat enim jam læva murorum apicem, cum adversarius ensis in eum descendit, ut qui bimanus et fulminans modo conscenderat, vix descendere orbus gladio et manu hac fere illo penitus potuisset. Refertur itaque in castra medicandus auriga currus Tancredici, quem Simon tenuit, magnis tamen excidit ausis. Neve tacito nomine audaciam militis meritus non remuneret favor, nomen erat juveni Raibaldus, Francia tellus, agnomen Cremium, Carnotum nobilis ortus, vires et probitas; hæ magnæ, major at illa, refertur saucius. Nemo autem relati utile duxit supplere vices, quippe gladios verens descensores, mille in unum unius ascensoris. Illum enim in angulum tota convenerat pugna interior, cum totus reliquæ civitatis ambitus ab exteriori vacaret sopito similis. Videns fraudata sedulitas defensoribus favere fortunam, oppugnatoribus autem adversari, scalam refert non modo inutilem, verum et damnosam : si tamen ad singularitatem recurratur excusabilem.

CXX. — *Ligna obsidioni apta frustra quæsita quasi divinitus reperiuntur.*

Consulunt in medium proceres scrutari latebras, vias atque invia peragrare, undecunque ligna corrodere statuunt, ut nulli hæc indagatio parcat principi : mox quod statuitur impletur : laborantibus cæteris frustra, Tancredus a desiderio suo non est fraudatus. Miraculi species est quod narrabo, neque tu, quisquis rem bene consideras, actum cœlitus negabis.

Tancredum gravis dissenteria torquebat, eum tamen ipse sibi equitando non parceret. Vix equo insidens, pestis illa crebro descendere, longe abscedere, latebras quærere virum compellebat. Sæpenumero hac molestatus angustia, cum fatigatis ex itinere sodalibus ipse labori cedere ingloriusque reverti disponeret : solita augente molestia, gravari cœpit, elongavit, descendit, descendens sociorum oculos evasisse putabat, cum respiciens comperit non esse evasum. Longius ergo latebras quærens, alios denuo passim aspicit vagantes, sic jam tertio, sic quarto sedem mutans : demum in secessu longo sub rupe cavata, arboribus clausa circum atque horrentibus quietem invenit. Papæ! quis ut Deus? o qui de petra aquas, qui de asino sermonem, qui de nihilo omnia eruit; ipse de perculsi vulnere militis exercitum sanavit, de infirmitate firmavit, de plaga vili pretiosius quovis metallo antidotum confecit : nam dum ibidem virtus expulsiva operaretur, versa ad oppositæ rupis concavitatem fronte, ligna quatuor intro patent, quibus nulla proposito operi desiderari poterant aptiora; illa ipsa, ut fertur, erant quorum ope rex Ægyptius Hierusalem expugnaverat; quibus visis, ipse adhuc, tanta sunt gaudia, nec sibi credens, nec oculis, surgit et accedit, palpat, rem perspicit. Ergo heus! heus! o comites! huc, huc accurrite, clamat; huc, huc, ingeminat, Deus en plusquam petimus dat : quæsiimus lignum rude, reperimus fabrefactum. Vocati adsunt extemplo socii, unde gemuerant gaudent, ille gementem adhuc exercitum, misso nuntio, festinat consolari. Promulgato per populum gaudio, tollitur vox lætitiæ et exsultationis in tabernaculis Francorum, proceditur sicut in litaniis cantando obviam.

CXXI. — *Robertus Flandrigena opificum tutor constitutus.*

Mox tunc eligitur operi Flandrigena Robertus opificum tutor, dum ligna cætera fabri quæsita reperissent, reperta incidissent, incisa retulissent. Lucus erat in montibus, et montes ab Hierusalem remoti ei quæ modo Neapolis, olim Sebasta, ante *Sychar* dicta est, propiores, adhuc ignota nostratibus via, nunc celebris ac ferme peregrinantium unica. Illuc prædictus comes solitis comitantibus quasi ducentis missus, innumeris hostium millibus exponitur, ante et retro, dextrorsum et sinistrorsum circumfusis. Ipse non secus turmas ac tubas quam patriam et tibiam perhorrescens luce inter per q. . . fabricam jaculabatur feras, nocte cum fabris in ferina epula-

latur. Itaque labor ille et domino erat cum utilitate voluptas, et laborantibus famulis parta sine metu refectio. Utque satis cæsi feliciter nemoris, comes redit sapienter viam armis præmuniens, ipse audacter cum retroneis sequens vulgus diligenter in medio tuetur, per arcus Damasci, per cannas Arabiæ, per pila Æthiopiæ indemnis transmeat; sed audita comitem comes nusquam descivisse prosperitas; exitum reditum semper prosecuta hymnos et pompam, a complurimis impetrat favorem, laudem ab omnibus meretur.

CXXII.

Exstabat medium inter castra, et vallem Josaphat pomerium, quo nullum aptius aut aptum æque assultibus hostium, nullum civibus formidolosius imminebat : quippe illius cornu murus paulo humilior erat, turris rara, campus, ut dixi, exter extensior; area hæc tamen hoste vacabat, stupor indigenis, at providentia ducum partem illam supremo bello reservabat, dum turris lignea strueretur, de cujus culmine Francorum alæ in mœnia volarent. Igitur allatæ abies, cypressus, et pinus veras dissimulant, fictas vero assimulant minas : materia scilicet rudis formam exspectat ad Zephyrum ut formata ad Eurum pugnet.

CXXIII. — *Dira obsidentium fames; machinæ aptatæ et mœnibus admotæ.*

Interea vero tum cereris tum undæ inopia, bella quoque, aliud minans, aliud instans; illud furor Ægypti, hoc Palæstinus, Arabicus, Damascenus immaniter æstuabant; jam enim fruticati per circumitum, hastis et calybe ipsa sua fruge quam germinaverant horrebant colles; unde rarissima, imo etiam nulla jam castrensi inediæ ceres advena succurrebat. Quæsitis utcunque vesci, vescenda vero quærere extra castra omnino non licebat : ut quæ prior obsederat gens, jam multo verius, quam obsidens, dici posset obsessa. Unicus et universus errabat per exercitum planctus; frustra Romaniæ bella, frustra Antiochiæ famem, frustra reliquos labores superatos esse : quandoquidem totum jam pelagus pervadatos apprehensi arena littoris naufragos fecerit : lugubre igitur, verumtamen pium, et vel ipsius hostibus miserabile solatium cerneres : cum, vita pertosa, cohors mortem ultro vocaret : fuerat namque qui conjurato impetu tanquam ad uxorios sic ad murales ruerent amplexus, quasi una mens et ratio singulorum hæc foret : *Osculabor desideratam meam Hierusalem priusquam moriar.* Miseri! in quorum oscula modo terrum, modo saxa, interdum sudes perustas omnia necem subitam osculati pluebant muri. Ac nec sic quidem cœpta semel potuit terreri devotio : quin sæpius sæpiusque alii in morte aliorum eosdem repeterent amplexus. Jam exierat in Julium labor, a diutini certaminis exordio quinquies per septenarium revolutus. Consummatum est opus, tormenta fabrefacta, exstructæ machinæ, parata omnia quæ præsentis instantia necessitatis postulabat ; adhuc tamen postes, tabulæ, crates, nexus inconnexi, annecti et erigi sed prius transferri indigebant. Ad transferendum ergo nox eligitur, dies crastini jacentia erigit, sparsaque huc illuc membra in suum redintegrat corpus. Translatas quoque machinas mox transpositio sequitur castrorum, ut jam non minus obsessis quam obsessoribus palam fieret, quoniam murus ille bello fuerit destinatus. Ingravescit itaque civibus malum, turbatur omnium mens consilii inops, qua præcisus fuerat certaminis occursus : fastigiosæ moles timorem excluserant. Præterea partem illam multo nemore sollicitus munierat labor, balearibus scilicet tormentis ad hostiles assultus : frustra hæc autem, quippe amoto hinc et aliorsum admoto, ut dictum est, metu, quod tamen in extremis rebus solatium restat, machina interior transplantatur, ubi opposita reverberet exteriorem transportatam.

CXXIV. — *Aries impellit turres.*

Parati ergo utrinque ad pugnam; alii tremefaciunt muros, alii tuentur. Aries suffossor a pede terebrans turres quassat, marmora arietem in collum super lapsa. Turris una et ipsa lignum, urbi congreditur : sed et volens invitæ; nutans stabili, altera occurrit immobili, altera stat ad occurrentem. At si liceat, cedat. In cujus spectaculi stupore elephas merito similandus recurrat, quem narrant fabulæ sub aspectu muris trepidare. Interea non cessat clamor, non fragor, non vulnus : saxa, spicula, sagittæ utrinque volant : scuta, galeæ, crates, muri ad ictus remugiunt : præ sonitu et jactu, oculi auresque non magis suum exercent opus, quam alternum. Cœptam tamen moles lignea non tardat viam, saltans præstat ut post obrutam callis barbicanam jam patebat liberior. At ubi eo usque appropiatum est, ut alternæ cuspidis obvium jam tinniret ferrum, idem qui obstacula prius quasi præco Græcus mylanys clamans domine sequentis removerat, aries consecutæ modo turriculæ unicus obstabat. Procedere murorum non permittebat objectio : recurrere machina prohibebat subsecuta; dextram lævamque diverticulo gradientis natura negabat, cuja refert dumtaxat, modo egredi, regredi modo, digredi nunquam : dedit ergo pœnas Normannico torre ambustus latera, quod a cornu strenuo ungulæ degeneravit segnities : id ipsum prius interior flamma tentaverat, sed affluens incendio occurrit unda exterior, ille mansit illæsus. En iterum sumpto fulmine Christicolis Mahumicolæ pluunt, ut stillata nocentem amphora potet, qui prius utilis pice et sulphure et face fuerat ustulatus. Expertus est itaque idem bis inflammatus, bis aquatus, bis Mahummet victum, bis victorem Christum : et hic quoque elementa actorem cognoverunt suum, ad ejus nutum, alterutrum victoriæ permutantia vices; patefacto aditu, machina procedit, semel atque iterum saltando felix, flebilis tertio, silva recens sub onere fatiscit, obsequio immatura.

CXXV. — *Machinarum effectus artibus eludunt obsessi.*

Quæ vulgo soliva, quasi quia per solum vadat,

nuncupatur trabs fissa latus alterum enervat, quippe lævo parieti pro fundamento subjecta. Læsa ergo pedem alterum machina stat immobilis, procedere invalida, retrocedere indignata, astare contenta. Ecce iterum dolor et vetus ex usu et novus ex casu : renovata est desolatio, cicatrix vetus. « Bene, inquiunt ; spes quoque lenta fuit ; si quidem inviti credidimus, a quo post creditum lædendi fueramus ; en exitus quem præsagæ ab exordio mentes augurabant. » Inter hos tamen gemitus, falcata acie armatur pertica, ad secandos funes calybs efficax, quorum nexibus implicitæ de muris minabantur trabes. Horum igitur excisionem, illarum mox comitata est solutio, solutionemque ruina : dextimæ sinistimæque turris solatium cessabat, quarum remotiusculam Tancredus, propiusculam comes Normannus fundæ balearis turbine dissolvebant. Suapte causa sollicitæ acclamantem non audiebant viciniam. Præsertim Normannica tam nocentior quo propior, ideoque odiosior facile jam succubuisset impulsibus : sed objectæ tormento paleæ ruinam differebant ; latebant enim post saccos mœnia, ut jam non tremerent ad marmor volans. Erant itaque labor multus, fructus minimus, planctus plurimus, risus nullus. Sed quos ad risum lacrymabilem non moveat sacerdos bellicus, cum fatiscente militia, ille delicatus ordo in albis et stolis scalam vehentes, flentes vehendo gemerent, flendo psallerent ; et hæc quidem gestatio et opus erat, et sermo, sed sermo magis. Tuncque præ labore militaris torpebat virtus, visu insolito experrecta. Redit ad muros, pium illud *Kyrie eleison* comitans ; illud, inquam, et ab imo pectore egressum, et ad summi aures judicis efficaciter progressum. Exaudivit enim Dominus clamorem contritorum, neque ultra sustinuit perfidorum blasphemias. *Qui divisit mare Rubrum in divisiones, et eduxit Israel per medium ejus :* modo solatus est desolatos suos, atque ubi jam spes exciderat vitæ, aditum reseravit victoriæ : nam multa expertis, at frustra cætera : flumina quoque qua licet placuit imitari, ut vel sic clamidatam possent arcem exuere. Sitire cruorem arundo solita jam flammas vomit, non jam, inquam, exstingui aut exstinguere sitiens, sed accendere furens, emittente cornu spicula, tellurem putes versa vice in cœlum fulminare : ideo ferrum candens aera ab imo in sublime dissecat, dum pennæ subsequentis remigio adjuta flammivoma cuspis paleas simul perfodit et accendit, cujus incendii vires ejusdem artis tutela non ferens . cedunt flammis qui nec jaculis ante cessarant, nec balistis. Vacuos igitur civibus muros, scalæ hostibus mox replent applicatæ : sed et pontis instar trajecta palma, cives hostibus continuat, lignum saxis, murum machinæ : hac quoque ope in urbem repit juventus avida manibus pedibus a procellis in portum tranans.

CXXVI. — *Bernardus Sancti Valerici, Lettholdus et Engelbertus muros subeunt*

Primus in his stricto juvenis præfulgurat ense,
Gloria militiæ, generis quoque gloria clari.
Bernardus, te sancte vocans Valerice patronum,
A quo et cognomen simul, agnomenque trahebat :
Vos tamen in muris reperitque doletque repertos
Nobile par fratrum Lettholde, secuteque fratrem
Engelberte ortu scansuque secunde priorem :
Quos scala in muros in scalam Flandria misit :
Mœnia partiti discurrunt, ille per Eurum,
Fratres per Zephyrum : laniant laniataque trudunt :
Corpora quaque ruunt, fragor hos sequitur, fragor illum.
Prima tamen cervix humeros quæ cæsa reliquit,
Cædiferam sensit dextram : quæ tertia repsit,
Stabat adhuc truncus, cum jam galeatus ad ima
Deciderat vertex : at mox hunc ille secutus,
Et cæsus calcem est expertus, et integer ensem
Sed jam crudescit bellum, jam crebrior arces
Irrumpit populus, veterem jam mœnia civem
Indignata novo superante, stupent gravitatem
Plantæ victricis ; quod dura quod improba cursus
Prægravis inculcet, rapida involet, horrida pulset.

CXXVII. — *Urbs capitur.*

Ergo fugam trepidi satis aspernata coloni
Excutiunt tremulas transverso vertice plantas,
Victori assultant ; admissus victor inerte
Plebe levat pressos ; assultus, præmia, muros,
Ascensus avidæ graduum penuria gentis
Vota morabatur, vicinum limen aditur,
Frangitur, atque humeris pulsato cardine solis
Mox Josaphateæ patuerunt robora portæ,
Ergo ubi claustra patent, cuncta aspirant, nihil obstat.
Huc, illuc, dextra, læva, sursum atque deorsum ;
Per sata, per dumos, per tecta, per arva, per hortos
Dissiliunt, interficiunt, rapiunt, populantur.
Hic pecus, ille domum ; pars aurum, pars orichalcum,
Falsa decepti specie, fulvoque nitore ;
Plurimus argentum, quidam gemmas, alii ostrum ;
Servos nonnulli, cursim omnia et omnia raptim.
Ut tamen in vulgo fert fabula, qua sua cuique
Est prurigo gravis, prior illuc involat unguis.
Sic modo posthabitis ornatibus ambitiosis,
Quo sua quemque rapit penuria, sistitur illic :
Esuriens furno non esurit arma reperto,
Nec sitiens unda sitit æra pecusve reperta.
Tecta subit læsus, ruit ad velamina nudus ;
Ad calices bibulus, ad opes festinat avarus.
Sternere nobilitas, vulgus spoliare laborat :
Miles cæde rubet, dux exhortatur et urget.
Hinc ambo validi, comites ambo, ambo Roberti,
Hic Normannorum comes, ille Flandrigenarum,
Duxque Godefridus bello celeberrima virtus,
Illinc magnanimus sancti comes Ægidianus
E regione ruens vicinas scanderat arces,
Et quam Davidicam vocat incola, cinxerat armis,
Non sine multorum nece præcipiti refugarum,
Quos fuga de muris ad asylum traxerat arcis.

CXXVII. — *Tancredus.*

At Tancredus homo, qui non homo, sed leo, sed nec
Os oculosve leo, quin imo cor ipse leonis,
Ad majora furit; neuter quod somniet Ajax,
Non Hector, non Hectoreus superator Achilles
Audeat : hoc facile et pronum Wiscardida ducis
Curia templorum, nunc unius ante duorum,
Nunc tantum domini, prius et domini et Salomonis :
Hoc quidem adhuc gyrat latus, illud et auster ha-
[bebat,
Hæc spatiosa capax circumdata mœnibus altis,
Cardine tam gemino ferrata fugam atque timorem,
Horrorem, et bellum totam imo receperat urbem :
Hoc adamas ferrum, durum hoc, sed durior ille
Tancredus pulsat, confringit, conterit, intrat :
Cujus ad introitum fugit irrevocabile vulgus
Et Salomoniacæ quindeniforum latus aulæ
Irrumpunt; piger ense cadit, celer effugit ensem,
Compos effugii portam obserat, obice fulcit,
Aut vitæ stabilis spes; aut mora quantula mortis
Ad Domini templum vertit se vertit, et ecce
Limina signifero patefiunt, culmina signo.

CXXIX. — *Templum spoliat.*

Stabat in excelso simulacrum fusile throno,
Scilicet argentum grave, cui vix sena ferendo
Dextera sufficiat fortis, vix dena levando.
Hoc ubi Tancredus prospectat, « Proh pudor! inquit,
Quid sibi vult præsens, quæ stat sublimis imago?
Quid sibi vult hæc effigies? quid gemma? quid au-
[rum?
Quid sibi vult ostrum? nam gemmis totus et ostro
Mahumet redimitus erat, radiabat et auro,
Forsitan hoc Martis, vel Apollinis est simulacrum :
Nonquid enim Christus? non hic insignia Christi,
Non crux, non sertum, non clavi, non latus hau-
[stum :
Ergo neque hic Christus, quin pristinus Antichristus,
Mahummet pravus, Mahummet perniciosus :
O si hujus socius nunc afforet, ille futurus
Jam meus hic ambos pes supprimat Antichristos.
Proh pudor! arce Dei potitur conviva barathri,
Vernaque Plutonis, Deus est operi Salomonis.
Corruat ergo citus, jam dudum corruat iste;
Statue superbus adhuc quasi nos quoque sorpserit
[ipse? »
Vix jussum fuerat, videas jam stare peractum
Milite nil jusso complente libentius isto.
Abripitur, trahitur, dirumpitur, obtruncatur.
Materia carum, sed forma vile metallum,
Ergo diffictus de vili fit preciosus.

CXXX. — *Spolia distribuit militiæ.*

Interior paries per circuitum radiabat,
Argenti lamma quæ lata fere cubitalis,
Ad spatium longum densa ad quasi pollicis am-
[plum,
Ducebat longos sinuosa per atria gyros,
Pondus erat lammæ quasi septem millia marcæ;
Hoc quasi segne jacens et inutile traxit in usum
Vir sapiens : hinc et famulos armavit inermes,
A Hinc revestivit nudos, et pavit egentes
Hinc quoque militiæ numerum quam sola voluptas
Auxit, et externis sua fulsit signa maniplis.
Sub gemmis paries, sub gemmis multa columna,
Multa sub argento latebat, multa sub auro.
Insignis fabricæ decus, ars celebranda per orbem,
Materies oculis solamen deliciosis.
Tanquam conspectum fugiens, lucemque perosa
Talibus involucris obducta, sub ære latebat.
Reddidit ergo diem, longo jam carcere clausis,
Et tenebras passis Tancredi gratia signis :
Inque vacans aurum esuriens laxavit egentum;
Marmora denudans, et Christi membra reformans

CXXXI. — *Hostes fundit.*

Porro dispositis quæ disponenda fuerunt,
B Post mirata sacri gemmas, æs, marmora templi :
A prece devota Tancredus suscitat arma,
Invenit obstantes : sed eo penetrante catervas,
Aut ruit, aut refugit, medium non invenit, hostis
Jam vacat exterior, nec sentit prælia campus :
Curritur, et cædem penetratur ad interiorem,
Utque patent aditus, tunc quid Tancrede, quid ensis?
Quid probitas posses, docuerunt stagna cruoris :
Cui narrare vacet per singula sive peremptæ,
Sive peremptricis luctus, ac gaudia turbæ :
Tantaque de tantis orientia commoda damnis.
Mille modis, et mille viis, et mille ruinis.
Mars fremit : ira furit, gladius vorat, occubat ho
[stis.
C Eia, sancte furor, sacer ensis, sancta vorago;
Spargite, spargimini gens prava, viri scelerati,
Sanguinis insontis fusor, sons fundere sanguis
Qui Christum toties in membris dilacerasti,
Excipe membra vices tibi quas reddunt modo Chri-
[sti.

CXXXII. — *Urbis populatio; hostes victi animos colligunt.*

Interea belli fremitu resonante per urbem,
Conveniunt illuc spe cædis hic, ille lucelli :
Mox alios alios rapiunt sua quemque voluptas.
Ergo calybs, ferrum, cedrus, æs, cupressus, ele-
[ctrum,
Robur portarum, decor, et Salomoniacarum
Fracta ruunt, latebras produnt, bello patefiunt :
D Quid latitasse tibi Christi scelerate negator,
Quid prodest divi portas clausisse palatii?
Mille licet claudas aditus, lateasque sub ipsis
Mille tamen clausis, aditus per mille traheris :
Ecce fugam probitas, audacia nacta timorem;
Quo pecus ore lupi fracto populantur ovili,
Strage pari gentem patefactam Gallicus ensis,
Exilis numerus secat innumerabile vulgus,
His jugulare senes, illis avellere parvos,
Multis cura fuit, gemmatas exuere aures.
Cæde tamen visa, cæsoribus advolat ultor,
Mox quoque cædendus : numero sine et ordine
[miles
Instar ab occulto conciti examinis antro;
Quod vel aqua pastor, vel fumo exire coegit

Exsilit, irrumpitque aditus quod cuique repertum,
Aut frons, aut aures, aut nares, cædit hiulcum.
Sic ubi cognatæ latebras solvere ruinæ,
Spicula mille volant, et mille volant quasi vernæ
Grandinis ; ira sudes, numerus non colligit enses.

CXXXIII. — *Anceps pugna, fugantur fideles. Ebrardus Pusiatensis fugatos revocat.*

Gallica strenuitas, ingens et parva, pusillus
Grex, sed grex validus, numero nequit obvia tanto
Pectora ferre diu, cedunt, cedentibus instant
Qui modo cedebant : et quantum frangere, quan-
[tum
Fracta subire prius victorem limina juvit,
Tantum præcipites juvat accelerare recursus,
Perque suo patulas pulsu revolare fenestras,
Rursus et hos illi, rursusque hi, non minus illos,
Hinc illuc agitant, mox illinc huc agitandi :
Sic aliis alii modo cedebant, modo versi
Instabant, vicibus variis fugiendo fugando
Christicolæ Mahummicolas, Mahummicolarum
Christicolas turmæ, bellique erat exitus anceps,
Et velut alludens Mars, hinc Mars inde favebat,
Multiplicique fuga jam luserat agmen utrumque
Cum tandem accurrens vis bellica Pusiatensis
Ebrardus, sic fama refert, unus clypeatus
Partibus in sociis ultro casu exclypeatis,
Unus ad innumeras clypeus stetit, obvius hastas,
« Et tonitru magno, proh Francia ! proh fuga tur-
[pis
Proh pudor ! exclamat : bellatum venimus, anve
Saltatum ? certe pueri sic fingere pugnas
Sunt soliti ; solitæ plausus celebrare puellæ.
Ecce minæ totiens inter convivia jactæ.
Vosne, viri Franci ? sed nec quos dicere Francas :
Esse nurus digner, trepidas qui frangere caulas
Inclusumque pecus jugulare diu trepidastis :
Exuite ergo metum, patriasque resumite vires.
En ego prima feram, me cætera signa sequantur. »
Sic stimulat frendens, sed agens majoribus urit
Spectantes stimulis, nam protinus obice parmæ
Pectora protectus, dextramque exertus et ensem,
Unus mille viros invadit Martius heros :
Voce satis, sed mota magis duce strage juventus,
Seu cunctis idem fremitus, par ira, cor unum,
Mens eadem fuerit : sic cursu perpete cuncti,
Hortantique favent, præcurrentemque sequuntur.

CXXXIV. — *Horrenda infidelium strages.*

Infinita licet debellent millia pauci,
Non tamen aut nocet hos minor, aut juvat amplior
[illos,
Cum damno est numerus, si quidem quo major acer-
[vus,
Quo magis est densum, tanto plus debile vulgus,
Stipatim fodiunt alios alii, perimuntque,
Et variis vicibus modo saucia corpora sani,
Et modo dum casu casum est sine vulnere stratos.
Vulnere prostrati vivos necuere necati :
Quo major plebis cumulus, major quoque cladis;
Quippe cadens stantem suffocat, stansque caden-
[tem :
Sic quoque sopitum gladius non præterit ullum,
Costas rimatus, per colla, per ilia ductus,
Terga per et ventres, larga sanie oblinit ædes,
Gloria cunctarum quas mundus habet fabricarum,
Fit lacus horrendi, velut actor obhorreat unde.
Quantus, quantus erat templi stupor ille capacis,
Limina, maceriæ, sedes, tabulata, columnæ;
Omnia sanguis erant, nihil exstabat nisi sanguis :
Namque pavimentum penitus sub strage latebat,
Ut nisi submersus non tangat marmora poples :
Quippe cruor tantus, tanta infecit unda penates :
Quanta nec Emathiam sub Cæsare, nec sub Achive
Marte firges [*f.* Phryges], nec sub Mario, Syllave
B [Latinos

CXXXV. — *Tancredus invidentiam incurrit Arnulfi. Hujus adversus Tancredum ad proceres oratio.*

Sed nec hæc tam festa dies nomine careat : ipsa est qua illustrat Julius annum, Idus Julium ; ipsa est in serie feriarum sexta, ab obsidionis exordio in quadragenis penultima. O beatus Idus ac præ cæteris gloriosas ! in his si quidem divisi sunt, qui in orbem terrarum fidei rudimenta spargere jussi sunt. Ab iis cœpit exordium seminis Ecclesiæ, in iisdem seges rediviva horreum cumulat, ecce in iis pater ille familias operarios mane misit : ecce in iis vesperi vinea penum replet. O igitur merito Iduum Idus sua gloria meruit indici ! O Tancrede, hic quoque
C post victoriam de victoriæ fructu certamen, et post certamen certaminis fructum pacem invenisti ! Orta est enim inter principes adversus Tancredum invidia, quod uni super omnes cumulatius abundaverit Deus, quibus armata jaculis Arnulfi quasi alterius Ulyssis facundia virum provocat, intus vocat, proceres convocat. Consedere duces, surgitque secundus Ulysses : tum defixo paululum in terram vultu, deinceps sic orditur : « Multa me hortantur, o Patres ! obsequium meum voluntati vestræ subjicere : inter quæ hæc ipsa etiam nuper mihi oblata injuria. Hæc enim me docet quantum distet ab homine homo, beneficus a raptore, ab invasore assertor. Vos me de humili promovistis, vos de ignoto celebrem dedistis, vos quasi unum ex vobis, et comparticipem
D tributorum creastis, et hæc quidem gratia et a prisca proavorum liberalitas descendens nova. Vos regius sanguis, o duces ! bene a quo fonte decurristis in me patuit, cui largi, cui divites fuistis ; cum vobis parci, vobis pauperes essetis. At Tancredus me persequitur, sæve tyrannidem exercet, in me sævit ; quod communis assensus vester mihi sanxerat, ipse derogat, ipse mihi vices pontificis aufert, vos dedistis ; ipse me spoliat, vos investistis. Tuemini igitur, o fortissimi proceres ! jus vestrum, ulciscimini injuriam vestram, punite injuriam. Nemo putet meam esse hanc contumeliam, vestra est, omnium nostra : mihi quidem res imminuta est, vobis aucta injuria, ad me redundat damnum, ad vos dedecus : nam qui dispensationem conculcat, nempe omnino dispensa-

torem damnat : scriptum est enim : *Qui temnit legem, spernit regem.* Cur autem vos non sperneret, qui Deum spernit? cur vobis pareret, qui aris non parcit? cur vos patitur palliatos, qui templum Domini excrustavit? templum, inquam, Domini, non ab heri et nudius tertius constructum, nec quolibet dispensante circumactum, non ubivis, non quando, non quomodo, non a quovis fundatum : hæc est enim domus Domini firmiter ædificata; ipse Dominus fundavit eam. Hic ille est locus in quo patriarcha Jacob vere Dominum esse asseruit, quem portam cœli vocavit, ubi scalam cœlos tangentem et angelos ascendentes et descendentes vidit. Hunc Christus Dominus et præsentatione sui illustravit infans, et reverentiæ zelo mercimoniis ejectis sic extulit adolescens : *Scriptum est, domus mea, domus orationis vocabitur.* Longum est enumerare quibus paginæ veteris aut novæ laudibus hujus sanctæ domus cumulatur majestas. Quod si satis, o Marchisida, attendisses, huic saltem pepercisses, quasi in terris cœlo : huic, inquam, unico in terris, si quid terra cœlis simile habet, cœlorum simillimo. At indulgendum est Wiscardidæ : secutus est enim patrum suorum vestigia. Quis inter amplexus, inter oscula compatrem suum a mœnibus rota dejecit? nempe Wiscardus? quis vivus pro mortuo, incolumis pro tumulando in montem Cassinum perlatus est? Utique Wiscardus : Quis nepotem suum ad concordiam elicitum, prius calida, mox gelida perfudit? Idem Wiscardus : qui tamen fertur ecclesiarum fundator, non subversor : nec denudasse, at multas ornasse. Papæ! o Wiscardida, nesciebas me domus Dei ministrum! an prudens, sciens, contempto me conculcato jure, prolato scelere sanctuarium profanasti? si ignoranter peccatum est; cur post notitiam non est ad veniam recursum? Quod si peccavit industria ; cur jam cessat rapina? Adhuc restant ecclesiæ, adhuc in altaribus gemmæ; quin, irrue, rape, ejice ministros, succede ejectis, sileat Arnulfus, suadeat Tancredus. At vos, o proceres ! si quid bene merui, vobiscum laboravi, nunquam deserui. Ab ipso bellorum primordio Nicæa vigilantiam meam sensit, ubi, me increpante pigritiam, strenuitas fervebat ; hortante juvenes, senectus juvenebatur ; sopitas excitante fundas, mœnia tremebant. Mox in valle *Dorecil* circumsepti ab hostibus, mortem ante oculos videntes, de vita diffidebamus ; ubi tamen neque mentem confudit timor, neque fraus consilio adfuit, neque abfuit labori effectus. Mittendum esse ad socios, ignaris nuntiandum, diffusos aggregandos memini ; ego consului, ego implevi. Non fraudulenter alienos humeros onere gravavi, quod mei recusarent, uno comitatus Achate, et ipso sicut imbelli sic inermi. Per millia hostium aufugi, infinitis sequentibus evasi, eventum nuntiavi, victoriam adduxi, vici. Antiochiæ quis fuerim, testis est hostis. Diutinum agonem illum hæc non explicet dies : ut de Marra quoque prope redempta silcam, redeat in memoriam saltem Archas, et prioris quidem illius fugæ modum habui disparem, at metum eumdem. In qua linter exilis prope mœnia, præter navalia, intra littora Maracheæ, Tortuosæ, Valoniæ, Gibelli, tandem Laodiciam me pervexit; ubi vix expositus per mille pericula Antiochiam adii, moras ducum increpui. O adducti proceres! vos testes habeo, vos adduxi. Ex illo usque in præsens, neque vidit otium meum Phœbus, neque somnolentiam Phœbe, neque faciem mensa neque animus quietem, dum reipublicæ inservio, invigilo, insenesco, immorior. Multo autem plura præmissis subdituruseram, o patres, sed præ compendio dimissa cætera diem adversario relinquam. »

CXXXVI. — *Respondet Tancredus.*

Ab his surgit ambiguus, primo utrum sequeretur ducem fervorem animi, an judicis favorem : ergo sic incipit [*deest* Tancredus] : « Scitis, proceres, studium meum : militia fuit, non persuasio nec linguositas me promovit, sed ensis et lancea : proinde indulgendum mihi fore postulo, si tractus ad lites, artis ignotæ excessero rationes : si tyro rudis aut citra metam pressero aut ultra laxavero habenas. Id opinor consideravit adversarius : hinc me provocandi sumpsit audaciam, qui sicut scorpius in cauda, ita omnem habet suam militiam in lingua : væ, inquam, væ lingua : a cauda est scorpii. Audistis ipsi, non est externo opus teste, qua vi persuadente genus meum corroserit. Wiscardo secundæ ab Alexandro audaciæ detraxit, tanto principi homo de cujus sobole quispiam principem non vidit. Wiscardi acta nota sunt orbi, non est qui possit detrahere, nisi qui semper studuit candidum in nigra, nigrum in candida colorare : quid quod in opibus opitulari, et postponerent necessitati delicias, auro vitam redimere, gemmis conculcare hostes ? de argento milites creare iste pervertendo et depravando vocat ecclesias excrustare ? Nonne hic est, qui sermocinari per parochias solet, clamans : Dicite, pontifices, in sancto quid faciat aurum ? nempe ob reipublicæ tutelam, ob infidelitatem debellandam, urgente periculo, instante bello, necessitate coactus, æs vacans et quasi dormiens excitavi, ut qui servierat fulgens, eidem melius serviret bellans ; non inde cudi murenulas neptibus meis gratiosus, res tantum transtuli, non consumpsi. Promovi ut fructum multiplicent, quasi non sensissent motum, non surgerent in augmentum. Seminavi ut metam, post messem creditori meo decuplum persolvam. Verum nec erit Arnulfus, nec qui tot redimat neptes templi claviger, cum thesauros ejus gazis cumulabo : interim etiam ungues tentabo arcere, neque dum Hierosolymis militabit Tancredus, templum Domini spoliabit Arnulfus. Animadvertite, o proceres! quænam est, si non hæc injuria. Nobis adhuc forinsecus extorribus hunc ipsum judicem elegi, super hac quæstione consului, suum ne singulorum quod quisque occuparet, sive domus sive curia foret : ab interrogato sic accepi. Decretum est, inquit, atque universaliter sancitum, id suo juri cuique, quodcunque sit, relinquendum fore, cujus

post ingressum urbis primus fieret occupator. Hæc forsitan ipse præteriisse putat: ego præsentia habeo, non exciderunt, stant fixà. Pudeat judicem in dies mutare sententias, nedum quod heri sanxerit, hodie neget, et angui lubrico conformetur et Prothco. Nam quo teneam modo mutantem Prothea vultus. Quod si fortasse primos aditus sibi usurpat, in hac quoque parte victus succumbit; testatur ei forsitan miles unus, sed exercitus mihi: qui audierit, sed mille qui viderunt. Ego primus irrui, primus portas fregi, quo sequi non auderet, ego præcessi, quos nec a tergo spectare, ego a fronte debellavi. At fugas suas nobis jactat, periculis consuluisse, suggessisse de nuntio, demum nuntiasse. Quis adeo stolidus, o proceres! ut ex his ejus formidinem non perpendat? Nempe a periculo uspiam mitti, hoc est abesse a periculo et liberari. Quid quod et persuasit, et se ingessit, et ultro abscessit? Nimirum ex his colligitur quod aufugit: neque enim hæc abscessio, sed vero nomine fuga dicenda est. Juste hoc vocabulum jactantiæ ejus intercidit; cujus tota intentio, ardor unicus, sola sitis fuga fuerit. Sed excusatus abit propter suos quos enumerat, quibus occurrit metus: attendat quid ista sonant; mille modos inter lethi mors illa timori qua timidi cœpere mori. Pudet me, o patres, hujus certaminis; ad quod tamen, ne sibi imputet, non me coegit adversarius; reverentiæ vestræ ascribat, ea me impulit. Jam ergo fatiscenti equo lora supprimam; quid de peracto cursu debeatur, vos discernite. »

CXXXVII. — *Sententia procerum.*

Cumque hæc verborum in auribus principum consonuisset dissonantia: ipsi jam ad æquitatem respondentis æquanimes redditi; sopita invidia, justitiam scrutantur. Medium quoddam inveniunt, quo nec frustra declamaverit Arnulphus, nec paratis proprio sanguine opibus frustretur Tancredus. Judicant ubera non debere relinqui arida, quæ tantum lactis effuderint, cum præsertim Tancredi liberalitas aliis non desit ecclesiis: hanc præcipue quæ indignum ditavit, debet et ipse versa vice fovere indignam. Quid plura? septingentis templum redonat marchis consilio principum Marchisides, non invitus: hoc medio conjunguntur qui abjuncti fuerant viri: ambo conspicui, ambo ab humili potentes, ambo omnium invidia, cum neuter nisi forte alterutrum invideret. De quibus simile illi quod de Hectore et Ænæa edidit Mantuanus, confidenter et ipse protulerim.

Si duo præterea misisset Gallica tales
Terra viros,

jam dudum Gallos habuissent reges Memphis et Babylon: tanta enituit virtus in hoc facundiæ, in illo audaciæ, in utroque liberalitatis, discretionis, sollicitudinis, justitiæ, prudentiæ.

CXXXVIII. — *Franci sub Ascalone victores.*

Jam transierant post prælicta duæ, et ab eadem quarta parasceve fulgebat, illa quoque geminavit lætitiam: quippe sub Ascalonæ mœnibus Francos vidit victores. Turbaverat enim regem Memphios Hierusalem capta, hinc tota fremens Ægyptus equitum trecentis millibus sexagena cumulaverat, miseratque bellatum peditum numerus sicut maris arena. At ubi de adventu bellorum nuntiatum est Francis; illi velut a fame ad epulas occurrunt, fundunt nostri quod dictum est, et ubi dictum est, pauci multos: quo autem ordine, urgens jubet præteriri Tancredus: indulget tamen Ascalonitas post victoriam vexillo comitis Raimundi elato, seque suasque turres substringere mancipatos; eo namque præside, Davidica tutores suos immiserat illæsos, ex quo hujus viri fides in populo illo magna celebrabatur. Sed exorta in magistratu de magistratu lite; quod sortito regnum Godefrido Raimundus nollet suffragari: urbs neophyta ad idolatriam redit, spretis comiti simul et jugo regis et subjugatorum habenis, quod nefas quidem expiari non habet; licet eumdem multa jam clarificent probe gesta, et maneant clariora; superba vanaque indignatoris contemptio præsens totum deturpat comitem et præteritum et futurum. Heu miser! nescis, heu miser! quæ vincula, quas strages innocentiæ struis, dum stragis vinculorumque instrumentum Ascalonam solvis, nocentem non premis, jugum detrahis. Mœstissima hæc tuæ indignationis dies infinitam ad posteros perniciem transmittit.

CXXXIX. — *Tancredus oppidum Bezan munit.*

At Tancredus semper se transiens, semper de bono melior, semper Deo sublimante humilior: quamvis opum adeptione templalium præ cæteris abundet; sub rege tamen novo militat, nec jugum indignans, nec solitudinem expavescens: in id enim summe miles militem redegerat hærentem abiens; ut congregatis omnibus, vix ducentæ loricæ Hierusalem tuerentur. E quibus Wiscardides circiter octoginta sibi ascitis, uberes prædas et frequentes undique corradebat, prædones ab urbe vigilanter arcebat, ditator civium, hostium pauperator. Ea nimirum sollicitudo virum impulit ad munimen oppidi quod nunc *Bezan*, olim Bezamis legimus appellatum. Locus ille ab Hierusalem remotus, non saxo, non palo, non aggere munitus: squalore suo terrebat indigenas, advenis nihil blandus. Nam præter cætera, populi frequentia circumfusi jam obsidebat innocuum, nocentem obsessura multo frequentior. Verum id ipsum providerat audacia viri, et quemadmodum venator nemus, aut dumeta auceps, noverat unde major prædæ copia deberet avelli. Igitur Bezan vallo utcunque circumducto vestitum, cætera per circuitum municipia spoliat, arata disjungit, jugum a bove ad rusticum transfert, claudit mercibus vias, urbibus portas. Quibus plagis Caiphas afflicta, quamvis mari et turribus septa civitas, fatiscit tamen: primo quidem tormentis balearibus obruta, mox per funes, per pontes, per scalas immissos mucrones passa.

CXL. — *Boamundus et Balduinus Jerusalem pergunt.*

His diebus Boamundus et Baldoynus Gottifredi

regis frater, de quo supradictum est, votum eundi Jerusalem complere cupientes, cum non parva militum manu iter arripiunt : qui dum per vallem Camelæ et Damasci viciniam, nec non per Cæsaream Philippi incederent, mirabile dictu per medios hostes, qui circumquaque exploraturi discurrebant, liberi transierunt : erat autem quadragesimalis diei tempus. Qui cum Jerusalem properassent, gaudia ibi paschalia cum rege Gottifredo celebrarunt. Quo videlicet tempore Daybertus Pisanorum episcopus vir in litteris potentissimus atque eloquentissimus; qui in multis navibus Joppem aggressus fuerat, eodem Boamundo juvante, in patriarchatum Jerusalem sublimatur. Arnulfus autem magnæ indolis vir, quanquam dignitatis hujus electione donatus fuerat, tamen libentissime annuit, sperans Christianitatem ibi magis in illo quam in se profuturam. Ordinantur ibi quatuor episcopi, scilicet Roggerius Tharsi, Mamystæ Bartholomeus, Bernardus Artasii, Benedictus Edessæ, qui cum Boamundo et Baldoyno in presbyteratus officio positi venerant. Expleta itaque solemnitate paschali, Boamundus cum tribus suis patribus revertitur, reddens singulis civitatibus præsules suos. Baldoynus quoque cum suo archiepiscopo Benedicto Edessam, cujus ipse comitatum tenebat, rediit.

XLI. — *Urbem Meletaniam ab obsidione liberat Boamundus. Prælio commisso a Turcis captus abducitur.*

Nec mora Boamundus ipse, cum audisset a relatoribus, urbem Meletaniam Turcorum armis circumdatam esse, quæ decem dierum itinere aut plus ab Antiochia distabat; coacto in unum exercitu, ad liberandum eam ire conatur. Verum Turci cognoscentes illum jam in proximo adesse, obsidionem ex industria dimittentes, ut eorum est consuetudo, recesserunt. Magis enim ipsi ad tempus vel horam terga vertendo, quam accedendo prævalent. Nam et fugiendo spicula ejiciunt, seseque insequentes vulnerant. Boamundus ergo cum civitati appropinquans Turcorum aciem non reperisset, consultum est sibi a suis quatenus urbem ingressus paululum ibi prius requiesceret; ac sic postea quiete refotis viribus suis, contra Turcos ad debellandum exiret. Qui non credidit eorum consiliis, sed ex stulta audacia immoderanter præsumens, absit, inquit, ut Boamundus quod nunquam fecisse meminit, modo facturus sit; hoc enim faciunt vulpes, quæ mox ubi latrantes canes audierint, latebras quærentes absconduntur. Ivit igitur post Turcos, eosque inveniens, cum eis prælium, quod utinam nunquam iniisset, mox inchoavit. Cumque hi et illi simul præliarentur, Boamundus retinetur, ligatur, Mahummicolis magnum gaudium, væ miserabile Christianis facturus. Qui deinde in Romaniam ad Anismam regem vinculis mancipandus perducitur : de cujus post captione Antiochia misera facta ita manebat, ut non esset qui adjuvaret eam, neque consolaretur.

CXLII. — *Godefridi regis obitus.*

Sequitur e vestigio miserrimus casus, quo Jerusalem non minori luctu affligebatur. Nam Gottifredus, rex optimus et timens Deum, capto mox Boamundo ex hac luce migravit. Erat enim jam annus unus evolutus ex quo regnare cœperat, cum ad obitum pervenisset. Qui tamen antequam præsenti luce caruisset, dum corporis infirmitate teneretur, ad se patriarcham Daybertum atque Arnulfum, cæterosque accersiri jubet, quibus ille : « Ecce, inquit, viam universæ terræ ingredior. Modo ergo adhuc me vivente consilium inter vos habeatur, et quis vice mei in Jerusalem regnare debeat prævideatur. » At illi respondentes : « Nos, inquiunt, magis hoc in tua providentia ponimus, et quem nobis ad hoc ipsum elegeris, ei procul dubio subdemur. » At ille : « Si, inquit, in mea dispositione statuitur, Balduinum fratrem meum ad hoc culmen suscipiendum idoneum judico. » At illi Balduinum audientes, continuo unanimiter consentiunt, laudant, eique jurejurando fidelitate firmata subduntur; quoniam illum virum liberalem pecuniæ, studiosum militiæ, affatu humilem, magnanimitate sublimem cognoverant. Hæc quippe omnia natura ipsa, ut ita dicamus, in eo manu propria exsculpserat. Erat enim ille, sicut superius dictum est, in Rages quæ et Edessa dicitur, dux constitutus ibique tunc morabatur.

CXLIII. — *Balduinus succedit Godefrido in regno Jerosolymitano; Antiochiæ sufficitur Tancredus, qui Mamystam, Adanam et Tarsum sibi subjicit.*

Sed interim sepulto ante Golgotha rege præscripto, mittitur Edessam nuntius, cujus accitu Balduinus Jerosolymam veniat, germani sceptro successor creandus; idque magnæ dissensionis et belli flammam suscitasset : sed eadem qua Balduinus accersitus necessitate, vocati ad reginen Antiochiæ Tancredi abscessus litem præcidit. Substituti ergo hæredes, Jerosolymis Balduinus, Tancredus Antiochiæ, certatim ad famam currunt; tum ne a seniorum virtute degeneret junior, tum alter alterius invidia succensi. Præterea Marchisidam urget suspecta dignitas, quod magis hospes, quam princeps ipse sibi videtur : unde tanto experrectiorem esse cum oportuit, quo suspectior erat brevitas principatus sub Boamundi reditum finem exspectans. His exercitus curis primo Balduinum a se exterminat, qui inter Antiochenos potentior, jugum novum indignabatur. Is sub Boamundo militiæ principatum obtinuerat : sed jam erexerant ejus animos partim, ut fieri solet, princeps novus, partim tradita sibi ad regendum Edessa. Quo expleto, mox ad ampliandos fines animum Tancredus intendit, quos paulo ante, Boamundo regnante, Græci contraxerant. Igitur Mamystam, Adanam, Tharsum, brevi, sed acri molimine debellat, secundoque suis legibus subjicit, prædecessoris incuriæ primitus elapsas.

CXLIV. — *Laodiciam expugnat.*

Inde revertens Laodiciam totis viribus aggreditur : sed naturæ præsidio munita, viro obstitit, cui nec ferrum, nec calybs, nec marmor, nec prorsus hominum labor norant obsistere, Urbs ea, sicut hodie ex ruinis ipsius deprehendere est, quondam nobilis, ecclesias, populum, opes, turres, palatia, theatra, et hujusmodi quæ habent aliæ, inter alias cuncta habuit præclara. Excipio Antiochiam, nulla per circuitum urbs tanta priscæ nobilitatis reservat insignia. Columnarum ordo multiplex, aquæ per abrupta ductus, turrium ad astra eductio, effigies per compita excubantes, omnia pretiosa, ars et materia de præterita præsenti, de integra dirutæ, de populosa desertæ testimonium perhibent, utpote post tot soles, post tot grandines, opus adhuc insigne. Hujus longitudinem terminant ad ortum tumulus, ad occasum mare : latitudinem hinc inde planities : per circuitum aut murus aut ruina : infinitas populi nil reformidans, ipsa cæteris gentibus formido : suo tempore multo aggere includi sprevit, pauco munimine contenta. Sed redeo ad tumulum, quod jam solum adversus hostes supererat munimen. Ille arduus atque in vertice spatiosior cives receperat, qui dimissa planitie, illuc confugerant bellici fremitus terrore perculsi. Arduitas ipsa vel sine muro repelleret obsessores : quo tamen coronata, duplex robur adversariis objicit, hinc artis, hinc naturæ. Iis confisi claustris Græci Tancredum exspectant adventantem : at princeps bellum et sciens et sitiens, aliquot præmittit cursores, qui aut elicitos capiant, aut eliciant capiendos. Græci vero, ut semper vigilantissimi, adversus hæc præcavent : quatenus nec deprehendantur vagi, nec exeant provocati. Dementiæ ascribunt portas egredi : qui cum de turribus exclusos aspiciunt, inclusi tremunt. Ab hoc ipso princeps argumentum timoris accipit; et, « Io! comites, exclamat : aggrediamur ovile hoc; videtis arduum, scitote vacuum. Plenum est opibus, at sine viribus. Nulla est prorsus audacia militis, qui non erubescit includi portis. Conscendamus aggerem, murus, dico, aut securibus cedat, aut scalis. » Jubet princeps, accelerat miles, curritur ad muros : malleus, ligo, securis, et hoc omne genus ad portas fremit : illæ quamvis duplices, quamvis ferreæ, non ferunt : tremunt quasi simplices ac vimineæ. Videns civitas ferrum, mora cædere ictibus; quin ipsam strenuitati naturam, diffisa claustris, ad arma vertitur. Molem saxeam de turribus pluit, nullum teli genus jactu vacat, nemo intra mœnia otiosus. Expulerat pavorem hostis necis pavor; dumque effectus instat propior, efficacius repellitur causa efficiens. Præterea commoditas ipsa populum invitat : quippe de turribus saxa demittere pronum est cuivis ætati ac sexui. Sagittæ contra ad turres volant, quibus sæpe aut effoditur oculus, aut perfoditur manus. His decernitur vicibus; donec exhaustæ tam vires, quam pharetræ refici postulant : præsertim ferrum calybs dum portas frangunt, ipsa quoque nunc dissiliunt, nunc franguntur.

CXLV. — *Raimundus comes Tripolim obsidet; auxilium ab imperatore deposcit; captus Antiochiam cum opibus ducitur.*

Sed dum sic pugnatur annus transit, in quo tamen aliquando Raimundus comes Græcis opitulari volens, repellitur : aliquando Turci principes disperguntur. Postremo laboranti Hierusalem strenuissime subvenitur. Hæc unus omnia operatus est, sic tamen ut obsidionem non solveret Tancredus, illa semper incolumi. Ipse Persas, ipse Ægyptios, ipse Provincialem, ut diximus, comitem debellavit. Comes ille miræ audaciæ vir Tripolim obsidebat, tot millia unus circiter 400 partim pedites partim milites habens Christianos. Eo fretus numero, colliculum urbi vicinum muro et turribus munire cœpit, quem etiam montem peregrinum, urbana quadam comitate, quod commune erat, sibi minime usurpans nuncupavit. Illic residens, urbem proximam crebris assultibus infestabat, nec minus urbani novum illud municipium pene diruebant. Perquam rarissimus fulgebat dies qui sequestram planitiem utroque, sive alterutro sanguine conspersam non videret. Adeo multitudinis opes alios, alios paucitas inops ad bellum stimulabat : quoniam ubi rarus est bellator, ipsa sua raritas animos accendit : ubi multus, dispendia cruoris facile tolerantur, fitque voluptati horror bellicus. Sic recalcitrando castrum, et civitas, diminutio popelli sui Raimundum terret : eadem ipsum transfretare atque a Græco imperatore auxilium implorare compellit. Fert secum apocryphum illam cuspidem, cujus supra mentio facta, inventorem suum per flammas temporales ad æternas transmisit; hanc, inquam, secum asportat Alexio munus. Remuneratur et ipse summopere, gratus quidem quod sua, longe autem gratior quod seipsum obtulerit : eundo namque Jerusalem invitatus nescivit supplicare, redux supplicat; inde, quanto ante fuerat surdior rogatus; tanto post fit exauditior, rogans. Cumulat gratia concors odium Antiochia tam huic, quam illi inimica. Remittitur ergo cum magnis, ut dixi, muneribus ad expugnandum hostem amborum Marchisidam. Deliberant intra homines : judicat qui sedet super Cherubim in cœlo Deus. Mittis Alexi Tancredo gazas, dum Raimundi biremes, donis tuis refertæ pene submerguntur; quæ felicibus tamen auspiciis multa infelicitatis loca præterlapsæ in hostilem fiscum ad portum Tharso proximum deferuntur : nothis agitatæ furentibus, inimicorum manus nequeunt declinare. Volante autem ad aures principis fama, præcipitur comitem Græcasque opes Antiochiam duci; eum, ad servandum; eas, ad spargendum. Nec tamen diu tenetur quidquid jubetur, abjurat et jurat. Sicque adjurato claustra panduntur, alioquin vita comite servando claudenda. Volvuntur cætera fortunæ nutu, fit modo quispiam de paupere dives, item pauper de divite

CXLVI. — *Laodicia anno et semis expugnata capitur.*

At Tancredus semper in eodem agone permanet, quod semel cœpit nunquam deserit. Laodiciam obsidet, nec nisi captam dimissurus. Jam tamen annuæ ac pene semis morarum tædere cœperat : cum Deus artem qua posset capi civitas inspiravit. Assueverant clausi insidiari clausoribus, et dum in meridie foris dormiretur : aliquando cum impetu de intus erumpebant : ut non sine cæde et rapina somni rumperentur. Clamore facto exciti Franci armabantur; Laodicenses interim re peracta illæsi redibant : ita semel, secundo, tertio quoque exercitum fallentes, ipsos se fallendi viam ostenderunt : quoniam ubi sæpius nec dissimiliter idem iteratur, Tancredus ut arte artem deludat, insidiis insidias rependit. Præcipit tentorium construi, cujus capacitati par nullum ante visum fuerat nec auditum : quæritur quoque pinus altissima tanto oneri columna sustinendo. Dixit, et facta sunt. Igitur arbor, sinus spatiosi per gyrum explicantur, funes, laquei telas et coronant et tendunt. Putant qui vident superbe actum, uti solent, ob fastum sublimare palatia in urbibus urbani. At Tancredus in ortu luciferi militiam vocat, et eam sub umbraculo stipat equis insidiantes, ubi opus fuerit, nihil cunctaturos, quibus nec calcar deerat ad bellandum. Sole autem orto partem non modicam exercitus in oculis hostium frumentatum mittit, reliqui sumpto cibo sopori vacare simulantes, spem rapinæ atque opportunitatem spectatoribus promittunt. Videntes oppidani altum omnia tenere silentium, sperant quoquomodo consueverant turbare exercitum, celerique reditu improvisæ tarditatem evadere ultionis. Egrediuntur ergo certatim currentes ad spolia, alii aliis præcursum invidentes. Paucis manentibus fere exeunt omnes, adeo incautos fallebat opportunitas simulata : currunt ad prædam et indulgetur : oneratis jamque ad portas regredientibus, intercurritur. Nam qui obumbrati et parati exspectant, confestim via patefacta accelerant, portis oppositi, reditum excludunt. Tancredus super exclusos irruit, sine cunctatione aut capiuntur, aut necantur. Perterriti itaque reliqui custodes et paucissimi facti, neque muris, neque sibi confidunt : petunt ultro pacem, reseranda offerunt claustra, ad ingressum invitant, tuti commercio egressus. Placet principi, sicque post labores diutinos, quietis domum Antiochiam revisit.

CXLVII. — *Archiepiscopus Mediolanensis cum comite Pictavensi contra Danisman superatur; redimitur Boamundus.*

Tunc temporis Anselmus Mediolanensis archiepiscopus, Willelmusque comes Pictaviensis contra Danisman in Romania præliati, archiepiscopus interimitur : comes vero vix Turcorum manus evasit fuga lapsus; tandem vero pauper, inops, nudus ad Ciliciam confugiens, ubi ad Tancredum pervenit, Tancredum invenit. Omnium enim bonorum opulentia cumulatur susceptus, qui omnium suscipitur egenus : exin confortatus, ad montem peregrinum transit, illic qui Jerusalem eant, a comite accipit comitatum. Ea tempestate Boamundi redemptio sollicitat populum, præcipue Balduinum comitem, qui Tancredi præcipuus erat inimicus. Is monendo, spondendo, increpando, Antiochenos pulsat, ut carcerem Boamundo aperiant. Bernardus quoque patriarcha recens summopere nititur, quasi retribuens quod cum de ipso carcere sublimaverit Boamundus : nec Tancredus tamen huic studio obviat, licet Boamundi redditio prosperitati ejus obviatura videatur. Partim his, partim illis aspernantibus : Boamundus revertitur decem miriadibus Michelatorum (6) vix redemptus. Reddit ei Tancredus quod acceperat, et quod non acceperat : alterum quidem libens, atque alterum coactus. Laodiciam, Mamistam, Adanam, Tharsum proprio sudore partas, reddere cogitur, alioquin catenis et ferro mancipandus. Sic bonis omnibus, socia etiam militia nudato, vix tandem oppidula duo supplici supplentur.

CXLVIII. — *Bellum movent Assyrii, Edessam circumdant, prælium committunt.*

Interea bellum movent Assyrii, vicinamque infinita multitudine Edessam circumdant. Volat Antiochiam rumor : Boamundus opem ferre oratus non differt : transit Euphraten, patriarcha cum eo et Tancredus, Goscelinus quoque, qui tunc temporis urbem regebat Maresium, et ipse transit, secum ducens quidquid virium habet. Turci adventu Boamundi audito, Edessam dimittunt, abscedunt paululum Martis avidi, sed dissimulantes : ea quippe astutia fugam simulant, ut fallant advenas inconsulte secuturos : ut hi per nota ad tuta deveniant, illi ad periculum per ignota; ut hi ad panem, illi ad famem; ut hi ad armorum supplementa, illi ad detrimenta. Sic paulatim triduo ultra Carras urbem eliciendo, alii fallunt, atque alii falluntur : donec ad flumen *Chobar* venitur et transitur. Illi urbi belli dilatio Turcis jam sufficit; fugæ obmissa simulatione, bellum cient, bellum voce, bellum manu exercent : consummatum esse de nostris putant, quasi transgressis fluvium erepta sit fugæ libertas, fatigatis ex itinere vires. Nec longe a vero putandum est : sic est actum. Christiani ternis agminibus incedebant, Boamundus dextra : sinistra et parte et sorte comes Balduinus; ambo inermes, indeparati, improvidi. Tancredus in medio paratus, providus, armatus; Turci antecedebant non longe quasi prævii, prope habentes excubias quæ statum omnem Francorum nuntiarent. Lucis quadrans supererat, transierat dodrans, cum Franci castrametari incœperant in ordine præscripto. Ergo ubi quis paratus, quis non, ab exploratoribus Turci agnoscunt : repente conversi, armatum Tancredum declinantes, hinc Boamundi, inde Bal-

(6) Genus aureorum tunc in publicis commerciis celebre, a quodam imperatore Constantinopolitano, Michaele nomine

duini exercitum perturbant : neutri tegmina induere licet, nudo capite pugnant et pectore. Antiocheni resistere nituntur, nudi nequeunt, castris excedere coguntur. Illic hostibus circa sarcinas ambitiosamque suppellectilem occupatis, nostri respirant : sero qua licet, bello se aptantes, rerum damno salvant corpora, eas amittere lucrifacere vocant.

CXLIX. — *Captivus ducitur Balduinus et Benedictus archiepiscopus qui a Tancredo liberatur.*

At Edessani subito pereunt, nec sua, nec se tueri licet; capitur Balduinus, vinctusque abducitur; Benedictus quoque infelix archiepiscopus captus trahebatur, imposita humeris geminorum sarcina clavengorum. Is cum ante aciem Tancredi duceretur : Tancrede! Tancrede! fer opem exclamat, moveat te miseri pœna Benedicti. Auditus est clamor, atque ubi, cujus esset, Marchisides agnovit; illico incurrit, liberat ac reducit, liberatum multo restituit, propter se dicit assistere, trementem solatur, præsente se docet nihil esse timendum. Dehinc ardenti hostes aggredi, vesper obstat, militiæque dehortatio, noctis viciniam adesse objiciens : eadem objectio Boamundum tenet; placet in crastinum bellum differre. Interea noctis caligo orbem involvit, dispositis excubiis, principes corpora dant sopori; at vulgus, et quos non alebat curia, fugæ invigilant (7), visam sortem visuros se die crastini formidantes.

CL. — *Christiani fugam capiunt.*

Obstabat fluvius reditui, unum duntaxat habens vadum, reliqui cursus ripas prominentia sua impervias, illam quasi portam unicam vigiles observabant : ne per eam genti exterritæ refugium pateret. Igitur tentatores fugæ dum pauci sunt, vado arcentur : ubi multi, nequeunt arceri. Contemnitur edictum principis, ubi populum conturbat formido mortis : rumpunturque claustra prohibita, cum multiplicatur exundans turba. Sed et alii aliorsum a ripa ad ripam ligna trajecerant, quibus pro ponte utebantur : custodes itaque cedunt coacti, Boamundum excitant, custodiæ vim illatam quæruntur, fugam produnt, Tancredum quoque jam excierat rumor, parant reditum ambo, derelictos se a populo conspicantes. Aliis festinare libet ac præcurrere, Tancredo subsequi ac morari : ipse pro muro securis hostium telis opponitur, alii fugam maturant; ipse frenis, alii calcaribus utuntur. Misertus est tamen plebi suæ Deus. Turcis fugitur ignaris, illos habebat sopor altus; dum fuga vigil calles supellectile ornat pretiosa : abjiciunt vestes, papiliones, vasa argentea aureaque, et quidquid grave est fugamque moratur : ipsa etiam vitæ præsidium arma. Imber male fecerat vias, pulverem in lutum converterat, equi et pedi lubrico, et caudæ sarcina tardabantur. Aderat Bernardus patriarcha, et ipse cum fugientibus fugiebat, et mula ejus lutosa cum tardis tardabatur. Nemo eis instabat, instantes tamen stricis ensibus, arcubusque intentis infinitos videre videbatur. Quam turbatus erat a timore oculus ejus, non minus interiore exterior! Igitur consortes fugæ rogans rogat : « Audite, filii, audite patrem, abscidite hoc quod a puppi pendet remigium, non modo cursum non moderans, verum etiam tenens; abscidite, inquam, non erubesco in tempestate hac jumenti tergum premere decurtati, dummodo levati; abscidite, sic peccata vestra Deus abscidat, ego autem abscissoris omnia absolvo. » Multi obseratis auribus transeunt, timor cæcus aures obserabat, ne minis alium miserebat, adeo sua singuli affligebantur miseria : jam rauscerat clamando, cum a milite confuga, tandem remedium accipit, remissionis tamen præscriptæ commercio. Absolvuntur scilicet duo in facto uno : miles a noxa, jumentum a cauda; miles dum caudam metit, in benedictionibus seminat, metit quoque de benedictionibus : dum ei patriarcha ore et corde et dextra benedicit. Messor itaque cum simul et caudam et benedictionem messuisset, ad usque Edessam exinde sociat, cum eo currit cui facultatem currendi reddiderat ereptam.

CLI. — *Servanda datur Edessa Tancredo; hostes, captis vicinis oppidis, Arthasium ingrediuntur.*

Populus quoque reliquus illuc conveniunt, et qui primatum obtinebant, postremi. Illic etiam conferunt quem Balduino debeant creare successorem, qui suæ tantæ molis pondera valeat sustinere. Tancredus eligitur dignus, ipse manet et regit : Boamundus vero Antiochiam remeat. Igitur divulgato per urbes finitimas Francorum damno, Cylices, Syri, Phœnices exsultant, subacti pariter atque subigendi. Hi metum de corde excutiunt, illi de vertice jugum. Tharsum, Adana, Manista in jus suum revertuntur, Græcos suscipiunt, nostrates extrudunt. Turci ingrediuntur Arthasium, totam usque pontem *Farfar* viciniam populantur. Postremo naves Græcæ quam maxima multitudo Laodiciæ portum replent; et ipsæ armis plenæ non minus fabrilibus atque bellicis bellum simul gerentes et fabricam. Cæmento cæmentariisque advectis, fabricare incipiunt; saxa posecntibus parietinæ abundant, munitur portus, surgit fabrica. Vix Boamundus rumorem acceperat, cum imperfecti operis spe impulsus, adventans omnia invenit imperfecta. Stabat supra portus portam antiqua turris de nomine sancti Eliæ cognominata, solius interstitio portus a novo opere abjuncta. Hanc quoque muniunt Græci, et castro suo continuant, fabricato arcu super portum, usus gratia inter se ab hac prævii ad illud, et muniminis firmi ad remigium hostile arcendum.

CLII. — *Boamundus revocat Tancredum.*

Videns Boamundus omnia adversari, Antiochiam revertitur, moxque de statu principatus sui in commune tractare disponit : Tancredum revocat, cui cum partiatur curas, apprime necessarium : vocatus ille nil pigritans adest, qui nihil unquam pigritando

(7) Hanc Christianorum militum fugam refert etiam Guillelmus Tyrius, lib. XI, n. 30, sed his omnibus circumstantiis destitutam.

fecit. Habita itaque intra beati Petri basilicam concione, Boamundus sic orditur :

« Magna opus est, o proceres, hac in tempestate providentia, quam si negligimus, perimus. Invaluit contra nos gentilitas, vias nobis circumcirca obstruxerunt Græci et Turci : geminas totius orbis opulentissimas exasperavimus potestates; Constantinopolim et Persida. Oriens nos per terram territat, occidens vero et terra et mari : nam ut alia omittam, Arthasium hactenus Antiochiæ clypeus fuit, modo arcus intendit, modo in nos acuit sagittas : nos pauci sumus, et tamen semper de paucis fimus pauciores : valde imminutus est numerus noster, ubi unus est amissus comes Edessanus. Proinde vigilate, considerate attenti, quid in tanto rerum cardine sit agendum; ego quod sentio breviter exponam. Expetendæ sunt nobis vires transmarinæ [*al.* transalpinæ], Galliarum populi concitandi, audacia illa aut nos liberabit, aut nulla. Utimini me, me, inquam, hoc in negotio ministro; ego pro salute vestra non recuso laborem, gratissimus est mihi meus ille labor, per quem vobis paretur quies. »

In his desinit et sedet; surgit Tancredus, et ab his incipit .

« Prudenter atque manifeste expositam, o proceres ! audistis tam robur hostium, quam infirmitatem nostram, originem quoque ac finem, causas et remedium. Pulchre, bene, recte super his disseruit dominus princeps noster Boamundus, nec dedignatus est morbo medicinam quærere se offerre ministrum. Verum, o proceres ! quorsumnam istud? an in nobis non est qui mitti possit? nisi is elongetur, qui potius longe positus fuerat acclamandus. Circumdante caulas luporum agmine, præsentia pastoris opus est non absentia; ille præsens periculo se opponit, canes incitat, prædones arcet, gregem liberat; idem, si absit, cessat latratus, crudescit rapina : ipse quiescit, grex dissipatur. Valde et merito socordiam meam increpabit auditor, ubi sonuerit Boamundum abiisse, mansisse domi Tancredum. At fortasse in verbo illo tentatus sum : ut quid animi habeam, audito eo, manifestem. Palam est voluntas mea, non reprimo æstuantem. Hoc pro salute communi periculum mihi expostulo, tutus aggredior, pro munere amplector : utque petitio assensum impetret, coram Deo polliceor sedulitatem in obsequio, celeritatem in reditu ; ac ne qua forte ingenium meum crapula turbet, latice contentus, vinum nesciam, donec reducem me Antiochia excipiat. Subinde etiam fas mihi esto sub iisdem tegulis biduanam agere quietem ; ante vero nefas. Hæc meis si jusseritis onera libens humeris imponam : gravioribus ultro onerandus, si graviora imposueritis. Objicit Boamundus : Magna res est de qua agitur, magno volumine tractanda, severæ vix cuiquam personæ impenetrabilis. Propositi est nostri graves excire potestates : hoc non cuivis hominum contingit, non potest gravia movere nisi gravis, magno opus est flatu, ut possit quercus alta radicibus evelli. Non audient Tancredum : vix, ah ! vix, utinam Boamundum audiant, qui ad exsilii laborem vocandi, nunc placida composti pace principantur. Quapropter de cætero jam, ne cujuspiam temeritas dispositioni meæ occurrat, ire proposui : non est mutabile, stat fixum, solvendum est votum, quod mea fecit ferro compedita devotio. Absolverunt me beati Leonardi suffragia, ego votum visitandi eum, aut præmoriar, aut absolvam. »

CLIII. — *Boamundus relicta Tancredo Antiochia omnibus destituta transfretat.*

Conticitum est de cætero, neque ultra a quoquam voluntati principis obviatum, quoniam quidem notum est in populis proverbium, lex sequitur regem, quo vult rex ducere legem. Paratur ergo navigium, habent remiges paratos denæ biremes, quibus trinæ simplicis remigii sociantur, quas vulgo sandalias vocant. Hoc Boamundus contentus numero, in conspectu classis Pelasgæ transfretat, relicta Marchisidæ Antiochia. Asportantur aurum, argentum, gemmæ, pallia ; urbs absque tutela; absque stipendiis, absque stipendiariis Tancredo relinquitur. Habuisse me veridicos memini relatores, qui in ea penuria illum vini abstinuisse prædicarent, aquæ simplicis haustu contentum. Dumque vel modico uti Lyæo propter stomachum blande moneretur : Sinite me, aiebat, cum abstinentibus abstinere; fixum fixi de genimine vitis nolle accipere, donec omnibus sufficiam dare : absit ego crapula distendar, commilitones mei inedia marcescant !

CLIV.

Jamque soles fere quadraginta inopia pertingebat, cum pleno cornu copia adest, aurumque non modicum cœli pluunt. Quidam de civibus penuria curiæ audita, misericordia motus Tancredum adit, postulansque mercedem statim impetrat, ut penuriam levet, opem ferat. « Habet, inquit, urbs ista centenos cives, singulis quorum marsupiis facile est aureos effundere millenos. Rogati non tenebunt; tu, domine, roga, ego nomina patefaciam quæ roges. » Obtemperatur consilio, nominantur scribendi, scribuntur vocandi, vocantur rogandi, rogantur intus missi. Incusatur urgens necessitas, in quo petitio præsens excusatur, fulcit excusatam retributio promissa, ut non tam sub nomine doni quam mutui peti videatur : nec reticetur vicina hostilitas, non repellenda nisi armati occurrerint, nec occursuri nisi auro intercedente provocati. Tot confluentibus in unum causis, demum efficitur, ut præscriptus aureorum numerus impetretur ; quibus receptis Marchisides confortatus, militiam confortat, jacentem suscitat, inermem armat, supplet numerum qui exciderat, neque donec deficiat aureus, cessat augere militarem. Exinde prostrata resurgere cœpit Antiochia, et de territa fore terribilis. Arthasium statim aggreditur, quæ cum aliis matrem infestabat, omnium tam acerbissima quam proxima Syrorum. Hanc igitur primam Tancredus circumdat ad cujus ictus vix stant turres silicibus concussæ ; quod au-

diens Raduanus (8) Kalepti rex cum triginta millibus accurrit adversus paucitatem in multitudine confidens : Arthasienses quoque illi se jungunt, omnes adversus Antiochiam.

CLV. — *Arthasio Raduanum expellit.*

Erat media inter eos planities scopulosa, per quam utcunque caballis ire, currere vero omnino non licebat : vel si quando ad cursum quispiam cogeretur, nec pedem ungula, nec ungulam ferrum tueri poterat, quin cautes aspera calcem permoleret equinam, equus atque eques ruerent prostrati. Tancredus, ea re cognita, paululum secedit, illuc hostibus permittit accedere, qua loci difficultas fugam remoretur, quod Raduanus aut negligens, aut ignorans, hac militiam impetit Christianam ; illa tanquam torpida loco manet, sustinet donec lancea suum habeat tempus. Jamque prætergressis loca aspera Turcis, Tancredus quasi a somno excitatus in mediis fulminat : illi facile terga vertunt sperantes, ut est moris, fugiendo gyrare, gyrando sagittare. Delusæ sunt aut eorum spes et artes, deluserunt eas lancea et via : altera urgens, altera cursus impatiens : hæc tergum fodit, illa gradum sistit. Inutiles igitur equi, pharetræ et arcus abjiciuntur, confiditur pedibus propriis, ubi diffiditur alienis, suis quantum licet utuntur : humani sunt, mallent esse cervinos : ne tamen nihil egerit Raduanus, paucos Christiani nominis sagittavit, reliquam operam dedit fugæ ; sagittarii ejus, pars evadit saucia, nonnulli cæsi prosternuntur.

CLVI. — *Antiochiam victor revertitur. Apamiam circumdat.*

Victor itaque Tancredus Arthasium recipit : ea munita, Antiochiam revertitur ; confortata spoliis infidelium fides, imo quasi a mortuis resurgens expergiscitur, renovato principe gaudet fortunam renovari : ipse etiam accipitri conformandus, cui negata diu volandi licentia, longus carcer animos tabefecit ; ea demum reddita, si missi ad rapinam primos impetus fortuna juverit, in desiderio sunt secundi, visaque gruum catervа, tenentem vexat, opportune, importune super volitans. Ardore pari Tancredus inflammatur, ubi nactus victoriam, spoliis Calepti ditescit. Jamque Laodiciam novam aggressurus, monetur veterem multiplicatis bellatoribus fulcire : ipse Apamiam reliquo exercitu circumsepiat ; factumque est ita. Rependit Tancredus Græcis vicem, qui castrum castro opposuerant, nunc contra ipse Castrensibus Castrenses obfirmat : Apamiam vero non plurimo, sed strenuo milite circumdat, quasi morti addicto et ipse addictus. Prope Sysara, prope Haman, prope Raphania, prope alia complura tam oppida quam urbes, omnia minis plena et hoste fremiscunt. Obsident ergo Christiani urbem unam, Christianos vero urbes multæ ; annonam qui quærere egent nequeunt, nisi bipertito exercitu ; pars altera maneat, altera exeat : sic divisi periculum declinant, quod vix sufficiant congregati. Deo sunt hæc ascribenda, non viribus humanis, palam pro Christianis Christus dimicat.

CLVII. — *Summa Laodicensium necessitas.*

Nuntiatumque ei de Laodicensium suorum penuria, quod data pascendis ipsis alimenta defectum minarentur : in proximo aut ingressuram fore cererem, aut egressuram manum bellatricem. Ingressum autem prohibebat magnus hostium numerus, qui per compita insomnes excubabant. Turbatus nuntio princeps (noverat enim quia sola fames urbes asserit, nescit plebes jejuna timere) in partes varias animum fundit : anne habendum postponat habito, an habitum habendo. Durum est multum labore partam Laodiciam abdicere, grave Apamiam ex facili parandam dimittere : nam quasi impossibile constat esse, ut et hoc faciat, et illud non omittat. At virtus quæ sola res impossibiles ad possibilitatem redigit, virum confortat : monet peditibus opem cursim succurrere, mansuros ad castrorum regimen milites sic hortari : « Eia, Christi martyres ! parate fundi atque fundere pro eo sanguis ; constantes estote : bene cœpistis, bene consummate : non vos terreat paucitas vestra ; non est victoria in numero, sed in Dei virtute (2). »

(8) Wilhelmo Tyrensi dicitur Roduanus.

(9) Ita desinit Historia Radulfi ; quis autem fuerit tanti discriminis eventus, paucis his verbis refert Fulcherius Carnotensis lib. II Historiæ Jerosolymitanæ, ad annum 1105 : *Tancredus autem*, ait, *non in multa gente, sed in Domino spei suæ figens anchoram, aciebus suis bene compositis, contra hostes illos incunctanter equitavit. Quid longius morer ? Audacter ante Artasium in eos irruit, et Deo suffragante illi protinus pavore circumfusi, dorsa fugæ dederunt. Fugerunt et fugati sunt, qui fugere non potuit, nec mortem evasit. De interemptis non fuit numerus. De equis eorum plures habuit Tancredus. Signum quoque regis fugitivi retinuit*, etc.

RAIMUNDI DE AGILES

CANONICI PODIENSIS

HISTORIA FRANCORUM QUI CEPERUNT JERUSALEM.

(Apud BONGARS, *Gesta Dei per Francos, sive Orientalium expeditionum et regni Francorum Hierosolymitani Historia avariis, sed illius ævi scriptoribus litteris commendata.* — Hanoviæ, 1611, in-folio, p. 139.)

MONITUM.

Raimundus de Agiles vel Agilæus, canonicus Podiensis, et episcopi sui, qui simul comes Tolosanus erat, capellanus, cum quo an. 1095 in terram sanctam abiit, et res ibi per quinquiennium gestas testis αὐτόπτης descripsit. De comite S. Ægidii, id est Tolosano, et episcopo Podiensi præcipue scripturum se profitetur in præfatione. Adfuit cum effoderetur lancea, quam et in prælio tulit. Ad sacerdotium promotus est in hoc itinere. Scripsit precibus Pontii de Baladuno, et inscribit Orthodoxis et Transalpinis omnibus, nominatim episcopo Vivariensi. Fuit autem hic Pontius miles, vir nobilis, et familiaris comiti Tolosano; quod, præter hunc, notat Tyrius lib. VII, cap. 17, alii. Manuscriptæ Gallicæ membranæ vocant *Poinces de Baladon* et *Baladun*. Lapide petrariæ interfectus in obsidione Archados, temere a comite incœpta, dignus memoria posteritatis, posteritatis ipse in tantis periculis memor. *Pontium Balonensem* vocat Robertus *infra*, *col.* 744, *lin.* 52, 53. Ab eo scriptam hujus belli historiam quæ Londini exstet, legimus in bibliotheca Gesneriana : quæ et *Raimundum de Podio* laudat auctorem scriptionis ejusdem argumenti : utraque, nisi fallor, eadem cum hac nostra. Petavianus *Liber principalis bellorum Domini*, citat *Raimundum de Arguilliers*, ut nos ipse Petavius per litteras docuit. Sed hanc habemus ex ms. uno Vulcobiano Guillelmi Ancelii; altero nostro, quem nobis dono dedit Lingonensibus nuper juridicundo præfectus, reip. studiosissimus Joannes Russatus. Libri extrema sunt ab alio auctore, quod dictio indicat et testatur Vulcobianus; ea uncis inclusimus. Incipit ab comitis Tolosani in Sclavoniam ingressu : et narrationem ejusdem illius quinquennii persequitur, scilicet ad illam de Ammirato, ita enim vocat, Babyloniæ victoriam.

PRÆFATIO AUCTORIS.

Episcopo Vivariensi domino meo, et omnibus orthodoxis, Pontius de Baladuno, et Raimundus canonicus Podiensis salutem et laboris nostri participationem. Necessarium duximus vobis, et Transalpinis omnibus manifestare magnalia quæ Deus nobiscum, solito pietatis suæ more, fecit et assidue facere non desinit : maxime ideo quia imbelles et pavidi recedentes a nobis, falsitatem astruere pro veritate nituntur. Sed qui apostasiam eorum viderit, verba et consortia eorum fugiat. Exercitus enim Dei, etsi pro peccatis flagellum Domini sui sustinuit, pro ejusdem misericordia victor super omnem paganitatem exstitit. Sed quia alii per Sclavoniam, alii per Hungariam, alii per Langobardiam, alii per mare venerunt, tædiosum nobis ad scribendum de singulis fuit. Quapropter, dimissis aliis, de comite sancti Ægidii, et episcopo Podiensi, et exercitu eorum scribere curavimus.

CAPUT PRIMUM

Illi igitur Sclavoniam ingressi, multa dispendia itineris passi sunt, maxime propter hiemem quæ tunc erat. Sclavonia etenim est tellus deserta, et A invia et montuosa, ubi nec feras nec volucres per tres hebdomadas vidimus. Incolæ regionis adeo agrestes et rudes sunt ut nec commercium nobis, nec ducatum præbere voluerint, sed fugientes de vicis et castellis suis, debiles, anus, pauperes et infirmos, qui a longe præ infirmitate sua sequebantur exercitum, ac si multum nocuissent, ut pecora trucidabant, nec facile nostris militibus erat latrones inermes, locorum scientes, per abrupta montium et condensa silvarum persequi, sed assidue eos sustinebant; nec pugnare valentes, nec sine pugna esse poterant. Quoddam vero facinus egregium comitis non prætereamus. Cum conclusus esset aliquando comes a Sclavis cum quibusdam militibus suis, impetum fecit in Sclavos, atque usque B ad sex ex eis cepit. Cumque propter hoc Sclavi vehementius imminerent, et comes sequi exercitum compelleretur, crui oculos eorum, et aliorum pedes abscidi jussit, et nasum et manus aliorum truncari præcepit, ut, taliter aliis deterritis et doloris cognitione occupatis, secure comes effugere cum sociis suis posset. Itaque per Dei gratiam de mortis angustia, et de loci difficultate liberatus est. Quanta vero ibi fortitudine et consilio comes claruerit, non

facile referendum est. Quadraginta etenim fere dies A in Sclavonia fuimus, in quibus tantam spissitudinem nebularum passi sumus ut palpare et per motum removere eas a nobis aliquatenus possemus. Inter hæc comes assidue in postremis pugnans, semper populum defendens erat; et nunquam prior, semper ultimus hospitabatur. Et licet alii meridie, alii vespere, comes vero frequenter media nocte, vel galli cantu ad hospitium veniebat. Tandem per Dei misericordiam et comitis laborem et episcopi consilium, sic exercitus transivit ut nullum fame, nullum in aperta congressione ibi perderemus. Ob illam, reor, causam voluit Deus exercitum suum transire per Sclavoniam, ut agrestes homines qui Deum ignorabant, cognita virtute et patientia militum ejus, aut aliquando a feritate resipiscant, aut B inexcusabiles Dei judicio adducantur. Tandem post multa laborum pericula apud Scodram, ad regem Sclavorum pervenimus, ac cum eo comes frequenter fraternitatem confirmavit, et multa ei retribuit, ut exercitus secure emere et quærere necessaria posset. Sed hæc opinio sola fuit; nam pacis petitæ nos pœnituit, cum per ejus occasionem Sclavi, de more solito furentes, nostros interficiunt, et quæ poterant ab inermibus arripiunt. Quæsivimus locum fugæ, non ultionis. Hactenus de Sclavonia. Venimus Dirachium, credidimus esse in patria nostra, existimantes imperatorem Alexium, et satellites suos nobis esse fratres et coadjutores. Illi vero ritu leonum incrudescentes, pacificos homines, nihil minus C quam arma cogitantes, invadunt, per occulta trucidant, in nemoribus, in vicis remotis a castris, quæ poterant per totam noctem furabantur. Et licet sic insanirent, tamen dux eorum pacem promittebat, et per pacis inducias Pontium Rainardum interfecerunt, et Petrum ejus fratrem mortaliter plagaverunt, et erant hi principes nobilissimi. Cumque locus ultionis nobis offerretur, placuit iter, non injuriarum vindicta, sed incepimus iter nostrum. Habuimus litteras obviam imperatoris de pace, de fraternitate, et, ut ita dicam, de filiatione; hæc autem verbotenus. Nam ante et retro, dextrorsum et sinistrorsum, Turci, Comani, Husi et Tenaces, Pincenati et Bulgari nobis insidiabantur. Quadam autem die cum essemus in valle Pelagoniæ, episcopus Po- D diensis, gratia convenienter hospitandi, cum paulisper a castris discessisset, a Pincenatis captus est; qui dejicientes eum de mula, spoliaverunt, et in capite graviter percusserunt. Sed quia tantus pontifex adhuc populo Dei erat necessarius, per ejus misericordiam vitæ reservatus est. Nam unus de Pincenatis, dum aurum ab eo quæreret, a cæteris eum defendebat. Interea sonus exit in castris, et sic inter moram hostium, et impetum sociorum eripitur. Taliter per insidias cum venissemus ad quoddam castrum quod vocatur Bucinat, didicit comes quod in angustiis cujusdam montis Pincenati exercitum nostrum aggredi vellent; qui cum militibus quibusdam in occultis remanens, Pincenatis occurrit, atque pluribus interfectis, cæteros in fugam vertit. Occurrebant interea pacificæ litteræ imperatoris circumdabant nos undique hostes imperatoriis dolis. Cum vero venissemus Thessalonicam, infirmatus est episcopus, et remansit cum paucis infra civitatem. Post hæc venimus ad quamdam civitatem, nomine Rossam; ubi cum manifeste ejus cives in nos multa mala molirentur, paulisper nostra solita patientia displicuit. Itaque arreptis armis, diruuntur antemuralia, capitur ingens præda, et civitas in deditionem; atque illatis signis in civitatem, et acclamata Tholosa, quod erat signum clamoris comitis, discessimus. Venimus ad aliam civitatem, nomine Rodestol, ubi cum milites de roga imperatoris, pro vindicta sua contra nos agere vellent, multi ex ipsis interfecti sunt, et aliquantula capta præda. Venerunt ibi nobis legati nostri, quos præmisera- mus ad imperatorem qui, accepta ab eo pecunia, omnia prospera nobis apud imperatorem promiserunt. Quid plura? eo verba legatorum imperatoris et nostrorum pervenerunt, ut comes, relicto exercitu, solus cum paucis, et inermis ad imperatorem festinaret. Dicebant enim quia Boimundus, et dux Lotharingiæ, et Flandrensis comes, et alii principes hoc precabantur, ut properaret comes convenire imperatorem de itinere Hierosolymitano, ut assumpta cruce dux et imperator in exercitu Dei fieret; ad hæc aiebant imperatorem dixisse omnia cum comite se acturum, et de se et de aliis quæ itineris usui forent. Præterea nuntiabant bellum imminere, et, si auctoritas tánti viri abesset, fortassis incommodum fore. Itaque cum paucis adventaret comes, ut cum exercitus suus venisset, compositis cum imperatore omnibus, nullis in moram fieret. Victus tandem comes est, ut hac sola vice relicto præsidio in castris, exercitum præcederet, et sic inermis Constantinopolim venit.

CAPUT II.

Facile autem res gesta hactenus me scriptorem quibusdam lætitiæ et prosperitatis gressibus comitabatur, quæ tanto acerbitatis et mœroris onere nunc premit, ut incœpisse me tædeat, cum perficere votum sit. Quid vero potissimum, et primum aggrediar dicere? An imperatoris fraudulentissimam ac detestabilem admonitionis dolositatem? An exercitus nostri turpissimam fugam, et inopinabilem desperationem? An mortes tantorum principum enumerando, perpetui mœroris monumenta relinquam? Hæc autem quicunque nosse desiderat, ab aliis potius quam a nobis requirat. Hoc unum valde memorabile, silentio dignum excusamus, quod, dum omnes nostri castra relinquere, arripere fugam, deserere socios, dimittere omnia, quæ de tam longinquis regionibus asportaverant, meditarentur, per salutiferam pœnitentiæ atque jejunii opem, ad tantam constantiæ fortitudinem sunt reducti, ut solus pudor prius habitæ desperationis et fugæ vehementissime eos afficeret. Et de his hactenus dictum sit.

CAPUT III.

Honorificentissime itaque ab imperatore et principibus suis suscepto comite, postulat imperator a comite hominium et juramenta quæ cæteri principes ei fecerant. Respondit comes *se ideo non venisse ut dominum alium faceret, aut alii militaret, nisi illi propter quem patriam et bona patriæ suæ dimiserat. Et tamen fore, si imperator cum exercitu iret Jerusalem, quod se suosque et sua omnia illi committeret.* Sed imperator excusat iter dicens *se præmetuere Alemannos, et Hungaros, et Comanos, aliasque feras gentes, quæ imperium suum depopularentur, si ipse transitum cum peregrinis faceret.* Interea comes, audita morte suorum et fuga, se proditum esse credidit, et imperatorem Alexium, per quosdam principes de nostro exercitu, factæ proditionis commonefecit. At Alexius dicit *se nostros nescisse depopulatos esse regnum suum, et suos multas passos esse injurias; nihil esse quod comes querebatur, nisi quod, dum exercitus comitis solito more villas et castra vastaret, exercitu suo conspecto, fugam arripuerit; tamen se satisfacturum comiti*, atque Boimundum obsidem satisfactionis dedit. Ad judicium veniunt; cogitur comes, præter jus, absolvere obsidem. Interea exercitus noster Constantinopolim venit; et post hæc consecutus est nos episcopus cum fratre suo, quem infirmum dimiserat Dirachii. Mandat et remandat Alexius, pollicetur multa se daturum comiti, si quæsitum hominium sibi faceret, quod et alii principes sibi fecerant. Meditabatur autem comes assidue, qualiter suorum injuriam vindicaret, et tantæ infamiæ dedecus a se suisque depelleret. Sed dux Lotharingiæ, et Flandrensis comes, atque alii principes, hujusmodi detestabantur, dicentes *stultissimum esse contra Christianos pugnare, cum Turci imminerent.* Boimundus vero se adjutorem imperatoris pollicetur, si quidquam comes contra ipsum moliretur, vel si hominium et juramenta diutius excusaret. Consilio itaque accepto a suis comes, Alexio *vitam et honorem juravit, quod nec ipse, nec per alium ei auferret.* Cumque de hominio appellaretur, respondit, non se pro capitis sui periculo id facturum. Quapropter pauca largitus est ei Alexius.

CAPUT IV.

Itaque mare transivimus, et ad *Nicæam* usque pervenimus. Præcesserant enim comitem dux et Boimundus, atque alii principes, et obsidioni operam dabant. Est itaque *Nicæa* urbs munitissima, tam natura quam ingenio. Habet enim ab occidente lacum maximum, muris influentem; a reliquis tribus partibus vallum de restagnatione quorumdam rivulorum plenum. Præterea muris ita eminentibus cingitur ut nullorum hominum assultus, nullius machinæ impetus vereatur; balistaria vero vicinarum turrium sic respicientia sunt ad invicem ut sine periculo nullus accedere possit. Si quis autem propius accedere voluerit, obesse cum nequeat, facile de altitudine turrium obruitur. Hanc igitur talem, ut diximus, civitatem, Boimundus obsedit a septentrione; dux et Alemanni ab oriente; comes et episcopus Podiensis a meridie, nam Northmanniæ comes nondum erat nobiscum. Sed hoc unum reticendum non credimus, quia, cum comes inibi cum suis hospitari vellet, Turci de montanis descendentes in duabus turmis, exercitum nostrum aggrediebantur, eo nimirum consilio, ut, dum altera pars ducem et Alemannos impugnaret, qui ab oriente erant, pars altera Turcarum, per meridionalem civitatis plagam ingrediens, ac per alteram portam exiens, nostros facile a castris propelleret, nil simile cogitantes. Sed qui consilium impiorum subvertere solet Deus, sic apparatus illorum exinanivit ut veluti disposito, ingredienti jam fere civitatem Turcarum turmæ, hospitari volentem comitem cum suis immisit, qui primo impetu eos in fugam vertit, atque pluribus interfectis reliquos insecutus est usque ad montis altitudinem. Pars altera Turcorum, quæ Alemannos oppugnare voluit, exemplo simili fugatur atque prosternitur. Post hoc machinæ exstruuntur, atque murus impetitur, sed hoc erat frustra. Nam murus econtra firmissimus erat, et viriliter sagittis et machinis defendebatur. Sic pro nihilo hebdomadibus quinque pugnatum est. Tandem per Dei voluntatem quidam de familia comitis et episcopi, satis periculose ad angularem turrim, quæ respicit ad austrum accedentes, post vim facta testudine, unam de turribus cavare cœperunt, et cavando ad terram prostraverunt. Itaque capta esset civitas, nisi noctis tenebræ obstitissent. Instauratus est autem murus ab eis per noctem, et laborem pristinum nobis inane reddidit. Attamen eo metu perterrita civitas, ad deditionem sui coacta est. Accedebat eo quod imperatoriæ naves, per terram tractæ in lacum descenderant. His igitur de causis, cum jam ulterius succursum nullum sperarent, et augeri exercitum Francorum quotidie cernerent, diffisi viribus, Alexio se reddiderunt. Venerat comes Northmanniæ. Promiserat Alexius principibus et genti Francorum quod totum aurum et argentum, et equos, et omnem supellectilem, quæ intus erat, eis redderet, et monasterium Latinum et hospitium pauperibus Francorum ibi faceret; præterea tantum de propriis unicuique de exercitu daret ut illi semper militare velint. Hæc igitur Franci sperantes verba fidelissima deditionem laudaverunt. Alexius itaque, accepta civitate, tantam gratiarum actionem exercitui dedit ut, quandiu vixerit, populus semper ei maledicat, et proclamet proditorem eum.

CAPUT V.

Cognovimus tunc quod Petrum Eremitam, qui longe ante exercitus nostros cum magna multitudine Constantinopolim venerat, imperator eum prodidisset; etenim ipsum, qui ignarus locorum erat, et totius militiæ, et suos transfretare coegit, atque Turcis exposuit. Turcæ autem de Nicæa, illam imbellem multitudinem videntes, sine labore et mora, ex eis decollaverunt usque ad sexaginta millia. Reliqui vero ad munitionem quamdam confugientes, gladios

Turcarum evaserunt. Quapropter Turcæ audaces et superbi effecti, arma quæ ibi ceperant, et captivos ad nobiles suæ gentis et Sarracenorum, longe ea mittebant, scribentes ad populos, et ad civitates longinquas nihil valere Francos in bello. Profecti igitur a Nicæa civitate in Romaniam, secunda die temere Boimundus cum quibusdam principibus, a comite, et episcopo, ac duce digressus est. Cumque in die tertia digressionis suæ tentoria disponeret figere, centum quinquaginta millia Turcorum in pugnam adventare conspiciunt. Dumque ordines pro tempore instruit, et bellum disponit, plures qui sequebantur de exercitu suo perdidit. Inter hæc comiti et duci mandavit, ut sibi succurrerent; aberant enim per duo milliaria. Uti autem nuntius Boimundi in castra venit, certatim omnes, equos et arma arripiunt atque obviam ire contendunt. Ut autem cognovit Solimannus et qui cum eo erant, exercitum nostrum, id est episcopi, ducis, et comitis, contra suum in pugnam concurrere, de victoria desperans fugere compulsus est, et qui captivos et tentoria plurima de castris Boimundi acceperat, per Dei virtutem sua reliquit. Fertur quoddam insigne miraculum, sed nos non vidimus, quod duo equites armis coruscis, et mirabili facie, exercitum nostrum præcedentes, sic hostibus imminebant ut nullo modo facultatem pugnandi eis concederent; at vero Turcæ, cum referire eos lanceis vellent, insauciabiles eis apparebant. Hæc autem quæ dicimus, ab illis qui eorum consortium spernentes nobis adhæserunt didicimus. Quod vero pro testimonio adducimus, tale est: Per primam et alteram diem, per totam viam equos inimicorum mortuos cum dominis ipsis reperimus. Itaque devictis et profligatis Turcis, pacifice et alacriter per Romaniam usque Antiochiam venimus. Sed comes aliquantulum exercitum retardavit, causa infirmitatis suæ. Quod si incredulis ingratum fore satis cognovimus, tamen quod divina clementia operatur, reticere non debemus. Erat quidam comes de Saxonia, in nostro exercitu, qui ad comitem Raimundum, venit, et legatum se Sancti Ægidii asserebat, et semel secundoque se admonitum, ut diceret comiti, aiebat: « Esto securus, non morieris de hac infirmitate; ego tibi inducias a Deo impetravi, ego semper tecum ero. » Et licet satis hæc comes crederet, tamen ita ea infirmitate affectus fuit ut depositus de lecto in terram, vix etiam vitalem pulsum haberet. Unde episcopus Aurasicæ urbis officium ei quasi defuncto impendit, sed divina clementia quæ eum ducem perfecerat exercitus sui, de morte eum illico relevavit, et sospitati reddidit. Igitur cum Antiochiam appropinquavimus, non erat consilium multorum principum ut eam obsideremus, præsertim cum hiems immineret; et exercitus tunc diffusus per castella, et imminutus æstivo tempore fuerat. Imperatoris etiam vires oportere exspectari dicebant, et exercitum de Francia, qui venire nuntiabatur, sicque hiemare usque in verno præcipiebant. At alii de principibus in quibus erat comes, dicebant *per Dei inspirationem nos venisse, per ipsius misericordiam nos Nicæam munitissimam urbem obtinuisse, atque per ejusdem clementiam, victoriam et securitatem de Turcis habuisse: pacem et concordiam in exercitu nostro fuisse, atque ideo ipsi de nobis committendum esse. Non oportere vereri reges, aut regum principes; nec formidare loca, et tempora, cum Dominus de tam pluribus periculis nos eripuisset.* Igitur ad Antiochiam venimus, atque juxta castra posuimus, adeo ut frequenter de turribus hostes, et homines et equos nostros in tentoriis vulnerarent. Et quoniam de Antiochia se occasio nobis præbuit, de situ ejusdem loci dicere necessarium esse videtur ut facilius bella et assultus, qui ibi facti sunt, ab his qui non viderunt, intelligantur. Est quædam planities inter montes Libani, quæ in latitudinem per diem unum, tenet viatorem, et in longitudine diem et dimidium. Hæc autem planities habet ab occidente paludem quamdam, ab oriente fluvium, qui quamdam partem ejusdem planitiei cingens ad pedes montium, quas in latere habet a meridie, ita recurrit ut inter montes et fluvium transitus nullus sit, et sic mari Mediterraneo, quod Antiochiæ proximum est, influit. In angustiis autem illis quas fluvius jam adhærens supradictis montibus facit, Antiochia sita est ut ab occidente fluvius, inferiori muro influens, quamdam in modum sagittæ partem terræ, inter se et ipsam civitatem relinquit. Hoc modo ab oriente urbs sita, surgit in orientem, atque suo ambitu trium montium juga complectitur. Ille vero mons quem a septentrione habet, quodam maximo prærupto ab aliis dividitur, ut ab illo ad alios nullus vel difficillimus accessus habeatur. In colle autem septentrionali, castellum quoddam est, et in medio collis castellum aliud, quod lingua Græca Colax vocatur. In tertio colle, tantum turres. Tenet autem civitas duo miliaria in longitudine, muris, et turribus, et antemuralibus ita munita ut nullius machinæ impetus, nullius hominum assultus, etiamsi genus omne hominum conveniat, vereatur. Hanc igitur, ut diximus, talem tam munitissimam civitatem exercitus Francorum a septentrione obsedit. Neque tamen, licet ter centum vel trecenta millia armatorum in exercitu essent, aliquem assultum ibi fecerunt, nisi quod juxta castra sua posuerunt. Erant præterea in civitate duo millia optimi milites, et quatuor vel quinque millia militum gregariorum, atque decem millia peditum, et eo amplius. Muri vero ita eminentes, et vallo et paludibus muniebantur ut portæ custodirentur, cætera secura manerent. Igitur, ut venimus in principio, ita temere castra posuimus ut si præcogniti ab eis essemus, aliqua pars castrorum ab hostibus corripi potuisset, cum in exercitu nostro nec vigiliæ, nec modus hospitandi unquam servatus sit. Accedebat etiam quod omnia castella regionis ejusdem, et finitimæ civitates se nostris reddiderunt, tum timore nostri exercitus, tum amore fugiendæ Turcarum servitutis,

Quæ res exercitum nostrum multum dispersit : *Volebat enim quisque privatam rem maximam facere; de publica vero nihil cogitabat.* Interea ii qui in castris remanserant tantam copiam victualium habuerunt ut de bobus nil præter femora, et armos, et rarissimi pectus levare vellent, de annona vero et vino, non est dicendum quam levissime acciperentur. Cumque hæc in castris aguntur, hostes sese primo ita occultabant infra mœnia ut nullus, nisi vigiles, in muris cerneretur. Dum hæc ita didicissent, quod palam et inermes nostri villas et agros vastarent, nescio, vel de Antiochia hostes emissi, vel de alia civitate quæ per dies duos aberat, nomine Caleph, venientes, nostros interficere cœperunt quos palam cuntes et inermes reperiebant. Quæ res aliquantulum copiam in castris nostris imminuerat. Illi vero hostes, facultate cædis et rapinæ, multo acrius vias obsidebant. Ut autem hæc in castris manifeste comperta sunt, electus est Boimundus, ut iret obvius illis. Profecti sunt autem cum illo comites Flandrensis et Northmanniæ. Neque secum plusquam centum quinquaginta milites educere potuerunt, et nisi pudor revertendi obstitisset, pro paucitate militum reverterentur. Itaque perurgente Deo profecti, hostes reperiunt, et persequuntur, atque necari in flumine cogunt. Sic potiti victoria, et spoliis, cum ingenti exsultatione ad castra redeunt.

CAPUT VI.

Interea Genuensium naves littori, quod per decem milliaria aberat a castris, applicuerunt. Vocatur autem locus ille portus Sancti Simeonis. Jamque paulatim hostes de civitate egredientes, armigeros vel rusticos, qui equos vel boves pascebant ultra fluvium, interficiunt, atque prædam infra civitatem deducunt. Posueramus enim tentoria juxta fluvium, et pontem de navibus ibi repertis feceramus. Habebat autem et civitas pontem quasi in inferiori angulo occidentali, et monticulum quemdam adversum nos, ubi duæ erant bafumariæ, et quædam sepulcrorum casalia. Hæc autem ideo diximus, ut facile manifesta sint quæ ibi facta narrabuntur. Sicut diximus, cum paulatim hostium audacia aliquatenus crevisset, nostri audacter de castris egredientes, licet hostibus frequenter pauciores, tamen illis incurrere non metuebant. Turcæ autem licet frequenter fusi et fugati in bellum illico resurgebant, tum quia velocissimos equos habebant, et expediti, nec graves aliis armis quam sagittis, tum quia in pontem, quem diximus, spes refugiendi illorum erat, et de monticulo facultatem sagittandi eminus prospiciebant. Aberat enim pons illorum a nostro ponte, quasi per unum milliarium. In planitie autem, quæ inter utrosque pontes fuerat, assidue assultus, quotidie pugna erat.

CAPUT VII.

Contigit vero in principio obsidionis ut comes et episcopus Podiensis juxta fluvium castra ponerent, et ideo hostibus viciniores frequentissime ab eis impetebantur. Sicque factum est, per assultus hujusmodi, ut equos suos omnes deperderent, quoniam Turci non lanceis, vel gladiis bellum conferre parati, sed sagittis eminus juxta metuendi, dum fugiunt, et dum insequuntur. Cumque jam in tertio mense obsidionis carius alimoniæ mercarentur, electus est Boimundus et Flandrensis comes ut exercitum propter victualia in Hispaniam ducerent, comite et episcopo Podiensi præsidio relicto in castris. Nam Northmanniæ comes eo tempore aberat, et dux maxime infirmabatur. Hoc autem cum hostes comperissent, solitos incœpere assultus. Cogitur autem comes solito more eis incurrere, atque compositis ordinibus peditum, ipse cum aliquantis militibus assultatores persecutus est, atque duos ex ipsis in descensu monticuli cepit et occidit, et hostes ingredi omnes per pontem coegit. Quod ut pedites nostri viderunt, remissis stationibus suis et relictis signis, usque ad pontem illorum permistim concurrunt. Cumque jam ibi quasi securi facti, lapides et tela in eos qui pontem defendebant conjicerent, Turci, facto agmine, per pontem et per vadum quod inferius erat, contra nostros currere cœperunt. Interea milites nostri equum quemdam, unde dominum suum dejecerant, versus pontem nostrum insequebantur. Quæ populus noster videns, fugam militum arbitratus ad incursus hostium, sine mora hostibus terga præbuit; Turci vero incessanter fugientes interficiunt. Cumque milites Francorum resistere et pugnare pro suis vellent, a multitudine peditum fugientium apprehensi, per arma et per jubas, et caudas equorum, vel ab equis dejiciebantur, vel pro misericordia et salute suorum, in fugam ferebantur. Hostes vero, sine mora, sine misericordia cædem persequi et spoliare mortuorum cœperunt cadavera. Nostris autem non satis erat relinquere arma, arripere fugam, contemnere pudorem, sed in fluvium immergebantur, obruituri lapidibus vel sagittis hostium, vel sub amne remansuri. Si quem peritia et vis natandi ultra fluvium evexit, hic ad sociorum castra pervenit. Tenuit autem nostra fuga a ponte illorum usque ad nostrum pontem. Ceciderunt ibi usque ad quindecim milites nostri, pedites vero circiter viginti. Interfectus est ibi vexillifer episcopi, et captum est vexillum ejus. Interiit ibi quidam nobilissimus juvenis Barnardus Raimundus, patria Bitterensis. Non causentur neque irascantur in nos, servi Dei, si tam aperte pudorem nostri exercitus, memoriæ mandamus, quoniam Deus, qui hoc modo flagitiosorum, adulterii et rapinæ, mentes ad pœnitentiam concuti voluit, exercitum nostrum in Hispaniis eodem tempore lætificavit. Rumor enim de castris nostris egrediens, prospera omnia, atque comitem nobilissima potitum victoria Boimundo et sociis ejus nuntiavit. Hæc autem fama non mediocriter animos eorum erexit. Etenim Boimundus cum villam quamdam expugnaret, subito fugere et clamare quosdam rusticos de suis audivit. Cumque obviam illis milites mi

sisset, Turcarum et Arabum exercitum cominus inspexerunt. Erat autem inter eos qui profecti fuerant, ad prospiciendum fugæ et clamoris causas, Flandriensis comes et cum eo quidam Provinciales; namque omnes de Burgundia, et Alvernia, et Vasconia, et Gothi Provinciales appellabantur, cæteri vero Francigenæ, et hoc in exercitu : Inter hostes autem Franci dicebantur. Hic autem Flandrensis comes, ut diximus, pudorem arbitratus, prius de hostibus referre quam eis incurrere, irrevocabilis in Turcorum cuneos ruit. Turcæ vero insoliti agere bellum gladiis, fugam pro refugio arripuerunt. Nec prius comes gladium recondidit quam centum de hostibus a vita subduxit. Cumque jam victor ad Boimundum reverteretur, duodecim millia Turcorum, post se venire conspexit, atque a colle qui proximus erat a sinistris, innumerabilem peditum multitudinem surgere vidit. Tunc communicato consilio cum reliquis de exercitu, rursus assumptis pluribus, viriliter hostes aggressus est. Boimundus vero cminus sequebatur cum reliquis, et agmina posteriora custodiebat. Etenim id moris pugnandi apud Turcas est, ut, licet pauciores sint, semper nitantur cingere suos; quod etiam in hoc bello facere conati sunt, sed prudentia Boimundi, hostium insidiæ prævertæ sunt. Turcæ vero et Arabes, qui contra Flandrensem comitem veniebant, ut videre quod non jam sagittis cminus, sed cominus gladiis res gerenda foret, in fugam versi sunt. Prosecutus est eos comes per duo milliaria, atque ut in agros manipulos messis, sic in hoc agro spatioso cæsorum corpora resupina jacere videres. Hostium vero insidiæ quas Boimundus sustinuerat, simili modo fusæ fugatæque sunt. Innumerabilis vero turba peditum, quam supra diximus, per loca equis invia, fuga lapsa est. Auderem, inquam, nisi arrogans judicarer, bellum hoc Machabæorum bellis præferre, quoniam, si Machabæus in tribus millibus, hostium quadraginta et octo millia prostravit, hic, plus quam sexaginta millia hostium, ope quadringentorum militum in fugam versa sunt. Sed nos neque Machabæum contemnimus, nec virtutem militum nostrorum prædicamus, sed Deum tunc in Machabæo mirabilem, in nostris mirabiliorem annuntiamus. Operæ pretium est, profligatis inimicis, nostris audaciam decrevisse, ne auderent persequi quos præcipitari aspiciebant.

CAPUT VIII.

Igitur regresso exercitu victore et vacuo, tanta fames in castris fuit ut vix duo solidi homini sufficerent in pane per diem, nec cætera minus care accipiebantur. Cœperunt itaque discedere pauperes, et multi divites pauperiem verentes. Si qui amore virtutis in castris remanebant, equos suos diuturna contabescere fame patiebantur. Quippe nec paleæ abundabant, et annona tam cara erat ut septem vel octo solidi non sufficerent equo per noctem. Accedebat etiam et alia exercitui calamitas, quod Boimundus, qui clarissimus factus fuerat in Hispania, discessuram se aiebat, eo quod propter honorem venerit, et homines et equos suos deperire conspiceret, nec esse se divitem dicebat, cui ad tam longam obsidionem rei familiaris opes sufficerent. Quæ postea comperimus eum ob hoc dixisse, quod ambitione princeps civitati Antiochiæ inhiabat. Interea terræmotus factus est magnus in Kal. Januarii, et signum in cœlo satis mirabile vidimus. Namque in prima vigilia noctis, ita cœlum rubicundum a septentrione fuit ut quasi suborta aurora diem deferre videretur. Et licet hoc modo exercitum suum Deus flagellaret, ut lumini quod in tenebris oriebatur intenderemus, tamen quorumdam mentes ita cæcæ et præcipites erant, ut neque a luxuria vel rapina revocarentur. Prædicavit eo tempore episcopus triduanum jejunium, et cum processione, orationes, et eleemosynas ad populum; ad presbyteros autem mandavit ut vacarent missis et orationibus, et clerici, psalmis. Recordatus itaque pius Dominus misericordiæ suæ, filiorum vindictam distulit, ne adversariorum superbia cresceret. Erat præterea in nostro exercitu quidam de familia imperatoris, quem pro se Alexius nobis tradiderat, Tatic nomine, naribus truncus, et omni virtute. Hujus ego pene oblitus fueram, quia oblivioni perpetuæ tradendus fuerat. Hic autem quotidie auribus principum instillabat, ut discederent ad castra finitima, atque inde frequenti assultatione, et insidiis Antiochiam propulsarent. Hæc autem omnia ut comiti manifeste comperta sunt; æger enim fuerat, ex die quo fugere apud pontem compulsus est : principes suos et Podiensem episcopum in unum vocat, atque habito consilio, quingentas marchas argenti illis largitur, ea nimirum conditione ut, si quis militum suorum equum suum deperderet, de illis quingentis marchis illi restauraretur, ac de aliis quæ fraternitati concessa sunt. Hæc autem conditio confraternitatis multum illo tempore profuit, quoniam pauperes de nostro exercitu, qui pro colligendis herbis ultra fluvium transire volebant, frequentem hostium assultationem metuebant, et quoniam rarissime aliqui obviam hostibus ire volebant, cum equi famelici et debiles essent, atque admodum pauci, ut in toto exercitu comitis et episcopi vix centum reperirentur. Similiter Boimundo et reliquis contigerat. Hanc igitur ob causam milites nostri hostibus occurrere non formidabant, præsertim ii qui vites vel debiles equos habebant, cum scirent se, perditis suis, meliores habituros. Accessit autem et aliud, quod omnes principes, præter comitem, Boimundo civitatem dum caperetur, pepigerunt. Hac itaque pactione Boimundus, et reliqui principes juraverunt se ab oppugnatione Antiochiæ non discessuros per septem annos, nisi civitas caperetur.

CAPUT IX.

Dum hæc in castris aguntur, rumor etiam exercitum imperatoris venire nuntiavit, qui de multis gentibus collectus esse nuntiabatur, ut sunt Sclavi, et Pincenati, et Comani, et Turcopoli. *Turcopoli*

enim dicuntur, qui vel nutriti apud Turcas, vel de matre Christiana, patre Turca procreantur. Hæ autem gentes, quia nobis in itinere nocuerant, se præmetuere consortium nostrum fatebantur. Hæc autem omnia Tatic ille truncus composuerat, qui, ut discedere posset, talia commentabatur. Hic non solum commentis, verum etiam maximis impendiis, proditione sociorum et perjurio cumulatis, per fugam lapsus est. Concessit enim Boimundo, duas nescio aut tres civitates, Tursol, Mamistam, et Addevam. Taliter igitur sibi et suis mercatus perpetuum pudorem, simulato itinere, quasi ad exercitum imperatoris, dimissis tentoriis et familiaribus suis, cum Dei maledictione profectus est. Nuntiatum est nobis eo tempore quod dux de Calep, conducto magno exercitu de Corrozana, ad succurrendum civitati Antiochiæ veniret. Quapropter habito consilio in domo episcopi, consultum est ut pedites castra servarent; et milites hostibus obviam extra castra pergerent; dicebant enim quod multi de exercitu nostro, imbelles et pavidi, si viderent Turcarum multitudinem, timoris potius quam audaciæ exempla monstrarent. Igitur sub noctem profecti, ne ii qui in civitate erant perciperent, atque his qui in auxilium eorum venerant nuntiarent, longe a nostris castris per duas leugas inter menticulos se occultaverunt. Mane autem facto, cum sole hostes apparuerunt. Audiant igitur, audiant, obsecro, qui aliquando exercitum lædere conati sunt, ut, cum magnificare Deum suam misericordiam in nobis cognoverint, per pœnitentiæ lamenta ipsi satisfacere contendant. Dispositis itaque militibus in sex turmis, tantum eos Deus multiplicavit ut qui vix septingenti ante ordinationem apparebant, habita partitione plusquam duo millia inesse unicuique ordini affirmarentur. De audacia vero eorum quid loquar, cum etiam cantus militares tam festive milites agerent, ut quasi pro ludo imminens bellum haberent? Contigit autem in eo loco bellum fieri, quo palus et fluvius per milliarium vicina sunt. Hoc autem hostibus evagandi licentiam vetuit, ne more suo accingere possent. Namque Deus, qui cætera nobis dederat, sex valles continuas, prodientibus ad bellum præbuit atque una hora egressi, campoque occupato, sole etiam refulgente, in armis et clypeis pugna committitur. Nostri autem, primo paulatim cœperunt procedere: Turcæ vero discurrere, sagittare, tamen recedere. At nostri tantum patiebantur, dum priores de Turcis posterioribus infarcirentur. Etenim, ut a profugis eorum didicimus, non minus quam viginti et octo millia Turcarum in hoc bello fuisse referuntur. Utque satis prior acies Turcarum subsequentibus inclusa est, invocato Deo, procurrunt Franci. Nec mora, adest *Dominus*, *fortis et potens in prælio* (*Psal.* XXIII, 8) : protexit filios, et prostravit inimicos. Itaque prosecuti sunt eos Franci usque ad castrum eorum munitissimum, quod a loco pugnæ decem milliaribus aberat. Castellani autem suorum fugam videntes, incenso castro fugam arripiunt. Hoc autem totum, gaudium et exsultatio nobis fuit, ut alteram victoriam de incenso castro confiteremur.

CAPUT X.

Eodem itaque die tanta pugna in castris fuit ut ibi nullus locus fuerit, versus civitatem, ubi bellum non esset. Composuerant enim hostes, ut, dum ab obsessis acerrime impugnaremur, ab improvisis auxiliatoribus eorum, a tergo opprimeremur. Sed Deus, qui militibus nostris victoriam conferebat, in peditibus nostris prœliabatur. Nec minorem suscepimus eo die de obsessis triumphum quam de fautoribus eorum milites nostri gloriam retulerunt. Igitur potita victoria et spoliis, capita cæsorum ad castra deportata sunt. Et ut hostibus timorem, et testimonium de profligato eorum succursu ostenderemus, delata capita in palis suspensa sunt. Quod dispositione Dei actum esse, postea credidimus. Namque capto nuper vexillo beatæ semper virginis Mariæ quasi ad opprobrium nostrum, cuspidem in terra figebant. Itaque actum est ut, visis suorum erectis capitibus, ab improperio nostro revocarentur. Erant eo tempore in nostris castris legati a rege Babyloniorum, qui videntes mira quæ Deus per servos suos operabatur, Jesum Mariæ virginis filium glorificabant, qui, per pauperes suos, potentissimos conculcabat. Hi autem legati, gratiam et benevolentiam apud regem suum nobis promittebant; præterea plura beneficia regis in Christianos Ægyptios, et peregrinos nostros referebant. Itaque remissi sunt cum illis legati nostri, qui fœdus amicitiamque cum rege inirent. Eodem tempore visum est principibus nostris ut in colle, qui supra tentoria Boimundi erat, castrum firmaretur, ne si rursus hostes nos venirent, nullo modo tentoria nostra impellere possent. Cum hoc factum fuisset, fuerunt castra nostra ita firmissima ut ad instar civitatis clausi, tam opere quam natura undique essemus. Erat enim ab oriente nobis castrum hoc, a meridie, muri civitatis, et palus, quæ muros muniebat, castra etiam nostra tuebantur, nec facultatem pugnandi, his de civitate concedebat nisi per portas egrederentur; ab occidente vero fluvius erat; a septentrione quoddam vetus vallum, quod a monte descendens, ad fluvium usque perveniebat. Laudabat etiam populus ut castellum aliud in monticulo, qui supra pontem illorum erat, firmaretur. Factæ sunt etiam in castris machinæ, quæ muros civitatis impellerent, sed hoc frustra fuit. Cumque jam in quinto mense obsidionis nostræ naves undique cum alimoniis ad portum nostrum applicarent, Turcæ civitatis, vias maris obsidere, atque portitores victualium interficere cœperunt. Nostri vero principes primo tantum patiebantur; Turcæ autem sceleris impunitate, spe rapinæ, die noctuque instabant. Consultumque est tandem ut ad pontem illorum castrum firmaremus. Sed, quia plurimi de nobis ad portum abierant, electus est comes et Boimundus ut eos inde adducerent, cum rastris, et aliis instrumentis quibus val-

lum novi castelli fieret. Cumque compertum esset in civitate comitem et Boimundum abesse, assultus solitos incœperunt. Nostri autem, nimis temere atque inordinate progressi, turpiter fusi atque fugati sunt. Cumque die quarto comes et Boimundus, cum multitudine maxima, a portu reverterentur, a Turcis explorati sunt; nostri autem solo tumultu suo securi esse arbitrabantur. Sed cur pluribus moror? Ventum est ad pugnam : Nostri autem terga dederunt. Perdidimus ubi usque ad trecentos homines; quantum vero spoliorum et armorum, non est nostrum dicere, dumque more pecudum per montes et abrupta quæque trucidaremur et collideremur, hi de castris hostibus obviam procedere cœperunt : sicque factum est ut a cæde fugientium revocarentur. *Quid igitur, Domine* Deus? *in castris victi sunt; et hi duo maximi principes in exercitu tuo, extra castra victi sunt! An ad castra fugiemus? an hi de castris ad nos? Exsurge et adjuva nos, Domine, propter nomen tuum* (*Psal.* XLIII). *Quod si in castris rescitum est quod principes victi sint, vel si nos castrensium fugam nosse contigerit, communis omnium fuga fiet.* Surrexit itaque *adjutor in opportunitatibus Dominus* (*Psal.* IX), atque illos quos prius truderat, priores in pugnam animavit. Videns igitur Cassianus, qui civitatis rector erat, et nostrorum spolia, et suorum victoriam, et adhuc quorumdam nostrorum audaciam, milites et pedites suos omnes emisit; atque in spem victoriæ adductus, portas civitatis post suos recludi jussit, denuntians militibus suis *vincere vel mori*. Interea nostri paulatim, et pro imperio procedere; Turcæ autem discurrere, sagittare, nimis audacter incurrere; at nostri interdum patiebantur, dum densatis incurrere possent, nec ad impetum eorum retardabantur. Tantus vero luctus et clamor in castris ad Deum erat ut affluentia lacrymarum Dei pietatem descendendam putares. Cumque jam cominus res gerenda foret, quidam Isuardus miles de Gagia, provincialis nobilissimus, cum centum quinquaginta peditibus, invocato Deo, genibus flexis, socios hortatus est, dicens : *Eia, milites Christi!* Atque hostibus incurrit : similiter et aliæ acies nostræ incurrunt. Hostium itaque superbia turbatur; porta clausa est, et pons strictus, fluvius vere maximus. Quid igitur? hostes turbati prosternuntur, et cæduntur, et saxis in flumine obruuntur, fuga autem nulla patet. Quod nisi Cassianus pontis portam aperuisset, illa die de Antiochia pacem habuissemus. Audivi ego a multis, qui ibi fuerunt, quod triginta Turcos et amplius, de ponte sumptis spondalibus in flumine obruissent. Claruit ibi multum dux Lotharingiæ. Hic namque hostes ad pontem prævenit, atque ascenso gradu venientes per medium dividebat. Celebrata itaque victoria cum ingenti exsultatione, et multis spoliis, et equis multis, nostri ad castra redeunt. Contigit ibi quoddam memorabile, quod utinam qui nos suis prosequuntur votis, videre potuissent! Quidam enim eorum eques, timore mortis, dum præceps profundum fluminis ingrederetur, a multis de sua gente comprehensus, et ab equo suo dejectus, in medio fluminis obrutus est cum illa multitudine quæ eum apprehenderat. Operæ pretium est vidisse quosdam pauperes a victoria revertentes; alii namque intra tentoria in equis variis discurrentes, relevationem suæ paupertatis sociis ostendebant; alii autem duobus vel tribus induti sericis vestimentis, largitorem victoriæ et muneris Deum magnificabant; alii vero tribus vel quatuor muniti clypeis, victoriæ suæ triumphum alacriter prætendebant. Dumque his et aliis ostentamenti fidem magnificæ victoriæ nobis persuasissent, de multitudine interfectorum suadere non potuerunt. Quoniam victoria sub nocte habita est, cæsorum capita ad castra delata non sunt. Cumque postridie castrum ante pontem illorum ædificaretur, in vallo quidam de Turcis reperti sunt; erat enim mons ille in sepulturam Sarracenorum. Ex his igitur eorum provocati pauperes, omnia eorum monumenta fregerunt. Effossis itaque Turcis, qualis victoria fuerit, nulli dubium fuit. Namque numerati sunt circiter mille quingenti; taceo modo et in civitate sepultos, et in flumine tractos. Cum autem fetore intolerabili laborantibus in castello obstitissent cadavera, in flumine projecta sunt. Nautæ vero, qui in fuga comitis et Boimundi dispersi et vulnerati fuerant, de victoria adhuc præ timore dubitabant. Hi autem videntes tantam multitudinem, quasi de quadam multitudine convalescentes, Deum magnificare cœperunt, qui filios suos corrigere et lætificare consuevit. Sic itaque Dei dispositione actum est ut qui victualium conductores, in littore et ripis fluminis peremptos, feris et volucribus dederant, in locis eisdem feris et volucribus victualia fierent. Celebrata itaque et cognita victoria, et castro ædificato, civitas Antiochiæ a septentrione et meridie obsessa est.

CAPUT XI.

Consultum est eo tempore quis de principibus ad custodiendum castrum migrare potuisset, quippe *res communis pluribus frequenter negligitur, dum alii ab aliis custodiri eam arbitrantur.* Dumque alii de principibus, quasi pro mercede, vigilum suffragia ab aliis quærerent, comes, præter suorum voluntatem, castri custodiam arripuit, simul ut desidiam et avaritiam excusaret, et vigoris atque prudentiæ semitam torpentibus demonstraret. Namque præteritæ æstatis gravi ac diuturno morbo fatigatus, et adeo mollis per totam hiemem fuerat, ut nec ad militandum, nec ad largiendum promptus esse diceretur, et licet multa, quia plura posse credebatur, nullus esse credebatur. Igitur nactus hanc difficultatem, scilicet materiam virtutis, tantam omnium invidiam passus est ut pene a suis privatis dissociaretur. Interea dum comes hæc negligit, sperans hostes de civitate maxima ex parte oppressos, illico fugituros, quodam diluculo ab hostibus circumdatus est. Claruit ibi magnum divinæ protectionis miraculum, quod sexaginta viri de nostris, pugnam Sarracenorum septem millium sustinuerunt, atque, quo ma-

gis mirum fit, præteritis diebus imber immoderatus, terram recentem humefactans, vallum novi castelli compleverat. Sicque hostes nulla invia, sed sola virtus Dei retardabat. Non arbitror modo quorumdam militum nostrorum egregiam virtutem reticendam, qui præventi ab inimicis, dum eorum pontem custodiunt, ad castellum refugere non potuerunt; aberat enim castellum a ponte illorum, quasi jactu unius sagittæ. Igitur hi milites, facto gyro inter hostium multitudinem, ad angulum cujusdam vicinæ domus pervenerunt, ibique hostium impetus, et sagittarum rabiem, et saxorum undique nebulam, viriliter et imperterriti sustulerunt. Interea sonitus pugnæ auditus in castris nostros excivit, sicque castrum ab hostibus liberatum est; et licet a longe prospecto succursu ab oppugnatione destitissent, et licet ponte illorum proximo, tamen posteriores eorum interempti sunt. Rursus itaque instaurato vallo, et mœnibus castri, victualium conductores secure ire et redire a portu potuerunt. Igitur invidia quam comes pertulerat, adeo lenita est ut ab omnibus pater et conservator exercitus appellaretur. Ab eo itaque tempore crevit comitis nomen, eo quod solus, hostium assultus sustineret. Obsesso igitur ponte et porta civitatis, cœperunt egredi Turcæ per aliam portam, quæ respicit ad meridiem juxta fluvium, atque emittere equos suos ad quemdam recessum, qui inter montes et fluvium erat optima pascua. Explorato itaque loco a nostris, et terminato die, per quamdam montis difficultatem circinata civitate, ad pascua illa venerunt, atque alii per vadum transeuntes, duo millia equorum inde adduxerunt, exceptis mulis et mulabus quæ recuperata sunt; etenim, præterito tempore hiemis, in itinere maris, multas nobis mulas abstulerant, quæ modo captæ et recognitæ sunt a dominis suis, et pristinæ dictioni concessæ. Post hoc tempus munivit Tancredus monasterium quoddam ultra fluvium, et dedit ei comes ob hoc centum marchas argenti, et alii de principibus, prout potuerunt, hoc enim multum hostes constrinxit. Libet itaque attendere quia *quanto pauciores numero sumus, tanto fortiores nos Dei gratia fecit.* Interea nuntii venire cœperunt frequentissime, quod succursus hostibus veniret. Hæc autem fama non solum ab Armenicis et Græcis nobis veniebat, verum etiam ab his qui in civitate erant nobis annuntiabatur, quoniam Turcæ per annos quatuordecim Antiochiam obtinuerant, atque Armenios juvenes, et Græcos, quasi pro penuria domesticorum turcaverant, et uxores eis dederant. Ili tales, cum libertatem fugæ habere poterant, cum equis et armis ad nos veniebant. Cumque hæc fama de succursu hostium crebresceret, multi de nostris pavidi, fugere cœperunt, et Armenii mercatores.

CAPUT XII.

Interea milites boni qui per castella diffusi erant, venire atque arma emere, et adaptare et reficere cœperunt. Dumque satis contabescens tumiditas ab exercitu nostro defluxisset, et animositas, semper prompta cum fratribus et pro fratribus pericula subire, venisset, quidam de Turcatis qui erat in civitate, per Boimundum principibus mandavit nostris, quod civitatem nobis redderet. Igitur communicato consilio principes, Boimundum et ducem Lotharingiæ, et Flandrensem comitem, ad hæc experienda miserunt. Cumque per medium noctis venissent, ad collem civitatis, remissus internuntius ab eo qui civitatem reddebat, dixit: *Exspectate dum lampas transeat.* Etenim tres viri vel quatuor cum lampadibus per muros civitatis tota nocte pergebant excitando et commonendo vigiles. Post hæc autem appropinquantes ad murum, et erecta scala, cœperunt ascendere nostri. Primusque quidam Francus, nomine Fulcherius, frater scilicet Budelli Carnotensis, murum intrepidus conscendit; quem comes Flandrensis consecutus, Boimundo et duci mandavit ut ascenderent. Cumque omnes festinarent, ut alius alium præveniret, scala fracta est. At vero ii qui ascenderant, descendentes in civitatem, posterulam quamdam aperuerunt. Ingressi itaque nostri omnes non ceperunt aliquem de his quos invenerunt. Cumque diei aurora comparuisset, conclamaverunt. Ad hanc vocem cum omnis civitas turbaretur, mulieres et parvuli eorum flere cœperunt. Illi vero qui in castello comitis erant, ad hanc vocem omnes excitati, quippe propinquiores, dicere cœperunt ad invicem: *Succursus eorum venit.* Alii autem econtra: *Non videtur vox ista lætantium.* Cumque dies albesceret, in meridionali colle civitatis signa nostra comparuerunt. Turbati igitur cives, cum in monte super se nostros conspicerent, alii per portas fugere cœperunt, alii se præcipitare; restitit nullus, quippe turbaverat eos Dominus. Jucundum spectaculum tandem post multa tempora nobis factum, ut qui tandiu Antiochiam contra nos tenuerant, de illa modo fugere non valerent; quod si quidam eorum arripere fugam ausi sunt, tamen mortem evadere non potuerunt. Accidit ibi quoddam satis nobis jucundum atque delectabile. Dum enim per prærupta, quæ collem dividunt a septentrione, Turcæ quidam subterfugere niterentur, nostris quibusdam obviaverunt; cumque Turcæ regredi compellerentur tanto impetu se affecerunt repulsi fugientes ut omnes pariter præcipitarentur. Gaudium quidem fuit nobis de præcipitatis hostibus, sed de equis plusquam trecentis inibi decollatis doluimus. Quanti autem de Sarracenis et de Turcis tunc perierunt, dicere nescimus; quam diversis mortibus, et quam variis ceciderunt, explicare crudele est. Quantum vero spoliorum est captum infra Antiochiam, non est nostrum dicere, nisi quod credite quantum vultis, et æstimate supra. Illi autem hostes qui castellum de medio colle servabant, videntes suorum necem, et nostros ab oppugnatione sui desistere, castellum suum retinuerunt. Cassienus autem egressus per posterulam quamdam, ab Armeniis rusticis captus et decapitatus, atque caput ejus nobis oblatum est; quod ineffabili Dei disposi-

tione actum credo, ut qui multos ejusdem gentis homines decollari fecerat. Capta est igitur civitas Antiochiæ tertio Nonas Junii, obsessa autem circiter undecimo Kalend. Novemb. Interea, dum nostri enumerando et recognoscendo spolia, ab oppugnatione superioris castri desisterent, atque audiendo saltatrices paganorum, splendide ac superbe epularentur, nullatenus Dei memores, qui tantum beneficium eis contulerat, post tertium diem in Nonis ejusdem mensis Junii a paganis obsessi sunt. Sicque actum est ut qui tandiu per Dei misericordiam Antiochenos Turcas obsederant, per ejus dispositionem a Turcis obsiderentur. Atque ut magis timeremus, castellum superius dictum, quod quasi civitatis custodia est, in manibus hostium erat : timore igitur coacti nostri, castelli obsidionem arripuerunt. Corbaras autem, Turcorum dominus, in principio adventus sui, sperans bellum illico futurum, longe a civitate, quasi per duo milliaria, tentoria sua fixit, atque ordinibus factis usque ad pontem civitatis pervenit. Nostri autem prima die castellum comitis munierunt, metuentes, si ad bellum procederent, ut ab hostibus qui in castello erant, civitas corriperetur, vel si castellum quod ante pontem erat desererent, et hostes illud occuparent, facultatem pugnandi, et aditum egrediendi nobis recluderent.

CAPUT XIII.

Erat autem in exercitu miles clarissimus, et charissimus omnibus, Rotgerius nomine de Barnevilla; hic, cum exercitum omnium revertentium inimicorum assequeretur, captus et capite truncatus est. Invasere igitur nostros dolor et timor, adeo ut usque ad desperationem evadendi multi ducerentur. Passi igitur Turcæ semel, et secundo repulsam pugnandi, tertia die castrum oppugnant, atque ibi tanta vi certatum est ut sola Dei virtus defendere castrum, et resistere adversariis crederetur. Namque cum jam transcendere vallum et diruere murum pararent, nescio unde, concepto timore, præcipites in fugam ruunt. Decurso itaque aliquantulo spatio, cum fugæ causam nullam conspicerent, tarditatem suam causantes ad oppugnationem redeunt; et, quasi satis facturi pro pudore habitæ fugæ, vehementius imminent, rursus diu vehementius pugnant. Itaque hostes ea die ad castra sua redeunt. Alia autem die, cum maximo apparatu ad castrum redire cœperunt, nostri vero castrum incendunt, atque mœnibus civitatis se intrudunt. Auctus itaque timor Francorum est, et hostium excrevit audacia; quippe qui nihil extra civitatem haberemus, et ab inimicis nostris, castellum, quod caput civitatis est, retineretur. Igitur confirmati Turcæ ingredi ad nos per castellum disposuerunt. Nostri autem loci opportunitate, et eminentia confisi, obviam hostibus contendunt, et primo impetu eos prosternunt; dumque imminentis belli obliviscuntur et prædæ inhiant, fœdissime in fugam vertuntur. Etenim plusquam centum homines in porta civitatis suffocati sunt; equi vero quam plures. Igitur ingressi castellum Turcæ, in civitatem deorsum descendere voluerunt. Erat enim vallis inter castellum ipsorum et montem nostrum, non magna quidem, et cisterna quædam erat in medio et modica planities. Nec erat descensus in civitatem, nisi per medium nostri montis. Quapropter omni intentione et omni virtute sua nos expugnare, et removere ab itinere suo in civitate nos contendunt, atque ibi tanta vi a mane usque ad vesperum pugnatum est ut nusquam simile audiatur. Contigit ibi quoddam nostris satis horrendum, atque hactenus inauditum, quod inter sagittarum grandinem, et saxorum atque telorum continuos impulsus, et inter mortes tantorum, nostri sopiebantur. Finem hujus pugnæ si quæritis, nox fuit. In nocte autem cum nostri Dei misericordiam sperare debuissent, multi desperare cœperunt, atque præcipites, per funes ab altitudine murorum dejiciebantur. Alii autem a bello discedentes in civitatem, communem omnium decapitationem venisse cunctis nuntiabant; et quo magis timeri poterat, dum alii alios adhortabantur ut viriliter resisterent, ipsi in fugam vertuntur.

CAPUT XIV.

Itaque, ut diximus, dum nostri conturbarentur, et in desperationem ruerent, divina eis clementia adfuit; et quæ lascivientes filios correxerat, nimium tristes tali modo consolatus est. Igitur cum capta esset civitas Antiochiæ, usus sua potentia et benignitate Dominus, pauperem quemdam rusticum elegit, Provincialem genere, per quem omnes nos confortavit, et comiti et Podiensi episcopo hæc verba mandavit : *Andreas Dei et Domini nostri Jesu Christi apostolus me quater olim admonuit, et jussit ut ad vos venirem, ac lanceam quæ Salvatoris latus aperuit, capta civitate, vobis redderem. Hodie autem cum ad pugnam profectus essem extra civitatem cum reliquis, atque comprehensus a duobus equitibus pene suffocatus in regressu fuissem; quasi exanimis illic super lapidem quemdam tristis recedi : cumque præ dolore et timore, sicut tristis titubarem, venit ante me beatus Andreas cum socio quodam, et multum mihi interminatus est, nisi cito vobis redderem lanceam.* Cumque ab eo comes et episcopus revelationis et visionis apostolicæ ordinem requirerent, respondit : *In principio terræ motus, qui apud Antiochiam factus est, cum exercitus Francorum obsideret eam, tantus timor me invasit ut nihil præter* Deus adjuva *dicere possem. Erat enim nox, et ego jacebam; nec in tugurio meo erat aliquis cujus consortio refoverer. Cum autem, ut dixi, concussio diutius duraret, et timor meus semper excresceret, coram me duo viri astiterunt, in veste clarissima; alter erat senior, rufo canoque capillo, oculi nigri, et convenientes faciei; barba vero cana, et lata atque prolixa; et statura ejus media : alter vero junior, et procerior erat, speciosus forma præ filiis hominum. Et ait mihi senior :* Quid agis? *Et ego maxime timui, quia nullum adesse sciebam. Et respondi :* **Quis es tu?** ***Et ait :***

Surge, et noli timere; et audi quæ ego loquar ad te. Ego sum Andreas apostolus. Congrega episcopum Podiensem, et comitem Sancti Ægidii, et Petrum Raimundum de Altopullo, et hæc dices ad illos : Cur negligit episcopus prædicare, et commonere, et cum cruce quam præfert signare populum? etenim multum prodesset illis. *Et addidit :* Veni, et ostendam tibi Patris nostri Jesu Christi lanceam, quam comiti donabis, etenim eam Deus concessit illi, ex quo genitus est. *Surrexi itaque, et secutus sum eum in civitatem nullo circumdatus amictu, præter camisiam. Et induxit me in ecclesiam beati Petri per Septemtrionalem portam, quam antea Sarraceni Bafumariam fecerant. In ecclesia vero duæ lampades erant, quæ tantum lumen ibi reddebant, ac si meridies illuxisset : Et dixit mihi :* Exspecta hic. *Et jussit me assistere columnæ, quæ proxima erat gradibus, quibus ascendebatur ad altare a meridie : et socius ejus a longe stetit, ante gradus altaris. Ingressus autem sub terram sanctus Andreas, produxit lanceam, atque in manibus mihi tradidit, et dixit mihi :* Ecce lancea quæ latus aperuit, unde totius mundi salus emanavit. *Dumque in manibus eam tenerem, lacrymando præ gaudio, dixi ei :* Domine, si vis portabo eam, et reddam comiti. *Et dixit mihi :* Sine modo, futurum enim ut civitas capiatur. Et tunc venies cum duodecim viris, et quæres eam hic, unde ego abstraxi, et ubi eam recondam. *Et recondidit eam. His ita peractis, super murum civitatis reduxit me in domum meam, et sic a me recesserunt. Tunc ego mecum recogitans, et paupertatis meæ habitum, et vestram magnitudinem, veritus sum ad vos accedere. Post illud tempus cum profectus essem ad quoddam castrum, quod est juxta Rojam, propter alimoniam, prima die Quadragesimæ in galli cantu, adfuit mihi beatus Andreas in eodem habitu, et cum eo quo prius venerat socio ; et magna claritas domum replevit. Et ait beatus Andreas :* Vigilasne? *Sic expergefactus, respondi :* Non, domine mi, non dormio : *et ait mihi :* Dixisti ea quæ dudum tibi dicenda mandavi? *Et respondi :* Domine, nonne precatus sum vos, ut alium eis mitteretis? Etenim metuens paupertati meæ, accedere ad illos dubitavi. *Et dixit mihi :* Nescisne cur Deus huc vos adduxit, et quantum vos diligat, et quomodo vos præcipue elegit. Pro contemptu sui et suorum vindicta, vos huc venire fecit. Diligit vos adeo ut sancti, jam in requie positi, divinæ dispositionis gratiam prænoscentes, in carne esse, et concertare vobiscum vellent. Elegit vos Deus, ex omnibus gentibus, sicut triticeæ spicæ de avenaria colliguntur. Etenim meritis et gratia præceditis omnes, qui ante et post vos venient, sicut aurum pretio præcedit argentum. *Post hæc discesserunt, et me tanta ægritudo oppressit ut lumen oculorum perderem; et dispositionem tenuissimæ paupertatis meæ facerem. Tunc ego cœpi mecum cogitare quod, ob negligentiam apostolicæ visionis, hæc juste mihi contingerent. Confortatus itaque, ad obsidionem reversus sum. Rursus, paupertatis meæ debilitatem recogitans, timere cœpi, si ad vos venirem, famelicum me esse, et pro victu talia referre me proclamaretis. Itaque et ea vice conticui. Defluente itaque tempore, cum apud portum Sancti Simeonis essem; atque cum domino meo Willelmo Petri, infra tentorium una recubarem, adfuit beatus Andreas cum socio, et habitu eodem quo prius venerat, atque sic mihi locutus est :* Cur non dixisti comiti et episcopo, et aliis, quæ ego præceperam tibi? *Et respondi :* Nonne ego precatus sum te; domine, ut alium pro me mitteres, qui et sapientior esset; et quem vellent audire : præterea Turcæ sunt in itinere, qui venientes et abeuntes interficiunt. *Et ait sanctus Andreas :* Noli timere, quia nihil tibi nocebunt. Hæc quoque dices comiti, cum venerit ad Jordanem fluvium, non intinguatur ibi, sed navigio transeat; cum autem transierit, camisia et braccis lineis indutus, de flumine aspergatur. Et postquam siccata fuerint ejus vestimenta, reponat ea; et conservet ea cum lancea Domini. *Et hæc dominus meus Willelmus Petri audivit, licet non videret apostolum. Confortatus igitur, ad exercitum reversus sum. Cumque vobis hæc pariter dicere vellem, coadunare vos non potui. Itaque profectus sum ad portum de Mamista. Ibi vero cum navigare in Cyprum insulam pro victualibus vellem, comminatus est mihi multum beatus Andreas, nisi cito redirem, et vobis injuncta mihi referrem. Cumque cogitarem mecum quomodo reverterer ad castra, aberat enim portus ille ab exercitu quasi per tres dies, amarissime flere cœpi, cum redeundi facultatem reperire non possem. Tandem a sociis et domino meo commonitus, navigium ingressus in Cyprum remigrare cœpimus. Et cum per totam diem remis et prosperis ventis ageremur, usque ad solis occasum, orta subito tempestate, in spatio unius horæ vel duarum ad relictum portum reversi sumus. Ibi languorem gravissimum incurri. Capta autem civitate, ad vos veni. Et nunc si vobis placet, experimini quæ dico.* Episcopus autem nihil esse, præter verba putavit : Comes vero illico credidit, et illum qui hoc dixerat capellano suo Raimundo, custodiendum tradidit.

CAPUT XV.

Apparuit in ipsa nocte, quæ secuta est, Dominus noster Jesus Christus cuidam sacerdoti, nomine Stephano, lacrymanti pro interitu suo et sociorum, quem futurum illico sperabat. Etenim terruerant eum quidam, qui de castello descenderant, dicentes Turcos jam descendere de monte in civitatem, atque nostros fugere, et victos esse. Propterea sacerdos volens habere Deum mortis suæ testem, ingressus ecclesiam beatæ semper virginis Mariæ, habita confessione, et sumpta venia, cum quibusdam sociis psalmos cantare cœpit, dormientibusque aliis cum solus vigilaret, atque cum dixisset : *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo* (*Psal.* XIV, 1). Stetit coram eo vir quidam, ultra omnem speciem, habens pulchritudinem, et dixit ei : *Homo, quænam est hæc gens, quæ civitatem ingressa est?* Et ait presbyter : *Christiani.*

Et ille dixit : *Cujusmodi Christiani?* Et sacerdos, *Qui credunt Christum de Virgine natum, et in cruce passum, mortuum, et sepultum; et resurrexisse tertia die, atque in cœlum ascendisse.* Et dixit vir ille : *Et si Christiani sunt, cur paganorum multitudinem verentur?* Et addidit : *Agnoscisne me?* Et presbyter respondit : *Non agnosco te, domine, nisi quod pulcherrimum omnium video te.* Et ait vir : *Diligentissime intuere me.* Cumque in eum perspicaciter sacerdodos intenderet, de capite ejus, speciem crucis sole multo clariorem procedere vidit. Et ait presbyter viro interroganti de se : *Domine, imagines Domini nostri Jesu Christi esse dicimus, quæ similem tibi speciem præferunt.* Et dixit illi Dominus : *Bene dixisti, quia ego sum. Nonne scriptum est de me quia sum « Dominus fortis et potens; Dominus potens in prælio? »* (*Psal.* XXIII, 8.) *Et quis est Dominus in exercitu?* Et respondit presbyter : *Domine, non fuit ibi unus solus Dominus unquam, sed magis episcopo credunt.* Et dixit Dominus : *Hæc dices episcopo : Populus iste male agendo me elongavit a se, et ideo dicas eis :* Hæc dicit Dominus, *Convertimini ad me et ego revertar ad vos.* Et cum pugnam inierint, dicant : *Congregati sunt inimici nostri; et gloriantur in virtute sua, contere fortitudinem illorum, Domine, et disperge illos, quia non est alius qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus noster.* Et hæc quoque dices ad eos : *Si feceritis, quæ ego præcipio vobis, usque ad quinque dies, vestri miserebor.* Hæc autem eo dicente, mulier quædam supra modum inflammati vultus accessit. Et intuita Dominum, dixit ei : *Domine, et quid huic viro dicitis?* et Dominus ad illam : *Domina, quære ab eo de hac gente, quæ in civitate ingressa est, quæ sit.* Et ait Domina : *O Domine mi, hi sunt pro quibus ego tantum te rogo.* Cumque sacerdos suum socium qui prope dormiebat pulsaret, ut tantæ visionis testem habere potuisset, ab oculis ejus sublati sunt. Mane autem facto in montem sacerdos ascendit, ubi principes nostri morabantur, contra Turcarum castellum, præter ducem, ille enim castellum quod erat in septentrionali colle servabat. Convocata itaque sacerdos concione, habuit hæc verba ad nostros principes, atque ut verum esse monstraret, super crucem juravit. Incredulis autem satisfacere volens, vel transire per ignem, vel præcipitare se de altitudine turris voluit. Tunc juraverunt principes, quod de Antiochia non fugerent, neque egrederentur, nisi de communi consilio omnium : etenim populus ea tempestate existimabat quod principes vellent fugere ad portum. Confortati sunt itaque multi. Etenim in nocte præterita pauci steterunt in fide, qui fugere non voluissent. Quod nisi episcopus et Boimundus portas civitatis reclusissent, admodum pauci remansissent. Fugit tamen Wilelmus de Granduna, simul et frater ejus, et multi alii, laici et clerici. Multis autem contigit ut, cum de civitate cum maximo periculo evasissent, in manus Turcarum majus periculum mortis incurrebant. Contigerunt eo tempore nobis plurimæ revelationes per fratres nostros, et signum in cœlo mirabile vidimus. Nam stella quædam maxima, per noctem super civitatem stetit, quæ post paululum in tres partes divisa est, atque in Turcorum partes occidit. Confortati igitur aliquantulum nostri, diem quintum, quem prædixerat sacerdos, exspectabant. Die autem alia, præparatis necessariis, cum homine illo, qui de lancea dixerat, ejectis de ecclesia Beati Petri omnibus aliis, fodere cœpimus. Fuit autem in illis duodecim viris, episcopus Aurasicensis, et Raimundus comitis capellanus, qui hæc scripsit, et ipse comes, et Pontius de Baladuno, et Faraldus de Thoart. Cumque mane usque ad vesperum fodissent, in vespere quidam de inventione lanceæ desperare cœperunt. Discesserat enim comes propter castelli custodiam; sed loco illius et aliorum, qui fodiendo fatigabantur, alios recentes inducebamus, qui viriliter operi insisterent. Videns autem juvenis qui de lancea dixerat, nos defatigari, discinctus, et discalceatis pedibus in camisia in foveam descendit; atque obtestatus est nos ut Deum deprecaremur, quatenus nobis lanceam suam redderet, in confortationem et victoriam suæ plebis. Tandem per gratiam suæ pietatis commonitus Dominus lanceam suam nobis ostendit. Et ego qui hæc scripsi, cum solus mucro, adhuc appareret super terram, osculatus sum eum. Quantum gaudium et exsultatio tunc civitatem replevit, non possum dicere. Inventa est autem lancea octavo decimo Kalend. Julii.

CAPUT XVI.

Secunda vero nocte astitit beatus Andreas juveni, per quem nobis lanceam reddiderat, et dixit ei : *Ecce Deus donavit comiti quod nulli alii unquam donare voluit, et constituit eum vexillifcrum istius exercitus si quidem perseveraverit in amore ejus.* Cumque ab eo misericordiam pro populo postularet juvenis, respondit ei sanctus Andreas *quod revera Dominus misereretur populi sui.* Et rursus cum quæreret ab eodem de socio suo quis esset quem toties viderat, dixit ei B. Andreas : *Accede et osculare pedem ejus.* Festinus itaque volens accedere, vidit plagam unam super pedem ejus ita recentem, et sanguinolentam, ac si modo facta fuisset. Cum autem dubitaret accedere propter vulnus et sanguinem, sanctus Andreas ait : *Ecce ille Pater qui pro nobis vulneratus fuit in cruce, et hæc inde plaga. Hæc etiam Dominus præcipit ut celebrem habeatis diem illum, in quo lanceam suam vobis reddidit. Et quia in vespera reperta est, et non potuit dies illa celebris haberi, sequenti hebdomada in octavis, solemnitatem celebrabitis; et singulis annis deinceps in die inventionis ipsius lanceæ. Hæc quoque dices ad illos, ut contineant se sicut Epistola docet fratris mei Petri, quæ hodie legitur.* Et Epistola fuit hæc : *Humiliamini sub potenti manu Dei* (*I Pet.* v, 6). Et quotidie clerici ante lanceam cantent hunc hymnum. *Lustra sex qui jam peracta.* Et cum dixerint : *Agnus in crucis levatur immolandus stipite,* flexis genibus, hymnum finiant. Cum autem ad hæc episcopus Au-

rasicensis, et ego quæreremus *si sciret litteras*, respondit : *Nescio :* Existimans, si diceret *scio*, non crederemus ei. Et erat aliquantulum sciens, sed in ipsa hora ita ignoravit ut nec litteras cognosceret; neque aliquid eorum quæ litteris didicerat memor esset, exceptis, *Pater noster;* et, *Credo in Deum*, et, *Magnificat ;* et, *Gloria in excelsis Deo;* et, *Benedictus Dominus Deus Israel.* Cætera enim ita perdiderat, ac si nunquam ea audisset : et licet cum maximo labore, pauca postea recuperare potuit. Inter hæc autem tanta fames in civitate fuit, ut, excepta lingua, caput equinum duobus vel tribus solidis venderetur; intestina vero capræ, quinque solidis; gallina, octo vel novem solidis. De pane quid dicam, cum quinque solidi non sufficerent ad pellendam famem unius? Nec erat mirum, nec grave esse poterat his qui tam care mercabantur, cum auro et argento et palliis abundarent. Hæc autem ideo cara erant, quia conscientiæ militum audacia carebant. Ficus autem immaturas ab arboribus decerpebant; atque coctas charissime vendebant. Coria vero boum et equorum, et alia neglecta ex longo tempore illa similiter diu cocta, charissime vendebantur, adeo ut duas solidatas quilibet comedere posset. Plerique milites sanguine suorum equorum vivebant, et exspectantes Dei misericordiam, nolebant eos adhuc occidere. Hæc autem et alia multa mala obsessis imminebant, quæ enumerare difficile est. Accedebat etiam aliud satis grave, quod quidam de nostris ad Turcos fugiebant, et miseriam quæ erat in civitate eos docebant. His autem atque aliis rebus Turcæ audaces effecti, vehementissime nobis imminebant. Die autem quadam media, in turrem unam de nostris ascenderant circiter triginta Turci, qui nostros satis exhorruerunt. Tamen nostri pro periculo certantes Dei adjutorio, alios occiderunt, alios præcipitari coegerunt. Ob hanc igitur causam, omnes Boimundo obedientiam promiserunt, usque ad quindecim dies post bellum, ut de custodia civitatis, et de bello ipse disponeret. Nam comes valde infirmabatur, et episcopus. Stephanus autem comes, quem ante captam civitatem pro dictatore alii principes elegerant, audiens famam belli, aufugerat. Sicut diximus, ita nostris devictis, et depressis, et angustiatis, cœleste auxilium adfuit. Et quomodo ante bellum et in bello agere debemus, B. Andreas per juvenem illum qui de lancea dixerat, edocuit. *Offendistis*, inquit, *omnes graviter, et ideo humiliati estis : et clamastis ad Dominum, et exaudivit nos Dominus. Et nunc pro suis offensis unusquisque se Domino committat*, et quinque eleemoynas faciat, *propter quinque plagas Domini. Quod si hæc nequiverit, quinquies dicat*, Pater noster, etc. *His ita peractis, in ea sententia qua conveniant principes de bello, incipite in nomine Domini, per diem sive per noctem, quia manus Domini erit vobiscum. Si quis autem de victoria dubitat, aperiantur ei portæ, et vadat ad Turcas, et videbit quomodo Deus illorum, salvum faciet illum. Si autem pugnare aliquis recusaverit, sit cum Juda proditore Domini, qui apostolos deseruit, et Dominum suum Judæis vendidit. Pugnent vero in fide beati Petri, tenentes quod Christus sibi promisit, quod post tertium diem resurgeret, et ei appareret; ei pro hac etiam causa, quod hæc terra juris B. Petri sit, et non paganorum. Et sit signum clamoris vestri*, Deus adjuva, *et revera Deus adjuvabit vos : Omnes etiam fratres vestri qui obierunt, ab incepto itinere, aderunt vobiscum in hac pugna, et vos expugnate decimam partem hostium, quia ipsi in virtute Dei, novem partes expugnabunt. Et ne differatis de bello. Quoniam* [subaud', *si non egeritis quæ dico*] *totidem hostes ab altero latere adducet Dominus, quot habetis ab uno : et tandiu vos hic tenebit inclusos, donec alii comedant alios. Sed scitote profecto quia advenerunt dies illi, quos promisit Dominus beatæ semper virgini Mariæ, et apostolis suis, quod elevaret regnum Christianorum, dejecto et conculcato paganorum regno. Ad tentoria eorum propter aurum et argentum ne divertatis.*

CAPUT XVII.

Statuit tunc Dei potentia ut qui nobis per apostolum suum supra dicta prædicari jussit, corda omnium adeo confortavit ut fide et spe jam se triumphasse quisque de hostibus suis videretur. Adhortabantur alii alios, et adhortando vires pugnandi resumebant. Vulgus etiam, quod diebus præteritis inopia atque formidine consumptum esse videbatur, principibus modo conviciabatur, de belli dilatione. Constituta autem die ad pugnam, miserunt nostri Petrum Eremitam ad Corbaran ducem Turcorum, ut *desisteret ab oppugnatione civitatis, quæ juris erat beati Petri et Christianorum.* Respondit ille superbus *quia jure vel injuria Francos et civitatem habere volebat.* Atque Petrum Eremitam inclinare nolentem supplicare sibi coegit. Quæsitum est, eo tempore, quis civitatem custodiret contra illos qui in castello erant, dum alii ad pugnam progrederentur. Et fecerunt in colle montis nostri, contra hostes murum calceum et propugnacula; et munierunt hæc multis petrariis, et dimiserunt ibi Raimundum comitem qui usque ad mortem infirmabatur, et viros usque ducentos. Ventum erat ad diem pugnæ. Mane communicaverunt omnes, et se Deo dederunt, vel ad mortem, si vellet, vel ad decus Romanæ Ecclesiæ et gentis Francorum. Constituerunt autem de bello sic ut de gente comitis et episcopi fierent duo ordines duplices, ut pedites præirent militibus, et pro imperio principum irent et starent, et milites sequerentur eos atque a tergo custodirent. De gente Boimundi et Tancredi, similiter; de gente comitis Northmanniæ et Francigenis, similiter; de gente ducis et Burgundionibus, similiter. Ibant autem præcones per civitatem clamantes, ut quisque homo principibus de sua gente adhæreret. Mandatum est etiam ut Hugo Magnus et comes Flandrensis, et Northmanniæ comes, primi ad bella procederent, deinde dux; post ducem episcopus, deinde sequeretur eos Boimundus. Congregati sunt ergo unusquisque ad signum et cognationem

suam, infra civitatem ante portam pontis. *O quam beata gens, cujus est Dominus Deus ejus!* (*Psal.* XXXII, CXLIII.) *O quam beatus populus, quem Deus elegit!* (*Psal.* XXXII.) O quam immutatam faciem hujus exercitus, a tristitia in alacritatem! Cujus quippe, præteritis diebus, ibant per plateas civitatis, Dei auxilium appellantes ad Ecclesias, principes et nobiles, et ii qui erant de populo nudis pedibus lacrymantes, et pectora sua percutientes, adeo tristes ut pater filium obvium non resalutaret, neque respiceret, neque frater fratrem. Modo vero cerneres eos alacres equos emittere, excutere arma et vibrare hastas, nec posse pati quietem, quin dictu vel opere, aliquid jocundum facerent vel dicerent. Sed cur pluribus moror? Concessa est illis egrediendi potestas, et quæ a principibus consulta fuerant, ordine complentur. Inter hæc dux Turcorum Corbaras, infra tentorium suum schaccis ludebat, et accepto nuntio quod Franci ad pugnam progrederentur, turbatus animo, quod præter spem hæc audiebat, appellavit quemdam Turcum, nomine Miredalin qui de Antiochia aufugerat, nobilem et nobis notum per militiam suam, et dixit ei : *Quid est hoc? Nonne tu mihi dixisti quia Franci erant pauci, et nunquam mecum pugnarent?* Et respondit ei Miredalin : *Non dixi quod non pugnarent, sed veni, et videbo eos, et dicam tibi si poteris eos facile superare.* Etiam tertius ordo progrediebatur : Cumque vidisset ordinum dispositiones, Miredalin dixit ad Corbaram : *Occidi quidem possunt isti, sed verti in fugam nequeunt.* Et tunc Corbaras illi : *Nulli eorum propelli aliquatenus possunt?* Et respondit Miredalin : *Non quantum planta pedis habet cedent, si omne genus paganorum eis incurrat.* Tunc ille, licet turbatus, ordines multos et multiplices, instruit adversum nos. Et cum primo potuissent exitum nobis prohibere, pacifice exire permittebant. Nostri tamen acies suas versus montana dirigebant, cavantes ne nos incingerent a tergo. Erant autem montana longe a ponte, quasi duobus magnis milliaribus. Procedebamus ita spatiosi, sicut in processionibus clerici pergere solent; et revera nobis processio erat. Etenim sacerdotes et multi monachi, induti albis stolis, ante acies militum nostrorum, pergebant, Dei adjutorium et sanctorum patrocinia invocando cantantes. At contra hostes nobis incurrere volebant et sagittabant. Mandavit etiam Corbaras ad principes nostros : Paratus erat facere modo quod nuper abnegavit, ut *quinque vel decem Turci pugnarent cum totidem Francis, et quorum milites vincerentur, pacifice aliis cederent.* Responderunt ad hæc nostri : *Noluistis, cum hoc voluimus, nunc autem quia paravivimus nos ad pugnam, decertent singuli pro suo jure.* Cumque, ut diximus, planitiem totam occupavissemus, quædam pars Turcorum post nos remansit, atque peditibus nostris incurrit; pedites vero illi, facto gyro, impetum hostium viriliter sustinuerunt. Cumque Turci nullo modo eos propellere possent, ignem circa eos accenderunt, ut qui gladios non formidabant, saltem ab igne corriperentur. Itaque

A cedere eos compulerunt; habebat enim locus ille fenum multum et siccum. Egressis itaque ordinibus, stabant sacerdotes nudis pedibus et induti sacerdotalibus vestimentis supra muros civitatis, Deum invocantes ut populum suum defenderet, atque testamentum quod sanguine suo sancivit, in hoc bello per victoriam Francorum, testificaretur. In hoc autem spatio quod processimus a ponte usque ad montana, maxime laboravimus propter hoc quod ipsi hostes nos volebant accingere. Inter hæc, licet majores hostium ordines, nobis qui in turma episcopi eramus incumberent, tamen per præsidium Dominicæ lanceæ, quæ ibi erat, nullum ibi vulneraverunt, sed neque sagittam nobis intorserunt. Vidi ego hæc
B quæ loquor, et Dominicam lanceam ibi ferebam. Quod si quis Heraclium vicecomitem, vexilliferum episcopi, in hoc bello vulneratum fuisse dicat, sciat quod et vexillum suum alii tradiderat, et ordinem nostrum longe reliquerat. Ut vero omnes viri bellatores de civitate egressi sunt, apparuerunt quinque aliæ acies inter nos. Etenim, ut jam dictum est, octo acies nostri principes tantum constituerant, et tredecim ordines extra civitatem fuerunt. Hoc unum valde memorabile non prætereamus : In principio egressionis nostræ ad pugnam, imbrem divinum super omnem exercitum suum misit Dominus, parvum, sed tam gratum quo qui tactus est, omni gratia repletus et fortitudine, et hostes contemnebat,
C et quasi in deliciis regiis semper enutritus exsiliebat : Non minus hoc idem mirabile, equis nostris etiam contigit. Cui enim defecit equus suus, nisi peracta pugna etiamsi non gustaverit aliquid præter cortices et folia arborum per septem dies? Multiplicavit insuper adeo Dominus exercitum nostrum ut qui ante pugnam pauciores eramus quam hostes, in bello plures eis fuimus. Itaque, nostris progressis et dispositis, non licuit nobis committere pugnam, quoniam ipsi versi sunt in fugam. Persecuti sunt eos nostri, usque ad occasum solis. Operabatur ibi mirabiliter Dominus tam in viris quam in equis nostris; quippe viri, avaritia a bello non revocabantur, et illi equi famelici, quos vix domini sui, in prælium pascendo deduxerant, levissime equos Tur-
D carum, pingues et currentissimos, modo consequebantur. Nec hoc solum gaudium voluit nos habere Dominus. Etenim Turcæ qui castellum de civitate munierant, videntes suorum præcipitem fugam, desperantes, alii tantum pacti vitam se nostris reddiderunt, alii præcipites fugerunt. Et licet bellum hoc tam atrox atque timidum esset, tamen pauci milites de hostibus ibi ceciderunt, sed de peditibus eorum vix aliquis evasit. Omnia autem tentoria eorum capta sunt, et auri et argenti multum, et spoliorum plurimum; annonæ vero et pecorum ac camelorum, sine mensura et numero. Renovatumque est nobis illud Samariæ, de mensura similaginis et hordei, quæ pro statere accipiebantur. Facta sunt autem hæc in vigilia apostolorum Petri et Pauli, quibus in-

tercessoribus Jesus Christus Dominus noster, contulit hanc victoriam peregrinæ Ecclesiæ Francorum, *qui vivit et manet cum servis suis, propitius Deus per omnia sæcula sæculorum*, Amen.

CAPUT XVIII.

Factum est autem post victoriam, quod principes nostri, Boimundus, et comes, et dux et Flandrensis comes, communiter castrum civitatis receperunt, sed Boimundus altiores turres suscepit, jam tunc concipiens dolorem, qui protulit iniquitatem. Etenim consequenter homines ducis, et Flandrensis, et comitis Sancti Ægidii, violenter de castello expulit, dicens se jurasse illi Turco, qui civitatem reddidit, quod ipse solus haberet eam. Ob hoc etiam, quia impune id commiserat, castella civitatis, et portas quas comes et episcopus et dux, ex tempore quo obsessi fueramus servaverant, requirere cœpit. Concesserunt ei omnes præter comitem. Ille enim, licet infirmus esset, tamen portam pontis, nec prece, nec promissis, nec minis dimittere voluit. Nec solum principes nostros eo tempore discordia concussit, verum etiam populi gratiam ita dissolvit ut pauci essent, qui non cum sociis vel domesticis suis, de furti, vel rapinæ causis concertarent. Nec in civitate judex aliquis erat qui posset vel vellet dirimere causas, sed quantum quisque poterat, eo modus injuriæ venit. Comes autem et episcopus valde infirmabantur, nec tueri eos ab injuria poterant. Sed quid moram in his agimus? Quippe nostri otio et divitiis remissi, de itinere propter quod venerant, usque in Kal. Novemb. contra Dei præceptum, distulerunt. Etenim eo tempore, ita territæ atque confectæ timore Sarracenorum civitates in fuga Turcorum fuerunt, ut si tunc equitassent nostri Franci, non esset usque in Hierusalem civitas, quæ lapidem, ut nos credimus, eis eremitteret. Interea dominus Adamarus episcopus Podiensis, dilectus Deo et hominibus, vir per omnia omnibus charus, die Kal. Aug. in pace migravit ad Dominum. Tantusque luctus omnium Christianorum ibi morantium in morte ejus fuit ut nos qui vidimus, cum pro magnitudine rerum scribere curavissemus, comprehendere aliquatenus nequissemus. Quam utilis autem Dei exercitui et principibus fuerat, post mortem ejus manifestum fuit, cum inter se divisi principes, Boimundus in Romaniam est regressus, et dux Lotharingiæ versus Roais profectus est. Sepulto igitur episcopo in ecclesiæ Beati Petri Antiochiæ, secunda nocte astitit Dominus Jesus, cum beato Andrea et ipso eodem episcopo, Petro illi Bartholomæo qui de lancea dixerat, in capella comitis, ubi lancea Domini erat. Et locutus est ei episcopus dicens : *Gratias Deo, et omnibus fratribus meis, et Boimundo, qui me de inferno liberaverunt. Etenim peccavi graviter postquam Domini lancea reperta est. Ob hoc itaque in infernum deductus sum atque ibi flagellatus acerrime; et caput meum et facies combusta sunt, sicut videre potes. Fuit autem ibi anima mea, ab hora qua de corpore egressa est, donec corpusculum meum pulveri traditum est. Reddidit mihi Dominus, inter ipsa flammarum incendia, vestimentum quod vides, quia cum episcopatus ordinem suscepi, illud pro Deo cuidam pauperi tribui. Et licet exæstuaret gehenna, et insanirent adversum me ministri tartarei, nihil tamen subtus lædere potuerunt. Tamen nihil de omnibus, quæ de patria mea detuli, adeo mihi profuit sicut hæc candela, quam amici mei hic pro me obtulerunt; et illi tres denarii, quos ego lanceæ obtuli. Hæc etenim me refecerunt, cum usque ad mortem esuriens de inferno progrederer. Dominus meus Boimundus dixit, quod corpus meum in Jerusalem portaret. Sit illi pro gratia sua ne me moveat, quia de sanguine Domini adhuc ibi est, cui me sociavit. Sed si dubitat de his quæ tibi dico, aperiat sepulcrum meum, et caput et faciem meam videbit perustam. Domino meo comiti familiam meam commisi; benefaciat ei, ut Deus faciat secum misericordiam, et adimpleat quæ illi promisit. Et ne doleant fratres mei si ego vitam finivi, quoniam nunquam tantum eis profui quantum prodero, si præcepta Dei servare voluerint. Etenim cum illis habitabo, et omnes fratres mei qui vitam, ut ego, finierunt; et eis apparebo et multo melius consolabor eos quam hactenus. Et vos, fratres mei, estote memores pœnarum inferni, quæ tam graves et horrendæ sunt. Servite itaque Domino, qui vos liberare potest de his, atque aliis malis. Et, o quam bene natus, qui inferni pœnas ignorabit. Poterit hoc illis conferre Salvator, qui præcepta ejus servaverint. Quod superaverit de hac candela in mane, conserva. Et eligat comes, cum quibus ipse voluerit, episcopum loco mei, quoniam non est justum, ut si ego defunctus sum, beata semper virgo Maria episcopum non habeat. Unum de palliis meis donate ad ecclesiam beati Andreæ.* Et beatus Andreas supplicavit ei. Post hæc beatus Andreas assistens propius, taliter locutus est : *Audiant omnes, quid per me loquitur Deus, dicens : Memor esto, comes, illius doni, quod tibi tradidit Dominus; quæ operaris, in nomine ejus operare, ut Dominus facta et dicta tua dirigat, et orationes tuas exaudiat. Primum donum quod vobis contulit Dominus, scilicet Nicæam, est aversa ab eo; Dominus donavit vobis civitatem hanc, et abstulit eam inimicis vestris, et postea non fuit ibi cognitus. Et si aliquis ibi invocavit nomen Domini, flagellatus fuit, et opera Domini non fuerunt ibi facta. Sed propter bonitatem suam noluit vos derelinquere Dominus, quin concederet ea vobis quæ petiistis, et plus etiam quam quærere ausi estis. Ille enim lanceam contulit vobis, quæ corpus suum plagavit, unde sanguis nostræ redemptionis efluxit. Et non donavit vobis ita facere de hac civitate, sicut de altera fecistis : et videre potestis quia pro meritis vestris, non donavit eam vobis Dominus. Mandat tibi Dominus, o comes, ut sapias qui se dominum hujus civitatis voluerit facere super alios, et quære ab eo quale dominium voluerit portare propter Dominum. Quod si tu et alii fratres tui, quibus Deus dedit hanc civitatem, cognoveritis quod fidelis sit, et*

justitiam tenere vel facere voluerit, habeat : Et si judicium vel justitiam tenere vel facere noluerit, sed per potestatem suam vult tenere civitatem, tu per te et per fratres tuos postula a Deo consilium, et dabit tibi Deus. Et illi homines qui viam rectam tenent, vel Deum diligunt, tibi non deficient. Illi autem qui viam rectam tenere nolunt, revertantur ad illum qui voluit tenere justitiam; et videbunt quomodo Deus salvabit illos. Sed habebunt maledictionem, ex parte Dei et matris ejus, illam quam habuit Lucifer cum de cœlo cecidit. Et vos, si unanimes estis, postulate consilium in oratione, et Deus dabit vobis. Et si concordia sit inter vos, tenete consilium de patriarcha, qui sit de lege vestra. Illos autem homines qui de captivitate ad vos venerunt, ut legem vestram tenerent, nolite solvere eos; sed et illos qui ambulaverunt in Corrozanam, ut deum Turcorum adorarent, nolite recipere eos, sed habete sicut Turcos, et mittite duos vel tres ex his in carcerem, et ipsi demonstrabunt vobis alios. Postquam ista a vobis fuerint acta, petite a Domino consilium de via pro qua venistis, et ille bene consulet vobis. Jerusalem est prope vos decem dies, et si non vultis tenere supradicta, de decem annis, non ibitis in Jerusalem. Et post decem annos, reducam infideles in honore, et centum de illis prævalebunt adversus mille de vobis. Et vos, homines Christi, petite a Domino petitionem quam apostoli petierunt; sicut et illis donavit, ita et vobis nunc donabit. Comes et Boimundus, ite ad ecclesiam Beati Andreæ, et ille donabit vobis optimum consilium apud Deum. Et quod in corde vestro posuerit Deus, illud facite. Et postquam visitavit vos beatus Andreas, visitate illum; et facite ut fratres vestri visitent illum. Inter vos, comes et Boimundus, sit concordia et dilectio Dei et proximi. Et si bene vos concordaveritis, nulla res poterit vos dissipare. Primam justitiam, quam debetis facere, decet demonstrare. Sicut sunt homines de singulis episcopiis suis, profiteantur divitias suas; et adjuvent pauperes de patria sua, prout poterunt, et necesse fuerit. Alias autem, sicut concordaveritis, facite. Quod si hanc, et alias justitias tenere noluerint, vos eos constringite. Et si aliquis aliam civitatem tenere voluerit, de his quas dabit vobis Deus, secundum suprascripta facite ut se contineat : Si autem facere noluerit, comes cum filiis Dei eum flagellet. Hæc vero primum credita, deinde oblita sunt; etenim alii dicebant: Reddamus civitatem imperatori; alii autem non. Atque sic per hujusmodi discordias et seditiones, res pauperum annullatæ sunt. De consilio autem quod apud Sanctum Andream accipere principes debuerunt, nihil fuit.

CAPUT XIX.

Inter hæc Turci de Calep, quoddam castrum obsederunt. Afflicti igitur Turci qui intus erant, mandaverunt duci, qui in illis regionibus erat, ut castrum ipsorum reciperet, quia deinceps, non alium nisi de genere Francorum dominum habere volebant. Ob hoc itaque dux Antiochiam reversus, comitem, qui jam convaluerat ex infirmitate, et milites et pedites suos omnes pro causa pauperum in unum evocaverat, ut in Hispaniam deprædatum eos deduceret, multum rogavit, ut Turcis qui Deum reclamabant, pro Deo et pro gloria gentis Francorum, atque pro se succurreret, addens quod contra machinas obsidentium Turcorum, obsessi Turci crucem prætenderent. His atque aliis hujusmodi precibus, cum duce comes profectus est. Hæc autem ubi a Turcis cognita sunt, ab obsidione discedunt. Ut vero ad Asa exercitus noster pervenit, sucepit dux obsides de castello pro fidelitate deinceps, et comes cum grandi dispendio sui exercitus, Antiochiam reversus est. Rursus comes congregavit milites suos, ut plebem pauperum in Hispaniam conducerent, quæ fame et tædio Antiochiæ deficiebat. Apparuit autem sanctus Andreas Petro Bartholomæo, eo tempore apud Rodiam, infra tentorium, ubi manebat episcopus Atensis, et capellanus comitis Raimundus, et alius capellanus, nomine *Simon*. Hic autem Simon audiens eos colloquentes sibi, scilicet sanctum Andream cum Petro Bartholomæo, caput suum cooperuit, et ut ipse retulit, plurima audivit, sed hoc solum retinuit : *Domine, ego dicam*, episcopus Atensis ait : *Nescio utrum in somnis fuerit annon. Quidam senex stetit coram me, indutus stola alba, atque in manibus suis Dominicam lanceam tenens*, ait mihi : *Credis hanc lanceam esse Jesu Christi ?* et respondi : *Credo, Domine.* Idque cum sic secundo et tertio idem quæsisset a me, dixi : *Revera credo, domine, hanc esse lanceam, quæ sanguinem de latere Domini nostri Jesu Christi eduxit, unde omnes redempti sumus.* Et post hæc cum impetu me Raimundum, qui prope dormiebam, excitavit. Ego autem Raimundus, cum evigilassem, splendorem quidem insolitum vidi, et quasi quamdam gratiam animo concipiens, ab eis, qui aderant, quærere cœpi utrum quiddam, quasi plebis tumultuationem, sentirent. Et cœperunt omnes alii dicere : *Minime.* Ille vero Petrus, cui hæc revelatio facta fuerat, cum ad invicem ea quæ supra diximus quæreremus, respondit : *Et merito gratificum splendorem hic conspicitis, cum ille Pater diutius hic steterit, a quo omnis gratia procedit.* Cum autem ab eo quæreremus, ut quæ sibi dicta fuerant nobis manifestaret, hæc comiti et nobis dixit : *Hac nocte venit hic dominus et beatus Andreas in specie qua prius venire soliti sunt, et tertius quidam, cujus statura erat parva, indutus lineis, et barba longissima. Et comminatus est mihi multum beatus Andreas, eo quod reliquias corporis ipsius apud Antiochiam repertas in ecclesia ipsius, in quodam loco indigno dimiserant.* Et dixit : *Cum præcipitatus essem de quodam monte ab infidelibus, duos digitos mihi confregi; atque post mortem meam hic vir eos accepit, et Antiochiam detulit, et tu cum eos invenisses, negligenter habuisti : alterum passus es tibi subripi ; alterum ibi indigne dimisisti.* Et ostendit mihi manum, sine duobus digitis. *Deinde de te, o comes, multum conquestus est. Nam cum venerabile munus,*

nullique alii a Domino concessum acceperis, graviter et nequiter peccare in conspectu Domini non vereris. Unde tibi Dominus hoc signum demonstravit. Nam ante quintum diem cum in festivitate beatæ Fidis candelam magnam obtulisses, ut per tres dies et totidem noctes durare potuisset, nullum quidem illa splendorem dedit; sed statim liquefacta, in terram corruit. In hac autem nocte cum parvam candelam obtulisses, adeo ut vix usque ad galli cantum durare posset, ut dies est et durat adhuc nec tertia pars ex ea combusta est. Propterea hæc tibi mandat Dominus: Nihil incipias, nisi prius pœnitentiam egeris. Alioquin tu et quidquid egeris, ut candela liquefacta, in terram corrues. Quod si pœnitentiam egeris, quidquid incœperis in nomine Domini, Deus perficiet, et consummabit, ut et candelam vides durare parvam, sic faciet Dominus magnum, quidquid cœperis, etiam si parvum sit. Cumque comes, se ita graviter peccasse excusaret, tunc Petrus, et peccatum sibi narravit, et comes ita confessus est, et pœnitentiam egit. Et rursum dixit Petrus ad comitem : *Conqueritur, o comes, de consiliariis tuis beatus Andreas, eo quod multa mala tibi scienter consilientur. Quare tibi præcipitur ut illos ad consilium tuum non admittas, nisi prius tibi jurent quod scienter tibi mala non consilientur. Audi adhuc, comes : Mandat tibi Dominus ne diutius moram facias, quia nisi prius Jerusalem capta fuerit, succursum nullum habebis. Cum autem prope Jerusalem fueris, nullus per duas leugas ibi equitet. Quod si ita feceritis, civitatem suam donabit vobis Dominus.* Post hæc multas gratias retulit mihi sanctus Andreas, quod ecclesiam, quæ suo nomine fabricata fuerat, apud Antiochiam consecrari feceram. Hæc et alia mihi locutus est sanctus Andreas, de quibus nunc non est locus dicendi, et sublati sunt, ipse et socii ejus.

CAPUT XX.

Igitur comes cum populo pauperum, et paucis militibus in Syriam profectus, primam civitatem Sarracenorum, Barram nomine, viriliter expugnavit; et multa millia Sarracenorum ibi interfecit, et multa millia ad Antiochiam reducti venundati sunt. Et illos qui, dum oppugnarentur, timore mortis se ei reddiderunt, liberos abire permisit. Demum, habito consilio cum capellanis et principibus suis, satis laudabiliter et honeste quemdam sacerdotem episcopum ibi elegit. Etenim convocatis omnibus, qui ibi secum aderant, quidam comitis capellanus, parietem quemdam ascendit, atque omni conventui, comitis desiderium manifestavit. Cumque populus multum instaret ut electio fieret, idem comitis capellanus rursum cœpit quærere, si esset ibi aliquis de clero, qui fidelium vota susciperet, et, quantum posset, paganis resistendo, Deo et fratribus ibi serviret. Cumque omnes tacerent, Petrum quemdam, Narbonensem genere, advocavimus, cui in præsentia totius consilii, laborem episcopatus ostendimus, rogantes ut pro Deo et pro fratribus illum suscipere non dubitaret, si hoc in animo haberet, ut mallet A mori quam relinquere civitatem illam. Quæ cum profiteretur, unanimiter laudavit eum populus, atque Deo multas gratias egit, qui episcopum Romanum in orientali Ecclesia habere voluit, pro sui administratione. Concessit episcopo comes medietatem civitatis, et totius territorii. Erat autem Barra, ab Antiochia longe per duos dies ultra Antiochiam. Et jam instabant Kal. Novemb. in quibus omnes principes convenire Antiochiam promiserant, et incipere iter propter quod venerant. Igitur comes, relicto exercitu suo apud Barram cum electo suo, et multis captivis, et spoliis magnis, cum grandi exsultatione Antiochiam reversus est. Convenerant enim ibi omnes principes, præter Balduinum fratrem ducis. Hic vero Balduinus ante captam An- B tiochiam versus Euphratem profectus Roais, ditissimam civitatem atque famosissimam obtinuerat, et multa prælia cum Turcis feliciter gesserat. Sed antequam ad reliqua perveniamus, hoc unum prætereundum non videtur de duce Lotharingiæ: qui cum Antiochiam eo tempore, cum duodecim militibus veniret, centum quinquaginta Turcos obviam habuit. Tunc assumptis armis, et cohortatus milites suos, viriliter hostes aggressus est. Turci autem, ut viderunt quia Franci mortem magis pugnando quam fugam cum salute eligerent, quædam pars Turcorum descendit, ut altera pars securius pugnaret, cum scirent socios suos a bello, dimissis equis suis, non discessuros. Sic itaque bellum in- C cœptum cum diu graviterque duraret, confortati ad invicem milites ducis, quod et numerum duodecim apostolorum continerent; et dominum suum quasi vicarium Christi haberent, imperterriti agmina Turcorum invadunt. Contulit ibi Deus tantam victoriam duci ut usque ad triginta ex eis occideret, et totidem caperet; reliquos persecutus in paludibus et flumine, quæ vicina erant, alios necari, alios submergi coegit. Et sic cum magna victoria Antiochiam venit; faciebat enim capita cæsorum ab aliis Turcis vivis deferri : quod nostris satis jucundum fuit.

CAPUT XXI.

Itaque cum omnes principes convenissent in ecclesia B. Petri, de itinere nostro agere cœperunt. Tunc quidam qui castella et reditus in regione An- D tiochiæ habebant, dixerunt: *Quid fiet de Antiochia? Quis servabit eam? Imperator non veniet. Etenim accepto nuntio quod Turci obsiderent nos, non confidens virtuti suæ, et hominum multitudini, quam secum habebat, aufugit. An adhuc exspectabimus eum? Certe non veniet in auxilium nostrum, qui fratres nostros ad auxilium Dei venientes, ut reverterentur coegit. Et si dimittimus hanc civitatem, et Turci occupent eam, erunt ultima pejora prioribus. Sed omnes concedant eam Boimundo, quoniam et ipse sapiens est, et optime servabit eam; et nomen ejus magnum est inter paganos.* At comes Raimundus, et alii e contra dicebant : *Imperatori juravimus super Dominicam crucem, et spineam coronam, et super multa alia sancta quod nec civitatem, nec castellum, de*

omnibus pertinentibus ad imperium ejus, retineremus sine ejus voluntate. Sic itaque aliis contradicentibus, hoc modo et alio modo, in tantam discordiam converterunt principes nostri ut pene ad arma venirent. Etenim dux et comes Flandrensis, leviter de civitate Antiochiæ habebant, propterea, licet de Boimundo vellent, quod haberet eam, tamen non audebant laudare ei, metuentes incurrere perjurii infamiam. Hoc igitur modo de itinere, et de aliis rebus, quæ itineri et pauperibus usui forent, differebatur. Hæc autem cum populus vidisset, cœpit dicere quisque ad socium suum, deinde palam omnibus : *Quoniam principes, vel propter timorem vel propter juramenta quæ imperatori fecerunt, nos in Hierusalem ducere nolunt, eligamus de militibus, aliquem fortem, cui fideliter serviendo, et tuti esse possimus; et, si gratia Dei est, eodem milite duce in Jerusalem perveniamus. Heho! non sufficit principibus nostris quod hic per annum fuimus, et ducenta millia armatorum hic consumpta sunt? Habeant qui volunt aurum imperatoris, et qui volunt redditus Antiochiæ habeant. Nos autem, Christo pro quo venimus duce, iter nostrum aggrediamur. Pereant male qui volunt habitare Antiochiæ, sicut nuper habitatores ejus perierunt. Quod si hæc tanta lis diutius, propter Antiochiam, datur, diruamus muros ejus, et pax quæ ante captam civitatem principes tenuit, destructa civitate eosdem teneoit. Alioquin, antequam fame omnino et tædio hic deficiamus, ad propria reverti debemus.* His atque aliis de causis discordem pacem comes et Boimundus inter se fecerunt. Igitur terminato die, jubetur populus præparari ad devotum iter.

CAPUT XXII.

Præparatis igitur necessariis, die constituta, profectus est comes Sancti Ægidii, et comes Flandrensis in Syriam ; ibique Marram, ditissimam civitatem, et populosam obsederunt. Erat autem Marra a Barra longe octo milliaribus. Et erant cives Marræ ita superbi, quia quodam tempore in quadam pugna de nostris multos occiderant, et exercitui nostro maledicebant, et conviciabantur, et ut maxime nos provocarent, cruces super muros ponentes, multis injuriis eas afficiebant. Hac itaque de causa, secunda die adventus nostri, ita acriter eos oppugnavimus ut si quatuor scalas plus habuissemus, capta esset civitas, sed quoniam non habuimus nisi duas, et illas easdem breves et fragiles, adeo ut timide super eas ascendere timebamus, consultum est ut fierent machinæ et crates, et aggeres, quibus impelleretur murus, et effoderetur, et coæquaretur. Interea venit Boimundus cum exercitu suo, et obsedit eam ex alia parte ; rursus non comparatis armamentis quæ supra diximus, quasi per cohortationem Boimundi qui priori oppugnationi non adfuerat, voluimus vallum complendo, invadere murum. Sed hoc frustra fuit; nam multo deterius quam antea, tunc pugnatum est. Post hæc tanta fames in exercitu fuit ut quod dictu est miserabile, plus quam decem millia virorum, per sata, more pecudum, ire videres, fodiendo, et investigando si forte aliqua grana frumenti, vel hordei, vel fabæ, sive alicujus leguminis reperirent. Interea, licet compararentur quæ supra diximus ad oppugnandum machinæ, tamen quidam de nostris videndo miseriam populi nostri et audaciam Sarracenorum, desperantes de Dei misericordia, aufugiebant. Sed Deus, cui cura est de famulis suis, ulterius misereri populo suo non distulit, quem in ultimis tribulationibus positum vidit. Itaque per beatos apostolos Petrum et Andream nobis mandavit, per quos voluntatem ejus sciremus, et iram ejus gravem erga nos placare possemus. Illi igitur in capellam comitis venientes, per noctis medium, Petrum, cui lanceam ostenderant, excitaverunt. Tunc ille subito, videns eos deformi veste et sordidissima indutos, scriniis ubi reliquiæ manebant assistere, paúperes esse aliquos credidit, qui aliquid de tentorio vellent subripere. Erat enim sanctus Andreas indutus tunica veteri, et ad humeros dirupta, et in foramine sinistri humeri pannus insutus erat, in dextro nihil, et viliter calceatus erat; beatus vero Petrus, camisia grossa, et longa usque ad talos indutus erat. Tunc ait ad eos Petrus Bartholomæus : *Qui estis, Domini, vel quid quæritis?* Et respondit beatus Petrus : *Legati sumus Dei. Ego sum Petrus, et iste est Andreas. Sed voluimus tibi in hoc habitu apparere, ut cognoscas quantum proficit qui Deo devote servit; hac in ætate et habitu, quales nos vides, ad Deum venimus, et tales sumus.* Et hoc dicto tales fuerunt ut nihil eis clarius, nihil pulchrius. Petrus vero qui hæc videbat, subita claritate perterritus, veluti mortuus cecidit in terram, et præ nimia angustia sudans, nattam super quam ceciderat humefecit. Tunc elevavit eum beatus Petrus, et dixit ei : *Leviter cecidisti.* Et ille respondit : *Ita est, domine.* Et rursus beatus Petrus : *Sic cadent omnes qui in incredulitate vel transgressione mandatorum Dei sunt. Sed si pœniteat eos de malefactis suis, et ad Deum clament, erigit eos Dominus, sicut ego cum cecidisses te erexi. Et sicut sudor tuus ibi super nattam cecidit et remansit, sic peccata ad se clamantium tollit Deus et aufert. Dic mihi quomodo se habet exercitus?* Et respondit ille : *Certe, domine, in magno timore famis et totius miseriæ sunt.* Et beatus Petrus : *Et revera in magno timore esse possunt, qui Deum omnipotentem deseruerunt, nec periculorum de quibus eruit eos recordantur, ut aliquam gratiam ei referant. Etenim cum illic essetis omnes, victi et humiliati infra Antiochiam, quia clamastis ad Dominum adeo, ut nos qui in cœlo eramus omnes audiremus, exaudivit vos Dominus, et lanceam suam quasi pignus victoriæ vobis contulit; deinde mirifice et gloriose de inimicis vestris, qui vos obsederunt, triumphare fecit. Et nunc quomodo creditis vos esse tutos, qui Deum graviter offendistis? Poterunt vos montes excelsi, vel antra tueri? Etenim si essetis in aliquo loco excelso, et firmissimo, et abundaretis omnibus vitæ necessariis, non tamen securi posselis esse, cum unicuique de*

vobis centum millia adversariorum imminerent. Inter vos cædes et rapinæ sunt, et furta, nulla justitia, et plurima adulteria, cum Deo placitum sit, si uxores vos omnes ducatis. De justitia vero, sic præcipit Dominus, ut quicunque pauperi violentiam intulerit, quidquid est in domo oppressoris, publicetur. De decimis autem dico, quod si eas reddatis, quidquid vobis necesse fuerit, donare paratus est. Civitatem vero istam, pro sua misericordia, et non pro meritis vestris, donabit vobis. Cum autem hæc mane comiti nuntiasset Petrus, convocavit populum episcopus Aurasicensis et Barræ, et supra scripta eis exposuimus. Adducti igitur fideles in magnam spem capiendæ civitatis, largissimas eleemosynas, et orationes Deo omnipotenti offerebant, ut plebem pauperum suorum, pro solo nomine suo liberaret. Fiunt B itaque post hæc velociter scalæ, et turris lignea exstruitur, et crates junguntur, et terminata die pugna incipitur. At vero illi qui infra civitatem erant, in nostros, qui murum suffodiebant, lapides cum tormentis, et tela, et ignem, et ligna, et alvearia cum apibus et calcem permistim jaciebant. Sed, Dei virtute et misericordia, nullum vel paucos de nostris ista lædebant. Nostri vero cum petrariis et scalis murum imperterriti aggrediebantur. Tenuit autem hæc pugna ab ortu solis usque ad occasum, ita mirabiliter ut nulli unquam requies concederetur; et adhuc de victoria dubitabatur. Tandem exclamaverunt unanimiter omnes ad Dominum, ut plebi suæ propitius fieret, et apostolorum suorum promissa adimpleret. Adfuit illico Dominus, et civitatem, secundum apostolorum dicta, nobis donavit. Ascendit ante omnes Golferius de Turribus; quem subsecuti sunt plures, qui murum et quasdam turres civitatis invaserunt. Et nox superveniens, pugnam diremit. Retinebant adhuc Sarraceni quasdam turres, et partem civitatis. Ob hoc itaque sperantes milites quod usque in mane, se Sarraceni non dedissent, extra muros civitatis custodiebant, ne aliquis subterfugeret. At vero ii quibus sua vita non multum chara fuerat, quos longa jejunia in sui despectum deduxerant, per noctis tenebras inferre bella Sarracenis non formidabant. Atque sic pauperes, et spolia civitatis, et domos habuerunt. Mane autem facto, ingressi milites civitatem, quæ sibi tollerent pauca D invenerunt. Sarraceni vero concluserant se in specus subterraneos; et nulli, vel pauci apparebant. Cumque nostri omnia quæ super terram repererant sustulissent, arbitrati omnia esse cum Sarracenis, igne et fumo sulphureo antra perquirebant, et quia non multa spolia ibi reperiebant, quos poterant invenire de Sarracenis, donec ad mortem, pro spoliis afficiebant. Contigit autem quibusdam de nostris, ut cum Sarracenos pro spoliis per civitatem ducerent, usque ad puteos Sarraceni nostros perducebant; atque se subito intus præcipitabant, eligentes magis mortis compendium quam sua vel aliqua demonstrare vellent. Quapropter omnes morti subjacuerunt; et projecti sunt, per paludes civitatis et extra muros. Sicque non multa spolia capta fuerunt in civitate. Interea orta est contentio inter homines Boimundi et comitis, ob hoc, quia cum milites Boimundi oppugnationi non multum institissent, plurimum turres et domos, et captivos obtinerent. Mirabile quoddam fecerat ibi Dominus. Etenim, cum ante captam Marram præcepta sanctorum apostolorum Petri et Andreæ, sicut supra scriptum est, ad populum exponeremus, irrisit nos Boimundus, et socii ejus. Itaque nec ipse nec qui cum eo erant, pugnæ profuerunt, sed potius oberant. Et cum modo plurima haberent spolia, quidam de familia comitis indigne ferebant. Tamen inter ipsos dominos male conveniebant, ob hoc quod comes volebat dare civitatem episcopo Albariensi; et Boimundus nolebat dimittere quasdam turres, quæ se ei dederant, dicens: *Nisi comes dimiserit mihi turres Antiochiæ, non ei consentiam in aliquo.*

CAPUT XXIII.

Interea de itinere milites et populus quærere cœperunt, quando principibus placeret ut inciperetur. Etenim licet ex longo tempore incœptum esset iter, tamen quotidie videbatur nobis incipi, cum iter ageremus, quia nondum fuerat completum. Boimundus dicebat quod usque in Pascha differretur. Et tunc erat tempus Dominicæ Nativitatis. Desperabant etiam multi, eo quod pauci essent equi in exercitu, et dux aberat, et multi de militibus abierant ad Balduinum de Roais. Itaque multi revertebantur. Tandem convenerunt episcopus Albariensis, et quidam nobiles cum populo pauperum, et comitem C evocaverunt. Cumque episcopus prædicationem suam complevisset, procubuerunt milites, et omnis populus ante comitem; et cum lacrymis multis deprecabantur eum, *ut ipse, cui lanceam suam Dominus contulerat, ductor et dominus exercitus ejusdem fieret, addentes quod ob hoc lanceam Dominicam promeruisset, ut si alii principes defecissent, ipse obnoxius tanto beneficio Domini, securus cum populo pergere non formidaret. Alioquin, traderet lanceam populo, et iret populus in Jerusalem, ipso Domino duce.* Dubitabat autem comes, propter aliorum principum absentiam, metuens quod si ipse solus diem itineris terminaret, ob invidiam sui cæteri non issent. Quid multa? Vincitur comes lacrymis pauperum, et diem quintum decimum ad iter nominavit. Quam ob rem indignatus Boimundus, diem quintum aut sextum obclamare itineri per civitatem jussit, et post hæc, Antiochiam reversus est. Quærebat comes cum episcopo, quomodo civitatem potuisset retinere; et quos, et quantos viros, pro custodia ibi dimittere possent. Interea mandavit comes duci Lotharingiæ et ad alios qui Marræ non interfuerant, ut congregarentur in unum locum, atque de his, quæ itineri utilia forent et populo Dei, pertractarent. Atque sic convenerunt apud Roiam, quæ inter Antiochiam et Marram quasi media est. Ibique omnes principes habito colloquio, in deterius vertebantur. Etenim principes se ab itinere excusabant, et causa

eorum, alii multi. Volebat tunc comes duci donare A decem millia solidorum et Rotberto Northmanniæ comiti totidem, et sex millia comiti Flandrensi, et Tancredo quinque millia ; et aliis principibus, prout erant. Inter hæc, cum ad pauperes, qui apud Marram remanserant, perventum esset, quod comes in civitate Marræ, multos milites et pedites de exercitu pro custodia dimittere vellet, dixerunt ad invicem : *Eho! et propter Antiochiam lites, et propter Marram lites; et in omni loco quem Deus dederit nobis, principum certamina, et imminutio exercitus Dei erit? Certe, propter hanc civitatem ulterius lites non habebuntur. Venite, et diruamus muros ejus; et fiet pax inter principes, et comiti securitas, ne perdat eam.* Surgentes itaque debiles et infirmi de cubilibus suis, innixi baculis, ad muros usque perveniebant, et illos lapides quos vix tria vel quatuor paria boum trahere possent, facile quidam famelicus revolutos a muro longe projiciebat. Episcopus vero Albariensis, causando et interdicendo ne hoc ullo modo fieret, circuibat civitatem, et pariter comitis familiares. Cum autem pertransissent custodes isti, statim revertebantur ad incœptum opus, qui se occultaverant et qui declinaverant ad adventum episcopi et sociorum ejus. Et qui non audebant per diem diruere, vel non poterant aliis intenti, per noctem instabant. Vix erat aliquis de populo debilis vel infirmus, ad confringendum murum. Interea tanta fames fuit in exercitu ut multa corpora Sarracenorum jam fetentium, quæ in paludibus C civitatis ejusdem per duas hebdomadas et amplius jacuerant, populus avidissime comederet. Terrebant ista multos, tam nostræ gentis homines quam extraneos. Revertebantur ob ea nostri quam plures, desperantes de itinere, sine succursu de gente Francorum. Sarraceni vero et Turci e contra dicebant : *Et quis poterit sustinere hanc gentem, quæ tam obstinata atque crudelis est ut per annum non potuerit revocari ab obsidione Antiochiæ, fame vel gladio, vel aliquibus periculis, et nunc carnibus humanis vescitur?* Hæc et alia crudelissima sibi, in nobis dicebant esse pagani. Etenim dederat Deus timorem nostrum cunctis gentibus ; sed nos nesciebamus. Interea comes a colloquio principum regressus Marram, graviter irascebatur de destructione muri contra D populum. Cumque expositum esset ei, quod neque ; episcopus, neque alii principes sui possent amovere, minis vel verberibus, populum a muri destructione, intellexit illico divinum esse, et ut funditus murum diruerent præcepit. Interim ingravescebat fames quotidie. Cumque jam dies proposita itineri instaret, prædicabamus eleemosynas et orationes fieri in populo ad Deum pro itinere. Cum vero vidisset comes quod nulli de principibus majoribus ad se venirent, et omnem populum contabescere cerneret, in interiora Hispaniæ pro victualibus populum ire præcepit, et ipse cum militibus præcessit eum. Sed hoc non erat gratum quibusdam suis privatis ; dicebant enim : *In exercitu vix sunt trecenti milites, et alio-rum armatorum non est grandis numerus, et alii ibunt in expeditionem, atque alii hic erunt infra civitatem hanc destructam, quæ sine munimine est?* Et intendebant comiti nimiam levitatem. Ad ultimum tamen pro causa pauperum comes profectus est, et castella multa obtinuit, et captivos ; et maximam prædam cepit. Cumque reverteretur, cum grandi exsultatione et victoria pluribus Sarracenorum interfectis, sex vel septem de nostris pauperibus a paganis capti et interfecti sunt ; hi autem omnes defuncti, cruces in dextris humeris habuerunt.

CAPUT XXIV.

Hæc autem cum comes et qui cum eo erant vidissent, omnipotenti Deo gratias quantas poterant reddebant, qui pauperum suorum memor erat ; et ob B hoc maxime confortabantur. Itaque, ut omnibus qui ad sarcinas, apud Marram remanserant, satisfacerent, unum de interfectis qui adhuc spirabat detulerunt, et mirum certe in homine illo vidimus ; qui, cum vix haberet integrum ubi latere posset anima, per septem aut octo dies sine victu permansit, testificans Jesum, ad cujus judicium erat venturus, sine dubio, crucis illius Deum fuisse auctorem. Igitur proventu rerum et crucis confortati, in quodam castro qui vocabatur Capharca, et erat in itinere longe a Marra quatuor leugis, spolia sua dimiserunt, atque illi qui socios habebant Marræ cum comite eo reversi sunt. Constituta itaque die et incensa civitate, proficiscebantur. Sed comes, cum clericis suis et episcopo Albariensi, discalceatus incedebat, invocantes Dei misericordiam et sanctorum præsidia. Et consecutus est nos Tancredus cum quadraginta militibus, et peditibus multis. Cumque hoc audissent reges de terra illa Arabum nobiles, cum supplicationibus, et multis donariis ad comites mittebant, dicentes se nunc et deinceps tributarii eorum futuri, et allaturi victualia gratis et pro commercio. Itaque acceptis securitatibus ab eis per jusjurandum, et vadibus, pro conductu, ulterius tendebamus. Habuimus autem a rege Cæsareæ duces, qui nos in prima die, ut nobis videbatur, male duxerunt. Fuimus etenim in hospitio illo, in penuria totius boni, præter aquæ ; secunda vero die iidem duces imprudenter induxerunt nos in quamdam vallem, ubi armenta regis et totius regionis propter timorem nostrum D confugerant. Etenim rex longe ante nos ibi ventu-ros sciebat, et ut fugerent ante nos omnibus Sarracenis mandaverat. Sed si jussisset ut omnes de regione illa obviam nobis venirent, non ita factum esset. Raimundus de Insula et socii ejus ea die unum Sarracenum ceperunt, cum litteris regis, quas deferebat ad omnes de illa regione, ut fugerent ante nos. Cumque hæc regi cognita fuissent, dixit : *Ego quidem jusseram hominibus meis ut fugerent ante faciem Francorum, quantum possent ; et ipsi ad eos venerunt. Video quia Deus hanc gentem elegit; propterea quodlibet faciant, non eis nocebo.* Tunc Deum ipse rex benedicebat, qui sufficienter providet necessaria timentibus se. Videntes autem

tam subitam ac talem plenitudinem nostri milites, et multi de plebe viri fortes, assumptis omnibus pecuniis suis Cæsaream et Camelam adibant, ut equos farios ibi mercarentur, dicentes : *Quoniam Deus de victu nostro curam agit, nos de pauperibus et de militia ejus curemus*. Sicque factum est, ut usque mille optimos dextrarios haberemus. Convalescebant quotidie pauperes; confortabantur quotidie milites, et sic quotidie exercitus multiplicabatur. Et quanto ulterius progrediebamur, tanto ampliora nobis beneficia providebat Deus. Et licet omnia sufficienter nobis próvenirent, tamen quidam comitem ad hoc inclinaverunt, ut quasi causa Zibelli, quæ est civitas in maritimis, deviare paulisper vellet. Sed Tancredus aliique multi viri fortes et boni, ne hoc ullo modo fieret effecerunt, dicentes : *Deus visitavit plebem pauperum, et nos declinare ab itinere debemus? Sufficiant nobis præteriti labores apud Antiochiam, velli et frigoris, et inediæ, denique et totius miseriæ. Nunquid nos soli mundum expugnabimus? et habitatores mundi omnes interficiemus? Ecce de centum millibus equitum, vix milites mille habemus, et de ducentis millibus peditum armatorum et amplius, modo non sunt in exercitu nostro quinque millia armati, et exspectabimus donec omnes consumamur? Nunquid ideo venient alii de terra nostra, quia audient captam esse Antiochiam et Zibellum, atque reliquas civitates Sarracenorum, nostras? Sed eamus in Jerusalem pro qua venimus, et revera Deus eam nobis dabit. Et tunc, solo timore eorum qui venient de terra nostra et de aliis terris, aliæ civitates, scilicet Zimel et Tripolis, et Sur, et Accaron, quæ sunt in itinere nostro, ab incolis relinquentur*. Sic itaque cum anterius progrederemur, quidam Turci et Arabes exercitum sequebantur; et pauperes qui pro debilitate sua longe post exercitum remanebant, interficiebant et spoliabant. Cumque hoc semel et secundo fecissent, alia die remansit comes in occultis, donec omnis exercitus pertransiret. Hostes vero, impunitate cædis et spe rapinæ, exercitum nostrum more solito insequebantur; sed cum jam insidias præterissent, egressi nostri de occultis cum comite, agmina hostium invadunt, conturbant et confundunt, atque ipsos interficiunt, et equos eorum optimos, cum grandi exsultatione ad exercitum deduxerunt. Et post hæc, nulli hostes exercitum assequebantur, quoniam comes cum armata multitudine militum post omnes debiles ibat. Alii autem milites armati cum comite Northmanniæ et Tancredo, et episcopo Albariensi frequenter exercitum præcedebant, ne vel a tergo vel a fronte, improvisi, hostes conturbarent nos. Etenim comes quia paucos milites secum habebat cum a Marra proficisceretur, rogavit episcopum, ut posito præsidio Barræ, ipse veniret secum. Quod episcopus audiens, Guillelmum Petri nomine de Cimiliaco quemdam militem suum ibi dimisit, cum militibus septem et peditibus triginta, virum fidelem ac Deo devotum; qui res episcopi auxit, adjutore Deo, in decuplum, brevi tempore, et homines pedites habuit pro triginta, septuaginta, et equites sexaginta, et amplius. Consultum est eo tempore de itinere nostro, ut dimitteremus viam quæ ducebat Damascum, et diverteremus ad maritimam, quoniam, si nostræ naves quas in portu Antiochiæ reliqueramus ad nos venirent, haberemus commercia cum his de insula Cypri, et reliquarum insularum. Cumque ut consultum est, iter ageremus, relinquebant civitates et castra et villas, plenas omnibus bonis, habitatores terræ.

CAPUT XXIV *bis*.

Itaque circinatis magnis montanis, cum in vallem quamdam opulentissimam venissemus, rustici quidam multitudine sua et castri sui munitione superbi, neque ad nos mittere pro pace, neque relinquere castrum suum volebant, sed insuper armigeris nostris et peditibus, qui inermes erant, et per villas discurrebant pro victualibus, incurrerunt et quibusdam interfectis, spolia intra castellum suum miserunt. Indignati itaque nostri, ad castellum usque perveniunt. Rustici autem obviam nobis usque ad pedem montis, in quo castellum erat, venire non dubitaverunt. Tunc nostri accepto consilio, ordines peditum et militum constituerunt; et sic a tribus partibus, per altitudinem montis ascendentes, agmina rusticorum fugere compulerunt. Erant enim circiter triginta millia Sarraceni, et castellum ipsorum erat, in descensu cujusdam maximi montis : et propterea cum volebant refugiebant ad castellum, et alii in superiori montis parte, et sic aliquantulum nobis resistebant. Tandem exclamavimus signum solitum in necessitatibus nostris : DEUS, ADJUVA ! DEUS, ADJUVA ! et inimici nostri ita turbati sunt, ut usque ad centum, solo timore et impetu sociorum suorum, sine vulneribus, in ingressu castelli, mortui remanerent. Erat autem maxima præda boum et equorum et ovium extra castellum, ubi populus noster occupabatur. Dumque comes cum quibusdam militibus bello intenderet, pauperes nostri accepta præda, unus post alium redire cœperunt, deinde pedites viam tenebant, postea milites plebei. Erant autem tentoria nostra longe a castello, quasi decem milliaribus. Interea comes, milites et populum hospitari jubebat. Videntes autem Sarraceni, qui ad superiorem montem ascenderant, et ii qui erant in castello quod maxima pars nostrorum discesserat, ventilare ad invicem cœperunt, ut conjungerentur; comes vero dum hæc negligit, pene se derelictum a militibus suis reperit. Erat collis in quo castellum erat, multum arduus et lapideus, et ardua semita, per quam unus equus post alium vix ire poterat. Hac itaque difficultate comprehensus comes, quasi versus illos, qui de superiori monte descenderant, pergere cum sociis cœpit, quasi pugnaturus; qui primo paululum ad adventum comitis non dubitaverunt. Tunc nostri verso itinere, in vallem quasi securi tendebant. Videntes Sarraceni se frustratos et nostros secure descendere, et hi de castello, et hi de montibus pariter nostris incurrunt. Coacti

itaque nostri alii, ab equis suis descenderunt, alii se præcipites per abrupta dederunt, et sic cum maximo periculo mortem evaserunt : quidam vero viriliter pugnando, mortui sunt. Hoc unum certum scimus quod nunquam fuit comes in majori periculo vitæ suæ. Itaque iratus sibi et suis, reversus ad exercitum consilium convocavit, et conquestus est multum de militibus, quod sine licentia rediissent, et se in periculo mortis reliquissent. Tunc promiserunt omnes se nunquam a castelli oppugnatione discessuros, donec funditus, per Dei gratiam, eversum esset. Sed Deus qui eos conducebat, ne in quibuslibet vilibus impedirentur, ita terruit castellanos per noctem ut nec interfectos suos sepulturæ tradidissent, dum præcipites in fugam ferebantur. Mane autem facto cum venissemus ibi; spolia tantum et castrum vacuum ab hominibus invenimus. Erant autem eo tempore nobiscum legati ab Ammirato Camelæ, rege Babylonis, et a rege Tripolis. Illi cum vidissent audaciam et fortitudinem nostram, licentiam a comite deprecabantur, dicentes se quam certissime reversuros. Dimissi itaque illi cum nostris, brevi tempore cum magnis muneribus et multis equis reversi sunt. Terruerat enim totam regionem illam castelli oppugnatio, quoniam nunquam antea ab aliquibus potuit expugnari. Propterea illius incolæ regionis, cum multis supplicationibus et muneribus, ad comitem mittebant precantes, ut dum civitas et castella eorum recipi faceret, interim signa et sigilla sua eis dirigeret. Etenim mos erat in exercitu, ut si signum alicujus Franci, in civitate aut castello reperiretur, a nullo postea oppugnaretur. Quare rex Tripolis signa comitis in castellis suis posuit; erat eo tempore tantum nomen comitis ut nullius unquam nomini priorum impar esse videretur. Cumque milites nostri qui allegati Tripolim fuerant, regias opes, et ditissima regna, et populosam civitatem vidissent, comiti persuaserunt ut castellum munitissimum Archados et inexpugnabile viribus humanis, obsideret, habiturus post quartum vel quintum diem a rege Tripolis, quantum auri et argenti desideraret. Itaque obsedimus pro voluntate eorum castellum, ubi tantos labores sunt passi nostri viri fortes ut nusquam amplius. Præterea tantos ac tales milites ibi perdidimus, quod relatu gravissimum est. Interfectus est ibi dominus Pontius de Baladuno, cum lapide de petraria; cujus ago precibus ad omnes orthodoxos, et maxime ad Transalpinos, et ad te, reverende præsul Vivariensis, cui hoc opus scribere curavi. Nunc autem quod reliquum est, Deo inspirante, qui hæc omnia fecit, eadem hilaritate, qua incœpi, perficere curabo. Oro igitur et obsecro omnes qui hæc audituri sunt, ut credant hæc ita fuisse. Quod si quidquam ego præter credita et visa studeo referre, vel odio alicujus apposui, apponat mihi Deus omnes inferni plagas, et deleat me de libro vitæ. Etenim, licet ut alia plurima ignorem, hoc unum scio, quia cum promotus ad sacerdotium in itinere Dei sim, magis debeo Deo obedire testificando veritatem quam in texendo mendacia, alicujus muneris captare dispendia. Obiit charissimus meus in Domino, Pontius de Baladuno, sicut jam dictum est, apud castrum Archados. Sed quia, secundum Apostolum, *charitas nunquam excidit* (*I Cor.* XIII, 8), eadem charitate hoc opus agere volo, auxilietur mihi Deus.

CAPUT XXV.

Cumque in hac obsidione aliquam moram fecissemus, venerunt ad nos nostræ naves ab Antiochia, et Laodicia, et multæ aliæ naves Veneticorum et Græcorum, cum frumento, vino, et hordeo, et carne porcina, et aliis venalibus. Sed quia hoc castrum a mari aberat per milliarium, nec in portu poterant esse naves, revertebantur nautæ ad Laodiciæ portum et ad portum Tortosæ. Hanc enim Tortosam, civitatem valde firmissimam, muris et antemuralibus exstructam, et refertam omnibus bonis, reliquerunt cives ejus Sarraceni, solo timore nostri exercitus. Etenim tantum effecerat Deus timorem nostrum in Sarracenos et Arabes illius regionis, ut nos omnia crederent posse, et quæ poteramus, velle exterminare. Sed hoc ante obsidionem Archados. Hanc autem obsidionem, quia maxime pro aliis contra justitiam, quam pro Deo posuimus, noluit promovere eam Deus, sed omnia adversa nobis tribuit. Et erat mirum, cum ad alia bella et assultus omnes prompti et parati essent, ad hoc segnes et inutiles inveniebantur. Si qui vero ferventes spiritu agere aliquid vellent, vel ipsi vulnerabantur, vel quod incœperant frustra eveniebat. Migravit hic gloriose Anselmus de Ripamondi; etenim cum surrexisset mane, vocavit ad se sacerdotes, et de negligentiis suis et peccatis confessus, misericordiam a Deo et ab ipsis deprecabatur, denuntians eis imminere vitæ suæ finem. Cumque admirarentur de hoc, quia sanum et incolumen eum videbant, dixit eis : *Nolite mirari, sed audite me potius. Hac nocte vidi dominum Egelrannum de Sancto Paulo, qui apud Marram interfectus est, non insomnis, sed vigilanter.* Et dixi ad eum : *Quid est hoc? quia vos mortuus eratis, et ecce nunc vivitis.* Et ille respondit ; *Equidem non moriuntur illi qui in Christi servitio vitam finiunt.* Cum vero rursus quærerem ab eodem, de pulchritudine ejus, quæ nimia erat, unde accidisset ei, respondit mihi : *Non debes mirari super pulchritudine mea, cum in tam pulchram domum habitem.* Et continuo ostendit mihi domum quamdam in cœlo ita pulchram, ut nihil pulchrius ego crederem. Cumque obstupescerem ad splendorem domus illius, dixit mihi : *Multo tibi pulchrior præparatur, usque in crastinum.* Et his dictis sublatus est. Contigit autem eo die cum hæc pluribus enarrasset idem Anselmus, ut ad pugnam progrederetur contra Sarracenos; qui de castello latenter egressi, usque ad tentoria nostra venire solebant, ut aliquid inde subriperent, vel alicui nocerent. Sed cum hæc pugna invaluisset ex utraque parte, et Anselmus viriliter resisteret, de lapide tormenti in capite percussus est; atque sic ad locum

sibi a Deo præparatum, migravit ab hoc sæculo. Venit hic ad nos legatus quidam a rege Babyloniæ; et remiserat ad nos legatos nostros cum ipso, quos tenuerat captos per annum. Dubitaverat enim an faceret nobiscum amicitiam, an cum Turcis. Volebamus nos in hoc convenire cum eo : *Si faceret nobis de Jerusalem auxilium, vel si redderet nobis Jerusalem cum pertinentiis suis, redderemus nos civitates omnes suas, quas ei Turci abstulerant cum caperemus eas; alias autem civitates Turcorum, quæ de regno ejus non fuerunt, si cum auxilio illius, caperentur, partiremur.* Turci vero, ut nobis relatum est, volebant hoc facere illi : *Si veniret contra nos in prælium, et colerent Alim, quem ipse colit, qui est de genere Bahumeth, et acciperent monetam ejus, et remitterent tributa quædam,* et multa alia, quæ ego nón satis novi, facerent ei. Sciebat de nobis quod pauci eramus, et quod imperator Alexius usque ad mortem nobis inimicabatur. Unde nos litteras imperatoris Alexii de nobis factas invenimus, confecto bello cum eodem rege Babyloniorum apud Ascaloniam, in tentorio ejusdem regis. His atque aliis de causis Ammiratus detinuit legatos nostros per annum captos, infra Babyloniam. Modo vero cum audisset quod terram suam ingressi, villas et agros vastaremus, mandavit nobis ut *sine armis ducenti vel trecenti, iremus Hierosolymam, et adorato Domino nostro reverteremur.* Sed nos irrisimus hoc, sperantes de Dei misericordia, minantes, *quod nisi gratis redderet nobis Jerusalem, Babyloniam calumniaremur ei.* Habebat enim Ammiratus Jerusalem, eo tempore. Etenim cum audisset quod Turci essent a nobis superati apud Antiochiam, venit ad oppugnandum Jerusalem, sciens quod Turci toties fusi a nobis atque fugati, non occurrerent sibi in prælium. Tandem datis maximis muneribus his qui eam defendebant, recepit civitatem Jerusalem, et obtulit candelas, et incensum ad sepulcrum Domini, et in Calvario monte. Sed jam ad obsidionem redeamus.

CAPUT XXVI.

Dum, ut diximus, exercitus noster multum laboraret in oppugnatione Archados, nuntiatum est nobis quod papa Turcorum veniret contra nos in prælium et quia erat de genere Bahumeth, sequerentur eum gentes sine numero. Igitur mandatum est nobis, ut nos præpararemur ad pugnam. Et miserunt episcopum Albariensem ad ducem et ad Flandrensem comitem, qui Zibellum obsederant; quod est castrum supra mare, quasi loco medio, inter Antiochiam et castrum Archados, longe ab utroque duobus diebus. Illi vero, accepto nuntio de bello, relicta obsidione, celeriter ad nos venerunt. Interim inventum est falsum, et quod Sarraceni illud composuerant, ut nobis taliter deterritis, aliquantulum respirare possent obsessi. Conjunctis itaque exercitibus, cœperunt ostendere illi de parte comitis, equos farios et divitias suas, quas dederat illis Deus in regionibus Sarracenorum, eo quod morti se pro Deo exposuissent; at alii paupertatem suam prætendebant. Prædicatum est eo tempore *ut daret populus decimas de omnibus quæ cepisset*, quoniam multi pauperes erant in exercitu, et multi infirmi, et mandatum est ut quartam partem redderent sacerdotibus suis ad quorum missas veniebant, et quartam episcopis, reliquas vero duas Petro Heremitæ, quem pauperibus de clero et populo præfecerant. Ideoque duas partes accipiebat, unam videlicet pro his qui erant de clero, et alteram pro his qui erant de populo. Multiplicabat itaque Deus exercitum nostrum, adeo in equis et mulis, et camelis et aliis vitæ necessariis, ut nobis ipsis in mirum et in stuporem fieret. Orta est itaque ex rerum opulentia contentio atque superbia inter principes, adeo ut illi qui Deum intime diligebant, rerum inopiam atque bella formidolosa nobis imminere præoptarent. Volebat nobis dare rex Tripolis quindecim millia aureorum Sarracenæ monetæ, præterea equos et mulos, et vestes multas et tributa deinceps singulis annis, multo his ampliora, si non expugnaretur a nobis. Valebat quippe unus aureus, octo vel novem solidos monetæ nostri exercitus. Erat moneta nostra hæc : Pictavini, Cartenses, Mansei, Lucenses, Valentinenses, Mergoresi, et duo Pogesii pro uno istorum. Ille ergo dominus Zibelli metuens ne rursus oppugnaretur, misit ad principes nostros quinque millia aureos, et equos, et mulas, et vinum multum; annonam enim sufficientem habebamus. Baptizabantur etiam aliqui Sarracenorum, timore et zelo nostræ legis, anathematizantes Bahumeth et omnem ejus progeniem. Ob hoc itaque mittebant quisque de principibus nostris ad civitates Sarracenorum legatos, cum *litteris*, dicens se esse dominum totius exercitus. Sic itaque agebant eo tempore nostri principes. Et maxime Tancredus rem conturbabat; qui cum accepisset a comite Raimundo quinque millia solidorum, et duos equos farios optimos, ut in servitio ejus esset usque Jerusalem, volebat modo discedere, et esse cum duce Lotharingiæ : et ob hoc multæ lites habitæ sunt. Tandem male discessit a comite.

CAPUT XXVII.

Multæ revelationes eo tempore nobis denuntiatæ sunt, quæ nobis a Deo mandabantur. Quarum una hæc est, quæ sub nomine ipsius scripta est qui vidit eam : *Anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi millesimo nonagesimo nono, indictione septima, epacta vicesima sexta, concurrente quinto Nonis Aprilis, in nocte, cum ego Petrus jacerem in capella comitis Sancti Ægidii ad obsidionem Archados, cogitare mecum cœpi, de sacerdote illo cui Dominus cum cruce apparuit, cum a Turcis obsessi in Antiochia teneremur, atque cum multum mirarer quod nunquam cum cruce mihi apparuerat, vidi illico Dominum ingredientem, et apostolos ejus Petrum et Andream, et alium*

quemdam magnum et spissum, bruno colore et subcalvo, et magnis oculis. Et ait mihi Dominus : *Quid agis?* Et respondi : *Domine, ego sto.* Et ait iterum Dominus : *Tu pene cum aliis submersus esses. Sed quid modo cogitabas?* Et respondi : *Domine Pater, ego de sacerdote illo, cui cum cruce apparuisti, cogitabam.* Et Dominus : *Ego scio istud.* Et deinceps : *Crede quia ego sum Dominus, pro quo omnes huc venistis; et qui pro peccatoribus in Jerusalem in cruce passus sum, sicut modo videbis.* Et in ipsa hora vidi quamdam crucem de duobus lignis nigris atque rotundis factam, non politam neque adaptatam, nisi quod in medio trabes incisæ se invicem complectebantur. Et ait mihi Dominus : *Ecce crucem quam quærebas.* Et fuit in cruce illa Dominus sic distentus et crucifixus, sicut in tempore passionis. Petrus autem in capite suo, illam a dextris sustinebat; Andreas a sinistris, in collo; tertius vero ille a tergo, manibus sustinebat. Et dixit mihi Dominus : *Hæc dices populo meo quia sic me vidisti. Vides has quinque plagas meas? sic vos quinque ordinibus consistitis. Primus ordo est non reformidantium tela vel gladios, nec aliquod genus tormenti. Ordo iste similis mihi est : Ego enim in Jerusalem veni, gladios et lanceas, et fustes, et baculos, demum et crucem non dubitavi. Moriuntur pro me; ego quoque pro eis mortuus sum. Ego sum in eis, et ipsi sunt in me. Cum vero ii tales obeunt, a dextris Dei collocantur, ubi ego post resurrectionem, in cœlum ascendens consedi. Secundus autem ordo est eorum qui in subsidio prioribus sunt, atque a tergo eos custodiunt, ad quos etiam refugere illi possunt; hi vero apostolis sunt similes, qui me sequebantur, mecumque manducabant. Tertius vero ordo est eorum, qui lapides et tela prioribus ministrant; hi namque similes sunt illis qui, cum viderent me in cruce, de passione mea dolentes, pectora sua percutiebant, injuriam fieri mihi proclamantes. Quartus autem ordo est eorum qui videntes bellum insurgere, se domibus intrudunt atque ad negotia sua convertuntur, non credentes in virtute mea victoriam consistere, sed in hominum probitate. Hi tales, illis sunt similes qui dixerunt : « Reus est mortis, crucifigatur, quia regem se fecit, et Dei Filium se dixit (Matth., XXVI).» Quintus autem ordo eorum est qui cum belli clamorem audiunt, de longe speculantes, clamoris causas requirunt, et ignaviæ non virtutis aliis exempla tribuunt et non solum pericula pro me, verum etiam pro fratribus subire nolunt, sed sub specie cavendi, alios volentes pugnare, vel pugnatoribus arma ministrare, secum ad speculandum invitant. Hi Judæ proditori, et Pilato judici similes sunt.* Erat autem nudus in cruce Dominus; tamen linteolo præcinctus, a genibus usque ad lumbos, et erat linteolum medio colore, coloratum inter nigrum et rubeum. Et circa horam habebat vittas albas, et rubeas atque viridis. Post sublata cruce remansit in habitu in quo prius venerat Dominus. Et dixi ad eum : *Domine Deus, si hoc dixero, non credent mihi.* Et respondit mihi Dominus : *Vis cognoscere eos qui his non credent?* Et dixi : *Etiam, Domine.* Et Dominus : *Congreget comes principes et populum, disponatque ae bello, vel de castri oppugnatione aliquid, cum tempus fuerit, proclametque notissimus præco,* DEUS, ADJUVA, *ter; atque dispositum complere tendat. Tunc sicut tibi dixi, ordines videbis, et tu et alii qui his creditis et incredulos distinguetis.* Et dixi : *Domine, quid de incredulis faciemus?* Et respondit mihi Dominus : *Non parcatis eis sed occidite, quia proditores mei sunt, fratres Judæ Iscariotæ : Res vero illorum his qui de priore ordine sunt concedite, prout necessarium fuerit Si sic agitis, invenietis viam rectam quam hactenus circuistis. Et sicut cætera quæ eis dixisti, incommutata provenerunt, et hæc quoque venient. Scis tu quam gentem præcipue dilexerim.* Et respondi. *Domine, gentem Judeorum.* Et Dominus : *Hi quoniam increduli fuerunt, odio eos habui, et inferiores omnibus gentibus stabilivi. Videte itaque ne increduli sitis : Alioquin, vobis remanentibus cum Judæis, alios populos assumam, et per ipsos complebo quæ vobis promiseram. Hæc quoque dices ad eos : Cur timent facere justitiam? Et, quid melius justitia? Hanc justitiam volo ut teneant; per familias et cognationes ponant judices. Cum autem quilibet offenderit alium, dicat qui injuriam patitur : Frater vellesne sic tibi fieri? Posthæc nisi malefactor desierit, ex nomine suæ potestatis ei contradicat; deinde licenter judex a malefactore omnia bona sibi auferat, et medietas sit ejus qui injuriam patiebatur, reliqua vero, potestatis. Si autem judex aliqua de causa hæc facere distulerit, tu vade ad eum et corripe eum, et dic ei quod nisi ille se correxerit, non exsolvetur usque ad ultimum sæculi diem, nisi remiseris illi. Nescisne quam grave sit prohibitum? Etenim ego prohibui Adæ de arbore scientiæ ne tangeret; transgressus meum prohibitum, et ipse et posteri sui in captivitate misera fuerunt, donec ego veniens in carne, eos, morte crucis moriendo, redemi. De decimis vero, bene. quidam fecerunt, quod eas sicut præcepi dederunt. Multiplicabo itaque illos, atque inter alios cognoscibiles faciam.* Cum autem hæc dixisset Dominus, cœpi postulare ab eo ut pro charitate sua litterarum scientiam, quam nuper mihi abstulerat, redderet. Et ait Dominus : *Non sufficiunt tibi ad enarrandum ea quæ nosti, et tamen vis scire plura?* Et continuo ita mihi visus sum sapiens, ut nihil sapere ultra rogarem, et ait Dominus : *Sufficiunt tibi adhuc quæ nosti?* Et respondi : *Sufficiunt.* Et Dominus rursum : *Quid dixi tibi? Responde.* Et ego nihil sciebam. Cumque mihi instaret ut aliquid eorum quæ dixerat responderem sibi, respondi : *Domine, nihil novi.* Et ait Dominus : *Vade et annuntia quæ nosti, et sufficiant tibi quæ scis.* Cum autem hæc fratribus ostendissemus, cœperunt quidam dicere, quod nunquam crederent quod hujuscemodi homini loqueretur Deus, et dimitteret episcopos et principes, et ostenderet se homini rustico ; unde etiam de lancea Domini dubitabant. Quapropter convocavimus fratres illos quibus de lancea aliquando revela-

tum fuerat, et post hæc Arnolfum capellanum comitis Northmanniæ, qui caput omnium incredulorum erat, et quia litteratus erat, credebant ei multum, et quæsivimus ab eo, quare ipse dubitaret. Cumque diceret quod episcopus Podiensis inde dubitaverit, respondit quidam sacerdos Petrus nomine Desiderii : *Ego post obitum ejus vidi episcopum Podiensem, et beatum Nicolaum cum eo*, et post multa alia, dixit mihi episcopus : *Ego sum in uno choro cum beato Nicolao, sed quia de lancea Domini dubitavi, qui maxime credere debuissem, deductus sum in infernum, ibique capilli mei, ex hac parte dextera capitis, et medietas barbæ combusta est, et licet in pœna non sim, tamen clare Deum videre non potero, donec capilli et barba sicut ante fuerant mihi succreverint.*

CAPUT XXVIII.

Hæc et multa alia ex parte Dei, prædixit sacerdos iste quæ postea nobis evenerunt ; sed hæc suo loco dici poterunt. Accessit et alius quidam sacerdos, Ebrardus nomine, et dixit : *Eo tempore quo Turci obsidebant exercitum nostrum infra Antiochiam, ego eram Tripolis. Veneram enim illuc ante captam Antiochiam, pro vitæ meæ necessariis. Cum vero audissem quod Antiochia capta esset, et nostri ita intus tenerentur obsessi ut nullus ingredi vel egredi de nostris auderet, et multa mala alia quæ obsessis imminebant, et plurima falsa, quæ Sarraceni et Turci veris malis addebant, de vita mea dubius, ad ecclesiam quamdam confugi. Ibi ante majestatem quamdam matris Domini procubui, lacrymisque et precibus appellare per eam Dei misericordiam cœpi. Cumque per aliquot dies id fecissem, permanens impransus*, et dicens ei : *O Regina domina, isti peregrini sunt qui dimissis parvulis et mulieribus, et omnibus charis suis, pro nomine Filii tui, et pro te, huc de longinquo venerunt, et pro filio tuo pugnant, miserere eorum. Et, o domina, quid dicetur de te et de filio tuo, in terris ipsorum, si in manibus Turcorum eos tradideris ?* Hæc et alia similia cum mœstus et gemens sæpius iterassem, venit ad me quidam Surianus qui Christianus erat, et dixit mihi : *Bono animo esto, et vide ne amplius fleveris.* Et dixit : *Modo eram ante fores Ecclesiæ beatæ Mariæ matris Domini, et venit quidam clericus ad me albis vestibus indutus ; et cum quæsissem ab eo quis esset, et unde veniret*, respondit : *Ego sum Marcus evangelista, et venio ab Alexandria ; et diverti huc propter ecclesiam Beatæ Mariæ semper virginis.* Et cum rursus quærerem quo iret, dixit : *Dominus noster Jesus Christus est apud Antiochiam, et mandavit omnibus discipulis suis, ut eo venirent, quoniam Franci debent pugnare cum Turcis, et nos erimus eis præsidium.* Et hoc dicto abiit. Cumque ego his parum crederem, nec a dolore nec a lacrymis cessassem, dixit mihi isdem Surianus : *Intellige : In Evangelio beati Petri est scriptum quod nos habemus, quod gens Christianorum quæ capiet Jerusalem, infra Antiochiam clausa erit, nec inde exire poterit, nisi prius lanceam Domini reperit.* Et dixit sacerdos : *Si aliquid horum dubitatis, fiat ignis, et in Dei nomine, et horum testimonio, transibo per medium.* Accessit et alius sacerdos, nomine Stephanus, cognomine Valentinus, vir magni testimonii, et bonæ vitæ ; et dixit : *Ipse Dominus Jesus locutus est mihi in ipso fervore tribulationis quæ fuit apud Antiochiam, et promisit mihi coram matre sua, beatissima virgine Maria : quod, in quinta die quæ futura erat, misericordium populo suo faceret et labores ejus quamplurimos compleret, si ad eum reverterentur ex toto corde ; et in die illa lancea Domini reperta est ; ubi ego promissa Domini completa esse credo. Si quid inde dubitatis, episcopo Podiensi statim ut hæc vidi obtuli pro testimonio horum, coram multitudine omni, quod si ipse vellet, ego transirem per ignes, vel de altissima turre præcipitarer, adhuc hoc ipsum vobis offero.* Accessit autem et episcopus Athensis, et dixit : *In somnis ego an vigilans ista viderim, certum nescio, Deus scit. Vir quidam venit indutus albis, et stetit ante me, et tenebat lanceam Dominicam istam in manibus suis*, et dixit mihi : *Credis hanc lanceam esse Domini ?* Et respondi : *Credo, Domine.* Dubitaveram et ego aliquando de ea. Cum id secundo et tertio graviter exegisset, dixi ad eum : *Credo, Domine, hanc esse lanceam Domini nostri Jesu Christi.* Et post hæc dimisit me. Et ego Raimundus, qui hæc scripsi coram fratribus et episcopis, hæc ibi dixi : *Interfui ego dum effoderetur lancea Domini, et antequam tota super terram apparuisset, mucronem osculatus sum. Et sunt in exercitu plures, qui mecum ista viderunt.* Et addidi : *Et est alius quidam sacerdos, Bertramus nomine, Podiensis, episcopo Podiensi in vita ipsius familiaris. Hic autem sacerdos infirmatus est usque ad mortem, cumque jam de vita sua desperasset, apparuit ei episcopus Podiensis cum Heraclio vexillifero suo ; qui in bello maximo facto apud Antiochiam, in faciem percussus sagitta, cum intrepidus agmina Turcorum prosterneret, et inde vitam finierat :* Et dixit episcopus sacerdoti : *Bertrame, quid agis ?* Et dixit Heraclius : *Domine, infirmus est.* Et respondit episcopus : *Propter incredulitatem infirmatur.* Et sacerdos ad hæc : *Domine, nonne ego de lancea Domini credo, sicut et de passione Domini ?* Et dixit ei episcopus : *Et adhuc multa alia credere oportet.* Et licet ad hoc negotium non pertineat, tamen quia egregium est, gratia bonorum hominum aliquid adjungam. Cum resedisset sacerdos ad præsentiam episcopi, et Heraclii domini sui infirmus enim erat, nec stare poterat, vidit in faciem Domini sui, vulnus non esse sanatum, Et ait sacerdos : *Quid est hoc ?* Et respondit Heraclius : *Cum ego venissem ante Dominum meum, deprecatus sum eum, ut nunquam hæc plaga clauderetur, quoniam propter eum vitam finieram. Et hoc mihi concessit Dominus.* His atque pluribus auditis, credidit Arnulfus, et confessus est, et promisit episcopo Albariensi, quod coram omni multitudine populi, pro incredulitate sua veniam peteret. Die autem constituta, cum venisset vocatus ad consilium Ar-

nulfus, cœpit dicere quod bene crederet; sed cum domino suo volebat loqui, antequam veniam inde peteret. Cum vero hoc audisset Petrus Bartholomæus, iratus nimium, dixit sicut homo simplex, et qui veritatem bene noverat: *Volo ac deprecor, ut fiat ignis maximus, et cum lancea Domini transibo per medium, et, si lancea Domini est, incolumis transeam; sin autem falsum est, comburar in igne. Video enim quia nec signis nec testibus creditur.* Placuerunt hæc omnia nobis, et indicto ei jejunio, diximus quod eo die fieret ignis, quo Dominus noster pro salute nostra, plagatus, et in cruce fuit. Et post diem erat Parasceve. Itaque illucescente die constituta, ignis paratus est post meridiem. Convenerunt eo principes et populus, usque ad quadraginta millia virorum, fueruntque ibi sacerdotes nudis pedibus, et induti sacerdotalibus vestimentis. Factus est ignis de oleis siccis, et habuit in longitudine quatuordecim pedes; et erant duo aggeres, et erat inter utrosque duos aggeres spatium quasi unius pedis, atque in altitudine aggerum erant quatuor pedes. Cum vero vehementer ignis accensus esset, dixi ego Raimundus coram omni multitudine: *Si Deus omnipotens huic homini locutus est facie ad faciem, et beatus Andreas lanceam dominicam ostendit ei, cum ipse vigilaret, transeat iste illæsus per ignem. Sin autem aliter est, et mendacium est; comburatur iste cum lancea, quam portabit in manibus suis.* Et omnes flexis genibus responderunt: *Amen.* Exæstuabat ita incendium ut usque ad triginta cubitos aerem occuparet; accedere vero prope nullus poterat. Tunc Petrus Bartholomæus, indutus solummodo tunica, et flexis genibus ante episcopum Albaricensem, *Deum* testem invocavit, *quod facie ad faciem ipsum in cruce viderit; et hæc, quæ supra scripta sunt ab eo audierit, et a beatis apostolis Petro et Andrea, et neque quidquam eorum, quæ ipse sub nomine sancti Andreæ vel sancti Petri, vel ipsius Domini dixit se composuisse, et si quidquam mentitus erat, præsens incendium nunquam transisset. Cætera quæ ipse commisisset in Deum et in proximum, dimitteret ei Deus, et pro his oraret episcopus, atque omnes alii sacerdotes, et populus qui ad hoc spectaculum convenerant.* Post hæc cum episcopus posuisset ei lanceam in manus flexis genibus, et facto signo crucis, cum lancea viriliter et imperterritus incendium ingressus est, atque spatio quodam in medio ignis demoratus est, et sic per Dei gratiam transivit. Sunt nonnulli adhuc, qui signum hoc ibi viderunt; quod antequam ingrederetur in ignem, quædam avis desuper volans, lustrato igne, se intus misit: Et hoc vidit Ebrardus sacerdos ille, cujus superius mentionem fecimus, qui Hierosolymis postea pro Deo remansit, et Wilhelmus Boni filius, optimus miles, et boni testimonii, patria Arelatensis, hoc ipsum se vidisse testatur. Alius quidem miles est optimus, genere Niterensis, nomine Wilhelmus Malus puer, qui antequam Petrus ingrederetur in flammam, quemdam hominem indutum veste sacerdotali, nisi quod casulam habebat super caput replicatam, ingredi in ignem vidit, et cum videret quod non egrederetur, existimans Petrum Bartholomæum esse, lacrymari cœpit, credens eum exstinctum esse in igne. Erat autem multitudo ibi hominum, nec poterant omnes omnia videre. Et alia multa nobis relata sunt, et facta, quæ nos metuentes legentibus fastidium, scribere noluimus, cum ad omnem causam tres idonei testes sufficiunt. Unum vero non prætereamus. Postquam enim Petrus per ignem transivit, licet adhuc multum exæstuaret incendium, tamen populus ita avide titiones collegit, et carbones cum cinere, ut in brevi spatio nihil inde appareret. In fide etenim illorum, multas per hæc virtutes operatus est postea Dominus. Ut vero Petrus Bartholomæus de igne egressus est, ita ut nec tunica ejus combusta fuerit, nec etiam ille subtilissimus pannus de quo lancea Domini involuta erat signum alicujus læsionis habuisset; accepit eum populus, cum signasset eos cum lancea Domini, et clamasset alta voce: DEUS, ADJUVA, accepit, inquam, et traxit eum per terram, et conculcavit eum omnis illa multitudo populi, dum quisque volebat eum tangere, vel accipere de vestimento ejus aliquid, et dum credebat eum esse quisquam apud alium. Itaque tria vulnera vel quatuor fecerunt ei in cruribus, abscidentes de carne ejus, et spinam dorsi confringentes, crepuerunt eum. Expirasset autem ibi Petrus, sicut nos credimus, nisi Raimundus Pelez nobilissimus miles, et fortis, facto agmine sociorum irrupisset in agmen turbæ turbatæ, et usque ad mortem pugnando liberasset eum. Sed nos in sollicitudine et angustia modo positi, amplius de his scribere non possumus. Cum vero detulisset Raimundus Pelez Petrum ad domum nostram, colligatis vulneribus ejus cœpimus quærere ab eo quare moram fecisset in igne. Ad hæc ipse respondit: *Occurrit mihi Dominus in medio igne; et apprehendens me per manum,* dixit mihi: *Quia dubitasti de inventione lanceæ, cum beatus Andreas eam tibi ostendisset, non sic transibis illæsus, sed infernum non videbis. Et hoc dicto, dimisit me. Videte itaque, si vultis, adustionem meam.* Et erat aliqua adustio in cruribus, verum non multa; sed plagæ erant magnæ. Post hæc convocavimus omnes qui de lancea Domini dubitaverant, ut venirent et viderent faciem ejus, et caput, et reliqua membra, et intelligerent, quod verum est, quidquid ipse dixerat de lancea, et de aliis, cum pro testimonio eorum non extimuisset introire tale incendium. Viderunt itaque multi, et videntes faciem ejus atque totum corpus, glorificabant Deum dicentes: *Bene potest nos Dominus custodire inter gladios inimicorum nostrorum, qui hominem istum liberavit de tanto incendio flammarum. Certe non credebamus, quod sagitta aliqua sic transire posset illæsa per ignem, quomodo iste transivit.* Post hæc Petrus convocavit ad se capellanum comitis, nomine Raimundum, et dixit ei: *Quare voluisti ut ego ob testimonium Dominicæ lanceæ, et cæterorum quæ ex parte Dei dixeram, per*

incendium transirem? Scio satis quia hoc et hoc cogitastis. Et dixit ei quæ ipse cogitaverat. Cumque ille se taliter cogitasse negaret, respondit Petrus Bartholomæus : *Mihi quidem negare non potes, quia certum hoc habeo : Etenim illa nocte fuit hic beatissima virgo Maria, et episcopus Podiensis, per quos ego quæ tu negas didici. Miror satis cum de verbis Domini et apostolorum ejus non dubitaveris, quare experimentum cum periculo meo, de solis his habere volueris.* Tunc deprehensam cogitationem suam, et se culpabilem ante Deum Raimundus videns, amarissime in lacrymas prorupit. Et Petrus ad hæc ; *Noli desperare, quia piissima virgo Maria, et sanctus Andreas tibi veniam apud Deum obtinebunt. Tu vero enixius eos deprecare.*

CAPUT XXIX.

Interim tantæ ac tales lites inter principes nostri exercitus obortæ sunt ut pene totus exercitus divideretur. Sed Deus qui ductor erat, et Dominus noster, ne talia fierent beneficiis suis prohibebat. Erat civitas nomine Tripolis, cujus superius mentio facta est, non multum longe a castris nostris. Hujus igitur civitatis dominus, cum discordiam principum nostrorum didicisset, respondit nostris, qui de reddendo tributo eum appellabant : *Et qui sunt Franci? Et quales milites sunt? Et quanta eorum potentia? Ecce tertius mensis modo agitur ex quo exercitus Francorum obsedit castrum Archados, et neque assultum eorum habui, neque aliquem armatum de ipsis vidi, et tamen sunt prope me per quatuor leugas. Sed veniant huc, et videamus eos, et comprobemus militiam eorum. Quare ego eorum hominum tributarius fierem, quorum facies non vidi, et fortitudinem ignoro?* Ut vero hæc relata sunt ad exercitum nostrum; dixerunt quique ad invicem : *Ecce quod acquisivimus pro contentionibus et discordiis nostris : Blasphematur Deus; et nos contemnimur.* Itaque convenientes in unum principes nostri, statuerunt ut Albariensis episcopus cum parte exercitus castra servaret, et principes cum ordinibus peditum et militum, sicut pugnandi mos est, usque ad muros civitatis assultarent. Constituta autem die cum nostri taliter proficiscerentur, egressi Tripolitani obviam illis, in multitudine et tumultu suo confisi, pugnare cum nostris parabant. Est quidam murus firmissimus aquæducti in civitatem et altus, inter quem et mare, non multum ampla via est; a tribus enim partibus Tripolim mare cingit. Hunc igitur murum aquæducti quem diximus, Sarraceni munierunt, ut quasi de castello castellum exire et regredi possent, si quid adversi contigisset. Videntes itaque nostri hanc multitudinem loco et armis confidentem, invocando Deum, et erectis hastis conglobatim pedites et milites, more processionis, usque ad eos venerunt, ut si nostros vidisses, amicos non hostes esse eos dixisses, ut autem permisti sunt, hostes esse et non amicos crederes. Fedatur enim terra sanguine Maurorum, et completur aquæductus cadaveribus eorum. Tantum namque timorem hostibus immisit Dominus ut vix fugere, post primos ictus eorum aliqui possent. Erat quidem ad videndum satis delectabile, cum aquæducti rivulus raptim truncata cadavera nobilium et vulgi in civitatem inferret. Ceciderunt ibi de nostris unus vel duo ; de hostibus vero, usque ad septingentos cecidisse audivimus. Reversi itaque cum grandi victoria, et spoliis multis, dixerunt nostri principes ad populum : *Hodie vidit nos rex Tripolis, et nos vidimus vias civitatis, et consideravimus accessus ; et nunc, si laudatis, justum esse decernimus ut cras sapiat rex quales milites sumus.* Reversi itaque altera die, extra civitatem nullum invenerunt. Post hæc autem mandavit rex Tripolis ad nostros principes si desisterent ab oppugnatione Archados, donaret eis quindecim millia aureos, et equos multos et mulas, et vestes, et victualia, atque mercatum faceret de omnibus rebus omni populo ; præterea redderet omnes captivos, quos habebat de nostra gente. Venerunt eo tempore ab Alexio imperatore legati, cum maximis querimoniis de Boimundo, eo quod retineret civitatem Antiochiæ, contra juramenta quæ imperatori fecerat. Habebat enim Boimundus Antiochiam eo tempore. Namque cum audisset de comite, quod profectus esset a Marra in interiora Syriæ, expulit homines comitis violenter de turribus Antiochiæ, quas servabant. Et propterea mandavit Alexius ad principes nostros, quod donaret aurum et argentum multum eis, et veniret cum eis in Jerusalem, si exspectarent usque ad festivitatem sancti Joannis, et tunc instabat Dominicum Pascha. Dicebant ob ea multi in quibus comes erat: *Exspectemus imperatorem, et habebimus donativa ejus, et ipsum, qui faciet nobis venire mercatum per mare et terram, et sub ipsius dominio concordabimus. Omnes civitates se dabunt ei, et ille vestiet quas voluerit, et quas voluerit destruet. Propterea populus iste noster, longis et diuturnis defatigationibus conquassatus, si venerit in Jerusalem, volet fortasse reverti, ut deforis viderit eam. Quæ vero et quanta pericula maneant illos qui perficere iter desiderant, perpenditis. Adhuc autem obsidemus castellum Archados, et usque ad mensem vel se reddent vel vi capientur, et cum longe notum sit de obsidione ista, si dimittamus eam ut inexplicabilem, multum contemnetur noster exercitus, qui hactenus nihil incœpit quod inexpletum dimiserit.* At vero alii e contra dicebant : *Semper nocuit nobis imperator, semper mentitus est, semper adversum nos cogitavit. Et nunc quia videt se nihil posse, et nos valere per gratiam Dei, ex studio agit quatenus a proposito itineris nos retrahat, ne hi qui audierint, exemplo nostri venire disponant. Sed jam quos ipse multoties læsit verbis et opere, fidei ejus frustra animos adhibere caveant. Fidentes igitur, Christo duce, qui nos de tam multis, præter spem liberavit periculis et contra omnia molimina imperatoris et fraudes ejus nos contutatus est, viam pro qua venimus ingrediamur, et facile, ex Dei promissione, quod volumus consequemur. Et cum hoc audierit imperator, captam*

scilicet esse Jerusalem, tunc liberum iter quod verbis simulabat, opere complebit. Similiter de ejus donativis erit laus. Populus hanc maxime laudabat sententiam. Sed quia comitis familiares erant multi; quippe cum pro populo suo comes, sine aliis principibus, morti exposuisset, et pluribus magna et privata beneficia contulisset, propterea consilia principum et populi vota impediebantur.

CAPUT XXX.

Prædicavimus eo tempore jejunium, et orationes et eleemosynas in populo, ut Deus omnipotens, qui eum de tam multis regionibus conduxerat illuc, inspirare dignaretur, quid erat gratum de hoc itinere in conspectu suo. Itaque fidelium vota quod quærebant apud Deum, facile promeruerunt. Apparuit enim episcopus Podiensis Stephano Valentino, de quo superius mentionem fecimus, quia Dominum cum cruce viderit, et percussit eum cum virga, regredientem ad domum suam per noctem episcopus, et dixit ei : *Stephane.* Et ille respondit : *Domine.* Et respiciens agnovit eum. Et ait episcopus : *Quare neglexisti semel vel secundo quod tibi dixi de cruce, dominæ et matris nostræ semper virginis Mariæ? de cruce dico, quam ego præferri faciebam, ut apportaretur in exercitum. Et quod signum melius cruce? An non est satis illa crux pro nobis lapidata? An non illa crux bene vos conduxit, usque ad lanceam Domini? Et nunc ait domina et beatissima semper virgo Maria, quod nisi illam crucem habeatis, non potestis habere consilium.* Et continuo ait sacerdos : *O reverendissime domine, et ubi est beatissima virgo Maria?* Et statim episcopus eam monstravit ei. Erat autem beatissima virgo Maria longe ab eo quasi novem vel decem cubitis, specie et ornatu valde admirabilis; et assistebant ei beata Agatha, et quædam altera virgo cum duobus cereis. Et tunc sacerdos ait ad episcopum, qui assistebat ei : *Domine, quanta dicuntur de vobis in exercitu, quod in inferno vobis barba et capilli combusti sunt, et alia multa quibus non creditur? Et nunc oro, ut unam de candelis istis in testimonium horum quæ dicitis, mihi donetis ut deferam ad comitem.* Tunc ait ille episcopus : *Videns, vide faciem meam. Nunquid perusta est?* Post hæc accessit episcopus ad beatissimam Virginem, et cognita ejus voluntate regressus est ad sacerdotem, et dixit ei : *Quod tu quæris, impetrare non potes; sed hic annulus quem habes in digito tuo, nec tibi prodest, nec portare eum debes : Vade, et dabis eum comiti,* dicens : *Virgo mater sanctissima, mittit tibi hunc annulum, et quoties defeceris in aliquibus rebus, recordare illius dominæ quæ tibi mittit hunc annulum, et appellabis eam, et Dominus auxiliabitur tibi.* Rursus, cum quæreret sacerdos ab eo quid vellet ut faceret frater suus, respondit episcopus : *Oret bene electum episcopum, ut pro animabus parentum nostrorum celebret tres missas ad Dominum.* Et ait iterum : *Præcepit mater nostra, ut deinceps lancea non monstretur nisi a sacerdote induto sacris vestibus; et crux ei præferatur, sic.* Et tenuit episcopus crucem in hastile positam, et quidam indutus sacerdotalibus vestibus sequebatur eum, habens lanceam inter manus. Et episcopus incœpit responsorium hoc : *Gaude, Maria virgo, cunctas hæreses sola interemisti.* Et illico incœperunt sine numero centena millia virorum; atque sic illud sanctum collegium abiit. Mane autem facto, venit sacerdos, et primum quæsivit, si haberemus lanceam; et cum vidisset eam, cum multis lacrymis cœpit enarrare ea quæ superius diximus. Misit itaque comes Guillelmum Ugonem de Muntilio fratrem Podiensis episcopi Laodiciam, ubi crux dimissa fuerat, cum capella ipsius episcopi.

CAPUT XXXI.

Interea Petrus Bartholomæus, morbo defatigatus ex conquassatione et vulneribus, convocavit comitem et principes ejus, et dixit eis : *Finis vitæ meæ appropinquavit, et scio satis quia de omnibus, quæ male feci et dixi, vel etiam cogitavi, ante Deum judicabor; in cujus conspectu, hodie testificor ipsum, coram vobis, me nihil composuisse ex his omnibus quæ ex parte Dei, et apostolorum ipsius vobis nuntiavi, et adhuc vobis dicam. Et sicut vidistis ea quæ vobis nuntiavi, sic sine dubio videbitis ea quæ vobis dicam, siquidem Deo fideliter serviatis. Tu vero comes, cum veneris in Jerusalem, fac ut exercitus postulet Deum, ut vitam tuam prolonget, atque contiñuet, et Deus prolongabit eam tantumdem quantum vixisti. Tu autem cum reversus fueris prope quinque leugas, in ecclesiam Sancti Trophimi lanceam Domini pones, et ecclesiam ibi fabricare facies, et fiet ibi moneta, quam tu jurabis ne falsa fiat. Sed neque aliud aliquid falsum ibi permittes. Vocabitur autem locus* Mons gaudii : *Et fient hæc intra provinciam. Etenim beatus Petrus apostolus Trophimo suo discipulo promisit, quod lanceam Domini ei mitteret.* Post hæc Petrus Bartholomæus, securus et in pace, hora sibi a Deo constituta, migravit ad Dominum; sepultusque est in loco illo, ubi cum lancea Domini per ignem transierat.

CAPUT XXXII.

Interea comes atque alii principes de itinere Jerusalem, qua melius ac levius fieret, ab incolis regionis perquirebant. Tunc accesserunt ad nos quidam Suriani. Sunt enim ibi montana Libani, in quibus ad sexaginta millia habitabant Christianorum, et terram illam, et montana multo tempore Christiani possederunt, qui propter civitatem Tyri, quæ vulgariter nunc *Sur* appellatur, *Suriani* vocantur. Sed insurgentibus, per Dei judicium, Sarracenis atque Turcis, in tanta oppressione servitutis isti Suriani fuerunt, per quadringentos et amplius annos, ut multi eorum compellentur patriam et Christianam deserere legem : Si qui, per Dei gratiam, contempsissent, cogebantur tradere pulchros parvulos suos ad circumcidendum vel turcandum, vel rapiebantur de finibus matrum, interfecto patre et illusa parente. Quippe in tantam malitiam exarserant illa hominum genera ut ecclesias Dei subverterent, et ejus, vel sanctorum ejus imagines delerent, et quas

non poterant delere per moram, oculos eorum eruebant, vel sagittabant, altaria vero omnia suffodiebant. In ecclesiis autem magnis, *bafumarias* faciebant. Quod si aliquis de illis angustiatis Christianis, imaginem Dei vel alicujus sancti, domi suæ habere volebat, vel redimebat eam per singulos menses vel annos; aut conculcata in stercore, coram oculis ipsius comminuebatur. Quodque adhuc relatu nimis durum est, ponebant juvenes in prostibulis et commutantes sorores eorum pro vino, ut nequius agerent. Et neque his neque aliis tristibus, illacrimari palam etiam matres audebant. Et quid de his multa narramus? Conjuraverat certe gens illa contra Sanctum sanctorum, et ejus hæreditatem. Quod nisi jussu et instinctu Dei, Francorum gentes, his malis occurrissent, profecto bruta animalia contra illos Deus armasset; quod aliquando nobis præsentibus fecit. Et de his, hactenus dictum sit. Illi, inquam, Suriani, de quibus superius diximus, qui ad comitem venerunt, requisiti de meliori itinere, responderunt: *Est via per Damascum plana satis, et plena victualium, sed non invenietis aquam per duos dies. Est alia per montana Libani, tuta satis et copiosa; sed gravis multum sagmariis atque camelis. Est et alia secus mare, ubi tam multæ ac tales angustiæ sunt ut si quinquaginta aut centum Sarraceni eas retinere voluerint, prohibere possint omne genus humanum. Et tamen in Evangelio beati Petri, quod apud nos est, continetur quod si vos estis gens illa quæ Jerusalem capere debet, per maritima transire debetis, licet propter difficultatem nobis impossibile videatur. Non solum autem hoc, de itinere vestro; sed et alia multa, quomodo vos egistis, et qualiter agere debeatis, in Evangelio suo apud nos scripta continentur.* His atque aliis modis persuadentibus, et contradicentibus aliis, Guillelmus Ugo de Montilio reversus est cum cruce, de qua superius diximus. Hanc autem crucem, cum vidissent etiam familiares comitis, in tantam itineris commotionem devenerunt ut præter comitis et aliorum principum consilium, incensis tabernaculis suis, et primum comitis familiares, obsidionem Archados dimitterent. Conturbabatur itaque comes usque ad lacrymas, et usque ad sui et suorum odium; neque tamen ob hoc voluntatem suæ plebis Deus imminuebat. Sed dux Lotharingiæ, maxime hoc iter volebat, et plebem ad hoc monefaciebat. Itaque profecti ab invisa illa et odiosa obsidione Archados, venimus ante Tripolim. Nitebatur etiam tunc comes Raimundus, precibus atque muneribus apud omnes nobiles, ut civitatem Tripolim obsiderent, sed omnes ei contradicebant. Apparuit eo tempore sanctus Andreas apostolus Petro Desiderii, de quo supra mentio facta est, et dixit ei: *Vade et dic comiti: Noli molestus esse tibimet, neque aliis, quia nisi prius capta fuerit Jerusalem, nullum succursum habebitis. Non te molestet inexpleta obsidio Archados, non te gravet quod hæc civitas vel aliæ quæ in itinere sunt ad præsens non capientur, quia imminet vobis in proximo bellum, ubi hæc et aliæ multæ civitates conquisitæ erunt. Propterea tu noli esse molestus tibi neque tuis, sed quidquid tibi Deus concesserit, in nomine ejus libenter distribue, atque tuis hominibus, socius et fidelis amicus esto. Si sic egeris, dabit tibi Dominus Jerusalem, et Alexandriam, atque Babyloniam: Quod si hæc neglexeris, nec promissa tibi a Deo consequeris, nec legatum ejus habebis, donec in illa angustia positus sis, ut quo declinare possis ignores.* Accepit itaque comes hæc verba sacerdotis, accepit, inquam, verbis, sed operibus abnegavit. Etenim cum accepisset multam pecuniam a rege Tripolis, nulli unquam largiri aliquid inde voluit, sed etiam verberibus atque contumeliis quotidie suos lacerabat. Non solum autem hæc sacerdos dixit, verum etiam multa alia quæ retro acta sunt, de quibus quædam huic operi apponimus. Aliquando namque cum proficisci vellemus ab Antiochia, venit sacerdos iste ad me Raimundum, et dixit mihi quod quidam sibi in visione apparuerit, qui dixit ei: *Vade in ecclesiam Beati Leontii, et invenies ibi de reliquiis quatuor sanctorum, et tolles eas tecum, atque portabis in Jerusalem.* Et ostendit ei in ipsa visione reliquias, et reliquiarum loculos, et docuit nomina sanctorum. Cum vero evigilasset sacerdos, et non satis suæ crederet visioni, cœpit agere precibus, et obsecrationibus ad Deum, ut si hæc revelatio ab ipso erat, secundo saltem sibi innotesceret. Adstitit ei idem sanctus in visione post aliquot dies, atque multum comminatus est, quod mandatum a Domino neglexisset, et nisi usque ad quintam feriam sustulisset illas reliquias, esset sibi grave damnum et Domino suo Ysoardo comiti. Erat enim Ysoardus comes Diensis, vir in quantum noverat, Deo fidelis, et omnibus nobis sapientia et probitate utilis. Cum hoc mihi Raimundo narrasset sacerdos, retuli ego ad Aurasicensem episcopum, et ad comitem sancti Ægidii, et ad alios quosdam. Qui, acceptis candelis, venimus ad ecclesiam Sancti Leontii. Obtulimus candelas et vota Deo et sanctis ejusdem ecclesiæ, ut Deus omnipotens qui eos sanctificaverat, nobis eos consortes, et coadjutores donaret; et sancti illi, peregrinorum et exsulum pro Deo non spernerent consortium, sed magis nobis conjungerentur, et nos Deo conjungerent. Mane autem facto, venimus cum sacerdote ad sanctarum reliquiarum loculos, et, sicut nobis prædictum fuerat, invenimus. Sunt autem nomina sanctorum istorum, Cyprianus, Omezios, Leontios, Joannes Chrysostomus. Inter ipsos autem loculos, capsulam quamdam reperimus cum reliquiis, de quibus cum quæreremus a sacerdote, cujus sancti essent illæ reliquiæ, se nescire respondit, cum vero ab incolis quæreremus si scirent cujus sancti essent, se nescire dicebant; alii sancti Mercurii, alii Sanctorum aliorum. Sacerdos vero levare et colligere cum aliis reliquiis eas volebat. Cui ego, Raimundus, coram omnibus, qui ibi aderant fortiter dixi: *Si venire voluerit iste sanctus Jerusalem, nomen suum et voluntatem manifestet; alioquin remaneat*

hic. Nunquid de ignotis ossibus honorabimur? Itaque illo die dimissæ sunt reliquiæ illæ. Cum vero sacerdos alias reliquias collegisset, et pannis atque pallio eas involvisset, in nocte quæ secuta est, astitit ei vigilanti quidam juvenis, quasi quindecim annorum, pulcherrimus valde, qui dixit ei :*Quare hodie non accepistis reliquias meas cum cæteris?* Et presbyter ad hæc : *Et quis es tu, domine?* Et ille : *An ignoras quis sit vexillifer hujus exercitus?* Et respondit presbyter : *Nescio, domine.* Cumque secundo eidem quærenti, eadem sacerdos respondisset, terribiliter comminatus est ei, dicens : *Tu revera mihi dices.* Et tunc ait sacerdos : *Domine, dicitur de sancto Georgio, quod sit vexillifer hujus exercitus.* Et ille : *Bene dixisti. Ego sum ille. Accipe igitur reliquias meas, atque seorsum cum aliis pones.* Cum autem sacerdos per aliquot dies hæc facere distulisset, advenit idem sanctus Georgius, et præcepit presbytero graviter dicens : *Nullatenus dimittas quod mane reliquias meas non tollas, atque juxta invenies in ampullula, de sanguine sanctæ virginis et martyris Teclæ, quem pariter tolles, et post hæc missam cantabis.* Hæc atque omnia quæ ei dixerat reperit sacerdos, et fecit.

Sed antequam ad reliqua perveniamus, de his prætermittere non debemus qui pro amore sanctissimæ expeditionis, per ignota et longissima æquora Mediterranei et Oceani navigare non dubitaverunt. Etenim Angli, audito nomine ultionis Domini nostri Jesu Christi, in eos qui terram nativitatis Domini, et apostolorum ejus indigne occupaverant, ingressi mare Anglicum, et circinata Hispania, transfretantes per mare Oceanum, atque sic Mediterraneum mare sulcantes, portum Antiochiæ, atque civitatem Laodiciæ, antequam exercitus noster per terram illuc veniret, laboriose obtinuerunt. Profuerunt eo tempore nobis tam istorum naves, quam et Genuensium. Habebamus enim ad obsidionem, per istas naves, et per securitatem earum commercia a Cypro et a reliquis insulis. Quippe hæ naves quotidie discurrebant per mare ; et ob eas Græcorum naves secutæ erant, quia Sarraceni eis incurrere formidabant. Ergo cum vidissent illi Angli exercitum proficisci in Jerusalem, et robur suarum navium a longinquitate temporis imminutum, quippe qui usque ad triginta in principio naves habuissent, modo vix decem vel novem habere poterant, alii dimissis navibus suis et expositis, alii autem incensis nobiscum iter acceleraverunt.

CAPUT XXXIII.

Cumque ante Tripolim nostri principes moras innecterent, tantum amorem eundi in Jerusalem misit Dominus in populo, quod nullus se vel alium retinere ibi poterit; sed profecti vespere contra principum decreta et contra amorem nostri exercitus, ota illa nocte perambulantes, sequenti die Berintum devenimus, atque post hæc præoccupatis ex improviso angustiis, quæ Buccatorta nominantur, infra pau-

A cos dies et sine impedimento venimus Accaron. Rex autem Accaron, metuens ne civitatem suam obsideremus, juravit comiti, propter hoc ut discederemus, *si caperemus Jerusalem, vel si essemus in regione Judææ, per viginti dies, et rex Babyloniorum nobis in bello non occurreret; vel si possemus superare ipsum regem, redderet nobis se, et civitatem suam; interim vero amicus noster esset.* Profecti igitur ab Accaron una die in vespere, juxta paludes quæ sunt prope Cæsaream, castra tetendimus. Dumque, sicut moris est, alii pro necessitate infra castra discurrerent; alii autem de sociis ubi hospitati essent, a notis sibi inquirerent, columbam desuper exercitum volantem, accipiter in medio discurrentium, mortaliter plagatam dejecit. Cum autem sustulisset eam episcopus
B Atensis, reperit litteras quas illa deferebat; et erat sententia litterarum quasi hujusmodi : Rex Accaron, duci Cæsareæ : *Generatio canina per me transivit, gens stulta atque contentiosa, sine regimine, quibus per te et per alios, quantum legem tuam diligis, nocere desidera. Quod si vis, facile poteris. Hoc idem et ad alias civitates, atque castra mandabis.* In mane autem cum exercitum requiescere præciperemus, expositæ sunt litteræ ad principes, et ad omnem populum ; et quomodo Deus benignus esset erga eos, adeo ut nec etiam aves ad nocendum nobis transire per aera possent, et inimicorum nostrorum etiam nobis arcana reserarent. Unde omnipotenti Deo, laudes et gratias referebamus. Atque inde profecti se-
C curi et alacres, et frequentes cum prima parte exercitus, et in ultima præcedebamus. Cum vero audissent Sarraceni, qui habitabant in Ramulis, quia transieramus fluvium qui prope est, deseruerunt munitionem et arma, et frumentum multum in areis, et messes quas collegerant. Cum autem venissemus eo altera die, cognovimus quia Deus revera pro nobis pugnaret. Itaque obtulimus vota sancto Georgio : Et quoniam se ducem nostrum professus est, visum est a majoribus, et omni populo ut episcopum ibi eligeremus, quoniam in illam ecclesiam in terra Israel, primam invenieramus, ac simul ut B. Georgius pro nobis Deo supplicaret, et per terram incolatus sui nos fideliter educeret. Sunt autem Ramulæ prope ab Jerusalem, quasi sedecim milliaria. Itaque ha-
D buimus ibi colloquium, et dicebant alii : *Non eamus ad præsens in Jerusalem, sed versus Ægyptum et Babyloniam; et si, per gratiam Dei, superare poterimus regem Ægypti, non solum Jerusalem, verumetiam Alexandriam et Babyloniam, et plurima regna obtinebimus. Quod si modo eamus in Jerusalem, et non invenientes aquam sufficientem deseramus obsidionem, nec hoc nec illud postea perficiemus.* At vero alii econtra dicebant : *Vix sunt in exercitu mille quingenti milites, et armatorum peditum grandis numerus non est; et laudatur modo, ut ignotas et longissimas regiones adeamus, ubi nec succursum de nostra gente habere possimus, nec sanctam civitatem capiamus, nec præsidium ponere, nec etiam inde reverti, cum necessarium fuerit, valeamus? Sed nihil est hoc; te*

neamus viam nostram; et de obsidione, et de siti et de fame, et de aliis, Deus, provideat servis suis. Dimisso itaque præsidio cum episcopo novo in castro Ramulis, oneravimus boves et camelos, denique et omnia jumenta nostra, et equos; et ad Jerusalem iter vertimus. Verbum autem quod præceperat nobis Petrus Bartholomæus, ut non nisi discalciati, ad Jerusalem per duas leugas appropinquaremus, et obliti sumus, et vix hahuimus, dum unusquisque volebat eam prævenire, ex ambitione occupandi castella, et villas. Erat enim ista consuetudo inter nos, ut si ad castellum vel villam quis prior venisset, et posuisset signum cum custodia, a nullo alio postea contingebatur. Itaque hac ambitione, de media nocte surgentes, non exspectatis sociis, omnia illa montana obtinuerunt, et villas quæ sunt in campestribus Jordanis. Pauci autem, quibus hoc mandatum Dei charius erat, nudis pedibus incedentes, pro contemptu divini verbi graviter suspirabant, et tamen nullas socium vel amicum, ab illo ambitioso cursu revocabat. Cum autem sic superbe incedendo venissemus prope Jerusalem, egressi Sarraceni de civitate obviam prioribus de nostris, homines et equos graviter plagaverunt, et de ipsis ea die ceciderunt tres vel quatuor, et multi plagati sunt. Obsederunt autem civitatem a septentrione dux et comes Flandrensis, et comes Northmannus, obsederunt vero eam, ab ecclesia Sancti Stephani, quæ est quasi ad medium civitatis, a septentrione usque ad angulum turrim, quæ proxima est turri David. Comes autem et exercitus ejus, sedit ab occidente, et obsedit eam ab obsidione ducis, usque ad descensum montis Sion; sed quia non poterant homines ejus plane accedere ad oppugnandum murum civitatis, quia vallis quædam erat in medio, volebat mutare castella sua et locum.

CAPUT XXXIV.

Quadam autem die cum circuisset comes civitatem, et venisset in montem Sion, et vidisset ecclesiam, et audisset mira quæ Deus ibi operatus est, dixit ad principes, et ad eos qui ibi aderant: *Si dimittamus hæc sacra quæ nobis Deus hic præsentavit, et deinceps Sarraceni occupent ea, quid erit de nobis? Quid si propter odium nostrum contaminent ea, atque confringant? Quis scit, an in tentationem Deus nobis dederit hæc, ut comprobaret quantum diligeremus eum? Certo hoc unum scio, quia nisi diligenter conservemus hæc sacra, non tradet nobis Deus illa quæ sunt infra civitatem.* Itaque comes Raimundus, præter suorum principum voluntatem, tentoria sua illuc transferri jussit; unde tantam invidiam suorum passus est, ut neque hospitari, neque excubias per noctem agere vellent, sed manebat unusquisque in loco suo, in quo prius hospitatus fuerat, nisi pauci qui cum comite illuc transmigraverunt. Sed conducebat quotidie comes milites et pedites, cum magna mercede, qui castra sua servarent. Sunt autem in ecclesia illa hæc sacra: Sepulcrum regis David, et Salomonis, et sancti protomartyris Stephani; migravit A ibi beatissima virgo Maria de sæculo: cœnavit ibi Dominus, et resurgens a mortuis, discipulis ibi apparuit, et Thomæ; ibidem apostoli inflammati sunt adventu Spiritus sancti. Itaque posita obsidione, una dierum cum venissent principes ad reclusum qui est in monte Oliveti, dixit eis: *Si cras civitatem oppugnaveritis usque ad nonam, tradet vobis eam Dominus.* Cui cum respondissent: *Non habemus armamenta quibus oppugnari murus possit.* Ad hæc ille respondit: *Deus omnipotens est, qui in scala juncea murum oppugnabit, si voluerit. Præsto est Dominus laborantibus pro veritate.* Itaque comparatis armamentis quæ per noctem illam potuerunt comparari, ita fortiter a mane usque ad tertiam civitas oppugnata est ut compellerentur Sarraceni deserere interiorem murum fracto a nostris antemurali, et quibusdam de nostris ascendentibus usque ad altitudinem muri interioris. Cumque jam civitas caperetur, subrepente desidia et timore, oppugnatio intermissa est, et multos de nostris tunc perdidimus. Altera vero die, nulla oppugnatio incœpta fuit. Post hæc profecti sunt omnes per regionem illam, ad congreganda victualia, et non erat verbum de necessariis comparandis ad capiendam civitatem, sed quisque ventri et gulæ serviebat, et quod multo deterius erat, non invocabant Dominum, ut liberaret eos de tantis ac tam multiplicibus malis, in quibus usque ad mortem gravabantur. Etenim ad adventum nostrum Sarraceni clauserant ora puteorum, et cisternas dissipaverant, et obstruxerant venas fontium. Jam ipse Dominus *posuerat flumina in desertum, et exitus aquarum in sitim, a malitia eorum qui terras illas incolebant* (*Psal.* CVI, 33). Propterea cum magno labore ibi aqua conquirebatur. Est quidam fons in descensu montis Sion, qui natatoria Siloe appellatur; magnus quidem fons, sed non profluebat nisi tertia die. Dicebant autem incolæ de illo fonte, quod in sexta feria tantum erat solitus profluere; per reliquos vero dies, erat quasi palus. Quid autem id fuerit, præter Dei voluntatem ignoramus. Cum vero, ut dictum est, nobis in tertia die aqua decurreret, cum tanto impetu et oppressione aqua hauriebatur, ut mutuo se homines in eam projicerent, et jumenta atque pecora multa deperirent. Itaque repleto fonte et collisione et cadaveribus animalium, ad exitum ipsius aquæ, quæ per quamdam rupis incisuram egrediebatur, fortiores se usque ad mortem opprimebant; debiles autem nihilominus illam aquam immundissimam sibi tollebant. Jacebant autem multi infirmi secus fontem, ex ariditate linguæ non valentes emittere vocem, sed tantum ore aperto, manus prætendebant illis quos videbant aquam habere. Per campos vero stabant equi, muli, boves, et plurima pecora non valentia mutare gressum, sed ubi ex ariditate sitis confecta atque siccata fuerant, ubi diu steterant, corruebant; unde in castris nostris fetor gravissimus erat. Sic itaque afflicti, ad fontes longe per duos leugas et per tres, mittebant pariter, ut inde aqua deferretur, et animalia

adaquarentur. At ubi Sarraceni cognoverunt nostros inermes discurrere ad fontes, per montana quæ sunt asperrima, insidias eis tendebant, et quantos ex eis volebant trucidabant, et captivabant; et jumenta eorum et pecora deducebant. Itaque si aliquis detulisset aquam venalem in plateis, quantum volebat inde accipiebat, quippe quinque vel sex nummi, satis non sufficiebant alicui sitienti per diem, si aquam limpidam mercari vellent. De vino autem nullus, vel rarissimus sermo erat; præterea calor et pulvis, et ventus, si non satis per se sitis posset, eam instigabant. Sed quid de his multa dicimus? Pauci etiam Dei memores erant, nec illorum quæ vel ad oppugnandam civitatem opus erant, vel quæ misericordiam Dei provocarent, curam gerebant. Sicque neque Deum inter verbera agnoscebamus, neque ipse ingratis propitiabatur.

CAPUT XXXV.

Inter hæc venerunt nuntii, quod novem naves de nostris applicuerant Joppen, et mandabant nautæ, ut præsidium mitteretur illuc, quo et turris Joppe custodiretur, et ipsi securi in portu essent. Est autem Joppe civitas destructa, præter castellum; et illud etiam satis dissipatum, præter unam turrim. Sed est ibi portus, et prope est Jerusalem, itinere diei unius; ibi est mare propius Jerusalem. Audientes itaque de navibus, omnes nostri gavisi sunt, et misit ibi comes Galdemarum, qui Carpinellus dicitur, cum viginti militibus, et peditibus circiter quinquaginta, et post ipsum, Raimundus Peleth cum quinquaginta militibus, et Villelmum de Sabrano cum sociis suis. Cum vero advenisset Galdemarus ad campestria, quæ sunt citra Ramulas, occurrerunt ei quadringenti Arabes, et Turci circiter ducenti. Ille vero, secundum paucitatem, dispositis militibus suis, et sagittariis in prima fronte, versus hostes tendebat nihil dubitans, confisus in Dei auxilio. Hostes autem credentes se eum posse absorbere, cum suis hominibus, et incurrebant, et sagittabant et circumdabant. Ceciderunt ibi de parte Galdemari tres vel quatuor milites, et Achardus de monte Merulo, nobilissimus juvenis,[a] et inclytus miles, et alii plagati; sagittarii vero omnes ceciderunt; de parte vero inimicorum, multi ceciderunt. Neque tamen ob hoc imminentia hostium imminuebantur bella; neque fortitudo nostrorum militum, de Dei misericordia desperabat, sed ex vulneribus, et ab ipsa morte incalescentes, tanto acriores instabant hostibus quanto graviora se ab eis perpessos sentiebant. Sed dum nostri duces, jam magis fatigati ex lassitudine quam ex timore confecti, declinare ab acie vellent, cognito pulvere a longe, Raimundus Peleth, præceps et festinus in pugnam intravit, atque tantum pulverem commovebat ut crederent hostes cum eo esse plurimos milites. Sicque per Dei gratiam et nostri liberati sunt, et hostes fusi atque fugati, et circiter ducenti ex eis interfecti, et plurima spolia capta sunt. Etenim ista consuetudo est apud illas gentes quod si fugiant et imminere hostes suos sentiant, primum projiciunt arma, post hæc vestimenta, deinde subsellia. Itaque in hoc bello contigit ut nostri pauci milites, donec ad lassitudinem, ex illa multitudine inimicorum occiderent, et reliquorum spolia retinerent. Collectis igitur, et divisis spoliis, cum venissent nostri milites Joppen, cum tanta lætitia et securitate nautæ eos susceperunt, ut naviam etiam suarum obliviscerentur, et vigilias per mare non agerent, et panem et vinum et pisces, quæ secum detulerant eis communicarent. Sic itaque ex alacritate et securitate nautæ negligentes effecti, dum vigilias per noctem non agunt, de improviso per mare ab hostibus per noctem circumdati sunt. Cumque vidissent diluculo quia non possent pugnare contra tantam multitudinem, expositis navibus suis spolia tantum detulerunt, atque sic pariter victores et victi Hierosolymis reversi sunt. Sed una de navibus non est intercepta, quæ prædatum abierat. Hæc autem navis cum maxima præda regrediens, cum vidisset reliquas naves inclusas classe inimicorum, remis acta et velo, Laodiciam reversa est, ibique sociis et amicis nostris, de nobis qui eramus Hierosolymis, sicuti erat, denuntiavit. Sed hæc omnia adhuc juste contigisse cognovimus, cum et sermonibus, qui a Deo mandabantur nobis, fidem abnegaremus, et desperantes de Dei misericordia, ad campestria Jordani descendebant, et colligebant ibi palmas, et baptizabantur in flumine, et ob hoc maxime ut transferrent se Joppen, visa Jerusalem et dimissa obsidione, atque sic quomodocunque possent reverterentur; sed de navibus, providit Dominus suis incredulis. Habuimus eo tempore conventus, quia principes male inter se conveniebant. Et quæstio habita est de Tancredo eo quod Bethlehem occupasset, et super ecclesiam Dominicæ Nativitatis, quasi super communem domum vexillum suum posuisset. Quæsitum est ut aliquis de principibus in regem eligeretur, qui civitatem custodiret, ne communis facta, si nobis illam traderet Deus, a nullo custodita communiter destrueretur. Quibus ab episcopis et a clero responsum est *non debere ibi eligi regem, ubi Deus passus et coronatus est. Quod si in corde suo diceret : Sedeo super solium David, et regnum ejus obtineo, degener de fide et virtute David, fortassis disperderet eum Deus, et loco et genti irasceretur. Præterea clamat propheta, dicens : Cum venerit Sanctus sanctorum, cessabit unctio, quod advenisse cunctis gentibus manifestum erat. Sed esset aliquis advocatus, qui et civitatem custodiret, et custodibus civitatis, tributa regionis divideret et redditus.* Atque his et aliis de causis multis dilata electio, et impedita, donec ad octavum diem post captam Jerusalem. Neque hoc solum, verum etiam aliud aliquid nobis non proveniebat, sed labor et tribulatio per dies singulos in populo duplicabatur.

CAPUT XXXVI.

Tandem propter nomen suum, misericors et pro-

nitius Dominus, simul ne adversarii nostri legi ejus insultarent, dicentes : *Ubi est Deus eorum?* mandavit nobis per episcopum Podiensem dominum Ademarum, qualiter iram ejus placare possemus et impetrare misericordiam. Sed et nos, de mandato Domini reticentes, faciendum esse illud prædicabamus, ne si populus hoc mandatum præterisset, culpabilis magis, maxime affligeretur. Etenim tam benignus erga nos erat Dominus ut legatos suos ad nos mitteret, sed quia fratres erant, non credebant eis. Locutus est ergo episcopus Petro Desiderio, dicens : *Loquere ad principes et ad omnem populum et dices : Vos qui venistis de tam longinquis regionibus, ut Deum et Dominum exercituum hic adoretis, sanctificamini ab immunditiis vestris et revertatur unusquisque ab operibus suis pravis. Et post hæc, nudis pedibus circuite Jerusalem, invocantes Deum, et jejunate. Si sic egeritis, et oppugnaveritis Jerusalem viriliter usque ad novem dies, capietur. Alioquin, omnia mala quæ passi estis, vobis a Domino multiplicabuntur.* Cumque hæc dixisset sacerdos ad fratrem ipsius episcopi Willelmum Ugonem et ad Ysoardum comitem dominum suum, et ad quosdam de clero, coadunaverunt consilium de principibus, et de omni populo, et dixerunt : *Viri fratres, vos scitis quæ causa itineris nostri sit ac tantæ defatigationis; et negligenter agimus, adeo ut neque comparemus ea quæ necessaria sunt ad oppugnandam civitatem, neque curam gerimus quomodo Deum nobis reconciliemus, quem tam multipliciter omnes in omnibus offendimus; quem a nobis expulimus, et longe multum per nostra prava opera a nobis effugavimus. Et nunc, si vobis justum videtur, reconcilietur unusquisque fratri suo quem offendit, et frater benigne fratri condonet. Et post hæc humiliemur Deo, et circumeamus Jerusalem nudis pedibus, et Dei misericordiam, per sanctorum patrocinia appellemus, ut ille Deus omnipotens, qui pro nobis, de nobis servis suis carnem assumpsit, exinanita forma dominii sui, et qui humiliter super asinam sedens, passurus in cruce mortis supplicium pro nobis, hanc civitatem ingressus est, turbis ei occurrentibus cum magno processionis honore; ille nos ad honorem et gloriam nominis sui, et civitatem nobis aperiat et facere judicium de inimicis suis et nostris, omnibus nobis concedat, qui locum passionis suæ et sepulturæ ejus indigne obtinentes contaminant, et qui nos a tanto beneficio humilitatis divinæ, et redemptionis nostræ excludere conlendunt.* Placuerunt hæc verba principibus, et omni populo, et ideo publice jussum est, ut in sexta feria quæ proxima erat, clerici præpararent se cum crucibus et sanctorum reliquiis ad processionem, et milites atque omnes viri fortes sequerentur eos cum tubis et vexillis, atque armati nudis pedibus incederent. Quæ omnia, secundum jussionem Dei et principum lætanter explevimus. Namque cum venissemus in montem Oliveti, et essemus in loco, unde Dominus post resurrectionem suam ascendit in cœlum, prædicavimus in populo dicentes : *Quoniam secuti sumus Dominum usque ad locum ascensionis ejus, et ulterius pergere nequimus, condonet unusquisque fratri suo qui læsus est, ut Deus omnipotens nobis fieri possit propitius.* Quid multa? Condonaverunt omnes, et largissimis eleemosynis Dei misericordiam appellabant, ut in fine populum suum Deus non desereret, quem usque ad finem gloriose et mirabiliter adduxerat. Placatur itaque Dei misericordia, quoniam omnia quæ prius nobis adversa fuerant, nunc commode nobis proveniebant.

CAPUT XXXVII.

Sed licet multa prætereamus, hoc unum prætereire non libuit. Cum circuiremus civitatem de foris cum processionis tumultu, Sarraceni et Turci infra civitatem gyrabant, multimode nos deridentes, multas cruces super muros ponebant in patibulis, afficientes eas cum verberibus et contumeliis. Quibus signis nos e vicino misericordiam Dei sperantes, ad expugnandam civitatem, die noctuque operibus instabamus. Præfecerant itaque dux et comes Northmanniæ et Flandriæ Gastonem de Beardo operariis qui machinas construebant, et crates et aggeres, ad invadendum murum componebant. Hic autem Gasto nobilissimus princeps, apud omnes honoratus erat, utilitatis suæ et probitatis merito, atque ideo opus sibi a principibus commissum sagaciter operariis dividens, sapienter accelerabat. Principes autem tantum gerebant curam de comportanda lignorum materia, et Gasto, de construendis necessariis sollicitudinem agebat. Similiter comes Raimundus præfecerat Willelmum Richau operariis suis in montem Sion, et episcopum Albariensem Sarracenis, et aliis qui ligna deferebant. Acceperant namque homines comitis, multa castella et villas Sarracenorum, et Sarracenis, quasi servis suis, opera indicebant; qui quinquaginta vel sexaginta portabant suo collo trabem maximam, quam non deferrent quatuor paria boum, ad machinas construendas Jerusalem. Quid multa? omnes uno animo parilique consensu opus agebant, atque laborabant, et construebant, et adjuvabant, nullus segnis, nullius manus remittebantur Omnes spontanei operabantur, præter artifices. Illis dabatur merces de collectis, quæ factæ in populo fuerant. Sed comes de censu suo suis operariis debita solvebat. Et certe manus Domini operabatur, et operantes adjuvabat. Cumque brevi intervallo omnia molimina nostra et machinæ comparatæ essent, habuerunt nostri principes consilium, et dixerunt : *Omnis homo præparet se ad pugnam in quinta feria. Interim orationibus, et vigiliis operam demus, atque eleemosynis. Jamenta vestra cum pueris artificibus nostris et lignariis præstate ut deferant trabes, et perticas, atque palos, et virgas ad crates faciendas. Duo et duo milites cratem unam curvam faciant, vel unam scalam; et ne dubitetis laborare pro Deo, quia in proximo labores vestros terminabit.* Hæc autem omnia libenter accepta sunt. Post hæc mandatum

est quis de principibus cum sua gente quam partem urbis expugnaret, et quæ machinæ quibus locis applicarentur.

CAPUT XXXVIII.

Videntes autem Sarraceni, qui infra civitatem erant, multitudinem machinarum quæ construebantur, infirmiora murorum loca, adeo adversum nos munierunt, ut quibusdam desperabile videretur posse expugnari. Instante autem jussæ oppugnationis die, dux et comes Flandrensis, atque Northmanniæ comes, cum vidissent quod Sarraceni tanta ac talia munimina argumentorum contra omnes machinas nostras composuissent, tota nocte machinas suas, et crates et aggeres transportaverunt contra urbis partem, quæ est ab ecclesia Sancti Stephani usque ad vallem Josaphat. Vos vero qui hæc legitis, non putetis parvum laborem atque industriam ibi fuisse. Etenim fere milliarium est ibi, a loco unde machinæ dissolutæ per membra comportabantur, usque ad eum locum ubi construebantur. Mane autem facto cum vidissent Sarraceni omnia instrumenta atque tentoria, nocturno tempore illuc deportata, obstupuerunt. Nec solum Sarracenis, verum etiam nobis in stuporem fiebat. Manifeste etenim potuit quisque cognoscere fidelis quod manus Domini nobiscum erat. Hæc autem transmigratio ob hoc facta est quia locus planus erat, et conveniens instrumentis ad murum adjungendis, quæ non poterant nisi per plana conduci; et etiam ob hoc, quia illa pars urbis infirmior esse videbatur, quia longe steterat a castris, immunita illa pars remanserat: Hæc autem pars civitatis est a septentrione. Nihil minus laborabat comes et sui in monte Sion, qui est civitati ad meridiem, sed habebat tunc multos adjutores, scilicet Willelmum Ebriacum, et cum eo omnes nautas Genuenses, qui naves suas, sicut superius narravimus, apud Joppen perdiderant; sed extraxerunt de navibus suis cordas et malleos ferri, atque clavos, et ascias, atque dolabras et secures, quæ permaxime nobis necessariæ fuerunt. Sed quid moramur? Jamque dies pugnæ constitutæ advenerat, et oppugnatio incœpta est. Sed hoc unum in primis dicere volumus quod, pro opinione multorum et nostra, usque ad sexaginta millia hominum belligeratorum erant infra civitatem, exceptis parvulis et mulieribus, de quibus non erat numerus. Et de nostris ad arma valentes, in quantum nos existimamus, numerum duodecim millium non transcendebant, sed habebamus multos debiles atque pauperes. Et erant in exercitu nostro mille ducenti vel trecenti milites, ut ego arbitror, non amplius. Hæc autem ideo diximus, ut intelligatis quod sive grande, sive parum sit, quod in nomine Domini incipitur, nihil frustra evenire; quod subsequens pagina continet. Ut autem nostri turres ac muros minare cœperunt, ab omni parte volabant lapides excussi a tormentis, atque petrariis; et sagittæ ut grando innumerabiles. Sed ista patienter servi Dei sustinebant, habentes fidei propositum, quod vel occumberent, vel quod ad præsens se de hostibus vindicarent. Fiebatque pugna nullo indicio victoriæ, sed cum jam proximarent cum machinis ad muros, non solum lapides et sagittæ, verumetiam ligna et stipula projiciebantur, et super hæc ignis, et mallei lignei involuti pice, et cera, et sulphure, et stupa et panniculis igne succensis projiciebantur in machinas. Mallei, inquam, clavati ab omni parte, ut quaqua parte ferirent, hærerent, et hærendo inflammarent. Ligna vero et stipulas ideo jaciebant ut saltim incendia inde accensa retardarent quos neque gladius et alta mœnia retardarentur, nec profundum vallum retinere poterat. Acta est itaque pugna ab ortu solis usque ad occasum die illa, ita mirabiliter ut nusquam mirabilius aliquid gestum esse credatur. Et adhuc Deum omnipotentem ducem ac conductorem nostrum appellabamus, confidentes de ejus misericordia. Nox autem adveniens, utrumque timorem nostrum conduplicavit. Metuebant enim Sarraceni ne per noctem civitas a nostris caperetur, vel sequenti die, jam fractis antemuralibus, et completo vallo, citissime murus pervaderetur. At vero nostri hoc solum metuebant, ne admotas machinas aliquo modo Sarraceni incenderent, et sic confortarentur. Propterea ab utrisque custodiæ, ab utrisque labor ab utrisque insomnes curæ. Hinc, spes certissima; illinc, dubius timor. Operabantur isti pro Deo, spontanei, opera ad capiendum; operabantur illi pro legibus Bahumeth inviti, opera ad resistendum. Quæ vero et qualia molimina ab utrisque per noctem facta fuerint, mirabile credite. Mane autem facto, tantus ardor nostris incubuit, ut usque ad muros progrederentur, et machinas illuc deducerunt. At Sarraceni tantas machinas fecerant ut unicuique de nostris novem vel decem apponerentur, atque sic multum molimina nostra impediebant. Et tamen hæc dies nona erat, de qua sacerdos dixerat, quod usque ad eam civitas caperetur. Sed quid nimiam moram agimus? Jam machinæ nostræ quassabantur ad tam crebros lapidum ictus, et viri deficiebant nostri, multimode defatigati. Sed restabat adhuc Dei misericordia, nunquam expugnabilis, nusquam superata, in tribulationibus semper opportuna. Sed hoc præterire non libuit quod dum duæ mulieres petrariam unam de nostris fascinare vellent, lapis viriliter excussus, mulieres carminantes cum tribus pueris altisit, atque animabus excussis, incantationes avertit: cumque jam circa meridiem omnes nostri conturbarentur, tam lassitudine quam desperatione, quippe cum unicuique de nostris plures adversarii resisterent; præterea murus firmissimus et altus, et multa copia atque opportunitas, quæ hostibus ad munimen, nobis autem adversa. Inter hujusmodi defectum nostrum, et hostium exsultationem, accessit mediatrix Dei misericordia, quæ luctum nostrum in gaudium convertit, quod nulla dies a nobis auferat. Etenim consilium quorumdam jam agebatur, ut machinæ nostræ reducerentur, quarum pars combusta, altera conquassata fuerat. Tum ecce

miles quidam, de monte Oliveti cum clypeo suo ventilare cœpit, ad eos qui erant de parte comitis, et ad alios ut ingrederentur. Quis autem iste miles fuerit, cognoscere non potuimus. Hoc signo nostri confortati qui jam languebant, cœperunt incurrere muris, alii autem scalas, et funes sursum injiciebant. Præterea quidam juvenes ignierant sagittas, et sagittaverant culcitras, quibus muniebatur propugnaculum quod Sarraceni fecerant, contra turrem ligneam ducis et duorum comitum; erant autem culcitræ de gambasio. Ibi itaque ignis accensus effugavit eos qui defendebant munitionem. Tum velociter dux et qui cum eo erant solverunt cratem desursum qua muniebantur anteriora turris conductæ, a summo usque ad medium atque sic facto ponte, viriliter et imperterriti intrare in Jerusalem cœperunt. Inter primos vero ingressus est Tancredus, et dux Lotharingiæ, qui quantum sanguinem ea die fuderint, vix est credibile. Post illos autem ascendebant omnes; et Sarraceni jam patiebantur. Sed mirum quod modo dicam: Cumque jam civitas pene correpta esset a Francigenis, adhuc tamen resistebant Sarraceni his qui erant de parte comitis, ac si nunquam capiendi essent. Sed cum jam nostri mœnibus potirentur civitatis, et turribus, tunc erat videre mirabilia. Alii namque illorum, quod levius erat, obtruncabantur capitibus, alii autem sagittati, de turribus saltare cogebantur; alii vero diutissime torti, et ignibus adusti flammeriebantur. Videbantur per vicos et plateas civitatis aggeres capitum, et manuum atque pedum. Per cadavera vero publice, hominum et equitum discursus erat. Sed parva et pauca ista quæ diximus. Sed ad templum Salomonis veniamus, ubi suos ritus atque solemnitates cantare solebant. Sed quid ibi factum est? Si verum dicimus, fidem excedimus. Sed tantum hoc dixisse sufficiat quod in templo et in porticu Salomonis, equitabatur in sanguine usque ad genua, et usque ad frenos equorum justo miroque Dei judicio, ut locus idem eorum sanguinem exciperet, quorum blasphemias in Deum tam longo tempore pertulerat. Repleta itaque cadaveribus et sanguine civitate, confugerunt aliquanti ad turrem David, et poposcerunt a comite Raimundo securitatis dextram, et reddiderunt ei arcem.

CAPUT XXXIX.

Capta autem urbe operæ pretium erat videre devotionem peregrinorum ad sepulcrum Domini, quomodo plaudebant, exsultantes et cantantes canticum novum Domino. Etenim mens eorum Deo victori et triumphanti vota laudum offerebat, quæ explicare non poterant. Nova dies, novum gaudium et exsultatio, nova et perpetua lætitia; laboris et devotionis consummatio, nova verba, nova cantica, ab universis exigebat. Hæc, inquam, dies celebris in omni sæculo venturo, omnes dolores atque labores nostros gaudium et exsultationem fecit; dies hæc, inquam, totius Christianitatis confirmatio, et paganitatis exanimitio, et fidei nostræ renovatio. *Hæc dies quam fecit Dominus, exsultemus et lætemur in ea* (*Psal.* CXVII, 25), quia in hac illuxit et benedixit Dominus populo suo. In hac die dominus Ademarus, Podiensis episcopus, a multis in civitate visus est. Et etiam multi de eo testantur quod ipse primus murum ascendens, ad ascendendum socios atque populum invitabat. In hac autem die ejecti apostoli ab Hierosolymis, per universum mundum dispersi sunt. In hac eadem die, apostolorum filii, Deo et patribus urbem et patriam vindicaverunt. Hæc dies celebratur Idus Julii, ad laudem et gloriam nominis Christi, qui dedit precibus Ecclesiæ suæ urbem et patriam quam juravit patribus, et reddidit in fide et benedictione filiis. In hac die officium de resurrectione cantavimus, quia in hac, ille qui sua virtute a mortuis surrexit, per gratiam suam nos resuscitavit. Et de his hactenus dictum sit.

CAPUT XL.

Peractis igitur sex vel septem diebus, solemniter in octava die cœperunt agere principes, ut aliquis eligeretur in regem; qui omnium curam gerens, et tributa regionis colligeret, et ad quem plebes terræ reverterentur, et qui provideret ne ulterius desolaretur. Cumque id agerent, congregati sunt de clero quidam, et principibus dixerunt: *Laudamus electionem vestram, verum si recte et ordinate faciatis: sicut sunt æterna priora temporalibus, sic vicarium spiritualem eligite prius; post hæc qui rebus agendis sæcularibus præsit: alioquin invalidam esse censemus, electionem vestram.* Principes vero cum hæc audissent irati nimium, electionem tamen nihilominus accelerabant. Sed imminutus erat clerus, ablato domino Ademaro, Podiense pontifice, qui in vita sua, alter Moyses, nostrum exercitum rebus et alloquiis divinis confovens, continebat. Post illum autem cum Willelmus Aurasicensis, vir bonæ memoriæ et episcopus, pro viribus nobis prodesse vellet, brevi tempore apud Marram in pace conquievit. Sic itaque bonis ablatis, humiliter se clerus agebat, præter episcopum Albariensem et alios quosdam; episcopus namque Martranensis aliter quam recto itinere gradiens, cum Bethlehemiticam Ecclesiam fraudulenter obtinuisset, tertio vel quarto die a Sarracenis captus, nusquam inter nostros comparuit. Spreta itaque admonitione et contradictione clericorum, hortabantur principes comitem Sancti Ægidii, ut acciperet regnum. At ille nomen regium se perhorrescere fatebatur in illa civitate; sed præbere se illis consensum, si id alius acciperet. Ob hoc elegerunt pariter ducem, et obtulerunt eum ad sepulcrum Domini. Post hæc autem requirebat dux arcem David a comite, at ille hoc excusabat, dicens se velle moram agere in regione illa, donec in Pascha; et interim se et suos honeste haberi velle. At dux potius se aiebat cætera dimissurum quam turrem. Inde multiplicabantur lites. Flandrensis et Northmanniæ comites favebant duci, et omnes etiam pene de terra comitis, credentes reddita turre, se consequenter cum eo esse reversuros. Non solum autem

provinciales in hoc domino suo comiti adversabantur, verum etiam multa de eo turpia composuerunt, ne eligeretur in regem. Destitutus itaque comes sociorum et amicorum consilio, pro judicio subeundo, tradidit turrem in manu Albariensis episcopi. Ille vero, non exspectato judicio, tradidit turrem duci. Cumque appellaretur episcopus de hoc facto, proditor dicebat sese coactum fuisse, atque passum violentiam. Sed hoc ego in veritate comperi plurima arma esse illata in patriarchalem domum, ubi episcopus manebat prope ecclesiam Dominici sepulcri. Sed de violentia sibi illata ille dicebat; et frequenter clam hujusce rei comitis familiares insimulabat. Reddita itaque turre, in magnum odium contra suos comes exarsit, dicens se inhonoratum, non posse manere in illa patria. Itaque profecti ab Hierosolymis Jericho, et acceptis palmis venimus ad Jordanem, et sicut præceperat Petrus Bartholomæus, facta rate de viminibus, et imposito desuper comite transveximus eum; quippe cum non haberemus navem, sic nobis melius visum fuit. Post hæc convocata multitudine exegimus, quatenus rogarent Deum pro vita comitis et aliorum principum; dehinc indutum camisia, et braccis novis, sicut nobis præceptum fuerat peregimus, sed quare taliter homo Dei præceperit, adhuc ignoramus.

CAPUT XLI.

(1) Hisque peractis, reversi sumus Jerosolimam. Eodem tempore Arnulfus capellanus Northmanniæ comitis, a quibusdam in patriarcham eligitur, contradicentibus bonis, tum quia non erat subdiaconus, maxime etiam quia erat de genere sacerdotali, et in itinere nostro de incontinentia accusabatur, adeo ut vulgares cantus de eo inhoneste composuissent. Sed ille nec canonum decreta reveritus, tanta ambitione tentus, nec genus, nec conscientiæ infamiam, contra bonos populum concitavit, atque se cum hymnis et cantibus in sede patriarchali, magno populorum plausu elevare fecit. Sed de episcopo Matranensi, qui hujusce rei incentor et administrator fuerat, vindicta divinitus sumpta non modo Arnulfum non terruit, sed insuper clericos qui habebant altaria in ecclesia Dominici sepulcri, vel quibus erant pro custodia mercedes constitutæ, privare beneficiis non desinebat. Nactus itaque Arnulfus hanc potestatem, cœpit requirere ab incolis civitatis, ubi crux erat quam peregrini ante captam Jerosolimam adorare consueverant. Quibus negantibus, et juramento et aliis signis se nescire probare volentibus, tandem coacti sunt, et hæc dixerunt: *Manifestum est quod Deus vos elegit, et ex omnibus tribulationibus vos eripuit, et hanc civitatem et alias multas vobis tribuit, non in virtutis vestræ robore, sed in furore suo excæcans impios, et civitates munitissimas vobis aperuit, et bella formidolosa vobis ductor et Dominus vester pro vobis ipse pergit. Qua itaque pertinacia cum Dominus vobiscum videamus, ejus beneficia vobis celabimus?* Posthæc deduxerunt eos ad quoddam atrium ecclesiæ, et ibi effodientes reddiderunt. Gavisi sunt itaque omnes nostri, et Deo omnipotenti laudes et gratias referebant, qui non solum urbem in qua passus est, sed etiam insignia passionis suæ atque victoriæ nobis reddidit, ut tanto eum manibus fidei arctius amplecteremur, quanto certiora nostræ salutis contueremur.

CAPUT XLII.

Dumque, sicut superius diximus, de duce Lotharingiæ ordinatum esset, quod civitatem retinere deberet, et comes dolore et injuria exercebatur, eo quod arcem David, scilicet totius regni Judaici caput, leviter perdiderat, et ob hoc regredi cum maxima parte nostræ gentis disponeret, nuntiatum est nobis quod rex Babyloniorum Ascalona venisset, cum innumerabili paganorum multitudine, et, ut nobis relatum est, quod Jerosolimam expugnare venerat, et occidere Francos omnes a viginti annis et supra, et captivare reliquos cum mulieribus, daturus viros mulieribus de sua gente, et juvenibus mulieres, ut Babyloniorum domini deinceps bellicosas familias haberent, de genere Francorum. Sed, non his adhuc contentus, similiter Antiochiæ et Boamundo facturum se aiebat, Damasci etiam, et reliquarum civitatum diadema capiti suo impositurum se dicebat, nihil Turcos, nihil Francos, Turcorum victores esse dicebat, considerata multitudine peditum suorum et militum. Sed nec etiam his contentus, in Deum blasphemias intorquebat, dicens quod locum Dominicæ nativitatis, et præsepe, ubi Dominus reclinatus est, et locum passionis et Golgotha, ubi dicitur quod sanguis Domini pendentis in cruce defluxerit; et locum Dominicæ sepulturæ, et alia omnia loca sancta quæ in civitate, vel juxta a populo venerantur Christiano, ita deleret, ut etiam a stirpe, a terra abstraheret et comminueret, et posthæc pulverem in mari projiceret, ut non esset aliquod Dominicum memorabile, quod Francorum gens in regionibus illis ulterius requirerent. Cum autem hæc et alia multa, et de multitudine gentis quæ cum ipso tyranno erat, nobis nuntiarentur, et quod omnes isti congregati erant Ascalonæ, quæ proxima erat Jerusalem per diem, et dimidium, congregati sunt nostri principes et clerus, et nudis pedibus incedentes ante sepulcrum Domini cum multis orationibus et lacrymis, misericordiam a Domino deprecabantur, ut populum suum modo liberaret, quem hactenus victorem de omnibus fecerat; et qui locum sanctificationis suæ mundaverat, ulterius contaminari propter nomen suum non pateretur. Posthæc similiter nudis pedibus incedentes in psalmis et hymnis, et sanctorum præsidiis misericordiam Dei appellantes, ad templum Domini venimus, ibique animo et corpore ante effusi, ut benedictionis suæ ibidem effusæ recordaretur: *Si peccaverit in te populus tuus et con-*

(1) Quæ sequuntur non sunt Raimundi.

versus egerit pœnitentiam, veniensque oraverit in loco isto, tu exaudies de cœlo, Domine: et libera eum de manibus inimicorum suorum (*III Reg.* VIII). Posthæc percepta benedictione ab episcopis, statuerunt principes de belli administratione, et de custodia civitatis. Profectus est itaque dux et milites ejus ut certissimum comprobarent si de Admiravis ita res se haberet, ut fama ferebatur; qui cum ad campestria Ramularum pervenisset, causam negotii per episcopum Matronensem Hierosolymis remisit ad comites. Illi autem certificati de bello, communem pugnandi causam apud omnes fortes qui in civitate remanserant, detulerunt. Itaque supplicantes Deo et acceptis armis et Dominicam lanceam, profecti sumus ab Jerosolimis, et venimus ad campestria die illa. Altera autem die conjuncto exercitu, per firmas dispositis præsidiis ab omni parte, procedebamus. In vespere vero cum venissemus prope fluvium qui est in itinere euntibus ab Jerusalem Ascalonam, pascebant ibi Arabes greges ovium, et armenta boum innumerabilia, et sine numero camelos. Cum vidissent autem nostri hanc multitudinem et hominum et animalium, existimantes bellum esse, arreptis armis ad prospiciendum milites usque ducentos præmiserunt; cæteri vero armati, ut diximus, in novem turmis incedebant. Erant autem tres a tergo, tres a fronte, tres in medio, sic ordinatæ ut ubicunque bellum se emergeret in tribus ordinibus illis occurreretur, turma media manente cunctis ad præsidium. Videntes autem pastores Arabum nostros præmissos milites, animalia deseruerunt, et tanquam, si æquo modo ad illos ut ad nos respiceret Deus, pugnam cum omnibus nobis inire debuissent. Erant in armis de pastoribus circiter tria millia; in exercitu vero nostro supra mille ducentos dubitanter ascribimus; sed et peditum multitudinem ultra novem millia producere non audemus. Effugatis itaque pastoribus, cepimus prædam, quantam ante diem illam non vidimus, et aliqui de pastoribus interfecti sunt, et pauci capti. Posthæc autem mansimus in eodem loco, quia vespera erat. Et tunc coegimus captivos ad confitendum hostium voluntatem et habitudinem, et numerum. Confessi sunt itaque quod voluntas eorum erat obsidere Jerusalem, et expugnare omnes Francos, et interficere et captivare; et addunt quod Admiravis ibi prope quinque leugis erat in castris, postridie profecturus adversum nos. De numero autem vix aliquis certus erat, quia quotidie multiplicabantur. De se vero et de sociis qui essent, interrogati, dixerunt quod pastores essent animalium, quæ dividenda erant in stipendiis per exercitum Babyloniorum. Certi itaque nostri de bello et alacres, sociis suis noxarum causas atque controversiæ remittebant. Posthæc confessi de peccatis, et de negligentiis suis, adeo erecti sunt animis ut vix credibiles eis fieret hostes ad pugnam esse paratos. Innascebatur enim tanta securitas in cordibus singulorum, ut crederent suos hostes cervis timidiores, et ovibus innocentiores. Sed hæc securitas ideo nobis erat, quia credebamus Dominum nobiscum esse, sicut et in reliquis negotiis, et propter blasphemias sibi illatas, agere propter seipsum, si etiam causa nostra invalida fuisset. Unde in nostra parte defensorem, et in sua adjutores illi esse voluimus. Deinde conclamatum est per exercitum ut mane ad pugnam omnes parati essent, et quisque principibus de sua gente conjungeretur, et nemo prædam tangeret, et excommunicati sunt quicunque eam tangerent, nisi prius bello confecto. Mansimus ea nocte satis pauperrime; etenim tentoria non habebamus, panem pauci, vinum nullus, annonam atque salem paucissimi; sed copia carnis erat quasi arena, sed vescebamur carnibus; et pro pane, ovium caro erat. Et jam aurora sequenti die oriebatur, et pervigil turba, tubis et cornubus in pugnam animabatur. Itaque summo diluculo profecti, dispositis, ut jam diximus, ab omni parte præsidiis, exercitum Dei in castra Mahumet dirigebamus. At vero hostes infra castra sua demorabantur, nunquam existimantes quod infra mœnia ad adventum eorum vix contineremur. Etenim cum audissent de nece et fuga pastorum, dicebant: *Propter prædam venerunt Franci, et cum ea revertuntur.* Quippe edocebantur quotidie ab his qui fugerant ab Hierosolymis, et de paucitate nostra, ac debilitate vulgi et equorum. Præterea numero atque viribus suis confisi, in solis sputis nos et castra nostra submergere se posse credebant. Cantellatores etiam eorum et augures, ut fertur, dixerant ut non moverent castella sua usque ad septimam feriam, neque pugnarent adversum nos. Quod si maturius aliquid de his agere velent, in adversum converteretur. Nos autem, ut diximus, ordinati, in novem turmis progrediebamur. Multiplicavit Deus exercitum suum, adeo ut inferiores numero hostibus non videbamur. Etenim conjunxerant se nobis animalia quæ dimiseramus, et factis gregibus, nemine compellente, nos comitabantur, adeo ut starent cum stantibus, cum currentibus currerent, cum præcedentibus præcederent. Hæc autem pretiosarum inæstimabilis multitudo erat. Armorum autem atque papilionum summam, quis dinumerare sufficiat? Videntes igitur hostes nostri, et suorum cæsam multitudinem, et nostros in castris suis et pro victoria et spoliis secure et alacriter agere, reversi ad se dixerunt: *Solum præsidium fuga est, et quid moramur? Si hodie defatigati ex itinere, fame et siti pene semimortui, omnem nostram multitudinem uno impetu prostraverunt, quid repausati et refecti, et victores contra semineces et imminutos atque pavidos facient?* itaque hostes, conturbatis animis reversi sunt Ascalona, quæ milliarium a castris nostris aberat, sed non omnes. Tunc placuit comiti Raimundo, ut mitteret Boamundum quemdam, Turcum genere, ad Admiravis, obtentu incundæ amicitiæ: accusando eum quod noluerit liberam reddere Jerusalem, et qui adversum nos arma detulerat, simul ut præsentiret fugam an bellum in animo pararet, et quomodo victum se haberet.

CAPUT XLIII.

Interea nuntius venit Tancredo, et comiti Eustachio, ut præpararent se, et pergerent ad recipiendam urbem Neapolim. At illi exierunt, et duxerunt secum multos milites, et pedones, et pervenerunt ad urbem. Habitatores vero illius reddiderunt se illico. Posthæc mandavit illis dux Godefridus, qui et rex Jerusalem, ut cito venirent ad bellem, quod Ammiratus Babyloniæ præparaverat eis Aschalone. Illi autem festinando intraverunt montanam, quærentes Sarracenorum bella, et venerunt Cæsaream. Venientes quoque juxta mare ad urbem Ramore, illic invenerunt multos Arabes, qui præcursores erant belli. Quos nostri persequentes, apprehenderunt plures ex eis, qui dixerunt omnia belli nova ubi essent, et quot, aut ubi bellare disponerent contra Christianos. Quod audiens Tancredus, statim misit nuntium Jerusalem duci Godefrido, et patriarchæ, omnibusque principibus, dicens : *Sciatis quod nobis paratum est bellum Aschaloniæ ab Ammirato. Igitur venite festinanter cum omni virtute, quam habere poteritis.* Tunc jussit dux commoneri omnes, ut fideliter irent præparati Aschalonam, obviam inimicis nostris. Ipse vero cum patriarcha, et Roberto Flandrensi comite, exivit de urbe in feria tertia, et Marturanensis episcopus cum eis. Tum vero Sancti Ægidii comes ac Robertus Northmannus dixerunt se non exituros, nisi certum bellum scirent. Jusserunt ergo militibus suis, ut pergerent videre si bellum vere esset, et reverterentur quantocius, quia ipsi mox essent parati venire. Iverunt illi, videruntque bellum paratum, et cito renuntiaverunt se vidisse oculis suis. Continuo dux apprehenso Marturanensi episcopo mandavit in Jerusalem quo milites qui ibi erant præpararent se, et venirent ad bellum. Episcopus vero Marturanensis rediit, reportans verba missa patriarchæ, et duci; exieruntque Sarraceni obviam ei, et apprehensum secum duxerunt. Petrus vero Eremita remansit in Jerusalem, ordinando et præcipiendo Græcis et Latinis, ac clericis, ut fideliter Deo processionem celebrarent, et eleemosynas orationesque facerent, ut Deus populo suo victoriam daret. Clerici et presbyteri induti sacris vestibus ad templum Domini conduxerunt processionem; ac missas et orationes celebrabant, ut Deus suum defenderet populum. Denique patriarcha et episcopi aliique seniores congregati sunt ad fluvium quod est ex hac parte Aschaloniæ. Illicque multa animalia, boum, camelorum, ovium, atque omnium bonorum deprædati sunt. Venerunt autem Arabes fere trecenti, irrueruntque nostri super illos; et apprehenderunt duos ex eis, persequentes alios usque ad eorum exercitum. Sero autem facto, patriarcha fecit præconari per omnem exercitum, ut in summo mane omnes in crastino essent parati ad bellum, *excommunicans ne ullus homo intenderet ad ulla spolia, donec bellum esset factum;* sed eo facto, reverterentur cum felici gaudio, ad capiendum quidquid eis prædestinatum esset a Domino. Summo vero diluculo, intraverunt in vallem nimis pulchram, secus littus maris, in qua ordinaverunt suas acies. Dux instruxit suam, comes Northmannus suam, comes Sancti Ægidii suam, comes Flandrensis suam, comes Eustachius suam, Tancredus et Gaston suam. Ordinaverunt quoque pedites et sagittarios qui præcederent milites; et sic ordinaverunt omnia : Statimque prœliari cœperunt in nomine Domini nostri Jesu Christi. In sinistra parte fuit dux Godefridus cum sua acie, comes Sancti Ægidii juxta mare, in dextra parte, comes Northmannus, comes quoque Flandrensis, et Tancredus omnesque alii equitabant in medio. Tunc nostri cœperunt paulatim ambulare; pagani vero stabant parati ad bellum. Unusquisque suum habebat vasculum pendens collo, ex quibus potarent persequentes nos; sed illis non licuit, gratia Dei. Comes autem Northmannus, cernens Ammirati stantarum habentem quoddam pomum aureum in summitate hastæ, quæ erat cooperta argento, irruit vehementer super illum, eumque vulneravit usque ad mortem. Ex alia parte comes Flandrensis, nimis acriter eos invasit. Tancredus igitur impetum fecit per medium tentorium eorum. Quod videntes pagani, continuo arripuerunt fugam. Paganorum autem multitudo erat innumerabilis, numerumque eorum nemo scit, nisi solus Deus. Bella vero erant immensa, sed virtus divina comitabatur nobiscum, tam magna, tam fortis quod statim superavimus illos. Stabant vero inimici Dei excæcati, et stupefacti, ac videntes Christi milites, apertis oculis nihil videbant; et contra Christianos erigere se non audebant, virtute Dei tremefacti. Pro nimio namque timore ascendebant in arbores, in quibus putabant se effugere, vel abscondere. At nostri sagittando, et cum lanceis et ensibus occidendo, eos ad terram præcipitabant. Alii jactabant se in terram, non audentes se erigere contra nos. Nostri igitur illos detruncabant, sicut aliquis detruncat animalia ad macellum. Comes vero Sancti Ægidii, juxta mare occidit ex eis sine numero. Alii vero se præcipitabant in mare, alii fugiebant huc illucque. Veniens itaque Ammiratus Babyloniæ ante Ascalon civitatem, dolens et mœrens lacrymando dixit : *O deorum spiritus! quis unquam vidit vel audivit talia? Tanta potestas, tanta virtus, tanta militia, quæ nunquam ab ulla gente fuit superata, modo a tantilla gente Christianorum est devicta. Heu mihi, tristis ac dolens! q id amplius dicam? Superatus sum a gente mendica, inermi et pauperrima, quæ non habet nisi saccum et peram. Ipsa modo persequitur et occidit gentem Ægyptiacam, quæ illi plerunque suas largita est eleemosynas, dum olim per omnem nostram patriam mendicaret. Huc conduxi ad communionem ducenta millia militum, et video illos laxis frenis fugientes per viam Babylonicam, et non audent reverti adversus gentem Francigenam. Juro per Mahumet et per omnia deorum numina, quod ultra non retinebo milites conventione aliqua, quia expulsus sum a gente aliena et ad-*

vena. Conduxi omnia armorum genera, et omnia machinamenta, ut eos obsiderem in Jerusalem, et ipsi prævenerunt me ad bellum itinere duorum dierum. Heu mihi! quid amplius dicam? Inhonoratus ero semper in terra Babylonica. Nostri autem acceperunt stantarum, quod comparavit comes de Northmannia, viginti marchas argenti, et dedit illud patriarchæ in Dei honorem, sanctique sepulcri. Ensem vero emit quidam sexaginta Bysanteis. Superati sunt igitur inimici nostri a nobis, Deo annuente. Omnes naves paganorum ibi aderant; homines vero qui intus erant, videntes Ammiratum fugientem cum suo exercitu, statim suspenderunt vela, et impulerunt se in alta maria. Reversi sunt itaque nostri ad eorum tentoria, acceperuntque innumera spolia, aurum argentumque multum, omniumque animalium genera, et omnium armorum instrumenta! quæ volucrunt asportaverunt, reliqua igni consumpserunt. Reversi sunt ergo nostri, cum gaudio magno Jerusalem, deferentes secum omnia bona, quæ illis erant necessaria. Hoc bellum actum est, prid. Id. Augusti, largiente Domino nostro Jesu Christo fidelibus suis victoriam, *qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat, Deus per infinita sæcula sæculorum. Amen*

ROBERTI MONACHI S. REMIGII

IN DIŒCESI REMENSI

HISTORIA HIEROSOLYMITANA.

(Apud BONGARS, *Gesta Dei per Francos*, p. 30.)

MONITUM.

Robertus monachus hanc quam *Hierosolymitanam Historiam* inscripsit, composuisse testatur ipse, præfatione apologetica, in claustro cujusdam cellæ S. Remigii, constitutæ in episcopatu Remensi, jussu abbatis cujusdam, nomine Bernardi, ita enim plene in veteri ms. nuperrime legimus: cui hujus argumenti ab alio, nescio quo, conscripta narratio displicebat: quod erat et acephala, et stylo negligentiore composita. Ipse concilio Claromontis interfuit, a quo hic Occidentis in Orientem motus cœpit. Eum Blondus citat non semel, sed ut expeditionis comitem: « Delectavit nos, inquit II decad., lib. IV, Robertum vidisse monachum, eas describere machinas, in hunc modum, » etc. Et paulo post: « Robertus monachus, qui tunc Hierosolymis erat, et: « Fatetur ingenue Robertus monachus, a quo scriptore hæc certiora sumuntur. » De eodem Trithemius: Rupertus monachus cœnobii S. Remigii in diœcesi Remensi, ordinis divi Patris Benedicti, natione Gallicus, vir in divinis Scripturis jugi studio exercitatus, et sæcularium disciplinarum non ignarus, ingenio clarus et apertus eloquio. Scripsit nonnulla ingenii sui opuscula, quibus nomen ejus posteritati innotuit . e quibus ego tantum vidi, *Gestorum in terra sancta per Christianos tempore Urbani secundi, contra infideles, Historiam insignem, lib. X. Inter omnes historiogr.* De aliis nihil vidi. Claruit sub Henrico V, anno Domini 1120. » Hæc Trithemius; qui aut libro auctius exemplar nostris, aut unum in duos divisum habuit: quomodo in prioribus editionibus septimus et octavus in unum coaluerunt. Defuit autem Trithemio, ut apparet, præfatio apologetica, quam edidit Reuberus, quæ et in nostris membranis legitur. Ordericus Vitalis tum styli elegantiam, tum veritatem in illo laudat et sæpe ipsum transcripsit. Auctor *Libri principalis bellorum Domini pro tempore novæ legis*, qui est ms. in bibliotheca P. Petavii citat *Robertum abbatem Sancti Remigii*. Possevinus confundit cum Sigeberti continuatore, Apparatu, in *Robertus monachus:* quem antea distinxerat, ex Arnoldo Wione, in *Robertus Anglus*. Nos usi sumus codicibus mss. Nicolai Fabri, Laurentii Bochelli, nostris: impressis, nostro antiquissimo et optimo, nulla nec loci, nec typographi, nec temporis nota; alio depravatissimo Basiliensi Henrici Petri anni 1533, et Wecheliana Justi Reuberi, emendatiore. Scias autem, lector, olim editum illum nostrum, col. nunc 757, lin. 26, ex Fulcherio inserta habere plurima, nempe capita quindecim, a vicesimo ad tricesimum quintum ita . « pridie Idibus Augusti. His peractis, placuit quibusdam in patriam nationis suæ reverti, » etc., quæ leguntur fine capitis 19 Fulcherii, paucissimis voculis variantibus; tandem redire ad ea quibus opus suum claudit Robertus: « Quia vero hic historicus sermo, » etc. Hæc eodem omnino modo habentur in ms. libro veteri, quem hac editione absoluta forte inter nostros latentem reperimus. Misit et varias lectiones e suis Andreas Schottus: quarum usus erit tertio tomo, si vitam hanc Deus, animumque servaverit. Versus illius ævi, ut erant in mss., in extrema pagina posuimus, ne quid non exhiberemus. Initiam scribendi facit a concilio Claromontano, anno 1095; finem, in illa de Admiraviso victoria.

INCIPIT

PRÆFATIO APOLOGETICA MONACHI ROBERTI

IN HISTORIA HIEROSOLYMITANA.

Universos qui hanc historiam legerint, sive audierint, et auditam intellexerint, deprecor, ut cum in ea aliquid inurbane compositum invenerint, concedant veniam, quia hanc scribere compulsus fui per obedientiam. Quidam enim abbas, nomine N., litterarum scientia et morum probitate præditus, ostendit mihi unam historiam secundum hanc materiam, sed ei admodum displicebat : partim, quod initium suum quod in Clarimontis concilio constitutum fuit, non habebat; partim quod series tam pulchræ materiæ inculta jacebat, et litteralium compositio dictionum incondita vacillabat. Præcepit ergo mihi ut qui Clarimontis interfui concilio, acephalæ materiei caput præponerem, et lecturis eam accuratiori stylo componerem. Ego vero, quia notarium non habui alium nisi me, et dictavi, et scripsi: sic quod continuatim paruit menti manus, et manui penna, et pennæ pagina, et fidem satis præstare positio dictionis. Unde, si cui academicorum studiis innutrito displicet hæc nostra editio, ob hoc forsitan quod pedestri sermone incedentes plus justo in ea rusticaverimus, notificare ei volumus quod apud nos probabilius est, abscondita rusticando elucidare, quam aperta philosophando obnubilare. Sermo enim semper exactus, semper est ingratus; quia quod difficili intellectu percipitur, surdiori aure hauritur. Nos vero plebeio incessu sic volumus progredi sermonem nostrum, ut quivis cum audierit, speret idem; et si fortassis idem tentaverit esse, longe separetur ab idem. Si quis affectat scire locum quo hæc historia composita fuerit, sciat esse claustrum cujusdam cellæ S. Remigii constitutæ in episcopatu Remensi. Si nomen auctoris exigitur, qui eam composuit, Robertus appellatur.

INCIPIT PROLOGUS

Inter omnes historiographos Novi ac Veteris Testamenti Moses sanctus obtinet principatum, qui divino spiritu prophetiæ, Hebraicis litteris, quarum ipse autor exstitit, mundi descripsit exordium, et primæ ætatis ac secundæ facta mirabiliora, nec non et patriarcharum gesta nobis adduxit in medium. Hujus exemplum secuti sunt Jesus Nave, Samuel et David, quorum primus Josue librum, secundus et tertius Regum historias conscripserunt. Ex hoc ergo liquido colligi potest quod revera Deo sit acceptabile, ut ad notitiam fidelium suorum litteris commendetur, cum in terra peragit quod præfixis temporibus fieri disposuit, aliquod opus mirabile. Sed quid post creationem mundi mirabilius factum est, præter salutiferæ crucis mysterium, quam quod modernis temporibus actum est in hoc itinere nostrorum Hierosolymitarum? Quod quanto studiosius quisque adverterit, tanto uberius intra mentis suæ dilatatos sinus obtupescet. Hoc enim non fuit humanum opus, sed divinum. Et ideo litterali compaginatione commendari debet notitiæ tam præsentium quam futurorum, ut per hoc et spes in Deum Christiana magis solidetur, et laus ejus in eorum mentibus vivacior incitetur. Nam quis regum aut principum posset subigere tot civitates et castella, natura, arte, seu humano ingenio præmunita, nisi Francorum *beata gens, cujus est Dominus Deus, populus quem elegit in hæreditatem sibi?* (*Psal.* XXXII, 12.) Inferat ergo nobis Dei sapientia quod ad laudem sui nominis proferamus. Et sciant, qui hæc legerint sive audierint, quod nihil frivoli, nihil mendacii, nihil nugarum, nisi quod verum est, enarrabimus.

EXPLICIT PROLOGUS.

INCIPIT LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

Anno igitur Dominicæ Incarnationis millesimo nonagesimo quinto, magnum inter fines Galliæ concilium celebratum est, in Arvernia scilicet, in civitate quæ Clarusmons appellatur. Cui papa Urbanus secundus cum episcopis et cardinalibus præfuit. Fuit autem illud concilium valde celeberrimum, conventu Gallorum ac Germanorum, tam episcoporum quam principum. Ordinatis igitur in eo rebus

ecclesiasticis, exivit dominus papa in quadam spatiosæ latitudinis platea, quia non poterat illos capere cujuslibet ædificii clausura. Qui hac suadela rhetoricæ dulcedinis, generaliter ad omnes in hæc verba prorupit, dicens (1) : « Gens Francorum, gens transmontana, gens, sicut in pluribus vestris elucet operibus, a Deo dilecta et electa, tam situ terrarum quam fide catholica, quam honore sanctæ Ecclesiæ, ab universis nationibus segregata, ad vos sermo noster dirigitur, vobisque exhortatio nostra protenditur. Scire vos volumus quæ lugubris causa ad vestros fines nos adduxerit, quæ necessitas vestra cunctorumque fidelium attraxerit. Ab Hierosolymorum finibus et urbe Constantinopolitana relatio gravis emersit, et sæpissime jam ad aures nostras pervenit quod videlicet gens regni Persarum, gens maledicta, extranea gens prorsus a Deo aliena, generatio scilicet quæ non direxit cor suum, et non est creditus cum Deo spiritus ejus (*Psal.* LXXVII, 8) : terras illorum Christianorum invaserit ferro, rapina, incendio depopulaverit ipsosque captivos partim in terram suam abduxerit, partimque nece miserabili prostraverit ecclesias Dei aut funditus everterit, aut suorum ritui sacrorum mancipaverit. Altaria suis fœditatibus inquinata subvertunt, Christianos circumcidunt, cruorem circumcisionis, aut super altaria fundunt, aut in vasis baptisterii immergunt. Et quos eis placet turpi occubitu muletare, umbilicum eis perforant, caput vitaliorum abstrahunt, ad stipitem ligant, et sic flagellando circumducunt, quoadusque extractis visceribus solo prostrati corruunt. Quosdam stipiti ligatos sagittant ; quosdam extento collo et nudato gladio appetunt, et utrum uno ictu truncare possint pertentant. Quid dicam de nefanda mulierum constupratione? De qua loqui deterius est quam silere. Regnum Græcorum jam ab eis emutilatum est, et suis usibus emancipatum, quod transmeari non potest itinere duorum mensium. Quibus igitur ad hoc ulciscendum, ad hoc eripiendum, labor incumbit, nisi vobis, quibus præ cæteris gentibus contulit Dominus insigne decus armorum, magnitudinem animorum, agilitatem corporum, virtutem humiliandi verticem capilli vobis resistentium? Moveant vos et incitent animos vestros ad virilitatem gesta prædecessorum, probitas et magnitudo Caroli Magni regis, et Ludovici filii ejus, aliorumque regum vestrorum ; qui regna Turcorum destruxerunt, et in eis fines sanctæ Ecclesiæ dilataverunt. Præsertim moveat vos sanctum Domini nostri Salvatoris sepulcrum, quod ab immundis gentibus possidetur, et loca sancta quæ nunc inhoneste tractantur et irreverenter eorum immunditiis sordidantur. O fortissimi milites, et invictorum propago parentum, nolite degenerare, sed virtutes majorum vestrorum reminiscimini. Quod si vos charus liberorum et parentum et conjugum continet affectus, en recolite quid in Evangelio dicat Dominus : *Qui amat patrem aut matrem super me, non est me dignus* (*Matth.* x, 37). *Omnis qui reliquerit domum, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit* (*Matth.* XIX, 29). Non vos protrahat ulla possessio, ulla rei familiaris sollicitudo, quoniam terra hæc quam inhabitatis clausura maris undique et jugis montium circumdata, numerositate vestra coangustatur ; nec copia divitiorum exuberat ; et vix sola alimenta suis cultoribus administrat. Inde est quod vos invicem mordetis, et comeditis ; bella movetis, et plerumque mutuis vulneribus occiditis. Cessent igitur inter vos odia, conticescant jurgia, bella quiescant et totius controversiæ dissensiones sopiantur. Viam *sancti sepulcri* incipite, terram illam nefariæ genti auferte, eamque vobis subjicite. Terra illa filiis *Israel* a Deo in potestatem data fuit, sicut Scriptura dicit *quæ lacte et melle fluit* (*Num.* XIII, 28). *Hierusalem* umbilicus est terrarum, terra præ cæteris fructifera, quasi alter paradisus deliciarum (2). Hanc redemptor humani generis suo illustravit adventu, decoravit conversatione, sacravit passione, morte redemit, sepultura insignivit. Hæc igitur civitas regalis in orbis medio posita, nunc a suis hostibus captiva tenetur, et ab ignorantibus Deum ritui gentium ancillatur. Quærit igitur et optat liberari, et ut ei subveniatis non cessat imprecari. A vobis quidem præcipue exigit subsidium, quoniam a Deo vobis collatum est præ cunctis nationibus, ut jam diximus, insigne decus armorum. Arripite igitur viam hanc, in remissionem peccatorum vestrorum, securi de immarcessibili gloria regni cœlorum. »

CAPUT II.

Hæc et id genus plurima ubi papa Urbanus urbano sermone peroravit, ita omnium qui aderant affectus in unum conciliavit, ut omnes acclamarent, *Deus vult ; Deus vult.* Quod ut venerandus pontifex Romanus audivit, erectis luminibus, in cœlum Deo gratias egit, et manu silentium indicens, ait : « Fratres charissimi, hodie in vobis est ostensum quod Dominus dicit in Evangelio : *Ubi duo vel tres fuerint congregati in nomine meo, ibi in medio eorum sum* (*Matth.* XVIII, 20). « Nisi enim Dominus Deus in mentibus vestris fuisset, una omnium vestrum vox non fuisset. Licet enim vox vestra numerosa prodierit, tamen origo vocis una fuit. Propterea dico vobis quod Deus hanc a vobis elicuit, qui vestris eam pectoribus inseruit. Sit ergo vobis vox ista in rebus bellicis militare signum, quia verbum hoc a Deo est prolatum. Cum in hostem fiet bellicosi impetus congressio, erit universus hæc ex parte Dei una vociferatio : DEUS VULT, DEUS VULT. Et non præcipimus aut suademus, ut senes aut imbecilles,

NOTULÆ MARGINALES MS. COD.

(1) Qui legis hæc dicta, ne sit tibi mens male ficta :
Urbani papæ, dulcia verba cape.

(2) Jerusalem gaude, tibi constat laus sine fraude.

et usui armorum minime idonei, hoc iter arripiant, nec mulieres sine conjugibus suis, aut fratribus, aut legitimis testimoniis ullatenus proficiscantur. Tales enim magis sunt impedimento quam adjumento; plus oneri quam utilitati. Divites in opibus subveniant, et expeditos ad bellum de suis facultatibus secum ducant. Presbyteris sive clericis cujuscunque ordinis absque episcoporum suorum licentia non licet ire, quoniam inutilis eis fieret hæc via, si irent sine illorum licentia. Quia nec laicis expedit peregrinari, nisi cum sui benedictione sacerdotis. Quicunque ergo hujus sanctæ peregrinationis animum habuerit, et Deo sponsionem inde fecerit, eique se litaturum hostiam vivam, sanctam, Deo placentem, devoverit, signum Dominicæ crucis in fronte sua sive in pectore præferat. Qui vero inde voti compos ingredi voluerit, inter scapulas retro ponat. Tales quippe bifaria operatione complebunt illud Domini præceptum, quod ipse jubet per Evangelium : *Qui non bajulat crucem suam et venit post me, non est me dignus* (*Luc.* XIV, 27). » His ita completis, unus ex cardinalibus, nomine Gregorius, pro omnibus terræ prostratis dixit confessionem suam, et sic omnes pectora sua tundentes, impetraverunt de his quæ male commiserant absolutionem, et facta absolutione, benedictionem; et benedictione consecuta, ad propria remeandi licentiam. Et ut cunctis claresceret fidelibus quod hæc via a Deo non ab homine sit constituta (sicut a multis postea comperimus) ipso die quo hæc facta et dicta sunt, fama præconans tantæ constitutionis totum commovit orbem, ita ut etiam in maritimis Occani insulis divulgatum esset, quod Hierosolymitanum iter in concilio sic stabilitum fuisset. Gloria provenit inde Christianis et exsultatio ; gentilibus autem Persis et Arabiæ cultoribus, mœror et trepidatio. His additur animi magnitudo, illis incutitur pavor et mentis hebetudo : adeo cœlestis tuba percrepuit, quod ubique gens omnis infesta Christiano nomini intremuit. Elucet igitur quod non fuit humanæ vocis officium, sed Spiritus Domini qui replet orbem terrarum (*Sap.* I, 7). Ad sua itaque reversus est unusquisque laicorum. Et Urbanus papa, in crastinum residere fecit conventum episcoporum : quibus residentibus accepit consilium, quem præponeret tantæ multitudini peregrinari cupientium, quia nondum erat inter eos aliquis nominatorum principum. Universi vero elegerunt Podiensem episcopum asserentes eum rebus humanis ac divinis valde esse idoneum, et utraque scientia peritissimum, suisque in actionibus multividum. Ille itaque, licet invitus, suscepit quasi alter Moses ducatum ac regimen Dominici populi, cum benedictione domini papæ ac totius concilii. O quot diversæ ætatis ac potentiæ seu domesticæ facultatis homines in illo concilio cruces susceperunt, et viam sancti sepulcri spoponderunt ! Hinc divulgatum est ubique terrarum illud concilium venerabile, et ad aures regum ac principum pervenit concilii constitutum honorabile. Placuit omnibus, et plus quam trecenta millia mente iter concipiunt, et adimplere satagunt, prout unicuique posse contulit Dominus. Jamque turmatim exsultare cœpit Francigenæ gentis unanimitas ; et desiderio jam cum Turcis pugnabat eorum proba ferocitas.

CAPUT III.

Erat in illis diebus quidam, qui eremita exstiterat, nomine Petrus, qui apud illos qui terrena sapiunt magni æstimabatur, et super ipsos præsules et abbates apice religionis efferebatur, eo quod nec pane nec carne vescebatur, sed tamen vino aliisque cibis omnibus fruebatur, et « summam abstinentiam in deliciis quærebat. » Hic (3) ea tempestate collegit sibi non modicam equitum peditumque multitudinem, et iter suum direxit per Hungariam. Associatur autem quidam duci Teutonicorum, nomine Godefrido, qui erat Eustachii Boloniensis comitis filius, sed officio dignitatis dux erat Teutonicus. Hic vultu elegans, statura procerus, dulcis eloquio, moribus egregius, et in tantum lenis ut magis in se monachum quam militem figuraret. Hic tamen, cum hostem sentiebat adesse, et imminere prælium, tunc audaci mente concipiebat animum, et quasi leo frendens ad nullius pavebat occursum. Et quæ lorica vel clypeus sustinere posset impetum mucronis illius? Hic cum fratribus suis Eustachio et Balduino, et magna manu militum peditumque per Hungariam iter arripuit. Per viam scilicet, quam Carolus Magnus, incomparabilis rex Francorum, olim suo exercitui fieri usque ad Constantinopolim præcepit. Primus igitur Petrus Eremita cum suis, et magna gente Alemannorum, Constantinopolim venit ; et copiosam Langobardorum gentem, multosque alios ex diversis locorum spatiis aggregatos invenit. Quibus imperator licentiam introeundi civitatem nunquam præbuit ; quia virtutem Christianæ militiæ et maxime Francorum suspectam semper habuit. Idem tamen mercatum eis habere concedebat, quod et in civitate erat ; prohibueratque illis, ne transirent illud vicini æquoris spatium quod vocatur Sancti Georgii Brachium, quoadusque veniret formidabilis exercitus Francorum. Turcorum enim infinitus numerus erat, qui adventum illorum bestiali mente sitiebant. In quorum manus si ipsi, absentibus Francorum principibus, devenissent, sicut postea rei probavit eventus, omnes æqualiter morti subjacerent. « Sed omnis congregatio hominum quæ bono auctore non gubernatur, si ei languidum caput dominatur, in deterius labitur et quotidie languescit, et a salute elongatur. » Propterea et hi, quia prudentem principem qui eorum dominaretur non habebant, reprehensibilia opera faciebant. Ecclesias enim et urbis palatia destruebant, et quæ in eis erant auferentes, plumbum quo tegebantur abstrahebant, et Græcis vendebant. Unde imperator,

NOTULÆ MARGINALES MS. COD.

(3) Dux prior incessit, nec retro postea incessit.

Alexius nomine, vehementer iratus fuit, et æquoreum Sancti Georgii Brachium transmeare præcepit; qui ultra progressi, ducem sibi elegerunt, et quemdam Rainaldum sibi præposuerunt; qui licet principem haberent, eadem tamen rapinæ opera agere non cessabant. Nam domos quas inveniebant igni comburebant, et ecclesias bonis suis et facultatibus denudabant. Sic Nicomediam usque venerunt, et inde Romaniæ terram intraverunt.

CAPUT IV.

Tribus igitur diebus ambulando consumptis, ultra Nicæam urbem perrexerunt, et quoddam castrum, cui nomen erat Exerogorgo, gente vacuum invenerunt; in quod intrantes repererunt magnam ubertatem frumenti, carnis et vini, omniumque bonorum quæ sunt humanæ vitæ sustentaculum. Turci vero metu Francorum perterriti, longe ab illa terra secesserant, sed tamen exploratores suos dimiserant, qui illis adventum nostrorum et quomodo se haberent, nuntiarent. Qui ut per internuntios compererunt, quod venerant rapere, non possidere; destruere, non retinere : protinus contra illos accurrerunt, et castellum in quo erant, obsidione circumdederunt. Erat quippe ingens numerus illorum et copiosa multitudo. Ante portam castelli erat puteus, et juxta ex altera parte fons vivus, juxta quem Rainaldus princeps Christianorum exierat, et insidiis positis, eorum præstolabatur adventum. Turci vero nil hæsitantes irruerunt in eum, et multos qui cum eo erant occiderunt; alii autem in castrum fugerunt. Illi autem aquam eis omnino abstulerunt, et in magno cruciatu per aquæ penuriam Christianos immiserunt. Erat autem festivitas S. Michaelis, quam venerari debet omnis anima fidelis. Obsessi autem in tantam sitis angustiam devenerunt, quod venis equorum incisis boumque et asinorum aliarumque pecudum sanguinem eliciebant et bibebant : Alii terram humectiorem fodiebant, et sic ori apponebant, ardoremque sitis temperabant : Quidam urinam suam in vase, aut in manibus suis mingebant; et quod dictu mirabile [miserabile?] est, absorbebant. Quid plura? Nullum erat vitæ solatium, nisi sola mors pereuntibus erat subsidium. Tandem princeps illorum Rainaldus (4) cum Turcis furtivum iniit fœdus, malens temporalem vitam retinere quam pro Christo mortem in tali martyrio subire. Dispositis itaque agminibus suis, simulavit cum adversariis inire congressionem, sed mox ut exiit, fecit ad illos cum multis aliis digressionem. Heu! heu! meticulosus miles, non ab austro, sed ab aquilone progressus, quam enerviter et effeminate pro cœlesti rege et regno dimicavit! Qui necdum vel levi stipula tactus, martyrium subire perhorruit; et fidei Christianæ professionem, sanus, eques, et armatus, abdicavit! Jure igitur apud Deum evanescentis gloriæ jacturam promeruit, et in sortem illius qui sedem suam elegit ad aquilonem devenit. Qui vero remanserunt, nec Christianæ fidei titulum mutare voluerunt, mortis exterminium pertulerunt.

CAPUT V.

Igitur ex tota illa multitudine occiderunt Turci quos voluerunt, et quos libuit (uti placuit) captivaverunt. Quosdam ad signum positos sagittabant, et omni ludibrio, prout eis placuit, servos Dei contumeliis afficiebant, et illi maluerunt sic occumbere gloriose quam negantes fidem Dei, cum eis infeliciter vivere. Deus vero, ut credimus, recepit eos in septa sempiterni paradisi sui, quoniam noluerunt a fide sua peregrinari. Jam quippe diabolica legio victrix exsultat, et contra Petrum Eremitam, qui erat in quodam castello, nomine Civito, dimicat. Erat autem illud castrum supra Nicæam civitatem constitutum. Contra quod Turci dum cursum suum dirigerent, obviaverunt Waltero, qui erat primicerius et signifer agminis Eremitæ. Sed licet miles egregius claruisset tot militiæ titulis, his tamen omnino resistere non valuit, sed tamen pretiosam mortem suam, multo Turcorum sanguine commendavit. Irruit enim in illos velut ursus esuriens in animalia, et quos in occursum invenit, prostravit et vita privavit. Similiter et qui cum eo erant armati, adhuc vivi jam necem quam erant passuri fortiter vindicabant, et quandiu eis arma valuerunt, hostes de victoria nunquam tripudiaverunt. Sed ibi multitudo audaciam, non audacia multitudinem separavit, nisi quod animositas numerositatem sextuplo minuerit. Fractis tandem armis et non animis, laudabili morte (5), sic in bello, sicut pro Deo, vitam terminaverunt, eosque in sortem cœlitum angelici spiritus transtulerunt. Tunc primum Turci, revolutis cadaveribus suorum, cognoverunt, quod cum quibus pugnaverunt, fuerunt Franci. His ita patratis pars Turcorum cucurrit ad castra Christianorum; et ibi unum presbyterum missam celebrantem invenerunt, quem ante altare detruncaverunt (6). O felix felicis presbyteri martyrium, cui præbuit ducatum Dominici corporis viaticum! Similiter quotquot invenerunt, aut occiderunt aut abduxerunt. Petrus vero Eremita abierat, et Constantinopolim remeaverat. In castello autem quod supra memoravimus, cui nomem Civito, remanserat Christianorum plurima multitudo; et qui de castris sive de prælio vivi evaserant, retro ad illud castellum confluxerant; quos Turci insequentes, strues lignorum, ut nostros comburerent, circumposuerunt. Sed qui obsessi erant de tuitione vitæ solliciti, ignem in strues immiserunt, et Dei nutu flante vento, plerosque de hostibus combusserunt. Turci tandem illos vi comprehenderunt, et secundum ludibrium suum variis pœnarum generibus affectos, alios occiderunt, alios in captivitatem vendiderunt. Qui tamen aliquo casu seu ingenio evaserunt, ad Brachium S. Georgii reversi

NOTULÆ MARGINALES MS. COD.

(4) Nec leviter tactus, Rainaldus apostata factus,
Abjurando Deum, se probat esse reum.

(5) Hæc mors Walteri debet pretiosa videri.

(6) Sic et presbyteri mors hujus debet haberi.

sunt, et jubente nequissimo imperatore Constantinopolim regressi sunt. Imperator quidem cum suis Græcis de victoria Turcorum exsultavit, et omnia arma nostrorum, ut eos inermes redderet, callide

A comparavit. His ita gestis, huic narrationi terminum ponamus, et stylum retro convertentes, quomodo illuc convenerit nostra gens Francorum, et cum quibus principibus, disseramus.

EXPLICIT LIBER PRIMUS.

INCIPIT LIBER SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

(7) Interea dum hæc aguntur, de remotis occidentalium partibus, a parte aquilonis excitavit Dominus comites duos, quibus unum nomen, una consanguinitas, æqua potestas, idem et armis et animis, etiam gloria consulatus compares, Northmannus scilicet et Flandrensis comes, cum quibus Hugo Magnus, frater Philippi regis Francorum, qui ipso tempore Franciam suo subjugabat imperio. Hic honestate morum, et elegantia corporis, et animi virtute, regalem de qua ortus erat commendabat prosapiam. Cum quo et Stephanus Carnotensis comes, qui a bonis initiis pravos deinceps obtinuit exitus. O quam alii innumeri optimates et minoris famæ consules, cum his sunt associati tam ejusdem Franciæ quam majoris et minoris Britanniæ! A parte australi mota sunt castra Podiensis episcopi, et comitis Sancti Ægidii, nomine Raimundi. Vir iste cum prædives esset, et temporalibus bonis locupletatus, omnia sua vendidit, et viam deliberationis sancti sepulcri arripuit. Ecce præsentialiter nunc videmus in re, quod olim Dominus promisit per os Isaiæ prophetæ. Ait enim : *Noli timere, quia ego tecum sum. Ab aquilone adducam semen tuum, et ab occidente congregabo te. Dicam Aquiloni : Da; et Austro : Noli prohibere : affer filios meos de longinquo, et filias meas ab extremis terræ* (*Isa.* XLIII; 5, 6; *Psal.* LXVII, 5). Nunc, ut videmus, filii Dei et filiæ, Hierosolymam tendunt ab extremis terræ; auster et aquilo nutritos suos non audent prohibere. Revera nunc *Dominus ascendit super occasum*, quoniam requiescit in animabus occidentalium. Nunc occidens illustrare parat orientem, et novis sideribus suis excitatis, qua premebatur, depellere cæcitatem. Et cum inter tanta agmina enitesceret terribilis fulgor armorum, hunc tamen reverberaret, si intueri posset, splendor animorum. Hi ad bellum unanimiter incedunt, non ut fugiant, sed ut aut moriantur, aut vincant. Mori quippe nullum vitæ credunt dispendium; vincere vero divini subsidii est præconium. Hi ergo memorati principes, quos supra diximus, satis congruo tempore de suis sedibus exierunt, sed natale solum transeuntes, diverso tempore et itinere transalpinavgrunt. Itaque per Italiam iter direxerunt, et divina præeunte custodia, secundo appulsu Romam usque pervenerunt. Et, o gloriosa Christi militia, quam non potuerunt continere tam spatiosæ urbis intra incolatus sui spatia vel domicilia! et ob hoc multi extra urbem ex principibus sua fixere tentoria. Ibi aliquot diebus commorantes, loca sancta peregrina consuetudine perambulaverunt, et se sanctorum apostolorum, aliorumque meritis ac precibus commendaverunt. Ac sic apostolica benedictione percepta, ab urbe discesserunt, et per Apuliam suas acies direxerunt.

B

CAPUT II.

Cum vero sic incederent, rumor tanti exercitus ad aures cujusdam terræ illius principis pervenit (8), nomine Boamundi, qui tunc erat in obsidione Malphi super littus Scaphardi pelagi constituti. Qui hoc audiens, fecit inquiri quibus principibus tantus exercitus regatur, quibus armis muniatur, quo ordine incedant, utrum rapere venerant, aut sibi necessaria compararent. Cui ab inquisitoribus relatum est de principibus, quod Hugo Magnus, Philippi regis Francorum germanus, signifer et dux sit tantæ militiæ, Robertus comes Northmannus, Robertus comes Flandrensis, Stephanus comes Carnutensis, Raimundus comes Sancti Ægidii, et episcopus Podiensis duces erant et domini. Exercitus autem sic devote et seriatim procedebat, quia cui nocuerit nullus erat. Arma equitum tam idonea erant, quia in tanto procinctu militiæ Dei conveniebat. Nam quis carneus oculus loricarum, aut galearum, aut scutorum, aut lancearum, sole radiante, ferre poterat intuitum! Pedites vero omni genere telorum sic præmuniti sunt, quia si obviam sibi veniret, omni orienti terrorem incuterent. Et cum sic telis et armis accingantur, tamen ut inermes peregrini necessaria sibi mercantur. Quæ cum audisset vir circumspectus et divitiis opulentissimus, talia verba protulit coram omnibus : « Gratias agere Deo omnes debemus, qui in sua potestate habet omnium corda et quo vult inclinat ea. Quis enim tot principes, tantum populum in unum collegisset, nisi eorum mentibus ipse præsideret? » Cumque requireret quod signum gestarent peregrinationis, didicit, quod aut in fronte aut in scapulis dextris signum ferebant sanctæ crucis. Cum vero per campos discurrendo bellico usui se exercerent, et jocando invicem alter in alterum hastas vibrarent,

C

D

NOTULÆ MARGINALES MS. COD.

(7) Agmina conveniunt, numerosaque millia fiunt.
Quorum tu proceres, si consociari videres,
Agmen tam pulcrum, laudares jure sepulchrum
Pro quo sic patriam respuerant propriam.

(8) Circuiens mundum rumor venit ad Boamundum.

omnes una voce clamabant dicentes : *Deus vult*, *Deus vult* (9). Et hoc signum erat bellici clamoris ipsorum. Et cum hæc iterum audiret vir prudens et mente capax, magis ac magis in Deo exsultavit, quia omnia hæc non tantum esse hominum intellexit. Qui statim eadem devotione succensus, duo pretiosa pallia jussit afferri, et ex eis corrigiatim incisis præcepit cruces fieri. Tunc dixit omnibus tam peditibus, quam militibus : « Si quis est Domini, jungatur mihi. O milites nunc mei, estote Dei; et viam sancti sepulcri mecum incipite; et quæ mea sunt, ut vestra, assumite. Nonne et nos Francigenæ sumus? Nonne parentes nostri de Francia venerunt, et terram hanc militaribus armis sibi mancipaverunt? Proh dedecus! Ibunt consanguinei et fratres nostri sine nobis ad martyrium, imo ad paradisum! In omnibus futuris temporibus debet ascribi tam nobis quam liberis nostris retrograda animi inopia, si, nobis absentibus, agitur hæc divina militia. » (10) Et cum his et istis similibus animosus miles finem daret, omnes clamaverunt qui aderant, dicentes : « Nos tecum ibimus et absque retractatione viam S. sepulcri promittimus. » Tunc vir sapiens et astutus cruces jussit afferri, quas præceperat fieri. Quibus allatis dixit: « Si dictis vestris facta unire vultis, de crucibus istis unusquisque accipiat unam : et acceptio crucis, sponsio viæ fiat. » Tunc tot ad accipiendum confluxerunt, ut multis accipere affectantibus cruces defuerint. Audientes igitur optimates Apuliæ, et Calabriæ, et Siciliæ (11), quod Boamundus crucem viæ S. sepulcri susceperat, omnes ad eum confluunt, et tam mediocres quam potentes, senes quam juvenes, servi quam domini, viam S. sepulcri promittunt. Dux vero Apuliæ, ut hæc vidit et audivit, vehementer indoluit, quoniam solus cum parvulis ac mulieribus in ducatu suo remanere pertimuit (12). Erat autem dux ille frater Boamundi, uterque filii scilicet Roberti Wischardi. Dum vero Boamundus viæ necessaria paravit, Francigenæ ad marinos portus pervenerunt: alii scilicet ad Brundosium, alii ad Barim, alii Otrentum mare intraverunt. Hugo siquidem Magnus, et Wilermus Marchisi filius, in portu Barim mare intraverunt, et Durachium usque navigaverunt. Quos ut deprehendit adesse dux loci illius, captus iniqua cogitatione, illos continuo jussit apprehendi, et apprehensos Constantinopolim transduci. Edixerat enim subdolus imperator, ut omnes Hierosolymitani caperentur, et ad se Constantinopolim ducerentur. Volebat namque, ut omnes sibi fidelitatem facerent, ut scilicet suum esset quidquid per arma acquirerent. Sed deprehensi, cum ad urbem venerunt, magnum sibi solatium invenerunt, quoniam ducem Godefridum cum magno exercitu repererunt. Flere præ gaudio potait, qui Hugonem Magnum et ducem Godefridum invicem amplexari et osculari conspexit. Gaudet Hugo Magnus se fuisse comprehensum, quia meruit hac occasione adduci ad ducem Godefridum. Gaudet dux, quia amplexatur pracordialem amicum et cognatum suum et totius generositatis nobilem virum. Gaudet alter in altero innovatum fœdus amicitiæ, et antiquæ familiaritatis, et quod in utroque inerat insigne decus probitatis. In his duobus viris primo denudatæ sunt fraudes imperatoris, sicut mox sequentia declarabunt. Dux Godefridus prior omnium Francorum principum Constantinopolim venit (13), quia per Hungariam recto gressu profectus est. Venit atque duobus diebus ante Natale Domini, et hospitari voluit extra urbem; sed subdolus imperator eum inter suburbana recepit. Speravit interim dux ibi securum remanere se posse, donec venirent agmina gentis Francigenæ. Et cum per aliquot dies mittere cœpit clientes suos ad comparanda necessaria, dolosus imperator præcepit Turcopolis suis et Pincenatibus, ut in insidiis positi eos invaderent et occiderent. Sed Balduinus frater ducis, cognita eorum nequitia, occultavit se, et eorum prævenit insidias, quia dum suos sequerentur ut occiderent, forti animo et virili impetu illos invasit, et sic, Deo juvante, illos superavit, pluresque ex eis occidit, et captos fratri suo duci præsentavit. Quod cum audisset imperator, iratus est, quia cognovit denudatas esse Francis dolositates et insidias suas. Dux, ut cognovit erga se suosque imperatorem iratum esse, de suburbanis illius exivit, et extra urbem sua tentoria fixit. Sole igitur occidente, cum nox superficiem terræ cooperuisset, satellites imperatoris præsumpserunt ducem invadere, sed divina adminiculante gratia, cum magno sui detrimento, vix manus illius potuerunt evadere. Alter in alterum irruit, sed alter altero præstantior fuit ; dux cum suis frendens ut leo, illos cito dispersit, et septem occidit, cæteros insecutus usque ad portam civitatis (14). Dux inde ad tentoria sua rediit, et quietus deinceps mansit. Imperator autem pacem ab eo per internuntios quæsivit, et tandem impetravit, et mercatum ei et suæ genti, sicut in civitate erat, habere permisit.

Interea gens Gallicana cœpit appropinquare regiæ civitati, Podiensis episcopus, et comes S. Ægidii, comites quoque Northmannus, Flandrensis, et Stephanus Carnutensis. Dum hæc itaque aguntur, ut diximus, prospero successu Boamundus Apuliensis, paratis suis stipendiis tanto itineri congruentibus, mare intravit, et in Bulgariam regionem

NOTULÆ MARGINALES MS. COD.

(9) Sed tali voto clammatur pectore toto.
(10) Militiæ pondus, non respuit hoc Boamundus.
(11) Huic Calabræ gentes sociantur et Apulienses.
(12) His fieri prædux sprevit tamen Apuliæ dux.
(13) Dux quoque regalem primus pervenit ad urbem.
(14) Francigenæ gentes, urbi simul advenientes,
Terrorem mortis prætendunt compatriotis.

transnavigavit, cum quo erant nobilissimi principes, Tancredus videlicet nepos suus, et Marchisi filius Richardus princeps, et omnes terræ illius optimates, qui tantam in Bulgaria copiam repererunt, quod a fructu frumenti, vini et olei omnes multiplicati sunt. Deinde descendentes in vallem Andronopolis ibi tandiu quietaverunt, quousque omnes transfretaverunt. Illic Boamundus vir prudens comminatus est suo exercitui, ne aliquis aliquid alicui violenter auferret, sed unusquisque quod sibi competebat compararet. Tandem transfretatis omnibus, in quamdam regionem intraverunt, bonis omnibus uberrimam, et de villa in villam, de castello in castellum, de civitate in civitatem progredientes, Castoriam pervenerunt, et ibi solemnitatem Dominicæ Nativitatis celebraverunt, et per dies plurimos dictaverunt. Cumque forum rerum venalium ab indigenis quærerent, impetrare nequiverunt, quoniam omnes a facie eorum confugiebant, æstimantes nostros advenisse causa prædandi, et omnem terram depopulandi. Ideo nostri compulsi sunt ciborum inopia, rapere, prædari, oves, boves. arietes, hircos, porcos, et quæ usui ciborum erant utilia. Egressi de Castoria venerunt in Palagoniam, in qua erat quoddam castrum hæreticorum, quod undique aggressi sunt, et crepantibus buccinis, et telis ac sagittis volantibus illico ceperunt, et spoliatum omnibus bonis, cum suis habitatoribus igni combusserunt. Nec id eis injuria contigit, quia illorum detestabilis sermo ut cancer serpebat; jamque circumjacentes regiones suo pravo dogmate fœdaverat, sicut et ipsos a recta fide sua fœda intentio abstulerat. Denique in crastinum ad flumen Bardarum venientes, plures ipso die transierunt, alii vero qui sole stante transire nequiverant, remanserunt. In crastinum illos qui remanserant, invadit exercitus imperatoris (15), summo diluculo aurora jam lucescente, et omnes occidere aut captos vinctosque abducere, in animo habebant. Quibus dum nostri fortiter resisterent, rumor pervenit ad aures Boamundi et Tancredi. Tancredus vero non diu ferens suos ita injuriis affici, equo volitans ad flumen rediit, et secum equo et armis in illud injecit, eumque duo millia equitum sunt insecuti. Qui protinus advenientes invenerunt Turcopolas et Pincenates cum eis dimicantes, in quos subito, ut effrenati irruentes, multos neci dederunt, et plures captos in vincula conjecerunt, et loris irretitos ad Boamundum adduxerunt. Quos ut vidit, Deo gratias egit, et hilari vultu subridens, eis per interpretem dixit : « Gens male sana, quare quæritis occidere gentem nostram et Dei? nos sumus Christianæ fidei consortes et domestici, et peregrini milites S. sepulcri. Nos neminem vestrum quærimus lædere, nec imperatori vestro molimur aliquid auferre. » Ad hæc illi respondentes dixerunt : « Domine, conductitii milites sumus imperatoris, et donativa nostra promereri ab eo desideramus. Quo ei libet vadimus, quod præcipit facimus, et magis illi quam Deo obedimus. Nos tamen bene recognoscimus quod *magis oportet obedire Deo quam hominibus* (*Act.* v, 29). Imperator noster magis perhorrescit agmina vestra quam cœli fulmina, quia plus intelligit vos velle eum regno suo privare quam velle peregrinari, et ideo non cessat malum erga vos machinari. Sed propter Deum, cujus peregrini et milites estis, dignemini nostri misereri. » Ad hæc verba vir egregius commotus spiritu misericordiæ, condonavit eis vitam et illæsos abire permisit. Et dum sic læto successu procederet, Francorum exercitus Constantinopolim convenerat, et ejus præstolabatur adventum, quem audierat illic in proximo affuturum. Imperator autem cum vidisset castra Dei undique sic affluere, et exercitum suum, quem miserat contra Boamundum, sic dissipatum esse, exæstuans animo cœpit admodum anxiari, et fraudulentæ cogitationes in corde ejus versari (16). Tandem simulavit animum, et quasi de ejus adventu gratulabundus esset, misit obviam Boamundo, qui eum per civitates et castella sua gratanter exciperent, et ad se cum honorificentia conducerent. Compertum vero nostri habebant quod non agebat hoc de aliquo famulatu amicitiæ, sed secreta cordis simulatione. Indigenæ autem terræ illius, accepto imperatoris imperio, catervatim victui necessaria conferebant et pretio satis competenti vendebant. Sicque venientes ad civitatem, quæ Susa memoratur, Boamundus ibi suum dimisit exercitum, et Constantinopolim cum paucis perrexit ad imperatoris colloquium. Tancredus autem remansit dux et custos exercitus, et noluit ibi diutius manere, quia extranei ibi erant cibi quos sibi oportebat emere, et eduxit eos seorsum in vallem satis omnibus bonis uberrimam et corporalibus incrementis satis opimam.

CAPUT III.

Interea Boamundus dum adventaret civitati, Francorum exercitus pars maxima venit ei obviam, et unanimiter receperunt eum, sicut mater unicum filium. Boamundus autem ut conspicatus est tot consules, tot duces, tot optimates obviam sibi occurrere, in cœlum manus erigens, obortis præ gaudio lacrymis, flevit uberrime, et osculatis pluribus, vix tandem repressis singultibus, ut loqui potuit, suffusus ora fletibus in hæc verba exorsus est fari (17) : « O bellatores Dei et indeficientes peregrini sancti sepulcri, quis ad hæc peregrina loca vos adduxit, nisi ille qui filios Israel ex Ægypto per mare Rubrum sicco vestigio transduxit? Quis alius inseruit vobis animum ut relinqueretis possessiones vestras, et natale solum? Cognatos et affines, conjuges et liberos abdicastis, imo et omni corporeæ voluptati renuntiastis. Nunc

NOTULÆ MARGINALES MS. COD.

(15) Invadit nostros exercitus imperatoris. Rex fuit insanus Constantinopolitanus.
(16) Utque Boamundus nostris est associatus;
(17) Verba Boamundi non laudant prospera mundi.

iterum secundo regenerati estis, per confessionem scilicet et pœnitentiam, quam quotidie duris laboribus exhibetis. O felices qui in tali opere deficient; qui ante visuri sunt paradisum quam patriam suam (18). O ordo militum, nunc terque quaterque beatus, qui huc usque fuisti homicidii sanguine detorpatus, nunc sanctorum sudoribus compar martyrum cœlesti es diademate laureatus. Hucusque exstitisti incitamentum iræ Dei. Nunc vero reconciliatio gratiæ ipsius, et propugnaculum fidei suæ. Quapropter, invicti milites, quia nunc primum incœpimus Deo militare, non gloriemur in viribus sive in armis nostris, sed in Deo potentissimo omnium, quoniam ipsius est bellum nostrum, et ipse dominabitur gentibus. » Boamundus cum hæc et plura id genus prætenderet, conciliavit in se animos audientium, et magnam gratiam invenit in conspectu omnium. Tunc omnes cum eo ad civitatem venerunt, et ad hospitium suum, quod ei imperator præparari jusserat extra urbem, deduxerunt. Subdolus itaque imperator videns crescere castra Dei, et de die in diem augmentari, inops animi, expers sensus, pauper consilii, ira vehementi cœpit inflammari. Nesciebat quid ageret, quo se verteret, quorsum, si eum urgeret necessitas, fugeret. Timebat enim ne tantus et tantorum exercitus in se consurgeret. « Mens enim fraude plena semper anxiatur, et est sollicita, et quod machinatur alteri, pertimescit semper sibi machinari. » Sed nostri hoc prorsus non quærebant, quia contra Christianos præliari nolebant. Tandem jussit ad se vocari Boamundum, et cum illo et cum Græcis suis hujuscemodi habuit consilium. Requisivit a nostris, ut sibi principes exercitus facerent hominium, id est, securitatem pacis, et ipse conduceret eis per desertas regiones quas ingressuri erant forum rerum venialium omnium, et in omnibus bellicis negotiis sui præsentiam, et suæ gentis auxilium; juraret etiam generaliter omnibus quod omnia quibus indigebant in armis et vestimentis, ipse suppleret, nec amplius ulli peregrino sancti sepulcri noceret, aut noceri consentiret. Hoc consilium cum detectum fuisset, placuit in cordibus fere omnium, quoniam plerosque angebat necessitas rerum temporalium. Fecerunt igitur ei cum sacramento hoc hominium tali conditione, ut tandiu duraret, quandiu ipse perseverasset in sacramento suo et promissione. Comes vero Sancti Ægidii cum requisitus fuisset de hominio, id nullatenus facere voluit, sed si ei crederetur, tota civitas cum suis habitatoribus et ipso imperatore destrueretur. Sed non erat ratio ut tam regia civitas, tantæque Deo sacratæ destruerentur ecclesiæ, et tot sanctorum corpora aut igne cremarentur, aut suis sedibus viduarentur. Tandem comes sancti Ægidii aliorum suasionibus evictus, assensum præbuit, et in hæc verba ei fidelitatem promisit dicens : « Alexio imperatori juro, quod nunquam per me aut per meos vitam aut honorem amittet, aut quidquid hodie juste aut injuste possidet. » Hanc illi fiduciam juravit et imperator acquievit; juravit deinde idem imperator dicens (19) : « Ego Alexius imperator juro Hugoni Magno et Godefrido duci, cæteris qui hic astant Francorum principibus, quod nunquam in vita mea injuriabor ullum peregrinum sancti sepulcri, aut permittam injuriari, et quod cum illis pergam in bellicis negotiis, et pro posse meo mercatum sufficientem illis conduci faciam. » Nemo miretur quod tot et tam nobiles Franci, quasi coacti hominium fecerunt, quoniam si res ex ratione pensetur, quia vere coacti fuerint invenietur. Intraturi enim erant terram desertam et inviam, terram ab omnibus bonis prorsus alienam, et sciebant quia « diurnum laborem ferre non sufficit, cui victus quotidianus deficit. » Pro hujusmodi angaria, facta fuit hæc hominii pactio; sed in mente imperatoris semper mansit fraudulenta factio. Et bene competeret hominii rata conciliatio, si apud imperatorem foret integræ fidei assertio. Sed quidquid stipulavit, totum cum verbo exinanivit, maluitque perjurii noxam incurrere quam gentem Francorum a suis finibus non elongare.

CAPUT IV.

Sed ne omnino videamur ut elingues præterisse urbem regiam, loquamur aliquid de ea, quoniam dissonum non videtur ab historia. Legimus in quadam historia quod Constantinus imperator Romanus, cum quadam nocte in civitate quæ Byzantium memoratur, obdormisset, visionem vidit (20), quæ in hunc modum ei apparuit. Anus quædam veste dissipata et quasi semicinctis circumsepta, veniebat ad eum, et suæ opis flagitabat subsidium. Vestem exigebat qua induceretur, cooperturam qua tegeretur, alimoniam qua pascerctur; promisitque ei rex continuo se subventurum, et indubitanter postulata collaturum. Et sic visio disparuit. Tunc vir potentissimus somno excitus, cum in corde suo quænam esset visio hæc versaretur divino nutu intellexit, civitatem ipsam in qua erat auxilium quærere et se in melius restitui peroptare. Sicque Constantinus a fundamentis illam erexit, et de suo nomine Constantinopolim appellavit, quam Romæ mœnibus altis, ædificiorum structura nobili coæquavit et pari gloria et honore terreno sublimem reddidit : quæ « sicut Roma est caput occidentis, ita et illa civitas debet esse Orientis. » Est autem sita inter Adriaticum mare et illud quod nunc vocatur Brachium Sancti Georgii, supra quod mœnia civitatis locata sunt. Hæc præ cunctis aliis urbibus fecunda est pingui agro et omni marinarum divitiarum mercimonio. Hanc itaque divino nutu conditam nemo dubitet, quoniam prævidit Deus quod erat futurum quod nos modo videmus impletum. Nisi enim talis con-

NOTULÆ MARGINALES MS. COD.

(18) Militiamque parum non laudat Christicolarum.
Jurat et abjurat, qui de se non bene curat.
(19) Hoc quod rex jurat, non longo tempore durat,
(20) Visio per plana fuit hæc Constantiniana.

dita fuisset civitas, orientalis Christianitas ubi diffugium habuisset? Ibi nunc receptaculum habent sanctissimæ reliquiæ sanctorum prophetarum et apostolorum, et innumerabilium martyrum sanctorum, quæ illuc translatæ sunt a facie paganorum. Asia et Africa olim fuerunt Christianorum, quæ nunc subjiciuntur immundis ritibus gentilium. Ideo talis effecta est urbs regia Constantinopolis, ut sanctarum, quas supra diximus, reliquiarum foret tutissima regia. Et ideo debet bene Romæ coæquari dignitate sanctuarii, et excellentia regiæ dignitatis, nisi quod Roma est papali apice sublimata, et caput et summa totius Christianitatis. De his ergo loqui sufficiat, et hic secundus liber finem recipiat.

EXPLICIT LIBER SECUNDUS.

INCIPIT LIBER TERTIUS.

CAPUT PRIMUM.

Confœderatis igitur cum imperatore Francorum principibus, jussit imperator naves ad portum adduci, ut omnis exercitus sine magna dilatione posset transfretari (21). Primi itaque transfretaverunt dux Godefridus et Tancredus, et usque Nicomediam perrexerunt, et per tres dies ibi feriati sunt. Videns ergo dux quod nulla pateret via transituris, per quam tantum exercitum conducere posset, præmisit quatuor millia hominum cum securibus ac vomeribus, aliisque ferramentis aptandæ viæ convenientibus. Erat autem terra illa invia, per juga montium, per concava vallium, per defossa terrarum undique præpedita. Constraverunt itaque viam plurimo sudore usque Nicæam civitatem, peditibus, equis, omnique transeunti satis idoneam; posueruntque ligneas cruces per reflexus viarum, in testimonium, ut cunctis notum fieret quod via illa erat peregrinantium, sicque suo tracta pertransiit omnis multitudo, excepto quod Boamundus remansit cum imperatore, dispositurus cum eo de commeatus promissione. Sed ultra modum protelari videbatur illa promissio, quia antequam perveniret, apud illos qui pauperiores erant versabatur maxima famis cruciatio. Ad Nicæam (22) urbem convenit robur exercitus, pridie Nonas Maii, et antequam mercatum adduceretur, vendebatur viginti aut triginta denariis unus panis. Postquam vero Boamundus cum commeatu venit, penuria evanuit, et ubertas omnium bonorum affuit. Die siquidem Ascensionis Domini urbem obsidione vallaverunt, et balistas arietes, et cætera id genus instrumenta quibus inhabitantes expugnari quirent, apposuerunt (23). A parte orientis, quia inexpugnabilior et magis munita civitas esse videbatur, applicuerunt sui robur exercitus principes isti: Podiensis episcopus, comes Raimundus, Hugo Magnus, comes Northmannus, comes Flandrensis, comes Stephanus Carnotensis; a septentrione dux Godefridus; ab occasu solis Boamundus; ab austro vero pars nulla fuit, quia lacus magnus ibi præsidio fuit. In illum cives cum navibus introibant, et ligna et herbas aliaque necessaria afferebant. Quod ut principes agnoverunt, tum legatio ad imperatorem cucurrit, ut naves conduci faceret usque Civito ubi portus est, et boves cum eis qui eas usque ad lacum traherent. Qui illico dictis paruit, et juxta principum velle factum fuit. Quid plura? Dispositis circa urbem agminibus, Christicolæ viriliter insistunt, et Turci, quia de vita eorum agitur, fortiter resistunt. Turci toxicatas sagittas mittebant, ut quos vel levi tactu sauciarent, gravi morte perimerent. Nostri vero pro vita mori non formidantes, altas circa muros machinas erigunt, quibus infra se illos qui in muris erant despiciunt. Ligneæ turres lapideis turribus opponuntur, et jam cominus hostis lanceis et ensibus impugnatur.

Jamque sudesque, faces, lapides jaculantur in urbem.

Hostis terretur, quia jam de morte timetur.

Unde fragor turbæ, clamorque, sonabat in urbe (24). Passim fugiebant matres cum filiis et filiabus suis, solutis crinibus, latebrasque quærebant, quia spem vitæ nusquam habebant. Jamque ut se victum reddere parabat hostis, sexaginta millia Turcorum eminus advenire conspexit. Ipsi enim de civitate præmiserant ad illos, dicentes, ut per meridianam portam venirent ad ipsos et adjuvarent eos. Nostri vero interim obsederant illam portam magno comitatu, et custodiebant eam Podiensis episcopus et comes sancti Ægidii. Turci vero de montanis descendentes, ut eminus nostrorum agmina conspexerunt, timore perculsi sunt, et nisi in sua multitudine confidissent, fugæ præsidium, frenis retroflexis, arripuissent; feceruntque tres turmas, ut una supra dictam irrumperet portam, et duæ confligendo, si necesse eis incumberet, liberius subsequerentur tertiam. Sic Turci disposuerunt, sed Dei consilio, nostri eruditiores hanc definitionem aliter mutaverunt. Nam Podiensis episcopus, et comitis Raimundi exercitus, ut primum illos visu attigerunt, urbe relicta, celerrimo cursu irruunt in illos, non plus eorum formidantes multitudinem quam canes fugientem leporem. O quot millia electorum militum illos sunt insecuti, paratiores de Turcorum corporibus extrahere animas, quam quisquam famelicus eundi ad nuptias. Turci vero, ut viderunt tot armorum prænimium splendorem (suggerebat enim flammantibus radiis sol fulgorem (tot

NOTULÆ MARGINALES MS. COD.

(21) Jam mare transitur, sed ad invia jamque venitur.

(22) Tu quoque, Nicæa, dabis istis ampla trophæa.

(23) Cum te vastabunt, et vastatum superabunt.

(24) Pro turba turbæ fragor est permotus in urbe.

veloces equorum occursus frementium, tot hastas contra se vibrantes, terga verterunt (25), et nimis pigri et inertes ad montana redire voluerunt, sed quicunquè inde descenderant, rursus ascendere non potuerunt.

Et male multati nece dira sunt cruciati
Auxiliante Deo, sic agmina nostra trophæo
Tali lætantur, et ad urbem regrediuntur.

Qui iterum machinas ascendentes, ut majorem metum hostibus inculerent, balistis et fundis occisorum capita Turcorum intus projiciebant.

Nec tardante mora, sunt ipsa temporis hora
Naves allatæ Constantinopolitanæ.

Sed illa die in lacum non immiserunt, sed nocte, plenas Turcopolis, gente scilicet imperatoris bene docta et assueta navibus. In crastinum surgente aurora, ut viderunt naves hi qui erant in civitate, præ nimio timore exterriti sunt, et ultra non habentes spiritum, quasi jam mortui in terram corruerunt (26). Ululabant omnes filiæ cum matribus, juvenes cum virginibus, senes cum junioribus. Undique luctus, undique miseria, quia evadendi spes non erat ulla. Intus erat mœror et mentis hebetudo, foris gaudium et exsultatio. Tandem invenerunt evadendi consilium, quia per Turcopolas imperatori significarunt, ei se reddere civitatem, si illæsos et incolumes cum suis rebus eos permitteret abire. Quod ubi imperatori nuntiatur, admodum inde gratulatur; sed et inde mente concipit fraudem, ut deinceps parturiat iniquitatem. Jubet ut suis reddatur civitas, Turcis integra fiducia tribuatur, et ad se Constantinopolim conducantur. Quod ideo fecit (ut res ipsa deinceps innotuit) ut cum tempus accederet, ad detrimentum Francorum paratiores inveniret. Itaque civitas redditur, et Turci Constantinopolim deducuntur (27). Nec immemor tamen fuit imperator tanti beneficii, quia pauperibus qui erant in exercitu, largas eleemosynas præcepit erogari. Septem itaque hebdomadibus et tribus diebus Nicææ civitatis protensa est expugnatio, nec ulla vi humana superata fuisset, nisi Dei adjutorio. Est enim muris densissimis et altis turribus præmunita, ut caput et nulli compar in tota Romania. In hac olim, tempore Constantini imperatoris, trecenti et octodecim episcopi aggregati fuerunt, et de fide nostra, propter hæreticorum versutiam qui tunc temporis erant, tractaverunt, et ita omnia, sicut tenet nunc catholica Ecclesia, omnes unanimiter sanxerunt. Et ob hoc dignum erat ut inimicis sanctæ fidei auferretur et Deo reconciliaretur, et sanctæ matri nostræ Ecclesiæ, ut membrum suum, redintegraretur. Et provisa fuit, et disposita fuit a Deo hæc nova redintegratio, quoniam plurimorum qui ibi occisi sunt consecrata est martyrio. Taliter ut diximus, liberata est Nicæa civitas, et expulsa est ab ea omnis diabolica captivitas.

CAPUT II.

His ita patratis, sua mox tentoria nostri
Defigunt, et abire parant, sic urbe relicta,
Missis legatis Constantinopolitanis.

Postquam vero de civitate recesserunt, duobus diebus conjuncta agmina in unum processerunt, et ad unum pontem pervenerunt, juxta quem duobus diebus quiescentes feriati sunt, et de virenti gramine equos et bestias suas refocillaverunt. Quia vero ingressuri erant terram desertam et inaquosam, consilium inierunt ut dividerentur, et in duo agmina partirentur. Non enim una terra, una regio sufficiebat tot hominibus, tot equis, tot animalibus. Una igitur et major acies Hugoni Magno committitur. Altera vero Boamundo conjungitur. In prima acie fuerunt cum Hugone Magno Podiensis episcopus, comes Raimundus, dux Godefridus, et Flandrensis comes Robertus. In secunda autem cum Boamundo, Tancrędus, Robertus comes Northmannus, et multi alii principes, quorum nomina ignoramus. Itaque prospero successu per Romaniam jam quasi securi equitabant. Sed evoluto trium dierum curriculo, quarta jam die, hora tertia, ii qui erant cum Boamundo, viderunt trecentorum Turcorum millia sibi occurrere, et clamosis vocibus, nescio quid barbarum perstridere. Pro quorum immensa multitudine quidam ex nostris hæsitare cœperunt, utrum resisterent, aut fugæ divortia quærerent. Tunc Boamundus, ut vir multividus, et Northmannus comes ut miles animosus, ut viderunt quorumdam animos titubare, præcipiunt omnes milites descendere, et sudes tentoriorum infigere. Erat autem ibi quidam rivus currentis aquæ præterfluens, juxta quem in longum sua tentoria ponunt. Concito providus Boamundus celerem dirigit nuntium

Qui celeri volitaret equo nostrosque vocaret,
Quatenus ad bellum properarent jamque paratum.

Antequam vero tentoria tensa fuissent, centum quinquaginta Turci equis velocioribus advecti, nostros appropiaverunt, et tensis arcubus suas sagittas toxicatas in eos immiserunt. Nostri vero equis admissis illos exceperunt, et comprehensos occiderunt. Turcorum quippe consuetudo est ut retro confugiant tractis sagittis, et dum fugiunt adversum vulnus se insequentibus infligant, Sed fugæ nullus locus erat, quia densitas hostium occupaverat ipsa cacumina montium (28). Propterea nostri dextra levaque eos instanter trucidabant, et arcus et sagittæ inutilem ibi locum habebant. Tandem contractis lanceis Francorum in corporibus impiorum, res agitur gladiis. O quot ibi corpora corruerunt, truncatis capitibus, aut mutilatis aliquibus

NOTULÆ MARGINALES MS. COD.

(25) Jam Turci fugiunt, pavidique per omnia fiunt.
(26) Hostes inclusi, magna formidine fusi.
Quo se converti valeant, non sunt bene certi.
(27) Hostis captivus condonata nece vivas.
Redditur a Francis Constantinopolitanis.
(28) Ecce hic pugna, quæ non fuit omnibus una

membris! Illic videres, quod posterior pars hostium impellebat priorem in gladios trucidantium:
Dum sic pugnatur, dum sic pars prima necatur.
Pars ea Turcorum quæ rivum transiit, illa
Protinus invasit tentoria Christianorum :
Diruunt illa; trucidant matres cum pueris, et quos imparatos bello reperiunt et sine armis. Clamor morientium Boamundi pervenit ad aures, et protinus quid esset intellexit. Bellum comiti Northmanno committit, et ad tentoria cum paucis celeri cursu repedavit.
Quos ut viderunt Turci, mox terga dederunt.
Boamundus autem conspicatus ibi jacere multos examines, cœpit lamentari; et Dominum, ut vivis ac mortuis esset refugium, deprecari. Ad bellum festinus remeavit, sed tamen pro vallo et munimine in tentoriis milites dereliquit. Antequam vero ad bellum rediret, fuerant jam nostri adeo fatigati, siti, labore et calore æstus (29), quia nisi mulieres potum de rivo præterfluenti attulissent, multi ipso die bello succubuissent. Jam vero nostri Turcis irruentibus semel terga dederunt, et nisi cito comes Northmannus aureum vexillum in dextra vibrans equum convertisset, et geminatis vocibus militare signum, *Deus vult*, *Deus vult*, exclamasset :
Nostris illa dies nimis exitiabilis esset.
Sed postquam viderunt reverti Boamundum et comitem Northmannum, spiritum audaciæ resumpserunt, et magis mori quam ulterius fugere elegerunt. Tanta quippe erat Turcorum instantia, et unus ita impellebat alium, quod nusquam erat cuiquam pro ullo commodo diffugium. Nostros ita vallaverant, quod locum vacuum nisi circa tentoria non inveniebant. Multi de nostris tunc mortui sunt, qui Turcorum sagittis perierunt. Nullus nostrorum vacabat ab officio, nullus erat absque ministerio. Milites et ad bellum expediti pugnabant, sacerdotes et clerici plorabant et orabant, mulieres lamentantes mortuorum corpora in tentoria trahebant. Et dum sic nostri coartantur, dum nube volantium sagittarum obumbrantur, advolat interea dux Godefridus et Hugo (30). Qui cum ad montana pervenerunt cum quadraginta millibus electorum militum, aspiciunt tentoria suorum undique circumsepta agminibus Turcorum, sociosque suos utcunque pugnantes, mulieres in tentoriis magno ululatu vociferantes, ardescunt animo, et sicut aquila fertur in prædam,
Quam vox pullorum stimulat jejuna suorum,
Sic ira accensa, penetrarunt agmina densa.
O quantus ibi fragor armorum, quantus strepitus confringentium lancearum, quantus clamor morientium, et quam hilaris vox pugnantium Francorum, militare signum suum altis vocibus conclamantium! Congeminantur illæ voces, dum eas recipiunt, et recipiendo emittunt concava vallium, cacumina montium, scissuræ rupium. Miseri quos primum inveniunt, quia nunc homines, nunc sola cadavera sunt, quos non contegit lorica vel clypeus, et quos non adjuvat sagitta vel sinuatus arcus. Ululant, gemunt, terram morientes calcibus terunt, aut procumbentes herbam mordicus scindunt, Hos repentinos sonitus dum longe positi percipiunt, alii gratulantur, alii mœsti fiunt. Franci intelligunt militare signum suorum pugnantium; Turci vero lamentabiles gemitus suorum morientium. Torpescit stupefacta manus iniquorum, convalescit jam fatigata manus Christianorum.

CAPUT III.

Interea dum Turci qui nostros impugnabant ad montana respiciunt, conspiciunt Podiensem episcopum et comitem Raimundum, cum reliquo exercitu militum et peditum de montibus descendere, suosque invadere; obriguerunt timore magno præ multitudine bellatorum (31), putantes quod aut de supernis sedibus bellatores compluissent, aut de ipsis montibus emersissent. Iterum prælia innovantur, recenterque plurima Turcorum millia prosternuntur.

Quid faceret Turcus, populusque per omnia spurcus?
Ni sua terga daret quo venerat et remearet.
Sed qui cauda prius fuerat, caput incipit esse.
Sicque caput caudam sequitur, fugiens fugientes.

Nostri quoque qui jam prope in suis erant inclusi tentoriis, iterum resumpto spiritu animantur, et sua vulnera gravesque injurias de hostibus ulciscuntur

Qui prius instabant, fugiunt (32) per devia quæque :
Nec curant quorsum, vel in antea sive retrorsum :
Sed miles Christi prosternit eos nece tristi;
Sanguine terra madet, montis rubet undique clivus,
Complet usque simul fluitanti sanguine rivus.
Corpora cæsorum tot erant prostrata per agrum ;
Quod nisi vix ullus currere quibat equus.

Ab hora igitur diei tertia usque ad noctis crepusculum conflictus ille continuus fuit, et mirum esse poterat unde gens tanta aggregata fuerit. Sed ut asserebant, qui se melius scire arbitrantur, Persæ-Publicani, Medi, Syri, Chaldæi, Sarraceni, Agulani, Arabes et Turci ibi convenerant, et superficiem terræ cooperuerant, sicut locustæ et bruchus quorum non est numerus (Psal. CIV, 34). Nox quippe litem diremit, magnoque illis fuit præsidio; quia nisi tenebræ eos occuluissent, pauci ex tanta multitudine superfuissent.

NOTULÆ MARGINALES MS. COD.

29) Hinc labor, inde calor, sitis, improbus hostis [et arma
Nostros invadunt, et ob hoc jam terga para- [bant

(30) Assunt præsidio Dux Godefridus et Hugo.

(31) Militiæ tantæ bellum nunquam fuit ante.
Hinc timor incessit quo trans ab inde recessit.

(32) Jam Sarraceni fugiunt, Arabes, Agareni,
Cum Publicanis, Medis, Persis, Agulanis.

Gloria magna Deo, tali tantoque trophæo
Qui perimit nocuos, glorificatque suos.

Nostri itaque, compellentibus tenebris, ad sua tentoria reversi sunt, sacerdotibus et clericis hymnum Deo dicentibus in hunc modum : « Gloriosus es, Domine, in sanctis tuis, mirabilis in sanctitate tua, terribilis atque laudabilis, et faciens mirabilia. Dextera tua, Domine, percussit inimicum, et in multitudine gloriæ tuæ deposuisti adversarios tuos. Dixerat inimicus : *Persequar et comprehendam illos, dividam spolia, implebitur anima mea, evaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea* (*Exod* XV, 9). Sed tu, Domine, nobiscum fuisti, tanquam bellator fortis, et dux et protector fuisti in misericordia tua populo tuo quem redemisti. Nunc, Domine, cognoscimus, quia portas nos in fortitudine tua, ad habitaculum sanctum tuum, ad sanctum scilicet sepulcrum tuum. » His dictis voces suppresserunt, et securi jam ab hostibus nocte illa quieverunt. In crastinum vero ubi sol flammanti lumine mundum venustavit, omnes ad campum belli cucurrerunt, et de suis plurimos peremptos invenerunt, et nisi cruces fuissent, segregari ab illis vix potuissent. Illi vero, quibus erat sanior intellectus, ut Christi martyres venerabantur, et digniori honore quo poterant tumulabant (33). Et sacerdotes et clerici sepulturæ debitos effundebant cantus ; matres pro filiis, amici pro amicis, lugubres emittebant planctus. His ita completis, ad cadavera hostium spolianda festinaverunt. Et quis referre potest, quantam ibi abundantiam vestium, quantam auri argentique copiam repererint? O quantam multitudinem equorum, mulorum, mularum, camelorum et asinorum nostri tunc habuerunt : Qui prius erant pauperes, Deo opitulante, divites effecti sunt. Qui prius seminudi, sericis indumentis vestiti sunt. Leguntur tela et sagittæ, et vacuatæ implentur pharetræ. Cura vulneratis impenditur, et curæ medicorum committuntur.

Sicque die tota, non est gens nostra remota.

Huic facto egregiæ laudis, si quis mentis oculum velit apponere, Deum mirabilem in suis operibus poterit advertere. *Esurientes* etenim suos *replevit bonis*, *divites* vero non suos *dimisit inanes; deposuit potentes*, *et exaltavit humiles* (*Luc.* I, 52, 53), potentes abjectos reddens, humiles gloriosos. Hoc est quod per Isaiam prophetam spopondit suæ dilectæ Jerusalem : *Ponam te in superbiam sæculorum, gaudium in generationem et generationem, et suges lac gentium, et mamilla regum lactaberis, et scies quia ego Dominus salvans te, et redemptor tuus fortis Jacob* (*Isai*, LX, 15, 16). Superbia sæculorum, nobilitas est virorum illustrium; mamilla regum, divitiæ thesauros suos in terram fodientium. Quæ nobilitas mamilla regum pascitur, cum ei mundana potestas A subjicitur. Et inde habet gaudium et lætitiam non tantum in hac generatione præsenti, sed et in futura generatione sæculorum.

CAPUT IV.

Altera autem die, quæ erat tertia mensis Julii, tentoria summo mane defixerunt, et vestigia Turcorum fugientium sequi festinaverunt. Sed illi sicut trepidæ columbæ a facie accipitris, ita ante eorum faciem fugiebant. Igitur per quatuor dies huc illucque fugientes, contingit ut Solimannus dux illorum inveniret decem millia Arabum venientia sibi in auxilium. Erat autem Solimannus filius Solimanni veteris, qui totam Romaniam abstulit imperatori. Hic quippe postquam de Nicæa urbe fugerat, gentem hanc in unum congregaverat, et quasi pro ulciscenda sua injuria, super Christianos adduxerat. B Hic cum eos vidisset et Arabes illum, præ nimio dolore equo lapsus in terram, cœpit magnis vocibus ejulare, seque miserum et infelicem proclamare. Cui Arabes infortunii sui casum ignorantes, dicunt : « O cunctorum hominum impudentior! quid ita fugis? Multum degeneras : quia nunquam pater tuus de prælio fugit. Resume animi constantiam, et revertere ad prælium, quoniam venimus tibi in auxilium. » Quibus ille, suspiriis vocem interrumpentibus, ait (34). « Magna vos vexat insania; nondum vos cognovistis virtutem Francorum, nec experti estis animos eorum. Virtus eorum non est humana, sed cœlestis, aut diabolica. Nec ipsi tantum in suo confidunt auxilio, sed divino. Nonne in tantum deviceramus eos, quod jam parabamus iliceos funes et canabinos, ut eorum collo immiteremus? Tum subito gens innumera, quæ mortem non veretur et hostem non timet, erupit de montibus, et indubitanter se inseruit nostris agminibus. Quorum oculi ferre poterant eorum terribilium armorum splendorem? Lanceæ eorum micabant ut coruscantia sidera, galeæ et loricæ, ut vernantis auroræ lumina vibrantia, fragor armorum terribilior erat sonitu tonitruorum. Cum se bello præparant erectis in cœlum lanceis, certatim incedunt, et hac si sine voce essent, conticescunt. Cum vero suis approximant adversariis, tunc laxatis loris tanto impetu irruunt, ac si leones quos stimulat jejuna fames, et sanguinem animalium sitiunt. Tunc vociferant et strident dentibus et aera clamoribus implent, et peregrini a misericordia neminem capiunt, sed omnes necant. Et quid dicere de tam crudeli gente valeo? Nulla gens est quæ huic valeat resistere, quæ fugiendi locum possit invenire, quia aut divino aut diabolico fulciuntur auxilio. Omnes aliæ gentes nostros arcus expavescunt, et tela timent; isti vero postquam loricati sunt, tantum timent sagittam quantum et stipulam; sic formidant telum, sicut et fustem ligneum. Heu heu! trecenta sexaginta millia fuimus, et omnes vel occisi

C

D

NOTULÆ MARGINALES MS. COD.

(33) Corpora nostrorum cum Dei laude tumulantur.
Corpora Turcorum per campum despoliantur.

(34) Terror erat magnus, quo territus est Solimannus.

sumus ab istis, vel dispersi fugimus. Nunc quartus dies est ex quo a facie eorum fugere cœpimus, et adhuc non timore minori quam et primo die trepidamus. Qua de re, si sano vultis parere consilio, quam primum valetis a tota Romania abscedite; et ne illorum oculus vos videat, summa cautela providete. » Hæc Arabes ut audierunt, cum ipso Solimanno fugam concito arripuerunt. Christiani autem majori solertia sequebantur fugientium vestigia, sed illi nunquam in eodem statu morabantur, et quantumvis eorum animi confusi fuerint, ad quascunque tamen Christianorum urbes vel castella fugiendo veniebant, hilarem vultum quasi potiti victoria, præferebant (35), dicentes : « Gaudentes et cum lætitia aperite nobis januas vestras, quoniam occidimus vobis omnes Francigenas, qui vos et terras vestras deprædari venerant, ne unus quidem superest de illis quin aut mortuus sit, aut teneatur in vinculis nostris. Solimannus etenim dux noster alia via procedit, et captivos secum deduxit. » Qui vero verbis eorum creduli erant, aperiebant, seductique graves pœnas luebant. Nam deprædantes eorum possessiones, domos incendebant, ipsosque aut trucidabant, aut loris astrictos secum ducebant. Nolebant quippe ut Franci qui eos insequebantur, aliquid invenirent, ut vel sic inopia coacti persequi desisterent. Qui in hoc, prudenti usi sunt consilio, quia illis valde profuit, nocuitque omni exercitui nostro. Nostri enim invenerunt terram illam desertam, et inaquosam, omnibus bonis vacuam (36). Vellebant spicas segetum ad maturitatem proximantium, et inter manus confricando expilabant, talique cibo famem utcunque mitigabant. Ibi mortua fuit major pars equorum, et multi qui prius equites exstiterant, pedites effecti sunt. Equitabant vaccas et boves, et magnæ fortitudinis et altitudinis terræ illius arietes et canes. Transierunt itaque solum illud quam cito potuerunt, et intraverunt Lycaoniam, provinciam omnibus bonis uberrimam, et venerunt Iconium (37). Est autem Iconium opulentissima civitas temporalibus bonis, de qua meminit Paulus apostolus in Epistolis suis. Qui vero erraverunt in solitudine, in inaquoso, civitatem hospitio commodam invenerunt, et Domino suggerente, bonis terrenis repleti sunt. Cumque digredi a civitate placuit, suadentibus incolis, aquam in vasis et utribus secum tulerunt, quia aquam in crastinum nusquam repererunt. Die vero secunda in vesperum ad quoddam flumen pervenerunt, ibique duobus diebus hospitati sunt. Altera autem die cursores qui præibant agmina, primo venerunt ad civitatem, quæ Heraclea memoratur, in qua Turcorum maxima multitudo aggregabatur. Qui ut a longe deprehenderunt vexilla Francorum volitantia, protinus effugerunt ut damulus eruptus de laqueo, aut cerva sagittata. Nostri vero laudantes Dominum sine obstaculo civitatem intraverunt, et per dies quatuor ibi dietaverunt, die vero quinta de civitate omnes exierunt. Tunc Balduinus comes, frater Godefridi ducis, et Tancredus, ab aliis se cum suis militibus diviserunt, et ad urbem Tarsum diverterunt (38). Erant autem multi Turci in ea, qui contra eos exierunt ad prælium, sed diu obstare non potuerunt. Cum enim veloces impetus nostrorum, et sinuatos incursus et diros ictus ferre non potuerunt, pluribus suorum prostratis, in munitionem urbis se receperunt : et nostri castra sua ante urbem locaverunt et excubitores posuerunt. Illi vero qui erant in civitate Christiani, nocte media ad castra veniunt, cum magno gaudio clamantes atque dicentes : « Surgite, invicti milites Francorum, quoniam Turci omnes de civitate fugiunt et ulterius vobiscum decertare non præsumunt. » Nostri tamen eos persequi noluerunt, quia nox erat, tempus scilicet ad persequendum minime idoneum. Die vero lucescente nostri in civitatem introierunt, et cives eos libentissime receperunt. Facta est autem contentio inter comitem Balduinum et Tancredum, quis eorum civitati dominaretur, an utrorumque dominio subderetur. Tancredus renitebatur, quia pro se eam volebat habere, sed tandem cessit Balduino, quia major erat illi exercitus fortitudo. Fuerunt autem eis in brevi temporis intervallo traditæ duæ civitates : una quæ vocatur Athena, alia quæ Manustra, et multa castella. Jam vero ibant secundis successibus, quoniam Turci jam non equitabant, sed abditi erant in munitissimis munitionibus. Major autem pars Francorum ingressa est terram Armeniorum (39), quia inhianter affectabant inebriare terram sanguine Turcorum. Terra autem omnis silebat in conspectu ipsorum, eisque Armenii obviam veniebant, et in suas civitates et castella recipiebant. Ad quoddam vero castrum pervenerunt, quod ita naturali positione munitum erat ut nulla arma prorsus, nulla machinamenta bellica metuebat. Sed tamen noluerunt ibi diu demorari, cum scilicet tota alia terra eis esset subdita, et ex affectu volebat inclinari.

CAPUT V.

Erat autem in exercitu quidam miles fortis et strenuus et ab illa regione oriundus, qui terram illam postulavit a cunctis principibus, ut eam in fidelitate Dei et sancti sepulcri et eorum custodiret, ut vitam et honorem suum protegeret (40). Cui principes unanimiter assensum tribuerunt, quia sciebant eum esse virum fidelem, et bellicis rebus idoneum et fortem. Dehinc prospero successu venerunt ad Cæsaream Cappadociæ. Cappadocia autem regio est in capite Syriæ sita, ad septentrionalem plagam

NOTULÆ MARGINALES MS. COD.

(35) Fraudes fingebant Arabes, dum sic fugiebant.
(36) Invenere famem nostri, post fertilitatem.
(37) Hæc urbs suscepit nostros, penitusque recepit.
(38) Hic agmen sparsum, petit urbem nomine Tharsum.
(39) Gens fera Francorum terram subit Armeniorum.
(40) Quod petit assequitur miles, patriaque potitur.

porrecta; cujus incolæ civitatis ultro se tradiderunt, eosque benigne receperunt. Egressique de Cappadocia, prospere venerunt ad quamdam urbem pulcherrimam et satis uberrimam, quam Turci non multo ante obsederant, et per tres hebdomadas impugnaverant, sed expugnare nequiverant. Ad quam accedentes, mox cum summa lætitia cives obviam venerunt, et benevole susceperunt. Hanc iterum petiit alter miles, nomine Petrus ab Alpibus, et impetravit eam celerrime ab universis principibus (40*). Ipsa nocte quidam delator nugarum venit ad Boamundum, dixitque ei usque ad viginti millia Turcorum in proximo adesse, qui nondum scirent Francos exercitum illuc advenisse. Ille credulus verbis mendacibus, elegit milites electos quos secum duxit, et loca in quibus latitare dicebantur peragravit. Sed sicut delator inanis fuit, sic et inquisitionis effectus frustratus. Dehinc consurgentes venerunt ad quamdam urbem, quæ vocatur Cosor, quæ plena erat omnibus bonis quæ utilia sunt corporibus humanis. Ad quam accedentes, ab his qui erant in ea Christianis, officiosissime suscepti sunt. Et ibi per tres dies feriati sunt. Illic unusquisque suæ consuluit indigentiæ, lassi invenerunt requiem, esurientes refectionem, sitientes potum, nudi operimentum (41). Providit itaque eis Deus tale habitaculum, quo facilius pati valerent validum superventuræ famis cruciatum. Interea nuntiatum est comiti Raimundo, quod Turci metu territi, de Antiochia fugerant, civitatemque minime præmunitam reliquerant. Qui inde accepit consilium, quod illuc quingentos milites dirigeret, qui arcem civitatis occuparent, antequam aliis cognitum esset. Et ut venerunt in vallem Antiochiæ vicinam, tunc primum audierunt verum non esse quod Turci discessissent a civitate, sed omni nisu quo poterant moliebantur defendere. Perrexerunt igitur usque ad castellum Publicanorum, eoque subjugato, alio secundo itinere diverterunt; et in vallem de Rugia pervenerunt, multosque ibi Turcos et Sarracenos invenerunt, quos in ore gladii superatos prælio occiderunt. Quod videntes Armenii, terræ illius habitatores, gavisi sunt, quia videlicet a Christianis tam viriliter et Turci et Publicani sunt occisi, continuoque cum terra sua reddiderunt se illis. Et Rusam civitatem obtinuerunt, et plurima castella suo dominio mancipaverunt. Universus vero exercitus qui remanserat iter arripuit, miseroque infortunii successu (42) per quædam montana, quæ nulli erant nisi feris aut reptilibus pervia, ubi semita erat quæ non amplius quam unius pedis spatio dilatabatur, sed hinc et inde rupibus et densis spinarum seu veprium frutetis arctabatur, ima vallium in abyssum videbantur immergi, cacumina montium ad sidera tolli; hac inæquali semita milites et armigeri collo suo arma dependentia gestabant, omnes æqualiter pedites, quia nulli eorum equitabant, plerique libentissime loricas, galeas, clypeosque suos vendidissent, si emptorem invenissent; multi quidem plurima lassitudine deficientes ea projiciebant, ut saltem sic expediti ire valerent. Jumenta cum oneribus ire nullatenus poterant, sed plerisque in locis onera jumentorum homines ferebant. Stare loco aut sedere nemo poterat, quia alter alterum impellebat. Nemo poterat juvare suum comitem, nisi præcedentem ultimus, quoniam qui præibat vix converti valebat ad subsequentem. Tandem finita tam infelici via, et invia, venerunt ad civitatem, quæ Marasim memoratur, et ab incolis illis cum honore et gaudio excipiuntur. Illic abundantiam rerum temporalium inveniunt; ibi suæ miseriæ et defectus consolationem recipiunt. Ibi prior præstolatur ultimum, sed ante pertransiit integra dies, antequam cauda capiti cohæreret. Congregati vero et die una quiescentes, secunda die venerunt in vallem, in qua est Antiochia sita, regia videlicet civitas ab Antiocho rege constituta, et ab ipso nuncupata. Hæc metropolis est et caput totius regionis Syriæ, olim insignita per beatum Petrum apostolorum principem cultu fidei catholicæ: in ea episcopalem cathedram posuit, et apostolos Barnabam et Paulum ordinavit. Nunc vero ut Dominus ostenderet oculis mortalium quod non est virtus, nec ulla potestas, nisi ab ipso, prius hanc acquirere voluit in humilitate sermonis ore prædicantium, modo eam recuperare voluit in sublimitate potentiæ armis debellantium. Sic nostri in virtute Dei ad civitatem properantes ad pontem Ferreum venerunt; inveneruntque ibi numerositatem Turcorum pontem transire cupientium, ut his, qui erant in urbe præstarent auxilium. Sed non est hominum dirigere gressus suos, sed ejus est, cujus universa subjecta sunt imperio. Nostri protinus irruerunt unanimiter in eos nullique pepercerunt, sed in ore gladii magnam multitudinem ex eis peremerunt: alii mente consternati fugerunt, et sic vitæ præsenti suæ consuluerunt. Sic potiti Christiani victoria, multa inibi repererunt spolia, jumenta, asinos, camelos oneratos vino, frumento et oleo, et rebus aliis quæ obsessis sunt pernecessariæ. Tunc castrametati sunt super ripam fluminis, quod non longe distat a mœnibus civitatis. In die crastina onusti bonis ominibus ad civitatem ire disponunt; ad quam Deo ductore pervenientes in partibus tribus castra circumponunt: Ex una enim parte montana prohibent accessum, et omne bellandi procul arcent ingenium. Quarta feria duodecimo Kal. Novembris obsidio circa Antiochiam posita fuit, ad laudem et gloriam futuram Domini nostri Jesu Christi qui semper est mirabilis in operibus suis.

EXPLICIT LIBER TERTIUS.

NOTULÆ MARGINALES MS. COD.

(40*) Huic cum Cæsaria traditur et patria. Si bona præcedit, sequitur mala, prospera cedit.

(41) Hic fame deleta successit copia læta.

(42) Mundi fortuna mutabilis est quasi luna Quod quet in rebus multis, ut in his acicbus.

INCIPIT LIBER QUARTUS.

CAPUT PRIMUM.

Quia vero urbs Antiochena, non solum naturali situ, verum etiam mœnibus excelsis, turribusque in altum porrectis densissimisque in cacuminibus murorum propugnaculis præmunita erat, consilium inierunt principes, quod contra eam pugnarent, non virtute, sed ingenio; arte, non Marte · machinamento, non conflictu bellico. Prius igitur pontem supra flumen statuerunt, ut expeditius flumen transirent, quoties transeundi necesse haberent. Tunc quippe in confinio urbis magnam bonarum fructuum ubertatem inveniebant, copiosas vindemias, foveas frumento plenas et hordeo, aliisque cibariis, arboresque multi generis pomis refertas. Hoc quoque insinuabant eis Armenii qui in civitate erant, quique inde consentientibus Turcis ad eos veniebant; B sed eorum uxores et filii in urbe remanebant. Et hoc totum, licet Christiani essent, callide tamen faciebant, quoniam dicta nostrorum sive facta Turcis intus renuntiabant. Construuntur a Christocolis bellica machinamenta ad oppugnandum congrua, turres ligneæ, balistæ, falces, arietes, talpæ, tela, sudes, et fundæ, et si qua alia potuerunt ulla excogitari arte. Sed quid valuerunt adversum urbem inexpugnabilem, præsertim cum tot in ea essent defensores, qui etiam cum nostris campestri prælio pugnare potuissent? Postquam vero

Phospborus auroræ rutilos præcesserat ortus,
Ipsaque rorifluo cum jam candore vibraret,
Solque venustaret flammanti lumine mundum,
Exsurgunt propere proceres, procerumque catervæ,
Armaque corripiunt, et ad urbis mœnia currunt.
Pugna quidem dextra forti fit et intus et extra.
Illi defendunt, dum nostri spicula fundunt,
Telaque cum baculis, nec non lapidesque sudesque.
Fit labor immanis, sed profectus fit inanis,
Sicque recesserunt, quia sternere non potuerunt
Turres et muros, vi nulla corruituros.

Cumque viderent nostri quod nil proficere possent, illam dimittunt pugnam, retinent tamen obsidionem. Turci quippe in sua confidentes invictissima civitate, nocte januis apertis exibant, et in castra sagittas mittebant. Contigit autem ut ita sagittando unam mulierem ante tentoria Boamundi principis occiderent, et ideo vigilantiores excubias per castra posu- D erunt, qui etiam portam per quam exire solebant custodierunt. Placuit itaque principibus militiæ et optimatibus ut castellum sibi construerent, quo securiores essent, si inimici Dei ullo modo prævalerent, qui undique sicut apes ad alvearia confluebant. Quod et factum est. Interea dum rarescere cœpit quotidiani victus impensa, consilium inierunt, ut cibos quærerent, et ad quærendum, armigeros et plerosque milites ob custodiam transmitterent. Sed qui prædari voluerunt,

Partim prædati, partimque fuere necati.

A Nam castellum quoddam erat in montanis non longe a civitate nomine Arech, quod erat plenum rebellantibus Turcis, qui nostris insidias prætenderunt, multos vulneraverunt et plures occiderunt, et plerosque captos abduxerunt, cæterosque turpiter injuriatos ad castra redire compulerunt. Quod miseri casus infortunium ubi militia Dei cognovit, admodum indoluit; sed sibi deinceps salubre consilium invenit. Mille armigeros ante præmittunt, quos Boamundus et Flandrensis comes cum electis militibus subsequuntur, prænominata valle, in qua ad ipsos confugerent, si Turci eos insequerentur. Quod ita absque dilatione contigit, quoniam Turci, postquam illos eminus agnoverunt, laxatis loris, et equos calcaribus urgentes, insecuti sunt, B eosque in fugam verterunt. Nostri vero ad suos, sicut ad tutissimum asylum, confugerunt et præsidium divini subsidii invenerunt. Turci vero cum nimis de proximo nostros milites paratos esse deprehenderunt, primo quidem hæsitantes loco libentissime cessissent, si cedere valuissent. Ut tamen cognoverunt quia pauciores Christiani essent quam ipsi, bellum inierunt, tamen cum tremore, in sua confidentes numerosa multitudine. Sed quid valet prælium, contra quod divinum militat auxilium? Deus enim *fortis, et potens est, Dominus potens in prælio* (*Psal.* XXIII, 8). Duo enim ex nostris ibi tantum perempti sunt. Sed de Turcis, quorum non est numerus, qui et de manu Dei repulsi sunt, absque numero occisi sunt. Multos ex eis captos ad castra C conduxerunt, et coram illis qui supra mœnia inclytæ civitatis erant, decollaverunt. Et ut majorem illis dolorem inculerent et terrorem, balistis incisa capita in civitatem projecerunt. Dehinc expeditius ire potuerunt nostri ad villas et vicos Armeniorum, victum quærentes, et ipsi Armenii et indigenæ terræ illius ad nostros mercatum afferentes. Advenit interea sacratissima dies Dominicæ Nativitatis, quam Deus cunctis fidelibus suis celeberrimam in hoc contulit, quia qui creaturis omnibus nasci tribuit, pro solis hominibus nasci disposuit. Festivam igitur illam Christiani fecerunt, sicut qui in tentoriis erant agere potuerunt. Majus quippe gaudium erat in castris quam intra mœnia inclytæ urbis, inclytam D dico, non propter fœdam gentilitatis habitationem, sed propter humanæ conditionis positionem, et præsertim beati Petri apostolorum principis apud Deum reconciliationem.

CAPUT II.

Qua celebratione peracta, consilium acceperunt quid agerent, quoniam in castris victus deficiebat, et glacialis hiems mercatum afferentes ad ipsos venire non sinebat. Illi namque qui erant in urbe, quanto magis sciebant nostros esurire, tanto magis incipiebant in illos desævire. Hinc acris inclementia, hinc miseræ egestatis inopia, hinc opprimebat ad-

versariorum violentia. Et sicut solet contingere in multitudine congregatorum, non deficiebat vox murmurantium. Nec mirum erat, si humana fragilitas sub tot tormentis pressa deficiebat. Grando, nix, glacies, spiritus procellarum, illos violentissime opprimebant, quos nulla tectura cooperiebat. Quid mirum si se male dementabant, qui extra tentoria erant, cum ipsa tentoria innatabant? Propterea, ut supra diximus, consilium inierunt quid agerent, et tale invicem acceperunt. Boamundus et comes Flandrensis ad his subveniendum se ipsos obtulerunt, et omnibus placuit, et libentissime concesserunt. Hi itaque triginta millia equitum peditumque elegerunt, et in terram Sarracenorum intraverunt. O rerum omnium mediator Deus, quam tempestive subvenis in periculis, et in necessitate laborantibus, ut impleretur illud quod Salomon scripsit in Proverbiis: *Conservatur justo substantia peccatoris* (*Prov.* XIII, 22). A Jerusalem et Damasco, et Aleph, cæterisque regionibus congregati erant, Persæ, Arabes et Medi, gens videlicet multa nimis, quæ ad Antiochiam disposuerat venire, eamque a Christianis defendere. Sed aliter in cœlo fuit dispositum, quæ dispositio illorum ordinationem inclinavit deorsum. Cum enim audissent quia pars Christianorum intraverant in terram suam, gavisi sunt valde, quoniam in vinculis jam quasi irretitos arbitrati sunt. Tunc diviserunt se in duas acies, ut sic vallati ab eis nostri, fugæ præsidium nusquam invenirent. Quæ divisio stulta fuit, quia « stultitia in cordibus credentium semper requiescit. » Nam utræque acies ut sese invicem aspexerunt, incunctanter altera in alteram irruit, quia illa in sua multitudine, ista in Dei omnipotentia confidit, et ideo eventus belli dissimilis fuit. Milites armati quotquot in occursum sui venerunt, ut falcator messem, prostraverunt. Sed cum in gyrum reverti frenis voluerunt, quos iterum percuterent nisi fugientes non invenerunt. Qui vero in manibus nostrorum peditum devenerunt, in immane præcipitium corruerunt. Sciunt enim quibus bella nota sunt, quia « graviori attritione pedites quam equites interficiunt. » Altera vero acies quæ se ab altera separaverat, ut nostros circumveniret, ut audivit voces bellantium, sonitumque confringentium armorum, laxatis habenis accurrebat suis in auxilium. Sed ut miseros illorum casus agnovit, fugientesque circumspexit, timor in illos vehementissimus irruit, fugiendique contulit societatem. Sed quid aliud nostri facerent, nisi ut persequerentur? Nam, sicut in vulgari proverbio dicitur: « Si est qui fugiat, non deerit qui persequatur; » jam omnes nostri eos persequebantur quoniam qui pedites venerant, ascensores equorum efficiebantur. Quid plura? Qui evadere potuit, lætus et hilaris fuit; qui vero interceptus, miserrima nece occubuit. Quot asini et cameli, quotque jumenta frumento, vino, cæterisque cibariis onusta, ibi capta sunt, quæ esurienti exercitui Dei grata erant? Quantum gaudium, et tripudii exsultatio fuit in illa die in castris, cum talia dona viderunt summi procuratoris? Mirandum et gaudendum erat, quod Dominus de mercibus inimicorum suorum de longinquo adductis, fideles suos reficiebat. *Esurientes bonis* implebat (*Luc.* I, 53), quibus adversarios suos spoliabat. Sic quoque filiis Israel olim faciebat, cum per terram gentilium regum transire cupiebant, et illi publicum viæ regiæ incessum eis denegabant. Omnes pari modo, qui contra illos accipiebant gladium, gladio peribant, et eorum terra et facultates dabantur eis in possessionem. Nunc vero idem Dominus eadem recompensatione aufert suorum adversariis, ut isti credant veraciter actum fuisse quod scriptum est de illis: Per omnia sit Deus, qui benedicendus est, benedictus; sine ipso nihil possumus.

CAPUT III.

Interim dum isti gloriosi principes abfuerunt, qui in civitate erant, repente de ea exierunt, nostrosque inter castra invaserunt, et plurimos ex eis occiderunt. Ipso die Podiensis episcopus perdidit dapiferum suum, qui suæ aciei deferre solebat vexillum. Et nisi flumen inter castrum et urbem fluxisset, majoribus injuriis et frequentioribus lacessissent. Quibus bellorum eventibus, et maxime famis inopia, plerique nostrorum afflicti, abire moliebantur, quia nimis grave erat invitis ferre jejunium, et ideo machinabantur ab obsidione diffugium. Quos Boamundus vir facundus et gratus eloquio, ita affatus est, dicens: « O viri, qui huc usque fuistis bellatores egregii, quos Deus per multa jam bellorum pericula victores reddidit, quosque virtus experientiæ ut illustres decoravit, ut quid contra Dominum murmuratis, quia premit vos angustia paupertatis? Cum vobis porrigit manum, tunc exsultatis; cum relaxat, tunc desperatis. In hoc videmini non diligere donantem, sed dona; non largitorem, sed largientis oblationem. Cum largitur Dominus, amicus est; cum cessat, inimicus vobis videtur esse et extraneus. Cui unquam genti præstitit Deus in tam brevi tempore tot bella committere, tot acerrimos hostes superare, tot spoliis gentium ditari, tot triumphantium palmis insigniri? Ecce nunc innumerabiles hostes subegimus, ecce nunc eorum spolia ad vos attulimus. Quid est quod sic diffidimus, cum sic quotidie vincamus? non longe est a vobis, qui sic pugnat pro vobis; sæpe quidem fideles suos tentat, ut utrum diligant ipsum innotescat. Nunc tentat vos per inopiæ molestias, et per assiduas inimicantium vobis pressuras. Quod si tantas intulissent nobis injurias, quantas et nos eis irrogavimus? si tot de nobis occidissent, quot de illis nos prostravimus? si aliquis de nobis superesset, jure ille conqueri potuisset. Sed pro certo qui conqueretur nullus esset, quoniam nemo superstes remansisset. Propterea nolite diffidere, sed estote viri cordati, quoniam si in ipso vivitis, aut pro ipso morimini, estis beati. » His et talibus dictis animos eorum enervatos, robustos reddidit, et in

effeminatas mentes virilitatem induxit. Paucis denique diebus evolutis hiems aspera inhorruit, et in castris ciborum abundantia evanuit. Illi qui vendere cibos solebant, nivibus et glacie prohibente, nullatenus venire valebant. Cursores exercitus qui usque ad terram Sarracenorum transcurrebant, nihil prorsus inveniebant, quia omnes de toto terræ illius confinio, aut longe fugerant, aut in speluncis, aut in cavernis petrarum delituerant. Cumque Armenii et Surani vidissent in tanto discrimine famis nostros esse positos, per nota loca gradiebantur, sollicite inquirentes, si quid invenirent, quod ad nostros afferre valerent. Sed apud tantos parum erat, nec tantæ multitudini suppetebat, et ideo vendebatur asinarium onus frumenti septem librarum pretio, ovum duodecim denariis; et una nux, uno (43). Ut quid universa percurram, cum carum nimis vendebatur quidquid vilius habebatur; propter quod multi fame ibi perierunt, qui unde aliquid emerent, non habuerunt. Cœpit itaque oriri inter eos magna inconstantia animorum, mentis defectus, et totius bonæ spei diffidentia. Et quid mirum si pauperum, si imbecillium animi nutabant, cum illi qui videbantur quasi columnæ esse, deficiebant omnino? Petrus enim Eremita, et Willelmus Carpentarius nocturno elapsu in fugam versi sunt, et a sacra fidelium Dei societate disjuncti sunt. De Willelmo vero qui fuerit, dicamus, quoniam de Petro superius mentionem fecimus. Willelmus de regali prosapia ortus fuit, et vicecomes cujusdam regii castelli, quod Milidunum dicitur, olim exstitit: qui ideo Carpentarius cœpit cognominari, quia in bello nullus volebat ei occursari. Nulla enim lorica erat, galea vel clypeus, qui duros lanceæ illius sive mucronis sustineret ictus. Unde mirandum, et cum admiratione dolendum, quod in talem ac tantum virum tanta mentis hebetudo incesserit, quod tam turpiter a castris virorum illustrium recesserit. Sed hoc non metu præliorum, ut speramus, fecerat; sed tantam famis injuriam pati nunquam didicerat. Quod fugæ discidium ut Tancredus miles fortis et integer animo cognovit, vehementer condolens, insecutus est illos et comprehendit, et cum dedecore reverti coegit, et ad domum Boamundi adduxit. Non dicendum est si passus est verecundiam, qui nullo fugante inierat fugam. Dolebant plurimi qui eum agnoverant; convitiabantur omnes qui qualis exstiterat ignorabant. Tandem multis lacessitus injuriis, pro reverentia Hugonis Magni, cujus consanguineus erat, et quia jam cum ipsis in retroactis certaminibus honeste pugnaverat, pacem obtinuit, sed nunquam se amplius ita discessurum coram omnibus juravit. Sed tamen diu sacramentum non custodivit, quia quantocius potuit clam discessit.

CAPUT IV.

Hanc itaque famis asperitatem, ut suos probaret, evenire permisit Deus, et ut terror ejus fieret in universis nationibus. Nam et suos premebat jejunio, et vicinas nationes eorum disterminabat gladio. Cadebant mille a latere unius, et decem millia a dextris alterius. Et ideo nunquam est a Domino tali desperandum, quia quæcunque agit, *diligentibus se cooperantur in bonum* (*Rom.* VIII, 28). Ne illi insolescerent tot victoriis bellorum, opprimebat eos gravi inedia jejuniorum. In toto namque exercitu mille equi inveniri non poterant, ad pugnandum idonei, ut per hoc innotesceret quoniam in fortitudine equi non haberent fiduciam; sed in se, per quem, et quomodo volebat, et quando volebat, superabant. Erat quidam miles in exercitu eodem, nomine Tetigus, dives apud suos, et nominatissimus, in Romaniæ partibus bene notus, palliato nugacitatis tegmine velatus. Ilic venit ad principes, et ait illis: « Ut quid hic ita torpescimus? Quare quæ nobis sunt profutura non quærimus? Si bonum vobis videtur, ego in regionem Romaniæ pergam, et inde in fidelitate imperatoris copiosum mercatum adducam; naves onustas omnibus rebus, frumento, vino, oleo, hordeo, carne, farina, caseis, per mare adduci faciam, et equos, mulos, mulasque per terram. Et ne ullam de me spem diffidentiæ habeatis, papiliones meos et omnia bona mea derelinquam, hoc solum excepto quod mecum feram. Et si adhuc mihi decreditis, jurabo quod citius ad vos redibo. » Principes mendacibus verbis illius crediderunt, sed et sacramentum receperunt. Ipse autem nec sacramentum tenuit, nec verborum sponsionem implevit. Hoc ideo de his duobus militibus refero, ut quisque percipiat quanta egestas in castris fuerit, quæ etiam fugere divites et perjurare compellebat. Cumque jam sic arctarentur, et omnis humana spes omnino deficeret, plurima pars exercitus retro eundi licentiam a principibus petierunt, et ipsi unanimiter flentes eis concesserunt. Ut quid enim retinerent, quos consolari non poterant? Dum sic invalide desolatio pullularet in castris, et nullus ullum haberet consilium, miseratio divina solitum eis præstitit auxilium. Affuit nuntius qui innumera Turcorum agminum millia prope adesse retulit, et in castro eis proximo, nomine Arech, quod supra memoravimus, illa nocte aggregari asseruit. Qui ideo latenter et in magno silentio veniebant, ut imparatos in castris invenirent. Hoc dictum cunctis innotuit, et quos somno pigritiæ torpentes invenit, excitatos reddidit. Salit et tripudiat, qui antea ambulare nequibat. Revixit spiritus illorum, quos sopierat indigentia ciborum. Erectis in cœlum manibus Deum laudant, et quasi jam vicerint, manibus applaudunt. Malebant enim honeste in bello mori quam esca-

NOTULÆ MARGINALES MS. COD.

(43) Nux erat in pretio, cum nummo venditur uno. Fit nimis atque novum, cum bis sex venditur ovum.

rum inopia cruciari. Tunc proceres exercitus acceperunt consilium, ut pars una omnium in castris remaneret ad custodiendum; pars altera obviam venientibus iret ad prælium. Qui de castris nocte egredientes, in insidiis positi sunt, prætereuntium præstolantes occursum jacueruntque inter flumen et lacum. Summo itaque diluculo, aurora lumen terris deferente, miserunt exploratores, qui illorum agmina viderent, et esse eorum renuntiarent,

Exploratores renuntiant tot illorum millia insimul se nunquam vidisse. Et ex parte fluminis duas acies separatas a multitudine equis velocioribus accurrere. Tunc nostri in quodam clivo positi, crucis signo cum armis se præmuniunt, et manus in cœlum protendunt, Deoque se committunt, ejusque flagitant auxilium. Mox nostri supervenientes illos excipiunt, et ictu pungentes quotquot obviant, solo prosternunt. Alii per campum dispersi circumvolant, imbresque venenatarum emittunt sagittarum. Stridٍent dentibus, et more canum latrant, quia terrere sic suos adversarios putant. Sed hæc nostri irridebant, et protecti clypeis, loricis, galeis, eorum immissuras vilipendebant. Sed cum innumerabilis illorum multitudo appropiavit, cum tanto impetu nostros invaserunt, quod modice in fugam versi sunt. Quod ut vidit Boamundus, qui postremo observabat custodiam, cum sua acie prorupit in medium, sociosque recolligens, inimicos perduxit ad interitum. Illi namque ut viderunt nostrorum vexilla super vertices suos dependentia, nostrosque more leonum rugientium, in medios hostes circumferri, omnesque circa se laniari, pavent et conturbantur, versisque retro habenis equorum, ad Pontem Ferreum quam celerrime repedantur. Sed quid modo Franci facerent nisi cominus ense ferirent? Sternitur via corporibus morientium, impletur aer vocibus ejulantium. Tellus madefacta cruore morientium, perforatur pedibus conculcantium equorum. Ut venitur ad pontem, via arctatur, et non omnes pons recepit. Hinc quam plures in flumen præcipitantur, et quos unda tenebat, celeri rotatu involutos absorbebat. Et cur per singula morarer? Major pars periit quam evaserit. Plures occisi sunt quam vivi remanserint. Qui evaserunt, ad castrum suum quod superius nominavimus, confugerunt, sed in eo non diu permanserunt. Prædatum enim, vacuum dimiserunt, et fugientes abierunt. Nostri vero illud accipiunt, et custodes qui illud custodirent, et pontem posuerunt. Armenii quoque et Surani fugientes insecuti sunt, et arcta loca anticipando multos occiderunt pluresque captivos detinuerunt. Sicque filii diaboli secundum suum meritum, de ruina in ruinam receperunt interitum. Nostri vero cum gaudio ingenti ad castra remearunt, adducentes secum equos et mulos et mulas, et spolia plurima, et multa alia quæ indigentibus sociis valde erant necessaria. Multorum etiam capita mortuorum simul attulerunt, quæ ante portam civitatis posuerunt, ubi Admiraldi Babyloniæ habebant hospitium. Receperunt illos cum summa lætitia socii qui in castris erant, quique tota die cum civibus qui egressi sunt de urbe pugnaverant, palmamque victoriæ reportarant.

CAPUT V.

Tunc geminata lætitia duplicis victoriæ, festivum tempus effecit, et eos qui egestatis mœrore consumpti pene erant, refecit. Jam vero Armenii et Surani, victum ad castra ferebant, et de felici nostrorum eventu congaudebant. Sic illi de civitate egrediebantur, et inter saxa montium latitabant, insidiabanturque illis qui victum afferebant, et quotquot comprehendere poterant occidebant. Quod valde mœstificavit proceres, et super hoc consilium inierunt, remediumque huic calamitati repererunt. Castrum construxerunt ante portam civitatis, super pontem juxta Machumariam, quod illos valde perdomuit, quoniam deinceps nullus eorum exire per pontem ausus fuit. Et tunc quia castrenses ad hoc peragendum opus non sufficiebant, Boamundus et comes sancti Ægidii ad Portum Sancti Simeonis perrexerunt, et inde operarios pretio adducere studuerunt. Quos cum adducerent, Turcos qui nocte illa de civitate exierant, in insidiis positos invenerunt, qui subitaneo incursu tam fortiter nostros invaserunt, quoadusque illos qui equites erant absque ulla certaminis reverberatione in montana fugaverunt. Pedites qui fugere non potuerunt, diram necem perpessi sunt; sed quanto fuit acrior, tanto et gloriosior. Et qui ibi mortui sunt, fere mille fuerunt, sed occidentes diu gavisi non sunt. Relatio enim hujus occisionis ad castra pervenit, tantosque principes proceresque commovit. Qui equis prosilientes ad ulciscendam mortem suorum ordinatis agminibus pervolant, inveniuntque eos adhuc in campo, occisorum capita detruncantes. Illi vero nequaquam perterriti, in sua confidentes multitudine ad pugnam congrediuntur; sed nostris toto corde tota virtute confidentibus, postquam pedites nostri equitibus consociati sunt, in brevi superantur. Nam ut viderunt illos quos ad montana fugere compulerant accurrere, nostrorumque agmina fortiter crescere, et crescendo fortius insistere, terga vertunt, et versus pontem fugæ viam arripiunt. Sed valde impedivit difficultas itineris angusti, quia nec fugere usquam poterant, nec converti. Reverti retro fas non erat, quia hostis urgebat; dextra lævaque diverti, impossibilitas angusti itineris prohibebat, præire, vetabat densa multitudo fugientium. Sicque eis divino nutu contigerat, ut nec fugere, nec pugnare licuerit. Ibi Turco nec toxicata sagitta proficiebat, nec equi velocitas subveniebat. Ibi majorem stragem pedites egerunt quam qui equis insidebant, quoniam certatim, ut falcator prata vel messem, detruncabant. Illic satiari potuissent enses et tela aliarum gentium Turcorum sanguine, sed quia Francigenarum erant, nec obtundi poterant, nec repleri cruore. Nostri tantum pugnabant, illi patiebantur; nostri percutiebant, illi moriebantur. Nec tantum infatigata manus dilaniare poterat, quantum quod

dilaniaret, reperiebat. Inter vivos mortui stabant, quia suffulti densitate vivorum, cadere non poterant; et calamitas tanta eos oppresserat quod alter alterum in mortem opprimebat. Tantus illos timor invaserat, quod subsequens præcedentem, ut fugere posset, impellebat. Dux itaque Godefridus militiæ decus egregium, ut vidit quod nemo illos ferire potuit, nisi post dorsum, equo celeri volitans anticipavit pontis introitum. Et quæ lingua valet explicare quantas strages dux solus illic dederit super corporibus gentis iniquæ? Illi fugere cœperant, armaque sua in terram projecerant, gladium ducis ut mortem expavescebant, et tamen vitare non poterant. Ille exsertis brachiis, ense nudato, eorum cervices amputabat; illi minime renitentes, nuda corpora inviti offerebant. Ibi ira, locus, gladius, validaque manus pugnabat, et hoc totum in membris miserorum redundabat. Cumque unus ex eis audacior cæteris, et mole corporis præstantior, et viribus, ut alter Goliath, robustior, videret ducem sic immisericorditer in suos sævientem, sanguineis calcaribus urget equum adversus illum, et mucrone in altum sublato, totum super verticem ducis transverberat scutum, et nisi ictui umbonem dux expandisset, et se in alteram partem inclinasset, mortis debitum persolvisset. Sed Deus militem suum custodivit, eumque scuto suæ defensionis munivit. Dux ira succensus vehementi, parat rependere vicem, ejusque tali modo amputat cervicem. Ensem elevat, eumque a sinistra parte scapularum tanta virtute iuc sit, quod pectus medium disjunxit, spinam et vitalia interrupit, et sic lubricus ensis super crus dextrum integer exivit (44), sicque caput integrum cum dextra parte corporis immersit gurgiti, partemque quæ equo præsidebat remisit civitati. Ad quod horrendum spectaculum omnes qui in civitate erant confluunt, et *videntes sic admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt, tremor apprehendit eos : ibi dolores ut parturientis* (*Psal.* XLVII), ibi voces ejulantium, quia ille unus fuerat ex Admiraldis eorum. Tunc evaginaverunt gladios suos, intenderunt arcus suos, paraverunt sagittas suas in pharetra (*Psal.* X, 3), ut sagittarent ducem, cupientes, si eis permissum esset, tantam militiæ Christianæ exstinguere lucem. Sed Deus eorum pravæ voluntati non consensit, quia dux retrocessit; sustinere enim telorum ac sagittarum grandinem diu non potuit. O prædicabilis! o invicta ducis dextra et animosi pectoris robur eximium! Laudandus et ensis, quod in sua integritate perseverans, vibranti dexteræ sui famulatus impendit obsequium. Et cujus cor eructare, cujus lingua enarrare, cujus manus scribere, quæ pagina valet suscipere aliorum facta principum, qui illi compares fuerunt in omnibus victoriis præliorum? Victoria ducis præ cæteris enituit, quoniam pars dimidiati corporis quæ remansit, testimonium laudis fuit; fluctus vero qui occisorum corpora absorbuit, aliorum ictus mirabiles occuluit. Sed sicut ventus turbinis annosæ, arboris constringit brachia, sic incisa cadebant morientium membra. In hoc prælio persecutus est unus mille, et duo fugaverunt decem millia (*Lev.* XVI, 8). Qui in flumen rapido cursu immergebantur, emergentes pontis ligneas columnas amplexabantur, sed nostri desuper illos lanceis perforabant et perimebant. Cruor effusus sanguineum flumini dabat colorem, cunctisque cernentibus magnum incutiebat horrorem. Quippe densitas corporum fluminis impediebat cursum, et retrogrado incessu ire cogebat retrorsum. Et quid mirum? Super pontem etenim quinque millia prostrata fuerunt, quæ omnia deorsum in aquam præcipitata sunt. Et quis numerare potuit quot mucro desæviens præcipiti saltu in amnem mergi compulit? In illo conflictu occisus est Cassiani magni regis Antiochiæ filius, et duodecim Admiraldi regis Babyloniæ, quos cum suis exercitibus miserat ad ferenda auxilia regi Antiochiæ. Et quos Admiraldos vocant, reges sunt, qui provinciis regionum præsunt. Provincia quidem est, quæ unum habet metropolitanum, duodecim consules et unum regem. Ex tot itaque provinciis convenerunt, quot ibi Admiraldi fuerunt mortui. Et qui ibi capti sunt, pro septem millibus computati sunt. Vestium, armorum, cæterique cultus adparatum nemo retinere potuit per ullam memoriam. Sic itaque superati sunt Turci magnanimiter a Francis, siluitque deinceps garrula vox eorum, atque stridor dentium, et quotidianorum clamositas conviciorum. Jam vero demissis vultibus ibant, et plerique omnino diffidentes, furtim de civitate exeuntes, fugiebant. Nox superveniens litem diremit, et nostri victores ad castra redierunt; illi vero obseratis januis, intra urbem se receperunt. In crastinum ut primum lux matutina processit, Turci de civitate exierunt, et collegerunt corpora mortuorum, quot invenire potuerunt et sepulturæ tradiderunt. Quod Christiani exercitus juvenes ut audierunt, multi in unum conglobati ad cœmiterium cucurrerunt, et quæ illi cum magno honore sepelierant, cum magno dedecore foras projecerunt. Subterraverant quippe illa ultra pontem ad Machumariam quæ erat ante portam civitatis, et plurima palliis involverant, et byzanteos aureos, arcus, et sagittas et alia multa cum eis reposuerant. Sic enim est eorum consuetudo sepelire; nostrorum vero est libentissime ea tollere. Extractis itaque corporibus universis, capita abscinderunt, scire cupientes numerum illorum qui ad ripam fluminis necati sunt. Truncata siquidem capita ad castra attulerunt, et cadavera feris et volucribus inhumata reliquerunt. Quod ab altis mœnibus et turribus excelsis prospicientes, vehementer indoluerunt, et genas scindentes et crines vellentes, Macho-

NOTULÆ MARGINALES MS. COD.

(44) Dux ferit, ille perit, et medius crepuit.

mum præceptorem suum in auxilium sui cœperunt invocare. Sed Machomus non potuit restaurare,

EXPLICIT LIBER QUARTUS.

INCIPIT LIBER QUINTUS.

CAPUT PRIMUM.

Cumque hæc crebro vicissitudinum actitarentur impulsu, præambulus quidam advenit, qui nuntios principis Babyloniæ in crastinum præconabatur advenire, et a principibus castrorum fiduciam quærit veniendi secure. Qui libenter annuunt, seque eorum susceptioni solemniter præmuniunt. Tentoria variis ornamentorum generibus venustantur; terræ infixis sudibus scuta apponuntur, quibus in crastinum Quintanæ ludus, scilicet equestris, exerceretur. Aleæ, scaci, veloces cursus equorum flexis in gyrum frenis non defuerunt, et militares impetus, hastarumque vibrationes in alterutrum ibi celebratæ sunt. In quibus actibus monstrabatur, quod nullo pavore trepidabant, qui talia operabantur. Talia quippe juventus excolebat, sed ætate sensuque seniores in unum consederant, causasque consilii et prudentiæ conferebant. Interim Babylonienses nuntii cum approximarent, tantosque tanto gaudio tripudiantes conspicarentur, mirati sunt, quoniam relatio usque Babyloniam cucurrerat, quia et fame cruciabantur et pavore concutiebantur. Adducti igitur ante principes sunt; et in hæc verba retulerunt, quæ eis commissa sunt : « Dominus noster Admiravissus Babyloniæ, mandat vobis Francorum principibus salutem et amicitiam, si ejus voluntati vultis obedire. In aula regis Persarum dominique nostri, magnus vestri causa congregatus est conventus, septemque diebus protelatum est consilium, quidnam eis super hoc sit agendum. Mirantur enim ut quid sic armati quæritis Domini vestri sepulcrum, gentem suam a finibus diu possessis exterminantes, imo, quod nefarium est peregrinis, in ore gladii trucidantes. Quod si posthac in pera et baculo vultis ire, cum honore maximo rerumque opulentia vos illuc facient pertransire; de peditibus equites facient; qui pauperes sunt, in toto itinere nec in reditu amplius esurient. Et si per mensem ad sepulcrum vobis diurnare placuerit, bonorum copia vobis non deerit; facultas eundi per universam Jerusalem vobis concedetur, ut quo honore placuerit, et templum et sepulcrum quilibet veneretur. Quod si hæc vobis indulta contemnitis et in animorum vestrorum magnitudine confiditis et armis, videndum vobis est etiam atque etiam, quanto periculo vos exponatis; apud nos certe ducimus esse temerarium, quod ulla, quantumvis magna, humana potestas congrassetur contra Babylonios, regemque Persarum. Jam vero quæ vobis applaudunt super his, nobis aperite; quæ vero displicent, in communi edicite. » Ad hæc communis sententia principum respondit, dicens : « Nulli sapienti mirandum est, si ad Domini nostri sepulcrum cum armis venimus, gentemque vestram ab istis finibus eliminamus, quoniam quicunque de nostris huc usque in baculo et pera venire soliti erant, turpi ludibrio affecti sunt; et ignominiam contumeliarum tolerantes, ad extremum perimebantur. Terra autem gentis illorum non est, licet diu possederint, quia nostrorum a priscis temporibus fuit, eisque propter malitiam injustitiamque suam vestra gens adversa abstulit; quæ tamen ideo vestra non debet esse, quia diu eam tenuistis. Cœlesti enim censura nunc decretum est ut misericorditer reddatur filiis quod injuste patribus ablatum est. Ne glorietur gens vestra, quia superaverit effeminatam gentem Græcorum, quoniam, divina suffragante potentia, in cervicibus vestris meritum recompensabitur gladio Francorum. Et notum esse poterit, his qui ignorant, quod non est hominum evertere regna, sed ejus per quem reges regnant. Ipsi dicunt se velle nobis indulgere, si in pera et baculo amodo velimus transire, in seipsam redeat eorum misericordia, quoniam, velint nolint, thesauris eorum nostra ditabitur seu vacuabitur inopia. Jerusalem cum nobis a Deo concessa sit, quis prævalet auferre eam ? Nulla virtus est humana quæ nobis ullo modo terrorem incutiat, quia cum morimur, nascimur; cum vitam amittimus temporalem, recuperamus sempiternam. Idcirco renuntiate his qui miserunt vos quod arma quæ in patria nostra sumpsimus, etiam cum capta erit Jerusalem, non dimittemus (45). Confidimus enim in eo qui docet manus nostras ad prælium, et brachia nostra ponit ut arcum æreum, quoniam et via nostris gladiis aperietur, et omnia scandala eradicabuntur, et Jerusalem capietur. Tunc nostra erit non per hominis indulgentiam, sed per cœlestis censuræ æquitatem. De vultu enim Domini hoc judicium prodiit, quia Jerusalem nostra erit. » Legati vero quid ultra prætenderent non invenerunt, sed audito hoc verbo scandalizati sunt, Antiochiamque nostris consentientibus introierunt.

CAPUT II.

Iis ita transactis, tertia die post peractum prælium, castellum cœperunt ædificare, de quo superius mentionem fecimus, constructum in introitu pontis, ad Machumariam scilicet, in loco cœmeterii ante januam civitatis. Destruxerunt autem omnes tumulos lapideos mortuorum, et ex illis castrum munierunt. Quod cum peractum fuit, com-

NOTULÆ MARGINALES MS. COD.

(45) Francorum verba resonant pietate superba.

mendatum est Raimundo egregio comiti Sancti Ægidii. Hoc factum valde constrinxit eos qui in civitate erant, quoniam ulterius ab illa parte non valuerunt exire. Nostri vero jam secure ibant quocunque ire disponebant. Tunc proceres elegerunt viros optimos, equosque velociores, et non longe ab urbe transierunt fluvium, et prædam maximam invenerunt, equos et equas, mulos et mulas, asinos et camelos, et animalium quinque millia. Omnia hæc egregia cohors adduxit ad castra, et celebrata est apud Christicolas lætitia magna. Quod infortunium cives vehementer attrivit, quoniam abundantia rerum, quæ nostros roboravit, perdita, illos debilitavit. Illic vero ubi præda capta fuit, erat antiquum castrum, sed incuria et vetustate dirutum, et adhuc vigebat ibi quoddam monasterium. Quod ut magis constringerent inimicos suos, proceribus placuit reædificare, et forti munitione circumdare. Quod cum in brevi peractum fuit, inquisitio facta est quis illud custodiret. Et dum tractaretur de custodia, et plurima in ventum procederent verba, Tancredus illustris princeps et egregius juvenis, sicut erat alacer in sermonibus et factis, in medium prosiluit, dicens : « Ego custodiam castellum, si custodiæ meæ dignum recompensabitur meritum. » Pretium ergo omnes in commune taxaverunt, et quadringentas argenti marcas ei contulerunt. Tancredus castellum intrayit, idque peditum turmis fortique milite plusquam munitionem aliam firmavit. Quod feliciter, Deo opitulante, suscepit, quoniam ipsa die magnus Armeniorum populus, et Suranorum ad civitatem veniebat, et urbanis opima victualia afferebat. Quos omnes in insidiis positus Tancredus apprehendit, nec tamen eos, quia Christiani erant, occidere voluit, sed cum ipsis sarcinis ad castrum suum conduxit. Quos tandem tali conditione illæsos abire permisit, quia promiserunt ei, in fide Christiana, se allaturos Christianis pro competenti pretio necessaria, quoadusque caperetur Antiochia. Quod illi strenue impleverunt, sicut et spoponderunt. Tancredus vero vias ac semitas obstruxerat his qui erant in civitate, quod nullus audebat exire. Propterea pacis inducias quæsierunt, dicentes quod illo temporis intervallo apud se tractarent qua lege, qua conditione, se et civitatem Christianis deliberarent. Crediderunt principes, et dispositis pactionibus, et tempore constituto, tenendæ pacis sacramenta dederunt et acceperunt. Portæ civitatis aperiuntur, et eundi invicem alteri ad alterum facultas conceditur. Tunc libere Franci per circuitum murorum ibant, et ad propugnacula cum ipsis civibus stabant, et cives cum gaudio ad castra veniebant.

CAPUT III.

Processu denique temporis, cum jam suprema dies inducіarum advenisset, Walo quidam miles Christianus, et in armis egregius, et inter præcipuos nominatissimus, hic perfidæ genti nimium credulus, quadam die per virgulta eorum spatiabatur, et locorum amœnitate oculos pascebat. Hunc, ut inermem virum, armati canes aggressi sunt, et membratim divisum, miserabili cruciatu discerpserunt. Heu, heu! morte Walonis pax infringitur (46), data fidei sacramenta violantur, portæ iterum urbis obstruuntur, et perfidi gentiles intra mœnium turriumque suarum cavernas recluduntur. Luctus in castris permaximus habetur, quoniam ab omnibus viris ac mulieribus mors Walonis crebris singultibus lamentatur (47). Conjux vero illius universos ad lacrymas concitabat, quæ se ultra morem aliarum miserabiliter laniabat, et quæ alios ad luctum commovebat, propter crebra suspiria singultusque, nec loqui nec clamare poterat. Erat autem illa alto procerum sanguine procreata, et secundum carnis hujus infirmitatem, forma præ cæteris egregia. Erat autem plerumque immobilis velut columna marmorea, ita ut sæpius mortua putaretur, nisi vitalis calor palpitans in supremo pectore sentiretur. Sed et adhuc pulsitabat vena latens sub cute minime pilosa, pubem quæ ciliorum discriminabat. Cum vero respirabat, oblita feminei pudoris se in terram volutabat, et genas unguibus secans, aureos crines disrumpebat. Occurrunt aliæ matronæ, quæ de se illi facere talia prohibent, et pia custodia observant. Quæ cum loqui potuit, in hæc verba prorupit dicens :

Rex in personis trinus, miserere Walonis,
Et vitæ munus sibi confer, ut es Deus unus.
Quid meruit Walo, quod mortuus est sine bello?
Virgine matre satus, Walonis terge reatus,
Quem de bellorum tot cassibus eripuisti,
Et permisisti nunc tandem martyrizari.

« Heu! quantum videre desiderabat tuum sepulcrum, pro quo contempsit omnia sua quæ habuit, et seipsum. Quo infelici infortunio fuit elongatus ensis suus, qui sic conveniebat lateri ejus. O me saltem felicem, si licuisset mihi in supremo spiritu oculos claudere, vulnera lacrymis abluere, et manibus vesteque detergere, et dulcia sepulcro membra committere! » His questibus Euvrardus frater suus intervenit, et in quantum admisit vis doloris, compescuit.

CAPUT IV.

Illud sane prætereundum non est, quod ante mortem viri istius contigit, dum tempus inducіarum integrum et fidele mansit. Erat quidem Admiraldus de genere Turcorum in illa civitate regia, cum quo Boamundus plurima et privata pacis tempore habuit colloquia. Hic inter cætera quodam die requisivit ab eo, ubinam castra posuerit ille candidatorum exercitus innumerabilis, quorum in omnibus bellis fulciebantur auxilio. Dicebat enim quia adventum illorum nunquam poterant sustinere, sed statim ut videbant illos, incipiebant pavere illi ipsos ut ventus turbinis opprimerent, et isti vulnerabant;

NOTULÆ MARGINALES MS. COD.

(46) Walo truncatur, nece cujus pax violatur.

(47) De nece Walonis dolor ingens cœpit haberi.

illi obruebant, et isti occidebant. Cui Boamundus ait : « Putasne alium exercitum esse quam hunc quem vides nostrum? « Cui ille : « Per Machomum meum præceptorem juro, quoniam si hic adessent, tota hæc planities illos non caperet. Omnes habent equos albos, miræ celeritatis, et vestimenta, et scuta, et vexilla ejusdem coloris. Sed forsitan ideo absconduntur, ne virtus vestra nobis manifestetur. Sed per fidem, quam habes in Jesum, ubi castra eorum locata sunt? » Boamundus itaque spiritu Dei illustratus, illico sensit hanc quam viderat, visionem Dei esse, nec quod quærebat ex tentatione, sed ex bona voluntate procedere : et respondens inquit : « Licet sis extraneus a lege nostra, quia video te bona erga nos voluntate, bonoque spiritu animatum, aperiam tibi aliquod fidei nostræ sacramentum. Si tantum profundi intellectus haberes, gratias Creatori omnium referre deberes, qui tibi ostendit exercitum candidatum, et scias quia in terra non conversantur, sed in supernis mansionibus regni cœlorum. Ili sunt qui pro fide Christi martyrium sustinuerunt, et in omni terra contra incredulos dimicaverunt. Horum præcipui sunt signiferi, Georgius, Demetrius, Mauricius, qui in hac temporali vita militaria arma gestaverunt, et pro Christiana fide capite plexi sunt. Ili quoties nobis expedit, jubente Domino Jesu Christo, nobis suffragantur, et per hos inimici nostri præcipitantur. Et ut me verum cognoscas profiteri, inquire et hodie et cras, et in die altera, an in tota regione hac eorum castra poterunt inveniri. Quod si inveniuntur, redarguti in conspectu tuo a mendacio, erubescemus. Et cum in tota regione nequiveris illos invenire, si nobis necesse erit, in crastinum videbis adesse. Unde igitur tam cito veniunt, nisi a supernis sedibus in quibus morantur? « Cui respondit Pyrrhus; sic enim erat nomen ejus : « Et si de cœlo veniunt, ubi tot albos equos, tot scuta, tot vexilla inveniuntur? » Cui Boamundus : « Tu magna, et super sensum meum requiris. Propterea, si vis, accedat capellanus meus, qui tibi super his respondebit. » Ad hæc capellanus : « Cum Omnipotens creator angelos suos, sive justorum spiritus mittere disponit in terram, tunc assumunt sibi aeria corpora, ut per ea nobis innotescant, qui videri non possunt in spiritali essentia sua. Ideo armati nunc apparent, ut quod in bello laboraturis auxilio veniunt indicent. Si enim ut peregrini, vel ut sacerdotes stolis dealbati apparerent, non bellum, sed pacem nuntiarent. Expleto siquidem negotio pro quo veniunt, ad cœlestia remeant, unde venerunt, et corpora, quæ, ut visibiles apparerent, acceperunt, in eamdem reponunt materiam quam sumpserunt. Ne mireris, si omnipotens Factor omnium transmutat materiam a se factam, in quamlibet speciem, qui universa de nihilo adduxit in essentiam. » Et Pyrrhus ad hæc ait : « Per ipsum quem asseris Creatorem, mira dicis, et rationabilia, nobisque hactenus inaudita. » His Boamundus adjecit et ait : « O Pyrrhe, nonne tibi videtur magnum esse miraculum, quod per nos operatur Dominus Jesus Christus, in quem credimus? quia quanto nos pauciores sumus, tanto et fortiores; vos vero quanto numerosiores, tanto imbecilliores. Cui hanc virtutem attribuis, humanitati an divinitati? Homo non est a seipso, sed a Creatore suo; a quo habet esse, habet et posse. Ex hoc igitur conjicere potes, quia licet unus Creator creaverit nos et vos, uberiorem tamen suæ virtutis præstat abundantiam nobis quam vobis. Certi quippe in illius virtute sumus, quia non solum Antiochiam, verumetiam Romaniam totam, et Syriam, ipsam et Jerusalem obtinebimus, quia hoc promisit Dei Filius omnipotens Jesus. » Pyrrhus quidem hæc et consimilia dicta Boamundi prudenter intellexit, eumque vehementer Boamundus suo amori attraxit. Cumque contigisset, inimico humani generis suadente, quod superius dictum est de Walone, Pyrrhus cum suo Boamundo loqui amplius non valuit, sed tamen occulte per internuntium hæc ei significavit : « Novi te nobilem virum, atque fidelem Christianum; commendo me tuæ fidei et meam domum; faciam tibi quæ me hortatus es : tres turres quas in Antiochia custodio, tibi tradam, et unam de portis, tibi tuæque genti Christianæ, et ne frivolum illud esse credas, et ne de mea fide diffidas, mitto filium meum tibi, quem unice unicum diligo, cumque sicut et me ipsum, tuæ fidei committo. » Quibus visis et auditis, Boamundus magno succensus est gaudio, magnaque in eo apud Deum exercevit devotio, lacrymæ ab oculis uberes erumpunt, et Deo gratias agens, manus in cœlum tetendit. Nec mora, principes in unum convocavit, eisque talia retulit, dicens : « Egregii principes et viri bellatores, compertum est vobis quantum injuriarum passi sumus in hac obsidione, quantaque patimur, et quam diu voluerit Deus patiemur. Si Deus alicui hanc civitatem per aliquod ingenium dare vellet, dicite, an vestra autoritas ei eam concederet. » Ad hæc multi exclamaverunt in unum, dicentes : « Nos simul eam habebimus, quoniam simul angustias necessitatum toleravimus. » Tunc Boamundus modicum subridens, ait : « Væ civitati quæ tot dominis subjecta erit! nolite, fratres, ea dicere : sed ejus imperio subjiciatur, qui eam poterit acquirere. Qui ut vidit quia nil proficiebat, ad castra sua rediit, et tamen nuntios Pyrrhi, qui ad se venerant, detinuit. » Principes vero, amoto Boamundo, consilium inierunt dicentes : « Nos bonum consilium non habemus, qui verbis Boamundi viri sapientissimi contraimus. Si a primo die quo huc venimus, hoc fieri potuisset, magnum nobis commodum inde pervenisset. Nullus nostrorum propter ambitionem urbis Antiochiæ de terra sua exivit; eam habeat cui Deus dare voluerit, nostra omnium una sit intentio, sancti scilicet sepulcri deliberatio. Placuit omnibus; Boamundus vocatur, eique Antiochia, si eam acquirere potest, benevole ab omnibus conceditur. Boamundus itaque fraud seguis viros sibi fideles, noctis crepusculo, remittit ad amicum, ut ei renuntiet et modum

et terminum. Pyrrhus remandat ut in crastinum commoveatur exercitus Francorum, quasi ire velit ad prædandum in terram Sarracenorum. Et cum nox obscurare cœperit, revertantur ad castra ex parte civitatis, « in qua ipse erectis (inquit) excubabo auribus in turribus meis. Prope murum parati veniant, et nihil prorsus timeant. » Credidit hoc consilium Boamundus quibusdam suis familiaribus Hugoni Magno, et duci Godefrido, Podiensi episcopo, et comiti Raimundo. Dixit itaque eis : « Nocte ventura, divina opitulante gratia, tradetur nobis Antiochia, » exposuitque eis nuntium. Qui auditis omnibus, gratulati sunt, et benedixerunt Dominum. In crastinum congregaverunt duces bellorum, ingentes militum cuneos, peditumque quam plures turmas, et egressi montana transierunt, quasi prædaturi, in terram Sarracenorum. Nocte adveniente cum summo silentio redierunt, seque bonæ spei præparaverunt. Boamundus vero ad locum sibi ab amico destinatum perrexit cum suis tantum militibus, et cum paucis longe remansit a mœnibus, cæterosque cum una scala direxit ad ipsa mœnia, quæ erecta pertingere potuit ad propugnacula. Quæ cum erecta fuit, ex tanta multitudine nullus prior ascendere præsumpsit. Cumque omnes sic hæsitarent, tunc unus miles, nomine Fulcherius, Carnotensis natione, audacior cæteris, ait : « Ego in nomine Jesu Christi primus ascendam ad quodcunque me Deus vocaverit suscipiendum ; sive ad martyrium, seu ad obtinendum victoriæ bravium. » Quo ascendente, cæteri subsequuntur, et in brevi ad ipsa murorum fastigia pervenitur. Pyrrhus autem stabat illic, præstolans eorum adventum, et ægre ferens nimiam tarditatem. Qui cum Boamundum minime videret, inquisivit ubi esset. Qui proxime adesse dicitur, sed Pyrrhus de absentia vehementer contristatus est, dicens :

Quid facit ille piger? quid tardat, quidve moratur?
Mittite qui dicat, quod citius veniat.
Mittite qui dicat, quia lux hodierna propinquat,
Et creber cantus præsignat adesse serenum.
Nuntius eligitur qui nuntiet hæc Boamundo.

Quod ut audivit, festinus accurrit ; sed cum ad scalam pervenit, fractam invenit. Interea Fulcherius qui cum sexaginta juvenibus armatis ascenderat, exceptis turribus Pyrrhi, tres alias bellica virtute occuparat, et in eis duos fratres Pyrrhi interemerat. Quod licet Pyrrhus non ignoraret, tamen a promisso fidei pacto non retardavit, sed ut audivit quia scala fracta esset, venienti Boamundo et omni Francorum multitudini portas aperuit. Et cum graves gemitus ab imo pectore traheret, longaque suspiria, nulla tamen eum a promissa fide illata revocavit injuria. Quem Boamundus in ipso portæ introitu submisso capite salutavit, eique de collato beneficio gratias egit. Sed cum causam lamentationis ejus didicisset, admodum indoluit, et de militibus suis qui eum custodirent, resque ejus tuerentur fidelem custodiam dereliquit. Nec reticendum, quoniam sub illa nocte, cometa quæ regni mutationem præsignat, inter alia cœli sidera rutilabat, et suæ lucis radios producebat, et inter septentrionem et orientem, igneus rubor in cœlo coruscabat. His evidentibus signis in cœlo radiantibus, et aurora terris lucem referente, exercitus Dei portas Antiochiæ intravit, in virtute illius qui inferni *portas æreas contrivit, et ferreos vectes confregit* (*Psal.* CVI, 16), cujus potestas permanet in sæcula sæculorum. Amen.

EXPLICIT LIBER QUINTUS.

INCIPIT LIBER SEXTUS.

CAPUT PRIMUM.

Universi fideles hujus Pyrrhi, fidem attendite, et attendentes, si quid ex fide per fidem promittitis, absque ulla contradictione perficite. Nulla hunc memoria fraternæ mortis, nulla vis doloris, nulla instigatio mœroris avertere potuit a promissa fidei stabilitate ; magisque valuit apud ipsum fidei pactio quam duorum germanorum diri cruciatus interemptio. Et si illud antiquum problema Samsonis in medium volumus adducere, huic æquipollens possumus proponere. Samson ait : *De comedente exivit cibus, et de forti egressa est dulcedo* (*Jud.* XIV, 14). Nunc vero de infideli, processit fides, et de extraneo, familiaris et integra dilectio. At ne fastidiosam videamur facere digressionem, ad inceptam redeamus historiæ propositionem. Quarto Nonas Junii, Christiani urbem Antiochiæ introierunt, et in ore gladii de suis eam invasoribus vindicaverunt. Fulcherius et sui complices, qui cum eo muros ascenderant, turres undique invadebant, et incautos vigiles somnoque solutos, spiculis gladiisque confodiebant, et de summo illarum fastigio ad terram projiciebant. Qui in domibus sopiebantur sonitu clamoris excitati, scire gestientes quid hoc esset, cum foras exirent, non revertebantur, quoniam gladios inveniebant paratos quibus excipiebantur. Qui Christiani erant *Kyrie eleison*, et alias Deo laudes personabant, ut per hoc scilicet nostris innotescerent, quod non Turci, sed Christiani essent. Passim sternuntur plateæ civitatis corporibus morientium, quoniam tunc nullus eorum resistebat, sed quærebant omnes latibula et fugæ præsidium. Nulli honor impenditur, pueri cum puellis, juvenes cum senibus, matres quoque cum filiabus interficiuntur. Qui fugere poterant per portas exibant, mortem tamen minime evadentes, quia in manus de castris venientium incidebant. Contigit autem ut inter fugientes Cassianus rex et dominus civitatis, vilibus pannis obsitus evaderet, et in terram Tancredi fugiendo perveniret. Sed malo sui infortunio Armenii eum cognoverunt, et ei illico

cervicem amputaverunt, et caput illius ad principes attulerunt et balteum; balteique pretium LX bysanceos appretiaverunt. Pars magna fugit in castrum quod civitati imminet; quod ita loci positione et natura munitum est ut nullius machinæ artificium timeat. Illic enim est mons urbi contiguus, cujus cacumen porrigitur ad sidera, quo vix attingere possunt intuentium lumina. Et de ipso potest circumspici tota regio. In eum confugit numerosa multitudo Turcorum, habueruntque illud solum receptaculum. Erat autem huic castro una turris nimium vicina, quam Boamundus cum suis satellitibus jam obtinebat, illudque castrum per eam impugnare parabat. Sed illi resumptis viribus, turri, satis eminentiores, sagittas et spicula, instar grandinis, desuper immittunt, ita ut nostris minime licuerit contra eos pugnare, sed se clypeis cooperire, et armis defendere cogebantur. Locus enim artus angebat, et hostis desuper opprimebat, quia non erat alia via decertantium, quam præstabat latitudo murorum. Propterea contigit quia Turci irruentes contra turrim, unus impellebat alium, nec retroire erat facultas, nec in læva nec in dextra ulli erat divortium. Quotquot impetus irruentium super nostros impingebat, illi in lanceis, spiculis et mucronibus excipiebant, et vulneratos ad terram projiciebant; et cum eis illos qui turrim desubtus moliebantur effodere, prosternebant, sicque mortuus vivo necem inferebat, et cui in anima vita decrat, in corpore mors apparebat. In quo conflictu Boamundus graviter sagittatus est in femore, nec jam nisi claudicans valebat incedere. Sanguis ubertim de vulnere cœpit stillare, et cor nobilissimi principis a virtute pristina cœpit deficere. Qui nolens et invitus, in aliam turrim retrocessit, bellumque dereliquit. In ejus infirmitate aliorum virtus corruit, quoniam unusquisque miserabilem casum sui ducis admodum doluit. Pugnam dimittunt, Turcos turrimque relinquunt. Unus tamen in superiori turris fastigio remansit, cujus egregia funera universus nostrorum exercitus unanimiter planxit. Ille enim ut vidit se solum esse derelictum, tamen in se animum gerens invictum, ut ursus inter molossos cœpit se utrinque defendere; lapidesque et cæmentum de parietibus avellebat, et super ipsos qui eum impugnabant projiciebat. Tandem mille sagittis onustus, ut vidit quod mortem non evaderet, mortem sibi acceleravit, quoniam cum clypeo et armis ubi turbam densiorem esse conspexit, in medium prosiluit, suisque interfectoribus tormentum fuit. Non est lingua carnis quæ satis valeat enarrare quid Francorum manus ibi valuit pessundare, et nisi castelli municipium tam forte fuisset, ipso die venturis calamitatibus suorum magnum levamen Dominus præstitisset. Sed voluit Deus ut urbs Antiochena difficulter adipisceretur, ut adepta, charior haberetur. Citius enim acquisita vilescunt, diu desiderata charius amplectimur. Nox interveniens litem diremit, et diurno labori contulit moderamen; quia pugnæ ademit necessitatem, sed fessis dormiendi non tribuit facultatem. Ubi enim intra muros hostis adest, nulla requiescendi facultas esse potest. In crastinum, id est feria sexta, alii spoliata cadavera mortuorum extra muros foris trahebant, alii de turribus cum castellanis, jaculis et sagittis decertabant.

CAPUT II.

Cumque sic res agitur, ecce illi qui stabant in turribus et muris, eminus contemplantur immensam nubem agitati pulveris. De qua diversa sentientes, alii dicebant, Constantinopolitanum imperatorem esse, qui sibi in auxilium veniebat; alii, quod verum erat, agmina Persarum. Sed qui primi veniebant, ut viderunt urbem Antiochiæ, in unum consedere, præstolantes retro veniens robur suæ militiæ. Erat autem Corbanan princeps militiæ regis Persarum, qui ex longo tempore collegerat sibi illud agmen diversarum gentium. Erant quippe ibi Persæ et Medi, Arabes et Turci Azimitæ, et Sarraceni, Curti et Publicani, et diversarum nationum alii multi. De Agulanis erant ibi tria millia, qui nullam armorum copiam nisi solos enses gestabant; qui omnes undique ferro cooperti, nulla arma adversantia timebant. Equi eorum vexilla et lanceas ferre aspernabantur, et in eos qui ferebant, nimia ira succendebantur. Cumque hi omnes in unum convenissent, cursores suos ante urbem direxerunt, qui nostros ad bellum provocarent, et de civitate exire suaderent. Sed nostri qui de hesterno conflictu fatigati erant, salubrius esse judicaverunt inter mœnia remanere, quam extra bella movere. Illi vero per campos et plana currentes, nostros ad bella ciebant, diraque eis convicia improperabant. Lanceas et gladios in altum ejiciebant, et in manibus recipiebant ludentes et luxuriantes. Sed cum neminem de nostris potuerunt extrahere, disposuerunt remeare ad castra. Quos cum reverterentur, insecutus est unus ex nostris Rogerus de Bardavilla, cum aliis tribus armatis, sperantes quod aliquos possent elicere ab illis : sed ipsi nolebant cum paribus inire certamen, quia jam de prœliis Francorum multa audierant enarrare, posueruntque insidias post se sub rupe cavata, et quosdam ex suis dimiserunt qui eos quasi lacesserent in pugnam. Cumque nostri transirent insidiarum locum, fures de cavernis suis exierunt, eosque a tergo invaserunt. Qui præibant revertuntur in occursum, celeremque contra eos dirigunt cursum. Qui cum se comprehensos esse cognoscerent, flexis frenis, fugæ tutelam speraverunt consequi, sed nullatenus potuit inveniri. Rogerius socios præmittit ante suos vultus, et ipse parma post tergum rejecta, creberrimos illorum sustinet ictus. Jamque pene evaserat, jamque saluti proxima loca tenebat, cum equus illius solo proruit, et cadenti inhærens ipse cecidit, qui nullo modo levari potuit, quoniam equi mole oppressus fuit. Heu! quantus dolor stridorque dentium tunc erat, super muros Antiochiæ, cum generosa Francorum pubes videret inclytum militem suum rabidos canes

tam atrociter occidere, sicque discerpere. Avertebant oculos, nec videre poterant, cum eum membratim dilaniabant. Ad extremum caput ejus amputaverunt; contoque infigentes, quasi triumphi vexillum, ad castra deportaverunt. Erant autem castra illorum juxta Pontem Ferreum. Sensadolus autem filius regis Antiochiæ nuper defuncti, ierat ad Corbanan, supplexque ad pedes illius corruit, rogans ut sui misereretur, et contra Francos adjuvaret, qui patrem ejus occiderant, et de inclyta urbe exhæreditaverant. Non habebat refugium, nisi in solo urbis oppido, quoniam jam tota civitas Francorum subjacebat imperio. « Pater meus, inquit, dum adhuc viveret, legationem tibi transmisit ut ei subvenires, ut te aut magnis muneribus ditaret, aut Antiochiam et universum regnum de te susciperet. Idem tibi promitto, quia si potes recuperare Antiochiam, quod a te illam suscipiam, omnemque tibi fidelitatem faciam. Quod si non potes, fugiendum tibi est, et omnibus hominibus nostræ gentis. Non enim eis sufficiet Romania, sive Syria, neque Corozaim, quoniam Hierosolymam dicunt esse suam, regnumque Damasci. » Erant autem ibi reges harum provinciarum, qui audiebant illud verbum. His dictis Corbanan respondit : « Si vis ut te omnimodis adjuvem, tuoque regno restituam, castellum quod adhuc habes redde in manum meam, quia restituetur tibi per illud Antiochia. » Cui iterum Sensadolus : « Si prævales Francos eliminare ab urbe, mihique eorum cervices cæsas deliberare, tibi trădam castellum, et tibi inde faciam hominium. » Consensit uterque, et tradidit castellum. Et Corbanan deliberavit cuidam fideli suo ad custodiendum. Tali conditione recepit in custodiam, ut si Franci vincerentur, custodiret; si vincerent, et ipse sicut et alii, relicto castro confugeret. Cui ille : « Et si nos victi sumus, de castello quid faceremus? Dignum est ut victores habeant castellum, quoniam victoria, castello majus erit præmium. » His ita gestis, Corbanan super his conticuit, et ad alia instituenda tempus disposuit. Et cum sederet in solio, attulerunt ante eum Francigenam ensem valde despicabilem et obtusum, et fœda rubigine tectum. Attulerunt et lanceam eadem deformitate consimilem; quæ etiam sua abjectione, ensem faciebat præpollentem. Quæ cum Corbanan vidisset, ait : « Quis dicet nobis ubi sunt arma hæc reperta? Aut qua de causa nostro conspectui sunt præsentata? » Cum illi qui attulerant dixerunt : « Gloriose princeps, et decus regni Persarum, hæc arma cuidam Francigenæ abstulimus, et tibi attulimus, ut videas et agnoscas quibus armis illa pannosa gens conetur nos et fines nostros deprædari, imo et omnem Asiam depopulari. » Tunc Corbanan subridens ait : « Liquet, quia satis est gens illa insensata, et ratione parum utitur, quæ talibus armis æstimat posse subjugare sibi regnum Persarum. Gens quippe est præsumptuosa, et alterius juris nimium ambitiosa. Gens videlicet quæ in sua confidit animositate, sed per Machomum, male intravit fines Syriæ, murosque regiæ civitatis Antiochiæ. » Hæc dixit, notariumque suum arcessiri jussit. Cui accersito, inquit : « Sume plures schedulas, et scribe religioso papæ nostro Caliphæ, regique Persarum Soldano super omnes glorioso, majoribusque regni Persarum proceribus, ut longævam obtineant vitam, pacem continuam, salutem corporum diuturnam. Fortuna felix et jucunda bene nobis prosperatur, secundisque successibus arridet, quoniam Francorum exercitum intra muros Antiochiæ inclusum teneo, et castellum quod civitati præeminet, jam in manu nostra habeo. Unde certum sit vobis, quia rumores quos de eis audieratis, non sunt illius generis cujus audistis, quia nec lupus tantus efficitur, quantus et clamor qui eum subsequitur. Quia vero præcepistis, ut omnino eos de terra delerem, gladioque vita privarem, nolite adversum me indignari, si quosdam de melioribus vinctos vobis transmitto, quoniam tunc erit in vestra deliberatione, utrum velitis eos mori sive vivere. Nobis enim conveniens esse videtur, ut qui captivare nos venerant, captivi fiant, et dura apud nos exerceant servitia. Honorificum quippe erit regno Persarum, si in eo exsulet frater regis Francorum. Vos autem in pace et summa tranquillitate vivite, omnique corporeæ voluptati operam impendite, filiosque sine cessatione procreate, qui aliis, si necesse fuerit, Francis obsistant, et cum nostræ defecerint vires, tunc valeant. Faciei vestræ præsentiam non ante videbo, donec totam Syriam, et Romaniam, atque Bulgariam vestræ ditioni subjugavero. » Hæc Corbanan locutus in superbia et in abusione, quæ ei conversa sunt in ignominiam et confusionem. Post hæc mater ejus venit ad eum mœrens et tristis, lugubremque afferens vultum. Et cum in secreto cubili ambo convenissent, dixit mater ad filium : « Fili, solatium meæ senectutis, et unicum pignus totius meæ dilectionis, ad te festina venio, fatigata longinquitate itineris. Ego eram in Aleph civitate magna, cum de te gravis sermo aures meas percutlit, suoque impulsu maximum cordi meo dolorem impulit. Dictum est enim quod tua agmina disponebas, et contra Christianos pugnare volebas. Propterea festina veni, a temetipso scire volens utrum se res ita habeat, an non. » Ait ad matrem filius : « Mater, nihil unquam verius audisti. » Et mater ad filium inquit : « Quis, fili, tale consilium iniquus tibi dedit? Nondum es expertus virtutem Christianorum, et præcipue gentis Francorum. Si legisses scripta omnium prophetarum, et antiquorum sapientum, profecto non ignorares, quia ipse est omnipotens et Deus deorum omnium. Si pugnabis adversus Christianos, pugnabis contra ipsum et angelos ejus. Sed dementissimum est contra ipsum omnipotentem pugnare; quoniam id ipsum est velle se destruere. De ipso quidem invictissimo Deo dicit propheta. *Ego occidam, et ego vivere faciam; percutiam, et ego sanabo : et non est qui de manu mea possit eruere. Si acuero ut fulgur gladium meum, et arripuerit judi-*

cium manus mea, reddam ultionem hostibus meis, et his qui oderunt me, retribuam. Inebriabo sagittas meas sanguine, et gladius meus devorabit carnes (*Deut.* XXXII, 39-42). Formidolosum est contra hunc conflictum inire, qui gladium suum novit sic acuere, acutum inebriare, inebriato carnes macerare. Fili, Pharaonem regem Ægypti quis submersit in mari Rubro, cum omni exercitu suo? Quis ejecit *Sehon regem Amorrhæorum, et Og regem Basan, et omnia regna Chanaan, et dedit* suis in *hæreditatem?* (*Psal.* CXXXIV, 11, 12). Ipse idem Deus ostendit quanto amore diligat populum suum, quantaque tutela circumvallet eum, cum dicit : *Ecce ego mittam angelum meum, qui præcedat te, et custodiat semper. Observa et audi vocem meam, et inimicus ero inimicis tuis, et odientes te affligam, et præcedet te angelus meus* (*Exod.* XXIII, 20-22). Genti nostræ iratus est Deus ille, quia nec audimus vocem ejus, nec facimus voluntatem, et idcirco de remotis partibus occidentis excitavit in nos gentem suam, deditque ei universam terram hanc in possessionem. Non est qui possit eam avertere; nec est qui eam valeat amplius exterminare. » Post hæc inquit filius matri suæ : « Credo, mater, quod aut insanis, aut furiis infernalibus exagitaris. Quis tibi dixit, quod gens ista non potest exterminari? Plures mecum sunt optimates et admiraldi, quam sint omnes Christiani in simul congregati. Dic mihi mater : Hugo eorum vexillarius, et Apuliensis Boamundus, et gladiator Godefridus sunt ipsi dii eorum? Nonne sicut et nos aluntur temporali cibo? Nonne eorum caro sicut et nostra potest incidi ferro? » Ad hæc mater respondit : « Non sunt dii quos tu nominas, sed homines, et milites Dei excelsi, qui dat eis animos, exaggerat vires, redditque magnanimos, sicut ipse per prophetam loquitur dicens : Persequetur unus de vobis mille, et duo fugabunt decem millia (*Lev.* XVI, 8) : quod jam in his expertum est, qui nostros fugaverunt de tota Romania. Propterea, fili, contestor te per omnium nostrorum numinum nomina, ut te avertas a facie istorum, et non ineas contra eos bellum. Stultum est enim, ut superius dixi, contra Omnipotentem sævire, et in gentem suam debacchare. » Et respondit filius matri suæ : « Charissima, noli lacrymari, noli crebris gemitibus anxiari; quoniam nulla arte, nullo ingenio revocabis, etiam si in prælio scirem meipsum interiturum. » Tunc mater tristior effecta, iterum filio suo dixit : « Scio quia pugnabis, et modo non morieris, sed antequam transeat annus, de hac vita discedes. Modo es in omni regione orientali fama laudabili præditus; in aula regis Persarum nulli secundus, cum autem modo victus fueris, juxta quæ nunc tibi est gloria, ingloriosus eris. Quanto enim quisque cæteros antecellit, tanto magis sordescit, si turpius ruit. Nunc vero omni flore orientalium regum ac divitum stipatus, tantorum innumerabilium satellitum caterva circumdatus, si superatus eris, cum quo ulterius pari aut impari numero decertabis? Tu qui olim cum paucis multos solebas in fugam vertere, nunc disces etiam fugere cum ingenti copiarum vi, et paucos cum multis ut canem lepores præcursare. » Tunc filius, iræ impatiens, verba matris diutius ferre non poterat, sed ea interrumpens ait (48) : « Ut quid mater aerem concitas inanibus verbis, nosque ad fastidium pertrahis sermonibus imperitis? Nulla virtus bellorum nobis valet resistere, nec valet alter exercitus nostro prævalere. Sed dic, mater mea, unde scis quod vinci debeamus in hac pugna, et quod mori debeo non hic, sed antequam transeat annus, morte subitanea, et quod gens Christiana fines nostros sit possessura? » Cui mater ait : « A centum annis et infra invenerunt patres nostri in sacris deorum responsis, et in sortibus et divinationibus suis et animalium extis quod Christiana gens super nos esset ventura nosque victura. Concordant itaque super hoc aruspices, magi, arioli, et numinum nostrorum responsa, et prophetarum dicta, in quibus dicitur : A solis ortu et occasu, ab aquilone et mari, erunt termini vestri, et nullus stabit contra vos. Credimus, quia hoc totum venturum est, sed nescimus si nunc vel in proximo est, sed prope quibusdam nostrorum videtur, quia hoc assiduæ rerum mundi ruinæ præsignant, et astrorum intuitus prænuntiavit. De hoc siquidem prælio quod commissurus es, dicam tibi veritatem, et de morte tua quam inde habeo, notitiam. Ex quo milites ad patrandum bellum hoc colligere cœpisti, sollicita indagatione perscrutata sum, quicunque mihi possunt ventura prædicere, et consonant, quod nullus omnino Christianos poterit superare. Cum astrologis siderum cursus, scilicet septem planetas, et duodecim signa sapienter contemplata sum, et quidquid physicaculari potest cum aruspicibus, extis et armis pecudum, cum sortilegis sortes temperavi, et omnia in unum concordant, gentique Francorum victoriæ titulos prænuntiant, et necem tibi, sicut dixi superius, intentant. » Tunc ille : « Mater, inquit, cessa ab his de cætero, quia cum Francis pugnabo quam primum potero. » Illa videns quod nil proficeret, non diu morata unde venerat rediit, secumque reportavit quidquid spoliorum adipisci potuit.

CAPUT III.

Jam vero de his quæ interim in urbe gesta sunt, aliquid referamus. Turcis libera facultas erat intrandi castellum, et exeundi, nostrosque die noctesque jaculando et sagittando ad bella ciebant, et cum certantium vires deficiebant, novi recentesque subibant. Sicque novis jugiter supervenientibus virtus illorum crescebat; nostrorum vero quotidiana lassitudine deficiebat. Nulla enim quies erat, nec arma

NOTULÆ MARGINALES MS. COD.

(48) Verba suæ matris Furiis male subditus atris, Temnit Corbanan, mentemque gerit male sanam.

deponebant; sed in procinctu militiæ semper erant. Telis et sagittis plateæ civitatis impediebantur, et tecta domorum onerabantur. Omni die ante castellum fit nova congressio, multotiesque fiebat nostrorum et ipsorum una commistio; de nostris tamen Deo protegente pauci moriebantur; de illis vero catervatim perimebantur. Et dum sic tempus prolabitur, fames omni hoste crudelior nostros invadit, viresque eorum de die in diem attenuavit. Vultus marcescunt, brachia deficiunt, et tremula manus vix terræ vellicat herbas, et frondes arborum, et radices vaporum silvestrium. Hæc omnia coquebantur, et comedebantur. Crus asini sexaginta solidis comparabatur, et qui emebat dissipator substantiæ non æstimabatur : Panis parvus appretiabatur uno bysantio. Carnes asinorum, equorum, camelorum, boum, bubalorum consumebantur, insuper eorum coria concoquebantur. Matres filios suos fame percuntes, ad ubera suspendebant, sed pueri in maternis uberibus nihil inveniebant, et præ inopia lactis clausis oculis palpitabant. Quadam die Corbanan incitavit nostros ad prælium, scilicet extra urbem, ab illa parte in qua erat castellum; sed milites et equi fame cruciati, diu non potuerunt sufferre veloces impetus eorum. Conglobati igitur in unum, nostri ad civitatem regredi salubrius esse intellexerunt, sed oppressi a Turcis, portam nimis angustam repererunt, in tantum quod quidam ibi usque ad mortem attriti sunt. Sicque fiebat pugna intus et exterius, nec dabatur ulla quies nostris fame percuntibus. Propter hæc et his similia aliqui de nostris militibus immoderate perterriti, fuga in ipsa nocte elapsi sunt, funibus ad propugnacula ligatis, quibus manus suas omnino decoriaverunt, et sic ad mare pedibus tetenderunt. Quo pervenientes dixerunt nautis, ut fugerent, quoniam omnes Christiani aut mortui aut vincti essent. Illi autem dolentes in mare se miserunt, et Turcarum se potentatui subtraxerunt. Stephanus Carnotensis comes, qui inter alios principes videbatur magnus, consilio providus, morum honestate præclarus, antequam caperetur Antiochia, gravi infirmitate detentus est; et ad quoddam castrum, quod suum erat, secessit, cui nomen Alexandreta fuit. Hic a fugientibus audivit hanc de nostris relationem, montana urbi præeminentia ascendit, ut videret quidnam esset, utrumne relatio vera fieret. Sed innumerabilia Turcorum agmina a longe conspexit, nostrosque intra urbem inclusos esse deprehendit; et perterritus timore, aufugit (49), et ad castrum suum remeans funditus exspoliavit, et sic versus Constantinopolim equitare cœpit. Illi vero qui in urbe obsidebantur, summo desiderio adventum ejus præstolabantur, putantes quod imperatorem secum adduceret, et cum eo rebus necessariis succurreret. At ipse in diversum tendens, ut ad Philomenam venit, imperatorem ibi invenit, eique secreta allocutione dixit : « Domine imperator, nostri revera Antiochiam obtinent; sed castellum quod ei superest adhuc Turci possident, innumera Turcorum agmina eos de foris obsident, et qui in castello sunt intus oppugnant. Sed quid super his restat, nisi quia aut mortui jam sunt, aut in proximo omnes morientur? Tu autem, reverende imperator, si nostro credis consilio, ulterius non progredieris, sed ad urbem tuam reverteris. Nam non potest humana eis potestas ulla subvenire; sed si illuc ieris cum tuo exercitu poteris interire. » His auditis sermonibus imperator valde tristis efficitur, et quod ei dixerat in secreto, principibus suis ac magistratibus propalavit in aperto. Omnes contristantur, nostrorumque funera lacrymantur. Erat ibi quidam miles, nomine Wido, qui per militiam celebre sibi nomen acquisierat, multumque Boamundo familiaris exstiterat. Qui cum hoc audisset, ita indoluit, quod ac si mortuus esset, in terra corruit. Et cum resumpto spiritu ab illa mentis alienatione reverteretur, flere immoderate cœpit, genasque unguibus sulcando, crines manibus decerpendo, omnes cogebat ad luctum, dicebatque (50) : « O Deus omnipotens, ubi est virtus tua? Si omnipotens es, cur hæc fieri consensisti? nonne erant et milites tui et peregrini? Quis unquam rex, aut imperator, aut potens Dominus familiam suam ita permisit occidi, si ullo modo potuit adjuvare? Quis erit unquam miles tuus aut peregrinus? O Boamunde, honor aliorum ducum, corona sapientum, gloria militum, solamen desolatorum, robur militiæ, et totius mundi decus insigne, cur tibi tale infortunium contigit, ut Turcorum ludibrio subjaceres? Heu, heu! cur mihi concessum est vivere post te? quæ mihi posthac lux grata, quæ species amœna, quæ gloria delectabilis, quæ vita jucunda, te minime superstite? O Deus, si verum est quod iste nugacissimus et fugitivus comes attulit, quid amplius erat de via sepulcri tui, quæ causa ita occisi sunt, quasi dominum non haberent servi tui? O Boamunde, ubi est illa fides tua, quam semper habuisti in Salvatore tuo Domino nostro Jesu Christo. O imperator et egregii milites, qui mecum tanta tantorumque funera lugetis, quis perfecte credere potest, quod tanta militia sic perierit? Pro certo si in medio campo ab omni orientali populo circumsepti fuissent, non ante omnes occiderentur quam ulciscerentur. Nunc autem et civitatem habebant, in qua se defendere poterant, et ita interempti sunt? O imperator, certissime scias, quia si Turci nostros occiderunt, pauci de ipsis remanserunt. Propterea ne paveas illuc ire, quia Antiochiam recipere poteris. » Imperator consilio illius noluit assensum præbere, verbis nugacis, fugitivique comitis nimium credulus, sed retro destinavit abire, Bulgariæque loca præcepit devastare, ut si Turci in partes illas pervenirent, nihil penitus invenirent.

NOTULÆ MARGINALES MS. COD.

(49) Consul Carnotis, urbs inclyta charaque notis
Territus aufugit, bellum sociosque reliquit.

(50) Guido nimis plorat, Dominum cum fletibus [orat.

Cum ipso pariter et ipse Wido, et illi qui cum ipso imperatore ierant, reversi sunt; quia ultra ire non præsumpserunt. Sic igitur nostri omni humano solatio destituti sunt; et per viginti fere dies, cum hostibus et fame, cum gladio et penuria indesinenter decertaverunt.

EXPLICIT LIBER SEXTUS.

INCIPIT LIBER SEPTIMUS.

CAPUT PRIMUM.

Superna pietas humano destitutis auxilio nisi prævidisset, ex Francigenis, jam civibus Antiochenis, nullus superesset. Sed cum jam vita diffiderent omniaque mortem intentarent, placuit Deo Salvatori Regi regum Jesu Christo, ut cuidam sacerdoti suo appareret (51), dum quadam nocte in ecclesia suæ sanctæ castæ Genitricis dormiret. Erant autem cum eo, ipsa Mater et Virgo Maria, et beatus Petrus apostolus, cui pastoratum ovium suarum dedit ipse Dominus. Cui et ait : « Agnoscis me? » Cui sacerdos : « Non. Tu qui es, Domine? » Tunc in capite Salvatoris crux cœpit apparere. Cui iterum Dominus : « Jam ne agnoscis me? » Iterum sacerdos respondit : « Non aliter agnosco te, nisi quia crucem in capite tuo video, sicut in imaginibus, quæ sunt in honore Domini nostri Jesu Christi, videre soleo. » Et Dominus ad eum : « Ecce, ego ipse sum. » Sacerdos vero ut audivit quod Dominus est, statim prosternebat se ad pedes ejus, suppliciter obsecrans ut suis Christianis subveniret, fame et hostium oppressione laborantibus. Cui ait : « Non tibi videtur quod bene eos adjuverim huc usque, quia illis et Nicæam tradidi civitatem, et omnia quæ eis supervenere bella, vincere feci? In obsidione Antiochiæ eorum miseriæ condolui; nunc vero ad extremum, civitatis ingressum tribui ; omnes tribulationes et impedimenta, quæ passi sunt, ideo evenire permisi, quoniam multa nefanda sunt operati, cum Christianis mulieribus et paganis, quæ valde displicent in oculis meis. » Ad hæc mater misericordiæ piissima Virgo et beatus Petrus ceciderunt ad pedes ejus rogantes ut populi sui misereretur. Adjecit autem beatus apostolus precationi suæ, et ait : « Domine, gratia tibi ago, quoniam Ecclesiam meam in potestate servorum tuorum dedisti, quam propter malitiam inhabitantium in ea tot annorum curriculis paganorum fœditatibus sordidari permiseris : Unde in cœlis lætantur sancti angeli tui, et consortes mei apostoli. » Tunc Dominus ait sacerdoti suo : « Vade, dic populo meo ut revertatur ad me, et ego revertar ad eum, et infra quinque dies mittam eis sufficiens auxilium, interim quotidie cantet hoc responsorium : Congregati sunt inimici nostri et gloriantur in virtute sua : totum cum versu. » Hac ita visione completa, venerabilis presbyter somno excitatus surrexit, expansisque manibus oravit, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illi. Inde eadem die hora tertia immediate ad principes exercitus perrexit, invenitque eos sursum ante castellum prœliantes contra inimicos, et moventes invicem bellum. Quibus convocatis, læto et hilari vultu dixit : « O belligeratores Regis æterni, annuntio vobis ex parte Salvatoris nostri gaudium et exsultationem; suamque quam transmittit vobis benedictionem, et si ei obedieritis, consequimini et gratiam. » Tunc omnibus attente audientibus et undique confluentibus, omnem seriatim exposuit visionem. Qua exposita, subjecit et ait : « Si huic decretis visioni, falsamque eam suspicamini, quia vera est faciam vobis quod libuerit experimentum, et si mendax inveniar, omni injuria afficite corpus meum. » Tunc Podiensis episcopus jussit afferri crucem, et sanctum Evangelium, ut coram cunctis juraret hoc verum esse : quod ita factum est. Et ut divina bonitas bona bonis accumularet, suosque lugubres servos magis magisque lætificaret; affuit ibi quidam peregrinus, nomine Petrus, qui hanc visionem retulit coram omnibus : « Audite, populus Domini et servi Dei excelsi, vocem meam, et sermonibus meis inclinate aurem vestram. Dum in obsidione hujus civitatis eramus, quadam nocte astitit mihi in visione sanctus Andreas apostolus, dicens : Bone vir, audi et intellige me. « Et aio ad eum : » Tu quis es, domine? » Et ille : « Ego sum Andreas apostolus. « Adjecitque : » Fili, cum urbem hanc intraveritis, et eam in potestate habueritis, ad ecclesiam Beati Petri celeriter vade, et in loco quem monstravero tibi, invenies lanceam, qua perforatum est latus Salvatoris nostri. « Hoc tunc solummodo Apostolus dixit mihi. Ego vero tunc ausus non fui hoc alicui indicare, existimans me vanam visionem vidisse. Nunc vero ista nocte iterum apparuit mihi dicens : » Veni et ostendam tibi locum ubi lancea abscondita est, sicut promisi tibi. Festina igitur ut extrahas eam, quoniam portantibus eam sequetur victoria. « Et ostendit mihi sanctus apostolus locum, quem venite et videte, et inde eam mecum extrahite. » Cumque omnes ad ecclesiam Beati Petri currere vellent, adjecit adhuc, et ait : Mandat vobis sanctus Andreas apostolus : Ne timeatis sed confitemini et pœnitentiam agite a malis operibus vestris, quoniam infra quinque dies super inimicos vestros iterum triumphabitis. » Tunc omnes unanimiter glorificaverunt Deum, qui dignabatur consolari dolores ipsorum. Statim vero cucurrerunt ad ecclesiam Beati Petri cupientes locum videre, ubi debebat lancea inveniri, foderunt autem ibi tredecim homines, a mane usque ad vesperam, sicque eam, Domino disponente repererunt; fuitque magna lætitia in omni

NOTULÆ MARGINALES MS. COD.

(51) Cui Deus apparet, quia sic sine crimine paret.

populo, magnisque vocibus personabant : *Te* Deum *laudamus. Gloria in excelsis* Deo. Tunc omnes in simul juraverunt, ut nullus eorum propter ullam tribulationem seu mortem fugeret, nec ab incepto itinere sancti sepulcri discederet. Omnis itaque plebeia multitudo gavisa est, cum sacramentum hoc jurarent majores; et alter alterum ad virile robur hortabatur, et de divino adjutorio, quod fiducialiter unusquisque præstolabatur, applaudebat. Nocte igitur insecuta ignis de cœlo veniens ab occidente apparuit, et inter Turcorum exercitum corruit, quod signum corda omnium vehementer obstupefecit, et maxime Turcorum in quorum tentoria cecidit. Inter se enim vaticinari cœperunt, quod postea contigit, quia « ignis de cœlo descendens, ira Dei erat, » quia vero ab occidente venerat, Francorum agmina designabat, per quos iræ suæ animadversionem exercebat. Jam vero qui seniores erant, cœperunt a ferocitate sua quantulumcunque mansuescere, et ab ea quam prius habuerant animositate torpescere. Sed quia stultorum infinitus erat numerus, nostrosque ad prælium concitabant, nec die nec nocte requiescebant, placuit senioribus murum inter se et illos construere, ut vel sic liceret ad modicum respirare. Una die enim tam acriter in nostros irruerunt ut tres in una turre quæ erat ante castellum incluserint; ex quibus duo vulnerati de turre exire compulsi, et capite plexi sunt; unus vero, usque ad vesperam fortiter resistens permansit, duosque ex illis occidit, et sic deinceps gladio vitam finivit. Quibus, dum viverent, cum Boamundus vellet succurrere, vix aliquem potuit extrahere, quia illos non tantum hostis urgebat, quantum valida fames opprimebat : Unde iratus ignem poni præcepit in domibus quæ erant ab illa parte, ubi et palatium Cassiani erat ut qui exire sponte nolebant, saltem exire compellerentur inviti. Tunc cum igne tanta venti tempestas exorta est, quod tantum flamma invaluit, quod usque ad duo millia domorum et ecclesiarum combusserit. Boamundus ut vidit flammam ignis ita insurgere, pœnitentia ductus vehementer doluit, quoniam de ecclesia Beatri Petri sanctæque Dei genitricis Mariæ, multisque aliis pertimuit. Duravitque incendium ab hora dici tertia usque in noctem mediam, et sic flante vento a parte dextera, in seipsam reversa est flamma.

CAPUT II.

Lancea, ut supra diximus, nutu Dei inventa, seniores et magistratus militiæ consilium acceperunt, ut ad Corbanan legationem suam mitterent, eique mandata suumque consilium per interpretem sui sermonis deferrent. Cumque de multis fieret inquisitio, nec aliquis præsumeret hæc ferre mandata, tandem duo inventi sunt, Heluinus, et Petrus eremita. Hi cum interprete iter suum ad Turcorum castra direxerunt, dein ad Corbanan tentoria pervenerunt. Convenerunt undique Turci, audire gestientes, quid dicerent Christianorum nuntii. Erat autem Corbanan residens in solio, indutus cultu regio, habituque pomposo, ante cujus faciem venientes minime se inclinaverunt, sed erecta cervice astiterunt. Quod cum Turci viderent, ægre tulerunt; et nisi nuntii essent, superbæ continentiæ ignominiam vindicassent. Tunc nuntii nil cunctantes, licet omnes ira commoti, circumfremerent, superbo principi dixerunt (52) : « Corbanan, Francorum proceres tibi mandant : Unde tibi contigit tam temulenta audacia, quod armata manu contra eos venisti, cum tu et rex tuus gensque tua in eorum conspectu culpabiles sitis, qui terras Christianorum immoderata cupiditate invasistis, cosque omnes injuria affectos occidistis. Infernales dii tui te turpius non potuerunt dehonestare, quam quod te miserunt contra eos pugnare. Si ratio juris tecum esset, et censura æquitatis nobiscum agere velles, nos tecum juris honore servato ratiocinaremur, et quod Christianorum esse debet, incontradicibili sermone ostenderemus. Quod si apud te æqui ponderis sunt jus et ratio, ut voluptuosa voluntas, fiat inter tuos nostros determinata pugna, et victoribus absque aliorum sanguinis dispendio tota hæc concedatur patria. Quod si nec ita, nec sic, complacet, aut fugam protinus inite, aut colla vestra nostrorum ensibus præparat. » Iis dictis sermonis mediator conticuit. Corbanan vero ira magna inflammatus, vix loqui potuit : et tandem in hæc verba prorupit, dicens (53) : « Vere gens Francorum, gens superba; sed nostro gladio refrenabitur eorum superbia. Ideo autem requirunt denominatum prælium, ut quibus cedet victoria, cedat et imperium, quoniam sine aliorum sanguinis dispendio, aut patriæ volunt ditari, aut a manibus nostris liberari. Sed tunc salubre consilium non invenerunt, cum pro effeminata gente arma sumpserunt. Tamen adhuc ite, illisque renuntiate quoniam, si volunt *Deum* suum abnegare suæque Christianitati renuntiare, in gratiam omnes recipiemus, et terram hanc eis donabimus, et multo meliorem : et de omnibus equites faciemus. Quod si facere neglexerint, omnes in proximo morientur, aut vinculati in terram nostram captivabuntur. » Post hæc Heluinus, qui illorum noverat linguam, subjecit et ait : (54) « O princeps nullius militiæ, sed totius malitiæ, si scires quam dementissimum est apud Christianos dicere: Nega Dominum, nunquam de tuo ore polluto egrederetur tale verbum. Scimus pro certo ipso Deo quem negare suades revelante, quia in proximo est nostra salus, et vester interitus; nostrum gaudium et vestrum detrimentum. Quis vero sero vobis transmisit ignem, qui vos ita perterruit, et de loco in quo tentoria fixeratis ita perturbavit? Signum hoc, in portentum veniet vobis; nobis, in salutem : quoniam ipsius Dei nostri certam inde habemus lega-

NOTULÆ MARGINALES MS. COD.

(52) Francigenæ gentes natura Marte ferventes,
Hoc mandant Parthis ut sint ad bella parati.

(53) Corbanan fatur, et nostris conviciatur.

(54) Servus et iste Dei conviciatur ei.

tionem. » Corbanan diu ferre non potuit convitia Helvini, et præcepit a conspectu suo illum amoveri. Dixeruntque ei qui illic astabant, ut cito recederet, alias nunquam ei legatio proficeret quin statim interiret. Ille cum sociis ita discessit, et ad urbem remeavit. Nec prætereundum quid istis recedentibus, Corbanan suis dixerit : « Audistis nunc quid panrosi illi, vultuque despicabiles, et nullius personæ nomunculi, et quam constanter locuti sint; nec iram nostram et tela micantia expaverunt. Unum de illis est, quia desperati sunt, et volunt mori, et malunt mori quam captivari. Propterea o fortissimi milites, cum ad prælium venerint, undique eos circumvallate, ne alicui sit locus divertendi, nec spatium diu vivendi : quoniam si eis aliquandiu licet vivere, antequam omnes interficiantur, magnas strages de nostris facient. » In hoc apparet quod Corbanan stultus erat, quia sic loquendo suorum mentibus terrorem incutiebat. Nec mirandum si insipiens loquitur amentiam, quia *spiritus sapientiæ non intrat in malevolam animam* (*Sap.* I, 4).

CAPUT III.

Petrus Eremita et Helvinus ad principes exercitus reversi sunt, et quæ Corbanan responderat narraverunt. Tunc Podiensis episcopus nutu et assensu omnium, triduanum omnibus indixit jejunium. Unusquisque puro corde confessus fuit, et qui aliquid ad edendum habuit, non habenti distribuit. Illos tres dies deduxerunt cum omni humilitate et puritate cordis, ecclesias processionando circuientes, et Domini misericordiam implorantes. Tertia die illucescente, missæ per ecclesias celebratæ sunt, omnesque sancta Dominici corporis communione communicati sunt. Communi deinde consilio intra urbem sex acies constituuntur, et quæ prius, et quæ posterius irent ordinantur. Prima acies fuit Hugonis Magni, et Flandrensis comitis; secunda vero ducis Godefridi; in tertia vero fuit comes Robertus Northmannus cum suis; quarta fuit Podiensis episcopi, qui secum portavit lanceam nostri Salvatoris, et cum illo fuit magna pars exercitus comitis Sancti Ægidii, qui ad custodiam civitatis remansit; quinta Tancredi fuit; et Boamundi sexta, cum quo expeditiores ad bellum pedites fuerunt, et milites qui equos suos necessitate victi vendiderant. Episcopi, presbyteri, clerici, et monachi, sacris vestibus induti cum militibus extra portam civitatis exierunt, portantes in manibus suis cruces, quibus Dei populum signabant, et magnis vocibus ad cœlum manibus extensis clamabant : *Salvum fac populum tuum, Domine, et benedic hæreditati tuæ, et rege eos, et extolle eos nunc et usque in æternum. Esto eis, Domine, turris fortitudinis a facie inimicorum suorum.* Hos et alios psalmos concinebant, illos præcipue qui tribulationi conveniebant. Similiter illi qui in turribus erant et super murum idem faciebant et cantabant. Egressi sunt itaque milites Christi contra satellites Antichristi, per portam quæ est ante Machumariam. Corbanan vero in quodam monticulo stans, exeuntes aspiciebat, et dum exirent dicebat : « State quieti, milites mei, et omnibus exire permittite, ut eos melius valeamus comprehendere. » Habebat autem juxta se positum Aquitanicum quemdam, quem nos provincialem dicimus, qui fidei nostræ abrenuntiaverat, et edacitatis gula coactus de civitate exierat, et in adversariorum se castra contulerat. Hic de nostris multa nefanda dixerat, quod fame moriebantur et omnes fugæ præsidia moliebantur, quod equos suos comederant, et victus inopia tabescebant, nihilque restare, nisi quod aut fugerent, aut ditioni Corbanan se subderent. Dumque divisæ acies suis ordinibus de civitate exirent, Corbanan cujus esset unaquæque requirebat, quæ Aquitanicus ei ordine referebat. Sol vero super auratas loricas et lanceas radios inferens, oculos intuentium reverberabat, et adversariis terrorem immittebat, ut divina Scriptura testatur, quia *terribilis est castrorum acies ordinata* (*Cant.* VI, 3). Ut autem insimul omnes conspexit, intra semetipsum infremuit, circumstantibus dicens : « Magna est gens illa, honesteque armata; non mihi videtur quod velint fugere, sed instare; quodve velint obsequi, sed persequi. » Conversus itaque ad apostatam suum, inquit : « Furcifer omniumque scelestissime, quæ frivola dixisti nobis super hominibus istis, quod equos suos comederint, et fame cruciati fugam pararint? Per Machomum in caput tuum retorquebitur istud mendacium, capitisque lues supplicium. » Tunc accersitus gladiator, tyranni paruit imperio, et evaginato gladio caput illis præcidit; dignamque suæ garrulitatis et apostasiæ mortem subiit. Tunc quippe mandavit admiraldo suo qui custodiebat suum thesaurum, ut si ignem accensum in capite sui exercitus videret, fugam protinus arriperet, et omnia quæ sua erant, secum portaret, aliosque fugere compelleret; sciret enim quia Francorum gentis erat bellum; sibi vero victoria cesserat in contrarium. Nostri vero milites ut primum in quamdam planitiem venerunt, Podiense episcopo innuente steterunt, et cum summo silentio sermonem illius audierunt. Erat autem vestitus lorica, et in dextera manu illius in altum erecta Salvatoris lancea qui os suum in hæc verba aperiens, dixit : « Omnes qui in Christo baptizati sumus, filii Dei et fratres invicem sumus; quos ergo conjunxit una spiritalis copula, jungat et dilectio una. Pugnemus igitur unanimes, ut fratres, pro animabus et corporibus nostris, sicut positi in rebus extremis. Mementote quantas tribulationes passi estis pro peccatis vestris, sicut nunc vobis innotescere dignatus est in visionibus Dominus Deus noster. Nunc vero purgati estis, Deoque per omnia reconciliati. Et quid timeretis? nullum vobis contingere potest omnino infortunium. Qui hic morietur, vivente felicior erit, quia pro temporali vita, gaudia adipiscetur æterna : Qui vero remanserit superstes, super inimicorum suorum triumphabit victoria, divitiisque illorum ditabitur, et nulla angustabitur inopia. Vos scitis quid perpessi sitis, et

quid in præsentiarum ante vos videatis. Orientales divitias adduxit vobis Dominus vester in faciem vestram, imo in manibus vestris. Confortamini, et estote viri cordati, quoniam jam mittet Dominus legiones sanctorum suorum, qui ulciscentur vos de inimicis vestris. Hodie videbitis illos oculis vestris; et cum venerint, de eorum terribili fragore ne timeatis. Non enim debet inassueta vobis esse visio eorum, quoniam vice altera venerunt vobis in auxilium. Sed humanus aspectus pavescit in adventu supernorum civium. Considerate quomodo adversarii vestri extento collo, sicut cervi et damulæ pavescentes, adventum vestrum aspiciunt, paratiores ad fugam quam ad prælium. Et vos bene nostis eorum prælia, quoniam tracta sagitta, plus in fuga quam in pugna confidunt. Ite igitur contra eos in nomine Domini nostri Jesu Christi ad bellum, et Dominus Deus noster omnipotens sit vobiscum (55). » Cumque omnes respondissent *Amen*, extensis in longum legionibus, prior erecto vexillo antecedit Hugo Magnus, qui jure vocatus est Magnus, quoniam hoc privilegium commendavit actu et moribus. Hunc subsecuti sunt alii, sicut superius sunt nominati; fuitque eorum prolixa extensio, a flumine usque ad montana scilicet, cui spatio intersunt duo milliaria. Tunc vero Corbanum cœpit retroire et montanis appropinquare. Nostri autem paulatim illum insequebantur, quoniam moderato gressu omnes gradiebantur. Tunc Turci in duo sunt divisi, quia pars una a regione maris processit; pars altera major in campo remansit. Statuerunt igitur nostros sic inter se includere, et a dorso sagittare. Sed ordinata est septima acies, quæ contra partem divisam confligeret; ordinata est autem ex militibus ducis Godefridi et Northmanni comitis : cui præfuit quidam dux, nomine Rainaldus. Hunc contra illos miserunt, et præliati sunt, multique hinc et inde ceciderunt. Et ut aliæ sex acies ad jactum sagittæ pervenerunt, Turci vicinius ire recusantes, tensis arcubus trahunt, sed frustra, quia ventus ex obliquo flans eorum jactus redegit in vanum. Quod Turci ut viderunt, versis frenis retro fugiunt, sicque prima acies quæsivit in bello bellum, nec invenit; quæsivit quem percuteret, aut a quo percuteretur, nec reperit. Interea missus est nuntius a Boamundo Hugoni Magno, ut ei ferret auxilium, quia nimium urgebatur oppressione Turcorum. Mox Hugo conversus, ait suis : « O viri bellatores, nos pugna fugit, quæramus pugnam, eamusque ad Boamundum egregium ducem; illic est pugna, quam quæritis, illic ferreus instat hostis, quem desideratis. » Tunc citius dicto volat illuc quisque satelles, jungunturque simul egregii comites (56). Quod ut vidit dux ducum Godefridus, quod magnus amicus suus ita celeri cursu cum omnibus suis discurrebat, insecutus est eum, quoniam et ipse a bello vacabat. Illic quippe incumbebat robur militiæ Persarum, et major fortitudo; et bene decebat, ut illic currerent Godefridus et Hugo. Erat enim unus ab altero, quasi alter idem, unam habentes in se amicitiam. Hugo Magnus cum ad pugnæ conflictum prior venisset, intuitus est unum de adversariis, qui erat audacior cæteris, aliosque ad pugnam clamando hortabatur; qui spumantem equum dirigit contra eum, et lancea ei guttur perforavit, et sic os illius oppilavit. Quid miser faceret? solo statim corruit, et diis infernalibus animam commendavit. Post hæc contigit nostris grande incommodum : quia *Odo Belgentiacus*, qui vexillum ferebat, sagitta toxicata vulneratus fuit; et dolore vulneris ingravescente, cum vexillo terræ corruit : sed *Blemensis Guilelmus* ense nudato, viam per medios hostes aperuit, et signum tellure levavit. Quid dux ducum Godefridus, quid Boamundus, quid clara juventus ibi egerint, nec lingua dicere, nec manus scribere, nec pagina valet capere. Nullus nostrorum ibi iners fuit, nullus timidus, quia nec locum habebat, et hostis supereminens unumquemque urgebat. Quanto magis enim occidebantur, tanto magis crescere videbantur. Sicut enim putredini muscæ confluere solent, sic et ipsi undique conveniebant. Dum sic certatur, et tam longi certaminis prolixitas poterat tædiare, nec numerus nostium videbatur decrescere, albatorum militum numerabilis exercitus visus est de montibus descendere, quorum signiferi et duces esse dicuntur Georgius, Mauricius, Demetrius (57) quos ut primum vidit Podiensis episcopus, exclamavit voce magna dicens : *O milites, ecce venit auxilium, quod vobis promisit Deus!* Et certe nostri valde expavissent, nisi fuisset spes quam in Domino habebant. Tunc tremor maximus irruit in hostes, et versis vultibus scutis terga cooperiunt, et fugam quo unicuique locus dabat arripiunt. Pars illa quæ a parte pugnabat maris, ut vidit fugam suorum, ignem sparsit super gramen campi, quod celeriter arsit, quia illud siccaverat ardor æstatis. Hæc ideo fecerunt, ut hoc signo illi qui in tentoriis erant, statim fugerent, et secum ditiora spolia tollerent. Illi vero cognita signo, qui in montanis erant, protinus fugerunt, cum omnibus spoliis quæ portare valuerunt. Sed quid eis profuit, cum diu eis ferre non licuerit? Armenii et Surani siquidem ubi viderunt, quia victi erant, et nostri eos insequerentur, obviam illis veniebant et occidebant. Hugo vero Magnus et dux Godefridus et Flandrensis comes, simul cum suis agminibus equitabant juxta aquam, ubi robustior et densior eorum erat exercitus : tanto-

NOTULÆ MARGINALES MS. COD.

(55) Sermo finitur, sed et agmina constituuntur.
(56) Currit in auxilium Boamundo belliger Hugo,
Quem sequitur juvenis Godefridus, clarus in armis.
(57) Nomina sanctorum de cœlo signiferorum.

que impetu urgere cœperunt, ut ad sua tentoria quo tendebant, remeare non potuerint. Et ut citius persequi valerent, illorum equos qui moriebantur, ascendebant, suosque qui erant macilentiores et afflicti fame, frenis a capite detractis relinquebant in campo. O miranda virtus Dei omnipotentis, et immensa potestas! Miles tuus longo afflictus jejunio, persequitur tumentes adipe et pinguedine, ita ut etiam nec ad sua bona, quæ reliquerant, auderent respicere. Spiritus tuus bonus erat in mentibus eorum, qui et vires suggerebat corporum, et audaciam præstabat animorum. Non illum retardat ulla cupiditas spoliorum, nulla ullius rei avaritia, quoniam illius mentem magis titillabat victoria. Sicut in macello bestiarum corpora solitum est dilaniare; sic et nostris licitum erat Turcarum corpora laniare. Evolat sanguis de corporibus vulneratorum, evolat pulvis agitatus equorum pedibus discurrentium; æther obnubilatur, et quasi crepusculum fieret obtenebratur. Contigit autem quod fugientes in quemdam collem devenerunt, et ibi se contra nostros recolligere speraverunt. Tunc Gerardus senex de Melcone, qui longo tempore ægrotus jacuerat in obsidione, equo celeri transvectus, improvide incidit in illos, eorumque jaculis est confossus, et sic digna morte peremptus. Quod ut viderunt qui eum vicinius subsequebantur; Evurardus scilicet de Puteolo, Paganus Balvacensis, Drogo, et Thomas, et Clarenbaldus, cæteraque juventus Hugonis Magni, nil hæsitantes in illos irruunt : et quidem forte bellum invenerunt, sed tamen, Deo juvante, crescente caterva suorum, viriliter dissipaverunt. Ibi multum cruoris effusum est, multorum truncata capita, qui si, ut cœperant, fugissent, evadere potuissent. Persecuti sunt autem illos usque ad Pontem Ferreum, et ad castellum Tancredi; et ultra non potuerunt persequi, quia nox obscura finem rei imposuit. Mortui sunt autem illo die centum millia equitum, sed propter fastidium nullus numeratus est de tota multitudine peditum. Miles fatigatus, quia longe ab urbe erat, ad tentoria quæ suorum erant inimicorum rediit; multumque quod ad edendum sibi sufficiebat, invenit. Ante enim quam timor Dei venisset in corda illorum, in sartaginibus et cacabis et lebetibus et in ollis paraverant carnes ad obsonium; sed miseris quæ paraverant, non licuit coquere nec tollere. Ibi potuit videri venerandus sacerdos Podiensis episcopus, lorica vestitus et casside, et lancea sancta in manibus, qui præ nimio gaudio rorabat uberrimis ora fletibus. Hic illos hortabatur, ut Deo gratias agerent per quem victores exstiterant, dicebatque eis : « Ex quo milites esse cœperunt, nulli vobis compares fuerunt, quia nulli in tam brevi tempore tot tantaque bella bellati sunt, quanta et vos peregistis, ex quo mare Constantinopolitanum transiistis. Multum quippe est a fide Christiana alienus, qui videt quæ vos hodie vidistis, et in Dei dilectione non est continuus. » Hæc et his similia venerandus pontifex dicebat, et verbis talibus populum sibi commissum instruebat, et jocos, et risus eorum temperabat. Contemplatio enim vultus illius præsentiæ ita omnes reverberabat, quod nemo eo præsente verba vana proferre præsumebat.

CAPUT IV.

Peracta nocte illa, in crastinum quindecim millia camelorum sunt inventa; equos vero et mulos, et asinos, oves, et boves, et omnis generis pecora quis dinumeraret? Inventa sunt vasa aurea, et argentea multa, plurima pallia, et spolia magna, magni pretii diversæque varietatis. Cum his omnibus ad civitatem triumphantes venerunt : et ab his qui remanserant clericis et presbyteris et monachis, cum solemni processione suscepti sunt. Admiraldus vero qui in castello erat, ut vidit principem suum, et eos qui cum illo erant a campo fuga diverti, viditque innumera albatorum equitum millia, cum candidis vexillis per plana discurrentia, admodum expavit, unumque de vexillis nostris ob tutelam dari sibi poposcit. Comes Sancti Ægidii qui illic ad custodiam civitatis remanserat, suum illi vexillum porrexit, et gratanter accepit, acceptumque muro castelli affixit. Sed ut cognovit a quibusdam Langobardis, qui astabant ibi, quod Boamundi non esset, cui tota civitas concessa erat, signum suum reddidit comiti, et signum quæsivit Boamundi; et Boamundus misit ei. Quod, cum reciperet, Boamundo mandavit ut ad se veniret. Ille vicino pede legationi ambulavit, et quid dicere vellet auscultavit. Gentilis fidei pactum requirit, ut qui cum eo erant, et discedere vellent, nullius injuriæ læsionem paterentur, et usque in terram Sarracenorum conducerentur; qui vero secum Christianus fieri vellet, faciendi licentiam haberet. Boamundus immenso gaudio repletus dixit : « Amice, quod exposcis libenter concedimus tibi; sed præstolare modicum, quia istud principibus nostris renuntiabo, et celeriter revertar ad te. » Et mox festinanter cucurrit, et aggregatis in unum principibus verba gentilis enarravit. Placuit omnibus, omnipotenti Deo gratias agentibus. Boamundus ad jam domesticum regreditur gentilem, et requisitæ ab eo conventionis confirmat sponsionem. Ille vero reddidit se episcopo Podiensi, et sanctæ Christianitati, cum trecentis suis militibus valde speciosis et juvenibus; fuitque inter Christianos tunc majus gaudium de eorum Christianitate quam de castelli traditione. Boamundus castellum recepit, et eos qui Christiani fieri noluerunt, in terram Sarracenorum conduxit. Triduano peracto jejunio, baptizati sunt gentiles cum lætitia magna, et crevit ibi laus Dei, et gloria Christiana. Ipsi referre postea soliti erant quod, cum de castelli arce bellum aspicerent, innumera subito candidatorum militum millia se vidisse, quorum intuitus ipsos vehementer terruit. Nec mirum fuit, quia omne castellum funditus intremuit. Cumque viderent eos agminibus Christianorum consociari, suosque in excidium fugamque verti, protinus intellexerunt cœlestia numina esse, Chri-

stianorumque Deum superari non posse. Inde compuncta fuerunt corda illorum, seque Christianos fieri spoponderunt. Actum est siquidem bellum hoc, quarto Kalendas Julii, vigilia scilicet apostolorum Petri et Pauli. Sicque, divina respiciente misericordia, procella Antiochenæ tribulationis, quæ fere per decem menses intumuerat, sedata fuit, et regia civitas quæ longo tractu temporum jugo diabolicæ captivitatis subjecta fuerat, amissam pristinæ libertatis gratiam recuperavit. Hostes qui eam incaptivaverant, fiunt et ipsi captivi; et in latebris silvarum, cavernisque petrarum, et fossis montium sunt dispersi. Armenii quoque et Surani habitatores terræ illius, per dies plurimos scrutati sunt illos, et inveniebant alios semineces, alios vulneratos, alios parte capitis carentes, alios ventri suo, ne omnino vitalia exirent, manus suas apponentes, et detractis eorum spoliis interficiebant. Itaque inimici Dei depopulati sunt, et Christiani, servi Dei excelsi in gloriosa urbe cum gaudio et lætitia aggregati sunt. Cumque quadam die convenirent, consiliaverunt ut ad Constantinopolitanum imperatorem legatos mitterent; suamque civitatem ut recipere veniret, denuntiaverunt. Et, proh dolor! judicaverunt omnes, ut quia regi mittebant, regalis nuntius debebat ire; et electus est Hugo Magnus, vere regalis et genere et moribus. Quem nullatenus elegissent, si non reversurum sciissent. Hic cum regi legationem suam complesset, morte interceptus occubuit, et quo regredi disposuerat, ad extremum non potuit. Constantinopolitanus autem imperator vulpinus pro receptu tantæ urbis non præsumpsit venire, quoniam recognoscebat se fidem, et sacramenti jura, et data pignora Francis violasse, et nequaquam custodisse. Sicque omnes conventiones deletæ fuerunt, quæ inter eos factæ sunt. Interea in urbe residentes, tractare cœperunt de via Dominici sepulcri : quid agerent, an mox inciperent, aut quando tempus terminarent. Ad hoc siquidem communis assensus adducitur, ut usque ad Kalendas Octobris reinceptum viæ protelatur. Æstatis siquidem ardor nimis incanduerat; et terra Sarracenorum quam ingressuri erant, inaquosa et nimis erat arida. Propterea tempus exspectaverunt quod tunc humidum fit, et quo tellus absconditos latices erumpit. Definiendum simili modo erat, quid tantus populus interim ageret; et ubi, et quomodo viveret. Accepto inde consilio, præco quæritur inde, qui dicat, quid inde definitur. Præco quæsitus et inventus, ascendit et præconatus est, ut qui omnino egens erat, in urbe remaneret, cumque illis qui ditiores erant conventionem faceret ac serviret. Principes autem divisi sunt per castella sua et civitates.

CAPUT V.

Erat autem quidam miles de exercitu comitis Santi Ægidii, nomine Raimundus, cognomine Piletus, animo virilis, et corpore spectabilis. Hic perfecto odio Turcis inimicabatur, nec diutius tolerare potuit ut longo tempore feriarentur. Hic plurimam alligavit sibi militum peditumque multitudinem, et in terram Sarracenorum transduxit eam; transiitque duarum civitatum terminos, et pervenerunt ad quoddam castrum, quod Talamania vocabatur, cui gens Suriana principabatur. Suriani nostros receperunt, seque eorum libentissime dominio tradiderunt. Octo ibi diebus transactis, perrexerunt ad aliud castrum in quo latitabat multitudo magna Sarracenorum. Ad quod pervenientes, militari impetu invaserunt, et in remissa manu tota die pugnantes, vesperascente die expugnaverunt. Quo ita capto omnes occiderunt, præter eos qui Christianitatem receperunt. Hac itaque depopulatione facta, reversi sunt ad castrum, quod Talamania diximus nuncupatum. In quo duobus perendinatis diebus, die tertia omnes exierunt, et ad urbem quæ Marra dicitur perrexerunt. Erat autem ibi aggregata non minima multitudo Turcorum et Sarracenorum, ab Aleph aliisque civitatibus et castellis, quæ in circuitu ejus sunt, illorum præstolantes occursum. Ad quam cum appropriare cœperunt, illi barbari contra eos exierunt; sed conflictum diu cum nostris tenere noluerunt, quia in fugam versi intra urbem se receperunt. Nostri vero diu ibi residere non potuerunt, quia æstivum cauma eos vehementer urgebat, nihilque inveniri poterat ad bibendum. Jamque diei inclinante umbra, reversi sunt ad castrum suum Talamania. Plurimi quidem Christiani patriæ illius incolæ cum nostris ierant, sed cum nostris redire contempserunt. Quos Turci in insidiis occultati ceperunt et occiderunt : stultitia siquidem sua perierunt, quia si cum nostris reverterentur, nemo tunc morereiur, sed sicut in communi verbo dicitur : « Nihil timet gens stolida, donec eam opprimit infelix fortuna. » Raimundus vero ad illam ultra non rediit civitatem, quia non habebat exercitum quo obsideret eam, sed in castro suo usque ad præfinitum tempus Kalendarum Octobrium remansit, semperque interim terram Sarracenorum captivavit. Illi autem qui in Antiochia remanserunt, cum magna tranquillitate et gaudio fuerunt, quousque dominum suum Podiensem episcopum amiserunt. Hic cum summa pax esset exercitui Dei, mense Julio cœpit infirmari, sed non diu ægrotavit, quia Dominus non est passus illum longa ægritudine cruciari. Kalendis Augusti sancta ejus anima, vinculis carnis soluta, translata est in paradisum Dei, in gloriosa festivitate scilicet sancti Petri, quæ dicitur *Ad vincula*. Et ut censura divini judicii id actum esse claresceret, in die quo principis apostolorum vincula a Hierosolymis Romam sunt allata, soluta est a corporeis nexibus pontificis anima. Nec unquam pro ulla tribulatione tantus fuit in illa Dei militia mœror, tantaque tristitia, quanta in morte illius. Hunc omnes debito jure lacrymabantur, quia consilium erat divitum, consolator mœrentium, sustentator debilium, thesaurus indigentium, reconciliator discordantium. Hic militibus dicere solitus erat : « Si vultis esse triumphatores et amici Dei,

munditiam corporum custodite, et pauperum misereamini. Nulla enim res ita a morte vos liberabit, sicut eleemosyna, quia et melius protegit quam parma, et acutior est in hostem quam lancea. Qui non est idoneus pro se orare, det eleemosynam, et orabit pro se. » Pro his operibus et hujusmodi sermonibus charus erat Deo et omni populo. Si quis autem vellet omnium virtutum ejus charismata enumerare, videretur jam ab historia elongare. Hoc itaque decenter in ecclesia Beati Petri tumulato, comes Sancti Ægidii in terram Sarracenorum transiit, urbemque, quam Albariam vocant, adiit. Quam undique forti milite circumcingens invadit, diuque missilibus et sagittis cum his qui erant in mœnibus decertavit. Sed ut vidit ita se proficere parum, erectis ad murum scalis, loricati milites ascenderunt, et in fugam hostes ire compulerunt.

Miles ut ascendit murum, fit celsior illis,
Hostis et ille fuit viribus inferior,
Muro descendunt super abdita tecta domorum,
De domibus vero saliunt per plana viarum.
Huc illucque senes fugiunt, pueri juvenesque
Sed prorsus nulli profuit ulla fuga.

Præcepit enim comes, ut omnes caperentur, et qui in Christum credere nollent, decollarentur. Illic visi sunt plurimi capite plecti, plurimisque pueris cum puellis subtracta est vita longi temporis. Judicium enim Domini fuit hoc, quia Christianorum fuerat civitas illa, eisque simili mortis ludibrio ablata erat. Nullus ex tanta multitudine reservatus est, nisi qui sponte Christo confidens baptizatus est. Sicque mundata est civitas illa, et ad cultum nostræ fidei revocata. Tunc comes cum suis optimatibus habuit consilium, ut in ea ordinaretur episcopus, cujus consilio et auxilio civitas regeretur, et fides Jesu Christi in cordibus noviter baptizatorum solidaretur. Electus est igitur vir sapiens et personatus, litterarumque eruditione pollens, et utraque scientia præditus, et ad ordinandum Antiochiam est missus.

EXPLICIT LIBER SEPTIMUS.

INCIPIT LIBER OCTAVUS.

CAPUT PRIMUM.

Æstivum tempus solis ardore represso, cum jam transiret, noxque diem horarum numerositate transcenderet, milites Christi quaqua versum æstivarant ad Antiochiam remearunt, et Kalendis Novembris, die festo solemnitatis Omnium Sanctorum ibi convenerunt. Et benedicta gloria Regis æterni, quia tunc numerosior fuit turba redeuntium quam fuerat, cum se ab invicem diviserunt. Ex cunctis enim mundi partibus secuti erant multi egregii milites et pedites priorum vestigia, quotidieque crescebat Christiana militia. Cumque in unum ita residerent, et de via sancti sepulcri quo dirigerent iter, disponerent, Boamundus pactionem urbis requirit, quam sibi spoponderant. Comes Sancti Ægidii dicebat id non posse fieri propter sacramenta quæ per Boamundum fecerant imperatori Constantinopolitano. Inde per dies plurimos factus est in ecclesia Sancti Petri conventus, magnusque verborum ex utraque parte conflictus. Cumque in communi conventu fieri, nequiret ulla diffinitio quæ paci conveniret, episcopi et abbates, et consilii sanioris duces et comites, locum in quo est cathedra Sancti Petri intraverunt, et illic intra se diviserunt, qualiter et Boamundo servarent promissa, et imperatori facta sacramenta. Cum vero a loco consilii exierunt, consilium tamen omnibus patefacere noluerunt. Itaque domestico affatu revelatum est consilium comiti Sancti Ægidii, et ipse laudavit dispositum, ita tamen ut Boamundus pergeret cum eis iter inceptum. Boamundus requisitus, idem laudavit, et uterque in manibus episcoporum, fidei astipulatione, promisit, quod ab ipsis via sancti sepulcri nunquam desereretur, neque propter dissidium ullum quod inter se habuerint conturbaretur. Tunc Boamundus munivit castellum quod supereminet civitati, et comes palatium Cassiani, et turrim quæ supra portam urbis est, a parte portus Sancti Simeonis. Quia vero nos longo narrationis tractu Antiochiæ detinuit, nostrosque peregrinos milites per octo menses sua obsidione fatigavit, nec ulla vi humana vel arte, vel ingenio superari potuit ; de ejus situ et magnitudine aliquid dicamus, eisque qui eam nunquam viderunt aliquid inde aperiamus.

CAPUT II.

Urbem hanc, ut ejus historia testatur, sexaginta quinque reges constituerunt, qui omnes ejus principatui famulatum subjectionis exhibuerunt. Circumdatur autem muris duobus. Prior est ex magnis lapidibus in quadrum sectis, et subtili artificio politis, et in eo ordinatæ et distinctæ sunt in suis locis quadringentæ turres et sexaginta. Hic se intuentibus venustate suæ compositionis arridet, et spatiosus est latitudine nimis ampla. Continentur intra septa murorum quatuor montes magni et in altum eminentes. In altiore eorum constructum est castellum, quod ita naturali positione munitur, quod nec bellicosum timet impetum, nec cujuslibet machinationis ingenium. Trecentas et sexaginta Ecclesias obtinet in sui confinii territorio, et patriarcha habet centum et quinquaginta et tres episcopos sub principatu suo. Ab oriente quatuor magnis montibus præmunitur, ab occidente vero quodam flumine alluitur, cujus nomen Farfar dicitur. Hanc Antiochus rex cum suis, ut supra diximus, sexaginta quinque regibus constituit, nomenque ei de suo nomine indidit. Hanc itaque urbem regiam tamque famosissimam obsederunt nostri peregrini mi-

ktes, per octo menses et diem unum, et tribus hebdomadibus intus fuerunt inclusi a gente Parthorum; qua divino superata subsidio, postea quieverunt in ea quatuor menses et dies octo. Quibus explicitis, Raimundus comes Sancti Ægidii primus cum gente sua de Antiochia exiit, et ad urbem quæ Rugia dicitur pervenit, Alia die ad alteram venit civitatem, quam nominant Albariam. Has duas civitates compendiosa sua militia suo subjugaverat imperio, Christique mancipaverat servitio. Quarto die, exeunte Novembre, venit ad urbem quæ Marra nuncupatur; quam Raimundus Piletus miles ejus primus invaserat, sed recessit fortiter inde repulsus. Erat autem civitas illa populosa, et ab omni gente quæ in circuitu erat nimis constipata. Quæ gens adversa, ut nostros eminus conspexit, quia ad comparationem sui pauci esse videbantur, despexit, eisque extra civitatem resistere conata est. Sed protinus agnoverunt quod gens compendiosa et fortis præfertur temulentæ multitudini; et præcipue gens illa cujus spes est et fiducia in nomine Domini. Nostri enim ut viderunt illos ad resistendum paratos, clypeis pectoribus oppositis, lanceamumque mucronibus præpositis, militari impetu in illos irrumpunt, sicque per medium subeuntes disrumpunt. Ibi confregit Dominus potentias arcuum, scutum et gladium et bellum, quia postquam gladiis agitur pugna, inutilis et arcus et sagitta. Qui portæ civitatis propinquior fuit, beatiorem se esse existimavit; qui vero longe aberat, toto affectu peroptabat ut aut portæ vicinior fieret, aut ad se porta veniret. Multum quippe illis profuit, quia prope januam civitatis illa congressio facta fuit. Tamen non omnes qui incolumes fuerant egressi, salutari recessu sunt regressi. Illi potissimum malos regressus habuerunt, quos nostri primo impetu invenerunt. De nostris equis plurimos sagittaverunt, sed de suis sessoribus ad terram devolutis, multo plures reliquerunt. Ipsis itaque intra urbem receptis, nostri ad jactum sagittæ unius tentoria ponunt. Excubata igitur nocte tota, cum in crastinum diurnæ luci solis se jubar immiscuit, nostri armis instructi urbem undique vallaverunt, acerrimoque congressu invaserunt.

Tela, sudes, lapidesque volant, ignesque facesque,
Ex quibus arderent introrsus tecta domorum.

Sed obsistente hostium immensa multitudine, illa die nostri nihil prævaluerunt, sed lassi ad tentoria remearunt. Ipsa die Boamundus cum gente sua multisque aliis comitem secutus illuc pervenerunt, et castra metantes undique urbem vallaverunt. Quod videntes qui introrsus erant, nimio terrore percelluntur, omnesque portæ civitatis objectu lapidum ab eis obstruuntur. Acceperunt igitur comites in invicem consilium, quoniam ex æquo non fiebat prælium. Præcipiuntur fieri arietes, ferratæ scilicet trabes, quæ manibus militum funibus appensæ et tractæ in murum impellerentur, et sic crebris earum percussionibus muri destruerentur. Facta est et lignea turris, lapideis turribus satis altior, et machinis omnibus quæ introrsus erant eminentior. Habebat autem tria solatia quæ erant bene scutis et trochleis præmunita. In duobus superioribus erant loricati cum telis et sudibus et sagittis, et lapidibus, pilis, et facibus; subtus erant nihilominus armati qui rotas impingebant, super quas ipsam turrim constituerant. Alii quidem factam testitudinem muro applicuerunt, et fossatum quod erat ingens adæquarunt, ut turrim muro possent sociare, et ipsius munimine protecti, ipsum murum valerent perforare, quod ita factum est. Sed miseri cives contra fecerant quoddam instrumentum, quo grandes lapides adversum turrim jaciebant, et etiam ignem Græcum, quo eam arderent, emittebant. Sed Dei gratia protegente, omnis conatus eorum omnesque machinationes frustratæ sunt, et ad nihilum redactæ. Nam turris lignea ubi muro proxima fuit, omnes qui in illa parte muri erant, ut sub se despiciens prostravit.

Guillelmus de Monte Pislerio, [alias Pessulano] ipse fuit cum multis aliis in superiori solario. Erat autem cum eo venator quidam, nomine Ewardus, qui spiritu buccinandi erat præditus. Nam sono tumultuosæ vocis et adversarios exterrebat, et suos ad bella incitabat. Et dum Guillelmus cum suis quæ circa se sunt devastat; nam missis molaribus saxis, ipsa domorum tecta confringebat; qui sub eo erant, murum fodiebant, et alii ad muri propugnacula scalam erigebant, quam erectam, cum nullus auderet ascendere prior, non pertulit quidam Gulferius de la Turre miles honestus, sed incunctanter ascendit murum, pluresque viri fortes secuti sunt eum. Gentiles vero, ut viderunt eos super murum ascendentes, ira vehementi commoti sunt, et undique in illos consurgunt, tantumque eos jaculis et sagittis coarctaverunt, ut quidam nostrorum qui murum ascenderant, seipsos ad terram dejecerint, qui mortem, quam evadere putabant, collisi ad terram invenerunt. Quod cum vidisset clara juventus nostrorum, Gulferium scilicet cum paucis pugnare super propugnacula murorum, immemores sui, sed memores sociorum, confestim ascendunt, partemque muri sua multitudine cooperiunt. Stabant autem juxta ligneam turrim sacerdotes et levitæ, ministri Domini, invocantes propugnatorem gentis Christianæ Jesum Christum Filium Dei, et dicebant : « Domine, miserere nostri. Esto brachium nostrum in mane, et salus nostræ in tempore tribulationis. *Effunde iram tuam in gentes quæ te non noverunt, et in regna quæ nomen tuum non invocaverunt* (*Psal.* LXXVIII, 6). *Disperge illos in virtute tua, et depone eos, protector noster Domine* (*Psal.* LVIII, 12). » Dum sic ageretur, quod alii pugnabant, alii plorabant et psallebant, alii muros suffodiebant, Gulferius graviori pugna desudabat, quia omnes adversarii in eum et in ejus consortes, et ipse cum suis contra omnes. Clypeus ejus erat omnibus suis protectio fortis, his videlicet qui erant in muro. Muri brevis et arcta latitudo, socium sibi conjungi non admittebat, nec adversarium, nisi unum, venire permittebat : sed de Gulfe-

rio nullus hostium triumphavit, cum tamen ipse de compluribus triumphaverit. Propterea nemo illi jam occursare præsumebat, quia infortunium quod aliis ense illius contigerat, unusquisque sibi metuebat. Tela, sagittas, sudes, lapides, illi jaciebant, tantumque clypeum ejus ex his oneraverant, ut ab uno homine levari non potuerit. Jamque fortissimus vir fatigatus erat, jamque sudores toto de corpore in terram defluebant, jamque ut ei alter succederet grandis necessitas exigebat, cum illi qui murum suffoderant, cum magno impetu intraverunt, detruncantes universos quos primitus invenerunt. Qua inopinatæ rei admiratione stupefacti sunt omnes qui erant super muros, et

Concito vitalis calor ossa reliquit eorum,
Frigidus atque pavor possedit corda reorum.

Quid faceret gens data neci, sensuque aliena, quam sui undique hostes urgebant et intra et in muro? Gulferius enim qui paulo ante fatigatus deficiebat, novas interim resumpserat vires, et jam non clypeo protectus aut galea, sed ensem rubeum tenens in dextera, fugientem celer insequitur hostem; pluresque mortificavit formidine quam gladio, qui seipsos præcipitaverunt de muro. Erat autem super portam una turris quæ præstantissima et fortior cæteris videbatur, in eam mandavit Boamundus ditioribus civibus per interpretem, ut fugerent, quoniam eos a morte liberaret, si se ab ipso redimerent. Quod et illi fecerunt, seque fidei illius crediderunt. Cessavit igitur tunc illa persecutio, quia ultra protendi abnuebat vesperi obtenebratio. Sabbatum vero cum esset, nec victoribus nec victis poterat esse requies. Misit comes circa urbem excubitores, et intus et extra, ne ullus fugeret, et spolia urbis secum auferret.

In crastinum ut dies lucescere cœpit, nostri ad arma currunt, et per vicos et plateas, tectaque domorum, ceu leæna raptis catulis, sæviendo discurrunt :

Dilaniant, traduntque neci pueros juvenesque,
Quosque gravat longæva dies, curvatque senectus.

Nulli parcebant, sed plures, ut citius finirentur, laqueis suspendebant. Mira res, mirumque spectaculum, quod tantæ gentis multitudo et armata, sic impune occidebatur quod nullus eorum reluctabatur. Quia vero nostrorum erat quidquid quisque reperiebat, ipsa mortuorum exta eviscerabant, et bysanceos et nummos aureos inde eruebant. O detestanda auri cupiditas! Omnes viæ urbis rivis sanguinum inficiebantur, et cadaveribus cadentium sternebantur. Et o gens cæca, et omnino morti destinata! Nullus ex tanta multitudine fuit, qui nomini Jesu Christi voluerit confiteri. Boamundus denique illos quos in turris palatio jusserat includi, ad se venire jussit, annosæque ætatis mulieres et decrepitos senes, et invalido corpore imbecilles, præcepit interfici; puberes et majusculæ ætatis adultos, validoque corpore viros reservari, et ut omnes venderentur, conduci Antiochiam. Facta est autem maceratio hæc Turcorum duodecimo die Decembris, in die Dominica, nec tota tamen fieri potuit die illa. In crastinum autem quicunque in quibuscunque locis inveniebantur, eidem pœnæ capitis subjiciebantur. Nullus erat locus in urbe tota, nullaque fovea quæ eorum cadaveribus seu cruoribus non esset inquinata.

CAPUT III.

Urbe igitur sic acquisita, et a rebellibus Turcis liberata, Boamundus pacem comitis requisivit, ut scilicet Antiochiam absolutam sibi redderet, et in pace eam sibi habere permitteret. Comes vero contra dicebat id nullatenus sine perjurio posse fieri, propter sacramentum, quod ipso etiam mediante factum fuerat imperatori Alexio. Boamundus itaque reversus est Antiochiam, suamque ibi dimisit societatem. Dietavit autem in illa civitate exercitus Francorum per mensem unum et dies quatuor; et in hac mora temporis obiit morte pretiosa episcopus Oriensis. Longo quidem tempore, nimiumque prolixo hiemaverunt ibi, quia nihil quod ederent, quod raperent, poterat inveniri. Sicque famis injuria compellente, contigit, quod etiam dictu horribile est, quod corpora gentilium in frusta scindebant et comedebant. Hac igitur incommoditate permotus comes Sancti Ægidii mandavit cunctis principibus, qui erant Antiochiæ, ut ad Rugiam civitatem convenirent, et de via sancti sepulcri ibi inter se disponerent. Illi quidem illuc convenerunt, sed de quo et pro quo venerant minime locuti sunt, sed de pace et concordia inter comitem et Boamundum colloquium habuerunt. Quibus minime conciliatis, omnes principes Antiochiam reversi sunt, et comitem et viam dimiserunt. Remanserunt autem cum comite non solum sui, sed et multa juventus, cui inerat ardor viam perficiendi. Ipse igitur plus in Domino confidens, quam in principibus, ad Marram, ubi eum peregrini præstolabantur est reversus, fuitque dolor magnus in omni exercitu Christianorum de dissensione principum. Omnes quidem noverant quod pura justitia cum Raimundo erat, nec ullus amor aut ambitio eum ad indebitum declinare poterat. Qui tamen ut vidit quod propter eum impediretur via sancti sepulcri, admodum indoluit, et discalceatis pedibus a Marra usque Capharda pervenit.

Ibi quatuor diebus perendinatis, cum principes iterum convenirent, et de eadem re verborum conflictus haberetur, dixit comes Raimundus : « Viri fratres et domini, qui vestris omnibus et vobismetipsis abnegastis propter amorem Dei, ostendite mihi an sine perjurio possum cum Boamundo, si requirit, pacificari; aut si aliter fieri non potest, an pro amore ejus debeam perjurare. » Cumque hujus sermonis judex nullus esse præsumeret, et omnes concordiam laudarent, et quomodo fieri deberet non dicerent, ab invicem discesserunt, et Antiochiam redierunt. Sed Northmannus comes cum suis omnibus remansit cum Raimundo, sciens et intelligens, quia justitia erat cum eo. Igitur hi duo comites agmina sua disponunt, et ad Cæsaream tendunt. Rex enim Cæsareæ sæpius significaverat comiti Marræ et Ca-

phardæ, quod cum eo pacem vellet habere, eique de suo gratanter servire. Hac fiducia illuc perrexerunt, et prope civitatem castra posuerunt. Rex autem ut vidit agmina Francorum juxta se posita, vehementer obstupuit, et indoluit, et ne illis ullum mercatum præsentaretur, prohibuit. In crastinum misit comites duos de suis, qui eis vada fluminis ostenderent, et ubi prædam capere possent conducerent. Erat autem nomen fluminis Farfar. Conduxeruntque illos in vallem satis idoneam, bonisque omnibus locupletem. Huic præerat quoddam munitissimum castrum sub quo invenerunt viginti millia animalium, in valle fertili pascentium, quæ omnia nostri rapuerunt. Et castellum obsidere vellent, illico castellani se reddiderunt, pactumque hujuscemodi tenendi in perpetuum fœderis, cum comitibus habuerunt. In fide sua promiserunt, et super legem suam juraverunt quod nunquam amplius nocerent Christianis peregrinantibus, eisque sicut et hominibus suæ gentis præberent mercatum et hospitium. Manserunt autem ibi per dies quinque. Sexto vero die oneratis camelis et jumentis, frumento, farina, et oleo, et caseis, rebusque aliis ad edendum idoneis, gaudentes exierunt, et ad castellum quoddam Arabum pervenerunt. Dominus autem castelli sapienti usus consilio, obviam venit comiti Raimundo, et pacificatus est cum illo.

Inde venerunt ad quamdam civitatem, in quadam valle speciosa et spatiosa constitutam, muris et turribus bene munitam, et omni genere fructuum abundantissime refertam, quam incolæ appellant Caphaliam. Hujus urbis habitatores audito rumore Francorum perterriti, proprias sedes deseruerant, et ad alienas confugerant. Quippe infelicitas quæ contigerat Antiochiæ et Marræ, omnes perterruerat, et fugæ domesticos effecerat. Cumque nostri tentoria circa eam vellent ponere, et in gyrum obsidere, mirati sunt quod de tanta civitate non aliquis obviam veniebat, nec in excelsis turribus aut mœnium propugnaculis apparebat; altumque silentium intus habebatur, nec ullius vocis sonus audiebatur. Tunc miserunt exploratores qui rem diligenter inquirerent, et inquisitam renuntiarent. Illi autem profecti, cum portæ propius accessissent, januam quidem apertam invenerunt, sed intus neminem esse viderunt. Tunc scuta vultibus præponentes, cum aliqua adhuc cunctatione portas subeunt; sed nec viros nec mulieres, nec aliquam bestiam intus invenerunt. Pulchros quidem apparatus ibi inveniunt, horrea scilicet frumento plena, torcularia vino redundantia, arcas plenas nucibus, caseis et farina. Tunc cito ad comites redeunt, et quod invenerunt referunt. Non fuit ibi opus tentoria figere, quoniam Deus faciebat illos in labores illorum sine ferro vel pugna introire. Ibi actum est quod dicitur in proverbiis Salomonis : *Conservatur justo substantia peccatoris* (*Prov.* XIII, 22). Ibi invenerunt hortos plenos oleribus et fabis, aliisque leguminibus jam ad præcocitatem maturantibus. Ibi quietaverunt tribus diebus, et custodibus deputatis qui urbem custodirent, quædam ardua montana conscenderunt, et in vallem descenderunt. Erat autem illa vallis gratuita, et omnium frugum fructuumque ubertate plenissima; manseruntque ibi per dies quindecim. Prope vallem erat castellum, Sarracenorum multitudine plenum. Quod cum die quadam nostri aggrederentur, Sarraceni de muro projecerunt eis multas pecudes, plurimaque animalia, putantes quod nostri nil aliud quærerent nisi victum : quæ nostri gratanter receperunt, et ad tentoria conduxerunt. In die altera collegerunt papiliones et tentoria, et illuc castra direxerunt; sed cum illuc pervenerunt, ab omni gente vacuum invenerunt : illa enim nocte omnes fugerunt, sed magnam copiam frugum et fructuum, lactis et mellis dimiserunt. Ibi celebraverunt nostri Purificationem sanctæ Mariæ Dei genitricis, glorificantes Deum qui tanta bona ministrabant eis.

CAPUT IV.

Rex de Camela civitate misit (58) comitibus nuntios suos, dum ibi erant, rogans ea quæ pacis sunt, præmittens dona concupiscibilia, et equos et aurum. Misit arcum aureum, vestes pretiosas, et micantia tela; quæ omnia nostri receperunt, sed nil certi tunc illis renuntiaverunt. Rex Tripolis eodem terrore permotus, misit equos decem et mulas quatuor; similiter rogans ea quæ pacis sunt. Sed dona quidem receperunt, illique quod nunquam pacem cum illo haberent, nisi Christianus efficeretur, remandaverunt. Comes enim S. Ægidii multum desiderabat terram illius, quia optima erat, et regnum ejus, quoniam præ cæteris erat honorabilius. Itaque quatuordecim diebus explicitis, quinto decimo exierunt de optima valle, et abierunt ad quoddam antiquissimum castrum, cui nomen erat Archas; quod licet haberet nomen castri, tamen egregiis urbibus poterat æquiparari, et loci positione, et clausura murorum, et eminentia turrium. In hoc propter fortitudinem gens magna confluxerat, quia nec arma, nec hostem, nec aliquod ingenium metuebat. Hoc tamen nostri, celeri obsidione vallantes, cum festinatione aggressi sunt; sed eorum impetum castellani viriliter sustinuerunt. Sæpius illos invaserunt omni genere telorum et tormentorum; ea non prævaluerunt, sed magis quam lucrarentur perdiderunt. Tunc quatuordecim de nostris militibus otio vacare nescientes, erga Tripolim perrexerunt, et sexaginta Turcos invenerunt, qui multos captivos, et plus quam mille et quinquaginta animalia rapuerant, et ante se ducebant. Quos ut nostri viderunt, licet perpauci essent, in cœlum manus protendentes, regemque Sabaoth invocantes, militariter invaserunt; et Domino exercituum adjuvante, superaverunt, et sex de illis occiderunt, et eorum equos retinuerunt, et ovantes ad castra cum immensa præda remeaverunt. Ingens

NOTULÆ MARGINALES MS. COD.

(58) Rex de Cameia mittit splendentia tela.

gaudium fuit in omni exercitu de paucorum magna victoria, et multa rapina. Cumque hæc viderent alii, exierunt plures de exercitu Raimundi zelo probitatis accensi, quibus præfuerunt Raimundus Piletus, et Raimundus vicecomes de Tentoria, et vexillis in altum protensis, equitaverunt adversus civitatem quæ Tortosa dicitur. Ad quam pervenientes forti impetu aggrediuntur; sed illa die nihil fecerunt; nocteque superveniente in quemdam angulum secesserunt; feceruntque tota nocte immensos rogos ignium, ac si totus adesset retro commanens exercitus Christianorum. Quibus flammarum globis gens quæ erat in civitate perterrita, existimantes quod nostri omnes adessent, omnes subito confugerunt, civitatemque plenam bonis opibus reliquerunt. Est autem civitas illa omni necessitate prorsus aliena, ut in optimo portu pelagi constituta. In crastinum cum nostri ad eam expugnandam venerunt, omnino vacuam invenerunt. Summas igitur laudes Deo referentes, intraverunt eam, et quandiu apud Archas duravit obsidio, ibi remanserunt.

CAPUT V.

Est autem et alia civitas non longe ab ea quæ dicitur Maraclea, cujus princeps pacem cum eis iniit, ipsosque et eorum vexilla in urbem recepit. O mira Dei virtus, mirandaque potentia! Cum procul abessent principes, qui videbantur regere populum et sustentare, per pauciores et minores cœpit Dominus etiam ipsos reges superare, ne dicat humana præsumptio : « Nos Antiochiam aliasque urbes subegimus : nos tot ac tanta bella devicimus. » Quia pro certo nunquam superassent, nisi cum eis fuisset ille per quem reges regnant. Cum vero dux ducum et miles militum Godefridus audisset felices eventus, insignesque triumphos pugnantium, zelo victoriæ animatus tunc primum tam ipse quam Flandrensis comes (59) et Boamundus, castra ab Antiochia moverunt, et ad Liciam civitatem venerunt. Ibi quippe divisit se Boamundus ab eis et ab omni exercitu Dei, habuitque a patre suo qui fuit Francigena, optima principia; sed a matre, quæ Apuliensis exstitit, retinuit vestigia. Tunc dux et comes ad urbem, quæ Gibellum vocatur, acies suas direxerunt, eamque obsidione cinxerunt. Illa siquidem hora, venit nuntius ad comitem Sancti Ægidii quod Turci præparaverant se ad pugnam contra eum, essetque futurum bellum grave nimis et permaximum. Protinus comes misit nuntium duci et Flandrensi comiti, ut celerrime ad illud venirent prælium, sibique auxilium ferrent. Quod ubi dux audivit, principi civitatis pacem, quam sæpe jam quæsierat, mandavit. Pace igitur facta, pactæque promissionis muneribus receptis, ad speratum bellum convolarunt, et ad obsidionem, quæ erat ad supra dictum castrum, convenerunt, et in alteram fluminis ripam castra posuerunt. Sed cum dux videret quod nihil proficeret, contra Tripolim direxit acies, cunctosque ibi paratos reperit hostes. Tensis enim arcubus hostes se nostris opposuerunt, sed nostri præjectis clypeis arcus eorum et sagittas velut stipulas contempserunt. Pugna itaque committitur, sed non æqua lance, quoniam tractis sagittis illi, ut eorum consuetudo est, fugere voluerunt, sed nostri inter ipsos et civitatem obstaculum posuerunt. Et quid pluribus utar verbis? tantum ibi humani sanguinis fusum est quod aqua rubicunda facta est, quæ in civitatem fluebat, et eorum cisternas replebat. Nobiliores ipsius civitatis ibi occisi sunt, et qui vivi remanserunt, de contaminatione cisternarum multum ingemuerunt. Qua cæde peracta, nostri minime contenti, quia nihil ibi lucrati erant, nisi tela et indumentorum spolia, in supra dictam vallem Desen cucurrerunt, et absque numero oves, boves, asinos, diversique generis pecudes deprædati sunt, et tria millia camelorum simul rapuerunt. Tanta copia bestiarum unde convenerat, nostri vehementer mirati sunt, quia in eadem valle quindecim diebus hospitati fuerunt.

Illi cum tanta redeunt ad castra rapina.

Nulla unquam inopia fuit in obsidione illa, quia naves ad quemdam portum veniebant, quæ omnia necessaria afferebant. Dominicum Paschæ celebraverunt ibi, quod fuit tunc quarto Idus Aprilis. Duravit autem illa obsessio tribus mensibus, una die minus. Fuit autem ibi mortuus Ansellus de Ribodimonte, vir per multa laudabilis, et in suo militari ordine præcipuus, qui dum in mundo fuit, multa digna relatu peregit, quibus illud præferendum est, quod Aquiscingensis cœnobii indefessus adjutor in omnibus exstitit. Similiter ibi mortuus est Pontius Balonensis [vel de Baladino], cujus tempora perforavit ictus lapidis, tormento jaculati. Willermus Picardus, et Guarinus de Petra Mora, primus jaculo, alter obiit sagitta. His vita functis, obsidionem illam nostri dimiserunt, quia illud inexpugnabile castrum nullam timebat violentiam impugnantium.

Detensis igitur tentoriis, ad Tripolim pergunt, et pacem a rege et civibus diu quæsitam stabiliunt. Datis igitur invicem dextris, fidei illorum in tantum se proceres commendaverunt ut usque ad palatium regis civitatem introierint. Rex autem ut fiducia pacis tenendæ ex sua parte certior crederetur, trecentos peregrinos ex nostris dissolvit a vinculis, et proceribus donavit. Dedit et quindecim millia Bysanceorum, et quindecim equos multa honestate præditos, misitque omni exercitui mercatum laudabile, quod omnino privavit illos ab omni necessitate. Pepigit etiam et juravit illis ut si Jerusalem sibi possent acquirere, et bellum quod eis admiraldus Babyloniæ inferre minabatur, superare, Christianus efficeretur, et regis Jerusalem ditioni subjiceretur. Fuerunt autem apud Tripolim per dies tres. Videntes autem proceres et viri bellatores, quod jam tempus novarum frugum instabat, concordati

NOTULÆ MARGINALES MS. COD.

(59) Dux Godefridus, ensis cujus bene fidus. Consul Flandrensis, cujus non fallitur ensis.

sunt, quod Herosolymitanum iter ex toto arripe- A rent, et omissis omnibus, rectiorem viam tenerent. Erat autem dies Maii quarta, cum de Tripoli exierunt, et per quædam ardua montana ascendentes ad castrum, cui nomen Betelon, pervenerunt. Altera die venerunt ad urbem quæ dicitur Zabaris, in cujus confinio nihil aquæ potuit inveniri, qua exstingueretur eorum nimia sitis. Æstus quippe erat, et equi et omnis hominum multitudo sitiebat. In crastinum venerunt ad flumen, cui nomen Braim. Ibi igitur pernoctaverunt, et sitim suam deposuerunt. Nox subsequens fuit Dominicæ Ascensionis; et ipsi ascenderunt montem, in quo erat via nimis angusta, in qua putaverunt occurrentes inventuros se hostes, sed Deus, quoniam dux eorum fuit solus, et non erat cum eis Deus alienus, fecit B eos inoffensos transire. Tunc venerunt ad urbem Baruth supra mare sitam; deinde ad aliam, quæ vocatur Sagitta; post hæc ad aliam quæ Sur dicitur; deinde ad Acram; de Acra ad castrum, cui nomen Caiphas; et sic ad Cæsaream. Est autem Cæsarea insignis civitas Palæstinæ, in qua Philippus apostolus dicitur domum habuisse, quæ usque hodie monstratur, nec non et cubiculum filiarum ejus prophetantium. Est autem in littore maris sita, olim Pirgos, id est turris Stratonis, appellata. Sed ab Herode rege nobilius et pulchrius et contra vim maris utilius exstructa, in honorem Cæsaris Augusti Cæsarea est cognominata, cui etiam in ea templum albo marmore construxit, in qua nefandos ejus Herodes est ab angelo percussus, Cornelius baptizatus, et Agabus propheta zona Pauli est ligatus. Juxta illam nostri sua tentoria fixerunt; et sanctam Domini Pentecosten celebraverunt. Deinde venerunt ad urbem Ramolam, quam Sarraceni propter metum eorum dimiserant vacuam, juxta quam erat illustris ecclesia Sancti Georgii martyris, in qua sanctissimum ejus corpus requiescit; quo in loco ipse pro Christi nomine martyrium suscepit. In ea milites Christiani pro veneratione militis Christi episcopum elegerunt, electum constituerunt, constitutum decimis omnium divitiarum suarum ditaverunt. Et dignum erat ut Georgius invictus miles, eorum militiæ signifer, istum ab eis honorem reciperet. Remansit itaque illic episcopus cum suis, dives auro et argento, equis et animalibus. Et ad civitatem statim Hierusalem direxit iter Christianus exercitus, in virtute nominis illius, qui in ea mortuus jacuit, et die tertia resurrexit, cui est cum Patre et sancto Spiritu æqua potestas et gloria interminabilis. Amen.

EXPLICIT LIBER OCTAVUS.

INCIPIT LIBER NONUS.

CAPUT PRIMUM.

O bone Jesu, ut castra tua viderunt, hujus terrenæ Jerusalem muros, quantos exitus aquarum oculi eorum deduxerunt. Et mox terræ procumbentia sonitu oris et nutu inclinati corporis sanctum sepulcrum tuum salutaverunt, et te qui in eo jacuisti, ut sedentem, in dextera Patris, ut venturum judicem omnium adoraverunt. Vere tunc ab omnibus cor lapideum abstulisti, et cor carneum contulisti, Spiritumque sanctum tuum in medio eorum posuisti. Itaque contra inimicos tuos qui erant in ea, jam scilicet longe positi pugnabant, quoniam ad auxilium suum ita te concitabant, et melius lacrymis, quam jacula intorquendo, pugnabant, quoniam licet in terram defluerent ubertim, in cœlum tamen ante te propugnatorem suum conscendebant, qui ab oratione surgentes, ad regalem civitatem properarunt; inimicos Regis æterni intus invenerunt, circa quos tali ordine castra sua posuerunt. A septentrione castrametati sunt duo comites, Northmannus et Flandrensis, juxta ecclesiam Sancti Stephani protomartyris, ubi lapidatus est a Judæis; ab occidente dux Godefridus et Tancredus; a meridie vero comes Sancti Ægidii, scilicet in monte Sion, circa ecclesiam Sanctæ Mariæ matris Domini, ubi Dominus cœnavit cum discipulis suis. Tentoriis igitur in circuitu Jerusalem ita dispositis, dum vexatione itineris fatigati, requiescerent, et machinas ad expugnandam urbem præ- C pararent; Raimundus Piletus, et Raimundus de Taurina, et alii quam plures de castris egressi sunt, ut finitimam regionem lustrarent, ne scilicet hostes improvisi super illos venirent, et imparatos invenirent. Invenerunt itaque trecentos Arabes, et pugnaverunt cum eis, et superaverunt eos, et plures occiderunt, et equos triginta inde habuerunt. Secunda igitur feria hebdomadæ secundæ, quarto Idus Junii, aggressi sunt Jerusalem Christiani, sed eodem die non prævaluerunt, nec tamen fuit labor inanis. Ita enim ante murale prostraverunt, ut ad majorem murum scalam unam erexerint, et si tunc scalarum copiam habuissent, labor ille primus ultimus fuisset. Nam illi qui per scalam ascenderunt, cum hostibus diu cominus jaculis et ensibus decertaverunt. D Multi de nostris in illo conflictu mortui sunt, sed multo plures ex eis. Hora vesperi bello incompetens diremit litem, et nox superveniens utrisque contulit quietem. Repulsa si quidem ista, gravem et nimis longum laborem intulit nostris, quia panes invenire non poterant ad edendum per intervallum decem dierum, quousque naves eorum onustæ ad portum Japhiæ venerunt. Et nimia sitis pressura illos attrivit, quia Siloe, quæ ad montis radicem Sion oritur, non poterat nisi vix solos homines adaquare. Equi vero et cætera animalia ad aquandum ducebantur per sex milliaria, et tunc cum magna militum custodia. Unde et chara erat aqua inter eos,

et charo vendebatur pretio. Consilio igitur inito, elegerunt milites qui ad naves irent, easque ab extranea gente custodirent. Itaque summo diluculo diei egressi sunt centum milites de exercitu comitis Sancti Ægidii, Raimundus scilicet Piletus, qui semper fuit omni labori militiæ domesticus, et prorsus otio peregrinus, et cum eo alter Raimundus de Taurina, et Achardus de Monte Merulo, Guillermus etiam Sabratensis. Et ibant, ut ad bellum parati, ad portum maris. Et dum irent, triginta ex eis diviserunt se ab aliis, ut semitas viarum discerent, et utrum venirent hostes explorarent. Cumque paululum itineris processissent, septingentos Turcos et Arabes eminus conspiciunt; quos, licet perpauci essent, incunctanter tamen invadunt. Sed numerositas inimicorum tanta fuit ut paucitas nostrorum resistere non potuerit. Nostri tamen quos in primo impetu offenderunt, neci perpetuæ destinaverunt. Sed cum facto illo congressu regyrare posse æstimaverunt, circumvallati multitudine, velle suum implere non potuerunt. Tunc ibi mortuus est Achardus vir bellator, fortis et egregius (59), et quidam ex peditibus.

Antequam vero bellum inciperet, nuntius equo celeri ad Piletum cucurrerat, qui Arabes et Turcos nostros invasisse nuntiarent. Quod ut Piletus audivit, absque mora equum calcaribus urget; sero tamen illuc pervenit. Jam enim Achardus mortuus erat, qui tamen antequam decederet vitam suam multo sanguine, et mortem morte plurimorum commutavit. Ut vero nostros illi eminus prospexerunt, ut fugere accipitrem penna trepidante columbæ assolent, sic illi fugiunt, et terga nostris dederunt. Nostri vero persecuti sunt illos, et multos occiderunt. Et unum ex eis vivum retinuerunt, qui Turcorum dolos eis referret, et quid machinarentur mali prænuntiaret, retinueruntque ab eis centum et tres equos, quos miserunt ad castra, et ipsi ad naves injuncta perficiunt mandata. Famem quippe naves cibis onustæ exstinxerunt, sed vehementem sitim exstinguere non potuerunt. Tanta quippe sitis erat in obsidione ut tellurem cavarent, et glebas humectiores ori apponerent, rorantiaque marmora lamberent. Coria boum et bubalorum, aliorumque animalium recentia suebant, et cum ad aquandos equos ire disponerent, usque ad sex millia milites armati pergebant. Tunc ea aqua implebant, et ad castra referebant, et ex illa olida aqua bibebant; plerique prout ferre poterant jejunabant, quia jejunio sitim temperabant. Et quis crederet quod fames proficeret? dolor dolorem expelleret? Dum hæc paterentur, proceres a longo terræ spatio ligneas trabes adduci faciebant, quibus turres et machinæ fierent, quæ civitatem expugnarent. Quibus adductis, dux ducum Godefridus suam turrim construxit, et ab orientali plaga adduci præcepit. Et contra venerandus comes Sancti Ægidii consimile castrum constituit, et a meridiana plaga applicuit. Quinta siquidem feria jejunia nostri celebraverunt et pauperibus eleemosynas distribuerunt. Sexta vero feria quæ erat Julii mensis dies duodecima, aurora sereno lumine coruscante, turres egregii bellatores ascendunt, et scalas mœnibus apponunt. Stupent et contremiscunt adulterini cives urbis eximiæ, cum se vident circumvallari tanta multitudine. Quia vero supremum diem sibi imminere videbant, et mortem super capita sua dependere, acriter cœperunt resistere, et sicut jam de morte non dubii, propugnare. Illic eminebat in sua turri dux Godefridus, non tunc miles, sed sagittarius, cujus manus ad prælium et digitos ad bellum Dominus dirigebat, quoniam sagittis jactis, inimicorum pectora, et utraque latera perforabat. Juxta quem fratres ejus Eustachius et Balduinus, velut duo juxta leonem leones, et duros ictus jaculorum et lapidum suscipiebant, et quadruplici fœnore compensabant. Et quis omnium probitates referre valeret, cum omnium qui nunc sunt philosophorum facundia tantis minime laudibus sufficeret? Et dum sic desuper mœnia pugnabatur, processio circa ipsa mœnia agebatur, et cruces ac reliquiæ et sacra altaria deferuntur.

Tota itaque die alternis ictibus decertatum est. Sed ut appropinquavit hora qua Salvator omnium mortem subiit, miles quidam, nomine Detoldus, de castro ducis primus insiluit, post quem Guicherius, qui leonem propria virtute prostravit et occidit. Statim dux milites suos sequitur, et omnes alii milites ducem suum. Tunc vero arcus et sagittæ dimittuntur, et fulminei enses arripiuntur. Quibus visis hostes illico murum deserunt, et ad terram dilabuntur, et milites Christi celeri gressu cum magnis vocibus persequuntur. Quas voces cum audiret comes Raimundus, qui castrum suum muro propius apponere gestiebat, protinus intellexit Francos esse in urbe, suisque militibus ait: « Quid hic stamus, et incassum laboramus? Francigenæ urbem obtinent; magnisque vocibus et ictibus personant. » Tunc celeri gressu cum suo comitatu pertexit ad portam quæ est secus turrim David, et vocavit eos qui in arce erant, ut aperirent. Protinus admiravisus qui turrim custodiebat, ut cognovit quis esset, januam ei aperuit, seque suosque et sua fidei ejus commendavit, ut se tueretur ne destrueretur. Sed comes dixit quod id nunquam faceret, nisi sibi turrim dimitteret. Qui ei assensum gratanter tribuit, et comes illi, ut petebat, omnem fiduciam spopondit. Dux vero Godefridus, non arcem, non aulam, non aurum, non argentum, non spolia, ambiebat, sed cum Francis suis, sanguinem servorum suorum, qui in circuitu Jerusalem effusus fuerat, ab eis vindicare satagebat, et irrisiones et contumelias quas

NOTULÆ MARGINALES MS COD.

(59) Si foret hic taraus, non sic moreretur Achardus.

peregrinis intulerant, ulcisci cupiebat. In nullo autem bello talem habuit occidendi facultatem, nec super spontem Antiochiæ, cum giganteum dimidiavit gentilem. Nunc vero absque ulla refragatione, tam ipse quam Guicherius, qui medium secuit leonem, multaque electorum militum millia, a capite usque ad renes secabant humana corpora, et dextra lævaque per utraque latera. Nullus ibi nostrorum iners fuit, meticulosus nullus, ubi nemo resistebat, sed pro posse suo unusquisque fugiebat; sed fugere nemo poterat, quoniam multitudo a seipsa in seipsam perplexa, sibimet impedimento erat. Qui tamen de tantæ cladis maceratione elabi potuerunt, templum Salomonis intraverunt, et se ibi longo diei spatio defenderunt. Sed cum jam dies inclinari videretur, nostri timentes solis occasum, animositate concepta, abdita templi irrumpunt, eosque misera morte pessundarunt (60). Tantum ibi humani sanguinis effusum est ut cæsorum corpora, unda sanguinis impellente, volverentur per pavimentum, et brachia sive truncatæ manus super cruorem fluitabant, et extranco corpori jungebantur, ita ut nemo valeret discernere cujus erat corporis brachium, quod truncato corpori erat adjunctum. Ipsi etiam milites qui hoc carnificium operabantur, exhalentes calidi fervoris nebulas vix patiebantur. Hac itaque inenarrabili cæde peracta, aliquantulum naturæ indulserunt, et plures ex juvenibus tam viros quam mulieres vitæ reservaverunt, et suo famulatui mancipaverunt. Mox per vicos et plateas discurrentes, quidquid invenerunt rapuerunt, et quod quisque rapuit hoc suum fuit.

Erat autem Jerusalem tunc referta temporalibus bonis, nec aliquo indigebat, nisi spiritalibus deliciis. Tunc quippe filios suos, de longe ad se venientes, ita ditavit, quia in ea nullus pauper remansit. Tantis itaque ditati divitiis, ad sanctum Domini sepulcrum læto incessu perrexerunt, et ei qui in eo sepultus fuit gratias referentes capitalicia sua obtulerunt. Ipsa die, sicut per Prophetam fuerat prædictum, *sepulcrum* Domini fuit *gloriosum* (*Isai.* XI, 10), cum omnes non incessu pedum, sed poplitum et cubitorum proni incedebant et pavimenta imbre lacrymarum inundabant. Hac itaque oblatione solemni devotione completa, ad domos suas, eis a Deo destinatas, redierunt, et naturæ necessariis indulgentes, fessis corporibus cibum et somni requiem tradiderunt. In crastinum igitur cum caput aurora terris ostenderet, ne ullus in urbe locus insidiis remaneret, armati ad templum Salomonis cucurrerunt, ut scilicet illos delerent qui supra templi fastigia ascenderant. Maxima enim illuc copia Turcorum conscenderat, quæ libentius fugisset, si sumptis alis volare potuisset. Sed quibus natura alas negavit, misera vita infelices exitus donavit. Ut enim nostros ex adverso sibi occursare supra templum viderunt, obviam nudis ensibus veniebant, malentes citissima morte occumbere quam miseræ jugo servitutis longissime perire. Nam se terræ præcipites dabant, et ad terram, quæ cunctis mortalibus vitæ præbet alimenta, mortem inveniebant. Nec tamen omnes occiderunt, sed servituti suæ plurimos reservaverunt. Tunc constitutum est ut civitas mundaretur; et injunctum est Sarracenis vivis, ut mortuos foras extraherent, civitatemque ab omni spurcitia tanti morticinii prorsus mundarent; qui protinus jussis obtemperantes, et lugebant et extrahebant, et extra portam ingentes, veluti castellinas defensalesque, domos, pyras construebant. Membra truncata in sportis colligebant, et foris deferebant; et pavimenta templorum, domorumque a sanguine aqua eluebant.

CAPUT II.

Eliminatis itaque omnibus inimicis, ab urbe pacifici nominis, de ordinando rege, quæstio debebat agitari, ut scilicet unus ex ipsis omnibus eligeretur, qui tantæ urbi tantoque populo præficeretur. Communi igitur decreto omnium, pari voto generalique assensu, dux Godefridus eligitur, octavo scilicet die quo civitas expugnatur. In quo bene assensus omnium convenire debuit, quia in illo regimine talem se exhibuit, ut ipse magis regiam dignitatem quam regia dignitas ipsum commendarit. Non honor illustrem faciebat eum, sed honori multiplicabatur gloria propter eum. In tantum enim regiæ dignitati præfuit et profuit quod, si fieri posset, ut universi reges terræ juxta illum adessent, censura æquitatis omnibus principari judicaretur, et merito equestris probitatis, et vultuosa corporis elegantia et nobilium morum prærogativa. Congruum quoque deinceps erat, ut qui sibi gubernatorem corporum decenter et decentem elegerant, rectorem animarum pari modo sibi proponerent. Elegerunt itaque quemdam clericum, nomine Arnulfum, divina et humana lege bene eruditum. Erat autem *scriba doctus in regno cælorum*, id est in sancta Ecclesia, qui bene poterat *de thesauro suo* proferre *nova et vetera* (*Matth.* XIII, 52). Ejus siquidem electio facta fuit in festivitate S. Petri ad Vincula quæ festivitas bene congruit vinculatæ civitati, quæ dæmoniacis nexibus diu fuerat illigata, quoniam ipso die quo dignum habuit sacerdotem libera fuit et absoluta. Gratias igitur Deo salvatori et liberatori suorum, qui toties eam destrui et ancillari permisit, totiesque destructam reædificavit, et ancillatam mirabili potentia liberavit. His, ut præfatum est, bellorum conflictibus gens Gallicana fines orientis penetravit, et ab immunditiis gentilium, quibus per annos circiter quadraginta Jerusalem fuerat inquinata, divina opitulante gratia, emundavit. In qua sacerdote canonice consecrato, et rege sublimato, Francorum celebre nomen omni Orienti innotuit, et omnipotentia Jesu Christi in ea

NOTULÆ MARGINALES MS. COD

(60) Anno milleno centeno quo minus uno, Jerusalem Franci capiunt virtute potenti.

crucifixi mentibus etiam infidelium resplenduit. Quo splendore renitentis gratiæ, cum sacerdotis ac regis ordinatio solemni gaudio fuisset exhibita, nuntii de Neapolitana urbe ad regem Godefridum venerunt, civium suorum mandata ferentes, ut ad ipsos, scilicet de suis, mitteret, et cives et civitatem eorum in suo regimine, suaque ditione reciperet; volebant enim de seipsis suum dilatare imperium, magis affectantes suum quam alterius principatum. Est autem Neapolis civitas Cariæ, quæ est provincia Asiæ. Rex, accepto consilio, misit ad illos Eustachium fratrem suum, et Tancredum, cum magna manu militum et peditum; quos illi cum magnæ venerationis officio susceperunt, et seipsos et civitatem in ejus ditionem tradiderunt.

CAPUT III.

Cum hæc ita fieri inciperent, ille tortuosus et lubricus anguis, qui fidelium semper invidet felicitati, titulum scilicet Christiani nominis ita ampliari, et regnum renovatæ Jerusalem ita dilatari, admodum indoluit. Et Clementem imo dementem admiravisum Babyloniæ, contra ipsos felle commovit, et cum ipso omnem Orientem excitavit. Speravit etenim totius malitiæ præsumptor, omnes illos et urbem delere, et memoriam Dominici sepulcri funditus abolere. Sed sicut cogitationes hominum vanæ sunt, ita et potentiæ evanescunt. Collegit igitur quidquid potuit hominum, et pomposo apparatu Ascalonam pervenit. Quo cum pervenisset, nuntius ad regem festinus venit, et rem ut erat, ei intimavit. Nec mora longa fuit, quod rex ad illos quos miserat misit, ut videlicet festinarent ad bellum venire, quod præparaverat admiravisus Babyloniæ. Ipse enim jam cum innumera gente Ascalonæ erat, et Hierosolymam obsidere parabat. Quod ubi Eustachius et Tancredus, cæterique viri bellatores audierunt, imminens belli negotium Neapolitanis civibus ostenderunt, et vale eis dicentes, cum bono gaudii et amicitiæ discesserunt. Nostri quippe Turcorum occursum desiderantes, montana consenderunt, et tota die ac nocte insomnes et inquieti Cæsaream pervenerunt. In crastinum juxta mare ambulaverunt, et ad quamdam urbem quæ Ramola dicitur pervenerunt, multosque ibi Arabes, qui belli præcursores erant, invenerunt. Quos fortiter nostri insequentes, plures ex eis apprehenderunt, qui ipsis omnem belli apparatum in veritate aperuerunt. Qua re comperta, nuntios velocibus equis insidentes, regi citius legaverunt, ut omnes absque dilatione commoneret: et contra Ascalonam ad bellum procederet. Est autem Ascalona civitas insignis Palæstinæ, viginti quinque milliariis distans ab Hierosolyma; quam quondam allophyli condiderunt, et Ascalonam ex nomine Celon, qui fuit nepos Cham et filius Mesraim, vocaverunt. Fuit autem semper adversatrix Jerusalem, et cum vicina sit, tamen nulla unquam familiaritate conjungi voluit. In hac igitur admiravisus Babyloniæ erat, cum nuntii ad regem venerunt, et quæ supra diximus, retulerunt. Rex autem ut audivit, patriarcham convocari præcepit, et ab eo consilium accepit, ut per totam civitatem præconaretur, quo in crastinum summo mane omnes ad ecclesiam convenirent, ut post sacra missarum solemnia Dominici corporis eucharistiam perciperent, et ad bellum versus Ascalonam equitarent.

Rumor iste minime perturbavit animos audientium, sed nox subsequens visa est illi tardiori successu protensior cæteris exstitisse:

Ut primum matutina caput aurora levavit,
Ad missam resonans cunctos campana vocavit.
Missa peroratur, populus Domino sociatur.
Quæ benedicuntur, sacra munera dum capiuntur,
Exit ab ecclesia plebs, atque cucurrit ad arma,
Et jejuna suum contraria pergit ad hostem.
Classica, sistra, tubæ, postquam rex exit ab urbe,
Insonuere simul: quorum clangoribus, omnes
In gyrum montes, cum vallibus echonisabant,
Terroremque suis inimicis incutiebant.

Ita procedunt ad prælium Christianæ acies, Deum victorem belli, corpore et mente gestantes, et propterea non terrentur hominum ulla multitudine, quia non confidunt in sua, sed in ipsius virtute. Patriarcha quidem dereliquit vices suas Petro eremitæ, ut missas ordinaret, orationes constitueret, et processiones componeret ad sepulcrum, ut Deus homo, qui in eo jacuit, populo suo fieret in præsidium. Cumque rex cum suo exercitu veniret ad flumen, quod est circa Ascalonam, invenit ibi multa millia boum, camelorum, asinorum, mulorum et mularum; quæ non solum erant de civitate, sed et cum exercitu admiravisi venerant. Quæ omnia centum Arabes custodiebant, sed ut primum nostros viderunt, et prædam eis dereliquerunt, et fugæ subsidium sibi quæsierunt. Nostri vero persecuti sunt illos, sed apprehendere non potuerunt nisi duos. Prædam autem universam rapuerunt, et Jerusalem ex ea copiose ditaverunt. Rex quidem die jam advesperascente, vociferari præcepit per universum agmen, ut omnes quiescerent, et primo diluculo consurgerent, seque bello præpararent. Patriarcha vero anathematizavit omnes, qui in illo conflicta aliquid raperent, ante consecutam victoriam.

Nocte igitur transacta, aurora solito clarior incanduit, et nostros a somno excitavit. Erat autem feria sexta, in qua Salvator generis humani, diabolum regem Babyloniæ, trophæo crucis prostravit; et nunc iterum admiravisum suæ Babyloniæ, per satellites suos Dominus superavit. Rex, ut superius diximus, flumen transmeavit, sed patriarcha cum episcopis aliisque religiosis viris, tam Græcis quam Latinis, citra remansit. Descendit itaque rex in quamdam vallem speciosam et spatiosam cum suis omnibus, et secus littus maris intravit, ibique suas acies ordinavit. Ipse suam constituit primam; comes Northmannus secundam; comes Sancti Ægidii tertiam; comes Flandrensis quartam; comes Eustachius et Tancredus et Guaston de Behert quintam. Universique pedites cum sagittis, et pilis, et telis præposuerunt se militibus, et sic ordinati ob-

viam ire cœperunt Babyloniensibus. In dextera parte juxta mare, comes Sancti Ægidii fuit; in sinistra vero rex, ubi major hostium fortitudo incumbebat, equitavit. Inter hos alii omnes fuerunt.

Sed non est prætereundum quid Clemens admiravisus dixerit, cum ei quod nostri contra eum equitabant ad prælium nuntiatum fuit. De serotina enim præda quam nostri ceperant, nullus ei nuntiaverat, quoniam nisi læta et prospera nullus ei dicere præsumebat, quia in gaudio semper esse volebat. Quicunque enim ei adversa nuntiabat, nullam deinceps gratiam in conspectu ejus inveniebat. Nec illum tamen ulla res possessa suo distractu turbaverat, tantæ facultatis erat quod remanebat. Et ne frivolum esse dicat quis quod dicturi sumus, a quodam Turco, qui hæc postea in Jerusalem retulit, habuimus, qui sponte sua factus est Christianus, et in baptismate vocatus est Boamundus. Summo itaque mane dictum est ei, quod revera Franci parati erant ad prælium, et quod jam prope essent, venientes contra ipsum. Tunc fertur demens dixisse nuntio : *Quod mihi dicis, non audeo credere, quia nec etiam intra muros Jerusalem æstimo illos invenire.* Cui et ille : *Certissime sciat, Domine, magnitudo tua, quia parati ad prælium veniunt, et jam prope sunt.* Tunc præcepit ut omnes arma caperent, et ad bellum properarent. Cumque parati omnes ex adverso starent, et ipse nostros intuitus esset, dixit : « O regnum Babyloniæ cunctis regnis antecellens, quantum dedecus hodie pateris, in hoc quod tantilla gens, contra te venire præsumit! Ego vero nunquam æstimavi illos nec intra septa etiam cujuslibet urbis invenire; et ipsi contra me itinere diei unius ausi sunt venire? Aut sensum amiserunt, aut mori sicut et vivere diligunt. Præcipio itaque vobis, o Babylonici bellatores, ut omnes istos de terra tollatis, nulli parcat oculus vester, nulliusque misereamini. » Sic ergo commissum est prælium. Primus siquidem comes Nothmanniæ miles imperterritus cum sua acie congressionem incœpit, in illa scilicet regione, in qua vexillum admiravisi, quod standardum vocant, conspexit. Qui ferro per medias acies viam interrumpens, multas strages dedit, et tandem ad illum qui standardum tenebat perveniens, illum ante pedes admiravisi prostravit, et vexillum accepit. Admiravisus autem vix evasit, et Ascalonam fugiens, ante urbis januam constitit. Et miser miserrimam suorum cladem, a longe prospexit. Non dissimili audacia rex et reliqui comites in oppositos irruunt; et sævissima multatione dextra lævaque perimunt quotquot sibi occurrunt. Ibi Turcensis arcus nulli eorum profuit, quia impetus nostrorum tam celer tamque densissimus fuit, quod nulli trahere licuit, sed fugere libuit. Multa quippe ibi millia mortua sunt, quæ mortua non esset, si fugere prævaluissent. Sed multitudo tanta erat, quoniam qui retro erant, præmissos in mortiferos nostrorum gladios impellebant. Tancredus et Boloniensis comes Eustachius irruerunt in eorum tentoria, et multa ibi præclara egerunt; quæ si scriberentur, digna essent memoria. Nullus nostrorum segnis, nullus pavidus repertus est, sed omnes uno spiritu animati, unanimiter prosequebantur inimicos crucis Christi. Mirum quippe erat, quod tantorum multitudinem armatorum paucitas nostrorum non expavescebat, sed divina suffragante gratia, magis ac magis convalescebat, et eorum cervicositatem inclinabat, sicque die tota pugnæ conflictus initur usquequo sol centrum poli conscendit, hora videlicet qua Dominus noster Jesus crucem ascendit; ipsa eadem hora omne robur contrariæ gentis emarcuit, qui ita sensu mutati erant quod nec fugere poterant, nec se defendere valebant. Arbores ascendebant, putantes quod sic se tuerentur ne a nostris intuerèntur. Nostri vero sagittabant illos sicut aucupes volatilia, et ad terram demersos trucidabant, ut in macello carnifices animalia. Alii autem tenentes gladios in manibus, pedibus nostrorum provoluti, terræ se inclinabant, et erigere se contra Christianos non audebant.

Jam vero prima pars Babylonici exercitus tota fugiebat, et posterior de victoria cujus esset, adhuc dubitabat, quia nihil unquam minus sperabat, quam suorum fugam, et victoriam Christianorum. Cum enim suos conspicabatur per plana camporum fugiendo discurrere, æstimabat illos persequi Christianos, et velle occidere. Sed postquam compererunt quod Christianorum erat victoria, gaudium quod habuerant, superavit mœstitia. Tunc et ipsi perterriti fugiunt, et sequacibus suis fugiendi præstant consortium. Et ut ventus aquilo dissipat nubes, et immissus turbo aggeres stipularum, sic nostri dissipabant alas et cuneos fugientium.

CAPUT IV.

Dum hæc ita fierent, dum sic milites Christi satellites diaboli destruerent, et comes Sancti Ægidii qui juxta mare pugnabat, absque numero perimeret, et multo plures in mare præcipites ire compelleret, quid Clemens, nunc vero demens admiravisus stans ante portam Ascalonæ dixerit, audiamus, sicut supra dictus proselytus Hierosolymis deinceps retulit qui juxta illum erat, ut assecla, et domesticus et verna illius. Clemens igitur ut demens dicebat (61), dum gentem suam gens Christiana detruncabat : « O Machomet præceptor noster et patrone, ubi est virtus tua? Ubi est cœlestium virtus numinum, cum quibus ipse gloriaris? Ubi est Creatoris efficax potentia, cui semper astat tua præsentia? Cur sic reliquisti gentem tuam, quam immisericorditer dissipat, destruit, et interficit gens pauperrima et pannosa gens, aliarum gentium peripsema, omniumque prorsus hominum fæx, rubigo et scoria. Gens, inquam, quæ a nostra solita erat quærere panem, quæ nihil prorsus habebat nisi baculum et

NOTULÆ MARGINALES MS. COD.

(61) Hæc ut dementis sunt tristia verba Clementis.

peram? Toties eis eleemosynam dedimus, toties eorum miserti sumus. Heu! heu! quare eis pepercimus? Cur illorum miseriæ indulsimus? Quare non omnes occidimus? Nunc scire possumus quod huc veniebant non ut veri adoratores, sed ut subdoli exploratores. Gloriam nostræ felicitatis viderunt, divitias nostras concupierunt, concupiscentiam secum in terram suam detulerunt, et istis nuntiaverunt. Nunc igitur isti sitiunt aurum argentumque nostrum, et ob hoc tam crudeliter effundunt sanguinem nostrum. Ergone sunt homines isti, qui tantam habent potestatem, aut certe infernales dii? Forsitan infernus ruptus est, et populus iste eruptus est. Abyssus erepuit, inde gens ista efferbuit; nulla enim habent viscera humanitatis; nulla indicia pietatis. Si homines essent, mori timerent, sed unde emerserunt, in infernum redire non expavescunt. O gloria regni Babyloniæ! quam turpiter hodie dehonestaris, quæ bellatores tuos olim fortes nunc debilitatos amittis! Quæ gens ulterius poterit huic nefariæ genti resistere, cum gens tua contra eam nec ad horam poterit sustinere? Heu! heu! nunc fugiunt, qui nunquam fugere didicerunt, et turpiter prosternuntur qui alios prosternere consueverunt. Proh dolor! omnia nobis cedunt in contrarium. Vincere solebamus, et vincimur. In lætitia cordis assidue versari, nunc mœrore afficimur. Quis enim valet oculos suos a lacrymis temperare, et erumpentes ab intimo corde singultus cohibere? Diu est quod in collectione hujus exercitus curam magnæ sollicitudinis expendi, multumque tempus frustra consumpsi. Fortiores totius Orientis milites innumerabili pretio conduxi, et ad hoc bellum adduxi, et nunc ad extremum et ipsos et pretium amisi. Multo argenti dispendio paraveram ligna ad construendas turres ligneas, et omnis generis machinas in circuitu Jerusalem, ut eos obsiderem, et ipsi longe ab ea prævenerunt faciem meam. Quem honorem habebo ulterius in terra mea, cum sic me dehonestat gens advena, populus alienus? O Machomet! Machomet! quis unquam venustiori cultu te colitur, in delubris auro argentoque insignitis, pulchrisque de te imaginibus decoratis, et cærimoniis et solemnitatibus omnique ritu sacrorum? Sed hoc est quod Christiani nobis insultare solent, quia major est virtus Crucifixi quam tua, quoniam ipse potens est in cœlo et in terra. Apparet autem nunc quoniam qui in eo confidunt vincunt; illi vero vincuntur, qui te venerantur. Sed hoc non exigit incuria nostra, quoniam auro, gemmis, cunctisque opibus pretiosis, magis insignita est sepultura tua quam Christi. Civitas illa quæ tuo nobilitatur corpore, nunquam decisa est ab honore, sed omni sublimitate semper excrevit, omnique famulatu debitæ venerationis enituit. Ista vero in qua crucifixus tumulatus est, nunquam deinceps honorem habuit, sed destructa et conculcata, et ad nihilum redacta multoties fuit. Cujus igitur culpa ita degeneres efficimur, cum omnem tibi exhibeamus honorem, et nullam nobis rependis vicem? O Jerusalem! civitas seductrix et adultera, si ullo tempore contingeret ut in manus nostras devenires, totam te solo coæquarem, et sepulti tui sepulcrum funditus exterminarem. » Cum hæc et his æquipollentia Clemens admiravisus voce querula rotaret, nostri assuetæ virtutis suæ non immemores, ante urbis januam tanto impetu in Babylonios irruerunt quod neminem eorum nisi mortuum aut plagis exhaustum extra januam reliquerunt. Tali itaque modo divina virtus bellum devicit, et nostros victoria commendavit. Et quis ad plenum valet referre quot occisi sunt in angusto portæ introitu? Tunc Clemens jure flere potuit, cum tot ante se suorum cadavera exstincta vidit. Quidam adhuc in supremo spiritu positi palpitabant, et Clementi qui illuc eos adduxerat maledicebant. Fertur tunc Clemens ejulando flevisse, et nostros maledixisse. Erant autem in mari, quod adjacet civitati, nautæ et naves circumadjacentium regionum, qui jussu admiravisi attulerant totius opulentiæ supplementum ad obsidionem urbis Jerusalem necessarium. Qui ut viderunt suos et dominum suum tam turpiter confusum, timore perterriti vela suspenderunt, et in altum mare se impulerunt. Nostri vero cum manibus erectis ad cœlum, cordibus Deo gratias retulerunt, et ad eorum tentoria revertentes aurum et argentum, et innumera spolia vestium, copiamque ciborum, multa genera animalium omnium, instrumenta armorum, invenerunt. Invenerunt etiam equos et jumenta, mulos et mulas, asellos et asinas, et dromedarium unum. Quid de ovibus et arietibus, aliisque pecoribus referam, quæ ad esum parata erant? Lebetes et caldariæ, cacabi, lecti, eorumque exuviæ, cophini pleni auro argentoque, aureisque vestibus, omnisque eorum apparatus ibi inventus est; ditissimaque præda locupletati sunt, qui tentoria admiravisi regalibus referta divitiis habuerunt. Standardum quod in summitate argenteæ hastæ pomum habebat aureum, comes Northmanniæ obtulit sepulcro Domini, fuitque appretiatum pretio viginti marcarum. Ensem vero alter emit sexaginta byzanceis (62). Dum vero nostri sic triumphaliter reverterentur, inveniebant agmina rusticorum, vasa vinaria et aquatilia defertium, quæ necessaria esse putabant in obsidione, suorum usibus dominorum: qui, velut bestiæ, stupefacti nusquam divertebant, et inclinatis verticibus, enses nostrorum exspectabant. Plerique in mortuorum sanguine se volutabant, et quasi mortui inter mortua corpora latitabant. Ut autem nostri pervenerunt ad flumen, ubi paucitatem deliquerant, quieverunt, utque fatigati, somnum suum dormierunt. Utque dies terris aurora præveniente, redditur, exsurgunt, et iter cœptum properarunt. Qui ut civitati fere ad duo millia proximare cœperunt, sicut triumphatores insonuere tubis,

NOTULÆ MARGINALES MS. COD.

(62) Munus pulchrum defert comes ante sepulcrum.

sistris et cornibus, atque omnis generis musicis instrumentis, ita ut montes et colles harmoniæ modulatis tinnitibus responderent, et quodammodo cum eis Domino jubilarent. Tunc realiter implebatur quod spiritualiter per Isaiam de Ecclesia fidelium dicitur : *Montes et colles cantabunt coram vobis laudem* (*Isa.* LV, 12). Erat autem admodum grata multi fidaque suavitate delectabilis harmonia, cum voci militum sonituique tubarum echonisarent tinnitus montium, concava rupium, et ima convallium. Cum vero ante portas urbis venirent, ab his qui remanserant, cum divinis laudibus, non jam a terrenis montibus, sed a cœlestibus præconantur. Et merito Deus super hoc laudabatur, quoniam nunc peregrini sui portis apertis recipiuntur cum laudibus, qui olim cum magna difficultate in magnis injuriis suscipiebantur, datis etiam muneribus. De his peregrinis et portis per Isaiam dicitur : *Et portæ tuæ eis aperiuntur jugiter, die ac nocte non claudentur* (*Isa.* LX, 11). Hæc prophetia nostris temporibus adimpletur, quia nunc portæ Jerusalem filiis peregrinorum aperiuntur, quæ eis antea die ac nocte claudebantur. Factum est autem hoc prælium ad laudem et gloriam Domini nostri Jesu Christi, pridie Idus Augusti.

CAPUT V.

Quia vero historicus sermo iste ab Hierosolyma sumpsit exordium nominis sui, et finem retinet sicut et medium, nulli inconsonum videatur, si in calce hujus operis, quis eam primitus fecerit, quis ita appellaverit, inscribatur. Melchisedech fertur eam post diluvium condidisse, quem Judæi asserunt filium Noe fuisse (63). Hanc in Syria conditam Salem appellavit, et in ea deinceps permulta tempora regnavit; quam postea Jebusei tenuerunt, et partem sui nominis, quæ est Jebus, ei addiderunt, et sic collectis in unum nominibus, *b* in *r* mutata Jerusalem vocaverunt. Postea vero a Salomone nobilius composita et templo Domini et sua domo regia, multisque aliis fabricis et hortis et piscinis Hierosolyma appellatur, et quasi de suo nomine Hierosalomonia intelligitur. Hæc a poetis Solyma corrupte vocatur, et a prophetis Sion dicitur, quod in nostra lingua *speculatio* interpretatur, pro eo quod in monte constituta, de longe venientia contemplatur. Jerusalem autem, in nostro sermone, *pacifica* transfertur. De antiqua hujus gloriosa opulentia scriptum invenimus in libris Regum, quia Salomon fecit ut tanta abundantia argenti esset in Jerusalem, quanta et lapidum. Enimvero multo copiosius ditior enituit, cum in ea Dei Filius, pro generali omnium redemptione, crucem sustinuit, cœlum suis sideribus obnubilavit, et terra tremuit, petræ scissæ sunt, monumenta aperta sunt, et multa corpora sanctorum qui dormierant surrexerunt. In qua civitate contigit unquam tam mirabile mysterium, de quo emanavit salus omnium fidelium? Ex quo hoc conjicitur quod hanc ita Dei Filius sua gloriosa morte illustravit, quia si nostris placuisset auctoribus, non Jerusalem, sed *r* in *b* mutata Jebussalem debuisset vocari, et sic in nostro idiomate *salus pacifica* potuisset interpretari. Pro his et hujusmodi figurativis actionibus, forma est mysticum sacramentum illius Jerusalem cœlestis, de qua dicitur : *Urbs fortitudinis nostræ Sion Salvator, ponetur in ea murus et antemurale. Aperite portas, et ingredietur gens justa, custodiens veritatem* (*Isa.* XXVI, 1, 2). De hujus laude cuncta referre non possumus quæ dicta sunt a prophetis et legis doctoribus. Hæc vero terrena nostra ætate fuit a Deo derelicta, et odio habita, *a malitia inhabitantium in ea* (*Psal.* CVI, 34). Cum autem ipsi Domino placuit, adduxit Francigenam gentem ab extremis terræ, et per eam ab immundis gentilibus liberare eam disposuit. Hoc a longe per prophetam Isaiam prædixerat, cum ait : *Adducam filios tuos de longe, argentum eorum et aurum eorum cum eis, in nomine Domini Dei tui, et sancto Israeli, quia glorificavit te. Ædificabunt filii peregrinorum muros tuos, et reges eorum ministrabunt tibi* (*Isa.* LX, 9, 10). Hæc et multa alia invenimus in propheticis libris, quæ congruunt huic liberationi factæ ætatibus nostris. Per omnia et super omnia benedictus Deus, qui justo judicio percutit et vulnerat, et gratuita bonitate, quando vult et quomodo vult miseretur et sanat. Amen. *Explicit.*

NOTULÆ MARGINALES MS. COD.

(63) Monstrat Jerusalem, qui primus condidit illam.

AD PETRI TUDEBODI

SACERDOTIS SIURACENSI

HISTORIAM DE HIEROSOLYMITANO ITINERE

JOANNIS BESLY PICTONIS PRÆFATIO.

Jacobus Bongarsius, de litteris bene meritus, ingens volumen auctorum Orientalis Historiæ ut Hanoviæ anno 1611 ederetur, curavit. Horum primum, qui sine nomine agmen ducit, ex stylo et in Buamundum af-

fecto, Italum existimavit; quod utrum verum sit necne, ego nolim acrius aut pugnatius in dubium vocare. Unum hoc audacter affirmaverim, istum suum Anonymum ex Petri Tudebodi Pictonis Historia, quam inscripsit *De Hierosolymitano itinere*, fere omnia desumpsisse. Cujus ut exantlatos labores, et famam qualem qualem sibi clanculum arrogaret, ejus nomen plagiarius expunxit, et genuini scriptoris dignoscendi notas, frequentes et indubitatas, ex opere toto evulsit, crimine legibus vindicando. Quædam tamen aliunde petita, mihi quidem non ingrata, raro scriptis interseruit. Sed plura quæ scire conducat, et in damno sit ignorare, temere truncavit et rejecit sine judicio. Quam plurima denique aut in sequiorem formam aut non meliorem commutavit : et si dicendi facultas ei tanta fuisset quantam sibi præsumpsit, potuisset, putidus magister, edocere Tudebodum Latine loqui. Quicunque ille fuit, fortunæ debet ludibrium, qui dum alteri nomen eripere conatur, ipse, non ille, suum amisit. Meliori fide Robertus monachus, Baldricus Dolensis archiepiscopus, et Guibertus abbas, omnes coætanei, se interpretes alienæ historiæ candide professi, plerumque fusiori stylo, laxis habenis, quandoque verbum verbo, semper cum cura quantum possunt, istum illum Anonymum reddunt. Ipsi etiam alia historiæ studiosis non pœnitenda, quæ ab his qui Hierosolymitanæ expeditioni interfuerunt, didicerant, suis libris permista posteritati tradiderunt.

Noster de seipso, de nomine, familia, patria, professione, libris, librorumque inscriptione, de ætate qua vixit et scripsit, nos monitos voluit, veterum solemni more. Cum exercitus Christianorum per Hierosolymorum obsidionem, mense Julio, anno 1099 « siti et tempore anni ferventissimo, et cœlo æstuanti, et solo torrido laboraret (quæ verba sunt Æmilii) obsecrationes habitæ, sacra loca suburbana nudatis pedibus reverentissime, supplicum habitu, peragrata, » ad hæc Tudebodus addit quæ ponam ex lib. v : « Quo loco (ad montem Sionis) cupiens intrare ecclesiam, quidam clericus prior in processione veniebat. Ad ostium ipsius monasterii cum quadam sagitta in media fronte vulneratus est atque defunctus est. Credendus est qui primus scripsit, quia in processione fuit, et oculis carnalibus vidit, scilicet PETRUS sacerdos TUDEBODUS SIURACENSIS. » Nomen suum et patriam indicat suam, anxia verborum junctura. Nam si, Siuracensis sacerdos, connecterentur, ambiguus sermo nos ancipites torqueret, et fortasse induceret in errorem. Siuracum autem non obscuræ notæ est oppidum in Pictonum agro situm, hodie præturæ regiæ sedes, una et quatuor majoribus quibus amplissima et florentissima regio insignitur. Senescalias vocant. Tunc temporis sub ditione Hugonis Liziniacensis ab invicto animi robore cognomine *Diaboli* erat. Meminit auctor Rainaldi ejusdem Hugonis militiæ magistri, quem Dapiferum appellat. Is, cum nostri IV Id. Junias, quinto ab Adventu die, anno 1199 Hierosolymam essent aggressi, et ante muralibus effractis, ad interiora occupanda scalas admovissent, ipse Rainaldus inter acriores qui muros conscenderat, ab inclusis cæsus, non inulta morte, ibi periit. Nam et si Guillielmus VIII Pictavus comes et dux Aquitanorum, bello sacro per se nondum militaret, turmas tamen sub signis armatas, neque paucas neque exiguas, princeps potentissimus submiserat. Quarto Kal. Julias anno præcedenti, pugnatum est ad Antiochiam contra Corbonam, et equitum ducenta millia, peditumque numerum innumerum. Exercitus cunctus Christianorum in sex acies tributus : Pictones eo die Gastoni Bencarnii vicecomiti, ducis clienti, qui cum Tancredo aciem quintam rexit, parebant. Tudebodus ipse Picto Pictonum suorum, qui ad immortalem de barbaris fusis fugatis trucidatis victoriam deportandam, animum, vires, sanguinem subministrarant, gloriæ favens, patriæque amore flagrans, id unus litteris consignavit : Anonymus, cæteri omnes quorum non intererat commemorasse, silentio transmisere. Quando Hierosolymorum iter sit ingressus, ostendit nusquam ; et in Historia divinare, illicitum est. Conjicio tamen Hugoni Magno ab initio se dedisse comitem. Sed postquam Magnus apud Dyrachium, quo se cum Guillielmo marchisi ex sorore Buamundi filio, intempestive transjecerat, per insidias interceptus, ad Alexium imp. in vinculis, missus est; nostrum Buamundo, qui nondum ex Apulia copias deduxerat, tunc adhæsisse, et cum illo Constantinopolim ivisse, eoque pervenisse XVI Kal. April. anno 1097 aut verbis Alberti Aquensis, « cum jam Pascha tribus septimanis evolutis processisset. » Illius enim omni Pascha inciderat in a. d. Non. April. Scribit pontifex Tyrius Buamundum Alexio « occurrisse quinta feria ante Paschalem solemnitatem, » paulo serius, hoc est ad diem IV Non. ejusdem mensis. De se in Historia Tudebodus dat intelligi tantum ex a. d. V Kalend. Martias ejusdem anni. Qua tempestate Tancredus et Ruscilionensis comes Alexii insidiantes turmas, quæ eos imparatos, et, ne in pacato, ab hostibus securos, ex improviso erant adortæ, ad fluvium Bardarum in Illyrico cruenta clade affectas, fudere. « Hoc bellum, inquit, factum est in quarta feria, quod est Caput Jejunii. His ita transactis, imperator nequissimus præcepit quidam suo fidelissimo, nomine Corpolatio, ut nos secure deduceret per suam terram usque dum venissemus Constantinopolim. » Ita deinceps.

Duos habuit fratres, Arveum et Arnaldum, rei militari deditos : quos in suos pius tanquam « probissimos et optimos milites, » hoc est bellica virtute et moribus præstantes, commendat, nobili elogio. Origine fuisse Francos, si aliunde non constaret, vel nomina docerent. Arveus, cum nostri antea obsessores, versis fatis Antiochiæ obsessi essent, et in Sarracenos eruptionem magno animo fecissent, egregie pugnans occubuit. Petrus frater ei parentavit, ei ad D. Petri ante portam, quæ ad occidentem vergit, dedit sepulturæ. Arnaldum iniqua conditione decertantem hostes prope Marram vulneribus confossum interemere. Robertus monachus nequidquam conqueritur, Historiam anonymi « initium suum quod in Claromontis concilio constitutum fuit non habuisse, et ideo se acephalæ materiei caput præposuisse; » gloriosiolus jactat. Tudebodus enim, ex quo Anonymus, ab eodem concilio Historiæ principium sumit, sed orationem quam ipse Robertus, aliique certatim, cum magno et ambitioso apparatu, Urbano PP. affingunt, noster et ex eo Anonymus, tribus verbis exsequuntur, quisque pro arbitratu et captu mentis et ingenii. Narrationem claudit insigni coronide, victoria nempe illa nobilissima quam Christiani principes de Ammaraviso Babylonis XIX Kalendas Septembreis anno Christi nati 1199 ad Ascalonam mirabiliter obtinuere. Neque Anonymus, neque Robertus, neque Baldricus ulterius sunt progressi. Solus Guibertus duorum annorum additamento auctior est. Scripsit et finem scribendi fecit duce Godefrido adhuc superstite, hoc est ante diem XV Kal. Sextil. anni 1100 quo magnus ille princeps decessit. Libro enim I, « illi et ejus fratri Balduino sapientissimo Christi athletæ » bene precatur : « quos, inquit, Dominus mundi gloria muniat atque custodiat. » Quod de mortuo nemo sanæ mentis unquam dixerit. Historiam suam libris quinque complexus, illos Anonymus in quatuor contraxit, totidem Baldricus Anonymum interpretatur, Robertus novem, Guibertus septem, sed ultimum ad Balduini regis I annum secundum produxit. Eam inscripsit *De Hierosolymitano itinere*. Quem titulum Baldricus, ab Anonymo mutuatus, retinuit, et utrique restituendum censeo, ex Baldrici ipsius ad Petrum ablatem epistola; « Libellum, inquit, quem *De Hierosolymitano itinere* quoquo modo composui, ad castigandum tibi transmisi, quem regulari censura volo compescas, et polias, et epistolam hanc cum ipso non inremuneratam remittas. » Remissa est epistola, atque ipsissima est quæ prætixa legitur Baldrici libris, quorum inscriptioni idem abbas epistola sua remuneratoria videtur allusisse : « Librum quo-

que Hierosolymitanum, inquit, Hierosolymitano mihi directum, cum epistola in fronte ipsius apposita, mi raque dulcedine referta, remittimus. » Camdeni codex manuscriptus, quo usus est Bongarsius in Anonymo edendo, præferebat in calce hæc verba : « Explicit via bona. » *Via bona* illic nihil aliud est quam *De Hierosolymitano itinere*, pro, *De bello Hierosolymitano*, aut *De expeditione Hierosolymitana*. Torquatus Tassus, poetarum Italorum suæ ætatis phœnix, opus divinum illud suum mutato consilio postea non *Di Gerusalume conquiestata*, sed *Di Gerusalume liberata*, inscriptum maluit. Et noster alicubi titulo *De Hierosolymitano itinere*, addit, *et liberatione civitatum*. *Via Dei*, absolute more illius ævi, idem significat. Guibertus lib. II : « Terminato itaque concilio quod Claromonti habitum, circa B. Martini octavas, Novembri mense, consederat, magnus per universas Franciæ partes tumor emanat, de præponenda VIA DEI (sic enim antonomasice vocabatur) contiguos sibi ac familiares quoque sollicitat. » Cæterum Petrus abbas, de quo Baldricus, erat Malleacensis abbas, non Malleocensis, quod esset erroneum. Gaufredus patruus, cui successit, ex monacho Clusensi, renuntiatus est abbas Malleacensis anno 1083, Baldricus vero Burgulium rexit ex anno 1089. Inter utriusque monasterii abbates magna vetustas, magna consuetudo intercessit. Utrumque monasterium agnoscit fundatores Emmam Campanam et Guillelmum IV filium, duces Aquitanorum. Hæc satis nodo dissolvendo, qui quosdam nutabundos vexerat. Interim ad TUDEBODUM calamum vertamus.

Quam fidem et auctoritatem in his quæ memoriæ mandavit, mereatur, coætanei interpretes melius suo periculo sententiam ferant. Robertus : « Sciant qui hæc legerint sive audiverint, quod nihil frivoli, nihil mendacii, nihil magnum, nisi quod verum est, narrabimus. » Baldricus . « Nescio quis compilator, nomine suppresso, libellum super hac re nimis rusticanum ediderat, sed veritate texerat. » Guibertus abbas : « Ea sane quæ ferebantur in libro, contuli crebrius cum ipsorum qui facta viderant verbo, et procul dubio expertus sum quia neutrum discreparet ab altero. » Quæ omnia quidem de Anonymo, sed eodem judicio Tudebodus comprehensus intelligitur, ex quo tanquam ex fonte, ut jam dixi, Anonymus omnia hausit. Ab Anonymo autem omnes illæ scaturigines fluxere. Quamobrem cum vult se credi primum scriptorem hujusce sacræ expeditionis, in partes suas me facile impellat, quando eo antiquior nullus adhuc repertus est qui tale onus humeris suis imposuerit. Suppar tamen ei illius temporis æqualis exstat Raimundus de Agiles, Raimundi Tolosanorum comitis a sacris, qui, quæ eo bello quoque die a nostris gererentur, adversariis videtur excepisse. Is et noster, militiæ contubernales, fortasse commentarios suos inter se communicarunt. Sane invicem collati mire conveniunt, minimumque discrepant, atque etiamnum pagellam unam et alteram eodem tenore propemodum conceptam apud utrumque legere est. Utriusque quoque monumenta in prælio Ascalonico conquiescunt. Neque primum fragmentum, ut vocat et putat optimus Bongarsius, debuit dubitare esse alterius quam Raimundi ; sed mancum est et imperfectum. Aliud vero est pars recisa ex suo Anonymo, fine lib. ult. Ideo non immerito quis miretur id non animadvertisse, cum libros recensuit. Sed vir magnus tot negotiis qua publicis qua privatis occupatus, supersedit notare. Tudebodus et Raimundus cum tales sint, digni sunt, meo judicio, quibus fides præ aliis de his rebus adhibeatur. Fulcherium Carnotensem non moror. Nam Roberti Northmannorum ducis, et Stephani Carnutum comitis militares copiæ, in quibus Fulcherius, cum pridie Id. Maii dux Godefridus, Hugo Magnus, alii proceres, Nicæam obsidione cinxissent, postremo tandem in hebdomada Junii prima (quod ipso fatetur) cæteris se conjunxerunt, anno 1097 ; tertio Nonas Quintileis dedita est Nicæa ; XII Kal. Novemb. perventum Antiochiam. Aliquot dies ante Fulcherius a castris jam recesserat, et Balduino Boloniensi addictus comes, secum Euphratem versus, inde Edessam profectus, harum partium factus incola, ibi mansit, donec duce Godefrido diem suum obeunte, Balduinus frater in defuncti locum suffectus est. Interea Fulcherius voti gratia exsolvendi, Hierosolyma semel se contulit, Idib. Decemb. aut scholasticis suis verbis, « die illo, quo sol retrogradus, descensu hiemali peracto, recursum resumpsit ascensibilem, » aut ut exhibet Guillelmus Malmesburiensis, « solstitii brumalis die, » anno 1099. « Sed die secunda anni sequentis 1100 iter remeabile cœpit. » Quare quæ a nostris gesta sunt per illud intervallum quo absens fuit, ab auditu tantum et jejune tradit. Noster autem, ut semel sacræ peregrinationis itineri se accinxit, infracta mente tenuit, nec alio flexit, tot bellorum, tot præclarorum facinorum oculatus, ut plurimum, testis. Neminem veterum aut recentiorum præter Anonymum Bongarsianum legi, cui Tudebodus notus aut lectus, qui citet, aut ex illius dape auctiorem et instructiorem cœnam suam faciat. Otto tamen episcopus Frisingensis et Chunradus Urspergensis abbas, dubitationem injicere queant, ex his quæ de hoc bello commentantur initio Henrici IV imp. Chunradus enim ait « se legisse Hierosolymæ libellum a loco præsenti (cum dux Godefridus, et alii proceres Constantinopolitanas attigissent arces) totam hujus historiæ seriem diligentissime prosequentem, plurimosque populi Dei labores in captæ Hierusalem lætissima victoria concludentem. Quapropter sed hinc jam pauca de pluribus allaturum. » Noster quoque Historiam finit his verbis : « Hæc de Hierosolymitano itinere in tribus annis, et liberatione civitatum dicta sufficiant. » Certe ad liberationem Hierosolymorum explendam, Ascalonica victoria plurimum erat necessaria. Qua parta, plene et perfecte sancta civitas excusso prorsus impiorum jugo, tum demum Christiano imperio mancipata et confirmata potuit vere censeri. De qua Chunradus etiam ex eodem libello. Baldricus similiter Anonymi libros et suos quatuor, alio nomine non dignatur quam libelli. Deinde etsi Tudebodus incipiat a concilio Claromontano, nihilominus Historiæ suæ annos putat tantum ab eo tempore quando principes Christiani Constantinopolim pervenere, et Bosporo transmeato in Asiam trajecere, hoc est ab anno 1097 jam inchoato. Temporis autem quod in apparatu armorum expediendo consumptum est, rationem non habet. Frisingensis nihil quidquam de libello, ab eodem tamen fonte eadem cum Chunrado : et quæcunque comprehendit Chronicis usque ad annum 1106 ex libris eorum qui ante scripserant se mutuo accepisse profitetur. In contrarium urget magis ejusdem Chunradi locus : « Ubi per duorum fere mensium novitios in dies suscepere exercitus Byzantium, e quibus tandem absque vulgi parvulorum ac mulierum incredibili multitudine, recensiti sunt CCC millia pugnatorum. » Otto expressit lib. VII quem rursus Paulus Æmilius lib. IV. De loco videntur dissentire. Chunradus Byzantium assignat, Chalcedonem Æmilius. Utrum magis placet, neutrum concedam. Enim vero apud Tudebodum aut Anonymum nihil simile invenias, neque a properantibus librariis per incuriam prætermissum possis suspicari, cum Robertus, et anonymi interpretes, et Raimundus, et Fulcherius, et Tyrensis archiepiscopus, veteres omnes denique, de hoc sileant. Factum certe ex disciplina par est, nec aliter putandum, sed non ibi una vice de omnibus, quod Historia non patitur. Fulcherius : « Non omnes in unum exercitus congregati fuerunt, donec ad Nicæam pervenimus. » Potius sit ergo Chunradum et Ottonem, alios auctores præ oculis habuisse quos sequerentur. Atque ipsi plura afferunt ex epistola Godefridi ducis a Roberto comite (puto Flandrense) ad Paschalem PP. allata, quam Sigebertus, auctor coætaneus, ad annum 1097, 1098 et 1099 exscripsit, et Dodechinus abbas sub anno 1100 integram potuit. Fieri potest eos numerum incertum, quam

in eadem epistola invenerunt, pro certo habuisse. Epistola : « Cum capta Nicæa cunctus exercitus inde discesserat, plus quam ccc millia armatorum ibi fuerunt. » Sed et Urbanus II PP. in quadam epistola ad Alexium Constantinop. imp. : « Tanta hominum multitudo, inquit, cruce signata est, ut ad ccc hominum millia censa fuerint. » Quidquid sit, auctor illius libelli imposuit Ottoni et Chunrado. Vir incomparabilis Nicolaus Vignerius viderat Anonymum priusquam Bongarsius eum compedibus solutum asseruisset in libertatem. Nam ter citat, et illud de Francorum bellica a virtute celeberrimum emblema, quod ex ms. adducit lib. III Bibliothecæ, ad annum 1097! hodie habetur in Edito Bongarsiano lib. III, desumptum ex Tudebodo lib. II, oscitanter neglectum a Roberto, celebratum Guiberto lib. III et Baldrico lib. II, ex quo Ordericus lib. IX. Tudebodus et ejus interpretes quatuor Tyrensi incogniti fuere, qui duos, Raymundum de Agiles et Albertum Aquensem, sibi præposuerat in hoc itinere duces. Æmilius Tyrensem et Balduinum æmulatur. Id negabit nemo cui voluntas et otium erit eosdem omnes inter se comparare.

Tudebodi sermo solœcismis undique scatet, estque omnis rusticanus quo ante quingentos et quinquaginta annos vulgo, qui Romane loqui se putabant, utebantur ; hoc solum Latinus, quatenus terminationes verborum et flexiones, nescio quo quamvis aspero et rudi, Latinitatis sono aures nostras radunt, et verberant : quem facile præterire et evanescere patiamur, modo res delectationi et utilitati in omne tempus non parum profuturæ, pondere et soliditate sua hæreant menti et incumbant, eamque mira factorum eventuumque varietate et veritate alliciant et perfundant. Nos etiam in puerulis nostris cum primum discunt fari, veritatem balbutientem quærimus et amamus. Codex membraneus ex quo descripsi, antiquissimus est, et unicus in Europa nostra, ut existimo. Eum mihi dono dedit ὁ μακαρίτης Pilingenius baro Cressonerius, et nobilitate Pictonica vir nobilissimus, et rebus gestis clarissimus, mihique, dum fata sinebant, amicissimus. Rursus ego antigraphum, ut publici juris faceret, concessi Andreæ Duchesnio, regio geographo, mihi multis nominibus percharo, cui respublica magna jam debet, et olim majora debitura erit, cum quæ molitur, et quæ adfecta exire desiderant, dias in luminis auras emiserit. Cætera te docebunt ad Tudebodum Collectanea

---

PETRI TUDEBODI

SACERDOTIS SIURACENSIS

HISTORIA

DE HIEROSOLYMITANO ITINERE.

(DUCHESNE, *Rerum Francic. Script.*, IV, 777, ex codice membraneo V. cl. Joannis Besly, Pictonis, in prætura Fontiniaci comitalis consiliarii et regii patroni.)

INCIPIT LIBER PRIMUS.

Cum jam appropinquasset ille terminus, quem Dominus quotidie suis demonstrat fidelibus, specialiter in Evangelio dicens : *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum et tollat crucem suam, et sequatur me* (*Luc.* IX, 23), facta est motio in universis Gallorum nationibus, ut si aliquis Dominum studiose puroque corde desiderasset, atque post ipsum crucem fideliter bajulare voluisset, non dubitasset sancti sepulcri viam celerius accipere. Apostolicus enim Romanæ sedis quantocius intra montaneas partes profectus est, cum suis archiepiscopis, episcopis et presbyteris, cœpitque subtiliter sermocinari et prædicare, dicens ut si quis animam suam salvam facere voluisset, non dubitasset viam Domini accipere, ac si denariorum ei deesset copia, divina satis ei daret misericordia. Ait quippe domnus apostolicus Urbanus : « Fratres, oportet nos multa pati pro nomine Christi, videlicet miserias paupertatum, persecutionum, egestatum, infirmitatum, nuditatis, famis et sitis, et alias hujusmodi, sicut isdem Dominus suis ait, dicens : Oportet vos pati pro nomine meo ; et : Nolite erubescere loqui ante facies hominum; *ego* vero *dabo vobis os et sapientiam* (*Luc.* XX, 15), ac deinceps subsequetur vos larga retributio. « Cumque jam hic sermo paulatim per universas regiones ac Gallorum provincias cœpisset crebrescere, Franci audientes talia eloquia, protinus in dextera fecere cruces suere scapula, dicentes se unanimiter Christi sequi vestigia, quibus de manu erant redempti tartarea.

Jam jamque Galli ex suis remoti sunt domibus. Fecerunt denique Galli tres partes. Una pars in Ungriæ intravit regionem, scilicet Petrus Eremita, et dux Godefridus, et sapiens Christi athleta Baudoinus frater ejus, quos Dominus mundi gloria muniat atque custodiat. Isti prudentissimi milites, et alii plures, quos ignoro, et ductore careo, venerunt per viam, quam jamdudum Carolus Magnus mirificus rex Franciæ aptari fecit usque Constantinopolim. Petrus vero Eremita primus Constantinopolim venit III Kal. Augusti, et cum eo maxima multitudo Alemannorum. Illicque invenit Italicos, et Longobardos, et alios quamplures congregatos, quibus imperator jusserat dari mercatum, sicuti fuerat in civitate, dixitque illis : « Nolite transmeare brachium, donec veniat maxima Christianorum virtus, quia vos tanti

nos estis, quod cum Turcis præliari valeatis. » Ipsi vero Christiani nequiter se in omnibus habebant. Nam palatia civitatis destruebant et ardebant, et auferebant plumbum, unde ecclesiæ erant coopertæ et vendebant Græcis. Quapropter imperator Alexius nimis iratus, jussit illos transmeare brachium. Postquam vero transfretaverunt, non cessabant agere omnia mala. Nam ardebant et devastabant domos et ecclesias. Tandem pervenerunt Nicomiam. Illic divisi sunt Lombardi et Longobardi, et Alemanni a Francis, quia Franci pleni erant invidia et tumida superbia. Elegeruntque seniorem, nomine Rainaldum, et intraverunt Romaniam, et per quatuor dies ierunt ultra Nicænam civitatem, et invenerunt quoddam castrum Exerogorgo, quod vacuum erat gente. Et apprehenderunt illud, in quo invenerunt frumentum abundanter, et vinum, et carnes et omnia bona. Audientes itaque Turci quod Christiani essent in castro, venerunt continuo obsidere illud. Ante portam quidem castri erat puteus, et ad pedem castri erat fons vivus, juxta quem exiit Rainaldus excubare propter Turcos. Venientes itaque Turci in die dedicationis S. Michaelis, invenerunt Rainaldum, et alios omnes qui cum eo erant, et occiderunt multos ex eis. Alii vero qui remanserunt fugerunt in castrum, quod Turci obsederunt continuo, eisque aquam abstulerunt. Fuerunt itaque nostri in tanta afflictione sitis, quod flebotomare facerent suos equos et asinos, quorum sanguinem bibebant; et alia quamplurima terribilia propter penuriam aquæ perpetrarunt. Alii vero mittebant cincidas in piscinam et postea dimittebant in os suum. Alii quippe mingebant in pugillo alterius, et sic bibebant. Alii autem fodiebant humidam terram, et supini jactabant se, et mittebant eam super eorum pectora aut corpora pro nimia ariditate sitis. Episcopi autem et presbyteri, qui illic aderant, commonebant eos dicentes : « Estote fortes, dilectissimi, in fide Christi, et nolite timere eos qui vos persequuntur. Nam Dominus dixit : *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere* (*Matth.* x, 28). Hæc persecutio fuit diebus octo. Interea dominus Alemannorum consiliatus est cum Turcis, qualiter traderet alios omnes. Et fingens se exire ad bellum, fugiit ad illos cum multis. Illi autem, qui Dominum negare noluerunt, capitalem sententiam susceperunt. Alios apprehenderunt Turci, et diviserunt inter se sicut quælibet animalia. Alios miserunt ad signum, et sagittabant eos; alios vendebant et donabant, prout illis erat voluntas. Unusquisque deducebat suos ubi ipsi manebant, alii in Carosanum, alii in Antiochiam, alii Aleph. Isti primi acceperunt feliciter martyrium. Post hæc audientes Turci quod Petrus Eremita et Gauterius fuissent in Civitoth, quod est supra Nicænam civitatem, concurrerunt illuc cum magno gaudio, trucidare eos cupientes. Et cum invenissent Gauterium cum suis militibus, omnes confestim occiderunt. Petrus autem Eremita paulo ante venerat Constantinopolim, eo quod nequiret retinere indomitæ gentis vesaniam; qui nec in modico obtemperare volebant saluberrimis monitis ipsius. Igitur Turci, irruentes super eos, multos occiderunt, alios dormientes, alios jacentes, alios nudos, nec non et presbyteros missas celebrantes super altaria martyrizaverunt. Illi qui potuerunt evadere, fugerunt Civitoth, alii miserunt se in mare, alii in silvas, alii in montana. Turci namque persequentes eos in castrum, adunaverunt ligna, ut eos arderent cum castro. Christiani igitur, qui in castello erant, submiserunt ignem in lignis adunatis, et ex Dei voluntate reversus est ignis ad Turcos, et idcirco eos reliquerunt. Igitur Turci dividentes illos, quos apprehenderant vivos, distraxerunt quosdam Corosanam, alios in Persidam, et alios per diversas provincias. Hoc totum factum est in mense Octobrio. Audiens hoc imperator, quod Turci ita dissipassent nostros, lætus et gavisus fuit, fecitque eos remeare trans brachium. Post hæc comparavit omnia arma eorum. Hæc omnia ita gesta sunt.

Secunda vero pars intravit partes Sclaviniæ, scilicet Raimundus Sancti Ægidii comes, et cum eo honorabilis Podiensis episcopus. Tertia autem pars per antiquam Romam venit. In ista parte præerant Flandrensis comes, et Rotbertus Northmannus, et Hugo Magnus, et alii plures. Hi omnes applicuerunt ad portum Brundusium, et Barum, atque Tarentum. Mox Hugo Magnus, et Guillelmus marchisi filius, mittentes se in mare porto Barum, transfretaverunt Durachim. Quod audiens dux civitatis, illos videlicet applicatos, continuo iniqua cogitatione succensus jussit illos apprehendi, et Constantinopolim ante imperatorem deduci, ut ei fidelitatem facerent. Dux itaque Godefridus cum suo exercitu Constantinopolim adveniens pridie Natale Domini, hospitatus est juxta civitatem, fuitque ibi, donec imperator jussit eum in burgo recipi. Cumque receptus fuisset, eligebat secure ex suis quos per singulos dies transmittebat foras, ut asportarent paleas et alia necessaria. Sed perfidus imperator suis Turcopolis et Pincinnatis sub dole imperabat eos invadere et occidere. Quod animadvertens Baudoinus frater ducis, mox sagaciter cœpit perquirere an forte illos utcunque invenire potuisset. Tandem gentem suam eos devastantes reperiens, animositate invasit, et Deo adjuvante superavit. Et apprehendens ex eis sexaginta, alios interfecit, alios ante ducis conspectum deduxit. Quod audiens imperator, tristis nimis effectus est. Dux autem sentiens imperatoris stomachationem, jussit suos commilitones de burgo exire, et extra civitatem sicut prius castra ponere. Imperator vero sero superveniente misso exercitu fecit invadere ducem, plebemque sanctam. Quos persequens invictus dux cum Christianis militibus, occidit septem ex illis, persequendo alios usque ad portam civitatis. Dehinc reversus ad tentoria, mansit inibi per quinque dies. Post hæc transfretavit dux brachium Sancti Georgii

cum omni exercitu, fœderatus prius cum imperatore, tali videlicet pacto, ut omnia quæ sibi necessaria forent multo vilio i pretio exercitui venundarentur quam prius in civitate emebantur. Insuper etiam promisit imperator, omnibus adventantibus pauperibus alimonia erogare, unde vivere abundanter potuissent.

Quomodo Boamundus crucem accepit.

Interea Boamundus, qui erat in obsidione Malphî, scilicet Caphardi pontis, audiens venisse innumerabilem gentem Francorum, quatenus viam sancti sepulcri de manu eriperet pessimorum paganorum, ut ulterius fuisset liberata, et Christianis omnibus undique staret patefacta, continuo capit sapientissime et diligenter inquirere quæ arma pugnandi hæc gens defert, et quam ostensionem Christi portat in via, vel quod signum in certamine sonat. Cui per ordinem dicta sunt omnia. Deferunt arma itaque jugiter ad bellum congruentia; in dextra vel inter utrasque scapulas crucem Christi bajulant. Sonum vero Deus hoc vult, Deus hoc vult, Deus hoc vult, simul una voce conclamant. Mox sancto Spiritu commotus, jussit quoddam pretiosissimum pallium, quod apud se habebat, deferri, idque incidi præcepit, quod et in cruces totum expensum. Cœpit namque ad eum concurrere maxima pars militum, qui erant in obsidione illa, ita ut comes Rogerius pene solus remanens, reversusque Siciliam, doleret se gentem amisisse suam. Reversus itaque Romandus in terram suam iterum. Diligenter enim undique honestavit sese ad incipiendum sancti sepulcri iter. Tandem transfretravit mare cum suo exercitu, et cum eo prudentissimus Tancredus marchisi filius, et cum eo alii plures. Omnes transfretraverunt, et applicuerunt in Bulgariæ partes. Ibi invenerunt abundantiam frumenti et vini et alimenti corporis. Deinde descendentes in vallem de Andronopoli, illicque applicantes, exspectaverunt gentem suam, donec omnes transfretati æqualiter fierent. Tunc exeuntes inde, venerunt per nimiam plenitudinem, et de villa in villam, de castro in castrum, quousque perveniunt in Castoriam, ibique Nativitatem Domini solemniter celebrarunt. Egressi itaque de Castoria, intraverunt in Palagoniam in qua erat quoddam hæreticorum castrum. Illi vero undique aggredientes illud una cum habitatoribus in lacum, ubi ædificatum fuerat, A quod continuo in nostro subdunt imperio. Accenso itaque igne combusserunt castrum illud una cum habitatoribus suis, scilicet hæreticorum congregatione. Postea enim pervenerunt ad flumen Bardarum. Perrexit itaque Boamundus cum una parte gentis suæ. Alia pars remansit simul cum comite de Russinolo, et cum fratre suo episcopo. Veniens namque exercitus exsecrati imperatoris, invasit comitem cum fratre suo, et alios omnes. Audiens itaque Tancredus prudentissimus miles, projectus in flumen natando pervenit ad illos. Duo millia militum miserunt se in flumine, sequendo Tancredum. Novissime invenerunt Turcopolos et Pincinnatos dimicantes simul cum nostris, quos repente fortiter invaserunt, et prudenter eos superaverunt. Et apB prehenderunt plures ex eis, et duxerunt eos ligatos ante Boamundi præsentiam. Quos alloquens Boamundus, dixit: « Quare, miseri, occiditis gentem Christi mihi subditam? Ego enim cum vestro imperatore altercationem habeo nullam. » Qui dixerunt: « Nostri imperatoris jussis obtemperantes, nos quidquid ab illo imperatum fuerit adimplere festinamus. » Hos Boamundus absque ulla impunitione permisit abire. Hoc bellum factum est in quarta feria, quod est Caput Jejunii. Per omnia sit benedictus Deus, amen (1). His itaque transactis, imperator nequissimus præcepit cuidam suo fidelissimo corpolasio, ut nos secure deduceret per terram suam, usque dum venissemus Constantinopolim. Venientibus autem nobis ante civitates eorum, imperabat civibus C ut nobis secure apportarent mercatum, quod et ipsi faciebant. Tamen in tantum timebant Boamundi gentem, ut non sinerent aliqua occasione infra civitatem ingredi. Denique sic pervenerunt ad Rusiam civitatem, illicque hospitati sunt. Tunc Boamundus dimisit gentem suam; perrexitque loqui cum imperatore, præcipiens suo comitatui, ut ipsum appropinquantes civitati insequerentur. Qui duxit secum paucos milites. Postquam vero imperator cognovit Boamundum ad se venire, jussit eum recipi, et venerabiliter hospitari in civitatem. Cumque taliter receptus fuisset, mandavit imperatori quatenus insimul colloquerentur. Tunc concordaverunt se ambo. Nam imperator permisit Boamundo quindeD cim dietas terræ in longitudinem Romaniæ, et octo in latitudinem.

INCIPIT LIBER SECUNDUS.

Raimundus itaque comes Sancti Ægidii simul cum Podiensi episcopo exivit de Sclavinia, in qua multa pro Christi nomine et sancti sepulcri via fuit passus, quæ minime pati deberet; in qua etiam plures honestissimos perdidit milites. Exinde pervenit Durachim, quæ civitas imperatoris est, putans jam esse in terra sua, quia de inimicorum evasus est pessimorum manu. Græcorum itaque gens insidians istos prudentissimos milites Christi, quocunque eis nocere aut offendere poterat, die et nocte latenter et occulte non desinebat. Erat autem ibi dux illius civitatis, qui continuo eis fiduciam quosque in terra

(1) In edit. hic explicit liber I.

fuerint sua gavisus spopondit. Infra istam namque fiduciam, quam eis dono concessit, ejus homines fraudulenter ex nostris interfecerunt quemdam egregium militem, cui nomen Pontius Rainaldus erat. Fratrem quoque suum vulneraverunt graviter. Mox illi iter arripientes, invenerunt nuntios imperatoris portantes litteras de pace et firmitate cum illis tenenda, sicut cum filiis propriis. Inter hæc autem Turci, et Pincinnati, et Comati, et Sclavi, et Usi, et Athenasi insidiabantur Christianis, ut in aliqua parte eos lædere potuissent. Quadam itaque die dum Podiensis episcopus hospitatus esset, contigit ut a Pincinnatis caperetur. Qui præcipitantes eum de mula sua, exspoliaverunt, et in vertice capitis graviter vulneraverunt. Sed quia tantus Dei pontifex adhuc populo Dei erat necessarius, per ejus misericordiam vitæ reservatus est. Interea sonus auditur in tentoriis, concurrerunt omnes ad eum, et sine mora eripuerunt eum de illorum manibus. Taliter itaque pervenientes ad quoddam castrum, quod vocatur Buinath, et dictum est comiti quod Pincinnati insidiabantur ei in angusta via cujusdam montis. Qui remansit retro cum pluribus militibus, et invenit Pincinnatos; unam partem illorum occidit, et reliquos fugavit. Interea imperator mittebat litteras suas ad illos pacifice; ex alia vero parte hostes illius undique insidiabantur illos. Tandem pervenerunt ad civitatem quamdam, nomine Reusam. Cives autem illius civitatis aperte quidquid poterant contra illos faciebant. Hoc cum vidisset comes, iratus nimis jussit arripere arma, et impetu maximo debellantes civitatem, cui nomen Rodesto est. Die autem illo milites imperatoris invaserunt eos retro in cauda. Cum quibus comes prœliatus, interfecit ex illis triginta, et sexaginta equos retinuit. Interim venerunt legati ab imperatore missi, dicentes quod imperator promitteret omnia perdita diligenter reintegrare, si comes tantummodo cum paucis et sine armis festinare Constantinopolim dignaretur. Quod et dux Godefridus, et Boamundus, et Flandrensis comes, et omnes alii principes deprecabantur. Aiebant etiam quod imperator assumpta cruce spopondit se venturum Hierosolymam, existens dux et caput Christianorum. Hoc comes audiens, illico dimisso exercitu properavit Constantinopolim loqui cum imperatore. Cui dixit imperator ut ejus homo fieret, et fiduciam ei faceret, quemadmodum Boamundus et alii principes fecerant. Responditque comes: « Absit, ut in hac via aliquem dominum constituam super me, nisi illum tantummodo quem habeo, cujus amore huc usque veni. At si crucem Domini diligenter bajulare vis, et nobiscum Hierosolymam venire, ego et omnes subditi mihi tuo imperio obtemperabimus. » Inter hæc dum comes esset Constantinopolim, exercitus imperatoris insidias exercitui comitis struentes, ex improviso invaserunt, plurimosque ex eis vulneraverunt. Comes autem audiens sui exercitus læsionem, ingemuit, nimisque tristis effectus est. Statimque invocavit Boamundum, et alios principes, mandans imperatori, cur causa proditionis eum Constantinopolim venire fecisset, et suum exercitum lædere consensisset. Qui omnino cum attestatione denegavit, dicens: « Hoc in rei veritatem non est factum meo consilio, quamvis certissime sciam quod tuus exercitus damnum mihi maximum intulerit, castella videlicet et civitates proprias depopulando. Tibi autem fideliter satisfactionem concedo. » Posthæc autem, antequam convenirent ad judicium, comes absolvit fiduciam. Absolutaque fiducia, exercitus ejus venit Constantinopolim. Tunc imperator mandavit comiti, sicut superius diximus, ut faceret ei hominium, quemadmodum alii latrones fecerant. Comes vero meditabatur qualiter se de imperatoris exercitu vindicare potuisset. Sed dux Godefridus, et Flandrensis comes, et alii principes prohibebant eum, dicentes esse injustum pugnare contra Christianos. Et Boamundus dixit quod si aliquod injustum contra imperatorem faceret, et fiduciam ei facere noluisset, ipse foret ex imperatoris parte. Igitur comes, accepto consilio a suis, Alexio vitam et honorem juravit, quod nec per se nec per alium ei terram auferret. Cumque de hominio appellaretur, respondit se nec etiam pro vitæ periculo id facturum. Boamundo itaque dixit imperator, quem valde timebat (nam sæpe eum cum suo exercitu devicerat) quod si libenter jurasset, ei quindecim dietas terræ in extensione ab Antiochia daret, et octo in latitudine. Eique tali pacto juravit, ut si ille fiducialiter tenuisset illud sacramentum, ipse suum nunquam præteriret. Tunc gens Boamundi appropinquavit Constantinopoli.

Omnes itaque Christianæ religionis simul in unum congregati pervenerunt ad portum, sicque una transfretaverunt brachium, et applicuerunt Nicomiam, fueruntque ibi per tres dies. Dux itaque Godefridus, et Flandrensis comes, obsederunt Nicæam civitatem, quæ est totius caput Romaniæ, cum suis exercitibus. Juxta quos venit Boamundus, eamque obsedit a septentrione in sexto die in Maio; ibique castrametati fuerunt. In die autem Ascensionis Domini cœperunt civitatem circumquaque invadere, et ædificare instrumenta lignorum extra turres ligneas, quibus possent murales turres sternere. Tam fortiter et tam acriter aggrediuntur civitatem unanimiter per duos dies, quod fodere quoque fecerunt civitatis murum. Turci quoque, licet gens barbara, miserunt nuntios aliis, qui venerant civitati adjutorium dare, in hunc modum: « Quod audacter secureque approximent, et per meridianam introeant portam, quoniam ex illa parte nemo eis erit obviam, nec contristabit. Quæ porta ipsa die a comite Sancti Ægidii et Podiensi episcopo statim prospere hospitata est. » Qui comes veniens ex illa parte, protectus divina virtute, atque terrenis fulgebat armis cum suo fortissimo exercitu. Hic itaque inveniens Turcos venientes undique, signo crucis armatus vehementer irruit super illos, et superati sunt, et de-

derunt fugam, fuitque mortua maxima pars illorum. Qui rursum venientes nuntio aliorum gaudentes et exsultantes ad certum bellum, deferebant secum funes unde nos ligatos in captivitatem ducerent Corosanum. Venientes autem lætantes in cacumine montis, cœperunt paulatim descendere. Quotquot vero descenderunt in valle illa, capti a Francorum manibus, remanserunt in custodia civitatis. Cæsis itaque eorum capitibus, projecerunt illa in fundo cujusdam instrumenti in civitatem, unde magis dolerent. Comes namque Sancti Ægidii et Podiensis episcopus consiliati sunt in unum, qualiter fecissent fodere turrem, et arbalistæ et sagittarii qui eos defenderent utique. Foderuut namque illam usque ad radices muri, submiseruntque postes et ligna, ac deinde miserunt ignem. Sero autem superveniente, cecidit turris nocte, et quia nox erat, nequiverunt præliari cum illis. Turci vero nocte eadem surrexerunt, et restauraverunt murum tam fortem, quod ex illa parte nemo eos lædere potuisset. Videntes autem Turci quod nullatenus habere adjutorium potuissent, per legationem imperatori mandaverunt, quod civitatem eis sponte redderent, si tantummodo eos abire vivos permitteret cum mulieribus et filiis, et omnibus suis utensilibus. Mox imperator plenus iniqua cogitatione, jussit illos impunitos absque ullo timore sibi eos Constantinopolim adduci. Quod annuerunt Christiani gratia imperatoris. Fuerunt vero in illa obsidione septem hebdomadibus, et multi ex nostris perceperunt felix martyrium pro Christi nomine.

Cum Solimanno Christiani pugnant.

(2) Interea reddita civitate, Turcisque deductis Constantinopolim, imperator magis magisque gavisus, eo quod civitas redigeretur in suam potestatem, jussit copiosam alimoniam pauperibus erogari. Nos vero postquam recessimus a civitate, prima die venimus ad quemdam pontem, ibique mansimus duobus diebus. Tertia autem illucescente die, surrexerunt nostri, et non videntes tenere viam, divisi sunt ab invicem. Nam pars exercitus, videlicet Boamundus, et Rotbertus Northmannus, et Tancredus aliique quamplures, in diversa abierunt. Alia vero pars, scilicet Raimundus Sancti Ægidii comes, et dux Godefridus, et Podiensis episcopus, et comes Flandrensis et plures alii per aliam viam devenerunt. Tertia vero die irruerunt Turci vehementer super Boamundum, et super eos qui cum eo erant, clamantes videlicet atque stridentes excelso clamore, atque dicentes nescio quid diabolicum in barbara lingua. Mox Boamundus sapientissimus vir videns innumerabiles Turcos procul clamare et stridere, jussit celeriter omnes milites descendere, et tentoria extendere. Sed antequam tentoria extensa fuissent, dixit militibus : « O fortissimi milites Christi, ecce bellum in arcto situm est, jamque hostes undique nobis supereminent. Quapropter omnes milites eant illis obviam viriliter, et pedites prudenter, atque citius tentoria extendant. » Dum hæc agerentur, Turci undique jam imminentes circumcinxerunt nos, dimicando, jaculando, spiculando, longe lateque sagittando. Nos vero postquam nequivimus resistere, neque sufferre pondus tantorum hostium, persistimus immobiliter in unum gradum. Feminæ quoque nostræ in illa die fuerunt nobis in refugium, quæ afferebant nobis aquam, confortantes nos, fortiter pugnantes, et viros protegentes. Vir itaque sapientissimus Boamundus protinus mandavit comiti de Sancto Ægidio, et inclyto duci Godefrido, et Hugoni Magno, et honestissimo Podiensi episcopo et aliis omnibus militibus ut festinanter ad bellum approximarent. Qui hæc audientes, primum hunc esse falsissimum putaverunt. Non enim credebant quod illi semel devicti amplius adderent erigere se ad præliandum. Dux igitur Godefridus mox audito nuntio, et Hugo Magnus, advenerunt cum suis exercitibus. Hos autem insequebatur episcopus Podiensis, et Raimundus comes cum magna gente. Hi cum viderent tam innumerabilem gentem Turcorum, multitudinem et Arabum atque Sarracenorum, aliorumque quos enumerare longum est, obstupuerunt, quippe quia omnes montes, et colles, et valles, et omnia plana intus et infra undique stabant cooperta de illa excommunicata gente vel generatione. Factus est itaque sermo secretus inter nos, laudantes et consulentes, atque dicentes : « Estote omnino unanimes in fide Christi, et sanctæ crucis vexilli victoria, quia hodie omnes divites, si Deo placet, effecti eritis. » Continuo ergo fuerunt ordinatæ acies. In sinistra itaque parte fuit Boamundus, et Rotbertus Northmannus, et prudens Tancredus, et Rotbertus de Ansa, et Richardus de Principatu. Episcopus namque Podiensis venit per alteram montaneam, undique circumcingens incredulos Turcos. In dextera vero parte fuit prudentissimus miles Raimundus comes de Sancto Ægidio, et venerabilis dux Godefridus; et acerrimus miles Flandrensis comes, et Hugo Magnus, et alii plures quorum nomina ignoro. Statim autem venientibus militibus nostris, Turci, et Arabes, et Sarraceni, et Agulani, et omnes barbaræ nationes dederunt velociter fugam, per compendia montis et plana loca. Erat autem numerus Turcorum, et Sarracenorum, Publicanorum, et Persarum, Agulanorum, et aliorum paganorum, trecenta sexaginta millia, extra Arabes, quorum numerum nemo scit nisi Deus. Fugientibus autem illis nimis velociter usque ad eorum tentoria, ibi diu morari non licuit. Iterum vero arripuerunt fugam, nosque persecuti sumus eos occidentes per totum diem. Et accepimus spolia multa, aurum et argentum, equos et asinos, camelos, oves et boves, et plurima alia quæ ignoramus. Et tamen nisi Dominus foret in bello, et aliam cito mitteret aciem, nullus nostrorum penitus evaderet. Sed omnipo-

(2) In edit. hic incipit liber III.

tens Deus, et pius, qui non permisit suos milites perire, nec in manus inimicorum incidere, festine illis adjutorium misit. Quis unquam tam sapiens aut doctus vir audebit describere aut præmeditari prudentiam, et militiam et fortitudinem eorum? Qui putabant terrore gentem Francorum minis sagittarum illarum, sicut terruerunt Arabes, et Sarracenos, et Hermenios, et Surianos et Græcos. Sed hoc, si Deo placet, unquam non erit visum, nec factum, nec dictum, nec cogitatum quod ipsi tantum valeant. Verumtamen dicunt se esse de Francorum generatione, et dicunt quod nullus homo naturaliter debet esse miles, nisi Franci et illi. Veritatem quoque dicam per omnia, quam nemo audebit prohibere. Certe si in fide Christi, et Christianitate sancta firmi fuissent, et unum in Trinitate manentem natum de Virgine matre, et passum et resurgentem, ac deinde consolationem sancti Spiritus perfecte mittentem, in cœlo et in terra æqualiter regnantem, recta mente et fide credidissent, magis prudentiores, aut fortiores, aut bellorum ingeniosissimos, aliquis invenire minime potuerit. Ibique interfecti sunt duo honorabiles viri, Gaufredus de Monte-scabioso, et Guillelmus marchisi filius frater Tancredi, et alii milites et pedites, quorum nomina ignoro. De prudentia vero et animositate Turcorum quid plura referam? Sunt namque ferocissimi, humeris et sagittas et pharetras toxicatis refertas portantes, naturaliter bellicosissimi, gloriantes, ut diximus, de Francorum generatione. Sed omnipotens Deus superbiam illorum antea indomitam debellavit per humilitatem Christianorum. Ab hora autem tertia usque ad horam nonam perduravit hoc prælium. Factum est bellum hoc primo die Julii mensis. Unde benedictus Deus per omnia, qui tradidit impios. Amen.

Hic Solimannus superatur a Francis.

(3) Postquam vero inimici Dei et sanctæ Christianitatis omnino devicti fuissent, et per quatuor dies et noctes fugientes huc et illuc, contigit dum Solimannus dux illorum, filius Solimanni veteris, de Nicæa civitate fugeret, quadam die invenit decem millia Arabum, qui dixerunt ei: « O infelix et miser omnium gentilium, cur tremefactus adhuc fugis? » Quibus Solimannus lacrymabiliter ait: « Verumtamen olim cum habuissem omnes Francos devictos, eosque putabam jam habere in captivitate ligatos, dum paulatim voluissem ligare ad invicem, tunc respiciens retro, vidi tam innumerabilem gentem eorum quam si vos, aut alius aliquis adesset illic, putaret quod omnes montes, et colles, et valles, et omnia plana loca plena essent illorum multitudine. Nos igitur illos cernentes, statim cœpimus capere subitaneum iter, timentes tam mirabiliter, quod pene evasimus de illorum manibus. Unde adhuc in nimio terrore sumus. Et si mihi et meis verbis vultis credere, auferte vos hinc, quia si ipsi vos solummodo poterint scire, unus ex vobis vix amplius vivet. » At illi audientes talia, cœperunt retrorsum vertere scapulas, et se expanderunt per universam Romaniam, sed..... exercitus noster persequebatur iniquissimos Turcos quotidie fugientes ante illos. At illi venientes ad cuncta castra, sive civitates, fingentes et deludentes habitatores illorum, dicebant: « Nos devicimus Christianos omnes, atque superavimus illos, eo tenore quod nullus eorum jam unquam audeat se erigere ante nos. Tantum permittite nos intus intrare. » Qui intrantes spoliabant ecclesias, et domos, et alia omnia, et ducebant secum equos et asinos, et aurum et argentum, et mulos, et ea quæ reperire poterant. Adhuc quoque et Christianorum filios secum ducebant, et ardebant et devastabant omnia convenientia sive utilia, fugientes et paventes valde ante faciem nostram. Nostri itaque persequebantur per deserta et inaquosa, et inhabitabilem terram, ex qua vix vivi evasimus. Fames vero et sitis undique coarctabat nos, nihilque penitus nobis erat ad edendum, nisi forte vellentes et fricantes spicas manibus nostris, de tali cibo quam miserrime vivebamus. Ibi fuit mortua maxima pars nostrorum equorum, propter quod multi ex nostris militibus remanserunt pedites, et pro paupertate equorum erant nobis boves in ordine caballorum, et pro nimia necessitate sufficiebant nobis capreæ, et arietes et canes ad portandum nostra. Interea cœpimus intrare optimam terram, plenam temporalibus bonis et aliis deliciis, scilicet omnibus bonis, ac deinceps adproximavimus Iconium. Habitatores enim illius suadentes admonebant nos, ferentes simul nobiscum utres plenos aqua, quia illic in itinere diei unius fuit maxima paupertas aquæ. Nos vero facientes ita, consensimus illorum consiliis, donec pervenimus ad quoddam flumen, ibique morati fuimus per duos dies. Cœperunt enim curritores nostri anteire donec pervenerunt ad Eracleam, in qua erat nimia Turcorum congregatio, exspectans atque insidians, quomodo Christi militibus nocere potuissent. Quos Turcos milites Dei omnipotentis invenientes, audacter invaserunt. Superati itaque sunt Deo annuente inimici nostri in illa die, fugientesque scapulas dederunt. Nostri igitur intraverunt statim civitatem, atque manserunt illic quatuor dies. Qui vero diviserunt se ab aliis, Tancredus honorabilis et acerrimus miles marchisi filius, et Balduinus omnes egregius frater ducis Godefridi, et insimul intraverunt in vallem de Borentot. Divisit enim se Tancredus, et venit Tharso solummodo cum suis militibus. Exierunt namque Turci de civitate, et venerunt obviam eis, atque in unum sunt congregati et præparaverunt se ad bellum contra Christianos. Appropinquantes itaque nostri atque pugnantes omnes, dederunt inimici nostri fugam, revertentes in civitatem celeri gressu. Tancredus vero vir prudens, atque honorabilis Christi miles, pervenit laxatis lo-

(3) Initium libri IV in edit.

ris ad castra ante civitatis portam. Ex alia igitur parte venit vir sapientissimus comes Balduinus cum suo exercitu, postulans et deprecans Tancredum acerrimum militem, quatenus eum amicissime in civitatis societatem suscipere dignaretur. Cui ait Tancredus: « Te omnino in hac civitate denego. » Nocte itaque superveniente, tremefacti omnes Turci una arripuerunt fugam. Exierunt quippe habitatores sub ipsa noctis obscuritate, clamantes, atque dicentes excelsa voce: « Currite, invictissimi Franci, currite, quia Turci expergefacti vestro timore omnes pariter recedunt. » Recedente autem nocte, lux cœpit paulatim insurgere, veneruntque civitatis majores et reddiderunt sponte civitatem, dicentes illis qui ad invicem litigabant: Sinite nunc seniores, sinite modo, quia nos illum flagitamus, et petimus dominari et regnare super nos, qui heri tam viriliter pugnavit cum Turcis. Balduinus itaque mirificus comes altercans et litigans cum prudentissimo Tancredo, dicebat: « Intremus insimul, et exspoliemus civitatem; qui plus poterit habere, habeat; et qui potest capere, capiat. » Cui obstans Tancredus, dixit: « Absit hoc a me! Ego enim Christianos nolo exspoliare. Homines istius civitatis elegerunt me illorum esse Dominum, meque habere desiderant. » Novissime vero nequivit Tancredus diu luctari cum Balduino doctissimo comite, quia maximus illi erat exercitus. Tamen volens nolensque dimisit eum, et viriliter recessit cum suo exercitu. Fueruntque reditæ duæ optimæ civitates: videlicet Athena et Marnistra, et plurima castra. Major vero exercitus, scilicet Raimundus comes de Sancto Ægidio, et Boamundus, et dux Godefridus, et alii plures principes, in Hermeniorum intraverunt terram, sitientes atque æstuantes Turcorum sanguinem. Tandem perveniunt ad quoddam castrum, quod tam forte erat, quod ei nihil potuerunt facere. Erat autem ibi quidam homo, nomine Simeon, qui in ea ortus fuerat regione, quique hanc petiit terram, quatenus eam defenderet de manibus Turcorum. Cui sponte illi dederunt terram, quique remansit ibi cum gente sua. Nos vero exeuntes inde, pervenimus feliciter usque Cæsaream Cappadociæ. A Cappadocia egressi, venimus ad quamdam civitatem valde pulchram et nimis uberrimam, quam paululum ante nostrum adventum obsederant Turci per tres hebdomadas, eamque minime superaverunt. Mox illic advenientibus nobis, continuo se tradidit in manu nostra cum magna lætitia. Hanc igitur petiit quidam miles, cui nomen Petrus de Aluph, ab omnibus senioribus, quatenus eam defenderet in fidelitate Dei, et S. Sepulcri, et seniorum, atque imperatoris. Cui seniores cum nimio amore gratis concesserunt eam. Recedente autem die, nocte vero appropinquante, audivit Boamundus quod Turci, qui fuerant in obsessione civitatis, frequenter præcederent nos. Extemplo præparavit se solummodo cum militibus, quatenus illos dimicaret undique; quos etiam invenire non potuit. Deinceps venimus ad quamdam civitatem, nomine Coxan, in qua erat maxima ubertas atque stipata omnibus bonis, quæ nobis erant necessaria. Christiani igitur, videlicet alumni illius civitatis, reddiderunt se statim, nosque fuimis ibi satis optime per tres dies, atque illic maxime sunt recuperati nostri. Audiens itaque Raimundus comes de Sancto Ægidio quod Turci, qui erant in custodia Antiochiæ, discessissent, in suo invenit consilio cum suis hominibus, quoniam misisset illic qui eam diligenter custodirent. Tandem elegit illos quos legare voluit, videlicet Petrum de Castellione vicecomitem, et Guillelmum de Montepislerio, et Aralium vicecomitem, et Petrum de Roias, et Petrum Raimundum d'Alphul (4), cum quingentis militibus. Venerunt ergo in vallem prope Antiochiam ad quoddam castrum Publicanorum, illicque audierunt Turcos fore in civitate, eamque fortiter defendere præparatos. Petrus de Roias divisit se ab aliis, et proxima nocte transivit prope Antiochiam, et intravit feliciter in vallem de Rugia, et invenit Turcos et Sarracenos, et prœliatus est cum eis, et occidit multos ex eis, et alios persecutus est valde. Misitque plenam hastam de labiis et nasibus Turcorum Raimundo comiti. Videntes hoc Hermenii, scilicet habitatores terræ illius, illum fortiter superasse paganos, continuo illi reddiderunt sese. Ipse vero statim apprehendit Rursiam civitatem, et plurima castra. Nos autem, qui remansimus retro, exeuntes inde transivimus per diabolicam montaneam, quæ tam nimis erat alta et angusta quod nullus nostrorum audebat per tramitem illius, aut per semitam, quæ in monte patebat, ante alium præire. Illic præcipitabant sese equi, et unus sagmarius præcipitabat alium. Milites ergo stabant undique tristes, plaudebant manibus præ nimia tristitia atque dolore, dubitantes quid facere debuissent de semetipsis, et de suis armis, vendentes suos clypeos, et loricas nimis optimas, et galeas, solummodo per tres denarios aut quinque, sive per id quod plus poterant habere. Qui autem vendere nequibant, gratis et in numere jactabant, et ibant. Exeuntes igitur de exsecrata montanea, pervenimus ad quamdam civitatem quæ vocatur Marusim (5). Cultores vero illius civitatis exierunt obviam nobis lætantes, deferentes maximum mercatum: illicque satis habuimus omnem copiam, exspectando donec venit Boamundus. Venerunt itaque nostri milites, et appropinquaverunt in valle in qua regalis civitas Antiochia sita est, quæ est caput totius Syriæ; quam Dominus Jesus Christus tradidit beato Petro principi apostolorum, quatenus eam ad cultum sanctæ fidei vocaret, qui vivit et regnat trinus et unus Deus per cuncta sæcula. Amen.

Quomodo obsessa est civitas Antiochia a Christianis.

Cumque cœpimus ad Pontem Ferreum appropinquare, curritores nostri, qui solebant præcedere nos,

(4) *De Altopullo*, R. de Agil., p. 150, l. XLVIII.
(5) *Marasin.* Bal. l. II, p. 101; *Marasin.* Guib l. IV, p. 499.

invenerunt Turcos innumerabiles congregatos ob-viam eis, qui dare adjutorium Antiochiæ festinabant. Irruentes igitur nostri uno corde et mente super illos sapienter, Turci vehementer superati sunt. Consternati sunt omnes barbari, et dederunt celerius fugam, et multi mortui sunt ex eis in illo certamine. Nostri igitur, superantes illos, Deo adjuvante, acceperunt spolia multa, equos et mulos, camelos et asinos onustos frumento et vino. Venientes itaque nostri castrametati sunt super ripam fluminis. Protinus equitavit Boamundus cum quatuor millibus militum, et venit ante portam civitatis vigilare, an forte aliquis nocte latenter exiret, aut intraret civitatem. Crastina vero die pervenerunt usque Antiochiam civitatem ad medietatem diei, in quarta feria, quod est XII Kal. Novembris, et obsedimus mirabiliter tres portas civitatis, quoniam in alia parte deerat nobis locus obsidendi, quia nimis alta montanea nos coarctabat. Tantum namque eminebant nobis undique inimici nostri Turci, qui erant intus in civitate, quod nemo illorum audebat offendere aliquem ex nostris, fere per spatium dierum quindecim. Mox hospitantibus nobis circa Antiochiam, reperimus satis illic de rore cœli abundantiam, videlicet vineas undique plenas, foveas plenas frumento, arbores refertas pomis jucundis ad edendum, et alia multa bona, quæ alimentis corporeis sunt utilia. Hermenii et Suriani, qui erant intus in civitate, exeuntes ostendebant sese, fugientes. Qui quotidie erant una nobiscum, quique habebant uxores suas intus in civitate. Illi namque ingeniose investigabant nostrum esse, nostramque essentiam et qualitatem, et illis referebant omnia quæ videbant foris facta, vel eis qui erant intus. Postquam vero Turci fuerunt edocti de nostra notitia atque facto, cœperunt paulatim extra civitatem exire, nostrosque peregrinos undique coangustare, non solum ex una parte, sed undique erant latentes obviam nobis ad mare et ad montaneam. Erat autem ab hoste non longe quoddam castrum, cui nomen Aregh. Illic congregati erant fortissimi Turci non pauci, sed plures qui frequenter conturbabant nostros homines. Reperto itaque loco ubi illi latebant, nostri milites qui subtiliter quærebant illos, obviam veniunt illis. At nostris paulatim redeuntibus retro, ubi sciebant Boamundum reconditum cum suo exercitu, statim fuerunt illic mortui multi ex nostris militibus. Hoc itaque Boamundus audiens, surrexit continuo ut fortissimus Christi athleta. Barbari vero illic irruerunt contra, eo quod nostri erant pauci; tamen insimul juncti inierunt bellum. Mortui namque sunt multi ex inimicis nostris, et capti, qui fuerunt deducti ante civitatis portam, et decollabantur ibi, ut magis tristes fierent illi qui erant in civitate. Exiebant quippe alii de civitate, ita quod si mittebant sagittas, cadebant in Boamundi plateam, et una die quædam mulier occubuit ictu sagittæ.

Congregati itaque omnes nostri majores ordinaverunt consilium, dicentes: « Faciamus igitur castrum in vertice montis Maregart, qui mons est super Boamundi hostem, quo securi et tuti possimus manere de Turcorum fortitudine. » Facto itaque castro, et munito, omnes majores studiose adinvicem illud custodiebant. Jam jamque cœperant frumentum et omnia nutrimenta corporis nimis esse cara ante Domini nostri Jesu Christi Nativitatem. Foras nihil penitus audebamus, nihil in terra Christianorum ad edendum penitus invenire. In Sarracenorum namque terra nemo intrare audebat, nisi cum maxima gente. Ad ultimum statuerunt seniores nostri consilium, ordinantes quemadmodum recte regerent has gentes. Invenerunt itaque in consilio quatenus una pars nostri diligenter pergat abstrahere stipendium, inibique custodire exercitum; alia quoque pars fiducialiter remaneat custodire hostem. Boamundus ergo dixit: « Seniores et prudentissimi milites, si vos vultis, et bonum honestumque videtur vobis, ego ibo cum prudentissimo Flandrensi comite. » Celebratis itaque gloriosissime solemnitatibus Nativitatis, die Lunæ, scilicet secunda feria, egressi sunt, et alii plusquam viginti millia militum et peditum, et sani et incolumes intraverunt Sarracenorum terram. Congregati quippe erant multi Turci, et Arabes, et Sarraceni, ab Hierusalem, et Damasco, et Aleph, et ab illa regione.... qui veniebant Antiochiæ fortitudinem dare. Audientes itaque isti Christianorum gentem esse conductam in illorum terram, illico præparaverunt sese ad bellum contra Christianos, atque summo diluculo venerunt in locum quo nostra gens erat in unum. Diviseruntque se ab invicem barbari, et fecerunt duas acies, una acies ante, altera retro, cupientes ex omni parte circumcingere nos. Egregius igitur comes Flandrensis, undique regimine fidei ac signo crucis, quam fideliter bajulabat, armatus, occurrit illis una cum prudentissimo Boamundo. Irruerunt-que nostri unanimiter super illos. Qui statim arripuerunt fugam, et festinanter verterunt scapulas retro, et mortui sunt multi ex illis; alii remanserunt vivi, velociter fugientes. Ierunt extunc et nunc in iram perditionis. Nos autem reversi sumus cum magno tripudio, laudantes et magnificantes trinum et unum Deum qui vivit et regnat nunc et semper in ævum, amen. Turci vero inimici Dei videlicet et sanctæ Christianitatis, qui erant in custodia civitatis Antiochiæ, audientes Boamundum et Flandrensem comitem in obsidione non esse, exierunt de civitate, et audacter veniebant prœliari nobiscum, insidiantes undique, ex qua parte plus esset obsidio languida, scientes illos prudentissimos milites foris esse. Inveneruntque quod in una die Martis potuissent nos lædere et obsistere nobis. Veneruntque iniquissimi caute, et irruerunt vehementer super nos nescientes hoc bellum atque ignorantes, occideruntque multos ex nostris milites et pedones. Episcopus namque Podiensis Sanctæ Mariæ in illa amara die perdidit suum senescalcum conducentem et regentem suum

vexillum. Et nisi esset flumen, quod erat inter nos et illos, sæpius invaderent nos, atque maximam læsionem in nostram gentem facerent. Adhuc et in nostras laxatis frenis concurrerunt tendas. Regrediebatur autem prudentissimus Boamundus simul cum exercitu suo de Sarracenorum terra, venitque in Tancredi montaneam, cogitando an forsan ibi inveniret aliquid quod defendere potuisset, totamque terram in expiando (6) miserunt. Alii invenerunt, alii vero vacui reverterunt. Illi vero qui invenire non poterant, statim reverti festinabant. Tunc Boamundus increpavit eos valde, dicens : « O infelix et miserrima gens ! o vilissima ac dolentissima omnium Christianorum ! cur tam celeriter vultis abire? Sinite modo, sinite. Usquequo erimus omnes congregati in unum? Nolite errare sicut oves non habentes pastorem. Si autem inimici nostri invenerint vos errantes, occident vos, quia die noctuque vigilant atque excubant, ut vos sine ullo ductore segregatos sive solos inveniant, qui nos quotidie occidere, atque in captivitatem laborant ducere. Quid, miseri, facietis : » Cumque finis esset dictis, respiciens se ante et retro, et cum jam invenisset undique solum ; tamen cum illis quos reperire potuit ad suum reverterunt exercitum, plus vacui quam onusti. Videntes autem hoc Hermenii, et Sarraceni, et Græci, quod nostri penitus vacui rediissent, nihilque secum deferrent, consiliati in unum abibant per montaneas, et præscita loca, subtiliter inquirentes et ementes frumentum, et corporea alimenta, quæ ad hostem deferebant, in quo fames erat immensa, et vendebant unius asini onus octo purpuratis, qui appretiati erant centum viginti denariorum solidis. Ibi quidem mortui fuerunt multi ex nostris militibus, non habentes pretium unde tam carum emere potuissent.

Willelmus igitur Carpentarius, et Petrus Eremita, pro immensa infelicitate ac miseria quas in se sciebant, insimul consiliati, latenter recesserunt. Quos Tancredus persequens, apprehendit secumque duxit cum magno dedecore, et fidem illi dedit Willelmus, quod libenter redisset ad exercitum, et satisfactionem senioribus faceret. Tota namque nocte, uti mala res, in tenda Boamundi jacuit. Crastina autem die summo diluculo venit erubescendo ante Boamundi præsentiam. Quem alloquens Boamundus, dixit : « O infelix infamia totius Franciæ ! o dedecus et scelus Galliarum provinciæ ! et o iniquissime omnium quos terra suffert ! cur tam turpiter fugisti? Forsitan propter hoc nequam voluisti tradere hos milites, et exercitum Christi, sicut tradidisti alios in Hispania? » Qui omnino tacuit, et nullus sermo ex ejus ore processit. Adunaverunt igitur sese omnes Francigenæ, rogaveruntque humiliter Boamundum, ne deterius ei aliquid facere permittat. Ait vero ille : « Hoc enim pro vestro amore libenter faciam, si modo toto corde et mente juraverit, ita quod nunquam sit reversurus ab itinere sancti sepulcri, sive bono, sive malo, et Tancredo neque per se neque per alios amicos suos aliquid mali fieri consentiat. » Qui statim, auditis his sermonibus, libenter concessit. Postea vero Guillelmus Carpentarius, turpitudine captus, non diu morans, furtim recessit. Hanc paupertatem et miseriam pro nostris delictis concessit nobis habere Deus. In toto namque exercitu non valebat aliquis invenire mille milites qui equos haberent optimos. Igitur (7) quidam miles et dives et nobilis de exercitu imperatoris, quem imperator commiserat Francis, ut ipse pulchre conduceret illos, et terram liberatam de Turcorum manibus in fidelitate imperatoris reciperet ; ille, ille infelix audiens quod exercitus Turcorum venisset super nos, ingemuit, arbitransque omnes perisse, atque incidisse in manus inimicorum nostrorum, fingens et componens omnia failacia quæ jugiter machinari poterat, dixit illis : « Seniores, et prudentissimi viri, videte quia nos sumus hic in hac nimia necessitate coacti, et ex nulla parte nobis adjutorium succedit. Ecce modo sinite me in Romaniæ reverti patriam ; absque ulla dubitatione revertar ad vos. Ego vero huc faciam multas naves venire per mare, onustas frumento, vino, hordeo, carne, farina, et caseis, et omnibus bonis alimentis quæ necessaria sunt. Adhuc autem et equos faciam conducere ad vendendum, et mercatum per terram imperatoris huc venire cito faciam. Ecce hæc omnia vobis fideliter jurabo ad tenendum. Adhuc quoque domestici mei, et papilio meus jugiter in campo erit. Et nullo modo nolite increduli esse, sed firmiter credite quia ego quantocius ad vos revertar. » Ivit ille inimicus, omniaque sua dimisit in campo, eo tenore quod tunc, et modo, et semper perjuratus erit. Sic itaque tali modo venerat nobis magna necessitas quod Turci undique constringebant nos, quod nullus nostrorum audebat jam exire extra tentoria ; tantus erat Turcorum timor. Illi namque constringebant nos in una parte, coangustabat nos crudelis fames in alia. Eramus nos miseri valde ac dolentes. Majores nostri quoque in nimio pavore erant. Succursus quidem aut adjutorium nobis penitus deerat. Gens minuta et pauperrima fugiebant, alii Cypro, alii in Romaniam, alii in montaneis. Ad mare utique non audebamus ire præ timore pessimorum Turcorum ; nullatenus erat nobis via patefacta.

(6) *En épiant et cherchant de tous côtés*, quod interpolator non intellexit. Gallicum est.

(7) *Tetigus. Tyr. lib.* II, *c. ult*, p. 664, ubi *Tatinus vocatur et de hoc loco*, IV, *c.* 21, p. 694. *Tatic. Raim. de Agil.*, p. 145. *Tatingus*, *Bald. l.* II, p. 103.

INCIPIT LIBER TERTIUS.

Item Christiani pugnarunt cum Turcis.

Interea nostri principes audientes innumerabilem gentem Turcorum venisse super nos, ceperunt consilium, dicentes : « Ecce innumerabilium Turcorum exercitus venit super nos, quid faciemus ? Nos quidem tanti non sumus, quod in duabus partibus pugnare valeamus cum illis. Faciamus ergo ex nobis duas partes. Pars namque militum remaneat jugiter custodire papiliones nostros, et obsistere his qui in civitate sunt. Et alia pars militum simul equitet obviam inimicis nostris, qui hic hospitati sunt prope nos in castello quod vocatur Areg, ultra Pontem-Ferreum. » Sero autem facto, exierunt de tentoriis, et consilium fecerunt, dicentes : « Omnes eamus contra inimicos nostros, qui sunt viginti quinque millia, sicut narratur nobis. Sed Podiensis episcopus, et Rotbertus Northmannus, et Eustachius comes, remaneant custodire ab illis qui in civitate sunt. » Summo autem diluculo remiserunt ex militibus suis, qui exierunt videre exercitum Turcorum, et ubi sunt, et quid certe agant. Exierunt itaque illi, et cœperunt subtiliter inquirere ubi acies eorum Turcorum sunt reconditæ. Illico viderunt segregatos venire ex parte fluminis divisos per duas acies, maxima vero illorum virtus veniebat retro. Reversi sunt ergo celeriter nostri, dicentes : « Ecce, ecce jam veniunt. Estote itaque omnes undique parati, quia jam prope sunt nobis, sicut potestis videre. » Decreverunt nostri se ut unusquisque ex majoribus per se ordinaret suam aciem. Mox ordinaverunt sex acies. Quinque autem acies ierunt adunatim invadere illos. Flandrensis comes fuit in primo capite. Boamundus paulatim gradiebatur retro cum sua acie. Juncti igitur prospere nostri cum Turcis, unusquisque sternebat alium. Clamor vero eorum resonabat ad cœlum. Imbres telorum obnubilabant aerem. Postquam venit maxima virtus eorum, quæ erat retro, acriter invasit nostros, ita ut nostri jam paululum recederent retro. Hoc cum vidit Boamundus, ingemuit. Præcepit ergo conestabili suo, scilicet Rotberto filio Girardi, dicens : « Recordare prudentium antiquorum et nostrorum fortium parentum, quales fuerunt et qualia bella fecerunt. » Fuit itaque ille signo crucis armatus ut fortissimus athleta, et sicut sapiens et prudens invasit illos, deferens vexillum Boamundi. Videntes autem aliæ acies quod vexillum Boamundi tam prudentissime foret ante alios delatum, reversi sunt retrorsum, et ipsos unanimiter invaserunt. Fueruntque nostri numero septingenti, Turci viginti quinque millia. Sed gratia Dei omnes stupefacti arripuerunt fugam, et verterunt statim scapulas retro. Nostri igitur persecuti sunt illos, superantes ac detruncantes. Reversi sunt vero Turci festinanter in suum castrum. Qui vivi remanserunt, acceperunt A omnia quæ ibi reperire potuerunt, totum castrum exspoliaverunt, miseruntque ignem et fugerunt. Hermenii, et Suriani, et Græci scientes omnino Turcos perdidisse bellum, exierunt et excubaverunt per arcta loca, et occiderunt, et apprehenderunt multos ex eis. Superati sunt itaque Deo annuente in illa die inimici nostri. Satis vero recuperati sunt de equis, et aliis rebus multis, quæ erant illis valde necessariæ. Accipientes itaque multa spolia, deduxerunt multos ex illis inimicis vivos secum, et plurima capita mortuorum detulerunt ante portam civitatis, ubi legati Ammirati Babyloniæ castrametati fuerant, quæ mittebantur comiti de Sancto Ægidio et aliis senioribus. Illi, qui remanserunt in tentoriis, tota die prœliati sunt cum illis qui in B civitate erant, ante tres portas civitatis. Factum est hoc bellum in die Martis ante Caput Jejunii, v Idus Februarii, favente Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat, amen

Reversi sunt itaque nostri, hoc agente Deo, gaudentes de triumpho, quem in die illo habuerunt de inimicis, qui sunt per omnia semper superati fugientes, huc et illuc vagantes, et errantes; alii in Gorosanum, alii vero in Sarracenorum intraverunt terram. Videntes autem nostri majores ac seniores, quod male tractarent nos et constringerent inimici nostri, qui erant in civitate (die enim ac nocte jugiter vigilabant et insidiabantur, qua parte nos lædere ac angustari potuissent), C congregati in unum consilium petierunt, dicentes : « Priusquam perdamus gentem Dei et nostram, faciamus castrum ad Macomariam, quæ est ante portam ubi pons est, ibique forsitan poterimus inimicos nostros constringere. » Consensere omnes consilio, et laudaverunt quod bonum esset ad faciendum. Comes de Sancto Ægidio dixit primus : « Estote mihi in adjutorium ad faciendum castrum, et ego muniam et servabo. » Respondit illi Boamundus : « Si vos vultis, et alii seniores laudaverint, ibo vobiscum ad portum Sancti Simeonis, diligenter conducere illos qui illic sunt homines, qui hoc fideliter peragant opus. Alii qui sunt remansuri undique muniant sese ad defendendum, si forte inimici nostri et Dei exierint de civitate, et in loco illo sint D omnes congregati in unum, scilicet ubi nos demonstrabimus. » Factumque est ita. Comes igitur et Boamundus perrexerunt ad Sancti Simeonis portum. Nos itaque, qui remansimus congregati in unum, ubi castrum incipere debuissemus, tunc Turci videntes hoc præparaverunt se, et illico exierunt extra civitatem obviam nobis ad prælium. Sic itaque irruerunt super nos, et miserunt nos in fugam, et occiderunt plures ex nostris militibus. Unde nos tristes dolentesque fuimus. Crastino autem videntes

Turci quoniam majores nostri non essent in obsessione, et quod hesterna die militassent ad portum, præparaverunt se omnes majores de Turcorum exercitu, et militaverunt illis obviam venientibus e portu. Tunc videntes comitem et Boamundum venientes, et conducentes gentem de portu, continuo cœperunt stridere et garrire, et clamare vehementissimo clamore, circumcingentes undique nostros, sagittando et vulnerando, ac crudeliter undique detruncando ensibus. Tam acriter invaserunt nostros, quod illi inierunt fugam per proximam montaneam, ac ubi patebat via eundi. Qui potuit se expedire celeri gressu, evasit vivus. Ille vero qui fugere nequivit, pro Christi nomine martyrium suscepit. Fueruntque in illa die martyrisati ex nostris militibus sive peditibus plus quam mille, qui in cœlum lætantes ascendebant, candidatam ferentes stolam recepti martyrii, glorificantes et laudantes Deum trinum et unum, in quo feliciter triumphabant, et dicebant concordabili voce : « Quare non defendis sanguinem nostrum, Deus noster, qui hodie est effusus pro tuo nomine? » Boamundus itaque viam, quam alii tenuerunt, non tenuit, sed celerius venit cum paucis militibus laxatis frenis, donec properasset usque ad nos, qui eramus in unum congregati ultra fluvium Pharphar. Tunc nos accensi in ira occisione nostrorum, Christi invocato nomine, et sancti confidentes sepulcri Christi itinere. juncti insimul sic pervenimus contra eos ad bellum, quo usque invasimus uno corde et animo. Stabant autem inimici nostri et Dei undique stupefacti et vehementer perterriti, et putantes nos devincere et occidere, quemadmodum gentem comitis Raimundi et Boamundi. Sed omnipotens Deus hoc illis permittere nullatenus voluit. Tunc dux Godefridus Christi miles potentissimus, irruens in eos evaginato ense, percussit quemdam gentilem ferocissimum tam viriliter, ut in duas partes ipsum divideret, a vertice videlicet usque in sellam equi (8). Actumque et ex Dei providentia ut, quamvis in duo discissus, minime ex toto de equo dilaberetur. Post hunc aggressus alium ex obliquo, secuit eum per medium. Ex hinc maximus terror et horror omnes inimicos Christianitatis perculit, non solum qui præsentes aderant, sed omnes qui hoc utcunque audire potuerunt. Deinde dux per omnia memorandus illos in fugam versos persequens, nunc hos, nunc illos ut leo fortissimus invadens, detruncabat, et in amnem præcipitabat. Simili autem modo Hugo Magnus, et comes Sancti Ægidii, et Boamundus et Flandrensis comes, et alii proceres ipsos trucidabant, et in amnem præcipitabant. Locus vero fugiendi non erat, nisi solummodo per pontem, qui tunc illis perangustus erat, ipsique semetipsos præpedientes in flumine demergebantur. Milites igitur veri Dei undique signo crucis protecti irruerunt nimis acriter super illos, et fortiter invaserunt. Illi autem arripuerunt celerem fugam per medium pontis angusti, ad illorum interitum. Illi, qui vivi non potuerunt pertransire pontem præ nimia multitudine gentium et caballorum, ibi receperunt sempiternum interitum, et reddiderunt infelices animas diabolo et Satanæ ministris. Nos itaque superantes eos impellebamus in flumen cum nostris mortiferis lanceis. Unda quoque rapidi fluminis ubique videbatur fluere rubea Turcorum sanguine. Et si forte aliquis eorum voluisset reptare super pontis columnas, aut natando vulneratus ad terram moliretur exire, nos undique natantes super ripam fluminis impellebamus, necantes eum impetu rapidi fluminis. Rumor quoque et clamor nostrorum et illorum resonabat ad cœlum. Pluviæ telorum et sagittarum tegebant polum et claritatem diei; altæ voces intus et extra civitatem erant. Mulieres civitatis veniebant ad muri fenestras Christianæ, inspectantes misera fata Turcorum, et plaudebant manibus occulte, sicut mos est illarum. Hermenii, et Suriani, et Græci, jussu majorum Turcorum tyrannorum quotidie inviti sive sponte sagittabant celeres sagittas. Mortui sunt in anima et corpore duodecim Ammiralii de Turcorum agmine in prælio illo, et aliorum prudentissimorum militum et fortiorum, qui melius pugnando civitatem defendebant, numerus quorum mille quingenti. Alii qui remanserunt vivi, jam non amplius audebant clamare, neque garrire, in die sive in nocte, sicut ante solebant. Omnes itaque nos et illos non separavit quisquam nisi solummodo nox. Nox itaque divisit utrosque præliando, et jaculando, et sagittando. Sicque virtute Dei et sancti sepulcri superati sunt inimici nostri, eo tenore quod ulterius non valuerunt habere talem virtutem neque in voce, neque in opere, sicuti prius. Nos itaque valde fuimus in illa refecti die de illorum equis, et de aliis multis rebus quæ satis nobis erant necessariæ. Crastina autem die summo diluculo exierunt alii Turci de civitate, et collegerunt omnia cadavera fetentia Turcorum mortuorum, quæ reperire potuerunt super ripam fluminis, exceptis illis quæ in alveo latebant fluminis, et sepelire fecerunt ad Machomariam, quæ est ultra pontem civitatis ante portam. Simulque cum illis sepeliere pallia, bysanteos aureos, arcus et sagittas, et alia quam plurima instrumenta quæ nominare nequivimus. Audientes itaque nostri quod humare mortuos Turcos fecissent, omnes statim præparaverunt sese, et venerunt festinantes ad diabolicum atrium, et jusserunt desepelire, et frangere eorum tumbas, et trahere illos extra illorum sepulturas. Et ejecerunt eorum cadavera omnia in quamdam foveam, et deportaverunt cæsorum capita ad tentoria nostra, quatenus perfecte sciretur eorum numerus, excepto quod equos onustos eorum capitibus quatuor fuerunt ad mare nuntiis Amiralii Ba-

(8) Videndus Tyrius, lib. v, c. 6, p. 701, et Albertus Aquensis, l. III, c. 65, p. 238 ; Robertus mon., lib. IV, p. 50, et l. 9., p. 75.

bylonis delata. Quod videntes Turci, nimis fuerunt tristes, et dolentes usque ad necem. Qui quotidie plorantes, nil aliud quibant facere nisi plorare et ululare. Tertia autem die veniente, cœperunt gaudentes et exsultantes juncti insimul ædificare eodem die castrum illud jam supradictum, de iisdem lapidibus quos abstraximus desuper humatis Turcorum corporibus. Peracto itaque castro, mox cœpimus ex omni parte coangustare prudenter inimicos nostros, quorum tumida colla ad nihilum jam erant redacta. Quod castrum unusquisque seniorum nostrorum fecit per partem immenso aggere et muro, et ædificaverunt in eo duas turres in Machomaria. Nos autem secure ambulabamus huc et illuc ad portum, et ad montaneam, laudantes et glorificantes jocunda, læta et consona voce, Dominum Deum nostrum, cui est honor et gloria per cuncta sæculorum sæcula, amen.

Raimundus erexit castrum suum contra civitatem.

Omnes vero seniores nostri et principes commiserunt illud castrum Raimundo Sancti Ægidii ad custodiendum, eo quod ipse haberet plus milites in sua familia quam alii, et plus poterat dare. Ille quoque conservavit castrum cum suo exercitu, et cum eo fuit Gastos de Biart cum suis hominibus, et Petrus viccomes de Castellon, et Raimundus vicecomes de Torena, et Guillelmus de Montepeslerio, et Goffredus, et Petrus Raimundus d'Alpoz, et Guillelmus de Sabra. Omnes isti, et alii plures cum hominibus suis, fuerunt cum eo. Raimundus quoque Sancti Ægidii quos milites, videlicet clientes, invenire per censum potuit, ad castrum custodiendum per conventionem retinuit. Una die exierunt de civitate, et venerunt ad castrum, quod undique circumdederunt clamando et sagittando, nostrosque vulnerando et occidendo, ita quod etiam tentoria nostrorum erant cooperta infixis sagittis, et nisi esset succursus qui venit de alio exercitu, maximum damnum in eis fecissent. Hoc nostri videntes, statim ordinaverunt ut facerent maximam talpam, cum qua potuissent perforare pontem; et fecerunt. Quadam die prælia verterunt super pontem, et duxerunt talpam, fueruntque Turci mortui multi, et pons perforatus est. Nocte vero dormientibus nobis, exierunt Turci de civitate et arserunt talpam, et restauraverunt pontem, unde nimis exercitus Christi iratus fuit. Alia die adduxeruut Turci super murum civitatis quemdam militem nostrorum nobilem, nomine Rainaldum Porchetum, quem diu tenuerant in malis carceribus, dixeruntque ut loqueretur cum Christi peregrinis, quatenus eum redimerent maximo censu, antequam caput amisisset. Qui cum esset super murum, locutus est senioribus, dicens nostris : « Seniores, tantum quidem valet quasi jam ego mortuus essem. Et ideo deprecor vos sicuti meos fratres, ut per me nullum funus offeratis. Sed estote securi in fide Christi, et sancti sepulcri, quia Deus vobiscum est et semper erit. Omnes majores itaque et audaciores hujus civitatis occidistis, videlicet duodecim Amiralios, et mille quingentos nobilium, nullusque remansit qui præliari vobiscum audeat neque civitatem defendere. » Interrogaverunt autem Turci drogmandum quid Rainaldus dicebat. Qui dixit illis : « Nihil loquitur boni de nobis. » Tunc Cassianus Amiralius continuo jussit eum descendere de muro, dixitque ei per drogmandum : « Rainaldus, vis nobiscum honeste vivere, et gaudere? » Rainaldus respondit : « Quomodo vobiscum honeste sine peccato vivere potero? » Dixitque Amiralius : « Abnega Deum tuum, quem credis et colis, et crede Malphium, et nostris diis aliis. Quod si feceris, dabimus tibi omnia quæ petieris, videlicet aurum et argentum, equos et mulos, et alia plurima ornamenta, quæ volueris, et uxores, et hæreditates, et maximo honore ditabimus te. » Cui Rainaldus respondit : « Date mihi spatium, quo possim conciliari mecum. » Et Amiralius respondit, et libenti animo concessit. Tunc Rainaldus projecit se in orationibus junctis manibus in terra contra orientem; humiliter Deum rogans, ut ei subveniat, suamque animam in sinu Abrahæ dignanter suscipiat. Quod cum vidisset Amiralius, vocavit drogmandum, et dixit ei : « Quid ait Rainaldus? » Drogmandus respondit : « Dominum Deum suum nullo modo negavit. » Quod audiens Amiralius, nimis iratus fuit. Illico jussit eum decollari, et Turci cum magno gaudio decollaverunt eum. Cujus animam confestim suscipientes angeli, ante conspectum Domini, pro cujus amore martyrium suscepit, gaudentes detulerunt. Tunc Amiralius iratus fuit vehementer, ideo quod Rainaldum ad suos non potuit convertere deos. Statim jussit ad se omnes peregrinos adduci, qui erant in civitate, ligatis post tergum manibus. Cumque ante eum venissent, imperavit ut nudi exspoliarentur omnes. Cum ergo exspoliati fuissent, fecit constricte congregari in unum, et cum fune ligari omnes in gyrum, et fecit ligna, et paleam, et fenum circa eos ordinari ac deinde ac si inimicus Dei ignem fecit immitti. Christiani igitur videlicet Christi milites, valde stridebant et clamabant; quorum voces resonabant ad cœlum ad Deum, pro cujus amore eorum carnes et ossa in ignem cremabantur. Et sic martyrisati fuerunt omnes isti in una die, portantes in cœlum candidas stolas ante Deum, pro cujus amore fideliter hæc passi sunt, regnante Domino Deo nostro, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum, amen.

Cum jamjam omnes semitæ prohibitæ starent Turcis, nisi ex illa parte fluminis, in quo erat quoddam castrum in quodam monasterio, quod si perfecte fieret corroboratum, jam nullus auderet extra civitatis portam exire, consiliati sunt fideliter nostri, concordali una voce dicentes : « Eligamus unum quempiam ex nobis, qui robuste illud teneat castrum, et nostris inimicis prohibeat viriliter montaneas, sive planum, et introitum et exitum civitatis. » Plures vero ex illis prohibebant se illud hospitari, nisi forte multi fuissent in unum. Tancre-

dus igitur primus protulit se ante alios, dicens : « Verumtamen, si scirem quid proficui mihi attigerit, ego sedulo solummodo cum meis hominibus corroborabo castrum, et viam, per quam inimici nostri solent frequenter sævire, viriliter illis omnino devetabo. » Qui continuo spoponderunt ei quadringentos marcos argenti. Non acquievit Tancredus, quanquam solus esset; tamen perrexit cum honestissimis militibus et servientibus, et extemplo abstulit undique viam et semitam Turcis, neque propter herbam, neque propter ligna, neque propter ulla necessaria recessit. Remansit autem ibi Tancredus cum suis hominibus, et cœpit vehementer ubique coangustare civitatem. Ipsa autem die veniebat maxima pars Hermeniorum et Surianorum secure de montanеis, qui ferebant alimenta Turcis in adjutorium civitatis. Quibus obviam venit Tancredus, et confestim apprehendit et omnia quæ deferebant, videlicet frumentum, vinum et oleum, et alia hujusmodi. Sic itaque prospere robusteque deducebat se Tancredus, etiam quoque habebat prohibitas et incisas omnes semitas Turcis, usque dum Antiochia fieret capta. Omnia quæ fecimus antequam Antiochia capta fuisset, nequeo enarrare. Quæ facta sunt, vel quomodo fuerint postea, aliquantulum volo explicare. Ideo aliquantulum dico, quia nemo est in his partibus, qui omnino, sive clericus sive laicus, dicere sive narrare possit sicut res est acta.

Interea igitur erat quidam Amiralius de genere Turcorum, cui nomen Pyrrus, qui maximam amicitiam acceperat cum Boamundo. Hunc sæpe Boamundus tangebat cum nuntiis ad invicem missis, quo eum infra civitatem amicissime reciperet, eique Christianitatem liberius promittebat, atque eum divitem multo honore facere mandabat. Consensit vero ille dictis promissionibus dicens : « Verumtamen tres turres custodio, easque libenter ei promitto, et quacunque hora voluerit in eas voluntarie recolligam. » Erat itaque Boamundus jam securus de introitu civitatis. Una ergo gavisus, atque placido vultu, serena mente, venit ad alios omnes seniores, eisque jocunda verba protulit in hoc modo : « Viri prudentissimi milites, videte quomodo nos omnes in nimia paupertate et miseria projecti sumus, majores sive minores, et ignoramus penitus ex qua parte melius succedat nobis. Si igitur vobis bonum ac honestum videtur, eligat se ante alios unus ex nobis quicunque vultis, utrum se ille ullo modo aut ingenio civitatem acquirere, vel ingeniare, aut per se, aut per alios, concorda voce dono permittamus. » Qui omnino prohibentes et denegantes, dixerunt : « Nemini unquam erit hæc civitas dimissa, sed omnes æqualem illam habebimus; sicut æqualem habuimus laborem, sic inde habebimus æqualem honorem. » Sic itaque Boamundus, auditis his verbis, paulo minus subridens protinus recessit. Non post multum vero temporis audierunt omnes majores nostri nuntios de exercitu nostrorum hostium, videlicet Turcorum, et Publicanorum, Angulanorum, Azimitarum, et aliarum plurimarum nationum gentilium, quas numerare neque nominare nescio. Statimque adunaverunt sese omnes insimul majores, et fecerunt consilium, dicentes : « Quoniam si Boamundus potuerit acquirere civitatem aut per se, aut per alios, nos una libenti animo ultro ei donamus, intantum quod si imperator venerit nobis in adjutorium, et omnem conventionem, sicut nobis promisit atque juravit, attendere voluerit, nos ei eam redemus jure. Sin autem, in suam potestatem habeat Boamundus. » Mox itaque Boamundus cœpit quotidie humiliter suos deprecari amicos, petitione præmittendo humillima, atque dulci voce in hunc dicendo modum : « Ecce vere tempus modo habemus idoneum, in quo possumus operari quidquid boni volumus. Igitur adjuvet me amicus meus Pyrrus. » Qui satis gavisus de nuntio, ait se adjuvare illum, sicut agere debet. Nocte itaque veniente in proximo, misit filium suum caute pignus Boamundo, et quod magis fieret securus de introitu civitatis, amodo misit ei verba hoc modo : « Quod cras omnem Francorum gentem præconiare faciat, quo in Sarracenorum terram vadat deprædari, deinde celeriter revertatur per sinistram montaneam. Egoque ero intentione erecta, præstolans illa agmina, eaque recipiam in turres quas habeo in mea custodia. » Deinde Boamundus confestim ad se jussit vocari servientem quemdam suum, videlicet Malam-coronam, eique præcepit ut præconiaret gentem maximam Francorum, quod fideliter præpararet se in Sarracenorum eundi terram. Factumque est ita. Credidit itaque Boamundus hoc consilium duci Godefrido, et Flandrensi comiti, et comiti de Sancto Ægidio, atque Podiensi episcopo. « Quoniam si Deo placet, erit nobis in hac nocte Antiochia reddita. » Ordinata sunt itaque hæc omnia. Milites tenuerunt plana, et pedites montanea. Tota nocte militaverunt et usque prope auroram diei, et deinceps cœperunt appropinquare ad turres quas ille vigilabat. Confestim descendit Boamundus, et præcepit omnibus, dicendo hæc verba : « Ite securo animo, et felici concordia, et ascendite per scalas in Antiochiam quam statim habebimus, si Deo placet, in nostra custodia. » Veneruntque illi usque ad scalam, quæ jam erat directa et firmiter ligata ad civitatis mœnia. Et ascenderunt per illam homines fere sexaginta ex nostris, et divisi sunt per tres turres, quas ille vigilabat. Videns autem Pyrrus quod tam pauci fuissent ascensi ex nostris, cœpit pavere mox. Timens namque se et nostros, ne in manibus Turcorum evenissent, dixit : « *Micro Francos echomai*, hoc est, paucos Francos habeo. Ubi est Boamundus? Ubi est miles invictus? » Interim descendit quidam serviens Longobardus deorsum, et cucurrit quantocius ad Boamundum dicens : « Quid hic stas, vir prudens? quamobrem huc venisti? Ecce jam nos tres turres habemus. » Motus est autem vir ille cum aliis omnibus, omnes gaudentes atque lætantes pervenerunt usque ad scalam. Videntes itaque illi qui erant infra turres,

cœperunt jocunda voce clamare : « Deus hoc vult. » Nos vero similiter dicebamus. Et cœperunt mirabiliter continuo ascendere, et ascenderunt in turrem, et cucurrerunt festinanter ad alias turres. Quosque illic inveniebant, mortalem eis continuo dabant sententiam ; fratrem quoque Pyrri occiderunt. Interea forte rupta est scala, ex qua noster erat ascensus ; unde inter nos est orta immensa angustia, sive tristitia, et confestim fuimus omnes stupefacti ac dolentes. Quanquam fuisset fracta scala, tamen quædam porta erat juxta nos clausa in sinistra parte, quæ quibusdam manebat incognita, nox namque erat. Sed tamen inquirendo, et palpando, et subtiliter inquirendo ubi ipsa latebat, omnes cucurrimus ad eam, ipsaque fracta intravimus per illam. Jam innumerabilis fragor mirabiliter resonabat per universam civitatem. Non acquievit illic Boamundus, imperavit honorabile vexillum deferri sursum coram castello, in quodam monte. Omnes ergo pariter nimis in civitate stridebant. Summo autem diluculo audientes illi qui foris erant ad tentoria, vehementissimum rumorem strepere per civitatem, exierunt festinantes, et viderunt Boamundum seorsum in monte. Celeri cucurrerunt omnes cursu, et venerunt A pariter unusquisque ad suam portam, et intraverunt in civitatem, et interfecerunt Turcos et Sarracenos quos ibi repererunt, qui fuerunt extra castrum. Alii vero ex militibus Turcorum exierunt portas, et fugientes evaserunt vivi.

De morte Cassiani, quomodo interfectus est a Surianis.

Cassianus vero dominus illorum expavescens valde gentem Francorum, dedit se omnino fugæ cum multis aliis qui erant cum eo, et fugiendo pervenit in Tancredi terram, non longe a civitate. Fatigatique erant equi eorum, et miserunt se in quoddam casale, et intraverunt in quamdam domum. Cognoverunt ergo eum habitatores terræ illius montaneæ, scilicet Suriani et Hermenii ; confestim apprehenderunt illum, et ceciderunt caput ejus, et obtulerunt illud B ante Boamundi præsentiam, ut mererentur libertatem perfecte recipere. Baltheus quoque ejus, et gaina, id est vagina, fuerunt appretiati LX bysantos. Omnes vero platcæ civitatis jam undique plenæ stabant cadaveribus mortuorum, ita ut nemo vix poterat ire per semitas civitatis, nisi cadavera Turcorum calcando. Hæc omnia gesta sunt tertia die intrante mense Junii in die Jovis. Unde sit benedictus Deus per cuncta sæcula sæculorum, amen.

INCIPIT LIBER QUARTUS.

Curbalan autem princeps militiæ Soldani Persiæ, C dum adhuc esset Corrozanum Cassianus prædictus, Antiochiæ legationem ei miserat, quo sibi succurreret in opportuno tempore, quoniam gens fortissima atque robustissima Francorum eum impeditum graviter obsidebat Antiochiæ, et si adjutorium fideliter impenderet, Antiochiam civitatem in suis manibus continuo traderet, aut eum ditaret maximo munere. Cumque jam habuisset maximum exercitum Turcorum ex longo collectum tempore, et licentiam Christianos occidendi accepisset a Calipha illorum apostolico, illico inchoavit iter longæ viæ Antiochiæ. Hierosolymitanus Ammiralius cum eo et cum suo exercitu fuit. Rexque Damasci ibi advenit cum maxima gente. Isdem vero congregavit ex omni parte paganorum innumeras gentes, videlicet Turcos, et Arabes, et Sarracenos, et Publicanos, et Azimitas, et Curtos, et Persas, et Agulanos, et alias multas gentes, quos nominare, aut numerare nemo poterat. Et Agulani fuerunt numero tria millia. Ipsi neque lanceas, neque ulla arma timebant, quia omnes erant cooperti ferro undique, et equi eorum, ipsique nolebant in bellum ferre arma, nisi solummodo gladios. Isti omnes venerunt in obsessione Antiochiæ ad dispergendum Francorum collegium. Et cum appropinquassent civitati, venit obviam eis Sanzedona filius Cassiani Ammiralii Antiochiæ, et continuo cucurrit ad Curbalan, lacrymabiliter rogans eum, et dixit : « O invictissime princeps, te suppliciter deprecor, tuam humili devotione prudentiam rogito, quatenus mihi succurras, quoniam Franci undique obsident me in Antiocheno oppido, civitatemque in suo tenent imperio, nosque alienare a regione Romaniæ, sive Syriæ, adhuc autem et Corrozani deposcunt. Omnia vero quæ cupiunt patravere, patrem quoque occiderunt meum, et nihil aliud est super, nisi ut me et te, omnesque ex genere nostro interficiant gladio. Ego vero jamdudum tuum fideliter expectavi adventum, utrum mihi succurras in hoc periculo. » Cui Curbalan respondens, ait : « Si vis quod ex toto corde in tuo sim proficuo, tibique fideliter in isto succurram periculo, illud in mea prius manu trade oppidum, et tunc videbis qualiter ero in tuo proficuo, idque vigilare faciam meis hominibus. » Ait quoque Sancedola : « Si potes omnes Francos occidere, et detruncare, mihique capita diligenter tradere, ego prædictum tibi dabo fideliter oppidum, et deinde ero tibi tuus effectus homo, et in tua fidelitate hoc custodiam oppidum. » Cui Curbalan ait : « Non ita erit ut tu putas atque cogitas, sed committe in mea manu castrum illud. » Commisit tamen, nolens, volens, ei illico castrum. Tertia autem die postquam civitatem intravimus, præcursores eorum ante civitatem præcucurrerunt. Exercitus namque illorum ad Pontem-Ferreum castrametatus est, et expugnaverunt turrem Turci, et occiderunt omnes quos illic invenerunt, et nemo evasit vivus, nisi dominus illorum, quem postea ligatum reperimus in vinculis ferreis, facto majore bello in vigilia beati apostoli. Crastina autem die moto exercitu pagano-

rum, appropinquaverunt civitati, et castrametati sunt inter duo flumina, steteruntque ibi per duos dies. Recepto itaque castro, tunc Curbalan confestim advocavit unum Ammiralium ex suis, quem sermone sciebat veracem, mitem, et pacificum, et ait illi : « Volo ut intres in fidelitate mea hoc castrum custodire, quod ex tempore longissimo scio te valde fidelissimum, ideoque precor te, ut summa cautela hoc contineas oppidum. Adhuc namque quia scio te in opere prudentissimum, nullumque magis veracem et fortissimum hic modo reperire nequeo. » Cui Ammiralius ait : « Tibi unquam de tali vellem obedire officio, sed priusquam me tuo arguas stimulo, hoc faciam eo tenore quod si Franci ejecerint vos de mortali prælio, eis continuo hoc reddam castrum. » Dixitque Curbalan : « Tam honestum et prudentem te cognosco, ut omne quidquid boni vis agere ego utique consentio. » Reversus est itaque festinanter Curbalan ad suum exercitum in valle illa ubi erat castrametatus. Protinus Turci deludentes Francorum collegium, detulerunt ante Curbalan conspectum quamdam vilissimam ensem rubigine tectam, et deterrimum valde arcum ligneum, et lanceam nimis inutilem, quam abstulerunt nuper pauperibus peregrinis, dicentes. «Ecce arma, quæ attulerunt Franci obviam nobis ad pugnam. » Tunc Curbalan videns hæc arma, cœpit subridere in propatulo, dicendo omnibus qui in illo erant collegio : « Hæc sunt arma bellica atque nitida quæ attulerunt Christiani super nos in Asiam, orti in occidentali terra, scilicet in Europa, quæ est mundi pars tertia, quibus putant ac confidunt nos expellere et propulsare ultra Corosani confinia, et delere omnia nostra nomina ultra Amasonia flumina, qui propulserunt omnes nostros parentes a Romania et Antiochia civitate regia, quæ honorabile est caput totius Syriæ. » Continuo advocavit suum fidelem notarium ad se, et ait :

Hic misit Carbulan Soldano Persiæ epistolas, et ad apostolicum Calipham.

(9) Scribe ergo cito plures chartas, quæ in Corosanum sint legendæ, hoc modo : «Caliphæ nostro apostolico, et nostro regi domino Soldano, militi fortissimo, atque omnibus prudentissimis Corosani militibus, salus et immensus honor. Satis sint læti et gavisi jocunda concordia, et satisfaciant ventribus, voluntatem imperent, et sermocinent per universam regionem illam, et omnino dent sese ad petulantiam luxuriæ, utrum multos filios patrare congaudeant, qui contra Christianos bellare fortiter prævaleant, et libenter suscipiant hæc tria arma, quæ olim abstulimus a Francorum turma, et discant modo quæ arma adduxit super nos gens Francigena, qualiter sunt optima atque perfecta. Heu! certare voluit contra nostra arma, quæ sunt bis aut ter sive quater purgata sicut argentum, aut aurum purissimum. Adhuc quoque sciant omnes quoniam ego omnes Francos intus Antiochiam habeo inclusos, et

A castrum in mea libera voluntate teneo. Illi namque deorsum sunt in civitate. Ego autem habeo jam illos omnes in mea manu, aut eos faciam capitalem subire sententiam, aut eos deducam in Corosanum in captivitate nimia, eo quod minantur nos suis armis propulsare et ejicere ultra Corosani confinia, aut delere omnia nostra nomina ultra Amasonia flumina, aut ejicere nos ultra superiorem Judæam, seu ejecerunt omnes parentes nostros de cuncta Romania sive Syria. Amodo vobis namque juro per Machomet, et per omnia deorum nomina, quoniam ante vestram non ero reversurus præsentiam, donec regalem Antiochiam, omnem Syriam, sive Romaniam atque Bul-

B gariam usque in Apuliam acquisiero mea forti dextera, ad deorum honorem, et vestrum, omniumque nostrorum Turcorum. » Sic itaque fecit finem dictis. Mater autem ejusdem Curbalan quæ erat in Aleph civitate, statim accessit ei lacrymabiliter, et dixit : « Fili, suntne vera ea quæ audio? » Cui ille ait : « Quæ? » Et dixit illa : « Jam audivi quod bellum vis committere cum Francorum gente. » Cui ille ait : « Verumtamen verum hoc esse omnino scias. » Dixit illa : « Contestor, fili, per deorum nomina, et per tuam magnam audaciam immensamque bonitatem, ne bellum simul cum Francis committere libeat, quoniam tu es miles invictus, et nullam imprudentiam ex te aut tuo exercitu unquam penitus audivi, et te e campo ab aliquo victore fugientem quisquam minime invenit. Diffamata est tua militia

C ab oriente usque in occidentem, et omnes prudentes milites audito tuo nomine contremiscunt. Satis namque scimus, fili, quoniam tu es bellipotens, et fortis, et bellorum ingeniosus, nullaque gens Christianorum nec paganorum ante tuum conspectum aliquam virtutem habere potuit. Sed fugiebant, solummodo audito tuo nomine, quemadmodum oves ante leonis furorem fugiunt. Ideoque obsecro te, charissime ac dilectissime fili, ut meis acquiescas consiliis, et ne unquam in tuo hæsitet animo, aut in tuo inveniatur consilio, quod bellum incipere velis simul cum Christianorum collegio. » Tunc Curbalan materna audiens monita, feroci quandoque respondit sermone : « Quid est hoc, mater, quod mihi refers? Puto namque quod insanis, aut furia

D es plena. Enimvero plus solummodo habeo mecum Ammiralios quam iidem Christiani sunt, majores sive minores. » Responditque ei mater ejus : « O dulcissime fili, Christiani nequeunt vobiscum bellare. Hoc enim scio satis quod ipsi non valent pugnam inferre vobiscum, sed eorum Deus pro ipsis quotidie pugnat, eosque die noctuque sua protectione defendit, et vigilat super eos, sicut pastor qui vigilat super gregem suum, et non permittit eos lædi ipse, nec conturbari ab ulla gente, et quicumque voluisset eis obsistere, idem eorum Deus statim conturbat illos, sicut idem ait per os prophetæ David : *Dissipa gentes quæ nomen tuum, Domine, non*

(9) Robertus mon., lib. VI, p. 57 et seq.

invocaverunt (*Psal.* LXXVIII, 6). Antequam vero præparati sint ad bellum incipiendum, eorum Deus optimus et bellipotens, simul cum suis sanctis omnes jam habet inimicos devictos, quanto magis faciet modo circa vos, quia ejus vos estis inimici, et qui præparatis vos eis obsistere tota virtute? Hoc namque in veritate scias, quoniam Christiani isti Christi filii vocati sunt, et per prophetarum ora filii adoptionis ac promissionis, et per Apostolum, *hæredes Dei, cohæredes autem Christi* (*Rom.* VIII, 17). Quibus Christus hæreditates eis repromissas jam donavit, dicendo : « A solis ortu usque ad occasum, vel in occidentem, erunt termini vestri, ita quod nemo audax stabit contra vos. » Et quis potest his dictis contradicere, vel obstare? Certe si hoc bellum contra illos incœperis, maximum erit tibi damnum et dedecus, et multos milites tuos perdideris, et universa spolia quæ apud te habes amiseris, et in nimia fuga eveneris. Tu autem in hoc bello non morieris modo, sed omnia habentia in hoc perdideris prælio. Propterea dico tibi, non morieris modo, quia eorum Deus non statim judicat offendentem se exserta ira, sed quando vult eum punit manifesta vindicta, timeoque ne te judicet pœnali tristitia, et tibi dico modo, quia in hoc anno morieris. » Curbalan autem valde dolens in intimis visceribus, maternis auditis verbis respondit : « Mater charissima, quæso, quis tibi dixit ista de Christiana gente, quod Deus eorum tantum amet eos, et quod ipse pugnandi virtutem in se retinet maximam, et quod illi Christiani vincent nos in Antiocheno prælio, et quod ipsi erunt nostra capturi in prælio isto spolia, et nos persequentur immensa victoria, et quod in hoc anno ero moriturus morte subitanea? » Tunc respondit ei mater, dicens et dolens : « Fili, plus quam centum annorum tempora sunt, quod inventum est in vestra pagina, et in omnium gentilium voluminibus, quoniam gens Christiana foret super nos venienda, et nos ubique vincenda, et super paganos regnatura, et nostra gens illis ubique erit subdita. Sed ignoro amodo an retro erit venienda. Et ego dolens itaque non desivi sequi te in Aleph civitate pulcherrima, in qua speculando atque ingeniose rimando, respexi cœlorum astra, atque ingeniando sagaciter, ac mente sedula scrutando cœlorum planetas, ac in duodecim polorum signa, sive in sortes innumeras, in eis reperi quoniam gens Christiania nos ubique foret vincenda. Ideo timeo valde dolens, et nimis mœstissima, ne ex te infelix ego remaneam orbata. » Dixitque illi Curbalan : « Mater dulcissima, dic mihi omnia, quæ in corde meo sunt incredula. » Quæ respondens, ait : « Hoc libenter, charissime, faciam, si vero sciero ea quæ tibi sunt incognita. » Cui ille dixit : « Non sunt igitur Boamundus et Tancredus Francorum dii, et non eos liberabant de omnium inimicorum persecutione? » Responditque ejus mater : « Fili charissime, Boamundus et Tancredus mortales sunt, sicut alii homines, sed Deus illorum diligit illos præ omnibus aliis, et virtutem præliandi plus A quam aliis quotidie ministrat illis. Nam Deus illorum, Omnipotens est ejus nomen, qui fecit cœlum et terram, et fundavit maria, et universa quæ in eis sunt; cujus sedes in cœlo est, parata in æternum, cujus potestas ubique est metuenda. » Dixitque illi filius : « Si ita est causa, cum eis præliari non desinam. » Audiens itaque mater ejus quod nullo modo acquiesceret consiliis suis, vehementer dolens recessit retrorsum in Aleph civitate, deferens secum cuncta spolia quæ conducere potuit.

Tertia vero die armavit se Curbalan, et maxima pars Turcorum cum eo, veneruntque ad civitatem ex illa parte in qua castrum erat. Nostri autem putantes resistere, nolentes volentesque intraverunt civitatem; quibus fuit tam mirabiliter arcta et an- B gusta porta quod illic fuerunt multi mortui oppressione aliorum. Interea alii pugnabant extra civitatem, alii intus in quinta feria per totam diem usque ad vesperam. In sexta feria similiter præliati sunt per totum diem, occideruntque ex nostris multos. In illa die fuit sauciatus quidam probatissimus miles, videlicet Arveus Tudebodus, quem detulerunt socii ejus usque deorsum in civitatem; ibique fuit vivus usque in Sabbato, et inter nonam et sextam horam migravit a sæculo, vivens in Christo. Cujus corpus sepelivit Petrus quidam sacerdos frater ejus ante portam occidentalem beati Petri apostoli, habens maximum timorem sicut caput amittendi, et omnes alii qui in civitate C erant. Omnes legentes et audientes deprecamur, ut dent eleemosynas et orationes, et dicant pro anima ejus, et pro omnium defunctorum, qui in Hierosolymitana via mortui fuerunt. Alia die Guillelmus de Grentamasnil, et Albericus frater ejus, Ivoque de Grentamasnil, et Guillelmus de Bernonvilla, Guido Trosselus, et Guillelmus filius Richardi, et Lambertus Pauper : isti omnes timore perterriti de hesterno bello, quod perduraverat usque ad vesperam, nocte latenter dimiserunt se per murum, et fugientes pede contra mare, ita quod neque in manibus neque in pedibus aliquid remansit nisi solummodo ossa sua. Multique alii fugerunt cum illis, quos nominare nescio. Venientes igitur ad naves, quæ erant ad portum Sancti Simeonis, dixerunt nautis : « Quid hic miseri statis? Omnes enim D mortui sunt, et nos mortem pene evasimus, quia exercitus Turcorum undique obsedit nos in civitate. » At illi audientes talia, stabant stupefacti et timore perterriti, et concurrerunt in naves, et miserunt se in mare. Deinde supervenientibus Turcis, quos invenerunt occiderunt, et naves quæ in alveo fluminis erant remansæ, combusserunt igne, et apprehenderunt spolia eorum. Nos denique qui remansimus, nequivimus ferre pondus, neque arma illorum qui erant in castrum, fecimusque murum inter nos et illos qui vigilabant die et nocte. Interdum tanta oppressione fuimus oppressi, quatenus equos et asinos manducaremus. Alia parte fuimus in maximo terrore Turcorum, ita quod multi majorum nostrorum volebant fugere nocte, sicut alii fecerunt.

Quadam vero die stantibus nostris majoribus in montanea sursum ante castellum, tristibus ac dolentibus, nescientibus quid debuissent facere, venit quidam sacerdos, cui nomen Stephanus, ad eos, et dixit eis : « Seniores, si vobis placet, audite rem aliquam quam ego vidi. Dum in hac nocte jacerem in ecclesia Sanctæ Mariæ matris Domini nostri Jesu Christi, apparuit mihi Salvator mundi cum sua genitrice Maria et beato Petro apostolorum principe, stetitque ante me Dominus, et dixit mihi : Stephane, agnoscis me? » Cui ego respondi : « Te ego alio modo non agnosco, nisi quia crucem in capite tuo cerno, sicut Salvatori nostro. » Dominusque dixit mihi : « Ego sum. » Tunc statim cecidi ad pedes ejus lacrymando, rogans humiliter ut subveniret nobis in oppressione illius exsecratæ gentis quæ tenebat nos inclusos in civitate. Responditque mihi Dominus : « Bene adjuvi vos, et bene adjuvabo. Ego vero permisi vos habere Nicæam civitatem, et omnia devincens bella, ego conduxi vos usque huc, condolui vestræ miseriæ quam passi fuistis in Antiochiæ obsidione. Et modo in opportuno auxilio ad maximum succursum misi vos sanos et incolumes intra civitatem. Sed multum pravam rem facientes multi Christiani, eo quod jacent cum paganis mulieribus, unde immensus fetor ascendit in cœlum. » Tunc alma virgo Maria et beatus Petrus apostolus ceciderunt ante pedes ejus, rogantes et deprecantes, ut suum in hac angustia manentem adjuvet populum, dicentes : « Domine, per multa tempora tenuit paganorum gens Ecclesias nostras, in quibus multa et ineffabilia mala faciebant. Modo vero Christiani expulsis inimicis, tui angeli lætantur in cœlis. » Et iterum dixit mihi Dominus : « Stephane, vade, et dic populo meo ut revertatur ad me, et ego revertar ad illum : et infra quinque dies mittam ei magnum adjutorium, et quotidie decantet, *Congregati sunt*, etc., cum versu. Et accipiant pœnitentias, et nudis pedibus faciant processiones per ecclesias, et pauperibus dent eleemosynas, et faciant missas presbyteris celebrare, et sint communicati corpore et sanguine Christi. Et sic incipiant bellum, et ego mittam eis adjutorium beatum Georgium, et Theodorum, et Demetrium, et peregrinos qui ista via mortui fuerunt Hierosolymitana. » Ista mihi dixit Dominus. Et omnes seniores, si hoc non creditis verum esse, sinite me modo in majorem turrim scandere, mittamque me deorsum ; si fuero salvus et incolumis, credatis hoc esse verum. Si autem ullam læsionem fuero passus, decollate me, et in ignem projicite. Tunc Podiensis episcopus jussit afferri Evangelia et crucem, et fecit jurare illud esse verum. Postea consiliati sunt omnes nostri majores in illa hora, ut jurassent quod nullus illorum fugeret de civitate, quandiu vivi fuissent, neque per mortem, neque per vitam. Primus dicitur jurasse Boamundus, deinde comes Sancti Ægidii, et Robertus Northmannus, et dux Godefridus, et Robertus comes Flandriæ, et alii seniores. Tancredus juravit tali modo, ac promisit, quandiu secum quadraginta milites haberet, quod non solum ex illa civitate, sed etiam ab Hierosolymitano itinere non esset reversurus. Unde nimis exsultavit omnis Christianus exercitus. Erat autem ibi quidam peregrinus de exercitu nostro, Petrus Bartholomæus nomine, cui apparuit sanctus Andreas apostolus, antequam civitatem intraremus, dicens : « Quid agis, bone vir? » Cui ille respondit : « Tu quis es? » Dixit ei apostolus . « Ego sum Andreas apostolus. Noscas, fili, quia dum villam intraveris, vade ad ecclesiam beati Petri apostoli, ibique invenies lanceam Salvatoris nostri Jesu Christi, ex qua dum in crucis penderet patibulo vulneratus fuit. » Hæc omnia dicente apostolo, continuo recessit. Ipse autem timens revelare consilium apostoli, noluit indicare nostris hominibus, scilicet peregrinis. Estimabant autem se visum videre. Alia quoque vice apparuit sanctus Andreas, dicens ei : « Quare non dixisti peregrinis quod tibi præcepi? » Et dixit ad eum : « Domine, quis hoc crediderit? » In illa vero hora accepit eum sanctus Andreas, et portavit eum in civitate usque ad locum, ubi lancea erat recondita in terra. Eo vidente, abstraxit sanctus Andreas apostolus lanceam de terra, et misit in manibus, dicens : « Hæc est lancea Domini nostri Jesu Christi, quam misi hic, et frater meus apostolus Petrus. » Eo vidente, misit eam ibidem, et dixit Petro postea : « Revertere ad exercitum. » Cui ille respondit : « Domine, quomodo possum ire? Jam Turci sunt super muros civitatis, qui postquam audierint me, illico occident me. » Cui respondit apostolus : « Vade, ne timeas. » Tunc Petrus exire cœpit de civitate videntibus cunctis Turcis, nihilque ei dixerunt. Turci namque, qui erant in castello seorsum, tam mirabiliter coangustabant nostros quod quadam die incluserunt tres milites ex nostris in quadam turre quæ erat ante eorum castrum. Exierunt namque gentiles, et irruerunt super illos tam acriter quod illi nequibant sufferre virtutem eorum. Duo vero ex eis exierunt de turri vulnerati, et tertius viriliter per totam diem defendebat se de Turcorum invasione ita prudentissime, quod in illa die Turcos straverit super aditum muri cum cæsa hasta. Tres hastas detruncaverunt illi die illa in manibus suis. Erat autem nomen ejus Hugo le Forsennet, de exercitu Goffredi de Monte-scabioso.

Hic jussit Boamundus igne civitatem accendere.

Videntes autem Boamundus et Tancredus, quod nullatenus potuissent conducere gentem sursum in montanea ante castrum ad bellum, sed erant inclusi in domibus, timentes alii fame, alii timore Turcorum, nimis irati fuerunt. Jussit itaque Boamundus confestim mittere ignem in civitatem, in illa parte in qua erat Cassiani Ammiralii palatium. Videntes vero illi qui erant in civitate ignem ardere, et intantum surgere, dimiserunt domos, et simul cum spoliis fugiebant in montaneam, alii ante castrum, alii ante portam comitis Sancti Ægidii, alii ante

portam ducis Godefridi, et sic unusquisque ad suam gentem. Tunc Boamundus contristatus est valde, timens quod ecclesia Sancti Petri, et ecclesia sanctæ Mariæ arderent, quia ignis perduravit a tertia usque ad mediam noctem. Tamen fuerunt crematæ tam ecclesiæ quam domus, duo millia. Veniente autem media nocte, cessavit ventus et cecidit ignis. Itaque Turci habitantes in castello, intra civitatem bellabant nobiscum die ac nocte, quod nihil aliud disseparabat nos nisi arma. Aliquando exiebant cum aliis quatuor Ammiralii qui erant omnes cooperti auro, et equi eorum similiter usque ad juncturam genuum. Qui Ammiralii conducebant eos. Videntes hoc nostri, quod non potuissent diu pati, quoniam qui habebat panem non licebat manducare, et qui habebat aquam non licebat bibere. Tunc nostri fecerunt murum inter nos et montaneam, et ædificaverunt quasi castellum et machinas, ut securi fuissent. Alia vero pars Turcorum hospitata fuit circa civitatem in una valle ex alia parte. Nocte quoque veniente venit ignis de cœlo, qui apparuit ab occidente, et cecidit intra Turcorum exercitus. Unde multum mirati sunt Turci et nostri. Mane autem facto tremefacti Turci fuerunt, et fugiebant huc et illuc propter ignis timorem. Tamen obsederunt nos ita circa civitatem quod nullus nostrorum audebat exire civitatem aut intrare, nisi nocte furtim. Ita vero eramus oppressi, et ab illis paganis ita obsessi, et sanctæ Christianitatis inimicis, qui fuerunt numero trecenti sexaginta quinque millia, excepto Ammiralio Hierosolymitano, qui fuit cum eis cum sua gente. Rex quoque venit similiter de Aleph civitate. Isti vero profani inimici Dei ita tenebant nos inclusos in civitatem Antiochiæ, quod multi mortui fuerunt fame, quoniam parvus panis vendebatur uno bysantio aureo. De vino non loquar, ut quem grassem, id est non vinum. Unam gallinam XV solidos, unum ovum duobus solidis, unam nucem uno denario, tres favas vel quatuor unum denarium, parvam capream LX solidos et IX denarios, et linguam unius cameli, quæ est parva, IV solid. Carnem equorum et asinorum manducabant et vendebant. Folia fici, vitis, et arborum, coquebant in aqua, et manducabant. Alii coria equorum et asinorum, et camelorum et boum, sive bufalorum, sicca sex annos vel quinque mittebant in aqua duabus noctibus et uno die obtemperare, postea decoquebant et manducabant. Istas anxietates et multas angustias, quas nominare nequeo, passi fuimus pro Christi nomine, et pro sancti sepulcri via liberanda. Tales ergo tribulationes, et fames atque timores, passi sunt servi Dei per viginti sex dies.

Hic recessit comes Stephanus cum suo exercitu.

Imprudens itaque Stephanus Carnotensis comes, qui erat caput nostrum, quem omnes majores nostri elegerant, ut esset nostrorum ductor, maxima se fingens deprimi infirmitate, priusquam Antiochia foret capta, turpiter recessit in aliud castrum, quod vocatur Alexandreta. Nos itaque quotidie præstolabamur adventum ejus, quatenus subveniret nobis in adjutorio, qui eramus inclusi in civitatem salutifero carentes auxilio. At ille postquam audivit gentem Turcorum circumcingentem atque obsidentem nos in civitatem, ascendit super proximam montaneam quæ imminebat omnes montes qui erant in circuitu ejus, quæ stabat prope Antiochiam. Vidensque innumerabilia tentoria, vehementer perterritus recessit. Hoc itaque nimio correptus timore, repente cum suo exercitu turpiter fugivit cum magna festinatione. Veniensque ad suum castrum, exspoliavit eum, et celeri cursu retro imprudenter iter revertitur.

Hic recessit Alexius imperator timore Turcorum, et Guido planxit plango magno Boamundum fratrem ejus.

Postquam venit obviam imperatori ad Philemiam, accessit ad eum secrete, et seorsum vocavit eum, dicens : « Scias revera quoniam Antiochia capta est, et castrum minime adhuc captum est, nostrique in gravi oppressione obsessi sunt, et ut puto a manibus Turcorum jam interfecti sunt. Revertere ergo retro quam citius potes, ut et ipsi non inveniant te, et gentem quam ducis. » Tunc imperator timore perterritus clam vocavit Guidonem fratrem Boamundi, omnesque alios, et dixit eis : « Seniores, quid facturi erimus ? Ecce omnes nostri districta obsessione impediti sunt, et forsitan in hac hora omnes a Turcorum manibus occisi sunt aut in captivitate ducti, sicut iste infelix comes imprudenter fugiens narrat. Si vero vultis, revertamur retro celeri cursu, ut et nos non moriamur repentina morte, quemadmodum et illi mortui sunt. » Cumque Guido honestissimus miles hæc talia audisset fallacia, statim cum aliis omnibus cœpit plorare, et ululare vehementissimo planctu, et una voce dicebant : « O Deus verus, trinus, et unus, quamobrem hæc fieri permisisti? Cur populum sequentem te in manibus inimicorum incidere permisisti ? et viam tui itineris, tuique sancti sepulcri liberantem tam cito mori concessisti? Profecto, si hoc verum est, quod nos ab istis nequissimis audivimus, nobis referentibus, nos et alii Christiani derelinquemus te, nec te amplius rememorabimur, et unus ex nobis non audebit ulterius nomen tuum invocare. »

Et fuit hic sermo mœstissimus valde in tota militia, ita quod nullus nostrorum audebat, neque archiepiscopus, neque episcopus, neque abbas, neque presbyter, neque clericus, neque quisque laicus Christi invocare nomen per plures dies. Nemo poterat consolari Guidonem plorantem, et plaudentem manibus, suosque frangentem digitos, et dicentem : « Heu me! Boamunde, honor et decus totius mundi, quem universus orbis timebat, atque amabat. Heu me tristem ! non merui dolens tuam videre honestissimam speciem, qui nullam magis rem videre desiderabam. Quis mihi det ut ego moriar pro te, dulcissime amice et domine? Cur ex utero matris exiens meæ, non statim mortuus fui? Cur ad hanc

lugubrem diem perveni? Cur non necatus fui in mare? Cur ex equo non cecidi fracto collo, recipiens repentinum interitum? Utinam tecum recepissem felix martyrium, et cernerem te recepisse gloriosissimum finem! » Cumque omnes occurrissent ad eum, et consolarentur eum, ut jam finem daret planctui, reversus est in se, et dixit: « Forsitan creditis huic semicano imprudenti militi? Nunquam vere audivi de militia aliqua loqui, quam isdem fecisset. Sed turpiter et inhoneste recedit, sicut nequissimus et infelix, et quidquid miser nuntiat, sciatis per omnia falsum esse. » Interea jussit imperator suis hominibus, dicens: « Ite, et conducite omnes homines istius terræ in Burgariam, et explorate, et devastate universa loca, ne cum venerint Turci aliquid possint hic reperire. » Volentes nolentesque nostri reversi sunt retrorsum, dolentes et mœrentes amarissime usque ad mortem. Fueruntque mortui multi ex peregrinis, qui erant languentes in nimia ægritudine. Quique fortiter non prævalebant militiam sequi, remanebant morientes in via, et omnes alii reversi sunt Constantinopolim.

Quomodo fuit lancea Domini Jesu Christi inventa primum.

Igitur nos infra civitatem detenti, venit Petrus Bartholomæus ad comitem Sancti Ægidii, et dixit ei ut pergeret ad ecclesiam Sancti Petri, ubi erat lancea recondita. Ille audiens hæc, cum magna lætitia venit ad ecclesiam. Et ille Petrus ostendit ei locum ante januas chori in dextera parte. Et foderunt ibi tredecim homines de mane usque ad vesperam. Facta autem nimis profunda fovea, ipse Petrus invenit lanceam Jesu Christi, sicut beatus ei Andreas indicaverat, quarto decimo die intrante Junio. Et acceperunt illam cum magno gaudio, *Te Deum laudamus* psallentes, detulerunt laudantes ad altare; unde maxima lætitia in tota urbe fuit. Hæc audiens exercitus Francorum, cum magno gaudio ad ecclesiam Sancti Petri venerunt, videre lanceam: et similiter Græci, et Hermenii, et Suriani, cantantes *Kyrie eleison*, et dicentes: *Kúlo Franci..... Christo:* hoc est, boni sunt Franci, qui habent lanceam Christi.

Hic miserunt Christiani nuntios ad Corbalan.

Postea fecerunt omnes consilium, quomodo bellum inciperent cum Turcis. Sed primitus laudaverunt omnes, quod misissent Curbalan, et aliis inimicis Dei Turcis, qui diceret eis: « Quare introistis in terram Christianorum? » Et miserunt Petrum Eremitam, et Arluinum drogamundum, dicentes eis, et interrogantes eos: « Cur audacter et superbissime intravere in Christianorum terram. » Qui venientes dixerunt ad eos: « Sciatis quod multum miranter nostri, quare huc venistis. Sed forsitan huc venistis, quia vultis effici Christiani, et ut credatis in unum verum Deum natum ex virgine Maria, quem nos credimus. Si vero propter hoc minime huc venistis, rogant vos humiliter omnes majores nostri sive juniores, quod velociter recedatis de terra Dei et Christianorum, quam beatus Petrus apostolus jamdudum prædicavit, et ad Christi culturam revocavit, et inde primus episcopus electus fuit. Quod si feceritis, permittunt vobiscum deducere omnia vestra, scilicet equos, et mulos, et asinos, et camelos, oves quoque et boves, et omnia alia ornamenta. » Tunc Curbalan princeps militiæ Soldani Persiæ, cum omnibus Amiraliis, pleni tumida superbia, feroci responderunt sermone: « Quoniam quippe Deum vestrum et vestram Christianitatem nec optamus, nec volamus, vosque cum illis omnino respuentes, huc usque jam venimus, eo quod valde miramur quamobrem majores et seniores, sive minores vestri, quam vos memoratis terram, quam abstulimus prope maxima virtute effeminatis gentibus, et illi dicant esse suam. Vultis ergo scire, quid vobis dicemus? Revertimini quantocius, et dicite vestris senioribus, quia si per omnia efficiuntur Turci, et Deum vestrum, quem vos inclini colitis, abnegare voluerint, nos illis hanc et satis plus dabimus terram, et civitates, et castella, et uxores, et maximas hæreditates; adhuc autem quod nemo vestrorum remanebit pedes, sed erunt omnes milites, sicut et nos sumus, et habebimus eos semper in magna amicitia. Sin autem, sciant se per omnia capitalem subire sententiam, aut deduci in vinculis Corosanum in captivitate perpetua, et servient nobis nostrisque infantibus per sempiterna tempora. »

Incipit bellum.

Nuntii itaque nostri frequenter reversi sunt ad Francos Christianos, referentes hæc omnia, et quemadmodum respondit eis gens hæc crudelissima. Interea exercitus noster in utraque tremefactus parte ignorabat quid facere debuisset. In una enim coangustabat eos cruciabilis fames, in altera constringebat eos Turcorum timor. Tamen fecerunt, sicut mandavit eis Dominus Jesus Christus per sacerdotem Stephanum, triduana jejunia, et de peccatis sunt confessi, et processiones fecerunt de una ecclesia in aliam, atque absoluti, et fideliter corpore et sanguine Christi communicati sunt, et dederunt eleemosynam pauperibus, et fecerunt cantare missas. Deinde fecerunt sex acies intra civitatem. In prima fuit Hugo Magnus cum Francigenis, et Flandrensi comite Rotberto; in secunda quippe, dux Godefridus cum suo exercitu; in tertia, fuit Rotbertus Northmannus cum suis hominibus; in quarta, fuit Ademarus Podiensis episcopus, portans secum lanceam Salvatoris nostri Jesu Christi cum sua gente, et cum exercitu Raimundi comitis Sancti Ægidii, qui remansit sursum ad castellum custodiendum in montaneam, pro timore Turcorum, ne descenderent in civitatem; in quinta, fuit Tancredus marchisi filius, et Gastos de Bearn cum sua gente, et cum gente Pictaviensis comitis; in sexta, fuit Boamundus cum suo exercitu. Episcopi quoque nostri, et presbyteri, et clerici, et monachi sacris vestibus induti, cum illis de civitate exierunt, in manibus suis cruces deferentes, orantes

et deprecantes Dominum, ut illos salvos faceret, et illos custodiret, et criperet ab omni periculo, et ab omni malo. Alii stabant super murum civitatis portæ, tenentes sacras cruces in manibus suis, signando et benedicendo illos. Illi itaque ordinati, atque signo crucis protecti, sic cœperunt exire extra civitatem, per portam quæ est ante Machomariam. Postquam Curbalan vidit Francorum acies tam pulchre ordinatas exisse unam post aliam, dixit : « Sinite modo omnes exire, ut melius capiamus capita eorum. » Imprimis exierunt pedones Hugonis Magni, et comitis Flandrensis Rotberti, ac deinde una quæque pars per suum ordinem. Postquam fuerunt foras de civitate, vidit Curbalan insignem Francorum gentem, ac valde timuit. Mox mandavit suo Amiralio, qui omnia habebat in sua custodia ad tentoria, ut si ille videret ignem accensum in capite hostis, protinus præconiare fecisset suum exercitum, et redisset retro, sciens Turcos amisisse campum. Continuo Curbalan cœpit paulatim redire retro contra montaneam, nostrique paulatim persequebantur eos. Denique divisi sunt Turci ; una pars ivit contra mare, et alii steterunt illic, putantes nostros includere inter illos. Videntes hoc nostri, fecerunt septimam aciem ex acie ducis Godefridi, et comitis de Northmannia, et caput illius fuit comes Rainaldus. Hanc miserunt obviam Turcis, qui veniebant e mare. Turci autem præliati sunt cum illis, et sagittando multos occiderunt ex nostris. Aliæ autem turmæ nostræ ordinaverunt se a flumine usque ad montaneam, quod distat per duo milliaria.

Hic venerunt S. Georgius, S. Theodorus, S. Demetrius, in adjutorium Christianis.

Cœperunt namque turmæ Turcorum ex utraque parte exire, nostrosque undique circumcingebant, jaculando , et sagittando, et vulnerando. Exierunt quoque de montaneis innumerabiles exercitus, qui ducebant equos albos, quorum vexilla omnia alba erant. Videntes itaque nostri hunc exercitum, ignorabant qui essent, donec cognoverunt esse adjutorium Christi, sicut mandavit illis per Stephanum sacerdotem. Quorum ductores fuerunt sanctus Georgius, et beatus Theodorus, et sanctus Demetrius. Hæc verba credenda sunt, quia plures ex nostris viderunt hoc. Illi autem Turci, qui stabant in parte maris, videntes quod non potuissent sufferre amplius, miserunt ignem in herbam, ut videntes illi qui erant ad tentoria inciperent fugam. At illi cognoscentes illud signum, arripuerunt omnia honorabilia ornamenta, et spolia et fugerunt. Nostri vero paulatim militabant, ubi maxima virtus eorum erat, scilicet ad eorum tentoria. Dux Godefridus, et Flandrensis comes Rotbertus, et Hugo Magnus, equitabant juxta aquam, ubi maxima virtus illorum erat. Isti primitus signo crucis muniti, unanimiter invaserunt illos. Exclamaverunt Turci et alii pagani diabolicos sonos in extranea lingua, et ceperunt fugam. Nostri itaque invocantes unum et vivum Deum, equitaverunt contra illos, et sic in nomine Jesu Christi et sancti sepulcri incœperunt bellum, et Deo adjuvante devicerunt illos. Turci namque tremefacti arripuerunt fugam, nostrique illos persecuti sunt juxta eorum tentoria. Magis milites Christi amaverunt illos persequi quam ulla spolia acquirere. Et persecuti sunt eos usque ad Pontem-Ferreum, ac deinde usque ad Tancredi castellum. Illi vero dimiserunt ibi papiliones suos, aurum et argentum, et ornamenta multa, oves et boves, equos et mulos, et asinos, et camelos, frumentum, vinum, et farinam, et alia multa quæ nobis necessaria erant. Hermenii et Suriani, qui habitabant in illis partibus, audientes Turcos superatos esse, cucurrerunt ad montaneam obviam illis, et quantos invenerunt ex illis occiderunt. Nostri autem reversi sunt cum magno gaudio, laudantes et benedicentes Deum, qui dedit victoriam populo suo. Ammiralius itaque, qui castellum custodiebat, videns Curbalan et omnes alios paganos fugientes e campo, nimis iratus fuit, et maximum timorem in corde suo habuit. Statim cum magna festinatione cœpit petere Francorum vexilla. Comes Sancti Ægidii, qui in montanea ante castellum astabat, jussit ei portare vexillum. Ille autem accepit illud cum gaudio, et diligenter misit illud in majorem turrim.

Hic reddidit se Ammiralius Boamundo, qui custodiebat castellum, et accepit baptismum.

Postea petiit vexillum Boamundi, qui post factum bellum dedit ei vexillum. Accepit quoque Ammiralius illud cum maximo gaudio et lætitia, et concordatus fuit cum Boamundo, quod illi pagani, qui Christiani voluissent fieri, fuissent cum eo, qui voluissent ire Corosanum, quod ille sanos absque ulla læsione abire permisisset. Annuit Boamundus quidquid Ammiralius postulavit, et misit suos homines continuo in castellum. Non post multos dies baptizatus fuit Ammiralius cum illis qui Christum recognoscere voluerunt. Illos, qui suas noluerunt dimittere leges, fecit conducere Boamundus usque in Sarracenorum terram. Hoc fuit bellum factum quarto Kal. Jul. in vigilia Apostolorum Petri et Pauli, regnante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria in sæculorum sæcula, amen. Et cum essent omnes inimici Dei devicti (Deo vero et summo atque sancto sepulcro dignas referimus laudes) huc et illuc fugientes, alii semivivi, alii vulnerati, in vallibus et nemoribus, et in arvis et in viis cadebant mortui. Quoniam Græci, Hermenii, et Suriani, scientes eos devictos fuisse in bello, insidiabantur eos in arcta loca, vulnerando et occidendo. Nostri autem peregrini reversi sunt in civitatem, gaudentes et exsultantes cum maximo atque felici triumpho de inimicis Dei et sanctæ Christianitatis. Deinde congregati omnes nostri seniores, et in ecclesia S. Petri fecerunt consilium, quemadmodum hunc feliciter valeant regere et conducere populum, usque dum sancti sepulcri viam incipere potuissent, pro quo fideliter multa passi fuerunt necessaria. Inventum fuit igitur in consilio, quoniam in illo tempore

non poterant introire terram Sarracenorum, eo quod valde in æstivo tempore arida et inaquosa est. Per hanc vero viam non audebant transire, neque Christi populum ducere, regere et conducere. Tamen acceperunt ad Kal. Novemb. terminum, videlicet ad Omnium Sanctorum solemnitatem, quod in illo die essent omnes undique congregati in Antiochia, et sic cum maximo gaudio inciperent viam sancti sepulcri. Omnes namque pariter laudaverunt consilium hoc, quod et honestum erat ad faciendum. Postea seniores nostri unusquisque profectus est in terram suam, videlicet in civitates et in castella, usque dum appropinquasset ille terminus. Feceruntque omnes seniores præconari per urbem universam, ut si quis egens esset illic, qui auro vel argento aliquantulum careret, et conventionem cum illis recipere voluisset, non pigraretur fideliter remanere, quia ipsi quod conventum esset libenti animo darent. Erat autem ibi quidam miles de exercitu Raimundi comitis Sancti Ægidii, cui nomen Raimundus Piletus erat. Hic quoque miles multos retinuit secum milites et clientes. Egressus ergo est cum eis de civitate, et in Sarracenorum terram introivit, videlicet ultra duas civitates paganorum : et pervenit ad quoddam castrum, cui nomen erat Talemanite. Quod castrum illius habitatores, scilicet Suriani, reddiderunt ei.

Hic superatur Raimundus Piletus.

Cumque morati fuissent ibi per octo dies, nuntii venerunt ad eum, dicentes quoniam illic prope erat castrum Sarracenorum plenum gente paganorum. Ad hoc vero castrum continuo milites Christi perrexerunt, et undique invaserunt. Quod continuo ab illis captum fuit, Dei adjutorio et sancti sepulcri. Apprehenderunt igitur omnes paganos illos. Qui Christianitatem recipere volebant et sanctum baptismum desiderabant, conservabant vivos; illos qui Christianitatem nequaquam recipere volebant, confestim capitalem eis sententiam præparabant. Reversi sunt itaque nostri cum magno gaudio ad prius castrum. Tertia vero die exierunt, et venerunt ad quamdam civitatem, cui nomen Marra, quæ illic erat prope illos. In qua erant multi Turci congregati, Arabes, et Sarraceni, et alii pagani ab Aleph civitate, et Damasco, et ab aliis castris, quæ circa illam erant. Exierunt ergo barbari contra illos ad prælium, nostrique æstimantes cum illis præliari, statim ipsi fugere cœperunt, et iterum reversi, per totum diem cum nostris præliati sunt usque ad vesperam. Cumque nostri jam propter nimium æstum ferre tantam sitim nequivissent, quia nullus ibi fons ad illos reficiendos inveniri poterat, voluerunt ad suum castrum redire secure, sed non potuerunt. Pro illorum enim peccatis sive offensionibus, Suriani et gens minuta hinc maxima siti, hinc nimio pavore perterriti, statim cœperunt fugiendo ad suum redire castrum. Turci autem videntes illos recedere, illico cæperunt illos cum maximo tumultu invadere. Nec mirum. Victoria enim illis ministrabat vires. Ibique cum multis aliis, qui Deo feliciter animas reddiderunt, pro cujus amore illic congregati fuerunt, quidam optimus miles Arnaldus Tudebodus interfectus fuit. Peracto itaque bello, reversi sunt nostri, qui vivi remanserunt, in suum castrum : ibique morati sunt per aliquos dies. Alii vero, qui in Antiochia civitate remanserant, maximum gaudium et lætitiam habebant, quia hoc contigisse suis ignorabant.

Hic obiit bonæ memoriæ Ademarus Podiensis episcopus.

Interea Ademarus Podiensis episcopus, Pater per omnia venerandus, ac Deo dignus, gravi invalitudine præventus est, et ex Dei voluntate migravit ab hoc sæculo, et in pace requiescens obdormivit in Domino in Abrahæ videlicet sinu, et Isaac, et Jacob, et in sancti Petri a Vinculis solemnitate. Cujus sanctissima anima exsultat cum angelis. Unde maxima angustia et tribulatio, atque immensus dolor fuit in tota militia, quia ille erat sustentator pauperum, et consilium divitum, ipseque ordinabat clericos, et prædicabat et submonebat milites, dicens: « Quoniam ex vobis nemo salvus fieri potest, nisi honorificet pauperes clericos : vosque non potestis salvari sine illis, et illi sine vobis vivere nequeunt. Oportet ergo, ut ipsi quotidiana oratione Deum pro vestris delictis deprecentur, quem vos offenditis in multis, quod nunquam fieri debuerat. Vobisque oportet illos regere et nutrire, quia illi nesciunt perquirere, neque invenire, sicut vos scitis. Ego rogo vos, ut pro Dei amore eos diligatis, et in quantum potestis eos sustineatis. »

Quomodo capta est Albara civitas.

Non post multum vero temporis Raimundus venerabilis comes Sancti Ægidii in Sarracenorum terram introivit, et pervenit ad quamdam civitatem, quæ vocatur Albara ; quam invasit una cum suo exercitu, eamque Dei voluntate apprehendit, et occidit omnes Sarracenos, scilicet masculos et feminas, majores et minores, quos ibi reperire potuit. Quam postquam suo continuo recepit imperio, ad Christi revocavit fidem ; cœpitque inquirere consilium suis sapientissimis viris, ut episcopum in hac civitate devotissime eligeret, qui illam ad Dei cultum fideliter converteret, et de domo diabolica templum Deo vivo et vero, et oraculo puro corde sanctorum consecraret. Postea elegit quemdam clericum, quem in Antiochia civitate duxit ad consecrandum, qui postea tenebat consilia in loco Ademari Podiensis episcopi.

INCIPIT LIBER QUINTUS.

De itinere Hierusalem.

Anno millesimo nonagesimo octavo, appropinquante termino, videlicet Omnium Sanctorum festivitate, regressi sunt nostri seniores in civitatem Antiochiæ, excepto Boamundo, qui erat in Romaniæ partibus gravi infirmitate correptus. Ideo ad eumdem terminum venire non licuit. Cum vero illud tempus advenit in quo militari potuit, continuo civitati Antiochiæ, in qua erant alii congregati, cito advenit. Deinde omnes seniores congregati insimul, cœperunt inquirere qualiter sancti sepulcri iter valeant peragere, dicentes : « quoniam bonum et optimum tempus est. Quid moramini amplius ? » Sed Boamundus quotidie conventionem quærebat, quam omnes alii seniores habuerunt, videlicet in reddenda civitate. Magisque querebatur de Raimundo Sancti Ægidii comite, eo quod ad nullam conventionem tenere erga Boamundum se volebat, quia timebat se perjurare contra imperatorem. Tamen sæpe fuerunt ad justum judicium faciendum unus erga alterum in Sancti Petri ecclesia congregati, Boamundus, et Raimundus Sancti Ægidii et dux Godefridus, et Rotbertus Northmannus, et alii seniores et minores, ut eos concordarent. Boamundus vero recitabat suam conventionem omnibus audientibus, et comes Sancti Ægidii suam. Verba narrabat et jusjurandum quod imperatori fecerat pro Boamundi consilio. Episcopi vero et dux Godefridus, et Flandrensis comes Rotbertus, et Rotbertus comes Northmanniæ, et Eustachius comes, et alii seniores divisi sunt ab aliis, et intraverunt in cathedram S. Petri. Cathedra erat, ut in illa ecclesia discernerent inter utrumque. Sed illi timentes ne sancti sepulcri via remaneret, noluerunt aperte judicium dicere. Quod cum vidit Raimundus comes Sancti Ægidii, dixit : « Priusquam via sancti sepulcri remaneat, si Boamundus vobiscum venire voluerit, quidquid episcopi, et Godefredus, et Rotbertus Northmannus, et Rotbertus Flandrensis comes, et alii seniores laudaverint, ego libenti animo perficiam, salva fidelitate imperatoris. « Quod laudavit Boamundus et annuit, et ita promiserunt ambo in manibus episcoporum, videntibus peregrinis sancti sepulcri. Deinde accepit Boamundus cum suis hominibus consilium, quomodo muniret castrum de alta montanea de bonis armis et de victu, qui non deficeret longo tempore. Et Raimundus Sancti Ægidii similiter munivit palatium Cassiani Ammiralii, et turrim quæ est super portam pontis, quæ est ex parte portus Sancti Simeonis.

De situ Antiochiæ.

De civitate vero pauca loquenda sunt. Hæc quoque civitas valde est magna, et pulchra, et honorabilis, quia infra muros ejus sunt quatuor montaneæ maximæ et nimis altæ. In altiori quoque est castellum ædificatum, nimis forte et valde altum. Deorsum est civitas honorabilis atque conveniens, omnibusque ornata honoribus, quoniam in ea sunt pulcherrimæ aquæ quæ exeunt de montaneis. Mille et ducentæ ecclesiæ in ea sunt ædificatæ, tercenta et sexagenta monasteria in se habuit monachorum. Sub jugo continet patriarcha centum quinquaginta episcopos. Clauditur autem duobus muris civitas ; major quoque nimis est altus, et mirabiliter latus, magnisque lapidibus compositus, in quo sunt ordinatæ quadringentæ quinquaginta turres, modisque omnibus est civitas formosa. Ab oriente clauditur quatuor magnis montaneis, ab occidente secus muros civitatis fluit quoddam flumen magnum cui nomen est Pharphar. Et ideo quod est tam bona et tam pulchra, noluerunt stulte dimittere regalem civitatem Antiochiam, quæ tantæ auctoritatis fuit, quod eam prius septuaginta et quinque reges constituerunt quorum nomina sunt hæc : Murgulandus, Elirandons, Lamulafres, Rademons, Elias, Brumandus, Margorias, Pharaon, Brumandus, Brelion, Laidus, Rudandus, Judas Machabæus, Nubles, Samson, David hæreticus, Salomon, Pilatus, Herodes, Elidius, Gaferius, Rudandus, Gaclerius, Morplurius, Fortis Castrius, Maraon, Argolas, Ordocius, Fortis-Lamusteo, Alapres Amiralius, Morabilis, Orgilandus, Morabilis, Morlianus, Organdus impius de Saramania, Brajerandus, Morus Rex, Fulcher, Darandus, Ariandon, Rex Thanas, Esconius, Duras, Dormandus, Rex Vision, Sicharius, Thobias, Lintion, Malardus, Deiramordus, Mordandus, Oralionus, Brumornel, Apparandus, Effrenion, Noirandus, Fortis-Bruas, Gorgandus, Udonus impius, Tomandus, Tolandus, Delufres, Troandus, Candelos Rex, Rambulandus, Gazami, Mirmion, Oringes, Brulion, Maxdolienes, Bariandus, Barilion, Gazianus, Bronurius, Antiochus qui dux fuit aliorum, et ab eo dicitur Antiochia. Istam civitatem tenuerunt peregrini sancti sepulcri obsessam, sicuti superius audisti, per octo menses, et unum diem. Postea intus fuerunt reclusi per 26 dies a Turcis, et ab aliis paganis. Tamen adjutorio Dei et sancti sepulcri illis devictis, requieverunt peregrini cum magno gaudio et lætitia in Antiochia per quinque menses et dimidium.

Civitas Marra obsessa est a Christianis.

Postea octavo die exeunte Novembrio mense discessit Raimundus comes sancti Ægidii cum suo exercitu ab Antiochia, per unam veniens civitatem quæ vocatur Lica, et per aliam quæ vocatur Albara. Quarto die exeunte Novembrio pervenit ad civitatem quæ vocatur Marra, in qua maxima multitudo Sarracenorum erat congregata, et Turcorum, et Arabum, et plurimorum paganorum. Raimundus ergo comes cum sua gente crastina die invasit eam ; sed capere non potuit, quia non venerat voluntas Dei.

Non post multum vero temporis Boamundus cum suo exercitu secutus est Raimundum, et hospitatus fuit circa civitatem in die Dominica. Secunda vero feria tam acriter invaserunt undique civitatem, quod si scalæ fuissent erectæ ad murum civitatis, in nostra potestate esset civitas, ibique percutiebant se cominus cum lanceis et ensibus. Sed tam magna fuit virtus paganorum, quod illi nihil illis nocere potuerunt, sed multa mala ibi perpessi sunt. Namque cibus deficiebat, quoniam non erant ausi alicubi ire quæsitum ; tanta multitudo paganorum circumcirca habebatur.

Sanctus Andreas apparuit Petro Bartholomæo.

Quod prospiciens beatus Andreas qui non dormit, sed semper super anxiatos Christianos vigilat, nuntiavit Petro Bartholomæo, quatenus si Christiani pœniterent de malefactis suis, atque unus erga alium bonam haberent fidem, quod Dominus præcepit, dicens : « Diligite fratres vestros tanquam vosmetipsos, » atque redderent illam partem, quam ipse propriam retinuit, quando mundum ipsum, omnesque creaturas, quæ in eo sunt, creavit, scilicet decimam omnium rerum quæ possidentur, ipse daret illis civitatem brevi tempore, atque impleret omnem suam voluntatem. Quam prædictam partem, videlicet decimam, jussit dividi in quatuor partibus, una quarum detur episcopo, altera sacerdotibus, alia ecclesiis, alia pauperibus. Quod postquam fuit in concilio recitatum, concesserunt omnes. Non post multam temporis fecit Raimundus Sancti Ægidii facere quoddam castrum ligneum forte, et valde altum. Quod castrum ingeniatum atque ædificatum fuit super quatuor rotas, super quod stabant plures milites, et Euvardus venator lituos fortiter sonando, et ante illum ventilabant honorabilia vexilla. Quod nimis erat pulchrum ad videndum. Subtus vero castrum erant plus quam centum milites armati, qui deduxerunt illud prope civitatis murum juxta quamdam turrim. Quod cum vidisset gens pagana, statim fecerunt plurima instrumenta cum quibus jactabant maximos lapides super castrum, ita quod pene nostros milites occiderent. Vexilla quoque, quæ sursum erant, perforabant cum sagittis, et alii lapidibus, et alii ruebant Græcos ignes super castrum, eo quod putabant illud ardere. Sed pius Deus et misericors quod arderet noluit. Crastina vero illud imminebat omnes muros civitatis et turres. Milites nostri, qui erant sursum in solario superiori, videlicet Guillelmus de Montepislerio, et alii plures, jactabant immensos lapides super Sarracenos, qui stabant super muros civitatis ; ita quoque percutiebant eos super clypeos, quod clypeus et paganus caderent deorsum in civitate mortui. Et mittebant in hastis vexilla, et sic cum lanceis et hamis ferreis putabant peregrini ad se trahere illos. Milites et clientes ita magnanimiter pugnabant, presbyteri quoque et clerici sacris vestibus induti, orantes et obsecrantes Dominum Jesum Christum, ut suum defendat populum, et Christianis militibus victoriam præstet, suamque sanctam Christianitatem exaltet, et paganitatem destruat. Tunc Golferius quidam de Turribus honestissimus miles primus ascendit per unam scalam in murum, quæ continuo fuit fracta multitudine illorum. Golferius vero postquam fuit super murum, cœpit cum illis pugnare cum lancea, eos occidendo. Alii vero invenerunt aliam scalam, et festinanter ad murum erexerunt, et ascenderunt multi milites et pedites, tantique ascenderunt, quod vix illos capiebat murus. Sarraceni igitur tam robuste invaserunt illos per murum civitatis, et intus per terram sagittando, et cominus spiculando cum suis lanceis, ita quod multi ex nostris timore perterriti demiserunt se deorsum per murum. Illi prudentissimi viri, qui remanserunt in murum, sufferebant illorum persecutionem. Alii, qui sub castro erant, fodiebant deorsum muros civitatis. Videntes autem Sarraceni, qui stabant super murum quod nostri fodissent murum civitatis, statim timore perterriti inierunt fugam in civitatem. Hoc totum factum in die Sabbati, ad horam vesperi, occidente sole, undecima die intrante mense Decembri. Boamundus igitur fecit per interpretem loqui Sarracenis majoribus, quod ipsi cum suis mulieribus et infantibus et aliis substantiis misissent se in uno palatio, quod erat supra portam ; ipseque defenderet eos de mortali sententia. Intraverunt autem omnes nostri in civitatem, et quidquid boni invenire potuerunt in domibus et in foveis, hoc unusquisque ad suum continebat proprium. Facto autem die crastino, ubicunque reperiebant quemquam illorum sive masculum sive feminam, capitalem eis dabant continuo sententiam. Nullus quoque angulus civitatis deerat, in quo non jaceret Sarracenorum cadaver, vixque poterat aliquis ire per vias civitatis, nisi calcando super Sarracenorum cadavera. Boamundus vero illos, quos jusserat in palatio intrare, apprehendit, illisque abstulit omnia quæ habebant, videlicet aurum, et argentum, et alia ornamenta quæ illi habebant. Alios fecit occidere, alios fecit conduci ad vendendum Antiochiæ. Et ita multi fuerunt ex nostris, qui in civitate venerunt, quidquid eis erat necessarium ad sumendum, et multi qui nihil invenerunt ad capiendum. Postea fuit tam longa mora in civitate, quod multi fuerunt districti fame in civitate. ideo quod foras non audebant exire in terram Sarracenorum longe, prope nequiverant aliquid invenire ad capiendum. Nostri quoque pauperes peregrini cœperunt scindere corpora paganorum, eo quod in ventribus eorum inveniebant reconditos bysantios, alii quoque districti fame cædebant carnes eorum per frusta, et coquebant ad manducandum.

Hic comedebant carnes Turcorum Christiani.

Postquam vero seniores nostri hoc viderunt, fecerunt paganos tradi extra civitatem ad portas ; ibi faciebant quasi montes ex eis, et postea faciebant eos ardere. Boamundus autem non valens concordari cum Raimundo Sancti Ægidii, reversus est

Antiochiæ. Raimundus quoque Sancti Ægidii non post multos dies misit suos legatos Antiochiam duci Godefrido, et Flandrensi comiti, ac Rotberto Northmanniæ, et Boamundo, quod ipsi venirent ad Rusiam civitatem, loqui cum eo. Veneruntque illuc omnes illi seniores, et concilium fecerunt, quomodo incipere potuissent viam sancti sepulcri, pro qua moti sunt, et huc usque venerunt. Sed non potuerunt Boamundum concordare cum Raimundo comite, nisi redderet ei Antiochiam. Sed Raimundus facere noluit, pro fiducia quam fecerat Alexio imperatori. Idcoque dux et alii comites reversi sunt Antiochiæ. Raimundus quoque Christi athleta reversus est ad Marram civitatem, ubi erant peregrini sancti sepulcri, et misit suos homines Antiochiæ, ut ipsi munirent atque custodirent palatium Cassiani Amiralii, quod habebat in sua potestate, et turrem quæ est super portam pontis contra Machomariam. In ista civitate quoque fuit mortuus sapiens Oriensis episcopus, ibique morati sunt peregrini per unum mensem et quatuor dies. Boamundus cupiens habere civitatem Antiochiæ sua virtute, omnes homines Raimundi Sancti Ægidii sua virtute ejecit. Quod Raimundus cum audisset Christi athleta, parvipendit, et sicuti servus Domini nostri Jesu Christi incœpit viam sancti sepulcri, et exivit nudis pedibus de civitate tertio decimo die intrante Januario, et pervenit ad castrum Capharda, quod distat per octo milliaria, ibique moratus est per tres dies. Illic adjunxit se Rotbertus Northmanniæ cum eo. Rex autem Cæsareæ multoties miserat suos milites et nuntios Raimundo Sancti Ægidii ad Marram civitatem et Capharda, quod cum eo cupiebat concordari, et suus amicus effici, et de suo censu ei dare volebat quantum libet, nimisque cupiebat Christianos diligere, et fiduciam ei volebat facere, quod quantum pertinebat ad suum regnum securi fuissent sine ullo pavore, et promittebat se dare mercatum de equis et corporalibus alimentis. Exierunt autem peregrini, et venerunt hospitari supra flumen, quod dicitur Pharphar, juxta Cæsaream. Rex autem, postquam vidit Francorum exercitum tam prope civitatem hospitari, nimis in suo animo condoluit, et misit mercatum devetari, nisi a civitate discederent. Crastino vero misit cum illis Turcos, qui eis monstrarent fluminis vadum, eosque conducerent, usque invenire aliquid potuissent ad capiendum. Deinde venerunt in quamdam vallem subtus castrum quoddam, ibique invenerunt plus quam mille animalia, et satis frumenti, et alia bona, unde nimis fuit refecta tota Christi militia. Tamen dominus illius castri concordatus est cum Raimundo, eique donavit equos, et alia multa, et sua lege juravit quod amplius peregrinis non noceret. Raimundus ibi cum suo exercitu per quinque dies moratus est. Egressi inde pervenerunt Christi peregrini ad aliud Arabum castrum, cujus dominus similiter concordatus est cum Raimundo. Inde exeuntes, pervenerunt in quamdam vallem ad unam civitatem A nomine Caphaliam valde pulcherrimam, et omnibus bonis ornatam. Habitatores vero illius civitatis, Christianos peregrinos venire audientes, dimiserunt civitatem vacuam, et hortos plenos oleribus, et domos plenas plurimis alimentis corporum. Tertia autem die, egressi ab illa civitate, pervenerunt per altam et immensam montaneam, et intraverunt in vallem de Issem, in qua erat maxima ubertas frumenti et pecudum, fueruntque per quindecim dies. Ibique invenerunt aliud castrum vacuum, in quod ignem miserunt Sarraceni, et fugerunt; juxta quod erat aliud castrum, in quo erat congregata multitudo maxima paganorum. Illud aggrediuntur tam fortiter nostri peregrini, quod in sua potestate habuissent, nisi Sarraceni jactassent foras innumeras B turmas animalium. Reversi sunt autem nostri, deducentes secum animalia ad sua tentoria. Summo autem diluculo collegerunt nostri suos papiliones, atque venerunt ad idem castrum jam supradictum obsidere, et sua tentoria ibi voluerunt tendere. Sed gens pagana omnino dedit sese fugæ, circa mediam noctem, et dimisit castrum vacuum sancti sepulcri peregrinis. Intrantes autem castrum peregrini, ibi invenerunt de rore cœli abundantiam, scilicet frumentum, vinum, et farinam, et oleum, et gallinas, et quidquid opus erat. Illic devotissime celebraverunt festivitatem sanctæ Mariæ Purificationis, quæ est secunda die Februarii. Veneruntque nuntii de Camela civitate, deducentes secum equos et aurum, C quæ mittebat illius civitatis rex Raimundo Sancti Ægidii, cupiens concordari cum eo, promittensque Christianos diligere, et diligenter eos ubique honorare. Rex quoque Tripolis similiter mittebat nuntios suos Raimundo Sancti Ægidii, volensque cum eo pacem habere, si illi placeret; misitque ei decem equos, et quatuor mulas, et multos bysantios. Sed comes ait nullo modo pacem habere, nisi Christianus efficeretur. Quod rex promisit, et annuit. Euntes autem nostri de illa optima valle, pervenerunt ad quoddam castrum, quod dicitur Archas, in die Lunæ, scilicet secunda feria in medio Februarii, circa quod tentoria fixerant. Quod castrum erat plenum innumerabili gente paganorum, videlicet Turcorum, Sarracenorum, Arabum, Publicanorum, et aliorum paganorum, qui munierunt miraD biliter illud castrum, et defendebant se fortiter. Castrum quoque erat nimis forte et altum super quemdam montem, et clauditur a duobus muris. Uno die exierunt quatuordecim ex nostris militibus, et equitati sunt Tripolim civitatem, quæ distat a castro octo milliaria. Isti fuerunt milites, scilicet Raimundus de Torena vicecomes, et Petrus vicecomes de Castellon, et Amanevus de Lobreto, et Sicardus, et Bego de Riberie, Guillelmus Botius, et alii quorum nomina ignoro. Isti quatuordecim milites invenerunt sexaginta inter Turcos et Arabes, Sarracenos, et Curtos, qui deducebant ante se nostros homines, et animalia magis quam mille quingentos. Quos invaserunt nostri muniti signo crucis: occi-

deruntque sex ex illis, et sex equos retinuerunt. Alia die exierunt de exercitu Christi Raimundus Piletus, et Raimundus vicecomes de Torena civitate, et venerunt ante Tortosam civitatem cum suis militibus; prœliatique sunt fortiter illam, quæ erat munita maxima multitudine paganorum. Sero autem jam facto, recesserunt nostri in quodam angulo, juxta silvam, ibique hospitati fecerunt fieri innumerabiles ignes, quasi adesset omnis exercitus Christianorum. Quod videntes pagani, maximo terrore perterriti, nocte furtim fugerunt, et dimiserunt civitatem plenam plurimis bonis quæ sita est supra optimum portum maris. Crastina autem die venerunt nostri milites, putantes undique invadere illam, eamque invenerunt vacuam gentibus, et intrantes in ea habitaverunt, quandiu obsessio fuit ante castrum Archæ. Prope istam est alia urbs, quæ dicitur Maraclea. Amiralius, qui eam regebat, pactus est cum nostris, et misit nostros infra civitatem, et vexilla nostra.

Hic obsederunt Gibellum civitatem.

Alii quoque seniores, qui erant Antiochiæ, videlicet dux Godefridus, et Flandrensis comes Rotbertus, et Boamundus, venerunt usque Lichiam civitatem, sequentes Raimundum Sancti Ægidii. Itaque Boamundus separavit se ab aliis, et reversus est Antiochiam. Dux quoque Godefridus, et Flandrensis comes, sequentes Raimundum Sancti Ægidii pervenerunt ad quamdam civitatem, cui nomen Gibelum, quam fortiter obsesserunt, et prœliati sunt. Raimundus quoque erat in obsessione Archæ, veneruntque sibi nuntii quod pagani veniebant prœliari cum eo. Ille quoque misit episcopum Albariæ duci Godefrido, et Rotberto Flandrensi comiti, quatenus venissent ad castrum Archæ, quoniam pagani veniebant undique congregati pugnare cum eo et sua gente. Quod cum audisset dux Godefridus, et Flandrensis comes, fecerunt placitum cum ammiralio, qui eis equos et bysantios dedit, et promisit eis quod in damno peregrinis sancti sepulcri amplius non esset. Dux Godefridus, et Flandrensis comes Rotbertus, festinanter perrexerunt ad Raimundum Sancti Ægidii in adjutorio, et hospitati sunt secus castrum juxta fluvium. Itaque obsederunt castrum. Sed illi supradicti pagani minime venerunt ad pugnam. Non post multos dies equitaverunt nostri contra Tripolim, et invenerunt extra civitatem Turcos, et Arabes, et Sarracenos, quos invaserunt continuo, et miserunt eos in fugam, et occiderunt maximam partem nobilium civitatis. Tanta fuit paganorum occisio, et sanguinis illorum effusio, quod etiam aqua quæ in civitate fluebat videbatur rubea ruere in cisternas eorum sanguine. Unde nimis fuerunt alii tristes et dolentes, qui in civitate vivi remanserunt. Jam vero erant tanto timore exterriti, quod vix aliquis eorum audebat exire extra civitatis portam. Alia vero die equitaverunt nostri ultra vallem Desem, et invenerunt boves, et asinos, et oves, et multa animalia sine numero, et diviserunt se sexaginta ab aliis, et invenerunt tria millia camelorum. Omnia vero ista animalia deduxerunt ad exercitum Christi, unde satis fuit læta tota Christi militia. Naves quippe nostræ venerunt prope nos in quodam portu, quandiu fuimus in ea obsessione, deferentes maximum mercatum, scilicet frumentum, vinum, et carnes, et caseos, et oleum, et hordeum, unde maxima ubertas fuit in toto hoste. In illa namque obsessione feliciter martyrium plures ex nostris receperunt, videlicet, Poncius de Baulan, et Anselmus de Risbemund, et Guillelmus Picardus, et alii, quorum nomina nescio. Ita vero tenuerunt illud castrum supradictum per tres menses, minus uno die. Ibique fuit judicium factum de lancea Domini VIII Kal. Aprilis, ibique Pascha Domini celebraverunt IV Id. Aprilis.

Hic fuit judicium de lancea Domini.

Rex quoque Tripolis sæpe mittebat nuntios Raimundo Sancti Ægidii, ut dimisisset castrum. Audientes hoc itaque nostri seniores, videlicet Raimundus Sancti Ægidii, et dux Godefridus, et Rotbertus comes Flandrensis, et Rotbertus Northmannus, et alii peregrini, et ex alia parte videntes fructus novos properasse, quoniam in mense Martio manducabant novas fabas, et in medio quoque Aprili novum frumentum, consiliati majores sive minores dicebant, quod bonum esset Hierosolymitanum iter cum novis fructibus incipere. Et ita laudaverunt omnes facere placitum cum rege. Discesserunt igitur a castro, et pervenerunt Tripolim in sexta feria, 13 die intrante Maio, ibique per tres dies morati sunt. Et concordatus fuit rex Tripolis cum Raimundo Sancti Ægidii, et cum aliis senioribus, illisque continuo dissolvit plusquam trecentos peregrinos, qui illic capti erant de priori bello. Et dedit Raimundo quindecim millia bysantios, et quindecim equos magni pretii, et fecit illis magnum mercatum fieri de equis, et asinis, et pane, et caseis, et pannis, et omnibus bonis. Unde nimis ditata fuit tota Christi militia. Et convenit illis quod si bellum devincere potuissent, quod eis Ammiralius præparabat, et Hierusalem apprehendere valerent, ille Christianus efficeretur et terram ab eis acciperet. Talique conventu placitum locutum fuit atque factum. Postea discesserunt a civitate secunda feria medii Maii, transiveruntque per viam arctam et arduam tota die et nocte, et pervenerunt ad castrum, cui nomen Bethelon. Deinde appropinquaverunt civitati, quæ dicitur Gibelon secus mare, in qua passi fuerunt magnam sitim, et sic defessi pervenerunt ad flumen, quod dicitur Braym. Deinde transierunt die ac nocte Ascensionis Domini per montem quemdam, in quo nimis est via angusta et arcta, ibique putaverunt inimicos nostros invenire. Sed, Deo annuente, nullus eorum præparabat se ante nostros. Ita pervenernnt ad civitatem, quæ dicitur Baruth, et de illa ad aliam quæ dicitur Sagitta, et de Sagitta ad aliam quæ vocatur Sur, et de Sur ad Acram civitatem pervenerunt. De Acra trans-

ierunt secus castrum, cui nomen Cayphas; inde pervenerunt Cæsaream civitatem, ibique celebraverunt Pentecosten tota die exeunte Maio. Inde venerunt ad illam urbem, quæ dicitur Ramma, quam Sarraceni vacuam dimiserunt metu Francorum. Juxta quam erat nobilis ecclesia, in qua requievit pretiosissimum sancti Georgii corpus, quia iilic a perfidis paganis pro Christi nomine feliciter martyrium suscepit. Continuo consiliati sunt nostri seniores, ut ibi devotissime eligerent episcopum, qui hanc custodiret et regeret ecclesiam; cui suas decimas dederunt, auri scilicet et argenti, et animalium, et equorum, ut honestissime potuisset vivere simul cum eis qui cum eo remanebant. Remansit quoque ille ibi cum gaudio. Alii autem lætantes, scilicet Raimundus Sancti Ægidii, et dux Godefridus, cum aliis peregrinis, pervenerunt usque ad civitatem Hierusalem, tertia feria intrante die septimo Junii, eamque robustissime prope muros civitatis obsederunt. Rotbertus namque Northmannus obsedit eam a septentrione, juxta Sancti Stephani protomartyris ecclesiam, ubi gratanter recepit lapides pro Christi nomine, et juxta eum Rotbertus Flandrensis comes. Ab occidente obsedit eam dux Godefridus, et Tancredus cum eo. A meridie obsedit quoque eam Raimundus comes Sancti Ægidii, scilicet in monte Sion, juxta ecclesiam Sanctæ Mariæ matris Domini, ubi migravit a sæculo, et ubi Dominus cœnavit cum suis discipulis, et ubi sanctus Spiritus in corda discipulorum descendit. Tertia autem die exierunt de nostris militibus de exercitu sancti sepulcri causa prædandi, Raimundus Piletus, et Raimundus de Torena, et alii cum illis. Invenerunt ducentos Arabes, et præliati sunt Christi milites cum illis paganis, et Deo adjuvante, et sancto sepulcro, illos devicerunt, et multos ex eis occiderunt, et equos retinuerunt. Secunda die veniente, aggrediuntur tam fortiter civitatem, quod si scalæ fuissent paratæ, in eorum potestate esset civitas. Tamen minorem straverunt murum, et unam scalam ad majorem erexerunt, super quam ascenderunt nostri milites, et cominus percutiebant paganos civitatis suis ensibus atque lanceis. Fuitque ibi mortuus Rainaldus dapifer Hugonis Liziniacensis, et alii multi, sed plures fuerunt mortui ex eis. Fueruntque ibi in obsessione nihil invenientes ad edendum per decem dies, donec venit nuntius nostrarum navium, quæ applicuerunt portui Jafi. Postquam venerunt nuntii navium, ceperunt nostri seniores consilium inter se dicentes quod milites et clientes misissent, qui fideliter custodirent homines et naves, quæ venerant portui Jafi. Summo autem diluculo exierunt milites centum de exercitu Raimundi comitis Sancti Ægidii, scilicet Raimundus Piletus, et Gaudemarus Carpinellus, et Achardus de Mommerlo, et Guillelmus de Sabra, et alii, quorum nomina ignoro. Cumque militarent ad portum, diviserunt se triginta milites ex nostris ab aliis, scilicet Gaudemarus, et Achardus, et invenerunt septingentos Arabes, et Turcos, et Sarracenos, quos invaserunt fortiter Christi milites. Sed tam magna fuit virtus paganorum super nostros, quod undique circumcinxerunt illos, et occiderunt Achardum de Mommerlo, et plures homines pauperes qui erant pede. Cum autem tenerent nostros ita inclusos, qui omnes putabant mori, venit quidam ab eis nuntius, et dixit Raimundo Pileto : « Quid hic stas cum istis militibus? Ecce omnes nostri in nimia districtione Arabum, et Turcorum, et Sarracenorum sunt, et forsitan omnes in hac hora mortui sunt. Succurrite ergo illis. » Audientes autem nostri verba nuntii, statim cucurrerunt celeri cursu, et venerunt usque ad illos, quos invenerunt adhuc præliantes. Pagani quoque videntes Hierosolymitanos milites, continuo diviserunt se, et fecerunt inter se duo agmina. Nostri, invocato Christi nomine et sancti sepulcri, tam fortiter incredulos invaserunt quod unusquisque stravit suum. Videntes autem inimici quod amplius non potuissent stare contra Christianorum fortitudinem, timore nimio perterriti, verterunt scapulas retro et fugerunt. Quos nostri persequentes fere per spatia quatuor milliariorum, occiderunt multos ex eis, unumque retinuerunt vivum, qui nova eis per ordinem diceret, et retinuerunt tres [centum et tres *in edit.*] equos.

In Hierosolymitana obsessione tantam sitim fuerunt perpessi quod suebant coria boum, ac bufalcrum, sive caprearum, in quibus ferebant aquas per spatia sex milliariorum, et ita ex illis vasculis utebantur fetida atque olida aqua, nisi tantum ex fetida aqua, et hordeaceo pane in nimia districtione et afflictione quotidie erant. Siloe namque fons, qui est ad radicem montis Sion, parumper sustinebat nos. Sed tamen cara vendebatur aqua inter Christianos Dei et sancti sepulcri, ita quod unus homo non poterat exstinguere sitim suam per unum nummum. Sarraceni quoque ad cunctos fontes et universos puteos qui erant, latebant, insiliando nostros homines, et eos quos invenire poterant occidebant, et animalia secum in suis cavernis, atque speluncis, sive montaneis, deducebant. Alia parte occidebant eos, qui pergebant in vineis ad racemos. Quod cum vidissent seniores nostri, nimis irati fuerunt et fecerunt concilium, in quo episcopi et presbyteri laudaverunt ut fecissent processionem circa civitatem. Ita episcopi et presbyteri nudis pedibus, ac sacris vestibus induti, et cruces in manibus ferentes venerunt de ecclesia Sanctæ Mariæ, quæ est in monte Sion, ad ecclesiam Sancti Stephani protomartyris, psallentes atque orantes, ut Dominus Jesus Christus suam sanctam civitatem, et sanctum sepulcrum, a paganorum liberaret gente, et in manibus Christianorum ad suum sanctum servitium faciendum tribueretur. Clerici itaque erant induti, milites et clientes pergebant juxta illos armati. Sarraceni hoc videntes similiter pergebant per muros civitatis, Machomet in quadam hasta deferentes uno panno coopertum. Christianis pervenientibus

ad ecclesiam Sancti Stephani, ibique stationem faecientibus, sicut mos in processionibus nostris est, et ipsi Sarraceni desuper muros astantes clamabant et ululabant cum buccinis, et omne genus derisionis, quodcunque reperire poterant, faciebant. Insuper faciebant de ligno crucem in similitudinem illius, qui fundendo sanguinem suum misericors Christus humanum genus redemit, eamque, videntibus omnibus Christianis ut inferrent dolorem, cum quodam ligno verberabant, et postea ut majorem inferrent dolorem, ad murum civitatis eam frangebant, dicentes alta voce : « Frangi, ogit salio, » quod apud nos sonat, « Franci, est bona crux. » Quo viso, Christiani commoti dolore magno, ab orationibus non desistentes, cum processione sua ascenderunt ad ecclesiam montis Oliveti, ex quo loco Christus in cœlum ascendit, et ibi sermonem suum fecit quidam honestissimus clericus, scilicet Arnulfus, ostendendo misericordiam, quam Deus Christianis fecerat, qui secuti sunt illum ex quo ascendit in cœlum. Tunc ipsi Sarraceni videntes Christianos ibi astantes (quam optime eos poterant videre), stantes inter templum Domini et templum Salomonis, cum gladiis et fustibus huc et illuc currentes, Christianis minabantur. Inde iterum Christiani cum eadem processione venerunt ad monasterium Sanctæ Mariæ in valle Josaphat, ex quo monasterio sanctissimum corpus ejus raptum fuit in cœlum. Atque iterum inde reversi sunt ad montem Sion. Quo loco cupientes intrare in ecclesiam, quidam clericus, qui prior in processione veniebat ad ostium ipsius monasterii, cum quadam sagitta in media fronte vulneratus est, ibique defunctus est. Cujus anima, ut credo, regnabit cum Christo per infinita sæcula sæculorum, amen. Credendus est qui primus scripsit, quia in processione primus fuit, et oculis carnalibus vidit, scilicet Petrus sacerdos Tudebodus Sivracensis.

Statim seniores nostri ordinaverunt, quomodo hanc civitatem ingeniare potuissent, et orando ad nostri Salvatoris intrarent sepulcrum. Feceruntque duo lignea castra, et alias plures machinas. Dux Godefridus suum fecit castrum cum machinis, et Raimundus comes Sancti Ægidii similiter. De longinquis terris attrahebant ligna, quæ ligna apportabant collis suis quinquaginta Sarraceni vel sexaginta, qui in potestate Christianorum erant, et sicut Christiani Sarracenos per..... confundebant. Sarraceni igitur videntes nostros facientes has machinas, mirabiliter munichant civitatem, et turres die ac nocte crescebant. Quadam die miserunt ipsi Sarraceni quemdam Sarracenum, ad videndum cujusmodi ingenia Christiani faciebant. Suriani vero et Græci videntes illum Sarracenum, indicaverunt eum Christianis, dicentes : « Mate Christo caco Sarrazin. » Quod sonat in nostra lingua, « per Christum hic est iguavus Sarracenus. » Quem Christiani apprehendentes, interrogaverunt per drogamundum, scilicet per interpretem, ad quid venerat. Qui respondens, ait : « Sarraceni huc me miserunt, volentes scire cujusmodi essent vestra ingenia. » Qui respondentes Christiani, dixerunt bonum esse, atque eum acceptum ligatis manibus et pedibus posuerunt in fundam cujusdam ingenii, quod Perrea vocatur, atque cum omnibus suis cogitantes eum projicere in civitatem, nequiverunt. Nam cum tanto impetu venit, quod ruptis vinculis antequam pervenisset ad murum civitatis, dilaceratus est. Videntes autem nostri seniores, ex qua parte civitas esset languida, illic in quadam nocte Sabbati deportaverunt nostras machinas, et lignea castra. Summo autem diluculo erexerunt illa, et aptaverunt, et ornaverunt castra, in prima et secunda et tertia feria, nocte et die. Et in quarta feria usque ad primam, et in quinta mirabiliter aggrediuntur civitatem ex omni parte usque in montem. Sexta vero feria summo mane undique aggrediuntur civitatem, nihilque ei nocere potuerunt, erantque omnes stupefacti, ac in nimio pavore positi.

Sexta feria capta est Hierusalem.

Appropinquante autem hora, scilicet in qua Dominus noster Jesus Christus dignatus est passionem sufferre pro nobis, nostri milites fortiter pugnabant in castello, videlicet dux Godefridus, et comes Eustachius frater ejus. Tunc ascendit quidam miles, qui vocabatur nomine Lethot, ex nostris super murum civitatis. Continuo postquam miles Christi ascendit super murum civitatis, secuti sunt comes Eustachius et dux Godefridus. Omnes itaque defensores civitatis dederunt fugam per muros, et per civitatem, nostrique illos erant persequentes, occidendo et detruncando. At Raimundus comes Sancti Ægidii a meridie suum conduxit castrum usque prope murum, sed inter castrum et murum erat quædam fovea, quæ nimis erat profunda. Consiliatus est ergo Raimundus in illa hora, quod implere fecisset illam foveam, fecitque præconari, ut si aliquis in illam foveam portasset tres petras, quod illi daret per tres petras unum denarium, et potuit hæc fovea impleri per tres dies et duas noctes. Illi autem, qui erant in civitatem in turre, fortiter prœliabantur cum nostris cum igne et lapidibus, intantum quod altiorem partem castri Raimundi Sancti Ægidii fregerunt, et ardere faciebant. Sic itaque Raimundo irato atque conturbato, militibusque suis propter castrum suum, cujus superiorem partem jam fregerant pagani, atque ardere faciebant, vidit subito ipse Raimundus Sancti Ægidii tres milites, qui de exercitu ducis Godefridi erant, per montem Oliveti venientes, et clamantes quod dux Godefridus atque sui homines jam erant in civitatem. Audiens itaque Raimundus Sancti Ægidii quod Francigenæ jam essent in civitatem, suis dixit hominibus : « Quid tardatis? Ecce omnes Francigenæ jam sunt in sancta civitate Hierusalem. » His auditis, acceperunt scalas, et erexerunt ad murum, et sic pugnando intraverunt civitatem. Ammiralius quoque, qui erat in turri David, reddidit se Raimundo Sancti Ægidii,

eique aperuit portam, per quam peregrini dissolvere solebant tributa, tali pacto quod eum et alios qui cum eo erant in turre usque Scaloniam civitatem sanos et illæsos conducere fecisset. Quod fecit libenti animo. Intraverunt autem nostri peregrini civitatem sanctam Hierusalem, persequentes et occidentes Sarracenos usque ad templum Salomonis, et templum Domini. Ibique congregati pagani dederunt nostris maximum bellum usque ad vesperam. Nostrique tantos illorum interfecerunt, quod sanguis per totum templum Salomonis fluebat, et per plateam quæ est circa templum Domini. Tandem superatis paganis, apprehenderunt nostri masculos et feminas sat in templo, et occiderunt quos voluerunt, et quos noluerunt retinuerunt vivos. Super vero templum Salomonis erat maxima paganorum congregatio B utriusque sexus, quibus Tancredus et Gastos de Bearn dederunt sua vexilla. Postea cucurrerunt per universam civitatem, capientes aurum et argentum, equos et mulos, et domos plenas omnibus bonis. Postea venerunt omnes gaudentes, et præ nimio gaudio plorantes, ad nostri Salvatoris sepulcrum. Mane autem facto fecit præconari Tancredus, ut omnes irent ad templum Salomonis, et occiderent Sarracenos. Ad templum postquam venerunt, cœpit unusquisque cum arcu suo trahere, multosque interficere. Alii vero ex alia parte super tectum templi ascendebant, et invaserunt Sarracenos tam masculos quam feminas, decollantes eos nudis ensibus. Quorum alii dabant se præcipites e templo, alii sursum moriebantur.

Hic elegerunt Godefridum in regem.

Alia die fecerunt concilium ante templum Domini, dicentes ut unusquisque faceret orationes et eleemosynas, atque ut Deus eligeret sibi quempiam qui ei placuisset regnare super alios, et civitatem sanctam Hierusalem regeret, et paganos expræliaretur. Sed episcopi et sacerdotes laudaverunt, ut primitus omnes Sarracenos mortuos foras ejicerent, ne magnus fetor, qui ibi erat, eis nocuisset. Omnis namque civitas erat plena illorum cadaveribus, et sic fecerunt in viis Sarracenos trahere mortuos ante portarum exitus. Montes ex eis, quasi fuissent domus, ordinabant, omnesque postea igne combusserunt. Tales occisiones de paganorum gente quis unD quam vidit aut audivit? Numerum quoque nemo scivit, nisi solus Deus. Octavo vero die postquam civitas fuit capta, celebraverunt festum per omnem civitatem Hierusalem, eademque die fecerunt concilium, in quo elegerunt ducem Godefridum principem civitatis, qui prælia:etur paganos, et custodiret Christianos. Similiter elegerunt in loco patriarchæ quemdam sapientissimum et honorabilem clericum cui nomen erat Arnulfus, in festivitate Sancti Petri ad vincula. Hæc civitas fuit capta a Christianis Dei 15 die Julii in vi feria, anno ab Incarnatione Domini 1099, auxiliante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

A *Postquam capta est Hierusalem, pugnaverunt Christiani contra ammiralium Babyloniæ prope Ascaloniam.*

Interea nuntius venit Tancredo et comiti Eustachio, ut præpararent se, et pergerent ad Neopolitanam civitatem. Exierunt ergo illi, et duxerunt milites et pedites, et pervenerunt usque ad civitatem, cujus habitatores se continuo illis reddiderunt. Iterum per nuntium dux Godefridus mandavit Tancredo, et Eustachio fratri suo, quatenus cito venissent ad eum. Audiverat namque quod ammiralius Babyloniæ erat Scaloniæ civitati, ubi præparabat se qualiter posset expugnare Hierusalem, deferens secum catenas, et alia ferrea, cum quibus juvenes Christianos ligasset, qui in servitute amplius habeantur illis, et eorum generi, senesque omnes utriusque sexus jusserat interfici. Quod cum vidisset comes Eustachius, et Tancredus, cum magno gaudio venerunt per montaneas, quærentes Sarracenorum bella, ita muniti bello. Et venientes ad civitatem Cæsaream, deinde venerunt juxta mare usque ad civitatem quæ dicitur Rama. Illic invenerunt multos Arabes, qui præcursores erant belli ammiravisi. Quos ille persequens, apprehendit plures ex illis, qui voluissent noluissent, dixerunt omnia nova eis belli per ordinem, ubi erant, et quot erant, aut ubi bellare contra Christianos volebant. Quod audientes Tancredus et comes Eustachius, statim miserunt Hierusalem duci Godefrido, et patriarchæ Arnulpho, et C omnibus principibus, dicentes : « Sciatis quod bellum paratum est Scalonæ civitati. Qua de causa venite festinanter, cum omni virtute quam habere poteritis. » Tunc jussit dux præconiari per civitatem Hierusalem ut fideliter pergerent civitati præparati ad bellum Scaloniæ, obviam inimicis Dei. Ille vero cum patriarcha Arnulfo, et Flandrensi comite Rotberto, et Marthoronensi episcopo, in tertia feria exivit ab Hierusalem civitate. Raimundus Sancti Ægidii et Rotbertus Northmannus dixerunt quod nullatenus irent, nisi certum bellum scirent. Miserunt ergo suos milites, ut irent visum si hoc bellum verum esset. Quibus dixerunt : « Si hoc verum est, revertimini quantocius, et nos erimus parati ire continuo. » Perrexerunt itaque illi, et viderunt bellum, et citius redierunt Hierusalem, dicentes : « Certe verum est, sicut oculis nostris vidimus. » Postea dux Godefridus misit Marthoronensem episcopum Hierusalem Raimundo Sancti Ægidii, et Rotberto Northmanno et aliis senioribus quod cito pergerent ad eum, si præliari cum paganis voluissent. Episcopus vero Marthoronensis rediens, recitata verba patriarchæ et ducis ferens, invenit Sarracenos qui apprehenderunt illum, secumque nescimus ubi duxerunt. Raimundus quoque Sancti Ægidii, et alii seniores exierunt de civitate in quarta feria, et muniti signo crucis militaverunt usque ad ducem Godefridum. Petrus vero Eremita remansit Hierusalem, ordinando et prædicando Græcis et Latinis, ut fideliter Deo processionem facerent et orationes, et

eleemosynas pauperibus distribuerent, ut Deus populo suo victoriam impenderet. Et ita clerici fecerunt processionem nudis pedibus, et induti sacris vestibus, et cruces in manibus ferentes, cum litania, et aliis orationibus, de sancto sepulcro ad templum Domini. Duxque Godefridus, et Raimundus Sancti Ægidii, et patriarcha, et Rotbertus Northmannus, et Rotbertus Flandrensis comes, et episcopi, et alii seniores omnes venerunt ad flumen, quod est ex parte Scaloniæ, ibique congregati fuerunt in unum. Illicque multa animalia sine numero invenerunt, boum, camelorum, ovium, asinorum, et aliorum pecudum, quæ miserunt Sarraceni causa proditionis; sed Deus adhuc noluit deserere propter sanctum sepulcrum. Omnia vero animalia apprehenderunt Christi milites, et clientes sancti sepulcri. Sero autem veniente, patriarcha Arnulfus portans secum Domini nostri Jesu Christi partem crucis, quam invenerunt peregrini sancti sepulcri in Hierusalem, et similiter capellanus Raimundi Sancti Ægidii portans secum lanceam Domini nostri Jesu Christi, cœperunt excommunicare ex parte Dei, et sancti sepulcri, et pretiosissimæ lanceæ, et sanctissimæ crucis : « Quod ne ullus homo intendat ad ulla spolia, donec bellum esset factum, et inimici Dei fuissent devicti, et postea reverterentur cum felici gaudio, et maxima victoria, et caperent quidquid eis a Domino prædestinatum esset. » Quod cum audissent sancti sepulcri peregrini, et milites Christi, summo diluculo in sexta feria intraverunt in quamdam vallem nimis pulchram secus littus maris, et in ea suas ordinaverunt acies. Dux Godefridus, qui jam electus erat ad regem in Hierusalem, suam instruxit aciem, et Raimundus Sancti Ægidii suam, et Rotbertus Northmannus suam similiter, et Rotbertus Flandrensis comes suam comesque Eustachius suam et Tancredus, atque Gastos de Beart. Sic ergo sex acies cœperunt militare. Sagittarii quoque hoc præcedentes, et juxta eos in dextera parte et in sinistra omnia animalia superius dicta sine ductore pergebant. Quod maximum Dei erat miraculum. Cœperuntque statim militare in nomine Jesu Christi et sancti sepulcri, deferentes lanceam nostri Salvatoris, et unam partem crucis ipsius Salvatoris, quam ipse patriarcha deferebat. In sinistra parte fuit dux Godefridus cum sua acie, comesque Raimundus Sancti Ægidii equitavit juxta mare in dextera parte, comes Northmanniæ, et Flandrensis comes, et Eustachius, et Tancredus, et Gastos de Biarzt, et omnes alii equitaverunt in medio. Tunc nostri paulatim cœperunt ad bellum pergere. Pagani namque stabant parati ad bellum. Unusquisque vas suum habebat suspensum collo, ex quo biberet, dum cum Christianis præliarentur.

Hic incipit bellum contra Turcos et cæteras gentes.

Quos Rotbertus Flandrensis nimis acriter invasit, Tancredusque et omnes alii similiter. Continuo pagani hoc videntes, inierunt fugam. Bella namque illa erant immensa, quia paganorum multitudo erat innumerabilis. Sexcenti sexaginta millia, sicut dictum est, ibi fuerunt, et tamen nemo scivit numerum eorum nisi Deus. Sed virtus divina comitabatur cum nostris, quæ tam magna et tam fortis fuit, quod nostri parvipendebant multitudinem illorum. Stabant autem inimici Dei excæcati atque stupefacti; videntes Hierosolymitanos milites Christi, apertis oculis nil videbant, et contra Christianos se erigere non audebant, virtute tremefacti Dei. Præ nimio timore ascendebant in arbores, in quibus recondebant se. At nostri illos sagittabant, et cum lanceis occidebant eos. Nostri igitur illos postea cum ensibus et aliis gladiis frustatim detruncabant. Alii autem pagani jactabant se in terram, non audentes se erigere contra Christianos. Nostri igitur illos detruncabant, sicut aliquis detruncat animalia ad macellum. Raimundus comes Sancti Ægidii juxta mare occidit ex eis sine numero, et qui non poterat fugere, mergebat se in mare, aut fugiebat in civitatem. Veniens itaque Ammiravisus ante Scaloniam civitatem, dolens ac mœrens, atque lacrymando dixit : « O Machomet, et dii nostri, quis unquam audivit, et vidit talia? Quod tanta potestas, tanta virtus, tanta fortitudo, tanta militia, quæ nunquam fuit ab ulla gente superata, modo a tantilla gente, quod in pugillo potest claudi, est superata? Heu me tristem ac dolentem! quid amplius dicam? Cur superatus sum a gente mendica, inerma, et pauperrima, quæ non habet nisi saccum et peram, et modo persequitur gentem nostram Ægyptiacam, quæ multoties suam eleemosynam ei largita est? Qui olim per universam nostram patriam mendicabant, et modo persequuntur quam adduxi innumerabilem multitudinem tam militum quam peditum, scilicet Turcorum, Sarracenorum, Arabum, Angulanorum, et Curtorum, ac Parthorum, Azimitarum, et aliorum paganorum : quos omnes turpiter fugere, laxatis frenis, per viam Babylonicam video, qui non audent se reverti ad hujusmodi fragilem gentem. Modo namque juro per Machomet, et per deorum numina, quod ulterius non retinebo milites ad conventionem aliquam, quandoquidem dejectus sum ab hac inertissima gente. Ego namque huc conduxi omnia armorum genera, et omnia instrumenta sive machinas, et omnia vincula ferrea, cum quibus putavi eos ducere ligatos Babyloniam, vel ut eos obsiderem in Hierusalem, et illi contra me venerunt ad bellum itinere duorum dierum, ut quid mihi esset si Hierusalem gentem meam conducerem? Hoc scilicet, quod neque ego, nec unus meorum, ut credo, inde evadere potuisset. Quid amplius dicam? Dedecoratus ero semper in tota terra Babyloniæ. » Sicque fecit finem dictis. Unus autem nostrorum accepit standarum Ammiravisi, desuper quod erat aureum pomum : hasta vero tota cooperta argento. Quod stantarum apud nos dicitur vexillum, quod emit comes Rotbertus Northmannorum, dando 20 marcas argenti, deditque monasterio sancti sepulcri Ensem

quoque similiter Ammiravisi quidam peregrinus, dando sexaginta bysantios. Superati itaque sunt Deo adjuvante, omnes nostri inimici, eo tenore quod amplius virtutem contra nos non habent. Omnes vero naves de omni terra paganorum aderant ibi. Sed nautæ illarum postquam viderunt Ammiravisum cum suo exercitu fugientem, statim suspenderunt vela, ipsumque Ammiravisum recipientes in navibus suis, miserunt se in alta maria. Reversi sunt itaque nostri ad eorum tentoria, et acceperunt innumera spolia auri et argenti, et palliorum, et mulorum, et multorum honorum cumula, scilicet equos, et mulos, et camelos, et oves, et boves, et asinos, et multa animalia. Omnes montes namque et colles, et omnia plana stabant cooperta de multitudine animalium : et invenerunt armorum cumula, quarum quæ voluerunt de illis recipere retinuerunt. Alia vero quæ noluerunt insimul congregaverunt, ibique in ignem miserunt. Reversi sunt autem nostri lætantes et gaudentes in sanctam civitatem Hierusalem, devictis omnibus paganis : deferentes secum multa bona, scilicet camelos et asinos onustos pane biscocto, et farina, et frumento, et caseo, et pane, et oleo, et omnibus bonis quæ illis erant necessaria. Unde tanta est orta fertilitas inter Christianos, quod bos pro octo nummis vel decem haberi poterat. Modius vero frumenti pro 12 nummis, modius quoque hordei pro octo. Quod tandem ne ignotum sit Christianis omnibus, sciant hoc bellum factum esse 19 Kal. Septembris in vigilia sanctissimæ Dei genitricis Mariæ, anno ab Incarnatione Domini 1099 regnante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Hæc de Hierosolymitano itinere in tribus annis, et liberatione civitatum dicta sufficiant. Per omnia benedictus Deus, qui tradidit impios. Amen.

FULCHERII CARNOTENSIS

HISTORIA HIEROSOLYMITANA

Ab anno 1095 ad annum usque 1127.

(Duchesne, *Hist. Franc. Script.*, IV, 816, ex vetusto codice ms. cœnobii S. Quintini de Monte prope Peronam. — Initium historiæ hujus usque ad cap. 19 libri I ex editione Bongarsii desumptum est, quia in ms. codice deerat; reliqua editis auctiora sunt, adjectæque etiam capitum inscriptiones ex codice.)

NOTITIA IN FULCHERIUM.

(Fabric. *Biblioth. med. et inf. Lat.*, tom. II, pag. 214.)

Fulcherius Carnotensis Robertum Northmaniæ ducem an. 1095, secutus in Palæstinam, et deinde regis Balduini I et II capellanus, circa annum 1127 scripsit *Gesta peregrinantium Francorum cum armis Hierusalem pergentium*, sive Historiam Hierosolymitanam et res quibus ipse interfuerat; quod opus ab anno 1095 ad 1124 primus in lucem protulit Jacobus Bongarsius in Gestis Dei per Francos tomo I, pag. 381-440, divisum in capita 56. Gaspar Barthius codice Basileensi (non auctiore tamen) usus divisit in capita 99 illustravitque notis, quas ex ms. bibliothecæ Ittigianæ publicavit Joannes Petrus Ludewig tomo III reliquiarum mstorum, etc., pag. 291-360. Apud Andream vero Duchesne, tomo IV Scriptorum de rebus Francicis pag. 816, exstat eadem Fulcherii Historia Hierosolymitana, ex codice cœnobii S. Quintini de Monte prope Peronam tributa in libros tres, et auctior extrema parte anni 1124, annorumque 1125, 1126 et 1127, a pag. 879 ad 889. Liber primus incipit ab anno 1095, secundus ab initio regni Balduini I, hoc est ab anno 1100 (editionis Bongarsianæ capite 22); liber tertius ab initio Balduini II, A. 1118 (editionis Bongarsianæ medio capite 44). Denique *Præfationem* ex codice S. Germani a Pratis vulgavit Edmundus Martene tomo I. Anecdot., p. 364 seq., in qua Fulcherius ait *comparium suorum quorumdam pulsantibus precibus, aliquoties motum*, ea se quæ oculis ipse suis perspexerit, *stylo rusticano, tamen veraci, diligenter digessisse*. Ut a Vossio notatum est, reprehenditur Fulcherius a Guiberto abbate in bellis Antiochenis cap. 29, 30, 31 et 38. Sed a bona fide eum commendat Ordericus Vitalis, lib. IX Historiæ ecclesiasticæ; item Guilelmus Malmesburiensis, lib. IV qui addit usum esse *stylo non quidem agresti, sed ut dici solet* sine nitore et palæstra, *et qui alios*

commonere potuerit, ut accuratius scriberent. Idem A hic Fulcherius, qui in obsidione Antiochena A. 1098 caute ac fortiter rem gessit, de quo Gilo Parisiensis libro VII, apud Edmundum Martene t. III Anecdotorum, p. 241.

..... *Fulcherius imminet ante*
Per tenebras legit ille vias gressu titubante,
Illis temporibus radios ducente cometa
Præmonstrabatur regni mutatio læta, etc.

Et page 241 :

..... *Fulcherius ille*
Natus Carnoti, proceres præcedere mille,
Non timet invictæ properans ad mœnia villæ.
Non hunc tardat onus clypei, sed ad ardua pronus
Evolat arma gerens scalæque viriliter hærens,
Illum Veneticus sequitur : stupet hostis iniquus.
Ut stetit in muris Fulcherius, ense (1) necantur
Fulmineo vigiles, et ad infima præcipitantur.
Exultat victor, etc.

(1) Ita legendum puto, non *ecce*, ut habet Martenii editio, nam apud Chesneum vox tota desideratur.

FULCHERII CARNOTENSIS

PRÆFATIO

IN HISTORIAM HIEROSOLYMITANAM.

(Edidit D. MARTENE, *Thes. Anecdot.* I, 364.)

Incipit Prologus in Gestis Francorum Jerusalem peregrinantium.

Placet quidem vivis, prodest etiam mortuis, cum gesta virorum fortium, præsertim Deo militantium, vel scripta leguntur, vel in mentis armariolo memoriter retenta, inter fideles sobrie recitantur ; nam qui vivunt in mundo, audita intentione pia prædecessorum fidelium, quomodo, mundi flore spreto, Deo adhæserunt, et parentes, uxoresque suas, possessiones quoque quantaslibet relinquentes, juxta præceptum evangelicum, Deum secuti sunt, ad diligendum Deum ardentius compuncti, ipso inspirante, animantur. Mortuis siquidem in Domino valde prodest, cum auditis operibus eorum bonis et devotis, fideles animam eorum proinde benedicunt, et eleemosynas cum orationibus, tam cogniti quam ignoti, pro eis charitative impendunt. Unde comparium meorum quorumdam pulsantibus, aliquoties motus, Francorum gesta in domino clarissima, qui Dei ordinatione cum armis Jerusalem peregrinati sunt, stylo rusticano, tamen veraci, digNum ducens memoriæ commendandum, prout valui, et oculis meis in ipso itinere perspexi, diligenter digessi. Licet autem, nec Israeliticæ plebis, nec Machabæorum, aut aliorum plurium prærogativæ, quos Deus tam crebris et magnificis miraculis illustravit, hoc opus prælibatum æquiparare non audeam, tamen haud longe ab illis gestis inferius æstimatum, quia Dei miracula in eo noscuntur multipliciter perpetrata, scriptis commendare curavi. Quin imo, in quo disparantur hi postremi ab illis primis, vel Israeliticis, vel Machabæis, quos quidem vidimus in regionibus eorum sæpe apud nos, aut audivimus, longe a nobis positos pro amore Christi emembrari, cruciligi, excoriari, sagittari, secari, et diverso martyrii genere consummari, nec minis, nec blanditiis aliquibus posse superari ; quin potius si non deesset percussoris gladius, multi nostrum pro Christi amore perimi non recusassent. O quot millia martyrum in hac expeditione beata morte finierunt! Sed quis tam saxei est cordis, qui hæc Dei facta audiat, et pietatis suspiriis commotus, in laudes Dei non erumpat? Quis potest non mirari quomodo nos exiguus populus inter tot hostium nostrorum regna non resistere, sed etiam vivere poteramus? Quis audivit unquam talia? Hinc Ægyptus et Æthiopia ; hinc Arabia et Chaldæa, atque Syria ; hinc Assyria et Media ; hinc Parthia et Mesopotamia ; hinc Persidia et Scythia, mare etiam magnum à Christianismo nos excludebat, et inter manus nos laniantum, si permitteret Deus, concludebat. Ipse autem in brachio forti nos pie protegebat. Beata enim gens, cujus est Dominus Deus ejus (*Psal.* XXII, 12). Modum autem hujus operis et incœptum, et quomodo ad tantum iter agendum omnis populus occidentalis concussus, et mentes et manus in id extenderit voluntarius, verba historica, quæ sequuntur declarabunt.

FULCHERII CARNOTENSIS

HISTORIA HIEROSOLYMITANA.

INCIPIT LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

Anno ab Incarnatione Domini millesimo nonagesimo quinto, regnante in Alemannia Hainrico imperatore dicto, in Francia rege Philippo cum in universis Europæ partibus mala multimoda, vacillante fide, inolescerent, præerat urbi Romæ papa secundus Urbanus, vir egregius vita et moribus, qui semper Ecclesiæ sanctæ statum sublimius provehendum super omnia consulte ac strenue moderari sategit. Videns autem Christianitatis fidem enormiter ab omnibus, tam clero quam populo, pessumdari, et terrarum principibus incessanter certamine bellico, nunc istis nunc illis inter se dissidentibus, pacem omnino postponi; bona terræ alternatim diripi, multos injuriose vinctos captivari, et in carceres teterrimos truculentissime subrui, supramodum redimi, vel intus trifariam angariatos, scilicet inedia, siti, algore, obitu clandestino exstingui, loca sanctæ violari, monasteria villasque igni cremari, nulli mortalium parci, divina et humana ludibriis haberi; audiens etiam interiores Romaniæ provincias, a Turcis super Christianos occupatas, impetu feroci perniciose subdi : pietate compatiens, dilectionisque Dei nutu permotus, Alpes transmeando in Gallias descendit, atque in Arvernia concilium legationibus competenter undique præmonitum, apud Claromontem, quæ sic vocatur civitas, fecit coadunari, trecentis decem tam episcoporum quam abbatum assistentium baculis deputatis. His itaque die ad hæc prænotato ad se convocatis, allocutione dulciflua diligenter conventus causam innotuit. Nam sub Ecclesiæ lugentis voce querula planctum non minimum expressit, et de mundi fluctuantis tempestatibus tantimodis, ut superius præfatum est, fide subruta, sermonem prolixum cum eis tenuit. Deinceps, rogitatu supplici cunctos exhortatus est, ut, resumptis fidei viribus, cum ingenti sollicitatione ad expugnandas diaboli machinationes viriliter se animarent; et Ecclesiæ sanctæ statum crudelissime a nefandis debilitatum in honorem pristinum competenter erigere conarentur. « Dilectissimi fratres, inquit, apostolatus apice Dei permissu, orbi terræ prælatus, occasione necessaria supereminente, tanquam monitionis divinæ legatus, ad vos Dei servos has in partes condescendi Urbanus. Et quos dispensatores ministeriorum Dei æstimavi, tales et fideles, simulationis A explosa cluvione, reperiri optavi. Quod si aliquid gibbosum vel tortuosum, modestia rationis justitiæ semota, contra legem Dei obsistat, præsente subfragamine divino, diligenter expedire satagam. Dominus enim supra familiam suam, ut ei pro tempore pabula modesto sapore condita ministretis, vos dispensatores constituit. Beati autem eritis, si fideles tandem dispensationis exactor vos invenerit. Pastores etiam nuncupamini : videte autem ne mercenarii more fungamini. Veri ergo pastores, et baculos semper in manibus habentes, estote; nec dormitantes, gregem vobis commissum undique conservate. Nam si per incuriam vestram, aut negligentiam, ovem quamvis lupus abripuerit, mercedem nimirum vobis paratam apud Dominum nostrum amittetis : et de- B lictorum flagris primitus asperrime cæsi, postmodum vero in custodiam funestæ conversationis truculenter subruemini. Vos vero, juxta sermonem evangelicum, *sal estis terræ* (*Matth.*, v, 13); quod si defeceritis, ambigitur quomodo saliatur. O quanta salitio ! vere necesse est vos plebem idiotam et mundi lasciviæ supra modum inhiantem, sapientiæ sale corrigendo salire, ne delictis putrefacta, dum eam alloqui quandoque voluerit, Domino insalsa puteat. Nam si vermes, hoc est peccata, causa desidiæ procurationis vestræ, in ea repererit, illico vilipensam in præcipitium spurcitiarum eam subigi præcipiet. Et quia tantum perditum ei restaurare nequiveritis, vos judicio damnatos a familiaritate dilectionis suæ prorsus exterminabit. Sed hujusmodi salitorem oportet esse prudentem, provisorem, modestum, edoctum, pacificum, scrutatorem, pium, justum, æquum, C mundum. Nam quomodo indoctus doctos, immodestus modestos, immundus mundos efficere valebit? Quod si pacem oderit, quomodo pacificabit? Aut si quis habuerit manus suas sordidas, quomodo sordes alterius coinquinationis tergere, poterit? Lectum est etiam quod si cæcus cæcum duxerit, ambobus cavea patebit (*Matth.*, xv, 14). Cæterum vos ipsos prius corrigite, ut irreprehensibiliter subditos quea tis emendare. Siquidem amici Dei vultis esse, quæ sentitis ei placita libenter exercete. Res ecclesiasticas præcipue in suo jure constare facite, et ut Simoniaca hæresis nullatenus apud vos radicet, cavete ne vendentes aut ementes pariter flagris flagellati Dominicis, per angiportus ad exterminium confusio-

nis miserabilite
nibus omnimod
sustentate, dec
terræ cultibus
aut retineantur.
exlex habeatur
vel sanctimoni
exspoliaverit, v
ma sit. Raptor
rum consentien
feriantur. Sum
mulctandus sit
damnatione pe
enim diviti in
id circo punitus
rebus acceptis,
His vero, ut d
mundum vidis
adeo ut nullus
sicut nobis a r
cillitatem forsi
viam gradi aud
nocte a latron
domo vel extu
sic vulgariter
nostris determ
nissime unusq
neri faciat, m
aviditate, sive
gerit, Dei au
sanctione ana
competenter
rus quam pop
Urbani pontifi
fideli pollicita
maverunt. Se
superius mem
ex altero mu
jecit, inquien
apud vos ter

ropellantur. Ecclesiam suis ordi-
eram ab omni sæculari potestate
que Deo proprias de omnibus
er dari facite; nec vendantur,
l qui episcopum ceperit, omnino
d qui monachos vel clericos,
et eorum famulos ceperit aut
egrinos vel mercatores, anathe-
domorum combustores, et eo-
b Ecclesia extorres, anathemate
e igitur considerandum est qua
ia qui aliena diripit, si inferni
ur qui propria non largitur. Sic
gelio memorato contigit, qui non
uod aliena abstulisset, sed quia,
sum male dereliquit (*Luc.* xv).
est, iniquitatibus, charissimi,
avissime diu confusum fuisse,
quibus provinciarum vestrarum,
tibus patefactum est, per imbe-
istificationis vestræ virtute per
quin vel die a prædonibus, vel
aut vi aut ingenio maligno, in
bripiatur. Quapropter treviam,
, jamdudum a sanctis Patribus
n, reformari oportet; quam fir-
e vestrum in episcopatu suo te-
lo flagito. Quod si aliquis sive
bia seductus, eam sponte infre-
te et hujus concilii decretorum
izetur. » His et aliis pluribus-
is, cuncti assistentes, tam cle-
eo gratias agendo, dictis domini
mi voluntarie aspiraverunt, et
ecreta illa bene tenenda confir-
illico, non minus tribulationis
sed et aut majus, aut pessimum,
mate, Christianitati obesse ad-
uoniam, o filii Dei, si pacem
Ecclesiæ jura fideliter conser-
vanda sustentare, virilius solito Deo polliciti estis,
exstat operæ pretium ut insuper ad quoddam aliud
negotium Dei et vestrum, emendatione Dominica
nuper vegetati, probitatis vestræ valetudinem verse-
tis. Necesse enim est quatenus cum fratribus vestris,
in orientali parte habitantibus, auxilio vestro jam
sæpe proclamato indigis, accelerato itinere succur-
ratis. Invaserunt enim eos, sicuti plerisque vestrum
jam dictum est, usque mare Mediterraneum, ad illud
scilicet quod Brachium Sancti Georgii vocant Turci
et Arabes, apud Romaniæ fines; et terras illorum
Christianorum magis magisque occupando, lite bel-
lica jam vice septuplicata victos superaverunt, mul-
tos occidendo vel captivando, ecclesiasque subver-
tendo, regnum quoque vastando. Quos quidem si
sic aliquandiu quiete permiseritis, multos latius fi-
deles Dei supergredientur. Qua de re supplici prece
hortor, non ego, sed Dominus, ut cunctis cujuslibet
ordinis tam peditibus quam equitibus, tam paupe-

A ri! us quam divitibus, edicto frequenti, vos Christi
præcones, suadeatis, ut ad id genus nequam e regio-
nibus nostratibus exterminandum tempestive Chri-
sticolis opitulari satagant. Præsentibus dico, absen-
tibus mando: Christus autem imperat. Cunctis autem
illuc euntibus, si aut gradiendo, aut transfretando,
sive contra paganos dimicando, vitam finierint, pec-
caminum remissio præsens aderit: quod ituris an-
nuo, dono tanto investitus a Deo. O quantum dede-
cus, si gens tam spreta, degener et dæmonibus an-
cilla gentem cunctipotentis Dei fide præditam et
Christi nomine splendidam sic superaverit! O quanta
improperia nobis ab ipso Domino imputabuntur, si
eos non juveritis qui professione Christiana censen-
tur, sicut et nos! Procedant contra infideles ad pu-
B gnam jam incipi dignam, trophæo explendam, qui
abusive privatum certamen contra fideles consuesce-
bant distendere quondam. Nunc fiant milites, qui
dudum exstiterunt raptores. Nunc rite contra bar-
baros pugnent, qui olim contra fratres et consan-
guineos dimicabant. Nunc æterna præmia nancis-
cantur, qui dudum pro solidis paucis mercenarii
fuerunt. Pro honore duplici laborent, qui pro detri-
mento corporis et animæ se fatigabant. Quinimo hic
tristes et pauperes, illic locupletes; hic inimici Do-
mini, illic amici ejus erunt. Ituris autem mora non
differat iter, sed propriis locatis, sumptibusque col-
lectis, cessante bruma, verno subsequente, Domino
prævio tramitem alacriter intrent. » His dictis, et
C audientibus gratanter ad hoc animatis, nihil actu
tali dignius æstimantes, statim plures astantium se
ituros, et cæteros absentes inde diligenter se evoca-
turos spoponderunt. De quibus fuit unus episcopus
Podiensis, Ademarus nomine, qui postea vice fun-
gens apostolica, cunctum Dei exercitum prudenter
et consulte rexit, et ad negotia peragenda vivaciter
animavit. Taliter in concilio quæ diximus statutis,
et ab omnibus bene confirmatis, absolutionis bene-
dictione data, tunc discesserunt, et hoc nescienti-
bus, postmodum ad mansiones suas regressi, prout
gestum fuerat dilucide divulgaverunt. Quod ut pas-
sim per provincias edictum est, jurisjurandi firmi-
tudine pacem, quam dicunt Treviam, invicem te-
nendam constituerunt. Deinceps vero multi cujusli-
D bet artis fungentes officio, comparata remissione
peccatorum, se profecturos defæcatæ mentis inten-
tione devoverunt quorsum ire jussum fuerat. O quam
dignum erat et amœnum, nobis omnibus cruces illas
cernentibus, vel sericas vel auro textas, aut quoli-
bet genere pallii decoras, quas in chlamidibus suis,
aut birris, sive tunicis, peregrini, jussu papæ præ-
dicti, post votum eundi, super humeros suos con-
suebant! Sane pugnatores Dei merito victoriæ signo
insigniri et muniri debebant, qui ob honorem ejus
ad præliandum se præparabant. Et qui significans
sub agnitione fidei circa se sic pinxerunt, denique
dirivatum significatum verius adepti sunt. Speciem
insignierunt, ut rem speciei consequerentur. Patet
et quidem, quia meditatio bona bonum opus machi-

natur agendum; opus vero bonum salutem lucratur animæ. Quod si bonum est bene meditari, melius autem est, post cogitatum opus, justum patrari. Optimum est ergo compendium salutare, quod per dignam actionem animæ victui nactum est. Unusquisque igitur bonum cogitet, quod opere digno meliorando compleat, ut optimum, quod non deficiat in æternum, emeritus tandem miles percipiat. Taliter Urbanus, vir prudens et venerandus, est meditatus opus, quo postea floruit orbis. Nam pacem renovavit, Ecclesiæque jura modos in pristinos restituit. Sed et paganos de terris Christianorum instinctu vivaci effugari conatus est. Et quoniam cuncta quæ Dei sunt exaltare omnimode studebat, omnes fere paternitati suæ sub obedientia libenter se dedidерunt. Sed diabolus, qui ad detrimentum semper insistere nititur, et veluti leo quærit circinando quem devoret (*I Petr.* v, 8), huic adversarium quemdam, nomine Guibertum, superbiæ stimulo irritatum, ad confusionem populi concitavit; qui dudum imperatoris Bajoariorum protervitate suffultus, dum prædecessor Gregorius, qui et Hildebrannus, in sede jure habebatur, apostolicatus officium usurpare cœpit, ipso Gregorio a foribus basilicæ Sancti Petri exclu-so. Et quia perverse sic egit, populus eum melior cognoscere noluit. Urbano autem recte electo et ab episcopis cardinalibus consecrato, major et sanctior pars populi, post Hildebranni excessum, obediendo aspiravit. Guibertus autem sustentamine imperatoris prædicti, et plerorumque civium Romanorum irritamento animatus, Urbanum quandiu potuit a monasterio Sancti Petri alienum fecit. Sed dum ab Ecclesia illa sic eliminatus erat, per regiones incedens, populum in aliquantis devium Deo conciliabat. Guibertus vero ob Ecclesiæ principatum turgidus, papam proclivem oberrantibus se ostentabat, et apostolatus officium, licet injuste, inter consentientes exercebat, et Urbani facta tanquam irrita vilipendebat. Urbanus tamen eo anno, quo primitus Franci, Hierusalem ituri, per Romam transierunt, totam omnino potestatem apostolicam adeptus est, auxilio cujusdam nobilissimæ matronæ, Mathildis nomine, quæ in Romana patria tunc potestate multa vigebat. Guibertus vero tunc in Alemannia erat. Itaque duo papæ Romæ præerant, sed cui eorum obediretur, a quamplurimis ignorabatur, vel a quo consilium poscerctur, vel quis ægrotis mederetur. Alii huic, alii alteri favebant. Prout aspectibus hominum patebat, Urbanus prosperior et justior erat; putandus est recte fortior, qui cupiditates, tanquam hostes subjicit. Ravennæ urbis Guibertus episcopus erat, honore et divitiis opulentus valde splendebat. Mirandum, quare sibi tam locupleti tantum non sufficiebat. Qui etiam ab omnibus exemplar justæ actionis et humilitatis considerari debebat, cur temere philopompus invadere præsumpserit regendum sceptrum imperii Dei? Sane non est vi rapiendum, verum cum ratione et devotione suscipiendum. Debet susceptor non pro honore tumere, sed commissum sibi fideliter procurare; et quæ dignitati honoris tanti pertinent, si dispersa fuerint, opportune regregare. Nec mirum si mundus tunc inquietaretur totus, et conturbaretur, quoniam si Romana Ecclesia, in qua principalitas correctionis universæ Christianitatis obtinetur, turbine quolibet confunditur, confestim accidit membra sibi subdita, a capitaneis fibris dolore dirivato, passibiliter compatientia debilitari. Ea enimvero Ecclesia, mater scilicet nostra, lacte cujus educabamur, documento instrui valebamus, consilio muniebamur, ab illo superbo Guiberto vehementer percussa erat. Cumque caput sic tritum est, continuo membra læsa sunt. Si caput ægrotet, cætera membra dolent. Sed, quia capite sic læso, etiam membris marcescentibus dolore dirivato, quia in partibus omnibus Europæ, pax, bonitas, fides, in Ecclesiis et extra, tam a majoribus quam minoribus viriliter subigebantur, necesse erat ut malis tanti modis dimissis, monitione a papa Urbano sic exorsa, contra paganos saltem certamina inter se et contra se dudum consueta distenderent. Nunc igitur ad incœptum reverti congruum est. Nam de iter agentibus Hierosolymam, et quid euntibus accidit, et quantum res et labor ipse paulatim, juvante Deo, proficiendo claruit, decet amplius nescientibus enucleari. Quod ego ipse Fulcherius Carnotensis, cum cæteris peregrinis iens, postea, sicut oculis vidi, diligenter et sollicite in memoriam posteris collegi.

CAPUT II.

Anno ab Incarnatione Domini millesimo nonagesimo sexto, mense Martio, post concilium, de quo dictum est, Arvernicum, quod in mense Novembri dominus Urbanus tenuit, alii paratu perniciores aliis, iter sanctum carpere cœperunt; alii quidem mense Aprili, vel Maio, vel Junio, sive Julio, nec non Augusto seu Septembri atque Octobri, prout sumptuum opportunitas occurrit, subsecuti sunt. Quo anno pax et ingens abundantia frumenti et vini per cuncta terrarum climata exuberavit, disponente Deo, ne panis inopia in via deficerent, qui cum crucibus suis, juxta ejusdem præcepta, eum sequi elegerant. Et quia competens est principum sic peregrinantium nomina in memoria teneri, Hugonem Magnum, Philippi regis Francorum fratrem, nomino, qui primus heroum mare transiens, apud Duratam urbem in Bulgaria cum suis applicuit, sed imprudenter cum agmine raro vadens, ibi ab ipsis civibus captus est, et usque ad imperatorem Constantinopolitanum perductus, ubi per aliquantum temporis non omnino liber moratus est. Postque eum Bujamandus Apulus, Roberti Guischardi filius, origine tamen Northmannus, per eumdem tramitem cum exercitu suo meavit. Godefridus quippe dux regni Lothariensis per Hungarorum patriam ivit cum gente multa. Raymundus vero comes Provincialis, cum Gothis et Gasconibus, episcopus quoque Podiensis, per Sclavoniam transierunt. Petrus Eremita quidam, multis sibi adjectis peditibus, sed militibus paucis, primi-

tus per Hungariam perrexit; cujus gentis postea satrapa fuit quidam Galterius, Sine-pecunia dictus, miles quidem optimus, qui postea intra Nicomediam et Nicæam urbes, cum multis consociis suis a Turcis occisus fuit. Mense vero Septembri Robertus Northmanniæ comes, Guillelmi regis Anglorum filius, iter arripuit, collecto sibi exercitu magno de Northmannis, et Anglis, atque Britannis; cum quo ivit etiam Stephanus comes Blesensis, Theobaldi filius, et Robertus comes Flandriæ, adjectis his et multis aliis nobilibus. Itaque tanto collegio ab occidentalibus partibus procedente, paulatim per viam, diatim, de innumera gente concrevit exercitus exercituum undique convenientium, ut de linguis pluribus et regionibus multis videretis multitudinem infinitam. Non tamen omnes in unum exercitus congregati fuerunt, donec ad Nicæam urbem pervenimus. Quid ergo dicam? Insulæ marium, et omnium terrarum regna concussa a Deo sunt, ut sit credendum adimpleri Davidis prophetiam, qua in psalmo dixit: *Omnes gentes quascunque fecisti, venient, et adorabunt coram te, Domine* (*Psal.* LXXXV, 9), et ut de jure tandem dicant illuc pervenientes: *Adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus* (*Psal.* CXXXI, 7). De hoc itinere etiam plurima in prophetiis legimus. O quantus erat dolor! quanta suspiria! quot ploratus! quot lamenta inter amicos! cum maritus derelinqueret uxorem suam sibi tam dilectam, pueros quoque suos, possessiones quantaslibet, vel patrem, vel matrem, aut fratres, aut parentes. Et quamvis tot lacrymæ pro amicis ituris sic ante eosdem ab oculis remanentium funderentur, nequaquam proinde mulcebantur quin propter amorem Dei cuncta quæ possidebant relinquerent, indubitanter credentes centuplum illud percipere, quod Dominus promisit sequentibus se (*Matth.* XIX, 29). Tunc conjux conjugi ponebat terminum revertendi, quod, si vixerit, infra tres annos ad eam repatriabit. Commendabat sic eam Domino, osculum porrigens, et pollicens se rediturum. Illa autem timens non amplius videre eum, non valebat præ dolore se sustentare, quin ad terram rueret exanimis, lugens pro amico suo, quem perdidit vivum, quasi jam mortuum. Ille vero tanquam nil pietatis habens, et tamen habens, nec fletui uxoris suæ, neque filiorum, neque amicorum quorumcunque condolens, et tamen clam condolens, sed duro animo constans abibat. Tristitia remanentibus, gaudium autem euntibus erat. Quid dicere possimus inde? *A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris* (*Psal.* CXVII, 23), Igitur nos Franci occidentales per Italiam excursa Gallia transeuntes, cum usque Lucam pervenissemus, invenimus prope urbem illam Urbanum apostolicum, cum quo locuti sunt comes Robertus Northmannus, et comes Stephanus, nos quoque cæteri qui voluimus. Et ab eo benedictione suscepta, gaudenter Romam ivimus. Et cum in basilica Sancti Petri introissemus, invenimus ante altare homines Guiberti papæ stolidi, qui oblationes altari superA positas, gladios suos in manibus tenentes, inique arripiebant; alii vero super trabes ejusdem monasterii cursitabant, et inde deorsum ubi prostrati orabamus lapides jaciebant. Nam cum viderent aliquem Urbano fidelem, illico trucidare eum volebant. In arce autem una monasterii inerant homines Urbani, qui eam sollicite custodiebant in ipsius Urbani fidelitatem, et adversantibus sibi, prout poterant, obsistebant. Satis proinde doluimus, cum tantam nequitiam ibi fieri vidimus. Sed nil aliud facere potuimus, nisi quod a Domino vindictam inde fieri optavimus. Nec mora inde facta, multi, qui nobiscum illuc usque venerunt, ad domos suas ignavi redierunt. Nos autem per mediam Campaniam et Apuliam euntes, pervenimus Barrum, quæ civitas optima, in maris margine sita est; ibique in ecclesia Sancti Nicolai fusis ad Deum precibus nostris, portum tunc adeuntes, sine mora transfretare putavimus. Sed absentibus nautis et prævaricante fortuna, tempus etiam tunc erat hiemale, quod nobis nocivum objecerunt, oportuit Rotbertum Comitem Northmanniæ in Calabriam divertere, et toto brumali tempore illic hiemare. Tunc tamen comes Flandrensis Rotbertus cum cohorte sua transfretavit. Tunc plurimi de pauperibus vel ignavis inopiam futuram metuentes, arcubus suis venditis, et baculis peregrinationis resumptis, ad mansiones suas regressi sunt. Qua de re viles tam Deo quam hominibus facti sunt, et versum est eis in opprobrium.

B

CAPUT III.

C

Anno igitur Domini millesimo nonagesimo septimo, reducente verno tempore mensem Martium, comes statim Northmannus, et comes Stephanus Blesensis, qui juxta eum similiter tempus exspectaverat opportunum, mare repetierunt. Et classe parata, Nonas Aprilis, quod tunc die sancti Pascha evenit, apud portum Brundusianum rates cum suis conscenderunt. O quam incognita et investigabilia sunt judicia Dei! Vidimus enim navim unam inter cæteras, quæ non superveniente occasione aliqua, per medium subito eventu prope littus maris suberepuit. Unde fere quadringenti utriusque sexus demersi perierunt, de quibus laus jucunda Deo statim sonuit. Nam cum corpora jam mortua qui circumstabant pro posse recollegissent, invenerunt in carnibus quorumdam, scilicet super spatulas, crucis in modum notas insignitas. Nam quod in pannis suis vivi gestaverunt, competebat, Domino volente, in ipsis in servitio suo sic præoccupatis idem signum victoriosum sub fidei pignore permanere; etiam patefieri considerantibus tali miraculo merito dignum erat, eos defunctos sub misericordia Dei jam quietem vitæ perennis adeptos fuisse, ut verissimum pateret id compleri quod scriptum est: *Justus qua morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit* (*Sap.* IV, 7). De reliquis autem jam cum morte luctantibus, viri pauci vitam retinuerunt; equi vero et muli sub undis exstincti sunt; pecunia quoque multa perdita est. Quod infortunium cum videremus, pavore grandi confusi sumus, intantum

D

ut plerique corde debiles, nondum naves ingressi, ad domos suas reverterentur, peregrinatione dimissa, dicentes nunquam amplius in aliquam sic deceptionem se infigere. Nos autem in omnipotenti Deo spem nostram penitus ponentes, artemonibus sursum levatis, tuba sonante multa Deum proclamando, et gubernante ipso, in pelagus nos impegimus, vento aliquantulum flante. Cumque per tres dies vento deficiente in fluctibus altis detineremur, in quarto die juxta urbem Duratum, quasi decem milliariis interstantibus, portui sani applicuimus. Duo tamen portus classem nostram susceperunt. Tunc autem quidem iter siccum lætabundi resumpsimus, et ante urbem præfatam postea perreximus. Itaque Bulgarorum regiones per montium prærupta et loca satis deserta transivimus. Dæmonis ad flumen rapidum convenimus omnes, quod sic ab incolis terræ vocitatur, et merito. Vidimus enim in illo flumine diabolico quamplures, dum vadare pedetentim sperabant, torrentis impetu diro, quod nullus cernentium juvare poterat, mersu repentino perire. Qua de re lacrymas multas ibi pietate dimisimus, et nisi equites cum equis dextrariis invaso illo peditibus auxilium ferrent, multi modo simili vitam ibi perderent. Tunc juxta ripam castra nostra metati sumus, et ibi una nocte pausavimus. Montes vasti nobis undique præerant, in quibus nemo incola parebat. Mane quidem, aurora clarescente, classicis sonantibus, iter nostrum arripuimus conscendendo montem, quem Bagulatum nuncupant. Postea vero, montanis postpositis, tandem pervenimus ad flumen, quod vocatur Baldarius. Et quod antea nisi navigio transiri solitum erat, opitulante Deo, qui suis semper ubique præsens subvenit, lætanter vadando transmeavimus. Quo transito sequenti die ante urbem Thessalonicam, bonis omnibus abundantem, tentoria tendimus nostra.

CAPUT IV.

Mora autem per quatuor dies ibi facta, deinde Macedoniam transigentes per vallem Philippensium, postque Lucretiam, et Chrisopolim, atque Christopolim, cæteras quoque urbes quæ sunt in Græcia, Constantinopolim pervenimus. Ibi quidem ante urbem tentoriis nostris extensis, per quatuordecim dies lassitudinem nostram relevavimus. Et quia civitatem illam ingredi non quivimus, quoniam imperatori non placuit (timebat enim ne forte aliquod damnum ei machinaremur) stipendium quotidianum extra muros allatum nos emere oportuit, quod præcepto imperatoris nobis cives afferebant. Nec permittebat imperator introire in civitatem multos insimul, sed honoratim vel quinque vel sex de potentioribus, ad horam in ecclesiis ingredi sinebat. O quanta civitas nobilis et decora! quot monasteria, quotque palatia sunt in ea, opere miro fabrefacta! quot etiam in plateis vel in vicis opera, ad spectandum mirabilia! Tædium est quidem magnum recitare quanta sit ibi opulentia bonorum omnium, auri et argenti, palliorum multiformium sanctarumque reliquiarum Omni etiam tempore navigio frequenti cuncta hominum necessaria illuc afferuntur. Ibi insuper, ut spero, fere viginti millia spadones assidua habitatione conversantur. Cum autem nos satis fatigatos requie recreassemus, tunc optimates nostri, accepto consilio, facti sunt homines imperatoris, et pepigerunt fœdus cum ipso, sicut jam ipse postulaverat ab eis. Quod similiter jam fecerant sub jurejurando, qui nos in itinere ipso antecesserant, Boamundus scilicet, et dux Godefridus. Comes autem Raymundus hoc facere tunc recusavit. Comes vero Flandriæ sic, sicut alii, jusjurandum fecit. Nam erat eis necesse ut taliter cum imperatore amicitiam solidarent, ut tutius quærerent, et acciperent ab eo consilium et auxilium, præsens et futurum, tam sibi quam omnibus qui nos secuturi erant, per eumdem tramitem. Quibus idcirco ipse imperator præbuit de numismatibus suis quantum placuit, de equis, et de palliis, et de pecunia sua, qua nimis indigebant ad tantum iter explendum. Hoc expleto, mare, quod Brachium Sancti Georgii vocatur, transfretavimus. Tunc ad Nicæam urbem properavimus, quam obsidione Boamundus, et dux Godefridus, et comes Raymundus, et comes Flandriæ a medio Maii jam obsidebant. Quam urbem possidebant Turci orientales, pagani acres animis, et arcubus sagittarii. Hi quidem de Perside, jam a quinquaginta annis, Euphrate fluvio transito, terram Romaniæ totam usque Nicomediam urbem sibi subjugaverant. O quot capita cæsa, et ossa occisorum ultra Nicomediam in campis jacentium tunc invenimus! quos ipso anno, ignaros, et usui sagittario modernos Turci peremerant; unde moti pietate, satis lacrymas fudimus. Cumque audissent qui Nicæam urbem jam obsidebant, venire principes comites nostros, Rotbertum scilicet Northmannum et Stephanum Blesensem, gaudenter eis et nobis obviam venerunt, et usque ad locum ubi tabernacula nostra extendimus, ante urbem in partem australem deduxerunt. Jam semel Turci congregati se paraverant, volentes vel obsidionem ab urbe, si possent, excutere, vel de militibus suis urbem melius munire. Sed a nostris fortiter et ferociter repulsi, occisi sunt ex eis fere ducenti. Cum autem viderent Francos tam animosos, et probitate validissimos, secesserunt refugi in Romaniam interiorem, quoadusque tempus opportunius aggrediendi eos sentirent. Nos quippe in hebdomada Junii prima, postremi ad obsidionem venimus. Tunc de exercitibus plurimis unus illic exercitus effectus est, quorum centum millia loricis et galeis muniti erant; quem, qui de numero sapiebant, sexies centum millia ad bella valentium esse æstimabant, exceptis inermibus, videlicet clericis, monachis, mulieribus et parvulis. Quid igitur insuper? si omnes, qui de domibus suis egressi votum iter jam incœperant, simul illic adessent, procul dubio sexagies centum millia bellatorum essent. Sed alii de Roma, alii de Apulia, alii vero de Hungaria, vel Sclavonia, labore recusato, domos suas redierant, vel in locis multis, millibus multis occisis, et nobiscum multi eundo infirmati,

vitam finiebant defuncti. Multa cœmeteria videretis in callibus, et in campis, et in lucis, de peregrinis nostris sic sepultis. Sciendum quia quandiu Nicæam urbem circumsedimus, navigio marino, consensu imperatoris, victus nobis ad emendum illuc est allatus. Tunc heroes nostri fecerunt machinas fieri, arietes, scrofas, turres ligneas, petrarias. Distendebantur arcubus sagittæ, jaciebantur lapides, hostes nobis nosque illis vicem certaminis pro posse reddebamus. Sæpe cum machinis illis armati urbem assiliebamus, sed muro forti nobis obstante, cassabatur assultus. Sæpe de Turcis, sæpe de Francis, sagittis vel lapidibus percussi, interibant. Vere doleretis et pietate suspiraretis, cum aliquem de nostris prope murum quoquomodo trucidassent, et submissis uncis ferreis, quos funibus deorsum dimittebant, corpus interempti, aliquando loricati, sursum ad se rapiebant, quod nullus nostrum audebat, nec poterat ab eis extorquere. Corpore tunc expoliato, cadaver foras jaculabantur. Sed cum quinque septimanis urbem circumsedissemus, et multoties assultibus Turcos pavidos fecissemus, facto interim placito per legationes apud imperatorem, callide reddiderunt ei urbem, cum jam ipsa vi et ingeniis valde coercita esset. Tunc Turci intromiserunt in eam Turcopulos ab imperatore missos, qui urbem cum pecunia interna domino suo imperatori, sicut eis præceperat, servaverunt. Quapropter pecunia illa retenta, jussit imperator de auro suo et argento atque palliis proceribus nostris dari, peditibus quoque distribui fecit de nummis suis æneis, quos vocant Tartarones. Die autem illo, quo Nicæa sic est comprehensa, sive reddita, unius mensis solstitio repercussus est, tertioque Kal. Julii, cum barones nostri ab imperatore concessum abeundi accepissent, a Nicæa discessimus interiores Romaniæ regiones adituri. Sed cum per duos dies iter egissemus nostrum, nuntiatum est nobis quod Turci, prætentis nobis insidiis, in planis, per quæ transituros nos arbitrabantur, prœliaturi exspectabant. Hoc autem cum audivissemus, nihil ob id audacitatis amisimus. Sed cum sero illo speculatores nostri plures ex illis a longe vidissent, statim nos inde monuerunt, propter quod tentoria nostra nocte illa excubiis undique conservari fecimus.

CAPUT V.

Mane autem facto, quod accidit Kal. Julii, sumptis armis, et monente cornu, adversus eos per alas consecuti, tribunis et centurionibus cohortes et centurias ducentibus, vexillis levatis, ordinate ire cœpimus. Hora diei secunda, ecce præcursores eorum speculatoribus nostris appropiaverunt. Quod cum audissemus, protinus tentoria nostra juxta quoddam arundinetum metari fecimus, ut expeditius clitellis, id est sarcinis, depositis promptiores ad prœliandum essemus. Quo facto, en Turci, quorum princeps et admiratus erat Soliman, qui Nicæam urbem et Romaniam in potestate sua tenebat, congregatis sibi Turcis ab orientalibus partibus, qui triginta dierum itinere, et eo amplius, in auxilium ejus mandati venerant; aderantque cum eo quamplures admirati, videlicet Amudaradigium, Miriatos, Comardigum, Amirchai, Lachin, Boldagis, Caradigum, multique alii qui omnes insimul erant trecenta et sexaginta millia pugnatorum, scilicet sagittariorum. Mos enim eorum est talibus uti armis. Equites erant omnes. Nos autem utcunque pedites et equites. Sed nobis tunc deerant dux Godefridus, et comes Raymundus, atque Hugo Magnus qui per duos dies insipienter se a nobis subtraxerant cum gente maxima tramite bifurco. Unde nobis damnum irrestaurabile accidit, tam de nostris occisis quam Turcis non retentis, vel interfectis. Sed quia tarde legatos nostros inde habuerunt, ideo tarde nobis succurrerunt. Turci autem audacter ululatibus concrepantes, pluviam sagittarum vehementer nobis jacere cœperunt. Sed ictibus tam crebris nos stupefacti, mortuique, et multi læsi, mox timidi versi sumus in fugam. Nec erat mirandum, quia cunctis nobis tale bellum erat incognitum. Jamjamque ex altera parte arundineti, agmina densa ex eis adusque papiliones nostros vehementer irruerant, qui de rebus nostris intus arripiebant, et de gente nostra occidebant, cum forte, disponente Deo, Hugonis Magni, et comitis Raymundi, et ducis Godefridi præcursores tali infortunio a posteriore parte accurrerunt. Et cum usque ad tentoria nostra jam fugati fuissemus, statim qui ingressi fuerant a papilionibus se removerunt, putantes propter eos tam cito nos regredi. Sed quod audaciam vel probitatem suspicati sunt, pavorem nimium sperare possent. Quid dicam? Nos quidem in unum conglomerati, tanquam oves ovili clausæ, trepidi et pavefacti ab hostibus undique vallabamur, ut nullatenus aliquorsum procedere valeremus. Quod nobis visum est propter peccata nostra sic contigisse. Nam quosdam luxuria polluebat, quosdam vero avaritia vel superbia vitiabat. Clamor erat ingens æthera feriens, virorum ac mulierum, atque infantium, nec non et paganorum qui super nos irruebant. Jamque nulla spes erat vitæ. Tunc reos et peccatores nos omnes esse fatebamur, misericordiam a Deo devote postulantes. Aderat ibi episcopus Podiensis, patronus noster, et quatuor alii; aderantque sacerdotes quamplurimi, albis induti vestimentis, qui Dominum humillime deposcebant, ut virtutem hostium prosterneret, et nobis dona misericordiæ suæ infunderet. Plorando cantabant, cantantes orabant. Tunc currebant multi ad eos, qui confestim mori timentes confitebantur eis peccata sua. Tunc nostri proceres, Robertus Northmanniæ comes, et Stephanus Blesensis, et comes Flandriæ, Boamundus quoque, pro posse eis resistere, et eos sæpe nitebantur invadere. Ipsi quidem a Turcis fortiter impetebantur. Sed forsitan supplicatione nostra Dominus placatus (quia nec nobilitatis pompæ, nec armis lucidis triumphare favet; sed menti piæ, et virtutibus divinis munitæ, in neces-

sitate pie subvenit) paulatim vigorem tunc nobis præstitit, et Turcos magis magisque debilitavit. Nam visis consociis nostris, qui postremi properabant ad adjuvandum nos, laudantes Deum, audaciam resumpsimus et per turbas et cohortes eis resistere nisi sumus. Heu! quot de nostris die illo post nos lente venientes in via occiderunt! A prima diei hora usque ad sextam, nos, ut dixi, anguste coercuerunt; sed tunc paulatim nobis animatis et de nostris sociis concretis, adfuit mirabiliter divina gratia, et quasi momento subitaneo, Turci omnes visibus nostris dorsa fugitivi verterunt. Nos vero post eos vehementer vociferantes, per montes et valles persecuti eos sumus; quos fugare non cessavimus, donec anteriores nostri cursores ad tentoria eorum pervenerunt. Ubi alii de rebus eorum et de tentoriis ipsis oneraverunt eorumdem equos et camelos plures, quos pro timore illic reliquerant; alii vero Turcos fugientes usque ad noctem persecuti sunt. Sed quia famelici et fatigati erant equi nostri, paucos ex eis retinuimus. Grande autem miraculum Dei fuit, quod die crastino et tertio non cessaverunt fugere, quamvis eos nullus, nisi solus Deus, amplius fugaret. De tanta autem victoria nos facti lætissimi, Deo gratias omnes exsolvimus, quia noluit iter nostrum omnino adnihilari, sed ad honorem sui et Christianitatis, honorabilius solito prosperari: unde ab oriente usque ad occasum fama personabit perennis. Tum quidem post eos iter nostrum modeste calcavimus. Turci vero ante nos fugientes catervatim mansiones per Romaniam sibi quæsierunt. Tum perreximus Antiochiam, quam prænominant parvam, in provincia Psidie, deinde Iconium: in quibus regionibus, sæpissime pane cibariisque satis indiguimus. Nam Romaniam, quæ terra est optima et fertilissima bonorum omnium, invenimus valde a Turcis vastatam et deploratam. Multoties tamen videretis tantam gentis multitudinem de raris culturis, quas interdum per loca inveniebamus, bene refocillari, supplemento illius Dei, qui de quinque panibus et duobus piscibus quinque millia hominum cibavit (*Matth.* XIV, 19-21). Inde satis lætabamur, et congaudentes, dona misericordiæ Dei hæc esse profitebamur. Tunc autem vere vel rideretis, vel forsitan pietate lacrymaremini, cum multi nostrum jumentis egentes, quia de suis jam multa perdiderant, verveces, capras, sues, canes, de rebus suis, scilicet pannis vel panibus, seu qualibet sarcina peregrinorum usui necessaria onerabant. Quarum bestiolarum terga videbamus, mole fascis gravis esse corrupta. Equites etiam supra boves cum armis suis interdum scandebant. Sed quis unquam audivit tot tribus linguæ in uno exercitu, cum ibi adessent Franci, Flandri, Frisi, Galli, Britoni, Allobroges, Lotharingi, Alemanni, Bajoarii, Northmanni, Scoti, Anglici, Aquitani, Itali, Apuli, Iberi, Daci, Græci, Armenii? Quod si vellet me alloqui Britannus, vel Teutonicus, neutro respondere saperem. Sed qui tot linguis divisi eramus, tanquam fratres, sub dilectione Dei, et proximi, unanimes esse videbamur. Nam, si de rebus suis aliquis aliquid perderet, per quamplurimos dies id diligenter tandiu qui invenisset deferret secum, donec inquirendo illum qui perdidisset reperiret, et inventum libenter redderet. Hoc enim competit his qui juste peregrinantur.

CAPUT VI.

Cum autem ad Eracleam urbem pervenissemus, vidimus signum in cœlo quoddam, quod alburno splendore fulgens tunc apparuit in modum ensis figuratum, cuspide versus orientem protento. Sed quid futurum promittebat nesciebamus, sed præsentia et futura Domino committebamus. Ad oppidum optimum quoddam, quod Mariscum nominatur, tunc profecti sumus, ubi per tres dies quievimus. Sed cum exhinc viam unius diei proculcassemus, et non longe ab Antiochia Syriæ, sed quasi tribus diebus essemus, ab exercitu discessi, et cum domino Balduino comite, Godefridi ducis antefati fratre, in sinistræ partem provinciæ divertimus. Erat quippe miles quam optimus, probitate et audacia valde famosus; qui antea relicto exercitu cum illis quos secum duxit, urbem, quam dicunt Tharsum Siliciæ, ausu magno ceperat; quam tamen Tancredo violenter abstulit, qui jam in ea homines suos, Turcis ei consentientibus, intromiserat. Relictis itaque ibi custodibus, Balduinus ad exercitum rediit. Itaque confidens in Domino, et in valore suo, collegit secum milites paucos, proficiscens versus Euphratem fluvium, et comprehendit ibi castra plurima tam vi quam ingenio. Inter quæ unum cepit peroptimum, quod vocatur Turberes. Hoc pacifice reddiderunt ei qui in eo habitabant Armenii, et alia plurima huic subdita. Cum autem fama de eo longe lateque jam circumvolasset, misit ad eum legationem qui princeps erat civitatis Roais, id est Edessæ, quæ satis est nominata, et de bonis terræ uberrima. Est illa in Mesopotamia Syriæ, trans flumen prædictum Euphratem viginti fere milliariis, et ab Antiochia distans quasi centum vel paulo plus. Mandatus est itaque Balduinus ut illuc iret, et efficerentur invicem amici, quandiu ambo viverent, tanquam pater et filius. Quod si dux ipse Edessenus forte obiret, statim Balduinus, ac si filius ejus esset, urbem et terram suam, quantamcunque possidebat, in hæreditate possideret. Non enim habebat filium nec filiam. Et quoniam a Turcis se defendere non poterat, volebat Græcus ille et se et terram suam ab ipso Balduino defendi, quem et milites suos bellatores audiverat esse probissimos. Hoc audito, postquam legati jurejurando fecerunt eum inde credulum, cum minimo exercitulo suo, scilicet octoginta militibus, pergens transiit Euphratem. Quo transito, nocte tota perpropere prope castra Sarracenorum, hinc et inde linquentes ea, valde pavidi perreximus. Quod cum audissent Turci qui in Samosate oppido forti erant, insidias nobis in via, per quam ituros nos opinabantur, prætenderunt. Sed

cum nocte alia quidam Armenius in castello suo diligenter nos hospitatus fuisset, intimatum est nobis quod ab hostibus illis insidiantibus præcavere nos oportebat. Quapropter diebus duobus illic delituimus. Sed cum tantam moram fastidirent illi, die tertia subito insultu de loco insidiatorio prosilierunt, et ante castellum, in quo eramus, signis levatis accurrerunt, et prædam, quam in pascuis ibi repericrunt ante conspectum nostrum arripuerunt. Nos autem contra eos egressi, quia pauci eramus, bellare cum eis non quivimus; qui cum nobis sagittas jacere cœperunt, nullum de nostris, juvante Deo, sauciaverunt. Ipsi autem unum de sociis suis occisum lancea, in campo reliquerunt, cujus equum, qui eum subvertit, retinuit. Tunc abierunt; nos autem ibi remansimus. Sequenti vero die iter nostrum resumpsimus. Miraremini, cum ante castra Armeniorum transiremus, et nobis obviam cum crucibus et vexillis pro amore Christi humillime procedebant, et pedes nostros et pannos osculabantur, eo quod audierant nos a Turcis eos defensuros, sub quorum jugo tandiu depressi fuerant. Pervenimus tandem Roais, ubi princeps urbis prædictus, et uxor sua, una cum civibus suis, gaudenter nos susceperunt, et quod Balduino polliciti fuerant, indilate compleverunt. Cumque per quindecim dies illic moram fecissemus, cives urbis machinati sunt principem illum sceleste occidere, et Balduinum in palatio ad dominandum sublimare. Odio enim eum habebant. Dictum est, et factum est. Unde Balduinus tamen et sui valde contristati sunt, quia pro eo indulgentiam impetrare nequiverunt. Cum autem principatum illius dono civium Balduinus suscepisset, protinus adversus Turcos, qui in patria erant, litem bellicam movit, quos multoties vel victos vel occisos superavit. Contigit tamen de nostris plures a Turcis interemptos fuisse. Ego vero Fulcherius Carnotensis, capellanus ipsius Balduini oram. Volo autem de exercitu Dei sermonem quem dereliqui resumere.

CAPUT VII.

Mense Octobri, pervenerunt Franci Antiochiam Syriæ, flumine transito quod Fernum, vel Orontem nominant. Ante urbem jussa sunt tentoria extendi, intra primum ab urbe lapidem, ubi postea certamen pessimum utrinque persæpe factum est. Nam cum de civitate Turci prosilirent, multos de nostris occidebant; vice tamen reddita, se quoque superatos lugebant. Est nempe Antiochia civitas magna ambitu, situ fortis, et muro valida; quæ et ab hostibus externis nunquam poterit comprehendi, si tantum inhabitantes panc muniti eam defendere voluerint. Estque in ea basilica una satis veneranda, in honore sancti Petri apostoli dedicata, ubi sedit in cathedra, in episcopum sublimatus, postquam a Domino principatum Ecclesiæ, clavibus acceptis regni cœlestis, suscepit. Est et altera in honore beatæ Mariæ fabrefacta. Suntque aliæ plures ecclesiæ decenter compositæ. Quæ quamvis sub potestate Turcorum diu exstiterant, Deus tamen cuncta præsciens, nobis eas integras reservavit, ut a nobis quandoque in eis honoraretur. Tredecim fere milliariis distat mare ab Antiochia. Et quia Fernus fluvius inibi mare incidit, per ejusdem alveum fluvii usque prope Antiochiam naves de longinquis partibus bonis refertæ omnibus deducuntur. Itaque tam per mare quam per terram munita bonis, abundat civitas divitiis multimodis. Principes autem nostri cum eam ad capiendum tam difficilem prospexissent, jurejurando confirmaverunt invicem eam obsidione cohibere, donec, Deo suffragante, aut vi aut ingenio possent eam capere. Tum vero in flumine prædicto invenerant naves, cum juxta illud deambularent, quas capientes, coaptaverunt sibi de eis unum pontem, per quem postea transierunt ad negotia sua facienda, cum antea pedetentim vadare per flumen illico non valerent. Sed cum Turci a tanta multitudine Christiana se obsideri circumspicerent, timentes quod nullomodo ab eis excuti possent, inito consilio invicem, misit Gracianus Antiochiæ admiratus filium suum, Sansadolem nomine, ad soldanum, hoc est ad imperatorem Persidis, precantes ut eis citissime succurreret, quia in nullo alio spem auxilii habebant, præter Mahumeth advocatum eorum. Ille autem illuc sic destinatus, legationem perpropere gessit. Qui vero remanserunt, custodierunt urbem, interim auxilium præstolantes mandatum, et contra Francos damna multimoda frequenter machinati sunt. Franci quoque calliditati eorum pro posse obsistebant. Contigit enim, die quadam, septingentos Turcos ab eis interemptos esse, et quia Francis insidias paraverant, ab insidiantibus similiter superati sunt. Virtus enim Dei præsens ibi adfuit. Nam nostri omnes sani regressi sunt, excepto uno ab illis sauciato. Heu! multos de Christianis, qui in urbe conversabantur, scilicet, Græci, Syris, Armeniis Turci rabie occidebant permoti, et petrariis et fundibulis suis capita occisorum, Francis cernentibus, extra muros ejiciebant. Qua de re gens nostra valde tristabatur. Odio quidem Christianos illos habebant, quoniam ne forte Francos quoquomodo munirent metuebant. Cum autem aliquandiu Franci urbem circumsedissent, et provinciam affinem rapinantes pro victualibus necessariis sibi undique devastassent, et panem ad emendum nusquam invenire possent, contigit eos famem magnam sustinere. Unde omnes valde desolati sunt, et multi latenter cogitaverunt de obsidione aufugere, sive per terram, sive per mare. Non enim habebant quidquam stipendii, unde vivere possent; quos etiam oportebat victum suum longe quærere cum ingenti timore, elongando se ab obsidione aut quadraginta aut sexaginta milliariis, ubi, videlicet in montanis, a Turcis insidiantibus persæpe occidebantur. Hæc autem incommoda putabamus sic Francis contigisse propter peccata sua, quibus multi constringebantur, et quod urbem tam longo tempore capere non poterant. Nam plurimi tam super-

biæ quam luxuriæ atque rapinæ immodestia debilitabantur. Tum proinde facto consilio, ejecerunt feminas de exercitu, tam conjuges quam immaritatas, ne, luxuriæ sordibus coinquinati, Domino displicerent. Illæ vero in castris affinibus tunc sibi hospitia assumpserunt. Desolati enim omnes erant, tam fame quam occisione quotidiana, tam divites quam pauperes. Et nisi Deus eos, tanquam bonus pastor oves suas, gregatim constringeret, procul dubio omnino inde aufugerent, licet obsidionem jurassent obtinendam. Multi tamen propter panis necessitatem, per plures dies quærebant per castella propinquiora quæ victui suo erant necessaria, nec postea revertentes ad exercitum, obsidionem penitus dimittebant. Tunc temporis vidimus unum ruborem in cœlo mirabilem, insuper sensimus terræ motum magnum, qui nos pavidos reddidit omnes. Multi etiam viderunt quoddam signum in modum crucis figuratum, colore alburnum, versus orientem recto tramite incedens.

CAPUT VIII.

Anno autem Domini millesimo nonagesimo octavo, postquam illa regio Antiochena circumquaque a multitudine gentis nostræ prorsus devastata fuisset, magis magisque majores et minores fame nimia vexati sunt. Tunc famelici comedebant surculos fabarum in agris adhuc crescentium, herbasque multimodas et sale inconditas; carduos etiam, qui propter lignorum deficientiam non bene cocti linguas manducantium depungebant, equos, asinos camelosque, canes etiam et mures. Pauperiores etiam bestiarum coria comedebant, et quod nefas est dicere, mures et grana in stercoribus reperta. Frigora, flagra, calores, pluvias densas propter Deum perpessi sunt. Tentoria etiam jam erant inveterata, imbrium inundationibus putrefacta et disrupta. Qua de re, multi eorum nonnisi cœlo tegebantur. Itaque illi, quasi aurum ter igni probatum septiesque purgatum, jamdudum a Domino, ut opinor, prælecti, et in calamitate tanta examinati, a peccatis suis purgati sunt. Diu enim agonizantes, si etiam gladius percussoris non deesset, martyrii cursum multi voluntarie complessent. Forsitan a justo Job gratiam tanti exempli sumpserunt, qui in tormentis corporis sui animam purgans, Deum semper in mente tenuit. Cum paganis bellant, propter Deum laborant. Licet Deus qui cuncta creat, creata moderat, moderata sustentat, virtute gubernat, possit quæque vult momento uno destruere, sentio quod verbere Christianorum annuit paganos ita subrui, qui tot temporibus cuncta quæ Dei sunt, permittente ipso, viliter pessumdederunt. Christianos quidem ab ipsis Turcis permittit occidi ad salvationis augmentum, Turcos autem ad animarum suarum detrimentum; quorum quosdam tamen jam saluti prædestinatos, placuit Deo tunc a sacerdotibus nostris baptizari. *Quos enim prædestinavit, hos et vocavit*, necnon magnificavit (*Rom.* VIII, 30). Quid igitur? Fuere quidem de nostris nonnulli, ut superius audistis, qui ab obsidione tam anxia se removerunt. Alii propter egestatem, alii propter ignaviam, alii vero propter mortis timorem, primitus pauperes, deinde locupletes. Tunc Stephanus comes Blesensis ab exercitu discessit, et per mare in Franciam repatriavit. Unde doluimus omnes, quoniam vir erat probissimus et valde nobilis. Quo discedente, sequenti discessionis suæ die urbs Antiochia est tradita. Si perseverasset, multum inde cum cæteris gauderet. Idcirco factum est ei hoc in opprobrium. Nec prodest cuiquam bonum initium, si bene non finierit. In rebus autem Domini, eo quod mentiri nollem, cavendum est; ne in aliquantis deviem, multa breviabo. Ab ipso autem mense Octobri, transcursa hieme sequenti, et deinde verno tempore usque dum subintraret Junius mensis, urbis obsidio perduravit. Multoties interim invasiones et prælia, insidiasque Franci et Turci invicem egerunt. Vincebant, et vincebantur. Nostri tamen sæpius quam illi triumphabant. Semel contigit plerosque de Turcis in flumen Fernum fugiendo cadere, et in ipso mersos infeliciter interire. Cis Fernum et citra Fernum, utraque gens invicem bellabant sæpe. Castella quidem ante urbem composuerunt optimates nostri, quibus postea Turcos frequenti exitu assilientes, vehementer cohibuerunt. Unde bestiis eorum pascua sæpe abstulerunt. Nec ab externis provinciæ Armeniis quidquam allatum fuit. Sæpe tamen ipsi ad lædendum nostros procedebant. Cum autem placuit Domino laborem populi sui consummare, forsitan precibus eorum placatus, qui quotidie preces inde supplices ei fundebant, concessit pietate sua, per eorumdem Turcorum fraudem, traditione clandestina urbem Christianis reddi. Audite ergo fraudem et non fraudem.

CAPUT IX.

Apparuit enim Dominus noster cuidam Turco, gratia sua prælecto, et dixit ei : « Expergiscere, qui dormis. Impero tibi ut reddas Antiochiam Christianis. » Miratus autem ille, visionem illam silentio texit. Iterum autem apparuit ei Dominus : « Redde urbem Francis, inquit; sum etenim Christus, qui hoc tibi jubeo. » Meditatus autem ille secum quid inde facturus esset, abiit ad dominum suum, Antiochiæ scilicet principem, et visionem illam innotuit ei. Cui respondit ille : « Nunquid phantasmati, brute, vis obedire? » Reversus autem ille, postmodum siluit. Cui rursum Dominus apparuit, inquiens : « Cur non explesti quod jussi? Non est tibi hæsitandum; nam qui hoc impero Dominus sum omnium. » Ille autem non amplius dubitans, prudenter cum viris nostris tunc egit ut sub machinationis suæ studio urbem acciperent. Quo prolocuto, et filio suo Francis dato obside, domino scilicet Boamundo, nocte quadam per scalas de chordis factas viginti de clientibus nostris per muri summum intromisit. Et non mora facta, statim porta aperta est. Franci omnes præparati civitatem sunt ingressi. Et per chordas jam introierant quadraginta milites, qui quadra-

ginta illico invenerunt ibi Turcos, trium turrium custodes, quos occiderunt. Tunc alta voce Franci omnes simul exclamaverunt : DEUS HOC VULT, DEUS HOC VULT. Hoc erat enim signum exclamationis nostræ, cum aliquid de negotio nostro agere volebamus. Quo audito, Turci omnes vehementer exterriti sunt. Aurora quippe albescente, urbem Franci prorsus impetere cœperunt. Cumque Turci primitus vexillum Boamundi rubicundum jam in sublime displicari aspicerent, et tumultum tantum atque tot cornibus in muri apice Francos sonare, et per vicos et muros nudis ensibus eos late discurrere, et gentem suam ferociter occidere : obstupefacti valde, et hac et illac fugere cœperunt. De quibus multi mox occisi fuerunt, pluresque fugiendo in castrum, quod in rupe celsa est situm, se intromiserunt. Plebs vero rostra cuncta, quæ in vicis aut domibus invenerunt, immoderate assumpserunt. At milites probitatis militiam tenuerunt, Turcos persequendo et occidendo. Tunc admiratus Antiochiæ, scilicet Gratianus, a rustico quodam Armenio fugiens decollatus est. Qui caput abscissum Francis mox attulit ejus.

CAPUT X.

Contigit autem, postquam civitas capta est, a quodam homine lanceam unam inveniri quam in ecclesia beati apostoli Petri fossa humo repertam, asseverabat esse illam de qua Longinus latus Domini perforavit. Aiebat enim a sancto Andrea apostolo revelatum hoc esse sibi. Visione et monitione ab ipso apostolo ter illi facta, fodit subter pavimentum, ubi per visionem ei monstratum fuerat, et invenit lanceam fallaciter occultatam forsitan. Hanc visionem propalavit primitus episcopo Podiensi et Raymundo comiti. Quod tamen episcopus falsum esse putavit, comes vero Raymundus verum esse speravit. Sed cum sic reperta fuisset, et omnis populus Deum exsultans glorificasset, et per centum jam fere dies ab omnibus in veneratione magna haberetur, et a comite Raymundo gloriose tractaretur; qui etiam oblationem a populo ad lanceam devote factam egenis sæpe distribuerat, quia lanceam illam custodiebat, forte contigit episcopum Baræ, et alios quamplurimos, tam clericos quam laicos, hæsitare quod non esset illa Dominica lancea quæ sperabatur, sed altera erat ab homine illo stolido fraudulenter reperta. Quapropter consilio inito, post supplicationem jejunii triduani, cum struem lignorum in medio campi igni accendissent juxta castrum Archarum, quod tunc obsidione coercebant, octavo mense post Antiochiam captam, benedictione judiciali super ignem ab episcopis facta, inventor lanceæ per medium rogi flammantis ultro celeriter transmeavit. Quo transacto, illum hominem quasi reum in cute flammis crematum viderunt, et in interiori parte corporis læsum mori intellexerunt. Quod rei exitus monstravit, cum die duodecimo ipso angore obiit. Et quia ob honorem Dei et amorem omnes lanceam venerati fuerant, hoc judicio peracto, facti increduli, contristati sunt valde. Comes tamen Raimundus tandiu illam servavit, donec eam nescio quo eventu perdidit. Nunc autem ad cætera dimissa revertar.

CAPUT XI.

Cumque Antiochia civitas capta fuisset, ut dictum est, sequenti die Turcorum multitudo innumerabilis circa eamdem urbem obsidionem opposuerunt. Nam soltanus, rex scilicet Persarum, unde jam parum præfatus sum, habita legatione quod Franci Antiochiam obsidebant, statim gente multa coadunata, contra Francos exercitum suum misit. Cujus fuit Corbagath dux et admiratus. Hi quidem ante urbem Edissam, ubi tunc Balduinus erat, per tres hebdomadas stationem fecerant, sed nihil ibi proficientes, Antiochiam properaverunt, ad succurrendum Gratiano. Quibus visis, non minus solito iterum Franci desolati sunt. Propter peccata enim sua pœna est eis duplicata. Nam cum civitatem ingressi fuissent, confestim cum feminis exlegibus concubuerunt plures ex eis. Tunc insuper ingressi sunt urbem sexaginta fere millia Turcorum per castrum sublime, a parte rupis celsæ; qui nostros vehementissime crebris invasionibus coarctaverunt. Sed non fuit mora, pavore percussi magno, foras ad obsidionem relicta urbe exierunt. Franci autem inclusi, ultra quam credi potest remanserunt anxii. Interea tamen eorum non immemor Deus pluribus sæpe, quod dictis affirmabant, apparuit, qui confortando eos promittebat populum ad præsens victoria gaudendum.

CAPUT XII.

Tunc clerico cuidam pro timore mortis aufugienti apparuit Dominus, inquiens : « Quo, frater, protendis iter?—Fugio, » respondit, « ne infortunatus peream. Sic fugiunt multi, pereant ne morte maligna. » Cui Dominus ait : « Ne fugias, sed vade retro, et dic cæteris quod in prælio cum illis adero. Nam matris meæ placatus precibus, propitiabor eis. Sed quia peccaverunt, fere perierunt. Sit autem spes eorum in me firma, et faciam eos in Turcos triumphare. Pœniteant, et salvi fient. Dominus sum, qui loquor tecum. » Mox ille reversus, quod scivit narravit.

CAPUT XIII.

Interea dum plures noctu per chordas de muro descendere volebant, et fugere, quoniam contigit multis hoc fieri, qui formidabant vel inedia vel gladio perire, iterum astitit cuidam descendenti frater ejusdem jam mortuus, aiens ei : « Quo, frater, fugis? Resta, ne timeas, quoniam Dominus erit vobiscum in prælio vestro, et consocii vestri qui in hoc itinere jam vos morte antecesserunt, contra Turcos vobiscum præliabuntur. » Miratus autem ille verba defuncti, ire desiit : et quod audivit cæteris recitavit.

CAPUT XIV.

Sed cum placuit Domino labori famulorum suorum finem dare, qui etiam angorem tantimodum amplius tolerare non poterant, nec jam quidquam habentes quod comederent, unde tam ipsi quam equi eorum debiles nimis erant, constituerunt invicem fieri triduanum jejunium cum precibus et elee-

mosynis, ut illis pœnitentibus, et Domino devote supplicantibus propitiaretur. Interim vero capto consilio, mandaverunt Turcis per Petrum quemdam Eremitam, quod nisi terram, quæ Christianis pertinebat ab olim, quietam eis dimitterent, die sequenti,sine dubio bellum contra eos inirent. Quod si aliter fieri vellent aut per quinque aut per decem, sive per viginti vel centum milites ab utraque parte electos fieret bellum, ne cunctis simul bellantibus, multitudo gentium moveretur ; et quorum pars alteram superaret, urbem et regnum merito acciperet. Hoc mandatum est, sed concessum a Turcis non est. Et quia multi erant, et equis muniti, propterea vincere putabant ; æstimabantur quidem numero sexcenti sexaginta millia, tam equites quam pedites. Nostros vero milites sciebant effici pedites, debiles, pauperes. Regresso autem Petro legato, redditur responsum. Quo audito, paraverunt se Franci armis ad prœliandum, nihil hæsitantes, sed in Domino spem suam penitus ponentes. Principes Turcorum multi erant, quos admiratos prænominabant. Hi sunt : Corbagath, Meleducac, Amirsoliman, Amirsolendas, Amirhegibbe, Amirmazoane, Amirmahummet, Caraiath, Coteloseniar, Mergascotelon, Baldus, Boelquenari, Boldagis, Amirrilias, Gersaslan, Gigremis, Amirgogus, Artubech, Amirdalis, Amirmoxe, Amircharaor, et multi alii. Francorum vero optimates isti aderant : Hugo Magnus, Robertus Northmaniæ comes, Robertus comes Flandriæ, dux Godefridus, comes Raymundus, Boamundus, et multi nobiles alii. Benedicat Deus animam Ademari Podiensis episcopi, qui, ut vir apostolicus, benigne semper populum confortabat, et in Domino roborabat. O pia res ! Jusserat ipse vespere præcedente cunctæ militiæ Dei exercitus, sub edicto præconario, ut unusquisque pro posse suo de annona niteretur præbendam equo suo impendere, ne in die crastino subter equitantes, hora bellica debiles fame deficerent. Jussum est, et factum est. Igitur ad bellum sic paratis omnibus, exierunt de civitate summo mane, quod IV Kal. Julii tunc evenit, vexillis præcedentibus scararum et acierum, separatim per catervas et phalanges convenienter divisarum. Inter quos sacerdotes albis amicti vestimentis erant, qui pro populo cuncto Domino flendo psallebant, et preces multiplices mentibus devotis fundebant. Tum quidam Turcus, Amirdalis nomine, militia probissimus, cum vidisset gentem nostram contra eos signis levatis sic egredientem, miratus est vehementer. Et cum signa procerum nostrorum vidisset, quæ sigillatim cognoscebat, quia in Antiochia conversari solebat, prælium mox fore ratus est. Quod statim Corbagath admirato majori intimavit. « Quid scaccis ludis ? En Franci veniunt. » Cui respondit : « Veniuntne ad bellandum ? » Respondit Amirdalis : « Adhuc ignoro : sed exspecta parumper. » Cumque iterum prospicit vexilla principum nostrorum altrinsecus ordinate præferri, et acies divisas decenter subsequi, iterum ait Corbagath : « Ecce Franci. Quid putas ? » Respondit : « Bellum reor, inquit, sed adhuc paulisper opperire. Signa quæ cerno quorum sunt non ignoro. » Iterum considerans attentius, cognovit vexillum episcopi Podiensis cum turma tertia procedens.

Longius haud restant, Corbagath tunc ait ille :
« En Franci veniunt, vel nunc fuge, vel bene pugna.
Nam signum video magni præcedere papæ.

Et quos æstimabas jam omnino supplantari, hodie timeas ab eis superari. » Corbagath dixit : « Mittam ad Francos, ut quod hesterna die mihi mandaverunt, hodie concedam. » Amirdalis dixit : « Tarde locutus es. » Attamen id mandavit ; sed quod quæsivit, non impetravit, Amirdalis autem mox ab eo discedens, equum ursit calcaribus.

Cogitat aufugiat, socios tamen admonet ipse,
Fortiter ut pugnent omnes, jaciantque sagittas.

Ecce Hugo Magnus, atque Robertus Northmannus, et comes Flandriensis in prima acie constituti sunt invasores. In secunda autem dux Godefridus cum Alemannis et Lotharingensibus subsecutus est. Post hos episcopus Podiensis, et gens Raymundi comitis, Gascones et Provinciales incesserunt. Ipse vero comes in urbe remansit ad custodiendum eam. Postremam quippe catervam Boamundus solerter minavit. Turci autem cum considerassent ab omni exercitu Francorum se impetu ferocissimo invadi, sparsim prosilire et jacere sagittas cœperunt. Sed immisso timore Domini super eos, ac si repente totus mundus super eos rueret, fugam omnes immoderatam egerunt, et a Francis pro posse eorum fugientes fugati sunt. Sed quia paucos equos habebant et fame debiles, non quantum oporteret de paganis retinuerunt ; tentoria autem eorum cuncta remanserunt. De rebus quoque eorum multiformibus in eisdem tentoriis reperierunt, aurum scilicet, argentum, pallia, indumenta, utensilia, et cætera multa, quæ valde timidi per campos sparsim fugiendo, vel dimittebant, vel jaciebant, videlicet equos, mulos, camelos, et asinos, galerosque optimos, arcus, sagittas cum pharetris. Fugit Corbagath cervo velocius, qui minis et dictis tam feris Francos jam persæpe occiderat. Sed cur fugit qui tantam gentem habebat, et equis bene munitam ? Quoniam contra Deum bellare nitebatur ; cujus pompam et arbitrium prospiciens Dominus, omnino cassavit. Nec tamen permisit eum in manus Francorum incidere, nec milites suos, quia quotidie non se ulciscitur de inimicis suis. Et quoniam equos habebant veloces, effugerunt ; lentiores vero nostris Francis remanserunt. Multi autem ex eis et de peditibus Sarracenis gladiis detruncati sunt. De nostris autem pauci læsi sunt. Feminas vero in tentoriis eorum inventas gladio interfecerunt. Tunc omnes voce exsultationis Deum benedixerunt, et glorificaverunt, qui in tanta necessitate positos et anxietate, dextera pietatis suæ sperantes in se, ab hostibus tam trucibus liberaverat. Sed et ipsis devictis, triumphatores inde facti

gloriabantur. De quorum etiam substantia locupletes effecti, ad urbem regressi sunt jocundi.

Urbs cum capta fuit tam nobilis Antiochena,
Undecies centum, si subtrahis inde bis unum,
Tunc tot erant anni Domini de Virgine nati.
Sub geminis Phœbus cum his novies fuit ortus.

Tunc temporis obiit Ademarus episcopus, Kalend. scilicet Augusti, cujus anima quiete potiatur æterna. Et tunc Hugo Magnus Constantinopolim concessu heroum abiit, deinde in Franciam.

CAPUT XV.

His gestis omnibus, inclyta principum turma totius exercitus epistolam hanc Romano pontifici direxerunt : « Domino sancto ac venerabili papæ Urbano, Boamundus, et Raymundus Sancti Ægidii comes, Godefridus dux Lothariensis, et Rotbertus comes Northmanniæ, Rotbertus Flandrensium comes, et Eustachius comes Boloniæ, Salutem, et fidelia servitia, et ut filii suo patri spirituali veram in Christo subjectionem. Volumus omnes et desideramus notum fieri vobis, quam magna Dei misericordia, quamque evidentissimo ejus adminiculo a nobis capta est Antiochia, et Turci, qui multa Domino nostro Jesu intulerant opprobria, capti et interfecti sunt ; et nos Hierosolymitani Jesu Christi injuriam summi Dei vindicavimus ; et nos, qui Turcos prius obsederamus, qualiter postea a Turcis de Corozana, et Hierusalem, et Damasco, multisque aliis terris venientibus obsessi fuimus ; et quomodo Jesu Christi misericordia liberati sumus. Cum igitur capta Nicæna illa, maximam multitudinem Turcorum, sicut audistis, in Kalend. Julii nobis obviam in campo florido devicissemus, et illum magnum Solymannum fugavissemus, suisque omnibus et terra et rebus exspoliassemus, acquisita et pacificata tota Romania, ad obsidendum Antiochiam venimus. Cujus in obsidione multa mala perpessi sumus, tum de bellis finitimorum Turcorum et paganorum in nos tam frequenter et copiose irruentium, ut verius diceremur obsessi ab eis quos in Antiochia obsederamus. Tandem, superatis omnibus bellis, ex eorum prospero eventu fides Christiana exaltata est, hoc modo. Ego Boamundus, conventione facta cum quodam Turco, qui ipsam mihi tradidit civitatem, scalas ante diem parum muro applicui ; et sic civitatem antea Christo resistentem in Nonas Julii accepimus, et Gratianum ipsius civitatis tyrannum cum multis suorum militibus interfecimus. Eorumque uxores, filios ac familias, cum auro et argento, et omnibus eorum possessionibus, retinuimus. Castrum autem Antiochianum a Turcis præmunitum habere non potuimus. Sed cum in crastinum castrum ipsum aggredi voluissemus, infinitam Turcorum multitudinem, quam multis diebus ad debellandum nobiscum venturam extra civitatem exspectaveramus, per campos omnes discurrentem vidimus. Qui die tertia nos obsederunt, et prædictum castrum plusquam centum eorum milites traverunt ; ac per portam ipsius castri ad civitatem sub castro constitutam, nobis illisque communem, irrumpere voluerunt. Nos autem in alio monte existentes ipsi castro opposito, viam inter utrumque exercitum ad civitatem descendentem, ne ipsi nobis multo plures irrumperent, custodientes, et intus et extra nocte et die bellantes, portas castri ad civitatem descendentes intrare, et ad castra compulimus remeare. Cum ergo vidissent quod ex illa parte nihil nocere potuissent, ita nos ex omni parte circuierunt, quod nulli ex nostris ire, vel ad nos venire potuerunt. Qua de re ita desolati et afflicti omnes fuimus, quod fame et multis angustiis morientes, equos et asinos nostros famelicos interficientes, multi nostrum comederunt. Sed interim, clementissima Dei omnipotentis misericordia nobis subveniente, et pro nobis vigilante, lanceam Dominicam, qua Salvatoris nostri latus Longini manibus perforatum fuit, sancto Andrea apostolo cuidam famulo Dei ter revelante, locum etiam ubi lancea jacebat demonstrante, in ecclesia beati Petri apostolorum principis invenimus. Cujus inventione, aliisque multis divinis revelationibus ita confortati et corroborati fuimus, ut qui antea afflicti et pavidi fueramus, tunc ad prœliandum audacissimi promptissimique alii alios hortabamur. Tribus igitur hebdomadis et quatuor diebus obsessi, in vigilia apostolorum Petri et Pauli in Deo confidentes, de omnibus iniquitatibus nostris confessi, portas civitatis cum omni nostro bellico apparatu exivimus; et tam pauci eramus, quod ipsi nos non contra eos pugnare, sed fugere affirmabant. Nobis autem omnibus paratis, et tam peditum quam militum certis ordinibus dispositis, ubi major eorum virtus et fertitudo erat audacter requisivimus, cum lancea Dominica, et prima belli statione fugere eos coegimus. Ipsi autem, ut mos eorum est, undique se dispergere cœperunt; occupando colles et vias, ubicunque poterant nos gyrare voluerunt. Sic enim nos omnes interficere putaverunt. Sed nobis multis bellis contra eorum calliditates et ingenia edoctis, gratia Dei et misericordia ita subvenit, ut qui paucissimi ad eorum comparationem eramus, omnes illos in unum cogimus, et coactos, dextera Dei nobiscum dimicante, fugere, et castra cum omnibus quæ in castris erant relinquere compulimus. Quibus devictis, totaque die fugatis, et multis eorum millibus interfectis, ad civitatem læti et hilares remeavimus. Castrum autem supradictum admiratus quidam, qui in eo erat cum mille hominibus, Boamundo se reddidit, et per ipsius manum Christianæ se fidei unanimiter subjugavit. Itaque Dominus noster Jesus Christus totam Antiochiam Romanæ religioni ac fidei mancipavit. Verum, quia solet semper aliquid mœstum intervenire lætis rebus, ille Podiensis episcopus, quem tuum vicarium nobis commiseras, peracto bello in quo honeste fuit, et pacificata civitate, Kal. Augusti mortuus est. Nunc ergo, filii tui commisso

patre orbati, tibi spirituali patri nostro mandamus, ut qui hanc viam incœpisti, et sermonibus tuis nos omnes, et terras nostras, et quidquid in terris erat, relinquere fecisti, et cruces bajulando Christum sequi præcepisti, et Christianum nomen exaltare commonuisti, complendo quæ hortatus es ad nos, venias, et quoscunque poteris ut tecum veniant submoneas. Hinc enim Christianum nomen sumpsit exordium. Nam, postquam beatus Petrus in cathedra quam quotidie cernimus inthronizatus fuit, illi qui prius vocabantur Galilæi, primum hinc et principaliter vocati sunt Christiani. Quid igitur in orbe rectius esse videtur quam ut tu, qui pater et caput Christianæ religionis existis, ad urbem principalem et capitalem Christiani nominis venias, et bellum quod tuum est ex tua parte conficias? Nos enim Turcos et paganos expugnavimus; hæreticos autem, Græcos, et Armenos, Syros, Jacobitasque expugnare nequivimus. Mandamus igitur et remandamus tibi hoc, charissimo Patri nostro, ut tu Pater et caput ad tuæ paternitatis locum venias, et qui beati Petri es vicarius, in cathedra ejus sedeas, et nos filios tuos in omnibus recte agendis obedientes habeas, et omnes hæreses cujuscunque generis sint, tua auctoritate et nostra virtute eradices et destruas. Et sic nobiscum viam Jesu Christi a nobis incæptam, et a te prædicatam, portas etiam utriusque Hierusalem nobis aperias, et sepulcrum Domini liberum, atque Christianum nomen super omne nomen exaltatum facias. Si enim ad nos veneris, et viam per te incœptam nobiscum perfeceris, totus mundus tibi obediens erit. Quod ipse te facere faciat, qui vivit et regnat Deus in sæcula sæculorum. Amen. »

CAPUT XVI.

Cum apud Antiochiam per quatuor menses viri nostri cum equis suis, requie et edulio refecti, vires pristinas resumpsissent, qui tot diebus labore fatigati fuerant, pars una exercitus sumpto consilio Syriam adierunt interiorem, desiderantes tramitem Hierosolymitanum amplius dilatare. In quo exercitu Boamundus et Raymundus comes, majores fuerunt. Alii enim principes in partibus Antiochenis adhuc morabantur. Sed ii duo cum gente sua duas urbes, Baram videlicet, et Maram, magnæ probitatis invasione comprehenderunt. Priori quarum citissime capta, et cæde civium prorsus depopulata, raptisque omnibus quæ in ea reperierunt, festini alteram adierunt. Ubi obsidione per viginti dies peracta, famem nimiam pertulit gens nostra. Dicere perhorreo quod plerique nostrum, exasperati famis rabie, absciderunt de natibus Sarraceni jam mortui frustum unum, vel duo. Quo parum assato, manducabant ore diro. Itaque plus obsessores quam obsessi angebantur. Interea machinis factis et tandem muro admotis, magnæ audacitatis assultu, suffragante Deo, per muri fastigium Franci se intromiserunt; qui die illo atque sequenti cunctos Sarracenos a majori usque ad minimum occiderunt, totamque substantiam eorum sibi arripuerunt. Urbe itaque protrita, Boamundus Antiochiam remeavit; de qua tunc homines Raymundi comitis, quos ibi posuit portionis suæ custodes, eliminavit. Quam urbem postea cum tota provincia possedit. Aiebat enim per prolocutionem suam et machinamentum eam traditam fuisse. Comes vero Raymundus, juncto sibi Tancredo incœptum iter tenuit. Sed et Robertus Northmannus, qui die secundo discesserat a Marra urbe quam ceperant, eidem exercitui aggregatus est.

CAPUT XVII.

Anno autem millesimo nonagesimo nono ab Incarnatione Domini, profecti sunt ad castrum Archas dictum, ad radicem Libani situm, quod propter situm loci fortem ad capiendum est difficillimum ab hostibus externis. Ante quod, in tabernaculis hospitati, per quinque fere septimanas astiterunt. Illud oppidum antiquissimum condidit Araceus Chanaan filius, ut legitur. Dux autem Godefridus, et Robertus Flandriæ comes, non multo post exercitum illum subsecuti sunt. Qui antequam illuc pervenissent, Gibellum castrum quoddam nominatissimum obsidione vallaverunt. Sed legatione ab exercitu habita, ut eis festine succurrerent contra Turcos, quos ad bellum exspectabant, confestim Gibellum dimiserunt, et ad negotium mandatum profecti sunt. Ad quos cum pervenissent, cum eis sederunt, sed bellum, quod forte putabant, non habuerunt. In illa tamen obsidione, Ansellus de Ribotimonte, miles strenuus, ictu lapidis interiit. Tunc autem, facto invicem consilio, decreverunt quod, si aliquandiu ibi moram fecerint et castrum illud capere non poterint, detrimentum irrecuperabile cunctis inde eveniet; dicuntque operæ pretium esse ut dimissa obsidione vadant per viam quam commercio expertem noscunt, dum adhuc tempus messionis eos Hierosolymam ituros exspectat, et dum iverint, de messe undique a Domino sibi præparata vivant, et tali stipendio adjuti, ad locum desideratissimum, Domino ducente, perveniant. Sic laudatum est, et factum est. Tentoriis tunc collectis, iter agentes, transierunt urbem Tripolim; qua transita juxta Gibellum castrum meaverunt. Aprilis erat mensis, et jam de messibus vivebant. Ultra deinde progressi haud longe ab urbe Beruto transientes, invenerunt post eam urbem aliam, quam legimus Sidonem vocabulo dictam, in terra Phenîciæ, quam condidit Sidon filius Chanaan, a quo Sidones; exinde, Sareptam Sidoniæ. Dehinc invenerunt Tyrum civitatem peroptimam, unde fuit Apollonius, de quo legitur (*I Machab*, III, 10). De his etiam duabus evangelista sonat : *In partes Tyri et Sidonis* (*Matth.* XV, 21). Nunc autem regionis incolæ priorem Sagittam, alteram vero Sur nominant. Nam Hebraice Soor dicitur, et est in sorte Nephtalim. Post has transierunt Ptolemaidam, prius Achon dictam; quam quidam errantes Accaron solebant legere : quod nos etiam faciebamus, cum primitus terram Palæstinorum introivimus. Sed Accaron urbs est Philisthæ

nter Azotum et Jamniam, prope Ascalonem. Acon vero, id est Ptolemaida, ab austro habet Carmeli montem, juxta quem transeuntes, ad dexteram reliquerunt oppidum, Caypham dictum, exhinc juxta Doram, vel Pirgul; post hæc, juxta Cæsaream Palæstinæ incessimus, quæ quidem dicebatur et altero nomine Turris Stratonis : in qua Herodes, dictus Agrippa, nepos illius Herodis sub cujus tempore Christus natus est, percussus ab angelo, consumptusque a vermibus, infeliciter exspiravit. Tum quidem a dextera parte reliquerunt maritima, et per urbem, nomine Ramulam, perrexerunt : de qua Sarraceni incolæ jam obfugaverunt, pridie quam illuc Franci pervenissent. Illic annonam multam reperierunt, de qua jumenta sua cuncta oneraverunt, quam usque Hierusalem postea portaverunt.

CAPUT XVIII.

Mora ibi per quatuor dies facta, cum basilicæ Sancti Georgii episcopum præposuissent, et in arcibus homines ad custodiendam urbem locavissent, Hierusalem iter suum prætenderunt. Ipso die usque ad castellum, quod dicitur Emmaus, ambulaverunt. Nocte vero illa centum de militibus nostris calliditate moti, probitate prompti, conscendunt in equos, qui, albescente aurora, prope Hierusalem transeuntes, usque Bethlehem properaverunt; de quibus unus erat Tancredus, alterque Balduinus de Burgo. Quod cum Christiani, qui inibi conversabantur, comperissent, Græci videlicet et Syri, Francos illuc advenisse, gavisi sunt gaudio magno valde. Ignorantes tamen primitus quæ gens essent, rati sunt eos vel Turcos vel Arabes esse. Sed cum aperte eos propius intuerentur, et eos Francos esse non dubitaverunt, statim gaudentes crucibus assumptis et textis, obviam flendo, pie cantando processerunt eis : flendo, quoniam metuebant ne tantillum gentis a multitudine tanta paganorum, quos in patria sciebant esse, facillime occiderentur; cantando, quoniam de illis congratulabantur quos diu desideraverant venturos, quosque Christianismum, a nefandis tandiu pessundatum, in resumptum honorem relevare sentiebant. Facta autem statim in basilica beatæ Mariæ supplicatione ad Deum devota, cum locum ubi Christus fuit natus visitassent, dato Syris osculo pacis jocundo, ad urbem sanctam celeriter sunt regressi. Ecce subsequens exercitus noster civitati tunc appropinquavit, relicta Gabaon a sinistra parte, quæ ab Hierusalem quinquaginta distat stadiis. Cumque præcursores signa elevata civibus monstrassent, protinus contra eos interni hostes exierunt. Sed qui sic festini exierant, festinantius in urbem mox repulsi, recesserunt :

Septenas Junii Idus dabat annuus usus,
Lucis septenæ jam Junius igne calebat,
Hierusalem Franci cum vallant obsidione.

Est quidem civitas ipsa in montano loco sita, rivis, silvis, fontibusque carens, excepto fonte Siloe, ubi sufficienter aqua interdum habetur, interdum vero raro hauritur. Qui fonticulus in vallis fundo, sub A monte Sion subter decursionem torrentis Cedron, qui tempore hiemali per vallem Josaphat fluere solet. Cisternæ autem multæ, et aquis satis abundantes in urbe habentur; quæ si bene procuratæ fuerint, omnibus inhabitantibus, tam hominibus quam jumentis, omni tempore indeficienter haustum præbent, hibernis imbribus reservatis. Constatque civitas condecenti magnitudine per circuitum composita, ita ut nec parvitate nec amplitudine fastidiosa cuiquam videatur. Habet quidem ab occasu solis turrim Davidicam, utroque latere murum civitatis supplentem, quæ usque ad medietatem sui a parte inferiori solide massata est, et de lapidibus cæmentata quadratis, et plumbo fusili sigillatis. Quæ si cibariis munita B fuerit, si tantum viginti vel quindecim homines defensores inerint, nunquam per vim ab exercitu quovis comprehenderetur. Et est in eadem urbe templum Dominicum, rotundum, compositum in eodem loco quo Salomon alterum prius instituit mirificum; quod quamvis illi priori schemati nullatenus sit comparandum, istud tamen opere mirabili et forma speciosissima factum est. In cujus medio est rupis nativa et ingens, de qua deturpatur satis et impeditur ipsum templum. Nescio quare ab æterno permittitur locum occupare, quin prorsus exciditur. Sed dicunt illum esse locum, ubi stetit angelus percutiens, cui David intulit pavidus nimis : *Ego quidem sum qui peccavi; isti, qui oves sunt, quid fecerunt?* (*II Reg.* xxiv, 17.) Aiuntque in ipsa rupe C arcam fœderis Domini esse, cum virga, et tabulis testamenti, bene sigillatam, eo quod Josias rex Juda poni jussit eam in sanctuario templi, dicens: *Nequaquam portabitis eam* de loco isto (*II Par.* xxxv, 3). Prævidebat enim futuram captivitatem. Sed illud, quod in descriptionibus Jeremiæ legimus, obest, quod ipse Jeremias eam in Arabia occultaverat, dicens quod non invenienda esset, donec gentes multæ congregarentur (*Jer.* iii, 17). Ipse enim contemporaneus hujus regis Josiæ fuit; tamen vivendi finem fecit, antequam Jeremias obiret. Non credimus igitur arcam in templo esse. Non valeo nec audeo recitare res tam sanctissimas, quæ inibi habentur, ne in aliquo auditores fallam. Sed, secundum dicta quorumdam, in honorem et amorem Dei, hæc tantilla in memoriam collegi. Hæc est pro certo domus D Dei, de qua scriptum est : Bene fundata est supra firmam petram (*Matth.* vii, 25). In qua cum Salomon devote Deo precem suam funderet, et ut oculi ejus die ac nocte super eam aperti essent, et qui ad sanctuarium illud oraret recto corde, ab eo exaudiretur, concessit ei Dominus, respondens prout ab eo postulaverat. Hanc domum, hoc est Domini templum, in veneratione magna cuncti Sarraceni habuerant, donec eis illud abstulimus, ibique prædicationes suas libentius quam alibi facere solebant, quamvis idolo, in nomine Mahummeth facto, eas vastarent, in quod etiam nullum ingredi Christianum permittebant. Alterum vero templum Salomonis dictum, magnum est, et mirabile; sed non est

illud idem quod ipse Salomon fabricavit. Quod nunc satis dolendum est, eo quod inopia pressi, non potuimus tecti ejus structuram reformare, postquam in manus Balduini regis et nostras devenit. Sed ipse etiam plumbum negotiatoribus vendebat, cum vel de tecto aliquando decidebat, vel deorsum dirui præcipiebat. Inest insuper basilica decens super Dominicum sepulcrum rotunditate facta, cujus rotunditatis summitas ita artificiose tegmine caret ut foramine illo solis splendori patula clara semper habeatur. Non desunt etiam civitati per omnes vicos aquæ ductus, per quos imbrium tempore omnes immunditiæ diluuntur. Hanc etiam urbem Helius imperator Adrianus mirifice decoravit, et vicos et plateas pavimento decenter ornavit, de cujus nomine Hierusalem Helia vocata est. Ex iis et cæteris multis, civitas ipsa venerabilis est et gloriosa. Quam cum aspicerent Franci, et viderent eam ad capiendum gravem, jussum est a principibus nostris scalas ligneas fieri; quibus muro postea erectis, cum assultu forti per eas in summum muri scandentes, urbem forsitan juvante Deo ingrederentur. Quod cum fecissent, sequenti die septimo, monitu procerum, buccinis sonantibus, mane claro, impetu miro civitatem undique assilierunt. Et cum usque ad horam diei sextam assiliissent, et per scalas, quas fixerant, eo quod paucæ erant, introire nequissent, assultum tristes dimiserunt. Tunc autem sumpto consilio, jussum est ab artificibus machinas fieri, cum quibus muro admotis, auxiliante Deo, spei effectum adipiscerentur. Et sic factum est. Interea nec panis nec carnis inopiam passi sunt. Sed quia locus, ut superius dictum est, inaquosus et sine fluminibus est, viri nostri propterea et jumenta eorum indigebant aqua vehementer ad potandum. Quapropter, prout monebat necessitas, longe aquam quæritabant, et a quatuor milliariis vel quinque laboriose ad obsidionem in utribus suis apportabant. Machinis autem patratis, arietibus scilicet et scophris, ad assiliendum item se paraverunt. Inter artificia vero cætera, unam turrim de lignis exiguis, quia magna materies illis deerat, compegerunt; quam noctu, edicto proinde facto, ad cornu civitatis opportunius frustratim portaverunt. Et sic mane ipso cum petrarias et cætera adminicula paravissent, citissime haud longe a muro compactam erexerunt. Quam erectam, et de coriis deforis bene contextam, paulatim promovendam muro propius impegerunt. Tum vero rari milites, tamen audaces, monente cornu, ascenderunt in eam, de qua statim lapides et sagittas jacere cœperunt. Contra quos similiter Sarraceni defendendo se agebant, et ignem cum oleo et adipe vividum faculis aptatis dictæ turri, et militibus qui erant in ea, fundibulis suis jaculabantur. Multis igitur utrorumque invicem sic certantium mors sæpe aderat præsens. Ea quidem in parte qua Raymundus comes et homines sui assistebant, scilicet in montem Sion, cum machinis suis magnum assultum dabant. Ex altera vero parte, qua dux Godefridus erat, et Robertus Northmanniæ comes, et Flandrensis Robertus, major erat muro assultus. Illo die sic fecerunt. Sequenti quoque die, laborem eumdem facto buccinarum concentu, virilius inierunt, ita ut cum arietibus pulsando murum in uno loco perforarent. Pendebant nempe ante muri propugnacula duo assera funibus illic alligata, quæ Sarraceni sibi præparaverant, ut irruentibus et lapides in eos jactantibus obstaculum fierent. Sed quod pro incremento sibi fecerant, idem ad detrimentum suum, Domino providente, acceperunt. Nam turri præfata muro admota, rudentibusque, quibus ligna pendebant prædicta, fasciculis sectis, de eisdem tignis unum pontem Franci tunc sibi coaptaverunt, quem de turri super murum callide extensum jactaverunt. Jamjamque ardebat arx una in muro lapidea super quam machinatores nostri torres igneos injecerant : unde foco paulatim intra materiem lignorum nutrito, fumus flammaque sic prodire cœpit ut nec unus custodum civium ibi ulterius morari posset. Mox itaque Francis hora meridiana urbem intrantibus, die quæ Veneris habebatur, cornibus sonantibus, cunctis tumultuantibus, viriliter impetentibus, ADJUVA DEUS exclamantibus, vexillo uno in muri fastigio jam sublevato, pagani omnino pudefacti, per vicorum civitatis angiportus, audaciam suam in fugam celerem mutaverunt omnes. Qui cum velociter fugerent, velocius fugati sunt. Hoc Raymundus comes ex altera parte assiliens, nondum sciebat, nec homines ejus, donec Sarracenos per muri apicem ante eos prosilire viderunt. Quo viso, ad urbem lætissimi quantocius accurrerunt, et cum cæteris hostes nefarios fugare et occidere cœperunt. Tum quidem alii Sarracenorum, tam Arabes quam Æthiopes, in arcem Davidicam fugiendo se intromiserunt; alii vero in templum Domini atque Salomonis se incluserunt. In quorum atriis templorum impetus in eos agebatur nimius; locus etiam nusquam erat, quo gladiatores nostros evadere possent. Supra Salomonis templum, quod fugiendo ascenderant, multi ex eis ad mortem sagittati sunt, et deorsum de tecto insanabiliter præcipitati; in quo etiam templo, decem ferme millia decollati sunt. Quod si inibi essetis, pedes nostri usque ad bases cruore peremptorum tinguerentur. Quid narrabo? Nullus ex eis vitæ est reservatus. Sed nec feminis nec parvulis pepercerunt. Mirabile quoddam videretis, cum scutigeri nostri atque pedites pauperiores, calliditate Sarracenorum comperta, ventres eorum jam occisorum findebant, ut de intestinis bysantios excerperent, quos vivi faucibus transglutiverant. Quapropter post dies aliquot acervo magno facto de cadaveribus, ea igni combusserunt, ut æs illud prædictum in cinere facto facilius reperirent. Tancredus autem templum Domini cum festino cursu ingressus, multa aurea et argentea (quod erat nefas rapiendum), lapides etiam pretiosos arripuit Sed hoc postea emendans, eadem cuncta vel eis appretiata locó sacrosancto remandavit.

Ensibus extractis currit gens nostra per urbem.
Nec cuiquam parcunt etiam miserere precanti.
Vulgus erat stratum veluti cum putrida motis
Poma cadunt ramis, agitataque ilice glandes.

Et post stragem tantam ingressi sunt domos, et ceperunt quæcunque in eis invenerunt, ita sane, ut quicunque primus domum intrasset, sive pauper sive dives esset, nullatenus ab aliquo alio fieret illi injuria, quin domum ipsam aut palatium, et quodcunque in ea reperisset, ac si omnino propria, sibi assumeret et possideret. Hoc itaque jus tenendum invicem stabilierant. Unde multi inopes facti sunt locupletes. Tunc autem ad sepulcrum Domini, et templum ejus gloriosum euntes, clerici simul et laici exsultationis voce altisona canticum novum Domino decantando, loca sacrosancta tam diu desiderata, cum oblationibus faciendis supplicationibusque humillimis, Lætabundi omnes visitaverunt. O tempus tam desideratum ! o tempus inter cætera tempora memorandum ! o factum factis omnibus anteferendum ! Vere desideratum, quoniam ab omnibus fidei catholicæ cultoribus interno mentis desiderio semper desideratum fuerat, ut locus in quo cunctarum creaturarum Creator recreationis salutiferæ munus, Deus homo factus, humano generi pietate sua multiplici, nascendo, moriendo, resurgendoque contulit, a paganorum contagione inhabitantium quandoque mundatus, tandiu superstitione eorum contaminatus, a credentibus et confidentibus in se, in modum dignitatis suæ pristinum reformaretur. Et vere memoriale, et jure memorandum, quia quæcunque Dominus noster Jesus Christus, in terra homo cum hominibus conversans, egit et docuit, ad memoriam famosissimam revocata et reducta sunt. Et quod idem Dominus per hunc populum suum tam, ut opinor, dilectum alumnum familiaremque, et ad hoc negotium prælectum, expleri voluit, usque in finem sæculi memoriale, linguis tribuum universarum personabit.

Julius effervens ter quina luce calebat
Undecies centum numero si dempseris unum,
Dicebant annos Domini tunc esse peractos,
Cum nos Hierusalem, gens Gallica, cepimus urbem.
Ter quina Julius splendebat luce micanti,
Urbem cum Franci capiunt virtute potenti,
Anno milleno centeno, quominus uno,
Virginis a partu, genuit quæ cuncta regentem.

Idus erat Julii, anno ab obitu Caroli Magni ducentesimo et octuagesimo quinto, et morte Guillelmi Angliæ regis primi anno duodecimo. Quippe Godefrido patriæ mox principe facto, quem ob nobilitatis excellentiam, et militiæ probitatem, atque patientiæ modestiam, nec non et morum elegantiam, in urbe sancta regni principem omnis populus Dominici exercitus ad illud conservandum atque regendum elegit. Tunc etiam locati sunt in ecclesia Dominici sepulcri canonici, atque in templo ejusdem ipsi servituri. Patriarcham autem tunc decreverunt nondum ibi fieri, donec a Romano papa quæsissent quem ipse laudaret præfici. Interea Turci et Arabes, nigri quoque Æthiopes quingenti fere, qui in arcem Davidicam se intromiserant, petierunt a Raymundo comite, qui prope turrim illam hospitatus erat, ut pecunia eorum in arce ipsa retenta, vivos tantum eos abire permitteret. Hoc concessit, et hinc Ascalonem adierunt. Placuit tunc Deo, quod inventa est particula una crucis Dominicæ in loco secreto, jam ab antiquo tempore a viris religiosis occultata; nunc autem a quodam homine Syro, Deo volente, revelata. Quam cum patre suo inde conscio diligenter ibi et absconderat, et conservarat. Quam quidem particulam in modum crucis reformatam, aurea partim et argentea fabrica contectam, ad Dominicum sepulcrum, dehinc etiam ad templum, congratulanter psallendo, et gratias Deo agendo, qui per tot dies hunc thesaurum suum et nostrum sibi et nobis servaverat, omnes una in sublime propalatam detulerunt.

CAPUT XIX.

(1) Rex autem Babylonis, et dux militiæ ejus, nomine Lavendalius, cum audissent quod Franci jam circa sibi subdendo Babylonico regno appropinquassent, congregata multitudine sub edicto de Turcis et Arabibus Æthiopibusque, contra eos ire prælium festinaverunt. Et cum iterum per internuntios audissent, Hierusalem tam ferociter jam fuisse captam, indignatus dux ille prædictus Babylonius, festinavit ut vel prælium cum ipsis committeret, vel eosdem in eadem urbe inclusos obsideret. Quod cum Francis nuntiaretur, assumpto magnæ audaciæ consilio, versus Ascalonem contra tyrannos illos acies suas direxerunt, portantes secum lignum salutiferæ crucis jam superius memoratum. Cumque die quodam non longe ab Ascalone circumvagantes Franci prælium exspectarent, invenerunt illic non minimam prædam de bobus et camelis, ovibus et capris. Quam carram cum juxta tentoria sole ruente congregassent, jusserunt sub edicto principes nostri, nunquam in crastino, quo bellum fore putabant, secum minari, ut ab omni sarcina expediti, ad præliandum essent prompti. Mane autem facto, speculatoribus præmissis paganos accedere didicerunt. Quo scito, mox tribuni et centuriones per alas et cuneos gente sua constituta, prælium agendum prudentissime ordinaverunt, et contra hostes vexillis leva tis audaciter processerunt. Videretis prædictam prædam tanquam monitu ducentium a dextera et læva parte acierum gressum suum recte agere, licet a nemine minaretur, ita ut multi paganorum eam a longe cum militibus nostris euntem spectantes, totum æstimarent exercitum esse Francorum. Illi autem populus innumerus cum ad cuneos nostros appropinquassent, tanquam cervus ramos cornuum prætendens, cuneo suo anteriori facto bifurco, distensione Arabum præcurrentium explicata, machinati sunt accingere postremos, ubi dux Godefridus sub-

(1) Quæ abhinc sequuntur, ex ms. codicis fide emendata sunt, et correcta.

sequenter cum agmine denso militum armatorum remigando posteritatem sollicitabat. Cæteri enim proceres alii in prima, alii in secunda acie præibant. Sed cum ab utraque parte hostes hostibus, quantum jactus est lapidis, vel paulo plus, appropinquassent, illico pedites nostri sagittas in illos distendentes jecerunt. Congruentissime mox secutæ sunt sagittas lanceæ, dum equites nostri, tanquam jurejurando omnes invicem confirmassent, impetu vehementi irruerunt in eos, et quorum quadrupedes cursu tunc non fuerunt celeres, continuo neci submersi sunt supra sessores, ubi parvæ horæ spatio multa corpora palluerunt exanimata. Tunc multi eorum mortem metuentes, ascendebant arborum cacumina; qui tamen inibi sagittati, et morti læsi, ad terram infeliciter corruebant, incursu in eos penetrabili facto undique Sarraceni pertimebant. Tentoriis transactis, usque ad Ascalonis mœnia qui evaserunt, fugati sunt. Quæ civitas septingentis et viginti stadiorum spatiis ab Hierosolyma distat. In prima quidem acie dux eorum Lavendalius, licet antea Francos vilipendisset, non lente fugiens dorsum vertit; quibus tabernaculum suum cum cæteris extensum, et pecunia munitum, invitus reliquit. Quorsum Franci regressi, victoria jocundi, Domino grates dando sunt regregati. Tunc ingressi sunt tabernacula eorum, et invenerunt in eis gazas multas, aurum, argentum, pallia, induvias, lapides pretiosos, qui duodeni sic nominantur: Jaspis, sapphirus, chalcedonius, smaragdus, sardonyx, sardius, chrisolythus, beryllus, topazius, chrisoprassus, hyacinthus, amethystus. Repererunt etiam vasa et utensilia multiformia; galeros auratos, annulos optimos, enses mirabiles, annonam, farinam, cæteraque multa. Ea vero nocte illic hospitati sunt, et pervigiles bene se conservaverunt. Nam die sequenti putabant bellum a Sarracenis reiterari, qui tamen timore valde perterriti nocte ipsa omnes aufugerunt. Quo mane per exploratores comperto, vocibus laudifluis Deum benedixerunt et glorificaverunt, qui tot millia perfidorum raro exercitu Christianorum dissipari permisit. *Benedictus* ergo Deus, *qui non dedit nos in captionem dentibus eorum* (*Psal.* CXXIII, 6). *Beata* enim *gens, cujus* est *Dominus Deus ejus* (*Psal.* XXXII, 12). Nonne minati fuerant ipsi Babylonii, dicentes: « Eamus, et capiamus Hierusalem cum Francis in ea clausis? Quibus omnibus interemptis, eradamus illud sepulcrum tam sibi pretiosum, et lapides ipsius ædificii extra urbem ejectos; nec mentio ulterius umquam inde fiet. » Sed Deo miserante, hoc in nihilum reversa, de pecunia etiam illorum oneraverunt Franci equos eorumdem et camelos. Qui cum tentoria, et tot jacula in campis jacentia, arcusque et sagittas ad urbem sanctam deferre non possent, hæc cuncta incendio commiserunt; deinde Hierusalem gaudenter redierunt.

CAPUT XX.

De reversione principum ad patriam.

His gestis, placuit quibusdam in patriam nationis suæ reverti. Et cum in Jordane flumine indilate loti fuissent, et palmarum ramos apud Jericho in horto Abrahæ dicto collegissent, Robertus Northmannorum comes, Robertus comes Flandriæ, Constantinopolim navigio appetierunt, deinde Franciam ad propria remeaverunt. Raymundus vero usque Laodiciam Syriæ regressus est, et in Constantinopolim relicta uxore, in Laodicia rediturus. Dux autem Godefridus retento sibi Tancredo, et aliis pluribus, principatum Hierosolymitanum rexit, quem consensu omnium susceperat obtinendum.

CAPUT XXI.

De Boamundo et Balduino, et eorum peregrinatione.

Cum autem audisset domnus Boamundus, qui Antiochiæ tunc principabatur, vir prudens et strenuus, et domnus Balduinus præfati Godefridi frater, qui similiter Edessæ civitatis, patriæque affinis trans fluvium Euphratem dominabatur, Hierusalem ab illis qui præiverant collegis suis captam fuisse, lætissimi effecti Deo laudes exsolverunt inde supplices. Quod si illi, qui festinatione itineris præcesserant eos, bene et utiliter operati fuissent, quamvis eos tardius subsecuturi essent hi duo cum suis, participes tamen ejusdem fore bravii non est dubitandum. Erat enim necesse ut terra et civitates cum tanto labore jam Turcis ablatæ solerter custodirentur, ne forte terra incaute derelicta, si cuncti Hierusalem tunc abissent, recursu repentino a Turcis usque Persidam jam repulsis resumeretur. Unde damnum Francis non minimum cunctis contingeret evenisse, tam euntibus quam redeuntibus. Forsitan divina providentia distulit eos, plus in peragendis quam in peractis negotiis judicans eos profuturos. O quoties interim ipse Balduinus in Mesopotamiæ finibus præliis contra Turcos factis fatigatus est! quotque capita eorum cæsa illic fuissent, recitari non potest. Sæpe contigit illum cum gente sua pauca contra multitudinem eorum magnam præliari, et, Deo juvante, triumpho lætari. Sed cum per legationes eum Boamundus prænonuisset, ut Hierusalem ambo cum suis iter nondum expletum ituri perficerent, Balduinus illico suas res opportune disponens, se iturum præparavit. Sed tunc audiens Turcos unum cornu patriæ suæ ingressione pervadere, incepto dimisso, cum necdum exercitulum suum congregasset, cum paucis hostes adiit. Qui cum arbitrati essent jam eum iter suum incœpisse, die quadam cum in tabernaculis suis securi essent, viso signo albo, quod bajulabat Balduinus, quantocius pavefacti fugerunt. Quos cum parum cum paucis fugasset, ad id quod prius incœperat rediit. Et ingressus iter, Antiochia dexterata venit Laodiciam, ubi stipendio viatico empto, et clitellis reformatis, abivimus. Mensis November erat. Cumque Gibellum transissemus, Boamundum in tentoriis suis hospitatum ante oppidum quoddam Valenium nominatum assecuti sumus. Erat cum eo archiepiscopus quidam Pisanus, nomine Daibertus, qui cum quibusdam Tuscanis et Italis Laodiciæ portui navigans appli-

cuerat, et Ei nos exspectabant, nobiscum ituri. A 'eratque quidam episcopus de Apulia. Cum domno Balduino erat tertius. Quibus ita amicabiliter gloneratis, æstimati sumus numero esse 25 millia utriusque sexus tam peditum quam equitum. Et cum fines Sarracenorum interiores introissemus, et ab incolis regionis nobis satis infestis nec panem, nec aliquid edulii habere possemus, quia nec erat qui daret, vel qui venderet, stipendio quidem nostro magis magisque consumpto, contigit multos fame anxiari. Equi quoque et jumenta, deficiente annona dolore geminato nimis angebantur : ibant, nec manducabant. Tunc autem erant in ipsis agris cultis, per quos euntes transibamus, messes quædam, quas vulgus vocat *Cannamelles*, arundinibus fere similes, a canna et melle nomen compositum. Unde et mel B silvestre, ut puto, dicitur, quod de his sapienter conficitur. Has quidem famelici propter mellitum saporem tota die dentibus nostris ruminabamus, parum tamen proficiendo. Utique pro amore Dei hæc et alia multa, famem scilicet, et frigora, et pluvias nimias sustinebamus. Plerique etiam equos, asinos camelosque, panis egentes manducabant. Insuper algore nimio, et imbrium affluentia sæpissime torquebamur, nec erat tantum solis æstus, quo pannos nostros madefactos exsiccare possemus, cum imbrium continuatio vel per quatuor vel per quinque dies nos vexaret. Vidi tunc plures tabernaculis carentes imbrium algore exstingui. Ego Fulcherius Carnotensis, qui his intereram, vidi quadam die C plures utriusque sexus, bestiasque quamplurimas hac pluvia mori algidissima. Longum est recitandum, et audiendi forsan tædium, quia nulla anxietas, nullus dolor defuit populo Dei. Sæpe a Sarracenis in via insidiantibus circa meatus arctos plures occidebantur, aut cum raptum irent pro victualibus quærendis. Videretis milites nobiles, equis quoquomodo amissis, pedites effici. Videretis jumentis deficientibus capras Sarracenis ablatas, vervecesque superpositis sarcinis valde fatigari, et dorsa eorum mole illius sarcinæ corrumpi. Bis in hac via, non amplius, panem et annonam commercio carissimo, scilicet a Tripolitanis et Cæsariensibus habuimus. Patet ergo quia poterit vix quis magnum aliquod nisi cum magno labore acquirere. Magnum quidem D fuit, cum usque Hierusalem pervenissemus. Qua visitata, consummatus est labor diuturnus. Cumque sanctorum Sancta desiderantissima inspiceremus, ingenti gaudio repleti sumus. O quoties ad memoriam reducebamus illam Davidicam prophetiam qua dicit : *Adorabimus in loco, ubi steterant pedes ejus!* (*Psal.* CXXXI, 7.) Quod nimirum in nobis tunc impleri vidimus, quamvis aliis multis similiter pertineat : *Illuc* quidem ascendimus *tribus Domini, ad confitendum nomini* sancto ejus (*Psal.* CXXI, 4). Die illo quo Hierusalem tunc introivimus, sol retrogradus descensu hiemali peracto, recursum resumpsit ascensibilem. Cumque sepulcrum Dominicum, atque templum ejus gloriosum, et cætera loca sancta visitasA semus, die quarto Bethlehem adivimus, ut nocte ipsa Dominicæ Nativitatis revolutionem celebraturi annuam, præsepio, ubi Jesum Maria venerabilis mater reclinavit, præsentialiter pervigiles in orationibus assisteremus. Quo in noctem cum obsequio condecenti expleto, hora diei tertia, missa quoque tertia celebrata, Hierusalem remeavimus. O quantus tunc erat fetor circa muros civitatis, intus et extra, de cadaveribus Sarracenorum adhuc ibi marcentium, quos urbe capta collegæ nostri trucidaverunt, ubicunque eos assecuti fuerant. Cum autem et nos et jumenta nostra quiete necessaria aliquantisper vegetati essemus, et patriarcham in ecclesia sancti sepulcri tam dux quam cæteri optimates præfecissent, scilicet domnum Daibertum superius memoratum, redintegrato stipendio, et jumentis nostris oneratis, regredientes descendimus ad flumen Jordanicum. Tunc placuit quibusdam de exercitu posteriore in Hierusalem remanere, et quibusdam de priore nobiscum remeare. Dux autem, sicut prius, terram Hierosolymitanam strenue rexit :

Idibus in ternis Augusti tunc satis ægris
Corruit Urbanus præsul Romæ venerandus.

CAPUT XXII.

De reversione Boamundi, et comitis Balduini ad propria.

Anno ab Incarnatione Dominica 1100 die anni prima, in Jericho ramis palmarum cæsis, ad deferendum, ut mos est, omnes assumpsimus, et secunda die iter remeabile cepimus. Placuit principibus nostris per urbem Tiberiadem juxta mare transire. Quod mare de dulci aqua congregatum duodeviginti millibus passuum, et quinque in latum, vel juxta Josephum 40 stadiis in latitudine, et centum in longitudine. Deinde per Cæsaream Philippi, quæ Paneas lingua Syriaca dicitur, ad Libani montis radicem sitam, ubi duo fontes emergunt, unde Jordanis fluvius exoritur; qui postea mare Galileæ secans, in mare Mortuum se ingerit. Hic autem lacus Genesar dictus, 40 stadiis in longitudine, centumque in latitudine, juxta Josephum. Quod flumen deinde per alveum unum percurrens, ingerit se in mare quod Mortuum dicitur, eo quod nihil gignat vivum. Qui lacus Asphaltites dictus sine fundo esse creditur in abyssum; ibi subversis civitatibus, Sodoma scilicet et Gomorrha. Ego autem callidius de fontibus his conjectabam, imitans beatum Hieronymum, quem legi, in Expositione ejus super Amos prophetam, quod Dan in terminis terræ Judaicæ sit, ubi nunc est Paneas, et quia tribus Dan illic ædificavit civitatem, quam nomine patris sui vocaverunt Dan. Hac de causa sentio, fontem illum vocari Dan, et alterum Jor, qui huic adjungitur. Venimus autem ad urbem fortissimam, quam Balac nuncupant, a Salomone conditam, muris eminentibus circumtectam, et Thadomor ab eo appellatam, duorum dierum itinere a Syria distantem, et a maxima Babylonia sex mansionibus procul distantem, ab Euphrate vero dici unius Hanc Græci Palmyram

vocant. Illo in loco fontes et putei nimis abundant. Nam inferiori terra nusquam aqua invenitur. Ubi Turci Damasceni nobis obvii venerunt 400 ferme milites. Et quia didicerant nos esse inermes, et laboris causa valde fessos, arbitrati sunt nos quoquomodo debilitare. Quod si forte postremos die illo domnus Balduinus sollicite et caute non conservaret, multos de nostris occiderent. Inundatione enim pluviarum et arcus et sagittæ defecerant eis, quia cum glutine in locis illis adaptantur. Boamundus quippe in primo cuneo præibat. Itaque Deo auxiliante nihil apud nos lucrati sunt. Tunc castra nostra metati sumus ante oppidum prædictum. Sequenti vero die plus mari appropiantes, ante urbem Tortosam, et Laodiciam transivimus. Ibi quoque Raymundum comitem reperimus, quem illic reliqueramus. Et quia cara erat annona, nihil ibi ad emendum invenimus, unde vivere possemus. Quapropter usque Edessam properare non cessavimus.

CAPUT XXIII.

De captione Boamundi.

Boamundus igitur Antiochiam primitus advenit, ubi a suis gaudenter est susceptus. Deinceps regnum suum per sex menses ut prius obtinuit. Sed cum Julio mense sequente urbem Meletiam vocatam cum pauca gente appeteret, quam ei qui urbis ejusdem patronus erat, Gabriel nomine, redditurus erat, jam per legationes amicitiæ mutuæ conventione facta, obvius illi fuit admiraldus quidam nomine Danisman, cum gente Turcorum magna, moliens Boamundum sic imprudenter ambulantem intercipere. Et non longe ab urbe præfata insiluerunt in eum undique gens illa nefaria, quæ in insidiis latitabat. Et non audentes nostri præliari, quia pauci erant, statim fugientes in dispersionem fugati sunt; de quibus Turci multos occiderunt, et pecuniam eorum totam habuerunt. Boamundum vero comprehensum in captionem secum adduxerunt. Cumque hoc infortunium ab illis qui evaserant divulgaretur, orta est genti nostræ grandis inde desolatio. Verumtamen dux urbis Edessæ Balduinus, congregatis Francis quotcunque potuit, Edessenis scilicet et Antiochenis, hostes prædictos ubi eos esse audivit quærere non distulit. Boamundus etiam, cincinno capitis sui abscisso, mandavit hoc intersigno Balduino prædicto, ut ei citato auxilio pro amore Dei succurreret. Quod cum audisset Danisman, metuens horum animositatem, non est ausus ulterius ante urbem Meletinam morari, quam obsidione cinxerat; sed paulatim ante nos fugiendo, ad propria sua remeare curavit. Unde multum doluimus, cum per tres dies illos ultra urbem prædictam persecuti sumus, qui libentissime contra eos dimicassemus. Cumque sic regrederemur, prædictus Gabriel urbem Meletinam Balduino reddidit. Quibus amicis effectis, et custodibus suis intromissis, Edessam urbem Balduinus rediit, et Antiocheni mœsti de domino suo ad propria regressi sunt.

CAPUT XXIV.

De morte regis Godefridi.

Cum autem ipse Balduinus frueretur sua prosperitate, ecce nuntius veniens ab Hierosolymis, intulit ei quia dux Godefridus germanus ejus XV Kal. Augusti diem clauserat apud Hierosolymam.

Ad caput hoc anni post captam contigit urbem,
Ad meriti cumulum Dominus tibi, dux Godefride,
Contigit hoc regnum. Sed tempore non diuturno
Tu perfunctus eo, natura dante ruisti.
Orto sole semel sub fervescente Leone,
Æthera scandisti lætans, Michaele levante.

INCIPIT LIBER SECUNDUS

DE GESTIS BALDUINI PRIMI

CAPUT PRIMUM.

Qualiter Balduinus ad regendum Hierosolymam perrexit.

Cum igitur intimatum esset domno Balduino quod omnis populus Hierosolymitanus eum in regni principem substituendum hæredem exspectarent, dolens aliquantulum de fratris morte, sed plus gaudens de hæreditate, accepto consilio, terram suam, quam possidebat, locavit, cuidam Balduino comiti cognato suo eam committens. Et colligens exercitulum suum ducentis fere militibus, et septingentis peditibus, iter Hierosolymitanum VI Non. Octobris incœpit. Nonnulli mirabantur, quod cum gente tam pauca erat ausus per tot hostium regiones incedere. Nam plerique propterea pavidi et timidi de collegio nostro latenter recesserunt, nobis nescientibus. Cum autem comperissent Turci atque Sarraceni nos ita iter agere, congregatis omnibus suis quotcunque potuerunt, ubi magis nobis officere arbitrati sunt, obviam armati venerunt. Tum quidem per Antiochiam ivimus, dehinc ante Laodiciam, et Gibellum, Maracleam, et Tortosam, Archas, et Tripolim perrexinus. Tunc rex Tripolitanus legavit domno Balduino ad tentorium suum panes, vinum, mel sylvestre, id est chuerum, vervecesque ad edendum. Et mandando innotuit illi quod Duchat rex Damascenorum, et Ginahadoles rex Calypti cum Turcis multis et Sarracenis, Arabibusque, in via, per quam nos ituros sciebant, congregati exspectabant. Quod licet non omnino certum esse crederemus, postmodum verum esse persensimus.

CAPUT II.

De insidiis Turcorum in via prætensis, et mirabili probitate Balduini comitis.

Erat quippe non longe a Beritho urbe, sed quasi milliariis quinque distans juxta mare in via publica

meatus arctissimus, nobis et omnibus illac transeuntibus penitus inevitabilis; quem si hostes præmuniti viantibus prohibere voluerint, nullatenus centum millia militum transire potuerunt, quin centum aut sexaginta viri armati introitum illum violenter contra illos obtineant exspectantes. Ideo inimici nostri illic undique intercipere et occidere nos arbitrabantur. Nos autem illuc usque pervenimus. Cumque præcursores nostri prædicto meatui appropinquassent, viderunt aliquantos de Turcis illis segregatos ab aliis, contra procedentes, et non explorantes. Quos cum speculatores nostri perspexissent, rati sunt majorem gentem post illos insidiando latere. Quo! sicut viderant domno Balduino per unum eorum statim innotuerunt. Quo audito, militiam suam per acies divisam competenter tunc ordinavit ad præliandum. Et signis levatis, paulatim adversus eos progressi sumus. Qui cum bellum mox fore putaremus, cordibus compuncti puris, auxilium de cœlo affore precabamur ad eos accedentes. Continuo autem primo cuneo nostro congressi sunt illi, de quibus aliquanti confestim occisi sunt; de nostris vero quatuor milites vitam amiserunt. Cumque certamen illud utrinque dimisissent, sumpto consilio jussum est castra nostra deponi, et ad hospitandum extendi ubi prius accesseramus; hostibus ne videremur quasi timidi, si locum ceu refugi relinqueremus. Sed aliud monstravimus, aliud vero cogitavimus. Audaciam finximus, sed mortem metuimus. Difficile remeare, sed difficilius ante ire. A nostris hostibus undique obsidebamur. Hinc isti marinis lintribus, hinc illi a celsis montibus indesinenter nos urgebant. Die illo nihil boni, nihil quieti habuimus, nec jumenta nostra, quamvis sitibunda, adaquata sunt. Ego quidem vel Carnoti, vel Aurelianis mallem esse, alii quoque. Nocte ipsa tota extra papiliones nostros pervigiles languimus. Diluculo autem summo dum aurora terris umbras dimovere cœpisset, sumpto ad invicem consilio, vel viveremus, vel moreremur; tentoriis collectis regredi per viam quam iveramus elegimus, jumentis nostris de rebus onustis præeuntibus, clientibusque minantibus. Milites enim subsequentes defendebant hæc a Sarracenis irruentibus. Nam cum illi nefandi viderent nos ita summo mane reverti, confestim descenderunt ad persequendum nos tanquam fugitivos. Alii per mare cum carinis, alii vero post nos per viam qua ibamus, alii per montes et colles tam equites quam pedites per angiportum sicut oves ad ovile ante se nos minabant, ut exclusos a planitie quadam, quæ ibi est in exitu angustissimo inter salum et montem, ad interimendum nos facile interciperent. Sed non sicut rebantur contigit. Viri enim nostri statuerunt inter se, dicentes : « Si in planitie illa patula nos persequentes poterimus intercipere illos, forsitan Deo juvante contra illos revertentes, et bene pugnantes, eruemur ab illis. » Jamjam autem e navibus exsiliebant, jam vi captos prope mare pergentes decollabant; jamque in planitiem prædictam post nos descenderant, et sagittas multas jaciebant. Undique adversum nos vociferantes, et tanquam canes vel lupi ululantes, et enses suos vibrantes, conviciabantur nobis. Sed quid narrabo? Nec erat uspiam locus fugæ, nec remanentibus spes salutis. Nec saperet Salomon, nec posset vincere Samson. Sed magnæ Deus potentiæ atque clementiæ prospiciens de cœlo in terram, humilitatem nostram atque angustiam, nec non periculum, quod incideramus propter amorem ejus atque servitium, motus pietate, qua rite semper præsens suis subvenit, tantæ probitatis audaciam militibus nostris præstitit ut recursu repentino fugarent eos fugientes, ut nunquam animum defendendi se haberent. Sed alii de rupibus præruptis celsis in præceps se dederunt, alii vero haud lente ad locum salvationis fugerunt, alii autem consecuti gladiis interempti sunt. Tunc videritis naves eorum celerrime propter timorem fugere per mare, quasi possemus eas manibus capere. Per montes enim et colles cito pede fugiebant. Itaque de tanto trophæo gloriantes, ad clientelam, quæ interim quadrupedia onerata in via custodiebat, lætabundi regressi sumus. Laudes igitur Deo tunc gratissimas exsolvimus, qui in tanta et mæstimabili necessitate adjutor exstitit magnificus. O quam admirabilia Dei facta! o quam magnum miraculum et memoriæ digniter commendandum! Victi eramus et victi vicimus; sed nos non vicimus. Quomodo igitur non vicimus? Vicit enim ille qui solus omnipotens est Creator omnium, creaturæ suæ pie subveniens. Quod si Deus pro nobis, quis contra nos? Vere pro nobis et nobiscum fuit, complens in nobis quod Israeliticis per prophetam dixit : Si præcepta mea servaveritis hoc dono vos ditabo, ut persequantur *quinque de vobis centum alienos, et centum ex vobis decem millia* (*Lev.* XVI, 8). *Et quia in Dei servitio* laborem multimodum die ac nocte tolerabamus, et in nullo alio confidebamus, superbiam eorum magnifice cassavit. Et quia devote et in tribulato corde Domino famulabamur, humilitatem nostram respexit. Tunc autem tabernacula nostra displicari et extendi jussa sunt. Ubi ante domnum Balduinum plures Turci locupletes vivi capti abducti sunt, cum spoliis occisorum, et armis similiter allatis. Equos cum sellis et lupatis auratis habuimus. Nocte autem illa sequenti transacta, mane, prout astutius consultum est, retro secessimus quatuor millium itinere. Ubi cum rapinam præfatam princeps noster divisisset, nocte superveniente in castello quodam depopulato sub olivis in virgultis quievimus. Summo autem mane Balduinus item probitatem suam solitam amplectens, sumptis de militibus suis aliquantis usque ad angustias meatus jam dicti equitavit, scrutaturus si adhuc inibi Sarraceni essent, qui nobis viam ante vetuerant. Qui cum nullum invenisset, quoniam, audita dispersione facta, omnes aufugerant, laudes dedit Deo, et statim in cacumine ejusdem montis ascendi pro signo ignem fecit, ut qui in castris nostris remanseramus, viso fumo illo promptius illos

sequeremur qui sic præiverant. Quo viso, Deum laudantes, celeriter secuti sumus eos, et viam nostram invenimus liberam, et desideratum transivimus iter. Die quidem illo prope urbem Beritum hospitati sumus. Quo comperto, admiraldus ejusdem urbis plus causa timoris quam amoris victuale diurnum scafarum gestu domno Balduino misit. Similiter de civitatibus aliis, ante quas transivimus, fecerunt, scilicet Sidonem, et Tyrum, atque Achon, hoc est Ptolemaidam, fingentes amicitiam, sed cor habentes nequam. Jam possidebat oppidum Caypham dictum Tancredus, quod ipso anno jam viri Hierosolymitæ comprehenderant. Et quia Tancredus Balduino tunc malevolus erat, non illud introivimus. Ipse vero tunc ibi non erat, sed cives ejus panem et vinum nobis extra vendiderunt. Illi enim nos tanquam fratres habuerunt, et videre nos desideraverunt. Transeuntes autem Cæsaream, et Arsuth castrum, quod nos tunc ignari Azotum esse putabamus (sed non est. Quoniam Azotus una fuit de quinque civitatibus Philistinorum, quæ inter Joppem et Ascalonem in viculum redacta est), et Antipatrida transita, tandem venimus Joppem civitatem, quæ est in tribu Dan, maritimam. Ubi Franci nostri domnum Balduinum ut regem jam suum gaudenter susceperunt. Et non mora ibi facta, Hierusalem properavimus. Cumque ad urbem appropinquassemus, exierunt ei obviam tam clerici quam laici omnes; Græci quoque ac Syri, cum crucibus ac cereis. Qui cum ingenti gaudio et honorificentia vocibus altisonis laudes agendo, usque in ecclesia Dominici sepulcri eum deduxerunt. Huic celebritati patriarcha Daibertus non interfuit, quia de quibusdam apud Balduinum erat insimulatus, et discordes ad invicem habebantur. Quem etiam major cleri pars exosum tunc habebat. Quapropter in monte Sion sede privatus tunc morabatur, et fuit ibi donec delictum ei malevolentiæ solutum est. Sed cum per sex dies quiete opportuna in Hierusalem labore alleviati essemus, et rex de negotiis suis aliquantis expediretur, iter resumptum in expeditionem ituri renovavimus. Opus enim est omnibus inimicos habentibus (quod secundum hominem dico) ut frequentissime illos enixe coerceant, quatenus certaminis tædio vel vi superent, vel ad pacis pactiones pertrahant.

CAPUT III.

De expeditione Balduini in Arabiam.

Igitur domnus Balduinus, gente sua regregata, profectus est Ascalonem, transiens per Azotum: quæ civitas est inter Joppem et Ascalonem, una de quinque civitatibus Allophylorum. Accaron autem de dextera assistentem habuimus prope Pamniam, quæ super mare sita est. Ante Ascalonem autem cum venissemus, qui foras contra nos exierant usque ad mœnia vehementer impulsi sunt. Et quia non fuit nobis utile majus incipere, ad tentoria nostra jam extensa hospitaturi redivimus. Sequenti vero die regionem adivimus interiorem, ubi victum nobis et jumentis nostris in locis opulentis inveniremus, et terram inimicorum nostrorum etiam vastaremus. Euntes ergo invenimus villas, ubi Sarraceni incolæ regionis illius in cavernis propter nos se occultaverant cum bestiis et rebus suis. De quibus cum nullum extrahere possemus, accenso igni ad cavernæ orificium, mox propter fumum et calorem intolerabilem alius post alium foras ad nos exierunt. Erant quidam ex eis latrunculi, qui rite inter Ramulam et Hierusalem insidiantes, Christianos nostros occidere solebant. Quod cum a Syris quibusdam Christianis, qui cum illis in abditis latitabant, nobis intimatum fuisset, hujusmodi esse illos malefactores, mox cum de caverna exibant decollabantur. Syris autem et eorum conjugibus pepercimus. De Sarracenis quippe centum ferme occidimus. Et cum cuncta illic jumenta, tam annonam quam bestias comedendo, consumpsissemus, et nihil nobis utile invenire amplius possemus, inito consilio cum quibusdam patriæ alumnis, prius Sarracenis, sed nuper Christianis, qui loca culta et inculta longe lateque sciebant, in Arabiam secedere dispositum est. Et transeuntes montana, prope patriarcharum sepulturas, videlicet Abrahæ, Isaac, et Jacob, Saræ quoque et Rebeccæ, ubi corpora eorum gloriose sepulta sunt, ab urbe Hierosolyma quasi milliariis quatuordecim distantia, venimus in vallem, ubi scelestæ civitates Sodoma et Gomorrha Dei judicio subversæ sunt.

CAPUT IV.

De mortuo Mari.

Ibi quidem lacus nunc est magnus, quem mare Mortuum vocant, eo quod nihil gignat. Longitudo quoque ejus quingentorum et octoginta stadiorum in meridianam partem extenta, latitudine vero CL patet. Qui adeo salsus est, ut nec bestia quælibet, neque volucris ex eo bibere queat. Quod ego Fulcherius experimento didici, cum in illum de mula mea descendens, et ori meo manu haustum immittens, gustu probavi, et helleboro amariorem esse inveni. A parte aquilonis flumen recepit Jordanicum, ab austro vero nullum habet exitum; sed neque flumen ex eo conceptum. Juxta quem lacum exstat similiter salsus mons unus ingens et excelsus, et idem sal quasi lapis nativus, non tamen totus, sed localiter glaciei simillimus. Demergi autem quis in profundum ejus nec de industria facile potest. Conjicio bifariam locum illum ita esse salsissimum, et ex eo quod montis salsuginem concipiens glutit, quem unda marginalis indesinenter lambit, et ex decursione imbrium de monte ipso in lacum fluentium, sive abyssus intantum sit concava ut mare magnum, quod est salsum, invisibili refluxu in eamdem abyssum sub terra influat. Gyrato autem lacu a parte australi, reperimus villam unam situ gratissimam, et de fructibus palmarum, quos dactylos vocant, valde abundantem, quibus pro cibario placido tota die vescebamur. De cæteris rebus raro ibi invenimus. Aufugerant enim illinc incolæ loci Sarraceni, jam de nobis per rumigerulos præscii, exceptis aliquantis faligine nigrioribus, quos ut

algam maris sumptos ibi dimisimus. Illic inter arbores cæteras vidi quasdam poma ferentes, de quibus cum collegissem, scire volens cujus naturæ essent, inveni rupto cortice interius quasi pulverem atrum, et inde inanem prodire fumum. Tunc Arabiæ montana ingressi sumus, in quorum cavernis nocte illa sequenti pausavimus. Mane cum montes ascendissemus, invenimus statim villas, sed omni bono vacuas. Nam adventu nostro in colle comperto, cum rebus suis in terræ cavernis se absconderant. Quamobrem parum illic profecimus. Ideo iter nostrum prompte alias extendimus, ductoribus nostris semper præviis. Tunc invenimus vallem unam de frugibus terræ cunctis uberrimam, in qua etiam sanctus Moyses, Domino insinuante, virga bis silicem percussit, unde fons vivus emanavit, qui nunc nihilominus quam tunc fluit, adeo ut molendini ex ejus rivuli cursu volubiles ad molendum fiant. In qua aqua meos adaquavi equos. Invenimus insuper in montis apice monasterium sancti Aaron, ubi Moyses et ipse cum Deo loqui consueverant. Unde multum lætabamur, cum loca tam sancta et nobis incognita intuebamur. Et quoniam ultra vallem illam terra erat invia, deserta, et inculta, ulterius progredi noluimus. Sed per tres dies in valle illa bonis omnibus opima otio habito, et jumentis nostris refectis edulio, et quadrupedibus oneratis de stipendio necessario, hora circiter secunda die in quarto cornu monente regio, recidivum tramitem resumere jussum est. Redivimus ergo juxta lacum Asphaltitem, sicut prius iveramus, et per sepulturas patriarcharum memoratorum; deinde per Bethlehem, et per sepulturam Rachelis, Itaque die, quo solstitium hiemale accidit, Hierusalem sane pervenimus. Et præparatis ornamentis quæ regi competant coronando, pacificatoque Daiberto cum domno Balduino, et cum canonicis sancti sepulcri aliquantis, quia viri sensati de hoc tractaverunt, cessavit contentio eorum.

CAPUT V.

De substitutione regis Balduini, et exiguitate ipsius regis.

Anno ab Incarnatione Domini 1101, in basilica beatæ Mariæ apud Bethlehem die Nativitatis Domini a patriarcha memorato, una cum episcopis, cleroque ac populo assistentibus, in regem honorifice sub sacra unctione sublimatus et coronatus est rex Balduinus. Et quod fratri suo prædecessori non fecerant, quoniam noluit, et tunc laudatum a quibusdam non fuit, huic ratione prudentius considerata fieri decreverunt. « Quid enim obest, inquiunt, si Christus Dominus noster in Hierusalem tanquam scelestus aliquis, conviciis dehonestatus, et spinis est coronatus, cum etiam ad ultimum mortem pro nobis pertulit volens? Corona quidem illa quantum ad intellectum eorum non fuit honoris, nec regiæ dignitatis, imo ignominiæ et dedecoris. Sed quod illi truces ad improperium ei fecerunt, gratia Dei ad salutem nostram et gloriam versum est. Rex etiam contra jussa non præficitur. Nam jure et secundum Deum electus, benedictione authentica sanctificatur et consecratur. Qui cum suscepit regimen illud cum corona aurea, suscepit quoque justitiæ obtinendæ onus honestum. Cui jure, sicut et episcopo de episcopatu, potest decenter objici : *Bonum opus desiderat*, qui regnum *desiderat* (*I Tim.* III, 1). Quod si jure non regit, nec rex est. » In modernitate autem regiminis sui adhuc paucarum urbium possessor atque gentis, per idem tempus hiemale regnum suum ab hostibus undique strenue protexit. Et quia compererant eum bellatorem probissimum esse, quamvis gentem haberet raram, non tamen ausi sunt eum aggredi. Quod si militiam majorem haberet, hostes suos libenter adiret. Adhuc erat via peregrinis nostris satis impedita, qui interdum per mare tam Franci quam Angli, sive Italici et Venetici, in una tantum navi, sive tribus aut quatuor, inter piratas hostiles, et ante civitates Sarracenorum velificantes, valde timidi usque ad Joppem Domino ducente perveniebant. Nullum enim alium in primis habebamus portum. Quos cum de partibus nostris occidentalibus advenisse videremus, ex Tripoli ad eos quasi ad sanctos jocundi procedebamus. A quibus unusquisque nostrum de natione sua et parentela diligenter inquirebamus. Quibus de hoc intimabant prout ipsi sapiebant. Tum de prosperitate audita lætabamur, de incommoditate autem tristabamur. Hierosolymam ibant, sancta sanctorum pro quo venerant visitabant. Dehinc alii in terra sancta remanebant, alii vero in terram suam remeabant. Qua de re terra Hierosolymitana remanebat gente vacua, nec erat qui eam a Sarracenis defenderet, si tantummodo nos ipsi aggredi auderent. Sed quare non audebant? Tot populi, tot regna, quare regulum nostrum et popellum invadere metuebant? Cur de Ægypto, de Persida, de Mesopotamia, vel de Syria non coadunabant saltem centies centum millia pugnatorum, ut nos hostes eorum viriliter aggrederentur, et ut solent locustæ, innumeræ messem in agello, nos omnino consumerent, ut nec mentio de nobis in terra ab olim sua ulterius fieret? Non enim tunc habebamus plusquam trecentos milites, et tantum de peditibus, qui Hierusalem, et Joppem, et Ramulam, Caypham etiam castrum custodiebant. Milites etiam nostros vix adunare audebamus, cum insidias aliquas inimicis nostris moliri volebamus, timentes ne interim munitionibus vacuatis damnum facerent. Unde liquet omnibus, hoc esse miraculum valde mirabile, quod inter tot millia millium vivebamus, etiamque dominantes eorum alios tributarios faciebamus, alios vero deprædando vel captivando confundebamus. Sed unde hæc probitas? unde ista potentia? Vere ab illo, cui nomen Omnipotens. Qui populi sui pro nomine ejus desudantis non immemor, in necessitatibus suis pie ei auxilium impendebat, qui in nullo alio, nisi in eo solo, confidebat. Quem ipse Deus aliquando mercedula temporali lætificabat, in futuro autem æterna gloria remunerare promittebat.

O tempora recordationis dignissima! Sæpe quidem contristabamur, cum de transmarinis amicis nostris nullum auxilium habere poteramus. Verebamur enim ne inimici nostri paucitatem gentis nostræ comperientes aliquando, accursu subitaneo nos undique impeterent, ubi nullus nisi solus Deus nobis opem ferret. Quibus nihil utile deesset, si tantummodo gens et equi non deessent; et qui per pelagus Hierusalem veniebant, equos secum adducere nequibant. Per terram vero nemo nobis subveniebat. Nec Antiocheni nobis, nec nos illis succurrere valebamus.

CAPUT VI.

De substitutione Tancredi apud Antiochiam.

Eo tempore contigit Martio in mense Tancredum Caypham oppidum suum, quod possidebat, Tiberiadem quoque Balduino regi relinquere, et Antiochiam cum suis per terram ambulare. Miserant enim ad eum legatos suos Antiocheni, dicentes : « Ne moreris, sed veni ad nos, et dominans omnium nostrum posside Antiochiam, et terram illi subditam, quoadusque de captivitate exeat domnus Boamundus dominus noster, et tuus. Tu enim es propinquus ejus, milesque probissimus et prudens, nobisque potentior. Tu quidem nostram terram melius quam nos obtinere valebis. Si quando, Deo volente, domnus Boamundus redierit, erit inde quod jus monstrabit. » Sic mandatum est, et sic factum est.

CAPUT VII.

De obsidione castri Arsuch, et ejus captione.

Apud portum Laodicensem per idem brumale tempus stolus navium rostratarum Januensium et Italorum, hiemaverat. Qui cum viderent vernum tempus ad navigandum aptum et tranquillum, vento prospero usque Joppem navigaverunt. Et cum portui applicuissent, gaudenter a rege suscepti sunt. Et quia prope erat Pascha, cujus solemnitatem ex more cuncti qui possunt celebrant, navibus suis ad terram tractis, Hierusalem cum rege perrexerunt. Peracta autem solemnitate Paschali, ubi conturbati sunt omnes propter ignem, quem die Sabbati non habuimus ad sepulcrum Domini, profectus est rex Joppem. Et facta conventione cum consulibus prædictæ classis, ut quandiu in terra sancta ob amorem Dei morari vellent, si Deo concedente et juvante interim de civitatibus Sarracenorum aliquam comprehendere cum eodem rege possent, tertiam pecuniæ partem hostibus internis ablatam, nulla injuria Januensibus facta, communiter haberent, rex autem primam et secundam, vicum insuper unum in eadem civitate sic capta jure perpetuo possiderent et hæreditario. Quod cum fidei nexu interpositæ ab utraque parte firmatum fuisset, indilate oppidum illud, quod vocatur Arsuth, tam per mare quam per terram obsederunt. Sed cum inhabitatores Sarraceni sentirent nullomodo se posse defendi a Christianis, prolocutione apud regem callide facta, die tertia muros regi reddiderunt; pecuniam autem suam exeuntes detulerunt. Quos Ascalonem abeuntes rex conviari tristissimos fecit. Inde nos læti gratias Deo egimus, eo quod sine occasione nostrorum hominum hanc munitionem nobis tam adversariam comprehenderamus. Quod castrum a Salomone conditum, Francis valde molestum, dux Godefridus in anno præterito obsederat, nec ceperat. Cujus etiam inhabitatores persæpe de nostris occiderant plures, vel reddiderant tristes. Jam tamen Franci cominus comprehenderant muri propugnacula, cum forte lignea turris forinsecus muro adjuncta, præ multitudine in eam ascendentium, frustatim corruit. Unde ferme centum Franci de ea cadentes insanabiliter sunt læsi. Ibi aliquantos Francos Sarraceni tunc retinuerunt, quos in conspectu omnium in cruce appenderunt, et sagittis sagittaverunt. Quosdam occiderunt, quosdam vivos viliter apud se detinuerunt.

CAPUT VIII.

Quomodo Cæsarea civitas capta sit.

Cumque rex Arsuth, prout opus erat, de gente sua munisset, Cæsaream urbem Palæstinorum adiit, et obsidione coronavit, sed quia erat muro valde fortis, non potuit cito capi. Jussit ergo tunc tres petrarias fieri, et machinam unam ligneam altissimam, de malis et remigibus navium fabrefactam. Hanc, ut reor, artifices nostri muro altiorem longitudine XX cubitorum erexerunt, ut cum ad usque murum deducerctur, hostes internos de ea milites nostri lapidarent et sagittarent, ut cum murum de Sarracenis sic evacuarent, ingressum liberum homines nostri haberent, et urbem comprehenderent. Sed cum per 15 dies obsidionem renuissent, et cum petrariis arces muri superiores aliquantisper læsissent, necdum turris lignea esset penitus compacta, moram eis fastidientibus, noluit diutius Francorum probitas prolongare, quin absque machina prædicta, et cæteris supplementis, die quadam Veneris civitatem ausu mirifico cum scutis et lanceis appeterent. Sarraceni vero, prout fortius valebant, se defendebant, mutuo cohortantes. Franci autem, quorum Dominus erat Deus, erectis non lente scalis, quas ad id opus jam præparaverant, per eas muri fastigium ascenderunt, et quos sibi tunc obvios invenerunt gladiis illico peremerunt. Quod cum Sarraceni gentem nostram sic efferatam, et urbem jam ab eis captam viderent, ubi diutius vivere potuerunt, illuc perpropere fugerunt. Sed nec hic, nec illic delitescere potuerunt, quin morte promerita trucidarentur. Pauci quidem de masculino sexu vitæ reservati sunt. Feminis quampluribus pepercerunt, ut molas manuales volvituræ semper ancillarentur. Quas cum cepissent, alii aliis tam pulchras quam turpes invicem vendebant et emebant; masculos quoque. Admiratum ipsius urbis, et episcopum, quem Archadium prænominant, rex vivos habuit; quibus plus pro pecunia quam pro amicitia pepercit. Quot utensilia multiformia ibi sunt inventa, non est dicendi facultas. Unde multi pauperes effecti sunt locupletes. Vidi de Sarracenis plurimos ibi pe-

remptos acervo de illis facto, ignibus concremari, quorum cadaverum nimius fetor nos valde molestabat. Fiebat hoc bysantiorum inveniendorum gratia, quos ibi improbi transglutiverant, nolentes ut de suo aliquid Franci haberent, quos quidam eorum in oribus suis juxta gingivas abscondebant. Unde aliquando contingebat, cum quis nostrum super collum alicujus Sarraceni pugno feriebat, ut 10 aut 16 bysantios ab ore foras excuteret. Feminæ quoque impudenter intra se bysantios occultabant. Quod et nefas erat sic recondendum, et multo turpius mihi ad recitandum.

Annus millenus centenus erat, sed et unus,
Cum nos Cæsaream cum scalis cepimus urbem.
Cum Stratonis turrem sic dictam cepimus urbem.

CAPUT IX.

Quod in Cæsarea episcopus sit ordinatus.

Et cum de Cæsarea, et de his omnibus quæ in ea reperimus, una cum Januensibus, prout libuit, egissemus, et archiepiscopum communiter electum ibi præfecissemus, relictis ad custodiendum urbem paucis, festinavimus ire Ramulam civitatem, quæ est prope Lyddam. Ubi per 24 dies exspectavimus bellum ab Ascalonitis et Babylonicis contra nos fieri, ob id illic congregatis. Sed quia gens eramus rara, contra eos ire metuentes, non ivimus, ne si forte Ascalonæ eis appareremus, intra mœnia et aggeres suos recursu continuo nos interceptos interimerent. Propterea venire contra nos nolebant, quia sic evenire putabant. Quorum calliditate comperta, tandiu calliditatem eorum callidius callentes calluimus, usque animis eorum pavore marcescentibus, adversum nos venire penitus dimiserunt. Unde multi moram fastiditi, et egestate pressi, ab exercitu suo discesserunt. Quo audito, Joppem regressi sumus, et laudes Deo dedimus, eo quod a congressu eorum liberi sic facti eramus.

CAPUT X.

De prælio satis cruento Christianorum atque Turcorum, in quo Christiani vicerunt.

Dum postea auribus ad eos semper intentis, per 70 dies quieti sustinuissemus, intimatum est regi adversarios nostros animositate iterata commoveri etiam nos appetere parari. Hoc autem audito, fecit rex gentem suam prompte congregari, de Hierosolyma videlicet, et Tiberiade, Cæsarea quoque, et Caypha. Et quia necessitas nos urgebat, pro eo quam militum eramus egentes, monente rege, quicunque potuit de armigero suo militem fecit. Itaque milites nostri omnes, 240 tantummodo fuerunt, pedites vero 900. Qui autem contra nos, 11 millia militum, et 21 millia peditum simul erant. Hoc quidem sciebamus, sed quia Deum nobiscum habebamus, eos aggredi non formidavimus. Nec enim in armis, nec in gente multa confidebamus, sed in Domino Deo spem nostram omnino posueramus. Magna audacitas, sed non audacitas erat, imo fides et charitas. Quoniam pro amore illius sperabamus diligenter mori, qui pro nobis misericorditer morte dignatus est mori. Ivimus ad pugnam, vel mortem forte paratam. Illuc fecit rex portari Dominicæ crucis signum, quod nobis præbuit salutare solatium. Die quodam de Joppe exivimus, sequenti vero contra eos bellavimus. Cumque ad eos appropinquassemus, et illi ad nos similiter, nobis ignorantibus, et cum speculatores eorum de specula nostra prospexissemus, subsequentiam cæterorum statim intelleximus. Et cum rex cum quibusdam de suis ulterius progrederetur, prospectans a longe vidit tentoria eorum extensa in planis candescere. Quibus visis, mox equo calcaribus puncto, ad nos postremo cucurrit, et quod viderat cunctis manifestavit. Unde exsultare cœpimus, cum bellum fore didicimus, quoniam id fieri desiderabamus. Si enim ad nos non venirent, nos utique ad eos iremus. Melius enim erat nobis in planis vastis præliari, ut cum superati essent, Domino suffragante, longior eis fuga fieret. Unde in fuga majus haberent detrimentum, quam si prope muros eorum cum eis congrederemur. Tunc jussit rex arma sumi, et armatis cunctis, acies nostræ decenter ad bellandum ordinatæ sunt. Itaque nos in manus Dei fidenter committentes, adversus eos equitavimus. Abbas quidam, cui rex præceperat, crucem Dominicam palam cunctis gestavit. Tunc rex milites suos his verbis pie affatus est: « Eia, milites Christi, confortamini, nihil metuentes. Viriliter agite, et in hoc prælio fortes estote, et pro animabus nostris, quæso, pugnate, et nomen Christi omnino exaltate. Cui degeneres isti semper exprobrant, et viriliter conviciantur. Nativitatem ejus et resurrectionem non credunt. Quod si hic interieritis, beati nimirum eritis. Jam jamque aperta est vobis janua regni cœlestis. Si vivi victores remanseritis, inter omnes Christianos gloriosi fulgebitis; si autem fugere volueritis, Francia equidem longe est a vobis. » His ita dictis, omnes ei assenserunt. Ad pugnam properant, cunctos mora longa molestat. Quem feriat, vel præcipitet, jam omnis cogitat. Et ecce gens detestanda nobis occurrens, dextra lævaque vehementer in nos irruit. Gens quoque nostra, licet paucissima, per sex acies divisa, sicut solent aucupes in multitudine avium, ita inter cohortes eorum ingentes, ADJUVA DEUS exclamantes, se inseruerunt. Quorum multitudo in tantum nos illico obtexit ut alius alium vel cernere vel cognoscere posset. Jamque repulerant, jamque quassaverant duas anteriores acies nostras, cum huic negotio intuitus festinantissime rex a parte postrema subvenit. Ubi enim virtutem hostium validiorem esse spectavit et cognovit, accelerato cursu cum scara sua, impetui nefandorum viriliter se obdidit, et coram potentioribus eorum hasta vibrata, in qua signum pendebat album, ictu lanceæ percussit Arabem unum sibi obvium; in cujus omento cum ad terram de sonipede illum præcipitaret, idem signum memoratum remansit. Lanceam autem inde extorsam, sicut ipse proprius astans cernebam, ad lædendum alios prompte detulit. Hinc isti, hinc illi fortiter pugnabant.

Videretis utique horæ spatio non modico multos equos sessoribus vacuos. Videbamus terram nimis occupatam de scutis vel pectis, de pugionibus et pharetris, arcubus et sagittis de Sarracenis et Æthiopibus tam mortuis quam morti vulneratis. Similiter de Francis, sed non de tantis. Aderat ibi crux Dominica inimicis Christi valde contraria ; contra quam gratia Dei pompa eorum prævalere non potuit. Sed ac si præsentia ejus verecundi effecti, non solum nos invadere cessaverunt, verum etiam pavore cœlitus percussi omnes, in fugam celerem suam verterunt sententiam. Qui tunc habuerunt equum volucrem, fugiendo evaserunt mortem. Tædium erat colligere tot scuta, tot missilia, tot arcus et sagittas, quæ in campis fugitivi jecerant. Tot corpora, quæ ibi jacebant exanimata, si quis vellet ea dinumerare, deficeret utique in computatione. Fertur tamen quinque millia ex eisdem militibus et peditibus ibi peremptos fuisse. Dux etiam Babylonensis militiæ, qui eam ad bellandum adduxerat, cum cæteris interiit. De nostris vero militibus 80 perdidimus, de peditibus vero amplius. Probissime illo die rex se habuit. Optimus consolator, rigidus percussor exstitit. Milites quoque sui, quamvis essent pauci, erant probissimi. Certamen illud non diu fuit anceps. Illi enim tempestive fugerunt, hi vero prompte eos fugaverunt.

CAPUT XI.

Quanti de Christianis ibi corruerint.

O bellum insontibus odiosum, et intuentibus perhorridum! Bellum, quia non bellum; nam per antiphrasim est dictum. Bellum cernebam, mente nutabam, ictus timebam. Omnes in ferrum ruebant, ac si mortem nunquam timerent. Dira calamitas, ubi nulla charitas. Fragor erat nimius de mutuis utrobique percussionibus. Hic percutit, ille corruit. Hic nescit misericordiam, nec ille quærit eam. Hic perdit pugnum, ille vero oculum. Mens refugit humana, ubi talis cernitur miseria. Mirabile quidem dictu! in capite vicimus; in cauda vero superati sumus. In cauda Christiani ruunt, in capite autem Sarracenos vincunt. Hos fugavimus usque Ascalonem, illi autem peremptis nostris mox equitaverunt usque Joppem. Itaque die illo nullus rei scivit exitum. Cumque tam occidendo quam fugando rex et sui campos de eis evacuassent, jussum est ut in eorumdem tentoriis, quæ fugitivi reliquerant nocte illa, quiesceremus. Jussum est, et factum est.

Septenas Idus Septembris cum legeretur,
Fecimus hoc bellum dignum satis ad recitandum,
Et fuit adjutrix divina gratia Francis.

CAPUT XII.

De sorte varia prælii hujus.

Sequenti autem die, cum in papilione regis missam audissemus de Nativitate almæ virginis Mariæ, unde solemnitas erat in illa die, oneratis jumentis nostris de rebus hostium nostrorum, de pane scilicet, et annona, farinaque, necnon tabernaculis eorum, præceptum est monente salpista Joppem regredi. Qui cum regrederemur. et Azotum quintam urbem Philisthinorum nunc desertam transivimus, Ibenium quam modo vocant, obvios nobis aspeximus Arabes fere quingentos, a Joppe revertentes. Qui die belli cucurrerant illuc, et prædam, quam forinsecus invenerant, arripuerant. Nam cum cædem de peditibus nostris in postrema parte fecissent magnam, et in dextro cornu unam aciem penitus consumpsissent, et anteriores sicut postremos victos esse crederent, assumptis occisorum scutis et lanceis, atque galeis lucidis, de quibus se pompatice ornaverant, properantes statim usque Joppem, monstraverant arma nostra Joppitis, dicentes regem et omnes suos in bello esse peremptos. Quod cum audissent qui in Joppe custodes remanserant, quia veri erat simile, admirantes valde exterriti sunt, et dictis eorum fidem adhibuerunt. Arabes autem illi, cum putassent ab exterritis civibus urbem illico sibi reddi, cogitationibus suis adnihilatis, nihil ibi amplius proficientes, Ascalonem regredi cœperunt. Qui cum nos regredientes ad Joppem perspexissent, suspicati sunt nos esse de gente sua ; qui nobis omnibus in prælio occisis, reliquos Christianos versus Joppem conversantes appetere vellent. Unde valde mirabamur, cum tantum nobis appropiabant, nec Francos nos esse cognoscebant, donec milites nostros cita invasione aggredi eos viderent. Tunc viderctis celerrime eos huc illucque fugere, ut nec alius alium exspectare vellet, et qui equum tunc non habuit agilem, caput mox gladio subegit. Sed quia Franci valde fuerant fatigati, et in prælio plures vulnerati, non potuerunt eos sequi. Illic sic abierunt, nos vero Joppem læti pervenimus.

CAPUT XIII.

De Joppitarum missa legatione ad Tancredum principem Antiochiæ.

Quanta putatis fuit exsultatio, et gratiarum actio, cum de muri summo nos erectis vexillis revertentes cernerent, quos in Joppe remanere feceramus? Certe non est dictu minimum. Accurrerant enim illic duo nugigeruli, alter post alterum, qui Joppitas fefellerant, dicentes quoniam rex mortuus est cum suis omnibus. Qua de re ultra quam credi potest contristati, opinantes hoc esse verum, miserunt Tancredo legationem, qui tunc Antiochiæ principabatur, in chartula scriptam ; quam detulit nauta quidam carinam suam ascendens, hoc tractante regis conjuge. Epistola quidem illa hæc verba continebat salutifera : « Tancrede vir præcipue, milesque quam optime, accipe hanc schedulam, quam tibi qui Joppem inhabitant, regina scilicet et urbis pauci cives, per me legatum festinum mittunt. Et ut magis forsan scripturæ huic credas quam mihi, perlegi fac eam, quoniam, proh dolor! rex Hierosolymorum, qui contra Babylonios et Ascalonitas pugnam commisit, in congressu illorum devictus, vel forsitan cum suis omnibus, quos secum ad bellum perduxit, occisus est. Nam qui calamitatis hujus miseriam vix evasit, Joppem fugiens, hoc nobis deprompsit. Quapropter ad te virum non imprudentem venio legatus, opem

quæritans, ut omni occasione remota, indilate succurrere nitaris genti Dei valde anxiæ, et ut reor metæ vitæ jam proximæ. » Hoc dixit. Ille obaudiens parumper siluit. Sed cum hoc verum esse crederet quod audierat, præ grandi tristitia et dolore tam ipse quam omnes alii qui aderant, lacrymari pie cœperunt. Et responsione legato facta, jussus est fieri apparatus per totam terram suam ad succurrendum Hierosolymitanis. Et cum jam parati essent ad illud iter agendum, ecce subito venit brevigerulus alter, schedulam deferens alteram priori dissimilem, quam Tancredo porrexit. Nam quod de incommodo scriptum erat in priori, hoc de prosperitate repertum est in posteriori. Lectum enim hic est regem de bello sanum Joppem remeasse, et Sarracenos procul dubio magnifice superasse. Tunc ergo qui de detrimento doluerant, de bono successu gavisi sunt. O mira Dei clementia! Non in multitudine gentis vicimus, sed divina freti virtute eos dispersimus. Itaque ab hostibus sic erepti, Hierosolymam euntes Deo reddidimus laudes. Deinde per 8 menses bellorum quievimus immunes, donec anni revolutio tempus reduxit æstivum.

CAPUT XIV.

De exercitu Babylonico contra Christianos coadunato.

Anno autem sequenti 1102 mediante Maio congregati sunt apud Ascalonem Babylonii, quos rex eorum huc miserat, ut nos Christianos omnino destruere niterentur. Erant enim ibi 20 millia equitum, et 18 millia peditum, exceptis clitellariis, qui camelos asinosque victualibus onustos minabant, gestantes in manibus ad pugnandum clavam et missilia sua. Hi quidem die quodam urbem Ramulam adierunt, et ante eam tabernacula sua extenderunt. Porro in una civitatis arce munita erant 15 milites, quos rex ibi custodes posuerat; ante quam Syri quidam ruricolæ versabantur quasi suburbani. Hos quidem Christianos Sarraceni persæpe nocentes et deturbantes destruere conabantur, et arcem illam diruere, quia propter eos inhabitantes non poterant per plana illa libere discurrere. Insuper ejusdem urbis episcopum, qui in ecclesia Sancti Georgii manebat cum clientela sua, comprehendere moliebantur. Quod monasterium cum die quodam incursu malevolo circuissent, considerata loci firmitate, Ramatha redierunt. Episcopus autem ille cum fumos flammasque inspexisset, ignibus eorum accensis jam in culmis, timuit ne ab eis ad eum remeantibus obsideretur. Et præcavens in futurum, mandavit confestim regi, qui in Joppe inerat, ut ei festinanter succurreret, quoniam Babylonii ante Ramulam hospitati erant, de quibus cohors una jam circa monasterium suum irruentes cucurrerant. Quod cum audisset rex, sumptis armis suis equum ascendit concitus, quem militia ejus, ipso jubente, et cornu regio monente, citissime secuta est. Aderant tunc in Joppe milites quamplurimi, qui ventum præstolantes opportunum, in Franciam redituri transfretare optabant. Hi equidem equis carebant, quoniam in anno præterito cum per Romaniam peregre Hierosolymam pergebant, equos suos et omnia quæ habebant amiserant. Unde mentio hic non incongrue interserenda est.

CAPUT XV.

De secunda Francorum miserabili peregrinatione, et de morte Hugonis Magni.

Cum Francorum exercitus ingens, ut dictum est, Hierusalem tenderet, aderant in illa multitudine simul Willelmus Pictaviensium comes, et Stephanus comes Blesensis, qui ab Antiochia relicto exercitu discesserat; sed quod tunc reliquerat, nunc restaurare satagebat. Cum his Hugo Magnus erat, qui post Antiochiam captam in Gallias repedaverat. Aderat cum his Raymundus comes Provincialium, qui apud Constantinopolim moratus erat, postquam de Hierusalem huc usque regressus fuerat. Aderat quoque Stephanus Burgundiæ comes nobilis, adjecto populo innumero, de equitibus et peditibus exercitu bipartito. His in Romaniæ finibus obstitit Soliman Turcus, cui jamdiu Franci Nicæam urbem abstulerant. Sed detrimenti sui non immemor, cum multitudine Turcorum magna exercitum Francorum infeliciter dispersit, et confudit, et totum fere ad interitum advexit. Sed quia Domino providente catervatim per plures incedebant vias, nec contra omnes dimicare, nec omnes occidere potuit. Sed quia eos fatigatos, et fame et siti anxios, atque pugnæ sagittariæ indoctos esse didicit, magis quam centum millia equitum atque peditum gladio peremit. De mulieribus nempe alios occidit, alios secum adduxit. Multi vero per devia fugientes et montana, et siti angustia et exstincti sunt. Quorum equos et mulos, jumenta quoque et ornamenta multiformia Turci habuerunt. Illic perdidit comes Pictaviensis quæcunque habebat, familiam atque pecuniam suam. Vix etiam mortem evadens, pedes tantum, et præ miseria lugubris et confusus, Antiochiam pervenit. Cujus anxietati Tancredus compatiens, eum pie suscepit, et de bonis suis sublevavit. Quem *Dominus* ita *castigans castigavit*, sed *morti non tradidit* (*Psal.* CXVII, 18). Hoc quippe, ut nobis videbatur, tam illi quam cæteris propter peccata eorum et superbiam contigit. Qui autem evaserunt, Hierusalem venire non distulerunt, excepto Hugone Magno, quem in Tharso Ciliciæ defunctum sepelierunt. Qui cum Antiochiam pervenissent, alii per mare, alii vero per terram Hierusalem perrexerunt. Qui equum habere potuerunt, libentius per terram iverunt.

CAPUT XVI.

De captione Tortosæ urbis.

Cumque usque Tortosam venissent, quam Sarraceni tunc possidebant, non tardaverunt, sed per mare et per terram assilierunt. Quid morabor? urbem ceperunt, Sarracenos occiderunt, pecuniam eorum habuerunt, et postea iter suum carpere non desierunt. Sed molestum omnibus fuit, cum Raymundum comitem ibi remanere viderunt. Quem omnes Hierusalem secum iturum sperabant. Sed

quia noluit, ibi remansit, urbem obtinuit, unde blasphemiam ei inferebant. Ultra deinde progredientes, transierunt Archas, et urbem Tripolim, Gibellumque. Inde venerunt ad meatum collis angustum, prope urbem Berithum. Illic eos rex Balduinus per 28 dies exspectaverat, custodiens interim viam illam, ne forte Sarraceni occuparent, et peregrinis transitum vetarent. Ipse enim rex legationem inde precatoriam habuerat ab exercitu illo veniente. Cumque regem sibi obvium illic invenissent, congratulati sunt valde, et osculis ad invicem datis, Joppem profecti sunt, ubi jam applicuerant qui per mare iverant

CAPUT XVII.

De miserabili prælio Christianorum atque Turcorum, in quo Christiani occisi, Turci victores fuerunt.

Prope erat Pascha, et Hierusalem tunc adierunt, quia hoc desiderabant. Qui postquam solemnitatem ibi, ut mos est, peregissent, Joppem regressi sunt. Tunc quoniam inops erat comes Pictavlensis, et desolatus omnimoda egestate, navim cum paucis ascendens Franciam repatriavit. Tunc Stephanus Blesensis cum aliis pluribus transfretare voluit; sed in pelago vento ei obstante, nihil aliud quam reverti potuit. Qui tunc in Joppe jam de mari regressus erat, cum rex in equum suum, ut dictum est superius, ascendit, contra hostes iturus, qui ante Ramulam sedebant. Adhuc inibi erat Gaufridus comes quidam Vendoniensium, et Stephanus comes Burgundiæ, et Hugo Liziniacensis frater Raymundi comitis. Hi cum equos ab amicis suis et cognatis quærentes mutuati essent, mox in eos conscendentes, regem secuti sunt. Hoc siquidem in modestia regis magna fuit, qui gentem suam exspectare neglexit, nec ordinate, sicut oportet sapienter ire, ad bellum processit. Sed absque peditibus milites suos exspectans, acceleravit hostes appetere, donec ignoranter intra multitudinem Arabum se infixerit. Et quia in probitate sua plus quam deberet confidebat, nec plures esse quam mille vel septingentos sperabat, ideo sic properabat, ut, antequam, refugerent obvius illis veniret. Sed cum exercitum eorum subito intuitus esset, timore perterritus animo infremuit. Attamen consolationis valetudinem assumens, respexit suos, quos pie alloquens, ait : « O milites Christi, et amici mei, nolite bellum hoc respuere; sed armati Dei virtute, pro vobismetipsis viriliter pugnate. Nam *sive vivimus, sive morimur, Domini sumus* (*Rom.* XIV, 8). Quod si quis fugere tentaverit, jam non est spes evadendi. Pugnando vincetis, fugiendo cadetis. » Tunc autem, quoniam locus et tempus erat monstrandi probitatem, repente in Arabes forti impetu se impegerunt. Et quia non erant nostri plusquam 200 milites, a 20 millibus circumplexi sunt. Qui cum a pressura gentilium gravissime cohiberentur, et major pars nostrorum minimæ horæ spatio perempta occidisset, onus hujusmodi ferre nequiverunt, quin residui in fugam verterentur; sed licet tam male eis acciderit, prius in eos probissime ulti sunt. Nam plures ex eis occiderunt, et de campis ejectos tabernaculis suis privaverunt. Denique Deo permittente, a superatis superati sunt. Evasit autem rex gratia Dei, et nobiliores militiæ suæ aliquanti; qui cursu cito in urbem Ramulam se intruserunt. Non enim longius fugere potuerunt.

CAPUT XVIII.

De fuga regis Balduini.

Rex autem cum nollet se ibi includi, mallens alibi mori quam ibi utiliter intercipi, accepto protinus consilio, committens se tam morti quam vitæ, foras exire conatus est. Et adhibitis sibi tantummodo quinque collegis, quos tamen non diu habuit, quoniam ab adversariis retenti sunt, cursu præpetis equi montana fugiens petiit. Itaque Dominus eum de manibus inimicorum suorum fortiorum eripuit. Qui libenter tunc Arsuth proficisceretur, si posset, sed hostibus ei obsistentibus, illuc ire nequivit. Hi etiam, qui in urbe Ramulensi remanserant, postmodum extra ostium exire non potuerunt. Ab impia enim gente undique obsessi, denique, proh dolor! ab eisdem sunt comprehensi. Quorum quosdam occiderunt, quosdam vero secum vivos abduxerunt. Episcopus autem cum in ecclesia S. Georgii hoc infortunium contingi audisset, Joppem furtive aufugit. Heu! quam nobiles et probos milites ea tempestate amisimus, tam in bello prius quam in turre jam dicta posterius! Occisus est enim Stephanus Blesensis comes, vir prudens et nobilis; Stephanusque alter Burgundiæ comes. Extorserunt se inde tres milites, qui plagis et ictibus vehementer afflicti, cursu fugitivo Hierusalem nocte sequenti equitaverunt. Qui urbem ingressi, infortunium quod acciderat civibus propalaverunt. De rege autem, sive viveret, sive mortuus esset, nihil se veri scire dixerunt. Unde statim luctus non minimus est ortus.

CAPUT XIX.

Quod rex ingressus est Arsuth.

Rex autem cum nocte sequenti pro timore Arabum in montanis delituisset, die tertio cum uno tantum milite et armigero ejus de montanis egressus, tanquam quilibet incognitus erroneus, per devia desertorum esuriens et sitiens, Arsuth oppidum suum est ingressus. Una quidem res illa saluti fuit, quod paulo ante illinc recesserant quingenti hostiles milites, qui aliquandiu murum oppidi quasi exploratores circuierant. Quos nequaquam evasisset, si ab eis visus esset. Ingrediente autem rege Arsuth, gaudenter a suis suscipitur. Comedit et bibit, et tutatus dormivit. Hoc enim humanitas desiderabat.

CAPUT XX.

Quod Hugo de Tiberiade, atque patriarcha Hierosolymitanus, in auxilium regis properaverunt, et de bello peracto Christianis videntibus virtute et auxilio sanctæ crucis.

Ipso die ecce Hugo de Tiberiade civitate veniens, unus de optimatibus regis, qui jam confusione ejus audita solatium aliquod genti residuæ impendere

optabat. Quo viso, lætatus est rex valde. Habebat enim secum octoginta milites, quibus opus erat negotio imminenti. Legatione a Hierosolymis habita, subvenire Joppitis accelerabat; sed non est ausus rex eos ducere per terram propter hostes viatoribus insidiantes; sed intrans in unam cimbam navigavit Joppem. Et cum applicuisset portui, cum gaudio magno susceptus est, quia juxta illud Evangelii : *Mortuus fuerat et revixit, perierat et inventus est* (*Luc.* xv, 32). Et quem mortuum jam deplorabant, nunc vivum et sanum vident. Sequenti vero die egressus est Hugo prædictus de Arsuth, et Joppem pavidus properavit. Cui rex in adjutorium properavit, ne ab hostibus in via oppugnaretur. Cumque Joppem pervenisset, consilio non diutius prolongato, regem monuit necessitas, ut illos, qui Hierusalem et apud Sanctum Abraham ierant, mandando venire Joppem faceret : ut bellum item cum Arabibus committeret, qui Joppem machinabantur comprehendere, prope hospitati. Dum autem meditaretur, quem illuc legatum mitteret, vidit ibi quemdam Syrum hominem humilem, et habitu vilem; quem obnixe precatus est, ut pro Dei amore hanc legationem facturus susciperet, quia non inveniebat qui eam explere valeret. Non enim audebat per viam gradi quispiam propter hostiles insidias. Is autem, suscepta ex Deo audacia, nocte sub opaca, ne ab inimicis videretur, per invia et loca satis aspera incedere non differens, die tertio fessus valde Hierusalem pervenit. Cumque rumorem desiderabilem de rege civibus innotesceret, et vivum eum declararunt esse, Domino omnes debitas inde referunt laudes. Nec mora longior fuit. Scripto quod tulerat lecto, parati sunt illico milites quot ibi reperiri potuerunt. Nonaginta, ut reor, tam de militibus quam de illis qui equos habere vel jumenta potuerunt, sed quamvis voluntarie, tamen satis timide ascendentes, illuc ire non distulerunt. Hostium quidem subsistentium insidias pro posse vitantes, et per devia euntes, a parte Arsuth divertentes iter suum deduxerunt. Qui cum juxta littus maris perpropere graderentur, occurrerunt eis gens nefaria, qui sperabant eos illic intercipere et occidere. Quorum aliquibus oportuit jumenta sua ibi relinquere, et in maris undas ad natandum se jactare, ut dolor dolori medicina fieret. Illo enim natatu ab impiis eruti sunt, jumenta perdiderunt. Milites vero equos habentes agiles deferendo se Joppem pervenerunt; vix tamen evaserunt. Rex autem adventu eorum exhilaratus, et admodum vegetatus, haud longius negotium suum differri voluit; sed mane sequenti militibus suis cum gente pedestri ordinatis, contra inimicos suos bellaturus exivit. Illi equidem non longe ab Joppe erant, sed quasi milliariis tribus; ubi machinas suas jam præparabant, ut indilate Joppem obsiderent, et coarctatam comprehenderent. Sed cum gentem nostram contra se ad prælium ire spectarent, protinus sumptis armis suis, audacter exceperunt. Et quia multitudo magna erant, gentem nostram undique gyraverunt. Quibus inclusis, nihil eis ulterius nisi divinum auxilium prodesse potuit. Sed in omnipotentia Domini prorsus confidentes, ubi turmam densiorem et fortiorem viderunt, impetu mirabili ferire non distulerunt. Qui cum in una parte fortiter pugnando eos penetrassent, illico aliorsum eos recurrere necesse fuit, quoniam ut, pedites nostros absque protectione militum videbant, illuc statim festinantes extremos occidebant. Pedites tamen nostri non ignavi pluviam sagittarum invadentibus se tantam jaciebant, ut in visibus eorum et peltis multas infixas viderent. Itaque cum a peditibus sagittariis vehementer essent repulsi, et a lanceis militaribus multi sauciati, et de papilionibus suis jam privati, opitulante Deo Francorum obtutibus dorsa fugientes verterunt. Sed non sunt diu fugati, quia fugatores erant pauci. Tabernacula autem sua Francis in campo reliquerunt cuncta, stipendiumque totum. Equos quippe suos omnes abduxerunt fere, exceptis aliquantis plagatis, et in fuga siti exstinctis. De camelis eorum et asinis multos habuimus. Multi eorum cum fugerent, vel læsi, vel siti exasperati in via sunt mortui. Vere dignum erat et justum, ut qui ligno Dominicæ crucis muniti erant, super inimicos ejusdem sanctæ crucis victores existerent. Quod si in anteriore bello eadem crux alma cum rege deferretur, non est hæsitandum quod populo suo Dominus propitiaretur. Sed sunt nonnulli plus in virtute sua quam in Domino confidentes, et in suo sensu nimium abundantes, et sapientum consilium spernentes, præcipitanter opus suum patrare præsumunt, et inconsulte. Unde sæpe contingit detrimentum magnum non solum eis evenire, sed et multis aliis operis ejusdem expertibus. Unde solent tales plus Dominum inculpare quam stultitiam suam recognoscere. Qui cum stulte quidem inchoat, rei exitum non considerat. Equus paratur ad bellum, Dominus autem salutem tribuit. Si justi precatio non semper a Domino exauditur, quanto magis impii? Vel quare inculpat Deum, cum statim non ei adimplet desiderium suum? Cur exaudietur, cum nihil boni sit promeritus? Nonne ipse novit quid agendum sit in omnibus? Boetius circa hujusmodi dicit : « Quidquid citra spem videas geri, rebus quidem rectus ordo est, opinioni vero tuæ perversa confusio. » Sed non rerum merita, sed fortunæ spectat eventum stultus. Multoties quidem existimat homo id tunc sibi nocuum, quod postea vertitur ad proficuum, et contingit econtra cum alicui bene succedit, paulo post eidem evenire quod multum officit. Expleto bello, ut supra dictum est, in quo rex victor exstitit, tabernaculis eorum collectis, Joppem regressus est. Postmodum quievit terra, bellorum immunis, tempore sequenti, autumnali scilicet atque hiemali.

CAPUT XXI.

Quod rex Achon urbem obsedit.

Anno 1103, tempore veris, cum Pascha ex more

in Hierusalem celebrassemus, urbem Achon Ptolemaidam dictam rex cum exercitulo suo aggressus obsedit. Sed quia muro et antemurali fortis erat valde, non potuit eam tunc comprehendere, præsertim cum mirabiliter Sarraceni probissime intus se defenderent. Cum autem tam segetes quam virgulta eorum, hortosque devastasset, Joppem rediit.

CAPUT XXII.

De principe Boamundo a captivitate liberato.

De domino autem Boamundo desiderabilis rumor exiit tunc divulgatus, quia de Turcorum custodia Dei gratia liberatus est. Ipse autem quomodo de captivitate redemptus exierat, per nuntium suum mandando notum fecit, et qui Antiochiæ prius principatus fuerat, postea gaudenter a civibus suis susceptus, terram illam nobilitavit et possedit. Laodiciam civitatem, quam Tancredus postea ceperat, et hominibus imperatoris Constantinopolitani abstulerat, suscepit insuper Boamundus. Unde Tancredo de terra sua competenter tribuit, et eum sibi gratanter pacificavit.

CAPUT XXIII.

De rege usque ad mortem pene vulnerato.

Tempore illo, rege Balduino contra Sarracenos more solito certante, contigit quodam die eum in paucos eorum irruere, et dum de interitione eorum jam certus sub spe gauderet, Æthiops unus pone rupem delitescens, callide insidiatus est ei, ut interimeret. Qui missili fortiter vibrato, prope cor regem a dorso profunde vulneravit. Quo ictu fere usque ad necem eum læsit. Sed cum postea se medicari sollicite studuisset, post incisionem etiam cicatricis vexatæ sospes tandem effectus est.

CAPUT XXIV.

De captione urbis Achon, quæ vulgo Achra dicitur.

Anno 1104, transacta hieme, cum in Hierusalem verno florente Paschæ solemnia celebrata fuissent, rex Balduinus congregata gente sua profectus est Achon, et iterum obsedit eam. Ad quod venerunt Januenses cum classe 70 navium rostratarum. Et cum civitatem machinis et pervasionibus crebris per viginti dies circumcirca cohibuissent, perterriti valde Sarraceni, vellent nollent, reddiderunt eam regi. Erat enim nobis valde necessaria, quoniam inest ei portus adeo utilis ut inter mœnia secura naves quamplurimas sane concipiat.

Jam novies orto gemino sub sidere Phœbo,
Urbs Achon capitur Ptolemaida quæ vocitatur,
Anno milleno centeno nocne quaterno.
Non est urbs Acharon quam quilibet æstimat Achon.
Illa Philistoa, Ptolemaida dicitur ista.

Urbe autem sic capta, de Sarracenis plurimos occiderunt, quosdam vivere permiserunt; res eorum totas habuerunt

CAPUT XXV.

Quod Boamundus in Apulia transfretare disposuit.

Æstivo deinde tempore evoluto, necessitate Boamundus nimia anxius, raro navigio transfretavit in Apuliam, terra sua tota Tancredo commissa. Cum eo tunc transiliit Daibertus, qui patriarcha Hierosolymorum fuerat, vir prudens, et consilio pollens. Ivit Boamundus, ut de transmarinis partibus gentem secum reduceret. Ivit autem Daibertus, ut causam suam et injuriam sibi a rege factam Romano papæ innotesceret. Ivit, et impetravit, sed non rediit, quia in via obiit.

CAPUT XXVI.

Quomodo Antiocheni contra Parthos dimicantes capti, et quidam occisi sunt.

Hoc anno, commoti sunt Parthi et Medi, atque Chaldæi, et qui in Mesopotamia habitabant affines nostri, ad nos Christianos impetendum, et omnimode pessumdandum. Quo rumore ad nos usque effuso, optimates universi ad excipiendos eos nihilominus se præparaverunt. Et præparati sunt sub festinantia domnus Boamundus et Tancredus, Balduinus quoque comes Edessenus, necnon et Goscelinus, et Daibertus ille Hierosolymitanus, atque archiepiscopus Edessenus, nomine Benedictus, cum turba militari simul et populari. Et Euphrate flumine prætergresso, Carraque deinde civitate prope flumen Achabor nominatum, hostium phalangibus obviaverunt, et commisso prælio statim juxta Racha, peccatis nostris exigentibus, in dispersionem et confusionem Christiani sunt dati. Quam pugnam longe omnibus anterioribus bellis fuisse atrociorem, rerum exitus monstravit. Ibi domnus capitur Balduinus comes Edessenus, rex quidem Hierosolymorum futurus, et a primo rege secundus, capiturque cum eo domnus Goscelinus cognatus ejus; cum his quoque prædictus archiepiscopus. Plurimi autem in memoratum flumen obruti, exstincti sunt. Equi et muli, et opum infinita copia est perdita. Domnus vero Boamundus, et domnus Tancredus, per devia et per diverticula passim fugientes, nec viam nec semitam utiliorem eligentes, errabundi et confusi tandem evaserunt. Multi etiam sagittis et pugionibus transfixi occubuerunt. Et qui Carram sine magna difficultate comprehendere possent, si eam in primis obsedissent, postea nec initio nec in reditu adipisci licuit. Et quoniam securitas interdum damnum fallendo generat, ita metus et sollicitudo emolumentum providis et timidis parat. Nocuit enim sæpe, ut scriptum est, differre paratis. Huic siquidem negotio sive infortunio duo nimirum hostes, discordia et invidia, genti nostræ obfuerunt; qui etiam de acquisitis possessionibus ad nimiam egestatem inclinare solent homines. Hoc sæpe vidimus, hoc experimento didicimus. Non fallor, nec ambage deceptoria pellicens, frivola commentor. Vere in hoc itinere tam periculoso, tam formidoloso, molestis verbis ad invicem exacerbantes, ante ruinam istam fere ab alterutra volucrunt secedere, et fœdus mutuum corrumpere. Qui male facit, et bene sperat, ipse siquidem delirat. Nam sine pace, vel mutua dilectione, nihil est Deo acceptabile. Igna-

vum est igitur, vel nequissimum; ut illius deseram societatem, cui prodesse debeo usque ad mortem. Adjuvit autem Deus archiepiscopum Edessenum in vinculis jam positum. Quem cum de reculis suis et utensilibus ut jumentum Turci onerassent, patrocinio cujusdam militis armipotentis, qui pro eo animam suam charitative posuit, opitulante Deo de manibus eorum miro suo ausu eum eripuit. Non enim animam suam quam se pretiosiorem fecit. Multi itaque in hac nostra peregrinatione zelo Dei efferventes, et vitam suam breviari optantes, beato fine defungi, et cum Christo frui quiete studuerunt. Sicut quidam, aliquibus de nostris audientibus et videntibus, dum eram apud Antiochiam, cum audiret nomen Domini a quodam perfido cum magna dehonestatione blasphemari, vivifico spiritu animatus, dicto contradixit et facto. Et continuo calcaribus equum pungens, assistentibus in circo vivacissime interrogando intulit : « Si quis vestrum in paradiso cœnare desiderat, nunc mecum veniat, et mecum prandeat. Jamjam enim abibo. » Qui mox lancea vibrata inter hostium millia se inserens, primum sibi obvium subruens interemit, licet interimens illico interimeretur. Itaque fide circumfultus et spe, munitusque charitate, feliciter occubuit. Quis unquam audivit tale? Adhuc positus in terris, jam gloriabatur in cœlis. Propterea lætamini, cœli, et qui habitatis in eis. Et est nobis utique lætandum, et jucundandum, quia gaudent angeli de tanto consorte augmentati. Prope autem erat qui eum audiebat, et donativum ei pensabat, et sedem perennem parabat.

CAPUT XXVII.

De liberatione comitis Balduini, et de prælio inter ipsum et Tancredum.

Cum autem annis fere quinque domnus Balduinus in vinculis tentus fuisset, datis obsidibus electis, fide interposita cum sacramento sub interminatione ut redemptionem redderet, cum postea ipsi obsides carceris custodes callidissime necassent, de carcere evasit. Unde adjutorem fidelissimum Goscelinum habuit; sed cum ad Edessam urbem suam postea rediit, introire in eam non potuit, quia Tancredus cum suis introitum ei vetuit. Denique quia hoc ratio fieri permisit, et propter jusjurandum quod domnus Boamundus antea interponi fecit, ut quocunque modo de captione quandoque exiret, sine controversia terram suam illi redderet, nec postmodum mora fuit, Balduinus et Goscelinus duo contra Tancredum tertium prælium commiserunt. Cui supplicanti, et pacem quærenti, nullatenus acquieverunt. Sed Goscelinus, congregatis 7 Turcorum millibus, Tancredum importune ad prælium lacessunt, et adjuvantibus Turcis quingenti de clientela Tancredi ceciderunt. Et licet primitus fere vinceretur Tancredus, tandem, Deo juvante, cujus equitatum semper vidit vultus victor, in campo remansit victor honoris. Sed cum optimates terræ damnum nasci viderent, utrobique sumpto invicem utili consilio, ad concordiam eos reduxerunt.

CAPUT XXVIII.

Quod Boamundus in Gallias transfretavit.

Tunc Boamundus in multis desolatus, ut superius jam dictum est, in Gallias transfretans est profectus. Ubi inter cætera negotia Philippi regis filiam nomine Constantiam, uxorem duxit, et in Apuliam reduxit, de qua filios duos habuit. Quorum quidem priore natu obeunte, posterior vero nomine quo pater nuncupatus hæres remansit.

CAPUT XXIX.

Quod Tancredus cum Turcis pugnans victoriam adeptus est.

Anno Domini 1105, mortuus est comes Raimundus miles emeritus in oppido suo ante Tripolim civitatem pridie Kal. Martii; cui successit nepos ejus Guillelmus Jordanus. Ea tempestate Sarracenorum et Turcorum protervia solita non defuit; cum deinde, mense Aprili, rex Halapiæ (id est Calipti), Radoan nomine, de regione sibi confini exercitum adunavit non minimum, et contra Tancredum Antiochiæ principem cornu suum ad præliandum nimis accensum extulit. Tancredus autem non in multa gente, sed in Domino spei suæ figens anchoram, aciebus suis bene compositis, contra hostes illos incunctanter equitavit. Quid longius morer? Audacter ante Artasium in eos irruit, et, Deo suffragante, illi protinus pavore circumfusi dorsa fugæ dederunt. Fugerunt, et fugati sunt. Qui fugere non potuit, nec mortem evasit. De interemptis non fuit numerus. De equis eorum plures habuit Tancredus. Signum quoque regis fugitivi retinuit. Cornu suo sic quassato mutilatus abiit. Glorificatus est igitur Deus, qui suis semper subvenit fidelibus. De Antiochenis hoc tantillum diximus. Nunc de Hierosolymis non taceam.

CAPUT XXX.

Quod iterum rex Babylonis omnem exercitum suum contra regem Balduinum misit, contra quos ille semet præparavit.

Referendum est enim quomodo rex Babylonis ipso anno gentem coadunaverit multam, quam Ascaloniam per militiæ suæ ducem ad præliandum contra Christianismum misit, arbitrans et moliens nos omnes de terra sancta exterminare. Didicerat enim nos esse paucissimos, et sine succursu solitorum peregrinorum. Conglobati igitur sunt apud Ascalonem tam Arabes equites quam Æthiopes pedites; cum quibus etiam fuerunt Turci Damasceni plus minus mille, qui sagittarii erant probatissimi. Quod cum regi Balduino nuntiatum fuisset, congregavit omnino gentem suam, et exspectavit eos apud Joppem. Et quia necessitas hoc exposcebat, cuncti qui in urbibus conversabantur arma ferre potentes, ad bellum perrexerunt, exceptis his tantummodo, qui muros noctu custodirent. Timor et tremor tunc venerunt super nos. Metuebamus enim ne aut de civitatibus nostris aliquam gente vacuam caperent,

aut regem cum populo suo in bello interimerent. Augustus erat mensis. Callebant enim ab utraque parte prœliari differentes; nec nos illos, nec illi nos impetebant. Termino autem, ut opinor, divinitus disposito, promovit se gens nefaria ab Ascalone, et cœperunt ad nos approximare. Quo comperto, regressus est rex Joppem, et equitavit usque ad Ramulam civitatem. Et quia bonum erat omnimode nostros Domino adhærere, et in Deo spem certam ponere (*Psal.* LXXII, 28), inspirato a Domino Deo consilio, misit rex in Hierusalem nuntium suum festinum ad patriarcham, et clerum, atque plebecu-lam, flagitans ut obnixe omnipotentis Dei exoraret misericordiam, ut Christianis suis in angustia positis opem de excelsis dare dignaretur. Noluit ergo legatus satis precatus quidquam mercedis accipere, timens ne forte legationem illam non posset explere, aut mercedem illam vivus acquirere. Sed sperans quandoque de labore hoc devoto remunerationem se percepturum a Deo, commendansque animam suam et corpus suum in manus Conditoris sui, Hierosolymam propere non distulit ire. Qui Domino ducente illuc pervenit, et ingressus civitatem quod quærebat non celavit. Quo manifestato, jussum est a patriarcha campanam majorem sonare, et gentem ante se totam adunari. « O fratres, inquit, amici et servi Dei, ecce vere bellum quod audieratis futurum; nam hoc referente nuntio, procul dubio nobis est paratum. Et quia sine divino auxilio nullatenus genti tantæ poterimus obsistere, clementiam Dei omnes implorate, ut regi nostro Balduino et suis omnibus clemens adjutor in hoc prælio imminente dignetur adesse. Distulit quidem rex hodie bellum fieri, sicut per hunc brevigerulum nobis modo notum facit, quatinus die crastina, quæ dies erit Dominica, qua Christus a mortuis resurrexit, securius prælietur, et adjunctis orationibus vestris et eleemosynis apud Deum roboratus, confidentius pugnet. Quapropter in hac nocte, juxta dictum Apostoli: *Vigilate, state in fide, omnia vestra fiant in charitate* (*I Cor.* XVI, 13, 14). Cras ibitis per loca in urbe hac sancta, affligentes vos et humiliantes pedibus nudatis, et Dominum Deum nostrum pie deprecantes, ut de inimicorum nostrorum manibus nos liberet. Ego ipse jam illuc vado; jamjamque a vobis discedo, monens ut, si quis ex vobis hic residuus arma ferre valet, mecum prompte veniat. Rex enim omnibus indiget. » Ut quid plus moror? Conscendunt in equos 150 simul tam equites quam pedites, et ita nocte imminente celeriter perrexerunt, et diluculo Ramulam urbem pervenerunt. Qui autem in Hierusalem remanserunt, precibus et eleemosynis afflictionibusque studiosissime vacaverunt. Usque horam meridianam ecclesias invisere non cessaverunt. Cantando plorabant, plorando cantabant; nam in processione clerici hoc faciebant. Ego quoque cum ipsis nudipes orabam. Majores etiam natu usque ad horam nonam die illa non comederunt, nec infantes genitricum ubera suxerunt, donec fame vexati plo-raverunt. Eleemosynæ nempe uberes egenis Impertitæ sunt. Hæc enim sunt opera, quibus Deus placatur, quibus ad salutem excitatur, quibus conversus non relinquit post se benedictionem.

CAPUT XXXI.

Pugna Hierosolymitanorum cum Turcis, et victoria adepta per virtutem sanctæ crucis.

Cum igitur Ramulam patriarcha, ut dictum est, pervenisset, et aurora postera stellas inciperet depellere micantes, gavisi sunt omnes de adventu suo, et excitati omnes cucurrerunt ad presbyteros, ut peccata sua Deo et eis confiterentur. Ad patriarcham similiter optimates, verbum salubre aliquod ab eo audire, et a peccatis suis absolvi cupientes. Hoc facto, veste pontificali patriarcha indutus, gloriosam crucem Dominicam, quæ in talibus negotiis deferri solebat, in manibus sumpsit, et ordinatis ut decuit catervis de militibus et peditibus, adversus hostilem exercitum progressi sunt. Milites nostri erant quingenti, exceptis illis qui militari nomine non censebantur, tamen equitantes. Pedites vero nostri non amplius quam duo millia æstimabantur. Pagani autem quindecim millia tam de peditibus quam de militibus deputabantur, qui nocte illa non longe a Ramula quasi quatuor milliariis hospitati sunt. Qui cum regem mane contra se viderent cum suis procedere, confestim ad prælium se paraverunt. Attamen versutia eorum aliquantulum tunc quassata est, cum partem unam de exercitu suo, sed minorem, ante Ramulam mittere disposuerant, ut exercitum nostrum fallerent; majorem vero partem mitti Joppem statuerant, ut et eam assilirent, et nobis nescientibus caperent. Sed cum regem adversus eos sic equitare prospicerent, simul reglobati sunt molimine suo confuso. Nec mora longior, alii alios impetierunt. Tunc clypei resonant, et ferri stridet acumen. Factoque impetu, utrinque exclamaverunt nostri omnes contra eos : *Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat*, sicut eis jussum fuerat. Illi autem circumvallantes nos, conquassare et confundere putaverunt penitus. Turci vero ex more sagittarii nos retro gyrantes, et sagittarum pluvia plagantes, jam arcuum officia dimiserant, jam vaginis enses extraxerant, quibus nos cominus feriebant, cum rex, hoc comperto, audacitate munitus signum suum album de manu cujusdam militis sui abripuit, et cum paucis illuc celerrime currens, oppressis succurrere sategit. Qui cum statim, Deo juvante, impetendo Turcos et occidendo dispersisset, ad majorem multitudinem Sarracenorum et Arabum Æthiopumque recurrit; sed nec in invasionibus, nec in percussionibus utrorumque amplius immorabor, quia volo arctare paginam limite parciore. Deus enim omnipotens servorum suorum nusquam immemor, nolens Christianos suos a perfidis illis destrui; qui pro ejus amore et nomine ampliando de longinquis partibus Hierusalem venerant, dederunt gens impia fugam repentinam, fugientes usque Ascalonem. O si capi potuisset Semelumuch dux illius mi-

litiæ, multa numismata in redemptionem sui regi Balduino exsolveret! Sed non effugit Gemelmulch admiratus Ascalonæ, qui locuples erat valde. Quo interempto, illis omnibus orta est non minima deploratio. Alterum Admiraldum olim Achonitam vivum retinuerunt, quem rex noster redimi fecit 20 millibus numismatum, præter equos et res alias. Æthiopes vero quoniam fugere nequiverunt, in campis trucidati sunt. Quatuor millia quidem tam de equitibus quam de peditibus eorum interfecti fuisse referuntur. De nostris vero sexaginta tabernacula eorum nobis remanserunt, jumenta quoque multa, cameli, asini, dromedæ. Tunc Deus laudatur, glorificatur, in quo virtutem fecimus magnam; qui etiam ad nihilum deduxit inimicos nostros. O mira divini judicii ordinatio! Ecce qui dicebant : « Eamus, Christianos illos omnes occidamus, et possidebimus eorum sanctuarium. Sed *non sic impii, non sic* (*Psal.* I, 4), quia vos posuit Deus *ut rotam, et sicut stipulam ante faciem venti* in ira sua vos confudit (*Psal.* LXXII, 14). » In lege sua juraverunt etiam ipsi, nunquam propter Francos fugere; sed tandem effugium salus tunc fuit eorum. Maluerunt perjurium incurrere quam morte stulte perire. Regressus est autem rex Joppem cum gaudio, ubi prædam in bello captam militibus suis et peditibus sub ratiocinio distribuit. Adhuc erat ante Joppem classis Babyloniorum, qui jam aliquandiu illic exspectaverant, scire cupientes quomodo et quando tam per mare quam per terram nos omnes et urbes maritimas omnino destruerent. Sed cum rex per nautas suos caput Gemelmuch admirati in bello decollati in unam de navibus eorum jactari fecisset, conturbati valde hoc comperto, et exterriti, diutius ibi stare noluerunt. Sed gentis confusione comperta, paululum tunc austro flante, in portus Tyri et Sidonis secesserunt. Quæ classis cum deinde Babyloniam reverteretur, spiritu procellæ, Dei gratia nobis satis favente, portibus nostris sparsim naufragio miserabili advectæ sunt. De quibus 25 naves Sarracenis plenas habuimus; reliquæ vero velificantes vix evaserunt. Igitur nobis Dominus adjutor in tribulationibus existens pius, sic manifestavit omnipotentiam suam.

Ergo diem belli cunctis volo certificare.
Jam decies orto Phœbo sub Virginis astro,
Cum solida terras spectaret imagine luna,
Sexta Kalendarum Septembris cum legeretur,
Annuit Omnipotens Francos gaudere triumpho :
Cum fugiunt Arabes, Turci simul, Æthiopesque,
Pars montana petit, remanet pars mortua campis.

CAPUT XXXII.

De terræmotu.

Quoniam quidem ne vel scriptorum negligentia vel imperitia, vel quod rari erant forsitan, vel suis impediti curis insudabant, hæc gesta oblivioni non scripta darentur, malui ego Fulcherius scientia rudis, ingenio debilis, temeritatis nævo notari, quam hæc opera non propalari, prout oculis vidi, vel a relatoribus veridicis perscrutans diligenter didici. Precor autem hæc legentem, ut rescientiæ meæ charitative indulgeat, et dictamen istud nondum a quolibet correptum oratore jocatim si velit corrigat. Verumtamen historiæ seriem propter pulchritudinem partium pompaticam non commutet, ne gestorum veritatem mendaciter confundat. His gestis quæ superius dicta sunt, ipso anno declinante sensimus omnes terræmotum grandem, qui Hierusalem inceramus. Quod in vigilia Nativitatis Domini valde nos terruit.

CAPUT XXXIII.

De signis in cœlo apparentibus.

Anno deinde 1106, nihilominus cometa in æthere apparens nos illum suspicientes pavefecit. Qui in ea parte, qua sol hiemali tempore occumbere solet, splendoris alburni radium ad instar telæ lineæ in longum mirifice produxit. Hoc prodigium nempe in mense Februario rutilare incipiens die quo lunam pronuntiabamus primam, futurorum præsagium nuntiabat. Sed quia de eo nil augurari præsumpsimus, totum quod significabat Domino commisimus. Quinquaginta et eo amplius diebus vespere quotidiano cometa ille per totum visus est mundum. Notandum quod ab exordio sui ortus, tam ipse cometa quam splendor ejus niveus de die in diem paulatim attenuatus est, adeo ut in ultimis diebus vim sui luminis jam perdens, parere omnino cessaret. Indilate autem mense eodem, die quo lunam pronuntiavimus vicesimam, vidimus in cœlo ab hora tertia usque ad meridianam, ad dexteram et lævam solis partem, quasi duos soles alios, nec tantum tamen sicut major fulgentes, sed forma et lumine rariore mediocriter rutilantes. In quorum gyro circulus insuper apparuit unus splendore candidus, exstans amplitudine tanquam quævis civitas. Intra quem alter circulus clarebat dimidius, iris habens similitudinem, quadruplici distinctus colore, et in parte superiore solis amplexione arcuata usque duos soles jam dictos attingens. Deinde sequenti mense hora noctis mediæ stellæ cœli pluere visæ sunt.

CAPUT XXXIV.

De prælio Christianorum contra Damascenos.

Postmodum vero Hugo, qui Tiberiadem urbem tunc possidebat, æstivo tempore adversus militiam Damascenam bellavit. Qui cum bis in ipso prælio jam ab eis repulsatus esset, tertio belli recursu Domino suffragante victor victos eos superavit. Ducentos siquidem ex eis occidit, totidemque de equis eorum retinuit; reliqui vero terga fugæ dederunt. Mirum dictu! sexies viginti quadragies centum dispersserunt. Deinde mora non fuit, cum ipse cum rege Balduino in expeditione esset, in terra eadem ictu sagittæ Hugo interiit.

CAPUT XXXV.

Quomodo patriarcha Romam petiit, et de prœliis Joppitarum atque Ascalonitarum.

Anno 1107, transfretavit patriarcha, Ebremarus nomine, Romam petens. Quæsiturus enim erat ab apostolico utrum patriarcha remaneret. Nam Daibertus superius memoratus patriarchatum recupe-

raverat; sed in reditu postmodum obierat. Mense demum Novembri eodem anno, cum insolitam, sævitiam Ascalonitæ efferverent, ad radices montanorum nostrorum inter Ramulam et Hierusalem insidias posuerunt, ut unam gentis nostræ catervam, quam de Joppe Hierusalem tunc ituram didicerant, occursu repentino invaderent. Sed hoc Joppitis intimato, in equos festini conscenderunt. Et cum ad locum insidiarum nuntio rei ductore pervenerunt, dubitantes adhuc an verum dixisset, visis illis exterriti valde timuerunt. Erant enim milites fere quingenti, et pedites propemodum mille. Nostri vero milites, non plusquam 75. Quibus cum non liceret etiam meditari quid facerent, et non erat eis salvatio si fugerent, et mors non deerat si pugnam committerent, gratius elegerunt honorifice si contingeret mori, quam fugæ infamia postmodum notari. Impetu igitur mox in eos facto momentaneo, mirum in modum hostilem aciem penetraverunt, prosternendo eos et occidendo. In quo certamine cum acrius Sarraceni se viderent conteri, audacitatem suam Domino volente perdentes, bellare cessaverunt. Quod cum viderent milites nostri, potentius eos pervaserunt, et quos illi fugare putaverunt, eos nostri fugere compulerunt. De quibus plures occiderunt, et de equis eorum plurimos retinuerunt. De militibus nostris non plusquam tres perdidimus. Sed clientela eorum de jumentis nostris aliquot abduxerunt; de suis nostri talionem duplicaverunt.

CAPUT XXXVI.

Quod Boamundus aggregato exercitu terram imperatoris vastavit.

Eodem siquidem anno, postquam Boamundus de Galliis regressus est, congregata gente quantumcunque potuit, in portu Brundusino, qui est in Apulia, classem suam paravit. Qui cum tempus ad transfretandum exspectasset opportunum, VII Idus Octobris naves ingressi Bulgariam navigaverunt, et Avalonis portui applicuerunt. Et Avalone citissime capta, Duratium urbem adeuntes, III Idus Octobris obsederunt. Sed quia civitas illa tam hominibus quam victualibus satis erat munita, obsessores diu fatigavit. Habebat quidem domnus Boamundus quinque millia militum, et 60 millia peditum. Feminam quippe nullam tunc secum transire permisit, ne exercitibus impedimento essent et oneri. Erat quidem imperator Constantinopolitanus, Alexis nomine, genti nostræ tunc valde contrarius, et Hierosolymam peregrinantibus vel fraude clandestina vel violentia manifesta tam per terram quam per mare perturbator et tyrannus. Quapropter Boamundus collecto, ut dictum est, exercitu, terram illius intravit, civitates et oppida comprehendere nitens.

CAPUT XXXVII.

De concordia inter imperatorem et Boamundum sacramento firmata.

Anno autem 1108 ab Incarnatione Domini, cum ante Duratium jam per unum sedisset annum, nihil proficiens, nisi quod contra imperatorem aliquas moliebatur insidias, contra quem quoque imperator faciebat, tandem per internuntios concordia prolocuta, cum etiam imperator ad eum cum exercitu suo jam approximasset, amici adinvicem conventionibus internistis facti sunt. Juravit enim Boamundo imperator super reliquias pretiosissimas, peregrinos, de quibus jam sæpe fatum est, tam in terra quam in mari, quanto latius imperium ejus extendebatur, ab illo die et deinceps se salvaturum et conservaturum, ne quis eorum diriperetur, vel male tractaretur. Ille quoque imperatori juravit pacem et fidelitatem omnimode tenendam. Qui postmodum occasione habita Apuliam remeavit, partem exercitus sui minorem secum reducens. Pars enim major Hierusalem, ut voverant, per mare profecti sunt, Ipso anno Philippus rex Franciæ dedit finem vitæ.

CAPUT XXXVIII.

De obsidione urbis Tripolitanæ.

Anno 1109 et ab Hierusalem capta 11, Bertrandus Raimundi comitis filius venit Tripolim, adhibitis Januensibus secum, cum classe navium rostratarum fere 70. Quæ omnes ibi applicuerunt. Quam urbem, scilicet Tripolim, volebat impugnare, et sub patris sui jure hæreditario propriam possidere. Quam cum obsidione cinxissent, orta lite confestim inter Bertrannum et Guillelmum Jordanem cognatum suum qui eam semper impugnaverat, postquam Raymundus comes obierat, et versabatur illic Guillelmus in oppido, qui Mons-Peregrini dicitur, Tripoli proximo, Bertrannus dicebat : « Mea esse debet civitas hæreditario jure, quia pater meus, qui eam primitus impugnare cœpit, in coarctando illam, oppidum istud, scilicet Montem-Peregrinum, magna probitate ædificavit, et post excessum suum mihi obtinendam dedit, dum vivebat. » Guillelmus vero dicebat : « Mea utique debet esse, et merito, quia et hostes hujus terræ habitatores post excessum comitis semper coercui strenue armis meis, et terram adjacentem urbi amplificare studui et laboravi. » Et quia sub discordia magna de statu suo solent labi, et in concordia minima augeri, Guillelmus malevolentiæ causa de negotio illo retrahebat se, Bertrannus autem cum suis urbem viriliter cohibebat. Hic nollet illum posse proficere, ille quoque nollet etiam hunc vivere. Certant pro incertis, et sunt incerti de incertis. Contendunt pro momentaneis, et non laborant pro æternis. Currunt qui forsitan non comprehendunt. Remanebat igitur in bivio bravium. *Non* est *currentis* igitur, *neque volentis : sed est miserentis Dei* (*Rom.* IX, 16). Necdum urbem ceperant, et jam de captura litigabant. Ad nutum Dei momenta transvolant, et cogitationes hominum vanæ subvertuntur.

CAPUT XXXIX.

Quomodo urbs Tripolis capta sit.

Et non fuit mora, postquam rex Balduinus ad obsidionem venit illam, deprecatus est Januenses ut ipso anno juvarent eum ad capiendam Ascalonem

atque Beritum, nec non Sidonem. Et contigit, dum ordiebatur concordiam fieri inter duos memoratos comites, nescio quo infortunio, dum noctu equitabat Guillelmus ille Jordanus, sagittæ ictu parvæ clam interiit. Sciscitabantur omnes quis hoc fecisset; sed hoc addiscere nequiverunt. Ili dolent, illi gaudent. Hi lugent amicum, illi lætantur super inimicum obrutum. Remansit Bertrandus regis Balduini homo effectus. Tunc civitas undique coarctata est. Laborant externi, vexantur interni. Sed cum Sarraceni valde coarctarentur, et nulla spes jam eis esset evadendi, sub fidei pactione jurata, et a rege confirmata, ne occiderentur, sed quocunque vellent sine contradictione abirent, permissi sunt ea conditione rex et sui in unam urbis partem ingredi. Quod dum ita fieret, nescio quo eventu ortus est tumultus magnus inter minores Januensium repentinus, qui per chordas et per scalas murum conscenderunt, et urbem introierunt. Et qui inventus est ibi Sarracenus, illico capite truncatus est. Qui autem in circo regis fuerunt, juxta pactionem inde factam ab eo defensi sunt.

Ter decies Cancro dederat jam lumina Phœbus,
Si tria de numero tamen ejiciendo recidas,
Urbem cum Tripolim capiunt gens bellica per vim.

CAPUT XL.

Quomodo Beritus civitas capta sit.

Anno 1110, dum mensis Februarius adhuc imbribus hibernis terras cohiberet, profectus est rex Balduinus Berithum civitatem, et obsedit eam. Cui venit in auxilium Bertrannus comes Tripolitanus, et consedit exercitus ad primum ab urbe lapidem. Cumque per 75 dies, ut opinor, civitatem undique coarctassent, et naves, quæ ad subsidium eorum illuc conflixerant, naves nostræ intra portum conclusissent, turribus ligneis muro tunc admotis, Franci nostri ausu magno de illis super murum nudatis cum ensibus prosilierunt. Descendentes itaque in civitatem, cum per portas etiam multi ingrederentur, fugientes hostes vehementer persequentes, denique peremptos superaverunt, eorumque pecuniam totam diripuerunt.

Anno milleno centeno, bis quoque quino,
Urbem Beritum virtus capit armipotentum.
His decies ortus sub Tauri sidere Phœbus,
Terqûe quaterque fuit, cum factum contigit istud.

CAPUT XLI.

Quod rex Balduinus et princeps Tancredus contra Turcos Edessam obsidentes profecti sunt.

Iis ita gestis, rediit rex Hierusalem, Deo laudes debitas redditurus, per quem triumphaverat. Deinde paravit se iturum contra Turcos, qui Edessam Mesopotamiæ urbem obsidebant. Tunc quidem vidimus cometam unum per noctes aliquot, ad austrum radios suos extendentem. Tancredus etiam tunc adunavit gentem suam Antiochiam, quantamcunque potuit, exspectato jam rege per dies aliquot; qui simul congregati sunt ante fluvium Euphratem. Quo transito, invenerunt statim Turcos, quos appetebant; qui per regionem illam catervatim discurrentes, regis exspectabant adventum. Sed quia sciebant milites nostros esse probissimos bellatores, et mirabiles de lanceis percussores, non sunt ausi cum eis bellum committere, sed fugitiva calliditate ab eis divertentes nec bellare audebant, nec in terram suam secedere volebant. Et cum astutia tædiosa per dies plurimos nolentes prœliari nostros fatigare studuissent, sumpto necessitatis et utilitatis consilio, munivit rex Edessam urbem annona, qua multum indigebant inhabitantes, quia vastaverant Turci regionem in circuitu. Comprehensis castellis et colonis, quibus civitas prædicta pascebatur, non amplius morantes ad fluvium memoratum redierunt. Qui cum paulatim cum ratibus paucis et modicis transissent, adfuerunt illico post eos venientes Turci versipelles et rapaces, qui multos de peditibus nostris ibi arripuerunt, et in Persidam abduxerunt de Armenis videlicet inopibus, quos Turci jam impie vastaverant. Et quia difficultas erat flumen tunc ad eos transmeare, satis inde dolentes viam incœptam tenuerunt : Tancredus eundo Antiochiam, rex vero redeundo Hierusalem.

CAPUT XLII.

Quomodo Sidon, quæ Sagitta dicitur, a rege et a Noroensibus obsessa et capta sit.

Applicuerant interim Joppe gens quædam Noroensis, quam de mari occiduo concitaverat Deus, ut Hierusalem peregrinarentur. Quorum classis navium 55 erat. Horum primus erat juvenis forma valde speciosus, regis terræ illius germanus. Cumque regressus rex fuisset Hierusalem, adventu eorum gavisus, cum eis locutus est amicabiliter, monens eos et deprecans, ut pro amore Dei morarentur in terra sua aliquantulum, et juvarent Christianismum amplius provehendum et amplificandum, ut expleto utcunque negotio Christi, in terram suam postea gratias Deo magnificas redderent. Quam petitionem illi benigne suscipientes, responderunt non pro alia causa Hierusalem venisse, sed quocunque cum exercitu suo rex progredi vellet, ipsi marino itinere simul voluntarie proficiscerentur, tantum ut victum eis necessarium impendere curaret. Hinc est concessum, illinc peractum. Et cum primitus Ascalonem adire disposuissent, laudatiori demum sumpto consilio, Sidonem civitatem adeuntes obsederunt. De Ptolemaida, quæ frequentius Achon dicitur, movit rex exercitum suum. Noroenses vero de Joppe navigio processerunt. Tunc classis admiraldi Babylonii in Tyrio portu latitabat, qua Sarraceni ritu piratico Christianis nostris peregrinis persæpe oberant, et civitates maritimas, quas adhuc rex Babylonis possidebat, munientes vegetabant. Cum autem de Noroensibus murmurare audissent, nec de portu Tyrio egredi, neque cum eis congredi ausi sunt. Cumque ad Sidonem ventum est, obsedit eam rex a terra, Noroenses vero a mari. Et factis machinis, terruit valde inter nos hostes, ita ut quærerent a rege qui solidarii erant, quatenus eos sanos inde exire permit-

teret, et si ei placeret, agricolas ad excolendum ter- A ras causa utilitatis suæ in urbe remanerent. Hoc petierunt, hoc impetraverunt. Sine donativo quidem sic solidarii abierunt. Ruricolæ vero sub pactione prædicta pacifice remanserunt.

Jam decies novies sol viserat Architenentem,
Urbem Sidonii cum reddunt mense Decembri.

CAPUT XLIII.

De Turcorum pessima inquietatione, atque regis Balduini, et Tancredi contra eos profectione.

Anno 1111, ebulliit e Perside Turcorum gens maxima, qui, per Mesopotamiam meantes Euphratem fluvium transierunt, et obsederunt castrum quod Turbezel vocatur, morantes ibi uno mense. Et cum non possent istud statim comprehendere, quia forte situ B est, tædio molestati dimiserunt obsidionem, in partes Caiipti urbis secedentes. Nam callide versutiantes, moliebantur irritare Tancredum, ut contra eos exiret ad bellum, ut ab Antiochia elongatum possent cum sua gente magna eum intercipere, et omnino destruere. Sed Tancredus astutiam astutiæ opponens, noluit per stultam audaciam suam confundere probitatem, sed misit legatos regi Balduino, per eos humillime deposcens, ut Christianismo succurrere festinaret. Quo audito, spopondit rex auxilium facere petitum. Et terra sua custodibus commissa, properavit ad bellum, ducens secum Bertrannum comitem Tripolitanum. Qui cum pervenissent ad oppidum, quod Rugeam nuncupant, prope Rusam, adfuit ibi Tancredus, qui adventum regis jam per quinque dies C exspectaverat. Quo cum gaudio suscepto, deposita sunt tentoria, et extensa secus flumen Fernum, hospitalitatem agentes Hierosolymitani cum Antiochenis. Et non ibi morantes, perrexerunt usque Apamiam urbem, quæ jam sub Tancredo villicabatur, dudum ab eo probissime capta. Deinde contra Turcos progressi sunt, qui ante urbem quam dicunt Sisaram castra metati sunt, quam urbem litteratorie nominare nescio; sed Cæsar incolæ regionis eam vulgariter vocitant, quæ ab Apamia sex millibus distat. Turci autem, quia jam audierant Francos contra eos incedere, in virgultis et in clausuris civitatis antedictæ se inseruerant, ut securius se tueri possent, si forte impetu Francorum coercerentur. Verumtamen cum milites nostros appropinquare ad D eos conspexissent, exierunt de munitione jam dicta, genti nostræ se monstrantes. Attamen callentes, et non præsumpserunt bellare, et noluerunt fugere. Milites vero nostri per catervas ordinati, cum viderent eos sparsim per campos discurrere, et non ad bellandum se aptare, vitantes damnum noluerunt eos impetere. Itaque tam metu quam versutia utrinque circumflexi Turci inibi remanserunt. Nostri quoque tramite recidivo reversi sunt. Et quoniam victuale tam sibi quam jumentis suis deficiebat, nequaquam diutius eos ibi morari oportebat. Rediit rex Hierusalem, cum quo illic eram. Tancredus vero Antiochiam.

CAPUT XLIV.

Quod rex Tyrum, quæ Sur dicitur, obsedit, sed nihil profecit.

Nec mora inde fuit, apparatu accelerato aggressus est rex Tyrum civitatem, quæ Soor Hebraice dicitur, et obsedit eam. Quam cum per quatuor menses et eo amplius admodum vexasset, idem etiam cum suis tædio et labore valde fatigatus, tristis inde abscessit. Nam cum duas turres, quas artificiose ligneas muro altiores fieri jusserat, prope murum jam impegisset, unde civitatem comprehendere se putabat, sentientes Sarraceni se morti proximos, nisi artem arte fallerent, ingenium ingenio opposuerunt, probitatem probitate fefellerunt. Cum enim altitudinem turrium nostrarum se superare penitus conspicerent, confestim egentes auxilii nocturna operatione duas turres murales in sublime adeo extulerunt, ut de supernis propugnaculis earum probissime se defenderent, et in turres nostras inferiores focum accenderent et concremarent. Quo infortunio milites nostri superati, dolore quoque circumfusi, rupto spei suæ fune, regressus est rex Achon. Vere verum est proverbium istud rusticani :

Interdum buccam cochlear frustratur apertam.

Jam gens nostra capturam rapinarum distribuerat. Jam alii aliis proportionibus incertis invidebant. Jam diem captionis tanquam sibi certum divinabant. *Equus paratur ad bellum*, ait Salomon, *Dominus autem salutem retribuet* (*Prov.* XXI, 31). Confidunt interdum homines in virtute sua, non considerantes quid apud Deum promeriti sint, qui voce sæpe illum invocant, et operibus negant; et plus probitatem suam in acquisitis laudant, quam misericordiæ Dei donum glorificent.

CAPUT XLV.

De morte Tancredi principis.

Anno 1112, lethale debitum Tancredus exsolvit, qui Antiochenum regebat principatum.

Jam bis terdecies sol viserat Architenentem,
Cum subiit quod erat, ut quod fuit id foret ipse.

Successit ei Rogerus cognatus ejus. Anno illo bellorum expertes omnino fuimus.

CAPUT XLVI.

De signis apparentibus.

Anni 1113 ab Incarnatione Dominica, dum mense in Martio lunam habebamus 28, vidimus solem a mane usque ad primam, et eo amplius, defectione quadam ab una parte minorari. Et pars, quæ primitus a summo tabescere cœpit, tandem quasi in rotundo ad ima devenit. Attamen sol claritatem suam non amisit. Qui non minoratus est, nisi, ut æstimo, a quarta parte suæ formæ aliquantulum cornutus.

Hoc eclipsis erat, quod sol ita deficiebat.

CAPUT XLVII.

De prælio contra Turcos peracto in quo rex et Christiani victi sunt et per hoc multa mala venerunt.

Æstivo deinde tempore, congregati Turci transierunt Euphratem, Hierosolymorum partes adituri; et

nos Christianos, ut rati sunt, destructuri. Qui regionem Antiochenam ad dexteram relinquentes, non longe ab Apamia Syriam transeuntes, et Damascum ad lævam dimittentes, et inter Tyrum et Cæsaream Philippi, quæ Paneas dicitur, per regiones Phœniceas meantes, calluerunt appetere regem Balduinum. Qui adventu eorum audito, a Ptolemaida, hoc est Acho, moto exercitu suo jam contra eos exierat. Providentes autem quod sibi utilius esse senserunt, cum et nostri ignorarent quid facere molirentur, circuierunt mare Galilææ per terram Nephtalim et terram Zabulon, usque dum in finem maris jam dicti ad austrum duo flumina, Jor scilicet et Dan, se includerent. Insula quidem hæc inter duos pontes tanta tuitione munitur, ut qui ibi fuerint propter introitus artos pontium non possint impeti. Cumque Turci papiliones suos illic extendissent, mox emiserunt de suis duo millia transito ponte, ut insidias nostris pararent, quos illuc accurrere indilate non dubitabant. Cum igitur rex illuc tenderet, ut prope pontem memoratum, a quo Tiberiadem pergitur, poneret castra sua, visis Turcis fere quingentis, qui de insidiis suis ut nostros invaderent erumpebant, illico aliquanti contra eos imprudenter cucurrerunt, et cædendo eos persequi non formidaverunt, quoadusque de insidiis duo millia prodierunt, qui nostros vehementi aggressu repulerunt, et triplicata cæde in fugam dispersi sunt. Proh dolor! grande dedecus grandia peccata nostra die illo contulerunt. Fugit etiam rex, vexillo suo ibi perdito, tentorioque optimo cum rebus plurimis et vasis argenteis, patriarcha similiter qui aderat. Milites ferme 30 de melioribus, pedites 200 perdidimus.

Ter quater exorto sub Cancri sidere Phœbo,
Dissipat incautos truciter gens perfida Francos.

Nondum regis militia illuc aderat tota. Nec Rogerus princeps Antiochenus Richardi filius ibi erat, qui mandatus pro amore Dei et dilectione regis de Antiochia illuc præpropere venerat. Pars quoque gentis Tripolitanæ jam exercitui regio conglobata. Unde omnes isti contristati sunt valde, et immodestiam regis vituperaverunt, eo quod sine consilio eorum et auxilio inordinate et inconsulte adversus hostes illos sic concurrisset. Et quia nequiverant tunc nocere Turcis in aliquo, hospitati sunt non longe ab eis, ut tota die se mutuo utrique conspicere possent. Maledoctus vocabatur dux eorum militiæ, qui regem Damasci, Tuldequinum nomine, in auxilium sibi conglutinaverat. Ille gentem adduxerat multam, iste vero de Syria sibi subjecta congregaverat innumeram. In valle Turci erant, in monte Franci considebant. Nec Turci audebant de insula exire sua, nec Franci poterant eos assilire. Isti callent, illi timent. Hi callidi, isti providi. Temporis æstivi fervor cohibebat utrosque; nec tamen angori poterat finem dare tanto. Tunc absentes mirantur quid præsentes morabantur. Sarraceni, qui erant nobis subditi, recesserunt a nobis, quasi alieni nos undique angustiantes. Turci etiam, de exercitu suo caterva-

A tim prodeuntes, terram nostram vastabant, prædam et annonam per Sarracenos nostros exercitui suo mittebant. Sichen, quam urbem Neapolim dicimus, tam interim obtinuerunt quam diripuerunt, additis sibi Sarracenis, quos in montanis possidebamus. Ascalonitæ vero, Arabes, et Sarraceni, gens tamen pauca, Hierusalem adierunt. Quadam die usque antemurale urbem pervaserunt, messes ibi coadunatas igni combusserunt, sagittis suis aliquantos de nostris in muri propugnaculis vulneraverunt. De illis tamen plures ad mortem læsi sunt. Milites quippe civitati deerant, quia in hostem iverant. Nocte sequenti Ascalonitæ isti abierunt, unde satis nostri lætati sunt, quoniam ab eis obsideri timuerunt.

B

CAPUT XLVIII.

De metu nimio, qui universos cohibebat.

Ea tempestate aut vix aut nunquam valebat nuntius ad regem ab aliquo nostrum mittendus exire, nec ab eo ad civitates nostras propter insidias transire; ideo quod nesciebatur ab illis quid isti, nec ab istis quid facerent illi. Ruribus in multis marcebat messis adulta. Nec qui colligerent in agros exire videres. Non audebant enim. Eo quidem anno messis abundans fuit. Sed dum mare turbatur, homines terret ne piscentur. Cuncta cunctis in dubio pendebant, et quibus triumphum daturus esset Deus, unanimiter exspectabant. Christiani nostri a negotiis et operibus cessabant, excepto quod urbium et munitionum fracturas resarciebant.

C

CAPUT XLIX.

De terræmotu, et quod rex comitissam Siciliæ duxit uxorem.

Interea terræ motum sensimus bis, scilicet xv Kal. Augusti, et v Idus ejusdem: primum nocte media, secundum diei hora tertia. Turci autem versipelles, cum per duos menses opportunitatem vel dissipandi vel superandi nostros exspectassent, nec potuissent, quia de transmarinis partibus, ut mos est, venientibus peregrinis, eo tempore diatim exercitus noster crescebat, nec gens Antiochena abibat, secesserunt in partes Damascenorum. Et rex Balduinus cum suis Ptolemaidam reversus est, ubi comitissam Siciliæ reperit, quæ conjux fuerat Rogeri comitis Roberti Guiscardi fratris; nunc autem uxor futura regis Balduini. Nec mora, postmodum apud Damascum interemptus est Maledoctus [*in edit.* Maudulfus, et Maulidulfus] a quodam Sarraceno. Qui sicca sub veste occultata, et ter in ventrem illius impacta, duplex illuc explevit homicidium. Illo enim occiso, sic et ipse confestim ab assistentibus occisus est. Dira victoria, qua qui vincit vincitur. Itaque contigit juxta illud philosophi: « Fortuna vitrea est, tunc cum splendet frangitur (P. Syrus, in *Mim.*). » Erat Maledoctus dives valde et magnipotens, inter Turcos nominatissimus, et in actibus suis astutissimus. Sed voluntati Dei resistere non valuit. Permisit cum Dominus aliquandiu

D

nos flagellare, postea voluit morte vili et imbecilli manu perire.

CAPUT L.

De terræmotu multis locis existente.

Anno 1114, multitudo locustarum infinita ebulliit, a parte Arabiæ advolans in terra Hierosolymitana, quæ per dies aliquantos segetes mense Aprili et Maio multum vastaverunt. Deinde die festo sancti Laurentii terræ motus factus est. Tempore autem sequenti, quod accidit Idus Novembris, apud urbem Mamistriam, terræ motus partem subruit oppidi. Item major et inauditus regionem Antiochenam adeo per loca concussit ut oppida plurima sive tota, sive dimidia, tam domos quam muralia solo tenus subrueret; in qua etiam ruina pars plebis suffocata interiit. Mariscum dicunt civitatem ab Antiochia 60, ut æstimo, distantem milliariis, in parte septentrionali; quam subvertit in tantum commotio illa, ut domus et muralia penitus corruerent, et populum inhabitantem, pron dolor! cunctum exstingueret. Aliud quoque oppidum, quod Traleth nuncupatur, prope fluvium Euphratem, nihilominus subruit.

CAPUT LI.

De adventu Turcorum, et obsidione Joppitarum ab Ascalonitis et Babyloniensibus.

Anno 1115, probitatem et audaciam solitam Turci renovantes, mense Junio tacite satis flumine transito Euphrate, ingressi sunt Syriam, et castra metati sunt inter Antiochiam et Damascum, scilicet ante Cæsar civitatem. Ubi similiter in quarto ante anno stationem suam fecerant, ut superius jam scriptum est. Comperiens autem et sciens Tuldequinus, rex Damascenorum, nihilominus se esse odiosum illis quam nos Christianos, propter Maudulfum, quem in præterito, ut superius legitur, anno dolose consenserat perimi, qui magister satrapa fuerat militiæ eorum, fecit cum rege Balduino et Rogero principe Antiocheno pacem, ut eis adjunctus duobus tertius, quasi funiculus triplex efficeretur, ne a Turcis postea facile rumperetur. Metuebat enim ne, si solus remaneret, ipse cum regno suo penitus confunderetur. Necessitate vero urgente, et mandatione Antiochenorum monente, ivit rex ad prælium fore putatum. Sed cum audissent Turci ad eos jam appropinquasse, quem Antiochenses et Damasceni per tres fere menses exspectaverunt, metuentes mortis suæ periculum, si contra tantam gentem bellarent, quamvis multo plures essent, abierunt retro tacito satis motu, et subierunt caveas quasdam, non longe tamen a nostris. Et cum hoc fecissent, arbitrati sunt rex et alii quod a regionibus nostris omnino discessissent. Quapropter regressus est rex usque Tripolim. Dum autem hæc ita agerentur, scientes Ascalonitæ terram Hierosolymitanam militibus vacuam, accurrerunt usque Joppem civitatem nostram, et apposuerunt ei obsidionem tam per mare quam per terram. Adfuit enim ibi Babylonica classis, 70 ferme navium, quarum aliæ triremes, aliæ vero rostratæ, aliæ negotiationis annona onustæ. Ili a parte maris egressi, et alii a terra parati assilierunt urbem. Et cum per scalas, quas secum attulerant, murum ascendere pertentarent, a civibus licet paucis et infirmitate debilibus viriliter repulsi sunt. Sed cum viderent se non posse quidquam proferre, sicut rati sunt, præter portas urbis quas igni combusserunt, timentes ne forte Hierosolymitani Joppitis auxilium ferrent, quibus jam hoc nuntiatum fuerat, reversi sunt Ascalonem qui per terram venerant; qui vero per mare, Tyrum navigaverunt. Post dies autem decem regressi Ascalonitæ Joppem, arbitrantes providi improvidos assultu repentino confundere. Sed Deus omnipotens, qui eos primo, similiter secundo eos protexit et conservavit. In defendendo etiam se aliquantos ex illis occiderunt, et de equis eorum retinuerunt. Cum fundibulis cœperunt urbem cohibere, et cum scalis ut prius tentaverant introire, quas in naviculis secum detulerant. Sed cum per sex horas diei se fatigassent, mœsti nimis cum mortuis suis abierunt.

CAPUT LII.

De pugna Turcorum et Antiochenorum, in qua Antiocheni victoriam adepti sunt.

Turci autem superius memorati cum gentem nostram remeasse comperissent, regressi sunt ad stationem suam priorem, et discurrerunt per regiones Syriæ, capientes castella quot potuerunt, villasque prædando, atque vastando patriam; captivos captivasque secum abducendo. Sed cum hoc nuntiatum esset Antiochenis, qui se jam retraxerant recidivo tramite, haud lente ad Turcos reversi sunt. Et cum appropinquassent ad eos, et tentoria eorum propius quam putassent aspexissent, ordinaverunt statim acies suas, et descenderunt in plana, vexillis explicatis contra eos equitantes. Juxta Sarmit oppidum fuit hoc prælium. Cumque vidissent eos Turci, pars eorum una sagittaria illico fortiter obstitit. Sed Franci nostri animositate valida commoti, eligentes vel eos superare, si Deus concederet, vel superari si permitteret, quam per unumquemque annum ita ab eis confunderentur, ubi turbam densiorem conspexerunt, mirifice eos impetierunt. Turci autem aliquantulum primitus renitentes, dein haud lente tam percussoribus quam occidentibus terga fugientes dederunt. De quibus æstimati sunt tria millia occisi, capti multi. Et qui occidi vitaverunt, fuga se liberaverunt. Tabernacula sua perdiderunt, in quibus multa pecunia et utensilia reperta sunt. Cujus pecuniæ pretium æstimatæ, 300 bysantiorum millia reputata sunt. Captivos nostros ibi reliquerunt, tam Francos quam Syros; mulieres quoque suas et ancillas, camelosque quamplurimos. Millia mulorum percensita sunt et equorum. Vere Deus mirabilis in cunctis mirabilibus suis. Dum enim Hierosolymitani una cum Antiochenis Damascenisque parati ad præliandum fuerunt, nihil omnino profecerunt. Nunquid in multitudine gentis constat victoria bellantium? Mementote Machabæorum, et

Gedeonis, et aliorum plurium, qui non in sua, sed in Domini confidentes virtute, cum paucis multa millia prostraverunt.

His ita descriptis, erit actio nota futuris.
Tres aberant noctes ut abiret Virginis astrum,
Cum male deceptrix Turcos fortuna fefellit.
Omnibus unde satis liquido patet esse cavendum,
Ante rei finem nihil unquam credere certum.

Ipso anno iterum subversa est urbs Mamistria terræ motu. Alias etiam in regione Antiochena non minus accidit. Anno eodem venit quidam episcopus Aurasicensis ab apostolico missus Hierosolymam, et deposuit Arnulfum patriarcham de sede sua. Quapropter Romam adiit, et patriarchatum recuperavit.

CAPUT LIII.

De castro in Arabia constructo.

Eo anno profectus est rex Balduinus in Arabiam, et ædificavit ibi castrum unum in monticulo quodam situ forti, non longe a mari Rubro, sed quasi dierum trium itinere, ab Hierusalem vero quatuor, et posuit in eo custodes, qui patriæ illius dominarentur ad utilitatem Christianismi. Quod castrum ob honorificentiam sui Regalem montem nominari constituit, quia parvo tempore cum pauca gente, sed maxima probitate, illud ædificaverat.

CAPUT LIV.

De expeditione regis in Arabiam, et de his quæ ubi vidit.

Anno 1116, cum de Hierusalem castrum suum revisurus rex graderetur in Arabiam cum ducentis ferme militibus, usque ad Rubrum mare iter agendo expedivit, ut et videret quod nondum viderat, et fortuitu in via aliquid boni quod desiderabat inveniret. Tunc invenerunt Elim civitatem secus littus ejusdem maris, ubi populum Israeliticum post maris transitum hospitatum esse legimus (*Exod.* xv, 27). De qua qui ibi versabantur, audito regis adventu, egressi sunt : et intrantes naviculas suas, in mare pavidi se impegerunt. Cum autem rex et sui locum illum quandiu libuit considerassent, reversi sunt ad Regalem montem castrum suum, deinde Hierusalem. Qui cum nobis ea quæ viderant narrarent, delectabamur tam dictis quam in cocleis marinis, et lapillis quibusdam generis tenerrimi, quæ nobis allata monstrabant. Ego ipse avido corde plene rimabar ab ipsis, cujusmodi mare erat, qui huc usque dubitaveram utrum salsum an dulce erat ; stagnum vel lacus, aut intrans et exiens ut mare Galilææ ; sive meta finali concluderetur ut mare Mortuum quod Jordanem recipit, sed postea nusquam emittit. Nam ab austro apud Segor civitatem Loth finem facit.

CAPUT LV.

De mari Rubro.

Hoc autem mare Rubrum dictum, eo quod saburra et lapilli rubri sint in fundo. Unde intuentibus rubrum patet ; quod etiam in vase quolibet haustum, tanquam aliud mare, limpidum est et album. Dicunt illud a mari Oceano derivari a parte australi, quasi lingua eruptum, et usque ad Elim jam dictam versus Septentrionem protentum, ubi finem facit non longe a monte Sinai, sed quantum potest equo aliquis uno die proficisci. A Rubro vero mari, vel ab Elim memorata, usque ad mare Magnum, quo ab Joppe, vel Ascalone, vel Gaza, versus Damiath pergitur, iter eundo dierum quatuor vel quinque equitis ambulatione æstimans. Quo sinu inter hæc duo maria cingitur tota Ægyptus, atque Numidia, nec non Æthiopia, quam Gehon paradisi fluvius, qui est Nilus, circuit, ut legimus (*Gen.* II, 13).

CAPUT LVI.

De flumine Gehon.

Possum mirari, sed nunquam rimari, quomodo vel qualiter fluvius iste Gehon, qui de paradiso cum tribus aliis legitur emanare, ortum suum videatur iterum recuperare, cum ab orientali parte habeat mare Rubrum, et ab occasu, in quo incidit, mare nostrum. Habet enim inter se et orientem mare Rubrum, in quo oriente intelligimus esse paradisum. Quomodo vero circa mare illud Rubrum resumit ortum suum, et quomodo transit illud mare, vel non transit, vehementer admiror.

CAPUT LVII.

De Euphrate.

De Euphrate similiter addicimus, quod in Armenia ortum suum habeat, et postea per Mesopotamiam transeat, 24 milliariis, ut opinor, ab urbe Edessa. Quærat qui vult, discat qui valet. Nam hoc discere a quampluribus persæpe inquirendo studui, sed qui hoc mihi insinuaret nequaquam invenire potui. Committo autem illi enucleare, qui super cœlos etiam aquas mirifice inesse statuit ; quique eas in montibus et collibus et convallibus oriri facit, et per occultos meatus cursibus vividis vias multifidas eis præbuit, et in mare denique mirabiliter inducit et reducit. Exitu siquidem anni appropinquante, molestia corporis ingruente, quia rex mori tunc timuit, dimisit uxorem suam superius memoratam, Siculorum scilicet comitissam, nomine Adelaidem, quia injuste duxerat eam, eo quod adhuc viveret sua, quam apud urbem Edessam ante recte duxerat.

CAPUT LVIII.

De maxima pestilentia locustarum.

Anno 1117 ab Incarnatione Domini, regina morata e portu Ptolemaida egressa, die qua ritu ecclesiastico litania major decantata est, septem cum navibus in comitatu suo Siciliam transfretavit. Deinde Maio mense advolaverunt in terram Hierosolymitanam locustarum infinita multitudo, amplius solito devorantes tam vineas quam segetes, nec non arbores omnigenas, quas videritis accurate ad morem exercitus hominum per vias tanquam consilio provido prolocutas ordine progredi. Et facta expeditione sua diurna, aliæ pedites, aliæ vero volantes, hospitium sibi communiter eligebant. Consumptis itaque herbis viridioribus, et arborum corrosis corticibus, tam bruci quam locustæ catervatim ab-

ierunt. O improbitas hominum perverse incessanter malignantium! Tot et tantis nos Conditor noster increpationibus tangit, et præmunit; signis territat, minis concitat, documentis edocet, flagellis coercet; et semper in iniquitatibus nostris persistentes, monita ejus contemptui habemus, et præceptis ejus superbe contraimus! Quid mirum, si Sarraceni, vel iniqui domini, auferunt nobis terras nostras, cum nos in proximorum nostrorum agros manus extendimus rapaces, quos quidem aut aratri sulcatione fraudulenter excurtamus, aut circumventionibus cupidis subripiendo privamus, et nostros malitiose ex his augmentamus? Quid mirum, si Deo permittente, sata nostra vel mures in terra jam ex semine radicata dissipent, vel post in spicis jam adulta locustæ devorent, aut etiam in granariis vermibus quibu slibet, aut nidore calcino lædantur, cum decimas Deo debitas vel fraudulenter reddimus, vel omnino sacrilege retinemus?

CAPUT LIX.

De signo lunæ.

Sequenti quidem mense, qui Junius erat, apparuit nobis in cœlum suspicientibus luna post galli cantum, prius tota rubea, novissime vero, mutato rubore nigredine adeo fuscata est ut vim sui luminis per duas fere horas perderet. Contigit autem hoc die qua eam tertiam decimam habebamus. Quod si quarta decima die esset illo, eclipsim nimirum ejus esse intelligeremus. Quod ergo pro signo id accepimus, ex hoc quidam conjectabant rubore in prælio fore fundendum sanguinem; alii vero nigredine significabant venturam famem. Nos vero dispositioni et providentiæ Dei hoc commisimus, qui in sole et luna discipulis suis prædixit signa fore ventura (*Luc.* XXI, 25). Qui etiam, quando vult, *terram facit tremere* (*Psal.* CIII, 32), et postea quiescere; quod subsequenter accidit in eodem mense noctis intempestæ silentio, VI Kal. Julii.

CAPUT LX.

De castro prope Tyrum ædificato.

Tunc ædificavit rex quoddam castrum prope Tyrum urbem, intra quintum ab urbe milliarium, quod vocavit Scandalion, et Campum Leonis interpretatum, et resarcivit diruta ejus, et posuit in eo custodes ad coercendum urbem prædictam.

CAPUT LXI.

De signo mirabili in sole apparente.

Eodem anno, mense Decembri, nocte quinta post eclipsim lunæ, quæ acciderat cum tertiam decimam pronuntiabamus, vidimus omnes cœlum nocte incœpta in septentrionali parte vel ignei vel sanguinei coloris fulgore respersum. Quod signum signis mirificis plenum suspicientes, vehementer admirati sumus. Nam per medium ruborem illum, qui primitus paulatim excrescere cœpit, videbamus radios alburni coloris quamplures ab imo sursum mirum in modum extolli, nunc ante, nunc retro, nunc in medio. In parte autem inferiori cœlum parebat album, ac si aurora esset diei, quæ prope diem clarescere solet, cum jam sol oriri debet. In fronte etiam signi hujus, in ea videlicet parte, videbamus alborem quasi deberet luna oriri. Unde terra undique, et cætera loca circa nos existentia, clare candebant. Quod si in matutino sic eveniret, diceremus omnes, quia dies clara est. Conjiciebamus ergo inde vel sanguinem multum in bello fundendum, aut aliud aliquid non minus præsagii minacis fore futurum; sed quod incertum habebamus, Domino Deo disponendum humillime committebamus. Quod etiam portentum ad defunctionem personarum, quæ anno ipso obierunt, significantes aliquanti sortiti sunt. Subsequenter enim mortui sunt, Paschalis papa mense Januario, Balduinus rex Hierosolymorum mense Aprili, nec non uxor ejus in Sicilia, quam dereliquerat. Hierosolymis etiam patriarcha Arnulfus, imperator quoque Constantinopolitanus Alexis, et alii quamplures proceres in mundo.

CAPUT LXII.

De morte regis Balduini primi.

Anno a partu Virginis 1118, cum in exitu Martii mensis urbem, quam Pharamiam nominant, Balduinus rex aggressus, hostiliter vastando diripuisset, die quadam, cum deambularet fluvium, quem Græci dicunt Nilum, Hebræi autem Geon, oppido memorato proximum, cum aliquantis de suis lætus adiisset, et de piscibus illic inventis equestres lanceis suis caute cepissent, et ad hospitia sua ad urbem præfatam detulissent, et ex eis comedissent, sensit rex intrinsecus se angore plagæ suæ veteris gravissime renovato debilitari. Quo suis confestim intimato, pro infirmitate illius audita cuncti proinde compatientes contristati et conturbati sunt. Reditu autem statuto, cum non posset rex equitare, de papilionum perticis lecticam ei apparaverunt, in qua eum collocaverunt. Et præcone signum cornu dante, remeare Hierusalem edictum est. Cumque usque villam, quæ dicitur Laris, pervenissent, infirmitate ingruente, et illum penitus consumente, defungitur. Et locatis ejus intestinis et salitis, atque in loculo conditis, Hierosolymam properaverunt. Die siquidem, quo palmarum rami ex more deferri solent, ordinatione Dei, et eventu inopinabili, ad processionem, quæ de monte Oliveti in vallem Josaphat tunc descendebat, caterva lugubris, et dolendi funeris latrix advenit. Quo viso, et sicut erat cognito, pro cantu luctum, pro lætitia gemitum, cuncti qui aderant dederunt. Plorant Franci, lugent Syri, et qui hoc videbant Sarraceni. Quis enim se continere posset, qui non ibi pie fleret? Igitur tunc ad urbem redeuntes, tam clerus quam populus, fecerunt quod dolori convenit et consuetudini. Et sepelierunt eum in Golgotha juxta Godefridum ducem, germanum suum.

Cum rex iste ruit, Francorum gens pia flevit;
Hujus erat scutum, robur et auxilium.
Nam fuit arma suis, timor hostibus, hostis et illis:
Dux validus patriæ, consimilis Josue
Achon, Cæsaream, Berithum, necne Sidonem,
Abstulit infandis hostibus indigenis.

Post terras Arabum, vel quæ tangunt mare Rubrum, A
  Addidit imperio, subdidit obsequio.
Et Tripolim cepit, sed et Arsuth non minus ursit,
  Pluraque præterea fecit honore rata.
Obtinuit regnum rex octo decemque per annos,
  Mensibus atque tribus insuper appositis.
Sex decies Phœbus Vervecis viserat astrum,
  Cum Balduinus rex obit eximius.
Octies et decies faciens menses duodenos,
Regis habes annos patriam quibus optime rexit.

INCIPIT LIBER TERTIUS

DE GESTIS BALDUINI SECUNDI.

CAPUT PRIMUM.

Quod die Paschæ Balduinus II *sit in regem consecratus.*

Igitur defuncto rege Balduino, inito statim Hierosolymitani consilio, ne, rege carentes, æstimarentur B debiliores, creaverunt sibi regem Balduinum comitem videlicet Edessenum, regis defuncti cognatum. Qui, transito Euphrate fluvio, Hierusalem fortuitu advenerat, cum prædecessore locuturus. Communiter electus, die Paschæ est consecratus.

CAPUT II.

De exercitu Babylonico congregato.

Ipso anno, cum tempus subsequeretur æstivum, congregaverunt Babylonii exercitum valde grandem ; millia quorum æstimabantur 15 equitum, et 20 peditum, arbitrantes Hierosolymitanum destruere Christianismum. Quibus, cum usque Ascalonem pervenissent, rex Damascenorum Tuldequinus cum gente sua in adjutorium processit, Jordanem trans- C gressus. Præterea tunc classis non modica per mare illuc usque nocitura nihilominus venit. Exin tam bellicæ quam mercibus onustæ naves Tyrum adierunt. Qui autem per terram venerunt, ante Ascalonem bellum exspectantes remanserunt. Tunc rex Balduinus cum Antiochenis et Tripolitanis, quos ad hoc certamen venire per legatos mandaverat, adversus hostilem exercitum bellaturus properavit, et Azoto quondam civitate Philisthæa transita, tentoria de sagmariis deponi, et deligi disposuit haud longe a Babyloniis, ita ut exercitus uterque quotidie alterutro aspectu cerni posset. Sed quia alii alios valde aggredi formidabant, et vivere quam mori malebant, cum per tres fere menses differri tali argumento utrinque calluissent, tædio affecti Sarraceni bellare recusarunt, et Antiocheni ad sua remeaverunt, trecentis militibus de suis regi commissis, qui si opus esset regem ad pugnam roborarent, si Ægyptii litem iterare pertentarent.

CAPUT III.

De prælio et occisione Antiochenorum cum Turcis pugnantium.

Anno 1119 ab Incarnatione Domini, Gelasius papa successor Paschalis obiit IV Kalend. Februarii, et sepultus est in Cluniaco. Post quem substitutus est Calixtus, qui Viennæ urbis archiepiscopus extiterat. Prolixitatem historiæ fastidiemus, si cuncta enarrare velimus, quæ hoc anno in Antiochena regione miserabiliter evenerunt. Quomodo Rogerus Antiochiæ princeps cum proceribus suis et gente sua contra Turcos pugnaturus exierit, et prope Arthasium oppidum interemptus ceciderit, ubi de Antiochenis septem millia sunt occisi, de Turcis vero nec etiam viginti. Nec mirandum si permiserit eos Deus confundi, cum in divitiis multimodis maxime abundantes, nec Deum timebant, nec hominem in peccando reverebantur. Nam juxta uxorem suam ipse princeps cum pluribus aliis adulterium impudenter committebat. Dominum suum Boamundi filium in Apulia cum matre sua morantem exhæredabat, et multa alia tam ipse quam proceres sui vivendo superbe et luxuriose agebant. Quibus competit versus iste Davidicus dici : *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum* (*Psal.* LXXII, 7). Vix enim inter delicias affluentes modus servabatur.

CAPUT IV.

Quod rex Balduinus, sumpta cruce Dominica, ad auxiliandum properavit.

Post hanc Antiochenorum occisionem secuta est secunda satis victoria, quæ, propitiante Deo, Hierosolymitano populo mirifice successit. Nam cum prædictus Rogerus regi Hierosolymitano per nuntios notificasset, ut sibi ad succurrendum festinaret, quia Turci cum gente multa eum impetebant, relicto rex negotio, ad quod cum suis non longe a Jordane Damascenos expugnaturus iverat, ducto secum patriarcha cum cruce Dominica, cum de campis stationum suarum eos ejecisset violenter, continuo Antiochenis auxiliaturus recurrit, ducens secum Cæsariensem episcopum, qui crucem Dominicam in bello postea contra hostes optime portavit. Comitem vero Tripolitanum rex illuc secum duxit, fueruntque si- D mul milites ducenti quinquaginta. Et cum Antiochiam pervenissent, misit rex ad Edessenos legationem, præcipiens eis, ut ad bellum, quod contra Turcos facere satagebant, cito itinere festinarent. Quibus cum rege et Antiochenis, qui de primo bello fugerant, vel mortem aliquo eventu evaserant, aggregatis, commissum est prælium prope oppidum, quod Sardanium vocant, ab Antiochia 24 millibus distans. Fueruntque milites nostri septingenti, Turci vero 20 millia. Gazi vocabatur major eorum. Non puto silendum quod Turcus quidam advertens unum de militibus nostris linguam noscere Persicam, allocutus est eum, dicens : « Tibi dico, France, cur nos despicitis? cur in vanum laboratis? Contra nos equidem nullo modo valebitis; pauci enim estis, nos

multi. Imo Deus vester vos dereliquit, videns vos nec legem vestram, ut solebatis, tenere, nec fidem nec veritatem invicem servare. Hoc scimus, hoc didicimus, hoc advertimus. Cras procul dubio vos vincemus et superabimus. » O quantum dedecus Christianis, cum perfidi de fide nos reprehendebant! Unde deberemus vehementer erubescere, et peccata nostra plorando pœnitentes emendare.

CAPUT V.

De bello et victoria virtute sanctissimæ crucis adepta, et de ejus receptione in Antiochiam.

Committitur ergo bellum die sequenti, ut dictum est, gravissimum, de quo victoria diu anceps utrinque fuit, quoad usque Omnipotens Turcos fugere compulit, et contra eos Christianos magnifice vegetavit. Quos tamen impugnantes adeo catervatim disperserunt, ut, usque Antiochiam non cessantes, non valuerint ultra collegis suis in bello congregari. Nihilominus autem Turcos dispersit Deus, cum alii in Persidem fugitivi repatriarent, alii vero in Halapiam urbem salvandi se gratia introirent. Rex autem Hierosolymitanus et comes Tripolitanus cum suis, sicut socii gloriosæ crucis exstiterant, et qui eam sicut servi dominam ad bellum perduxerant, circa eam semper honorifice pugnantes, nec eam deserentes, in campo bellico fortiter steterunt. Quos omnipotens Deus per virtutem ejusdem sanctissimæ et pretiosissimæ crucis de manu nefandæ gentis potenter eripuit, et ad aliud suum negotium quandoque futurum reservavit. Cumque per duos dies campum illum rex custodisset, et de Turcis nullus illuc bellaturus rediisset, sumpta cruce Dominica perrexit Antiochiam. Et exiit patriarcha Antiochenus obviam sanctissimæ cruci, regi quoque et archipræsuli, qui eam deferebant, et reddiderunt omnes Deo gratias, et exsolverunt dulcissimas laudes omnipotenti Deo, qui per virtutem gloriosissimæ crucis suæ victoriam Christianis dederat, et ipsam crucem ad Christianismum salve reduxerat. Pietate plorabant, lætitia cantabant, adorantes repetitis vicibus ante crucem venerandam se inclinabant, resurgentesque militibus erectis gratias agebant.

Præbuerat biduo sol lumen Virginis astro,
Cum bellum geritur, quo Parthi sic superantur,
Claraque tunc decimæ rutilabant cornua lunæ.

CAPUT VI.

De receptione sancta crucis in Hierosolymis.

Cumque in Antiochia requie non longa se recreassent Franci, statuerunt Hierosolymam cum benedicta cruce Domini, ut decebat, reverti. Et sumptis militibus quot oportuit, remisit eam rex Hierusalem, et die quo Exaltationis ejus festivitatem celebrant, sicut Heracleus imperator de Perside victor eam reportavit, cum ea urbem sanctam lætantes introierunt, et cum gaudio ineffabili cuncti qui aderant susceperunt.

CAPUT VII.

Quod rex principatum Antiochiæ obtinuit.

Rex autem in Antiochia remansit, quia necessitas hoc poscebat, quatenus mortuorum procerum terras vivis sub ratiocinio daturus locaret, et viduas quas invenit illic multas maritis pio affectu conjungeret et multa alia restauratione necessaria reformaret. Sicut enim huc usque Hierosolymorum rex singulariter exstiterat, ita mortuo principe Antiocheno Rogerio, Antiochenorum rex addito altero regno efficitur. Moneo ergo regem, et quæso, ut Deum ex toto corde diligat, et ex tota anima, et omnibus viribus suis, cum gratiarum actionibus se illi penitus ut fidelis servus subdat, ejusque se humilem fateatur servum, qui talem Dominum invenit sibi amicum. Quem ergo antecessorem suum tam sublimavit, quantum et illum? Alios unius, hunc autem duorum regnorum possessorem fecit, quæ sine fraude, sine effusione sanguinis, sine litium tribulatione, sed divina ordinatione pacifica acquisivit. Ab Ægypto siquidem usque Mesopotamiam tradidit ei Deus longe lateque terram. Manum erga eum habuit largam. Caveat ne erga eum arctam habeat, qui abundanter dat, et non improperat. Si rex esse desiderat, studeat ut regat recte. Cum autem post negotia pleraque perpetrata rex ab Antiochia regressus esset Hierusalem, cum uxore sua diademate regio die Nativitatis Dominicæ coronatus est in Bethlehem.

CAPUT VIII.

De remissione exactionum.

Anno Incarnationis Dominicæ post millesimum centesimum vicesimo, absolvit rex Balduinus II ab omni exactione omnes qui per portas Hierusalem frumentum atque hordeum, sive legumina, inferre voluerint, ut absque molestia tam Christiani quam Sarraceni habeant liberam facultatem ingrediendi et egrediendi, atque vendendi, ubi et quibuscunque voluerint. Remisit insuper mercedem modii consuetudinariam.

CAPUT IX.

De Turcis congregatis, et expeditione regis contra eos.

Cum autem sex hujus anni menses in Hierusalem evolvissemus, venerunt nuntii ab Antiochia, dicente rege, et nobis omnibus qui aderamus, Turcos Euphratem transisse et Syriam ingressos fuisse ad nocumentum Christianismi, sicut in præterito consueverant. Unde accepto consilio, sicut necessitas urgebat, petivit rex a patriarcha et clero humillime victoriosam Domini crucem sibi contradi, dicens ab ea se et suos ad præliandum debere muniri, quia sine gravi prælio credit Turcos prætaxatos de patria, quam jam devastabant, non posse expelli, et quia non confidit in virtute sua, nec in gente quam habebat multa, cruce ipsa, Domino vegetante et propitiante, pro multis millibus potietur. Alioquin sine ipsa nec ipse nec alii audent ad bellum proficisci. Unde ibi ratio bipartita inter euntes ad bellum et remanentes in Hierusalem satis decens habita est, sive debeat pro tanta necessitate Christianitatis Antiochiam crux deferri, sive Hie-

rosolymitana Ecclesia de tanto thesauro suo tunc A privari. Dicebamusque : « Heu miseri! quid facie-mus, si permittente Deo perdiderimus in bello cru-cem, sicut perdiderunt Israelitæ olim arcam fœde-ris? » Quid plura referam? Necessitas monuit, ra-tio edocuit; fecimus quod noluimus, et quod nole-bamus voluimus. Et cum, multis lacrymis pie pro ea profusis et canticis in laude illius decantatis, extra urbem nudis pedibus rex, patriarcha, plebs quoque omnis eam conviassent, rex cum ea flendo discessit, et populus ad urbem sanctam rediit. Mensis erat Junius. Antiochiam ergo abierunt, quam Turci adeo jam coarctabant, ut extra muri ambitum in-habitantes vix uno milliario procedere auderent. Sed, audito regis adventu, inde statim se removen-tes, versus Halapiam urbem, ubi tutius esse pos- B sent, abierunt; quibus tria militum Damascenorum millia tunc aggregata sunt. Cumque rex bellandi causa motu audaci ad eos accessisset, et utrinque sagittis jactatis plures sauciati vel inter-fecti occidissent, et bellare tamen Turci recusas-sent, post triduum litis hujus, nullo certo fine con-cluso, et Antiochiam nostri remeaverunt, et in Persidem pars Turcorum major repatriaverunt. De cætero crucem sanctam rex honorifice Hierusalem remisit, et ipse in Antiochiæ regione terram prote-cturus remansit. Tertio decimo Kalendarum Novem-brium ipsam gloriosam Domini crucem in Hieru-salem cum gaudio magno suscepimus.

CAPUT X.

De expeditione regis contra Damascenos.

Anno ab Incarnatione Domini 1121, congregavit rex gentem suam a Sidone usque Joppem, et in Nonas Julii transgressus Jordanem, adiit regem Damascenorum, qui cum Arabibus sibi fœderatis et adunatis terras nostras Tiberiadi proximas nullo ei resistente vastabat. Qui cum persensisset regem nostrum cum exercitu suo adversum se appropin-quantem, collectis illico tabernaculis suis, bellum evitans refugus in sua recessit. Quem cum per duos dies rex insecutus fuisset, nec bellare cum eo gens illa auderet, reversus est ad castellum quoddam, quod ad nocumentum nostrum anno præterito Tul-dequinus, rex Damasci, construi fecerat, quod a Jordane æstimamus discrepare 16 milliariis. Id D rex obsedit, machinis coercuit, vi expugnavit, red-ditum recepit. Cujus custodes et protectores, 40 videlicet Turcos, sub statuta conditione vivos abire permisit, et oppidum deinde ad solum usque pro-stravit. Jarras nominant hoc castrum regionis in-colæ, quod juxta civitatem quamdam mirabiliter et gloriose situ forti antiquitus fundatum, lapidibus magnis et quadris illuc erectum erat. Ubi autem comperit rex non sine gravitate magna obtineri, nec sine difficultate gente et alimentis ut oporteret posse muniri, jussit illud dirui, et omnes ad sua regredi. Hæc olim urbs insignis fuit in Arabia, Ge-sara nominata, monti Galaath adjuncta, in tribu Manassæ instituta.

Explicit hic annus in cunctis fine secundus,
Pace quidem prosper, et frugibus omnibus uber.

CAPUT XI.

De alia expeditione regis contra Tripolitanii comitem; dehinc iterum contra Turcos.

Anno Dominicæ Incarnationis 1122, præficitur in Hierusalem Ecclesiæ Tyriæ archiepiscopus, Odo no-mine, primus de gente Latina. Deinde abiit rex Pto-lemaidam. Unde gente sua congregata videlicet et equite, movens exercitum suum, et Dominicam cru-cem secum deferens, profectus est Tripolim, inju-riam ulturus et contemptum, quem regionis illius comes Pontius nomine incutiebat, recusans ei ob-sequi, uti Bertrannus pater ejus fecerat. Sed Deo volente, et optimatum præsentium utrinque lauda-B tione, amici facti sunt ad invicem, comite rationi assentiente. Quibus siquidem pacificatis, astitit illico archiepiscopus quidam ab Antiohenis illuc missus, regem cohortans, ut Antiochiam quantocius prope-raret, contra Turcos opem laturus. Jam enim ter-ram illam devastabant, nullo principe eis resistente. Quo audito, rex continuo properavit, habens secum trecentos milites lectissimos et 400 clientes adventi-tios probissimos. Cæteri vero vel ad Hierusalem, vel ad sua remeaverunt. Cum autem pervenisset rex ubi Turcos audierat esse congregatos, circa scilicet castrum quoddam, quod Sardanaium vocatur, quod jam obsidione cohibebant, removerunt se inde vo-lentes regem exspectare. Quo comperto, secessit rex Antiochiam. Turci vero ad incptum denuo recur-C runt. Cumque rex hoc auditu percepit, versus eos prompte equitavit. Sed quia gens illa Parthica in procinctu vel apparatu bellico moraliter nunquam in eodem statu permanentes (nunc enim visum, nunc dorsum obsistentibus opinione celerius ver-tunt, et præter spem simulate fugiunt, et recursu repentino impetunt), non se ad bellandum cito apta-verunt, sed congressum penitus vitaverunt, et taliter ceu victi abscesserunt. Benedictum ergo sit san-sanctissimæ et Dominicæ crucis vexillum, et ubique omnibus orthodoxis præsens subsidium, sub cujus protectione et consolatione fideles muniti, sine detri-mento aliquo Christianos nostros ad sua concessit regredi! Illi equidem 10 millia æstimati sunt mili-D tum, nostri vero 1200, absque globo peditum. Et cum usque Tripolim una cum cruce Dominica re-measset rex, orto negotio, cum aliquantis reversus est Antiochiam. Et sic Dominica crux in Hierusalem delata, cum gaudio magno in loco suo XVII Kal. Octobris honorifice est reposita.

Tempus erat quo Libra pares exterminat horas,
Tam numero parili quam spatio simili.

CAPUT XII.

De comite Edesseno capto.

Interea captus est Goscelinus comes Edessenus, Galerannusque cum eo cognatus ejus, interemptis quidem de suis non minus quam centum. Quos qui-dem Balac admiraldus quidam tam astutia quam insidiis molitus intercepit.

Finit et hic annus quam qui præcessit opimus
Frugibus omnigenis quæcunque metuntur in arvis.
Triticeus modius pro nummo venditur unus,
Seu quadraginta qui vult pensare numisma.
Tunc neque Parthia nec Babylonia bella movebat.

CAPUT XIII.

De pace inter papam et imperatorem.

Anno ab ortu Domini 1123, indictione 1, rex Alemanniæ Henricus cum papa Calixto pacificatur. Deo gratias, quia regnum et sacerdotium in dilectione confœderantur.

CAPUT XIV.

De Veneticis Hierusalem properare disponentibus.

Eodem anno Venetici cum navigio magno in Syriam navigare commoti sunt, ut Hierusalem et regionem ei adjacentem Christianismi utilitati et exaltationi, opitulante Deo, amplificarent. Qui anno præcedenti de terra sua egressi, in insula, quæ Curpho nuncupatur, tempus exspectantes opportunum navigandi hiemaverunt. Classis quippe eorum 120 navium fuit, exceptis carinis vel carabis, quarum aliæ quidem rostratæ, aliæ oneratæ, aliæ vero triremes fuerunt. Triformi quidem fabrica compactæ sunt. In quibus materies lignorum magnæ proceritatis imposita non defuit : unde compositis ab artificibus sapienter machinis, muros urbium sublimes ascendere et comprehendere posset.

CAPUT XV.

Quo tempore iter arripuerunt.

Igitur postquam verno tempore patescunt viæ ratibus, quod Deo diu devoverant explere non torpuerunt. Et viatico navali abunde sibi præparato, cum tuguria, in quibus hieme conquiverant, communiter succendissent, concrepantibus tubis quamplurimis, carbasa, Dei invocato auxilio, gaudenter displicantur et elevantur. Naves autem, quæ coloribus variis picturatæ erant, splendore nimio prospectantes satis delectabant, quibus ter quina hominum armatorum millia tam de Veneticis quam peregrinis sibi adjunctis inerant. Porro equos secum 300 conveniebant. Itaque Borea tunc leniter aspirante, pontum decentissime sulcantes, cursum suum versus Mothonem dirigunt Rodum. Et quia necesse erat ut simul nec sparsim incederent, flabris etiam interdum alternantibus, ne si provide iter suum modificarent, alii ab aliis cito discreparent, propterea diebus brevibus die non nocte velificantes, portibus frequenter inventis necessario quotidie applicabant, ne regentis aquæ penuriam patientes, tam ipsi quam eorum equi siti gravarentur.

CAPUT XVI.

Quod rex Balduinus sit captus, et Eustachius quidam pro eo constitutus.

Eodem tempore contigit Balduinum regem Hierosolymorum capi. Balac enim, qui antea Goscelinum Galerannumque ceperat, hunc etiam non in hoc bene providum, sed imparatum comprehendit ; quo nihil paganis jucundius, nihil Christianis horribilius. Postquam rumor iste usque ad nos in Hierusalem diffusus est, venerunt omnes in concionem A in urbem Ptolemaidam, consilium capturi quid facto opus esset. Et elegerunt et constituerunt terræ fore custodem et præceptorem Eustachium quemdam, hominem probum et moribus honestum, qui tunc Cæsaream possidebat et Sidonem. Hoc siquidem patriarcha Hierosolymitanus una cum optimatibus terræ illius dictavit et teneri decrevit : quotenus de rege capto rei exitum certum audirent. Ita Maio mense mediante, cum jam audivissemus Babylonios Ascalonem usque pervenisse, bipartito exercitu, terrestri videlicet itinere atque marino, præparata liburna statim agillima, statuerunt legationem ad Veneticorum classem mittendam, exhortando precantes ut negotium incœptum accelerato navigio nobis adjuturi succurrerent.

CAPUT XVII

Quod iterum Joppitæ a Babyloniis sunt obsessi, et valde afflicti.

Babylonii autem navigio suo Joppem irruentes, et de navibus pompatice cum ingenti sonitu ærearum tubarum exsilientes, urbem obsidione circumdederunt. Et machinamentis suis et instrumentis, quæ in navibus majoribus attulerant, continuo erectis, urbem undique assilierunt, et pro valitudine nescia lapides torquendo cohibebant. Erant enim tormenta vehementiora, quibus ultra jactum sagittæ saxa torquebant. Pedites nempe Arabes, vel Æthiopes, quos secum adduxerunt, cum militum manu assultum grandem civibus dabant. Alii tela, alii lapides vel sagittas utrobique jaciebant. Interim autem externos crebris ictibus sæpissime trucidabant ; pro se enim viriliter pugnabant. Æthiopes quidem ancilia tenentes in manibus, se inde tegebant et protegebant. Mulieres vero civibus valde laborantibus gratuito semper præsto fuerunt adjumento. Aliæ lapides subministrabant, aliæ vero aquam potui præbebant. Cumque murum Sarraceni per quinque dies jam aliquantulum læsissent, et minas desuper dilapidando plures diruissent, audito adventu nostrorum qui eis approximabant, significante buccina certamen dimiserunt, et machinamenta sua frustratim in naves reportaverunt. Quod si diutius ibi morari auderent, procul dubio civitatem comprehenderent. Pauci autem erant, qui tuebantur eam. Jamjamque locatim murum circumfoderant, ut spe velocius eum penetrarent. Classis quippe eorum 80 navium fuit.

CAPUT XVIII.

De bello et victoria Christianorum auxilio sanctæ crucis.

Cum igitur damnum imminere gens nostra per rumigeros didicisset, in unum corpus undique congregati, ante castellum quoddam, quod Chacho incolæ regionis nominant, de Tiberiade videlicet et Ptolemaida, Cæsarea quoque et Hierosolyma, cum cruce Dominica ad illum conventum jam delata, contra hostes dimicaturi usque Ramatha urbem, quæ est juxta Duspolim, properaverunt. Nos autem, qui Hierusalem remansimus, pro fratribus nostris in tri-

hulatione sic positis orare, et eleemosynas egenis impertire, per universas civitatis sanctæ ecclesias processiones pie facere, tam Latini quam Græci atque Syri, interim nudipedes non cessavimus. Proceres autem nostri mane summo de Ramatha consurgentes, cum gentem nostram per cohortes procedere, ut decebat, ordinassent, benedictione et absolutione a patriarcha populo data, bellum committitur apud Azotum urbem quondam quintam Philisthinorum, nunc autem Ibenium dictam. Quæ in viculum parvulum redacta est. Porro pugna ista non longa hora protrahitur. Nam cum perspicerent nostros probissime armatos eos impetere, continuo milites illi tanquam aliquo onere fascinati in fugam moti sunt, et fuga pro consilio usi sunt. Pedites vero detruncati sunt. Tentoria eorum cuncta cum rebus multiformibus in campo remanserunt. Tria nempe vexilla pretiosissima, quæ Standarz nominamus, ab eis excusserunt. Utensilia etiam multiformia, culcitras et pulvinaria. Carram quoque multam cum sarcinis secum nostri reduxerunt. Camelos videlicet 400, asinos quingentos. Sedecim millia ex eis prœliatum venerunt, quorum sex millia interfecti sunt. De nostris autem pauci. Gens equidem nostra octo millia æstimati sunt, sed audaces probissimi, et ad pugnandum valde animati, et amore Dei freti, et confidentia ejus penitus corroborati.

Sub Geminis Phœbo jam tunc bis sexies orto,
Gens ruit infauda Domini virtute subacta ;
Corpora nunc quorum per campos Allophylo-
[rum
Fiunt esca lupis, fiunt quoque pastus hienis.

CAPUT XIX.

De receptione sanctæ crucis.

Bello autem per Dei potentiam sic superato, et ad gloriam ipsius et exaltationem Christianismi, ut dictum est, facto, cum Dominica cruce remeavit in Hierusalem patriarcha. Qua extra portam Davidicam cum gloriosa processione suscepta, et usque ad basilicam Dominici sepulcri honorifice deducta, *Te Deum laudamus* cantantes, Omnipotenti de beneficiis suis universi laudes reddidimus.

CAPUT XX.

De adventu Venetorum, et navali prœlio eorum contra Sarracenos.

Post triduum autem prospero successu ita potiti, secundi rumores subsecuti sunt. De Venetorum enim classe in Palæstina per plerosque portus applicata cum audivimus, jucundati sumus. Hoc equidem diu fama promiserat. Cumque dux Veneticorum, qui navigio huic principabatur, Ptolemaidæ applicuisset, intimatum est ei statim, prout gestum fuerat apud Joppem, terra scilicet et mari, et quomodo Babylonii, prout valuerant, negotio suo expleto jam illinc abierant. Quod si celerato cursu vellet eos prosequi, Deo juvante, procul dubio eos assequi posset. Qui, consilio navitarum statim adhibito, bifaria navigatione adhibita, unam navigii sui partem, in qua ipse dux erat, versus Joppem emisit. Alteram vero partem in altius pelagus prudentissime misit, ut ignaris Sarracenis peregrini esse Hierusalem adeuntes a parte Cypri putarentur. Et cum Sarraceni 18 naves de classe Venetica perspicerent ad se appropiare, tanquam de emolumento jam acquisito cœperunt exsultare, et contra Venetieos aptaverunt se navigare et ad pugnam eos audacter suscipere. Nostri autem tanquam ad certamen bellicum verecundari simulantes, et astute aliam navigii partem potiorem et postremam, in qua prædictus dux erat, paulatim exspectantes, nec fugere disposuerunt, nec pugnare cum eis præsumpserunt, quotenus jamdictum navigium postremum tam velis quam remis exsurgere Sarraceni cernerent. Igitur Veneticis crevit spiritus, et indicibiliter in eos irruerunt, et undique ita eos accinxerunt ut locum fugæ uspiam reperire non possent. Tunc mirum in modum Sarracenis coercitis, neque naves neque nautæ aliquorsum evadere potuerunt, sed naves eorum Venetici ingressi, detruncaverunt omnes. Fide caret quod ultra humanum auditum in navibus bases occidentium sanguine fluido tingerentur. Itaque naves multis onustæ opibus capiuntur. Corporibus quidem extra naves tunc jactatis, usque ad quatuor millia passuum salum rubescere circumquaque videretis. Deinde cum ultra Ascalonem exploraturi aliquid proficui navigarent, obvias sibi repererunt 10 naves alias diversis alimentis confertas, quibus inerant ligna proceritate magna, et directa, ad componendas machinas spectabilia. Illas quoque cum munimentis plurimis, etiamque auro et argento, numismatibusque multis; piper quoque et ciminum, et diversas species odoramentorum diripiunt. Naves quoque aliquantas ad terram fugitivas in littore ipso combusserunt igni, sed et plures integras Ptolemaidam adduxerunt. Lætificavit itaque Dominus clientes suos, et donativis plurimis multipliciter locupletavit.

CAPUT XXI.

Quod populus Hierosolymitanus adeo non sit despectus, quamvis rex ejus esset captivus.

O quam bonum et gloriosum hominibus semper Deum habere in adjutorium suum! O quam beata gens, cujus est Dominus Deus ejus! Dicebant ergo : « Eamus, et gentem Christianam omnino confundamus, et memoriam eorum de terra deleamus. Regem enim modo non habent, membra capite carent. » Verum dicebant, quia Deum nos habere non credebant. Balduinum perdideramus, sed regem omnium Deum assumpsimus. Illum in necessitate nostra invocavimus, et per illum mirabiliter triumphavimus. Forsitan non erat rex, quem forte fortuitu perdideramus. Sed hic, qui nuper vicit, non solum est rex in Hierusalem, sed et in omni terra. Vere fateri nos oportuit quod regem in prælio habuimus, cum in negotiis nostris præ omnibus illum anticipaverimus. Hic enim præsto est semper, et præsens omnibus qui invocant illum in veritate (*Psal.* CXLIV, 18). Viderat enim nos in humilitate nostra valde

afflictos, et respiciens pie humilitatem nostram, liberavit nos. Hic pro nobis pugnavit, hic ad nihilum inimicos nostros reduxit. Hic semper vincere consuevit, qui nunquam vincitur. Superat, nec superatur. Non fallit, nec fallitur. Rex equidem est, recte enim egit. Quomodo ergo rex erit, qui semper vitiis vincitur? Nunquid promeretur dici rex qui semper habeatur exlex? Quia legem Dei nec tenet, nec tuetur. Et quia non timet Deum, timebit quidem hominem inimicum suum. Adulter est, vel perjurus, sive sacrilegus; hic talis nomen regis perdit, mendax et fraudulentus. Quis confidit in eo? Æquus est impiis. Quomodo exaudiet illum Deus? Si ecclesiarum dissipator, si pauperum oppressor, tunc non regit, sed confundit. Adhæreamus Regi superno, et spem nostram ponamus in eo, et non confundemur in æternum.

CAPUT XXII.

De morte Eustachii, et successione Willelmi

Tempore isto taliter ægro decessit Eustachius, in custodem terræ nostræ electus, XVII Kal. Julii. Cui succedere Guillelmum de Buris statuerunt, qui Tiberiadem tunc possidebat.

CAPUT XXIII.

Qualiter rex Balduinus de vinculis exiit

Mense Augusto deinde mediante, superna clementia providente, rex Balduinus exivit de carcere, et de vinculis Balac, quibus vinctus tenebatur in oppido quodam situ fortissimo, et celsitudine nimis arduo, et difficili comprehendendo. Cum quo simul inclusi erant Goscelinus, comes Edessenus, cum aliquantis aliis captis. Hujus rei narratio satis est longa, sed dono cœlesti prædita et miraculis bene ornata. Nam cum in castro illo nullo freti adjumento jam diu angerentur occultati, consilio et ingenio multimodo apud se tractare cœperunt, si aliquatenus inde possent egredi. Unde per fideles internuntios ubicunque amicos habebant auxilium petere non cessaverunt, et cum Armeniis circa eos conversantibus omnimode machinare studuerunt, ut si quando ab externis amicis suis auxilium adipisci possent, illi adjutores esse veri non desisterent. Et cum post aliqua dona et promissa plurima hoc fidei nexu utrinque confirmatum esset, de Edessena urbe sagacissime quinquaginta ferme clientes illuc ob id missi sunt, et quasi pauperrimi merces ferentes atque vendentes usque ad portas interioris castri, occasione quadam oblata, se paulatim intromiserunt. Quod cum portariorum magister juxta portam cum quodam fideli nostro improvidus scaccis luderet, clientes nostri astutissime attentius appropiaverunt, querimoniam injuriæ sibi factæ ad eum facturi. Et deposita omni ignavia et pavore, e vaginis extractis cultellis illum sic quantocius necaverunt. Et arripientes lanceas illic inventas, ferire et occidere viriliter non pigruerunt. Clamor ingens illico attollitur, et intus et foris omnes perturbantur. Sed qui ad tumultum hunc festini accurrerunt, festinantius mox perempti sunt. Fuerunt equidem centum fere Turcorum. Et confestim clausi de carcere rex et alii tunc ejiciuntur. Adhuc erant aliquanti compediti, quando jam per scalas muri fastigium inscendebant. Et elevato in arcis apice Christianorum vexillo, rei veritas patefacta est. In eadem vero arce uxor erat Balac, cæteris quas habebat sibi charior. Castro autem a Turcis mox undique cincto, ingressus et egressus internis et externis est prohibitus. Portæ etiam clauduntur vectibus obditis.

CAPUT XXIV.

Qualiter etiam comes Edessenus evasit de carcere.

Hoc autem non puto silendum quod Balac quoddam infortunium per visionem est revelatum. Vidit enim (quod ipse postea retulit) a Goscelino sibi oculos erui. Quo indilate sacerdotibus manifestato, interpretationem somniis ab eis sciscitatur : « Vere, aiunt, hoc tibi continget, aut tale aliquid huic æquipollens, si in manus ejus incideris. » Hoc autem audito, citissime legationem misit ut occideretur, ne posset ab eo occidi, sicut jam illi præsagiebant. Sed antequam ad eum pervenissent lictores, Deo gratias, jam de captione tali modo evaserat. Rex ergo et sui omnes sapienti et communi consilio usi, ut salvari quolibet modo possent, cum tempus considerarent ad hoc magis aptum, posuit dominus Goscelinus in periculo mortis animam suam, Conditori universorum se commendans cum tribus famulis suis, tam pavidus quam audax, extra castrum per medios hostes, radiante luna, se eripuit. Qui continuo unum ex eis regi remisit reportantem annulum suum, ut taliter significaret se ab hostibus obsessoribus extorsisse; sic enim fieri invicem decreverant. Postea fugitando et latitando, plus nocte quam die pergens, disruptis calceis fere nudipes, usque ad fluvium Euphratem pervenit. Et quoniam navis abfuit, quod pavor optabat facere non distulit. Quid igitur? Duo utres, quos secum detulerat, vento inflavit : super eos se collocavit, et sic in flumen se impegit. Quem collegæ sui ignarum nandi commode juvantes sustentare studuerunt, et ad littus, Domino ducente, sanum deduxerunt. Et cum inde itinere insolito valde fatigatus esset, famelicusque et sitibundus anxius anhelaret, nec erat ei qui manum pie porrigeret, sub nuce quadam illic inventa sopore tactus, membra labore fessa itineri attribuit, obumbrans se vepribus et fructetis, ne visus agnosceretur. Interim autem præcepit uni ex famulis suis, ut exploraret et imploraret aliquem indigenam, qui ei panem vel daret, vel utcunque venderet. Inedia enim vexabatur valde. Cliens autem ille rusticum quemdam Armenium in campo prope inventum, et consulte allocutum, adduxit ad dominum suum, caricas et racemos apud se habentem. Hoc enim fames desiderabat. Is autem cum dominum Goscelinum appropians agnosceret, procidit ad pedes ejus, dicens : « Vale Gosceline! » Qui audiens quod nolebat, territus respondit : « Non sum ille quem dicis, sed Deus illum adjuvet ubicunque sit. »

Rusticus ait : « Noli, quæso, notitiam tuam celare; quoniam te procul dubio bene agnosco. Sed revela mihi quid et quomodo in his partibus tibi accidit, nec expaveas moneo. » Cui rursum comes : « Miserere, inquit, mei, quicunque es, nec miseriam meam inimicis meis innotescas obsecro; sed ad salvationis locum deduc me, ut unum pro mercede numisma merearis accipere. Ego enim de captione Balac, Deo propitiante, egressus, aufugio; de castro scilicet, quod Cartapeta nuncupatur, quod in Mesopotamia cis Euphratem est. Bene enim operaberis, si mihi in hac necessitate subveneris, ne amplius in manus Balac incidam, et infortunatus peream. Quod si usque Turbezel castrum meum te mecum venire placuerit, omnibus diebus vitæ tuæ bene tibi erit. Dic mihi igitur quæ et quanta in his locis possessio tua, ut majora si vis apud me tibi diligenter restituam. » Et ille : « Non quæro, inquit, a te quidquam, sed quo vis salvum te perducam. Olim enim, ut reminiscor, me ante fecisti comedere benigne panem. Quamobrem præsto sum tibi reddere talionem. Uxorem, Domine, habeo, unicamque parvulam filiam, simulque unam asellam, duos etiam germanos, duosque boves. Committo autem me tibi, quia vir sapientissimus es et prudens. Jamque cum meis omnibus tecum vado. Porcellum unum insuper habeo. Hunc ego coquam et huc tibi afferam. Sine frater, inquit, unum enim porcum non es assuetus uno prandio mandere, nec expedit te aliqua suspicione vicinos tuos commovere. » Tunc ille ivit, et cum suis omnibus sicut decreverat rediit. Ascendit ergo comes rustici asellam, qui quondam solitus erat equitare mulam peroptimam, bajulans ante se infantem, feminam videlicet, et non marem. Et quam non licuit generare, ac si genitorem licuit gestare. Non ut sibi ex progenie haberet contiguam, sed ut spem filiationis nescientibus monstraret esse certam. Sed cum cœpisset infans plorando et vociferando comitem assidue molestare, nec posset eam ullo modo pacare, nec aderat altrix quæ lactaret, aut quæ fescenninis mulceret, meditatus est collegium ob id ei forte nociturum timidus deserere, et segregatim tutius incedere. Sed cum hoc advertit rustico displicere, noluit eum conturbare, sed perseveravit in cœpto labore. Et cum pervenisset Turbezel, talium hospitum læta fuit valde susceptio. Gaudet quippe uxor, exsultat familia. Nec ambigit nostra conscientia quanta gloriati sint omnes lætitia, et quantæ lacrymæ præ gaudio funduntur et affluunt suspiria. Fit etiam rustico indilate de humilitate digna remuneratio. Pro uno boum jugo continuo recepit duo. Sed quia non oportuit in his diu morari, comes indilate ivit Antiochiam, deinde Hierusalem. Et redditis illic debitis Deo gratiarum actionibus, obtulit geminas compedes secum allatas, quas devote in monte obtulit Calvariæ, ad memoriam captionis, et ad gloriam suæ liberationis. Unæ quidem fuerunt ferreæ, alteræ vero argenteæ. Post triduum autem exiit de Hierusalem, Dominicam sequens crucem, quæ usque Tripolim jam delata erat. Iturus enim erat cum ea Hierosolymitanus exercitus usque Cartapetam castrum Balac, ubi rex et quamplures alii non in carcere, sed in castri firmitate tenebantur. Benedictus autem sit universalis Dominus, qui voluntatem suam et potestatem ita modificat ut potentem de excelso, cum vult, præcipitet, et de pulvere pauperem sublimet! Mane itaque Balduinus rex imperavit, sero autem servus servivit. Goscelinus quoque nihilominus. Liquet utique in hoc sæculo nihil esse certum, nihil stabile, nec etiam diu gratum : ideo terrenis inhiare non est bonum, sed cor habere ad Deum semper intentum, nec confidamus in caducis, nec alienemur æternis.

Jam nunc terdecimum complens, prout æstimo, lu-[strum,
Regem non vidi, velut hunc in carcere plecti.
Significet si quid ignoro quidem, Deus hoc scit.

CAPUT XXV.

De expeditione Hierosolymitanorum, et quod rex Balduinus denuo sit captus.

Euntibus ergo Hierosolymitanis quorsum ire fuerat statutum, glomerantur eis apud Antiochiam Tripolitani atque Antiocheni. Sed cum Turbezel pervenissent, intimatur eis regem denuo esse captum, et oppidum in quo clausus erat Carram nominatum. Hoc autem audito, mutatur consilium, et jubetur illico edici reditus. Et cupientes sibi aliquid prodesse, cornicine significante, diverterunt ad urbem Caliptum; et vastaverunt et dissipaverunt omnia quæ intrinsecus repererunt, cum primitus intra mœnia ferociter contra eos omnes qui exierant impulissent. Sed cum per quatuor dies ibi morantes nil amplius fecissent, ad sua remeare statuerunt, jam alimoniorum penuria vexati. Goscelinus vero comes in territorio Antiocheno tunc remansit. Et cum usque Ptolemaidam regressi fuissent, antequam affines Sarraceni hoc advertissent, Jordanem subito itinere transierunt. Et cum per regionem illam, quæ monti Galaad et Arabiæ contigua est, percucurrissent, et de Sarracenorum utroque sexu bestiisque plurimis greges diripuissent, cum ingenti carra camelorum atque ovium, infantum quoque ac puberum, Tiberiadem eis proximam redierunt, et dispertito pro more invicem clemento, Hierusalem undique convenerunt, et crucem Domini allatam in loco suo reposuerunt. Nunc autem reverti decet ad id quod aliquantulum prætermiseram,

CAPUT XXVI.

Quomodo Balac regem obsedit, et eum denuo in custodiam misit.

Cum audisset Balac quod apud Cartapetam contigerat, et quemadmodum comes Goscelinus de captione evaserat, quantocius potuit illuc ire non distulit. Et regem blande tunc allocutus, flagitavit ut redderet ei castellum suum tali pactione, ut, datis obsidibus electis, eum quietum abire permitteret, et usque Edessam vel Antiochiam fideliter duci faceret. Alioquin vel uni eorum, vel ambobus in de-

terius fortuna prodiret. Sed cum rex hoc concedere nollet, diro efferatus animo, Balac minatus est et regem et castrum violenter comprehendere, et de inimicis suis vindictam procul dubio facere. Qui jussit illico rupem, super quam situm erat castrum, subfodi, et per cumulum sudibus dispositis opera suspendi, illataque silva ignem immitti. Succensis autem fulcimentis, cavea repente subsedit, et turris quædam huic incendio proxima cum magno sonitu decidit. Primo quidem cum pulvere fumus excitatus est, cum ignem ruina concluderet. Sed postea materia, quæ premebatur, flamma jam clarior apparere cœpit, et repentini facti regem occupat stupor, qui hanc molitionem ægre ferebat, et ita spes cum cassa refrixit. quem tantus casus terruit. Itaque tota virtute sua cum sensu perdita, rex et sui clementiæ Balac supplices addicti sunt; nihil nisi supplicium secundum merita exspectantes. Regi tamen indulta vita pepercit, et cuidam nepoti suo, simul etiam et Gualeranno. Armenios autem, qui adjumento regi contra Balac exstiterant, alios quidem suspendit, alios vero excoriavit, quosdam nempe per medium ense cecidit. Regem autem cum tribus de suis e castro ejecit, et ad Carram civitatem adduci fecit. Et quia procul a nobis facta hæc aberant, vix certitudinem rei addiscere poteramus. Verumtamen, quam verius potui, a relatoribus mihi intimatum chartæ commendavi.

Sic pluviis artus sitibundus desinit annus.
Unde Hierosolymi crebro sunt murmure questi.
Gesta quater denos currunt huc usque per annos
Post iter incœptum peregrinis undique notum.

CAPUT XXVII.

De Tyri obsidione præparata.

Anno a Domino Jesu nato 1124, cum Natale Salvatoris tam in Bethlehem quam in Hierusalem, ut decuit, celebrassemus, cui celebritati dux Veneticorum cum suis devote interfuit, confirmatum est communi et gratuita voluntate sub jurejurando, obsidionem circa Tyrum vel Ascalonem post Epiphaniam agere. Sed quia nos pecuniæ inopia universos tunc arcebat, colligitur multa viritim militiæ et clientelæ conductivæ impertienda. Non enim poterant tantum negotium sive donativis expedire. Quamobrem oportuit nos etiam pretiosiora Ecclesiæ Hierosolymitanæ ornamenta colligendo numismate creditoribus oppignerari. Igitur sicut interminatum est, et ubi nominatum est, undique convenerunt omnes.

Cum ter fusor aquæ valido reparatur ab igne,
Plebs de Hierusalem communiter exit in hostem.
Hoc fit et in prima feria, luna quoque prima.

CAPUT XXVIII.

Quomodo Tyrus a patriarcha et a Veneticis obsessa sit.

Itaque Achon profecti disposuerunt una cum Veneticis Tyrum adire et obsidere. Patriarcha igitur cum suis subditis, dux vero cum nautis et navibus suis urbem Tyrum obsidere xv Kalend. Martii accinxerunt, introeunte tunc Pisces sole gemellos. Hoc autem audito, Ascalonitæ, qui solita protervia nunquam mansuefieri potuerunt, nobis facere damnum pro posse non distulerunt. Quadam quippe die, tripartito exercitu suo, majorem cohortium suarum partem Hierusalem adduxerunt, qui exemplo octo homines extra urbem, qui vineas putabant, truciter peremerunt. Quorum adventu comperto, super arcem Davidis tuba mox intonuit, hoc nobis significans. Et procedentes adversus eos Franci nostri atque Syri, audacter obstiterunt. Et cum tribus diei horis alterutro conspectu ad tædium se fatigassent, effectis quamplurimis sauciatis, mœsti abierunt, nostri siquidem paulatim eos insecuti sunt. Et quia militibus carebant, insidias eorum veriti, non præsumpserunt eos diu sequi. Ad extremum tamen de capitibus eorum amputatis septem et decem retenta sunt, totidemque equi. Tres equites vivi, alii vero ex eis sunt occisi. Quod si milites haberemus, pauci ex eis evasissent. Equitatus enim noster in exercitu erat. Tunc Deus laudatur, cui semper laus debetur.

CAPUT XXIX.

De Tyro, et ejus nobilitate.

Interea loci coangustantur Tyrii in urbe sua proxime inclusi, nec pacem quærentes, nec capi cedentes. Divitiis enim opulenti, et maris præsidio circumfulti, consueverunt semper esse ingrati. Hæc est quidem cunctis urbibus, quæ in terra sunt promissionis, ditior et nobilior, præter Azor, quam antiquitus Jabin rex Chananæorum possedit, quam Josue postea cum plurimis destruxit. Quæ quidem, ut legimus, nongentis turribus munita gloriabatur (*Jud.* IV, 2, 3). Josephus autem tria millia curruum falcatorum fuisse narrat. Armatorum vero trecenta millia, et decem millia equitum habebat; cujus militiæ Sisara dux exstitit. Hæ urbes Tyrus et Azor in terra Phœnicum fuerunt institutæ. Hæc institoribus et negotiationibus munitissima; illa vero infinita gente populosa. Hæc in marino littore sita; illa vero in campestribus est collocata. Quando Gedeon vindicabat Israel, tunc temporis Tyrus condita fuit paulo ante Herculem a Phœnicibus. Urbs enim in terra Phœnicum est. Hæc est, ad quam Isaias loquitur, minans eam propter superbiam suam (*Isa.* XXIII), in qua optima purpura tingitur; unde et de Tyria dicitur nobilis purpura. Tyrus interpretatur *angustia*, quæ Seor Hebraice dicitur. Rex autem Assyriorum Salmanasar pugnans contra Syriam et Phœnicem expugnavit eam, cum in ea regnaret Eliseus. Nolebant enim regi Assyriorum Tyrii esse subjecti. Hoc equidem per quinquennium actum est. De hoc Menander scribit, Josephus quoque latius. Tunc temporis pelagus transfretantes Tyrii, duce Didone, Beli filia, Carthaginem in Africa condiderunt. Cujus situs triginta millia passuum muro amplexantur, et pene tota mari cincta ab Orosio historico fuisse describitur absque faucibus, quæ tribus millibus passuum aperiebantur. Is locus murum 30 pedes latum habuit, saxo quadrato ad altitudinem cubitorum 40. Arx, cui Bisse [*in edit.*

Birse] nomen fuit, pauco amplius quam duo millia passuum tenebat; quæ septingentesimo anno post conditionem ejus omni lapide diminuto confunditur. Quæ ante urbem Romam duos et septuaginta annos ab Helyssa condita invenitur. Hanc Publius Scipio superioris anni consul suprema sorte molitus est; quæ continuis decem et septem diebus miserabiliter arsit.

CAPUT XXX.

De Tyri captivitate antiqua, et a quibus antiquitus fuit expugnata.

Tyrus autem superius memorata 70 annis, juxta Isaiam, depopulata elanguit. A qua recedentibus Cetheis, reduxit eos Eliseus rex. Contra quos Salmanasar rex Assyriorum denuo insurgit. Recessit a Tyro tunc civitas Sidon, et Arce, et antiqua Tyrus, et multæ aliæ simul urbes; quæ semetipsas regi Assyriorum tradiderunt. Quapropter Tyriis non subjectis, iterum adversus eos egressus est, Phœnicibus ei naves 70 exhibentibus, et remiges 800. Contra quos Tyrii navigantes in 12 navibus, dispersis hostium navibus, ceperunt captivos viros quingentos. Unde honor Tyriorum propter hoc crevit quammaxime. Revertens autem Assyriorum rex, disposuit custodias super flumen, et aquæ ductu circuivit, ut Tyrios haurire pocula prohiberent. Et cum hoc quinque annis factum esset, toleraverunt, de effossis puteis bibentes aquam. Hæc itaque in archivis Tyri de Salmanasar rege Assyriorum conscripta sunt. Hic est, qui Samariam obsedit, et cepit eam anno regis Ezechiæ sexto, et transtulit Israel in Assyrios. Ante quem venerat etiam Phul rex Assyriorum, et post eum Tegladphalassar rex Assur, qui cepit Cedes et Azor in Nephtalim, et prope Paneas, et Jaloe, et Galaad, et universam Galilæam, et transtulit eos in Assyrios. Venit quoque Sargon rex Assyriorum, qui misit Tartham pugnare contra Azotum, et cepit eam. Itaque propter peccata populi vastata est terra promissionis, et in captivitatem ducta, prius Assyriis, deinde Chaldæis. Nabuchodonosor enim tam Chaldæus quam Babylonius rex obsedit et cepit Hierusalem. Unde Sedecias rex fugiens captus est juxta Jericho, et ductus ad regem Babylonis in regionem, quæ Reblata dicitur, in terra Emath. Hieronymus dicit Emath magnam esse Antiochiam, minorem vero Epiphaniam. Ibi fecit Nabuchodonosor oculos Sedeciæ erui, et filios ejus coram se jugulari. Tunc venit Nabuzardam princeps militiæ ejus, et incendit domum Domini et domum regis, et totum murum destruxit per circuitum. Post temporum autem intervalla venit Alexander, qui Tyrum obsedit, et cepit, subjugata Sidone, prius autem Damasco. Gaza quoque ab eo capta per duum mensium spatia; qui circa Tyrum septem mensibus fuerat, ad civitatem Hierosolymam festinavit. Honorifice susceptus, principem sacerdotum nomine Jaddim plurimis honoribus prosequitur, habentem thydarim super caput ejus, et stolam auream hiacinthinam, et super laminam auream, in qua nomen Dei scriptum erat, solus adiens diligenter adoravit. Et

A disposita Hierosolyma, ad reliquas civitates exercitum suum convertit. Post annorum plurium spatia, peccatis Judæorum exigentibus, Antiochus Epiphanes legem eorum impugnans, Machabeos valde coarctavit. Post hunc venit Pompeius, qui Hierusalem infeliciter dissipavit. Ad ultimum vero Vespasianus cum Tito filio suo venit, qui penitus eam destruxit. Itaque per varios rerum eventus usque ad tempora nostra, et civitas sancta, et patria ei subdita præcipitanter exstitit vexata. Plerumque Palæstina, interdum Phœnicea, quæ a Phœnice Cadmi fratre nomen accepit, est vastata. Tum Samaria,

B tum Galilæa, quæ tamen bipartita determinatione distinguitur. Nam altera superior, altera quidem inferior appellatur; quas ambifariam Phœnice et Syria cingunt. Illa nempe, quæ est trans Jordanem, a Macheronta in Pellam capit longitudinem, et a Philadelphia usque Jordanem habet latitudinem. Pella quippe septentrionalis ejus est tractus, Jordanis vero occiduus; meridianus autem Moabitide terminatur regione; ab oriente Arabia et Philadelphia, itemque Gerasidis clauditur. Samariensis autem regio inter Judæam et Galilæam sita est. At Judææ latitudo a Jordane usque Joppem explicatur; media vero civitas ejus est Hierusalem, quasi umbilicus ejus terræ sit. Porro inferior Galilæa, quæ ex Tiberiade usque Zabulon, et usque Ptolemaidam tenditur, et Carmelum montem Tyriorum, continet intra se Nazareth, et Sephorum civitatem validissi-

C mam, Thabor etiam, et Cana, cum pluribus aliis. Hæc siquidem Libano accingitur, et fontibus Jordanis, ubi nunc est Paneas, sive Dan alio nomine, sive Cæsarea Philippi, circa quam Turconitidis [*in edit.* Traconitidis] est regio, et Nabatea. A meridie est Samaria, et Scitopolis, hoc est Bethsan. Judææ autem Bersabee civitas dat limitem, intra quam sunt Tamna et Lidda, Joppe et Jamnia, Thecue et Hebron, Astaol et Saraa, et multæ aliæ. Nunc ad callem redeo, qui diversas semitas diu discurri.

CAPUT XXXI.

De bello et victoria Antiochenorum et de morte Balac.

Cum igitur circa Tyrum in obsidione ad machinas præparandas laboraremus, nihilominus Balac contra nos cornu suum cum complicibus suis extol-

D lere non cessabant. Qui ex urbe Calipto egressus, quæ vulgo Halapia nuncupatur, mense Maio intrante, cum quinque millibus equitum septemque millibus peditum perrexit Hierapolim, quam urbem Mombech vulgus vocitat. Et cum possessor ejus eam illi reddere nollet, extra urbem eum ad se tunc evocatum nefariam decollavit. Qua urbe Balac protinus obsessa, non latuit Goscelinum Antiochiæ tunc morantem, et habita inde legatione, acceleravit illuc ire cum Antiochenis. Licet enim paucissima gens esset Christicolarum, non pavitavit Goscelinus aggredi multitudinem perfidorum. Nec mora diu protracta, commissa est ferociter pugna. Deo autem suffragante, postquam Turci ter sunt confusi, ter ad pugnam audaciter regregati, Balac in ea pres-

sura sauciatus ad mortem, pro posse divertit moribundus in partem. Quod cum extemplo sui comperissent, qui potuerunt fugere non torpuerunt. Potuerunt quidem plerique fugere, sed nequaquam effugere. Referuntur enim tria millia ex eis fuisse interemptorum, qui equites erant. De peditibus autem ignoratur numerus. De nostris vero 30 milites ibi perempti occubuerunt; de pedestri autem clientela 60 fere. Volens autem certitudinem rei scire Goscelinus, an Balac esset mortuus, an aliquatenus esset vivus, cum sollicite perscrutarentur qui hoc inter necatos exquirebant, armorum indiciis cognitorum a cognitis cognitus est. Cujus caput qui amputavit, Goscelino gratulabundus detulit; a quo numismata, sicut se illi daturum spoponderat, lucratus accepit. Caput siquidem continuo Antiochiam ad declamationem rei gestæ Goscelinus deferri fecit. Quod ipse, qui in starcia sua detulit usque Tyrum, itemque Hierusalem, nobis universis et enarravit et declaravit, qui etiam in prælio memorato cum præliantibus præsens fuit. Armiger quoque Goscelini erat ipse. Et quia nuntium attulit desiderantissimum in exercitu nostro ante Tyrum assistentem, acceptis armis ab armigero in militem provectus est. Comes nempe Tripolitanus ad hunc gradum eum sublimavit. Et laudavimus et benediximus omnes Dominum, quia suffocatus est ille draco sævissimus, qui Christianismum diu tribulaverat et pessumderat.

Sol decies novies lustrarat lumine Taurum;
Quando Balac cecidit, vel eum fortuna fefellit.

Ecce sic interpretatio somnii superius memorati declarata est, quod quasi vaticinans ipse Balac de seipso dixerat tempore illo, quo Goscelinus de captione mirabiliter evasit. Videbat enim in visu a Goscelino sibi oculos erui. Vere penitus eruit, quoniam caput et membra illi penitus abstulit.

Nec videt, aut audit, nec fatur, nec sedet, aut it:
Nec cœlo, nec humo, nec aqua locus ejus habetur.

CAPUT XXXII.

De his quæ in obsidione Tyri gerebantur.

Quadam vero die, dum in obsidione memorata securi quiescerent qui circumsedebant, opportunitate considerata, egressi sunt de civitate Tyrii tam Turci quam Sarraceni, patefactis portis, et ad machinam nostram inter cœteras fortiorem occurrentes, nudatis frameis unanimiter accurrerunt, et antequam arma nostri caperent, quos in machina custodes invenerunt foras sauciando pepulerunt. Et incenderunt eam igni, qua solebant turres antea jactis lapidibus conquassari et vehementissime perforari. In qua impugnatione 30 homines perdidimus. Illi autem duplex repererunt damnum. Cives quippe per muri minas nostros tam sagittis quam lapidibus sive spiculis crebro valde lædebant et vulnerabant. Interim autem Venetici nostri secunda usi fortuna satis, carabum suum ingressi, qui non erant nisi quinque tantum, domunculam unam, quam juxta murum urbis repererunt, diripuerunt, duobus ibi capitibus amputatis. Qui tunc sine cunctatione cum lucello suo gratulabundi foras remeaverunt. Actum est hoc XI Kal. Julii. Sed minus valuit, cum paulo ante Tyrii liburnam unam noctu clepserint, et intra urbem per portum traxerint. In hujusmodi enim certaminibus talia fieri sæpe contingit.

Hic cadit, hic surgit; hic plorat, gaudet et ille.

CAPUT XXXIII.

De pessima inquietudine Ascalonitarum.

Scientes autem Ascalonitæ gentis nostræ paucitatem, ubi magis æstimaverunt nos debilitare, vel damnum inferre, non pigruerunt molestare. Nam prope Hierusalem viculum quemdam Birrum nominatum vastaverunt et concremaverunt, et asportatis omnibus reculis illic inventis, cum aliquantis mortuis et pluribus vulneratis abierunt. Mulierculæ enim et infantes in turri quadam tempore nostro illic ædificata se intromiserunt, et sic salvati sunt. Itaque per terram excurrentes, diripiebant, necabant, captivabant; quodcunque malum poterant faciebant, nec erat qui eis resisteret. Intenti enim eramus omnes ad obsidionem, misericordiam exspectantes supernam, quatenus laborem nostrum Deo factore et adjutore valeremus consummare. Erat enim impatibile et nocte lucubrare, et die laborare.

CAPUT XXXIV.

De redditione urbis Tyriæ

Videns autem rex Damasci Turcos suos et Sarracenos, qui erant in urbe circumclusi, nullo modo posse de manibus nostris evadere, maluit cum aliquo dedecore vivos eos redimere quam mortuos plorare. Quæsivit ergo per interlocutores sagaci consilio, quatenus homines suos cum rebus eorum omnibus foras exciperet, et urbem vacuatam nobis relinqueret. In quo cum utrinque diu luctaremur, obsidibus ambifariam datis, illi de urbe sunt egressi, et Christiani pacifice introgressi. Quicunque autem ex Sarracenis in urbe remanere voluerunt, sub conditionis ratiocinio in pace remanserunt.

Sub Cancro Phœbus fuerat sex decies ortus,
Quando Tyrus capitur, et redditur, ac superatur,
Nam Nonas Julii contigit hoc fieri.

Non est cessandum, non est etiam tardandum quærere Dominum nostrum adjutorem in tribulationibus, pium, benignum, et precibus pulsare eum, ut nobis pulsantibus pium præbeat auditum. Hoc equidem in Hierusalem feceramus, persæpe ecclesias visitando, lacrymas fundendo, eleemosynas impertiendo, corpora jejuniis afficiendo. Quod Deus, ut credo, de supernis aspectans, non reliquit post se benedictionem, sed exaudivit deprecationem nostram. Quod cum aliquem addiscere rumusculum auribus apertis exspectabamus, ecce legati tres festinantissime venerunt nobis nuntiantes et litteras a patriarcha nostro deferentes, et urbem captam esse innotescentes. Quo audito, clamor jucundissi-

mus attollitur, *Te Deum laudamus* illico vocibus altisonis decantatur. Signa pulsantur, processio ad Deum deducitur, vexilla in muris et turribus elevantur, per omnes vicos ornamenta multicoloria extenduntur, gratiarum actiones depromuntur, nuntii pro meritis digne remunerantur, pusilli et magni pariter congratulantur, puellæ in cantilenis, in choreis delectantur. Recte mater Hierusalem gaudet de Tyro filia, cujus a dextera sedit amodo coronata. Luget et Babylon, consolatione ejus perdita, cujus adminiculo dudum exstiterat suffulta, cujus classem quotannis nobis hostilem excipiebat. Hæc vero etsi minoratur pompa, augmentatur divina gratia. Nam quæ apud Ethnicos civitas habuerat in magisterio primiflaminem, vel archiflaminem, secundum Patrum institutionem habebit primatem vel patriarcham in lege Christiana. Ubi enim archiflamines erant, archiepiscopi in lege Christianorum sunt instituti, qui singulis provinciis præsint. Ubi metropolis erat, quæ interpretatur *mater civitas*, metropolitani erant, qui de tribus aut quatuor civitatibus intra aliquam provinciam matri et majori aliarum civitati præsidebant. Ubi autem minores civitates habuerunt solummodo flamines vel comites, episcopi sunt constituti. Porro tribuni plebis non absurde intelliguntur presbyteri, sive reliqui inferioris ordinis clerici. Sic omnis mundana potestas his gradibus dignitatum a se invicem distat, id est ut primus sit Augustus, vel imperator. Deinde Cæsares, deinde reges, duces, comites. Sic dicit Clemens papa, Anacletus, Anicius, et plures alii. Demus ergo laudes Deo altissimo, quia non hominum virtute, sed sua beneplacita voluntate, sine sanguinis effusione nobis Tyrum reddidit, urbem inclytam, urbem fortissimam et ad capiendum difficillimam, nisi Deus manum apponeret dexteram. In hoc quidem Antiocheni deliquerunt, qui nullum auxilium nobis præbuerunt, nec labori huic adesse voluerunt. Benedicatur autem Pontius Tripolitanus, quoniam adjutor nobis fidelissimus. Pacificet Deus Antiochenam Ecclesiam cum Hierosolymitana Ecclesia, quæ duæ dissident de Tyria tertia. Illa dicit hanc sibi fuisse subditam sub Græcorum tempore. Hæc dicit se esse communitam privilegiis a Romano pontifice. Nam in concilio Arvernensi tam authentico et nominatissimo constitutum unanimi assensu fuit, ut, quæcunque civitas mari magno transito a paganorum posset excuti jugo, sine contradictione perenniter obtineretur. Hoc etiam in Antiocheno concilio episcopo Podiensi magistrante replicatum et concessum ab omnibus est. In Hierusalem quoque dux Godefridus et domnus Boamundus acceperunt terram suam a patriarcha Daiberto propter amorem Dei. Identidem Paschalis papa privilegiis suis corroboravit, et ea Ecclesiæ Hierosolymæ transmisit, quibus Ecclesia Romana sic auctorisante jure perpetuo communietur. In quibus privilegiis hæc inscripta continentur:

CAPUT XXXV.

Privilegium Paschalis papæ.

« Paschalis, servus servorum Dei, reverentissimo fratri Hierosolymitano patriarchæ Gibelino et successoribus ejus canonice promovendis. Secundum mutationes temporum transferuntur etiam regna terrarum. Unde etiam ecclesiasticarum parochiarum fines in plerisque provinciis mutari expedit et transferri. Asianarum siquidem Ecclesiarum fines antiquis fuerunt diffinitionibus distributi. Quas distributiones diversarum diversæ fidei gentium confudit irruptio. Gratias autem Deo, quod nostris temporibus et Antiochiæ et Hierosolymæ civitates cum suburbanis suis et adjacentibus provinciis in Christianorum principum redactæ sunt potestatem. Unde oportet nos divinæ mutationi et translationi manum apponere, et secundum tempus quæ sunt disponenda disponere, ut Hierosolymitanæ Ecclesiæ urbes illas et provincias concedamus, quæ per gloriosi regis Balduini prudentiam, ac exercituum eum sequentium sanguine per Dei gratiam acquisitæ sunt. Præsentis decreti pagina tibi, frater charissime et coepiscope Gibeline, tuisque successoribus, et per vos sanctæ Hierosolymitanæ Ecclesiæ patriarchali metropolitano, jure regendas disponendasque sancimus civitates omnes, atque provincias, quas sub prædicti regis ditione aut jam restituit, aut in futurum restituere divina gratia dignabitur. Dignum est enim ut sepulcri Dominici Ecclesia secundum fidelium militum desideria competentem honorem obtineat, et Turcorum vel Sarracenorum jugo libera, in Christianorum manu abundantius exaltetur. »

CAPUT XXXVI.

De portionibus circa Tyrum constitutis.

Expletis autem apud Tyrum, prout oportuit, negotiis, et tripartita divisione dispositis, et æquiparatione congrua duabus portionibus regiæ scilicet dignitati, et tertia hæreditario jure Veneticis tam in urbe quam in portu singillatim contraditis, recesserunt omnes ad sua. Revertente autem Hierosolymitano patriarcha Hierusalem cum Hierosolymitanis, crucem Domini sacrosanctam digna cum veneratione suscepit clerus et populus.

(Huc usque editio I Bongarsii. Quæ sequuntur addita sunt ex ms. codice.)

CAPUT XXXVII.

De signo tunc apparente.

Deinde apparuit nobis sol per unam fere horam fulgore colorifero, in novam vel jactivam formam commutatus, et in specie lunæ tanquam eclipsi quadam biformis transmutatus. Hoc accidit quippe III Idus Augusti, hora diei jam prætereunte nona. Noli ergo mirari cum vides signa in cœlis, quia nihilominus operatur Deus in terris. Sicut enim in cœlestibus, ita et in terrenis transformat et componit

quæcunque et quomodo vult. Quod si mira sunt quæ fecerit, mirabilior est qui ea fecit. Considera et mente recogita quomodo tempore in nostro transvertit Deus Occidentem in Oriente. Nam qui fuimus occidentales, nunc facti sumus orientales. Qui fuit Romanus aut Francus, hac in terra factus est Galilæus, aut Palæstinus. Qui fuit Remensis aut Carnotensis, nunc efficitur Tyrius aut Antiochenus. Jam obliti sumus nativitatis nostræ loca, jam nobis pluribus vel sunt ignota, vel etiam inaudita. Hic jam possedit domos proprias et familias quasi jure hæreditario et paterno, ille vero jam duxit uxorem non tamen compatriotam, sed et Syram aut Armenam, et interdum Sarracenam, baptismi autem gratiam adeptam. Alius habet apud se tam socerum quam nurum, seu generum suum, sive privignum, necne vitricum. Nec deest huic nepos, seu pronepos. Hic potitur vineis, ille culturis. Diversarum linguarum coutuntur alternatim eloquio et obsequio alterutri. Lingua diversa jam communis facta utrique nationi fit nota, et jungit fides quibus est ignota progenies. Scriptum quippe est : *Leo et bos comedit paleas* (*Isa.* XI, 7). Qui erat alienigena, nunc est quasi indigena, et qui inquilinus est, utique quasi incola factus. Nos nostri sequuntur de die in diem propinqui et parentes, quæcunque possederant omnino relinquentes, nec etiam volentes. Qui enim illic erant inopes, hic facit eos Deus locupletes. Qui habuerant nummos paucos, hic possident bysantios innumeros, et qui non habuerant villam, hic, Deo donante, jam possident urbem. Quare ergo reverteretur in Occidentem, qui hic invenit taliter Orientem? Nec vult eos penuria Deus affici, qui cum crucibus suis devoverunt eum sequi, imo denique assequi. Percipitis igitur esse hoc miraculum immensum, in universo mundo valde stupendum. Quis audivit hactenus tale? Vult ergo nos Deus omnes lucrifacere, et ut amicos charissimos ad se attrahere. Et quia vult, nos quoque voluntarie velimus, et quod illi placet benigno corde et humili faciamus, ut cum eo feliciter regnemus.

CAPUT XXXVIII.

De regis a vinculis liberatione, et obsidione urbis Halapia.

Omnipotente Deo favente, de Turcorum custodia Hierosolymorum rex IV Kal. Septembris exiit, cum mensibus 12 pauloque magis sub eorum vinculis detentus esset. Sed quia pro redemptione sui obsides eis electos primitus contradere oportuit, non omnino liber exiit, cum se et illos incerta et pendula spe anxius obligaverit. Unde consilio necessitati postmodum adhibito, urbem Caliptum obsidere acceleravit, quatenus ipsa cohibita, vel obsides suos a civibus extorqueret, vel forte fame vexatam comprehendere posset. Didicerat enim panis inopia eam valde angustari. Ab Antiochia magna 40 millibus civitas hæc discrepat ; quo in loco ab Abraham, quando de Carram in terra peregrinabatur Chanaam, pecora sua tam fetentia quam fetata in pascuis illis uberrimis faciebat opiliones suos pascere, insuper lac eorum in mulctris faciebat mulgeri, deinde coagulari, coagulatumque in fiscinis exprimi, et formagia confici. Dives enim erat valde omnigenum rerum possessione. Calixtus papa obiit XII Kalend. Januarii.

CAPUT XXXIX.

De congregato exercitu Turcorum ad dispergendam obsidionem.

Anno a Salvatore mundi nato 1125, indictione III, cum mensibus 5. Hierosolymitanus una cum suis Halapiam urbem rex cohibuisset, nec quidquam profecisset, Turci, ut solent, non torpidi, transgresso flumine paradisiaco Euphrate magno, itinere citissimo properaverunt ad urbem prædictam, ad disperdendam obsidionem, quam gens nostra jam diu apposuerat circa illam. Verebantur enim, nisi citissime subvenirent, in proximo eam fore capiendam. Fuerunt autem septem millia equitum, camelorum quoque annona et alimentis onustorum, ad quatuor fere millia. Sed quoniam adversus eos prævalere nostri non potuerunt, necessario cesserunt, et ad oppidum eis proximum Careph nominatum die sequenti diverterunt. Erat enim illud nostrum. Turcorum enim pars una nostros aliquantisper cum insequerentur, duos de suis probioribus equis dejectos atque peremptos illic amiserunt. Nos vero clientem unum, sex quoque tentoria. Accidit adventus eorum III Kalend. Februarii. Sed quia noctu repentini advenerunt, propterea imparatos nos facilius invenerunt et confuderunt. Vilissimum ergo dictu, inhonestum scitu, tædium relatu, pudor auditu. Sed qui hoc narro, a veritate non devio. Quid ergo? voluntati Dei quis resistit? Verum est autem proverbium, quod quidam Sapiens dixit : « Futura non pugnant, nec se superari sinunt. » Erat hoc verum futurum, sed nemini præscitum. Si enim fuisset præscitum, nunquam posset fore futurum, quia de meditatione veniret ad nihilum sine voluntate. Nam cassaret qui præsciret, ne ad factum res exiret. Rex autem deinde secessit Antiochiam, Goscelinusque cum eo. Obsides vero, quos posuit pro se rex quando de vinculis exiit, neque sunt redditi, neque redempti. Itaque tam Hierosolymitani quam Tripolitani omnes ad sua remeaverunt. Obviat autem divina dispensatio ei, quem prosperiorem facit humana probitas, ne cui convenit ampliari patiatur. Quis enim alius vel bonorum dator, malorumve depulsor, quam rector aut medicator mentium Deus, qui ex summa cœli specula universa conspicit et discernit? Qui Tyrum urbem fortissimam et gloriosissimam nobis Christianis suis paulo ante benigne tradidit, et possessoribus ejus abstulit, nunc ei manum retrahere libuit. Fortassis liberioribus agricolis vineam suam excolere reservavit, qui fructum ei ubertim reddere velint vel valeant opportuno in tempore. Quidam quidem cum plus habent minus valent, nec largitori bonorum gratias quantas debent exhibent ; verum etiam Deo in his, quæ votis illi promittunt, sese fallentes, item itemque mentiendo fallunt

CAPUT XL.

Quod rex Hierosolymis cum gaudio sit receptus.

Cum autem duobus fere annis tentus, et vinculis compeditus a paganis atrocissime rex fuisset, Hierosolymam suam reversus rediit; quem III Non. Aprilis universi processione celebri suscepimus. Qui, parum apud nos commoratus, Antiochiam festinanter rediit. Turcis terram illam jam vastantibus, quorum potentior Borsequinus erat nominatus, junctis sibi sex millibus militum.

CAPUT XLI.

De Veneticis, qui revertentes Insulas imperatoris vastaverunt.

Tunc temporis usque ad nos divulgatur Veneticos post Tyrum captam in repatriatu suo insulas imperatoris, per quas præteribant, Rhodum videlicet et Mothonem, Sanum quoque et Chium, violenter comprehendisse, pariterque mœnia diruisse, puberes et puellas miserabiliter captivasse, pecuniam multimodam secum asportasse. Sed quoniam nequivimus hoc commendare, in visceribus intimis hoc audientes condoluimus. Hi enim adversus imperatorem, hic quoque contra Veneticos crudelissime utrobique desæviebant. Inimici enim erant ad invicem. Sed *væ mundo ab scandalis!* væ illis etiam per quos scandala eveniunt! (*Matth.* XVIII, 7.) Si culpa est imperatoris, male quidem ipse imperat. Si autem Veneticorum, ipsi sibi damnationem acquirant. De superbia quippe peccata procedunt universa. Nonne superbit homo, quando facit quod prohibet Deus? Habent Venetici ulciscendi se occasionem, habet et imperator defendendi se, ut ait, justiorem. Insontes autem in medio positi, et eorum injuriæ non obnoxii luunt, et injuste perdunt. Sed quid præterea dicendum est eis, qui raptu piratico peregrinis Dei et Hierusalem pro amore Creatoris, cum labore et angore tantimodo euntibus in pelago mala quæ possunt facere non desistunt? Si beatificari, Domino dicente, merebuntur misericordes (*Matth.* v, 7), quid contrarii pietatis recipiunt pro impietate sua immisericordes? Maledicuntur, excommunicantur, et impœnitentes et perfidi moriuntur. Descendunt ultro tales *in infernum viventes* (*Psal.* LIV, 16). Apostolico non obediunt, patriarcham contemnunt, sanctorum Patrum dicta vilipendunt. Scio, scio quod eis dicere non formido. Futurum enim est quod audient a Domino judice valde severo: « *Nescio unde sitis* (*Luc.* XIII, 27), qui januam vobis aperire clamatis. Et tarde venitis, et nihil boni vobiscum affertis. Imo *janua* jam *clausa est* (*Matth.* XXV, 10). Noluistis enim me audire, nec amplius dignor vos auscultare. Qui quondam clamavi, *Venite* (*Matth.* XI, 28), nunc omnino dico, *Discedite* (*Matth.* XXVII, 41). Dico, dico, amen dico; datam sententiam nullatenus commuto. Quod autem superest, horribile est, et impatibile est, sed perpetuum pro meritis væ. Rerum autem ordinem continuandi gratia, et ne intercisa pendeat historia, summatim singula designare satagam.

CAPUT XLII.

De multis a Borsequino perpetratis, et prælio contra ipsum gesto.

Igitur Borsequinus, cujus tam probitatem quam improbitatem ordiri jam cœpimus, cum paulatim per singulos dies ejus concresceret exercitus, oppidum quoddam vocitatum Caphardam obsidione arcuit, et arcitum comprehendit. Quod ei tradiderunt qui tutores ejus erant, cum diutius obtinere nequirent, nec subventum aliunde habere sperarent. Necdum rex noser illuc pervenerat, nec comes Tripolitanus quem secum illuc ducebat. De Hierosolymitanis autem paucos habebat, quoniam in præsenti et in præterito anno valde fatigati fuerant. Nam quomodo tot labores assidue tolerare poterant, quibus vix uno mense in domibus suis quiescere licebat? Certe crudelis corde est, qui eis qui circa Hierusalem inhabitant pie non compatitur. Qui die ac nocte in Domini servitio gravissime tribulantur, qui etiam, cum de hospitio suo exeunt, ne reverti postea possint timidi ambigunt. Si longe tendunt, necessario alimentis suis et utensilibus onerati incedunt. Si pauperes vel agricolæ, aut lignarii sunt, in saltibus et lucis, Æthiopum insidiis aut capiuntur, aut necantur. Hinc Babylonii terra et mari, ab aquilone vero Turci plerumque accurrunt subitanei. Præsto quippe sunt aures et attentæ ad cornicinem audiendum, si forte increpuerit bellicus tumultus. Quod nisi interdum peccando deviaremus, amici revera Dei omnino essemus. Borsequinus autem humilem Syriam proculcans, et quid ei magis sit commodum sollicite exquirens, Sardanaium castrum obsedit. Sed nihil illic proficiens, ad municipium Hasar nominatum exercitum suum convertit. Quod statim obsessum machinis et tormentis vehementissime coercuit. Cui rex Damascenorum cum properasset mandatus adjutum, audito regis adventu, jam callide Borsequinus tentoria sua collecta cum sarcinis suis formidolosus emiserat. Et cum usque ad comprehensionem jam castrum angeretur, et tempus ad bellandi affectum nostros arctaret, ecce rex venit cum 13 cuneis ordinatissime præparatus. Ad cujus cornu dextrum Antiocheni constituti sunt. In lævo duo comites, Tripolitanus et Edessenus. Rex vero in tertio cum densiore et posteriore, cum in 21 phalangibus Turci divisi essent; multitudo nempe erat copiosa. Jamjamque arcus tentos in brachia de manibus deponebant, et cominus ensibus extractis nudatisque dimicabant. Cum rex hoc viso haut diutius tardans, orationum munimine et signo crucis armatus, exclamando *Adjuva, Deus*, et tubis vehementer sonantibus, impetum in eos et fecit, et fieri præcepit. Non enim pugnam incipere audebant, quo usque rex jussisset, Turcis siquidem potentissime primitus resistentibus. Denique, Conditore universorum opitulante, desperatione tabuerunt, et strage sub magna confusi in fugam et desperationem quibus licuit conversi sunt.

Quinquies extortis in quinis quinque Gemellis

Claruit hoc bellum, Domino præstante triumphum :
Idibus in ternis cum Junius æstuat auris,
Hoc geritur bellum Domini decus ad memorandum.

CAPUT XLIII.

Quanti in prælio sint occisi.

De numero autem occisorum vel sauciatorum comprehendi veritas nec in hoc nec in alio quolibet bello potest, cum nisi sub æstimatione talis summa a nemine taxetur. Sed multoties varietas scriptorum utique fallacia est, quæ quidem fallaciæ causa profecto adulatio est, dum victorum laudes accumulare, virtutemque patriæ extollere vel præsentibus vel posteris student. Unde lucidissime patet quoniam tali impudentia mentiendi et occisorum hostium numero adjiciunt, et amicorum damna minuunt, vel omnino reticent. Retulerunt autem nobis qui bello interfuerunt, duo millia militum Turcorum exstitisse peremptorum, ipsis qui evaserant Turcis testificantibus. Sed de equis utrarumque partium infinitus numerus fuit angore et fatigatione siti exstinctis.

Æstus erat, magnusque calor geminaverat æstum,
Pugna gravis geritur, furit hic, occidit et ille.
Is fugat, ille fugit; post casum nemo refugit.
Sanguine cæsorum campique viæque rubescunt,
Candent loricæ, lucent galea frameæque
Clarifica specie, per campos undique jactæ.
Projicit hic scutum, pharetram jacit ille, vel arcum.

Nollet Borsequinus scutica tunc carere, et mallet Tuldequinus urbe Damascena nudipes inesse, et suam toparchiam sollicite servare. Amiserunt satrapas Turci 15 in congressu illo. Nostri vero non amplius quam 20 homines, quorum quinque milites erant. Mille quidem centumque milites nostri fuerunt, quando prælium commissum est. Turci autem 15 millia militum. De nostris vero duo millia peditum.

CAPUT XLIV.

Borsequinus in sua repatriat : rex de receptione filiæ in obsidatu olim datæ, nec non de victoria Deo gratias agit.

Cum autem nisi paucis diebus apud nos postea moratus esset Borsequinus, prætergresso Euphrate flumine, in sua repatriavit, nihil honoris, sed doloris et plangoris, amicis suis in patriam relaturus. Et qui huc venerat minax et cornutus, Dei gratia rediit mutilatus, et consolatione viduus. Deinde cum rex noster filiam suam ætate quinquennem, quæ in obsidatu detenta fuerat, et aliquantos familiares suos similiter compeditos redemptione numismatum adeptus fuisset, sicut utrinque pactum fuerat, Hierusalem contendit gratiarum actiones Deo acturus, et de prælio circa Borsequinum magnifice patrato eum obnixe laudaturus. Et merito laudaturus et gratias acturus, quia, cum jam diuturno tempore pessundatus, et in parte subteriore rotæ locatus, et vilissime et miserrime fere fuerat traditus, nunc, opitulante Deo, in decus pristinum restitutus est, et corroboratus.

Sena decennia bina tricennia præterierunt,
Ex quo natus sum, quoad hunc pervenimus [annum.
Quod superest vitæ Deus ordinet et regat æque

CAPUT XLV

De castello a rege ædificato.

Hoc in anno mense Octobris ædificavit rex castellum in montanis Berithi, et terra bonorum satis feraci. Hunc montem Glavianum vocant, a digladiando, quia ibi rei digladiabantur, qui apud Berithum damnandi judicabantur. Abest autem ab urbe ipsa sex milliariis. Et quia ruricolæ Sarraceni tributa locorum reddere antea nolebant, postea vi cohibiti reddibiles exstiterunt.

CAPUT XLVI.

De expeditione regis, et prælio cum Turcis.

Deinde paravit rex profectionem suam in Syriam versus Damascum, rupta pace inter regem et Tuldequinum, ubi tres vicos optimos cepit, profligavit, præcipitavit, et præda rapta quantum potuit, ad sua rediit. Quam quidem rapinam cum equitibus suis vel participibus æque divisisset, vel solito jure distribuisset, postridie in terram Philisthiim expeditionem suam convertit. Tunc apud Ascalonem novi recentesque convenerant, qui de Babylonia illuc missi fuerant. Cuneus militum probitatem suam in terra nostra monstrare cupientes, jam victores se fore arbitrabantur. Quos cum viderent civitati prædictæ levatis signis appropinquare, exierunt contra eos cum magna vociferatione et audacitate. Et quamlibet rex nondum in primam acierum suarum frontem advenisset, quia in posteriore parte sollicitus se retardabat, ut suis callide fugientibus, si necessitas urgeret, adjutor existeret, anteriores nostri cursores animi non inopes adversus eos indicibili impetu, *Adjuva, Deus* inclamantes, irruerunt. Quos cum tanta virtute et animositate inculcantes intra portas urbis, feriendo, prosternendo et occidendo impulerunt, ut, quantum æstimare licet, si aliquanto magis de gente parata illic haberemus, procul dubio cum illis communiter introire possent qui persequebantur. Remanserunt itaque Ascalonitæ mortuos suos ultra 40 de melioribus lugentes et lamentantes, et de hoc insperato infortunio vehementer admirantes. Rex autem tubis significantibus ultra et prope urbem, nocte illa sub tentoriis conquievit. Quod si habuerunt gratia Dei quietem, hostes nostri noctem duxerunt insomnem et tristem. Nam, ut ait Josephus, nimis confidens incautus est, metus autem providentiam docet. Sciendum quod die illa nullam prædam nostri cursores circa urbem invenerunt. Nam de adventu regis præscii, jam pecora sua universa absconderunt providenter.

CAPUT XLVII.

Quod Sarraceni per columbas suas litteras transmittant.

Morale est Sarracenis in Palæstina degentibus, ut per columbas ad hoc officium doctas de civitate in civitatem litteras sagaciter transmittant; quæ scriptorum vectrices ad domicilium jam sibi dudum

cognitum deportent. Quæ scripta in schedulis et super clunes columbarum consuta inventis legendo insinuent quid postea fieri debeat. Quod tunc ita factum clarissime est compertum.

CAPUT XLVIII.

De varietate consuetudinum.

Igitur secundum divisiones terrarum varietates existunt utique rerum et consuetudinum. Alios enim usus habet Francia, alios equidem Anglia, alios Ægyptus, alios vero India. Differunt etiam in volucribus, differunt in piscibus atque arboribus. Nunquam in Palæstina vidi balenam, neque lampredam, nec in volucribus picam, sive curucam. Illic autem habentur onagri, cirogrilli, nec non et hyena, quæ mortuorum effodit busta. In arboribus illic non vidi populum, nec taxum, neque corilum, aut sambucum, aut ruscum, aut acerem ullam.

CAPUT XLIX.

De diversis generibus bestiarum et serpentium in terra Sarracenorum.

Nuper vidimus omnes apud Neapolim bestiam quamdam, cujus nomen nullus hominum novit, nec audivit; facie qua hircus, collo ut aselli crinito, ungulis bifidis, cauda vitulina, ariete majorem. In Babylonia quoque est alia bestia, quam *Chimeram* vocant, quæ non retro, sed ante alta est, super quam in diebus majoribus pallium extendunt optimum, principi suo cum magnis aliis apparatibus servituri. Est *crocodillus* animal quadrupes. In terra et in flumine pariter valet. Linguam non habet, maxillam movet superiorem, morsus ejus horribili tenacitate conveniunt. Plerumque ad 20 ulnas longitudinis evalescit. Qualia anseres edit ova; nec alibi fetus premit, quam ubi crescentis Nili aquæ non possunt pervenire. Armatus est enim unguium immanitate. Noctibus in aqua degit, per diem humi acquiescit. Circumdatur maxima cutis firmitate. In flumine quodam Cæsariensis Palæstinæ modo hæc quadrupedia similiter habentur, sed non ex longo tempore dicunt illuc fuisse allata de ipso Nilo dolositate maligna; ubi jam damna quamplurima in territorio illo sæpe perpetrant, animalia devorant. *Appotamus* in eodem flumine Nilo ac solo nascitur, et in India, maxime equo similis, et dorso, et juba, et hinnitu, rostro resupino, ungulis bifidis, aprinis dentibus, cauda tortuosa. Noctibus segetes depascitur, ad quas pergit aversus, astu doloso, ut fallente vestigio revertenti nullæ insidiæ præparentur. Sunt quidem corpore majores quam elephanti. Hæc et alia, pusilla et magna, Deus creat universa. Et quia placet ei creare, et nobis debent placere, et proinde laudes ei dare. Veris *draconibus* ora sunt parva, et ad morsum non dehiscentia; sunt et arctæ fistulæ, per quas trahunt spiritus et linguas exerunt. Quippe non in dentibus, sed in caudis venenum habent, et verbere potius quam rictu nocent. Exciditur ex cerebris *draconcias* lapis. Draco maximus est omnium serpentium, sive animantium quæ sunt super terram; qui sæpe a speluncis abstractus fertur in aerem, concitaturque propter eum aer. Est autem cristatus. Si quem ligarit, occidit, a quo nunc elephans tutus est sui corporis magnitudine. Gignitur in India, et in Æthiopia in ipso incendio jugis æstus. Circa semitas delitet, per quas elephans graditur; solitis crura ejus nodis illigat, et suffocatum perimit. Pedes non habent. In Asia Scythica sunt *frigriphes* alites ferocissimi, ultra omnem rabiem sævientes. Sunt et *hircanii* gens silvis aspera, copiosa immanibus feris, feta *tigribus*. Quod bestiarum genus, insignes maculis notæ fulvo nitent. Pedum motum nescio velocitas an pervicacia magis adjuvet. Nihil tam longum quod non brevi penetrent; nihil adeo antecedit ut non illico assequantur. Sunt et *pantheræ* in Hircania minutis orbiculis superpictæ. Tradunt odore earum et contemplatione armenta mire affici, atque ubique eas persentiunt properato convenire, nec terreri nisi sola oris torvitate. Eas veneno frequentius quam ferro necant; lenta illis vivacitas. Est *alce*, mulis comparanda; adeo propenso labro superiore, ut nisi recedens in posteriora vestigia pasci nequeat. *Cameleon* nascitur in Asia plurimus, animal quadrupes, facies qua lacertæ, nisi crura curta et longiora ventri jungerentur. Prolixa cauda, eademque in vertiginem torta, hamati ungues subtili aduncitate, incessus piger, corpus asperum, cutis qualem in crocodillis deprehendimus, hiatus ejus æternus, ac sine ullius usus ministerio. Impetibilis est coraci. A quocunque interfectus est, victorem suum perimit interfectus. Nam si vel modicum ales ex eo ederit, illico moritur. Sed corax habet præsidium ad medelam, sumpta fronde laurea recuperat sanitatem. Corpus sine carne, vitalia sine linea; cuicunque se junxerit, concolor ei fit. *Salamandra* Græce vocatur, *Stellio* Latine,

Stellio flammipotens, Salamandra, Cameleon horrens,
Nomen inest trinum, sed simplex corpus et unum.

Ales est *pegasus*, quæ nihil equinum præter aures habet. Quidam populi adeo sunt proceri ut elephantos velut equos facillima insultatione transiliant. Est et gens, quæ in juventute cana sit, nigrescat in senectute. *Leucocrota* est bestia, quæ velocitate præcedit feras universas, asini feri magnitudine, cervi clunibus, pectore ac cruribus leoninis, capite cameli, bisulca ungula, ore usque ad aures dehiscente, dentium locis osse perpetuo. Hæc quoad formam; nam voce loquentium hominum sonos æmulatur. *Mantichora* nomine inter hæc nascitur, triplici dentium ordine coeunte, vicibus alternis, facie hominis, glaucis oculis, sanguineo colore, corpore leonino, cauda velut scorpionis, aculeo spiculata, voce tantum sibila, ut imitetur modulos fistularum. Humanas carnes avidissime affectat, pedibus sic viget, saltu sic potest, ut morari eam nec extentissima spatia possint, nec obstacula latissima. Sed quis potest in hoc mari magno et spatioso tot et tanta Dei magnalia vel scire, vel exquirere, in quo versantur tot animalia et reptilia quorum non est numerus?

Hoc autem quod dixi tantillum, a Solino exquisitore sagacissimo et dictatissimo, prout malui, excerpsi. Sed quod iter Alexander Magnus in India reperit et vidit, si non cuncta, tamen aliquanta in posterioribus indicabo.

Nunc abit hic annus, rector Deus exstet alius
Temporis ad ritum, modo transilit annus in annum.

CAPUT L.

De expeditione reg's Hierosolymorum contra regem Damascenorum.

Anno a Natali Dominico 1126, indictione III, celebratis in Hierusalem Natalitii diebus festis, conflavit rex exercitum suum, in regem incessurus Damascum. Et facto extraventu suo monitu præconario, tota Hierosolymitana regio ad hoc commota est pede et equo. Joppini et Rametenses, et qui erant in Lidda, meantes per Neapolim, iter egerunt suum per Scitopolim. Hæc est Besan. In septentrionali autem tractu Achonitæ et Tyrii. Hi vero, in quorum rex præerat collegio, linquentes ad dexteram urbem Sephorum et montem Thabor, venerunt Tiberiadem. Quibus Hierosolymitani simul conglobati, Jordane transito, sub tentoriis suis cuncti jucunde quieverunt.

Tempus erat clarum, quoniam sine nube, serenum,
Et septemdecimæ renitebant cornua lunæ.

Antelucanum autem, cum castris egrediendum erat, indicium lituus fecit. Tunc vero tabernacula colliguut, et ad profectionem cuncta instruunt. Mulos et jumenta, camelosque sarcinis onerant, ad quod multum tumultuabatur. Rudunt asini, blacterant cameli, hinniunt equi. Cum autem præduces viatorum tramitem insinuare cœpissent, cornibus item una personantibus, viam quam sibi utiliorem noverunt accurate carpserunt. Et cum terram hostilem profundius introissent, levatis signis incedere sapientius sategerunt, et armis suis se munierunt, ne inopinato periculo perturbarentur. Tunc transierunt caveam Roob, et terram Damascenorum introierunt, et ultra Meddam duabus noctibus pausaverunt. Ubi quoddam oritur flumen, quod extra mare Galilææ versus Scitopolim descendit, et Jordani se jungit. Tunc siquidem unam turrim ante se inventam præcipitaverunt. Itaque adca strum Solone nominatum venerunt. Unde Syri Christiani habitantes in eo cum processione sua exierunt obviam regi. Postmodum vero venerunt ad vallem, quam *Marchisophar* vocant, hoc est imperatoris Sophar, ad locum, in quo Paulus apostolus a Domino colaphum accepit, per tres dies visum amittens, duobus ibi diebus moram facientes. Illic aspexerunt tentoria Damascenorum, exercitum nostrum ibi exspectantium. Et cum Tuldequini regis filius equitum circiter tria millia studiose adductans utcunque potuit contraxisset, ad patrem pugnabundus rediit, et die illo ante bellum genti suæ aggregatus est. Nec mora longior, ordinatæ sunt in parte nostra tam militum quam peditum acies 12, ut ab alterutra corroboraretur caterva, si necessitas adveniret. Et cum de pane sanctificato post missam auditam communicati essent omnes, factus est utrinque congressus, et bellare incipientes, *Adjuva, Deus*, exclamantes, vociferaverunt. Turci quoque et exclamaverunt, et acerrime dimicaverunt. Et quos quasi jam victos antea vilipenderant, eorum miram probitatem admirati sunt. Et deficiente illis spiritu, timore et pavore exterriti de fuga cogitaverunt. Fugit Tuldequinus, fugit filius ejus. Et quamvis nostros illi ultra omnem modum coarctarent, crescente illis magis magisque spiritu, constantes et animi compotes exstiterunt. Tantus tamen nimbus sagittarum ingruebat a Turcis ut nulla corporis pars ab ictu et vulnere tuta esset Christianis. Nulla quippe nostris tumultuosior, nulla terribilior pugna fuit. Discursus circumcursantium atque fremitus, itemque impetus erat nimius. Salpices et cornua vehementer concrepabant. Accincti ergo nostri a Turcis circumcirca jam plerumque sauciabantur, et cum quatuor milliariis fugitantes tolerando calluissent, vellent nollent, conversis ad eos vultibus, spiritu repleti martio pugnare cœperunt. Sacra die belli nituit Conversio Pauli, quem Deus elegit. Hora diei teriia incœpta est lis bellica, de qua finem dat vespera diei data victoria. Gravis quidem pugna ignominiosa est fuga. Sed tolerabilius est infirmum vivere quam mortuum in æternum plangere. Itaque Turci elegerunt fugam, ut retinerent vitam. Duo siquidem millia, et paulo plus, de Turcis remanserunt in campis. De peditibus autem non est numerus. De nostris vero 14 equites et 80 pedites. Optime se habuit rex noster in die illa, cum omni equitatu suo, nec non et clientela, cum quibus omnipotens Deus in præsentiarum adfuit. Fugit rex Syriæ cum quibus potuit. Rex autem Solimæ cum triumpho lætus rediit. Cumque remeare statutum esset, accinxerunt turrim unam, et ceperunt eam cum nonaginta sex viris. Quibus interfectis, aliam comprehendit rex cum 20 Turcis in ea fugitivis. Quam cum viderent a nostris circumfodi, et lapides ingentissimos extorqueri, et se et arcem perterriti tradiderunt regi, quos eo pacto abire fecit, sed turrim diru' fecit. Necessarium autem valde videbatur hanc exscindi, ne multos sui munimine ad defectionem invitaret. Nam et salutis spem habitatoribus certam, et aggredientibus hæsitationem atque formidinem præstare poterat. Tædebit forsan historiæ auditores, si omnia quæ in bello, vel belli gratia, tam vi quam astutia gesta sunt, recitentur. Assumebant enim Damasceni lectos agilitate juvenes, qui cum armis suis post equitum terga sederent, et cum ad hostem ventum esset, equis desilirent, et continuo pedites ipsi ex alia parte equitibus, per quos adducti fuerant, dimicantibus hostem perturbarent.

CAPUT LI.

De obsidione urbis Raphaniæ, et de Sabbatico flumine.

Scriptum quippe est : « Nihil ex omni parte beatum. » Beari enim in hac parte non potuimus, cum

14 ibi milites probissimos amisimus, præter pedites aliquot similiter strenuos. Sed quantum ad stragem de illis factam, hoc minimum est. Interpretatur autem Damascus *osculum sanguinis*, sive *sanguinem bibens*. Legimus in Damasco sanguinem Abel fusum fuisse. De cruore enim occisorum possent Damasceni lambere, possent etiam de ipso cernui potare. Regresso denique cum exercitu suo rege in Hierusalem, diem festum et graulatorium universim duximus. Et post pusillum rex motus prece comitis Tripolitani, proficiscitur in auxilium ejus, ad obsidendum oppidum quod Raphaniam nominamus, extra Libanum montem situm. In qua videlicet regione, ut narrat Josephus, inter Archas et Raphaniam civitates fluvius medius fluit, qui quoddam peculiare habet miraculum. Nam cum sit quando fluit plurimus, atque meatu segnis, tamen interpositis 6 diebus a fontibus deficiens siccum exhibet locum videre. Deinde quasi nulla mutatione facta, septimo die similis exoritur, atque hunc ordinem semper eum observare pro certo compertum est. Unde etiam Sabbaticus appellatus est, a sacro Judæorum septimo die sic nominatus. Princeps vero Titus aliquandiu Berithi commoratus, et inde reversus, per omnes quas abibat Syriæ civitates magnificentissima celebrans spectacula, hunc conspiciens fluvium natura cognitione dignissimum, admiratus est valde.

CAPUT LII.

De alio quodam flumine.

Aliud quoque idem historiographus miraculum refert, inquiens juxta Ptolemaidam urbem fluviolum esse quasi a duobus stadiis præterlabentem, quem vocant Beleum, prorsus exiguum; cui prope est sepulcrum Menonis, admiratione quidem dignissimum. Erat autem species vallis rotundæ, vitream emittens arenam. Quam cum hauserint, multæ naves pariter accedentes, locus isdem rursus impletur. Venti siquidem quasi edita opera convehunt de circumstantibus superciliis arenam istam utique communem. Locus autem metalli statim metalla in vitrum quæ susceperit mutat. Mirabilius quoque illud mihi videtur, quoniam conversæ jam arenæ in vitrum pars quæcunque super margines loci illius fuerit jactata, in communem arenam denuo convertitur.

CAPUT LIII.

De acquisitione urbis Raphaniæ.

De urbe autem Raphania, de qua narrare sermunculum jam cœpi, talis fuit exitus. Cumque rex et comes cum tormentis suis lapides jaculando, per dies 18, Sarracenos inclusos vehementissime cohibuissent, et urbem reddiderunt, et indemnes abierunt. Accidit siquidem hoc ultimo Martii die. Itaque comes prædictus urbem possessurus recepit et munivit. Rex autem Hierosolymam rediit.

CAPUT LIV.

De morte Romani imperatoris.

Et cum dies Paschales in Hierusalem celebraremus, exiit ad nos rumusculus a peregrinis supervenientibus, Romanum imperatorem obiisse nuntiantibus, addentibus etiam Saxonum ducem, nomine Lotharium, in regem et imperatorem sublimatum fuisse.

Dum ruit Henricus Geminorum claruit ortus.
Post quem Lotharius rex imperat, ex duce natus.

CAPUT LV.

De regis profectione contra Babylonios.

Non multum postea processit temporis, cum de Tyro rex exiens in Syriam humilem descendit, partem de equitatu suo relinquens, partemque secum ducens, licet de Babyloniis ad bellandum paratis, et contra eos venturis, a rumigeris audisset. Expediebat enim eum illuc prius properare, ubi hostes audiebat ingruere. More enim apri a canibus circumdati, et morsibus creberrimis angustiosi, oportebat dextro lævoque pede feriendo se obnixe defendere. Solemus namque parabolice dicere: « Ubi dolor, ibi manus. » Antequam autem rex illuc pervenisset, jam Turci quoddam pseudocastellum obsederant, et vi ceperant. Quod quidem illis erat contrarium, nobis autem necessarium. Milites autem astutissimo exitu noctanter evaserunt, relictis uxoribus cum liberis suis, malentes partem salvari quam totum penitus perdi. Tempore tunc æstivo, mediante mense Julio, apparere cœpit cometa inter orientem et septentrionem, quæ ante lucanum nascens, et versus horam nonam radium suum emittens, mediocri lumine se monstrabat. Illum autem per dies ter senos cernere studuimus, significantiam cujus Conditori omnium commisimus. Turci autem, quorum Borsequinus erat fortior, oppidum Cerepum nominatum obsederunt, sed audito regis adventu, qui jam eos insequebatur, spe sua fraudati ad tutiora præsidia secesserunt. Non enim erant plus quam 6 millia militum : rex ergo Antiochiam rediit.

CAPUT LVI.

De classe Babylonica.

Horno autem Babylonii classe sua reparata et congregata, velificantes austri flatu intraverunt terram Philisthiim, transita Phara, Mialaris quoque e Gaza, Ascalone quoque et Joppe, Cæsarea et Ptolemaida, Tyro et Sidone, explorando et insidiando per littus maritimum usque urbem Berithum, aucupantes et perscrutantes de portu in portum, si quid possent invenire sibi commodum, quod Christianis esset incommodum. Sed quia dulcis aquæ penuria tunc sitibundi valde angebantur, oportuit eos ad siccum egredi, ut de rivis et fontibus situlas suas implerent, et sitim suam mitigarent. Sed civibus urbis præfatæ hoc moleste ferentibus, ad eos extemplo audacissime progressi sunt, additis sibi viatoribus, qui illuc forsitan accurrerunt, et congressione facta, tam de occisis quam ad mortem vulneratis 130, de piratis illis prosternuntur. Erant qui exierant ad certamen quinque millia, exceptis his qui naves interim conservaverunt, quarum 22 triremes vel cautos nuncupant; cæteræ vero 53 fuerunt. Itaque crudelitatem suam in gentem nostram pompabant, ad miserandum inflexibiles et immise-

ricordes in omnes quos præoccupare poterant. Sed Deo gratias, nihil hic sibi vendicaverunt, quoniam et equites nostri cum lanceis, et arcuarii cum sagittis in salum inculcantes inopinabiliter fugaverunt. Illi autem continuo carbasis levatis per mare velivolum versus Tripolim se direxerunt, et hinc Cyprum.

CAPUT LVII.

De navigatione adolescentis Boamundi.

Quoties autem legati hoc anno, vel peregrini, Boamundi adolescentis adventum nobis annuntiaverunt et allegaverunt? sed multiplicatis rumoribus fefellerunt. Meticulosus enim erat propter classem Babylonicam vel piraticam, quam in ponto audiebat late diffusam. Insuper de terra sua sollicitus admodum erat, quam nisi bene et fidelibus suis locaret, a malevolis suis insidiatoribus circumventus fraudulenter amitteret. Scriptum est in proverbiis rusticanis: « Qui habet malum vicinum habet malum matutinum. » Denique cum iter suum sæpius præparasset apud Hydruntum Apuliæ civitatem, collectis quot potuit navibus videlicet 22, quarum 10 longæ, et remis munitæ erant, iter cœpit expedire marinum. Postquam terram suam Apuliæ duci commisisset, quem hæredem terræ suæ suffecit, et substituit, si prior a vita discederet, identidem confirmavit ei dux, et gratanter concessit, si primitus ipse obiret, testantibus optimatibus eorum utrobique assistentibus. Itaque Boamundus mediante Septembri mense mare sulcans, transitis Cycladibus per æquor sparsis, venit Mothonem. Postmodum vero Rhodum, Pamphiliam, et Liciam permeat et Italiæ gurgitem sæpe navigantes conturbat. Inde transiens Antiochiam parvam, venit ad magnam, transeundo Isauriam, et urbem Seleuciam. Qui cum Cyprum liquisset ad dexteram, Tharsum si quidem dimisit ad sinistram, et Melotem urbem opinatissimam jamdiu vastatam. Eo tunc tempore plures bifarii et helluones de mari recenter exeuntes vulgabant procul dubio nobis in Hierosolymis, eum procul dubio apud Antiochiam applicuisse, et mentiebantur. Verumtamen dicere se putabant, quia cum aliqua parte militum suorum usque Pataram una venerant, et cum accipitribus, et capris, et aucupibus, atque canibus, quos ante præmittebat

CAPUT LVIII.

De periculis in mari evenientibus.

Multa sæpe turbulenta, vel Deo volente, vel permittente, in mari navigantibus occurrunt; tum solvitur anchora, tum frangitur antenna, vel aplustra, vel rudentes rumpuntur. Cumque venti mutantur, tunc ad cherucham respectatur, ut si prospere incedant, distincte et solerter experiatur. Cavendum ne nocte una perdatur. Cum enim stellæ obnubilant, si cubus ratis alliditur, mortem illico vel naufragium pestis imminens minitatur. Sicut in terra, sic et in mari pericula. Quid de nobis miramur, si Pauli apostoli naufragium recordamur. Ad tentandam abyssi profunditatem dimiserunt naucleri bolidem. Nisi videret angelicam visionem in extremis vitæ consolatricem, jam subibat vitæ desperationem

CAPUT LIX.

De mari magno.

Circa gurgitem Italiæ multoties naves assuefiunt periclitari, et undique flabra commoveri, quæ de montanis per valestria præcipitanter per anfractus subterraneos rite assuescunt intorqueri, et in vertiginem voraginis mirabiliter convolvi. Quod si paroni aliquando nautæ obviaverint, et diripiuntur, et impie confunduntur. Sed, qui pro Dei amore hoc patiuntur, donativis suis nunquid impie frustrabuntur? De hoc mari nostro tantillum sic habemus. De Mediterraneo autem non est omittendum, unde caput extollat. Existimant enim quidam sinus istos a Gaditano freto nasci, nec aliam esse originem quam eliquia erumpentis Oceani. Qui contrarium sentiunt omnem fluorem aiunt e ponticis faucibus inundare, idque fulciunt argumento non inani, quod æstus e ponto profluus nunquam reciprocetur. Laus igitur et honor omnium sit Conditori, qui posuit fines mari, apponens claustra et portas. Dixit enim ei: « Huc usque venies, et in te conterentur fluctus tui (*Job* XXXVIII, 11). » Quod ubi impetum suum ad littus illiserit, in spumas resolvitur, et repagulis quibusdam arenæ humilis repercutitur. Cæterum, nisi jus statuti cœlestis inhiberet, quid obstaret quin per plana Egypti, quæ maxime humilioribus jacent vallibus, mare Rubrum Egyptio pelago misceretur? Denique docent hoc, qui voluerunt hæc duo sibi maria connectere, atque in se transfundere. Sesostris Egyptius, qui antiquior fuit, et Darius Medus, qui majoris contuitu potentiæ in effectum voluit adducere, quod ab indigena fuerat ante tentatum. Quæ res indicio est quod superius est mare Indicum, in quo mare Rubrum, quia æquor Egyptium, quod inferius alluit. Et fortassis ne latius se mare effunderet, de superioribus ad inferiora præcipitans, ideo molimina sua rex uterque revocavit. Hoc in Hexameron Ambrosii sic habetur. Aliud vero in Solino invenitur. Mirabilia igitur opera Dei, multo autem mirabilior qui facit et disponit ea. Quod si aliqua nostris aspectibus videntur deformia, nihilominus tamen sunt laudanda, quia Conditor omnium facit ea, imo nec minus sunt utilia. Etiam in cimice dat Deus medelam, et in polypo pisce immittit astutiam, vel echino. Serpentibus quoque dat prudentiam; aliquando præbent medelam, aliquando inferunt pestem, vel etiam mortem. Interdum vero parant obsequium, interdum vero nocumentum. Quandoquidem antidotum tyriacum de corpore serpentis confici solere dicatur, quod utique virus corpusque serpentis cum solum sumitur nocet, cum autem admiscetur aliis sanitati est et saluti.

CAPUT LX.

De generibus serpentium.

Basiliscus autem est ad semipedem longitudinis, albus quasi mitrula, lineatus caput, nec hominis tantum vel aliorum animantium exitiis datus, sed

terræ quoque, quam polluit et exurit. Ubicunque fuerit, ferale sortitur receptaculum, denique exstinguit herbas, necat arbores. Ipsas etiam corrumpit auras, ita ut in aere nulla alitum impune transvolet, infecto spiritu pestilenti. Cum movetur, media corporis parte serpit, media arduus est et excelsus. Sibilum ejus etiam serpentes perhorrescunt. Et cum acceperit fugam, quæque quoquo possunt properant. Quidquid morsu ejus atteritur, non depascitur fera, non attrectat ales. Mustelis tamen vincitur, quas inferunt homines cavernis quibus delitescunt. Denique basilisci reliquias amplo sestercio Pergameni comparaverunt, ut ædem Apollinis manu insignem nec araneæ intexerent, nec alites involarent. Amphisibena surgit in caput geminum, quorum secundum ea in parte qua est cauda. Cerastes præferunt quadrigemina cornicula, quorum ostentatione veluti esca illice sollicitas aves premunt; nam reliqua corporis de industria arenis tegunt. Hemorrois morsu sanguinem elicit, et dissolutis venis quidquid animæ est evocat per cruorem. Prester quem percusserit, distenditur, enormique corpulentia necatur, extuberatos sæpius putredo subsequitur. Sunt et himoditæ, est et Chencheris, elephantie chelsidrica, Medracontes. Postremo quantus hominum, tantus mortium numerus. Scorpiones etiam, scinci, lacertæ, quæ vermibus, non serpentibus ascribuntur. Monstra hæc si sibilant, clementius feriunt, habent affectus, non temere nisi ad conjuges evagantur. Sunt et jaculi, qui penetrant animal quodcunque obvium fortuna fecerit. Scitale tanta præfulget tergi varietate, ut notarum gratia videntes retardet. Deipsis siti interficit. Sippiale quod somno necet teste, etiam consumitur ad mortem. Aliarum virus quam medelas admittit minus, fame moritur. Hæc valde mira nihilominusque miranda, quæ Magnus Alexander vidit in India. Unde magistro suo Aristoteli, et matri suæ Olympiadi mandando ita dicit: « Non crederem cuiquam tot esse prodigia, nisi sumpta ipse oculis meis ponderassem. » Vere rex iste vir fuit omnino magnificus, et in negotiis suis sagax et circumspectus, et ingens viguit, et potens potuit, non ut pluma volitans, nec stipula fluitans.

CAPUT LXI.

De adventu Boamundi adolescentis, et de susceptione ejus in Antiochia.

Quoniam præter spem Boamundus tarde hoc venerat anno, opinabamur eum non esse ultra venturum, sicut interminatum fuerat, et sicut fama promiserat. Sed, quia juxta prophetæ eloquium, in manu hominis via ejus non est, nec ab homine, sed a Domino gressus hominis diriguntur (*Prov.* xx, 24), spem ex parte magna defraudavit opinio. Non enim fit quod humana aviditas stabilit, sed quod Deus arbiter meritis humanis competere judicaverit. Cum autem per litteras suas rex mandando nobis Hierosolymis innotuit eum jam Antiochiæ applicatum, omnibus non mediocriter placuit. Sed Deum, qui eum adduxit sanum, cuncti laudavimus. Jam sol occiderat, cum portum nocte subintrat. Adventante autem illo Antiochiam, ab omnibus gaudenter est susceptus. Cui cum processione magna et laudibus populi celeberrime rex obviam exiit, et alacriter eum suscepit. Et habita collocutione ad invicem festina, continuo rex terram suam tradidit ei totam et de filiabus suis in matrimonium uham.

En socer atque gener, pater hic et filius alter.
Diligat hunc ille, potior sic fiet uterque.

Tunc apparatis nuptiis, legitime sunt expletæ. Considente autem Boamundo super cliotedrum suum principe effecto, diploideque decentissima vestito, convocatis optimatibus suis omnibus, juraverunt ei humanitatis subditam fidelitatem, præsente rege, et eo favente, ab eo die et deinceps se servaturos. Quibus gestis, rediit rex Hierusalem.

Scorpio cœlestis cum fulserit ortus in astris,
Excipitur regno Boamundus in Antiocheno
Orbita nunc anni retrograda stat renovati.

CAPUT LXII.

De pestilentia murium.

Anno 1127 ab ortu Domini, indictione vero v, ebulliit multitudo murium immensa in regione Palestina, in tantum ut bovem unum a clunibus opprimentes comederent, et suffocantes eum cum septem vervecibus devorarent. Denique cum satis sæpius in territorio Achonitarum vastassent, petentes aquationem montana Tyriorum conscenderunt. Unde tunc continuo ingruente vento pestilenti et truculento cataclismo in valestria confinia millibus innumeris repulsantur. De quorum putore cadaverum regio illa remansit valde infirma.

Explicit historia Hierosolymitana domni Fulcherii Carnotensis.

GENEALOGIA REGIS QUI VOCATUS EST KAROLUS MAGNUS.

De cujus prosapia orti sunt GODEFRIDUS et BALDUINUS reges Hierosolymæ.

Ex veteri Codice ms. Cœnobii S. Quintini de Monte, ad calcem historiæ Hierosolymitanæ Fulcherii Carnotensis.

Karolus rex unctus est in imperatorem in Ecclesia beati Petri, die Natalis Domini. Qui Carolus genuit Ludovicum Augustum. Ludovicus genuit Lotharium, Pipinum, et Ludovicum ex Ermengarde,

et Karolum Calvum ex Judith. Karolus Calvus genuit Ludovicum, qui nihil fecit, quia tantum IV annis vixit [*leg.* II annis rexit]. Ludovicus filius Ludovici [Karoli] genuit Karolum Simplicem, et Karlemannum. Karolus vero simplex ab Heriberto captus est. Qui Karolus ex Ogiva genuit Ludovicum. Ludovicus genuit Lotharium regem et Karolum ducem ex Gerberga. Lotharius rex genuit Ludovicum juvenem, et Karolus dux frater Lotharii regis genuit Ermengardem et Gerbergam. Ermengardis genuit Albertum comitem de Namuco. Et Albertus genuit Albertum, et fratrem ejus Henricum comitem A de Durboio. Gerberga vero soror Ermengardis genuit Henricum Seniorem comitem de Brussella. Henricus Senior genuit Lambertum comitem, et Henricum fratrem ejus, et Maltildem sororem ejus. Hanc Maltildem duxit uxorem comes Eustachius de Bolonia, et genuit ex ea duos filios, Eustachium et Lambertum. Eustachius vero accepit uxorem filiam Godefridi ducis, Idam nomine, nobilem genere et moribus : et genuit ex ea tres filios, Eustachium comitem Boloniæ, et Godefridum et Balduinum reges Hierosolymæ.

HISTORIA GESTORUM
VIÆ NOSTRI TEMPORIS HIEROSOLYMITANÆ

AUCTORE

GILONE PARISIENSI.

(MARTENE, *Thes. Anecdot.* III, 211, ex ms. monasterii S. Germani a Pratis.)

OBSERVATIO PRÆVIA.

*Inter varios bellorum eventus, quibus vræsertim illustratur historia ecclesiastica, primum sibi locum vindicat sacra expeditio Hierosolymitana, tot præclaris facinoribus illustrata, tot virorum nobilium sanguine decorata, tot prodigiis ac portentis confirmata. Hinc quicunque annales ecclesiasticos aliquando scribendos susceperunt, singulas ipsius circumstantias adamussim recensere, plerique etiam singulares de illa lucubrationes posteris mandare curarunt. Verum omnes inter illos auctores palmam apud eruditos facile referunt antiqui scriptores, hi præsertim qui rebus gestis interfuerunt, aut eas ab oculatis testibus acceptas posteritati transmiserunt : utpote qui certiora præ se ferentes veritatis indicia, non solum suaviori cum delectatione, sed majori etiam cum fructu semper leguntur. Quapropter, tametsi belli sacri scriptores quotquot reperire potuerit, duos in tomos collegerit de re litteraria optime meritus Jacobus Bongartius, ediderit*que anno 1611, *tantus nihilo tamen minus labor virorum eruditorum desiderium non omnino explevit : sed qui post ipsum rempublicam litterariam suis scriptis illustrarunt antiquitatis studiosi, bibliothecarum insigniorum forulos scrutando, veteresque manuscriptos codices revolvendo, quotquot hujuscemodi expiscari potuerunt, eos tanquam pretiosa antiquitatis monumenta publici juris facere non neglexerunt. Certe duo ex nostris Lucas Acherius et Joannes Mabillonius suam hoc in genere operam contulerunt : ille quidem cum* Gesta Dei per Francos *a Guiberto abbate Novigenti edita una cum aliis ejusdem scriptoris operibus recudit, iste cum belli sacri historiam in manuscripto codice Casinensi inventam, suo Musæo Italico inseruit. Et ante eos Gallicanæ academiæ lumen Franciscus Du Chesne, Hist. Franc. tom. IV, Petrum Teutboldum et Fulcherium Carnotensem auctiores et emendatiores vulgavit, quibus Gilonis Parisiensis historiam expeditionis Hierosolymitanæ a Jacobo Sirmondo acceptam, addidit, licet tot lacunis fœdatam, ut Gilonem ipsum fere in ipso Gilone quæras : quam nihilominus tanti fecit vir eruditus, ut pretiosum tanquam thesaurum illud antiquitatis monumentum publici juris facere non dubitaverit.*

Cum vero nostræ Parisiensis S. Germani bibliothecæ codices manuscriptos evolverem, incidit in manus meas idem Gilonis Parisiensis opus cum hac epigraphe Acherii nostri manu exarata : Sequens historia edita quidem est in fine tomi IV Historiæ Francorum Andreæ Du Chesne, at maxima ex parte differt. Præterea edita plena est lacunis; ea de causa hæc ms. digna est prelo submitti. *Hanc cum legissem, statim rapuit me desiderium editum cum manuscripto conferendi, ex cujus collatione reperi non solum ducentas circiter lacunas sarciri posse, pluresque locos vitiatos emendari, sed partem libri quarti cum quinto et sexto integro in editis desiderari; quapropter opportunum esse existimavi ut Tancredi Gestis, Gilonis Historiam subjungerem, nec convenientiorem ei locum tribui posse. Cæterum operis ipse titulus auctorem demonstrat esse coævum.*

LIBER PRIMUS.

TEXTUS GESTORUM MEMORANDUS CHRISTICOLARUM.

Est ope divina Turcorum facta ruina,
Hoc pro laude Dei, licet impar materiei,
Carmine prestringo facili, nec ludicra fingo.
Christe, meæ menti tua bella referre volenti
Adsis, laus cujus series est carminis hujus,
Ut bene proveniant, et te duce carmina fiant.

Exercitus Christianus petit Nicæam.

Christicolæ gentes, gladioque fideque nitentes,
Ut sacra purgarent a sordibus, et superarent
Turcos insanos, fœdantes fana, profanos,
Conjuraverunt, et Jerusalem petierunt.
Ast ubi jam lassus, jam multa pericula passus,
Æquoreum littus tetigit chorus ille beatus,
Transit æquoream rabiem, petiitque Nicæam,
In qua ter centum ter quinque triumque parentum (1)
Conventus, mores struxit, docuitque minores.
Sed male mutata, Christique fide vacuata,
Christum spernebat, gentilia monstra colebat.
Et quoniam Christum prius hæc coluisse putatur,
Ad Christum corrupta prius merito revocatur.

Nicæam Christiani obsident.

Ergo disponunt acies, tentoria ponunt.
Undique conveniunt, et bello congrua fiunt.
Partem, quam mundus vocat occasum, Boimundus
Occupat, et contra muros statuit sua castra.
Qui locus e plaustro (2) junctus contrarius austro,
Ille tuæ forti, datus est, Godefride, cohorti.
In loca succedunt alii, quæ congrua credunt,
Cunctorum portus, vertuntur solis ad ortus.
Militibus densi Raymundus cum Podiensi,
Hugo comes magnus, leo sævis, mitibus (3) agnus,
Et satis expertus per prælia dira (4) Robertus,
Dux quoque Flandrensis, cujus non fallitur ensis,
Et Stephanus muros expugnabant ruituros.
Tuta sed a turbis pars una remanserat urbis,
Nec timet assultus pars quam sol respicit altus.
Frustra securos petierant dénique muros.
Nam lacus immensus, multaque uligine densus
Hos defensabat, nostros transire negabat.
Sed tamen hanc partem nostri tetigere per artem,
Namque superjectis ratibus, multis quoque tectis,
(5) Quas Cæsar dictus, vinctis per terrea bobus
Fecerat adduci voto tunc auxiliandi,
Sic quasi per pontes potuerunt tangere fontes,
Acriter insistunt nostri, Turcique resistunt.
Acriter impellunt illos, illique repellunt.
Sæva venenatas gens mittit ab urbe sagittas,
Cuique sagitta dabat leve vulnus, cum perimebat :

A Et dum successit, per turpia verba lacessit
Christi cultores, cave, dicens, deteriores.
Vocibus ingratis nostris satis exagitatis,
Altior ad duros portatur machina muros.
Gentiles miseri tandem cœpere vereri.
Nostri non segnes lapides jaculantur et ignes,
Turres impellunt, affixaque tela revellunt
A clypeis, hostes telo proprio ferientes.
Utque cadit spissus imber cum grandine missus,
Sic non vitatæ mittuntur ubique sagittæ.
Tela cadunt, miserique gemunt, moriuntur utrinque,
Illi gladiis, alii baculis pugnant, sudibusque,
Magnus erat turbæ clamor trepidantis in urbe
(6) Ergo plorantes manibus quoque significantes
B Orarunt pacem, clamarunt deditionem,
Expediunt dextras vaduntque recludere portas,
Exsultant nostri, laudant magnalia Christi.
Primum purgari censent a sordibus urbem,
Et consignari per aquam prece sanctificatam,
Cumque hymnis crucibusque intrant reconciliatam.
Mittuntur sacri portantes sacra ministri,
Lustrant securos benedicta aspergine muros,
Cantantes modulos divinis ritibus aptos.
Talia dum cives visu audituque capescunt,
Protinus irati in gentilia monstra recurrunt,
Cuncta profanari magica vertigine dicunt,
Et proturbantes extra sacra agmina trudunt.
Sic irritantur legiones Christicolarum,
Et delusa dolent mysteria cœlicolarum.
C Acrius insurgunt celeres et in arma recurrunt
Deque profanatis pœnas cum sanguine poscunt.
Acrius incumbunt, balistas fundibulo aptant,
Perfodiunt portas, miseros quasi carcere vallant,
Excubias statuunt noctuque dieque caventes
Ne quis colloquio externus juvet interiores.
Dumque instant vigiles sibi succedendo per horas,
Repperiunt quemdam per nigras ire tenebras
Quærentem..... vel portas ingrediendi
Vel per..... cum clausis sermocinandi
Illi correptum graviter manicisque ligatum
Cogunt, aut citius quæ nosset cuncta profari,
Aut duræ mortis gravia experimenta lucrari.
Ille metu victus nimio, nec longa moratus
D Dicere servata se devovet omnia vita.
Hinc ubi fecit cum pia convenientia fidum,
Exponit missum se civibus insinuatum,
Ne desperarent, sed rem virtute tenerent,
Namque sequente die plenum solamen haberent

(1) Edit., *potentum.*
(2) Edit., *est infra.*
(3) Ms. *militibus.*
(4) Edit., *sæva.*
(5) Hi duo versus desunt in ms.
(6) Uncis inclusa in ms. desiderantur.

Quando..... obsessi mortificare.
Possent atque opibus cum libertate vacare.
Millia nam propius plus concedisse trecenta
Sultano ducibus Solymannoque coacta.
Quæ sic de propriis se viribus exhilararent,
Ut quasi victores jam facti glorificarent,
Agmina Christicolam quo jam deleta putarent,
Solaque de spoliis inter se bella pararent.
Mane etiam primo statuissent castra movere,
Illa quoque ante urbem, vacua statione, locare,
Quæ fuerat tibi, dux Raymunde, tuisque relicta.
Quando ibi prima duces cœperunt figere castra,
Qui retrorsus adhuc aberant ad millia bina
Pro quibus est missum citius, jussique venire
Ipsa in planitie tentoria disposuere.
Legatus porro jam factus sponte fidelis
Purgari sese expetiit baptismatis unda.
Quod dum fit citius concursu presbyterorum,
Egregius fulsit vir in ordine Christicolarum;
Mane igitur primo nostri vertuntur in arma,
Urbis perfidiam punitum sorte suprema.
Fit clamor multus, variatur..... vultus
Istinc pugnantum, atque illinc extrema gementum.
Tormentis, jaculis, gladiis quoque bella geruntur,
Haud multum distat quin protinus ingrediantur.]

Sexaginta millia Turcorum auxilium ferentium debellantur. Nicæa capitur.

Dum sic instarent nostri, miseri trepidarent,
Et jam constricti sua vellent reddere victi (7),
Ecce sexaginta Turcorum millia structa
Ensibus et clypeis, ad opem venere Nicæis.
Gens tua, Christe, nimis metuens suspirat ab imis
Pectoribus, clari bello cœpere precari
Supplice voce Deum, quod eis daret ipse tro-
[phæum.
Ut conspexerunt Turci nostros fremuerunt.
Mox ubi fecerunt tres turmas, disposuerunt
Quod pars intraret muros, inopesque (8) juvaret
Viribus et telis, et opem præberet anhelis :
Ipsi munirent portas, nostrosque ferirent.
A gemina parte comperta protinus arte,
Noster in hostiles multo ruit impete miles,
Pugnatur dure, sed non par actus utrinque,
Sed perimunt nostri, pereunt enormiter illi.
Franguntur rigidæ validis impulsibus hastæ,
Pectora sæva sonant, rivosque cruoris inundant.
Trunca volant capita, tremula velut arbore poma;
Nec qui descendit montem, post hæc repetivit,
Et quod de nostris stolide prædixerat hostis,
Hoc patitur victus, nec duros sustinet ictus;
Sed celeres finiunt, et tardi funera fiunt.
Dimissa parma fugit hic sua dum capit arma,
Alter prostratus cadit, in capiendo moratus.
Singula quid dico? nullus succurrit amico.
His pietate Dei victis, timuere Nicæi,
A Atque motu tacti, tandem cessere coacti;
Perque duos menses, obsessæ gentis habenæ,
Dux tibi traduntur, Constantinopolitanæ.
Mittuntur plena capitum quoque millia navi
Servitium primum datur hoc a milite forti.]

Turcorum millia trecenta Christianos aggrediuntur.

His ita devictis, victis sub rege relictis,
Successu læti nostri, nec cedere certi,
Castra movent, Dominoque vovent jejunia, cujus
Auxilio vicere pio gentis scelus hujus :
Sed quoniam per dura viam fuerant habituri,
Ne populi languore siti caderent perituri,
In turmas cessere duas, tibi traditur una,
Dux Boimunde, tibi, comes Hugo, traditur una.
B Sicque graves colles nostri licet ad mala molles,
Transivere tribus non absque labore diebus,
Inque die quarta postquam via facta per arca,
Illi securi quasi gens ignara futuri,
Quos sibi commissos Boimundus ab agmine scissos
Duxit lætantes, grave nihil restare putantes,
Dum male se jactant, et dum bene facta retra-
[ctant,
Turcis insultant, ter centum millia spectant
Turcorum mœsti, tantæque resistere pesti
Non ausi dubitant, prius ergo prælia vitant.
Sed nullam mortem metuens, Boimunde, cohortem
Instruis, ut vilis depellat cuspide miles,
Et ponis juxta rivos ex ordine castra,
C Quos nimis exosos vocat incola turba lutosos :
Sed nondum nostri fuerant ad bella parati,
Cum quinquaginta centum ferrugine tincta,
Millia Turcorum cursu portantur equorum,
Et non paulatim veniebant, sive gradatim,
Sed cito more canum quiddam grassando profa-
[num
Sese commiscent nostris, et prælia miscent.
Noster commistos miles ferit eminus istos,
Et fidei parma protectus, non timet arma.
Turci vallabant nostros, cursuque volabant.
Et nunc instabant, nunc Christicolas fugiebant.
Dumque fugit Turcus, sinuatus solvitur arcus.
Arcu quippe magis pugnant, et non sine plagis.
Dum grave cum Turcis bellum Boimundus haberet,
D Inque vicem Turcus nostros fugiendo fugaret,
In fugiendo quidem vulnus facit, et fugit idem;
Nam modo qui Turci, veteri sunt nomine Parthi,
Fidere quos versis mos est fugiendo sagittis.
Magna cohors magni non hujus conscia damni,
Gente sub ignota quasi millibus octo remota,
Colles gyrabat, nec tam prope bella putabat,
Sed per legatum bellum scit adesse paratum,
Consilio nitidus, quem misit ei Boimundus.
At dum pugnatur, dum turba vocata moratur,
Pars ea Turcorum, quos altera ripa tenebat,

(7) In editis pro duobus hisce versibus quatuor sequentes leguntur.
Ecce repentino clamore ululante Nicæa
Millibus auditis montana videntur operta.
Quæ dum dissiliunt hinc per declivia montis,
Altera contiguæ properant per concava vallis.

(8) Edit., *moresque.*

Ut faceret cædem de nostris quam sitiebat,
Per loca nota parum tentoria Christicolarum
Attigit, et cædes facit hostis, et occupat ædes,
Datque neci lassos, et plurima vulnera passos,
Oppida servantes, nec martem (9) ferre valentes.
Qui si Marte mori possent, mors esset honori.
Matribus hærentes illic truncare videres.
Hoc ubi cognovit Boimundus, castra petivit,
Sub duce Northmanno dimittens prælia damno,
Hosque juvare parat, quos gens mala pene necarat.
Protinus elegit paucos, paucisque subegit
Hanc gentem fœdam, recipit tentoria, prædam,
Armatosque viros circum tentoria ponit,
Castraque terribili pro vallo milite munit.
Dum duplices pugnant acies, illic Boimundus,
Ex hac parte comes Northmannus in arma timendus.
Francigenæ tacti nimioque timore coacti,
Cum duce Northmanno fugiunt, et non sine damno.
Marte (10), calore, siti crudeliter excruciati,
Et nisi dum fugerunt, dum palmam pene tenerent
Turci, vincentes se convertisset in hostes,
Dux Northmannorum signum clamando suorum,
Lux ea plena malis, nostris foret exitians,
Nec mora Francigenæ spe ducti sedis amœnæ,
Despiciendo (11) mori bene pro vita meliori,
Ad sua conversi, circum tentoria sparsi,
Facti castellum, permiscent denuo bellum.
Dum nimis insistunt Turci, nostrique resistunt,
Tela legunt pueri, cantant ex ordine cleri,
Fortes pugnabant, mulieres collacrymabant.
Altera prostratum portabat in oppida natum,
(12) Altera de rivis tendebat pocula vivis.
Est aliquid quod quisque facit, tegit alter amicum.
Hic fugit, hic sequitur, raptum capit hic inimicum.
Pene triumphantes nostros te, Christe, vocantes
Turci prosternunt, et eorum prælia spernunt.
Utque lupus villas circumdans quærit ovillas,
Et quas deceptas stabulis non esse receptas
Aspicit, has fundit miseras, et in ora recondit.
Sic quoque vallantes Turci nostros trepidantes,
Hunc quem spectabant extra castella necabant.
Nostri quid facerent, nisi tanta pericula flerent (13).
Non poterant dorsum dare, nec pugnare scorsum.
Non satis est genti de palma non dubitanti.
Quod fuerant clausi nostri, pugnare nec ausi;
Sed monuit mille Turcos grex providus ille,
Ut quæ transierant nostri, montana requirant.
Hæc etenim de re (14) dubia suspecta fuere,
Quod tegerent aliquos montana movebat iniquos.

A Ast eques armatus, nihil ad præcepta moratus,
Montes lustravit, crudeliter ense necavit
Mille viros ferme, mulieres, vulgus inerme,
Exanimes factos, nimioque metu stupefactos (15),
Multum tardatos, rebusque suis oneratos.
Qui male sub rupibus (16) latitantes non latuerunt
Exploratores, sed turpiter interierunt.

Turci debellantur.

Ecce nihil timidus comes Hugo, dux Godefridus,
Hortari fortem precibusque minisque cohortem,
Cursu certabant, sociosque juvare parabant;
Utque vident flentes socios jam deficientes,
Dimittuntur equi, quamvis non viribus æqui
Essent, non dubitant, nec tela volantia vitant,
Ergo ducum sidus cum paucis dux Godefridus,
B In medium densæ gentis stricto volat ense,
Et veluti diram sus postquam colligit iram,
Dente canis læsus, baculo vel arundine cæsus,
Dente canes angit (17), ruit et venabula frangit.
Hos ita conculcat Godefridus, et agmina sulcat.
At comites comitis dant multis tartara diris.
Trans ripam rivi pugnantibus in pede clivi.
Istis prostratis, de clivo præcipitatis,
Ascendit clivum comes, implet sanguine rivum.
Millia nam quinque morti dedit ipse decemque.
Sed quid (18) juncta manus comiti fecit, referamus
Omnibus accensis (19) ad pugnam, Podiensis
Atque comes fortis Raymondus duxque cohortis,
Audacesque viri, velut ad bellum solet iri,
C Paulatim veniunt, et ab his nova prælia fiunt.
Hi cornu dextrum cædunt, aliique sinistrum,
Qui prius inclusi fuerant formidine fusi;
Fit strepitus multus, fit magnus utrinque tumultus.
Nec sonitu minimo dissolvitur arcus equino
Nervo constrictus, sine quo satis est levis ictus
Horum, spes quorum non est nisi cursus equorum,
Ut vulnus geminum jactu det Turcus in uno
Cum serpentino jaculantur tela veneno.
Dum sic pugnatur, nostri ter ab hoste fugantur:
(20) Terque fugæ dantur gentiles, sed revocantur
Et solitos cursus faciunt et vulnera rursus:
Sed puto cessissent (21), nec bella pati potuissent,
Ni circa montes quidam Turci latitantes
Acriter arctarent nostros pluresque necarent.
D Quos ubi senserunt nostri comites, statuerunt
Ut magis audaces committere bella sagaces
Ad latebras irent, ubi primo (22) Marte ferirent
Hos qui pugnabant furcis, multosque necabant
Protinus ingentes animis armisque (23) vigentes
Mille viri laudis cupidi sub tegmine fraudis
Bella relinquentes, velut e bello fugientes,

(9) Edit., *jam martem.*
(10) Edit., *morte.*
(11) Edit., *respiciendo.*
(12) Hic versus deest in editis.
(13) Edit., *ferrem.*
(14) Edit., *dubii timidique.*
(15) Edit., *Exanimes facti nimioque metu stupefacti.*
(16) Edit., *saxis.*
(17) Edit., *figit.*
(18) Al. *si quid.*
(19) Edit., *extensis.*
(20) Hic versus deest in nostro ms.
(21) Edit., *pressissent.*
(22) Edit., *inopino.*
(23) Al. *annisque.*

Ascendunt taciti montes, sed monte potiti (24)
Non tacuit Christi miles, fugit hostis ; at isti
Ensibus hos angunt, arcus et spicula frangunt.
Non prodest Domino nervo constrictus equino
Arcus non pharetra de cruda condita pelle,
Nec equus, aut cursus, non illita pocula felle,
Sed male turbantur, moriuntur præcipitantur.
His ita dispersis, multis in tartara mersis
Attoniti, belli subiti formidine tacti,
Post illos reliqui fugiunt, dare terga coacti.
Ergo resumentes animos nostri, fugientes
Turbant, funduntur Turci, fugiunt, moriuntur.
Tardius egressi, vel belli turbine fessi
Acrius insurgunt, et equos calcaribus angunt.
Francigenæ pronos faciunt ad pectora contos (25).
Cornipedes spumant, aspersi sanguine fumant,
Frena terunt, dominosque ferunt non impete parvo.
Dumque ruunt, stratos feriunt ; nam multus in arvo
Turcus erat, gladiis aut ense necatus.
Exsuperare pares certant, flant non leve nares.
Albet intinctus tabó non pulvere victus,
Hostem quisque premit; sed nox obscura diremit
Gaudia nostrorum, tristemque fugam miserorum
Et quod non potuit levis arcus et irresolutus,
Nec sonipes velox et longis cursibus aptus,
Hoc importuna potuit nox turpis et una.
Quippe per exosam noctem, diram, tenebrosam,
Gens inimica Deo Christi subdenda trophæo
Invenit latebras. Fugit ergo secuta tenebras,
Atque per hanc noctem gens Christi perdidit hos- C
[tem.

A Et tandem tutus sub eadem nocte secutus
Sævos gentiles, redit ad tentoria miles
Vestibus et telis dives (26), multisque camelis;
Mox proceres læti sua membra dedere quieti.
Solares ortus ubi lucifer attulit ortus,
Surgunt, cognatos quondam, modo funera natos
Evertunt, fundunt gemitus, sua pectora tundunt,
Quisque brevi fossa cognati colligit ossa.
Sæpe dabant aliqui tumulo caput hostis iniqui,
Esse caput notum sperantes inde remotum.
Vulnera contrectant, infixaque spicula spectant
Vulneribus, plorant, et de pietate laborant.
Aspiciuntque bonos equites in pulvere pronos,
Qui dum vivebant super aurea strata jacebant.
Inque die tota non sunt tentoria mota.
B Interea lassi recreantur vulnera passi,
Curæ traduntur medicorum, tela leguntur,
Et fiunt plenæ pharetræ, solidantur habenæ.
Cuncta reformantur quorum manet usus egere.
Altera lux oriens, ubi noctis depulit astra,
Castra movens miles, sequuntur gentilia castra ;
Miles at ille Dei, cujusdam planitiei
Dum loca transiret, et tutus ab hostibus iret,
Peste, calore, siti, moriuntur in agmine multi.
Inde recedentes securi nihil metuentes,
Omine felici loca vastabant inimici.
Hostis iter tutum dabat illis, tela tributum :
Sicque metu mota patuit Romania tota,
Nec sensit pœnam quis, donec ad Antiochenam
Urbem formosam muris opibus spatiosam.

LIBER SECUNDUS.

Antiochiam obsidione cingunt Christiani.

Urbis ut immensæ tetigerunt mœnia mense
Octobris, turbis pars maxima cingitur urbis.
Pons tamen in ferro fit pervius antea ferro.
Multaque prædati licet et multis onerati
Essent, disponunt acies, tentoria ponunt
Inter inexhaustum fluvium murumque levatum.
Et quia munitæ genti bellique peritæ
Si contendissent, per vires nil nocuissent,
Ingenio quærunt quod per vim non potuerunt (27
Accelerant quæ proficuo scit quisque futura.
Ergo super flumen pontem Christi facit agmen
Per quem transisset, si grex malus invaluisset.
Fiunt res plures, fiunt ex ære secures,
Fiunt ballistæ, plumbata, phalarica, talpæ,
Falces, tela, faces, aries, fundæque minaces,
Multa per artifices celsas æquantur ad arces.

Turci a Boamundo et comite Flandrensi fugati.

Et quæ paraverunt, quæcunque paranda fuerunt,
Muros impugnant frustra, Turcique repugnant,
Quæque parare vident nostros, ut inania rident,
Nam quis speraret quod gens una exsuperaret
Militibus plenam tam multis Antiochenam
Urbem, quam clerus sapiens aliquis, vel Homerus
Si modo vixisset, describere non potuisset?
Christicolæ fessi sunt ad sua castra regressi,
Et se securos intra sua castra futuros
Nocte putaverunt ; sed et hostes nocte fuerunt,
Et male tranquilli (28), nocuerunt pluribus illi :
Nec semel hac fraude nocuit gens callida valde.
Nocte lacessebant nostros, et nocte petebant,
Non clausis portis inimicæ castra cohortis,
Sed levis interea bellum fortuna gerebat,
Inque vicem miseram gentem gens nostra preme-
D [bat,
Sæpe super nostros (29) Turcorum dextra valebat,
Jamque fatigatis nostris, opibusque minutis,
In prædam pedites Christi misere quirites,
Qui dum predari loca vellent hostis avari,
Partim prædati, partimque fuere necati;

(24) Edit., *morati*.
(25) Al. *conos*.
(26) Edit., *cives*,
(27) Edit., *quæcunque vident nocitura*.
(28) Edit., *securi*.
(29) Edit., *muros*.

Sed tamen illorum mortem pauci sociorum
Narrando tristes faciunt socios quoque tristes.
Inde nimis tristis Boimundus rebus in istis
Supplex divinæ rogat auxilium medicinæ,
Insidiasque parat genti, quæ fraude necarat
Victum quærentes, ni per montana timentes.
Ad victus igitur quærendos, ut prius, itur.
Cum duce Flandrensi Boimundus consociatur
Armigeris, res armigeris prædicta dabatur (30),
Præmissis mille. Sequitur dux providus ille.
Hos ubi prædantes viderunt insidiantes,
Protinus e latebris salientes undique crebris,
Vocibus insultant, et equorum pectora multant (31),
Armigeros feriunt. Dum talia prælia (32) fiunt,
Cum parva gente Boimundus bella repente
Turbavit, multos perimit, socios nec inultos
Amplius esse sinit, gemitusque suos ibi finit.
Hic quoque Flandrensis multos necat horridus [ensis.
Sic Turci telis populi cessere fidelis.
Oppida victores repetunt, priscosque dolores
Ponere præcipiunt (33), ponunt, solemnia fiunt.
Tempora tranquilla victoria præbuit illa.
Victus de villis (34). non insidiantibus ullis,
Portabant gentes ad castra nihil metuentes.

Christianos fames et hiemis inclementia affligunt.

Ast ubi plena malis advenit hiems glacialis,
Venit tempestas, nostros afflixit egestas.
Imbribus et multis nivibus montana timebant (35),
Armenique cibo qui castra juvare solebant,
Per nimios fluctus nimios exstinguere luctus,
Non poterant, flebat populus quem grando preme- [bat (36).
Non inops tantum glacies, sed tela premebant.
Non aliqui portum Sancti Simeonis adibant,
Qui navale forum dabat omni merce decorum.
At fidei pugiles pœnas nimias fore viles
Corporeas putant, nec pœnis gaudia mutant,
Nec bona tormentis, titubat constantia mentis,
Quamvis pressuras patiantur corpora duras,
Sed quicunque pati potuerunt tela parati,
Parvam nec fortem vix exstruxere cohortem,
Atque manu parva prædam rapuere per arva.

Multi prœliis et jejuniis occumbunt. Boamundus Syriam deprædatur tresque reges vincit. Cum victu spes Christianis redit.

Quos tulit eventus Gallorum clara juventus,
Enumerare licet; sed quis tot acerrima dicet
Prælia, pressuras, jejunia, frigora, curas?
Pauca quidem dico tristis, nec lumine sicco,
Millia ter centum fuerant, tunc æstimo centum
In bello clari vix possent adnumerari.
Sæpe quidem læti dederant sua membra quieti,
A Et nil solliciti gaudebant aere miti,
Sed sub momento surgente per aera vento,
Aeris ingrati commotu præcipitati,
Vix subitæ pesti poterant obsistere mœsti,
Cunctaque lustrabant imbres, et castra natabant.
Quique locarat equum nocturno tempore secum,
Flebat cum mane, corpusque trahebat inane.
Militibus mille, qui cinctus prius erat, ille
Pro nimia peste nec nomen habebat honeste
Militis, atque pedes factus plorabat in ædes.
Turpe quidem dictu, sed miles inops sine victu
Armigerum flentem flens ipse fame pereuntem
A se pellebat, quia nec sibi sufficiebat.
Pro dolor! ipse pater nato, fratri quoque frater,
Quos sibi servabat victus, in morte negabat,
B Attentis (37) ducibus, quos miserat undique mundus,
Cum duce Flandrensi solatur eos Boimundus,
Et bellatores jubet armari meliores,
Ter decies mille pedites dux eligit ille,
Armatique fere galeati mille fuere.
Hique suos enses convertunt ad Syrienses,
Oppida prædantur Syriæ, nostri recreantur (38),
Telluris gratæ dum gaudet fertilitate,
Diripiendo sata Syriæ gens illa beata
Tres admiraldi, sic reges quippe vocati,
Jerusalem, Calepi ductores, atque Damasci.
Ipsos invadunt, sed et hi nostris sua tradunt.
Quippe recesserunt victi, plures perierunt.
C Hac palma freti, repetunt tentoria læti.
Dantur opes, gaudent inopes, meliusque futurum.
Esse putant, credunt nec posse resistere murum,
Optima creduntur bona, quæ mala prima se- [quuntur.

Christiani, expugnatione urbis desperantes, ab obsidione recedendum clamant.

His ita transactis, mons exstans mœnibus altis
Desuper æquatur, et castello decoratur.
De quo spectaret speculator, si qua pararet
Urbs armata dolis, de culmine pervia molis,
Hic consumpserunt vim multam, nec potuerunt
Castrum natura munitum vellere plura
Agmina, nam nati (39) Christi satis exagitati
Pellebant contis cives de culmine montis.
D Viribus interea fractis, ex urbe Lycea
Auxilium quærunt, quod non tamen obtinuerunt.
Northmanno comiti dederant hanc urbe potiti
Angli victores, patribusque suis meliores,
Nec gens Anglorum gessit pugnas aliorum,
Marte sed æquoreo (40) fuit illa potita trophæo,
Hoc genus oratum non est his (41) participatum
Mentis turma bonæ quæ gessit in obsidione.
Nam grex Turcorum divortia nota locorum

(30) Edit., *dicatur.*
(31) Edit., *volvunt.*
(32) Edit., *prædia.*
(33) Edit., *præcipitant.*
(34) Edit., *ac villis* minus bene.
(35) Edit., *tumebant.*
(36) Edit., *gravabat.*
(37) Edit., *attonitis.*
(38) Edit., *reticentur.*
(39) Edit., *fidi.*
(40) Edit., *æquato.*
(41) Edit., *his.*

Observans, nostris (42) castella propinqua tenebat,
E quibus auxilium dare Christicolis prohibebat.
Auxilii postquam fiducia non fuit unquam,
Hos invaserunt metus et pudor, obriguerunt
Audaces animi, trepidant et in agmine primi.
Pœnitet auctores rerum tot inisse labores,
Pœnitet incepti, mox in sua castra recepti,
Dum perscrutantur quid agant, magis attenuantur
Illorum mentes, mala quæcunque futura pu-
[tantes (43),
Quæ poterant fieri, sed mens est inscia veri,
Mens sapit humanum, proceres dant denique vanum
Consilium turbæ, quod quisque recedat ab urbe,
Et se tutetur, ne turpi morte necetur.

Turci victi renovare pugnam tentant.

Dum sunt attonitæ tot gentes, fama repente
Rem docet ingratam, pugnam prope castra paratam.
Nam tres prædicti primo certamine victi,
Turbas collectas castrorum solvere tecta
Haud diffidebant, et adhuc taciti veniebant.
Hoc ubi torpentes, quasi de somno redeuntes,
Auribus hauserunt, alio alii monuerunt.
Albescunt vultus, auditur ubique tumultus
Et veluti ventus cum sit subito violentus,
Murmura parva freti, sed non omnino quieti,
Turbat, at inflatum resonat mare, reddit hiatum,
Res referens subitas, sic aspera fama jacentes
Attollit mentes, animos agit ira furentes (44),
Protinus e castris acies procedit equestris,
Quæ quadringentis armata simulque trecentis (45),
Examen (46) diræ gentis non horret adire.
Inde rigens (47) dextris pede prompta caterva pe-
[destris,
In numero parvo renitens exponitur arvo,
In qua quingenti pedites ibant numerati.
Nec simul incedunt, sed in agmina (48) quinque
[recedunt,
Emensisque tribus leucis, aliisque duabus,
Eminus optatos hostes videre paratos
Ad pontem ferri, nequeunt numerando referri
Agmina Turcorum, nec vis capit hæc oculorum.

Christianos aggrediuntur a quibus fuguntur.

Hostes absque mora, sub eadem scilicet hora,
Nostros viderunt, et in ipsos se rapuerunt,
Spicula mittuntur, clamores tela sequuntur.
Instant pagani, jactu frustrantur inani.
Turcus equo gaudens, nec prælia cominus audens
Exspectare, tonat verbis, nostrosque coronat.
Nostri vallati stant in medio glomerati,
Et Turcis obstant, clypei galeæque resultant
Ictibus immensis, ensemque reverberat ensis.
Jamque fatigati Turci, lateque necati,
Non spe vincendi contendunt, sed fugiendi.
Mox versis scutis petitur (49) fuga, causa salutis.

A Turcus equum frenis indulgens, urget habenis.
Præceps ille fugit, tellus pede concita mugit.
In campo lentus jacet arcus pulverulentus.
Iste jacit pictas pharetras, capit ille relictas,
Alter currendo se liberat orbe rotundo.
Singula quid dicam? gentem superant inimicam.
Vix evaserunt aliqui, plures perierunt,
Qui dum luctantur superare vadum, superantur.
In bello strati pauci sunt ense necati

Christiani castrum infidelium capiunt.

Hanc stragem quidam gentiles prospiciebant,
Castellum quoddam qui non procul inde tenebant
Illico fugerunt et castrum deseruerunt.
Huic proceres nostri custodes imposuerunt,
Qui custodirent pontem; post hæc redierunt
B Auxilio fulti divino, fortiter ulti.
Hos exceperunt socii, lætique fuerunt.
Conflictu duplici quod conciderant inimici.
Nam dum prædicti pugnant, ad castra relicti
Insignem palmam de civibus obtinuerunt,
Et multi virtute Dei paucos timuerunt.

Turci e civitate irrumpentes multos Christianos cædunt.

Non tamen audaci populo fiducia cessit,
Nec sociis adversa suis fortuna repressit
Ergo repente cavis de turribus egredientes
Turci, turbabant victus ad castra ferentes,
Neve dolo tali paterentur sæpe ruinam,
Invenere duces nostri super hoc medicinam.
Atque super montem, juxta fluvium, prope pontem
C Castellum fieri statuunt, pontemque tueri.
Sed res difficilis ne conficeretur ab illis
Bello quassatis, et viribus attenuatis.
Mox Boimundus equo celer insilit, et quasi preco
Convocat e castris aliquos, vergentibus astris.
Ægidii Sancti comes associatur eunti.
Ensibus ergo bonis fisi (50), Sancti Simeonis
Ad portam properant, ut ab his suffragia quærant,
Qui sua vendebant illic, nostrisque favebant.
Hi sunt Genuenses, Angli, Venetumque colentes
Pisani, cuncti navali marte periti.
Dumque duces aberant, reliqui torpescere sperant,
Si non impeterent cives, urbique nocerent.
Protinus afflatis animis vento levitatis,
D Urbanum temere pontem nostri petiere.
Sic inconsultæ gentis facto grege, stulte
Provocat hostiles Turcos prope mœnia miles.
Funduntur portis subito clamoribus ortis
Nudati pedites, quorum vix spicula vites,
Prosiliuntque citi juvenes vittis redimiti.
Et procul exertis jaculantur utrinque lacertis.
Ille sudes jacit, hic lapides, hic tela, sed ille
Dum trahitur gemit; hic petitur per spicula mille,
Lumina nostrorum hebetant nubes jaculorum,

(42) Edit., *nostro.*
(43) Edit., *timentes.*
(44) Edit., *ipsa furentes.*
(45) Edit., *quadringintos et trecentos.*
(46) Ms., *perficiam*, forte *perfidiam.*
(47) Edit., *deinde vigens.*
(48) Edit., *agmine.*
(49) Edit., *patitur.*
(50) Edit., *fili.*

Atque coarctati crudeli cedere marti,
Qui tot vicerunt toties, prius hic (51) didicerunt.
Laxatis loris fugiunt, multumque cruoris
(52) Amittunt Parthus confractos proterit arcus
Hic pedis, hic oris vulnus gemit, ille cruoris
Exhaustas venas dum respicit, inter habenas
Labitur, et plenam defunctis mordet arenam.
Nullus equi frontem vertit, donec fuga pontem
Reperit, ut dixi, quem dudum navibus ipsi
Struxerunt, sed ibi restant animi melioris
Agmina, quæ necdum fuerant oblita decoris.
Et se defendunt clypeis, hostesque (53) retardant.
Plures dum trepidi pontem conscendere tardant,
Turpiter oppressi moriuntur flumine mersi.
Turci lætantur, flent nostri, castra petuntur.
Nec sic lassatus ferus hostis, at insidiatur,
Dum succedit ei male callidus hinc aciei,
Quæ ducis hortatu veniebat cum comitatu
Forti, multiplici, sed et hunc superant inimici,
Atque necant pedites tria millia turma quiritum,
Evasit latitans per colles, prælia vitans.
Nec mora gaudentes de turribus illa videntes
Persæ, ridebant nostros qui castra tenebant,
Remque docent signis, strepitu, clamoribus, hymnis.
Redintegratur prælium. Turci cæduntur.
Ergo vir intrepidus Flandrensis, dux Godefridus,
Robertus, Stephanus, Tancretius, Hugo, Statinus,
Qui, dum vivebat, naso, non laude carebat,
Et reliqui fortes armantur, et ecce cohortes
Procedunt, plorant, quia sæpe frustra laborant.
Optat quisque mori, ni bellum cedat honori.
Mors ingrata gravis, foret illi grata suavis,
Integrat illorum mentes solator (54) eorum,
Et rogat intentis precibus præsul Podiensis,
Ne desperarent, quia credentes superarent,
Cervicesque gregis summi signat cruce regis.
Pluribus hortati, mortemque subire parati,
Aut superare boni proceres fideique patroni.
Illuc accelerant, ubi se concurrere sperant
Hostibus, et tacite graditur prior, et sine lite
Corripit ignarum Hugo ductor Francigenarum,
Amotique parum cursores Christicolarum.
Stantia summa (55) ducum vexilla vident quasi [lucum.
Nec mora per scalas Godefridus segregat alas.
En modo devictus dux et de strage relictus,
Emersit subito de montibus, et repetito
Milite signa gerens demissa, fugam sibi quærens,
Visa recognovit vexilla, metumque removit.
Præcipit et stare sua signa, tubisque sonare.
Alterutrum gaudent sociorum signa (56) videre,

A Alterutrum viris resides animi rediere.
Exacuit Persas victoria parta recenter.
Erigitur sonipes, dominum gerit impatienter.
Arcus lunantur nervi, jam Turci tela protervi
Intorquent, jam cornipedes saliunt quasi cervi,
Jam tubicen teter lituus (57) sonat, obstrepit æther.
Jam cava saxa datas voces reddunt geminatas.
Undique bellatur, belli fortuna vagatur.
Nam modo terga dabant hostes (58), modo nostra [fugantur
Agmina, per bellum versat Bellona (59) flagellum.
Diversum jacitur nec eisdem missile votis.
Destinat hic jaculum præsentibus, ille remotis,
Cedere crinitus juvenis, non pellere doctus
Funditur in plano, jacto terit aera vano.
B Neve petat palmam, gens conspicienda capillis,
Libertate fugæ libertas clauditur illis.
Ergo Dei proceres umbonibus ordine (60) junctis
Sic cinxere (61) viros, ut sylva cacumina montis.
Undique stant turbæ, Godefridus ab urbe
Imminet a tergo, Boimundus cominus, ergo
Pugna fit immitis, tanto minus apta sagittis,
Flectit equum Parthus, nusquam vetat hoc locus [artus,
Tingit Persarum cruor enses Francigenarum.
Ensis inexperti (62) studio conantur inerti
Turci per minimam campo se reddere ripam,
Ut pateant aditus, rimam possit tangere littus,
Sed satis exercent, sed eos stipata coercent
C Agmina, constrictus nequit hos præcedere victus.
Stat stupidus furor ejus, via nulla saluti,
Non jaculis licet aut solitis anfractibus uti.
Audax et timidus (63) pereunt simul, huic (64) pro- [hibetur
In pugna pugnare; sed huic fuga fida negatur.
Inmodicæ turbæ modico capiuntur ab orbe.
Turcus in oppositum dum sæpius erigit ictum,
Confossis costis socii, partem juvat hostis.
Pectora pectoribus et membris membra teruntur.
Soli bella gerunt nostri, Turci patiuntur.
Parthus, Arabs, proni (65) succumbunt ultro mu- [croni,
Nec nostri tantum possunt prosternere, quantum
Agmina densa mori, claudit madefacta cruori
D Terra viam, rimas quia jam compleverat imas
Sanguis cognatus, nec habet quos pandit hiatus.
Pulvis ubi cessit, quem sanguinis unda repres- [sit (66),
Vincendi certum signum campum per apertum
Conspiciunt nostri factos de sanguine rivos,
Et sustentantes crepta (67) cadavera vivos.

(51) Edit., *post hoc.*
(52) Hi duo versus desunt in editis.
(53) Edit., *hostemque.*
(54) Edit., *solatus.*
(55) Edit., *signa.*
(56) Edit., *scuta.*
(57) Edit., *fituus.*
(58) Edit., *Persæ.*
(59) Edit., *fortuna.*
(60) Edit., *undique.*
(61) Edit., *succexerat.*
(62) Edit., *inexpertis.*
(63) Edit., *pavidus.*
(64) Edit., *hic.*
(65) Edit., *addit Indus omisso proni.*
(66) Ms., *recessu.*
(67) Edit., *erecta.*

Et quoniam tantum licuit pro strage nocentum,
Se stolidæ gentes reputabant esse nocentes.
Miles ut eoo videt arva cruore natare,
Cessit, et exhaustas vires voluit (68) renovare.
Rupit ut illa chorum nubes glomerata virorum,
Conversis frenis in se ruit, urget habenis
Lassos cornipedes, caruitque modo nova cædes,
Hic fratrem terit, ille patrem, civilia bella
Exercent, dominumque premit super obruta sella.
Et velut in stagnis cum sæpe recluditur anguis (69),
Unde detentæ disrupto fonte repente
Prosiliunt, primæ fugiunt, reliquæque sequuntur.
Impediunt alias, aliæ certare videntur.
Haud secus ad planum præparat vulgus male sa-
[num,
Et fugit ad pontem calcans dux Bullicus (70) B
[hostem.
Occupat ingressum pontis prohibetque regressum.
Ense cruentato, populo graviter superato,
Ira, locus, gladius, pugnant, vim quodque (71) duci
[dat.
Hæc animos firmat, hic impedit, ille trucidat.

Dux Godefridus Turcum medium secat.

Dux spes nostrorum, Turcis confusio, luctus
Truncat equos, equites, recipitque cadavera fluctus.
Quod non de Tydeo legitur, nec de Capaneo (72).
Quod non Æacides (73), non Hector, non Diomedes,
Dux potuit, neque nos latuit res digna relatu.
Mole sua terrens (74) proceres, multoque paratu
Dirus Arabs, gladium volvens radiante rotatu,
Præcipiti portatus equo celerique volatu,
Constitit ante ducem ; putat hanc exstinguere lu-
[cem,
Et super invictum caput altius erigit ictum,
Præcavet iratus dux, stat clypeo replicatus.
Moxque coruscantem gladium levat (75), et ferit
[hostem,
Os, caput illidit, vitalia tota cecidit.
Spargit et arvinam rumpit cum pectore spinam.
Sic homo truncatus cadit in duo dimidiatus,
Atque super scutum partes in mille minutum,
Pars cecidit, pars hæret equo, trahiturque supina.
Estque sui moderator equi non justa rapina.
Jesu, sic uno fit magna nec una ruina.
Dicere succincte si vellem funera victæ
Gentis, quas mortes sunt passæ mille cohortes,
At quid Northmannus egerit comes, aut Hugo
[magnus,
Flandrensisve manus ; essem me judice vanus.
Non Maro, non Macer [(76) quid ibi Tancretius
[acer
Fecerit exprimerent, et verbis facta carerent,

A *Regis Casiani filius occumbit.*

Hic decus eorum cecidit, nullumque trophæum
Hoc magis afflixit cives. Hic (77) dextra revixit
Mortua nostrorum satiata cruore virorum,
Hic admirati primates sunt jugulati,
Hic urbis magnæ fractæ cecidere columnæ,
Hic quoque consilio rex designatus inani
Filius occubuit magni regis Casiani.
Corporibus plenum flumen stetit Antiochenum
Undaque pallorem mutans imitata ruborem.
In pontis strata sunt millia quinque necata,
Fitque pavimentum de corporibus morientium.
Jamque fatigati multis spoliis onerati,
Nocte duces læti redeunt, dant membra quieti.
Sed vigilant sensus, hostesque fugare videntur
Quique suos, capuloque manus absente moventur.
Postquam (78) clara dies nituit, nostri nituere
Vestibus, æra suis victores distribuere.
Tunc capti numerantur equi, septemque fuere
Millia, tunc equites totidem proceres statuere.
His ita transactis, castellum turribus altis
Et solido fundo stabilitum dant Raymundo.
Dum bene succedit, dum sæpius alea fati
Mergit gentiles, sunt extra castra vocati
A ducibus magis audaces, meliusque parati.
Quilibet hostili gaudens occurrere damno (79)
Ducitur ad prædam, sed non hortamine magno,
Qui festinantes fluviumque sub urbe vadantes,
Mulas et mulos capiunt, multosque camelos,
Et subito rapiunt animalia millia quinque,
C
Cum totidem, licet urbani jaculentur, utrinque :
Hic quoque, quo juvenes prædam cepere, notatur
Quoddam castellum, vallumque vetus reparatur.
Illud Tancredo committitur omine læto;
Nam præmonstrabat minimi custodia muri
Urbis custodem prænuntia facta futuri.
Jam timet obsessus civis, clamorque repressus
Est insultantis populi de se meditantis,
Pluribus afflictus dolet, at penuria victus,
Acrius angebat, quia vix exire licebat.

Pax ad horam firmatur. Gualo perfide occiditur. Christiani obsidionem quatuordecim jurant in annos.

Post hæc inter se statuerunt talia Persæ
Ut pax ad tempus cum Christicolis habeatur.
D Qualiter interea se reddant discutiatur.
Sic igitur coram pax confirmatur ad horam.
Portæ celatæ sunt interea reseratæ,
Muros hostiles posita formidine miles
Circuit, et tuto Parthi tandemque soluto
Arcu, ridebant nostris, et castra petebant.
At Gualo vir fortis, dum lumina pascit in hortis,
Perfidiæ gentis nimis immemor hæc simulantis,

(68) Edit., *timuit.*
(69) Edit., *amnis.*
(70) Edit., *publicus.*
(71) Edit., *quæque ducebant.*
(72) Al. *Canapeo.*
(73) Edit., *Acaci.*
(74) Edit., *Turcus.*
(75) Edit., *gladio secat.*
(76) Macer fuit poeta qui de herbarum virtutibus scripsit.
(77) Edit., *sic.*
(78) Edit., *post ubi.*
(79) Edit., *jamque.*

Cum delectatur, male fida fides violatur,
Occubuit nempe loca dum videt æmula Tempe,
Jura fides data sunt morte viri temerata,
Quem simul elusit, se civis in urbe retrusit,
  Audiit ut funus Umberga decens et Hugonis,
Filia nupta prius comitis, nunc nupta Gualonis,
Palluit; atque genas secat unguibus illa protervis,
Et sustentatur matrum stipata catervis.
Dextra comas lacerat; sed quæ lacerat laceratur;
Subtilisque manus subtili crine secatur.
Examinemque diu vox pressa dolore reliquit (80)
Sed tandem voci via vix laxatur, et inquit:
Tantane sustinuit Deus infortunia gentis
  Occurrisse suæ; plus inimica mihi?
Occubuit ne decus Francorum, maximus hostis
  Hostibus ille meus spesque salusque suis?
Languet morte gravi, bello non languida dextra (81)
  Languet, et occubuit vir Gualo vita mea.
Me miseram non obsequium miserabile fieci,
  Vir tibi, cum caderis, compariter cecidi.
Hei mihi! non fovi, non clausi, non ego lavi
  Os, oculos vultus, veste, manu, lacrymis.
Tu mihi, tu certe, memini, jurare solebas.
  Te vitaturum cautius insidias.
Sed quam non poterat gens perfida demere bello,
  Est sublata tibi vita beata dolo.

A (82) Quid faciam procul a patria, procul a patre [degens?
  Quid faciet fragilis femina castra sequens?
Figite me quibus est pietas, opponite telis
  Parthorum miseram, mors mihi pœna levis.
Mors, mors pœna levis, si jungar morte Galoni,
  Si non sim Turco præda futura truci.
Nos levat Evrardus frater solamine questus,
  Et reprimit blanda voce graves gemitus.
Sic apud hostilem variis eventibus urbem
Ducebant longam nostrates obsidionem.
Inter Christicolas et Christi nominis hostes,
Pugna trahebatur prope denos aspera montes
Instabant isti fisi virtute superna.
Obstabant illi nitentes fraude patenti.
B Sperabant si quidem nostros vel deficientes
Deserere in medio frustratos sæpe labores,
Vel sibi myriadas Persarum gentis adesse,
More locustarum qui obstantia cuncta vorare.
Tali comperto rumore beata caterva.
In conspectu urbis producit pignora sacra.
Illic obsidio septem juratur in annos,
Rursus et in totidem, nisi virtus cœlica muros
Panderet ante sibi, quæ spem resecavit inanem
Civibus, immodicumque incussit causa timorem.

LIBER TERTIUS.

Edessani legationem mittunt Christianis.

Talia apud Syriam varia dum sorte geruntur,
Nuncque hinc, nunc illinc mala vel bona distribuun- [tur,
Venit ad heroas supplex legatio nostros,
Consilii poscens simul auxiliique ministros
Præcipueque ducis compellat nobile nomen
Vulgatum fama terram volitante per omnem
Unde tamen vel cur legatio venerit ista,
Restat ut expediat narratio suppeditata.
  Terra inter geminos ditissima clauditur amnes,
Tygrin et Euphratem, populos famosa per omnes.
In Græco retinens.... Mesopotamia nomen,
Ex habit..,.... conservat nominis omen.
A fluvio ad..... tantum distare videtur,
Quantum... pedibus septena luce meatur.
Hæc inter plures gremio quas continet urbes,
Urbs antiqua potens, speciosa, et divite vena,
Eminet antiquæ Babyloni nempe coæva.
Nam quo Chaldæam pharetrata Semiramis arcem
Tempore construxit simul hæc quoque condita [fulsit:
Nomine corrupto quæ nunc Rahasia dicta,
Temporis antiqui possedit nomen Edyssa.
Hæc secus Assyrias jacet ad sex millia Charras,

C Romanis ducibus Crassorum morte perosas,
In quibus antiquus degebat Abram patriarcha.
Cum de Chaldaica divino numine flamma
Erutus evasit fuerat, qua frater adustus,
Unde et voce Dei mox est excedere jussus.
Sed jam præmissæ textus repetatur Edyssæ.
In qua regna tenens fuit Abgarus ille beatus;
Ex Domini Christi rescripto magnificatus (83).
Ac morbi veteris cruciatibus exoneratus,
Hæc ibi temporibus permansit epistola multis,
Atque ea ab adversis tutavit mœnia cunctis.
Nam si barbaricus furor illuc perveniebat,
Baptizatus eam puer alta ex arce legebat,
Moxque vel in pacem gens ex feritate redibat,
Aut terrore fugam divino tacta petebat.
D Hic quoque Thadæus in Septuaginta probatus,
Et fidei normam contradidit et requievit,
Hic etiam Thomæ, qui Christi vulnera sensit,
Et dubitans nobis dubitandi crimen ademit,
Corpus ab Indorum regionibus esse relatum
Creditur, et magnis hic honoribus accumulatum.
Hæc semel in Christi postquam... amorem,
Nunquam sustinuit frigescere religionem,
Sed neque schismaticis patiens concedere ad ho- [ram,

(80) Edit., *relinquit.*
(81) Edit., *Eheu quis mihi det misera discedere vita.*
(82) Hi duo versus desunt in editis.
(83) Nota de epistola Christi ad Abgarum.

Catholici tenuit moderaminis integritatem,
Unde et gentilis mala plurima conditionis.
Et tulit hæreticæ feritates impietatis.
Maxima sed fuit hæc odiorum primaque causa,
Quæ super hanc gravius commovit finitima arma,
Quod Syriæ veniens Christi chorus ad regionem
Antiochi quateret variis conflictibus urbem.
Et nec eos magno valuissent vincere bello,
Sed nec ab obsesso saltem depellere muro.
Inde graves iræ contra genus omne piorum,
Et desiderium delendi nomen eorum.
Propterea celsam circa concursus Edyssam
Vastabat totam regionis fertilitatem.
Illuc vicini cuncta de parte gregati,
Illuc longinqui fama stimulante vocati.
Oppida, rura, casas, castellaque concutiebant,
Matres, prata, viros, animalia diripiebant.
Nonnunquam portis quoque pugnabatur in istis,
Mutua..... fervebant vulnera telis.
Civibus..... fessis non futile visum,
Auxilium contra perquirit Christicolarum.
Hac..... causa legatio jam memorata,
Missa superveniens penetravit Gallica castra.
Monstrant et socios in Christi religione,
Et conservata semper fidei integritate,
..... gravia hæc sibi proveniebant,
Auxilium per eos sibi dandum jure ferebant.
Præcipueque ducis personam sollicitabant,
Namque..... plus formidabile norant.

Fit confœderatio cum Edessa, cujus custodia Balduino committitur.

Talia moverunt procerum miserantia corda,
Quid sit opus facto tractant indagine multa.
Credunt proficuum sibi deinceps esse futurum,
Si per se columen præstetur rebus eorum.
Hinc sibi juncturos socialia fœdera multos.
Magnam vero sibi super hoc accressere laudem,
Spargendumque suum longe lateque timorem,
Si cum præsentem retinerent obsidionem,
Largirentur opem longinquis auxiliarem.
His aliisque modis dicta ratione probata,
Ardor inest cunctis citius gnavare precata.
Sed quia præsentis domitandi fulmina gentis,
Major cura ducem sociaiibus abstrahit armis.
Quod pignus pro se dare carius esse probavit,
Fratrem quippe suum poscentibus associavit.
Cum quo militiæ partem quam mittere dignum
Credidit, emisit populatis suppetiatum.
Iste minor natu fuit ejus denique frater,
Qui post se rexit Solymorum sceptra decenter.
Tunc proficiscentes longarum strata viarum,
Nempe decem spatiis inter divisa dierum,
Tandem perveniunt memoratam sæpius urbem.
Conficiunt stragem de vastatoribus acrem.
Arsacidæ victi, neque cominus arma ferentes
Diffugiunt arcus ut inutile rejicientes.
Dum non expertam nequeunt protendere...
In pedibusque citis totam posuere salutem.

A Nec nisi qui latuit Francorum vulnera fugit.
Nec qui desiluit sella post hanc repetivit.
Nec veniens vulnus cutis exteriora.....
Sed cæsim punctimque animæ.....
Nec fuit his mirum Gallorum tela pavere,
Et collisa nimis post pectora terga fovere.
Dum quorum fuerant virtutibus omnia prona,
Solaque habebatur gentilis gloria pugna.
Cum Gallis sueti pro sola bella salute
Ducere, sæpe fugam sibi pro victoria habere.
Quos a se Crassi meminissent funere victos,
Sublatisque etiam signis sua sub juga missos :
Cum Romanorum per plurima nomina gentis,
Obruit Euphrates, et multa cadavera Tigris
Detulit in terras ac reddidit. Ergo repulsis
B Hostibus, et cæcis condentibus ora cavernis,
Omni pacata regione et constabilita,
Nulla se lætis specie miscente maligna :
Urbis regnator fratrem ductoris adoptat,
Utque pater natum penitus sibi nectere certat.
Delegat terram, regionem subjugat omnem,
In sua pacta manus facit ipsam jungere plebem.
Læta coronatur facies et concinit urbis.
Diversis modulis jubilatio consonat astris.
Quotidie celsam fervet concursus ad aulam,
Unanimes nostram certant addiscere legem,
Funditur in cunctos pax et concordia cives.
Jur..... componunt undique lites,
Militiam exercet sub certo judice tiro.
Hinc eques hincque pedes recto movet agmina gyro
C Pellitur atra fames, opulentia regnat in omnes,
Non aliquos patitur bonitas communis egentes.
Ductoris nostri nimio plebs ardet amore,
Nec satis expleri visu valet alloquioque,
Felices sese reputant fore judice tali.
In quo non nisi pax poterat bonitasque videri,
In quo militiæ decor et virtutis honestæ,
Omnibus exemplo poterat communiter esse.
Nam veluti Paulus sic *omnibus omnia factus*
Sic erat in cunctos moderanter morigeratus,
Fortibus ut fortis, infirmis pene sodalis,
Gauderet lætis, et compateretur amaris.
Largus erat largis, quasi parcus denique paucis,
Mitibus et mitis, feritate tumentibus asper,
D Sic se conformans cunctis moderamine miro,
Ut velut in speculo se quisque videret in illo.

Balduino necem meditatur Edessæ rex.

Hoc inspectanti divini plasmatis hosti,
Invidiæ patri non esse valebat amoris.
Unde sibi ingeniti livoris fomite moto,
Collectoque suæ impietatis in arma veneno.
Regnatorem urbis prius hoc se lætificantem,
Movit in invidiam mentis nimiumque dolorem :
Crescere quidquid huic cernit de plebis amore
Diminui sibimet sperat dictante timore.
Unde in dogma cadens perversum hæredis iniqui,
Et metuens ab eo de regni culmine pelli :
Hunc quem submissis precibus sibi muneribusque
Ad succurrendum rogitaverat ante venire,

Quique sibi patriam penitus tutore carentem,
Pene et ab hoste malo ferro flammaque ruentem,
Cædibus et prædis omni de parte gementem,
Reddiderat summo conamine nil metuentem,
Quærit quo genere specieque modoque vel arte
Possit ad interitus casum foveamque rotare.
Si faciat, sceptri fructum putat esse retenti ;
Si non, desperat vitæ momenta lucrari.
Et tam perversæ mentis fuit invidiæque,
Ut cum Christicolam se dici vellet et esse,
Duxerit indignum se Christicolas adiisse,
Et tristaretur per eos sua tuta fuisse,
Optans idolatris potius sine honore subesse,
Quam Christi famulis fœdus sociale dedisse.

Pactum init cum infidelibus.

Sed quia plebis amor nimio fervore favebat
Illi, cui malus hic placitum lethale parabat,
Demonstrare palam timuit quod mente gerebat.
Ergo legatos similes sibi nactus iniquos,
Hostes vicinos a Christi milite pulsos
Invitat proprios veniant ut rursus in agros.
Pœniteat quod se socios cœpisse alienos,
Hos se missurum bellandi nomine ad illos,
Jussurumque suis ut primo limine belli
Destituant illos fugiendo, in terga regressi.
Hos permansuros fugiendi obstante pudore,
Sic omnes posse simul una morte perire.
Exsultant Parthi capientes quod cupiebant,
Et celeres adsunt ut vota maligna capescant.
Hic acuit nostros penitus nil tale caventes,
Dorat eis comites sibi proditione sodales.
Non tamen associat saltem de civibus unum,
Ne pateat cœptum pacto quocunque nefandum.
Extra quæsiti subeunt ea castra manipli,
Indigenis ducibus concedere ad omnia jussi.
Procedunt alacres consueta ad ludicra nostri,
Occurrunt contra structis legionibus illi.
Primo congressu penetrant media agmina Galli,
Cædunt, prosternunt, via fit calcaribus et vi.
Sed postquam infestis tenebrarunt obvia telis,
Inque eadem versis referuntur prælia frenis :
Ecce vident socios manifesta proditione
Diffugere, et retro dare, nemine terga fugante.
Tunc intellecta per signa patentia fraude,
Mutuo adhortati, in manibusque animas posuere.
Amplexi clypeos, stringunt animosius enses,
Dant validos ictus in cominus atque sedentes.
Norunt in manibus vitam consistere et armis,
In pedibus vero stipendia mortis inermis.
Malunt nobiliter pugnando occumbere plagis
Quam paganorum trucibus dare colla catenis.
Non parcunt dextris, non parcunt denique telis,
Nullus hic est jaculis levibus locus atque sagittis.
Aspiciunt Parthi circum jaculando vagantes
Pro tutela animæ nostros jam rite gerentes.
Perpendunt quod erat, quia laus sibi nulla canatur,
Si morientibus his ipsi quoque commoriantur,
Vincere quod nequeunt, dimittunt aufugientes,
Dimittuntque viros damnata luce feroces.

A Desperata salus sic est pugnando reducta,
Ut spes nequitiæ in nihilum stercusque redacta.

Balduinus recedere cogitat.

Egregius ductor fortes affatur amicos,
De fovea mortis propria virtute reversos.
Non bene barbaricis unquam permista catervis
Agmina quæ fidei sunt enutrita trophæis,
Esse sibi tutum comitatum linquere gentis,
Quæ specie blanda propinet pocula mortis.
Monstrari tamen hæc collectis fœdera turmis
Ut nosci valeat, placeant si talia cunctis.
Cum dicto factum celeratur concio tota
Cogitur, et fit eis mox hæc quærimonia nota.
Ob quæ sint missi se complevisse perorant,
Tempus adesse sibi ut castra Antiochena revisant.
B Post hac auxilia si poscant nec mereantur,
Hoc sibi pro meritis fieri non diffiteantur.
Propter opem nece tractata se pene periisse.
His quod adhuc vivant se nullam gratiam habere,
Per Christum et dextras restare superstite vita.
Ergo recedere se melioraque quærere pacta.

Sed populus rege proditore perempto eum retinet.

His dictis onerant quæ deportanda fuerunt.
Quæque gravi bello per se sua facta fuerunt.
Dispositi in turmas dant agmina bellica retro,
Et male mercato celerant abscedere regno.
Protinus in tota fit lamentatio plebe.
Ut pote quæ fuerat non hujus conscia culpæ
Se miseros clamant, inopes, rationis egenos
Et vice crudeli sine defensore relictos.
C Postquam dicta satis quæ dici digna fuerunt,
Quæ dolor atque timor comites dicenda dederunt,
Protinus in belli rationem quæstio surgit.
Quæ sibi causa fugæ fervens quærimonia poscit.
Ac primo tacitis gladium mortemque minantur,
Ni responsa sibi veracia mox referantur.
Nemo sponte luit peccata aliena silenter.
Regem sic nostri memorant jussisse potenter.
Tunc quæcunque mali illius commenta fuerunt,
Et qua de causa concorditer edocuerunt.
Nec mora fit celsam populi concursus ad aulam,
Et cum rege agitant rationem judicialem.
Non bene purganti fraudis crimenque retectum,
Mox est purpurea caput a cervice refectum.
D Tunc oratores mox ad tentoria mittunt,
Ut sibi consultum redeant, lacrymando reposcunt.
Quamvis invitus ductor multa prece victus,
Consilii causa est ad mœnia celsa reductus.
Utque fuit primum portis murisque receptus,
Omnis eum propere circumstat turma senatus.
Omnes se purgant a crimine proditionis,
Omnes deplorant mala pravæ suspicionis,
Quæ sibi ductoris animum per cuncta benignum
Abstulerat, cum nil foret a se pergere gestum.
Omnes poscere se precibus lacrymisque profusis,
Ne se dedecoret post hæc infamia turpis,
Ne se destituat tutela suæ pietatis,
Neu se mortiferis velit objectare periclis,
Ejus primatum super omnia vellet amare,

Non indignetur secum regnando manere.
Ille negat sese super illum præfore posse,
Quo se contigerat urbem invitante petisse,
Quod se purgarent satis illis gratiam habere,
Illius porro consortia nolle tenere.
Illi continuo monstrant quæ gesta fuissent,
Quæ pro perfidiæ sibi crimine dona tulissent.
Ostendunt caput, hocque sui dant pignus amoris,
Quod fidei læsæ tulerat vindicta fidelis.
Hinc votis vota jungunt, precibusque precata,
Vimque parant, nisi flectatur sententia fixa
Obstupuit ductor tanto se fœdere quæri
In Dominum populi pro se hac feritate severi.
Quid sit opus facto sociorum consulit agmen,
Collaudant omnes oblatum scandere culmen.
Ingreditur celsam cunctis lætantibus arcem,
Jurisjurandi capit undique conditionem.
In sua sic totam componit fœdera gentem,
Defensamque regit propriis virtutibus urbem.

Rex Babylonis dolosam ad Christianos Antiochiam obsidentes legationem mittit.

His ita compositis, et, fama notificante,
Nostros obsidio dum detinet urbis amœnæ,
Altera ad heroas legatio de Babylonis
Arcibus advenit non expers proditionis.
Hæc autem Babylon quæ nunc habitabilis exstat,
Longe a Chaldaicæ Babylonis climate distat.
Illa etenim versus aquilonem ducitur, ista
Euronotum spectans trangit Memphitica regna.
Alluit Euphrates illam torrentibus undis,
Fertilis hanc Nilus nigris fecundat arenis.
Illam post Nemrod fundamina præjacientem,
Inque polos turrim sustollere percupientem,
Struxit Semiramis quadro latere æqua tenentem
Perque latus quodque sex denaque millia habentem,
Millia circuitus sic sexagena ferentem,
Atque quaterna simul tota ambitione replentem.
Undique coctilibus forma hæc circumdata muris,
Atque gigantæis pedibus fuit alta ducentis.
Et cum vicenis pariter spissata tricenis,
Præterea portis tantum stridebat ahenis,
In medio turrim gremio complexa superbam,
Quam Scriptura refert gentem struxisse protervam,
Cum post diluvium veniens orientis ab axe,
Repperit hunc campum medio telluris apertæ.
Cujus planitie mox delectata capaci,
Hanc statuit turrim facere usque ad culmina cœli.
Cumque evasisset jam millia ad usque quaterna,
Atque foret totidem spatiosius undique lata.
Hanc ita stultitiam, pietas divina recidit,
Uniloquam linguam per multas extenuavit,
Sic intermissa est operum præsumptio cassa,
Non intellecta alterutrum currente loquela.
Taliter exstructa viguit per tempora multa,
Regibus ac populis compluribus imperiosa.
Multa mala exercens, crudelia cuncta frequentans,
Reges excæcans, proceres populosque catenans.
Templa Dei violans, sacra vasa per idola fœdans,
Ignibus atque feris sanctorum corpora dedens,

A Donec sub Cyro Medos Persasque regente,
Summo regna Deo sibi plurima subjiciente,
Capta et destructa quod fecerat est quoque passa.
Prædans prædata, captivans exsiliata.
Atque prophetarum juxta prædicta sacrorum,
Monstrorum facta est habitatio multimodorum.
At postquam Cyrus Scythico fuit ense necatus,
Filius ipsius Cambyses patrem imitatus,
Quæ nunc incolitur Babylonem condidit, atque
Judæos, Arabes sibi subdidit, Æthiopasque,
Sic ex nunc et tunc Babylon Ægyptia regnat,
Et circum circa famulantia regna coarctat.
Hujus regnator nostris apud Antiochenam,
Insignes misit legatos perfidus urbem.
Horum primus erat qui tunc fuit alter ab illo,
B Vir bonus et prudens, non ingenioque maligno.
Nescius ergo doli, neque conscius insidiarum,
Simpliciter dixit sibi quod fuit imperitatum.
Regem namque suum nostrorum gesta legentem
Exposuit nostris multum mandare salutem.
Urbem Hierusalem sibi nunc ditione subactam,
Hujus causa istos tantum sumpsisse laborem.
Velle aliquos sibi nostrorum properanter adesse
Visu, colloquio, victu sibi participare :
Si sibi vel ratio vel honestas religionis
Suadeat ut faveat sua conversatio nostris.
Jam fieri posse ut gentilia monstra refutet,
Ut posito Christum diademate primus adoret.
Tunc sibi Hierusalem fieri per cuncta patentem,
C Tunc sacrum tumulum, cunctum quoque cedere honorem.
Tunc palmeta suis insontes suggerere hastas,
Inque Dei laudes habiles concedere spicas.

Legationem regi mittunt Christiani. Legatos trucari rex jubet, sed eorum ductore repugnante, servantur

Exsultant nostri nihil hic hostile cavantes,
Sed nomen Domini hinc celebrari suspicientes.
Ille etiam princeps aliorum mente benigna,
Constat et hortatur, spondens fore prospera cuncta.
Hos etenim incolumes deducere se fore certum,
Rursus honorifice reduces dare pectore fixum
Ergo inter primos bellorum laude potentes,
Interque eximios insignia clara ferentes,
Ductores vocitant, complures digniter ornant,
D Cunctis militiæ simul utilitatibus armant,
Et cum legatis legatos pergere mandant.
Dicere vel facere quæ sint se digna perorant.
Quid multis opus est? sociali fœdere juncti,
Nostri et non nostri subeunt navalia cuncti.
Perque maris magni divortia plurima vecti,
Tandem sunt propius Babylonica mœnia ducti,
Princeps officii quosdam præmittere curat,
Atque suo regi quæ gesserat ordine narrat.
Ille dolos versans præceptum tale remandat,
Ne lucente die Francos in mœnia ducat.
Neve situs urbis cernens manus extera noscat,
Sicque animos in se gens bellis aspera tollat.
Ille dolum metuens paret, sed pectore tristi,
Inducitque viros in mœnia nocte silenti.

Nec malus nos princeps patiens assistere coram,
Omnes in quamdam deduci præcipit aulam.
Hluc inclusos, et nusquam progredientes,
Tempore non modico tenuit suspiria dantes.
Jussit abundantem tamen illis affore victum,
Sic celare volens infandi pectoris æstum.
Tandem conductor quæstu pulsatus ab illis,
Et graviter motus pro crimine suspicionis,
Regnatorem adiit, quærit quæ causa sit ista,
Quod se legatum Francorum accedere castra
Jusserit, atque viros illinc deducere claros,
Quos a conspectu proprio velit esse remotos.
Si quid forte mali contradere cogitet illis,
Non se posse pati consortia proditionis :
Sed conaturum toto discrimine vitæ,
Ut sua procedat penitus legatio rite,
Aut det magnificos coram se stare quirites,
Et patria dignos illis concedat honores,
Aut se de proprio donatos ac renitentes,
Efficere ut repetant sociorum castra canentes.
Talia per socios, illo monstrante, potentes,
Obstupuit rector metuens offendere plures.
Imperat acciri personas, colloquioque
Participans illos, interprete sed mediante,
Quærit de sociis qui sint, quæ nomina gestent,
Quidve potestatis propria in regione retentent.
Illi responsa digna et veracia reddunt,
Et pavidæ menti crementa timoris inurunt,
Ille, metum celans vultu fictuque renidens
Et gestus, habitusque virum spectando pererrans,
Suadet ut armati campis potiantur apertis
Et sua demonstrent quid Gallia possit in armis.
Paretur ; capiunt celeres insignia et acres,
Scandentes in equos, geminas statuere cohortes
Aspectus galeis, loricis corpora tecti,
Ardentes clypeos et spicula lucida nacti,
Aspera corripiunt imitantem prælia Martem,
Et variis monstrant patriam discursibus artem.
Confligunt dociles relegi docilesque relinqui,
Nunc procul absentes a se, nunc vero propinqui,
Et nunc terga fugæ dantes, nunc versa fugantes
Impediunt cursus concursibus, orbibus orbes
Nunc velut infestis in mutua vulnera telis
Itur ; at in rerum sunt omnia tuta potitis.
Spectant Nilicolæ, spectat rex ipse malignus,
Atque hebetantur eis gelida formidine sensus.
Sollicitis quia si gens talis Francigenarum,
Hierusalem capta fines pervadat eorum,
Nil fore virtuti quod eorum obsistere possit.

A Cum vehemens bellum quasi quidam ludus eis sit.
Tunc sibi dissimilem post se loca summa tenentem
Convocat, et gestit facere ex ratione furentem.
Orat ut hos Francos, quos jussus duxerat ad se,
Quos perpendebat, sensu sua cuncta uotasse.
Ne reduces facti socios huc affore cunctos
Procurent, sibi clam procuret decapitandos.
Ille velut gladii per pectus acumine fixus,
Pessima mandantem tali mox voce secutus :
Quænam vesani compellat causa furoris,
Ut sanctum nomen populis per sæcula cunctis
Nomine sub pacis legatos evocet ad se,
Quos mactare velit sub operta proditione.
Nusquam tuta fides posthac, nil gentibus æquum,
Hac si contingat fieri damnabile jussum.
B Pacis in hoc equidem se processisse ministrum,
Nequitiæ nunquam consortem se fore vivum,
Si sic complaceat quo Franci decapitentur,
Cervix ante sua gladio grassante secetur.
Sed perpendendum quocunque hæc fama volaret,
Incurabiliter se infamia tanta notaret,
Esse quidem damnum probitatis militiæque,
Si paucos istos contingeret oppetiisse.
Sed tamen amissis inter tot millia paucis,
Non multum Gallos sensuros debilitatis.
Sed tamen immenso doliturос esse dolore,
Atque in vindictam majore calere furore.
Non jam gentilem legatio sumpta juvaret,
Dum res facti hujus exempla sequenda probaret.
Quin potius tales magno cumularet honore,
C Ditatosque opibus præmitteret in sua abire.
Talibus inflexus rationibus ille tyrannus
Consilium mutat, sequitur quæ dictat amicus.
Sic post immensum, miles, generose timorem
In tua terga redis, claro duce fretus eodem.
Ac per Jordanem redeuntes Hierusalemque
Accipitis palmas, petitis loca sancta domosque.
Omnia lustratis, pascentes lumina visu
Discitis, ignoto referentes digna relatu.
Et bonus ille comes non vobis defuit, usque
Dum vos securos sociis dedit incolumesque.
Sic igitur celeri repetentes castra recursu.
Lætantes comites proprio fecere regressu.
Sed quia jam textus capiendæ texitur urbis,
Hoc melius referet libri textura sequentis.
D Nunc age, virtutem solitam, rex Christe, revela
uam neque vis hominum tibi dant, nec plurima [tela.

LIBER QUARTUS.

Nunc age, Christe, tuis da sæpe datum Machabæis
Divinum munus, tot millia vincat ut unus.
Millia famosæ gentis cives gentis populosæ
Urbis, Christe, fave, vim gentis comprime pravæ.

Turci consilium de tradenda civitate.

Ergo Dei pietas per pondera tanta malorum
Inspiciens animos non defecisse suorum,
Inspirat cuidam Turco miserendo laborum (84),

(84) Edit., *suorum*.

Ut nostris urbem tradat, murumque decorum
Turribus, et capiat pro munere culmen honorum.
Ista diu secum vir versans, judicat æquum
Ut prius hæc pandat Boimundo; nec mora, mandat,
Illi quanta paret, se nequidquam dubitaret,
Præcipit ut capiat missum, dum res ea fiat,
Neve parando moram producant, tempus et horam
Hic designavit, sed in hoc dux participavit
Consilio procerum; comitum pars maxima verum
Missum ferre putat, dubitans pars altera nutat.
Dicta nocte tamen Boimundus colligit agmen
Pulchrius armatum, belli sudore probatum.
Dux animo flagrat, divortia nota peragrat.
Quisque pari voto suspirat pectore toto.
Per tenebras dux capit iter, galeaque nitente
Deposita silet, et graditur sub nocte silente.
Est via militibus timidis, juga devia, valles,
Quæque per obscuros lucebat semita calles,
Ne male res caderet, ductor licet ipse timeret,
Quod tamen angebat mentem frons (85) læta tegebat.
Dat spem tardanti, tristemque serenat ovanti
Vultu, virtutem stimulat, populoque salutem
Hactenus optatam nunc innuit esse paratam.
Utque locum votis multoque labore petitum
Prospiciunt, hostemque vident vigilare peritum.
Stant procul, et latebris tecti, noctisque tenebris
Collucere faces spectant, arcusque minaces,
Et discurrentes per propugnacula Turcos
Purpureos cristis gladios versare coruscos.
Qui loca mutantes commissa, vices variantes,
Excubias noctis succederent, et faciebant,
Militibus clamando. Quis est? nec adesse sciebant.
Nec mora, dat dux magnanimus dignas duce voces,
Instimulando viros verbis animosque feroces.
Pluribus optatum votis, satis invigilatum,
« Tempus adest, proceres, Domini pietate paratum
Tempus in hoc protracta fuit victoria sera,
Perque novem menses Domini vindicta severa
Nos castigavit; sed sunt prope gaudia vera.
Ergo, viri fortes, forti persistite mente.
Vosque citi juvenes, muros superate repente,
Vincite sed celeres, pudeat vos vincere lente.
Ille locus (monstratque locum), prius aggrediatur
Vos ibi palma fidens vocat, et prius inde petatur.
Dona manent omnes, sed non mea dona vocabo,
Quod sibi quisque dabit victori nulla negabo.
Sed moror, ite, viri, cum paucis hic ego stabo.
Accelerate, boni proceres, ego tardius ibo.
Si sit opus, pedes ipse prior certamen inibo. »
Finierat, dubiusque silet dux, atque vagantur
Per totam mentem quæcunque futura putantur
Accelerant juvenes. Fulcherius imminet ante.
Per tenebras legit ille vias gressu titubante.
Illis temporibus radios ducente cometa,

A Præmonstrabatur regni mutatio læta.
Astra polusque novo sunt obfuscata rubore,
Cordaque sunt hominum nimio perculsa timore.

Traditur civitas.

Noctis erat medium cum miles ad illa paratus,
Constitit ad turrim, quam traditor ille beatus
Servabat, stupuitque nimis de turre vocatus.
Eia! clamabat Turcus, conscendite muros.
Summa petat virtus, premat hostes jam ruituros,
Scalarumque modo funes huc ferte plicatos.
Movit eos tandem latitantes, sæpe rogatos.
Denique calcata formidine, vi revocata,
Vepribus extracti vix, vincentesque coacti
Sese confortant, scalas ad mœnia portant,
Dantque retro gressus iterum turpesque recessus.
B Fructetis mersi referunt (86) ad tuta reversi,
Et licet instaret Turcus, lux appropiaret,
Nil tamen audebant, sed corda gelata stupebant.
Increpat e muris vir vocibus agmina duris,
Jamque recedebat nox, et Matuta (87) rubebat,
Cum stans in medio reliquorum junior unus,
Sic ait: Oblatum, juvenes, ne spernite munus.
Surgite, primus ero. Parent, Fulcherius ille
Natus Carnoti proceres præcedere mille
Non timet, invictæ properans (88) ad mœnia villæ.
Non hunc tardat onus clypei, sed ad ardua pronus
Evolat arma gerens, scalæque viriliter hærens,
Illum Veneticus sequitur, stupet hostis iniquus,
Ut stetit (89) in muris Fulcherius, ecce necantur
Fulmineo vigiles, et ad infima præcipitantur.
C Exsultat victor, laniataque proterit ora.
Corpora trunca cadunt, lacerantur membra decora.
Aspirat fortuna viro, plebemque solutam
Turbat, quæ requiem trahit inter pocula tutam.
Evellit postes, turresque subintrat, et hostes
Opprimit incautos, prospectus occupat altos,
Tresque capit turres propria virtute Boellus.
Hunc natura vocat tali cognomine tellus.
Germanos hic forte tuos, bone traditor urbis,
Sternit, quos pallet morientibus addere turbis,
Et fratres geminos impellit arce supinos.
Jamque viri fortes pendebant undique scalis.
Nec dubitat quisquam niti per membra sodalis
Ascensu superant muros, fastigia dextris
D Prensant, objiciunt clypeos ac tela sinistris.
Instaurant animos Turci, detrudere primos
Frustra luctantur, trepidaque manu jaculantur
Fratrum fata dolens Turcus, sed de nece nolens
Sumere vindictam, pacemque resolvere fictam,
Frena dat huic iræ, properat portas aperire.
Educensque graves gemitus de pectore, claves
Portæ porrexit Boimundo, duxque reflexit (90)
Supplex ante virum corpus, vultumque severum.
Diffugiunt miseri cives, ubi morte teneri
Cuncta vident, telis sternuntur mœnia tota,

(85) Edit., *mens et fraus.*
(86) Edit., *redeunt.*
(87) Edit., *matutina* minus bene : est autem Matuta aurora.
(88) Edit., *properare.*
(89) Edit., *stent.*
(90) Edit., *dux quoque flexit.*

Et sunt de muris Parthi (91) rubra signa remota.
Albaque pro rubeis illic vexilla locantur.
Ad commune bonum sic agmina fida vocantur,
Clangoremque tubæ tulit ad tentoria ventus.
[(92) Impediuntur equi frenis, fremit arma, uven-
[tus.]
Nec mora, prosiliunt de castris agmina densa,
Deseruere duces campis tentoria densa,
Dum sine lege ruunt, ex urbe viros fugientes
Excipiunt, terræque premunt hos sponte cadentes.
Sponte cadunt quibus exciderant cum corpore men-
[tes (93)
Agmina per portas mox irrupere patentes,
Et pressere viri primorum terga sequentes.
Protinus invadunt urbem, dant vulnera multa,
Passim turba perit vino somnoque sepulta.
Signa canunt, matresque gemunt, est luctus ubi-
[que,
Perque vias omnes gentis cruor errat iniquæ.
Ore vomit cerebrum capitis compage soluta
Infans, et fœdant nutricem oscula muta (94).
Ad matres tendunt captivæ lumina natæ,
Lumina (namque manus rigido sunt func ligatæ),
Flent hærentque senes; templis auro spoliatis,
Duraque percutiunt loca frontibus inveteratis.

Casianus neci datur.

Emicat ante volans Godefridus, inertia spernit
Corpora, quosque videt torquentes spicula sternit.
Loricas clypeosque simul secat ense nitenti,
Territat instantes hoc, objicit hunc fugienti.
A nece vix gladium dux ipse potest inhibere,
Quosque mori nollet gladio multi periere.
Vulnere nam si quem parvo perstringere captat,
Hunc rapido mucrone manus, licet inscia, mactat.
Dum quæcunque suis suadet victoria læta,
Gens levis exsequitur, licitis miscens inhonesta,
Celavit pannis regem rex obsitus annis,
Victorumque manus sic evasit Casianus.
Non tamen est fatis ereptus, sed bene notus
Armenio cuidam fugiens et ab urbe remotus,
Perdidit annosis cinctum caput undique villis,
Atque reportatur cervix suspensa capillis.
Per vicos urbis caput applaudendo sequuntur,
Emenii (95) Turcique suo pro rege queruntur.'
Urbi contiguus mons est, montisque cacumen,
Non leviter valet humanum comprendere lumen,
Stat super hoc castrum, de quo patet Antiochena
Pulchra nimis regio, cum lux solet esse serena.
Illuc evadunt Persæ, nostrosque sagittis
Inde premunt, nec tota venit victoria mitis.
Cum legione sua Boimundus suscipit ictus
Illorum, petit hostis eum per mœnia victus.
Cumque super murum turrim dux fortis haberet.
Quæ munita parum castro vicinius hæret,
Incumbebat ei sævissima turba, resumptis
A Viribus, ammentant Arabes de culmine montis
Ast alii conantur eum depellere contis,
Perque globos densant cuneos, et culmina prensant.
Prælia committunt, vix primi spicula mittunt
Assimilanda nivi, calcantque cadavera vivi.
Dux equitesque ducis consistunt, et morientes
Turribus evolvunt, civesque necant subeuntes.
Nunc instant sude, nunc saxo, per tela ruentes
Hos fugiunt, hos dejiciunt, dux summa tenentes
Amputat ense manus, clypeoque sonante furentes
Sustinet, hortatur proceres, telis oneratur.
Dum certant acies, jaculum femori ducis hæsit,
Atque virile femur graviter vulnus leve læsit.
Dux igitur reprimens fugientis sanguinis undam,
Deseruit primam turrim, petiitque secundam.
B Utque sui videre ducis procumbere mentem,
Apulus et Calaber fugiunt victam modo gentem.
Sed tamen amissa vir solus in arce remansit,
Cujus honesta satis Boimundus funera planxit.
Hostibus hic mediis ubi se videt esse relictum,
Exagitans clypeum circum sua tempora pictum,
Territat instantes turbas sub turre vagantes,
Obruit elapsis de summo culmine saxis,
Mille manus lassat, manus una viros sude quassat (96),
Frustaque cæmenti decrustans ungue trementi,
Stantibus infligit, ferro cava tempora figit.
Hunc sub pace vocant cives, succurrit at isti
Quam pulchrum sit marte mori pro nomine Christi.
Jamque superficiem clypei densaverat hostis
C Missilibus; jacet orbis iners, pondus grave costis
Protinus haud timide sese super agmina jecit.
Tormentumque novum proprio de corpore fecit,
Et fractus fregit multos. Hæc Apulus egit.
Sed quis id expediat verbis? quæ lingua notare
Funera tot poterit, tot captivos numerare?
Nec turbare quidem queat amplificatio verum;
Sufficiat mihi summa sequi vestigia rerum.

Exercitus Christianus urbem ingreditur.

Urbs antiqua, potens, Petri cathedra decorata,
Ecclesiæ sedes post Romam jure vocata,
Urbibus innumeris urbs assidue dominata,
Muris, delubris, felix, jucunda, salubris,
D Ignorantis erat populi demersa tenebris.
Inde sed erupit, nova facta, magisque celebris,
Vestes gemmatas, auroque domos laqueatas
Agmen habet nostrum, peregrinum possidet ostrum
Urbis et unius explevit copia gentes,
Pauperibusque nihil possunt auferre potentes.
Servus in hac servos habet urbe, cliensque clientes.
Illam luce Jovis tuus intrat, Christe, satelles;
Sed castellanos nequit exsuperare rebelles.
Ergo die tota pugnat, noctique laborem
Continuat, nullumque capit sub nocte soporem.

(91) Edit., *partim.*
(92) Hic versus desideratur in editis.
(93) Edit., *Hos non sponte cadunt quibus et cum*
[*corpore mentes.*
(94) Edit., *sordida sputa.*
(95) Edit., *Armeni.*
(96) Edit., *unaque viros sude quassat.*

Corbana militiæ princeps cum Persarum exercitu contra Antiochiam tendit.

Ast ubi mane datur, Venerisque dies reseratur,
Stans eques in muris, dum sustentatur ab hasta,
Sortitusque locum, loca lustrat lumine vasta,
Pulveris obscuram prospexit in aere nubem.
Tristia mox reliquam vocat ad spectacula pubem.
Suspensis animis per propugnacula stabant,
Diversique viri, diversa videre putabant.
Appropiare quidem Turcos (97) pars vaticinatur,
Pars Bysantinos fore credit quos speculatur.
Ardentes clypeos sol lumine percutiebat,
Paulatimque frequens exercitus adveniebat.
Consedere tamen procul, exspectando sequentes
Corbana militiæ princeps, reliquique potentes.
Sed quidam Persæ jam mœnia spe capientes,
Urbis in aspectu campos petiere patentes,
Diversisque modis gaudent ibi luxuriare,
Turpia non cessant speculantibus (98), improperare.
Spumantes per gramen equos dimittere certant,
Nudatos enses jaciunt, iterumque receptant.
Exululant, passim volitant, clausisque minantur,
Telaque per vacuas auras temere jaculantur.
Tutius esse putant nostri loca certa fovere
Quam casus incerta sequi bellumque movere.
Sed cum jam Turci remearent vociferantes,
De Barnavilla sequitur Rogerus ovantes
Cum tribus armatis, quos postquam gens remo-
[rata (99)
Respexit, facit insidias sub rupe cavata.
Dumque lacessentes aliquos nostri sequerentur,
E latebris fures saliunt nostrique (100) tenentur
Inclusi, versique stupent, animisque receptis,
Vallantes penetrant, clypeis ad terga rejectis.
Ut sit ubi canibus post cervi crura solutis,
Hi pedibus prædam, portum petit ille salutis
His alas addit spes, fit celer ille timore,
Mox voti compos cervus canis exit ab ore.
Nos (101) ita Parthus agit præceps, in verbera pen-
[dens.
Sic fugit ista cohors, ad vitæ præmia tendens.
Instigat socios Rogerus, et excipit ictus.
Nunc tardare facit probitas et conscia virtus.
Telorum silvam vix sustinet horrida parma.
Labentem sustentat equum, tinguit cruor arma
Oppressis fortuna nocet. Jam deficiebant.
Instantes, Rogere, tui jam tuta tenebant,
Cum te præcipitat sonipes male præcipitatus,
Nec relevaris equi revoluti mole gravatus.
Qui non parcebas hosti, fœdaris in alto
Vulnere, nec voluit Turcus tibi parcere capto?
Æstuat in muris confusa pudore juventus,
Dum premitur jaculis vir fortis ab hoste retentus.
Avertunt oculos proceres qui prospiciebant,
Cum per saxa canes insignia membra trahebant,

A Raptatoque viro subito caput amputat ensis.
Tunc vero resonant clamoribus agmina densis.
Parthus ovat, digitis premit caput ille cruentum,
[(102) Præfigensque sudi madefactum sanguine
[mentum,
Ora refert ad castra nigro rorantia tabo,
Urbis ad eventus nunc ingenium revocabo.

Turci Antiochiam impugnant.

Urbi quaque die Turci sua castra propinquant,
Marte minis clausis, suadent ut adepta relinquant.
Et castrum plures ex illis ingrediuntur,
Intus et exterius ita nostros aggrediuntur
Non igitur positis telis manus ulla vacabat,
Nec galea quisquam pressum caput exonerabat.
Nocte cubant tecti clypeis in pulvere vili,
B Membraque deficiunt ipso cruciata cubili.
Urbis turbabat loca discursus jaculorum.
Turres inde rigent, hirsutaque tecta domorum,
Se quoque gentiles in aperta pericula mittunt,
Et prope decertant gladiis, arcusque remittunt
Hostes, et nostri modicum discrimen habebant.
Omnes quaque die sub castro conveniebant.
Jamque opibus minimis a pluribus attenuatis,
Vix aliquid victus restabat in urbe beatis.

Civitas fame cruciatur.

Ergo fames crudelis adest, crudelior omni
Peste, viri vigilant, fugiunt jejunia somni.
Deformat macies vultus, nigriora sepultis
Ossibus ossa micant, apparent viscera multis.
Vulgus iners herbas dubias lethumque minantes
C Vellit, et in duro luctantur cespite dentes,
Frondibus hi gaudent arbusta suis spoliare,
Illi more feræ radices, prata vorare.
Multa quidem comedunt hominum non cognita
[mensis.
Arida facta manus vix pondera sustinet ensi
O referenda Deo virtus, circumdata peste
Nostra cohors saturo jejunam timetur ab hoste.
Res nova! crus asini libris tribus appretiatur
Quique dedit pretium, non prodigus inde putatur.
Ora movent pueri, matresque vocant morientes,
Aera pro solitis epulis aurasque terentes (103).
Cursor equus quem vix nuper carcer retinebat,
Nunc avido morsu vacuum præsepe petebat,
D Et tandem posita feritate, furore remoto,
Labitur infelix singultans corpore toto.
Devorat hunc etiam præstans virtute juventus,
Et cibus iste placet populis caro licet emptus.
Dum pereunt, dum qui poterat persistere fortis,
Vivit, si vivit quisquam sub imagine mortis
Vir quidam data nocte sibi solatia sancta
In commune refert. Fidei fiducia tanta est,
Ille refert palmam nostris post quinque paratam
Esse dies, hilaratque viros plebemque vocatam
Præterea mentes nostrorum lætificavit

(97) Edit., *muros*
(98) Edit., *spectantibus.*
(99) Edit., *memorata.*
(100) Edit., *juvenesque.*
(101) Edit., *hos.*
(102) Hic versus deest in editis
(103) Edit., *tenentes.*

Lancea quæ Domini latus innocuum penetravit.

Petrus Eremita Corbanam ducem convenit.

Post hæc congressum castellanis vetuere :
At murum nostri gentilibus opposuere.
Pluribus exemplis, ubi spes est reddita vitæ,
Tertio jejunant omnes sicut Ninivitæ.
Tunc Eremita ducem Turcorum Petrus adivit.
Corbana dux sublimis equo se forte ferebat
Ad portum, lasciva cohors utrinque fremebat,
Cum subito Petrus turbam subit impedientem.
Nec timuit quemdam Turcum sibi præcipientem,
Et caput inflectat, vultumque potentis (104) adoret,
Pectore sic placido demissa voce peroret,
Dum negat hic homini deitatis reddere cultum,
Illius incurvat gentilis dextera vultum,
Illius a stolidis bona deridetur honestas,
Sed tamen est illi fandi concessa facultas.

Petri oratio ad Corbanam.

« Maxime dux, vir parvus (105) ait, nos non aliena
Quærimus; ad nostros urbs pertinet Antiochena.
Cur igitur nos a propria vis pellere sede?
Si censura movet te juris, ab urbe recede;
Aut si credere vis, erroris lege remota,
Sit regno transcripta tuo Romania tota,
Fies rex Syriæ, rex istius regionis,
Tuque potens multum multis onerabere donis.
At si mente sedet pugnandi tanta voluntas,
Si mavis spectare manus ad prælia junctas,
In paribus sortem reliquorum præcipe poni.
Quique pari bello cedent, cedant regioni,
Pugnent cum totidem triginta sive viginti,
Discedant, si sorte valent discedere victi. »
Dixit. Ad hæc ensem quatiens dux Corbana nudum :
« Tune putas (106) impune mihi talem dare ludum?
Hoc gladio caput amittes, truncabitur isto
Gens quæ nescio cui studet obsequium dare Christo. »
Discedit Petrus dictis commotus acerbis.
Arma parant proceres auditis ordine verbis.
Illa nocte patres vigilant, errata fatentur,
Turba gemens aras tenet, ecclesiæque replentur.
Luce data ter tres de tota gente statutæ
Sunt acies, propriumque ducem sunt quæque se-
[cutæ.
Quas habeant in fronte manus, ibi disposuere,
Quos medio, vel quos cupiant extrema tenere.

Christiani cum Turcis pugnare se disponunt.

Podiensis episcopi exhortatio ad exercitum.

Sistitur Hugo prior, medium robur tenuere
Magnanimi septem, Boimundo deseruere
Ultima, custodes per muros instituere (107).
Hic ducis officium præsul Podiensis habebat,
Et populos (108) ægri Raymundi rite regebat.
Lancea sancta Dei prævecta viros animabat,
Membraque pontificis lucens lorica gravabat.
Hic populi voces, ubi voce manuque repressit.

A Dixit, eo silente, solo gens prona silescit (109),
« Rebus in extremis vires effundite totas.
O proceres, renovate manus Turcis bene notas.
Ite per ignavos, gladiis disrumpite gentes,
Quas primi jactus exarmant deficientes.
Mittet in auxilium Deus angelicam legionem;
Opprimet (110) hunc populum velut oppressit Pha-
[raonem.
O quanto rapitur gens insensata furore!
Hæc emit infernum proprio malesana cruore.
Denique lucratur pœnam, caro bis cruciatur,
Atque per hanc mortem sine fine meretur.
At nobis sit sive pati postrema necesse,
Sive Deus superet gentiles, quod precor esse,
Exitus est felix, orietur morte corona,
B Militibus diversa dabit victoria dona.
Vincetis; virtutis erit vestræ monumentum.
Parthorum cædes jam conspicio morientium.
Ne dubitate, suos pugiles Deus haud patietur
Plura pati quam ferre queant, ut glorificetur
Lætitiæ stimulis agitari sentio gentem.
Supportate, viri, me gaudia vestra trahentem.
Sint rata, Christe, precor, nostris gratissima vota,
Ut vincamus. — Amen, » respondit gens recc
[mota.

Interea mandat dux Persarum Boimundo
Primo suos equites dici, nostrosque secundo.
Nomen et a reliqua jubet, hoc abradere gente
Neve decus mundi mittatur in arma repente,
C Præcaveant, numeroque pari pugnetur utrinque.
Tunc ita legatum dux increpat, ista relinque.
Desine vana loqui, nos ad majora vocamur.
Vincamus simul, o comites, simul aut moriamur.
Respexitque suos comites, bona vel mala vere
Proveniunt sanctis, nihil interea timuere
Nostri, sed portas ingressi distribuere
Per loca certa viros, dum tutus ab urbe recessit
Nuntius, ita Deus tua dispensatio gessit
Presbyteri turres rara (111) cinxere corona,
Illorum jacet in muris pars maxima prona,
Ornatique stolis quas sumunt tempore missæ,
Altius hi psallunt, hi flent, orantque remisse.

Turci fugantur.

D Ut sonuere tubæ, populos prior Hugo feroces
Invadit, solitas emittunt undique voces.
Francorumque cohors longo distenta recessu,
In seriem conjuncta pari petit agmina gressu.
Stant infra jactum teli, totoque vigore
Inflectunt arcus Turci nervo meliore
Intensos, stridendo volant per inane sagittæ.
Lustat eis oblita brevis gens Gallica vitæ.
Paulatim dant pressa retro vestigia Parthi,
Vicinoque timent dextras committere Marti.
Soicula Turcorum divertit ab agmine ventus.

(104) Al. *patentis.*
(105) Edit., *me parvus.*
(106) Edit., *tunc putus.*
(107) Edit., *constituere.*
(108) Populus.
(109) Edit., *silebat.*
(110) Edit., *opprimat.*
(111) Edit., *muros parva.*

Boamundum circumaant. Acris pugna. Victoria cedit Christianis.

Evrardus de Pusiaco fervensque juventus,
In bello quærunt bellum, gladiosque levaban
Percussi, quos percuterent non inveniebant.
Nuntius ecce celer venit a Boimundo,
Qui dum pauca refert, sua præter radit arundo
Tempora sed tantum hæc, inquit, Boimundus utrin-
[que
Hostibus urgetur, fugitivos, Hugo, relinque.
Conversis mox Hugo suis, Arabes speculatur
Hastatos circa Boimundum. Tunc ita fatur.
Quod juvenes optastis adest, huc ferreus hastis
Horret ager, vertamur ad hos incumbere vastis
Viribus. Ergo manus jungunt comes et Boimundus.
Hic etiam dux ille ducum stabat Godefridus.
At contra tendunt Arabes, regesque potentes,
Et rex Damasci Lucas, illicque furentes
Stant proamici duo; namque duos sic turba vocabat.
Dux Boimundus adhuc, Godefridus, et ipse voca-
[bat (112)
Bellum primus init magnus frenumque furenti
Laxat equo, cuidamque viros in marte moventi
Hasta disrupit guttur, vitamque loquenti
Abstulit, et voces hastilis lancea lenti
Frangitur, ille gemens petit ore solum morienti.
Concurrunt Arabes et Francigenæ violenter.
Pugna gravis surgit, jaculis obtexitur æther.
Hic Balgentiacus Odo primus ubique ruebat,
Vexillum tenens, se non retinere valebat.
Cum degustasset latus huic non visa sagitta,
Stridula signiferum privavit lancea vita.
Lapsus at ille cadens, humectat sanguine signum,
Et quo conciderat traxit de vulnere lignum.
Mox succedit ei, signumque levat Boemensis (113)
Willelmus, juvenique viam fecit suus ensis.
Non procul hic ibat nostrorum parva caterva,
Quos nimis urgebat Turcorum turba proterva,
Turbaque fraude nocens ipsos per gramina sparsit.
Quos aluit ventus, et sic ager aridus arsit.
Ardor at ille dedit fumum tenebrasque creavit,
Perque cavam nubem campo trahit hostis in æquo,
Atque negat pedites ter centum vulnere cæco.
Tunc cum Pagano Belvacensis Rainaldus,
A Cumque Drogone Thomas, et bellipotens Clarebal-
[dus,
Et reliqui subiti se mortibus eripuere,
Et rapido cursu belli robur petiere (114).
Fortis ut ista cohors se magno junxit Hugoni,
Immenso veluti cedunt armenta leoni,
Sic Arabes illis, vertuntur scuta rejecta.
Vicisti, Deus omnipotens, clamat Godefridus,
Instat in patria, primusque volat Boimundus
Corrigiis agit hostis equo, insibilat æther.
Pulvis ad astra volat morientium sanguine teter,
Contigerant collem quemdam populi fugientes.
Tunc Parthi latus in lævum sese replicantes
Post longam restare fugam fortes voluere,
Arcu converso nostros iterum petiere.
B Impiger ergo senex Geraldus de Melione,
Tempore qui fuerat longa æger in obsidione,
Sicut inermis erat, medios irrumpit in hostes,
Et meruit pulchram mortem confessus. In hostes
De nostris aliqui tribus invasere diebus.
Sed tantis non sufficiet mea pagina rebus,
Quinque camelorum capiunt et millia dena.
Pluribus inveniunt spoliis tentoria plena.
De Turcis equites decies sunt mille necati
Cum totidem, pedites miseri non sunt numerati.
Præterea qui castellum civile tenebant,
Castellum nostris reddunt, quia mira videbant.
Regius inter eos juvenis de Perside natus
Est cum ter centum sacro de fonte levatus.
C Deleo de nostro de qualicunque libello
Hos quos non puduit sese subducere bello,
Hæc miseranda cohors velut ad vomitum revocata
Prætulit exsilium patriæ, mundo sociata.
Prætereo nostros quare timuere juvare
Consilio Stephani Constantinopolitani.
Prima cohors, primique duces, loca prima tuetur.
Vulgus inerme tenet medium, murique replentur.
Tunc regalis Hugo, qui Magnus jure vocatur,
Nomen dote replens, communi voce rogatur,
Ut Constantinam petat urbem nomine dictam,
Induperatori regionem reddere victam
Cura fuit; lex, jura, fides data, pignora, pactum.
Vox populi mistæque preces misere coactum.

(112) Edit., *vacabat*.
(113) Edit., *Beniensis*.
(114) Hactenus editi.

LIBER QUINTUS.

Raimundus Piletus duo castra capit. Marram urbem aggredienti resistunt acriter Turci.

Ast alii proceres voto jam mente propinqui
Utiliter statuunt ad tempus bella relinqui
Æstus enim populos siccataque terra gravaret
Ureret æstus eos, potum dare terra negaret.
Est igitur requies lassorum reddita membris,
Dimittenda brevi sub prima luce novembris
D Turba partita, loca sunt diversa petita
Et quisquis lucro gaudebat, in urbe manebat.
Obsequiis erat hic studiosus, et æra merebat.
Ex illis plures Raymundus miles alebat,
Quem cognomento Piletum gens nostra vocabat.
Otia cum multis hic non ignava secutus
Providet, ut nequeat gentilis vivere tutus.
Ergo duas urbes pertransit, et a Talamana

Improvisus adest; hoc castrum gens Suriana
Servabat, quæ sponte viros recipit bene sana.
Itur ad quoddam castrum, sed turba profana
Obstitit, hinc nostris intorquens spicula vana.
Sed tamen hoc Domini manus obruit, et peregrini
Illic gentiles sunt ad baptisma vocati,
Quique rejecerunt illud periere necati,
Captivatur ibi puer, et quicunque senescit
Occidit, ignotis breve regnum parcere nescit.
Hostibus eversis, auro spoliis onerati
Ad castrum redeunt qui jam fuerant donati.
Nec requie contenta diu, virtus animosa
Hostis ad interitum manet assidue studiosa.
Gentilisque legens vestigia sparsa per orbem,
Aggreditur Marram plenam gentilibus urbem.
Duxerat in Marram, duce fama, turba remota
Urbis Aleph Roboam rex, et vicinia tota,
Gens ea non humili terrore repressa decenter
Disposuit bellum, ruit in nostros violenter.
Ferrea silva cadit passim, campumque cruentum
Asperat, astra petit fragor et gemit morientum.
Concurrunt per mane sudes, hi spicula jactant,
Illi protendunt hastas, iterumque receptant.
Fortius incursant, ipsisque cadavera portis
Affigunt nostri, jam stabat in aggere fortis
Miles, inundabant fossæ, cum forte retortis
Vertitur agmen equis, quam perfida gratia fortis
Christicolæ dant terga retro, formidine mortis
Turbat eos inimica cohors agitata furore.
Tinnitum clypei reddunt, galeæque sonoræ,
Obtenebrant oculos lapsus de cortice coni,
Loricas odiunt juvenes ad verbera proni.
Scindit labra sitis, non sufficit umbo sagittis.
Ut Raymundus eos vidit rarescere, primus,
Respirate, viri, clamat, quo, proh pudor! imus?
Taliter a trepido cursu proba gens revocata
Gentiles agit ad muros, simul agglomerata.
Sed non vertuntur Suriani deficientes
Nec socios vivere suos, sitis impatientes
Aeris illa sui gens emollita tepore,
Non est marte, sed est martis superata calore.

Christiani fugantur.

Ut dare terga vident nostrorum castra secutos
Turci, Christicolas jam magna parte munitos
Invadunt, dat eis vires animosque sequendi
Gens fugitiva, monet timidos fortuna nocendi.
Ordine non habito fugit agmen Christicolarum,
Non exspectata revocantum voce tubarum.
Segnius haud fugiunt equites peditumque caterva,
Quam fugit ante canes latrantes territa cerva.
Sternitur heu felix populus per opaca viarum,
Exspositusque Jovi, fit martyr et esca ferarum.
Exspirant animas multi, nec meus edet
Versus, vix equidem recolo quæ dicere tædet.
Ad castrum rediit Raymundus, et jure quieta
Perfruitur requie, cum gente dolore repleta
Hic aliquid tempus exegit, ad omne paratus
Utile vir fortis, per multa pericla probatus.
Interea nimius dolor accidit Antiochenis.
A Urbis enim rector, moderatus ad omnia, lenis
Præsul obit, patremque suum dolet urbs obiisse,
Hanc, cum capta fuit, non credo magis doluisse.

Episcopus Podiensis moritur. Albariam capit comes S. Ægidii.

Dum calet Augusti dictus de nomine mensis
Non sibi, sed populo præsul moritur Podiensis
Pro Petro tracto de carcere dum tibi, Christe,
Urbs canit, est tractus de carcere corporis iste,
Quaque die recolunt solventem vincula Petrum,
Illa luce viri deploravere feretrum.
Post nimios luctus, post infortunia plura,
Stans comes Ægidii Sancti per tempora dura
Ivit ad Albariam, quam multo milite cingens
Cepit, et huic urbi murus non profuit ingens.
B Ensibus hic incurva senum sunt colla resecta,
Nec minus infantum rumpuntur tempora grata
Nec vetulas reverenda juvat rugosaque Persis,
Nec facies prodest non lædi digna puellis,
Nec simplex via mortis erat, quia mille necantur.
Mille modis, meritique hominum merito lacerantur.
Albariæ, sic ad Domini cultum revocatæ
Præficitur præsul vitæ persona probatæ.
Jamque vocabat hiems proceres, nova bella mo-
[venái
Tempus erat, cœpitque, dabat spem perficiendi.
Omnibus hinc sanctis dum festum fit generale
Congregat absentes, edictum spirituale,
Jam varius populus confluxit in Antiochena
C Mœnia, quam varii pisces in retia plena
Dissimilique placet similis sententia genti.
Jerusalem loca sancta vident animo cupienti.
Vis secura virum, jubet ipsos esse paratos,
Deque suis abolent animis conjugia natos,
Orbis ad ignotos tractus jam mente feruntur
Parthorumque pedes jam martis amore sequuntur.

Christiani Marram obsident.

Conveniens comites dux interea Boimundus
Pactam quærit ab his urbem, negat hoc Raymun-
[dus.
Regis adventum Constantinopolitani
Exspectare jubet, munitque domum Casiani.
Sic duce turbato, comes impatiens Rugiosam
Transit, et Albariam, Marramque petit populosam
D Ne dolor irati ducis ad communia damna
Forte redundaret, procerum discretio magna
Consulit hunc, mens alta viri multa prece mota
Præposuit voto privato publica vota.
Protinus educens acies populi modo mœsti
Ad Marram properat respectu victus honesti.
Lex Domini specialis erat, cum signa replerunt.
Urbis circuitus, et castra duces posuerunt.
Externos homines ubi vidit gens stupefacta,
Quis referet quanta fuerit formidine tacta?
Omnis in urbe locus, feroce properante tumultu
Discurrunt matres, timidæque nurus sine cultu,
Hostes plus justo fore rumor publicus edit,
Compluresque timor, nec mens sua lumina credit.
Si quisquis somnum recipit, somno cruciatur.

Vexat, et insomnem res vana, diemque minatur.
Stant ad opus servile duces cum gente minore,
Nec pudor est servire, carent extrema pudore.
Exuit ut Phœbus terra caligine nigra,
Surgit nostra cohors sub pigro tempore pigra,
Excitique probi juvenes clangore tubarum,
Corporis immemores, haud immemores animarum,
Ad Martem properant, jam circumfusus adaptat
Nervo pila pedes, jam lætus ad ardua jactat,
Jactant saxa, faces flammas per inane ferentes,
Quas hærere volunt ad culmina suspicientes.
Desudant alii fossas implere patentes.
Per prærupta ruunt equites transcurrere montes.
Non sunt horror equos in frena retro redeuntes.
Jamque cava latitans testudine, firma cavabat
Mœnia lecta cohors, jam scalas turba levabat,
Cum subito coeunt Arabes, gravibusque lacertis
Saxa rotant, et vulneribus dant proxima certis.
Ac veluti nimbos cum torquet hiems odiosa,
Aera grando secat, vis austri sævit aquosa,
Imbribus insultant crepitantia tecta domorum,
Verberat unda sequens fugientia terga virorum,
Sic miseri quibus una salus inimica saluti,
Pellere tela, sudes jaciunt, clypeique muniti
Dant crepitum, fugiunt equites sub eis maletuti,
Ut tradet ex equo Raimundus bella parari,
Altum de lignis castrum jubet ædificari.
Illud montis habens instar, trabibus fit acernis.
Hujus ductores imis latuere cavernis.
In summo venator erat, cornuque strepebat
Ebrardus, delecta cohors in fronte fremebat.
Ergo viri pedibusque suis, pedibusque rotarum
Adnixi, licet impediant loca stricta viarum,
Adjungunt altæ turri castrum magis altum,
Atque parant super attonitos subito dare saltum.
Tunc et ab urbanis fit machina, quæ jaciebat
Immensos lapides, et castrum concutiebat,
Græcorum piceos ignes rotat insuper illa,
Et volat ante viros fetens et nigra favilla.
Servat in igne suos divina potentia servos,
Et dedit ardores non posse nocere nocivos.
Murorum jaciunt per propugnacula fortes
Christicolæ, castrique cadunt de culmine mortes.
Pislerio de monte furit Willelmus ibidem,
Robora, saxa, sudes, certatim mittit et idem.
Oppositus tædis rubet, et lustratur ab igne.
Hujus ego nequeo virtutes dicere digne.
Illis non retinet frangendis congrua muris
Machina, sed gaudet, gaudet patientia duris.
Non retro mollitus vitæ dulcedine cedit,
Nec, quamvis decuisset ibi fugisse, recedit.
Hos necat, hos quassat, se circuit, arma repellit,
Nunc muros, nunc scuta ferit, nunc spicula vellit.
Nunc procul a castro, nunc adjuncta procul arce
Turba sacerdotum clamabat : Rex pie, parce.
Parce, Deus, metuatque tuum gentilis ovile.
Qui Christi nomen conatur reddere vile.
Si quis forte parat compagem solvere muri,
Illius excussa damnatur dextra securi.

A Hæc indignatus vir de la Turre vocatus
Gulferius, pulchri quod diu facinus meditatus,
Turbidus arripuit erectæ robora scalæ,
Quam vix sustinerant humeris sudantibus alæ,
Perque gradus trahit, ipse suis sua membra lacer[tis.
Nunc sequitur quem ducit ad hoc manus Omni-[potentis;
Quippe modum nostræ transcendunt talia mentis.
Sed dum turba frequens firmat gressus per inane,
Scalam frangit onus, gentisque repulsa profanæ.
At vir prædictus tollendus ad astra favore,
Quo se jam tulerat virtute gravique labore,
Inter eos quos vix potuit conducere sursum,
Eminet ; utque canes depascunt morsibus ursum,
B Cui plebs incumbens præclusit iter fugiendi,
Sic non æqua manus premit hunc, populique pre[mendi.
Ille per instantes fertur adeulo (*sic*) venienti
Opponit clypeum, socio tutela sequenti
Nunc prior est, nunc posterior, similis fugienti.
Nunc propriis telis populo nocet ille stupenti,
Nunc gladios, nunc pila fugit, nunc mille molares.
Jam fumant artus, jam spumant sanguine nares.
Contra tot pestes manet unus integra vita,
Missilibus, jaculis, sude, fustibus, ense petita,
Dum quantum deprensa potest gens, turba resistit,
Fida cohors iterum scalas ad mœnia sistit.
Mox oblita sui, sed non oblita suorum,
C Conscendit muros properans ad opem sociorum.
Nec mora, per turres sonitu concurritur orto,
Non riget hic arcus contentus funе retorto.
Res agitur gladiis ; de mœnibus ordine fixa
Saxa trahunt, murisque suis mors frangitur ipsa.
Terga dedere prius nostri, numeroque furentum
Cesserunt, pressitque sonum gemitus morientum.
Ad terram missi plerique necem fugiebant,
Quam tamen ad terram confracti comperiebant.
Solvitur interea murus, cui se nostra juventus
Castro tecta subit, solida nec rupe retentus
Est eques, ingrediens arcana foramine stricta
Gens repit, tuba signa dedit tristissima victo.
Ut videre suis hostes in mœnibus isti,
Qui super astabant, nec eis jam posse resisti,
B Per muros rapuere fugam, clypeisque rejectis,
Merguntur subito diversis agmina tectis.
Pars solo terrore perit, plebique cadenti
Mors ignava venit, non ense vocata rubenti,
Maxima turba perit venientum turbine pulsa,
Muris fixa rubent miserorum membra revulsa.
Urbis ad excelsas turres ita dum properatur,
Diversis mors una modis hos depopulatur.
Vesper erat nostris minus illo tempore gratus,
Paganisque dedit latebras nimium properatus,
Noctem pro lucro pœnas in luce daturus,
Cinis habet, multoque rubet jam sanguine murus.
Et dum læta cohors urbem sine vindice vastat,
Ad miseras turres gentilis pallidus astat.
Tunc monuit Boimundus eos interpretis ore,

Ut sua lenirent mala consilio meliore,
Et subeant turrem quæ præsidet ardua portæ,
Hos equidem teget in misera sua dextera morte.
Victorem victumque facit nox irrequietum.
Victa rapit victor, videt hic accurrere lethum.
Jamque diem luctusque novos aurora vocabat,
Vicinæ morti se civis in urbe parabat.
Christicolæ stringunt enses, et tecta cruentis
Corporibus complent, populique cruore cadentis.
Hic etiam virtutis opus gladiis iniere,
Corpore qui tenui vires modicas habuere.
Dantque senes decollandis pœnam graviorem
Quam juvenes; producit enim vis parva dolorem.
Et veluti minimum potuissent esse nocere
Tempora quorumdam laqueis sic implicuere,
Ut laqueum baculus constringat, et interiora
Perforet ossa rigens funis, cruor impleat intra,
Tunc educta suis exstabant orbibus horum
Lumina, fœdabat sanies barbas miserorum.
Talia fingebat auri sitis effodiendi.
Nam quid non suadet amor immoderatus habendi?
Viscera morte gravi jam frigida dextra cruenta
Scindit, et ex ipsis manus haurit avara talenta.
Ast alios servare dueis quos cura volebat,
Irrevocabile vulgus ad impia fata trahebat.
Ima senes erebi repetunt, venduntur ephebi.
Detinuit nostros in finibus his mora mensis.
Mortuus interea præsul fuit hic Oriensis.
Nostra cohors paucis consumsit multa diebus:
Nescit enim partis victoria parcere rebus.
Illic ergo famem gens pertulit immoderatam,
Et susceperunt mortem plerique vocatam,
Et quia non habuit populus quod habere licebat,
Tendit in illicitum, facit hoc quod jus prohibebat.
Proh dolor! heu facinus! verubus posuere recentes
Turcorum carnes, lacerant cadavera dentes.

Discordia inter Boamundum et comitem S. Ægidii. Fausta omnia Christianis succedunt.

Tunc perscrutatur Boimundi causa secundo
Nec concordari potuit dux cum Raymundo,
Regem non recipi Constantinopolitanum,
Nec dare juratum, comes asserit esse profanum.
Ergo viæ curam sanctæ ducis ira rejecit,
Ira ducem, dux agmen iter postponere fecit.
Ille quidem cum principibus repetivit amata
Mœnia, plebsque dolet tantis patribus viduata.
Sed comes Ægidii Sancti manet irrequietus,
Anxius in multis, curarum mole repletus.
Sit modo salva fides, placet ut descendat ad ima
Quælibet, et procerum summetur res ea lima,
Mandavitque viris absentibus ut Rugiosam
Juris amore petant, rem discutiant odiosam.
Conveniunt, rem discutiunt, sed fraus ibi dira
Dæmonis insedit, nec finem repperit ira.
Tunc Marram petiit comes exspectatio turbæ,
Collegitque sua comites Boimundus in urbe.
Ut comes a cunctis se conspicit esse relictum,

A Et Marram populis minimum jam reddere victum,
Plus fidei fisus quam viribus, omnia Christo
Committit, fatique vices duce non timet isto.
Tunc pedibus nudis, solito cessante paratu,
Egreditur Marram cum plebeio comitatu.
Quælibet huic populo cessura pericula jurat.
Nec secura fides regum consortia curat.
Cedere pauperibus fortis putat ille fidelis,
Audet et ipse ratem laceris committere velis.
Plebs aggressa viam propter jejunia tarda,
Et comites comitis primum venere Capharda.
Consul Northmannus, Northmannorumque cohor[tes,
Quos reddit sua terra pigros, incognita fortes,
Hic animis et corporibus nostris sociantur.
B De fidei zelo mala quæque subire morantur.
Rex quoque Cæsareæ nostris prætendit amorem,
Et specie pacis male palliat ille timorem.
Denique Cæsaream serie firmata malorum
Turba petit, quia longa quies labor esset eorum.
Inseditque super fluvium Farfar, quia tale
Nomen habet flumen huic urbi collaterale.
Ut muris admota nimis tentoria vidit
Rex urbis, vetuit commercia, pacta recidit.
Nocte sed exacta, populo jam progrediente,
His occurrerunt duo Turci, rege jubente,
Hostibus obsequium, licet hostes, exhibuerunt.
Et vada quos nollent evadere prædocuerunt.
Venit et ad vallem quamdam gens nostra duorum
Conductu, cepitque boves (115) et equorum
C Prædam; nempe boves et equi per gramina late
Ibant graminea gaudentes fertilitate.
Utque ferunt quibus illa fuit prælatio tenta,
Deprædatorum sunt millia quinque reperta.
Aggere munitum forti, muroque rotundo,
Stabat ibi castrum, sed redditur hoc Raymundo.
Hostibus in mediis per quinque dies habitare.
Profuit, et spoliis jumenta datis onerare.
Tunc gens illa fide firmat se fœdus habere
Perpetuum cum Christicolis, nullique nocere.
Non tamen huic fidei foret ulla fides adhibenda,
Nec levis illorum promissio suscipienda.
Post Arabum petitur castrum, quod mox aperitur.
Proximus hos labor ad vallem perduxit amœnam,
Fructibus innumeris hiemali tempore plenam.
D Urbs ibi grata situ manet alto splendida muro,
Quæ quasi gemma micat, auro circumdata puro.
Incola Caphaliam vocat hanc qui tunc fugiebat,
Certius ut vidit quos jam rumore videbat,
Civibus egressis victores ingrediuntur,
Tres et in urbe dies complent, opibusque fruuntur,
Hostica gens hærere diu, montes superavit
Immensos, in valle Desem sua castra locavit.
Hic quoque larga Dei pietas dedit huic aciei
Fructus, frumentum, vel sufficiens alimentum.
Sed quæ proveniunt ad votum despiciuntur.
Interdicta placent, magis interdicta sequuntur

(115) Deest hic unum verbum.

Et castrum confine petunt. Tunc hostis hianti
Projecit populo prædas, et res ea tanti
Exstitit ut castrum victores fraude subacti
Desererent, mentis vitio, non ense coacti.
Et tamen aggressi castellum luce sequenti,
Defensore suo vacuum patet aggredienti.
Annua festa Dei Genitricis ibi celebrantur,
Hæc quæ candelis specialius irradiantur.
Munera tunc ducibus mittuntur ab urbe Cameta,
Aureus arcus, equi, vestes, et lucida tela
Legatique sui regis mandata ferentes,
Exorant pacem ; quos Christicolæ sapientes
Incertos faciunt, certum nihil instituentes.
Rex etiam Tripolis formidine tactus, ut isti,
Septem mittit equos et mulas quatuor hosti.
Dona duces capiunt. Sed hæc incerta suspecta.
Cumque viris fœdus quæsitum non iniere,
Quindecimaque die castellum deseruerunt.
Quindecimaque die proceres iter arripuerunt.
Inde petunt Archas, castrum vetus æquiparandum
Urbibus, et populo non absque labore viandum.
Hoc Arabes, Turci, Publicanique coronant
Turres, arma, loca, muri munimina donant,
Sed tamen hoc nostri clauserunt obsidione,
Quod superare putant vel vi vel proditione.
Præcipiti cursu muros nostri petiere,
Percutiunt clausos, graviusque repercutiuntur.
Non gravius lædunt, quam desuper ejiciuntur.
Arcu, balista, tormento, gens furit ista.
Tormento lapis impulsus, magnisque virorum
Viribus adjutus, terit arcus oppositorum,
Funestum sibi pandit iter per scuta volando,
Seminat ille neces quidquid petit exanimando.
Hic procerum decus Ansellus de Monte Riballo
Lustrat anhelanti dum mœnia lata caballo
Mortiferum vulnus recipit, vir viribus Hector,
Vir Cato consilio, vir primus in agmine rector.
Sæpius aggressi muros sunt sæpe rejecti.
Post hæc ad Tripolim sunt quinque novemque pro-
[fecti,
A Ut prædam caperent, sexagintaque repente
Inveniunt Turcos, quos, Christo subveniente,
Invadunt, et sex perimunt, armentaque plura
Dum læti redeunt ccpere per hostica rura.
Non procul urbs aberat, ripæ vicina marinæ,
Fertilitate sua promittens multa rapinæ,
Nomine quæ celebris ipso Tortosa vocatur.
Impetit hanc Piletus Raymundus, et associatur
Tentoriæ proconsul ei, qui par paritate
Nominis huic erat, haud impar mentis probitate.
Hi duo Tortosam cum paucis aggrediuntur,
Frustranturque diu, nec prosperitate fruuntur.
Sed tamen haud longe jam nocte superveniente,
Castra locant, nimium populo strepitum faciente
Accenduntque viri non ad sua commoda segnes
B Per juga, per campos, plures vigilantibus ignes,
Quos postquam cives lucere procul speculantur,
Quod metuunt sperant, quod sperant vaticinantur,
Christicolas castri procinctum deseruisse,
Urbis ad excidium tentoria jam posuisse.
Ergo solo metu superati, deseruerunt
Mœnia, terga fugæ, nullo cogente, dederunt.
Ast ubi sol rediit, nocturnaque lumina texit
Lumine majori, nostris ignota retexit
Gaudia, quos subitum regnum non pugna vocabat
Exspectata diu, quibus urbs servire parabat.
Parthe fugax, ubi magna magis miracula quæres?
Advena sero tuus hostis modo fit tuus hæres.
Sufficit hæc acies multis non multa ruinis.
C Est et ab Archois ter mors immissa pruinis.
Urbe viri fortes insperata potiuntur,
Hostiles portas quasi cives ingrediuntur.
Bella Deus pro gente sua secreta movebat,
Militibus quoque viam dux prævius expediebat,
Datque suis aurum telluris ad ima retrusum,
Nec cumularat opes nostrorum Parthus ad usum,
Dum castrum tenet obsidio, nostri tenuerunt
Hanc urbem, portumque rates illic habuerunt.
Rex quoque Miracleæ nostris obstare nequivit,
Collaque submittens optatum fœdus inivit.

LIBER SEXTUS.

Gibellum obsidione cingitur.

Jam duce materia. cujus pars magna peracta,
Inspicimus propius portum, finemque laboris.
Obscurat fateor puerilis pagina grandem
Historiam, viresque leves onus aggravat ipsum.
Quod tamen incœpi, sed non quo tramite cœpi
Aggrediar, sensumque sequar, non verba sonora,
Nec patiar fines sibi respondere vicissim,
Pruriet et nulli modulatio carminis auri,
Quodque coarctabant humilis stylus et rude me-
[trum,
Lassis effundet prolixa relatio rerum.
Sic collum luctantis equi frenumque volenter
Contrahit egrediens primus de carcere cursor.
D Ast ubi proximus est metæ, mox laxat habenas.
Jamque meas ego laxavi, nam proxima meta est.
Dum Deus abjectis ducibus populique columnis,
Pauperibus dat regna suis, paucisque triumphat :
Ne sua quæ Domino sunt ascribenda potenti,
Applaudens humana sibi natura vocaret,
Flandrensis comes atque duces venere Lycæam,
Sed Boimundus ibi consortia læta reliquit.
Emensumque remensus iter, redit ad sua tristis
Magnus at ille ducum Godefridus liber ad arma
Evolat, et patriam moto pater ense salutat.
Jam sordent terrena duci, jam concipit ipsum
Æthera, nec metuit certus de munere fatum.
Hæret ei, studioque pari Flandrensis anhelat,

Miratorque ducis, meritum virtutis honorat
In duce, quem merito magni præcellit honoris.
Hi licet exsultent de successu Raymundi,
Se tamen alterius non inseruere labori.
Sed dedignantes obsistere viribus urbes,
Urbem Gibellum cinxerunt obsidione,
ujus præcipites cingebant mœnia fossæ.

Ingens cædes infidelium.

Nuntiat interea Raymundo fama sinistros
Rumores, ad bella suis occurrere Parthos.
Tunc et legatos et verba precantia consul
Dirigit ad proceres, quos urbs obsessa tenebat,
Qui pro communi damno commune vocantes
Consilium, nec bella timent, nec ferre recusant
Auxilium, pulsatque viros spes læta triumphi,
Nec mora, cum clausis pepigerunt fœdus, et empta
Pax a cive fuit, sociosque suos petierunt.
Spe belli decepta cohors, spe vertit ad Archas,
Atque tegunt castris fluvii Castrensis arenas,
Neve diu, Godefride, tuus refrigesceret ensis,
Ad Tripolim ducis proceres, ut certior inde,
Præda tibi quasi de pleno contingat ovili.
Hostibus occurrunt hostes, levibusque sagittis
Stulta graves animos fuit ausa lacessere turba,
Et velut improbitas muscarum lædere tantum
Nuda potest, abigique solet crepitante flagello
Oppositæque rei morsus infigit inhærens.
Taliter instantes ventis commissa sagitta
Infestans, citraque necem dans vulnera, cædit
Ensibus, et fit ei clypei prætensio murus.
Sed cur demoror hic, ubi non est palma morata
Armorum jam Parthus ope post terga rejecta,
Quærit opem pedibus, desperataque salute,
Instans miles equos calcaribus, ensibus hostes
Urget, et in multa versatur cæde cruentus.
Obtundunt acies gladiorum membra revulsa,
Quosque secare nequit trepidus mucro, conterit
[ossa.
Civibus exstinctis, ingressus inhorruit urbis,
Testificans cædem fluvius trahit inde ruborem.
Haurit et in fluvio præterita turba cruorem.

Cum rege Tripolis pax firmatur.

Cæde duces nimium, prædaque parum satiati,
Vexatam petiere Desen, prædataque rursus
Relliquiasque suas exquirunt irrequieti.
Hanc vallem velut intactam mirantur ab omni
Parte, boves, asinos educere, postque rapinas
Raptori toties immittere quod rapiatur.
Mox trahit in prædam. quidquid videt impiger ho-
[stis,
Hostilesque manus replet indulgentia vallis,
Quia camelorum tria millia præbuit illis,
Castra replet, vulgus reficit prædatio, datque
Damna moras, animos externis obsidioni
Christicolis, et alunt inimici res inimicum.
Sed nec pugna valet clausos, nec machina muros
Frangere, quasque manus Persarum Corbana vi-
[ctor,

A Quas urbs Antiochi timuit, populus premit ultor
Christicolæ socios perdunt, et tempora grata.
Poncius hic cecidit Balonensis, tempora cujus
Trans abiit lapis ingenti conamine missus.
Occubuit Guillelmus ibi Picardus, et una
De Petramora Guarinus, at ille sagitta,
Hi. jaculo, venitque modis mors una duobus.
Inter tot luctus paschalis in obsidione
Lux celebratur, et in castris festum fuit hospes,
Temporibusque suis caruit solemne serenum,
Neve diu natura loci virtusque virorum
Illic decertaret, et inexpugnabile castrum
Expugnare volens, labor expendatur inanis,
Mensibus obsessum tribus Archas deseruerunt,
Atque petunt Tripolim, ubi cum primatibus urbis
B Dextras jungentes, dubiis se credere muris
Audent, seque ferunt ad celsa palatia regis,
Et pacem jam multoties a rege petitam
Firmavere duces, ut fratrum vincla resolvant.
Tunc rex ter centum captivos Christicolarum
Compedibus vinclisque graves ab utroque resolvit,
Datque viris vir dona, viros dat dignius auro,
Addit equos, aurum, populoque stipendia mittit,
Et se Christicolam fieri rex asserit ultro,
Si sua Christicolæ valeant attingere vota.
Jam tunc reddebant ematurata calore
Arbor, messis, ager, fructus, frumenta, fabasque.
Fertilitas igitur rerum, novitasque recentis
Temporis ad solitos trahit agmina læta labores.
C Mensis erat Maius, cum fortes, urbe relicta,
Ad castrum Betholon venere, dieque Clieta
Transcendens, vix nocte gravi fuit exsuperata.
Inde maris littus vexata calore juventus
Radit, et ad Zebarim veniens, sitis immoderatæ
Damna tulit, nec in urbe videt quas hauriat undas.
Sed labor alterius lucis duxit sitientes
Ad vada magna Braym, populusque cucurrit ad
[amnes,
Quos super incumbens, vix flatu sufficientem
Turba parum vasi credens avido rapit ore.
Venerat ille dies quo victor ad æthera Christus
Ascendens, exempla suis se præbuit astris.
Sed grave nostra cohors iter emetitur in illa,
Et locat ante Barulh posita juxta mare castra
D Post hæc transactis Sagitta Surque duabus
Urbibus, applicuit se prædo beatus ad Acra.
Hinc adeunt castrum Caiphas, castroque relicto,
Juxta Cæsaream figunt sua castra cohortes.
Illic lætitiæ festum si tempore læto
Occurrisset eis observare fideles (116),
In quo discipulis Dominus dedit omnia posse,
Usus jure suo, mundo nova dona stupente,
Excepit tandem peregrinos Ramula cives.
Cive suo vacuata, novos qui fugerat hostes,
Ecclesiæque tibi sacratæ, sancte Georgi,
Quæ spatiosa satis vicinæ præminet urbi,
Pontificem decimasque suas gens sancta reliquit.

(116) Hic versus claudicat uno pede.

Jerusalem obsidetur.

Hactenus armorum gravitate calore repressa,
Paupertate, siti, nocturno tempore, pugna
Excruciata cohors optatam venit ad urbem,
Quam Salomon opibus ditavit, Christus honore
Junius ardebat, et sol ardebat in armis,
Quando suis texere duces loca congrua castris.
Pars en cui superest septentrio castra recepit
Northmanni comitis, et ei Flandrensis adhæret,
Solis ab occasu terret Tancretius urbem,
Solis ab occasu tendit Godefridus in hostem.
A media, Raymunde, die tua classica clangunt,
Postquam Jerusalem nostrorum cincta corona,
Eduxit levitate pares Piletus Raymundus,
Proxima dum lustratur equis oculisque remota,
Bis centum casus Arabes prædonibus offert,
Quos neque facta sui cultoris prodiga virtus,
Nec manus eripuit numerosior, at fuga turpis.
Ilos fuga, sed plures ex illis præcipitatos,
Nec fuga, nec gladius salvavit, quos spoliavit
Vita nostra cohors, et equos ad castra reduxit.
Pluribus aptatis quæ sunt aptanda ruinæ,
Festinant ad vota viri, murumque priorem
Invadunt, magnisque vocant clamoribus hostem.
Mox gentilis adest, Judæus, Turcus, Arabsque,
Missilibus, jaculis obsistitur, igne, veneno.
At nostri jaculis opponunt pectora nuda,
Proque Flagellato patiuntur dura flagella.
Nec mora, magnanimi per saxa per arma ruentes,
Muri præcipitant irritamenta prioris.
Dijecti fugiunt ad mœnia tuta manipli,
Et dum quisque timens certat prior esse, priores
Turba sequens inimica suis in limine portæ
Conterit, hicque suum Pilades prosternit Orestem.
Maxima pars exclusa gemit, natique parentes
Orantes non excipiunt, pietate stupente.
Protinus ingenti conatu scala levata
Præbet ad alta viam, cui fortis miles adhærens,
Rambaudus Ciminum castri Dunensis alumnus
Decertat gladiis, et comminus impetit hostem,
Copia scalarum, si forte parata fuisset,
Innumeri labor ille mali labor ultimus esset.
Obstitit hoc solum nostris, fortunaque belli
Juvit ad extremum ductos, alterna revisens.
Tandem castra cohors petit, et respirat ab armis,
Fercula qui quondam nova fastidire solebat,
Atque vocare famem dulcedine deliciarum
Irritando gulam, nunc sicco pane repletur,
Et mentitur ei pigmenti lympha saporem,
Quam sitiens miles pretioso comparat auro.
Montis quippe Sion fons a radice citatus,
Fons Siloe potu minimo longeque petito,
Innumeros reficit populos, et venditur unda
Quam natura potens gratis concessit habendam.
Dum vario premitur gens nostra labore, secutæ
Christicolas venere rates, quas Japhia portu
Excipit optata, nunc urbs, tunc urbis imago.
Ergo viri centum mittuntur ab obsidione,
Qui servare rates, Turcosque repellere possint.

A Præfuit Acardus Merulo de monte cohorti,
Atque Sabratensis Guillelmus cum Raymundo
Sed probus Acardus cum paucis ante cucurrit,
Impulsus levitate sua plusquam ratione,
Hic septingentos Arabes in valle profunda
Repperiens, irrupit in hos, hastaque rejecta,
Fulmineo scindit gladio quem respicit hostem.
Tandem succubuit non pigritiæ, sed honesti
Funeris exemplo, per quod monet ipse sodales,
E quibus elapsus unus crudele cohorti
Nuntiat exitium, clamans crudeliter, Ecce
Exsequias sociis proceres date, quos dare vitæ
Non licet, at mortem licet hostis morte piare.

Sitis ingens Christianos cruciat.

Talibus hortati Piletus, Piletique sodales,
B Quos magis hortantur virtus, vindicta suorum,
Vera fides, alterius amor, requiesque laborum.
Interius mentes armis cœlestibus ornant,
Exterius sua membra tegunt et viribus armant.
Inde repentino visu turbantur, et hostes
Digressi videre suos spoliare necatos,
Et licet innumeros videant bi qui numerari
Mox poterunt, tamen occurrunt, legitque virum
Prosternitque suum congressu quisque priori.
Protinus horribilis miscetur in agmine pugna,
Amittunt galeæ cristas, clypei sua signa.
Convertunt gladii facies hominesque recisis
Naribus, expavit tiro de cognitione
Jam dubitans; hos non homines, sed monstra pu-
[tavit.
C Hastis nostra cohors illos petit, ensibus istos
Impulit, hos currens casuque peremit amaro
Illos morte timor subita prosternit inertes:
Casibus afflictus variis gentilis Arabsque
Dant facili sua terga fugæ, multisque necatis,
Uni victor ovans dilata morte pepercit,
Per quem Persarum secreta dolosa paterent,
Tres quoque miles equos et centum duxit ab hoste.
Dum vacat in castris populus, sitis immoderata,
Excruciavit eum, gladiis tellure cavata
Miles in antra caput mergebat, luce relicta
Pinguis ut humeæ et tellus arentia labra
Hic quod ab utre cadit resupino suscipit ore,
Marmora lambebat alius sudantia rore,
D Aspiceres pestem languentum cuncta per ossa,
Jam rabiem traxisse suam nutare subactis
Viribus incessum, linguæque retundier usum.
Si mactat quandoque bovem librata securis,
Carnibus abjectis, sorbetur ab agmine sanguis.
Esuriem tolerare libet, dolor ille dolorem
Hunc minuit. Prodesse famem quis crederet un-
[quam?
Clauserat occultos laticum gens sæva meatus,
Immensosque lacus observans, insidiatur
Christicolis, mortemque dabat quærentibus unqam,
Cum gens lethifero siccata calore calorem
Vitalem perdit, nulloque liquore rigata
Intestina bonis naturæ destituuntur.
Construitur studio Godefridi machina formam

Castelli retinens, multoque labore reperta
Materiam dant ligna fabris, urbique timorem.
Par quoque castellum Raymundi provida cura
Erigit, et contra turres turrita parantur.
Exstupuere novas miseri consurgere moles
Gentiles, ipsique suas accrescere turres
Nocte laborabant, studio fallente laborem :
Nec minus ingentis castelli compositores,
Quos ducis urgebat præsentia, sollicitantes
Nocturnam requiem vigilant, variasque per artes
Intempestivum ducunt sub nocte laborem.
Nox quæ Judæis requiem transacta reliquit;
Lucida velabat tenebrosa sidera palla.
  Cum ducis artifices ad muros applicuerunt
Robora castelli, minitantia solis ab ortu,
Nam levius poterant irrumpere solis ab ortu
Mul iplicando preces, lacrymas, jejunia, vota,
Circa Jerusalem portant insignia Christi
Christicolæ, vexilla, cruces, altaria sancta.
Dicere longa mihi mora finem prospicienti,
Quotque, quibusve modis breve tempus comparat [hostis,
Cujus Parca necans jam rumpere fila parabat.
  Venerat illa dies qua mortificare magistrum.
Gens Judæa Jesum cupiens se mortificavit.
Hac in luce duces ad muros agmina ducunt,
Stans comes Eustachius in castro cum Godefrido,
Susceptos ictus reddit cum fœnore duro.
Ilia Turcorum transverberat a duce missa,
Non tantum contenta latus transire sagitta.
Dux ducis exsequitur curam, fortisque laborem,
Multis hortatur pugnantes, pugnat et ipse,
Pugnat pro duplici regno, quia quærit utramque
Jerusalem, decertat in hac, ut vivat in illa.
Saxa super crates venientia vimina frangunt
Robora, scuta viros de castri culmine nolunt.

Jerusalem capitur.

Mortis in articulo virtus non defuit hosti,
Donec qua Christum crux sanctificata recepit,
Adfuit hora, diem minuens, civisque vigorem,
Hac hora quidam de castro fortiter instans,
Nomine Letaldus, muro prior insilit urbis,
Illum qui nimia secuit virtute leonem
Guicherius sequitur. Jam dux super alta coruscat
Mœnia, jam gladius late per iniqua vagatur
Pectora, fulmineis jam murus ab ensibus ardet.
  Nescius istorum Raymundus mobile castrum
Conducebat adhuc, sed voces auribus hausit
Insolitas, turremque David celer ipse petivit :
Nec mora Turcorum princeps, custodia turris
Cui commissa fuit, demissa voce, roganti
Vultu, dimissis oculis, a consule vitam
Postulat, auferret quis inertis præmia victo.
Ecce pavens Turcus aperit sine murmure portam
Hostibus, a nostris toties majoribus emptam.
Turbidus optatam prorumpit victor in urbem,
Præcipitesque viros graviter suus impetus urget.
Occurrit suprema dies gentilibus, illi
De bello fugiunt in bellum, lapsus ubique
A A nullo ferrum revocatur, Turcus, Arabsque,
Judæique cadunt, horum de funere pugna,
Sanguinea juvat ire manu, gladiumque nitentem
Ferre pudet, qui non desudet sanguinis haustum.
Inconsulta ruit gens ad templum Salomonis,
Quam mortis timor exagitat, velut esset ab illo
Unica danda salus, talique tegantur asylo.
Implerant plerique domum quam diximus, illis
Victorum manus inchoans, per lubrica strage
Marmora se rapuit, numerum quis scire cadentum,
Millia vel valeat? passim cum frustra per omnes
Sint dispersa gradus, longe cervice revulsa,
Rore caput niveo commista strage natabat.
Abscissas aliena manus ad corpora jungi
Aspiceres, truncos etiam sine poplite ferri,
B Cunctaque membra loco vel cæsa carere priore,
Saucia vel remanere suo, tantusque cavernis
Sanguis plenus iit, ut flumen abire putares
In planum, velut a summis cum montibus ingens
Grando cadit, mistisque simul tonat imbribus [æther.
Tunc collecta petunt demissas flumine valles,
Sata trahunt, silvasque ferunt, totaque vagatur
Agri planitie, gemitus dat rusticus uno
Pectore, non aliter cæsorum membra feruntur
Sanguine rapta suo, totidemque vocantur in urbe.
Sed tamen illorum pauci vestigia templi
Ascensu superant, et eis sua signa dederunt
Tancretius Guastonque piis affectibus acti.
C Hinc ad opes properant effrenes, tecta subintrant.
Vestes, divitias, et quod satis esset avaro
Inveniunt, si divitiis satietur avarus.
Non perdit quod quisque rapit, nec vindicat alter
Quamvis nobilior, quod computat in sua pauper.
His ita completis, mundata taliter urbe,
Ad sua felices venerunt gaudia turbæ,
Prostratique duces aspersi fletibus ora,
Pro Domino Domini venerantur rite sepulcrum.
Hicque suum capitale Deo dat quisque fidelis.
Mane dato, non plenus adhuc tot cladibus ultor,
Miles id exiguum, quod adhuc superesse sciebat,
Sanguinis in paucis furatur, et ardua templi
Ascendens tacite, subito turbavit inertes.
Illi præcipites sese jaculantur ab alto,
D Et quæ dat vitam reliquis animantibus illos
Terra repercutiens morientes mittit ad umbras.
Occurrunt alii gladiis animoque virili,
Supposita cervice moras in morte queruntur.
Hi sese cædunt, mortesque suas inimicis
Eripuere suis, isti pugnando secantur.
Naufragium dum quisque facit sibi, quisque neca- [tur,
Corpora cæsorum caudis religantur equorum.
Atque foras juxta muros glomerantur inusta,
Plura quidem divisa locis in frusta jacebant,
Perdiderantque notas humani corporis, illa
Gentiles nondum damnati flendo legebant,
Et congesta simul ducebant montis ad ima.

Godefridus rex Jerusalem constituitur.

Quæritur interea cui regni cura regendi
Conveniat, quis digna sciat dare præmia Christi.
Militibus qui marte sciat superare tyrannos
Melchisedech exempla sequens, qui justa fideli
Victorique seni data porrexisse refertur.
Divino tandem nutu procerumque salubri
Consilio regimen sortitur dux Godefridus,
A Octava qui regna die suscepit ab urbe
Capta, vir regno dignus cum rege beato.
Vivat in octava.
Anno milleno de centeno minus uno
Jerusalem capitur Julii cum dicitur Idus.
Hæc ego composui Gilo, nomine Pariensis,
Incola Tucciaci non inficiandus alumnus.

GALTERII CANCELLARII ANTIOCHENA BELLA

(Edidit Bongars in Collectione cui titulus : *Gesta Dei per Francos*, pag. 441.)

MONITUM.

Antiochena Bella scripsit Galterius, qui ipse cancellarium se dicit, utriusque fortunæ participem, col. 1009, lin. 12, et cancellarii iterum meminit, col. 1013, lin. 19. Lingua Gallum produnt verba : *Quater viginti millia pugnatorum*, quod nemo nisi nostras dixerit, aut nostrati lingua tinctus. *Nec oblitus matris suæ filii; Disconfectura*, etc. Galterium cancellarium citari Libro Bellorum Domini, auctor nobis ipse libri dominus Petavius. Totum scriptum cancellari dignum, nisi quod historia est, quæ quomodocunque scripta, servanda est. Ipse vi carceris hebetatum ingenium queritur, col. 1001, lin. 29. Sed et codex quo usi sumus unico. noster ab Joanne Russato, scriptus est vitiosissime ; nec mutare quidquam voluimus. Narrat autem ad Antiochiam gesta feliciter anno 1115, infeliciter 1119.

NOTITIA.

Plusieurs écrivains ne font qu'un même homme de Gaultier le chancelier et de Gaultier, chanoine, archidiacre de Térouane, et un même écrivain de l'historien des guerres d'Antioche et de l'auteur de la Vie de Charles le Bon, comte de Flandres (Val. And., p. 21, etc.). D'autres sont dans le doute sur ce sujet et prétendent qu'il n'y a aucune preuve ni aucune raison capables de les décider. Il est néanmoins certain que Gaultier le chancelier, et Gaultier archidiacre de Térouane, sont deux hommes et deux écrivains différents. Si Casimir Oudin (*Scrip.* t. II, p. 1062) s'était donné la peine de lire et de comparer ensemble l'histoire des guerres d'Antioche et la Vie de Charles le Bon, il y aurait trouvé des motifs suffisants pour se décider et pour se convaincre que ces deux écrits ne peuvent être la production d'une même plume. La différence du style des deux ouvrages est si sensible et si palpable, qu'il n'est pas possible de ne pas reconnaître deux auteurs. Celui qui a écrit les guerres d'Antioche avait fait le voyage de la Terre-Sainte ; mais l'auteur de la Vie de Charles le Bon ne s'était trouvé à aucune de ces fameuses expéditions, comme le prouve assez le silence qu'il garde là-dessus dans plusieurs occasions naturelles qui se présentaient d'en parler. En effet, lorsqu'il rapporte le voyage en Orient de Robert le Jeune, fils de Robert le Frison, et celui du prince dont il écrit la Vie, aurait-il manqué de faire connaître, au moins par quelques traits, qu'il avait lui-même fait ce voyage? Il est inutile de nous étendre davantage pour faire voir que Gaultier le chancelier, et Gaultier de Térouane, sont deux hommes et deux écrivains différents. Nous en verrons encore des preuves dans ce que nous avons à dire de leurs personnes et de leurs écrits.

Gaultier le chancelier était français, comme le prouve Bongars, dans la préface de sa collection (*supra*). Nous ignorons et son origine et sa patrie. L'auteur du Supplément au *Dictionnaire de Moréri* dit qu'il accompagna Godefroi de Bouillon dans son expédition de la Terre-Sainte : cela peut être, mais il n'y a rien dans son ouvrage sur quoi on puisse établir qu'il accompagna Godefroi. Quoi qu'il en soit, il prit part à la dévotion de ce siècle, et alla en Palestine, où il fut chancelier de Roger, prince d'Antioche. Lui-même se donne le titre de chancelier dans le prologue de la seconde partie de son ouvrage : *Ego ipse Gauterius cancellarius*, où il dit qu'il a éprouvé la bonne et la mauvaise fortune, qui fait le sujet de son ouvrage ; et que l'expérience qu'il en a faite lui a appris que la prospérité est plus préjudiciable à l'âme que l'adversité ne l'est au corps (1). Puisqu'il prend la qualité de chancelier, il semble qu'on ne peut pas douter que ce ne

(1) *Ego ipse Gauterius cancellarius utriusque fortunæ particeps existens, expertusque magis nocere carnis prosperitatem animæ quam adversitatem corpori.*

soit de lui-même qu'il parle lorsqu'il dit que le prince Roger, après avoir envoyé les barons prendre du repos, fit appeler secrètement son chancelier pour le consulter sur l'état présent de ses affaires. Mais le mal était sans remède : le prince perdit la bataille et la vie, et le chancelier la liberté, ayant été fait prisonnier par les infidèles. Il eut beaucoup à souffrir pendant sa captivité, en sorte que sa tête en fut fort affaiblie. Les tourments de toute espèce que les barbares firent souffrir aux prisonniers, et dont il fait la description, étaient bien capables de produire un tel effet. Il est dit dans le Supplément au *Dictionnaire de Moréri* que Gaultier, revenu de ce voyage, écrivit l'histoire du siége d'Antioche, et de ce qu'il avait vu et su jusqu'en 1119. Ceci n'est pas exact; car premièrement on ne voit point dans son ouvrage la relation du siége d'Antioche; secondement, il ne paraît point, ni par les prologues qui sont à la tête de chaque partie, ni par le corps de l'ouvrage, qu'il l'ait composé au retour de son voyage. Au contraire, il y a beaucoup d'apparence qu'il le publia sur les lieux mêmes où s'étaient passés les événements qu'il raconte : tout concourt à en donner cette idée. L'auteur déclare que ce qui l'a engagé à écrire, c'est le désir d'instruire les personnes sages, et les princes qui devaient succéder à Roger, en leur mettant devant les yeux les vertus et les défauts de ce prince. Les exhortations qu'il fait en divers endroits aux chrétiens du pays, pour les porter à la pénitence et à réformer leurs mœurs, dont il fait une peinture affreuse, montre assez qu'il écrivait pour eux et sur les lieux mêmes.

L'ouvrage, qui est divisé en deux parties, est une histoire de la guerre que les chrétiens eurent à soutenir dans la principauté d'Antioche en 1115 et 1119. A la tête de la première partie on lit ces deux vers qui en expriment la matière ou le sujet et nous apprennent le nom de l'auteur :

Exstitit hic victor, Gauterius indicat auctor,
Antiochenorum dominus Rotgerius et dux.

Gaultier, sans donner l'histoire du siége d'Antioche, qui était alors au pouvoir des chrétiens, se renferme dans le récit d'événements postérieurs. Il commence par le tremblement de terre arrivé la veille de saint André, c'est-à-dire le 29 novembre de l'an 1119. Il rapporte ensuite la grande victoire remportée par Roger, prince d'Antioche, sur les infidèles; c'est là ce qui fait la première partie de son histoire, qui représente l'état florissant de la ville d'Antioche sous Roger.

La seconde a pour objet les malheurs de ce prince et de sa principauté. Le sujet en est renfermé, comme celui de la première, en deux vers :

Princeps valde probus Rotgerius Antiochenus
Qualiter occubuit, Gauterius hic recitavit.

Gaultier y donne la relation de la malheureuse bataille que Roger livra imprudemment aux infidèles l'an 1119. L'heureux succès qu'il avait eu contre eux dans la guerre précédente lui ayant enflé le cœur, il demeura dans une funeste sécurité et négligea de prendre les mesures et les précautions que la prudence exige qu'on prenne toujours contre l'ennemi et en fut la victime; il perdit la bataille et la vie. La plus grande partie de l'armée y périt avec son chef; le reste tomba entre les mains des barbares qui exercèrent les cruautés les plus inouïes sur leurs prisonniers, du nombre desquels fut l'auteur de cette histoire. La dure et longue captivité qu'il souffrit parmi ces infidèles lui dérangea un peu la tête, comme nous l'avons déjà dit. Il en fait lui-même l'aveu, par forme d'excuse, pour se justifier sur les défauts qu'on pourrait trouver dans un ouvrage qu'il a composé, autant qu'il pouvait en être capable, ayant l'esprit affaibli par la dureté de sa prison : *Pro capacitate ingenii nostri vi carceris hebetati*. L'excuse est assurément bien légitime; et ce que dit notre auteur mérite qu'on ait de l'indulgence pour lui.

Bongars a publié cette histoire dans sa Collection des historiens de la croisade, dans laquelle elle tient le septième rang sous ce titre : *Gualterii cancellarii Bella Antiochena*. L'éditeur ne l'aurait pas cru digne de voir le jour, si ce n'est que tout ce qui est historique doit être conservé, quel qu'en soit le style (2). Cette histoire est à la vérité mal écrite, mais elle n'en est pas moins intéressante. C'est un témoin oculaire qui rend un compte exact et fidèle de ce qu'il a vu : c'est un historien qui rapporte dans un grand détail des faits importants, avec tant de candeur, tant de bonne foi, tant de simplicité, qu'on ne peut douter de la vérité de ce qu'il raconte, et qu'on le lit même avec plaisir, malgré les défauts du style : enfin c'est un chrétien plein de religion qui écrit avec piété, qui voit la main de Dieu dans tous les événements, regardant les heureux succès comme des effets de sa bonté, et les mauvais comme la punition des péchés des hommes qui se glorifient des biens qu'ils ont reçus. Un tel écrit méritait de voir le jour. L'auteur l'a composé après plusieurs années de captivité, c'est-à-dire après l'an 1119, qu'il fut fait prisonnier. C'est tout ce qu'on en peut dire. Du reste nous ne savons ni le temps ni le lieu de sa mort. Il est fort incertain, pour ne rien dire de plus, qu'il soit jamais revenu en France.

(2) *Nisi quod historia est, quæ quomodocunque scripta, servanda est.*

INCIPIUNT ANTIOCHENA BELLA.

PARS PRIMA.

Exstitit hic victor, Gauterius indicat auctor,
Antiochenorum dominus Rotgerius et dux.

INCIPIT PROLOGUS.

Operæ pretium est audire, et utilitati congruit, quomodo, quibus miraculis, qua gratia Deus arbiter bellum cum Parthis manu Rotgerii principis Antiocheni ex insperato gessit. Auditis etenim miraculorum virtutibus proborumque virorum actibus, mali prosternerentur facilius; boni etiam incitabuntur ad melius. Unde fit ut cujus instinctu omnia

bona facta sunt, ipsius deprecer auxilium, qui eidem principi Spiritus consilii et fortitudinis vires administravit, quibus superbiam gentium elidere, et feritatem debellare prævaluit, mihi quoque rei seriem desiderantis litteris assignare, ac posteritatis memoriæ commendare, scribendi potentiam et sermonis copiam cœlitus dignetur instillare quatenus capaces rationis et veræ fidei defensores, audita veritate, Creatoris sui imperio et servitio viriliter inhæreant, adversarii vero divino terrore perculsi, tam præsentes quam futuri, non Domino, sed suis confisi viribus, sagittis Domini terga præbeant, ac reverti ad opus simile non præsumant. Verumtamen inspectis partibus pugnæ necessariis, materiaque sumpta meis æqua viribus, ante pugnæ narrationem, videtur mihi perutile præcedentia mala prius indicare, ut ex causis prælibatis, sequentium effectus perpendatur facilius. Primum igitur locustarum agmina longe lateque sub metaphora hostium agitata, accolarum Syriæ penitus omnia abstulere victui necessaria. Dehinc partim humi serpentia, partim per auras dilapsa, fere omnium orientalium Christicolarum plagam ad idem duxere inconveniens. Qui licet se debere affligi digna ultione noverant, Dominum tamen Creatorem suum, non solum sibi fore placabilem non expetebant, præteritis inhærentes vitiis; verum etiam terminos pudoris excedentes, crimina criminibus augebant. Quidam namque osores jejuniorum, sectantes epularum, gulæ illecebris addicti, non bene viventium, sed bene pascentium mores vitamque imitari studebant. Alii vero incestitatis affectu, contubernia sequebantur impudicorum, aurum etiam publicarum reverentiam urbis invereundis incestare nitebantur, facientes ambiguum putidiores ac facinorosiores existimarentur. Nonnulli autem habentium divitias injuste acquisitas, suis etiam propriis abusi, vasa sibi fieri voluptuosis excessibus apta, Salomonici operis arte insculpta, ardenter inquirebant, uxoribusque suis, fama narrante artificis, auro Arabico, pretiosarumque gemmarum varietate multiplici, putibundæ partis tegumina studiose componi satagebant. Non obtegendæ turpitudinis forma, vel refringendæ libidinis flamma, sed ut quibus ingratum erat quod licebat, eos acrius ureret quod non licebat. Qui cum hoc modo suam vellent incitare libidinem, mulieres dealbare et eis satisfacere putarent, ut prælibavimus, augebant crimina criminibus. Mulieribus itaque nihil sancti, nihil pensi erat in appetendis turpidinibus. Infruitæ enim, spreto viri thoro, in lupanari prostibulo incestui serviebant. In biviis, in triviis, in competis exquisitis potationibus, die noctuque invigilabant, per plateas et per vicos se agentes, habitu et incessu lasciviæ, transeuntium obtutibus obsistebant, quovis ære mercabiles volentibus succumbebant. Nolentes autem, quos ad suam impudicitiam irritare non valebant, etiam dato pretio vix obscedere permittebant. Hos itaque perpetrata mala non plangentes, et plangenda voluntarie ac publice perpetrantes, auctor summæ justitiæ signis, prodigiis, plagis, tribulatione etiam adversarum gentium, multis annorum curriculis illatis, non perdendo, sed parcendo permisit affligi; Græcis namque regnantibus ipsorum imperio servisse convincuntur. Eisdem ex Asia propulsis, Parthorum regnantium cessere domino, tandem, Domino volente, intolerabiliori subcubuere Gallorum posteritati. Qui cum neque hinc, neque inde corrigerentur præfati Syri et eorum dominatores, tantam a contingenti terræ motu passi sunt calamitatem et ruinam, quantam antea fuisse nulla commemoravit historia.

CAPUT PRIMUM.

Anno igitur millesimo centesimo decimo quinto ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi, in vigilia festivitatis beati Andreæ apostoli sub tempestate noctis silentio, qua humana fragilitas habilius atque dulcius quiescere consuevit, factus est terræ motus in Antiochiam et omnes partes immensus et horribilis. Ipso etenim ex insperato homines terribiliter pulsi, sentiunt, vident, audiunt, murorum, turrium, ædificiorumque diversorum ruinam sibi a cæteris penitus imminere. Quam nonnulli fugiendo putantes evadere, quidam elapsi a mœnibus, quidam ab altis domibus in præcipitium se dedere. Plures equidem in somno cum ruina membratim ita sunt rapti, quod manente etiam parte partis integra nusquam comparuere. Alii vero terrore percussi, dimissis domibus, spretis opibus, relictis omnibus per plateas et per vicos civitatis, velut amentes se agebant, expansis tamen ad cœlum manibus, pro diversitate metus et impotentiæ, pro diverso linguarum genere, voce lacrymabili, *Parce, Domine, parce populo tuo*, clamare non cessabant. Mane autem facto, cum sub ruina, tam hominum quam et aliorum, miseræ cladis pateret humanitas, omnes unanimiter Latini, Græci, Syri, Armenii, advenæ et peregrini suis peccatis exigentibus, id accidisse profitentur. Nec mora, salubri utentes consilio, ad ipsam beati Petri apostoli confugiunt ecclesiam, perpetuæ tutelæ querentes patrocinium. Ipsum namque quem in prosperis non cognoverant, in adversis operante ejus summa bonitate cum justitia, cuncti potentem ac propitium recognoscunt, et eidem se graviter peccasse confitentur, suisque præteritis et præsentibus abrenuntiando voluptatibus. Domino Bernardo primo patriarchæ Latino, emendationem promittunt devotissime, cujus fide mentis et orationibus, cum suo clero et cæteris fidelibus humillime Domino supplicantibus, ut vere credimus, residui sui populi Antiocheni misertus est Dominus. Celebrato vero divino officio, facto sermone, injunctisque mandatis quomodo se habeant, vel quid agere debeant, nihil gravius accidisse putantes, repente horribili terrentur nuntio. Quidam namque a periculo ruinæ oppidi Miragii divino nutu elapsi, ipsam civitatem cum ejusdem domino et episcopo, clero, etiam omni populo funditus eversam fuisse protestantur. Nec multo post recordatio oppidi Mamistrare, cum op-

pidanis et majori parte civitatis. In festo sancti Brictii, antea pessundati, metum multiplicat. Quid de cæteris Antiochenis finibus? Quid de Cypro? pars tormentum prædicatur de disparibus. Metus ergo timori permistus ita miseræ plebi ingeminatur, quod ubi maneant aut quo fugiant prorsus ignorant. Quaque enim die, horis desperatis instabant terræmotus. Unde ad invicem hæc pronuntiant : « O necessitas abjecta nascendi, misera moriendi, dura vivendi nostrâ necessitas. » Hi licet noverint Dei potentiam nusquam et nunquam posse aufugi, eligunt tamen facilius esse cohabitare cum bestiis extra, quam intus incessanter ædificia timere ruitura. Quocirca in vicis, in plateis, in hortis, in virgultis, desertis habitationibus, aliis tentoriis pro domibus suis potiebantur. Plures etiam, relictis civitatibus, de loco ad locum translationis mapalibus in campis morabantur. Et qui patriarcha loci temporis omnium peritissimus, per necessaria disciplinarum philosophiæ membra discurrens, desolatorum, etiam penc de vita desperantium corda, sanctæ prædicationis dulcedine fota, mitigavit. Ac tunc demum omni populo triduanum jejunium in gemitu, et spiritu contritionis indixit, adjungens etiam mala opera vitare, ac bonis omnibus invigilare. Quid igitur operis? populus in Domini servitium redactus, hoc modo perhibetur. Comessationes fugiunt, ebrietates detestantur, vitant baldea (*sic*), exsecrantur stupra, omni etiam cultu corporis postposito, habitu in cinere et cilicio mutati, de plateis in plateas, de ecclesiis ad ecclesias, semotim viri, semotim feminæ, nudatis pedibus, solutis crinibus, pulsis pectoribus, ubertim lacrymis rigatis vultibus, de die in diem litanias frequentant Domino medullitus. Noctibus siquidem tam in ecclesiis quam in cubiculis vacant instanter orationibus; dispersos revocant, devios corrigunt, orphanis, viduis ferre solatium, et eorum indigentiam supplere satagunt; sufficienti etiam hospitalitate pauperum, inopum, et indigentium corpora, vultu hilari nituntur recreare, ac recreata datis muneribus exhilarare. Quid ultra? Fructu pœnitentiæ correcti, bonis operibus adornati, a periculo terræmotus per quinque menses et ultra imminentes, non suis meritis, sed Dei gratia liberati, Cunctipotenti referunt gratiarum actiones, in Ecclesia sua læti.

CAPUT II.

Princeps igitur memoratus, diruta ædificia sua in castris et alibi visitans, perquantocius perquisitis necessariis, ea quæ defensioni suæ terræ utiliora, et hostibus propinquiora novit, et si non ad plenum, ad præsentem tamen tutelam, reparare ac munire maturavit. His peractis, redeunte æstivo tempore, sicut mos est regionis illius, properavit ad fines in quibus ocius de adventu Parthorum audire valeret, et unde pernicius hostium turmis occurrere posset. Pervenit itaque usque ad Fontem Faris, ubi exercitum suum sibi fore obvium præmandaverat. Ibique eo tractante cum suis de communi utilitate, diversarum gentium exploratores, ad illas Parthorum partes mittere deliberat, quarum dominatores nunquam fraudati a rumoribus per suos etiam internuntios Christianæ militiæ præsidia ferre solent. Ipse vero, dimisso ibi exercitu, cum paucis Antiochiam reversus accersito Antiocheno duce Radulfo de Acon, viro experientis consilii, in primis quid sit agendum de emendatione, et de statu totius civitatis, cum eo discernit; de his etiam quæ cum domino et bellatoribus fieri deccant ad belli necessaria, ipsum consulit. Dux igitur vicecomitem ad se vocari jubet, vicecomes prætorem, prætor præconem, præco judicem. His advocatis agitur causa prælibata; injuncto mandato domini principis vocantur majores, vocantur et minores. Nec mora, conveniunt. Dux itaque pulchre eos alloquens, præsentis negotii causam et domini sui decretum indicat ita peragendum, si ipsorum consilio non displiceat. Audita causa negotii, susceptoque decreto principis, omnium una fuit sententia. Mensuratis igiiur murorum ac turrium dirutionibus, habentibus terras et honores, secundum majus et minus, reficienda præbentur. Princeps interim custodes cum custodibus, quos sibi fideliores intellexit, tam in oppido quam in civitate, ut iturus ad bellum, diligentissime poscit. Deinde præmissis armis, aliisque belli et victus necessariis, audito divino officio in beatorum intercessorum ecclesiis, sanctæ Mariæ Virginis, Petri et Pauli, Georgii et aliorum plurimorum, facta oratione, accepta licentia, et patriarchali benedictione, Deo et domino, et patriarchæ, se ipsum et civitatem, et omnia sua commendans, valedicens omnibus, in expeditione profectus est. Hinc dominus in exercitum, inde exploratores adveniunt. Interrogati, Persiam gaudere ob ruinam et interitum Syriæ, publice respondent. Referuntque Soldanum Corocensem, a sole et luna acceptis auguriis totius Persiæ exercitum mandaret, et ipsam Syriam, a Deo derelictam signo terræ motus, cum aliquantulo inhabitantium residuo, suo dominio ex facili posse subjici profecto confirmare. Nova secretiora, admissi in cancellis, soli principi cum interprete, enucleare festinant. Auditis gentium legationibus eliminandi a velis, ne obstrepant, eliminantur, admittendi, sagaci consilio admittuntur. Princeps ergo secum reputans, « jacula quæ providentur minus ferire, et post consilium sapientes non pœnitere, » legationes legationumque causa seriatim suis indicans, quid utilius agendum sit ipsos consulit. Ventilata consilii causa necessaria, ad Cereptum festinare dignum ducunt. Audierant namque, fama narrante, Damascenorum regem Boldechinum, cum Amirgazi Turcomanorum amirado decem millibus militum comitatos ob fidelitatem nati Rodoam Calep pervenisse. Sed res erat, ut ipsam, facta concordia, pro nece Maledocti, molirentur Soldano tradere, si valerent. Unde nostrates accelerant, ferventes concitato belli examine, ipsorum sententiam permutare. Quod ubi comperierunt nostrorum ipsorum fines attigisse,

timore subacti animi sui habitum vocis indicio dissimulant : aiunt enim, missis ad principem internuntiis, ob firmandum fœdus amicitiæ cum ipso, et contra Parthicum hostem se venisse expugnatum. Dodechinus autem, licet virorum Christicolarum Parthorumque potentiam formidabilem vereretur, maluit tamen simulata pace cum Christicolis concordari, ut ipsos duceret ad perniciem, quam Parthis acquiescere, quos multos crudeliores sibi in pace quam in bello cognoverat. Loco itaque assignato conveniunt. Ibique firmatis conventionibus quasi amici facti sunt. Disponunt igitur, contra hostium turmas quo utilius sit eundum, sed similiter ; Damascenus enim ad loca utriusque fortunæ sibi suisque utiliora ire præmonet ; Antiochenus vero, ad illa quibus recta fronte, hostes citius aggredi potuissent. Quid singula ? principis stat sententia, cui jam prædictum fuerat exercitum barbarorum per Salobriam venturum Sysaram, quæ antea tributaria et nostris serviens, jam versa fuit in contrarium, illorum confisa suffragio quorum postea, actione utriusque partis, passa est dispendia. Tandem nostrates missis exploratoribus contra hostes, Apamiam proficiscuntur. Ubi velut filii et parentes societate hospitalitatem, vinculo etiam dilectionis integræ videbantur convenire, licet numeri ac probitatis differant quantitudine ; pars etenim principis ultra duo millia pugnatorum non poterant inveniri ; pars autem diversæ societatis a multis reputantur æquipollere decem millibus. Hæc autem quod majus numero, probitate quidem minus obtinebat. Siquidem ante Apamiam castrametati, per duos menses morati sunt, antequam eis certus Parthorum nuntiaretur accessus. Mense vero Augusti, Burno Parthorum dux militiæ, stipatus validissimis pugnatorum agminibus, ultra Euphraten jam venisse, atrociter partes Syriæ invasisse nuntiatur. Quod ubi princeps verum esse comperit, regi Hierosolymitano, comiti Tripolitano, suis notissimis internuntiis, cum litteris sigillatis hostium adventum locumque nominatum, non multum a nostris distantem apud Salinas indicat, ubi factis potationibus, cæterisque voluptatibus, crescentis lunæ augurium exspectabant, hortaturque eos pro suis viribus, cum celeritate, Christianæ militiæ adesse præsidio. Rex itaque probitati semper intentus, haud segniter agens, eodem die, præmissis nuntiis ad comitem ne moram faciat, quam citius potest ipse subsequitur : præmandat tamen principi cum juramento Christianitatis et amicitiam fraternitatis, quocunque erant, vel ubi consistant, ne eos sine ipsorum adjutorio aggredi præsumant.

CAPUT III.

Interim hostes, ut fama præcinit, per Salobriam profecti, acceptis ibi necessariis, Hammam perveniunt. Quod cum reperissent ex parte soldani dari sibi ne habere minis aut precibus potuissent, stipati armatorum validissima manu, illud invadunt strenuissime. Invasumque undique, truncatis oluribus, A vi fortior hostis ingreditur. Quod factum non minimum intulit timorem popularibus. Ingressi illico dominam oppidi exponunt, fortioribusque villæ, quibusdam expositis, quibusdam interemptis, ipsorum inter se distributis opibus, ibidem custodes suos adhibent. His peractis, Fisariensis amiraldis confisi amicitiam, apud ipsum volentes hospitari, Sisaram accedebant. Ipse autem haud immemor Hammensium incommodi, utilius secum reputat, ipsis extra hospitatis præbere necessaria, quam intrantium ferre incommoda. Timebat enim in suis rebus redundare hostium sævitiam, sed multo magis se ipsum verebatur fore necis prædam. Præmisit igitur fratrem suum, ut fama retulit, Barbara, munera ferentibus equis comitatum, quo pretiosioribus Bursonem prædonaret, cæterosque magnates, præsentatis B aliis, acceptos sibi redderet, et ut eo mediante inter ipsos firmaretur fœdus amicitiæ, ita tamen, quod dum dominus Sisaræ maneret præsidio oppidi, frater ejus, indigena sciens aditus et recessus patriæ, devastationi bellique necessarios, cum ipsis proficisceretur, dux eorum itineris, et provisor utilitatis. Sed ut in sequentibus dicam, Domino operante, contra spem eorum res versa est in contrarium. Frater, fratris imperio obtemperans, injunctum sibi negotium lætus exsequitur. Exercitus autem ante cavernas Sisariæ castrametatus, iterum factis potationibus de die in diem, a longe positis excubiis nostrates bello lacessere tentant. Princeps igitur Christianitatis sacramento, et fraterna regis dilectione conjuratus C tam præludium quam et ad belli aditum, erutione oculorum interposita, generaliter omnibus suis abdicat. Quo audito, pars hostium arrogans, ex insperato, Cafarda castrum tribus leucis a nostris semotum attigit ; quod sæpius aggressum, licet pars interior crebris sagittarum ac lapidum ictibus dirisque vulneribus premeretur, ea vice capi non potuit. Sed quodam illorum amiraldo interfecto et pluribus vulneratis, reversi sunt ad exercitum, asserentes ipsorum dolorem vindicta posse minui. Qui cum molirentur quomodo atrocius nostros aggredi potuissent, fama nuntians regis adventum proximum ipsorum aures perculit. Ipsi vero non in virtute sancti Spiritus, sed in multitudine exercitus D confisi, antequam rex accedat factis agminibus, habiliores præludio ad tentoria nostrorum dirigunt, acies de more ipsorum ordinatæ sparsim subsequi deliberant, loco assignato, Bursone duce ipsorum, cum maxima in expugnatorum remanente præsidio. Quid ultra? Vibratis jaculis, emissis sagittis, fere in castra nostra cursitant. Quo viso princeps memoratus, veloci equo residens, exempto ense castra suorum circuit, asserens : « Fide Dei, qua vivimus, si quis egredi jam præsumpserit, meo peribit gladio ; » quin imo, præcepit unicuique armata manu et vigilanti animo pro castro suo stare ; nec tamen præsumi ullo modo vel signum conflictis ipsis demonstrare. Mirantur itaque Parthi, gentem bello promptissimam, injuriæque semper impatientem,

toties sagittis provocatam, toties conviciis affectam, tam patienter ferre, quod dimicandi signum non ostendat, et quasi illorum timore devicta jam succumbat. Quidam et nostrorum, id facti timiditati reputant; nonnulli autem capacioris ingenii, hoc fieri de principibus industria conjiciunt, ut explorato congrui temporis articulo, non admonitione hostium, nec præsumptione virium, sed sui, regisque in proximo advenientis, dispositione provisa, ingenioque expedienti, eos impetere prævaleant. Sæpius etenim, ut exceptum est, prævalet in bello cum audacia et ingenio pugnatorum paucitas, quam infrunita et vacillans armatorum multitudo.

CAPUT IV.

Interea, fama narrante velociore facto, regem Balduinum Pontiumque comitem viriliter celeriter accelerare compertum est. Burso igitur dux dolosæ calliditatis, retrocedens fugam simulat, et quasi repatriare volens, per partes Sisara divortia faciendo, ad tempus suam occultavit nequitiam: ut nostris retrocessis ac separatis, valerent tutius diruere marchitima municipia. Interim rex, de more pristino cymbalis resonantibus, tubis ubique clangentibus, castra nostrorum ingressus est. Statimque ut rex comperiit hostes recessisse, admodum se sero venisse conquestus est. Brevi tamen sumpto consilio, cum ignorent quo eos subsequi et ubi invenire possint, quoddam castrum ea vice Parthis subditum, Gistrum nomine, oppugnatum ire deliberant, æstimantes eos hoc facto ad bellum posse revocari. Nec mora, nostrates illuc perveniunt. Repente ordinatis agminibus per circuitum, tam oppidum quam suburbium aggredi strenuissime satagunt; tandem suburbium ictibus ensium comprehensum, partim diruitur, partim igne comburitur. Perses vero, licet fumiferarum nubium intimatione, propriorum oculorum suorum intuitione, exustionem ejusdem municipii a nostris ob illorum dedecus factam esse intellexerint, verentur tamen illos aggredi, quos antea invaserant. Hoc namque judicio, pro ingenio audaciæ et probitatis secum reputant quidquid ante castra pro inertia et timiditate duxerant. Cum autem nec venerint, nec rumor audiatur ubi manserint, agitur quid super hoc fieri deceat. Pars igitur illa quæ magis sperabat bello acquirere quam domi sibi reliquisse, repente subsequi bonum esse confirmat. Pars cujus animum res possessa dulcedine revocabat, cum hostis sit copiosus sitque valde fortis, unumquemque ad propria reverti, causa sua tutandi municipia, utilius esse judicat. Rex itaque Hierusalem cum suis Tripolitanis Tripolim, Damascenus Damascum, princeps Antiochenus Antiochiam reversus est. Nec id fieri istorum potentia intelligimus, sed illius procul dubio qui societatem Belial a nostris separari voluit.

Nec multo post partes Sisariæ hostes tyrannidem exercendo, quadam die castrum Cafarda, quo jam dannum eis contigerat, invadunt atrocissime. Hinc invadunt, illinc petrariis aliisque machinamentis ita quidem pulsant, quod factis muri dirutionibus ingens præbetur aditus. Mox introgressi, præsentes suos interemptos, et præteritos vindicandos, quosdam interficiunt, quosdam altioris fortunæ reservant, ut ipsos pro victoriæ palma soldano præsentare valeant. Sed prospera illorum postea, Dei gratia, cessere in contrarium. Castro illo funditus diruto, perfinia devastando et truncando quos inveniunt, ad Marram pervenere, quam antea devastaverant. Ibique quasi in propriis remanentes, ingenia quibus Sardonas capi posset, studiose præparabant. Hæc et his similia domino Rotgerio principi, existenti Antiochiæ, cito revelata sunt. Quo audito, virili audacia motus, sua tantum comitatus domestica familia, secessit ad Rubeam, præcepitque suis omnibus, absque omni dilatione et exonio illic tendere; dominum autem patriarcham precatus est cum summa devotione, illo pervenire, ut suo officio et benedictione potiti, liberius et securius Dei militiam exercere valeant. Mense igitur Septembrio, die Dominica, ante diem festivitatis Exaltationis sanctæ crucis, Antiochenus, loco assignato Philacabas patriarcha festinus adest. Distincte et aperte Deo magis placita quam hominibus locutus est. Quidquid enim reprehensibile, et quidquid Deo contrarium in eis noverat, ibi quidem non tacuit, sed, sicut decet patrem, arguendo, obsecrando, increpando, quæ vitanda sunt et quæ sectanda ipsos edocuit. Deo et domino patriarchæ sua peccata fateri non erubescunt. Injunctumque est unicuique a domino patriarcha vice veræ pœnitentiæ, pro posse cujusque, cum Dei auxilio plenam justitiam tenere, tali, inquam, modo ut qui in illo eminenti bello mortui fuerint, sua absolutione, Domini quoque propitiatione, salventur; et qui redierint, in proximo festo Omnium Sanctorum, statuto concilio omnes conveniant, concilio Antiochiæ Ecclesiæ inter se, tam in rebus possessis quam et aliis, plenam justitiam facturi, hoc tamen supplemento quod si plenam, per ignorantiam vel impotentiam, adimplere nequiverint, illorum consilio et judicio qui secundum justitiam capaciores veritatis fuerint, acquiescere non renuant. Sic tractum et injunctum, ab omnibus concessum est, et singulatim junctis manibus omnium inter manus patriarchæ, Deo et eidem fide promissum est per induciam et Ecclesiæ propitiationem: quod si forte oberraverit, per emendationem et satisfactionem Ecclesiæ eos salvari posse.

His peractis, venerabilis patriarcha missarum celebrans solemnia, præmissa populo sibi commisso peccatorum absolutione, omnes patriarchali benedictione confirmat, et ipsos spirituali diligentiæ episcopi Gibbelli, ad bellum simul pergentis, humillime commendat, ac salutatis omnibus Antiochiam repedat, assidue Domino supplicans et ipsum deprecans, ut qui superbos humiliat et qui ab initio bella conterit, ab impetu populi sui conterat adversarios

Sequenti autem die, expositis circumquaque cu-

stodiis, agmina sua confidenter princeps jubet procedere, illicque cito gressu tendere quo Parthos, vicinorum revelatione, jamjam venturos audierat. Cumque parati in hostes irruere assignato appropinquassent loco, cum ipso non inveniunt quos perdere jam quærebant, ante Hapa castrametati sunt. Mane autem expleto, vivificæ crucis missarum officio, cujus exaltationis festivitas eo die contigit, Wiliermus episcopus Gibellensis, vir per omnia laudabilis, populum a Deo sibi commissum, verbis et exemplis eidem festo congruentibus instruxit, monuit et armavit. Quid ultra? Omnes cum summa devotione ejusdem Dominicæ crucis lignum sacratissimum, antequam iter arripiant, properant adorare; cujus licentia et benedictione muniti, præmissis exploratorum speculatoribus, ne subitus hostis in eos irruat, ordinata acie comitis Edessani, ex dono principum, primi ictus in bello primatum obtinentis, dispositisque cæteris agminibus, ordine belli necessario, viam arripiunt. Repente Theodericus Barneville unus ex speculatoribus, festinus adest, vultu hilari sic locutus : « Ecce quod quærebamus, ecce quod cupivimus, divina operante gratia : ubi nostra figere tentoria disposueramus, in valle Sarmiti circa fontes, ibi hostes sua partim jam fixa, partim adhuc figenda explicant. » Ad hæc princeps : « In Dei nomine, ad arma, milites! » Sic fatus, virili fretus audacia, de acie ad aciem celeri vectus equo cursitans, omnes admonet debere jam lætari, cum certamen sit paratum, quo exerceri deceat militis officium. Imperat igitur arma bajulari, nec ulterius differre paratis. Illico præsul memoratus, in spiritu humilitatis crucem Dominici ligni venerabilibus gestans manibus, totum circuit exercitum, quam dum ostentat omnibus, asserit eos in proximo per virtutem ejusdem victoriam adepturos, si prompto pectore in hostes irruant, et in Domino Jesu credentes certaverint. Continuo omnes corde et ore simul proclamantes : « Sancte Deus, sancte fortis, sancte et immortalis, miserere nobis, » ter flexis genibus coram ligno Dominico procumbunt, et ipso reverentissime osculato eidem se commendant. Hac consolatione muniti, hoc signo signati, iterum atque iterum ipsam crucem salutantes, celeriter equos ascendunt. Princeps vero, intrepidum gerens animum, manu cæteris silentium in dicendo, sic loquitur ipse : « Eia! fratres mei et commilitones, tuque manus pedestris, accedamus jam propius. Mementote quanta laude, quanta veneratione, quanta etiam litterarum commemoratione acta proborum virorum toto mundo ascribantur memoriæ. Ecce tempus adest quo vigor et probitas nostra vigeat, quo nomen nostrum victorabile super barbaros, orbis per climata clarius elucescat. Attendite etiam quia legitime certantibus a Domino corona jam promittitur. Festinemus igitur in ipsos ingredi, et fractis lanceis, quantocius nudatis ensibus circa tempora accedamus vicinius, ut crebris nostris ictibus illorum superbia prosternatur, et A Deo vindicante non differatur interitus. » Cumque pergerent ordinatis aciebus princeps generaliter omnibus præcipit, ut nulli cupiditate divitiarum moti ad rapiendum se inclinent, sed, sicut decet bellantes, suam protegendo salutem, hostium nitantur perdere feritatem. Præsul ergo memoratus, huic salubri sententiæ resistentes corporali vindicta merito debere puniri prædicat, et quod intolerabilius est, perpetuo anathemate feriendos confirmat. Sic factus, unumquemque ad certamen accingit animosius.

CAPUT V.

Interim contra arma nostrorum, solis vibrante lumine, Parthorum lumina obtunduntur, æstimantium et dicentium ibi non esse principem, sed tuentium marchiam gyrovagorum plebem. Burso itaque, ipsos B a tergo retortis manibus, ad se funibus adduci imperat. Nec mora, vexilla principis prodeunt; quæ, Deo rectore, sic a Parthis videntur dilatata, ut dealbatis militibus et vexillis, ipsam terram circumquaque tegi crediderint. Burso tamen suique, omnes erroris scarie imbuti, cum fratre suo et vi nimia pugnatorum, ut ibi nostri resistant, montem, nomine Daniz, ascendere non differunt. In cujus cacumine eminentis mathesis falsorum deorum auxilia sibi adesse invitant. Tandem ipsum montem non solum se ipsis, verum etiam divitiarum multiplicitate visi sunt onerasse, Tumbaret ultra montem cum sua acie latitantem præsidio. Cæteri vero, in tentoriis et extra præsentiam divitiarum capti, suis quidem, maxime autem principum suorum confisi C viribus, superbe præstolantur; quod nec pœnitentia juvatur, quia sera; nec suorum protectione relevatur, quia perdita. Adest namque Rotgerius Christianæ militiæ princeps elegantissimus, cum sua acie hostibus ferocissima, personantibus tubis per media castra, captos suos liberando et hostes obtruncando, divitias quasi fimum reputando, ad montem, quo standarum et robur ipsorum conglomeratum fuerat, iter dirigit. Comes vero Edessanus, Guidoque Capreolus, ad primos ictus ordinati, a sinistris antecedendo, asserunt se, alterum recta fronte super montem, alterum ex obliquo hostes impetere. Burso autem divini terroris jaculo sauciatus, cum fratre suo et familiaribus, quasi bellaturus descendens, viriliter resistere montemque D tueri præcipit, seipsum, cum quibus potuit, fuga deliberat. Interim, hinc comes, inde Guido in primo impetu fractis lanceis, astrictis mucronibus hostes percutiunt. Unde clamor, luctus, et armorum fragor utriusque partis bellantium aures sic obturat ut nec amicus amicum, nec frater fratrem intelligat. Nostrates autem non clamoribus territi, nec labore devicti, pari audacia vires resumendo, hostes eliminant, eviscerant et obtruncant. Quo viso, Tumbaret ex obliquo sinistrorsum prosiliens splendenti acie trecentorum militum comitatus, post aciem principis cursitando, cum ipsam nec impetere audeant, nec crebris ictibus sagittarum ab incœpto gressu dimovere possunt, Turcupulos contra ipsos sagittan-

tes, plus citis gressibus intra nostrates mergi faciunt; ex ipso impetu cohorti Roberti Fulcoii trorsum incedenti, recta fronte obviant. Quam cum intuiti fuissent, Rotbertus Surdevallis, Bocardusque, milites egregii, non veriti desperatæ gentis expetere feritatem, subito in medios hostes se conferunt, obtruncando perfidos, demum et ipsi obtruncati Christi martyres effecti sunt. Rotbertus vero non moratus suorum ulcisci sanguinem, strenue decertando succisis loris equi sui, sagitta sauciatus occidit, cohorte illius penitus dissipata. Alanus adolescens, Guidoque Frenellus simul incedentes voce viva hæc pronuntiant: « Commilitones nostri probatissimi, jamjam nostris ferendum est subsidium. » Mox intromissi, peracto lanceārum officio, ictibus ensium defunctos nostros retinent, vivosque illius aciei protegunt; vicissim tamen hinc et inde sanguis immensus funditur. Interea nostrorum acies, tam dextrorsum quam sinistrorsum, Parthorum multitudinem undique frementum intuentes, pari voto, CHRISTE JESU! proclamantes, in medios hostes irruunt. In primo aggressu, divino feriente gladio, hostilis clamor, antea horrifex et immensus, diverso modo, morientium crebris singultibus commutatur. Quid singula? Quidam diversæ illationis pœna, necis fiunt materia; cæteri vero divinæ ultionis jaculo percussi, terga versi diffugiunt. Princeps igitur Deo devotus, ipso die per virtutem sanctæ crucis victoriam adeptus est. Felix belli campus, Domino largiente, eidem aperitur. Ipse itaque, prout dignum est, cum domesticis laude suorum, in campo remanens, protinus ad insequendum cæteros dirigit. Qua in re, præ cæteris acies beati Petri laudis nomen obtinuit. Ibi quidem planities ita fuit partim mortuis obsita corporibus, partim camelorum cæterorumque animalium divitiis oneratorum referta multitudine, quod nostris occidendi impedimentum, fugientibus exstitit evadendi subsidium. Nostri tamen percutiendo, vulnerando, obtruncando, infra duo milliaria ultra Sarmitum hostes insequuntur. Tandem victores reversi, diversa ferendo, mittendo, ducendo, opibus onerati, Deo Creatori gratias agendo, ad ipsum dominum Rotgerium principem campum obtinentem, exhilarati perveniunt. Quid referam captarum divitiarum seriem, cum nec modus, nec varietas ab ullo perpendatur? Quid hostium occisorum numerum? Cum sint innumerabiles, apud nos pauci reputantur. Princeps vero per tres dies campum obtinendo, coram ipso allatis opibus, quod decuit tantum principem sibi reservari præcepit, cætera dividi, sicut dominatus et mos ejusdem curiæ exigit.

His peractis, princeps ante se diversarum gazarum copia, captivorum præmissa multitudine, Deo supplicando, suisque omnibus gratias agendo, et quod Dei servitium viriliter sapienterque peregissent, piæ paternitatis amore omnes licentiavit. Primatibus autem ad propria redeuntibus, uxoribus suis ac liberis visitatis, ad tractandum de Christianismi utilitate, concilio Antiochenæ Ecclesiæ, tempore assignato, Antiochiam reverti præcepit. Ipse vero cum manifesta victoriæ palma rediens, per rura et castella, cum hymnis ac canticis ab omni populo lætus excipitur. Cumque appropinquasset Antiochiæ urbi venerandæ, per totam civitatem sonus advenientis intonuit. Sanctarum itaque reliquiarum præcedente ordine, venerabilis patriarcha cum suo clero ecclesiastica institutione decorato, virorum ac mulierum sequente multitudine, exiit ei obviam: « Deum time, et mandata ejus observa (*Eccle.* XII, 13), » vocibus angelicis personantes, ipsum suscipiunt, collaudant ac venerantur. « Ad honorem summi Regis, et ad effectum sui regis, liber, servus et ancilla gratulantur die illa. » Interim diversarum nationum populus, innituntur coronare civitatem floribus. Quisquis carum seu rarum ornamentum habeat, tunc non celat, sed revelat, quo victori placeat. Vicos sternunt et plateas ornamentis sericis, auro, gemmis adornant, ob adventum principis. Diversarum specierum tantus odor funditur, quod terrestris paradisus possit dici penitus. Princeps intrat; plebs resultat laudibus hymnicis; Deum laudant, hunc salutant vocibus altisonis. Sic ad templum Sancti Petri pervenere pariter, ubi laudes Deo Patri persolvunt alacriter. Ergo princeps ad altare fert vexillum triumphale; offert illud speciale, posthæc minus principale. Adorato Deo vero, reddidit grates omni clero, prece cujus decoratus, victor exstitit beatus. Ipso valvas exeunte, clamant omnes cordis voce: « Salve, rex! athleta veri, te formident hostes Dei, tibique sit continua pax, salus et victoria, per sæculorum sæcula! Amen. »

PARS SECUNDA.

Princeps valde probus Rotgerius Antiochenus
Qualiter occubuit, Gauterius hic recitavit.

INCIPIT PROLOGUS.

Inter diversos prisci temporis bellorum eventus, profecto illorum aliquis ab historiographis assertus, seu mœstitiæ seu gaudii mentibus auditorum quomodo causam intulit. Illud vero doloris dolorum ac totius infelicitatis elogium, quod repentina calamitate belligeram partem Rotgerii Antiochenorum principis, ipsumque principem, mole criminum exigente,

subintravit, ita funditus gaudia removit totiusque miseriæ terminos modumque excessit, ut nec verbis exprimi, nec mente concipi valeat, quotque quibusque pœnis et inauditis mortibus exterminii immanitatem nostris intulerit. Unde necessario fateri cogimur quod nec historiographus ad plenum rei seriem describere valeat, nec alius aliud quam divina fuisse ultione dicere præsumat. Verumtamen ne penitus a memoria labi videatur quod dignum relatu auditorum saluti possit consulere, mutato stylo primi belli, prospere succedentis, ego ipse Gauterius cancellarius, utriusque fortunæ particeps existens, expertusque magis nocere carnis prosperitatem animæ quam adversitatem corpori, partem secundi cedentis in contrarium describere curavi, cum ipsius adjutorio qui, nullis præcedentibus bonis meritis, et fidem et amorem sui inspirat, ut ea quæ sibi fiunt placita implere valeamus. Primum itaque divinæ legi obtemperare volentes admoneo, non gloriari in malitia, nec esse potentes in iniquitate (*Psal.* LI, 3), sed nec unquam in suis bonis actibus superbire : hoc enim vitio de ipso fastigio perfectionis dejectæ sunt animæ, eodemque et nos Deo ingrati, et immemores sui beneficii ex eventu prioris belli nostris viribus victoriam imputando, in secundo detestabili, quidam subito facti necis materia; quidam vero diro longoque cruciamine reservati cecidimus, sicut in subsequenti tractatu, pro capacitate nostri ingenii vi carceris hebetati, posteritatis memoriæ commendando designabimus.

CAPUT PRIMUM.

Forte fortuitu contigit Algazi Turcomagnorum erroris et desidiæ principem, bellico apparatu Antiocheni honoris partes marchitimas attigisse. Quo audito, princeps suis undique congregatis Artesium proficiscens, dominum Bernardum primum patriarcham Latinum illuc usque subsequi, supplicando rogavit, cujus sacro dogmati et consilio si acquiescere fideliter voluisset, ibi Balduinum, Deo vocante, Hierosolymorum regem exspectando, proinde sibi suisque consulere potuisset. Erat enim eo tempore situs loci victu potuque abundans et salubris, nostræque parti parentes ac tutos præbens aditus, hostibus vero econtrario. Densitati etenim vallium montibus intermistis, scopulisque singulorum urgentibus aditum, et situ et accessu illorum parti magnæ ruinæ essentialiter præbet indicium. His utrinque efficacis animi vivacitate inspectis, Patriarcha vir vitæ venerabilis, morumque honestissimus, in celebratione divini officii, prophetiæ functus adminiculo, de gestis rebus et de gerendis, eidem principi omnique populo sermonem edidit. De gestis, paterno affectu omnibus supplicando ut illas intuendo mores corrigerent; de gerendis, prædicendo futura, et exhortando, ut non suis viribus imputando, sed ad correctionem morum conservato Ecclesiarum jure, redditoque, vel pacto reddere, tempore competenti, cleri ac totius Christiani populi justitia comitante. His modis, et aliis bene agendo, A vitiis voluptatibusque noxiis resistendo, bellatores Dei fieri inciperent, quatenus in conflictu contra perfidos armis fidei præmuniti, et Christi milites, ex re dici potuissent. Princeps vero ea vice, proh dolor! audendo non audenda, et præsumendo agere non agenda, sui equidem suorumque salutem ignorans, tanti patris documenta suæ temeritati postposuit, neve timore hostium trepidasse, vel ullo modo posse flecti videretur, cujusque juris effectibus prætermissis, et in se et in aliis sibi subditis nocentia, ac nocitura quibus præbebantur, emendare tunc distulit. Rogatus etiam a multis affectu pietatis, et admonitus remanere, palam disseruit, se neminem ibi diutius præstolari. Motusque quorumdam consilio baronum, res quorum hostes assueti singulis B annis devastare, eo etiam tempore devastabant. vocatis ad se domesticis curiæ, suæque gentis præordinatis, inconsulti animi vice fruens, de frugi loco cum tentoriis ad inutilia transire disposuit. Patriarcha vero luce veritatis intuens communis utilitatis effectum, cum ipsum principem pluresque alios inemendatos, et contra justitiam ire persensisset, evidentissimis rationibus, eos ubi erat timor, non trepidare, et ubi non erat, trepidare comprobavit, et quod ante figurata locutione prædicaverat, aperte principi digito, væ væ illud demonstravit, sicut eidem majorique suorum parti, non multo post contigit. Princeps itaque voce beati viri quoquomodo territus, præsentibus his personis, videlicet C præfato patri, archidiacono, et decano, curiæque capellanis, commissa quibus in mundi ludibrio vixerat, secretius in tentorio voce una confiteri non erubuit; et utinam ad salutem! Res quoque suas ibidem scripto designatas pro velle suo dividi et erogari, si contigisset eum in bello mori, coram eisdem imperavit; et hoc utinam ad salutem! Pater itaque memoratus, hujus ac totius populi infirmitati compatiendo, vice beati Petri functus, modum veræ penitentiæ; perpetrata, inquam, mala plangere, et plangenda non perpetrare : eidem principi, omnibusque suis generaliter injunxit; familiarius autem pro vitæ meritis profutura, injunxit in Domino. Sic eisdem patriarchali benedictione signatis, valedicens omnibus, fusis lacrymis, crebrisque singultibus ab imis cordis erutis, pro populo Dei exoraturus, ad ecclesiam remeavit. D

CAPUT II.

Nos autem sinistro omine in præceps rapti, non attendentes superbos merito dejici, humiles exaltari, quasi leonibus fortiores, tigribusque immitiores, ad Agrum sanguinis castrametaturi, iter extorsimus. Agrum, inquam, sanguinis, et re, nomine a vulgo nuncupatum ubi aliquandiu immorantes, de die in diem victus potusque naturalis indigentia coacti, non vi hostium nobis illata, sed raritate utriusque in illis locis exigente, mittebamus alio ubi et unde, intus et extra castra existentes, possemus indigentiam expellere. Tunc quoque ad castra extera munienda, quidam nostrorum missi sunt.

Quod hostium turmas diu non latuit; missis namque exploratoribus, quasi volatilium venditoribus, esse nostrum quocunque modo se haberet, eisdem reversis, relatione facta, et dominus et primates, quasi propriis oculis inspexissent, lucide intendebant. Ipsi itaque dolosæ calliditatis viri, ut dissimularent quod moliebantur, videlicet ex insperato nos invadere, palam ordinatis aciebus, habilioribusque præludio jam præmissis, quasi obsessuri Cereptum, spectatum veniunt, ob hoc itaque ut spectent, et spectentur. Spectent, inquam, exteras meatuum partes, et interiorum callium accessus, quibus sibi tutius, et nostris damnosius principem aggredi potuissent; spectentur autem, ut ipsi multitudine exercitus gloriosi haberentur, et nos a solita probitate repulsi timore multitudinis defecisse videremur. Quod in brevi, non vi illius multitudinis, sed commissis et sceleribus nostris exigentibus, justo Dei judicio, in nobis completum est, ut paulo post, non ex me, sed nutu et auxilio Dei dictante, edisserere conabor. Prius autem, ne prolixitate verborum videar rei ordinem præteriisse, sequitur; primates ad Cereptum circum circa se ducendo milites Cerebitas manumque pedestrem illius castri, et quosdam ex nostris, qui nocte illuc ierant more propugnatorum prope se, quasi bello eos lacessentes, subito inspiciunt. Quibus inspectis hostes, licet 60 millibus militum vel ultra, vallati viderentur, retentis tamen habenis, ac de parte pendula sumptis arcubus, parmisque ab humeris ad brachia, a brachiis ad pectora revocatis, quasi animo titubantes, et quasi pungere metuentes, terga versi fremendo se habebant. Sed res erat tecta fraude et industria, ut his indiciis remotius a castris nostros extrahere potuissent. Quod factum, sæpe a pluribus bellatorum cautis inspectoribus, pro improbitate reputatur, licet multoties ex astutiæ ingenio id fieri comprobetur. Nostri vero virili audacia freti, illorum et audaciam et ingeniun postponentes, astrictis lateri clypeis, palpatis lanceis, pressis calcaribus, ut decet milites, his simul omnibus, in medios hostes se conferunt, ictibusque asperis militarie agentes quosdam prosternunt humi, vicissim effuso sanguine, quosdam compellunt ad tartara devehi lethali vulnere.

CAPUT III

Hæc inter præludia Rotbertus de Veteri ponte, haud segniter agens, more solito probitati inhærendo, cum impetu strenui animi et velocitate equi sui ferocissimi, plures illorum gregatim equitantes impetiit et percussit, statimque in quadam fracta lancea, astricto mucrone alios repercussit; demum et ipse a pluribus repercussus, equo suo telo multiplici perforato, vi inevitabili ingruente, occidit, nec « oblitus matri suæ filii, » licet crebris lancearum sagittarumque ictibus humi premeretur, audaciæ tamen levitate vires resumendo surrexit, et ense reverberans contra nititur, suisque visis ei succurrere properantibus, properans animosius clamavit : « Adeste, sodales, adeste, subnixi militis viribus. » Nec mora, conveniunt, eique alterum equum attribuunt; quo ascendente, vibrato ense sociis inquit, « allatum dolorem vindicta posse minui. » Mox illis junctus, iterum simul in hostes irruunt; robur vero, illatione sibi facta priori simili, pulsat humum, protectus clypeo, Dei juvamine vitat exitium. Quid de sodalibus? Ictus militiæ probabiles quique suo loco, densis hostium gregibus, strenue inferunt. Aliunde etiam Alanus ejusdem castri dominus, familia domestica comitatus, viriliter egisse cernitur; nam hostibus resistendo, vice muri fruitur; et in sequendo leo perhibetur. Quid de cæteris? ultum venientes, priores prioribus in agenda millia, et præesse et videri captabant. Sed ut verius eloquar, non appenditii, sed naturales milites in dandis ictibus et prosternendis hostibus singuli singulis prodesse, ex re Christi milites fieri satagebant. Multi tamen vocati in illo conflictu, non strenue decertando, sed nutu Dei resistendo, convaluerunt. Nostri vero, ejusdem nutu, non ferentes immanitatem hostium, sole vergente ad occasum, quisque tam in castro quam et alibi, affectu nimio quærit quiescendi aditum, haud immerito; ibi enim minus damnum, majus majori damno exstitit. Magis etenim pauperes ex minimo quam divites ex maximo lædi creduntur. Ex his itaque in castro quidam hospitati, quidam in exercitu sero reversi sunt. Referuntque curialibus acta diei præteritæ militiæ illuxisse, unde, ut mos militum inolevit, quisque conqueritur ibi non fuisse. Quo audito, princeps citissime proceres ad se accersiri jubet, ut super imminenti negotio pro relatione in conflictu existentium, cum eis decernat quid eadem nocte vel mane fieri deceat. Vocati adsunt, agitur causa prælibata. Auditis relatoribus, ut decet militem animi strenuissimi, dominus prior inquit : « Accedamus mane ad Cerepum; accedamus vicinius. Quo si venerint, strenuitas et amor Dei militiæ, quibus promoti ulcisci sanguinem servorum suorum venimus, perfidiæ multitudinem non formidet, sed strenue decertando, tyrannorum nitatur perdere feritatem. Quod nisi venerint, sumpto consilio sequenti die ad illorum tentoria iter dirigamus. »

CAPUT IV

His verbis pars procerum resistendo inhæsere; pars autem ab illo loco retrograde tentoria juxta rupem provehi consuluere. Pars equidem consilium domini salubre decrevit, et ei favendum consuluit. Sic facti volvendo et revolvendo quid decens, quid indecens, quid honestum, quid inhonestum, quid utile quidve inutile ocius fieri queat an non, pro præsenti negotio utilius autumantes eligunt eadem nocte, et milites et pedites ad præfatum castrum transmittere. Decernuntque Malgerum de Altavilla cum quadraginta militibus summo mane ultra dicta militare, et decem milites speculatores ad turrem in cacumine montis positam dirigere, ut si hostes ad Cereptum iterum venerint, veloci equo et

astuto milite principi nuntietur. Actumque est, P. archiepiscopo Apamiensi consulente, ut omnes una, facto edicto per exercitum, ante lucem ad capellam conveniant, quatenus ibi vita et moribus emendati, cibo potuque cœlesti refecti, in Dei servitio, et in nomine ejus, ut decet milites, vivere vel mori valeant. Fitque edictum illico. Dum hæc agerentur, affuit extra mulier lunatica, usa his vocibus: « Agite, agite; nec diu utique. Cras enim manu hostili prævalente, amputatis capitibus, quæ hactenus abstulistis, mea mihi regimina dimittetis. » Quæ verba spiritui prophetiæ congruere ab effectu sequentis diei perpendimus. His auditis, quidam risere consternati animo, quidam utilius reputavere, apud se admissa mala deflere serio. Quid singula? Licentiatis baronibus noctis quiete recreari, vocatis domesticis princeps imperat, ut a signato termino expedite fiat quid decreverant, monstratque eis quid et ubi, et quomodo sit agendum. Vocatoque secretius cancellario, cum eo discernit quid pro imminenti negotio fieri conveniat super his quæ bellatoribus oneri videbantur. Hinc itaque et inde eventilata causa necessaria, vocato camerario, vocatisque familiaribus, actum ut vasa pretiosa et omnis supellex onerosa, nocte ad turrem Artesii, episcopo commendanda deferrentur. Sequitur, vocantur Turcopuli, vocantur et famuli; his id fieri imperat dominus subito, parati eminus parent imperio.

CAPUT V.

Exercitus vero haud oblitus edicti, ante lucem ad ecclesiam conveniunt, ubi Deo altissimo corde et ore supplicantes, matutinis laudibus invigilant. Quibus finitis, archiepiscopus in utraque militia vir elegantissimus, et de cœlesti et de terrestri sermocinando, « sic inhærendum terrestri Christianos docuit, ut in cœlesti, gratuita pietate Dei, mererentur ipsius milites coronari. »

CAPUT VI.

Mane autem facto, divino officio celebrato, publica confessione, publica lamentatione, omnes se contra legem Dei peccasse voce profitentur unanimes. Singulique delictis omnibus quibus infecti fuerant abrenuntiando, confitendo, Deo et pontifici devotissime promiserunt quod in illa, aut in his similibus, gratia Dei cooperante et protegente, nunquam amplius inciderent. Quo audito, præsul memoratus intuens bonæ voluntatis affectum, nomine et sub obtentu veræ pœnitentiæ injunxit cuique, si contigisset contra perfidos certamen ingredi, non suis viribus præsumendo bene agere, et illorum sive mori sive vivere totum Deo committere. His itaque confirmati et pontificali benedictione signati, corpore et sanguine Domini refecti, his armis fidei præmuniti, bellum adhuc ignorantes, in sua quisque tentoria remeavit. Princeps vero suffultus divino Spiritu, ante altare fusis lacrymis pro omnibus quæ in Deum visu, auditu, gustu, odoratu et tactu deliquerat, divinæ majestati se reum tradidit, singulaque sua delicta pro qualitate vel quantitate existentia, voce viva pontifici confessus est, acceptaque pœnitentia præfato simili viatico Domini vegetatus, abiens, ante tentorii ingressum pauperibus Christi, ab eo alimoniam petentibus, propria manu munus principale auri pondera charitative erogavit; paratusque more solito mane spatiari, equum ascendit. Allatis sibi avibus, allatis parvis canibus, adductis aliis, sumptis venabulis, præmissis pueris cum venatoribus, ut decet principem, ipse subsequitur; hinc agros et valles peragrat, inde montes et colles circuit, hinc aves capit avibus, inde feras prosternit canibus. Subito autem motus animo futura sibi prætentante, speculandi causa dimissis ludis ad turrem iter dirigit. Quo abeunte, adest ei nuntius equi cursu velocissimus, cui dominus: « Quid pro serio? » Id ei nuntius : « Hisce oculis hostium turmas intuens, per abrupta montium et devallium loca, inquam, etiam ferarum gressibus nunquam patentia, ex tribus partibus triplici bello expedite in nos accedere pro vero nuntio. Innumerasque acies tam vexillis quam et aliis Zifeorum, hoc est mundo florentes, pompis decoratas, priores subsequi firmiter assero. » Ad hæc princeps : « Nobis datum est pro Christo non solum ut in eum credamus, verum etiam ut pro illo patiamur (*Phil.* I, 29), et ei quod debemus debitum jam reddamus, videlicet ut omnis nostra rationalis voluntas ejus voluntati subjecta permaneat, et qui honorem illius in nobis violavimus, secundum exhortationis factam molestiam eidem Salvatori nostro, nos ipsos, cum ipsius adjutorio, non peccaturos restituamus. » His finitis accersito agosone, accersitis præconibus imperat dominus totum exercitum armis parari eminus, libetque præconari voce propatula ut universi, audito primo sonitu gracilis, festinent bellicis indui, et secundo, parati, aciebus sibi præordinatis tam milites quam et pedites parati juncti conveniant, et ut audito tertio, singulæ acies promotæ signiferorum ductu accedentes, coram signo crucis Domini se præsentent. Nec mora; fiunt præconia imperio domini, voce propatula, ipseque vectus equo celeri, ante tentoria arma bellica ante se præcipit advehi. Quo peracto, præsente priori nuntio, adest et alius eadem belli indicia asserens verbo dissimili; ait enim Ellos : « Citra montes citraque districta adsunt, vicimus. » Princeps itaque præcipit universos moneri sonitu gracilis. Nec mora; primo admoventur, secundo parantur, tertio conveniunt; ante capellam, ubi crux erat, Domino præsentati conveniunt. Præsul itaque crucem Domini venerabilibus gestans manibus, inquit : « Quid ultra? Armis fidei præmuniti, hoc signo salutiferæ crucis præcedente, nec veriti perfidorum sententiam permutare, prodeamus in medium. » Et hoc dicto, princeps publice corporis sui voluptatibus, præteritis, præsentibus et futuris abrenuntiando, Deo, et episcopo pro lege Domini moriturum, uti decet Christianum, eisdem galeæ suæ laqueis se servum tradidit. Quem archiepiscopus vice beati Petri suscipiens, ab omnibus pecca-

tis absoluturus, in nomine Domini, et in nomine veræ pœnitentiæ præcipit bellum præsens aggredi, et agere vel recipere quod divinæ majestati placeret, mori vel vivere. Lætus itaque et exhilaratus, manibus sacerdotis signum Dominicæ crucis ante se geri postulat, ut ei supplicet. Fitque pro voto illico.

CAPUT VII.

Interim Albericus vice dapifer, non more fugientis, sed impetentis militis, percussus lancea in faciem et affixus sagitta ferme ad oculos, ut nostros præmuniat, nuntius exstitit tertius; hic primo interrogatus ex præmissis quadraginta militibus cum quibus ierat, respondit : Quosdam amputatis capitibus, videlicet Jordanum Jordanidem, et Udonem de Foresti monasterio, pluresque alios, jam de mundi ludibrio Deo militasse, Malgeriumque vi coactum intolerabili præsentem adesse; fitque subito, adest Malgerus. Adest contra ventus; horum equi sagittis affixi, plumbatis obruti, corruunt mortui. Statimque sumptis aliis coram baronibus, inquiunt principi : « Super his quæ nobis imminent consulto opus est, ut consulto propere (*sic*). Parati veniunt, strenue agite; divisi etenim ex tribus partibus, triplici bello quærunt nos perdere. » Unde tam procerum quam et aliorum quidam assentientes salubri consilio ut putabatur, laudaverunt nostros omnes una, ut erant, ordinatis aciebus circa tentoria sisti, manu pedestri circumquaque ante posita. Sicque ferendo immanitatem hostium, levius salubriusque posse præstolari asseruerunt. Super his equidem, hominum erat, provisu eorum, loqui, tractare; Dei autem, « cui omne cor patet, et omnis voluntas loquitur, » erat judicare. Quid ergo ? Subito perfidorum vexilla et standaria ex lateribus montium inter oliveta prodeunt; quibus visis, princeps hoc modo intulit : « Eia ! milites Christi, non nos deterreat certamen multiplex pugnatorum; sed jam exerceat quo vigere debemus militis officium, ut qui hactenus mundo militavimus, hodie ab affectu decertando, sive vivi sive mortui, Deo militemus. » His dictis imperat Rainaldum Masuerum triplici cohorte præmuniri citissime, ut intrantes per districta Samartani bello percutiat evidentissime, seque asseruit vim nefandorum principum, quocunque eat vel ubi consistat, monte vel plano, cum Dei juvamine, acerrime percussurum. Quid horum singula ? Sicut sæpius ante disposuerat acies singulas singulis ordinibus incedere, tunc quoque imperavit, sed multo melius. Ait enim : « In nomine Domini nostri Jesu Christi, ut decet milites pro lege Dei tuenda, iter arripite, et cum locus percutiendi affuerit, haud obliti servorum Dei effusi sanguinis, crebris ictibus insistendo, iniquorum superbiam prosternere, et illorum sanguinem effundere mementote. » His dictis, adorato signo sanctæ crucis, eodem reverentissime osculato, singuli erectis vexillis ordine assignato profecti, gracilibus tibiis tubis clangentibus, in Dei nomine, iter arripiunt. Interim hinc et inde de aciebus ad acies, volatiles tam telorum quam et sagittarum, ut mos bellantium exigit, mittuntur internuntii. Acies itaque beati Petri a dextris antecedens, cujus juris est et antecedere, et primum hostes percutere, laxis habenis, palpatis lanceis, impetuose ac strenue cohortem sibi obviam percutere maturavit, multosque perfidorum prosternendo, pene totam dissipavit. Quo viso Gaufridus monachus insigni acie comitatus, virili fretus animo, cohortem perfidorum ad minus decem millibus militum constipatam impetiit et percussit, ita quod pene eamdem, et cæteras prope existentes in fugam et disconfecturam impulit.

Nec minus, quantum ad se, acies Guidonus Frenelli cum suo posse, hostes invasit et concussit; sed quia nostri instanter persistere desierunt, ut opus esset, et hi et alii plures passi sunt exterminium. Perfidi namque, nutu Domini resumptis viribus, nostros aggredi non metuerunt; sed telis, lanceis, sagittis, plumbatis ferratis, et crebris gladiorum ictibus reinvadendo acerrime percusserunt, utrorumque attestante effuso sanguine. Interim cohors Rotberti de Sancto Laudo, cum Turcopulis a sinistris antecedens, cum percutere debuisset, sinistro omine Turcopulis primo fugientibus non valens resistere, ipsorum pulsa impetu et perfidorum clamoribus, aciei principis contra vim nefandorum equitanti, obstitit, et ab impetu fugiendi, non loris, non frenis, non funibus, sed nec ulla animi securitate revocari potuit. Nam et quod deterius exstitit, partem cohorti principis secum in dispersione depulit. Tunc quoque, ut a malo indicio pejus sequeretur, turbo ab aquilone prodiens, in medio belli campo cunctis cernentibus, hæsit humi, humique serpendo pulverem rapuit; qui bellantium oculos ne bellari possent, infectos tenuit, et se per gyrum deducendo in modum dolii sulphureis ignibus concremari, quasi ad astra extulit. Quo viso, ab universis sceleratorum partibus oritur clamor immensus et horribilis. Princeps tamen constanti animo in certamine perseverans, suis undique prostratis et occisis, nunquam retrorsum abiit nec respexit, sed parens imperio Domini et pontificis, paucis etiam comitatus, contra vim totius belli strenue decertando, ense militis percussus per medium nasi cerebro tenus, in nomine Domini morti tributum persolvendo debitum, coram signo sanctæ crucis corpus terræ, et animam cœlo reddidit. Hac illatione facta, peremptо sacerdote eamdem crucem manibus deferente, plures etiam perfidorum ambitione auri pretiosorumque lapidum capti, vim virtutis Dei in cruce latentis ignorantes, ibidem inter se datis crebris ictibus necis materia effecti, ad inferos, infernorum ignibus concremandi, non redituri elapsi sunt. Statimque omnes una, ut erant centum millia pugnatorum, assignati a quatuor mundi partibus, atrocissime in nostros irruerunt. Nostri itaque nutu summi Judicis, divina ultione subacti, ut erant septingenti milites, et tria millia peditum pugnatorum re-

putati, cum multis aliis qui ad conflictum causa A mercati, vel pro ambitione hostilis lucri ierant, invalescentibus iterum atque iterum perfidorum clamoribus, et hostili gladio prævalente, quidam sauciati, quidam cæsi, et quidam diversis illationibus obtruncati, eodem in campo citra ad exterminium deducti sunt, et quidam miserrime captivitatis laqueos, justo Dei judicio, inciderunt. Rainaldus etiam Mansuerus, dum hæc apud nos agerentur, ex sua parte viriliter bello decertans hostium intrantium per districta Samartani, non minimam multitudinem prostravit et devicit, ita ut pro existimatione utrorumque bellantium, nostri victores et hostes victi reputarentur. Placuit autem Divinæ majestati, cui non placuit nisi quod decet et expedit, ut victi, resumptis viribus, victores haberentur, et nostrorum prior pompa non manu hostili sed Dei exercente potentia, haberetur ultima. Prostrati enim et devicti, quidam ibidem hominem exuentes, et quidam fugæ impetu evadentes, eodem quo et alii plexi sunt exterminio.

Contigit autem Rainaldum Masuerum, gravi vulnere afflictum, cum paucis suorum turrem intrasse Samartani, ut eam, ob refugium sui et aliorum evadentium obtineret, et, si posset, ibidem Balduinum regem Hierosolymorum ad succursum Christianitatis properantem exspectaret ; sed debilitas turris et victus indigentia, maxime autem Algazi illuc adveniens, efficiens causa exstitit ut ibi remanere non posset, et se captivum triumphanti redderet ; astutia enim præmunitus, quasi in turre se defendere posset, caute locutus est : Ait enim triumphanti : « Me nequaquam tibi reddam, nisi te prius fide et sacramento tuæ legis mihi asseras præsentis tutelæ patrocinium, et evadendi subsidium. » Astuto itaque respondet astutior : « Quidni? Dum in bello fuistis, in te et in alios agendum erat ut in hostes. Nunc autem humanitus sentiens, recolo vos esse homines, et ne me suspectum habeas, sub obtentu meæ fidei et sacramento beatæ legis nostræ annulum meum suscipias, ut hoc signo, finito unius mensis termino a me libertatem recipias. » Ipse itaque qui nec unius diei spatio se posse vivere intendebat, audito mensis termino intus tristis existens, accepto tamen annulo, quasi lætus forinsecus, se captum reddidit. Nonnulli autem procerum, qui strenuitate et ingenio, ac generis nobilitate pollere videbantur, etiam primos ictus non sufferentes, dimisso in campo vivo principe, dimissis parentibus et amicis, antequam belli campus et montium introitus immanitate hostium clauderetur, haud lente profecti, vice optati portus, Antiochiam subeunt. Ante eos tamen ingressi sunt alii, more solito, « in portis primi, in bellis ultimi. » Ne autem loquendo de illis qui evaserunt, nimia digressione frui videar, de gestis in campo prius edisseram ut gradatim enarrando partem malorum inter duo bella existentia ad id condescendam, et enarrem quomodo Auctor summæ justitiæ manu Balduini Hierosolymorum regis Latinorum secundi, plebem Antiochenæ dignitatis, vastitate hostili pene exterminatam, de ore leonum liberaverit, et quomodo triumphale nomen bello principali amissum, eidem plebi virtute crucis sanctissimæ, bello regali exstitit reparatum. Revertar igitur ordini inhærendo. Sequitur.

CAPUT VIII

Interempto principe in campo, peremptaque non minima multitudine a quatuor mundi partibus de forinsecus, præter illos qui intus in nostros sæviebant gladiis, adeo belli campo clauditur montium, valliumque aditus, escaramis (?) obfuscantur, quod nec unus fugientium illibatus pertransire potuit. Nostri itaque, quotquot in campo superfuere gladiis, spe pugnandi ad tentoria, vel fruendi caute fuga stupefacti deveniunt. Sed hæc jam manibus impiorum asportata, non inveniunt, exceptis principis et capellæ tentoriis, in quibus nefandissimi certatim auri et argenti ornamentorumque principalium cupidine capti, ensibus contendebant. Quo viso adest Euterpius in certamine corporis et animæ miles probatissimus, inquiens his qui ante capellam contendebant, et ictibus decertabant : « Quæ societas Christi ad Belial (*II Cor.* VI, 15) ? Vos dividitis, sed non est æqua portio. » Cum his verbis amiraldum aure textum ante ostium capellæ lancea corde tenus perforavit. Cæterosque invadendo, in constituto Dei termino, quem præterire non potuit, martyrio, hominem exuendo ad quietis beatitudinem feliciter transmigravit. Hæc inter discrimina, conventus nostri harnesii cum totius exercitus supellectili, in quodam monte prope existente se locavit, existimans ibi posse præstolari aut advenientium militum subsidium, aut aliquo modo inde carpere evadendi refugium. Quid ergo? Non multo post a campo evadentes, visis nostris in monte collocatis, ubi mors erat vicinior, exstimabant et quærebant vivendi solatium. Cassa namque spe decepti, hinc et inde confluentes monti adhærebant inculcato; qui in momento ab impiis sic obsessus exstitit, ut obsessi mallent brevi morte mori quam illorum tela pati : jure quidem; tantus etenim erat undique telorum ac sagittarum impetus, quod ex illorum collisione mutua, reverberatis ictibus, etiam perfidi existentes forinsecus, acerrime plectebantur; nostri vero multo ferocius. Nam ut aura, brevi hora magnis cedit imbribus; et ut fenum exsiccatum læditur grandinibus, sic gens nostra cito læsa cessit crebris ictibus ; inde tamen pars evasit, ductu summi Judicis; et pars capta, sorte mala, addicta suppliciis, ducta fuit ad standale nefandorum principis.

Sequitur pœna peccantium. Ibi etenim juxta belli campum, captivi quingenti vel plures, a tergo retortis manibus, et vinculis ferreis astrictis pedibus, cum cæteris pœnis strictissime, de more canum, a collo bini et bini copulati funibus, coram magistro sceleris capitalem sententiam subire præstolantes, in gyro humi versi, tenebantur. Impius autem exitiali furia invectus, ministris cædis imperat, lethali

tenta captivorum vulnera intentari, et afflictos vulneribus gravibus virga capillis illita, foras ad decollandum extrahi, cæterosque nocturno cruciamine affectos, cædi crastinæ reservari; impii itaque læto animo, scelerato domini sui parent imperio. Sequitur autem ex scelesti imperio effectus scelestior. Ducti etenim ad decollandum, alii et alii, non solum amputatis capitibus manibus impiorum corruunt, verum etiam abstracta cute vivi capitis, et medio tenus detruncati, diræ mortis discidium subeunt. Residui quoque illato sibi promisso cruciamine, cum contumeliis et terroribus noctem illam tenebrosam deducentes, mentibus obstant, verbis increpant mortem, sæpe vocatam et revocatam eisdem mœstis non venire. Vicissim tamen apud se reputant, præsentis vitæ meritis exigentibus id eis contigisse; fatenturque juste et merito deteriora sibi imminere, et hæc talia hisque similia, non ad puram sed ad corruptam hominis naturam pertinere. Altera enim, valet ad miseriam; et altera, ad beatitudinem. Pressi itaque tota nocte et constricti sequenti diei orto una sole, sole, inquam, eisdem nocte tenebrosa tenebrosiore, jussi sunt sisti in tentoriis, quousque decernat princeps sceleris quid de eis animo suo sufficienter fieri valeat. Idque placuit nefando principi. Hora diei tertia, captivi nudi, ducenti vel trecenti, a collibus simul religati, cum gladiis et fustibus, flagellis et restibus per campos milliarii spatio cardonetis et vepribus insitos, ducti sunt in vineam, juxta Samartinum noviter excultam, ubi pietas humana naturali jure privata, in furorem sacrilegum conversa exstitit, tyranno Algazi tyrannidem in Christicolas ibidem exercente, et hoc modo : Æstus quippe erat non solum captivis vulneratis et ægrotis, verum etiam sanis hostibus et liberis admodum intolerabilis, ita quod singuli captivorum, pro calice aquæ frigidæ non renuissent porrigenti, etiam membra singula, vel ipsam vitam dare. Ibi quidem captivi visis botris vineæ humi inhærentibus certatim super eos proni incidentes, gypsatos etiam ore carpebant avido, pedibusque conculcatos, quorum liquor ab ore prementis quoquo modo esset elapsus, ore alterius suscipiebantur, sæpiusque putantes elapsum liquorem retinere, ardore coacti linguas propriis dentibus corrodebant, et aliorum barbis aliis inhærentes, visa liquoris stilla miserrime sæviebant, pluresque urina potiti, tunc primum sitiebant. Hoc autem minister cædis intuens, et ipsemet frigido potu indigens, a remotis partibus aquam equis vectilibus præcepit advehi : Qua allata, priorem partem sibi suisque jussit reservari, fecemque luti, captivis porrigi, statuitque, ut bini et bini ad utres ducerentur, et si quis accederet, non conductus, ipsum illico privari capite imperabat. Aqua allata in medium, vitam pro solo gustu commutare cupientes, non id respiciunt, sed plures cum pluribus per medios enses ad aquam corruunt. Ibi quidam lapidibus obruti, quidam telis perforati, et multi sunt diversis modis detruncati. His visis, horum cruciaminibus mulcebatur impius, et quasi refectus oblatis ferculis, suæ crudelitati arridebant; nec tamen id ei sufficit crudeliora cogitanti. Imperat enim omnes simul quotquot fuerunt, in medio campo sisti, ut cui sanguis singultim effusus floccipendebatur ad sufficientiam exterminii, saltem universalis victima quoquo modo placuisset ad augmentationem sui gaudii. Itaque sistuntur in medio. Hujus jussu parantur mille milites, vel plures, enses nudatos manibus deferentes, ut simul datis ictibus, et hos dilacerare et profanum exhilarare valeant. Paratis militibus irruere cum impetu, adest quidam admiraldorum potentissimus, dominum cædis his verbis allocutus. « Eia ! legis stella, quid deponis tam brevi super his finiri tua gaudia? His peremptis, quid triumphi exteris regibus et principibus nostræ legis præsentabis? Desine hoc modo istos morti tradere; mihique, ad honorem tibi consulenti, non rennas credere. Nihil enim consulam nisi quod nostræ legi suppetit et tuo honori congruit. Laudo itaque et tuæ magnitudini consulo, ut ex his canibus ditiores, potiores, generosioresque eligi præcipias separatim, qui aut redemptione capitis evasuri, aut intus solemnitatibus mathemacis, diversis tormentorum illationibus exterminandi, tibi reserventur. Et qui missi soldano cæterisque dominis et primatibus inclyta præconia tui nominis et triumphum quo viges, voce viva repræsentent et his separatis, residui tuis ensibus membratim cæsi, sentiant quid et quantum hi eorumque parentes et compatriotæ in sanctissimam legem nostram deliquerunt. » Quod consilium sceleris, scelerato placuit, et sic fieri præcepit. Electi igitur separantur ad tormentum; residui in campo ad præsens exterminium. Ait enim nequissimus. « Eia ! milites, legis eximiæ tutores et auctores, adest canum victima vestris ensibus præparata. » Exclamavitque : « Ehoe ! Ehoe ! prompte ac strenue in eos irruite. » Impii itaque, cum uno impetu feriunt gladiis neciś materiei deputatos; nec cædere desinunt, quousque captivorum partium partes integras non inveniunt. Ibique in effuso sanguine provoluti, ut sus in volutabro luti, necdum cæde virorum satiati, flexis genibus potentiæ judicis supplicant, exorantes ut simili cæde electos ipsius jussu exterminare valeant. Noluit autem divina majestas ut per omnia prævaleret ipsius crudelitatis immanitas. Præcepit igitur electos tradi suo filio, qui eos tormenta inferendo in captivitatem Halapiæ perduxisset. Nec caruit effectu scelerati patris imperium. Electos enim captivos recepit, eosque in prima nocte lapidibus et spinis cardonibusque his immistis hospites tradidit. His quoque, pro cibo scilicet, et pro potu duros ictus contulit, pro lecto, in pedibus et in collis laqueos astrictos intulit. Heu, nox illa inter infernales deterior exstitit computata, sequenti vero die Halapiam ducti sunt ad patibulum, ubi crebris ictibus et diversis tormentorum generibus passi sunt quidam exterminium; et quidam, propitiante Deo, redempti sunt, sicut in fine narra-

tionis regalis belli edisseram ; et est ratio. Contigit enim ex regalibus plures, sorte miserrima cum his admisceri, de quibus provisu et auditu rara discutiam. Sed ne inceptæ narrationis ordinem præteream, ad id quod vicinius, Algazi post bellum egit, narraturus ipsius tyrannidem condescendam.

CAPUT IX.

Viso esse Cerepi cum exercitu Artensium profectus est. Ubi turrem episcopalem facto placido sibi subjugavit, hoc modo, quod episcopum cum omnibus suis, tam clericis quam et aliis, liberum, absolutum, et quietum Antiochiam adire permitteret. Quod in parte complevit, et in parte promisso contrarius exstitit. Quidquid enim auri et argenti, ornamentorumque clericos deferre comperiit, viceconductorum missis raptoribus totum abstulit : sacerdotalia vero indumenta, ut his nequitiam suam tegere potuisset, palam reddidit et post illos abeuntes ablata remisit, ibique ante Artesium fixis tentoriis perhendinare disposuit, ut prius capto Artesio, inde profectus Antiochiam expugnaret. Placuit autem divinæ dispositioni, ut ibi detineretur verbis cujusdam hominis, nomine Joseph, viri prudentissimi, qui, cum ipse Algazi quæreret castrum sibi reddi, Joseph astutia præmunitus, non repugnando, sed quasi assentiendo, hoc modo respondit : « Novimus quia tuis ensibus et tuo dominio subjacet quidquid in hoc principatu extra Antiochiam continetur. Ipsam itaque si acquisieris, cum ea et hoc, et cætera castra in momento erunt tibi subdita, et ne credas te verbis meis illudi. Interim quemdam tuorum Sahenas mihi attribuas, qui vice tui mecum res tuas custodiat, et locum tanti domini possideat; te ipsum etenim si intus receperim, procul dubio hoc audito filius meus Antiochiæ existens morte turpissima perimetur; et ego senex et plenus dierum, si hoc egero, pro nequissimo proditore, quod absit! reputabor ; et decentius est, ut me innoxium quam reum habeat. » His verbis deceptus castrum intactum dimisit, et ibidem Sahenas quemdam posuit; ipse vero potationibus intentus, et nutu Dei oblitus Antiochiæ, per partes exteras et propinquas sæpius millia militum transmittebat. Qui de die in diem, prædis tam hominum quam aliorum refecti, ad ipsum revertebantur onerati. Interim super malis et infortuniis quæ ex proximo facta, et e proximo amissioni civitatis Antiochiæ imminere cernebantur, quidquid curæ, laboris, timoris, metus, vel damni Christianitati contingere poterat, jam destituto militari officio, et jam pene toto amisso Francorum civium auxilio, ea vice in clerum necessario totum redactum exstitit, ita, inquam, ut multo acrius timerent interiorum hostium proditione falli, quam vi exterorum ullo modo intrinsecus posse comprimi. Nec id mirum ; gens etenim Antiochena, vi et pravo ingenio gentis nostræ, privata suis bonis et addicta pravæ consuetudini, sæpius mœrore concussa, si, quod est vicissitudo justitiæ, malum pro malo reddere voluisset, eo temporis intervallo nostros proditione, vel alio modo, admodum gravare potuisset. Patriarcha vero super his et aliis provide agens, vocatis ad se Francis, Dei virtute corroboratur, suique cleri munimine frugi septus, cum eis super hoc decernit ut gens, si velit, proditione agere nequeat, et ut ipse custodiam civitatis totius sibi et clero cum Francis tantummodo assumat; statuitque ut ubicunque et undecunque sint in civitate diversarum nationum populi, exceptis Francis, omnes inermes existant, et nunquam a domibus suis nocte sine lumine egredi præsumant. Idque actum est, ut nullo modo proditionis ingenio infecti viderentur, et ut nullatenus etiam suspecti haberi potuissent. Statuit ut ubi totius civitatis inferior patebat debilitas, ibi tentoria sua protectioni Christianitatis necessaria ponerentur, et ut singulæ turres quotquot essent, monachis ac clericis mistim cum laicis, pro posse et quantitate Christicolarum eminus munirentur. Hujus patris et doctoris prudentissimi omnes una diligenter parent imperio. Munitis itaque turribus, intrinseci et extrinseci adhibentur custodes cum custodibus. Idemque patriarcha, magis precibus quam armis pugnaturus, pro salute ac defensione Christiani populi incessanter Deo supplicabat medullitus. Nec tamen desiit, horis competentibus, nocte ac die cum armato suo clero et militibus, more pugnatorum, portas, mœnia, et turres, murosque circumcirca, et ipsorum custodes vicissim visitare, consolari, et incitare ut vigilanti animo Christianæ protectionis curam adhiberent, et incepto bono nulla hostili perturbatione desisterent. Quid singula? Clerus cum cæteris fidelibus provide et strenue, intus et extra, militaris officii vicefunctus, cum Dei virtute, civitatem ab hostibus intactam Balduino regi diu optato protegendam reservavit.

CAPUT X.

Inter hæc discrimina sicut certis internuntiis didicimus, auribus Algazi insonuit regem Balduinum, Pontiumque comitem Tripolitanum cum eo ad Antiochiam citis gressibus festinare. Unde illico statuit contra eos decem millia militum transmittere, et post illos totidem vel plures aut lente subsequi imperavit. Factaque electione quos transmittat, et quos secum retineat, euntibus injunxit regis adventui sollicite insidiari, et quibuscunque modis possent Christianitatis invigilare exterminiis. Moti itaque impii, jussu sui domini de more solito ordinatis aciebus, versus Laodiciam et ad montana montis Palerii, quo et prædari, et regis equitatui insidiari valeant, nocte profecti sunt. Ad quas partes cum devenissent, divisi sunt, factis tribus partibus, ut quidam tendant regi obviam, et quidam prædis capiendis insistant, cæteri vero ad portum Sancti Simeonis supra mare iter dirigant. Profectis contra regem ipse idem ad montem Hingronis ex improviso obviat. Hos itaque strenue invadendo prosternit, et per abrupta montium ita dissipat ut nec socius socium, nec par parem sibi profuturum inveniat. Quo peracto, rex ante latorum castrametari jubet, e

inde mane profectus, se ipsum præcessurum, ut primum hostes inveniat, disponere curavit, comitemque cum Provincialibus retrograde custoditurum, subsequi imperavit, ut et ipse, si forte hostes viderit, regi cito nuntio id insinuet, et eos percutere non renuat. Sicque his ordine incedentibus, contigit Provinciales vidisse partem hostium ante se prædam maximam effugantium, quos citissime ac viriliter percutere non differunt, ita qnod ipsam prædam ab eis excutiunt. Sorte ergo miserrima perfidi, resumptis viribus, Provinciales invadendo ad hoc perducunt, quod ad regem illa die reverti nequeunt. Quibusdam etenim peremptis, et quibusdam per montana dissipatis, cæteri vagando incedentes, jam nocte apud Casam bellam regem hospitatum inveniunt. Huic sicut eis contigerat referunt. Ibi quidem rex hostium certa invenit indicia. Castra etenim quatuor millium militum patebant recentia mortuis hominibus et membris animalium, quæ coluerat adhuc turpiter infecta. Rex autem his auditis, æstimans eos posse assequi, ut ille, qui compatiebatur præteritis, præsentibus interemptis, et cujus juris erat tueri patriam, valde conqueritur, cum ignoret quo certius eos sequi potuisset, secum tamen reputat utilius Antiochiam adire, causa gemina, videlicet ut et desolatos Antiochiæ consolari, et ibi auditis rumoribus, sumpto cum patriarcha consilio, hostes sequi valeat. Interim tria millia vel plures nocte ad portum Sancti Simeonis profecti, aurora apparente subito soporatos percusserunt gladio; cæteri vero evaserunt navigio. Impii autem, hominum et aliarum rerum prædam colligentes, per abrupta montium elapsi, moto jam sole horarum duarum spatio, non longe ab Antiochia erectis vexillis apparuerunt. Unde visis hostibus, sicuti mos hominum exigit, circumcirca clamor immensus oritur. Quocirca clerus et milites, qui de bello Antiochiam venerant, et cives, et quotquot fuerant, sumptis armis quasi pugnaturi exeunt, et statim quosdam ex his in hostes dirigunt scrutaturos quanta fuerit pars et vis illorum hostium. Contigit autem ex illis missis, duos in campis perimi, et cæteros, impetu hostium impulsos, celeriter regredi. Quo viso, nostri non longe ab urbe præstolantes, visa inermi plebe fugiente quæ cum ipsis erat, cœperunt moveri et titillare. Nec mora : hostes qui sequebantur primos, non retentis loris, sed pressis equis calcaribus, simul in nostros irruunt, ita quod quosdam etiam loricatos in flumine mergi faciunt, cæterosque mistim percutiendo, usque super pontem insequi non desistant. Ex quo impetu 37 ex nostris perempti sunt. Nostri tamen in ponte resistentes, dimissis equis et extractis ensibus, pedetentim vires resumendo, hostes eliminant. Eliminati itaque ac cæteris prædis onerati simul incedentes, ultra Corbanam inter duas aquas paulisper accubuerunt.

CAPUT XI.

Nec multo post adest Balduinus rex memoratus, A omni populo Christiano exspectatione magnus, adventu major, protectione maximus. Qui cum intellexisset perfidorum tyrannidem in nostros, infra cutem et carnem, ac medullitus exarsisse, nec ipsos alio retentos milite nisi maris unda dehiscente, tactus dolore nimio, urbem intrare festinavit; non ut quiesceret, sed ut primum regnum Dei quæreret, et ipse, pro patria pugnaturus, in ecclesia beati Petri, ut decebat regem, devotissime Deo supplicaret quatenus inde libere, et absoluto ecclesiastico consilio roboratus, iter sequenti perfidos tutius assumere potuisset. Nec id distulit, sed facta oratione et vegetatus patriarchali consilio, motus etiam ardore duplici, intrinsecus, animi anhelantis ad vindictam, et extrinsecus, militaris officii incitantis ad militiam, præmissis speculatoribus, ad insequendum B citis gressibus et ordinatis aciebus iter arripuit. Qui cum nuntiorum relatu persensisset eos esse remoto, et nusquam certo loco pausantes, sed citius solitos, quasi timore subacti equitantes, suosque ex itinere fatigatos conspexisset, laude cleri totiusque ordinis senatorum, considerata ratione, Antiochiam reversus est. Ubi, Deo vocante, et ipsius dono promotus, principatus dignitatem adeptus est, jure quidem. Hujus etenim manu, divina providentia, cives mœnibus, et urbem civibus, quibus destituta sorte miserrima fuerat, reddere curavit. Eventilata itaque causa pro imminenti negotio necessaria, cum hostes sint copiosi fortes, sintque potentes in mali- C tia, patriarcha et ordo clericalis, cujus juris est bona monere, facere et docere, vi interioris hominis suffulti, inquiunt perfidos et incredulos ex facili posse flecti et prosterni, etiam paucorum Christicolarum manibus, si, vera justitia cum eis comitante, legitime pugnaverint, et ut hoc fiat, rex et cæteri, mores corrigere horum consilio, et aliis bonis invigilare satagunt. Statuto itaque consilio, in curia beati Petri ratione pernecessaria decretum est ut rex, cui æquus et summus Arbiter fere omne regnum orientalium Christicolarum subdiderat, pro affectu justitiæ et pro communi utilitate filio Boemundi, cujus juris erat, principatum Antiochiæ cum filia sua traderet, si etiam ducturus, et terram, principatus, ipsius consilio et auxilio protecturus D adveniret. Hoc etiam considerato moderamine justitiæ, decretum est ut illi qui in terra aliena, ex dono dominorum, multique contumeliis et terroribus, effusione etiam sanguinis sui et parentum suorum, in defensione Christianitatis terras et honores acquisierunt, nulla mutatione Christianæ dominationis habita et possessa amitterent, sed jure hæreditario possiderent. Idque verbis et manu regia sancitum et confirmatum exstitit.

CAPUT XII.

His peractis, rex Antiochiæ existens de remotis partibus, et proximis, et undecunque potest, nomine belli gentem citissime congregat; seque suosque armis bellicis, cæteroque bellico apparatu, ut decebat regem, munire satagit. Hoc audito Algazi

dimisso intacto castro Arthesii et Emine, ab obsidendum Corepum profectus est. Audierat namque, fama multorum enarrante, Alanum illius castri dominum, cum suis militibus, Edessanos etiam milites ac de aliis castris fere omnes, jussu regio Antiochiam advenire, ut inde promoti, ipsum ibi vel alibi existente, bello percutiant. Nec effectu caruit, super hoc et super aliis, quod Rex cœli et terræ fieri voluit. Algazi vero, cum suorum assultu castrum capere nequeat, ex diversis partibus facto specu subterraneo infodientes mittit homines, igniferosque parat currus siccis lignis insitos, ut cum ad turres pervenerint sub podiatæ postibus eisdem immissis ignibus corruant. Præter hæc de die in diem ter vel quater petrariis diversorumque ingeniorum instrumentis, cum assultu armatorum ordine triplici invadentium, immissis sagittis cum immanitate telorum, et turres propugnaculis privabant, et defessores sævis ictibus prosternebant. Tandem oppidani, partim his territi, et partim subterraneo igne turribus immisso coacti, malentes adhuc mundo vivere quam in castro diuturno timore effici, vel martyrio coronari, infelix, et pudendo facto placito, ut securi vivi possent evadere, sumpta perfidorum fiducia, castrum reddidere, et inde flebiles et pudibundi ad regem iter extorsere. Perfidi vero ibidem missis custodibus, et aliis munitioni castri necessariis, ad obsidendum Sardonas profecti sunt. Interim rex æstimans nefarios apud Cerepum posse inveniri, paratis omnibus, quæ ea vice in hominibus aliis belli necessariis habere poterat, in spiritu humilitatis et in animo contrito, laneo indutus habitu, nudisque incedens pedibus in beatorum intercessorum ecclesiis, Cunctipotentem exorare, eique medullitus supplicare maturavit, ut cujus nutu susceperat regni gubernacula, ipso inchoante et peragente, ad honorem et laudem sui nominis, tyrannos et impugnatores Christianitatis, ab elatione præsumptuosa, et a suis viribus, quibus se triumphare putabant, nihil triumphi vel inane laudis sibi usurpando, sed totum Deo committendo, virtute sanctæ crucis, deponere et prosternere potuisset. Tandem congregato totius civitatis clero et populo in ecclesia beati Petri, patriarcha celebrato divino officio, ut decet patrem filios suos ituros ad bellum, et domi in Dei servitio remansuros, præceptis Dominicis instruxit, monuit et armavit, cœlitusque benedictione signavit. Sumptis processionis mysteriis, omnes una inclinatis capitibus ad altare, cum sacrarum reliquiarum feretris et signis, præcedente cruce Domini, ordine cleri ecclesiastica institutione decorato, omnique populo subsequente, cum humanitate et mansuetudine litaniis et aliis precibus Deo supplicantibus, ituri ad bellum et domi mansuri singulis laneis induti, et nudis pedibus profecti, extra civitatem ad divisionis metam devote perveniunt. Ibi iterum patriarcha sacram crucem sacratis assumens manibus, iterum virtute ipsius omnes signavit, Dominoque medullitus hoc modo commendavit : « Qui nos pretioso suo sanguine redemit, ipse sit clemens et propitius dux itineris, et provisor utilitatis, ut et euntes et remanentes a peccatis absoluti, libere et absolute eidem famulari sic valeatis, quatenus ejus dono consolationis et victoriæ triumpho potiti, in ipso et per ipsum gaudeatis. » Iis dictis, hinc et inde fusis lacrymis, præcedente signo sanctæ crucis rex ad bellum, clerus ad ecclesiam, populus in sua remeavit : exorantes et deprecantes, ut Auctor summæ justitiæ, qui ab initio bella conterit, ab impetu populi sui suo nomini laudem tribuens, conterat adversarios.

CAPUT XIII.

Eodem vero die et sequenti nocte, regi equitanti ad Cerepum adsunt illi obviam, qui cogente sorte miserrima hostibus castrum dimiserant. Quibus visis et auditis, rex interno mœrore concussus, stupet et contristatur. Intuebatur enim ipso eodem attestante, ex redditione castri Christicolis præsentibus et futuris, duo damnosa imminere contraria : alterum ad tempus, Deo annuente recuperabile ; et alterum nunquam recuperabile ; recuperabile castri damnum, irrecuperabile redditionis opprobrium. His itaque accensus animosius, sumpto cito consilio, ad Rubeam iter dirigit, ut inde equitando, per Hap, ad montem, nomine Daniz, castrametari valeat. Ibi enim sperabat se posse auditu vel visu certa hostium indicia percipere. Nec effectu caruit, quod prætentabat habitu sui animi. Ipso etenim die quo in monte fixis castris accubuit, hostes non longe esse remotos certis indiciis comperuit. Relatu namque audientium et videntium perfidos Sardonas obsedisse lucide intellexit ; et quod eodem die, vel mane, ex ipsis quosdam videret, certo nuntio didicit. Contigit namque in crastino summo mane leviores habilioresque militiæ sparsim præludendo circumquaque emissis sagittis nostros impetere. Sicque diem deducentes bini et bini, pauci cum paucis, plures cum pluribus, hinc et inde, cauda et caput moliebantur partem nostri exercitus conturbare, vel quoquo modo impellere. Rex autem vigore virilis prudentiæ fretus, cum inspexisset eos non more pugnatorum se habere, nec ordinatis aciebus incedere, hortatur suos, imperatque omnibus pro castris suis prudenter existere, constantique animo pati, et inspicere quousque loco congregatos, vel simul incedentes posset eos comprehendere. Ipsi vero dolosa calliditate pleni, in sero etiam vitabant simul hospitari, sed in noctis crepusculo circa exercitum hospitati sparsim, tenentes equos manibus in singulis : ea nocte fuit idem servus et dominus.

CAPUT XIV.

Interim cum Algazi petiisset castrum Sardonas sibi reddi minis, et blanditiis, terroribus, pollicitis, nec habere potuisset, assultu et ingenio priori simili, impetuose bis vel ter in die, nocte etiam castrum aggredi non desistit : ubi autem deficientibus herbis et segetibus, aquis etiam hominum et equorum vi-

etui necessariis, sub specie acquirendæ munitionis et stipendii, perfidi gregatim Turcomagnorum et Arabum factis millibus, per diversas partes quibus incedebant de more luporum rapacium, perfidis inhærendo et devorando secumque abducendo ex rapto quidquid poterant, repatriare satagebant. Ipse etiam rex Arabum, nomine Debeis, Bocardusque princeps suæ gentis nominatissimus, et plures principum, qui cum Algazi in conflictu exstiterant, post primos recedentes simili modo profecti sunt. Quo viso, Algazi, antequam rex adveniat, ad capiendum castrum insistit suis viribus; magis autem astutia fallenti oppidanos fallere nititur. Eisdem etenim spopondit fide et sacramento suæ legis, si munitionem suæ dominationi subderent, eos sanos et intactos, suo deductu salubri, ad metam tutæ evasionis provehi, rebus omnibus salvis et intactis. His auditis, partim coacti vulneribus, ex inertia corporis privati viribus, sumpta principis quasi fiducia, petitioni nefandissimæ hoc pacto assensere, omissoque oppido, jussu profani principis, pro ducibus conductoriis se ipsos manibus carnificum ignoranter tradidere. Lætus itaque, læto animo oppidum suscepit. Multo vero lætiori imperat manibus suorum abeuntes Christicolas sævissimæ morti tradi. Quid horum singula? pene omnes uno momento facti sunt necis præda.

CAPUT XV.

Nondum autem ad aures regis id pervenerat. Ea vero nocte, qua apud Daniz castrametatus est, relatu cujusdam curati Rotberti Fulchoii sic accidisse intellexit. Nec tunc mirandum fuit, si rex, qui solus post Dominum, dominus et defensor Christianitatis exstitit, ea vice iterum detrimento et dedecori Christicolarum condoluit, consolatus tamen virtute sanctæ crucis, se in mane pugnaturum contra hostes præparavit viriliter. Algazi vero jam sciens regem apud Daniz immorari, relatu illorum qui circa exercitum nostrum præludentes exstiterant, munito Sardonas, ipse et Dodechinus cum omni exercitu suo in sero, militibus illis quos ante præmiserant, circa nostros exsultantibus et insidiantibus juncti sunt, ut mane subito soporatos invadere potuissent; id namque sæpe multis profuit. Rex autem somno lentus, sed provisor utilitatis, et munitus signo venerabili quo et reges regnant et hostes vincuntur, ipso etiam die quo priores venerant, provide, ut ille, qui sæpius hostium esse et bella expertus fuerit, cum archiepiscopo Cæsariensi et aliis veræ fidei cultoribus, disposuit nocte tentoria sua colligi, milites parari, et omnia bellatoribus necessaria sic decerni; quod si hostes subiti in eos irruerent, nihil pigrum, nihilque inordinatum inveniant; sed in datis ictibus et prostratis hostibus Christianos Dei virtute et ejus signo vigere comperiant; sin autem, ut eos gregatim posset comprehendere, disposuit se cum toto exercitu ordinatis aciebus die terris illabente, versus Hap equitare. Eo etenim modo æstimabat bellum, et fuit, inevitabile. Mane itaque præmisso signo salutifero, novem aciebus jussu regio dispositis, Deo et virtute sanctæ crucis Christicoli commendati, more bellatorum passim iter arripiunt hoc ordine incedentes: tribus aciebus ante positis, manus pedestris ut hos protegat et ab his protegatur, retro sistitur; virtus vero regia harum et aliarum protectione parata, incessit ordine omnibus necessario: acie comitis Tripolitani militis strenuissimi a dextris posita; aciebus baronum a sinistris et post, jussu regis quibusque suo loco positis. Hostes vero in dici crepusculo circumquaque positi tympanorum ac buccinarum emittunt strepitum, cum strepitibus clamores, cum clamoribus latratus, cum latratibus audaciam. Et quia his ab incœpto gressu Christicolas removere, et in dispersionem æstimabant compellere, duplicatis clamoribus insistunt vehementius, hinc et inde sæpius sagittarum et telorum immissis sævis ictibus. Qui cum hoc modo quod moliebantur efficere nequivissent, et nostros audacter incedere et viriliter resistere persensissent, ex arrogantia multitudinis pugnatorum audaciam assumentes, ambitiosi manum pedestrem prosternere, qua gravius refrenabantur; cum hanc præcedentibus aciebus, et acies hoc protegi viderint, vi maxima accensi, animosius post ictus illatos, lanceis et sagittis, arcubus immissis brachiis, exemptis ensibus nostros percutiunt. Itaque jam pluribus dissipatis, ipsam etiam comitis aciem splendidissimam in regali acie mergi faciunt. Ibi quidem apparuit quia in comite natura militiæ nihil exaruit; sparsis etiam suis et penitus effugatis, sparsisque tribus aciebus, ipse solus vel cum paucis militarie agendo vicissim datis et vicissim susceptis ictibus, hostibus resistebat, et se constanti animo cum cruce Domini et rege mori vel vivere applicuit. Interim præfatis aciebus effugatis, major pars nostræ manus pedestris, permissione Domini concussa, hostium gladio corruit. Statim que a dextris et a sinistris, a cauda et a capite, hostes gravi impetu nostros percutiunt. In hoc conflictu archiepiscopus Cæsariensis, vir vitæ venerabilis, nomine Euzomerus, non lorica, sed sacerdotali superpellicio indutus, crucem Domini venerabilibus gestabat manibus; cujus protectione ipse etiam sagitta percussus, multis attestantibus, permansit illæsus, sola gutta sanguinis illi in testimonio eminente. Ibique regis equus in collo exstitit vulneratus. Quod cum archiepiscopus comperisset, et perfidos nostros invalescere persensisset, in eos versa cruce Domini apertissime inquit: « Hujus virtute sacratissima anathematizati sitis, nefandissimi et divina ultione in dispersione effugati, citissime pereatis. » Rex itaque virili audacia fretus, qua parte hostium turmas vi pugnatorum in nostros magis vigere comperuit, illic exclamando S. crucis protectionem et auxilium, velocissime irruit; perfidos prostravit, et in dispersionem impulit, ita, inquam, quod vicissim anteriores, et vicissim posteriores percutiendo effugavit. Sicque actum est ut in illo bello, divina agente

providentia, ut ex utraque parte, et victi et victores haberentur, sed dissimiliter. Nostri etenim victi ad Hap, ad Antiochiam et etiam remotius ad Tripolim fuga evadentes, nostros ad exterminium deductos nuntiaverunt. Aliunde etiam Turci cum impetu quorumdam nostrorum ad Alapiam effugati, Algazi et Dodechinum cum omni Turcomagnorum exercitu ad interitum deductos asseruerunt. Auctor vero et inspector summæ justitiæ id regi Balduino, per virtutem S. crucis et vitam ipsius exigente contulit, quod et hostes effugavit, et cum triumpho divinæ victoriæ, belli campum libere et absolute cum paucis etiam obtinuit.

CAPUT XVI.

Contigit autem partes hostium partibus nostrorum ab impetu revertentibus fessis, et equis eorum deficientibus cum agasone, quoddam vexillorum regi deferente, separatim obviasse. Quod cum perfidi sorte sinistra defatigatos conspexissent, immissis sagittis equos ex facili prostraverunt, et milites vi telorum coactos quosdam morti tradidere, et quosdam captivitatis laqueis astrictos, rege nesciente Alapiam perduxerunt. Rex vero campum obtinens, audito nuntio quosdam ad Hap effugisse, et ibi permanere, pro illis bis et ter enuntiata victoria mittere festinavit. Qui licet certo signo et certis indiciis rege cum victoriæ triumpho campum obtinere persensissent, ad ipsum tamen, partim timore coacti, et partim verecundia pressi, accedere verebantur; nec tamen reverti desinunt, ne penitus defecisse tencantur. Rex itaque penuria victus potusque coactus, sero profectus ad Hap, mane in campum revertitur, vulneratos campi et defunctos, quod decebat, utrosque perduci imperavit, et circumquaque si quid belli residui remansisset, ipsemet equitans spectatum, strenuos transmittere curavit, in campo etiam tam diu remansit, quod certis nuntiis et certis indiciis perfidos devictos lucide intellexit. In illo conflictu, ut putabatur, ex nostris quingenti vel septingenti pedites, et centum milites perempti sunt; de Turcis vero, ut ipsimet fatebantur, qui evaserunt, duo vel tria millia Christicolarum gladio corruerunt. Id victoriæ, in vigilia festivitatis de Assumptione beatæ Mariæ virginis, virtus S. crucis obtinuit. Gavisus itaque rex memoratus, annulum sui digiti, patriarchæ suæque sorori principissæ bene notum, fideli internuntio ad Antiochiam deferendum commendavit, ut hoc signo victoriam S. crucis nuntiaret, et regem belli campum obtinere assereret. Nuntius itaque haud lente profectus, omni populo Antiochiæ in mœrore constituto hæc nuntians, in signum Christianæ victoriæ ex parte regis patriarchæ annulum præsentavit. Quid ergo? Deo altissimo omnesuna, resumptis viribus, moribus et vita emendati, retulerunt gratiarum actiones, in ecclesia sua læti. Post hæc autem in divina potentia vivificæ crucis, recuperate triumpho Christianitatis, rex Antiochiam rediens, extra civitatem, ut decebat, remotius solito, ab omni populo ac clero cum hymnis et canticis spiritualibus victoriose suscipitur, ductuque processionis salutiferæ, ad ecclesiam beati Petri, unde iter et initium bonæ expeditionis assumpserat, hilaris et lætus reducitur, ad laudem et gloriam summi regis et summi Domini, « cui nemo aliunde placere potest, nisi ex eo quod ipse donaverit », qui vivit et regnat Deus in sæcula sæculorum. Amen.

CAPUT XVII.

Nunc autem quædam illorum quæ Christicolarum captivorum exterminio discutienda prælibavi, pro visu et auditu seriatim edisseram. Eo namque die quo Dodechinus rex Damasci et Algazi Turcomagnorum princeps virtute S. crucis et manu regia devicti fuerunt, et in dispersione effugati, nuntiatum est filio Algazi, ea vice oppidano Alapiæ existenti, ipsos primates cum majori parte illorum exercitus Christianorum gladio corruisse. Quo audito, potentiores Alapiæ quidam antea manu et jussu nefandi principis redempti, et quidam a domibus suis et aliis honoribus privati, eisdem Turcomannis attributis, sub specie publici luctus et clamoris, intrinsecus gavisi, moliti sunt evasis fugientibus diversis modis exterminii impedimentum inferre. Astute etenim milites alios raptores, post disconfectos dirigunt, qui fugitivos exspoliando cædant, et vice dispendiorum Alapensibus illatorum, ira vindice ipsos perdant. Sicque actum est quod extra civitatem fugientes per diversas partes, diversis exactionibus plectantur, et infra a quibusdam veris, et a quibusdam fictis lacrymis cum immensis clamoribus, pro peremptis lugubres luctus deducuntur, ita quod ipsa civitas in superficie et fundamentis murorum ac turrium ædificiorumque diversorum non secus intonat, ac si tota fulgoribus et tonitruis subverti debeat. Idque actum exstitit, more illorum exigente; cum enim vincantur, facto edicto, nuntiant se vicisse, et simulatis triumphi gaudiis tympanistris, tibiis, tubisque clangentibus mentes desolatorum, ne desperent, his instrumentis ad gaudia excitant. Ea vero vice jocundius solito et animosius talibus insistebant ut captivi Christicolæ, qui tunc Alapiæ diversis tormentorum generibus astricti tenebantur, hoc audito magis magisque animo cruciati quoquo modo decrevissent: ipsi vero armis fidei præmuniti, licet cruciamine cordis et multis injuriis affecti haberentur, pro eoque relatu perfidorum audierant regem suosque bello cecidisse, nunquam tamen a cultu veræ fidei defecerunt, sed multo ardentius solito pro salute Christianæ militiæ, et pro se ipsis Deo medullitus vigiliis et orationibus supplicabant. Contigit autem eos audisse, furtivo relatu quorumdam fidelium, et etiam infidelium, gaudia et diversos plausus quæ publice agebantur, ex re, mœrore et luctu præmaximo plena exstitisse, super nefandorum exterminio, et Christianorum victoria, quæ patebat virtute S. crucis insignata, et præsentia regis Balduini belli campum obtinentis. Audierunt etiam Dodechinum cum Algazi ad exterminium devenisse. Quid ergo? Quidquid amaritu-

diiis ac doloris antea passi fuerant, hoc audito totum in dulce conversum reputant, eique a quo bona cuncta procedunt, devote ac puri cordis affectibus supplicare non cessant. Hoc gaudio refecti die deducentes et ad noctis partem tertiam vel mediam exhilarati, certæ spei victoriæ congaudentes, ex insperato audiunt et diversis partibus hominum clamores prioribus dissimiles, gaudia cæteris altiora, instrumenta, tympanistria, ferocius ante tactis sonitus ac tumultus emittentia. Mirantur itaque captivi et admirantur, quid novi horum mutatio insinuet, et quid insolitum populus totius civitatis circumquaque accensis luminaribus cum altis clamoribus prædicet. Contigerat autem Dodechinum et Algazi a bello in partes Berriæ fugatos, inermes et defatigatos, cum paucis Alapiam remeasse; et inde præfata laudum præconia intus et extra inter Alapenses admirative excrevisse. Tunc iterum, quod captivis gratum fuerat et dulce, hoc intellecto sorte miserrima cessit in contraria; summo etenim mane dum vacarent orationibus, sceleratorum principum adsunt internuntii, et cum ipsis turba prædictorum non minima, afferentes septem militum capita, cum nudatis ensibus ferratum impetuose carceris pulsantes et impellentes ostium, de more solito quo captivos de die in diem ad decollandum extrahere consueverant; intrantque carcerem usi his vocibus: « Ex parte victoris Algazi nuntium vobis afferimus, regem vestrum residuumque Christiani popelli, ipsius glacio in bello corruisse, » et oblatis capitibus, captivis inquiunt: « Hæc fercula ut sint vobis in escam, nuc dirigit ipsa legis stella: Nec multo post ipsius vestri regis viso capite et vexillo, equidem sentietis quæ et quanta sit virtus eximiæ nostræ legis, cui amodo contradicere non habetis. » Sic facti rei seriem occultantes quasi læti ad dominos extra portam in tentoriis accubantes, illorum dedecus et detrimentum vini potationibus revelantes, nuntii revertuntur. Captivi autem ad parietis rimulam, ubi relatione fidelium acta sceleratorum principum sæpius intendebant, tunc quoque serio intellexerunt utrique parti dispendia contigisse præmaxima, ita, inquam, quod profani, foris simulato gaudio, pro amissione triumphi intus cruciabantur animo. Christiani vero recuperato triumpho, in Christo certa et perfecta gaudebant victoria. Quinto vero die, Rotbertus Fulcoides, manibus impiorum abstractus et dilaniatus, Alapiæ Algazi præsentatur. Unde geminata lætitia et inauditis laudum præconiis, omnes una plaudentes manibus, ad ipsum quasi ad monstrum confluunt non ut á pœnis redimant, sed ut hunc admirando illudere, illudendo cruciare, et cruciando membratim valeant discerpere, et hoc sævo vindictæ genere, dolorem suum ab ipso eisdem ex longo tempore illatum gaudeant minuere. Domino vero prohibente, non audent eum tangere. Quid ergo super hoc? Cum populus id efficere nequeat in seipsum, et capillorum et barbarum evellationem retorquere non cessat Placuit autem principi nefario, ut hunc Doldechino, exquisitori et inventori diversorum tormentorum, ad puniendum dirigat. Mittitur itaque et a collo et a manibus vinculis ferreis strictissime religatus. Quo viso Doldechinus vice gaudii prætendit os rictu ferino dilatatum. Miratur itaque torvo lumine ipsum militem, cujus manu et ingenio cum cæteris fidelibus, sæpius sibi contigerant rerum suarum dispendia, suique corporis effugati plura incommoda. Quid ultra? præsentatum suscepit, susceptum inspicit, inspectum contemnit, contemptum ad exitium quo dignus fuerat evenisse decernit, hoc modo inquiens: « Eia! Rotberte, eia! inspice quid utilitatis lex nostra confert, quo vos error et incredulitas compellit. Unde ad hoc ducimini quod legem nostram lege vestra et omnibus aliis meliorem pervertere nitimini? ut quid manus vestra, manus, inquam, quantula, in potentiam et dominium nostri, ut vermis humi serpendo se extollit? Ecce hactenus fato nostro exigente, cadendo et resurgendo incessimus. Modo vero eodem permutato jus vestrum in nos redactum, ex munere *DEI* credimus. Te autem recolo, mihi de tuo tribuisse jam in præterito; unde ut te interficiam apud me hac vice non invenio. » Remisitque eum ad Algazi, inquiens verbis internuntii: « Malo hunc tuo quam meo perire gladio. » Nec ob aliud mortem inferre distulit, nisi ut vicissim illusus ab utroque, sentiat quid utriusque terror et potentia in eum exercere valeat. In præsentia itaque Algazi illusus, præfato nequam Rotbertus iterum præsentatur, cui, arrepto gladio, Dodechinus inquit; « Abrenuntia legi tuæ, vel morere. » Ad hæc Rotbertus: Omnibus operibus Satanæ et pompis ejus abrenuntio; pro Christo vero non renuo. » His verbis profanus furore arreptus, illatione gladii caput Christiani a corpore separavit. Quod deferendum publice, judiciario præconi tradidit, corpus vero ad dilacerandum vulgo proclamanti, munus præoptatum contulit. Quid igitur? Lator capitis per plateas, et vicos civitatis hoc ostenso et divitibus præsentato, quingentis bysantiis, et diversis muneribus exhilaratus, ad profanum rediit; eisque pro illato sibi beneficio gratias agens, flexis genibus medullitus supplicavit, caput quæ reddidit. Unde impius ille ab artifice artis impiæ vas sibi ad potandum auro purissimo gemmisquæ pretiosis ac mirifico ornatu constructum, citissime fieri imperavit, quo sibi potanti in festivis solemnitatibus suis posteris signum audaciæ et victoriæ repæsentari valeat. Statimque Dodechinus, electis suæ gentis primatibus internuntiis Algazi requisivit, ut pro remuneratione veræ amicitiæ, acceptis ab eo bysantiorum Sarracenatorum 60 millibus, promisisset eum carcerem Francorum ingredi, ut omnibus qui in carcere illo erant manu sua propria detruncatis, ipse in effuso sanguine vice optati balnei potuisset recreari, et ut aquila vivente renovari. Algazi vero accepto consilio, primatibus hoc modo respondit: « Petitionem tanti viri rectam ac justissimam esse fateor. Est autem aliud quod prius

agendum intueor, legi et utilitati nostræ profuturum, quo peracto, et in his et in aliis tanti amici voluntati et dominio, funditus obsecundabor. Ne autem vos et ipsum affectus mei consilii lateat, hoc vobis attendendum, et ei referendum prudentia vestra concipiat. Castrum Hasa, quod porta introitus et exitus Halapiæ reputatur, nondum habere possumus. Hoc enim quod Franci resumptis viribus in nos convaluerunt, nimis impedit, et præfatum recuperare, et jam recuperata castra ab eorum ingenio et potentia intacta conservare. Quod si captivos quos habemus ex eorum genere nobiles et ignobiles, hoc modo exterminari permiserimus, et in castris recuperandis et in aliis dispendia solito graviora profecto patiemur. Et est nobis consilium, moliri utrum captivorum commutatione quoquomodo simulata valeamus, vel in redditione castri, vel in aliis astutum et providum ipsorum regem fallere. Eo etenim vivente, puta dictum, nos nullatenus illud castrum; sed nec quidquam terræ suæ dominationi subditæ, nisi vi aut ingenio posse habere. Ferendum est itaque captivos adhuc vivere, ut prius ultrici manu gravatis horum principibus ac dominatoribus, postea in ipsos ipse Dodechinus retorquendo, quidquid obtat sitienti animo satisfaciat. » Hoc audito, reversi nuntii, audita suo referunt domino. Laudantque decens et utile illud fieri quod legis stella consulit. His auditis, Dodechinus, licet invitus, favet tamen et patitur. Uterque autem territus fuga et exterminio quod eis contigerat prætermissis æquitatibus cæterisquæ negotiis reipublicæ profuturis, solis potationibus invigilant. Inter quas noctibus ac diebus horis desperatis, missis ministris cædis, ut oves gregatim captivos abduci et ante se sisti faciunt. Quorum quidam funibus ad stipem suspensi, seorsum plexis capitibus, sursumque versis pedibus, duræ cædis materia, sagittarum præbentur crebris ictibus. Quidam vero pubetenus, quidam umbilicotenus, et quidam terræ specumentotenus infossi, manibus impiorum, vibratis jaculis, subeunt pro Christo lamentabilis vitæ discidium. Nonnulli equidem singulis cæsis membris, in vicis et plateis projiciuntur, transeuntibus miræ exactionis spectaculum, et quo amplius perfidorum fervebat ebrietas, tanto magis tormentorum crescebat perversitas. Quod ab affectu potationis herili palatii expertum multis innotuit; eo namque die quo post bellum Algazi in palatio vini furia inebriatus accubuit, omnes una quotquot fuerant Alapiæ, Christicolæ captivi nominati, ipsius jussu ante eum adducti sunt. Ibi quidem, ante ingressum palatii congregato ferme totius civitatis populo, eisdem proclamantibus ac suspirantibus in affectu optati captivorum exterminii, traditi sunt cædi miserrimæ milites ac pedites 27 exterminandi pari cruciamine. Horum in momento corporibus detruncatis, totum porticus pavimentum aulæ regiæ profluens aspergit unda sanguinis. Tandem præter istos in exsultatione portationis horrificæ, milites utriusque belli, tam proceres quam et alii, coram perfido super pavimentum acerrime religati, ubi a circumstantibus illusi, contumeliis et terroribus affecti, multisque alapis, et miseriarum stimulis impulsi, barbarum et capillorum evellationibus deturpati, pudibunda nuditate pressi, strident dentibus, tremunt visceribus, inhiant cœlestibus. Ea vice in mundo nihil eis certius quam ictus gladii imminentes, mente et corpore cruciantur, singuli etenim unus post unum, coram impio advocati, ab ipso verbis internuntii requiruntur: « Quid maluit, aut Christicolarum legi abrenuntiare, aut illatione sui gladii in momento acerrime truncari? » Ab eis autem, veræ fidei contrarium nihil verbis, nihil operis extorquere potuit. Audita itaque responsione procerum, fidei, spei; ac charitatis plena, cum et minas ipsius, et mortem pro Christo pati non formidante assurgit, arrepto gladio profectus in medium, in gyrum deambulando, et torvis luminibus intuendo singulos æstimans sacerdotem esse, qui cum captivis aderat, quemdam militem jubet arripi, cujus caput ipse idem manu propria gladio succidit. Reversusque in gyrum, in medio captivorum, ensem deducendo ante ora singulorum, expetiit bysantios citissime sibi porrigi, non ut vellet eos redimi ea vice, sed quia ebrietate impulsus volebat eos perdere; statimque jubet arripi alium, Arnulfum nomine, Marisiensem dapiferum, magnæ religionis virum. Datoque gladio patriarchæ Damasceno, inquit, « Percute, percute; sic decet utique. » Quo accepto Archadius mente compunctus cuidam Amiraldo inquit: « Vice mei id honoris legi nostræ exhibe, ut vir tantus manu tanti militis jam privetur capite. » Ipsoque decollato, Algazi iterum accepto gladio venit in medium, non alia intentione nisi ut omnes una simili cæde perdat. Actor vero summæ pietatis id captivis contulit, ut quod perversitas illius intendebat agerent nutu Dei mutaretur, misso sibi munere. Contigit enim tunc ex parte Debeis regis Arabii, equum miræ pulchritudinis illuc advenisse freno et sella ac pendulis raræ ac pretiosæ artis ligulis adornatum, ab aure usque ad pedis rasulam, auro Arabico gemmisque pretiosis decoratum. Quo viso, projecto gladio Algazi gaudio permutatus cum primatibus intrat thalamum, seque induit ornamentis pretio et opere mirifico specialissimis, primatibus vero imperat ut captivos cito compellant ad hoc quatenus a singulis audiant, quantum pro redemptione vitæ suæ quisque dare valeat. Sic factus, equum ascendit ad Dodechinum tendens ministrum Antichristi; primates vero vice domini inquirunt a singulis quantum possent redimi. Auditis singulorum pretiis secundum majus et minus, totum inscribunt chartulis, et, his finitis, ad carceres captivi remittuntur.

CAPUT XVIII.

De diversis itaque tormentorum generibus, quibus captivi carceribus Sarracenorum conterebantur, multa quidem miranda ac stupenda haberem describere, et verbis edisserere; sed quia reges, prin-

cipes, mundique alii potentes, etiam et impotentes, ejusdem conditionis, ejusdemque fidei homines cujus et ipsi sunt, aliquando juste, aliquando injuste capiunt, captosque pro extorquenda pecunia diversis pœnis, puniunt, et cum pœnæ omne genus mortalium, instinctu diabolico, a malis potius quam a bonis exempla sumere consueverint, utilius mecum reputo formam et quantitatem tormentorum tacere quam exprimere, ne Christicolæ Christicolis similia inferant, et in consuetudinem vertant. Illud vero miraculi, quod captivis in carcere contigit, eisdem compatiendo, præsentibus et futuris litterali memoria pando. Nocte quadam cum captivi sopori membra dedissent, sopori, inquam, qualis haberi poterat in miseria, cuidam militi Sansoni de Bruera cognomine, per visum innotuit cœlum apertum vidisse, et inde Dominum nostrum Jesum Christum, cum decore et splendore virtutum a summitate cœli usque super carcerem consedisse, ipsumque Sansonem ut ad eum veniret cum suis sociis imperando ter vocasse, et, ipsis advenientibus, dextrum brachium a summitate carceris usque ad finem extendisse, dextroque pollice intincto oleo et crismate, signum sanctæ crucis singulorum frontibus impressisse. Inter quos, ex nomine assignatos, per visum affuerunt alii, quos cum Dominus eodem modo non signasset, interrogatus a Sansone quare eos dimiserit, fertur ei sic respondisse : « Nolo amplius; alias, ubi mihi placuerit, cæteros signabo. » Hac visione Sanson excitatus, captivos fratres nocte media, more solito, ad orandum excitat, eis finitis matutinis laudibus hanc visionem insinuat. Quid singula? Eodem die, omnes signati, et cum ipsis alii, extra portam ducti sunt ad patibulum, ubi princeps sceleris cum primatibus totius Alapiæ dignitatis, festivali potationi invigilabat. Quibus visis, magister sceleris exsultans primatibus inquit : « Intuemini qua redemptione et quo munere liberos milites istos velim ad dominum regem suum regredi, et ut singuli a manu mea propria munus suum recipiant unus post unum adductus, sicut decet, jam veniat. » Primus itaque Sanson adductus, ipsius Algazi manu capite plexus, martyrii munere decoratus cum sanctis regnaturus Domino præsentatur; idemque de cæteris 24 signatis, vere peractum comprobatur.

Nec id tacendum intueor, quod inter istos quidam juvenis exstitit decollatus, natus Aconensis vicecomitis; cujus corpus, a loco in quo jacebat, virtute ac miraculo Domini, coram cunctis ibidem existentibus, ad alium locum se transvexit. Et hoc facto, profanus viribus destitutus in effuso sanguine spumans et elisus occidit, torvo genere passionis acerrime deturpatus, ita, inquam, ut os cum auribus, et aures cum naribus chaos horridum firmasse videretur. Residui itaque non signati, pulsi, flagellati, et detracti, manibus impiorum sævissime ad carcerem remittuntur. Ipse vero Algazi manibus suorum in tentorio collocatus, more solito a vino superatus in fetore sui ipsius fecis, quindecim diebus, mundique alii potentes, etiam et impotentes, A rum spatio jacuit, quasi mortuus, et hoc genere passionis turpissimæ in magnis potationibus sæpissime terebantur.

CAPUT XIX.

Post hæc autem, cum non valeat vi, nec ingenio ea vice regem cum Christicolis fallere, a Dodechino et primatibus sumpto consilio, prostrato castello Sardonas, munitisque suis oppidis a terra captos proceres et quosdam alios imperavit redimi, ac pretium redemptionis militibus et servientibus terram custodituris attribui, donec ipse ad Merdinum profectus, ipsius honoris speciale castrum, ob Christicolarum detrimentum, Turcomagnorum gentem majorem solito congregaret et redeat. Quid singula? Profectus, tam Turcomagnorum quam et Arabum, B gentem præmaximam congregat. Et his congregatis, visa tanta multitudine, elatione immensæ superbiæ arreptus, statuit cum uno Soldanorum Chorocensium super regem David in evetiam equitare, ut eo perempto vel hæredato libere et absolute valeret Hierusalem et Antiochiam peremptis Christianis suo dominio subdere. Ipsi vero cum superbia equitandi, ira Dei exstitit. Eo namque die, quo Soldanus et ipse Algazi cum sexcentis millibus terram legis bellaturi intraverunt, ipse idem rex David, signo sanctæ crucis præmunitus, habens inter Medos et Christianos quater viginti millia pugnatorum, factis agminibus inter duos montes densissimis nemoribus insitos, in valle resistit qua, ut fama re- C tulit, super eum hostes ingredi præsumebant. Restitit, et sic locutus est : « Eia! Christi milites, si pro lege Dei tuenda legitime certaverimus, non solum innumerabiles dæmonum satellites, verum etiam ipsos dæmones ex facili superabimus. Est autem consilium quod intueor, si laudatis, nostro honori nostræque utilitati profuturum, hoc videlicet ut erectis ad cœlum manibus cunctipotenti Deo promittamus, pro amore ipsius in hoc belli campo ante mori quam fugere, et ut fugere nequeamus, etiam si velimus, patentes hujus vallis aditus quibus intravimus densissimis lignorum struicibus constipemus; et constanti animo, hostes e proximo in nos certare præsumentes acerrime percutiamus. » Quid singula? Tanti regis veri et perfectissimi Christiani D laudata, probata et perfecta stat sententia. Nec mora, dispositis aciebus singulis, rex ducentos milites Francigenas, quos habebat, ad primos ictus inferendos anteposuit, statimque in altera parte vel fronte vallis, cum ingenti hominum clamore, equorum et armorum strepitu constipato, sceleratorum vexilla prodeunt ferocissima; et his accedentibus diversorum instrumentorum sonitu intonant undique montes cum vallibus. Rex autem David tantorum ferocitatem humillime præstolatur, suosque invitat virili animo, et consolatur, asserens elatam infidelium multitudinem cooperante virtute sanctæ crucis, parva manu ac brevi posse conteri. Nec multo post visis Christicolis, infinita multitudo, spiritu superbiæ exagitata, cum immensis clamoribus in eos ir-

ruit; virtute vero Domini imprimis ictibus excæcati, Francorum manibus corruunt in dispersionen. effugati. Ut quid singula? perfidi nutu Dei Christicolis et Medis una præbentur cædis materia, et ut serio existentium in conflictu didicimus, in fuga spatio trium dierum habita, corruerunt regali gladio quater centum millia; idemque Algazi in capite vulneratus, peremptis pene omnibus suis permissione Domini, cum paucis effugatus, inermis et famelicus conductu regis Arabum repatriavit semimortuus. Sequenti vero anno convalescens ad obsidendum Sardonas, quod manu regis refirmatum fuerat, quotquot potuit militum ac peditum constipatus agminibus, mense Julio rediit. Quo audito, Goscelinus comes Edessanus, sumpto ab Antiocheno patriarcha consilio, cum suis et Antiochenis bellatoribus, ad Samartanum profectus est, ut obsidionem Sardonas bello dissipet. Quo audito, rex Hierosolymitanus cum Hierosolymitanis adveniens, citis gressibus illuc pervenit, ante cujus tentoria e partibus perfidorum milites præludentes advenerunt, visuri Christicolarum exercitum. Quid ultra? visis Christicolis hostilis ferocitas timore subacta, nocte collectis tentoriis et ante se præmissis, castrum lædere desiit. Ipse Algazi cum suis Alapiam reversus est, arreptus genere morbi paralytici. Qui cum nollet istud prodi, simulavit se iterum et in brevi tam Arabum quam et Parthorum maximam gentem adducturum; quod si esset sui juris, ardenti animo invigilasset Christicolarum exterminio. Contigit autem in lectica qua ferebatur pro honore et impotentia, cum egressionis ventris ipsius sordidam per annum exiisse animam, et abstractam infernalium scorpionum unguibus corruisse in inferni inferioris ollas, plenas diris ignibus, ardentibus, sine fine comburentibus et inexstinguibilibus; a quo nos liberet ipsius Domini nostri Jesu Christi gratia et misericordia, cujus imperio parent omnia cœlestia, terrestria et infernalia, per sæculorum sæcula. Amen.

Expliciunt Antiochena bella, acta a Rotgerio principe Antiocheno bello, quod Fulcherius supra in hujus voluminis exordio descripsit.

FRETELLI ARCHIDIACONI

LIBER

LOCORUM SANCTORUM TERRÆ JERUSALEM.

(Baluz, *Miscell.* edit. Mansi, I, 434.)

JOANNES DOMINICUS MANSI LECTORI.

Quem statim evulgo Fretelli libellus nomen auctoris et titulum haud ignotum eruditis præfert; utrumque enim norant ex Bibliotheca Latina mediæ et infimæ ætatis Joannis Alberti Fabricii. Sed nihil quidquam rescisse illos credo ulterius sive de libro ipso, sive de tempore quo auctor scribebat. Ac de tempore nihil ego habeo proferre, nisi conjecturas. Fretellus opusculum hoc suum dicavit Raymundo comiti Toletano [Tolosano]; nunquid forte idem est Raymundus comes qui regalibus nuptiis cum Urraca, filia Aldefonsi VI regis Castellæ, dignus est habitus? Quo vixit sæculo sacræ peregrinationes ad loca sancta obtinebant. Porro Raymundus ex Urraca conjuge filium retulit Aldefonsum, qui, ineunte sæculo XII, *anno scilicet* 1109, *ad Toletanum solium ascitus, sub nomine Aldefonsi VII regnavit. Hinc de tempore quo Fretellus scribebat conjecturam capere licet. Porro Fretellus iste archidiaconum se appellat, cujus tamen Ecclesiæ nec dicit, nec habeo unde hoc investigem. Id constat de locis sanctis ita illum disserere, ut ibi egisse videri possit; unde eum tanquam oculatum testem Raimundus ea de re interrogavit. Hujus igitur Fretelli libellum, quem et Adrichomius in suo Theatro Terræ sanctæ consuluisse se profitetur, modo evulgo, acceptum ex Collectaneis Nicolai Rossellii Aragonii, qui sub Innocentio VI pontifice ex monacho illustris ordinis S. Dominici in cardinalium collegium translatus est anno* 1356, *et sub Nicolai cardinalis Aragonii nomine claruit. His miscellaneis titulum indidit :* Cumulatio fratris Nicolai Aragonii ex diversis registris et libris cameræ apostolicæ, et aliis diversis libris et Chronicis *compilata; quæ verba sunt Jacobi Etrusci, qui anno* 1503 *codicem servatum in ecclesia cathedrali Lucensi scribebat* exemplatum, *ut ipse addit ex vetusto et forte originali codice.*

Cum vero nemo huc usque divitem hanc collectionem diligenter adhuc investigaverit, ex hoc ipso pene erucre mihi plurima licuit, nunquam antehac in lucem extracta.

LIBER LOCORUM SANCTORUM TERRÆ JERUSALEM.

PROLOGUS LIBRI.

Domino suo venerabili et fratri RAIMUNDO, Dei gratia Toletano [Tolosano] comiti, FRETELLUS eadem gratia archidiaconus, sub spiritu consilii et fortitudinis Deo militare.

Cum ad Orientalem Ecclesiam causa tuorum peccatorum confugisti, et in terra promissionis, patria scilicet Salvatoris nostri Jesu Christi, peregrinares, ex qua secundam Jerusalem contemplare, et ipsa Sion, quæ allegorice paradisum designat, et in qua materia fortiores ex Israel novi Machabæi veri Salomonis lectulum excubantes, inde Philistihim et Amalec expugnant, postea vero sacra regni David loca, quæ divina catholicis informant, quæ sint, et ubi, et quid significent diligenter intitulare ne pigriteris, ne quando revertens ad Ægyptum Babylonis in terras incurras, et hic quandiu moram feceris illius sancti Hieronymi sententiæ faveas dicenti : « Non est laudabile in Jerusalem fuisse; sed bene vivere, nec sacris locis offerre nisi legitima acquisita. » Ergo, quoniam devote, prout nobis visum est, imo catholice, huc transfretans de longe remotis Hispaniarum finibus accessisti, tu qui largus, et benignus es, bonis nec non omnibus in sancta Ecclesia Deo militantibus, Machabæorum etiam..... commilito hospitatus apud Bethel regis Salomonis in atrio, juxta reclinatorium pii Jesu, ne torpescas in labore tuo, sed Deo redde, quod Dei est, imaginem scilicet quam in te repræsentat, quatenus per hanc peregrinationem tuam ascendens Libanum de flore Nazareno fructum gustans, et odores in cœlestibus, et in Sion stola immortalitatis indutus, cum vero Salomone, cui omnia vivunt per infinita sæcula sæculorum sabbatizare merearis. Amen.

ENARRATIO LOCORUM TERRÆ SANCTÆ.

Modo autem, reverende mi domine, quoniam a parvitate mea locorum sacrorum terræ promissionis, scilicet Israeliticæ regionis, notitiam quærere dignatus es, prout sanius potero, sublimitati tuæ diligenter elucidare non dedignabor. Vertam ergo stylum sumens initium a Cheron, id est Hebron. Olim fuit metropolis civitas Philisthinorum et gigantum in tribu Juda, civitas sacerdotalis, et fugitivorum. Hebron sita est in illo agro in quo summus Dispositor patrem nostrum plasmavit Adam, et inspiravit in eo spiraculum vitæ. Hebron autem Anatarbe dicitur, quod Sarracenice sonat *civitates*. Quatuor illi reverendi patres in spelunca duplici in ea consepulti fuerunt, primus Adam, Abraham, Isaac, et Jacob, et eorum uxores quatuor; Eva mater nostra, Sara, Rebecca et Lia; est autem Hebron juxta vallem Lacrymarum sita. Vallis Lacrymarum dicta est, eo quod centum annis in ea luxit Adam filium suum Abel, in qua postea monitus ab angelo cognovit uxorem suam Evam ex qua genuit filium suum Seth, de tribu cujus erat Christus oriundus.

Secundo milliario ab Hebron est sepulcrum Lot, nepotis Abrahæ. In Hebron habetur ager quidam, cujus gleba rubea, quæ ab incolis effoditur et comeditur, et Ægyptum venalis asportatur, et quasi pro specie emitur charissime. Prædictus ager, inquantum alte et profunde effossus, intantum Dei dispositione, anno finito reddita gleba, gratus aperitur.

Juxta Hebron mons Mambre, ad radicem cujus est illa terebinthus, quæ dirps vocatur, id est *ilex*, vel *quercus*, secus quam permultum temporis mansit Abraham, sub qua quidem tres angelos vidit, et unum adoravit, hospitioque susceptos, prout dignius potuit, fovit et pavit. Unde prima via credendi dictus est ilex prædicta. Ex tunc usque ad tempus Theodosii imperatoris, testante Hieronymo, suum esse dilatavit, et ex ipsa scissa perhibetur, quæ a possidentibus cahra tenetur, quæ licet sit arida medicabilis perhibetur in hoc, quod quandiu equitans quis secum detulerit animal suum non offendet. In Hebron primum applicuerunt causa terræ promissionis explorandæ Caleph et Josue, eorumque socii decem. In Hebron regnavit David annis septem, et dimidio.

Decimo milliario ab Hebron est lacus Asphaltites contra orientem, qui mare Mortuum dicitur, vere mortuum, quia in eo nihil vivum est, nec dat, nec recipit, et mare Diaboli dicitur, eo quod instinctu ejus, quatuor illæ civitates miserrimæ, id est Sodoma, Gomorrha, Seboim, Adama, perseverantes in turpitudine sua, igni sulphureo concrematæ in illo loco subversæ sunt.

Supra lacum in accubitu Judææ Segor, quæ et Belzora dicitur, una de quinque civitatibus illis precibus Lot de incendio et subversione reservata est, quæ usque nunc ostenditur. In exitu Segor uxor Lot in statuæ effigiem mutata fuit, cujus adhuc apparent vestigia. Supra ripam prædicti maris multum aluminis, multumque Katranii ab incolis reperitur et colligitur, et ex mari bitume extrahitur, quod Judææ in multis appellatur necessarium. Segor autem a compatriotis oppidum Palmæ vocatur.

Supra lacum Asphaltitem, in descensu Arabiæ Carviaym spelunca est in monte Moabitarum, ad quam Dahac filius Ebor divino nutu adduxit Balaam ad maledicendum filiis Israel, qui pro vehementi præruptu Excisus vocatur. Lacus Asphaltites dividit Judæam et Arabiam.

Arabia tempore filiorum Israel solitudo erat, et desertum, terra invia et inaquosa. In ea quidem detinuit eos 40 annis Dominus, manna pluens eis ad manducandum. In Arabia Elmon fuerunt castra filiorum Israel in deserto, in quo duodecim fontes, et septuaginta palmæ de mari Rubro exeuntes repertæ sunt. In Arabia est vallis Moysi, in qua percussit bis silicem virga, duos aquæ rivulos populo Dei reddens, de quibus tota illa patria modo irrigatur. In Arabia est mons Sinai, in quo Moyses quadraginta diebus cum totidem noctibus totius expers cibi moratus fuit, in quo etiam Dominus Moysi legem dedit, proprio digito suo scriptam in tabulis lapideis. In Arabia præcessit filios Israel columna ignis per noctem, nubesque vallavit eos diebus singulis. In Arabia sunt quadraginta Mansiones filiorum Israel. In Arabia est mons Hor, quo sepultus quiescit Aaron. In Arabia est Abarim, in quo Dominus Moysen sepelivit, ejus nunquam apparente tumulo. In Arabia est mons Regalis, quem et Balduinus, primus rex Francorum in Jerusalem ad terram illam Christicolis subjugandam et ad tuendum regnum David in castrum firmum reddidit. Arabia jungitur Idumææ in confinibus Botoron.

Idumæa est terra Damasci. Idumæa est sub Syria, caput quidem Syriæ Damascus. Idumæam et Phœniciam dividit Libanus, Phœnicia, in qua Sor, id est Tyrus Phœnicum nobilissima est metropolis, quæ Christum perambulantem maritimam, ut Syrii asserunt, recipere noluit, quæ et divina testante pagina tot martyres Deo reddidit, quorum solius Dei scientia numerum colligit.

Tyrus Origenem tumulatum celat, unde apud Tyrum est lapis ille marmoreus modicus, super quem sedit Jesus manens illæsus; a tempore Christi usque ad expulsionem gentium ab urbe, sed postea defraudatus est a Francis, nec non a Venetis. Supra vero residuum illius lapidis in honorem Salvatoris ecclesia quædam fundata est. Octavo milliario a Tyro contra orientem supra mare Sarphen est, quæ et Sarrepta Sidoniorum, in qua quondam habitavit Elias propheta, in qua resuscitavit filium viduæ quæ eum hospitata fuerat, et charitate fovera[illegible] et pavorat. Sexto milliario a Sarphen est Sidon civitas egregia, ex qua fuit Dido, quæ Carthaginem construxit in Africa.

Sexto decimo milliario a Sidone est Berithus opulentissima civitas. In Berito est quædam Salvatoris nostri icona, non multum post passionem suam ad ignominiam ejus ridiculose a quibusdam Judæis crucifixa, quæ sanguinem produxit et aquam, unde et multi in vero crucifixo crediderunt baptizati; quicunque etiam, ex illa icona perunctia quacunque gravabantur infirmitate, sani reddebantur.

Arphax est urbs Damasci, de qua historia: « Damascus in Syria. » Damascus est caput Syriæ reverenda metropolis, quam construxit Eleazar servus Abrahæ. In agro illo Cain interfecit fratrem suum Abel. Damasco cohabitavit Esau, qui et Seir et Edom, Seir *pilosus*, Edom *rufus*, vel *rubeus;* ab Edon tota illa terra vocatur Idumæa, de qua in psalmo : *In Idumæam extendam calceamenta mea* (*Psal.* LIX, 10). Unde propheta : *Quis est qui venit de Edon tinctis vestibus de Bosra?* (*Isai.* LXIII, 1.) Bosra est quædam pars illius terræ quæ Hus vocatur, de qua fuit beatus Job, quæ et Sueta dicitur, a qua Baldad Suhites. Theman est metropolis in Idumæa, ex Theman Eliphas Themanites. Et Naaman est oppidum, a quo Sophar Naamatites. Ii tres consolatores Job fuerunt. In Idumææ finibus secundo milliario a Jordane est fluvius Laboch, quo transvadato a Jacob cum a Mesopotamia veniret, luctatus est cum angelo, qui de Jacob nomen ejus mutavit in Israel. In Idumæa est mons Seyr sub Damasco. Secundo milliario a Damasco locus est, in quo Sauli Christus apparuit dicens : *Saule, Saule, quid me persequeris?* (*Act.* IX, 4.) In quo et Saulum charitas de cœlo non modica circumfulsit. In Damasco baptizavit Ananias Saulum, nomen ei imponens Paulum; de muris Damasci missus fuit Paulus in sportam, persecutorum sævam veritus rabiem. Libanus interpretatur *candidatio*, de quo in Canticis : *Veni de Libano, sponsa mea, columba mea* (*Cant.* IV, 8). Ad radicem Libani oriuntur Pharphar et Abana, fluvii Damasci. Montes Libani et planitiem Arcados transfluit Abana magno mari se copulans, finibus illis in quibus Eustachius sanctus, uxore sua privatus et filiis, desolatus recessit. Pharphar per Syriam tendit repletam, id est Antiochiam, labensque circa muros ejus, decimo milliario ab Antiochia in portu Solymi, portu videlicet S. Simeonis, Mediterraneo mari se commendat. In Antiochia sedit B. Petrus septem annis, pontificatus decoratus insula. Ad radicem Libani civitas Paneas sita est, id est Bilmas, quæ et Cæsarea Philippi vocatur. In illo loco dedit Deus Petro potestatem ligandi et solvendi. Ad radicem Libani oriuntur duo fontes illi Jor et Dan, de quibus sub montibus Gibelli conficitur fluvius Jordanis, in quo Christus a Joanne præcursore ejus tertio lapidis jactu baptizari voluit; loco illo vox Patris intonuit dicens : *Hic est Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui; ipsum audite* (*Matth.* III, 17). Super Jesum ibi descen-

dit Spiritus Sanctus in columbæ specie. A montibus usque ad lacum Asphaltitem, vallis, per quam Jordanis fluvius labitur, Corcus appellatur Aulon, quod est Hebræum nomen. Appellatur etiam Vallis, illa quamgrandis atque campestris; ex utraque parte vallatur montibus continuis a Libano usque ad desertum Faram, dividit Jordanis Galilæam et Idumæam et terram Botoron, quæ et Idumææ secunda metropolis. Jordanis *descensus* interpretatur. Dan vero ab ortu suo subterraneum ducit gurgitem suum usque ad Meldam planitiem suam, in qua satis patenter suum ostendit alveum. Planitie illa Meldam vocatur, eo quia in ea melius est. Sarracene quidem sonat *platea*, Latine vero *forum*. Meldam vocatur eo quia, intrante æstate, innumerabilis populus secum deferens omnia venalia convenit, ingensque Parthorum et Arabum militia ad tuendum populum, et ad pascendum gregem suum in pascuis illis uberrimis per totam æstatem moratur. Meldam componitur ex Med, et Dan, et Sarracene aqua. Dan fluvium ex planitie prædicta. Dan se reddens in fluvium Suetan pergit, in qua pyramis beati Job superstes adhuc est, quæ a Græcis et gentilibus solemnis habetur. Dan, contra Galilæam gentium se obliquans ab urbe Cedar secus medicabilia balnea spumati plena transfluens, Jor copulatur.

Jor longe a campaneis lac reddidit, ex se postea mare Galilææ sumens initium inter Bethsaidam et Capharnaum. A Bethsaida Petrus et Andreas, Joannes et Jacobus Alphæi. Quarto milliario a Bethsaida est Corozaim, in qua nutrietur Antichristus seductor orbis. De Corozaim et Bethsaidam ait Joannes : *Væ tibi, Corozaim, væ tibi, Bethsaida* (*Matth.* XI, 21; *Luc.* X, 10). Quinto milliario a Corozaim Cedar illa opulentissima civitas, de qua in psalmo : *Cum habitantibus Cedar multum incola fuit anima mea* (*Psal.* CXIX, 5). Cedar interpretatur *tenebræ*. Capharnaum in dextera parte maris sita est, civitas centurionis, cujus filium in ea sanavit Jesus, de quo dicitur : *Non inveni tantam fidem in Israel* (*Matth.* VIII, 10). *In Capharnaum* multa alia signa fecit *Jesus docens in Synagoga* (*Joan.* VI, 60). Capharnaum *filia pulcherrima* interpretatur, vel *filia pulchritudinis*, quæ nobis S. significat Ecclesiam, ad quam cum Libano descendunt, id est de candore virtutum, ab ea et in ea lucidiores sunt.

Secundo milliario a Capharnaum descensus montis illius est in quo Jesus sermocinavit ad turbas, et instruxit populum suum docens eos, in quo et leprosum curavit. Milliario a descensu illo est locus, in quo pavit quinque millia hominum de quinque panibus et duobus piscibus, unde locus ille mensa vocatur, quasi locus restitutionis, cui locus subjacet ille in quo Christus post resurrectionem suam suis discipulis apparuit, comedens cum eis partem piscis assi et favum mellis; supra mare ibidem Dominus sicco pede ambulavit; circa quartam noctis vigiliam Petro et Andreæ piscantibus apparuit, ubi et Petro supra mare ad eum ire volenti et mergenti ait Jesus : *Modicæ fidei, quare dubitasti?* (*Matth.* XIV, 31) ubi et alia vice discipulis suis in mari periclitari timentibus mare quietum reddidit. In sinistra parte maris montis, in concavo Genesareth, Magdalum oppidum, a quo et Maria Magdalena; hæc autem regio, Galilæa gentium in tribu Zabulon et Nephtalim (*Matth.* IV, 15). In superioribus hujus Galilææ partibus viginti fuerunt civitates illæ quas rex Salomon Hiram regi amico suo dono dedit.

Secundo milliario a Magdalo est Cinereth, quæ et Tyberias a Tiberio Cæsare cognominata, quam in juventute sua Jesus frequentare solebat. Quarto milliario a Tyberiade est Bethulia civitas, ex qua Judith pro gente sua salvanda satis astute peremit Holofernem in obsidione urbis.

Quarto milliario a Tyberiade contra meridiem est Bothan, in qua fratres suos reperiit Joseph pascentes suos greges, quem habentes odio Ismaelitis vendiderunt. Decimo milliario a Tyberiade est Nazareth civitas Galilææ domus propria Salvatoris, eo quia nutritus in ea fuit : Nazareth interpretatur *flos*, vel *virgultum*, nec sine causa, cum in ea flos ex fructu, cujus sæculum repletum est, flos inquam ille, quem virgini Mariæ Gabriel archangelus in eadem Nazareth Fllium Altissimi de ea nasciturum nuntiavit, inquiens : *Ave*, Maria, *gratia plena*, *Dominus tecum*, *benedicta tu in mulieribus* (*Matth.* I, 28), et benedictus fructus ventris tui. De Nazareth vero dictum est : *A Nazareth potest aliquid boni esse?* (*Joan.* I, 46.) Secundo milliario a Nazareth Sephoris est civitas, via quæ ducit Achon; et Sephori Anna mater beatæ Mariæ matris Jesu fuit nata. Quarto milliario a Nazareth est Cana Galilææ contra orientem, a qua fuerunt Philippus, et Nathanael, in qua et puer Jesus, discumbens cum matre in nuptiis, aquam convertit in vinum. In Nazareth labitur fons exiguus, ex quo in pueritia sua puer Jesus aquam haurire solebat, et inde ministrare matri suæ, et sibi. Milliario a Nazareth contra meridiem est locus, qui et principium dicitur, ex quo juvenem Jesum præcipitare voluerunt parentes ejus, æmulantes prudentiam ipsius, et ab eis in momento disparuit. Quarto milliario a Nazareth contra orientem est mons Thabor, in quo transfiguravit se Jesus, apostolis suis videntibus Petro, et Joanne et Jacobo, coram Moyse et Elia, ubi etiam vox Patris audita est : *Hic est Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui* (*Matth.* XVII, 5), et Joanni et Jacobo dixit ne quod viderant alicui revelarent donec Filius hominis a morte resurgeret (*ibid.*, 9). Ibi enim Petrus ait : *Domine, bonum est nos hic esse, faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum et Eliæ unum* (*ibid.*, 4). Secundo milliario a Thabor contra orientem est mons Hermon, in descensu montis Thabor obviavit Abrahæ redeunti a cæde Amalec dominus Melchisedech, qui fuit rex et sacerdos, qui dicitur Salem, præsentans ei panem, et vinum, quod significat oblationem altaris Christi sub gratia. Secundo milliario a Thabor

est Naim civitas, ad cujus portam restituit Christus vitæ filium viduæ. Supra Naim est mons Endor, ad radicem cujus supra torrentem Kadmium, qui est torrens Cison, cum filio Delboræ prophetissæ, Barac filius Abineech devicit Idumæos, Sisar videlicet, Agebel uxorem Aberenei, Zeb autem, et Zebeæ, et Salmana trans Jordanem persequens gladio peremit, brachium in Endor, et sub Endor Cison exercitu, unde in psalmis *Thabor, et Hermon in nomine tuo exsultabunt, et tuum brachium cum potentia* (*Psal.* LXXXVIII, 13). Quinto milliario est Anain Jezrael civitas, quæ et Zaraim, ex qua Jezabel impiissima regina fuit, quæ abstulit vineam Naboth, quæ etiam pro importunitate sui de summo palatii sui præcipitata interiit, cujus adhuc pyramis superstes videtur. Juxta Jezabel est campus Magedo, in quo Josias rex, a rege Samariæ subactus succubuit, deinde translatus in Sion, et sepultus. Milliario a Jezrael montes Gelboe sunt, in quibus dimicantes Saul et Jonathas subacti siluerunt, unde David : *Montes Gelboe, nec ros nec pluvia veniat super vos* (*II Reg.* I, 21), etc. Secundo milliario a Gelboe contra orientem est Schitopolis civitas, Galilææ metropolis, quæ et Bethsan, id est *domus solis*, vel *civitas;* super muros ejus suspenderunt caput Saul. Quinto milliario a Jezrael est oppidum illud a quo incipit Samaria, quæ et Sebasten, et Augusta, ab Augusto Cæsare dicta, in qua sepultus fuit paranymphus ille præcursor Domini, Joannes Baptista ab Herode decollatus, trans Jordanem infra lacum Asphaltitem in castello Macheronta, et a discipulis suis translatus fuit Sebasten, ibique sepultus inter Eliseum et Abdiam, et assumptum exinde postea corpus ejus a Juliano Cæsare Apostata, ejusque jussu crematum fuisse perhibetur, datis vento cineribus; sed absque capite, quod Alexandriæ antea translatum fuerat, postea Constantinopolim, ad ultimum in Galliam, in pago Pictaviensi, et absque indice qui venientem ad baptismum Jesum indicaverat, dicens : *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi* (*Joan.* I, 29). Inde illud beata virgo Thecla inter Alpes detulit, ubi sub veneratione maxima detinetur in ecclesia Morianensi. Samaria est nomen urbis et patriæ.

Quarto milliario a Sebasten est Neapolis, quæ et Sichen, Sichem ante Veteomor nominata, inter Dam et Bethel posita; a Sichem vocata est terra illa Sichen, ex Sichem fuit Emor, qui Dinam filiam Jacob, finibus illis deambulantem, violavit. In Sichem vero relata fuerunt ossa Joseph ex Ægypto ; in Sichem juxta fontem fabricavit Jeroboam vitulos duos, quos adorari fecerat a decem tribubus, quas adduxerat et seduxerat; unum ex eis posuit inter Dam, alium in Bethel. Sichem urbem illam deleverunt filii Israel Emorque, dolentes de adulterio Dinæ sororis suæ. Sichem his diebus Neapolis dicitur, id est *nova civitas*. Sicharante Sichem juxta prædium, quod dedit Jacob filio suo Joseph, in quo est Fons Joseph, qui et Puteus dicitur, super quem evangelizatur fessum itinere sedisse Jesum, et sermonem habuisse cum Samaritana, ubi nunc Ecclesia construitur. Juxta Sichem terebinthus illa, sub qua Jacob abscondit idola. In Bethel milliario a Sichem Luza civitas, in qua per multum temporis spatium habitavit Abraham, ubi et Jacob dormiens scalam vidit cœlum tangentem, angelosque per illam ascendentes et descendentes; statim evigilans ait : Hic locus vere sanctus est, et porta cœli (*Gen.* XXVIII, 17). Erigens lapidem in titulum, et fundens oleum desuper, appellavit nomen loci illius Bethel, quod prius Luza vocabatur. In Bethel, angeli præcepto voluit Abraham immolare Domino filium suum Isaac. Est autem Bethel collateralis mons Garinim, respiciens montem Gebal ad orientem, et Stadam super Sichem. Vigesimo milliario a Sichem, quarto a Jerusalem, via quæ ducit Diospolim mons Syla et civitas, quæ et Arama, ubi arca testamenti et tabernaculum Domini ab adventu filiorum Israel manserunt usque ad tempora Samuelis prophetæ David regis. Vigesimo milliario a Sichem, sexto decimo a Diospoli, sexto decimo ab Hebrom, tertio decimo a Jericho, quarto a Bethel, decimo septimo a Bersabee, vigesimo quarto ab Ascalone, totidemque a Joppe, sexto a Ramatha, Jerusalem sanctissima Judææ metropolis, quæ et Sion, de qua dictum est : *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei* (*Psal.* LXXXVI, 3), quæ et Ælia ab Ælio Adriano, qui eam construxit. Bethlehem est civitas Juda, quæ et Ephrata dicitur : Bethlehem *domus panis* interpretatur, nec sine causa, quia de flore Nazareno processit in ea fructus vitæ de virgine Maria, videlicet Filius Dei Christus Jesus, qui panis est angelorum, totiusque vita mundi. In Bethlehem, juxta locum nativitatis præsepe, in quo et ipse latitavit infans Jesus, unde propheta : *cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui* (*Isai.* I, 3), ex quo feno, ubi infans latitaverat, Romam delatum fuit ad ecclesiam sanctæ Mariæ majoris. Milliario a Bethlehem stella pastoribus Domino nato apparuit, angelo dicente : *Gloria in excelsis Deo* (*Luc.* II, 14), etc. In Bethlehem, nova stella duce, venerunt tres reges ab oriente venerari natum Jesum, et eum ut regem angelorum adoraverunt, præsentantes mystica munera aurum, thus et myrrham. In Bethlehem ejusque finibus Innocentes jussit decollari Herodes, quorum pars contra meridiem quarto milliario a Bethlehem, secundo milliario a Thecua sepulta quiescit. Quarto milliario a Bethlehem contra meridiem ecclesia beati Caritot est, ubi et ipso transeunte de hoc mundo, monachi, quibus ipse pastor præfuerat, cum eo pariter devote mori desiderant, eoque Pater eorum prius exstiterat, nec post eum in mundo vivere volebant, ejus amore ferventes; quorum singulorum compagines in Ecclesia videri possunt modo illo quo habuerunt in desolatione Patris eorum agonizantes, postea translati in Jerusalem, in Bethlehem infra basilicam non longe a præsepio requiescit corpus B. Hieronymi, Paula quidem et Eustochium,

quibus ipse Hieronymus scribit similiter; a Bethlehem via, quæ ducit Jerusalem Kabrata est locus, in quo cum Benjamin peperisset Rachel occubuit, ibique a viro suo Jacob tumulata quiescit, cujus in tumulo supposuit Jacob duodecim lapides non modicos testimonio filiorum Israel, cujus adhuc pyramis a transeuntibus videtur. Jerusalem, gloriosa Judææ metropolis, juxta philosophos, in medio mundi sita est, regnavit autem in ea David per triginta tres annos et dimidium. Est quidem in Jerusalem mons Moria, super quem videns David angelum percutientem evaginato gladio, qui populum Dei graviter occiderat, timens ne in se et in urbem ulcisceretur, quod in populum numerato deliquerat, pronus in terra corruit vere pœnitens graviterque se affligens, a Domino exauditus est, et veniam meruit (*II Reg.* XXIV, 16, 17), de quo ait Dominus : *Inveni virum secundum cor meum*. In monte Moria regnante David florebat area Ornam Jebusæi, a quo et ipse David, cum emere voluit ad construendum ibi domum Domini in illo loco, consecutus fuerat eo quod angelus Domini ei parcens et urbi, ibi steterat. Emit quidem, sed vetitum fuit a Domino, ne intromitteret se, quia vir sanguinis erat, et ideo quas ad hoc præparaverat expensas Salomoni filio suo tradidit, quatenus inde domum Domino construeret. Ædificavit ergo rex Salomon templum Domino in Bethel et altare, quod ædificavit incomparabili sumptu, petens quod quicunque Dominum consuleret in eo de quocunque exaudiri mereretur. Quod concessum fuit ei a Domino; ergo domus Domini consilii est. Illud autem postea pro incontinentia principis et populi exspoliavit Nabuchodonosor, per Nabusardam, principem coquorum suorum, tempore Sedeciæ regis, ipsumque privatum ab urbe, totumque, quod pretiosum in æde, et in urbe fuit, jussitque præsentari in Babylonem et populum; paulo post quidem Pharao necessario templum et urbem delevit. Modo vero relatori auditoriquc non videatur tædiosum sub quibus et a quibus restructiones et destructiones primi, secundi et tertii templi fuerint, enuntiare hic de præsenti omitto. Bethel sub quo et a quo principe restitutum fuit ignoratur. Quidam enim sub Constantino imperatore ab Helena matre sua reædificatum fuisse perhibent pro reverentia S. crucis ab ea repertæ; alii ab Heracleo imperatore, pro reverentia ligni Domini, quod de perfidis Perside triumphans retulerat; alii ab Augustiniano Augusto; alii quoque a quodam admiratore Mymphis Ægypti, pro reverentia Alachiber summi Dei, et quoniam ad ipsum colendum ab omni lingua reverendum veneratur præsens hoc loco, in quo templum quartum prædicatur, cujus in penultimo octavo die Natalis puer Jesus circumcisus, cujus præputium in Jerusalem in templo de cœlis ab angelo Carolo magno regi præsentatum fuit, et ab eo delatum in Gallias Aquisgrani, postea quidem a Carolo magno Calvo translatum Aquitaniæ in pago Pictaviensi, apud Carnotum, in ecclesia quam ibi in honore Sancti Salvatoris construxit, et regiis bonis amplissimis sub monachali religione locupletavit, quod usque modo ibi solemniter veneratur. In templo in Ypopanti suo Jesus a matre sua præsentatus est, et receptus a beato Simeone dicente : O Domine, lumen gentium, et gloria Israel, *nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum* (*Luc.* II, 29). De templo ementes, et vendentes ejecit Deus, in templo liberavit adulteram ab accusantibus eam dicens : *Qui sine peccato est ex vobis, primus in eam jaciat lapidem* (*Joan.* VIII, 7); et illi mulieri dixit : *Mulier, vade in pace, jam amplius noli peccare* (*ibid.*, 10). In templo laudavit munus pauperculæ, quod in gazophilacio posuit, quia totum quod habebat dederat. In templo dum moraretur Jerusalem, docebat Judæos, licet eum æmulantes. Supra pinnaculum templi statuit Jesum diabolus tentans eum, et dicens : *Si Filius Dei es, mitte te deorsum* (*Matth.* IV, 6). De templo præcipitatus fuit beatus Jacobus, primus sub gratia pontifex in Jerusalem. In templo nuntiatum fuit Zachariæ de futura natione filii sui Joannis Baptistæ. Inter templum et altare Zacharias filius Barachiæ martyr occubuit. Super templum in Veteri Testamento sacrificare solebant turtures, et columbas, quod a Sarracenis postea mutatum est in horologium et adhuc videri potest. Per Speciosam portam templi transiens Petrus cum Joanne respondit petenti ab eis eleemosynam : *Quod habeo tibi do* (*Act.* III, 6). In Jerusalem est Probatica piscina, quam tempore Jesu certis terminis movere solebat angelus Domini, quicunque autem infirmus post motionem aquæ prior intrabat, a quacunque detinebatur infirmitate statim fiebat sanus; probatio ergo peculiaris dicitur, eo quia in sacrificiis solebant inde ablui extrema pecudum; erat quidem rubea ex hostiis quæ ibi mundabantur. Ante probaticam piscinam languidum sanavit Jesus dicens ei : *Tolle grabatum tuum, et ambula* (*Marc.* II, 9). In medio Jerusalem excitavit puellam a morte Jesus; sub Salomonis regia in valle Josaphat et natatoria Siloe, ad quam cæcum ab eo illuminatum misit Jesus ut lavaret suos oculos, et abiens lavit, et vidit; ergo Siloe *missus* interpretatur, Siloe, secundum traditionem Tyrorum, ex Silo manare dicitur, Siloe sub silentio gurgitem suum ducit, quia subterraneum. Juxta Siloe exstat quercus, sub qua B. Isaias requiescit. In valle Josaphat sepultus fuit B. Jacobus, inde translatus Constantinopolim. In valle Josaphat sub acuta pyramide rex idem Josaphat jacet sepultus. Secundo milliario a Jerusalem via, quæ ducit Sichen est mons Gabaath, in tribu Benjamin. Milliario a Jerusalem in accubito montis Oliveti est mons Offensionis, et continuus contra Asphaltitem.

Bethania collateralis est monti Oliveti et mons Offensionis est continuus. Dividit autem eos via, quæ de Josaphat ducit per Bethphage. Dictus est

autem mons Offensionis, eo quia rex Salomon in eo idolum adoravit Moloch. Bethania oppidum illud, in quo Simon leprosus sæpe Jesum recepit in hospitem, cui devote ministrabant Maria et Martha. Bethaniæ Maria ejus pedes lacrymis rigans, suisque crinibus extergens et ungens unguento suorum meruit veniam peccatorum; Bethaniæ Martham laudavit et Mariam, Martham in ministrando sollicitam, Mariam in verbis ejus sollicitam. Quare precibus earum et lacrymis motus, fratrem earum Lazarum in monumento jam quatriduanum vitæ restituit. Bethania *domus obedientiæ* interpretatur; Bethphage, qui et viculus sacerdotum, *domus buccæ*, vel *maxillarum* interpretatur, mons Olivæ, *mons chrismatis*, vel *sanctificationis*, vallis Josaphat *vallis judicii*, Jerusalem *visio pacis*, Sion *speculum*, vel *speculatio Dei*. Per hunc tramitem ascendit Jesus Jerosolymam, sedens super asinam die qua celebratur ramis palmarum, sic et quisque Catholicus sub obedientia summi consilii Angeli debet adire, et incedere ad sacerdotis præsentiam, qui verbum Dei ruminat, ut ab eo corrigatur et instruatur, eorumque doctrina et consilio subire vallem judicii, id est constructionem sanæ compunctionis, in qua videlicet et se affligat per portam immortalitatis digne introiturus sanctam Jerusalem cœlestem Sion stola jucunditatis decorandus. Monte Sion lavit Jesus pedes discipulorum suorum, dicens eis : Sic facite in meam commemorationem (*Joan.* XIII, 15). Monte Sion cœnavit cum discipulis suis, dans eis in panem corpus suum ad manducandum, et in vino sanguinem suum ad bibendum; quod est viaticum nostræ redemptionis. Monte Sion etiam in cœna supra pectus Domini B. Joannes recubuit, de fonte potans sapientiæ. Monte Sion in cœna Judæ traditori suo panis buccellam intulit. Monte Sion ait Jesus : Mecum est in mensa *qui intingit manum mecum in paropside*, qui me traditurus est. Cui Judas : *Nunquid ego sum, Rabbi? Jesus respondit, Tu dicis* (*Matth.* XXVI 23, 25).

Ad sinistram montis Sion est ager peregrinorum, qui vocatur Acheldemach, id est ager sanguinis. Secus viam quæ ducit Ephrata est mons Geon, in quo fuit unctus rex Salomon, et regium diadema suscepit. In Jerusalem vendidit Judas Jesum in accubitu montis Oliveti contra orientem trans Cedron, jactu lapidis Gethsemani, ibique oravit Christus ad Patrem suum dicens : *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste* (*Matth.* XXVI, 39), ubi ex terrore crucis, carnis sudorem fudit sanguineum, ubi dixit Petro : *Non potuistis una hora vigilare mecum* (*ibid.*, 40). Unde regressus est Gethsemani. Judas autem traditor accepto jam pretio ad id quod de Jesu reddiderat, signum dederat cohorti, ut quemcunque esset osculatus tenerent, quem cognitum fraudis osculo ducunt vinctum in Sion in prælati prætorio, Græce nuncupatum *Lithostratos*, Hebraice *Gabatha*, ubi et Petrus negavit eum ter; unde audito galli cantu pie reminiscens verbi Jesu vere pœnituit, flevitque amare, fugiensque in cavea quæ modo appellatur Galli cantus, vulgariter quæ Galilæa est via, quæ ducit Josaphat sub porta montis Sion Jesum opprobriis, et nimis afflictum, verberibus cæsum, cachinnis derisum, crucis suæ bajulum, Pilati jussu, Judæorum impulsu in Golgotha, quod est Calvariæ locus, tunica exutum, felle et aceto potatum, crucis suæ patibulo suspensum neci dederunt, locus, inquam, Calvariæ dictus est, eo quia in eo excalvari, id est damnari rei solebant; Calvariæ dum in cruce sua pateretur Jesus, matrem suam amico suo commendat, virginem Virgini Matri dicens : *Ecce Filius tuus* (*Joan.* XIX, 26), deinde : *Ecce mater tua* (*ibid.*, 27). Calvariæ dum in cruce pateretur hostia mundi latroni pendenti ad dexteram ab eo petenti veniam stolam immortalitatis promisit, crucis in patibulo perforatus lancea sanguinem emisit et aquam, ex stilla quorum aperti sunt oculi Longini qui eum percusserat. Sub loco Calvariæ ad dexteram introitus ecclesiæ est locus, in quo Joseph impetravit a Pilato corpus Jesu sublatum de cruce, lavit reverenter charissimis liquoribus, et aromatibus condidit in horto in monumento, quod novum sibi de rupe sculpserat. Inde descendit ad inferos ad redimendum hominem; inde resurrexit verus Leo de tribu Juda, morte subacta, ubi et angelus Domini sacris mulieribus apparuit, jam ab ostio monumenti lapide revoluto, Jesumque vere a mortuis resurrexisse nuntiatum est : *Ite, dicite discipulis ejus et Petro, quia præcedet vos in Galilæam* (*Marc.* XVI, 7). Sub loco Calvariæ in capite ecclesiæ ab Helena crux Domini reperta est. Secundo milliario a Jerusalem crevit arbor illa dignissima, in qua verus ille Leo pependit qui morte sua mortem delevit, vitam mundi reparans, unde propheta : *O mors, ero mors tua* (*Ose*, XIII, 14). De carcere vero, et medio mundo prædicatur fabulatione cum utriusque loci dignitas reverenda sit. Locus namque, qui modo Carcer dicitur, in passione Christi campestris erat, sed in eo moram habuit quandiu machinabantur ei crucis suspendium, illoque loco secundo manifestavit se Jesus Mariæ Magdalenæ, cum rediret ab inferis. Eadem die declinante jam ad vesperam peregrini sub specie latitans apparuit duobus discipulis in via sub conquestu de morte illius tendentibus ab Enteropolima, id est Emmaus oppidum sexto milliario a Jerusalem, quem et ibi repertum cognoverunt in fractione panis, sed statim disparuit ab eis. Monte Sion octavo die Thomæ cum illis omnibus vulnera sua palpanda intulit, cui et inde Thomas : *Dominus meus, et Deus meus* (*Joan.* XX, 28). In Galilæa secus mare et in mari discipulis suis ter se manifestavit. Quadragesimo die in monte Oliveti susceptus a nube, manibus erectis cœlos ascendit, quinquagesimo die in monte Sion, qui nobis jubilæum, id est æternam libertatem figurat, apostolorum suorum corda inflammantem Spiritum sanctum remisit Paracletum. Monte Sion Virgo Jesu mater transivit de mundo, et in Josaphat ab apo-

stolis sepulta fuit, inde a Filio suo super choros angelorum exaltata. Monte Sion David rex et Salomon, et alii reges Jerusalem sepulti quiescunt. Ante portam Jerusalem quæ respicit occasum, qua ex parte liberata urbs sub secundo Israel saxis obrutus beatus Stephanus inter Nicodemum, et Abilon et Gamalielem, postea Constantinopolim, Romæ ad ultimum B. Laurentio contumulatus, unde et in tumulo :

Quem Sion occidit nobis Byzantia misit.

Ante portam Jerusalem, juxta lacum qui respicit meridiem, cavea illa in qua leo quidam jussu Dei omnipotentis martyrum fere duodecim millia sub Cosroe perempta una in nocte detulit, unde carnarum Leonis dicitur.

Sexto milliario a Jerusalem via quæ ducit Ramatha est mons Modin, ex quo Mathathias pater Machabæorum, in quo sepulti requiescunt, eorum apparentibus tumulis adhuc. Octavo milliario a Modin via quæ ducit Joppen Lidda, quæ et Diospolis, in quo B. Gregorii corpus sepultum fuisse manifestatur. Milliario a Ramatha, quarto milliario a Bethlehem Thecua oppidum, ex quo Amon, qui, et ibi sepultus quiescit. Quarto milliario a Jerusalem, contra austrum, oppidum illud in quo morabatur Zacharias tunc temporis, quam Maria mater Jesu festinans jam habens in utero Filium Dei venit ad salutandam Elisabeth cognatam suam, jam gravidam de Joanne filio suo, quem et ibi natum fuisse perhibent.

Decimo tertio milliario a Jerusalem contra boream est Jericho, ex qua Raab meretrix hospitata est quatuor exploratores filiorum Israel, et cœnavit, fovit, et pavit, ex qua et Zachæus, statura pusillus, audiens Jesum partes illas deambulantem, Sycomorum arborem ascendit, ut Deum videret, et cum eo loqueretur, se judicans et petens veniam, ex qua et pueri, qui B. Eliseum Jerosolymam ascendentem deriserunt exclamantes : *Ascende, calve, ascende, calve* (*IV Reg.* II, 23). Secundo lapide a Jericho ad sinistram est desertum, quod Carentena dicitur, in quo Jesus quadraginta dierum spatio totidem noctium jejunium complevit ; eumque ibi esurientem tentans diabolus dixit : *Dic ut lapides isti panes fiant* (*Matth.* IV, 3). Secundo milliario a Carentena contra Gallilæam est mons excelsus, in quo ille A diabolus iterum Jesum tentavit ostendens omnia regna mundi, et inquiens : *Si cadens adoraveris me, hæc omnia tibi dabo* (*ibid*, 9). Sub Carantena est fontis illius rivulus, quem beatus Eliseus ejus sanata sterilitate de amara potabilem reddidit. Ante Jericho secus viam stetit cæcus mendicus audiens quia Jesus transiret, clamans : *Jesu fili David, miserere mei* (*Luc.* XVIII, 38), ab eo illuminari meruit tam exterius quam interius. Tertio lapide a Jericho duobus milliaribus a Jordane est Bethagla, quod interpretatur *locus gyri*, eo quia ibi plangentium circuissent funera Jacob filii ejus gensque sua referentes eumdem ex Ægypto in Hebron.

Engaddi in tribu Juda ubi abscondit se David in solitudine, quæ est in Aulone Jericho, hoc est in B regione illa campestri, de qua supra diximus; vocatus Vicus pergrandis Judæorum, Engaddi juxta mare Mortuum, unde pobalsamum afferri solebat et oriri, unde et vinæ Engaddi nuncupantur. Octavo milliario a Nazareth contra Carmelum est mons, ad radicem cujus juxta fontem, Lamech pater Noe sagitta sua peremit Cain, arcuque suo ducem suum, unde furore repletus ait : *Occidi virum in vulnus meum, et adolescentulum in livorem meum* (*Gen.* IV, 23). De Cain vero Dominus prædixerat : *Omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur* (*ibid.*, 15). Tertio milliario a Caim monte mons Carmeli, de quo in Canticis : *Collum tuum ut Carmelus* (*Cant.* VII, 5), in quo et multum temporis conversari voluit B. Elias, ejusque discipulus cum eo B. Eliseus. Sexto C milliario a Nazareth contra genu est locus in quo Jehu rex Israel percussit Ochoziam regem Judæ. Sexto decimo milliario a Nazareth contra orientem supra mare Galilææ est Gergessa viculus ille, quo Salvator eos qui a dæmonibus vexabantur sanitati restituit, ex quo, et in mari porci præcipitium subiere. Sexto decimo milliario a monte Carmeli ntra meridiem est Cæsaræa Palestinæ metropolis, ex qua fuit Cornelius centurio, quem in ea baptizavit B. Petrus, et creavit in episcopum, in qua et turris Stratonis, in qua et Herodes contra adventum Augusti Cæsaris construxit albo de marmore portum, ipse idem Herodes turrim, quæ Jerosolymam supereminet, quæ et turris David dicitur, Josepho te- D stante, fabricavit, et eam Antoniam vocavit.

Statim post hoc opusculum cardinalis Aragonius, seu forte idem Fretellus ejusdem scripti auctor, subjecit nomina episcoporum qui in Jerosolyma sacris præfuerunt. Desinunt in Arnulpho Latino patriarcha Jerosolymitano, qui sæculo XIII *nondum inclinato infulas illas habebat. Hæc ergo nomina, velut appendicem quamdam libello præcedenti subjicio.*

Sequuntur nomina episcoporum qui fuerunt in Jerusalem antequam esset patriarchatus, quæ fuerunt XLIII.

Episcopi Jerosolymitani Jacobus frater Domini, Simon Justus, Zaccharias, Thobias, Benjamin, Joannes, Mathatias, Philippus, Seneca, Justus, Levi Effren, Jesse, Judas. Isti quindecim circumcisi fuerunt. Cassianus, Publius, Maximus, Julianus, Gamus. Iste prius celebravit quadragesimam, et Pascha more Christianorum. Symachus, Cajus, Germanus, Julianus, Capito, Maximus, Antonius, Valens, Laycianus, Narcissus pius, Tordius Narcissus, Alexander, Maxalemus Nihirmentus, Taldis, Hermon, Macharius. In tempore cujus Crux Domini ab Elena Regina fuit inventa. Quiriacus, Maximus, Cirillus. Iste construxit locum Dominici Sepulchri, et Calvariæ, et Montis Oliveti, et Vallis Josaphat, et Bethlehem.

Sequuntur Nomina Patriarcharum Jerusalem postquam fuit Patriarchatus, quæ fuerunt XXVII.

Patriarchæ Jerosolymitani, Cyrillus primus, Joannes, Parachilius, Juvenalis, Joannes, Zacharias, in tempore cujus Cosdore Rex Persarum Jerosolymam venit, et Ecclesias Judææ destruxit, et occidit triginta sex millia Christianorum. Modestus ipse constitutus Patriarcha ab Heraclio Imperatore, quando de Perside rediit, Dominicum deferens lignum. Sophronius, in tempore cujus Sarraceni Christianos omnes de Jerusalem excepto Patriarcha ejecerunt Theodorus, Ilia, Gregorius, Thomas, Basilius, Sergius, Leonicos, Athanasius, Christidolus Thomas, Joannes, Mestus, tempore cujus Archisidorus nepos Orestis Patriarchæ Jerosolymam misit exercitum A suum ad destruendum omnes Ecclesias Patriarchatus, quatuor millibus inde destructis avunculum suum Patriarcham duci fecit Babyloniam eumque ibi occidit. Theophylus, qui reædificavit hanc Ecclesiam favente Archisidoro. Sophronius, tempore cujus Turci Jerosolymam expugnantes Sarrecenos occiderunt, et obtinuerunt Civitatem; Christiani autem in ea remanserunt, Guitinus, Simeon avus, tempore Franci venerunt regnum David sublimantes, Ecclesiasque Deo reddentes, et urbem.

Sequuntur Patriarchæ Jerosolymitani Latini.

Patriarchæ Latini; Daybertus Pisanorum archipræsul, Ibelinus Arelatensis archiepiscopus, Arnulphus archidiaconus Jerusalem.

JOANNIS WIRZBURGENSIS
PRESBYTERI
DESCRIPTIO TERRÆ SANCTÆ.

(Eruit ex cod. ms. inclyti monasterii Tegernseensis in Boiaria admodum reverendus et cl. D. Pater Romanus Krinner, ejusdem loci cœnobita Benedictinus. — Edidit R. P. Bernardus Pezius, *Thesaur. Anecd.*, tom. I, p. III, pag. 486.)

MONITUM.

Quidquid certi de auctore hujus Descriptionis terræ sanctæ affirmari potest, id omne primo prœmii versu continetur, in quo se *Joannem Dei gratia Wirzburgensi Ecclesia, id quod est*, dicit, ex quibus verbis eum saltem presbyterii dignitate in Ecclesia Wirzburgensi præditum fuisse statuimus. Ætatem præterea suam nullibi perspicue signat, licet vel ex ipso membraneo codice Tegernseensi, unde non inelegans opusculum nostro rogatu A. R. et cl. R. Romanus Krinner eruit, vero perquam simile reddatur, hunc Joannem circa sæculum XIII, quo ille nempe exaratus est, animum ad ea scribenda, quæ suis ipse oculis usurpavit, appulisse. Præcipua Joannis cura fuit, ut *loca venerabilia quæ Dominus noster mundi Salvator una cum gloriosa Genitrice sua Maria, virgine perpetua, et cum venerando discipulorum suorum collegio corporali sanctificavit præsentia, præcipue in civitate sancta Jerusalem, quanto expressius et studiosius, potuit, denotando in eis facta, et epigrammata, sive prosaice sive metrice, styli officio colligeret*, ut ipse post initium Prologi scribit. Egregius gentique nostræ perhonorificus locus est cap. 9, ubi late Joannes probat recuperationem terræ sanctæ non sine Germanorum injuria solis Francis attribui, *quæ utique Christianitatis provincia*, inquit, *jam dudum suos terminos ultra Nilum versus meridiem et ultra Damascum versus orientem extendisset, si tanta copia Alemannorum, quanta et istorum est, adesset. Germano enim milite inde discedente, ac si robur omne Christiani exercitus discessisset, cæteræ nationes omnes parum amplius aut nihil præstiterunt*, etc. Cæterum hujusmodi Descriptiones terræ sanctæ ac Hodœporica plura in Austriæ ac Bavariæ bibliothecis offendimus, quæ cum a nobis omnia edi nequeant, hic nominatim saltem recenseri merentur. In bibliotheca Tegernseensi exstant Joannis Hess, presbyteri Trajectensis diœcesis *Joannes Hess presbyter Trajectensis diœcesis fuit in Jerusalem*, etc. Cod. chart. 4. Ibidem habetur cujusdam *Philippi liber de peregrinationibus Jerusalem, ac totius terræ sanctæ*, quam auctor peragrasse se dicit, in cod. chart. fol. manu sæculi XV. Inc. opus : *Istæ sunt peregrinationes Jerusalem*, etc. In bibliotheca Sanct-Crucensi asservatur *Anonymi Itinerarium terræ sanctæ* hoc initio : *Ego iri de Acon*, etc. Codex membraneus quingentorum annorum est. — Monasterium Mariæcellense in Austria retinet codicem chartaceum in fol. trecentorum annorum, qui *Anonymi descriptionem terræ sanctæ* continet hoc principio : *Cum in veteribus historiis legamus, sicut dicit beatus Jeronymus*, etc. In fine : *Explicit liber Descriptionis terræ sanctæ, cujus auctor ignoratur.* Idem opus possidet bibliotheca Mellic. in cod. membr. 4, signato lit. d. 12, annorum circiter quadringentorum. Nec prætermittenda *Descriptio locorum terræ sanctæ* auctore *Fr. Nicolao de Farnad ord. Min. de Hungaria*, cujus ne verbo meminit Lucas Wadingus in suo opere De script. Ord. Min. Ejus exemplum typis ante annum 1500, in 4, Wiennæ excusum vidimus in bibliotheca Dorotheana. Inc. præfatio : *Cum res creata*, etc. Opus : *Hierusalem civitas sancta*, etc. In eadem bibliotheca evolvimus *Ludolphi rectoris parochialis Mariæ in Suche Tractatum de terra sancta*, in cod. chart. sæculi XIV. Incipit : *Reverendissimo in Christo Patri ac domino suo, domino gratioso Balderomo de Scenordia Paderwornensis Ecclesiæ episcopo*, etc. Similerus eum anno 1336 scriptum dicit, nullius tamen factæ a quo-

quam editionis meminit. Ibidem reperimus *Joannis de Mandaville Itinerarium Hierosolymitanum*, quod incipit : *Cum terra Jerosolymitana*, etc. Ejus pariter meminit Simlerus, qui tamen an et ubi typis expressum sit non indicat. Certiores sumus de editione *Bernardi de Breydenbach, Fr. Gabrielis de Pech Waradino, natione Ungari, ord. S. Francisci, et Haythoni ord. Præmonst.* Nam in laudata sæpius bibliotheca Dorotheana primi *Transmarinas peregrinationes in terram sanctam, per Petrum Drach anno* 1502 *Spiræ* in folio excusas : secundi *Compendium locorum terræ sanctæ* incerto loco et anno, ante tamen 1500, in 4 editum; tertii *Librum historiarum partium Orientis sive Passagium terræ sanctæ* scriptum anno 1300, impressum Haganoæ per Joannem Sec, anno 1529, in 4, nostris oculis conspeximus. In bibliotheca Claustroneoburgensi est quidam codex chartaceus, in 4, qui cujusdam *Fratris Ulrici Itinerarium terræ sanctæ et aliarum peregrinarum regionum*, quod is *Patavii fratri Wilhelmo de Balonea Latine dictasse* dicitur. Sed in citato codice tantum habetur versio Germanica, quam *laicus frater Chuenrat Der Techel vo Tegernsee* Wiennæ anno 1359 adornavit. Incipit : *Do ich von haym ausfur in dem mut, dass ich wollt farn yber Wer*, etc. Porro Frater ille Ulricus vixit anno 1330. Egregium etiam est opus *Burchardi de Monte Syon*, quod *Descriptionem terræ sanctæ* nuncupavit. Id habetur in codice chartac. fol., signato lit. H. 17, bibliothecæ Mellicensis, hoc exordio : *Dilectissimo in Christo Patri, lectori fratrum ord. Præd. frater Burchardus de Monte Syon cum omni devotione orationes in Domino Jesu Christo. Quid vobis scribam, Pater charissime?* etc. Manus nostri codicis est sæculi xv. De *Georgii prioris carthusiæ Gemnicensis Ephemeridibus peregrinationis in terram sanctam*, etc., vide quæ ad Thesauri nostri tomi secundi partem tertiam, ubi opus edidimus, præfati sumus. Postremo monemus, *Anselmi fratris ord. Min. Descriptionem terræ sanctæ*, ab Henrico Canisio tom. IV Antiq. Lect. a pag. 1289 editam, centum fere annis prius quam vir eruditus putabat, typis commendatam fuisse una cum quibusdam opusculis geographicis Æneæ Sylvii. Ejus editionis in 4 Cracoviæ per Florianum Unglerium anno Domini 1512 adornatæ exemplum exstat in bibliotheca Mellicensi. Sed hoc paucis notasse satis fuerit.

DESCRIPTIO TERRÆ SANCTÆ.

PROOEMIUM.

JOANNES, Dei gratia in Wirzburgensi Ecclesia, id quod est, dilecto suo Socio et domestico DIETRICO salutem, et supernæ Jerusalem, cujus participatio inidipsum, contemplationem.

Nota mihi morum tuorum tam conformis omnibus bonis viris dispositio, nec non et illa tam studiosa ad cultum divini officii et obsequii devotio, præter rationem etiam domestici consortii, affectionem animi mei tuæ voluntati, quam in mutua vicissitudinis compensatione semper præsumo æquam et benignam fore, sic obligaverunt, ut nulla vota tua, in quorum tamen completione sedulitatis meæ requiratur opera, quantum ad possibilitatem virium mearum, patiantur cassari optato fine. Inde est etiam quod ego in Jerosolymitana manens peregrinatione pro Domini B nostri Jesu Christi amore, tui tamen absentis non immemor, dilectionis tuæ causa, loca venerabilia quæ Dominus noster mundi Salvator, una cum gloriosa Genitrice sua Maria, virgine perpetua, et cum venerando discipulorum suorum collegio corporali sanctificavit præsentia, præcipue in civitate sancta Jerusalem, quanto expressius et studiosius potui denotando in eis facta, et epigrammata, sive prosaice, sive metrice styli officio colligere laboravi; quam descriptionem tibi acceptam fore æstimo : Ideo scilicet, quia evidenter singula per eam notata, tibi quandoque divina inspiratione, et tuitione huc venienti sponte, et sine inquisitionis mora et difficultate, tanquam nota tuis sese ingerent oculis; vel si forte illuc non veniendo hæc intuitu corporeo videre C non poteris, tamen ex tali notitia et contemplatione eorum ampliorem, quoad sanctificationem ipsorum, devotionem habebis.

Scio equidem jamdudum ante tempora moderna A hæc eadem loca non tantum in civitate præfata, sed etiam longe extra posita a quodam viro reverendo in scripta redacta fuisse ; verum, quia postmodum per tanti temporis spatium, eadem civitate sæpe ab hostibus capta et destructa, etiam eadem sacrosancta loca intra muros, aut prope extra (utpote de quibus tantum intendimus scribere), sunt eversa, et forte postea omnino transmutata, ideo hæc nostra devotio juxta situm eorum, quem coram positi videndo adnotavimus superabundans aut superflua non est judicanda. De his autem quæ longe extra in adjacente sunt provincia, non proposuimus dicere, cognoscentes sufficienter jam ab aliis dictum fore. Verumtamen principium hujus descriptionis propter exordium nostræ redemptionis in civitate Nazareth per Incar- B nationem Domini angelica enuntiatione celebratum, ab eadem civitate, quæ Jerosolymis fere sexaginta milliaribus distat, constituere, et loca interjacentia inter ipsam et civitatem sanctam breviter et summatim perstringere volumus, licet de his per alios etiam diffusius et prolixius dictum jam esse cognoscamus.

CAPUT PRIMUM.

Describuntur Nazareth, Acco, Cana Galilææ, Saltus Domini, mons Thabor, et Hermon, Naim, mons Endor, torrens Cisson, Jezraël, campus Mageddon, montes Gelboë, Scythopolis, Genunium, Dothaim, Samaria, Sichem, Sychar, Luza, mons Garizim et Gebal, Diospolis et Jerusalem paucis.

Hæc itaque eadem civitas, decem milliariis a Tyberiade distans, caput est Galilææ, et proprie *civitas Salvatoris* dicitur, eo quod ipse in ea conceptus et C nutritus fuit; unde et ipse *Nazarenus* nuncupatur. Nazareth interpretatur *flos* vel *virgultum*. Nec sine causa, cum in ea *flos sit ortus, ex cujus gratia est repletus mundus. Flos ille, Virgo Maria*, ex qua Ga-

briel archangelus in eadem Nazareth Filium Altissimi nasciturum nuntiavit, inquiens : *Ave, Maria*, etc. Cui et illa : *Ecce ancilla Domini*, etc. Cæterum de Nazareth, alias natalitia Davidis urbe, eo tempore in ore ferebatur hominum : *De Nazareth potest aliquid boni esse?* quasi vero magnæ et sanctæ animæ, non nisi in magnis urbibus nascerentur.

Secundo milliario a Nazareth, Sephoris civitas est, via quæ ducit Acho. Ex Sephori Anna, mater Mariæ Matris Domini nostri. In Sephori etiam dicitur fuisse nata beata Virgo Maria. Sed teste Hieronymo, ut ait in Prologo sermonis illius quem fecit ad Heliodorum De nativitate sanctæ Mariæ, in ipsa civitate Nazareth nata esse dicitur; et quidem in eodem cubiculo ubi et postmodum ex obumbratione sancti Spiritus ad angelicam salutationem concepit. Hoc adhuc ibidem ostenditur in loco distincto, ut præsens vidi et notavi.

Quarto milliario a Nazareth, secundo a Sephori Cana Galilææ est ad orientem, a qua Philippus et Nathanael, in qua puer Jesus cum matre sua discumbens in nuptiis, aquam in vinum convertit. In Nazareth labitur fons ille exiguus, sed tamen eximius, ex quo in pueritia sua Jesus solebat haurire aquas, et inde ministrare Matri suæ.

Milliare a Nazareth, contra meridiem, est locus qui præcipitium dicitur, ex quo Jesum præcipitare voluerunt Judæi, sed ab eis in momento disparuit: hinc vulgo dicitur is adhuc hodie locus Saltus Domini.

Quarto, milliario a Nazareth; contra orientem, mons Thabor est, in quo transfiguravit se Christus apostolis suis præsentibus, nempe Petro, Joanne et Jacobo, coram Moyse et Elia. Quod festum Jerosolymis solemniter celebratur, cum ibi vox Patris audita est : *Hic est Filius meus*, etc. Qui deinde Salvator Petro, Joanni et Jacobo vetuit ne quod viderant, alicui revelarent, donec a mortuis Filius hominis resurgeret. Ibi quoque Petrus dixit : *Domine, bonum est nos hic esse.*

Secundo milliario a Thabor, contra orientem, mons Hermon. In descensu Thabor montis obviavit Abrahæ redeunti a cæde Amalech dominus Melchisedech, ex semine Noe, sacerdos, et rex Salem præsentans ei panem et vinum, per quod figurabatur altare Christi sub gratia.

Itidem secundo milliario a Thabor, via alia, Naim civitas est, ad cujus civitatis portam Jesus vitæ restituit filium viduæ, quem incolæ narrant Bartholomæum fuisse, postea factum apostolum. Supra Naim mons Endor; ad radicem ejus super torrentem Cadumin, qui et torrens Cysson, consilio Deboræ prophetissæ Baruch filius Amon devicit Idumæos, occiso Sisara; Zeb autem, et Zebee, et Salmana trans Jordanem persequens, gladio interemit. Baruch vero in Endor et sub Endor, cæso exercitu, unde in psalmo: *Thabor, et Hermon in nomine tuo exsultabunt*, etc.

Quinto milliario a Naim Jezrael civitas, quæ et Zaraim, modo vero vulgo minor Gallina dicitur; ex qua Jezabel impiissima regina fuit, quæ abstulit vineam Naboth, et pro importunitate sua de summo palatii sui præcipitata interiit, cujus adhuc pyramis nuper superstes videbatur. Juxta Jezrael campus Mageddon, in quo rex Ozias a rege Samariæ subactus occubuit, et exinde translatus in Sion sepultus est.

Milliario a Jezrael sunt montes Gelboe, in quibus Saul et Jonathas filius ejus in prælio devicti ceciderunt; unde David : *Montes Gelboe, nec ros nec pluvia*, etc.

Secundo milliario a Gelboe, contra orientem, Scythopolis, Galilææ civitas metropolis, quæ et Bethsan, id est *domus solis*, nuncupatur. Supra muros hujus civitatis suspenderunt caput Saulis. Quinto milliario a Jezrael, Genunium oppidum, quod modo crassa, vulgo major Gallina dicitur. Inter hoc et Sebasten ostenditur planities, quam vocant Dothaim, ubi prope viam adhuc apparet vetus illa cisterna in quam missus fuit Joseph a fratribus suis. A Genunio oppido supradicto incipit Samaria.

Decimo milliario a Genunio [*aut* Genuino] est Samaria, quæ et Sebasten, et Augusta ab Augusto civitas dicta, in qua sepultus fuit ille præcursor Domini, Joannes Baptista, ab Herode decollatus, trans Jordanem juxta lacum Asphaltitem, in castello Masconta, inde a discipulis suis translatus Sebasten, ibique sepultus inter Eliseum et Abdiam. Exinde vero postea a Juliano Apostata sacrum corpus raptum concrematumque fuisse perhibetur, datis vento cineribus, sed absque capite, utpote quod prius jam Alexandriam et postea Constantinopolim translatum fuerat, ad ultimum vero in Galliam ad pagum Pictaviensem : et absque indice manus dexteræ, quo venientem ad baptisma Christum indicaverat dicens : *Ecce Agnus Dei*, etc. Hunc ipsum indicem ante sævas in sacrum corpus Juliani Apostatæ flammas secum beata virgo Thecla inter Alpes detulit, ibique cum maxima veneratione detinetur in ecclesia Moriacensi. Cæterum Samaria est nomen urbis, et patriæ.

Quarto milliario a Samaria est Sebastem Neapo quæ et Sichem dicitur, a Sichem, patre Emor, nominata, inter Dan et Bethel posita. A Sichem est terra illa vocata Sichem, a Sichem scilicet, pat e Emor, qui Dinam filiam Jacob rapuit finibus illis deambulantem. In Sichem vero relata fuerant ossa Joseph ex Ægypto. Porro in Sichem juxta fontem fabricavit Jeroboam duos vitulos, quos adorari fecit instar Aaron decem tribubus, quas secum de Jerusalem adduxerat et seduxerat. Unum ex eis posuit in Dan, alium in Bethel. Sichem urbem illam deleverunt filii Jacob; Emor quoque peremerunt, dolentes de adulterio Dinæ sororis suæ. Sichem his diebus Neapolis dicitur, id est *Civitas nova.*

Sichar ante Sichem, juxta prædium quod dedit Jacob filio suo; in quo fons Jacob, qui et puteus, supra quem evangelizatur fessum itinere Jesum sedisse, et sermonem habuisse cum muliere Samaritana; ubi nunc ecclesia constituitur. Juxta Sichem

terebinthus illa est sub qua Jacob abscondit idola in Bethel.

Milliario a Sichem Luza civitas, in qua per multi temporis spatium habitavit Abraham; ubi et Jacob dormiens scalam vidit, cujus scalæ caput cœlos tangebat, angelosque per eam descendentes et ascendentes; et statim evigilans ait: Hic locus vere sanctus est, et porta cœli; erigensque lapidem in titulum oleumque fundens desuper, appellavit nomen loci illius Bethel, qui antea Luza vocabatur. Est autem Bethel collateralis mons Garizim, respiciens montem Gebal, ad orientem juxta Dan supra Sichem. In hoc monte Bethel dicitur Abraham filium suum mactare voluisse.

Vigesimo milliario a Sychem, quarto a Jerusalem, via est quæ ducit Diospolim, ubi mons Silo, et civitas quæ et Rama. Hic arca testamenti et tabernaculum Domini ab adventu filiorum Israel remanserunt usque ad tempora Samuelis prophetæ et David regis.

Vicesimo quarto milliario a Sichem, decimo sexto a Diospoli, decimo sexto ab Ebron, decimo a Jericho, quarto a Bethlehem, decimo sexto a Bersabee, vicesimo quarto ab Ascalone, totidem quoque a Joppe, decimo sexto a Ramatha, etc., Jerusalem, sanctissima Judææ metropolis, quæ et Sion, de qua dictum est: *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Domini*, quæ et *Ælia ab Ælio Adriano*, qui eam construxit, aut potius in civitatis formam transmutavit.

CAPUT II.

Bethlehem, Ecclesia S. Charitonis martyris. Templum Salomonis, ejusdemque diversis temporibus restaurationes.

Bethlehem *domus panis* interpretatur. Bethlehem, civitas Judæ, quæ et Ephrata, nec sine causa, quia de flore Nazareno processit in ea fructus vitæ de virgine Maria, videlicet Filius Dei vivi, Christus Jesus, qui est panis angelorum totiusque mundi vita. In Bethlehem juxta locum nativitatis præsepe est in quo ipse infans Jesus latitavit; unde et propheta: *Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui*. Ex hoc præsepi fenum illud in quo puer Jesus latitaverat, Romam delatum fuit ab Helena regina, et honeste reconditum in Ecclesia Sanctæ Mariæ Majoris. In loco nativitatis Domini ex musivo opere deaurato hi duo versus leguntur appositi:

Angelicæ lumen virtutis, et ejus acumen,
Hic natus vere Deus est de virgine Matre.

Milliario a Bethlehem refulsit stella pastoribus nato Domino, eisque apparente angelo, et dicente: *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis*. In Bethlehem nova stella duce venerunt tres reges ab Oriente venerari natum Jesum; et regem angelorum adorantes præsentarunt ei mystica munera: aurum, thus et myrrham. In Bethlehem ejusque finibus jussit Herodes innocentes occidi, quorum maxima pars contra meridiem quarto milliario a Bethlehem, secundo a Thecua sepulta quiescit.

Quarto milliario a Bethlehem, contra meridiem, ecclesia habetur beati Kariton, ubi ipso de hoc mundo trans et obeunte, monachi quoque ejus, quibus pius pastor præfuerat, cum eo pariter agonizaverunt, quam ipsam mortis gratiam a Deo præsciverant, eo quod Pater eorum pius exstiterat, nec post eum vivere volebant, ejus amore ferventes: quorum singulorum compagines in ecclesia prædicta videri possint; et quidem eo modo quo se habuerant in desolatione Patris eorum agonizantes, translati postea in Jerusalem.

In Bethlehem, infra basilicam, haud longe a præsepio Domini, in caverna quadam requiescit corpus beati Hieronymi; Paula vero et Eustochium, quibus ipse scripsit Hieronymus, similiter in Bethlehem sepultæ qniescunt. Milliario a Bethlehem, via quæ ducit Jerusalem, crypta, locus est in quo cum Rachel filium Benjamin peperisset, occubuit, ibique a viro suo Jacob tumulata quiescit. Cujus ad tumulum Jacob duodecim non modicos lapides supposuit, in testamentum duodecim filiorum suorum. Cujus pyramis adhuc a transeuntibus videri potest.

Jerusalem, gloriosa Judææ metropolis, juxta philosophos in medio mundi sita esse dicitur. In hac urbe regnavit David triginta quatuor annos cum dimidio. In Jerusalem mons Moria est, super quem David vidit evaginato gladio angelum qui populum Dei graviter percutiebat; timens sibi ne in se et in urbem ulcisceretur quod in populo numerato deliquerat, quare pronus in terram corruit, vere pœnitens graviterque se affligens, a Domino exauditus veniam meruit. De David ait Dominus: *Inveni virum secundum eor meum*. Insuper in monte Moria regnante David florebat area, sive locus ille Hornam Jebusei, a quo et ipse *David eam aream emere* voluit ad construendam ibidem domum Domini, eo quod in loco illo David a Domino fuerit misericordiam consecutus, cum angelus Domini eidem parcens ibidem constitisset. Emit quidem David hunc locum, sed vetitum ei a Domino fuerat ne inde se intromitteret, quia vir sanguinum esset. Ergo, quas ad hoc præparaverat expensas, Salomoni filio suo, cui a Domino concedebatur, tradidit, quatenus inde Domino domum construeret.

Igitur rex Salomon in prædicta area ædificavit Domino templum, id est Bethel, et altare; quod et dedicavit incomparabili sumptu, petens a Domino ut quicunque de quocunque Deum in eo templo deprecaretur, exaudiri mereretur; quod etiam concessum fuit ei a Domino.

Illud autem templum postea propter incontinentiam principis et populi, Deo puniente, exspoliavit Nabuchodonosor rex per Nabuzardam principem sui exercitus tempore Sedeciæ regis, quem captivum ab urbe, totumque quod speciosum et pretiosum in æde ac urbe erat, tulit, jussitque sibi in Babylone præsentari populum; paulo post quidem Pharao

Nechao templum delevit, et urbem. Modo vero ne relatori videatur absurdum, auditorique tædiosum, sub quibus et a quibus destructiones et restructiones primi, secundi et tertii ejusdem templi exstiterunt enumerare, hoc de præsenti Bethel, prout verius quæam, tibi dilecte mi, elucidare conabor.

De Bethel itaque, sub quo et a quo principe restitutum sit, vere ignoratur, neque in veram notitiam rei devenire potui. Quidam enim sub Constantino imperatore ab Helena matre sua reædificatum fuisse perhibent pro reverentia sanctæ crucis ab ea receptæ. Alii ab Heraclio imperatore pro reverentia ligni Domini, quod de Perside triumphans retulerat; alii a Justiniano Augusto; alii a quodam imperatore Memphis Ægypti pro reverentia Allachiber, id est summi Domini Dei. Præsens hoc, inquam, templum est de quo prædicatur quod in eo puer Jesus octavo natalis sui die fuerit circumcisus. Præputium ejus in Jerusalem in templo de cœlis ab angelo Carolo Magno regi præsentatum fuit, et ab eo Aquisgranum in Gallias delatum; postea vero a Carolo Calvo in Aquitaniam translatum, in pago Pictaviensi apud Carusium in Ecclesia quam in honore Salvatoris nostri rex Calvus construxit, et regie bonis amplissimimis sub monachali religione locupletavit, quod ex tunc usque modo ibi solemniter asservatur et veneratur.

CAPUT III.

Enarrantur ea quæ in templo Jerosolymitano a Salvatore mundi ejusque apostolis, etc., *gesta sunt, expositis locis in quibus quæque contigerunt.*

Primum, ut diximus, sacramentum in civitate Nazareth est per Incarnationem Domini celebratum. Secundum vero per Nativitatem ipsius in Bethlehem Judæ est consummatum. Tertium, quod dicitur Hypapante Domini, id est repræsentatio Christi, in quadragesimo Nativitatis suæ die in templo Jerusalem est ostensum. Verumtamen hæc tria sub uno comprehenduntur sigillorum, quæ septem dicuntur in numero, quo ille liber in Apocalypsi signatus, a nullo potuit solvi nisi ab illo Agno qui ab origine mundi est occisus. Unde et ille : *Dignus es, Domine, accipere*, etc. Computantur autem a quibusdam hæc septem signacula apocalyptica in hunc modum, nempe quod hæc sint : 1. Nativitas Domini, seu Incarnatio; 2. Baptismus; 3. Passio; 4. ad inferos descensio; 5. Resurrectio; 6. Ascensio; 7, futuri judicii repræsentatio. De his autem septem jam sex in partibus Jerosolymitarum per Dominum nostrum Jesum Christum sunt soluta seu adimpleta; septimum complendum per eumdem Dominum nostrum, cujus completioni nec certa hora, nec certus locus est ascriptus, licet a Joel propheta in persona Domini dictum sit : *Congregabo omnes gentes in valle Josaphat, et disceptabo cum eis.* Sed de his alibi. Nunc vero redeamus ad repræsentationem Domini, adjicientes hoc de circumcisione ejus, quæ facta est in templo Domini octavo die, quod ipsa, quamvis in ea carnis abscisio depositionem vitiorum in mentibus aliorum significet, tamen, quia ad Vetus Testamentum pertinet, tanquam in eo consummationem accipiens, amodo cessare debeat, ut inter sacramenta Novi Testamenti circumcisio non computetur. Hinc non pertinet ad aliquod septem sigillorum prædictorum. Sicut jam diximus, Dominus noster Jesus Christus a sua Matre in templo est præsentatus, et in ulnas beati Simeonis receptus, spiritu prophetico inferentis : *Nunc dimittis servum tuum, Domine*, etc. In templo Dominus noster Jesus Christus, jam major factus, cum moraretur Jerusalem, etiam duodennis disputabat cum Judæis, et licet eum odio habuerunt, tamen eos sæpe docebat. Nam in templo laudavit munus mulieris pauperis, quod in gazophylacium miserat, etc. Supra pinnaculum templi, quod reputatur supra latus circuitus, habens subtus se fenestras quasi pinnas vel cinnas, statuit Jesum diabolus, et tertio cum propter baptismum et jejunium tentans dixit : *Si Filius Dei es, mitte te deorsum.* In hoc ipso templo Domini XI Kalend. Decembris dicitur beata Virgo Maria jam, trium annorum parvula, oblata fuisse Deo, ut hi versiculi docent ibidem inscripti :

Virginibus septem Virgo comitata puellis,
Servitura Deo, fuit hic oblata triennis.

Ibi absque dubio sæpe divinum et angelicum solatium percepit, unde rursus iste versus :

Pascitur angelico Virgo ministerio.

De templo vendentes et ementes ejecit Dominus noster Jesus Christus : ad cujus rei indicium adhuc in dextera parte templi ostenditur lapis cum magna veneratione luminariorum, tanquam pede Domini calcatus et sanctificatus, eleganter ornatus, ubi nempe Christus solus virtute divina tot restitit hominibus, eos violenter ejiciendo; qui dictus lapis adjunctus est lapidi super quem tanquam in altari depingitur oblatus fuisse Dominus noster, uti demonstratur in pictura et superscriptione, quæ talis est :

Hic fuit oblatus Rex regum virgine natus,
Quapropter sanctus locus est hic jure vocatus.

Et paulo post etiam sequentes versus ibidem leguntur.

Hic Jacob scalam vidit, construxit et aram,
Hinc locus ornatur, quo sanctus jure vocatur.

Quod vero hoc ipso in lapide Jacob depingitur caput posuisse, quando dormiens vidit scalam in cœlum porrectam, per quam angeli ascenderunt et descenderunt, salva reverentia templi, verum non est; ubi et iterum versus hic appositus est :

Hæc tua sit terra, Jacob, cum prole futura,

Sed, ut supra diximus, longe in alio loco accidit, scilicet ad majorem Machumeriam ad Mesopotamiam eunti.

In templo liberavit Dominus noster adulteram ab accusantibus, dicens : *Qui sine peccato est*, etc. Qui deinde, accusatoribus tacentibus et exeuntibus, feminæ dixit : *Mulier, vade in pace, et jam amplius noli peccare.* Locus ille repræsentatur in parva cry-

pta ejusdem templi, ad quam cryptam introitus est in sinistra parte templi et vocatur Confessio. In eumdem locum dicitur ingressus fuisse Zacharias, quando ab angelo de conceptione Joannis est certificatus; hoc totum indicat pictura, et superscriptiones, quæ tales sunt. Angelus ad Zachariam : *Ne timeas, Zacharia, exaudita est oratio tua*, etc.

In superliminari conspicitur imago Christi cum hac epigraphe :

Absolvo gentes sua crimina corde fatentes.

In templo ad altare quod extra erat sub clivo, remotum a templo plusquam xx passus, Zacharias filius Barachiæ martyr occubuit; supra quod in Veteri Testamento Judæi turtures et columbas sacrifacere consueverant, sed postea a Sarracenis mutatum est altare illud in horologium, quod adhuc videri et notari potest, cum plures Sarraceni, etiam hodie, orandi causa ad ipsum, versus meridiem dispositum, ad quem meridiem ipsi orare solent, veniunt. Idem vero templum Domini miro tabulatu marmoreo intus et exterius, a quocunque demum exstructum, formam habet decentem et rotundam, imo circulariter octogonam, id est, octo angulos in circuitu habentem. Hujus templi paries de optimo musivo opere extrinsecus adornatus est usque ad medietatem ejus, nam reliqua pars est de marmoreis lapidibus. Idem paries inferior est continuus, præterquam quod quatuor ostiis interrumpitur, habens ad orientem ostium unum, cui adjuncta est capella in honorem sancti Jacobi consecrata. Nam ab ea parte de tecto templi ipse præcipitatus, pertica fullonis est occisus, qui primus pontifex fuit sub novæ legis gratia in Jerusalem. Unde et hi versus sunt appositi in eadem capella, in latere parietis :

Jacobus Alphæi, Domini similis faciei,
Finit pro Christo, templo depulsus ab isto.
Sic Jacobum justum, prædicantem publice Christum,
Plebs mala mulctavit, fullonis pertica stravit.

Et hi dicti versus intus et foris quasi per gyrum ejusdem capellæ in circuitu continentur, una cum istis :

Jacobus Alphæi frater domini Nazarei,
Piscator vita, vere fuit Israelita;
De templi pinna compulsus fraude maligna,
Ad Christum lætus migravit vecte peremptus.

Ab aquilone habens officium unum versus claustrum Dominorum, in cujus superliminari plures litteræ Saracenicæ sunt appositæ. Ibidem vero juxta idem ostium est locus illius aquæ salutaris de qua propheta : *Vidi aquam egredientem de latere*, etc.

In introitu templi, versus occidentem, supra vestibulum Christi imago est, circa quam hoc continetur epigramma : *Hæc domus mea, domus orationis vocabitur.*

A meridie quoque habet ostium versus ædificium Salomonis. Ab occidente etiam habet ostium versus sepulcrum Domini, ubi et porta Speciosa, per quam Petrus cum Joanne transiens pauperi, elecmosynam ab eis potenti, cum esset claudus, dixit : *Argentum et aurum non est mihi*, etc. Utrumlibet istorum duorum ostiorum, videlicet ab aquilone et ab occidente, habet sex januas, modo valvarum conjunctas; nam illud versus meridiem habet quatuor, illud vero ad orientem duas tantum. Et hæc circa inferiorem parietem.

Jam in superiori parte ejusdem parietis, scilicet ubi musivum opus optimum appositum est, fenestræ sunt intersertæ sic, ut in quolibet de octo lateribus sint quinque fenestræ, præterquam ubi sunt ostia templi, in quibus tantum quatuor continentur. Summa universa fenestrarum ascendit ad triginta duas. Inter istum exteriorem in circuitu parietem, et inter interiores columnas marmoreas et magnas, quæ numero sunt duodecim, et sustentant illum interiorem, et strictiorem, et latiorem, et penitus rotundum parietem, qui habet duodecim fenestras, suppositis etiam sibi quatuor quadratis basibus, inter hunc, inquam, et illum parietem sunt sedecim columnæ, et octo bases cum quadratis lapidibus marmoreis, cum spatio octo passuum, abhinc et inde sustentantes tectum medium inter interiorem et exteriorem parietem, et interiorem etiam strictiorem cum pulcherrimis laquearis : supra se etiam juxta tectum locum deambulatorium circumquaque exhibentibus, et habentibus canales plumbeos, qui aquam pluviatilem evomunt.

Super hunc strictiorem parietem erigitur in altum testudo rotundus, intus depictus, foris plumbo coopertus, cui signum sanctæ crucis in supremo apice a Christianis est appositum. Hoc ipsum signum Saracenis est valde contrarium, et multi auri sui dispendio vellent esse remotum. Nam licet fidem passionis Christi non habeant, attamen hoc templum venerantur, et huic vim nullam inferunt : quin imo in hoc ipso licet templo Creatorem suum adorent etiam, tamen pro idololatris teste Augustino habendi sunt, qui expresse asserit, *idololatriam esse quidquid fit præter fidem Christi.*

In circuitu templi quasi sub tecto extra continetur hæc littera in ascensu versus occidentem : *Pax æterna ab æterno Patre sit huic domui. Benedicta gloria Domini de loco sancto suo.* Versus meridiem : *Bene fundata est domus Domini supra firmam petram. Beati qui habitant in domo tua, in sæcula sæculorum laudabunt te.* Versus orientem : *Vere Dominus est in loco isto, et ego nesciebam. In domo tua, Domine, omnes dicent gloriam.* Versus septentrionem : *Templum Domini sanctum est, Dei cultura est, Dei ædificatio est.* Intus vero in templo in superiori linea per circuitum oppositum est magnis litteris illud responsorium : *Audi, Domine, hymnum*, etc., cum versu suo : *Respice, Domine*, etc.

Deinde in inferiori ambitu cum aureis litteris quidam versiculi de illo hymno : *Urbs Jerusalem beata*, etc., continentur inscripti. Idem templum sic decenter compositum et ornatum, circumquaque

habet atrium latum atque planum conjunctis lapidibus pavimentatum et stratum ac in circuitu quadratum, ad quod a tribus partibus multis gradibus ascenditur. Est enim idem atrium ab æqualitate terræ satis artificiose elevatum, et habet ab oriente in pariete suo latum introitum per quinque arcus, quatuor magnis columnis sibi connexos : et hic paries sic patet versus portam Auream, per quam Dominus quinto die ante passionem suam, sedens super asinam, solemniter introivit, susceptus a pueris Hebræorum cum ramis palmarum, laudantibus et dicentibus : *Hosanna filio David*, etc. Hæc porta ex divina dispositione, licet postea Jerusalem sæpe esset ab hostibus capta et destructa, tamen semper remansit integra. Et hinc ob reverentiam divini et mystici introitus Domini, a Bethania per montem Oliveti Jerusalem euntis, intus clausa, foris lapidibus obstructa, nullo tempore patet, nisi in die Palmarum, quo die omni anno ob memoriam rei gestæ solemniter aperitur processioni et universo populo peregrinorum ac civium. Tum facto a patriarcha in pede montis Oliveti ad populum sermone, et officio illa die finito, iterum clauditur per totum annum ut prius, excepto Exaltationis sanctæ crucis festo, ubi denuo adaperitur. Circa eamdem portam infra muros celebris sepultura mortuorum habetur.

Hujus portæ atrium a meridie habet patulum accessum per tres magnos arcus seu fornices, duabus columnis marmoreis conjunctos ; et in eodem latere habet alium accessum, priori latiorem. Ab occidente vero, versus civitatem, idem atrium pulchrum habet accessum, per quatuor arcus tribus columnis marmoreis junctos patens. Ab aquilone autem idem atrium angustatur ex parte, propter adjunctionem claustri Dominorum. In reliquo ejusdem lateris satis pulchram habet latitudinem et accessum. Pulchra quoque, et satis ampla planities a meridie et occidente, aliquantulum etiam versus septentrionem, eidem atrio forinsecus adjacet in plano.

Atque hæc descriptio præfati templi, et adjacentis loci sufficiat; potiora per hujus ulterioris sermonis cursum videbimus.

CAPUT IV.

De Jordane fluvio, Quarentena deserto, Bethagla, Engaddi, montibus Charan et Carmeli, Gerlico, Gergessa, Cæsarea Palæstinæ, Hebron, valle Lacrymarum, agro Gebal, querco Mambre, Segor, spelunca Karnaim, montes Sinai, montibus Horeb et Abarim, Idumæa, Tyros, Sarephta.

Dominus noster, cum viginti novem esset annorum et dierum tredecim, ut Lucas ait, inciperetque quasi tricesimum annum, volens circumcisionem finire, et veterem hominem aqua sanctificata renovare, venit in desertum ad Joannem præcursorem suum, et baptizatus est ab eo in Jordane, in eo loco qui distat ab Jericho lapide tertio ; ubi vox Patris sui intonuit super eum, dicens : *Hic est Filius meus dilectus*, etc. Jordanis autem est fluvius qui a duobus fontibus, scilicet Jor et Dan, qui ad radicem Libani oriuntur, et post longum tractum seorsim fluentes, sub montibus Gelboe conjunguntur, confi-
citur. Spiritus quoque sanctus in eodem tempore, quando Christus baptizabatur, super ipsum venit, ostendens Christum, non Joannem sanctificandi aquas potestatem habere. Ibidem quoque prope, nempe secundo lapide ab Jericho, ad sinistram, est desertum quod Quarentena vocatur ; in hujus deserti quadam rupe suscepto baptismo Christus quadraginta diebus et quadraginta noctibus jejunium complevit, eumque ibi esurientem diabolus tentans dixit : *Dic ut lapides isti panes fiant*, etc. Secundo milliario a Quarentena contra Galilæam mons ille excelsus, in quo spiritus nequam Christum iterum tentavit, ostendens ei omnia regna mundi, ac dicens : *Hæc omnia tibi dabo*, etc. Sub Quarentena fontis illius rivulus, quem beatus Eliseus ejus sanata sterilitate de amaro potabilem reddidit. Ante Jericho secus viam cæcus mendicans, ubi audiit quod Christus transiret, exclamavit : *Jesu Fili David, miserere mei*, etc. Qui etiam ab eo illuminari meruit tam interius quam exterius.

Tertio lapide a Jericho, duobus milliariis a Jordane, Bethagla, quod interpretatur *locus gyri*, eo quod ibi more plangentium circuissent funera Jacob filii ejus gensque eorum, referentes patrem de Ægypto in Hebron.

Engaddi in tribu Juda, ubi se abscondit David in solitudine, quæ est in Aulone Jericho, id est in regione illa campestri de qua supra. Vocatur autem vicus ille *Prægrandis* Judæorum Engaddi, juxta mare Mortuum, unde et opobalsamum oriri solebat et afferri. Unde et vineæ Engaddi nuncupabantur.

Octavo milliario a Nazareth contra Carmelum Karan mons, ad cujus radicem juxta fontem Lamech pater Noe sua sagitta peremit Cain, arcuque suo ducem suum. Unde furore repletus, et ira ait : *Occìdi virum in vulnus meum, et adolescentulum in livorem meum*, etc. De Cain Dominus prædixerat : *Omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur.*

Septimo milliario a Karan monte mons Carmeli, de quo in Canticis canticorum : *Collum tuum ut Carmelus.* In hoc monte per longum tempus conversatus est Elias, ejusque discipulus Eliseus cum eo.

Sexto milliario a Nazareth contra Genunium Gerlicus, in quo Jehu rex Israel percussit Oziam regem Judææ.

Sexto decimo milliario a Nazareth, contra orientem, ad mare Galilææ Gergessa, viculus ille in quo Salvator eos qui a dæmonibus vexabantur sanitati restituit, ex quo in maris præcipitium porcos subjecit.

Sexto decimo milliario a monte Carmelo, contra meridiem, Cæsarea Palestinæ, ex qua Cornelius centurio, quem in ea baptizavit et in episcopum creavit beatus Petrus.

In hac Cæsarea urbe turris Stratonis : nam Herodes contra adventum Augusti (de quo sibi suæque regni tyrannidi timebat) construxit de albo marmore portum et turrim, quæ Jerosolymæam, alias

Turrim David dictam, longe supereminet, ædificavit, Josepho attestante, qui ait : « Turrim fabricavit, eamque Antoniam dixit. »

Ex altera parte Jerusalem, aliquantulum versus meridiem, est civitas Hebron, quæ quondam erat metropolis Philistinorum et habitaculum gigantum, distans a sancta civitate per dietam unam : hæc ipsa erat in tribu Juda, deinde civitas sacerdotalis et refugii, sita in agro illo in quo plasmator Deus omnium patrem nostrum Adam plasmavit et spiraculum vitæ illi inspiravit.

Hebron Kariath-Jarbe dicitur, quod Sarracenice sonat *civitas quarta*, nempe *Cariath* civitas, *Arba*, quarta, eo quod quatuor patres illi reverendi in spelunca duplici in ea fuerint sepulti, scilicet Adam, Abraham, Isaac et Jacob, et eorum uxores quatuor, nempe Eva mater nostra, Sara, Rebecca et Lia. Est autem Hebron juxta vallem Lacrymarum sita. Vallis Lacrymarum ex eo dicta quod centum annis in ea luxerit Adam filium suum Abel. In qua, monitus postea ab angelo, cognovit uxorem suam, ex qua deinde genuit filium suum Seth, de cujus postea stirpe et tribu Christus fuit oriundus.

Secundo milliario ab Hebron sepultura est Lot, nepotis Abraham. In Hebron habetur ager quidam Gebal, cujus gleba rubea est; hæc ab incolis effoditur, et comeditur et per Ægyptum venalis asportatur, utpote quæ in multorum salutem pro specie charissima venditur. Prædictus ager in quantum late et profunde effossus est, in tantum Dei dispositione, anno finito, redintegratus reperitur.

Juxta Hebron mons Mambre, ad cujus radicem terebinthus illa quæ *dirps* vocatur, id est ilex aut quercus, secus quam per multum temporis mansit Abraham, sub qua tres angelos vidit, et unum adoravit, hospitioque prout dignius potuit, suscepit fovitque. Hinc prima credendi via aperta est. Ilex prædicta ex tunc usque modo ad tempus Theodosii imper., testante Hieronymo, suum esse dilatavit, et ex illa hæc fuisse perhibetur quæ in præsenti ab illic præsentibus videtur et chara habetur. Quæ licet modo arida sit, medicabilis tamen esse probatur; et quidem præcipue in isto, quod si quis equitans de ea aliquid secum detulerit, non facile animal suum confundatur.

In Hebron primo applicuerunt se, causa explorendæ terræ promissionis, Josue, et Caleph, et eorum socii decem. In Hebron regnavit David annis septem et medium. Demum decimo ab Hebron milliario lacus Asphaltitis, qui et mare Mortuum dicitur, contra orientem est. Vere mortuum ex eo quod nihil mortuum recipit. Alias et mare diaboli dici consuevit, utpote quod instinctu ejus illæ civitates celeberrimæ Sodoma, Gomorrha, Sephon et Adama, perseverantes in turpitudine sua, sulphure concremante, miserrime in lacum illum subversæ fuerint.

Supra lacum in accubitu Judææ Segor est, quæ et Bala vel Zara vocatur. Et hæc quinta de civitatibus illis, precibus Lot de subversione conservata, usque nunc ostenditur, et modo glorioso nomine Palmaria dicitur. In exitu Segor uxor Lot, ut nihil lætum sine admisto tristi est, in effigiem salis est immutata, cujus prodigii adhuc vestigia apparent. Supra ripam maris prædicti multum aluminis ab incolis reperitur et colligitur, nec non et bitumen ex mari extrahitur, quod Judaicum appellatur, multis necessarium. Segor autem, ut diximus, modo a compatriotis oppidum Palma seu Palmaria vocatur.

Supra lacum Asphaltitis, in descensu Arabiæ, Karnaim spelunca in monte Moabitarum, in quem Balach filius Behor Balaam adduxit ad maledicendum populo Israel; hic mons propter vehemens præruptum excisus vocatur. Cæterum lacus Asphaltitis Judæam ab Arabia dividit. Arabia tempore filiorum Israel solitudo erat, seu desertum illud, aut eremus, terra invia et inaquosa, in qua detinuit Dominus populum suum quadraginta annis, pluens illis manna ad manducandum, aqua de petra durissima producta.

In Arabia hac mons Sinai, in quo Moyses quadraginta diebus totidemque noctibus omnis cibi expers moratus erat; in quo loco deinde Dominus Moysi legem dedit, proprio digito suo scriptam in tabulis lapideis. In Arabiæ valle percussit Moyses bis silicem, qui percussus duos aquæ rivulos populo Dei reddidit, de quibus adhuc hodie tota illa, antehac inaquosa, terra irrigatur.

In Arabia præcessit filiis Israel columna ignis per noctem, nubes vero eos vallavit diebus singulis. In Arabia Helim est, ubi filii Israel castrametati, nempe locus ille in deserto, ubi dicti filii Israel duodecim fontes et septuaginta palmas, quando de mari Rubro exibant, repererunt. In Arabia quadraginta mansiones filiorum Israel sunt. In Arabia mons Horeb, in quo sepultus Aaron requiescit. In Arabia mons Abarim, in quo Dominus Moysen per angelos sepelivit, ejus tamen nusquam apparente tumuli vestigio. In Arabia mons ille regalis, quem domnus Balduinus primus (1), rex Francorum in Jerusalem, ad terram Christicolis subjugavit, et ad tuendum regnum David firmum reddidit.

Cæterum Arabia jungitur Idumææ in finibus Bostrom. Idumæa tamen sub Syria, Syriæ autem caput Damascus. Idumæam et Phœniciam dividit Libanus. In Phœnicia est Sors, seu Syris, dicta Tyrus, Phœnicum nobilissima civitas metropolis, quæ Christum per maritima ambulantem recipere noluit. Quæ et divina testante pagina martyres Deo plurimos reddidit, quorum Dei solius scientia numerum collegit. Insuper Tyrus originem [Origenem?] tumulatum celat. Ante Tyrum lapis ille marmoreus haud modicus super quem sedit Jesus, a tempore Christi usque ad expulsionem gentium ab urbe semper illæsus, sed deinde a Francis et Veneticis fractus.

(1) Id est primus hujus nominis, inter reges Hierosolymæ secundus.

Supra vero residuum illius lapidis in honorem Salvatoris quædam ecclesia constructa est.

Octavo milliario a Tyro, contra orientem, supra mare, Sarphen est, quod dicitur alias Sarepta Sidoniæ; in quo quondam habitavit propheta Domini Elias. Hic resuscitavit filium viduæ, Joanam videlicet, eo quod vidua prophetam Domini benigne foverit et paverit.

CAPUT V.

Sidon, Berythus, Damascus, Arphat, Huss, Suita, Thema, Naamon, mons Seir et Libani, Farfar et Abbana fluvii, Paneas oppidum, Dan fons, Medan, Jor, Betsaida, Corozaim, Cedar.

Sexto milliario a Sarphen, Sidon egregia jacet civitas, ex qua Dido, quæ in Africa Carthaginem condidit, oriunda. Sexto decimo milliario a Sidone Berytus opulentissima civitas. In Beryto quædam Salvatoris nostri imago, haud multum post passionem ejus, a quibusdam Judæis sub Crucifixi effigie ignominiose et ridiculose posita sanguinem sudavit et aquam : quæ causa fuit ut Sidoniorum multi, in verum Jesum crucifixum credentes, sacrum baptismi lavacrum susceperint. Quicunque etiam ex stilla dictæ imaginis peruncti fuerunt, sani fiebant, a quacunque detinebantur infirmitate. Denique et Arphat urbs est Damasci. Jam fusius de Damasco.

Damascus est caput Syriæ, et reverenda metropolis illius. Hanc construxit Eliezer, servus Abrahæ, in agro illo in quo Cain occidit Abel fratrem suum, Damascum habitavit Esau; hinc et Seyr et Edom dicitur, nam Seyr *pilosus*, et Edom *rubeus*, seu *rufus* interpretatur. Ab Edom tota terra illa vocatur Idumæa; de qua in psalmo : *In Idumæam extendam calceamentum meum.* Et iterum alius propheta : *Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra?* Est autem de Edom quædam pars terræ illius Huss, ex qua beatus Job; quæ et Suita : hinc de ea dictus Baldat Suites. In qua et Thema metropolis Idumææ; ex hac Thema Eliphaz Themanites; in qua et Naamon oppidum : in quo Sophar Naamatites : hi tres consolatores Job.

In Idumææ finibus, secundo milliario a Jordane, fluvius Jacob, quo transvadato a Jacob, cum rediret a Mesopotamia, luctatus est cum angelo, qui deinde ei nomen Jacob mutavit in Israel, eumque tacto femore claudicare fecit. In Idumæa mons Seyr, sub quo Damascus. Secundo milliario a Damasco est venerabilis locus iste in quo Saulo, postea dicto Paulo, Christus apparuit dicens : *Saule, Saule, quid me persequeris?* In quo loco Saulum non modicum lumen de cœlis circumfulsit. In Damasco baptizavit Saulum Ananias, nomen ei *Paulus* imponens. De muris Damasci demissus fuit Paulus, persecutorum rabiem veritus.

Libanus interpretatur *candor*, hinc in Canticis cant. : *Veni de Libano, columba mea.* Ad radicem montis Libani oriuntur Farfar et Abbana, fluvii Damasci. Sed montes Libani et planities Archados transfluit Abbana, magno se mari copulans finibus illis, in quibus beatus Eustachius uxore sua privatus et a filiis desolatus recessit. Farfar per Syriam tendit ad Antiochiam, labens secus muros ejus; decimo abhinc milliario in portu Solim, portu scilicet Sancti Simeonis, Mediterraneo se mari commendat. Antiochiæ primo sedit sanctus Petrus apostolus, septem annis, pontificali decoratus infula. Ad radicem Libani Paneas civitas sita est, alias Cæsarea Philippi dicta.

Porro item ad radicem Libani oriuntur Jor et Dan, illi duo fontes de quibus, ut supra meminimus, sub montibus Gelboe Jordanis conficitur. A montibus Gelboe usque ad lacum Asphaltitis vallis est illa per quam labitur Jordanis; et hæc vallis vocatur, ut diximus, prægrandis seu campestris, quæ ex utraque parte vallatur continuis montibus a Libano, usque ad desertum Pharan. Dividit autem Jordanis Galilæam et Idumæam, et terram Bostrom, quæ et Idumeæ secunda metropolis. Cæterum Jordanis *descensus* interpretatur.

Fonticulus Dan ab ortu suo subterraneum ducit gurgitem suum usque ad Medan, planitiem illam in qua, adauctis aquis, satis patenter suum foras emittit alveum. Planities autem illa ideo Medan vocatur eo quod Dan et illa medius sit. Sarracenice quidem sonat platea illa *Medan*, Latine autem *platea;* iorum vero vocatur Medan, eo quod intrante æstate innumerabilis ibi populus secum omnia deferens venalia convenit; et insuper ingens Barthorum [Parthorum?] et Arabum multitudo ad tuendum populum, et ad pascendos greges suos in pascuis illis per totam æstatem demoratur. Medan componitur ex *med* et *dan*. Med, Sarranice, *aqua;* dan, *fluvius*. Ex prædicta planitie Dan se reddens in fluvium Suetam seu Suitam peragratur, in qua pyramis beati Job adhuc superstes a regibus et gentibus solemnis habetur.

Denique Dan contra Galilæam gentium se obliquans, sub urbe Cedar, penes medicabilia balnea, Spineti plana transfluens Jor copulatur. Jor haud longe a Paneas lacum illius loci reddit, facitque ex se; postea mare Galilææ inter Bethsaidam et Capharnaum ex eo sumit exordium. A Bethsaida Petrus et Joannes, Andreas et Jacobus Alphei.

Sexto milliario a Bethsaida est Corozaim, in qua Antichristus seductor orbis nutrietur. De Corozaim et Bethsaida ait Jesus : *Væ tibi, Corozaim! væ tibi, Bethsaida!* Sexto milliario a Corozaim est Cedar excellentissima civitas, de qua in psal. : *Habitavi cum habitantibus Cedar.* Alias Cedar interpretatur *in tenebris.*

CAPUT VI.

Capharnaum, locus Mensæ, Magdalum, Tiberias, Bethulia, Dothaim, Carnarium Leonis, mons Modin, Diospolis, Tecua, Jericho, Sichem, mons Offensionis, natatoria Siloe, quercus Rogel, vallis Josaphat.

Capharnaum in dextera maris civitas illa est in qua Jesus filium centurionis sanavit, de quo et ipse ait : *Non inveni tantam fidem in Israel.* In civitate

hac Capharnaum multa signa fecit Jesus, docens in A Synagoga. Tandem Capharnaum interpretatur *villa pulcherrima*, seu magis *filia pulchritudinis*; quæ nobis significat sanctam Ecclesiam, ad quam cuncti qui de Libano, id est de candore virtutum, veniunt, ab ea et in ea lucidiores redduntur.

Secundo milliario a Capharnaum descensus illius montis est in quo Dominus sermocinatus est ad turbas, et instruxit apostolos suos, docens eos; in quo et leprosum Dominus sanavit. Milliario abhinc, id est a descensu montis illius, est locus ille in quo Jesus quinque hominum millia ex quinque panibus et duobus piscibus pavit. Unde locus ille *Mensa* vocatur, quod idem est ac locus refectionis. Huic loco subjacet ille in quo Christus suis discipulis apparuit, comedens cum eis partem piscis assi, supra mare, B quod idem Dominus sicco pede perambulavit, cum circa quartam noctis vigiliam Petro et Andreæ piscantibus apparuit; ubi et Petro supra mare ad eum ire volenti et mergenti Christus dixit: *Modicæ fidei, quare dubitasti?* et ubi alia vice, suis discipulis periclitantibus, mare quietum reddidit.

Secundo milliario a Genesareth oppidum Magdalum, a quo Maria Magdalena. Hæc autem regio alias vocatur Galilæa gentium, et sita est in tribu Zabulon et Nephthalim. In superiori hujus Galilææ parte viginti fuere civitates quas rex Salomon Hiram regi Tyri, amico suo, dono dedit.

Secundo milliario a Magdalo Chyneret civitas, quæ et Tiberiadis, a Tiberio Cæsare cognominata; quam C in juventute sua Jesus frequentare solebat. Quarto milliario a Tiberiade Bethulia civitas, ex qua Judith, quæ pro gente sua salvanda satis astute peremit Holofernem in obsidione urbis. Quarto item milliario a Tiberiade contra meridiem est Dothaim, in quo Joseph fratres suos greges pascentes reperit, quem et ibi ex odio Ismaelitis in Ægyptum vendiderunt.

Ante portam Jerusalem quæ respicit ad occasum, saxis obrutus beatus Stephanus protomartyr occubuit, et sepultus, cum ex loco martyrii in Sion fuisset translatus, inter Nicodemum, et Gamalielem, et Abibon: postea Constantinopolim, ad ultimum demum Romæ beato Laurentio contumulatus: unde hic in tumulo versus:

Quem Sion occidit, nobis Byzantia misit.

Ante portam Jerusalem, juxta lacum qui respicit meridiem, cavea illa videtur, in quam Leo quidam, jussu Dei omnipotentis, martyrum fere duodecim millia sub Cosroe perempta, detulit nocte; unde et Carnarium Leonis dicitur.

Sexto milliario a Jerusalem, contra meridiem, via est quæ ducit Ramatha, et mons Modin, ex quo loco oriundus Mathathias, pater Machabæorum, in quo et sepulti quiescunt, adhuc apparentibus tumulis. Octavo milliario a Modin, via quæ ducit Joppem, Lidda, quæ et Diospolis, in qua corpus beati Georgii sepultum fuisse manifestatur, milliario a Ramatha distat.

Tertio milliario a Bethlehem Tecua oppidum, ex quo Amos, qui et ibi sepultus est.

Quarto milliario a Jerusalem, contra austrum, oppidum illud in quo morabatur Zacharias tunc temporis, cum mater Jesu Maria festinans, jam habens in utero suo Filium Dei venit ad salutandum Elisabeth cognatam suam, gravidam de Joanne filio suo; quem et ibi natum fuisse perhibent.

Tertio decimo milliario ab Jerusalem, contra boream, est Jericho, ex qua Raab, meretrix illa quæ hospitio exceptos quatuor exploratores filiorum Israel liberavit, celavit et pavit. Ex qua Zachæus, statura pusillus, audiens Jesum per partes illas deambulantem, sycomorum arborem ascendit ut Jesum videret et cum eo loqueretur, se judicans et petens veniam. Ex qua et pueri illi qui beatum Eliseum Jerosolymam ascendentem deriserunt, dicentes: *Ascende, calve, ascende, calve*, etc.

Secundo milliario a Jerusalem via est quæ ducit Sichem, et mons Gabaoth in tribu Benjamin.

Milliario a Jerusalem, in accubitu montis Oliveti, mons Offensionis et Continuus. Dividit autem eos via quæ de Josaphat per Bethphage ducit Bethaniam; eapropter dictus mons Offensionis quod in eo rex Salomon idolum posuerit Moiloch, adorans illud.

Haud procul Jerusalem sub Salomonis regia, in accubitu in valle Josaphat, est natatoria Siloe, ad quam cæcum ab eo illuminatum misit Jesus, ut in ea lavaret oculos suos. Qui abiens lavit et vidit. Ergo Siloe interpretatur *missus*. Non ad eamdem aquam Naaman princeps Syriæ missus est, sed ad Jordanem, ab Eliseo propheta, ut in eo ter lotus curaretur a lepra. Quam aquam ipse Naaman intuens, quasi cum indignatione intulit: *Nunquid Farfar et Abbania, nostræ provinciæ flumina, longe meliora sunt isto?* Tandem tamen monitis servi sui consentiens, mandatum prophetæ implevit et curatus est.

Siloe secundum traditionem Syriorum ex Silo manare dicitur. Siloe gurgitem suum cum silentio ducit, quia subterraneum. Juxta Siloe exstitit quercus Rogel sub qua beatus Josias sepultus quiescit.

D In valle Josaphat sepultus fuit beatus Jacobus Alphæi, qui de templo, ut supra diximus, præcipitatus fuit. Est adhuc in eadem valle pulchra capella in qua sepulturæ ejus indicium manet, cum his inscriptis versibus:

Urgent Alphæi natum sine lege Judæi,
Causa necis fit ei, nomen amorque Dei.
Alphæi natus de templo præcipitatus
Huc fuit allatus, et devote tumulatus.

Verum exinde postea fuit apostolus Dei Constantinopolim translatus.

In valle Josaphat sub acuto pyramide rex idem Josaphat tumulatus fuit, a cujus nomine tota vallis sortita est nomen. Interpretatur autem *vallis judicii*, juxta illud: *Congregabo omnes gentes*, etc. Porro.

Eadem vallis ex omni parte plures habet caveas, A in quibus religiosæ personæ vitam ducunt eremiticam. Tota vallis pertinet ad cœnobium in summitate ejusdem vallis supra rivum torrentis Cedron situm, juxta hortum in quo sæpe Dominus noster cum discipulis suis solebat convenire. In hujus cœnobii crypta adhuc hodie ostenditur sepultura beatissimæ virginis Mariæ, de qua postea dicemus.

CAPUT VII.

De Bethania, Bethphage, vico Gethsemani, cœnaculo Domini in monte Sion rebusque in singulis locis memoria dignis.

Dictum est jam de duobus sigillis quæ Dominus noster, tanquam leo de tribu Juda emissus, in signato libro Joannis solvit, scilicet de Nativitate et Baptismo. Jam nunc de sigillis aliis loquamur.

Appropinquante Dominicæ passionis tempore venit Jesus Christus Dominus noster Bethaniam, sero, ante diem Palmarum. Tum in sequenti die, scilicet Dominico mane, cum ea solemnitate quam jam supra retulimus, civitatem sanctam est ingressus. Distat autem Bethania a Jerusalem per duo milliaria, et est oppidum illud in quo Simon, vel Lazarus, ut verius creditur, sæpe Christum recepit in hospitem; cui devote ministrabant Martha et Maria. In Bethania Maria Magdalena fracto alabastro unguentum pretiosum effudit causa devotionis supra caput Salvatoris in convivio recumbentis, cujus unguenti odore tota domus repleta est. Dicitur autem Maria Magdalena in eodem loco, vel potius in alio, scilicet in domo Simonis leprosi, jam dudum, cum adhuc esset peccatrix, ductu pœnitentiæ ad pedes Domini, similiter in convivio recumbentis venisse, et suis lacrymis pedes Jesu Christi rigasse, crinibusque suis extersisse, et alio quodam, scilicet compunctionis unguento unxisse, et sic peccatorum suorum veniam apud Dominum promeruisse. Unde cum sacra in Scriptura alicubi reperiatur, aliam Mariam ad pedes ejus accessisse, aliam caput Domini inunxisse, etc., doctores Ecclesiæ sanctæ ita sensum exponunt: nempe aliam, id est *alteram*, seu *alteratam* Mariam, quia ibi, et usque tunc peccatrix, in amaritudine pœnitentiæ, hic jam justificata cum devotionis exsultatione accessit. Est tamen quædam ecclesia infra muros sanctæ civitatis juxta Sanctam Annam, versus septentrionem, prope muros urbis in honore sanctæ Mariæ Magdalenæ consecrata; quo loco habitant monachi Jacobitæ, qui asserunt ibi domum fuisse Simonis leprosi, qui invitavit Dominum nostrum ad convivium, in quo supervenit Maria Magdalena, procidens ad pedes Jesu, quos lacrymis rigavit, et osculatos crinibus detersit, ungens unguento. Hoc, inquam, quidem dicti loci monachi asserunt, et id ipsum loco in pavimento, crucis forma signato, ubi venit Maria ad pedes Jesu, et in pictura tabularum sic fuisse comprobant, ostendentes insuper adhuc capillum ejusdem Mariæ, qui continetur in vasculo vitri perspicui, repertus ibidem.

Dicunt ad hæc quoque aliam fuisse Mariam, quæ soror erat Lazari et Marthæ, quæ in Bethania, quod oppidum illorum trium erat, fracto alabastro pretiosum unguentum fudit super caput ejusdem Domini nostri. Cujus sepulturam adhuc hodie in tabaria dicunt apparere, corpore ipsius ibidem sepulto. Fatentur autem corpus Mariæ Magdalenæ in partibus nostris apud Virzlacum [Vizeliacum] sepultum quiescere. Verum hoc utique illi duntaxat affirmant, sicut ipse præsens audivi; sed, ut diximus, unam eamdemque quæ unxit pedes et caput Jesu, dicunt fuisse Mariam, et eamdem Lazari sororem, et quandoque peccatricem. Interim tamen lectio sancti Evangelii de hoc eodem facto valde est implicita, et etiam diligentem auditorem reddit dubium de hoc, B an scilicet Simon leprosus in Bethania habuerit hospitium, et quod invitaverit Dominum; quod tamen non videtur idoneum, cum dictum et scriptum sit quod totum illud oppidum Bethania fuerit Lazari et sororum suarum. Et si idem Simon habuerit alibi hospitium, et forte in præmonstrato loco, necesse est dicere quod tunc vice prima non solum pedes, sed etiam caput Jesu dicatur Maria unxisse, ut ex ipsius Domini verbis in Evangelio dicentis: *Simon, introivi in domum tuam*, etc., potest intelligi. Alia vero vice in Bethania tanquam in domo sua eadem Maria tantum caput ejus unxit, fracto super ipsum alabastro. Unde in Evangelio: *Cum esset Bethaniæ Jesus*, etc. Si quis de his amplius velit certiorari, C veniat ipse, et a prudentioribus incolis terræ hujus ordinem et veritatem rei gestæ inquirat. Nam in aliqua scriptura nec tantum de his reperi. Inter eamdem Bethaniam et summitatem montis Oliveti, tanquam in medio, erat Bethphage, vicus quidam sacerdotum, cujus ad indicium adhuc exstant quasi turres duæ lapideæ, de quibus est una ecclesia.

In pede montis Oliveti versus civitatem, ubi modo ostenditur sepultura beatæ Mariæ Virginis, erat viculus qui dicebatur Gethsemani.

Appropinquante, ut diximus, Domini passione, post Lazari resuscitationem, die Palmarum Jesus venit Jerosolymam; eadem die solemnitate jam dicta peracta rediit ad Oliveti montana, moraturus ibi usque ad feriam quintam; in qua facturus erat una D cum discipulis suis cœnam Dominicam in qua veteris testamenti terminum et novi testamenti initium poneret. Discipulis ergo suis inquirentibus ubi velit sibi Pascha fieri, misit ex eis quosdam in civitatem, ut venirent et præpararent sibi habitaculum, vel locum ad complenda hujusmodi sacræ cœnæ sacramenta idoneum; de quo plenius in Evangelio: *Ite in civitatem, et invenietis hominem amphoram aquæ bajulantem; sequimini eum*, etc. Hoc cœnaculum in monte Sion est inventum, in loco in quo Salomon quondam egregium dicitur construxisse ædificium, de quo in Canticis cant.: *Ferculum fecit sibi rex Salomon*, etc. Cœnaculum illud in superiori parte grande et latum erat, in quo propter mysterii rationem Dominus noster cum discipulis suis

dicitur cœnasse; ubi et proditorem suum cauta indicavit descriptione, reliquos confortans de instante sibi passione, et dans eis sub specie panis corpus suum ad manducandum, et sub specie vini sanguinem suum ad bibendum : *Quotiescunque*, etc., dicens.

Facta jam in superiori parte ejusdem habitaculi cœna, verisimile est ex ejusdem mysterii ratione, Dominum nostrum in inferiori domus parte humilitatis exemplum in lavatione pedum discipulorum ostendisse; sive mavis hoc ante cœnam vel post factum fuisse, ut quædam expositio innuit super illa Joannis in Evangelio verba : *Et facta cœna surrexit*, etc. Sive ergo hoc ante vel post cœnam factum sit, parum refert; sed hoc vel scire juvat quod diversitatem loci vel hodie adhuc descriptio rei gestæ in ecclesia montis Sion innuat. Nam in sinistra parte ejusdem ecclesiæ, in loco superiori, depicta apparet cœna, in inferiori autem, scilicet in crypta, lavatio pedum discipulorum ostenditur exhibita. His itaque consummatis mysteriis orationis causa cum discipulis suis rediit ad montem Oliveti, in cujus montis pede et accubitu dimittens discipulos suos solus secessit ab eis, quantum jactus est lapidis. Hic oravit ad Patrem suum dicens : *Pater, si fieri potest*, etc., ubi et ex tremore carnis sudorem fudit quasi sanguineum; et ad discipulos suos reversus, et inveniens eos dormientes, speciaiter Petrum increpavit dicens : *Sic non potuistis una hora vigilare mecum*, etc. ? Et iterum : *Dormite jam, et requiescite*, etc. Sic usque tertio in eumdem locum ab eis secedens, et easdem preces Deo Patri suo porrigens, tandem secundum quod homo, confortatus ab angelo est, et a seipso, secundum quod Deus, tertio reversus ad discipulos dixit : *Vigilate et orate.*

Istorum locorum distinctio, videlicet, ubi discipuli remanserant, et ubi Dominus oraverat, manifeste in valle Josaphat apparet; nam juxta majorem ecclesiam, in qua sepultura beatæ Mariæ virginis, de qua postea dicemus, adhuc hodie exstat, in dextera parte, capella cum caverna in qua tristes et dormitantes remanserant discipuli, Domino post passionem suam ter veniente, et ter recedente ab eis; hoc adhuc indicat ibidem pictura existens.

CAPUT VIII.

De ecclesia Salvatoris, prætorio Pilati, turri Davidica, et monte Calvariæ.

Locus vero ubi Dominus oravit circumdatus est nova ecclesia, quæ dicitur ecclesia Salvatoris; in hujus ecclesiæ pavimento eminent tres non operati lapides, velut rupes quædam. In his dicitur Dominus orasse et ter genu flexisse. Quare hi lapides apud Christi fideles in hodiernum usque diem in maxima devotione et veneratione habentur. Ad paulo ante dictam cavernam Dominus noster, noscens Judam cum turbis appropinquare (Judas enim, aliis discipulis post cœnam cum Domino remanentibus, solus abiit ad Judæos, tractans cum eis de proditionis et traditionis Magistri sui mercede, pactis et acceptis triginta argenteis, aggressus est infandum scelus), hoc, inquam, sciens Jesus, in eadem caverna illa dixit discipulis suis : *Surgite, eamus, ecce appropinquavit*, etc. Sic egressus Gethsemani, per osculum Judæ traditus, et a transmissa cohorte exinde cognitus, ab iis detentus, vinctus et deductus est. Verumtamen in præfata caverna ostenduntur quinque foramina in uno lapide, tanquam per quinque digitos manus Domini impressa. Domini dico, sed jam capti, atque a persecutoribus violenter tracti, ac si in eodem illius loci lapide sese voluisset retinere.

Quidquid autem de hoc sit, nos procul dubio scimus eum majoris potestatis et virtutis ampliora facere potuisse. Traditus itaque Dominus noster suo a discipulo, captus et ligatus a milite Romano, reductus est ad montem Sion, ubi tunc erat prætorium Pilati, nuncupatum *Lithostrotos*, Hebraice autem *Gabatha*. Tunc enim temporis optima pars et fortitudo totius urbis erat in altitudine ejusdem montis, sicut etiam turris David, quæ erat specula et tutamen reliquæ civitatis, esset in eo elevata; et hinc ratione maternæ generationis, et procurationis seu potius protectionis, inferior ejusdem civitatis pars dicitur filia ejus; secundum istud : *Dicite filiæ Sion*, etc. Postea autem destructa ibidem civitate, et in alium locum, ubi nunc exstat, translata ac sub Ælio imperatore ædificata, idem quoque mons in sua celsitudine valde est humiliatus et adæquatus, turre et aliis ædificiis, et fortalitiis exinde dejectis, ne ex eodem loco novæ urbi cum tempore hostis noceret.

Interim tamen adhuc hodie ostenditur locus ille, ubi et prætorium et turris David exstiterunt. Tunc temporis quoque versus meridiem in monte Sion illud grande ædificium fuit, ubi Dominus cum discipulis suis ultimam cœnam manducavit. Juxta dictum ergo prætorium Pilati, versus orientem, erat atrium, seu potius carcer, in quo vinctus detinebatur Jesus, et tota nocte illa inter mille sarcasmos, opprobria et ludibria a custodibus militibus et Judæorum principibus asservabatur, donec maturo mane eum judicio sisterent. In hoc ipso prætorio Petrus ter negavit Dominum ante galli cantum. Ubi deinde audito galli cantu, et Domino eum respiciente, pie reminiscens verbi suavissimi Magistri sui, vere pœnituit, amare flevit, et in cavernam, quæ modo *galli cantus*, vulgariter vero Galilæa appellatur, refugit.

Porro, ut cætera, quæ tunc in Sion aut erant aut contigerant absolvamus, memoratu dignum est quod Dominus Jesus post resurrectionem suam in Sion suis discipulis apparuerit. Unde in testimonium ejus hi versus in dextero latere ecclesiæ ibidem appositi leguntur.

Christus discipulis apparuit hic Galilæis
Surgens; propterea locus est dictus Galilæa.

In via qua de Sion descenditur in vallem Josaphat,

sub porta montis Sion, super sæpe dictam cavernam est ecclesia ædificata, quam hodie incolunt Græci monachi.

Jam iterum ad vinctum Jesum redeamus. Facto itaque mane, judicio iniquo innocens Christus ad mortem damnandus, ante prætorium in loco quodam flagellatur, alapis cæditur, conspuitur, veste rubra in ludibrium regii tituli quem de Judæis sibi attribuerat, induitur, spinea corona pungitur, et verbo, nefandum dictu! spurcissime tractatur. Quod indicat versus ad eumdem postea locum appositus, ita loquens :

Iste coronatur, quo mundus jure regatur.

Eumdem locum designat capella ante majorem Ecclesiam Sion, versus Boream sita, continens pictam historiam rei cum hac inscriptione :

Sanctus sanctorum damnatur voce reorum.
Pro servis bellum patitur Deus, atque flagellum.
Hæc bona crux Christi Simoni subvenit isti;
Non vehit hanc gratis, quæ dat bona cuncta beatis.

Ab eodem loco post sententiam crucis, et damnationis in Jesum prolatam, crucem ad hoc præparatam imposuerunt humero Domini, ut bajulans sibi crucem, hanc usque ad locum patibuli sibi deferret. Ex tunc adimpleta est Isaiæ prophetia : *Et factus est principatus ejus super humerum ejus*, etc. Cum vero defatigatus Jesus ob gravem crucis molem trahendam retardaretur in eundo, et huic pene esset oneri impar, supervenit quidam Cyrenæus; hunc angariaverunt eamdem crucem portare juxta ad Calvariæ locum.

Erat tunc temporis juxta situm antiquæ urbis, locus Calvariæ extra civitatem, qui erat pro capitalis sententiæ damnatis destinatus. Hic locus ex damnatorum ad mortem decalvatione, ex abrasis eorum crinibus, ex consumptis lenta aura eorum capitibus, etiam carne denudatis, et tamen non in terram defossis dicebatur, et erat certe Calvariæ locus : vel demum, quod ideo tale sortitus sit nomen, quod in eo rei decalvabantur, id est damnari solebant. Idem vero locus, qui et Hebraice *Golgotha*, erat in edita rupe, sicut et hodie passim extra civitates edita, conspicua, et eminentiora loca supplicio damnatorum sunt destinata. Interim, dum in eadem rupe pro crucifixione omnia adaptarentur, Dominus noster in quodam a Calvaria remoto loco, qui tunc, utpote extra montem positus, campestris erat, vinctus quasi in carcere servabatur; hic ipse locus nunc modum capellæ repræsentat, et adhuc carcer Domini vocatur, et est recte in opposita parte Calvariæ in sinistra absida ecclesiæ. Alii tamen aliter de eodem sentiunt loco, sicut præsens audivi.

Postea in loco Calvariæ Pilati jussu Judæorumque impulsu Dominum nostrum tunica exutum, felle et aceto potatum, milites Romani crucis patibulo affixerunt. In quo, dum pateretur Jesus, Joannes matrem Jesu sibi commendatam in suam accepit potestatem, ut virgo Virginem custodiret, dicente Jesu matri suæ : *Mulier, ecce filius tuus;* demonstrationem, ut quidam asserunt, vel ad Joannem, vel potius ad seipsum faciens; ac si diceret : Mulier, ecce filius tuus : hæc modo patior ex filiatione, quam ex tua contraxi maternitate; non autem ex ea habeo miracula facere. Unde et alibi in nuptiis Canæ Galilææ : *Quid mihi et tibi, mulier?* sic ad matrem. Deinde vero ad Joannem : *Ecce mater tua*, quam nempe tibi dilecto præ reliquis discipulo meo in filialis devotionis et administrationis curam commendo.

In loco Calvariæ, cum in cruce pateretur hostia mundi, latroni pendenti ad dexteram ab eo petenti veniam, stolam immortalitatis promisit. Deinde crucis in patibulo in latere dextro cordis lancea perforatus Jesus, sanguinem emisit et aquam. Ex cujus sanguinis et aquæ stilla, motu pietatis et confessionis aperti sunt oculi Longini, qui eum percusserat, ut et ipse crediderit in Christum. Domino autem nostro in crucis stipite mortuo, et animam suam sponte deponente, velum templi scissum est a summo usque deorsum : et eadem petra, cui crux erat infixa, in ea parte qua Salvatoris sanguine tangebatur, est per medium scissa; per quam consequenter scissuram ad interiora petræ sanguis Christi defluxit. Dicunt aliqui in eodem loco Adam fuisse sepultum, et sic in sanguine Christi baptizatum. Ad cujus rei designationem asserunt quod ex hac ratione caput mortui ad crucifixi pedes appingi soleat. Sed hoc facilius asseritur, quam verum est. Nam ipsa sacra Scriptura clare testatur Adam in Hebron fuisse sepultum. Per deformem autem hominis demortui faciem, quæ subtus ad crucifixum apponitur, mors potius et ejus destructio denotatur; unde Dominus : *O mors, ero mors tua*, id est destructio tua.

Ad dexteram majoris ecclesiæ, in introitu locus quidam Calvariæ est, in cujus superiori parte scissura ejusdem petræ ostenditur, et summa veneratione recolitur, et adhuc hodie venientibus illuc cum magna pietate ostenditur. In eadem parte superiori præclaro musivo opere pulchre depicta continetur passio Christi, et sepultura ejus, cum prophetarum testimonio gestæ rei hinc inde consono.

Nota quod in dicto Calvariæ loco crux sacra cum corpore Christi fuerit in rotundo foramine petræ infixa et stabilita, utpote, cum adhuc hoc patens foramen et sit, et videatur, adeo ut in illud multæ fidelium oblationes immittantur, præcipue ubi crux sacra stetit, et sanctissimus sanguis ex latere dextero ad dictæ petræ rimam defluxit.

Potiorum opinioni congruum esse videtur, faciem Domini in cruce pendentis, expositionis necessitate, versus orientem respexisse et fuisse. Juxta eumdem locum sæpe dictum in superiori parte ad dexteram est altare modo positum et in honorem Dominicæ passionis consecratum, et totus ille locus ab eadem passione denominatur. Inferior vero pars ejusdem Calvariæ subtus continet altare, et vocatur ad Sanctum Sanguinem, quia eo usque per rimam petræ sanguis Domini dicitur defluxisse, qui locus

hodie a tergo ejusdem altaris designatus est per quamdam concavitatem ejusdem petræ, ubi dependet ampulla cum continua illuminatione.

In loco itaque Calvariæ, ut diximus, tertium sacramentum est impletum, et tertium sigillum Apocalyptici clausi libri solutum. Transeamus nunc ad reliqua, et adhuc residua hujus clausi libri sigilla.

CAPUT IX.

Locus meditullii orbis terrarum, Emmaus, sepulcrum Domini, quædam de insignibus Germanorum de Palestina meritis adversus Francos.

In medio choro Dominorum, non longe a loco Calvariæ, est quidam locus, elevatione tabularum de marmore, et reticulorum ferreorum concatenatione in modum altaris designatus, infra quas tabulas in pavimento orbiculis quibusdam factis meditullium terræ esse dicunt; juxta illud : *Operatus est salutem in medio terræ.* In eodem quoque loco post resurrectionem suam asserunt Christum apparuisse Mariæ Magdalenæ. Quare hic locus in magna veneratione habetur, lampade etiam intus jugiter ardente. Affirmant insuper quidam, quod in eodem quoque loco Joseph corpus Jesu a Pilato impetraverit, quod corpus deinde Joseph eadem die, id est feria sexta, de cruce deposuit, lavit, reverenter pretiosis unguentis, liquoribus ac aromatibus condivit, in syndone munda involvit, et hinc haud longe sepelivit in horto in monumento, quod novum sibi de rupe sculpserat. Jesus interea in cruce pro nobis mortuus descendit ad inferos, ad liberandos patres. Et per hanc ad inferos descensionem quartum sacramentum, seu libri Apocalyptici sigillum a Christo apertum et solutum esse dicimus.

Quod quintum sigillum, seu clausi Apocalyptici libri mysterium ac sacramentum concernit, illud Christus de triumphata morte gloriose resurgens aperuit. In eodem itaque loco sepulturæ surrexit Dominus vere a mortuis, leo de tribu Juda, morte subacta. Ibi etiam angelus Domini sanctis mulieribus apparuit, Jesumque vere die tertia resurrexisse a mortuis nuntiavit, inquiens : *Ite, annuntiate fratribus*, etc. Et iterum : *Ite, dicite discipulis ejus, et Petro.* Eadem sanctæ resurrectionis die ad vesperam jam inclinante, peregrini sub specie latens Christus apparuit duobus discipulis, de morte Domini in via sermonem et quæstionem habentibus, qui Eleutheropolim, id est Emmaus oppidum (quod sex milliariis ab Jerusalem contra occidentem distat), contendebant. Hunc sub peregrino habitu in hospitem receptum recognoverunt in fractione panis, qui tamen apertis eorum oculis, dubioque ex eorum mente sublato, statim iterum disparuit. Exinde omnibus apostolis, solo Thoma tunc casu absente, in monte Sion, januis clausis, apparuit, dicens : *Pax vobis.* Octavo deinde die in eodem monte et loco iterum apparuit suis discipulis una cum Thoma congregatis : et specialiter Thomæ ad eximendam a dubio mentem sua vulnera palpanda obtulit : quo facto Thomas intulit : *Dominus meus et Deus meus!* Hæ apparitiones Christi resurgentis per picturam demonstrantur in loco montis Sion, scilicet in crypta majoris ecclesiæ, ubi etiam depingitur Dominus noster pedes suorum discipulorum lavisse, cum manifesta utriusque facti descriptione. Post resurrectionem etiam secus mare Tiberiadis, et in mari ter discipulis suis Jesus se manifestavit : et præter hæc alibi multoties ad plenam et indubitatam comprobationem suæ resurrectionis jam factæ, et nostræ in carnem resurrectionis adhuc futuræ.

Cæterum dispositio monumenti, in quo est sepulcrum Domini, potest ita depingi. Nempe hujus monumenti locus fere rotundam habet formam, intus musivo opere decoratam. Hujus ad introitum ab oriente parvum ostiolum patet, ante quod est protectum, seu porticus quadrata cum duabus januis. Per unam harum intromittuntur ad sepulcrum monumentum ingressuri; per alteram dimittuntur egressuri. In eo quoque protecto resident custodes sepulcri. Et demum tertium habet ostium versus chorum. Eidem monumento ab occidente, videlicet ad caput sepulcri forinsecus appositum est altare cum quadam quadrata superædificatione, cujus parietes tres de reticulis ferramenti pulchre oppositis, et vocatur illud altare ad sepulcrum Domini. Idem monumentum satis amplum habet super se quasi ciborium rotundum, et superius de argento coopertum, in altum elevatum, versus foramen illud amplum in majori illo ædificio superius patulum : quod ædificium circulariter cum forma rotunda circa monumentum satis amplum, in extremo habet continuum, parietem, diversis imaginibus, pluribusque lampadibus illuminatum. In strictiori ambitu ejusdem majoris ædificii octo columnæ marmoreæ rotundæ, et totidem bases quadratæ, totidem tabulis quadratis marmoreis forinsecus ornatæ, et circumquaque erectæ sustinent molem superiorem sub tecto, quod, ut diximus, patulum est in medium.

Diximus quod columnæ circulariter cum prædicto numero sint appositæ : sed modo versus orientem mutata est earum dispositio et numerus, propter adjectam novæ ecclesiæ fabricam, utpote ad quam inde est transitus. Continet autem illud novum, et de novo additum ædificium latissimum, spatiosumque chorum dominorum, et satis longum amplumque sanctuarium, in quo majus altare in honorem *anastasios*, id est sanctæ resurrectionis consecratum est, quod et superius apposita pictura in opere musivo decenter declarat. Continetur enim in ea imago Christi, confractis inferni seris resurgentis, et antiquum patrem nostrum Adam inde extrahentis. Extra hoc altaris sanctuarium, et intra claustri ambitum satis latum spatium est, circumquaque tam per hoc novum, quam per antiquum præfati monumenti ædificium processioni idoneum : et fit hæc processio singulis Dominicis noctibus, a Pascha usque ad Adventum Domini in vesperis ad sanctum sepulcrum cum antiphona : *Christus resurgens*, etc. Cujus an-

tiphonæ textus etiam extra in extremo margine monumenti litteris in argento elevatis continetur. Finita ea antiphona cantor statim incipit : *Vespere autem*, etc. cum Psalmo *Magnificat*, et cum collecta de resurrectione : *Omnipotens, sempiterne*, etc. præmisso versiculo : *Surrexit Dominus NB. de hoc sepulcro*. Similiter per hoc integrum tempus, scilicet a Pascha usque ad Adventum omni die Dominico missa : *Resurrexi*, nempe de Resurrectione celebratur.

In capite etiam ejusdem ecclesiæ novæ versus orientem juxta claustrum Dominorum, est locus in profundo, per modum cryptæ, cum magna satis serenitate, in quo regina Helena crucem Domini dicitur reperisse, hinc in ejusdem sanctæ Helenæ honorem ibidem continetur altare consecratum. Et hæc regina majorem sacri ligni partem secum detulit Constantinopolim : reliqua vero pars Jerosolymis relicta diligenter et reverenter asservatur in quodam loco, in altera parte ecclesiæ, ex opposito loco Calvariæ.

Ejusdem loci, licet sanguine Christi ibidem copiose effuso jam ex tunc consecratus et sanctificatus fuerit, tamen in modernis temporibus (licet ex superabundanti) facta est a viris venerabilibus consecratio quinta decima die Julii. Cujus testimonium tales versus deaurato opere ibidem conscripti exhibent.

Est locus iste sacer sacratus sanguine Christi;
Per nostrum sacrare sacro nil additur isti,
Sed domus, huic sacro circum superædificata,
Est quinta decima Quintilis luce sacrata.

Eadem quoque ipsissima die, nempe 15 Julii, licet longe jam anteriori tempore, et longe prioribus annis, cum jam dudum eadem civitas sancta, sub dominatu et potestate Sarracenorum diversorum generum detineretur captiva, ab exercitu Christianorum est liberata. Ad cujus liberationis commemorationem eamdem diem post consecrationis renovationem cum spirituali officio reddunt celebrem in missa de cantando *Lætare Jerusalem*, etc. Majorem vero missam, seu officium solemnius celebrant de Dedicatione, quæ incipit : *Terribilis est locus*. Insuper ea dedicationis hujus ecclesiæ die, quatuor etiam altaria ibi posita fuerunt consecrata, nempe altare majus, et illud superius in Calvaria, et duo in latere ecclesiæ ex opposita ad invicem parte, unum videlicet in honorem sancti Petri, et aliud in honorem sancti Stephani protomartyris. Sequenti post annuam Dedicationis festivitatem die solemnem faciunt tam in eleemosynis, quam in orationibus commemorationem omnium fidelium defunctorum, præcipue occasione expugnationis hujus urbis occisorum, quorum maxime sepultura apud portam Auream celebris habetur. In tertia deinde die anniversarium ducis egregii Gotefridi, felicis memoriæ, illius sanctæ expeditionis principis et magistri, ex Alemannorum stirpe oriundi, tota civitas solemniter observat, cum larga eleemosynarum in majori ecclesia distributione, ex ipsius adhuc ventis dispositione. Verumtamen, quamvis sic ibidem honoretur Gotefridus noster, tam expugnatio sanctæ civitatis Jerusalem non ei, et cum eo egregie laborantibus, et exercitatis militibus Alemannis, seu Germanis, sed quasi solis ascribitur Francis, quod tamen falsissimum. Et hinc detractores nostræ gentis Germanicæ, insigne epitaphium illius famosi Wiggeri per multa fortia facta approbati, quia non poterant eum denegare esse Alemannum, deleverunt, et alterius cujusdam militis de Francia superposuerunt, sicut adhuc a præsentibus videri et notari potest. Nam ejus sarcophagus, extra in angulo quodam inter majorem ecclesiam, et sancti Joannis Baptistæ capellam, adhuc hodie exstans apparet, deleto inde nomine suo, et apposito alieno. Ad comprobationem et indicium despectus virorum nostrorum, et ad commendationem Francorum ad hoc monumentum tale carmen extra in latere appositum legitur.

Anno centeno milleno quo minus uno.
Virginis a partu, Domini qui claruit ortu,
Quindecies Julio jam Phœbi lumine tacto
Jerusalem Franci capiunt virtute potenti.

Sed contra hos merito dictorum vertitur ordo.

Non Franci, sed Francones gladio potiores
Jerusalem sanctam longo sub tempore captam
A paganorum solvere jugo variorum
Franco, non Francus, Wigger, Gundram, Gotefridus
Dux, argumento sunt hæc fore cognita vero.

Quamvis autem dux Gotefridus, et frater ejus Balduinus, qui post ipsum in Jerusalem rex est coronatus, quod ante eum dux humilitatis causa de se fieri recusavit, de nostris essent Germaniæ partibus, tamen quia nostratium paucis cum eis remanentibus, et aliis quam plurimis magno desiderio et festinatione ad natale solum redeuntibus, tota civitas tali modo ab aliis nationibus in possessionem est occupata, scilicet a Francis, Lotharingis, Northmannis, Provincialibus, Alvernis, Italis, et Hispanis, Burgundionibusque, simul cum Germanis tum in eam expeditionem venientibus. Ab his itaque auxiliantibus Christiadum copiis tota urbs sancta inhabitabatur, ut neque una simul aliqua civitatis pars, aut etiam minima platea Alemannis esset distributa et assignata, atque hinc Germanis animum ibidem remanendi non habentibus, nec urbis incolatum affectantibus, tacito Germanorum nomine a partialibus historiographis liberatio sanctæ urbis solis ascribitur Francis, qui et usque hodie cum aliis prænominatis gentibus urbi adjacenti Provinciæ dominantur. Quæ utique Christianitatis Provincia jamdudum suos terminos ultra Nilum versus meridiem, et ultra Damascum versus orientem extendisset, si tanta copia Alemannorum, quanta et istorum est, adesset. Germano enim milite inde discedente, ac si robur omne Christiani exercitus discessisset, cæteræ nationes omnes parum amplius, aut nihil præstiterunt. Sed his impræsentiarum omissis, ad propositam materiam revertamur.

CAPUT X

Locus Ascensionis Domini in monte Oliveti, sepulcrum S. Mariæ Dei genitricis in valle Josaphat, etc.

Ventum est ad implctionem sexti sacramenti, et solutionem sexti sigilli, quam dicimus per Ascensionem Domini nostri Jesu Christi in monte Oliveti esse consummatam. In eo Ascensionis loco, nempe in monte Oliveti hodie exstat magna ecclesia, in cujus medio, magno foramine quodam aperto, designatur locus Ascensionis Dominicæ, ex quo loco discipulis suis aliisque viris Galilæis, una cum matre sua, præsentibus et admirantibus, in cœlum nube bajula est elevatus, præmisso ad discipulos mandato, ne ab Jerosolymis discederent, priusquam B Spiritum Paracletum a Patre promissum ad plenariam sui confortationem accepissent. Quod et factum est decima ab Ascensione, quinquagesima vero a Resurrectione Domini die, videlicet in die Pentecostes, discipulis in quodam conclavi, ubi et Christus Dominus noster ultimam cœnam habuit, in monte Sion remanentibus, et impletionem dati promissi insimul exspectantibus. In eodem loco hoc ipsum pictura de musivo opere in sanctuario, abside ejusdem ecclesiæ, exstans sat clare demonstrat. Nam ibi duodenarius apostolorum numerus cum ipsorum imaginibus, Spiritu sancto in forma ignearum linguarum ad capita singulorum descendente, per similitudinem picturæ continetur, cum hac epigraphe : *Factus est repente de cælo sonus*, etc. C

In hac ecclesia, in introitu ejus ad dexteram altare designatur in loco cum politis tabulis de marmore in modum ciborii, ubi beatissima virgo Maria emisso Spiritu, præsenti de sæculo dicitur emigrasse. Ubi et Filius ejus Dominus noster Jesus Christus sanctissimam ejus animam, in juxta posito pariete, præsentibus apostolis in cœlum assumere depingitur.

In ædificio autem eidem loco superposito per circuitum talis reperitur inscriptio : *Exaltata est sancta Dei genitrix super choros angelorum.* Insuper eadem transmigrationis die corpus beatissimæ virginis Mariæ, a cunctis duodecim apostolis, ex divina dispositione tunc præsentibus, a monte Sion in vallem Josaphat est delatum, et ibidem in medio cryptæ, miro tabulatu marmoreo et egregia pictura modo insigni, honorificentissime est sepultum. Huic sepulturæ loco, licet beatissimæ Virginis corpus non adsit, egregia tam in tabulato marmoreo, ut diximus, quam in argento et auro etiam, in modum ciborii superposita est insignis structura, ubi tale carmen legitur. D

Hic Josaphat valiis, hinc est ad sidera callis,
In Domino fulta fuit hic Maria sepulta,
Hinc exaltata cælos petit inviolata,
Spes captivorum, via, lux, et mater eorum.

Hic, juxta morem Hebræorum, infra octavum beatissimi transitus diem visitato, et inspecto sepulcro corpus beatissimæ Virginis non amplius est repertum. Unde pie creditur non tantum animam, sed etiam corpus ejus a dilecto Filio Jesu cum glorificatione fuisse assumptum. Quod tamen Hieronymus potius hæsitando, quam asserendo videtur innuere in illa epistola : *Cogitis me, o Paula et Eustochium*, etc. Quidquid autem de hoc sit, nos credimus beatam virginem Mariam, ex hoc solo quod meruit suum portare Creatorem, dignam fore omni honore et beatificatione non tantum in anima, sed et in corpore : et Filium suum summe in Mariam benevolum, summeque potentem id velle et posse.

Cæterum honoratur et veneratur hæc sanctissima sepultura ad similitudinem honorificentiæ, quæ dilecti Filii ejus sepulcro exhibetur. In introitu ejusdem cryptæ talis pictura et scriptura cernitur :

Hæredes vitæ Dominum laudare venite,
Per quam vita datur, mundique salus reparatur.

Monstratur autem sepulcrum ejus, ut ipsi nos vidimus, usque in tempus præsens in valle Josaphat, in medio ejus ecclesiæ quæ ad ejus honorem ibidem est erecta, in qua sepulta fuisse ab omnibus affirmatur.

In dextera vero ejusdem introitus imago beati Basilii episcopi ista continet.

Matris Christi dignitate,
Et excelsa potestate
Est repertus Julianus
Sævus hostis et profanus,
Transfuga et perfidus.
Sed nunc miser luit pœnam,
Deturbatus in gehennam;
Nam, ut pia mater jussit,
Christi martyr hunc percussit
Lancea Mercurius.
Salvatrici sit reginæ
Laus, et honor sine fine,
Quæ, elegit hic humari,
Hoc thesauro nobis dari
Poterat quid melius?

Hæc et alia plurima ad laudem Virginis in introitu cryptæ per picturam sunt apposita; sed interiori parte in parietibus, hinc inde circa tumbam existentibus, et in laqueari talis scriptura est apposita. Et quidem in dextero pariete : *Maria virgo assumpta est ad æthereum thalamum*, etc., deinde in circuitu : *Vidi speciosam sicut columbam*, etc., usque : *et lilium convallium*; et tum subjungitur : *Viderunt eam filiæ Sion. Hinc certe gloriosa Virgo cælos ascendit : rogo, gaudete, quia ineffabiliter sublimata cum Christo regnat in æternum.* In anteriori : *Assumpta est Maria in cælum.* Ex opposito latere : *Exaltata est sancta Dei genitrix*, etc. Et in medio, multitudo angelorum astantium in circuitu circa beatam Mariam in throno residentem, per quam facta via ad cœlestia regna declaratur.

CAPUT XI.

Redit auctor ad descriptionem sacrorum locorum, muris Jerusalem inclusorum, hospitale S. Joannis Baptistæ, Parthenon Mariæ Majoris, cœnobium S. Mariæ Latinæ, et Sancti Sabbæ, ecclesiæ S. Jacobi, hospitale Alemannorum.

Jam nunc his breviter visis, quæ ad solutionem

sexti sigilli pertinebant, tandem ad septimi adhuc adimplendam solutionem transeamus : et hæc, ut diximus, est dies judicii. His, inquam, visis, et summatim locis, in quibus hæc acta sunt, cum descriptione etiam aliorum locorum his adjacentium denotatis, ad ipsam etiam sanctam civitatem Jerusalem per sancta, nova, et venerabilia loca de novo exstructa, et in cultum divinum mancipata, infra muros describenda, redeamus. Quare hoc per adjectionem cognito, quod Judas in eadem civitate triginta argenteos accepit pro traditione Domini nostri, ex quibus deinde in desperatione Judæ ad Judæorum et Pharisæorum pedes projectis emptus est ager ille Haceldama, id est ager sanguinis, deputatus sepulturæ peregrinorum, usque in præsentem diem. Qui ager situs est ad sinistram montis Sion, secus viam quæ ducit in Ephrata : super quem agrum est mons Geon junctus, in quo rex Salomon regium diadema suscepit, et alii reges in eodem monte inungi consueverunt. Deinde in medio Jerusalem Dominus noster suscitavit puellam de morte, et in ea multa est operatus miracula.

Juxta ecclesiam Sancti Sepulchri, quam superius descripsimus, ex opposito versus meridiem est pulchra ecclesia in honorem sancti Joannis Baptistæ constructa. Huic adjunctum est hospitale, in quo per diversas mansiones maxima multitudo infirmorum, tam mulierum quam virorum colligitur, fovetur, et cum maximis expensis, quotidie reficitur : quorum summa, tunc temporis, cum essem præsens, ab ipsis servitoribus hoc referentibus ad duo millia languentium fuisse cognovi; ex quibus aliquando infra noctem et diem plus quam quinquaginta mortui exportantur, iterum atque iterum pluribus de novo accedentibus. Quid plura? eadem domus tam extra quam intus suis sustentat victualibus præter infinitam eleemosynam, quæ quotidie pauperibus, ostiatim panem quærentibus, et extra manentibus datur, ut certe summa sumptuum nequaquam possit deprehendi, etiam ab ejus domus procuratoribus et dispensatoribus. Præter horum omnium insuper expensam tam in infirmos, quam in pauperes alienos factam, eadem domus multas universis militaribus rebus instructas pro defensione terræ Christianorum ab incursione Sarracenorum, passim per castella sua, sustentat personas. Juxta eamdem beati Joannis ecclesiam et hospitale, est cœnobium sanctimonialium in honorem sanctæ Mariæ constructum, et est fere contiguum in capite cum ædificiis præfatæ ecclesiæ, vocaturque ad Sanctam Mariam Majorem. Non longe abhinc in eodem ordine ejusdem plateæ est cœnobium monachorum, itidem in honorem sanctæ Mariæ fundatum, et vocatur ad Sanctam Mariam Latinam : ubi testa capitis sancti Philippi apostoli in magna veneratione habetur, quæ etiam cum devotione advenientibus, et illud postulantibus ostenditur. Juxta illam plateam, quæ a porta David versus templum per descensum dirigitur, in latere dextero prope turrim David est cœnobium monachorum Armenorum, in honore sancti Sabbæ abbatis reverendissimi, pro quo etiam adhuc vivente beata virgo Maria multa fecit miracula.

Ibidem haud longe distat per descensum ultra aliam ecclesiam magna illa ecclesia in honorem sancti Jacobi Majoris erecta. Ibi habitant quoque Armeni monachi, magnum insuper hospitale pro colligendis suæ linguæ duntaxat pauperibus habentes. In hoc ipso loco maxima veneratione colitur ejusdem sancti apostoli de capite testa; fuit enim ab Herode decollatus, cujus corpus discipuli ejus in Joppe navi impositum in Galilæam detulerunt, capite ejus in loco martyrii, scilicet in Palæstina remanente. Eadem testa adhuc in hac ipsa ecclesia peregre advenientibus ostenditur. In descensu ejusdem plateæ, versus portam, qua itur ad templum, ad dexteram manum est quoddam diverticulum per longam porticum, in qua via est hospitale cum ecclesia, quæ fit de novo in honorem sanctæ Mariæ, et vocatur Domus Alemannorum, cui pauci vel nulli alterius linguæ homines aliquid boni conferunt.

CAPUT XII.

Carcer sancti Petri apostoli, erecta inibi ecclesia, Porta Ferrea, palatium Salomonis, Ædes Templariorum, domus Simeonis Justi, ecclesia Sanctæ Annæ, ejusdemque Parthenon, piscina Probatica, ecclesia S. Mariæ Magdalenæ, et Sancti Charitonis.

In eadem via versus portam qua itur ad montem Sion, est quædam capella in honorem sancti Petri ædificata, in cujus capellæ crypta satis in profundo sita dicitur carcer fuisse, in quo beatus Petrus ferreis catenis ligatus, custodia militum tam extra, quam intus adhibita, jussu Herodis diligenter asservabatur. Sed humana diligentia elusa est divina potentia. Nam eadem nocte angeli obsequio inter medios custodes, vinculis ferreis ultro ruptis, ultroque ostiis tam carceris, quam civitatis apertis, beatus Petrus angeli ductu abivit illæsus, inquiens : *Nunc scio vere, quia misit Dominus angelum suum*, etc. In introitu ejusdem ecclesiolæ, de eodem facto ibi miraculo tales appositi versiculi cernuntur :

Vestibus indutus Petre, surge, recede solutus,
Namque catenarum sunt vincula rupta tuarum,
Nunc scio re certa cum porta mihi sit aperta.
O pietas Christi, quoniam me salvificasti.

In cavea ejusdem ecclesiæ Sancti Petri ad vincula, in celebri festo, missam celebravi cum collecta merito ibidem sic prolata : *Deus, qui beatum Petrum apostolum a vinculis* NB. *in hoc loco solutum, illæsum abire fecisti*, etc. Ecclesiola hæc modica est, nec adeo reditibus ditata, vel cultu ornata, sicut tantum divinum miraculum et tantum apostolorum principem deceret. Porta illa, quæ dirigitur versus montem Sion, vocatur porta ferrea, quæ ultro fuit aperta angelo et Petro. Deinde in descensu prioris illius et majoris plateæ, a qua via jam dicta declinat, est porta magna, qua patet introitus ad illud latum atrium templi. Ad dexteram manum versus meridiem est palatium illud, quod quondam Salo-

mon dicitur exstruxisse. In hoc palatio seu ædificio est stabulum miræ et tantæ capacitatis, ut plus quam duo millia equorum, aut mille et quingenta camelorum capere possit. Juxta idem palatium milites Templarii habent plurima adjuncta ædificia, magna et ampla, cum exstructione novæ et magnificæ ecclesiæ, nondum tamen, ut aderam, consummatæ. Eadem insuper perampla Templariorum domus multas habet possessiones et reditus, tam in illa terra quam in aliis partibus. Ad hæc elecmosynam quidem facit satis magnam in Christi fideles et pauperes, sed non in decima parte talem qualem illud hospitale majus facit. Eadem quoque Templariorum domus habet alitque quam plurimos milites pro tuenda Christianorum terra. Sed ii, nescio quo infortunio sive falso, sive vero, quoad famæ relationem aspersi sunt perfidiæ dolo, quod tamen manifeste probatum est per factum illud apud Damascum cum rege Cunrado.

Juxta ædificia eorumdem Templariorum, versus orientem, super murum civitatis fuit hospitium justi Simeonis, in quo suo habitaculo sæpe beatam Mariam virginem, matrem Domini, hospitalitatis, et familiaritatis causa dicitur recepisse, fovisse, et alimenta præbuisse; sicut et ea nocte fecit, quando in sequenti die, videlicet die a Nativitate Domini quadragesimo, ipsum puerum, cum matre sua, in templo oblaturus, in ulnis suis ad altare eum retinens, et offerens, spirituque prophetico cognoscens eum illum fore, qui per tot et tanta retro spatia temporum ab antiquis Patribus inenarrabili desiderio esset exspectatus, intulit prophetice: *Nunc dimittis servum tuum, Domine*, etc. In eadem domo, modo in ecclesiam transmutata beatus Simeon sepultus quiescit.

In eadem ecclesia infra in crypta adhuc retinentur, et ostenduntur Christi de ligno incunabula. In opposito ejusdem atrii de templo, scilicet versus septentrionem, qua itur ad vallem Josaphat, est ecclesia magna in honore sanctæ Annæ constructa, in qua per picturam ostenditur, qua dispositione et admonitione divina ex ipsa et Joachim sit concepta beata Virgo, sicut in Vita beatæ Annæ largius legitur. Sanctæ hujus matris festum in die sancti Jacobi Majoris cum magna solemnitate ibidem celebratur. Cui et præsens ipsus interfui. In eadem Ecclesia servit Deo collegium sanctimonialium, utinam et sacrosanctarum! In exitu ejusdem ecclesiæ ad dexteram haud procul per diverticulum est Probatica illa piscina, quam tempore Jesu certis temporibus angelus Domini movere solebat. Quicunque autem infirmus post motionem aquæ prior intrabat, quacunque infirmitate detentus, sanus fiebat. *Probaton* Græce *peculiaris* dicitur, eo quod in sacrificiis inde solebant ablui pecudum exta; quare ut potissimum rubea erat illa aqua, quia ibi hostiæ mundabantur. Ante hanc Probaticam piscinam Jesus per triginta octo annos miserum et languidum sanitati restituit, dicens ei: *Tolle grabatum tuum, et ambula*, A etc. Inde ab eadem platea, quæ de porta Josaphat sursum in proxima via quæ ab hac declinat platea, ad dexteram, sursum versus murum civitatis est illa ecclesia in honorem sanctæ Mariæ Magdalenæ facta. In hoc loco sunt monachi Jacobitæ, de quo ipso loco et Ecclesia jam diximus quæ dicenda novimus. In præfata platea de porta vallis Josaphat itur per directum versus illam plateam, quæ ad portam Sancti Stephani ducit, a qua deinde a septentrione versus plateas illas triplices, imo multiplices diversarum rerum venalium repræsentatrices, ad frontem majoris Sancti Sepulchri ecclesiæ dirigitur; in medio, inquam, illius plateæ est quidam arcus lapideus et antiquus, ultra eamdem plateam, incurvatus. In hoc loco dicitur beata virgo Maria B cum felici et beata prole sua adhuc parvula et infantili quievisse, et eidem lac ibidem præbuisse. Quæ res gesta ibi per picturam exprimitur, et hinc idem locus circum aliquantula ædificatione est a publico usu discretus, qui tamen sine appositione ecclesiæ venerabilis et habetur, et colitur.

Item de platea, a porta S. Stephani, directa sursum ad latus ecclesiæ Sancti Sepulcri, non multum longe ab ea versus septentrionem est parva platea quædam, juxta quam in quadam Syrorum ecclesia quiescit sacrum divi Chariton martyris corpus; quod ibi a Syris monachis religiose colitur, et fere adhuc integrum in quadam lignea arcula recondi- tum, elevato cooperculo, advenientibus peregrinis C ostenditur. Idem sanctus Pater in cœnobio suo juxta fluvium Jordanis sito, una cum monachis suis pro confessione nominis Christi ab infidelibus fuit occisus, sicut supra retulimus.

Atque sic describendo venerabilia loca in sancta civitate Jerusalem, incipiendo ab ecclesia Sancti Sepulcri, circumeundo a porta David, usque ad eamdem iterum reversi sumus, plures capellas, et minus celebres ecclesias, quas ibi diversæ nationes habent, omittentes. Sciendum namque quod ibi sint Græci, Latini, Alemanni, Hungari, Scoti, Navarri, Britones, Angli, Rutheni, Bohemi, Gorgiani, Armeni, Suriani, Jacobitæ, Syri, Nestoriani, Indi, Ægyptii, Copthi, Capheturici, etc., et si quid aliud diversæ linguæ et nationis datur, quas longum enumerare foret. Nos interim præsenti terrestris Jeru- D salem descriptioni finem imponimus, cujus ea, quæ vidimus, in descriptione conspicienda dedimus, et unice optamus, ut Deus nos etiam ad videndam cœlestem Jerusalem admittere dignetur. Amen.

CAPUT XIII.

Missa in ecclesia S. Sepulcri dici solita die anniversario Dedicationis de recuperatione urbis Jerosolymitanæ per Christianos. Alia de Transfiguratione Domini. Oratio in missa de festo Præsentationis S. Mariæ virginis in templo. Diversæ inscriptiones in locis sacris exstantes. Finis operis.

Sequuntur adhuc alia circa Terram Sanctam scitu digniora, quæ adhuc, velut ex abundanti, vio lectori communicamus. Sunt autem ista:

Idibus Julii dedicatio ecclesiæ Sancti Sepulcri.

Item eádem die celebris memoria sanctæ urbis Jerusalem a Christianis recuperatæ, et ex potestate paganorum ereptæ. In hujus rei memoriam eadem die celebratur missa ut sequitur. *Introitus :* Lætare Jerusalem. Kyrie eleyson. Cunctipotens genitor Deus, *Oratio :* Omnipotens sempiterne Deus, qui virtute tua mirabili Jerusalem civitatem tuam de manu paganorum eruisti, et Christianis tradidisti, adesto nobis, quæsumus, propitius, ut qui sanctam solemnitatem annua recolimus devotione, ad supernæ Jerusalem gaudia pervenire mereamur. Per Dominum, etc. *Epistola :* Surge, illuminare, Jerusalem, etc. *Alleluia :* Dies sanctificatus *cum Graduali :* Omnes de Saba, etc. *Evangelium :* Cum intraret Jesus Jerosolymam, etc. *Credo in unum. Offertor. :* Dextera Domini, etc. *Secreta.* Hanc quæsumus, Domine, hostiam, quam tibi supplices offerimus, dignanter suscipe, et ejus mysterio dignos nos efficce, ut qui de Jerusalem civitate, de manu paganorum eruta, hanc diem celebrando agimus, cœlestis Jerusalem concives fieri tandem mereamur. Per Dominum, etc. *Communio :* Jerusalem, surge, etc. Quod sumpsimus, Domine, sacrificium ad corporis et animæ nobis proficiat salutem, ut qui de civitatis tuæ Jerusalem libertate gaudemus, in cœlesti Jerusalem hæreditari mereamur. Per Dominum, etc.

VIII. Idus Augusti celebratur Transfiguratio Domini in monte Thabor : *Introitus, et missa per totum :* Benedicta sit sancta, etc. *Oratio :* Deus, qui hodierna die Unigenitum tuum mirabiliter transformatum cœlitus utriusque Testamenti Patribus revelasti, da nobis, quæsumus, beneplacitis tibi actibus ad ejus semper contemplandam pertingere gloriam, in quo tuæ paternitati bene complacuisse es testatus. Per Dominum, etc. *Secreta :* Suscipe, quæsumus, Domine sancte Pater omnipotens, munera quæ pro gloriosa Filii tui transfiguratione deferimus : et concede propitius ut a temporalibus liberemur incommodis et gaudiis connectamur æternis. Per Dominum, etc. *Communio :* Deus, qui hanc diem incarnati Verbi tui transfiguratione, tuaque ad eum missa paternitatis voce consecrasti ; tribue, quæsumus, ut divinis alimoniis in ejus mereamur membra transformari, qui hæc in sui memoriam fieri præcepit Jesus Christus, Filius tuus, Dominus noster, qui tecum, etc.

XI. Kalend. Decemb. Præsentatio beatæ Mariæ Virginis in templo. Unde hæc dicitur oratio in eodem templo. *Oratio :* Deus, qui sanctam Dei Genitricem, templum Spiritus sancti, post triennium in hoc templo Domini præsentari voluisti ; respice ad devotam tibi plebem, et præsta ut qui ejus præsentationis festa veneramur, ipsi templum in quo habitare digneris efficiamur. Per Dominum, etc.

Sequuntur aliqui versus, qui in locis sanctæ civitatis diversis leguntur. Et quidem

I. In superliminari ecclesiæ Sancti Sepulcri, sic :

Quid mulier ploras ? en, jam, quem quæris, adoras.
Me dignum recoli, jam vivum tangere noli.

II. Extra in introitu Calvariæ, ita :

Hic locus insignis Calvaria sanctus habetur,
Pro duce, pro pretio, pro cruce, pro lavacro.
Nempe Jesu cruor, et titulus, sacra corporis unda,
Nos salvat, redimit, protegit, atque lavat.

III. Intus ad depositionem Domini, hoc modo :

A charis caro chara Dei lacrymata levatur
A cruce ; pro miseris rex pius hæc patitur.

IV. Intus prope ad Domini sepulturam, taliter :

Condjtur in tumulo conditus aromate Christus,
Tollitur ad superos meriti moderamine justus,
Gaudet homo, trepidant manes, gemit omnis abyssus.
Est excessus Adæ, Christo veniente, remissus.

V. Item ibidem, sed per medium, hunc in modum :

Sub tumulo lapidis dum sic Christus tumulatur,
Ejus ad exsequias homini cœlum reseratur.

VI. In loco Nativitatis Domini. Itidem

Angelicæ lumen virtutis, et ejus acumen,
Hic natus vere Deus est de Virgine matre.

VII. In superliminari introitus interioris ad sepulcrum Domini.

Christo surgenti locus, et custos monumenti,
Angelus, et vestis, fuit, estque redemptio testis.

Alios plures versus per Historiæ contextum descripsimus.

ANONYMI
BREVIS NARRATIO BELLI SACRI.

(MARTENE, *Ampl. Coll.*, V, 536, ex ms. cod. Florinensi.)

TITULUS SEQUENTIS OPERIS.

Historiam parvis scriptis tenet ille libellus ;
Ut fuit urbs capta a Francorum gente Nicæa,
Pro qua Francorum ceciderunt millia centum,
Quos Solyma stravit, princeps dum victus abivit.
Quodque labore famis bello plures cecidere,
Urbem qui claram vicerunt Antiochenam,
Et qui Jerusalem venerunt pacis ad urbem,
Ac Turcos sancto Domini pepulere sepulcro,

Auxilio Domini sedesque; fit inclyta regni,
Hoc regno reges reprimens populosque rebelles.
Hac pugna belli quicunque fuere perempti,
Quique labore viæ peregrinantes obiere,
Christi militiæ cœli jungantur in arce.
Hoc regnum solo Godefridus dux habet anno.
Annos octodecim Balduinus eam regit urbem.
Hi duo Germani digni diademate regni,
Militia clari, fortes, bello metuendi,
Pauca gente sua gesserunt prælia multa
Illis infestas sternentes cæde catervas,
Perque Deum fortes fuerant Babylonis in hostes
Dilataverunt regnum, quod tunc habuerunt
A In regno Christi, nunc sint sine fine beati.
Imperium quorum cognatus sumpsit eorum
Alter Balduinus morum probitate decorus,
Quod per quindenos rexit feliciter annos,
Excepto solo quo captivus fuit anno.
Regnat pro socero Volco comes Andegavensis,
Hic in tredecimo regni defungitur anno.
Post patrem ternis Balduinus tertius annis,
Præfectus regno jam nomine clarus avito.
Qui compilavit simul et conscribere fecit
Hoc opus, æternæ sibi sit retributio vitæ.
Incipit historia Nicæna vel Antiochena,
Urbis præclaræ necnon Jerosolymitanæ.

BREVIS NARRATIO BELLI SACRI.

1. Anno incarnati Verbi millesimo nongentesimo B septimo occidentales populi, dolentes loca sancta Jerosolymis a gentilibus profanari, et Turcos etiam terminos Christianorum jam multa ex parte invasisse, innumerabiles una aspiratione moti, et multis signis sibi ostensis, alii ab aliis animati, duces, comites, potentes, nobiles et ignobiles, divites et pauperes, liberi et servi, episcopi, clerici, monachi, senes et juvenes, etiam pueri et puellæ, omnes uno animo, nullum ullo angariante, undique concurrunt, ab Hispania, a Provincia, ab Aquitania, a Britannia, a Scotia, ab Anglia, a Northmannia, a Francia, a Lotharingia, a Burgundia, a Germania, a Langobardia, ab Apulia, et ab aliis regnis, et virtute et signo sanctæ crucis signati et armati ultum ire parant injurias Dei in hostes Christiani nominis. Et C quanto quisque hactenus ad exercendam mundi militiam erat pronior, tanto nunc ad exercendam ultro Dei militiam fit promptior, firmissima pace interim ubique composita, et primo Judæos in urbibus in quibus erant aggressi, eos ad credendum Christo compellunt, credere nolentes bonis privant, trucidant aut urbibus eliminant; aliqui post ad Judaismum revolvuntur.

2. Eminebant in hoc Dei hostico dux Lotharingiæ Godefridus et fratres ejus Eustachius et Balduinus, Balduinus comes Montensis, Robertus comes Flandrensis, Stephanus comes Blesensis, Hugo frater regis Francorum, Robertus comes Northmanniæ, Raimundus comes Sancti Ægidii, Boiamundus dux D Apuliæ.

3. Exercitus Dei aggressus terminos paganorum viriliter agit, primumque eis fuit bellum ad pontem Pharphar fluminis IX Kal. Martii, ubi multi Turcorum occisi sunt.

4. Secundum eis fuit bellum apud Nicæam III Nonas Martii, in quo etiam pagani victi sunt. Capta ergo Nicæa, capta etiam Laodicia, cum essent plus quam CCC millia armatorum in exercitu Christianorum, tanta eis omnium rerum suppetebat copia, ut aries uno nummo, bos vix duodecim nummis venderetur.

5. Obsessa Antiochia, in tantum attenuati sunt Christiani propter omnium rerum penuriam, ut in toto exercitu vix centum boni equi invenirentur. Et tamen quamvis ea desperatione rerum multi se substraxerint, multi etiam repatriaverint, nono obsidionis mense capta Antiochia. Christiani a paganis versa vice obsessi, tanta fame afflicti sunt, ut vix aliqui ab humanis carnibus se abstinerent: sed confortati a Deo per inventam ipsius lanceam a tempore apostolorum non visam, ipsa lancea ipsos præcedente, obsessi obsessoribus concurrerunt quarto Kal. Julii, et hoc tertio bello victoriam adepti sunt.

6. Quartum bellum fuit eis in Romania Kalendis Julii et ibi Turci victi sunt.

7. Commissa Antiochia duci Boiamundo, Christiani propter vitandum tædium et famem, et maxime propter discordias principum proficiscuntur in Syriam et expugnatis Marra et Barra urbibus Sarracenorum, et multis regionum castellis, tanta ibi rursum fame affecti sunt, ut corpora Sarracenorum jam fetentia comedere compulsi sint.

8. Exercitus Dei divino monitu in interiora Hispaniæ (1) profectus larga Dei manu refocillatus est, quia cives et castellani illius regionis legatos cum multis donariis ad eos præmittebant, parati etiam oppida vel urbes eis tradere, a quibus Christiani, securitate accepta, et indicto urbibus tributo, interim etiam multis eorum qui se substraxerant ad eos apud Tyrum recurrentibus, tandem perveniunt Jerusalem, eaque obsessa cum laborarent pro victus et maxime pro aquæ penuria, omnes ex communi decreto nudis pedibus quotidie orando circuibant urbem.

9. Octavo ergo talis humiliationis die, obsidionis autem die 39, capta est Jerusalem Idus Julii in VI feria, et in templo Salomonis et in porticu ejus Christiani cum paganis sexto bello conserto, tanta in eis cæde debacchati sunt, ut in sanguine occisorum equitarent usque ad genua equorum.

10. Cum ordinatum esset qui Jerusalem deberet retinere, principibus jam de patriando agentibus, ecce rex Sarracenorum ad debellandos eos venit

(1) Pars Syriæ. EDIT.

Ascalonam cum centum millibus equitum et quadringentis millibus peditum. Quibus cum occurrisset exercitus Domini, in quo non plus quam quinque millia equitum et quindecim millia peditum erant, Deo pro servis suis ad se clamantibus pugnante, et nube eos ab æstu solis defendente, Sarraceni solo Christianorum impetu territi, omnes projectis armis fugerunt, et in hoc sexto bello, IV Kalendas Augusti facto, cæsa sunt centum millia paganorum. In porta vero Ascalone suffocati sunt duo millia, et eorum qui in mari perierunt, et qui inter spineta silvarum consumpti sunt, numerus nescitur.

11. Duce Godefrido electo ad principandum remanentibus in Jerusalem, cæteri principes repatriant. Capta est autem Jerusalem post annos circiter quadringentos sexaginta ex quo sub Heraclio imperatore secunda vice capta possessa est a Sarracenis. Et post hæc quinto anno Jerosolymitæ Accaron urbem capiunt, et in sequenti anno innumerabilem paganorum multitudinem gloriosa victoria terunt.

12. Et post hæc omnia XVIII anno Balduinus (2) Jerosolymorum rex a Sarracenis capitur, qua de re mente excedentes, undique versum evocati, ad sexaginta millia conglomerantur, ut Christianos a finibus suis exterminent, et apud Ascalon impedimenta sua commendant, scilicet uxores, soboles et victualia. Christiani in arcto positi, nihil spei nisi in Deum habentes, exemplo Ninivitarum utrique sexui jejunium indicunt, pueris etiam infantibus lactentibus, universo quoque pecori pabula negantur. Dies pugnæ indicitur, procedunt Christi cum militibus et peditibus vix tria millia æstimati, principes gradiuntur in fronte, scilicet patriarcha pro vexillo oferens crucem Christi, abbas olim Cluniacensis Pontius proferens lanceam transfixam in latere Christi. Episcopus Bethleemites ferens in pixide lac sanctæ Mariæ perpetuæ virginis. Sarraceni vero quaqua versum effusi ex omni latere in orbem circumcingunt Christianos, ne quis possit effugere [*al.* evadere]. Dum ita in procinctu hærent Christiani, vident Deo sibi auspice splendorem scisso aere super paganos subito cecidisse, sed non prosperum, sed satis nocivum, quamvis hunc ipsi Sarraceni non viderint. Illico enim omni virium robore enervati, passim fugientes cæduntur, non solum a viris, sed etiam a pueris et feminis. Perierunt in bello septem millia, submersi sunt in aquis quinque millia.

13. In secundo autem anno post hæc Tyrus, Hebræa lingua Sur dicta, urbs maritima Phœnicis, et antiqua, in corde maris sita, Sydoniorum colonia, negotiatio maris, emporium totius orbis, vaticinio prophetarum celebrata, et carminibus poetarum inclyta, olim quidem insula, sed a Nabuchodonosor vel ab Alexandro propter expugnationem multis in brevi freto aggeribus comportatis, terra continens facta, pridem a Nabuchodonosor expugnata, et partim captivata, et postea ab Alexandro penitus usque ad solum diruta et destructa, sed juxta prophetas per septuaginta annos reædificata, et in antiquum statum restituta, nostris modo temporibus in fine mundi a Christianis terra marique obsessa capitur, et Christi imperio subjugatur. In tertio anno post hæc Balduinus rex Jerusalem, data redemptione, a Sarracenis dimittitur. Et in quarto anno post hæc, nepos supradicti regis a Sarracenis capitur, et in modum ligni per medium secatur.

(2) Cod. in marg. : *Iste Balduinus rex fuit filius Hugonis comitis de Reitesta.*

VERSUS DE VIRIS ILLUSTRIBUS DIOECESIS TARVANENSIS

Qui in sacra fuere expeditione.

(Marten. *ibid.*, ex ms. illustrissimi domini Chauvelin, regiorum sigillorum custodis.)

Contigit in nostris quiddam Tarvenna diebus,
Unde Deo laudes immensas reddere debes,
Qui dignando tuos elegit parrochianos,
Quos Hierosolymæ reges dedit et patriarchas.
Primo Godefridus, Balduinus vero secundus,
Ejusdem frater. Post hunc regnavit uterque
Filius Eustachii comitis, quos nobilis Ida,
Spem tuæ genti feliciter edidit omni.
Primus Evermarus sedit patriarcha sepulcri,
Post hunc Arnulfus oriundus uterque Cickes,
Præfuit et templo tuus archidiaconus ante
Vir probus et sapiens et religiosus Achardus.
Inde potestates alii tenuere minores.
Falkemberga suum dedit Hugonem dominum, qui
Obtinuit totam regionem Tyberiadis.
Harbel Ramensis fit princeps Cæsariensis.
Eustachius notus miles, cognomine *Gernirs*,
Fulcho Gisnensis urbem tenuit Baruth, in qua
Antistes sedit Balduinus Boloniensis,
Et castrum quoddam quod Sancti dicitur Abraham
Hugo Rebecensis tenuit miles generosus.
Hi reges, hi pontifices, dominique fuere
In Jerosolyma, nec non in finibus ejus
Quas, Tarvenna, tuus emisit pontificatus.

LAMENTUM LACRYMABILE

Super his qui in expeditione Jerosolymitana diversis mortibus, justo quidem, sed occulto et inscrutabili Dei judicio interierunt

(MARTEN. *ibid.*, ex ms. Aquicinctensi.)

Jerusalem, luge, medio dolor orbis in orbe
Mollia commuta cilicio cinere,
Funde Sion lacrymas, et vos confinia terræ,
Pulvere sparsa genas, inclyta terra, dole.
Regna, tribus, gentes olim subvertere nosti.
Heu! modo gaudet atrox gens tua colla teri
Quanta subegisti loca, castra, duces alienos,
Ecce subacta premi cernis ab hoste tuos.
Vox crucis intonuit, terras fretumque repletur,
Vox crucis innumeros traxit ad arma viros,
Occubuere duces, periit collectio plebis
Multa super numerum sicut arena maris.
Pigra pusilla prius, sed nunc armata triumphis
Imperiis curvat gens loca sancta suis.
Gallia, mater, honor, primatus, gloria, splendor,
Imperii, regni, militiæ, populi.
Dic ubi prompta manus, vigor, atque potentia, virtus?
Corruit ecce tuus nobilis ille status.
Fama silet, tua doxa ruit, blasphemia surgit.
Olim sparsus honor, nunc fit ubique dolor.
Præcones siluere crucis, tuba perstrepit hostis.
Nocte subacta dies perfidiaque fides.
Arcta fames, diuturna sitis, violentior hostis,
Vobis, Francigenæ, causa fuere necis.
Et tu fraude nocens Constantinopolis exlex,
Spondens obsequium, munera, robur, opes,
Claudis aquas, populoque negas venalia terræ,
Deficiuntque sibi, peste, labore, fame :
Arte, dolo, subicis, gladio subjecta peribis.
Te manet immanis plaga, ruina gravis.
Vos Sarraceni, gens improba, sævior hostis,
Vos Arabes, Turci, gens inimica crucis ;
Perfida, plena dolo, ritu polluta profano,
Mersa lacu scelerum, sordida fœce, luto.
Quæ spes, quæve tuas acuit fiducia vires?
Ut cruce signatos perdere non dubites?
Mos tibi, mos subici, succumbere, cedere Francis,
Accelerare fugam, signa timere crucis.
Nunc spoliis locuplex, fera cæde, superba triumphis,
Laurea certa refers, hostis in hoste furis.
Hos tormenta pati compellis, vincla, labores :
Horum strage truci fœda cruore mades.
Te furor exacuit, movet ira, superbia tollit.
Subdita colla premis, fortia facta teris.
Hostibus insultas, gratanter humum pede pulsas
Proh dolor! o facinus! proh pudor! imo nefas!

A Corrugas nasum, garrisque movesque cachinnum.
Pasceris hostili sanguine more canum.
Ecce dies, inquis, jucunda, serena, salubris,
Regno Francorum tristis, amara, gravis.
Quis furor? Unde tibi plebs cœca quod invaluisti
Vis tua constat in hoc nulla, sed ira Dei.
Francia crux Arabum, victrix alienigenarum,
En ubi fama prior, nomen et imperium?
Ferrea turris eras, gens insuperabilis hosti,
Ecce jaces volucri præda rapina cani.
Vis invicta, tenax vigor, inconcussa potestas,
Ut quid et unde ruis, quæ decus orbis eras?
Restat ut ipsa fide respires, speque resurgas.
Respirare pium, surgere nolle nefas.
Gallia fortis eram, gladioque manuque potenti,
B Nunc exhausta premor, cogor ad ima teri
Olim tuta, potens, et inexpugnabilis hosti,
Nunc infirma ruens, vincor ab hoste truci.
Pulchra, placens, opulenta, vigens, præclara triumphis,
Gens mea fœda jacet, spreta, subacta malis.
Destituuntur agri, regiones, oppida, vici,
E quibus indigenæ disperiere mei.
Flet domus orba viro, lactens patre, sponsa marito,
Mœret in exsilio plebs mea pressa jugo.
Hei mihi! terra ferax, species, opulentia, robur,
Aret, fuscatur, deperit, obruitur.
Mater ovans pridem, concepi fœta dolorem,
Alvo tensa gravi, parturiens peperi.
C Sunt mea progenies lamenta, querela, dolores;
En mea præ lacrymis intumuit facies.
Hei mihi! quos genui prædo rapit, advena tollit;
Heu pressura gravis, crux mihi, pœna meis.
Lux abit, umbra subit, pietas dolet, ira superbit.
Dulce datur felli, jusque sacrum sceleri.
Fasque ruit surgitque nefas, nova miraque pestis
Mitibus asperitas obviat, ira piis.
Vulpes erumpunt, mures nova cornua sumunt,
Dum leo rugit edax, agnus, ovisque tremunt.
Parthus, Medus, Arabs, insultat, provocat, urget,
Sibilat ore, fremit dente, movetque caput.
Sibilus opprobrium, fremitus magis exprimit iram,
Motio derisum; quid sequar, aut quid agam?
Regis honor, populique vigor, reverentia cleri,
D Pontificalis apex cogitur arcta pati.
Ordo sacer, gradus inferior, cuneus popularis,
Infinita cadunt millia mille modis.
His negat hostis iter, callisque reflexus et asper

Hos male torquet hiems, æstus et aura nocens.
Fraus inimica premit, furor afficit, ira fatigat.
Pulsat acerba lues, planctus ubique sonat
Carnibus esuries vesci compellit equinis :
Fossam cogit humum lambere sicca sitis ;
Virque virum carnemque caro vorat, hostis hostem
Pascit et illicitis proh dolor ! ingluviem.
Si quid habet fugiens ætas infirma relinquit,
Pauper egenus opes, fortior arma legit.
Victa labore fugæ, gravis, anxia, tarda senectus
Offert se gladiis, jungit utrasque manus.
Pars consumpta fame, pars intolerabiliori
Exhalant animas aere, tabe, siti :
Fortis et incolumis trahitur, trahitur vagus, exsul [et exlex,
Morbidus in gladio corruit atque senex ;
Corpora cæsa locis inhumata jacent inaquosis,
Esca volatilibus sparsa relicta feris.
Pauca teguntur humo, sanguis terraque marique
Diffluit, arva madent, inficiuntur aquæ,
Lingua silet, mala juncta malis, neque tot capit [auris :
Singula nosse dolor, cuncta referre labor.
Gallia mater in his doleo, mihi condolet orbis,
Tot queror acta mihi damna, Deumque pati.
Sanctis, Christe, locis, mons, murus, dextera, tur- [ris
Da spem, conter opem, respice probra crucis.
Ne super hoste diu ferus ille superbiat hostis,
A Sed fracto cornu sentiat arma crucis.
Gloria Francorum dudum concepit honorem,
Sed gravis in partu peperit, peperitque dolorem.
Res miranda fuit, cum gloria culmen honoris
Parturiendo ruit, fit gloria causa doloris.
Parturiunt montes, peperitque superbia mures.
Mons cadit, alta ruunt, pereunt in sanguine plures.
Ad nihilum redit esuriens exercitus iste,
Ablue nostra Deus, et munda crimina, Christe,
Græculus esuriens nos destruit esuriendo,
Nos rapit et vastat manus aspera percutiendo.
Græculus arte, fame, nos destruit esurientes,
Et Parthi gladio devastant deficientes.
Dumque famem patimur, hostes sentimus iniquos.
Deficiente cibo, paucos reperimus amicos.
B Fallitur ex toto gens inclyta pane remoto.
Gloria Francorum, timor hostis, et arma tuorum,
Gens pia, plebs celebris, quondam famosa trium- [phis
Nunc Danaum malefisa dolis, ferrumque famem- [que
Immerito sentis, satiantur et hostibus hostes.
Quis modo gaudebit ? Ego non, dum Gallia flebit.
Gallia tota dolet, et ego, gens impia gaudet,
Gaudet et exsultat, dum tantis viribus instat.
Gens mala Parthorum, populi fera turba Medorum,
Imperium vitæ vendunt et emunt Elamitæ.
Gloria flere potest, non nobis gloria prodest.
Gloria cum luctu teritur, quasi flos sine fructu.

DE PRIMORDIIS

ET INVENTIONE SACRÆ RELIGIONIS JEROSOLYMORUM.

(*Monasticon Anglic.*, t. II, p. 489, ex veteri ms. penes Gilbertum North, armigerum, an. 1652.)

Maxima inter plerosque hactenus dubitatio fuit, unde et a quibus Hosp. Ierosolimorum primordium sumpserit. Quidam vana somnia ingerentes deliramenta potius quam veritatem confinxisse videntur; veteres enim historias longissime ab invicem separatas, composito quodam glutineo conjunxerunt. Quorum vanas fabulas hoc loco mihi referre cura non est; sed ad rei veritatem, id quod de sacris annalibus decerpere potui, et quæ conjectura et ratione assequi, non præpositæ rei seriem in medium adducam.

Sacram Jerosolymorum religionem ita principium habuisse reputo : Cum exactis, mortuo Alexandrio Philippo Macedonum rege, de urbe Jerusalem prophanis gentibus Machabeorum opera ad a. p. et C libertatem, populus proclamasset, ingentia bella a finitimis regibus cum Iherosolimis gesta sunt. Tandem, volente Domino, cum Machabeus urbem, arcem, et templum de prophanatis gentium manibus vendicasset, et ad bellum iterum gerendum exeundum esset, prius compositis in urbe Jerosolima rebus, magna manu in hostes Machabeus profectus est. Cumque multi de populo Dei ferro cecidissent, multique vulneribus debiles facti essent, Machabeus in urbe Iherosolimitana, xenodona, hoc est pium locum et debilium constituisse dicitur; cui loco ingentes argenti et auri dragmas, ad expiandas defunctorum animas transmisit; ibique, ut miserabilibus receptaculum, et defunctis piaculum constitueretur, imposterum de-

crevit. Volventibus deinde annis, cum religiosa clarissimi Machabei institutio levaretur, usque ad salutaris nostri tempora processum est; ipseque Jhesus Christus humile non dedignatus hospicium, multum pietatis opera monstravit. In eodem profecto, cum nullius rei possessor existeret, dicente illo : « Volucres cœli nidos, et vulpes habent foveas. Filius autem hominis non habet quo reclinet caput suum, » non inmerito hunc locum ipsum incoluisse existimare possimus : si enim discipulos monebat omnia in communi habere, nec de crastino esse sollicitos, si absque calceis et pera discipulos esse volebat, quis dubitet Magistrum talia monentem, omnia habuisse communia, humilemque locum inhabitasse?

Hiis igitur rationibus confirmati, confidenter dicere possumus hunc locum communem et humilem cœlestis Imperatoris habitaculum fuisse. Hic discipulorum pedes Magister lavit, cosdemque presbyteros fecit, suique corporis preciosissimi memoriam réliquit. Hic Petro Ecclesiæ potestatem et claves tradidit. Hic Veteris Testamenti finis, et Novi initium fuit. De hoc loco acenti (*sic*), ad gloriosissimam passionem, ut nostræ carnis fieret redemptio, Christus profectus est. Hic post ejus passionem discipuli cum Maria matre ejus, confugientes, admirandæ Resurrectionis revelationem habere meruerunt, et post quadraginta dies promissum Spiritum sanctum acceperunt. Hic, post gloriosam ascensionem, sanctum primum concilium habitum est, fideique simbolum ad duodecim factum. Cumque gloriosi principes Christianæ fidei, inter se ad prædicandum, provincias sortiti essent, septem viros elegerunt, qui pauperum et Hospitalis curam habituri essent; quibus Stephanum primum martyrem præpositum constituerunt. Et quia gloriosus novæ legis præcursor Joh. Baptista, Christi baptismum prædicans, ab Herode nuper decollatus erat, cujus vitæ testimonium cuncti admirabantur : et quia hiis locis natus et usque ad infantiæ annos educatus erat, ob venerandam ejus memoriam Hospitalis patronum appellaverat; subsedentibus postmodum temporibus, cum magna inter homines de fide opinio esset, plurimi in societate pauperum discipulorum Domini conferebant; et ut participes orationum fierent, venditis rebus suis, ante pedes apostolorum precia ponebant, communem cum illis vitam ducentes.

Verum, cum Christianæ fidei devotione crescente, hujus sacræ domus facultates longe multiplicatæ essent, qui eas tuerentur, conducti milites constituti sunt, ut et facultates Hospitalis domus, sub fratre Raymundo, a quo Regula postea constituta est, tuerentur, atque paganos repellerent : ipsi namque sacerdotes sacris mysteriis et prædicationibus occupati, ea quæ milites factitabant exercere non poterant; verum cum in tantam vesaniam, impellente avaricia, milites elati essent, ut se facultatum Hospitalis professores constituerent, sacerdotesque negligerent; proinde decretum est, ut et ipsi milites Hospitalis participes fierent, et Christianam religionem defenderent; unde et ipsi, pro nomine Christi pugnantes, ante pectus crucem gestare instituerunt. Crescente deinde apud Orientem perfidia, fide deficiente, factum est ut Hospitale a Saracenis occupato, Christi milites undique dispergerentur. Cumque in Acra et Sarrya nullum amplius refugii locum haberent, in altum ascendere coacti sunt : prima eis navigatio in Cyprum fuit, insulam Iherosolimis propinquam. Ibi a Christianis principibus recepti, contra prophanas gentes, pro Christi nomine, pugnare non destiterunt. Multis deinde annis Rhodiorum insula Constantinopolitanis rebellis facta est; non valentibus ipsis, ob ingentes Rhodiorum copias, in ditionem vendicare insulam, ipsam Jherosolimitanis militibus occupandam concesserunt. Milites vero, paratis manibus, instructis copiis, Rhodum navigantes, brevi dierum spacio in suam potestatem redegerunt; duplicique præsidio muniti, ex Cypro et Rhodo adversus nostræ fidei inimicos bella gesserunt et gerunt.

Qualiter domus Hospitalis S. Johannis Jerusalem fuit primo inventa voluntate Domini nostri Jesu Christi.

Omnibus præsentibus et futuris notum facimus, quod domus Hospitalis S. Johannis Baptistæ et pauperum Jerosolimitanorum fuit incepta a principio, tempore primi Julii Cæsaris, imperatoris Romani, et tempore Antiochi principis Antiochiæ; ille qui fecit omnia, et suus Filius benedictus nobis mittat Spiritum sanctum, qui omnes tres unum sunt in adjutorium sit, quod nos possimus dicere et retrahere de Latino in grammaticam, ita et taliter quod sit laus prædicto sancto Johanni Baptistæ.

Supradicto enim tempore fuit quidam presbyter, et dominus aliorum presbyterorum in Jerusalem, qui vocabatur Melchiar; qui fregit sepulchrum David, et ex eo extraxit magnum thesaurum, videlicet aurum et vestimenta preciosa, quæ ibidem fuerant posita ab aliis regibus post Davidem regem, de quo quidem facto, dictus Melchiar fuit accusatus, coram principe Antiochiæ, qui tunc temporis erat dominus et dux in Jerusalem, ex præcepto Julii Cæsaris : Antiochus vero de hoc fuit valde turbatus, et cogitabat intra se qualiter posset honestius justiciam ministrare de furto supradicto. Et secunda nocte sequenti, jacendo in lecto, cogitabat multum quid faceret de tali re : et postquam satis cogitavit, obreptus fuit a sompno, et tunc angelus cepit ejus spiritum, et eundem portavit super montem Calvarii. Cui Rex regum apparuit, et dixit. « Antioche, non ponas manum super istum sanctum presbyterum, et non effundas ejus sanguinem; quoniam in isto loco, quem tibi monstravero, tu et ipse debetis facere unam domum pietatis et misericordiæ, communem omnibus pauperibus ibidem advenientibus. Et ego præcipio tibi, Melchiar, quod totum illum thesaurum, qui fuit extractus de se-

pulchro Davidis, ponatur in ædificio mansionis pauperum; quoniam Spiritus sanctus ubi vult spirat. » Eadem nocte, ipse manifestavit se sancto presbytero Melchiar, et dixit eidem : « Vadas ante montem Calvarium, et ubi tu invenies fundamentum ædificatum, ibidem facite mihi unam domum fortem et firmam, quoniam in eadem recipi multæ mansiones gentium, quia qui pauperes recipit, me recipit. » Et quando de mane in aurora diei ille presbyter descendit de monte Calvario, obviat principi, et incœperunt adinvicem loqui, quomodo Dominus noster Jesus Christus unicuique ostenderat bonam viam, et illud quod Dominus noster ostenderat ambobus multum placuit et eorum toto concilio; et quod ille sanctus presbyter donabat se et totum illud quod invenerat de thesauro in sepulchro David ad constructionem dictæ sacræ domus causa serviendi pauperibus toto tempore, sicut scriptum reperitur in libro de Machabæis.

Quando Judas Machabæus vidit et cognovit bene, quod bona res erat orare pro mortuis, misit in Jherusalem XII dragmas argenti, et quod offerantur Hosp. pauperum quod ipsi rogarent pro mortuis, et placeret Melchiar stabilire fratres ad serviendum pauperibus mansionis. In illa sacra domo, quam diximus, venerunt de omnibus partibus mundi multi pauperes et infirmi, qui fuerint recepti et benigniter pertractati propter misericordiam Domini nostri Jesu Christi. Princeps Antiochenus prædictus, quando obiit, donavit sacræ domui prædictæ Jerosolimitanæ magnam partem bonorum suorum.

Nos facimus vobis notum unum magnum miraculum, quod auscultare debent omnes in Deum credentes. Dominus noster Jhesus Christus apparuit Zachariæ prophetæ una die, quando faciebat sacrificium Deo, et in illa hora Filius Dei apparuit sibi, et dixit : « Melchiar, frater tuus transivit de hoc seculo, et anima ejus est in paradiso, ex quo ego præcipio tibi, et filio tuo, et uxori tuæ quod vos veniatis in Jerusalem, et serviatis mihi et pauperibus meis donec Julianus de Roma veniat in Jerusalem. » Quando Zacharias complevit sacrificium, quod ipse faciebat Deo, in parte fuit multum lætus, et in parte fuit multum stupefactus. Et quando venit in domum suam, dixit uxori suæ et filio plorando illud quod Dominus illis præceperat. Et omnes tres Deo gratias egerunt, et quanto citius potuerunt, iverunt Jerusalem, et reddiderunt se et sua Deo et Hospitali pauperum, et servierunt multum benigne et longo tempore Hospitali prædicto.

Adhuc evenit aliud grande miraculum, videncet, quod Accamanus imperator Romanus, cum quibusdam aliis honestis viris, causa recipiendi omagium a Judæis; accidit quando fuerunt in mare prope unam insulam Crethii, quæ vocatur Rhochas, puppis eorum navis fracta est, et omnes qui supererant fuerunt perditi, excepto Juliano Romano, qui per Filium Dei ad terram fuit exportatus benigniter. Et quando Julianus vidit infortunium quod evenerat, interrogavit Dominum, « Quis estis vos qui extraxistis me de isto periculo? » Et Dominus noster respondit et dixit : « Ego sum Filius Dei, qui ordinavi te Hospitelarium domus pauperum Jerusalem, et in futurum veniam corporaliter in illa domo; » et benedixit ei. Ille Julianus recepit ad gaudium benedictionem Domini nostri; et venit in Jerusalem ad sanctum Zachariam, ubi ipse Zacharias et alii fratres receperunt eum pro patre. Subsequenter, quando Dominus noster venit in terram, pro salute humani generis, et voluit manifestare gloriam suam populo, vocavit apostolos suos et discipulos; et venit in Jerusalem, sicut prædixerat per sanctum Spiritum provisoribus mansionis Hospitalis. Et existens homo corporalis de præsenti, fecit miraculum præsentibus suis discipulis, et apostolis faciebat salutem animarum. Deus qui fecit magna bona huic domui, quod ipsemet voluit se ostendere eis, extendit manus suas supra suos apostolos et pauperes mansionis prædictæ; et tunc dixit : « Qui vos honorabit, me honorabit, et qui vos recipiet, me recipiet. Maledicatur homo qui spernet unum de illis. » Notum facimus quod ista est mansio in qua Dominus noster dixit illi sapienti homini : « Tu amabis Deum ex toto tuo corde, et ex toto tuo cogitamine, » et alia multa secundum quod in Evangelio reperitur. Item ista est domus in qua abscondiderunt se apostoli, et clauserunt portas, timore Judæorum, quando Dominus noster Jesus Christus fuit crucifixus. In ista sancta domo, venit virgo Maria et sanctus Johannes evangelista ad Dominum nostrum, quando ipse erat in cruce pro nobis peccatoribus, et dixit sancto Johanni, : « Vide hic matrem tuam. » Et postea dixit matri suæ : « Vide hic filium tuum. »

Adhuc est ista domus Hospitalis, in qua venit Jhesus in octavo die suæ resurrectionis, portis clausis, et intravit in medio suorum discipulorum, et dixit eis : « Pax vobis. » Et ostendit eis manus et pectus, sed Thomas non erat cum illis, quando Jesus venit. Et discipuli venerunt ad sanctum Thomam, et dixerunt ei : « Nos vidimus Dominum nostrum. » Et Thomas respondit et dixit. « Ego non credo. ego non tango, et video foramen clavorum manuum suarum et pedum, et misero manum meam in pectore suo. » Prope istos octo dies, sicut sanctus Johannes evangelista testatur, quando discipuli erant in ista sancta domo, et sanctus Thomas cum eis, venit Jhesus, clausis januis, et dixit : « Pax vobis. » Et dixit Thomæ : « Mitte huc digitum tuum in foramen manuum mearum et mei costatus, et noli esse incredulus, sed fidelis. » Et in illa sancta domo recognovit sanctus Thomas suum Creatorem. Cui Dominus noster dixit : « Quia tu me vidisti, credidisti. Beati sunt, qui non viderunt et crediderunt. »

Eodem tempore Ananias et Saphira dimiserunt

seculum, et donaverunt se societati Christi et discipulorum : et quia non reddiderunt Deo et sacræ domui Hospitalis et pauperibus, et non portaverunt ad pedes discipulorum illud quod habebant, mortui sunt subitanea morte; et sanctus Petrus non permisit poni eorum corpora in cimiterio, ymmo fecit eos sepiliri extra, tanquam excommunicatos. Et tempore quo Deus misit nobis apostolos et discipulos suos ad prædicandum, et illi erant antiqui, sicut sanctus Stephanus, qui fuit primus martyr, et Philippus prothomartyr, Nichauome, Thymocenn Permanan, Nycholaus Antiochenus. Isti custodiebant domus Hospitalis et serviebant pauperibus ex præcepto Domini nostri Jesu Christi. In isto tempore erant in eodem loco multæ et diversæ generationes hominum; aliquando Græci, aliquando Caryseni, qui tenebant civitatem Jerusalem et terram promissionis; et hoc, non obstante quod dicta domus esset in magna paupertate, tamen recipiebant pauperes et infirmos. Et quando venit finaliter quod Saraceni habuerunt domum Jerusalem, et Græci perdiderunt; unus servulus Jesu Christi, qui vocabatur Conradus, custodiebat sanctam domum hospitalis, et elemosinas, quæ dabantur sibi a Saracenis, ipse donabat pauperibus, et serviebat eis benigniter.

Eodem tempore, quando Deo placuit quod Christiani haberent terram promissionis, *Godfridus* de Boylon, et magna multitudo barenorum et peregrinorum, qui fuerint instructi per divinam gratiam et prædicationem, venerunt per longas terras, per montes et valles, et per terram Romaniæ, in Antiochiam; et obsederunt eam, et virtute Dei ceperunt eam. In illa, perfidorum Saracenorum magnam multitudinem perimerunt. De qua iverunt ultra ad civitatem de Trypoly, et ceperunt eam. Et exinde ceperunt Acrys : et inde iverunt ad terram Jerusalem. Et in eorum exercitu habebant tam magnam famem, quod quasi non habebant panem ad comedendum. Tunc ille Conradus, qui serviebat pauperibus Hospitalis Jerosolimitani, quolibet die ter vel quater, ponebat de pane in suo gremio, et desuper muros terræ projiciebat panem Christianis, loco lapidum; et iste Conradus, qui custodiebat pauperes Hospitalis fuit accusatus coram Soldano. A per Saracenos qui custodiebant muros. Et Soldanus præcepit Saracenis, qui accusaverunt eum, quod quando projiceret panem Christianis, ipsum caperent et ducerent eum sibi, cum toto pane, et aliter eum non credebat. Deinde venit una dies Conradus vel Gerardus faciebat uti solebat, projiciendo panem Christianis; et Saraceni, cum pane quem habebat in gremio, ipsum ceperunt, et duxerunt eum coram Soldano : et quando Saraceni monstrabant panem Soldano, tunc ille panis, virtute Dei, efficiebatur lapis. Et quando Soldanus vidit maliciam Saracenorum, dimisit stare Conradum, et præcepit sibi, ut sine timore Christianos, ut consueverat, debellaret. Et quando Conradus, vel Gerardus, audivit istud, quolibet die projiciebat panem Christianis Dei.

B Et Godfridus de Boylen stetit tantum, cum exercitu suo, ante Jerusalem, quod ipse cepit civitatem et interfecit multos Saracenos, et habebat magnum gaudium de victoria habita, quam Deus dederat eis : et venerunt ad sanctum sepulchrum Domini nostri, cantando, et gratias Deo reddendo. Deinde iverunt ad omnia alia loca. Et deinde barones diviserunt possessiones Jerusalem, et donaverunt dicto Conrado, vel Gerardo, magistro dicti Hospitalis Jerusalem, magnam partem possessionum, ad honorem sancti Johannis Baptistæ, patroni ejusdem Hospitalis. Deinde, tempore *dicti magistri Conradi*, vel *Gerardi*, Deus multiplicavit multum dictam mansionem Hospitalis de redditibus, possesC sionibus et dominationibus per regnum Jerosolimitanum. Et quando Conradus fuit mortuus, anima ejus ivit in paradisum. Et frater Raymundus de Puy fuit subrogatus ejusdem, loco ejus; et ad laudem Dei ædificavit casalia, mansiones et castra; et melioravit multum mansionem de magnis possessionibus.

Ille frater Raymundus fecit stabilimenta mansionis Hospitalis, quæ in eadem domo servantur adhuc; et regulam; et a papa Innocentio secundo fecit ipsam confirmari, etc.

Deus Creator omnium liberet fratres Hospitalis ab omnibus malis et eorum peccatis, et eis concedat gratiam veniendi ad cœlestem gloriam cum omnibus eorum benefactoribus, Amen.

CARTULAIRE

DE L'EGLISE

DU SAINT SÉPULCRE

DE JERUSALEM

PUBLIÉ D'APRÈS LES MANUSCRITS DU VATICAN

PAR M. EUGÈNE DE ROZIÈRE

PROFESSEUR A L'ÉCOLE DES CHARTES, AUTEUR DES *Formulæ Andegavenses*

PUBLIÉES D'APRÈS LE MANUSCRIT DE WEINGARTEN,

ACTUELLEMENT A FULDE, ET DE LA NUMISMATIQUE DES ROIS LATINS DE CHYPRE.

Imprimé par autorisation du gouvernement à l'Imprimerie nationale. — MDCCCXLIX.

INTRODUCTION.

I.

L'église du Saint-Sépulcre, nommée aussi église de la Résurrection de Notre-Seigneur, a toujours été une des plus célèbres et des plus vénérées du monde chrétien. Bâtie par sainte Hélène et Constantin, elle devint le siége du patriarche de Jérusalem et la métropole de toutes les églises soumises à la juridiction de ce pontife. Les conquêtes des Croisés, armés pour délivrer le tombeau de Jésus-Christ, la rendirent plus que jamais l'objet d'un culte particulier. Les rois, les princes, les seigneurs et les évêques des nouveaux Etats fondés en Orient s'empressèrent à l'envi de l'orner et de l'enrichir; les souverains et les prélats d'Europe, qui n'avaient pu la visiter, voulurent au moins lui prouver leur respect par leurs largesses; les papes veillèrent avec un soin jaloux à la conservation de ses biens et au maintien de ses priviléges. Ce sont les témoignages de cette vénération universelle, et la série de ces pieuses libéralités, pendant la durée de la domination latine en Syrie, que renferme le cartulaire du Saint-Sépulcre. Le nombre des actes dont il est composé, les noms célèbres qu'on y rencontre à chaque page, les notions qu'on peut y puiser sur la géographie politique, la condition des personnes et des terres, l'organisation religieuse du royaume de Jérusalem en font un des monuments les plus curieux et les plus complets de l'histoire des Croisades.

II.

On connaît les accusations dirigées contre les cartulaires par le P. Hardouin (1) et par les écrivains qui dans le siècle dernier s'étaient constitués les ennemis systématiques des communautés religieuses (2). Les auteurs du Nouveau Traité de diplomatique y ont répondu victorieusement, et leurs conclusions sont admises par tous les bons esprits. Aujourd'hui surtout qu'il ne s'agit plus d'attribuer aux cartulaires un caractère authentique, et de les admettre comme moyens de preuve en justice, personne ne fait difficulté de reconnaître que l'historien trouve dans ces recueils une foule de renseignements qu'il chercherait vainement

(1) L'ouvrage manuscrit du P. Hardouin est conservé à la bibliothèque Nationale.
(2) Simon, *Histoire de l'origine des revenus ecclésiastiques*, t. I.— *Mémoires du clergé*, t. VI.

ailleurs. Plusieurs savants les ont consultés avec beaucoup de fruit (3); et l'impulsion nouvelle qu'ont reçue les études historiques a naturellement donné l'idée de réunir et de publier ceux que nous ont légués nos anciennes abbayes (4). Aussi n'ai-je pas l'intention de ranimer une guerre éteinte, ou d'entreprendre une réfutation désormais inutile. Je veux montrer seulement que les circonstances particulières dans lesquelles le cartulaire du Saint-Sépulcre a été rédigé, doivent lui faire accorder une foi complète, et qu'elles le mettraient à l'abri de toute suspicion, alors même que les reproches adressés aux cartulaires en général trouveraient encore quelque crédit. J'avoue qu'en l'absence de toute preuve positive il est impossible de préciser l'époque de cette rédaction; l'âge des manuscrits, que j'essayerai plus loin de déterminer, ne saurait nous servir de guide, parce que ces manuscrits ne sont probablement que des copies de transcriptions antérieures. On peut cependant affirmer que la réunion des pièces contenues dans le cartulaire du Saint-Sépulcre n'a pas été achevée avant la seconde moitié du XIII^e^ siècle, puisqu'on y trouve le serment de fidélité prêté vers 1240 par l'abbé de Sainte-Marie Latine au patriarche Robert. Or Jérusalem et toutes les villes de l'intérieur étaient déjà tombées au pouvoir des Sarrasins, et les Chrétiens ne possédaient plus que les villes du littoral. Est-il probable que les chanoines du Saint-Sépulcre aient fabriqué de faux actes pour se créer des titres de propriété dans les pays occupés par l'ennemi? C'est là cependant ce qu'il faudrait supposer, si l'on attaquait l'autorité de leur cartulaire, où l'on voit que la plus grande partie de leurs domaines étaient situés dans la ville ou aux environs de Jérusalem.

III.

Ce fut un manuscrit apporté d'Orient par Philippe de Maizières, chancelier du roi de Chypre, qui fit connaître en Europe le cartulaire du Saint-Sépulcre. Ce manuscrit, devenu la propriété de Paul Petau, passa dans la bibliothèque de la reine Christine, et de là dans celle du Vatican (5). Pendant qu'il était encore en France, André Duchesne en fit quelques extraits pour ses propres travaux. Ce sont ces extraits, conservés à la Bibliothèque nationale (6), qui ont servi successivement à du Cange pour son Histoire, encore inédite, des Familles d'Outremer, au P. Helyot pour son Histoire des Ordres monastiques, et à M. le comte Beugnot pour son édition des Assises de Jérusalem.

IV.

Ces quatre savants sont jusqu'ici les seuls qui aient fait usage du cartulaire du Saint-Sépulcre; mais s'il n'a pas été plus souvent consulté, cela tient surtout à ce qu'on ignorait assez généralement son contenu, et même son existence. M. le comte Beugnot, conduit par la nature de ses travaux à l'étudier en détail, n'a pas tardé à reconnaître tout l'intérêt historique qu'il présente; il a publié la plus grande partie des extraits copiés par André Duchesne (7), en y joignant les réflexions suivantes, que je suis heureux de pouvoir reproduire : « Si le P. Paoli a rendu un véritable service à la science en imprimant le Code diplomatique des Hospitaliers de Saint-Jean de Jérusalem, il est certain que la publication du Cartulaire du Saint-Sépulcre ne serait pas moins bien accueillie des savants qui s'occupent de l'histoire ou de la jurisprudence du moyen âge..... Nous n'avons pas songé à insérer dans notre Appendice un monument historique dont la publication exigerait beaucoup de travaux, de temps et d'espace..... Mais nous avons tiré de l'extrait de Duchesne cinquante-deux chartes inédites, qui toutes donnent sur l'état des personnes, et sur la transmission de la propriété chez les Latins, des lumières qu'on demanderait vainement aux livres de droit. Il est à souhaiter que cette publication partielle décide quelque savant à en exécuter une complète (8). »

V.

Cette opinion d'un juge aussi compétent m'a donné la première idée du travail que j'offre au public. Je devais d'abord rechercher le manuscrit de Philippe de Maizières; je l'ai rencontré à la bibliothèque du Vatican, fonds Vatican, n° 7241 (9). L'identité ne saurait être douteuse, car on lit ces mots sur la feuille de

(3) Voyez notamment l'usage que Brussel et Chantereau-Lefebvre ont fait du cartulaire de Champagne.

(4) Le soin de cette collection est confiée à M. Guérard; les sept premiers volumes ont déjà paru.

(5) La célèbre bibliothèque de la reine de Suède avait été composée, en grande partie, des manuscrits de la famille Petau. Cette bibliothèque, après la mort de la reine, fut achetée par le pape Alexandre VIII, qui donna quelques centaines de manuscrits à son neveu, le cardinal Ottoboni, et réunit les autres à la bibliothèque Vaticane, dont ils forment encore aujourd'hui un fonds particulier. (Arckenholtz, *Mémoires concernant Christine, reine de Suède*, t. I et II *vassim*.— Blume. *Iter Italicum*, t. III. — Paulin Pâris. *Catalogue des manuscrits français*, t. IV.)

(6) Fonds des cartulaires, n° 195.—Collection Duchesne, t. 56.

(7) Assises de Jérusalem, t. II, dans l'*Appendice*.

(8) Assises de Jérusalem, t. II, *Préface*.

(9) On sait que la bibliothèque du Vatican est divisée en cinq fonds distincts : 1° ancien fonds, ou fonds Vatican proprement dit; 2° fonds de la reine de Suède; 3° fonds Ottobonien; 4° fonds Palatin; 5° fonds d'Urbin. Le manuscrit du cartulaire du Saint-Sépulcre, provenant de la bibliothèque de Christine, devrait naturellement se trouver dans le fonds de la reine; il est même certain qu'il en a fait primitivement partie, car Montfaucon l'y a vu, et l'a enregistré sous le n° 1340 (*Bibliotheca Bibliothecarum*, p. 44). Mais il y a plusieurs exemples de manuscrits qui, dans les arrangements intérieurs de la bibliothèque Vaticane, ont été distraits du fonds de la reine pour être incorporés au fonds Vatican proprement dit.

garde : *Iste liber est domini Philippi de Mazeriis cancellarii regni Cipri.* C'est un petit in-4°, relié en parchemin blanc, de 158 feuillets de parchemin, écriture du XIV^e^ siècle. Il contient 184 documents, dont il faut réduire le nombre à 181, parce qu'il y en a trois que le copiste a répétés.

J'ai trouvé dans la même bibliothèque, même fonds, sous le n° 4947, un autre manuscrit du cartulaire, petit in-f° de 129 feuillets de parchemin, écriture très-régulière et très-soignée du XIV^e^ siècle (10). Ce manuscrit est loin d'être aussi complet que le précédent : il ne contient guère que les diplômes émanés des rois, des évêques et des principaux seigneurs; le rédacteur a généralement négligé les chartes des simples particuliers. Le nombre des documents qu'il renferme est de 97, sur lesquels 4 seulement ne font pas double emploi avec les pièces contenues dans le n° 7241. C'est en réunissant ces 4 documents aux 181 du premier manuscrit que j'ai obtenu le nombre de 185, qui constitue dans mon édition l'ensemble du cartulaire.

Je ne parlerai que pour mémoire d'un troisième manuscrit, qui se trouve également à la bibliothèque Vaticane, fonds Ottobonien, n° 985. Ce n'est point, à proprement parler, un manuscrit, mais seulement une copie moderne du n° 4947 (11).

VI.

J'ai peu de choses à dire sur le plan que j'ai suivi. Le manuscrit 7241, qui devait naturellement me fournir le texte principal, a été copié avec la plus grande fidélité; je l'ai désigné par la lettre A. Le manuscrit 4947 m'a fourni des variantes nombreuses, mais peu importantes; je l'ai désigné par la lettre B. Quant au manuscrit 985 et aux extraits d'André Duchesne, ils ne pouvaient évidemment m'être d'aucune utilité.

J'ai longtemps hésité à imprimer les documents dans l'ordre où le manuscrit 7241 les présente; il me paraissait plus rationnel de les rétablir dans l'ordre chronologique. Ce qui m'a fait renoncer à ce projet, c'est que le rédacteur du cartulaire paraît avoir voulu suivre une certaine méthode de classification. Dans la première partie de son travail, il a généralement rangé les chartes selon la dignité des personnes, commençant par les diplômes des papes, des patriarches et des rois, finissant par ceux des simples particuliers, et mettant ensemble ceux qui intéressent la même localité. J'avoue qu'il n'est pas toujours demeuré fidèle à ce système, et que dans la seconde partie du cartulaire on trouve des pièces de toute nature accumulées un peu au hasard. Mais j'ai reconnu l'intention première qui l'avait dirigé, et j'ai voulu la respecter.

VII.

Il me reste à remplir un devoir de reconnaissance envers M^gr^ Lauriani et M^gr^ Molza, custodes de la bi-

(10) L'histoire de ce manuscrit se rattache aux vicissitudes qu'a subies, avant d'entrer au Vatican, une des plus célèbres bibliothèques d'Italie, dont il faisait primitivement partie. On m'excusera d'entrer à ce sujet dans quelques détails, qui peuvent intéresser la bibliographie, et qui sont généralement inconnus en France. Marcel Cervino, qui devint pape en 1555 sous le nom de *Marcel II*, fut le fondateur de cette bibliothèque. En mourant il la laissa à Sirleto son secrétaire, qui, ayant été plus tard promu au cardinalat, augmenta considérablement le fonds qui lui avait été légué. La bibliothèque de Sirleto, généreusement ouverte au public et consultée avec fruit par Baronius, Panvini et autres écrivains, qui la désignent sous le nom de *Sirletiana*, fut achetée, à la mort de son savant propriétaire, par le cardinal Ascanio Colonna. Elle prit alors le nom de *Colonnese;* et c'est dans le palais de cette illustre maison que la virent le P. Sirmond et Ant. Possevin. Des difficultés survenues à la mort du cardinal pour la liquidation de sa succession contraignirent ses héritiers à vendre sa bibliothèque. Elle devint la propriété du duc Altaëmps, qui fit disposer, pour la recevoir, les plus beaux appartements de son palais; elle y porta le nom d'*Altaempsiana*, et fut visitée par Holsten, Suarez, les Bollandistes et les éditeurs romains des Conciles gréco-latins. Dans les vicissitudes qu' elle avait éprouvées, cette riche collection avait plusieurs fois failli être transportée loin de Rome. Philippe II, roi d'Espagne, et le cardinal Frédéric Borromée avaient tour à tour fait des démarches pour l'acquérir : aussi le pape Paul V, craignant qu'elle ne passât un jour entre les mains de quelque étranger, força le duc Altaëmps à lui céder cent des principaux manuscrits, qu'il réunit à la bibliothèque pontificale, établie depuis quelques années par Sixte V dans les salles du Vatican. Le cartulaire du Saint-Sépulcre fut un des cent manuscrits choisis par Paul V : c'est donc sous le règne de ce pontife qu'il est sorti de la bibliothèque successivement possédée par Marcel Cervino, Sirleto, Colonna et Altëmps, pour être incorporé à la bibliothèque Vaticane. La bibliothèque *Altaempsiana* fut ensuite vendue au cardinal Ottoboni, qui devint pape sous le nom d'*Alexandre VIII*; elle demeura dans la maison Ottoboni, dont elle a définitivement retenu le nom, jusqu'au règne de Benoît XIV, qui l'acheta pour la réunir aux autres collections du Vatican. Pendant qu'elle était encore la propriété des Ottoboni, elle s'enrichit, comme je l'ai dit dans une des notes précédentes, de quelques-uns des manuscrits de la reine Christine, et reçut, entre autres visiteurs illustres, dom Montfaucon. Mabillon l'avait consultée quelques années plus tôt, dans le court intervalle de temps qui s'écoula entre la mort du duc Altaëmps et l'acquisition qu'en fit le cardinal Ottoboni. (Mabillon, *Iter Italicum.* — Montfaucon, *Bibliotheca bibliothecarum.* — Arckenholtz, *Mémoires concernant Christine, reine de Suède*, t. II, p. 322. — Ruggieri, *Memorie istoriche della bibliotheca Ottoboniana.*

(11) C'est la copie que fit exécuter le duc Altaëmps, quand il fut contraint de céder son manuscrit à Paul V. La note suivante, mise en tête de cette copie, ne peut laisser à ce sujet aucun doute : *Unus ex codicibus bibliothecæ Altaempsianæ, à Paulo V manu regia exceptis, nunc vero à Johanne Angelo ab Altaëmps duce propriis sumptibus fidelissime ex originalibus transumptus, ut bibliotheca prædicta tanto honore jam decorata non careret.*

bliothèque du Vatican. Leur extrême obligeance m'a permis de terminer en peu de temps les différents travaux qui m'avaient appelé à Rome; on eût dit qu'ils voulaient protester par leur empressement contre les reproches si souvent adressés aux bibliothécaires italiens. Je désire vivement que l'expression de ma gratitude parvienne jusqu'à eux dans l'asile où les révolutions les ont peut-être contraints de se réfugier.

Juin 1849.

PRIVILEGIA

ECCLESIÆ SANCTI SEPULCRI

IHERUSALEM.

I[1].

[*Sine rubrica.*]

Ego Peregrinus, abbas Sancte Marie de Latina, ab hac hora in antea fidelis ero sancte Ierosolimitane ecclesie domnoque Roberto, patriarche eiusdem ecclesie, et successoribus eius canonice intrantibus. Non ero in consilio neque in facto ut vitam perdant aut membrum, vel capiantur mala captione. Consilium, quod michi aut per se aut per nuncium aut per litteras manifestabunt, ad eorum dampnum nulli pandam. Ierosolimitane ecclesie patriarchatum et regulas sanctorum patrum adiutor ero ad defendendum et retinendum contra omnes homines, salvo ordine meo. Bona ecclesie mee non alienabo neque de novo alicui infeudabo. Vocatus ad sinodum veniam, nisi prepeditus fuero canonica prepeditione. Nuncium [2] ecclesie Ierosolimitane et domini patriarche, quos certos esse cognovero, in eundo et redeundo honorifice tractabo et in suis necessitatibus adiuvabo. Ierosolimitane ecclesie limina singulis annis aut per me aut per certum nuncium visitabo, nisi eorum absolvar licentia. Et hec promitto coram vobis domino Arnaldo, Liddensi episcopo, vicario predicti domini patriarche, nomine eius et sancte Ierosolomitane ecclesie. Sic Deus me adiuvet et hec sancta Dei evangelia.

II[3].

[*Sine rubrica.*]

Archiepiscopis, episcopis aliisque prelatis, omnibusque Christi fidelibus in regno Thesalonicensi constitutis, ad quos littere iste pervenerint, Willelmus, Dei miseratione ecclesie Dominici Sepulcri prior humilis, cum eiusdem ecclesie capitulo A sinceras orationes in Christo. Vestre constare cupimus universitati quod nos, cognoscentes prudentiam et honestatem latorem [4] præsentium dilecti canonici nostri N., ipsum constituimus priorem et provisorem omnium domorum et possessionum nostrarum, quas in regno Thesalonicensi tenemus, et aliarum in Roman[i]a, que subiecte non sunt nostre domui Constantinopolitane; hoc tamen apponentes quod tam ipse quam alii procuratores domorum nostrarum non habeant potestatem vendendi, obligandi vel inutiliter alienandi servos, ancillas aut alias ecclesie possessiones; unde, si quid talium ab aliquo nostrum sine consensu capituli factum fuerit, non habeat aliquam firmitatem; rogamus igitur ut quilibet vestrum super talibus non scripta sua conferat nec bullam. Dedimus autem ei potestatem faciendi fratres et sorores, quos utiles et ecclesie viderit expedire. Vestre denique supplicamus pietati quatenus amore Crucifixi predicto N. priori consilium vestrum et auxilium, in quibus necesse habuerit, inpendere velitis, attendentes quod nos quidem pro omnibus fidelibus, specialiter autem pro nostris benefactoribus, iugiter Domino suplicamus.

III[5].

LITTERE WILLELMI PRIORIS ET CAPITULI SANCTI SEPULCRI.

Willelmus, Dei miseratione Dominici Sepulcri prior humilis, cum eodem capitulo universis fratribus in obedienciis Dominici Sepulcri in N. constitutis fraternam in Domino dilectionem. Cognoscentes fidelitatem et discretionem latoris presencium dilecti canonici nostri N., ipsum statuimus priorem domorum, possessionum et omnium, que in N. te-

[1] Cette charte se trouve dans le manuscrit A, au verso du feuillet de garde; elle manque dans le manuscrit B. [2] Corrigez *nuncios*. [3] A, f° 1, r°; manque dans B. [4] Corrigez *latoris*. [5] A, f° 1, r°; manque dans B.

nemus, iniungentes eidem ut, si qua destructa sunt, A pro posse requirat, et omnia sibi commissa ad ecclesie nostre utilitatem et Domini dirigat honorem. Significamus autem vobis quod tam ipse quam alii procuratores domorum nostrarum non habeant potestatem vendendi, obligandi vel inutiliter alienandi servos vel ancillas aut alias ecclesie possessiones; unde, si quidem [6] talium ab aliquo nostrum sine mandato capituli factum fuerit, esse irritum sciatis et omni robore carere; nullus quoque vestrum presumat huiusmodi excessibus consensum vel testimonium adibere. Dedimus autem eidem N. priorem [7] potestatem faciendi fratres et sorores, quos utiles et ecclesie viderit expedire. Precipimus siquidem vobis in virtute obedientie ut, visis hiis litteris, prefato priori manualem obedientiam fatiatis, debitam eidem reverenciam exibentes. Monemus denique ut bonis operibus Dominum pre oculis sic habeatis, quod ab huius vite miseriis perveniatis ad gaudia eterne felicitatis.

IV [8]

DE OBEDIENTIA QUAM FECIT ECCLESIE [SANCTI] SEPULCRI MAURUS, ABBAS TEMPLI DOMINI.

Ego Maurus, ecclesie Domini Templi abbas benedicendus, ab hac hora in antea fidelis et obediens ero sancte Ierosolimitane ecclesie dominoque meo patriarche R[oberto] ejusque successoribus canonice intrantibus. Non ero in consilio neque in facto ut vitam perdat aut membrum, vel in captione capiatur, nec ut ecclesia Dominici Templi a iurisdictione C sua et obedientia Ierosolimitane ecclesie separetur. Consilium, quod mihi per se [aut per] nuncium manifestabit, ad eorum dampnum nulla [9] pandam. Patriarchatum Ierosolimitane ecclesie et ea, que ad eandem pertinent, adiutor ero ad defendendum et retinendum, salvo meo ordine, contra omnes homines. Vocatus ad sinodum veniam, nisi prepeditus fuero canonica prepeditione. Nuncium ipsius, quem certum nuncium esse cognovero, in eundo et redeundo honorifice tractabo. Sic me adiuvet Deus et hec sancta evangelia.

V.

DE SUBIECTIONE QUAM DEBET TYRENSIS ECCLESIA ECCLESIE IEROSOLIMITANE.

(*Vide in Innocentio II ad an.* 1143). D

VI.

DE REVERENTIA DEBITA CANONICIS SANCTI SEPULCRI.

(*Vide ibid.*)

VII.

DE OBEDIENTIA QUE DEBETUR PATRIARCHE IEROSOLIMITANO.

(*Vide ibid.*)

VIII.

PRIVILEGIUM DOMINI PATRIARCHE ET ECCLESIE IEROSOLIMITANE.

(*Vide in Lucio II papa ad an.* 1145.)

IX [10].

[*Sine rubrica.*]

Post captam Antiochiam Podiensis episcopus, sedis apostolice legatus, prudenti optimatum usus consilio, Ierosolimitano regno et Antiocheno principatui terminum posuit, fluvium scilicet, qui Tripolim et Tortosam interfluit; decernens ut Ierusalem omnem terram a parte australi usque ad eundem fluvium iure perhenni possideat, et Antiochia ex altera fluminis parte nichilominus obtineret.

Paschali papa apud Beneventum concilium celebrante, ab Antiocheno patriarcha et principe nuncii transmissi sunt, qui in eodem concilio Antiochene iure ecclesie sibi restitui postulaverunt. Quibus huiusmodi dedit responsum : Non solemus de tractatibus B ecclesiarum cito respondere; sed petitioni vestre, quia de longe venistis et longa via vos expectat redituros [11], non est differendum quod habemus paratum respondere. Sancte memorie venerabilis Urbanus papa, quando concilium populosissime congregationi[s] in Monte Claro celebravit viamque Ierosolimitanam suscitavit, decrevisse memoratur et scitur quod quicunque principes provincias vel civitates super gentiles conquirerent, eliminatis [12] gentium ritibus, eorum principatibus ecclesie restitute pertinerent.

X.

PRIVILEGIUM PASCHALIS II PAPE.

(*Vide in Paschali ad. an.* 1118)

XI.

PRIVILEGIUM EIUSDEM.

(*Vide ubi supra.*)

XII.

PRIVILEGIUM EIUSDEM.

(*Vide ibid.*)

XIII.

PRIVILEGIUM CALIXTI II PAPE.

(*Vide in Calixto II ad an.* 1124.)

XIV.

EIUSDEM DE CONFIRMATIONE CANONICORUM REGULARIUM.

(*Vide ibid.*)

XV.

PRIVILEGIUM HONORII II PAPE.

(*Vide in Honorio II ad an.* 1130.)

XVI.

ALIUD EIUSDEM.

(*Vide ibid.*)

XVII.

PRIVILEGIUM INNOCENTII II PAPE.

(*Vide in Innocentio II ad an.* 1143.)

XVIII.

ALIUD PRIVILEGIUM EIUSDEM.

(*Vide ibid.*)

XIX.

PRIVILEGIUM CELESTINI II PAPE.

(*Vide in Cœlestino II ad an.* 1144.)

[6] Corrigez *quid.* [7] Corrigez *priori.* [8] A, f° 1, v°; manque dans B. [9] Corrigez *nulli.* [10] A, f° 3, v°; manque dans B. [11] Corrigez *redituros.* [12] Corrigez *eliminatis.*

XX.

EIUSDEM DE CONFIRMATIONE POSSESSIONUM ECCLESIE SANCTI SEPULCRI.

(*Vide ubi supra.*

XXI.

PRIVILEGIUM LUCII PAPE II.

(*Vide in Lucio II ad an.* 1145.)

XXII.

PRIVILEGIUM PAPE LUCII II DE CONFIRMATION

(*Vide ibid.*)

XXIII.

PRIVILEGIUM EUGENII III PAPE DE CONFIRMATIONE.

(*Vide in Eugenio III ad an.* 1153.)

XXIV.

DE CONFIRMATIONE OBLATIONUM ALIUD PRIVILEGIUM EUGENII III PAPE.

(*Vide ubi supra.*)

XXV[13].

PRIVILEGIUM ARNULFI PATRIARCHE.

***Transmutatio canonicorum secularium in regulares, quam fecit Arnulfus patriarcha, assentiente rege Balduino primo, et de his que eis constituit ad victum et vestitum eorum : videlicet medietatem oblationum Sancti Sepulcri, et omnes oblationes sancte Crucis, nisi in parasceve, et decimas omnes Ierusalem pertinentes, exceptis decimis funde, et ecclesiam Sancti Petri in Ioppe cum omni honore suo et dignitate, et ecclesiam Beati Lazari cum omnibus appendiciis; et hec omnia habeant libere et ad voluntatem eorum ordinent*[14].

In nomine sancte et individue Trinitatis.

Ego Arnulfus, Dei gratia patriarcha Ierosolimitanus[15], servus servorum divinitatis eiusdem[16] minimus, Balduino, Dei nutu Ierosolimorum[17] rege gloriosissimo, imperante et nobiscum in omni bono tota virtute animi consentiente, cuntis per orbem Christum colentibus notifico privilegium, quod anno incarnationis dominice MCXIV, nostri vero patriarchatus III, regni autem predicti regis XIV, indictione VII, epacta XII, de renovatione ecclesie Sancti Sepulcri ipsius regis consilio nobis est institutum et confirmatum. Cum Dominus noster Ihesus Christus, Dei vivi filius, ecclesiam suam in tantum dilexerit, ut pro ea homo factus eandem preciosissimo sanguine suo redimere dignatus sit, passionis ac gloriosissime resurrectionis sue locum in finem sua ineffabili misericordia adeo dignatus est diligere, ut eam de manu Turcorum et Sarracenorum eripere ac Christianis fidelibus suis innumeris affectis pro eiusdem loci deliberatione sola sua divina virtute placuerit tradere. Nichil enim humana virtus, nichil sapientia[1], nichil exercitus nostri multitudo proficeret, nisi divina virtus inexpugnabiliter pugnaret pro nobis[18], nisi et nos in loco pascue sue miseri-

A corditer collocaret, nisi etiam nos indignos, paganis abolitis, hereditatis sue misericordius heredes efficeret. Sed antiqui hostis nectriquitia[19], dolens se vasa ire perdidisse, qui ovile dominicum, ut leo rugiens, millenis artibus molitur irrumpere, machinari cepit qualiter vasa disperderet misericordie. Novos quippe incolas dominici oblitos precepti de d e in diem plus et plus corrupit; qui, minores nichili reputans, ad clerum etiam transcendit, et suis eum prestigiis agitans, sibi mancipavit; quem enim decebat ut devotior Deo existeret et bonum de se exemplum minoribus preberet, proh dolor! voluptati carnis magis servivit[20], et honorem suum modis incredibilibus polluere non dubitavit. Et pius Dominus, qui sepulture sue locum oculo misericordie B benigne respicit, nostris temporibus illorum nequitias sua severitate correxit. Defuncto enim predecessore nostro, domno Gibilino, ego Arnulfus, omnium Ierosolimitanorum[21] humillimus, a rege, clero et populo in pastorem electus et patriarchaii honore sublimatus, anime mee periculum metuens eorumque animabus mederi cupiens, criminibus eorum diutius consentire nolui, quos correctione paterna, ut vitam suam corrigerent, multociens ammonui. Monebam enim ut communiter viventes vitam apostolicam sequerentur, et [pro][22] regula beati Augustini vita eorum canonice regeretur, ut Domino Ihesu Christo eorum devotius placeret servitium, et nos cum eis in eterna gloria reciperemus C premium. Cum autem quidam eorum, Deo inspirante, salutifera amplecterentur monita, quidam vero abdicarent instigatione diabolica, hos ut Christi famulos in Sancti Sepulcri ecclesia decenter ordinavi, illos autem ut inobedientes et regularibus preceptis obsistentes ab eadem ecclesia penitus eliminavi. Presentium igitur sancte conversationi consulens et futurorum bono proposito providens consilio regis incliti Balduini et assensu cleri et populi patriarchatus nostri, eis partem constitui, et ut sufficienter victum et vestitum habeant zelo Dei ordinavi. De cunctis namque oblationibus, que ad Sepulcrum Domini venient, in omnibus medietatem accipient; de cera vero ecclesia duas partes ad luminaria, terciam habebit patriarcha; de Cruce vero D Domini, quam canonici custodiunt, omni tempore oblationes habebunt, nisi in sola die sancti parasceve[23], aut si patriarcha eam secum detulerit pro aliqua necessitate. Dedi etiam decimas tocius sancte civitatis Ierusalem[24] et locorum sibi adiacentium, exceptis decimis funde, que sunt patriarche; dimidiam quoque partem illius beneficii, quod rex Sepulcro tradidit pro excambitu episcopatus Bethleemitici. Concessi etiam eis in Ioppen civitate ecclesiam Beati Petri cum suo honore et cum tota digni-

[13] A, f° 23, r°; B, f° 22, r°. [14] Ce sommaire manque dans B, et la rubrique y est ainsi conçue : *De transmutatione canonicorum secularium in regulares.* [15] B, *Iherosolimitanus.* [16] B, *eiusdem divinitatis.* [17] B, *Iherosolimorum.* [18] B, *pro nobis pugnaret.* [19] B, *nequitia.* [20] B, *inservivit.* [21] B, *Iherosolimitanorum.* [22] Suppléé d'après B. [23] B, *parascheve.* [24] B, *Iherusalem.*

tate, que pertinet matri ecclesie. Concessi etiam ecclesiam Beati Lazari cum omnibus appendiciis, que adiacent ei, et omnia quecumque antea possedit ecclesia. Et res suas, quascumque habent vel possident vel Deus daturus est eis, libere habebunt et prout voluerint ordinabunt. Si quis autem hoc privilegium nostrum violare presumpserit, illi pene subiaceat, quam Dominus omnibus maledictis promisit, nisi resipuerit; gratia autem et pax a Deo Patre et Domino Ihesu Christo sit ista custodienti et sancte ecclesie iura tuenti. Amen.

XXVI [25].

PRIVILEGIUM [26] WILLELMI PATRIARCHE DE CONFIRMATIONE OMNIUM POSSESSIONUM.

In nomine sancte et individue Trinitatis Patris et Filii et Spiritus sancti, amen.

Gullelmus, Dei gratia Ierusalem [27] patriarcha, karissimis in Christo filiis Petro, ecclesie Sepulcri Domini priori, ceterisque fratribus in eadem ecclesia vitam professis canonicam, tam presentibus quam futuris, salutem. Officii nostri nos compellit auctoritas commissarum nobis animarum vestrarum lucris et profectibus insudare, et ad communis vite vestre sustentacionem paterne vobis cura sollicitudinis providere. Si enim commissi nobis regiminis debito ecclesias intra patriarchatus nostri terminos constitutas et earum filios tueri debemus atque diligere, vos, qui ut speti[a]liores [28] filii nobis vicinius adheretis et quorum nobis omnimodis cura commissa est, equius iudicamus in tuitionis nostre gremio confovere, ut tanto liberius in ecclesia quam Redemptor noster passionis sue humilitate et resurrectionis gloria illustravit, exhibere possitis eidem Redemptori devotissimo [29] famulatus obsequium, quanto in administratione temporalium nostrum filialitati vestre videritis non deesse suffragium. Predecessoris itaque nostri pie memorie, domni Arnulfi patriarche, instituta, que et apostolice auctoritatis privilegio sunt et confirmatione sanctita [30], pia aviditate sequentes, quecumque in ecclesia Sepulcri Domini, cui auctore Deo nunc preesse dinoscimur [31], de regularium canonicorum suo tempore constitutorum aut constituendorum victu et vestitu zelo Dei et honestatis gratia ordinavit, et in perpetuum habenda privilegii sui inscriptione firmavit, nos quoque tibi, fili Petre, ac fratribus tuis, tam presentibus quam futuris, libere in perpetuum possidenda concedimus, et, ut sufficientius necessaria habeatis, eis ampliora adicimus. Dignum est enim ut, qui nostra volumus instituta servari, pios predecessorum nostrorum actus et dispositiones non solum non infringere, sed etiam, in quo possumus, studeamus omnimodis imitari. Omnium ergo oblationum, que ad Sepulcrum Domini pertinebunt aut deferentur, vobis medietatem concedimus, ita tamen ut de cera solum ad luminaria concinnanda duas ecclesia partes obtineat, tercia vero tam nostris quam successorum nostrorum usibus et utilitatibus cedat. Oblationes vero sancte Crucis, que vestre custodie deputatur, omni tempore recipiendas vobis et habendas sancimus [32], excepta videlicet feria sancti parascheve, aut cum me aut successores meos necessitas aliqua compulerit eam uspiam deportare. Decimas etiam tocius sancte civitatis Ierusalem [33] et locorum sibi adiacentium vobis non minus concedimus, exceptis decimis funde, que ad nostrum ius pertinere noscuntur. Dimidiam quoque partem omnium illorum que bone memorie rex Ierusalem [34], Balduinus Latinorum primus pro concambio Bethleemitici episcopatus ecclesie Dominici Sepulcri tradidit, simili modo vobis habenda sanctimus [35], et in civitate Ioppe ecclesiam Beati Petri cum dignitate sua et omni honoris plenitudine, qui ad eandem matrem ecclesiam noscitur pertinere. Ecclesiam preterea Beati Lazari cum omnibus [suis] [36] pertinentiis et quatuor casalibus, Benahatie, Benehabeth, Ragabam, Roma, que ab eodem rege Balduino Sepulchro Domini fuisse tradita ex eius privilegio comprobantur, pari vobis modo concedimus, et [37] villanos cum suis familiis, qui eiusdem regis dono vobis per eandem scripti sui paginam contraduntur. De proprio quoque nostro ecclesiam Quarentene [38] vobis deinceps possidendam adicimus; omnesque furnos Ierusalem [39], quos ex venerande memorie ducis Godofridi [40] dono habetis, vestro iuri deinceps mancipamus, exceptis tribus, quorum duo necessitati pauperum Hospitalis deserviunt et subiciuntur, tercius vero ecclesie Sancte Marie Latine usibus deputatur. Omnia etiam casalia, que idem venerabilis dux Godofridus [41] ecclesie Dominice Resurrextionis [42] concessit, vobis libere in perpetuum possidenda decernimus, sicut in prefati regis Balduini privilegio continentur. Huic nostre concessionis muneri quatuor casalia, Gath [43], Capharruth Crefesilta, Porphiria, cum suis appendiciis censemus adiungere, que ex dono et concessione fratris et coepiscopi nostri Rogerii, Ramathensis episcopi iuste in presentiarum disnoscimini [44] possidere. Et ut cuncta breviter concludamus, non solum ea que infra patriarchatus nostri metas vobis gratia divina concessit, verum etiam quecumque citra mare aut ultra mare possidetis, aut in futurum concessione pontificum, dono regum ac principum, sive oblationibus fidelium iuste poteritis adipisci, salva diocesanorum episcoporum reverentia, iuri vestro perpetualiter subdimus, ita ut in omnibus patriarchalis dignitatis, ius quoque ac reverentia conservetur. Ut autem hec omnia vobis integra illibataque serven-

[25] A, f° 25, r°; B, f° 25, r°. [26] B, *Item privilegium.* [27] B, *Iherusalem.* [28] B, *specialiores.* [29] Corrigez *devotissimi*; B, *devoti.* [30] B, *sanccita.* [31] Cette phrase est rédigée dans A d'une façon incompréhensible : *quecumque preesse disnocimur in ecclesia Sepulcri Domini cui auctore Deo nunc.* [32] B *sanccimus.* [33] B, *Iherusalem.* [34] B, *Iherusalem.* [35] B, *sanccimus.* [36] Suppléé d'après B. [37] Dans A il y a *ut.* [38] B, *Quarantene.* [39] B, *Iherusalem.* [40] B, *Godefridi.* [41] B, *Godefridus.* [42] B, *Resurrectionis.* [43] B, *Gith.* [44] B, *dinoscimini.*

tur, presentem paginam sigilli nostri appositione sanccimus [45] et eorum, qui subscripti sunt, attestationibus roboramus. Interfuerunt enim huic nostre concessioni :

Gaudentius [46], Cesariensis archiepiscopus.
Rogerius, Ramatensis episcopus.
Anselmus, Bethleem episcopus.
Robertus, Ierusalem [47] archidiaconus.
Gaufridus, abbas ecclesie Templi Domini.
Arnoldus [48], prior Montis Syon.
Henricus, prior Montis Oliveti.
Robertus, abbas ecclesie Sancte Marie Vallis Iosaphat.
Soibrandus, abbas Sancte Marie Latine, et alii non pauci.

Si quis igitur predictas possessiones minuere vel auferre, aut ablatas retinere temptaverit, et hanc nostre diffinitionis paginam sciens, contra eam insurgere vel infirmare presumpserit, post secundam et terciam commonitionem si non ad congruam satisfactionem venerit, excommunicationi subiaceat, atque, a sacra perceptione corporis et sanguinis Christi Domini alienus, districti examinis ultioni subiaceat; cunctis autem privilegii huius statuta servantibus pax Domini nostri Ihesu-Christi et beneficiorum nostrorum participatio in presenti seculo concedatur, ut per hec ad eterne beatitudinis gaudia provehi mereantur. Amen.

Facta est quoque pagine presentis [49] inscriptio anno dominice incarnationis MCXXXVII, indictione prima, epacta VII, regnante domno eodem [50] nostro Ihesu Christo, Fulcone autem rege Latinorum III regno Ierusalem [51] presidente, patriarchatus autem nostri anno VII.

XXVII [52].

ALIUD PRIVILEGIUM WILLELMI PATRIARCHE DE DONO QUARENTENE [53].

In nomine sancte et individue Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen.

Notum sit omnibus tam futuris quam presentibus quod domnus Willelmus [55], Dei gratia Ierusalem [56] patriarcha, Sancte Quarantene locum cum universis, que ad eum pertinent, canonicis Sanctissimi Sepulcri perpetuo possidendum donavit. Ipsi vero canonici pro dignitate et reverentia eiusdem loci, pro sua etiam salute, ipsius domni patriarche et domni Petri prioris consilio et assensu, unum de confratribus suis, videlicet Rainaldum, in eodem loco priorem fecerunt; et, ut prioratus in perpetuum ibidem foret, tali modo constituerunt ut ipse scilicet prior quasi unus ex ipsis canonicis existat, et Sancti Sepulcri priori et eiusdem canonicis semper obediat; successores autem eius de supradictis canonicis communi eorum consilio perpetuo constituantur. Liberam etiam potestatem locum multiplicandi et fratres aggregandi et recipiendi sibi et suis successoribus pariter concesserunt

Hec institutio facta est anno dominice incarnationis MCXXXIV, indictione XII. Cuius [57] institutionis auctores et testes sunt :

Domnus Willelmus [58], patriarcha, et domnus Petrus, prior. Petrus, subprior. Gillebertus. Anselmus, precentor. Petrus Bernardi. Goffridus, thesaurarius. Fulcherius. Magister Robertus. Willelmus [59]. Oshertus [60]. Haimericus [61]. Balduinus.

De diaconibus vero : Valterius [62]. Moyses. Rogerius. Petrus. Geraldus, qui cartam istam composuit.

De subdiaconibus : Geraldus. Petrus Clementis. Eurardus. Gervasius.

Ad hec corroboranda domnus Willelmus [63] patriarcha, sigillum suum et canonici suum apposuerunt [64].

XXVIII [65].

ALIUD [66] PRIVILEGIUM WILLELMI PATRIARCHE DE DECIMIS IERICO [67].

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen.

Bone rei dare consilium [68] presentis habetur vite subsidium et eterne remunerationis expectare cernitur premium. Cognoscat igitur universorum tam clericorum quam laicorum caritas quod ego Willelmus, Dei gratia patriarcha Ierosolimitanus [69], cum liceat episcopo cuilibet ecclesiam in parrochia sua paupertate destitutam rebus ecclesie, cui presidet, temperantie tamen equitate servata, ditare, pie postulatione voluntatis filiorum meorum et canonicorum, totius [70] videlicet Sanctissimi Sepulcri conventus rogatu et consilio, Quarantene, id est loco glorio[si]ssimo, in quo Redemptor noster, ieiunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus, postea esuriit, quoniam hunc locum sanctum iam eisdem filiis meis et canonicis in possessione dederam, atque liberam eis et absolutam in eo loco ponendi priorem quemlibet et deponendi canonice potestatem in perpetuum concesseram, cum facultas predicto conventui non suppetat, qua loci illius paupertatem relevare possit, eius quidem postulatione et conlaudatione, decimas Ierico [71] in perpetuum possidendas prefate Sanctissime Quarantene, ut in nostris coram Deo rationibus imputetur, dono et [72] concedo [et [73]], ut firmius et magis ratum sit, eiusdem loci altare consecrans, super ipsum altare consecratum ponens offero.

Hoc autem donum factum est et concessum Rainaldo, Quarantene priori, et successoribus eius per conventum Sancti Sepulcri canonice intronizatis, presentium nostrorum sigillorum confirmatione to-

[45] B, *sanctimus.* [46] B, *Gaudencius.* [47] B, *Iherusalem.* [48] B, *Arnaldus.* [49] B, *presentis pagine.* [50] B, *eodem domno.* [51] B, *Iherusalem.* [52] A, f° 26, v°; B, f° 24, r°. [53] Manque dans B. [54] B, *Quarantene.* [55] B, *Guillelmus.* [56] B, *Iherusalem.* [57] B, *Huius.* [58] B, *Guillelmus.* [59] B, *Guillelmus.* [60] B, *Osbertus.* [61] B, *Aimericus.* [62] B, *Galterius.* [63] B, *Guillelmus.* [64] B, *posuerunt.* [65] A, f° 27, v°; B, f° 24, v°. [66] Manque dans B. [67] B, *Iherico.* [68] B, *consultum.* [69] B. *Ihcrosolimitanus.* [70] B, *tocius.* [71] B, *Iherico.* [72] Manque dans B. [73] Suppléé d'après B.

tiusque [74] conventus Sanctissimi Sepulcri ceterorumque probabilium testium subscriptione, anno ab incarnatione Domini nostri Ihesu Christi MCXXXVI, epacta XV, indictione XIV. Huius rei testes sunt :

Rogerius, Lyddensis episcopus. Anselmus, Bethleem episcopus. Petrus, prior Sepulcri Domini. Achardus, prior Templi Domini. Arnardus [75], prior Montis Syon. Henricus, prior Montis Oliveti. Robertus, abbas Vallis Josaphat. Soibrandus, abbas Sancte Marie Latine.

De conventu Sancti Sepulcri. Domnus Richardus [76]. Petrus Barchinonensis. Robertus Arthasiensis. Gaufridus Constantinopolitanus. Anselmus, precentor. Radulfus Parisiensis. Petrus Bernardi. Garnerius. Gebertus [77]. Robertus. Willelmus. Wlgrinus. Lambertus. Item Lambertus. Godofridus. Moyses. Rogerius. Bartholomeus. Gervasius. Geraldus. Eurardus. Dionisius.

XXIX [78].

Confirmatio regis Balduini primi de omnibus, que dux Godefridus ecclesie [Sancti] Sepulcri contulit : videlicet casalium XXI, *quorum nomina hic subscripta sunt, et furnorum Ierusalem, et villanorum apud Sanctum Lazarum cum familiis suis, et* IV *casalium super Sanctum Lazarum, et mille modiorum tritici in territorio Neapolis, et dimidie partis cambitus episcopatus Bethleemitici* [79].

PRIVILEGIUM CASALIUM ET DECIMARUM CONCESSIONIS BALDUINI REGIS PRIORI[S] [80].

In nomine sancte et individue Trinitatis.

Decet omnes, quos ad regie potestatis celsitudinem divina gratia voluit sublimare, a sanctis iustisque peticionibus aurem clementie sue non avertere, sed votis piis Deoque placitis desideriis, ut bene amplificentur, diligenter adquiescere. Anno igitur ab incarnatione Domini MCXIV, anno quoque regni mei XIV, indictione VII, epacta XII, ego Balduinus, regnum Ierosolimitanum [81] dispositione Dei optinens, a patriarcha ipsius sancte civitatis Ierusalem [82], venerabili Arnulfo, et a toto conventu canonicorum ecclesie Sancti Sepulcri rogatus, volo et concedo per huius scriptionis decretum ut, quidquid [83] ducem Godefridum, predecessorem meum et fratrem, eidem ecclesie dedisse cognovi, inviolata permaneant [84] : scilicet casella [85] viginti et unum sic nominata, Ainquine, Armotie, Kefreachab, Kefredil Bubil, Hubin, Aram, Kalendie, Betligge [86], Byrra [87], Subahiet, Ataraberet, Urniet, Zenu, Helmule, Beitelamus, Aineseins, Barimeta, Beitiumen, Beitfuteir [88], Betsuri [89]; et omnes furnos Ierusalem [90], exceptis duobus Hospitalis et uno de Latina; et apud Sanctum Lazarum villanos cum familiis, quos Sancto Sepulcro tradidi ; et quatuor casalia supra Sanctum Lazarum, quorum nomina sunt hec, Benehatie, Benehabeth, Ragabam, Roma; et in territorio Neapolis mille modios tritici unoquoque anno ; et dimidiam partem illius possessionis quam dedi Sancto Sepulcro pro excambitu episcopatus Bethle[e]mitici. Et ut mea regia preceptio nostris futurisque temporibus firmitatem obtineat, huius privilegii firmamentum auctoritate mea roboro, manu mea subterconfirmo, sigillo meo sigillo, ut sancte congregationi ipsius ecclesie firmiter et inviolabiliter liceat hec omnia possidere iure perhenni. Si quis autem ex successoribus meis, sive in clericali sive in laicali vivens ordinavi [91], contra hanc meam regiam institutionem atque decretum, quod absit ! ire presumpserit et infringere conatus fuerit, et de constituta canonicorum prebenda aliquid diminuerit, eam, que sacrilegis debetur, penam in eternum sentiat ; gratia autem et pax a Deo Patre et Domino nostro Ihesu Christo omnibus sancte ecclesie iura tuentibus, canonicis quoque eidem ecclesie servientibus. Amen.

XXX [92].

PRIVILEGIUM [93] BALDUINI REGIS SECUNDI DE CASALI QUOD EST APUD TYRUM.

In nomine sancte et individue Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Ego Balduinus, per Dei gratiam rex Ierusalem [94] Latinorum secundus, pro anime antecessoris mei digne memorie, regis Balduini, salute necnon remissione peccatorum meorum in terminis Tyri dono et concedo ecclesie Sanctissimi Sepulcri Domini et canonicis inibi regulari vita Deo servientibus, presentibus et futuris, casale quoddam nomine Derina supra magnum fontem, de quo procedit conductus aquarum, cum omni suo territorio et pertinentia, excepto alio casali, si quandoque ei subiacuit, quatinus predicta ecclesia sine omni calumnia [95] mea meorumque heredum vel successorum habeat et possideat illud iure perpetue hereditatis; preterea simili modo hortum [96], qui [est [97]] inter murum et antemurale eiusdem civitatis, ex parte maris; in contermi-nis vero ipsius casalis supradicti, circa montana, tantum terre, quantum quatuor paria boum poterunt excolere de anno ad annum. Pro huius itaque mei doni securitate et confirmatione hoc privilegium fieri et meo plumbeo sigillo corroborari precepi his coram testibus, quorum nomina subscripta leguntur :

S. Gedduini [98], Sancte Marie Vallis Iosaphat abbatis. S. Pagani, regis cancellarii. S. Gualterii Brisebarre. S. Pagani de Mineriis.

[74] B, *tociusque*. [75] B, *Arnaldus*. [76] B, *Ricardus*. [77] B, *Gerbertus*. [78] A, f° 28, r°, et f° 158, r° ; B, f° 35, r° [79] Ce résumé du diplôme manque dans B. [80] B, *Privilegium Balduini regis primi de concessione doni ducis Godefridi*. [81] B, *Iherosolimitanum*. [82] B, *Iherusalem*. [83] B, *quicquid*. [84] Corrigez *inviolatum permaneat*. [85] B, *casalia*. [86] B, *Beitligge*. [87] B, *Birra*. [88] B, *Beitfuteier*. [89] B, *Bethsuri*. [90] B, *Iherusalem*. [91] B, *ordine*. [92] A, f° 29, r° ; B, f° 37, r°. [93] B, *Aliud privilegium*. [94] B, *Iherusalem*. [95] B, *calumpnia*. [96] B, *ortum*. [97] Suppléé d'après B. [98] B, *Gelduini*.

[S.] Willelmi de Sancto Bertino. S. Sadonis, marescalli.

Data est in palatio regis apud [99] Tyrum, anno dominice incarnationis MCXXV, indictione III.

XXXI [100].

PRIVILEGIUM FULCONIS REGIS TERCII DE DUABUS CARRUCATIS TERRE QUE SUNT IN TERRITORIO ACCONENSI [101].

In nomine sancte et individue Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen [102].

Ego Fulco, per Dei gratiam tercius rex Ierosolimorum [103], cum consensu regine Milesensis [104] et Balduini filii mei, concessi et hoc privilegio confirmavi ecclesie Sancti Sepulcri et Petro priori et fratribus ibidem Deo famulantibus duas carrucatas agri integras et perfectas apud Mimas casale, quas eidem ecclesie et eisdem fratribus Lambertus Alsus Neapolim in presentia domini Guillelmi patriarche et mea et regine Milesendis dederat, et hoc donum in manu prefati prioris posuerat in helemosina [105] pro anima uxoris sue Agnetis et sua et parentum suorum.

Facta est autem hec concessio apud Accon [106], II nonas decembris, anno ab incarnatione Domini MCXXXVIII, videntibus et audientibus istis :

Prefato Guillelmo, Ierosolimitano [107] patriarcha. Iohanne, ipsius Acon [108] episcopo. Roberto, archidiacono. Balduino, cancellario. Petro, regine capellano. Hodierna, Tripolis comitissa. Haluisa [109]. Anselmo [110] de Bria. Sada [111], marascallo [112]. Iohanne, camerario. Gervasio Burguin. Gunfrido de Freisnel. Adelardo de Retest. Goscelino, camerario, Simone [113] de Capella.

Ego autem Helias, cancellarius regis, hoc privilegium dictavi.

XXXII [114].

ALIUD PRIVILEGIUM FULCONIS REGIS TERCII [115] DE DOMIBUS IERUSALEM [116].

In nomine sancte et individue Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen.

Ad removendam in perpetuum omnem calumniam [117] vel contradictionem seu quamlibet inquietationem omnium perversorum, ego Fulco, per Dei gratiam rex Latinorum tercius Ierusalem [118], una cum assensu Milissendis regine uxoris mee et Balduini filii mei, notum et ratum fieri decrevi tam presentibus quam futuris quod pro animabus predecessorum nostrorum regum necnon et propriis [119] nostris et parentum nostrorum sive etiam omnium fidelium defunctorum et maxime illorum, qui sanguinem suum vel sudorem suum pro adquisitione Sancte Terre dederunt, bona voluntate et gratuita et solo intuitu pietatis concedo ecclesie Sancti Sepulcri et Petro priori et universo conventui fratrum sub regulari devotione canonice vite ibidem Deo famulantium, tam presentium quam futurorum, domos istas subscriptas, que sunt intra muros Ierusalem [120], scilicet domum Petri Bernardi canonici, domum Eurardi canonici, item domum alterius Eurardi canonici, domum Meinardi [121], domum Garsionis, domum Galterii Lentornior [122], domum Bernardi Bursarii, domum Herluini, domum Mabilie, domum Rogerii, fratris eorumdem canonicorum, et stationem Guillelmi [123] Bastardi, eamque partem, quam idem Guillelmus in mensis nummulariorum [124] habebat. Has itaque domos liberas et quietas ego rex Fulco concedo et confirmo habendas et pos[ses]siones [125] possidendas iure perpetuo predicte ecclesie et eiusdem canonicis et ab omni consuetudine solutas, salva iusticia regali, quam rex debet habere in helemosina [126], quam ipse dat sancte ecclesie. Et ut hec concessio firma et inconvulsa in perpetuum consistat, cartulam istam placuit regio sigillo meo munire et supscriptorum [127] testium veridico testimonio corroborare, quorum nomina hec sunt :

Guillelmus, Ierusalem [128] patriarcha. Robertus, Nazareth electus. Gaufridus, abbas Templi, Guillelmus de Buris. Rainerus Bruns. Barisanus. Balduinus Ramensis. Roardus, Ierusalem [129] vicecomes, Anselmus de Bria. Gervasius Burgundiensis. Ulricus, Neapolis vicecomes. Bernardus Vacers. Iohannes, camerarius. Meinardus [130] de Portu. Nichola.

Facta est autem hec concessio Neapoli, anno ab incarnatione Domini MCXXXVIII et anno liberationis sancte civitatis Ierusalem [131] XXXIX, indictione prima.

Et hoc privilegium datum est per manum Helie, regi[s] cancellarii.

XXXIII [132].

ITEM ALIUD PRIVILEGIUM FULCONIS REGIS TERCII DE CAMBITIONE [133] THECUHE [134].

In nomine sancte et individue Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen.

Regie unctionis professio regieque maiestatis equitas exigit et honestas ut is, qui in trono regio meretur divinitus sublimari, ecclesiarum studeat deiectionem exigere [135] et sacre religionis cultum, in quibus digne poterit, ampliare. Huius religionis amplificande intuitu, ego Fulcho [136], Dei gratia rex Ierusalem [137] Latinorum tercius, adspirante [138] ad hoc Milesendi regina uxore mea, pro remedio anime sui patris [139] Balduini regis, predecessoris mei, pieque memorie Balduini, primi in Ierusalem [140]

[99] B, *aput*. [100] A, f° 29, v°; B, f° 39, v°. [101] B, *Achonensi*. [102] Manque dans B. [103] B, *Iherosolimorum*. [104] B, *Milissendis*. [105] B, *elemosina*. [106] B, *Achon*. [107] B, *Iherosolimitano*. [108] *Achon*. [109] B, *Alois*. [110] B, *Anselmus*. [111] B, *Sado*. [112] B, *marescalcus*. [113] B, *Symone*. [114] A, f° 30, r°; B, f° 40, r°. [115] Manque dans B. [116] B, *Iherusalem*. [117] B, *calumpniam*. [118] B, *Iherusalem*. [119] B, *pro*. [120] B, *Iherusalem*. [121] B, *Mainardi*. [122] B, *Lo Tornaor*. [123] B, *Willelmi*. [124] B, *numulariorum*. [125] Manque dans B. [126] B, *elemosina*. [127] Corrigez *subscriptorum*. [128] *Iherusalem*. [129] B, *Iherusalem*. [130] B, *Mainardus* [131] B, *Iherusalem*. [132] A, f° 31, r°; B, f° 41, r°. [133] B, *concambio*. [134] B, *Thecue*. [135] B, *erigere*. [136] B, *Fulco*. [137] B, *Iherusalem*. [138] B, *aspirante*. [139] B, *patris sui*. [140] B, *Iherusalem*.

Latinorum regis, et fratris ipsius ducis Godofridi [141] nostrarumque salute animarum et heredem seu antecessorum et parentum nostrorum, a domno sedis Ierosolimitane [142] patriarcha Willelmo atque a Petro, Sepulchri Domini priore, ac tocius eiusdem capituli fratribus, Roberto scilicet archidiacono, Anselmo precentore, Godefrido thesaurario [143], Wigrino preposito, Petro Bernardi, Girberto, Goisberto, Oberto, Roberto, Petro helemosinario [144], Petro camerario, Lamberto, Aymerico [145], Petro, Giraldo, Anscherico, Everardo [146], Burchardo, Willelmo Podiensi, Willelmo Beritensi cum reliquo conventu, ecclesiam Beati Lazari in Bethania sitam tam ego quam prefata uxor mea [147], Milesendis regina, multis precibus impetratam obtinuimus, ut, sicut dictum est, per nos ecclesia illa religio[so] [148] conventui monachorum seu sanctimonialium devotius quam antea deserviret, ac perpetuo in fidelitate et obedientia ecclesie Dominice Resurreccionis [149] et Ierosolimitani [150] patriarche ea libertate et obediencia [151], qua liberior eiusdem ordinis ecclesia in Ierosolimitana [152] diocesi fungitur, firmiter permaneret. Et [ut] [153] in eadem Sancti Lazari ecclesia quicumque regulariter introducendi sunt sacre religionis cultores corporali sustentatione non careant, laudamento et dono domni Willelmi patriarche, Petrus prior et predicti Sepulcri Domini canonici ac fratres illi ob vite necessaria tam edificia quam beneficia, domus scilicet ad eandem ecclesiam pertinentes, tam extra quam infra Ierusalem [154] sitas, villanosque ac Beduinos seu eiusdem pertinentie casalia Benehatie, Benehabeth, Ragabam, Romha [155] omnia hec cum adiacentiis suis [156] soluta et quieta, sicut antea ab ipsis libere sunt possessa, concedunt, et ab omni decime redditione libera dimitentes [157], a tocius calumniatoris [158] iniuria se defensuros fore canonica pollicitatione promittunt [159]. Pro quorum omnium commutatione pari voto communique consensu ego Fulco, rex Ierusalem [160], et ego Milesendis regina, annuente filio nostro Balduino, assentiente etiam supranominato domno patriarcha Willelmo, assentientibus quoque et laudantibus ecclesiasticis, qui [161] interfuerunt [162], personis, laudamento etiam et confirmatione baronum, gloriose Dominice Passionis ac Resurrectionis ecclesie et canonicis in ea canonicam vitam professis seu professuris, tam presentibus quam futuris, casale quoddam, nomine Thecue, cum omnibus pertinentiis suis, tam in terris quam in villanis et Beduinis eorumque heredibus, omnibus scilicet qui ab obsiditione [163] Antiochie usque hodie dominis eiusdem casalis pro A ipsius pertinenciis et adiacentibus pascuis redditus aliquos exsolvisse dinoscuntur aut dinoscentur, solutum et quietum iure perpetuo ea libertate, qua tenuisse dinoscimur, damus ac debite vicis reciprocatione a totius [164] calumnie [165] impedimento nos defensuros ex nunc et deinceps pollicemur. Ad huius preterea commutationis nostre liberum munus regia liberalitate adicimus ut Thecuani habitatores, prout in nostris consuevere temporibus, a Mortuo mari bitumen illud, quod vulgo dicitur *cathrans*, libere colligant, et non minus sal de locis circumadiacentibus tollant. Ut autem huius sancte commutationis et constitutionis donum et pactum ratum et inconvulsum permaneat, presentem paginam de predictarum rerum veritate ac communi ordinatione conscriptam, patriarchalis ac regii sigilli nostri appositione munitam, ratam in perpetuum manere decernimus, et legitimorum virorum, quorum hic subscribuntur nomina, veridico testimonio roboratam, ut in perpetuum inviolata permaneat, conservandam secuture posteritati relinquimus. Interfuerunt siquidem his omnibus assensum dantes et testimonium prolaturi :

B

Gaudentius [166], Cesariensis archiepiscopus. Rogerius, Ramensis episcopus. Anselmus, sancte Bethleem episcopus. Reinerius [167], Sebastenus episcopus. Bernardus, Sydoniensis episcopus. Robertus, Nazareth electus. Gaufridus, abbas Templi Domini. Arnaudus [168], prior Montis Syon. Willelmus, abbas Montis Thabor. Helyas [169], abbas Palmarie. Herbertus, archidiaconus Tiberyadis [170]. Giraldus, prior Vallis Iosaphat. Philippus, Cesaree decanus. Bernardus [et] Arnulphus [171], Bethleem canonici. Petrus, capellanus. Bartholomeus, presbiter. Amelius et Henricus, patriarche diaconi. Balduinus, patriarche cancellarius. Radulfus, Montis Syon canonicus. Petrus, Sebaste canonicus [172]. Balduinus, Sancti Georgii canonicus. Adam, Accon canonicus. Saginus [173], Tyriensis [174] canonicus. Willelmus de Buris, Tyberiadis dominus. Galterius, Cesaree dominus, Guido, Beriti dominus. Balduinus, Ramensis dominus. Rohardus, Ierusalem [175] vicecomes. Reinerius [176] Brusch. Barisanus. Vivianus, Cayphas dominus, Rainerus [177] Parvus. Anselmus de Bria. Robertus de Franc Loet [178]. Philippus, filius Guidonis de Milli. Ulricus, Neapolis vicecomes. Petrus de Podio Laurentii. Rollandus Gunterius. Olivarus, frater

C

D

[141] B, *Godefridi*. [142] B, *Iherosolimitane*. [143] B, *thesaurario*. [144] B, *elemosinario*. [145] B, *Aimerico*. [146] B, *Eurardo*. [147] Manque dans B. [148] Restitué d'après B. [149] B, *Resurrectionis*. [150] B, *Iherosolimitani*. [151] B, *obedientia*. [152] B, *Iherosolimitana*. [153] Suppléé d'après B. [154] B, *Iherusalem*. [155] B, *Roma*. [156] B, *suis adiacentiis*. [157] B, *dimittentes*. [158] B, *calumpniatoris*. [159] B, *promittunt*. [160] B, *Iherusalem*. [161] B, *que*. [162] B. *interfuere*. [163] B, *obsidione*. [164] B, *tocius*. [165] B, *calumpnie*. [166] B, *Gaudencius*. [167] B, *Rainerius* [168] B, *Arnaldus*. [169] B, *Helias*. [170] B. *Tyberiadis*. [171] B, *Arnulfus*. [172] Les signatures de ce témoin et des deux suivants manquent dans B. [173] B, *Siginus*. [174] B, *Tyrensis*. [175] B, *Iherusalem*. [176] B, *Rainerius*. [177] B, *Rainerius*. [178] B, *Loeth*.

cius. Iohannes Dunda. Godefridus de Bursi. Galterius Maldunz [179]. Arnulfus de Hames. Barnardus [180] Vacers. Thebaldus [181] Nazarenus. Willelmus, nepos patriarche. Tebaldus [182] de Herlebecke. Sado, marescalus [183] Giraldus Passerels. Eustachius de Roitest.

De Ierusalem [184] : Alardus, miles. Hildredus. Sigerius. Humbertus cum barba. Milo, camerarius. Bakelarius [185].

De Accon [186] : Meinardus [187] de Portu. Nicolaus [188] Dorez. Albricus. Aurentius. Rotlandus [189] Lucensis.

De peregrinis autem : Ivo de Nigella. Arnulfus, Teruanensis advocatus. Ingelramus de Bova. Richardus de Herecurch. Anskerius [190] de Encre, et alii quamplures.

Si quis igitur, tam firmam huius rei inscriptionem sciens, contra eam ausu teme[ra]rio venire aut in aliquo infirmare presumpserit, sicut nostre institutionis et communis decreti transgressor nostre maledictionis et anima[d]versionis sententia feriatur, et eterno anathemate percussus, si non resipuerit, ex prescriptarum iudicio personarum inextinguibilibus gehenne ignibus tradatur, sine retractatione perpetuo puniendus. Amen.

Data Ierosolimis, nonis februarii, per manum Helis, regis cancellarii. anno dominice incarnationis MCXXXVIII, indictione prima [191]

XXXIV [192].

PRIVILEGIUM BALDUINI, REGIS LATINORUM QUARTI, AD CANONICOS DE CONCESSIONE CASALIS QUOD VOCATUR THECUE.

In nomine sancte et individue Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen.

Que pro bono pacis facta vel pia fuerunt [193] intentione statuta, a cunctis, maxime autem a regia magnificentia, cum omni sunt sollicitudine observanda, ne aut mutatione temporum a sequentis posteritatis memoria deleantur, aut perversorum hominum sinistra perturbatione aliquibus dissensionum scrupulis postmodum pervertantur. Proinde ego Balduinus, Dei gratia sancte Ierusalem [194] rex Latinorum quartus, nostre et ecclesiarum paci in posterum providens, illam, quam pater meus Fulcho [195] pie memorie, illustris rex Ierusalem [196] Latinorum tercius, et mater mea Milesendis [197] regina pro sua predecessorumque suorum salute cum canonicis Dominici Sepulcri [198] de temporalibus beneficiis ad ecclesiam Sancti Lazari, que in Bethania sita est, pertinentibus fecere, commutationem collaudo, et per presentem paginam confirmans, in perpetuum illibatam custodiri decerno. Quam videlicet ecclesiam beate memorie Celestinus papa, petente et assentiente Guillelmo [199], Ierosolimitano [200] patriarcha, et concedentibus universis ecclesie Dominici Sepulcri canonicis, in abbatie titulum sublimavit, et non minus predictam commutationem ratam et inviolatam manere constituit, videlicet quod canonici Dominici Sepulchri casale quoddam, Thecue nomine, cum omnibus pertinentiis suis, tam in terris quam in villis [201], et Beduinis eorumque heredibus, omnibus scilicet qui ab obsidione Antiochie usque hodie dominis eiusdem casalis pro ipsius pertinentiis et adiacentibus pascuis redditus aliquos exsolvisse dinoscuntur aut dinoscentur, solutum et quietum iure perpetuo ea libertate, qua pater meus habuisse dinoscitur, ex dono meo et concessione mea possideant. Et illud eis a tocius calumnie [202] impedimento me defensurum ex nunc et deinceps polliceor, concedens ut [T] hecuani habitatores a Mortuo mari bitumen illud, quod vulgo dicitur *catran*, libere colligant, et non minus sal de locis circumadiacentibus tollant. Ob quorum omnium commutationem, laudamento et dono domni Guillelmi [203], Ierusalem [204] patriarche, Petrus prior et predicti Sepulcri Domini canonici ac fratres Maitldi abbatisse et sanctimonialibus in prefata ecclesia regulariter statutis sive substituendis ad vite temporalis sustentationem tam edificia quam beneficia et domos ad eandem ecclesiam pertinentes, tam extra quam infra Ierusalem [205] sitas, villanosque ac Beduinos seu eiusdem pertinentie casalia, Benehatie, Benehabeth, Ragabam, Romah, omnia hec cum suis adiacentiis soluta et quieta, sicut antea ab ipsis libere sunt possessa, concedunt, et ab omni decime redditione libera dimittentes, a tocius calumniatoris [206] iniuria se defensuros fore canonica pollicitatione promittunt. Ut autem huius sancte commutationis et constitutionis mea concessio rata et inconvulsa permaneat, presentem paginam de predictarum rerum ordinatione conscriptam, sigilli mei appositione munitam, ratam in perpetuum manere decerno, et legitimorum virorum, quorum hic subscribuntur nomina, veridico testimonio roboratam conservandam secuture posteritati relinquo. Huius rei ergo testes sunt [207]

Guillelmus, Ierusalem [208] patriarcha, et qui sequuntur [209] : Balduinus, archiepiscopus Cesariensis. Robertus, archiepiscopus Nazarenus [210]. Helias, episcopus Tyberiadensis. Rogerius, Ramathensis episcopus. Reinerius [211], Sebastensis episcopus.

Gaufridus, abbas Templi Domini. Sehebrandus, abbas Sancte Marie Latine. Petrus, Do-

[179] B, *Malduiz.* [180] B, *Bernaraus.* [181] B, *Tibaldus.* [182] B, *Tibaldus.* [183] B, *marescaicus.* [184] B, *Iherusalem.* [185] B, *Bachelarius.* [186] B, *Achon.* [187] B, *Mainardus.* [188] B, *Nicholaus.* [189] B, *Rollandus.* [190] B, *Anscherius.* [191] Cette dernière phrase manque dans B. [192] A, f° 33, r°; B, f° 46, v°. [193] B, *fuerint.* [194] B, *Iherusalem.* [195] B, *Fulco.* [196] B, *Iherusalem.* [197] B, *Milissendis.* [198] B, *Sepulcri Domini.* [199] B, *Willelmo.* [200] B, *Iherosolimitano.* [201] La leçon de B, qui donne *villanis*, me paraît meilleure. [202] B, *calumpnie.* [203] B, *Willelmi.* [204] B, *Iherusalem.* [205] B, *Iherusalem.* [206] B, *calumpniatoris.* [207] B, *Huius ergo rei sunt testes.* [208] B, *Iherusalem.* [209] B, *secuntur.* [210] B, *Nazareth.* [211] B, *Rainerius.*

minici Sepulcri prior. Henricus, Montis Oliveti prior. Raimundus, Hospitalis magister. Petrus Guillelmi. Stephanus de Capella. Guillelmus Fauco. Gaufridus et Fulcherius, ambo [212] fratres Templi Salomonici. Godefridus, thesaurarius ecclesie Sepulcri Do..ini. Guillelmus, prepositus. Petrus Ber..ardi. Petrus Barchinonensis. Nicholaus. Lambertus Grossus. Bertrandus de Podio. Magister Beda. Obertus, Gamaliel. Giraldus Bastardus. Moises [213]. Bonefatius [214]. Eurardus. Robertus Acconensis [215]. Guillelmus Berithensis. Guillelmus Anglicus.

De baronibus : Balianus. Reinerius Ramathensis. Ioscelinus de Cortenai. Galterius Berithensis. Roardus [216], vicecomes. Sado, marescalcus. Bernardus Vacherius. Gaufridus Acus. Tosetus. Imbertus de Bar.

Facta est hec carta anno ab incarnatione Domini MCXLIV, indictione VII.

XXXV.

PRIVILEGIUM ALEXANDRI PAPE DE CONFIRMATIONE POSSESSIONUM ET UBERTATE ECCLESIE SANCTI SEPULCRI.

(Vide in Alexandro III, ad. an. 1181.

XXXVI [217].

DE COMPOSITIONE PREBENDARUM ECCLESIE IERUSALEM [218].

In nomine sancte et individue Trinitatis.

Anno ab incarnatione Ihesu Christi, filii Dei sum [m]i, MCIII, indictione XI, in Iherusalem domno Dei gratia Ebremaro patriarchalem obtinente [219] sedem, Balduino vero rege inclito et Christianissimo regnum Babilonie atque Asie disponente, placuit patriarche predicto canonicorum Sancti Sepulchri prebendas sic ordinare et secundum ritum anteriorem reformare, ut singulis annis unicuique CL bisancios [220] eterno iure preberet, donec [de] [221] poss-[ess]ionibus ecclesie quandoque prebendas easdem eis perficeret secundum gratuitam voluntatem eorum. Placuit insuper paternitatis sue benignitati in ipsa Sancti Sepulcri ecclesia duo altaria eisdem fratribus eternaliter dare, illud videlicet, cui deserviunt in choro ipsi canonici, principale, cathedra patriarchali addita, que est pone idem altare; alterum vero, quod [est] [222] ad caput [223] Sepulchri, parrochiale, exceptis ornamentis ecclesiasticis, si superposita fuerint altaribus ipsis, que ecclesie remanebunt. Nec non ea cuncta, que ad manum sive ad pedem eius, ubicumque missam celebraverit, offerentur, aut sive [ipse] [224] patriarcha sive episcopus quilibet ad principale altare cantaverit, ipsam oblationem canonicis prebuit; si vero in principalibus patriarcha missam cantaverit ecclesiis extra ecclesiam Sancti Sepulcri, oblacio illa non erit eorum. Dedit autem adhuc eis ecclesia[m].Sancti Petri majorem, que est apud [225] Ioppem, cum cimiterio [226] ecclesie pertinenti, ei cum omnibus consuetudinibus, que ecclesie metropolitane congruunt. Concessit eis insuper dignitatem hanc, que satis ecclesie Sancti Sepulcri prerogativa competit, quod si in ecclesiis Ihcrosolimitani regni persona erit mutanda, consilio eorum et electione perficietur, ubi necessitas postulabit. Hec predicta sic co[n]stituit, et istud inde privilegium sigillo regio signans, predicto rege laudante et concedente, confirmavit, salva dignitate sua pontificali et reverentia. Gratia et pax a Deo Patre et Domino nostro Ihesu Christo omnibus hec huius sancte ecclesie iura tenentibus [227] canonicis eidem servitoribus, amen! Si quis autem, sive in ecclesiastico sive in seculari ordine positus, contra hec pii patris statuta aliquid agere presumpserit, vel de constituta eorum prebenda aliquid diminuerit, in die iudicii tremendo eam, que sacrilegiis [228] debetur, penam merito metuat. Placuit autem patriarche benignitati in eadem ecclesia, ut decet, perficere personas, videlicet cantorem et primicherium, hoc est magistrum scolasticum, atque thesaurarium, sacristitem quoque; prebens cantori ultra prebendam solitam tandumdem, hoc est CL bizancios, scolastico similiter, thesaurario quoque, sacristiti autem C tantummodo. Placuit quoque regi Balduino dare succentori CL bizancios eternaliter de propriis redditibus suis. Patriarcha autem statuit se daturum subdecano CL bizancios, post obitum tamen domni Arnulphi [229] archidiaconi; ipse vero Arnulfus eidem subdecano C bizancios, quamdiu vixerit, prebebit.

XXXVII.

PRIVILEGIUM CALIXTI PAPE.

(vide in Calixto II ad an. 1124.)

XXXVIII.

EJUSDEM. DE ECCLESIA SANCTI SALVATORIS DE RUBO.

(Vide ibid.)

XXXIX.

PRIVILEGIUM INNOCENTII II DE CONFIRMATIONE ECCLESIE BARULI ET BRUNDISII ET QUARUMDAM ALIARUM.

(Vide in Innocentio II ad an. 1143.)

XL.

PRIVILEGIUM CELESTINI PAPE DE DONO ECCLESIE, QUE EST IN URBE ROMA.

(Vide in Cœlestino II ad an. 1144.)

XLI [230].

DE DECIMIS CASALIS SANCTI EGIDII.

Willelmus, Dei gratia sancte Iherusalem patriarcha dilectis in Domino filiis Pontio [231], ecclesie

[212] Manque dans B. [213] B, *Moyses.* [214] B, *Bonefacius.* [215] B, *Achonensis.* [216] B, *Rochardus.* [217] A, f° 35, r°; B, f° 21, r°. [218] Dans B, la rubrique est ainsi conçue : *De prebendis quas domus Ebremarus patriarcha constituit canonicis secularibus.* [219] B, *optinente.* [220] B, *bisantios.* [221] Suppléé d'après B. [222] Suppléé d'après B. [223] B, *capud.* [224] Suppléé d'après B. [225] B, *aput.* [226] B, *cimetterio.* [227] B, *tuentibus.* [228] B, *sacrilegis.* [229] B, *Arnulfi.* [230] A, f° 38 r° : B f° 27, v°. [231] B, *Poncio.*

Sancti Salvatoris, que est in monte Thabor, abbati, A et monachis in ea communem vitam professis ac professuris in perpetuum. Tradite nobis officium exigit dignitatis ut ecclesiis nobis commissis paterna sollicitudine provideamus, et, si quid controversie in eis ortum fuerit, removere ac unitatem spiritus [inter] easdem modis omnibus reformare studeamus. His itaque invigilantes atentius [232], controversiam de decimis casalis Sancti Egidii, inter ecclesiam Sepulcri Domini et vestram diu habitam, communi fratrum et cepiscoporum nostrorum consilio ac dilecti filii nostri Petri, Dominici Sepulcri prioris, tociusque capituli nostri assensu sedavimus. Nam ut inter easdem ecclesias pax eterna conservetur [233], ecclesiam prefati casalis Sancti Egidii cum oblationibus suis et suarum duorumque casalium, Turbasaim videlicet et Dere, decimarum medietate vobis libere et absolute concedimus, ac ut trium vinearum vestrarum, quas nunc habetis, decima similiter, omni inquietatione sopita, iuri vestro remaneat adicimus; aliam vero decimarum partem ecclesie Dominici Sepulcri canonicis reservamus. Ex his quidem que ex nostra concessione possidetis, ecclesiam et clericos in ea Domino famulantes procurare debetis. Si que etiam, unde decima reddi debuerit, postmodum acquirere poteritis, decime medietatem ecclesie Sancti [234] Sepulcri Domini persolvetis. Sed et ne hec a memoria future deleantur posteritatis, cereum unius rotule in festivitate Ihe- C rusalem annuatim prefati Dominici Sepulcri ecclesie horum dabitis in recognitione. Ut hec vobis, filii in Christo karissimi, firma et illibata in perpetuum conserventur, per presentem paginam, sigilli nostri appositione munitam, confirmare decernimus. Hii quoque, quorum subscribuntur nomina, huic nostre concessioni interfuerunt, et suum cum consilio laudamentum unanimiter attribuerunt, scilicet :

Balduinus, Cesariensis archiepiscopus. Robertus, Nazareth archiepiscopus. Rogerius, Ramethensis episcopus. Anselmus, Bethleem episcopus. Rainerius, Sebastensis episcopus. Helyas [235], Tiberiadensis [236] episcopus. Gaufridus, abbas Templi Domini. Henricus, prior Montis Oliveti. Letardus, prior Nazareth. Willelmus, Dominici Sepulcri prepositus.

Sed et ceteri canonici nostri, qui subscribuntur, huic rei assensum prebuerunt :

Godefridus, thesaurarius. Bertrandus de Podio. Nicholaus. Gamaliel. Robertus, cellararius, et omnes alii.

Facta autem est [237] presens inscriptio anno incarnationis dominice MCXLV, indictione VIII.

Data Iherosolimis, per manum Ernesii cancellarii, XIX kalendas septembris.

XLII [238].

CONSTITUTIO UT CANONICI INSIMUL COMEDERENT.

Gibelinus [239], Iherosolimitanus [240] ecclesie servus, domino et fratri karissimo Balduino, Iherusalem regi glorioso, in Domino Ihesu salutem tociusque fraternitatis dilectionem. Providente Dei clementia vestreque nobilitatis postulante benevolentia [241], quam mihi indesinenter ostendistis, in his extraneis regionibus remansi. Instante vero articulo mortis, vobis loqui, sicut summo amico meo, et filio meo Arnulfo archidiacono plurimum desideravi; quod quia facere non potui, pro tanta libe r[ali]tate [242] vestra mihi impensa gratias vobis multimodas refero, corpusque et animam vestram in manus summi Conditoris commendo; et quoniam B Dei misericordia ecclesie sue sui sanguinis effusione resperse et suo glorioso Sepulcro insignite defensorem et protectorem vos ordinavit, summopere precor benignitatem vestram ut ipsam protegatis et viriliter defendatis. Canonicis autem eiusdem Dominici Sepulcri, filiis nostris et confratribus vestris, in ultimis positus, omnem voluntatem meam sic plenissime aperui, ut eis per obedientiam [firmiter preciperem [243] quatinus insimul comederent secundum bonarum ecclesiarum, spetialius [244] Lugdunensis vel Remensis, consuetudinem; et hoc pro testamento contestans ei[s] mandavi, pro quo vos humiliter postulo ut hoc ipsum confirmetis, et, ut plenius perficiatur, sicut bonus cooperator eos adiuvare studeatis. Proinde de his omnibus et de aliis que pro remedio anime mee sub testamento fieri ordinavi et confirmavi, rogo et precipio vobis ut vos sic confirmetis et adiutor existatis.

XLIII [245].

PRIVILEGIUM DE QUODAM CASALI, QUOD DICITUR CAFERMELECH, SITO IN TERRITORIO NEAPOLIS [246].

In nomine sancte et individue Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen.

Ego Balduinus, Dei gratia rex Iherusalem Latinorum secundus, digne ratus maculas fidelium animarum orationum devotione et elemosinarum largitione posse aboleri, pro anima predecessoris mei bone memorie, regis Balduini, et regine uxoris mee parentumque meorum donaveram sancte ecclesie D Sancti [247] Sepulcri et Willelmo priori ceterisque canonicis inibi regulari tramite Deo militantibus, tam futuris quam presentibus, casale quoddam in territorio Neapolis, nomine Cafermelech, cum [omnibus] [248] terris et pertinentiis suis, exceptis illis eiusdem casalis villanis, quos Romanus de Podio transmutaverat ad casale Betheflori; ita quidem donaveram, sicut ipsi canonici in alio privilegio meo regali sigillo consignato tenent scriptum, quatinus ecclesia Sanctissimi Sepulcri et predicti canonici

[232] B, *attencius*. [233] *conservetur eterna*. [234] Manque dans B. [235] B, *Helias*. [236] B. *Tyberiadensis*. [237] B, *est autem*. [238] A, f° 39, r° ; B, f° 28, v°. [239] Les deux manuscrits s'accordent à donner *Willelmus* ; c'est une erreur évidente, que les indications historiques fournies par le document même permettent de rectifier. [240] B, *Iherosolimitane*.. [241] B, *benivolentia*. [242] Restitué d'après B. [243] B, *perciperem*. [244] B, *specialius*. [245] A, f° 39, v° ; B, f° 38, v°. [246] Cette rubrique est ainsi conçue dans B : *Aliud privilegium Balduini, regis secundi, de eodem*. [247] B. *Dominici*. [248] Suppléé d'après B.

ipsum casale habeant possideantque perpetuo jure [249] sine omni calumpnia heredum meorum et successorum vel quorumlibet hominum. Ipsi autem canonici ob istius casalis donum cc bizancios, quos habebant in redditu Neapolis, mihi quietos clamaverunt. Sed postea amicicia [250] et rogatu eorumdem canonicorum, eosdem rusticos, quos prius exceptaveram, cum omni progenie sua et heredibus suis Sanctissimo Sepulcro atque Petro, eiusdem priori, ceterisque canonicis cum supradicto casali et cunctis cum [251] pertinentiis suis in presentia comitis Andegavensis atque Milissende filie mee, hisdem approbantibus et assentientibus, donavi et concessi. Si quis vero, nequitie commotus stimulis, temerario ausu hoc meum legale donum ullo modo impugnare aut cassare temptaverit, a Deo, nisi resipuerit, anathematis sententia percussus, nostre regie potestati reus subiaceat, nihilominus hoc meo dono firmo et stabili semper consistente. Hanc itaque mei doni corroborationem et supradictorum rusticorum augmentationem Amelino, meo cancellario, scribere et plumbeo regali sigillo confirmare precepi, presente domino Willelmo, Iherosolimorum patriarcha venerabili, et coram aliis testibus, quorum nomina subscripta leguntur :

Petrus, capellanus meus. Radulfus, camerarius meus. Martinus de Nazareth. Anscatinus, vicecomes Iherusalem. Olricus, vicecomes Neapolim, et alii quamplures.

XLIV [252].

ITEM BALDUINI REGIS SECUNDI [253] DE DONO CASALIS CAFERMELICH.

In nomine sancte et individue Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen [254].

Ego Balduinus, Dei gratia rex Iherusalem Latinorum secundus, digne ratus maculas fidelium animarum orationum devotione et elemosinarum largitione posse aboleri, pro anima predecessoris mei bone memorie, regis Balduini, et regine usoris [255] mee parentumque meorum dono sancte ecclesie Dominici Sepulchri et Willelmo priori ceterisque canonicis inibi regulari tramite Deo militantibus, tam presentibus quam futuris, casale quoddam in territorio Neapolis, nomine Cafermelich [256], cum omnibus terris, villanis et pertinentiis suis, exceptis illis eiusdem casalis villanis, quos Romanus de Podio transmutaverat ad casale Betheflori [257]. Ita quidem dono ut ecclesia sanctissimi Dominici Sepulcri et predicti canonici ipsum casale habeant et possideant iure perpetuo sine omni calumpnia heredum meorum et successorum vel quorumlibet hominum. Ipsi vero canonici ob istius casalis donum cc bizancios, quos habebant in redditu Neapolis, mihi quietos clamaverunt. Si quis vero, nequitie commotus stimulis, temerario ausu hoc meum legale donum ullo modo impugnare aut cassare temptaverit, a Deo, nisi resipuerit, anathematis sententia percussus, nostre regie potestati reus subiaceat, nichilominus hoc meo dono firmo et stabili semper consistente. Ad huius itaque mei doni corroborationem Pagano, meo cancellario, scribi et plumbeo regali sigillo confirmari precepi, presente domno Stephano, venerabili Iherosolimorum patriarcha, et coram aliis testibus, quorum nomina subscripta leguntur :

Milisenda [258], filia regis, hoc laudat et consentit. Willelmus, Nazarenus archiepiscopus. Balduinus, Sebastinus episcopus. Ansellus [259], Bethleemita episcopus. Gelduinus, Vallis Iosaphat abbas. Arnaldus, prior Montis Syon. Iohannes, camerarius. Bernardus Vaccarius. Hugo, Ioppensis dominus. Ansellus de Bria. Henfredus de Torone. Gualterius, Cesaree dominus. Guitterius, sorori[u]s [260] regis. Roardus. Sado, marescalcus. Paganus, pincerna. Romanus de Podio. Goffridus Tortus. Balduinus Sancti Abrahe. Hulricus, Niapolis [261] vicecomes, et plures alii.

Factum est et datum in palatio [262] regis apud Achon [263], anno dominice incarnationis MCXXVIII, indictione IV, mense marcio.

XLV [264].

PRIVILEGIUM BALDUINI REGIS SECUNDI DE ABSOLUTIONE CONSUETUDINIS PORTE IHERUSALEM.

In nomine sancte et individue Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Ego Balduinus, secundus Dei gratia rex Iherusalem, condescendens precibus patris nostri domni Guarmundi patriarche, cleri quoque ac capituli [265] sancte civitatis Iherusalem, consuetudinem, que actenus exigebatur et dabatur in porta ab his qui frumentum et ordeum et lugumina [266] inferebant, amodo et deinceps, assentientibus optimatibus meis, remitto tam pro remedio anime domni [Balduini] [267], predecessoris mei, gloriosi regis, quam pro mea successorumque meorum incolumitate et salu.e. Consuetudo etenim illa dura valde et dampnosa te.e peregrinis Sepulcrum Domini invisentibus quam eiusdem sancte civitatis habitatoribus videbatur. Absolvo itaque ab omni exactione omnes qui [per] [268] portas Iherusalem frumentum aut ordeum, fabas, lenticulas et cicer inferre voluerint; habeantque liberam facultatem ingrediendi [et egrediendi] [269] atque vendendi ubi et quibus voluerint absque molestia tam Sarraceni quam Christiani. Obsecro igitur et contestor ne quis successorum aut heredum meorum hunc constitutionis mee tenorem aliquo modo violare aut immutare presumat, domnumque patriarcham [et] totum clerum Iherosolimitanum deprecor ut sententiam [270] excommunica-

[249] B, *et possideant iure perpetuo.* [250] B, *amicitia.* [251] B, *cum cunctis.* [252] A, f° 40, r° ; B, f° 38, r°. [253] Cette première rubrique manque dans A. [254] Manque dans B. [255] B, *uxoris.* [256] B, *Cafermelic.* [257] B, *Beteflori.* [258] B, *Milissenda.* [259] B, *Anselmus.* [260] Cette restitution est autorisée par B. [261] B, *Neapolis.* [262] B, *palacium.* [263] B, *aput Acchon.* [264] A, f° 41, r° ; B, f° 35, v°. [265] B, *populi.* [266] B, *legumina.* [267] Suppléé d'après B. [268] Suppléé d'après B. [269] Suppléés d'après B. [270] B, *sententiam.*

tionis promulgare non differant in quamcumque A persoñam, si forte, instigante avaricia aut fallente diabolo, hoc violare temptaverit. Remito [271] quoque mercedem modii consuetudinariam.

Factum est hoc anno dominice incarnationis MCXX, indictione XIII, et confirmatum in ecclesia Dominici Sepulcri testimonio idoneorum virorum, quorum subscripta sunt nomina :

Ego Guarmundus, Dei gratia patriarcha Iherusalem, subscripsi et secundum petitionem [272] domni Balduini regis huius donationis violatores excommunicavi.

Signum Ebremari, Cesariensis archiepiscopi. Signum Anschetini, Bethleemitani episcopi. Signum Bernardi, Nazareni episcopi. [Signum] Rogerii, Ramathensis episcopi. [Signum] Gelduini, Vallis Iosaphat abbatis. [Signum] Ricardi, Latinensis abbatis. [Signum] Gerardi, Sancti Sepulcri prioris. [Signum] Achardi, Dominici Templi prioris. [Signum] Arnaldi, prioris Montis Syon [273]. [Signum] Laurentii, Montis Oliveti prioris. [Signum] Petri Barchinonensis. [Signum] Pagani, cancellarii. [Signum] Brandonis. [Signum] Hugonis Caulis, constabularii. [Signum] Willelmi de Tiberiade [274]. [Signum] Eustachii Granarii. [Signum] Herberti Piselli. [Signum] Radulfi de Fontanellis. [Signum] Guidonis de Miliaco. [Signum] Baliani. [Signum] Romani de Podio. [Signum] Amalrici de Flandrello. [Signum] Balduini de Sancto Abraham. [Signum] Manasses de Caypha. [Signum] Roardi. [Signum] Anschetini, vicecomitis. [Signum] Pagani, pincerne. [Signum] Iohannis, camerarii. [Signum] Rainaldi de Pont. [Signum] Goifridi Acus. [Signum] Porcelli. [Signum] Bertini. [Signa] Bachelerii et Willelmi Strabonum. C

Ego Balduinus, Dei gratia secundus Latinorum rex Iherosolimitanus, subscripsi et sigilli mei impressione signavi, anno regni mei tercio.

XLVI [275].

PRIVILEGIUM [276] BALDUINI REGIS SECUNDI DE CONSUETUDINE ACCONENSIS [277] PORTUS.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Ego Balduinus, Dei gratia rex Iherusalem [278] Latinorum secundus, quoniam in portu Achon quedam prave consuetudines adoleverant, que peregrinos permultum gravabant, rogatu et amonitu [279] domini S[tephani], venerabili[s] Iherosolimorum patriarche, statui pro anima predecessoris mei bone memorie, regis [280] Balduini, et regine uxoris mee quatinus peregrini, undecumque venientes, nullam dationem census dent in portu de omnibus, quos attulerint, pannis incisis et consuetis [281] ad induendum. Nec etiam de omnibus aliis rebus, quas secum apportaverint, quicquam tribuent usque ad valorem XL bizanciorum; quod vero huic precio XL bizanciorum supererit in rebus peregrinorum, et poterunt ipsi peregrini fidem astringere custodibus portus quia ad proprium usum illud, quidquid [282] erit, reservabunt, quieti erunt ; si autem illud idem quod supererit necessitas vendere cogerit, de vendito quod consuetudo et iustum est in portu persolvent. D

XLVII.

PRIVILEGIUM INNOCENTII PAPE.

(Vide in Innocentio II ad an. 1143.)

XLVIII [283].

DE [284] REMISSIONE CALUMPNIE, QUAM REGINA MILESENDIS FACIEBAT SUPER VILLANIS DE BETSURIE ET SUPER SURIANIS DE CALANDRIA ET DE RAMETHIS [285] ET SUPER VINEA [286] DOMINE GELTIDIS. B

In nomine sancte et individue Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen

Imitanda antique institutionis norma temporibus quondam transactis non negligenter obtinuit, et vetusta sanctorum tradicio patrum nichilominus convenienter observavit, sed et observandum exemplis suis ad nos usque succedentibus salubriter transmisit ut, quociens [287] cuiuslibet rei geste series contexitur, ne temporum spatiis [288] annorumve labentibus curriculis pariter a memoria hominum laberetur, ad sui noticiam cerciorem [289] suique efficatiem firmiorem literarum apicibus paginisque conservandum traderetur memorialibus. Eorum [290] igitur omnium vestigiis nos per omnia inherere cupientes, ego Milesendis [291], divina largiente clementia Iherosolimorum regina, omnibus hominibus, tam presentibus quam eorum posteris, ratum certumque fieri volo quod illam calumpniam, quam ecclesie Sancti [292] Sepulcri eiusdemque loci canonicis, quorumdam suggestione, super villanis de Bethsurie, videlicet Selmen filio Maadi, Hapderahmen [293], Selim, Hasem, Nasen, Melpedem [294]. Seleemen Sade. Brahin, Kannet, Naser [295], Ariz, Mahmut, Zafer, Demsis [296], Resselem, Tameh, Rosec, Sahe, Salem filio Sade, et reliquis omnibus terraque eiusdem casalis feceram, assensu et concessione filiorum meorum, regis scilicet Balduini et Amalrici, Ioppensium comitis, etiam concilio [297] et laudamento bonorum virorum, libere et quiete dimitto ; ita scilicet ut canonici absque omni contradictione seu reclamatione mea vel alicujus heredum meorum predictos villanos, super quibus calumpnia agitata fuerat, cum eorum omnium posteritatibus et prenominatam terram donatione et concessione nostra libere et quiete in perpetuum habeant, teneant et possideant, sicut a tempore

[271] B, *Remitto.* [272] B, *peticionem.* [273] *Montis Syon prioris.* [274] B, *Tyberiade.* [275] A, f° 42, r° ; B, f° 57, v°. [276] Dans B ce mot est remplacé par *Item.* [277] B, *Achonensis.* [278] B, *Iherusalem.* [279] B, *ammonitu.* [280] B, *regis bone memorie.* [281] B, *consutis.* [282] B, *quicquid.* [283] A, f° 43, r° ; B, f° 44, v°. [284] Dans B la rubrique commence par ces mots : *Item Melisendis regine de....* [285] B, *Rametis.* [286] B, *vineam.* [287] *quotiens.* [288] B, *spaciis.* [289] B, *certiorem.* [290] B, *Horum.* [291] B, *Melissendis.* [292] B, *Dominici.* [293] B, *Habderahmen.* [294] B, *Mekedem.* [295] B, *Nasser.* [296] Dans le dipl. 52, ces deux noms paraissent n'en former qu'un seul. [297] B, *consilio etiam.*

illustrissimi ducis Godofridi [298] liberius et quietius habuisse, tenuisse et possedisse noscuntur. Huic donationi et concessioni Surianos de Calandria [299], Cosmas, Seimahian [300], Samuel, Ihanna, Meferreg, Gerges, pro quibus stationem, que quondam Willelmi Bastardi fuerat, et partes, quas habebant in duabus mensis nummulariorum, nobis ad perficiendam ruam novam [301] in Iherusalem de suo concesserunt, et Surianos de Ramethes, scilicet Bolferag, Iacob, Brahim, Ysaac, super quibus eisdem canonicis quandoque calumpniam movimus, et vineam illam, quam domina Geltidis, uxor domini Rohardi, de hoc seculo migratura pro salute anime sue eisdem canonicis dedit, addicientes adiungimus, et, ut omnes predictos Surianos cum omnibus de eorum progenie sequatibus [302] et prefatam vineam juxta formam supradictorum perbenniter habeant, teneant, possideant, confirmamus. Ut hec igitur omnia que prenotavimus, eo ordine quo proposuimus, remota omnium personarum, tam secularium quam ecclesiasticarum, inquietacione [303], interpellatione, cavillatione, ecclesie Dominici Sepulcri fixa, firma et inconvulsa permaneant, placuit nobis eidem [304] ecclesie canonicis presentis paginule cirographum [305] scribere, et, ut de cetero tocius calumpnie auferatur occasio, ipsum cyrographum nostrorum appositione sigillorum roborare. Huius rei testes habentur, quorum nomina subscripta videntur :

Rohardus scilicet et nepos eius, Radulphus. Iohannes de Valentienes [306]. Babinus. Fulco. Salem. Bencelinus. Thosetus [307], qui omnes considerande terre, de qua calumpnia fuerat, convenerunt.

Et alii qui secuntur, scilicet :

Roches [308] de Nazareth. Ermenaudus. Helias, frater eius. Nicolaus [309], camerarius. Odo de Turcarme [310]. Radulphus Li [311] Fanchenirs. Herbertus de Regiteste, qui huic nostre interfuerunt concessioni.

Anno ab incarnatione Domini MCLII, indictione XV.

XLIX [312].

PRIVILEGIUM MILESENDIS REGINE [313] DE COMMUTATIONE IOHANNIS PATRICII.

In nomine sancte et individue Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen.

Notum sit omnibus, tam futuris quam presentibus, quod ego Milisendis [314], Dei gratia Iherosolimorum regina, concedo, laudo et approbo commutationem illam, que facta fuit temporibus domini ac mariti mei, illustris regis Iherosolimorum Fulconis, inter Iboannem [315]. Patricium et canonicos Dominici Sepulcri de duobus casalibus suis, scilicet Megina et Mezera, cum omnibus pertinentiis suis pro duobus aliis Sancti Sepulcri casalibus, Cafermelich et Anquina, similiter cum pertinentiis suis. Quam commutationem Babinus, a quo idem Iohannes feodum tenebat suum [316], concessit et in nostra approbavit presentia; Petrosus quoque, cognatus eiusdem, ipsam concessit factam commutationem; Bruna quoque, uxor Iohannis, ac filii eius, Thomas et Eustachius, heredesque sui coram nobis et hominibus nostris facte assensere commutationi; tali videlicet conditione ut, si qua in posterum super prefata casalium commutatione quorumlibet oriretur calumpnia, ipse Iohannes, commutationis actor, et heredes eius ac illi, ad quos hereditas ipsius transierit post ipsum, ecclesie Sancti Sepulcri obligati perpetuo tenerentur ut, quidquid [317] dampni propter motam calumpniam eisdem canonicis contigerit, sub estimatione bonorum virorum ecclesie et conventui ab ipso Iohanne et heredibus suis in integrum restauretur. Verum quoniam in tempore domni Fulconis regis propter quasdam emergentes ex parte Iohannis controversias commutatio pretaxata, prout predicte Dominici Sepulcri ecclesie placuit, debitum ac pacificum finem sortiri non potuit, ego, que modo rem et negocium ex omni parte positum in pace conspicio, que etiam commutationi facte interfui, et postmodum ab illis, de quibus supradixi, commutationem concessam et conlaudatam audivi, eam firmam et ratam teneo et vivaciter affirmo, ac pro anima supranominati mariti mei ac mea filiorumque meorum salute, qui commutationem viderunt et concesserunt, ne aliquando temeritate alicuius commutatio et concessio hec infirmari possit, presentem paginam commutationis et concessionis modum continentem sigilli mei appositione roboravi, quatinus ex nostra cura prenominata Sepulcri Dominici ecclesia habeat unde pro nobis, qui donum concessimus, coram sanctis locis [318]. Deum omnipotentem iuste orare debeat. Interfuerunt siquidem huic concessioni nostre in veridico testimonio, quorum nomina subscribuntur, videlicet :

Giraudus [319], Bethlemita [320] episcopus. Arnulfus, eiusdem canonicus. Gaufridus, abbas Templi. Rogerius, eius canonicus. Amalricus comes Iope [321]. Manasses, constabularius. Philippus Neapolitanus. Rohardus. Radulfus Strabo. Orricus, Neapolis vicecomes. Balduinus [322], filius eius. Balduinus Bubalus. Gauterius Malduit. Iohannes Vacher.

Burgenses :

Tosetus. Umbertus de Bar. Petrus de Perregort [323]. Symon Rufus. Albertus Lombardus.

[298] B, *Godefridi.* [299] B, *Kalandria.* [300] B, *Semhan.* [301] B, *novam.* [302] B, *sequacibus.* [303] B, *inquietatione.* [304] B, *eiusdem.* [305] B, *cyrographum.* [306] B, *Valencienes.* [307] B, *Tosetus.* [308] B, *Rorches.* [309] B, *Nicolaus.* [310] B, *Turcame.* [311] B, *Le.* [312] A, f° 44, r° ; B, f° 43, v°. [313] Cette première rubrique manque dans A. [314] B, *Milesendis.* [315] B, *Iohannum.* [316] B, *suum tenebat.* [317] B, *quicquid.* [318] B, *locis sanctis.* [319] B, *Giraldus.* [320] B, *Bethleemita* [321] B, *Iopne.* [322] Je crois que le copiste a écrit par erreur *Balduinus*, au lieu de *Henricus.* [323] B, *Peregort.*

Ab incarnatione Domini anno MCLI, indictione XIV.

L. [324].

ITEM PRIVILEGIUM MILESENDIS REGINE [325] DE CONFIRMATIONE VUETMOAMEL.

In nomine sancte et individue Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen.

Notum sit omnibus, tam futuris quam presentibus, quod ego Melisendis [326], per Dei gratiam Iherosolimorum regina, venditionem et emptionem terre Hugonis de Hibelino [327] inter se et fratres nostros Dominici Sepulcri canonicos legitime factam, [videlicet] [328] Vuetmoamel cum villanis et omnibus pertinentiis suis, Dersabeth [329] cum villanis et omnibus pertinentiis suis, Corteis cum villanis et omnibus pertinentiis suis, et cetera omnia, prout privilegio regis Balduini dilecti filii mei continentur, ipsius regis prece et a[d]monitione [330], similiter et Almarici [331], Ascalonis comitis, necnon voluntaria petitione [332] et rogatu prefati Hugonis, qui hanc venditionem facit, et Balduini fratris sui, similiter et petitione [333] domni Amalrici [334], patriarche Antiocheni, quem predicti canonici inde rogaverunt, laudo et concedo, et, ut firmius teneatur, hanc presentem paginam auctoritate sigilli mei confirmo. Hec igitur predicta vendidit Hugo de Hibelino [335] cannonicis [336] Dominici Sepulcri pro septem millibus bizanciis iure hereditario possidenda et ab omni servi[ti]o atque dominio vel exaccione [337] soluta, libera et quieta.

Huius siquidem rei testes sunt :

Rainerius, Sebastiensis [338] episcopus. Gaufridus, abbas Templi. Philippus Neapolitanus et Henricus, frater eius. Et Roardus [339] de Neapolim, et quamplures alii.

Factum est autem hoc anno ab incarnatione Domini MCLV, indictione IV.

Data per manum Guidonis, regine clerici.

LI [340].

ALIUD PRIVILEGIUM BALDUINI REGIS QUARTI [341] DE COMMUTATIONE IOHANNIS PATRICII.

In nomine sancte et individue Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen.

Notum sit omnibus, tam presentibus quam futuris [342], quod ego Balduinus, per gratiam Dei in sancta Iherusalem Latinorum rex quartus, assensu Milisendis [343] regine, matris siquidem mee, necnon et Amalrici, fratris mei, comitis Ascalonitani, nutu, concedo, laudo et approbo commutationem tempore domni Fulconis, patris mei, regis Iherosolimorum illustris, inter [Iohannem] [344] Patricium et canonicos Dominici Sepulcri factam de duobus casalibus, Megina scilicet et Mezera, cum omnibus pertinentiis suis pro duobus aliis Sancti Sepulcri casalibus, Cafermelich [345] et Anquina, cum suis similiter pertinentiis. Quam commutationem Babinus, a quo idem Iohannes feodum suum tenebat concessit, et in nostra dominice [346] regine approbavit presentia; Petrosus quoque cognatus eiusdem ipsam concessit factam commutationem; Bruna etiam, uxor Iohannis, ac filii eius, Thomas et Eustachius, facte assensere commutationi; tali videlicet conditione ut, si qua in posterum super prefata[m] casalium commutationem quorumlibet oriretur calumpnia, ipse Iohannes, commutationis actor, et heredes eius ac illi ad quos hereditas ipsius transierit post ipsum, ecclesie Sancti Sepulcri obligati perpetuo tenerentur ut, quicquid dampni propter motam calumpniam ecclesie prefate canonicis contigerit, sub estimatione bonorum virorum ecclesie et eiusdem conventui in integrum restauretur. Verum quoniam in tempore domni Fulconis regis, patris videlicet mei, propter quasdam emergentes ex parte Iohannis controversias commutatio pretaxata, prout predicte Dominici Sepulcri ecclesie placuit, debitum ac pacificum finem sortiri non potuit, [ego] [347], qui modo rem et negocium ex omni parte positum in pace conspicio, qui etiam commutationi facte interfui, et postmodum ab illis, de quibus supra dixi, commutationem concessam et collaudatam audivi, eam firmam et ratam teneo et vivaciter affirmo, ac pro salute anime mee et parentum meorum, tam vivorum quam defunctorum, ne quandoque temeritate alicuius commutatio et confirmatio hec infirmari queat, presentem paginam commutationis et confirmationis modum continentem sigilli mei appositione confirmo et corroboro, quatenus ex mea cura prenominata Dominici Sepulcri ecclesia habeat unde pro me, qui commutationem jam tociens dictam confirmo, coram locis sanctis Deum omnipotentem iure exorare debeat.

Factum est autem hoc anno ab incarnatione Domini MCLV, indictione III. Huius quidem rei testes sunt :

Andreas de Monte Barro, magister Templi. Humfredus, constabularius. Philippus Neapolitanus. Guido, frater eius, Francigena. Hugo de Ybelino [348]. Odo de Sancto Amando. Ysaac, castellanus turris David. Guillelmus de Barra. Galvannus de Rochia. Robertus Asinus. Thomas de Satorono.

Data Iherosolimis, per manum Radulfi cancellarii, V kalendas iulii.

LII [349].

ITEM BALDUINI REGIS QUARTI [350] DE REMISSIONE CALUMPNIE, QUAM REGINA MILISENDIS [351] FECERAT SUPER VILLANIS DE BETHSURIE.

In nomine sancte et individue Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen.

[324] A, f° 45, r°; B, f° 46, r°. [325] Cette première rubrique manque dans A. [326] B, *Milessendis*. [327] B. *Hybelino*. [328] Suppléé d'après B. [329] B, *Dersabeb*. [330] *amonicione*. [331] B, *Amalrici*. [332] B, *peticione*. [333] B, *peticione*. [334] B, *Aimerici*. [335] B, *Hybelino*. [336] *canonicis*. [337] B, *exactione*. [338] B, *Sebastensis*. [339] B, *Rohardus*. [340] A, f° 45, v°; B, f° 48, v°. [341] Cette première rubrique manque dans A. [342] B, *tam futuris quam presentibus*. [343] B, *Milesendis*. [344] B, Suppléé d'après B. [345] *Caphermelich*. [346] B, *dominequue*. [347] Suppléé d'après B. [348] B. *Hybelino*. [349] A, f° 46, v°; B, f° 49 v°. [350] Cette première rubrique manque dans A. [351] B, *Milesendis*.

Ego Balduinus, per gratiam Dei in sancta Iherusalem Latinorum rex quartus, omnibus, tam presentibus quam futuris, notum fieri volo quod calumpniam illam, quam Milisendis [352] regina, mater siquidem mea, ecclesie Dominici Sepulcri eiusdemque loci canonicis, quorumdam suggestione, super villanis de Bethsurie, videlicet Selmem filio Maadi, Habderahmen, Selim, Hassem [353], Nasen, Mekedèn, Seleemen, Sade, Brahin, Kannet, Nasser, Hariz [354], Mahmut, Zaferdemsis [355], Resselem, Tameth [356], Rosech, Sahe, Salem filio Sade, et reliquis omnibus superque terra eiusdem casalis fecerat, assensu et concessione predicte matris mee regine necnon et Amalrici fratris mei, comitis videlicet Ascalonitani, consilio etiam et laudamento bonorum virorum, pretaxate ecclesie eiusdemque canonicis liberam et quietam prorsus remitto; ita dumtaxat ut canonici in ecclesia Dominici Sepulcri Deo nunc ad presens servientes et in posterum servituri absque omni contradicione [357] seu reclamatione mea vel successorum meorum predictos villanos, super quibus calumpnia agitata fuerat, cum eorum omnium posteritatibus et prenominatam terram concessione et confirmatione mea libere et sine omni molestia vel impedimento in posterum habeant et iure perpetuo possideant et teneant, sicut a tempore illustrissimi ducis Godefridi liberius ac quietius [358] habuisse, tenuisse et possedisse dinoscuntur. Huic etiam concessioni et confirmationi mee Surianos de Calandria, Cosmas, Semhan, Samuel Ihanna, Meferreg, Gerges, pro quibus stationem, que quondam Guillelmi Bastardi fuerat, et partes, quas habebant in duabus mensis numulariorum, domine regine matri mee ad perficiendam rugam novam in Iherusalem canonici, de quibus agitur, de suo concesserunt, et Surianos de Ramethes videlicet Bolferrag [359], Iacob, Brahim, Isaac, super quibus eisdem canonicis quandoque calumpniam moverat, et vineam illam, quam domina Gislia, uxor Roahardi [360], ex hoc seculo migratura pro salute anime sue sepedictis canonicis dedit, addiciens adiungo, et ut omnes predictos Surianos cum omnibus de eorum progenie sequatibus [361] et prefatam vineam iuxta formam supradictorum perhenniter habeant, teneant et possideant, iterum confirmo. Et ut hec omnia, que prenotavi, eo ordine quo proposui, remota omnium personarum, tam secularium quam ecclesiasticarum, inquietatione, interpellatione, cavillatione, ecclesie Dominici Sepulcri omni tempore fixa, firma et inconvulsa permaneant, placuit nobis eiusdem ecclesie canonicis presentis pagine cyrographum scribere, et, ut de cetero tocius calumpnie auferatur occasio, ipsum cirographum [362] sigilli mei munimine roborare.

Factum est autem hoc anno ab incarnatione Domini MCLV, indictione III. Huius quidem rei testes sunt :

Gaufridus, abbas Domini Templi [363]. Engerannus, prior Montis Syon. Andreas de Monte Barro, Templi milicie [364] magister. Humfredus, constabularius. Philippus Neopolitanus. Hugo, Cesariensis dominus. Hugo de Hybelino. Guido Francigena. Odo de Sancto Amando. Guillelmus de Barra. Iohannes de Valentines [365]. Ysaac castellanus turris David. Babinus.

Data Iherosolimis, per manum Radulfi cancellarii, V kalendas iulii.

LIII [366].

ALIUD PRIVILEGIUM BALDUINI REGIS QUARTI [367] DE CONFIRMATIONE OMNIUM POSSESSIONUM.

In nomine sancte et individue Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen.

Notum sit omnibus, tam presentibus quam futuris, quod ego Balduinus, per gratiam Dei in sancta Iherusalem Latinorum rex quartus, predecessorum meorum filicis [368] memorie, ducis videlicet Godefridi fratrisque eius Balduini, [primi Iherosolimorum regis, Balduini] [369] etiam secundi regis necnon et Fulconis patris mei, eiusdem civitatis tertii regis, vestigiis inherens, pro salute mea et meorum, tam vivorum quam defunctorum, confirmo [et] [370] corroboro ecclesie Dominici Sepulcri eiusdemque canonicis nunc ibidem Deo servientibus et in posterum servituris quecumque a tempore ducis Godofridi [371] iuste et rationabiliter dono, concessione, commutatione vel emptione infra regni mei fines usque in hodiernum diem impetravit. Seriatim igitur que vel a quibus pretaxata ecclesia dono vel concessione, commutatione sive emptione hue usque optinuit, ut sequentia declarant, ponere libuit. Primus itaque dux Godefridus XXI casalia, subscriptis nominibus nuncupata, Ainquine, Armotie, Kefreachab, Kefredil, Buhil, Hubin, Aram, Kalendie, Betdigge, Birra, Subahiet, Ataraberet, Urniet, Zenu, Helmule, Beittelamus, Baritmeta [372], Beituimen, Beitfuteier [373], Betsurie, Aineseins, ecclesie, de qua agitur, dedit et iure perpetuo possidenda concessit. Dedit insuper eidem ecclesie omnes furnos Iherusalem, exceptis duobus de Hospitali et uno de Latina. Et primus rex Balduinus prefate ecclesie apud Sanctum Lazarum villanos cum familiis dedit et tradidit, et IV casalia supra Sanctum Lazarum, quorum nomina sunt hec, Benehatie, Benehabeth, Ragabam, Roma; et in territorio Neapolitano mille modios tritici singulis annis accipiendos eidem dedit ecclesie. Que omnia, ut superius memorata sunt, ecclesie Sancti Sepulcri ex parte mea concedo et perhenniter habenda decerno.

[352] B, *Milesendis*. [353] B, *Asem*. [354] B, *Ariz*. [355] Dans le dipl. 48, ce mot paraît former deux noms distincts. [356] B, *Tameh*. [357] B, *contradictione*. [358] B, *quiecius*. [359] B, *Bolferag*. [360] B, *Rohardi*. [361] B, *sequacibus*. [362] B, *cyrographum*. [363] B, *Templi Domini*. [364] B, *militie*. [365] *Valantines*. [366] A, f° 47, v°; B, f° 52, v°. [367] Cette première rubrique manque dans A. [368] B, *felicis*. [369] Suppléés d'après B. [370] Suppléé d'après B. [371] B, *Godefridi*. [372] B, *Barithmeta*. [373] B, *Beitfoteire*.

Insuper etiam dimidiam partem illius possessionis, quam primus rex Balduinus pro excambitu episcopatus Bethleemitici ecclesie Sancti [374] Sepulcri dedit, confirmo. Casale insuper, nomine Derina, in territorio Tirensi [375] situm, super magnum fontem, de quo procedit conductus aquarum, cum omni pertinentia sua, excepto alio casali, si quandoque ei subiacuit, et in eouterminis prefati casalis, circa montana, quantum terre quatuor paria boum de anno in annum excolere possunt, et ortum, qui est inter murum et antemurale Tyri ex parte maris, que omnia scilicet secundus rex Balduinus Dominico dedit Sepulcro, confirmo. Preterea in territorio Neapolitano casale, nomine Cafermelech [376], ex dono regis secundi Balduini, prout in ipsius notatur privilegio, confirmo. Porro medietatem casalis Fieisse [377], nunc casale Sancti Sepulcri nuncupati, quam cum omni pertinentia sua Eustachius Ganerius [378], concessione etiam regis Balduini secundi, libere et perhenniter habendam ecclesie Sancti Sepulcri donavit, et totam terram illam, quam Galterius, predicti Eustachii filius, circa idem casale canonicis Dominici Sepulcri ultra flumen habendam usque ad terminum designatum [379], qui usque in hodiernum diem apparent, dedit, sepedictis canonicis confirmo. Casale insuper Thecue cum omnibus appendiciis [380] suis, prout pater meus Fulco, Iherosolimorum rex tercius, pro concambio Sancti Lazari in Bethania, assensu Milisendis [381] regine, matris siquidem mee, et Amalrici, fratris videlicet mei, ea inquam libertate, qua predictus pater meus cum Milisende regina illud tenuisse dinoscitur, ecclesie Dominici Sepulcri donavit, et suo privilegio confirmavit [382], eidem confirmo, necnon et a tocius calumpnie molestia vel inpedimento nunc et deinceps prefatam donationis concessionem me defensurum polliceor. Preterea duas carrucatas terre plenarias, quas ex dono Lamberti Als in territorio Mimas casalis sitas idem pater meus prenominate confirmavit ecclesie, et ego confirmo. Quinimmo duo casalia, Gebul et Helcar, cum omnibus adiacentiis suis, et piscarias per octo dies, et angariam per diem unum, et navem assidue, iuxta modum quo Guillelmus de Buris ecclesie Sancti Sepulcri canonicis concessit, et suo patrisque mei privilegio roboratum est, eisdem confirmo. Domos vero infra septa Iherusalem sitas, videlicet domum Petri Bernardi canonici, domum Eurardi canonici, item domum alterius Eurardi canonici, domum Minardi [383], domum Garsionis, domum Galterii Lentronior [384], domum Bernardi Bursarii, domum Herluini, domum Mabilie cum orto prope memoratam domum posito, domum Roccrii de Sancto Lazaro, fratris Sancti Sepulcri, et stationem, que fuit Willelmi [385] Bastardi, partemque illam, quam idem Willelmus [386] in mensis numulariorum habebat, A quas omnes pater meus jam tociens dictus ab omni exactione liberas et quietas, salvo tamen regio iure, quod in helemosina quam rex ecclesie facit [387], debet habere, canonicis Sancti Sepulcri concessit, suoque privilegio munivit, eisdem confirmo. De cetero domum Achon sitam, quam Laubertus Als, Agnetis uxoris sue consilio necnon et Fulconis patris mei consensu, ecclesie Dominici Sepulcri donavit iuxta conditionem que in eorum privilegio continetur, donum prefate domus confirmo. Inter cetera vero tria casalia, quorum aliud Capharuth, aliud autem Gith et aliud Porphiria vocatur, que Rogerius, Liddensis episcopus, ex possessione Sancti Georgii cum omnibus appendiciis suis et medietatem [388] decime messium eorumdem casalium et B aliarum omnium rerum decima tota et integra ecclesie Sepulcri Domini iure perenni [389] tenenda concessit, et quartum casale, Kefrescilta nomine, quod prefatus Lyddensis [390] episcopus cum omni integritate sua et consimili decima, qua predicta tria, ecclesie pretaxate pro concambio tamen decime castelli Arnaldi et decime cuiusdam casalis de Hospitali, nomine Bulbul, perhenniter possidendum constituit, ratum decerno. Commutationem insuper inter Dominici Sepulcri canonicos et Iohannem Patricium de duobus casalibus, Capharnelich [391] et Anquina [392], pro duobus memorati Iohannis casalibus, Megina scilicet et Mezera, utrimque laudabiliter factam confirmo. Demum cunctarum oblationum, C que ad Sepulcrum Domini venient, medietatem in omnibus, prout venerabilis Arnulfus patriarcha, consilio primi regis Balduini, prefatis assignavit canonicis, confirmo. Oblationes etiam omnes, que ad vivificam Crucem venient [393], exceptis que sola die sancti parasceve [394] fuerint, aut si patriarcha secum illam pro aliqua necessitate detulerit, illis confirmo. Cere autem, que ad ecclesiam venerit, duas partes ad luminaria eisdem confirmo. Decimas preterea tocius sancte civitatis Iherusalem locorumque sibi adiacentium, quas patriarcha prefatus illis concessit, exceptis tamen funde decimis, que sunt patriarche, eisdem confirmo. Ecclesiam deinceps Beati Petri in Ioppe, quam patriarcha iam tocies [395] dictus cum honore suo integro et cum tota, que sancte D matri pertinet ecclesie, plenaria dignitate prefatis concessit canonicis, predicto modo confirmo. Dimidiam quoque partem illius beneficii, quod primus rex Balduinus Sancto Sepulcro pro excambitu episcopatus [Bethleemitici] contulit, similiter confirmo. Hec omnia, prout superius memorata sunt, ecclesie sepedicte eiusdemque conventui nunc et per successionem ibidem Deo famulanti libere, quiete et sine omni calumpnia vel inpedimento in posterum habenda et iure perpetuo possidenda concedo, et presenti scripto confirmo et corroboro. Et ut huius

[374] Manque dans B. [375] B, *Tyrensi*. [376] B, *Cafarmelech*. [377] B, *Fiesse*. [378] B, *Granerius*. [379] B, *terminos designatos*. [380] B, *appen[di]tiis*. [381] B, *Milesendis*. [382] B, *firmavit*. [383] C, *Mainardi*. [384] B, *Lo Tornaor*. [385] B, *Guillelmi*. [386] B, *Guillelmus*. [387] B, *facit ecclesie*. [388] B, *medietate*. [389] B, *perhenni*. [390] B, *Liddensis*. [391] B, *Caphermelic*. [392] B, *Ainquina*. [393] B, *veniunt*. [394] B, *parescheve*. [395] B, *tociens*.

confirmationis mee pagina rata et incorrupta permaneat, testibus eam subscriptis sigillique mei suppressione muniri precipi [396].

Factum est autem hoc anno ab incarnatione Domini MCLV, indictione III. Huius quidem rei testes sunt :

Amalricus, frater regis et comes Ascalonitanus. Humfredus de Torono, constabularius. Guido Berythensis [397]. Girardus Sydoniensis [398]. Philippus Neapolitanus. Guido Francigena. Henricus Bufalus. Hugo Cesariensis. Balduinus de Insula. Odo de Tholenth, turris David castellanus. Odo de Sancto Amando. Guillelmus de Barra.

Data Achon, per manum Radulfii cancellarii, III idus iulii.

LIV [399].

ALIUD [400] PRIVILEGIUM BALDUINI REGIS QUARTI DE CONFIRMATIONE OMNIUM POSSESSIONUM.

In nomine sancte et individue Trinitatis Patris et Spiritus Sancti, amen.

Notum sit omnibus, tam presentibus quam futuris, quod ego Balduinus, per gratiam Dei in sancta Iherusalem Latinorum rex quartus, predecessorum meorum felicis memorie, ducis videlicet Godefridi fratrisque eius Balduini, primi Iherosolimorum regis, Balduini etiam secundi regis necnon et Fulconis patris mei, civitatis eiusdem regis tercii, vestigiis inherere desiderans, pro salute mea et meorum, tam vivorum quam defunctorum, confirmo ecclesie Domini Sepulcri eiusdemque canonicis nunc ibidem Deo servientibus et in posterum servituris, quecumque a tempore predicti ducis Godofridi [401] iuste et rationabiliter dono, concessione, commutatione vel emptione infra regni mei fines usque in hodiernum diem impetravit. Seriatim igitur que vel a quibus pretaxata ecclesia dono vel concessione, commutatione sive emptione huc usque optinuit [402], ut sequentia declarant, ponere libuit. Primus itaque dux Godefridus XXI casalia, subscriptis nominibus nuncupata, Ainquine, Armotie, Kefreachab, Kefredil, Bubil, Hubin, Aram, Kalendie, Betdigge, Birra, Subahiet, Ataraberet, Uniet [403], Zenu, Helmule, Beittelamus, Aineseins, Barimeta, Beituimen [404], Beitfuteire, ecclesie, de qua agitur, dedit, et iure, perpetuo possidenda concessit. Dedit insuper eidem ecclesie omnes furnos Iherusalem, exceptis duobus de Hospitali et uno de Latina. Et primus rex Balduinus prefate ecclesie apud Sanctum Lazarum villanos cum familiis dedit et tradidit, et IV casalia supra Sanctum Lazarum, quorum nomina sunt hec, Benehatie, Benehabeth, Ragabam, Roma; et in territorio Neapolitano mille modios tritici singulis annis accipiendos eidem dedit ecclesie. Que omnia, ut superius memorata sunt, ecclesie Sancti Sepulcri ex parte mea concedo, et perhenniter habenda decerno. Insuper etiam dimidiam partem illius possessionis, quam primus rex Balduinus pro excambitu episcopatus Bethleemitici ecclesie Sancti Sepulcri dedit, confirmo. Casale insuper, nomine Derina, in territorio Tyrensi situm, super magnum fontem, de quo procedit conductus aquarum, cum omni pertinentia sua, excepto alio casali, si quandoque ei subiacuit, et in conterminis prefati casalis, circa montana, quantum terre quatuor paria boum de anno in annum excolere possunt, et ortum, qui est inter murum et antemurale Tyri ex parte maris, que omnia scilicet secundus rex Balduinus Dominico dedit Sepulcro, confirmo. Preterea in territorio Neapolitano casale, nomine Cafarmelie [405], ex dono regis secundi Balduini, prout in ipsius notatur privilegio, confirmo. Porro medietatem casalis Fieisse, nunc casale Sancti Sepulcri nuncupati, quam cum omni pertinentia sua Eustachius Garnerius [406], concessione etiam regis Balduini secundi, libere et perhenniter habendam ecclesie Sancti Sepulcri donavit, et totam terram illam, quam Galterius, predicti Eustachii filius, circa idem casale canonicis Dominici Sepulcri ultra flumen habendam usque ad terminos designatos, qui usque in hodiernum diem apparent, dedit, sepedicte confirmo ecclesie. Casale insuper Thecue cum omni integritate sua, prout pater meus Fulco, Iherosolimorum rex tercius, pro concambio Sancti Lazari in Bethania, assensu Milissendis regine, matris siquidem mee, et Amalrici, fratris videlicet mei, ea inquam libertate, qua predictus pater meus cum Milissende regina illud tenuisse dinoscitur, ecclesie Sancti Sepulcri donavit, suoque privilegio firmavit, eidem confirmo, et a tocius calumpnie molestia vel impedimento nunc et deinceps prefate donationis concessionem me defensurum polliceor. Necnon etiam carrucatas terre plenarias, quas ex dono Lamberti Alsi in territorio Mimas casalis sitas idem pater meus pretaxate confirmavit ecclesie, et ego confirmo. Duo quoque casalia, Gebul et Helchar, cum omnibus adiacentiis suis, et piscarias per octo dies, et angariam per diem unum, et navem assidue, iuxta modum quo Guillelmus de Buris ecclesie Sancti Sepulcri canonicis concessit, et suo patrisque mei privilegio roboratum est, eidem ecclesie confirmo. Domos vero infra septa Iherusalem sitas, videlicet domum Bernardi canonici, domum Eurardi canonici, item domum alterius Eurardi canonici, domum Mainardi, domum Garsionis, domum Galterii Lentronior [407], domum Bernardi Bursarii, domum Herluini, domum Mabilie, domum Rogerii, fratris Sancti Sepulcri, et stationem que fuit Guillelmi Bastardi, partemque illam quam idem Guillelmus in mensis numulariorum habebat, quas omnes pater meus iam tociens dictus ab omni exactione liberas et quietas, salvo tamen regio iure, quod in helemosina, quam rex ecclesie

[396] Corrigez *precepi*. [397] B, *Beryteasis*. [398] B, *Sidoniensis*. [399] A, f° 50, r°; B, f° 58, r°. [400] Manque dans A. [401] B, *Godefridi*. [402] B, *obtinuit*. [403] B, *Urniet*. [404] B, *Beitumen*. [405] B, *Cafarmelec*. [406] B *Granerius*. [407] B, *Lo Tornaor*.

facit, debet habere, canonicis Sancti Sepulcri concessit, suoque privilegio munivit, eisdem confirmo. De cetero domum Achon fundatam, quam Lambertus Als uxorque sua Agnes, concessu regis Fulconis patris mei, ecclesie Sancti Sepulcri hac videlicet conditione libere et quiete possidendam concessit, ne venditione vel commutatione sive quolibet alio modo a se cicere liceat, et, si fecerint, regia majestas ex ea servicium habeat, sepedictis canonicis hac predicta ratione confirmo. Inter cetera vero tria casalia, quorum aliud Capharuth, aliud autem Gith et aliud Porphiria vocatur, que Rogerius, Lyddensis episcopus, ex possessione Sancti Georgii cum omnibus appendiciis suis et medietatem [408] decime messium eorumdem casalium et aliarum omnium rerum decima tota et integra ecclesie Sepulcri Domini iure perhenni tenenda concessit, et quartum casale, Kefrescilta nomine, quod prefatus Lyddensis episcopus cum omni integritate sua et consimili decima, qua predicta tria, ecclesie pretaxate pro concambio tamen decime castelli Arnaldi et decima cuiusdam casalis de Hospitali, nomine Bulbul, perhenniter possidendum constituit, ratum decerno. Confirmo etiam commutationem inter predictos canonicos et Iohannem Patricium de duobus casalibus, Capharmelich [409] et Ainquina, pro duobus memorati Iohannis casalibus, Megina scilicet et Mezera, utrimque laudabiliter factam. Querelam insuper illam, que de Surianis inter me et Dominici Sepulcri canonicos extitit, quam etiam, prout in eorum privilegio plenius continetur, et nomina predictorum Surianorum in eodem conscripta sunt, prefatis canonicis, sive justa foret sive injusta, liberam, quietam et prorsus absolutam remisi, confirmo. Nichilominus etiam calumpniam illam, que in terminis finium territorii casalis Dominici Sepulcri, quod dicitur Bethsuri, inter Milissendem reginam, matrem siquidem meam, et Sancti Sepulcri canonicos aliquandiu versabatur, liberam, quietam et sine quolibet vel a me vel a successoribus meis vel a quibuslibet aliis impedimento sive molestia ecclesie [410] Sancti Sepulcri iterum ex toto remoto [411] et absolutam prorsus confirmo. Verumtamen casalia illa, Bethel scilicet, Odemamel, Dehirsabeth [412], Corteis, Deirmusin [413], Huetdebes, que cum omnibus villanis et cum omni integritate et pertinentiis suis iam tociens dicti canonici ex Hugone de Hibelino [414] precio comparaverunt, ecclesie Sancti Sepulcri confirmo. Demum cunctarum oblationum que ad Sepulcrum Domini veniunt et venient, medietatem in omnibus, prout venerabilis Arnulfus patriarcha, primi regis Balduini consilio, prefatis assignavit canonicis, confirmo. Cere autem, que ad ecclesiam venerit, duas partes ad luminaria eidem confirmo ecclesie. Oblationes insuper omnes, que ad vivificam Crucem veniunt, exceptis que sola die sancti parasceve fuerint, aut si patriarcha secum illam pro aliqua necessitate detulerit, eisdem canonicis confirmo. Decimas quoque tocius sancte civitatis Iherusalem locorumque sibi adiacentium, quas patriarcha supranominatus illis concessit, exceptis solummodo funde decimis, eisdem confirmo canonicis. Dimidiam partem etiam illius beneficii, quod primus rex Balduinus Sancto Sepulcro pro excambitu episcopatus Bethlemitici contulit, similiter confirmo. Ecclesiam deinceps Beati Petri in Ioppe, quam patriarcha iam tociens dictus cum honore suo integro et cum tota, que sancte matri pertinet ecclesie, plenaria dignitate prefatis concessit canonicis, predicto modo confirmo. Hec igitur omnia, prout superius memorata sunt, ecclesie iam sepedicte et eiusdem conventui nunc et per successionem ibidem Deo famulanti libere et [415] quiete et sine omni calumpnia vel impedimento in posterum habenda et iure perpetuo possidenda concedo, et presenti pagina subscriptis testibus sigillique mei suppressione [416] denotata confirmo.

Factum est autem hoc anno ab incarnatione Domini MCLX, indictione VIII. Horum quidem omnium testes sunt :

Petrus, archiepiscopus Tyrensis. Ernesius [417], archiepiscopus Cesariensis. Letardus, archiepiscopus Nazarenus. Constantinus, Sancti Georgii episcopus. Rainerius, Sebastiensis [418] episcopus. Osbertus, Tyberiadensis episcopus. Fredericus, episcopus Achonensis [419]. Adam, episcopus Paneadensis. Amalricus, episcopus Sidoniensis [420]. Mainardus, episcopus Berithensis [421]. Gaufridus, abbas Templi Domini. Rainaldus, abbas de Latina. Gunterius, prior Montis Syon. Aimericus, prior Montis Oliveti. Guillelmus, comilitonum Templi senescalcus. Frater Gaufridus Fulcherii.

De baronibus vero et hominibus regis :

Amalricus, comes Ascalonitanus. Henfredus de Torono [422], constabularius et filius ejus Henfredus. Galterius, Tiberyadensis [423] dominus. Guormundus Tiberiadensis [424]. Girardus Sidoniensis [425]. Hugo Cesariensis. Philippus Neapolitanus. Galterius Berithensis. Guido Francigena. Henricus Bubalus. Hugo de Ybelino [426] et frater ejus, Balduinus. Guillelmus, marescalcus. Odo de Sancto Amando, castellanus Iherosolimitanus.

Data Acchon, per manum Radulfi, Bethleemite episcopi regisque cancellarii, VII kalendas augusti.

[408] B, *medietate.* [409] B, *Caphermelich.* [410] Dans A on lit *sive ecclesie molestia.* [411] Corrigez *remitto.* [412] *Dehyrsabeth.* [413] B, *Deirmusun.* [414] B, *Hybelino.* [415] Manque dans B. [416] *subpressione.* [417] B, *Arnesius* [418] B, *Sebastensis.* [419] B, *Achonensis episcopus.* [420] B, *Sydoniensis.* [421] B, *Berythensis.* [422] B, *Torone.* [423] B, *Tyberiadensis.* [424] B, *Tyberiadensis.* [425] *Sydoniensis.* [426] B, *Hybelino.*

LV [427].

ITEM [428] PRIVILEGIUM B[ALDUINI] REGIS QUARTI DE REMISSIONE CALUMPNIE, QUAM FACIEBAT SUPER SURIANIS, ET ILLIUS QUAM REGINA FACIEBAT SUPER TERRA CASALIS BETHSURIE.

In nomine sancte et individue Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen.

Notum sit omnibus, tam presentibus quam futuris, quod ego [Balduinus], per gratiam Dei in sancta Iherusalem Latinorum rex quartus, ecclesie Dominici Sepulcri iura, prout condecet, in nullo minui sustinens, querelam illam, que de Surianis his, quorum nomina subscripta sunt, inter me et canonicos Dominici Sepulcri venerabiles fratres meos extitit, sive foret iusta sive iniusta, memorate Sepulcri Dominici ecclesie ex toto remitto, et prorsus liberam, quietam et absolutam confirmo; ita dumtaxat quod Surianis, de quibus agitur, sive eorumdem heredibus, ubicumque sint, vel ubicumque inveniantur, a dominio pretaxate ecclesie deinceps se subtrahere vel alicuius stimulatione sive tergiversatione ad alium quemlibet dominum se convertere nullatenus liceat, sed, sicut antiquitus et a priscis temporibus ecclesie Dominici Sepulcri dinoscuntur, ita in perpetuum ipsi et ipsorum heredes eidem subiaceant. Nomina autem Suriaporum hec sunt : de casali Ramatha, Cosmas et filius eius Baraqueth [429], et Hubeit frater Cosme et Teodros [430] frater eius, et Ysaac frater Cosme Yuset et filius eius Petros, Ubeit et frater eius Elias, Meneia venator, et Salem senex et filius eius Ubeit, Ianna et filius eius Saac et alius eius filius [431] Elias [432], et Samuel [433] filius Georgii et frater eius Faet, et Ianna filius Munsor, et Petros filius Phara et frater eius Samuel [434]; de casali Bethelegel, Salem filius Azar [435] et frater eius Ianna, et Saba filius Sarsor et fratres eius Aaron et Iacob, Helias filius Coer et Brahin [436] filius eius, Oies, et Georgius filius Zorech et fratres eius Feeth et Hetnon, Aias et Pharas frater eius, Georgius filius Sayth, Tedros [437] filius Brain [438] et fratres eius Ubeit et Basilius, et Elias [439] moniculus, et Helias filius Iumel, Ianna filius Rofehe et frater eius Salem, Petros filius Georgii et frater eius, Georgius filius Iaphar et filius eius Brahin et Saac frater eius, et Georgius et filius eius Saba, et Elias [440] cimentarius, et Elias [441] filius Iaphar; de Aithara, Salem filius Messalem, et Saac [et] [442] frater eius Elias, et Braim [443] filius Georgii, et Martinus filius Ayza [444], et Salomon et filius eius Cosmas, et Thodros et Ianna filius eius, et Ysaac [445]; de Canlandria [446], Cosmas, et Semaan et filius eius Georgius, et Braym filius Cosme, et Samuel filius Baraqueth [447] et fratres eius Fimi et Nichola, et Meferut [448] filius Chame, et Saac filius Georgii et frater eius Geuset [449], et Ianna et filius eius Geuseth et alius filius Georgius et alius filius Elias, et Camis filius Bolpharage et Elias frater eius, et Serget filius Antoni, et Belcaira filius Monsor [450], et Brahim [451] filius Georgii, et Georgius frater Salomonis; de Bolferage filius, soror et fratres eius Brahim [452] et Iacob et Elias, et Brahim [453] filius Georgii et frater eius Botros, et Munferreth et frater eius. Nichilominus et [454] calumpniam illam, que in terminis finium territorii casalis Dominici Sepulcri, quod dicitur Bethsuri, inter canonicos Dominici Sepulcri et Milissendem [455] reginam, matrem siquidem meam, aliquandiu versabatur, ecclesie Dominici Sepulcri liberam, quietam et sine quolibet vel a successoribus meis vel a quibuslibet aliis impedimento vel molestia prorsus remitto et corroboro. Ut igitur hec omnia memorata superius eo ordine, quo pretaxatum est, ecclesia Dominici Sepulcri in omni pace nunc et usque in sempiternum habeat et possideat, presenti pagina subscriptis testibus sigillique mei suppressione denotata confirmo.

Factum est [456] hoc anno ab incarnatione Domini MCLX [457], indictione VIII. Hujus quidem rei testes sunt :

Letardus, archiepiscopus Nazarenus. Richardus [458], Andriensis episcopus. Arnulphus [459], canonicus Nazarenus. Philippus, domini regis capellanus. Stephanus, regie cancellarie secretarius. Radulfus, archiepiscopi Nazareni clericus.

e baronibus vero et de hominibus domini regis : Amalricus, comes Ascalonitanus. Henfredus de Torono, constabularius. Guigo [460] Francigena. Guillelmus, marescalcus. Abraham, vicecomes Nazarenus. Oitho de Risberge. Guigo [461] de Maneriis. Albertus de Retesth. Godescalcus. Petrus, foresterius.

Data Achon, per manum Radulfi, Bethleemite episcopi regisque cancellarii, VIII kalendas augusti.

LVI [462].

PRIVILEGIUM EJUSDEM [463] BALDUINI REGIS QUARTI DE CONFIRMATIONE VUETMOAMEL.

In nomine sancte et individue Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen.

Notum sit omnibus, tam presentibus quam futuris, quod ego Balduinus, per gratiam Dei in sancta Iherusalem Latinorum rex quartus, instanti prece Hugonis de Hybelino et concessione fratris sui Balduini et sororis sue Hermengardis, domine Tiberiadis [464], et matris sue Helois, et avunculorum suorum, Philippi scilicet Neapolitani, Guidonis Francigene, Henrici Bubali, et omnium aliorum, ad quos

[427] A, f° 53, r°; B, f° 55, v°. [428] Manque dans A. [429] B, *Barachet.* [430] B, *Theodros.* [431] B, *filius eius.* [432] B, *Helias.* [433] B, *Samuhel.* [434] B, *Samuhel.* [435] B, *Aazar.* [436] B, *Brahyn.* [437] B, *Thodros.* [438] B, *Brayn.* [439] B, *Helias.* [440] B, *Helias.* [441] B, *Helias.* [442] Suppléé d'après B. [443] B, *Braym.* [444] B, *Aiza.* [445] B, *Saac.* [446] B, *Calandria.* [447] B, *Baraquet.* [448] B, *Meferut.* [449] B, *Geuseth.* [450] B. *Munsor.* [451] B, *Braym.* [452] B, *Braym.* [453] B, *Braym.* [454] B, *etiam.* [455] B, *Milessendem.* [456] B ajoute *autem.* [457] A donne la date évidemment fausse de MCLV. [458] B, *Ricardus.* [459] B, *Arnulfus.* [460] B, *Guido.* [461] B, *Guido.* [462] A, f° 54, v°; B, f° 51, r°. [463] Manque dans A. [464] B, *Tyberiadis.*

presentis venditionis videtur pertinere concessio vel in posterum predicte possessionis vendite hereditaria possessio, laudo[465], confirmo, sigillique mei appositione corroboro venditionem et emptionem inter Hugonem de Hibelino[466] et fratres nostros canonicos Sancti Sepulcri legitime factam, cuius pactionem subsequens pagina declarat. Vendidit igitur predictus Hugo pretaxatis fratribus canonicis sacrosancte Resurrectionis ecclesie Vuetmoamel cum villanis et omnibus pertinentiis suis, exceptis duobus casalibus Arabici militis, scilicet Odabeb et Damersor; vendidit etiam Desabeb[467] cum villanis et pertinentiis suis omnibus, Corteis cum villanis et omnibus pertinentiis suis, in Zibi quidquid[468] ibi pater suus die, qua vixit et obiit, habuit, et ad dominium ipsius Hugonis vel successorum suorum hereditario jure[469] pertinet, in civitate Bethel similiter quidquid[470] pater suus die, qua vixit et obiit, habuit, et Hugoni tociens dicto sicut heredi vel suis successoribus obvenit. Hec, inquam, omnia predicta vendidit tociens dictus Hugo conventui Dominici Sepulcri pro septem milibus bizanciis iure perpetuo possidenda, et ab omni servitio[471], dominio, exactione soluta, libera et quieta. Ut autem hec venditio[472] firmior remaneret[473], et nullius eam contradictio vacillaret, sicut predixi, concessit eam frater suus Balduinus, et non minus mater sua Elois[474], et soror eius Hermengardis, domina videlicet Tyberiadis, avunculi etiam sui Philippus Neapolitanus, Guido Francigena, Henricus Bubalus; concesserunt etiam et cognati Hugonis de Ybelino[475], Philippus de Cafran, et frater eius et Petrus de Tell[e]i. Pro illis vero, qui infra annos sunt, sicut est Barisanus frater Hugonis de Hybelino et quedam soror sua parvula, nomine Stephania, et si qui etiam in eadem prosapia minoris etatis inveniuntur, vel in posterum inveniri poterunt, Hugo de Hybelino et frater suus Balduinus et Philippus Neapolitanus et Guido Francigena et Henricus Bubalus fideiussores sunt, quod, quando ad annum legitimum pervenerint, infra ipsum annum fatient[476] eos predictam venditionem[477] concede[re]. Non minus etiam ipsi idem predicti barones plagii[478] legitimi sunt ab omni calumpnia nunc et semper hec omnia predicta adquietandi, hoc tamen tenore, quod quicumque istorum plegiorum superstes fuerit, aliis humano more decedéntibus, ipse pro illis respondebit, et calumpniam adquietabit; si qua aliquando occasione ex quacumque calumpnia interim super istis prenominatis exorta fuerit, quicumque plegiorum predictorum prior occurrerit, ipse calumpniam pacificabit; si quis vero in posterum super prefatam venditionem calumpniam induxerit, illi, ad quos hereditas Hugonis post ipsum transierit, conventui Dominici Sepulcri obligati perpetuo tenebuntur, ut quidquid[479] damni propter motam calumpniam eidem conventui contigerit, sub estimatione bonorum virorum sepedicto conventui ab illis in integrum restauretur.

Factum est autem hoc anno ab incarnatione Domini MCLV, indictione IV. Huius quidem rei testes sunt :

Lethardus[480], archiepiscopus Nazarenus. Constantinus, Liddensis episcopus. Gaufridus, abbas Templi. Amilius, abbas Latine. Engerannus, prior Montis Syon. Rogerius, prior Sancti Abrahe. Balduinus, archidiaconus Lidde

De fratribus Templi :

Frater Odo, commendator. Frater Galterius de Berito. Frater Philippus. Frater Lodovicus[481].

De baronibus regis :

Humfredus de Toro[482], regis constabularius. Iohannes Gothman. Hugo Cesariensis.

Et de hominibus regis :

Odo de Sancto Amando. Willelmus de Barra. Odo de Tholent. Hugo de Bezan. Vivianus de Cayfas[483]. Gocelinus[484] Pesellus. Arnaldus de Crest, constabularius Tripolis. Arnulfus de Hisinguin. Willelmus de Monte Gisardi. Gocelinus de Samosac. Bartholomeus Suessionensis. Arnulfus, vicecomes Iherosolimitanus.

De burgensibus;

Hugo saliens in bonum. Petrus Petragoricensis. Bricius. Gaufridus Turonensis. Willelmus Normannus. Rainaldus Sicarius. Petrus de Sancto Jacobo. Petrus Hugonis. Petrus de Sancto Lazaro.

Data Accon[485], per manum Radulfi cancellarii, XIX kalendas febroarii.

LVII[486].

PRIVILEGIUM EJUSDEM[487] DE CONFIRMATIONE HUETDEBES.

In nomine sancte et individue Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen.

Notum sit omnibus, tam presentibus quam futuris, quod ego Bal[duinus], per gratiam Dei in sancta Iherusalem Latinorum rex quartus, terram illam, quam Hugo de Ybelino[488] a Musse Arabit et filio eius Georgio necnon et ab omnibus eorum parentibus, ad quos iure hereditario pertinere videbatur, sibi prorsus adquietavit, et absolutissimam reddidit, et postmodum spontanea voluntate sua atque comitis Ascalonitani concessione, de cuius feodo movet, omniumque parentum suorum, ad quos ex

[465] B ajoute *et*. [466] *Hybelino*. [467] B, *Dersabeb*. [468] B, *quicquid*. [469] B, *iure hereditario*. [470] B, *quicquid*. [471] B, *servicio*. [472] B, *vendicio*. [473] B, *permaneret*. [474] B, *Helois*. [475] B, *Hybelino*. [476] B, *facient*. [477] B, *vendicionem*. [478] Dans A on lit *pelagii*. [479] B, *quicquid*. [480] B, *Letardus*. [481] B, *Lodoicus*. [482] B, *Torono*. [483] B, *Cayphas*. [484] B, *Gozelinus*. [485] B. *Achon*. [486] A, f° 56, r°; B, f° 57, r°. [487] Cette première rubrique manque dans A. [488] B, *Hybelino*.

iure hereditario spectare credebatur, communi assensu canonicis Dominici Sepulcri venerabilibus fratribus meis pro tribus milibus bisanciorum vendidit, instanti prece predicti Hugonis, terram ipsam, de qua agitur, duo dumtaxat casalia cum omnibus villanis et pertinentiis suis ex integro, alterum quorum nuncupatur Deirmusim et alterum Huetdebes [489], ecclesie Dominici Sepulcri et canonicis nunc ibidem Deo servientibus et in posterum servituris laudo, et ab omni servitio, dominio, exactione iam dicta duo casalia libera, quieta et soluta iureque perhenni sine omni impedimento vel calumpnia cuiuslibet in perpetuum possidenda concedo. et presenti pagina subscriptis testibus sigillique mei subpressione denotata confirmo.

Factum est autem hoc anno ab incarnatione Domini MCLX, indictione VIII. Huius quidem rei testes sunt:

Letardus, archiepiscopus Nazarenus, Ricardus, Andriensis episcopus. Arnulfus, canonicus Nazarenus. Philippus, domini regis capellanus. Stephanus, regie cancellarie secretarius. Radulfus Anglicus, Nazareni archiepiscopi clericus.

De baronibus vero et de hominibus regis:

Amalricus, comes Ascalonitanus. Henfredus de Torono, constabularius. Guido Francigena. Guillelmus, marescalcus. Abraham, vicecomes Nazarenus. Otto de Risberge. Guido de Maneriis. Arbertus de Rethest. Godescalcus. Petrus, foresterius.

Data Acchon [490], per manum Radulfi, Bethleemite episcopi regisque cancellarii, VIII kalendas augusti.

LVIII [491].

PRIVILEGIUM [492] AMALRICI COMITIS DE DONO GELADIE ET DE CONFIRMATIONE OMNIUM POSSESSIONUM QUAS ECCLESIA SANCTI SEPULCRI HABET IN TERRA SUA.

In nomine sancte et individue Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen.

Notum sit omnibus, tam presentibus quam futuris, quod ego Amalricus, per Dei gratiam comes Ascalonis, ex assensu et voluntate domini et fratris mei Balduini, Iherosolimorum regis, laudamento pariter domine et matris mee, regine Milsendis, pro salute mea et pro animabus omnium parentum meorum, tam vivorum quam defunctorum, pro expensa etiam et mis[s]ione, quam fecerunt ad capiendum Ascalonem, dono et [493] concedo [et] [494] confirmo Dominici Sepulcri canonicis [495] et confratribus meis Deo nunc ibi servientibus et canonicis [496] servituris in perpetuum casale quoddam, quod vocatur Geliadia [497], cum sexdecim carrucatis terre, iuxta quod per homines meos fuit eis tradita, divisa, terminis et metis presignata [498], determinata. Dono etiam et confirmo eisdem canonicis [499] confratribusque meis unam domum in Ascalone et duas carrucatas terre in casali, quod dicitur Baincolbederan, in cambium cuiusdam mahumerie, que data fuit eis in Ascalone a captione eiusdem, quam predicti canonici [500] mei in capitulo suo pari voto assensuque domini patriarche A[malrici] omnes equanimiter mihi et successoribus meis in commutationem harum duarum carrucatarum domusque prefate concesserunt, condonaverunt, contradiderunt; hec autem mahumeria a Sarracenis dicitur Cathara, Latine vero Viridis. Confirmo pariter tociens dictis confratribus meis quatuor carrucatas terre, que est super flumen ante Ioppen, sicut divisa est et terminis metata, et gardinum unum ante Ioppen et vineam adiacentem, et vineam illam [501], que data fuit eis in helemosinam [502]. Confirmo eisdem quidquid [503] iuste et legitime habent, et in pace et sine calumpnia possident in Ascalone et territorio eius, in Ioppe et territorio eius similiter. Ut igitur hec omnia libere et quiete, solute [504] sine [omni] [505] exactione ac gravamine cumcanonici [506] et confratris [507] mei pretaxati in perpetuum possideant, cartam presentem sigillo meo testibusque subscriptis communivi.

Factum est autem hoc anno incarnationis Domini MCLX, indictione IV. Huius rei testes sunt:

Gunterius, prior Montis Syon. Aimericus, prior Montis Oliveti. Rainerus, cancellarius. Radulfus, archidiaconus Iherusalem. Simon [508] de Hosdenc [509] Focelinus de Samusac. Bertram [510], marescaldus [511]. Rohardus de Ioppe et frater eius, Barisanus. Raynaldus [512] de Ioppe. Gerbertus. Albertus. Lambertus. Pilatus [513]. Guillelmus Rufus. Gillebertus, castellanus.

Data Ioppe, per manum Radulfi cancellarii, II kalendas decembris.

LIX [514].

PRIVILEGIUM AMALRICI COMITIS DE CONFIRMATIONE VUETMOAMEL.

In nomine sancte et individue Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen.

Notum sit omnibus, tam presentibus quam futuris, quod ego Amalricus, per Dei gratiam comes Ascalonis, instanti prece Hugonis de Hybelino et concessione fratris sui Balduini et Hermengardis sororis sue, domine Tiberiadis [515], matrisque sue Alois et avunculorum suorum, Philippi scilicet de Neapoli, Guidonis Francigene, Henrici Bubali, omniumque aliorum, ad quos presentis venditionis [516]

[489] B, *Uetdebes.* [490] B, *Achon.* [491] A, f° 56, v°; B, f° 65, v°. [492] B, *Item.* [493] Manque dans B. [494] Suppléé d'après B. [495] B, *concanonicis.* [496] B, *canonice.* [497] B, *Geladia.* [498] B, *designata.* [499] B, *concanonicis.* [500] B, *concanonici.* [501] B, *aliam.* [502] B, *elemosinam.* [503] B, *quicquid.* [504] B, *solute et quiete.* [505] Suppléé d'après B. [506] B, *concanonici.* [507] Corrigez *confratres.* [508] B, *Symon.* [509] B, *Osdenc.* [510] B, *Bertrandus.* [511] B, *marescalcus.* [512] B, *Rainaldus.* [513] B, *Pylatus.* [514] A, f° 57, v°; B, f° 61, v°. [515] B, *Tyberiadis.* [516] B, *vendicionis.*

videtur pertinere concessio vel in posterum predicte possessionis vendite hereditaria possessio, laudo, confirmo, et sigilli mei appositione corrobore venditionem et emptionem inter Hugonem de Ybelino [517] fratresque nostros Sancti Sepulcri canonicos legitime factam, cuius pactionem subsequens pagina declarat. Vendidit igitur predictus Hugo pretaxatis fratribus canonicis Dominice Resurrectionis ecclesie Vuetmoamel cum villanis et omnibus pertinentiis suis, exceptis duobus casalibus Arabici militis, scilicet Odabeb et Darmersor; vendidit etiam Dersabeb cum villanis et omnibus pertinentiis suis, Corteis cum villanis et omnibus pertinentiis suis, in Zimi quidquid [518] ibi pater suus die qua vixit et obiit, habuit, et ad dominium ipsius Hugonis vel successorum suorum hereditario iure pertinet, in civitate Bethel similiter quicquid ibi pater suus die, qua vixit et obiit, habuit, et Hugoni tociens dicto sicut heredi vel successoribus suis pertinet. Hec inquam omnia predicta vendidit tociens dictus Hugo conventui Dominici Sepulcri pro septem millibus bizanciis iure perpetuo possidenda, ab omni servitio, dominio, exactione soluta, libera et quieta. Ut autem hec eius venditio firmior permaneret, et nullius eam contradicio [519] vacillaret, sicut predixi, concessit eam frater suus Balduinus et mater sua Helois [520] et soror sua Ermengardis [521], domina Tiberiadis [522], avunculi quoque sui Philippus Neapolis, Guido Francigena, Henricus Bubalus; concesserunt et cognati Hugonis de Hybelino, Philippus de Cafram [523] et frater ejus et Petrus de Teillei. Pro illis vero, qui infra annos sunt, sicut est Barisanus frater Hugonis et quedam soror sua Theophanne [524], si qui etiam in eadem prosapia minoris etatis inveniuntur, vel in posterum inveniri poterunt, Hugo de Hybelino et frater suus Balduinus et Philippus de Neapoli et Guido Francigena et Henricus Bubalus fideiussores sunt quod, quando ad annum legitimum pervenerint, infra ipsum annum fatient [525] eos predictam venditionem concedere. Non minus ipsi idem predicti barones plegii legitimi sunt ab omni calumpnia nunc ac semper hec omnia predicta adquitandi; hoc tamen tenore quod, quicumque istorum plegiorum superstes fuerit, aliis humano more decedentibus, ipse pro illis respondebit, et calumpniam adquietabit. Si qua aliquando occasione ex quacumque calumpnia interim super istis prenominatis exorta fuerit, quicumque plegiorum predictorum prior occurrerit, ipse calumpniam removebit pacificabitque. Si quis vero in posterum super prefatam venditionem calumpniam induxerit, illi, ad quos hereditas Hugonis post ipsum transierit, conventui iam dicto obligati perpetuo tenebuntur ut, quidquid [526] dampni propter motam calumpniam eidem conventui contigerit, sub extimatione [527] bonorum virorum conventui predicto ab illis in integrum restauretur.

Factum est autem hoc anno incarnationis dominice MCLV, indictione IV. Huius rei testes sunt:

Letardus, archiepiscopus Nazarenus. Costantinus [528], Liddensis episcopus. Gaufridus, abbas Templi. Amilius, abbas Latine. Engelrannus, prior Montis Syon. Rogerius, prior Sancti Abraham. Balduinus, Lidde archidiaconus.

De frātribus Templi:

Frater Odo, comendator. Frater Gauterius de Berito. Frater Philippus. Frater Ludoicus.

De baronibus regis:

Henricus [529] de Turone, regis constabulārius. Iohannes Gotman [530]. Ugo [531] Cesariensis. Odo de Sancto Amando. Willelmus de Barra. Odo de Tolent. Ugo [532] de Betsan. Vivianus de Cayphas [533]. Iocelinus Pesellus. Arnaldus de Crest, constabularius Tripolis. Arnulfus de Hysengihm [534]. Gillelmus de Monte Gisardi. Iocelinus de Samusac.

De burgensibus:

Arnulfus, vicecomes Iherusalem. Hugo saliens in bonum. Petrus Petragoricensis. Bricius. Gaufridus Turonensis. Willelmus Normannus. Rainaldus Siccarius. Petrus de Sancto Iacobo, Petrus Hugonis. Petrus de Sancto Lazaro.

Data Acchon [535], per manum Radulfii cancellarii, XIX kalendas febroarii.

LX [536].

PRIVILEGIUM EJUSDEM [537] DE CONFIRMATIONE HUETDEBES.

In nomine sancte et individue Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen.

Notum sit omnibus, tam presentibus quam futuris, quod ego Amalricus, per Dei gratiam comes Ascalonis, instanti prece Hugonis de Hybelino et concessione fratrum suorum Balduini et Barisani et Hermengardis sororis sue matrisque sue Alois et avunculorum suorum Philippi de Neapoli, Guidonis Francigene, Henrici Bubali, omniumque aliorum, ad quos presentis venditionis videtur pertinere concessio aut in posterum predicte possessionis vendite hereditaria possessio, laudo, confirmo, et sigilli mei appositione corroboro venditionem et emptionem inter Hugonem prenominatum fratresque meos Sancti Sepulcri canonicos legitime factam, cujus pactionem subsequens pagina declarat. Vendidit igitur tociens dictus Hugo pretaxatis Sancti Sepulcri cannonicis [538]. Huetdebes cum villanis

[517] B, *Hybelino*, [518] B, *quicquid*. [519] B, *contradiccio*. [520] B, *Alois*. [521] B, *Hermengardis*. [522] B, *Tyberiadis*. [523] B, *Cafran*. [524] B, *Theophannia*. [525] B, *facient*. [526] B, *quicquid*. [527] B, *estimatione*. [528] B, *Constantinus*, [529] B, *Henfredus*. [530] B, *Gothman*. [531] B, *Hugo*. [532] B, *Hugo*. [533] B, *Caypha*. [534] B, *Hysenghin*. [535] B, *Achon*. [536] A, f° 58, v°, B, f° 63, r°. [537] Dans B cette première rubrique est ainsi concue. *Aliud vrivilegium Amalrici comitis*. [538] B, *canonicis*.

et omnibus pertinentiis suis, Deirmuesim etiam A cum villanis et omnibus pertinentiis suis, cum omni plenitudine, quam in eis habuerunt ex dono pie memorie patris sui Barisani Muisse Arrabit filiusque eius Georgius, queque ad successores eorum hereditario iure spectabat, pro tribus millibus bisantiis iure perpetuo possidenda, ab omni servitio, dominio, exactione soluta, libera et quieta. Hugo enim de Hybelino, pro imminente necessitate captivitatis redemptionisque sue compulsus, prédictis hominibus suis, Muisse Arrabit et filio eius Georgio, dedit voluntatem ad eorum [539] cambium pro predictis casalibus eorumque pertinentiis; illi venditionem prefatam iuramento in capitulo Sancti Sepulcri confirmaverunt, et manutenendam contra omnes promiserunt. Ut vero hec venditio firmior permaneret, B et nullius eam contradicio [540] infirmaret, concesserunt eam [541], sicut predixi, fratres eius Balduinus et Barisanus materque sua Alois et soror sua Ermengardis [542], avunculi quoque eius Philippus de Neapoli, Guido Francigena, Henricus Bubalus, et cognati sui Philippus de Caphran [543] et frater eiusdem et Petrus de Teillei; pro illis vero, qui infra annos sunt, sic [ut] est quedam soror tociens dict' Hugonis Stephania et aliqui de heredibus predicti Arrabit et filii eius Georgii, si qui etiam in eorundem prosapia minoris etatis inveniuntur, aut in futurum poterunt inveniri, Hugo de Ybelino [544] et frater eius Balduinus et tociens dicti Muisse Arrabit filiusque eius Georgius, Simon de Aia [545], Ordelet et C Stephanus filius eius, Adam de Orgeol, Nicholaus de Hibelino [546], Hosmundus, Radulfus frater eius, Lebertus, Paganus de Rohais, Philippus de Caphran [547], iuraverunt super sacrosancta, fideiussores quoque sunt quod, quando ad annum legitimum pervenerint, infra ipsum annum fatient [548] eos in capitulum Sancti Sepulcri venire et tociens dictam venditionem concedere. Isti idem predicti non minus plegii legitimi sunt ab omni calumpnia nunc et semper omnia hec predicta adquietandi. Denique si quid [549] de omnibus suprascriptis imminutum fuerit, omnes isti, qui super prenominata emptione iusiurandum prestiterunt, per capitulum Sancti Sepulcri sive per eiusdem internuncium [550] submoniti, usque ad XV diem a tempore submonitionis infra muros Iherusalem ut obsides permanebunt, D donec res in integrum et solidum reformetur.

Factum est autem hoc anno incarnationis Domini MCLVIII, indictione VII. Huius quidem rei testes sunt:

[Ricardus], episcopus Andrie. Gaufridus, abbas Templi. Gunterius, prior Montis Syon.

De hominibus regis :

Adam Niger et frater eius, Fulcho [551]. Robertus de Retest.

De hominibus meis

Simon [552] de Hosdenc. Iocelinus de Samusach [553] et frater eius, Balduinus. Gerbertus. Guibertus. Albertus. Guillelmus de Tiro [554]. Guillelmus de Tiberiade [555]. Leveraldus. Giraldus de Rumminhi [556].

De stipendiariis meis

Galterius de Haino. Guillelmus de Rumhe. Albertus de Guarch. Robertus de Sancto Kavileffo. Fulco.

De burgensibus regis :

Hugo saliens in bonum. Goffredus Turonensis.

LXI [557].

B PRIVILEGIUM EJUSDEM DE CONFIRMATIONE VINEE, QUE FUIT NAYM SURIANI.

In nomine sancte et individue Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen.

Notum sit omnibus, tam presentibus quam futuris, quod ego Amalricus, per Dei gratiam comes Ascalonis, ob remedium quidem peccatorum meorum presentium, preteritorum atque futurorum, parentumque meorum, tam vivorum quam mortuorum, dono, concedo, atque confirmo venerabilibus fratribus meis Dominici Sepulcri canonicis, et tibi specialiter, Hugo decane Ioppensis, qui diceris de Tharso, unam petiam [558] vinee, que fuit cuiusdam Suriani, Naïm [559] nomine, quam tu, decane prenominate, emisti LII bizanciis a predicto Naïm [560]; C duas inquam partes, que fuerunt Naym, ab ipso emisti, terciam vero partem, que mei iuris est, dono et confirmo, sicut predictum est, tociens dicte decane, tibi cannonicisque [561] pretexatis. Dono etiam tibi, decane, et fratribus prenominatis partem et ius totum, quod ad me spectat, in vinea Menferreti Suriani. Iste autem due petie [562] vinee sunt ab ortu solis juxta vineam Sepulcri Domini. Pro hoc autem dono atque confirmatione dedit mihi tua, decane, paterna dilectio c bizancios. Ut igitur libere, quiete omnique sine exactione usibus tuis, decane, et canonicorum tociens dictorum petie [563] iste due vinee fratribusque vobis canonicis [564] successuris in perpetuum deserviant, cartam hanc testibus subscriptis D et sigilli mei appositione communiri precepi.

Factum est hoc anno incarnationis Domini MCLVIII. Huius rei testes sunt :

Iocelinus de Samusac et frater eius, Balduinus. Garcio. Iordanus Bestia. Raphael. Pontius [565]. Thomas Turchie et sororius eius, Herbertus. Lambertus Galiota.

Data in Ascalone, per manum Radulfi cancellarii, XVIII kalendas decembris.

[539] B, *ad eorum voluntatem.* [540] B, *contradictio.* [541] B, *etiam.* [542] B, *Hermengardis.* [543] B, *Cafran.* [544] B, *Hybelino.* [545] B, *Symon de Haia.* [546] B, *Hybelino.* [547] B, *Cafran.* [548] B, *facient.* [549] On lit dans A : *si quidem.* [550] B, *internuntium.* [551] B, *Fulco.* [552] B, *Symon* [553] B, *Samusac.* [554] B, *Tyro.* [555] B, *Tyberiade.* [556] B, *Girardus de Ruminhi.* [557] A, f° 60, r°; B, f° 64, v°. [558] B, *peciam.* [559] B, *Naym.* [560] B, *Naym.* [561] B, *canonicisque.* [562] B, *pecie.* [563] B, *pecie.* [564] B, *canonice.* [565] B, *Poncius.*

LXII [566].

PRIVILEGIUM HUGONIS DE YBELINO [567] DE VENDITIONE VUETMOAMEL [568].

In nomine sancte et individue Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen.

Notum sit omnibus, tam presentibus quam futuris, quod ego Hugo de Ybelino, concessione fratris mei Balduini et sororis mee Hermengardis, domine Tiberiadis [569], et matris mee Alois et avunculorum meorum, Philippi scilicet de Neapoli, Guidonis Francigene, Henrici Bubali, omniumque aliorum, ad quos presentis venditionis videtur pertinere concessio vel in posterum predicte possessionis vendite hereditaria possessio, vendidi canonicis Dominici Sepulcri Vuetmoamel [570] cum villanis et pertinentiis suis omnibus, exceptis duobus casalibus Arabici militis, B scilicet Odabeb et Darmersor; vendidi etiam Dersabeb cum villanis et omnibus pertinentiis suis, Corteis cum villanis et omnibus pertinentiis suis, in Zimi quicquid ibi pater meus die qua vixit et obiit, habuit, et ad dominium meum vel successorum meorum hereditario iure pertinet, in civitate Bethel similiter quicquid ibi pater meus die qua vixit et obiit, habuit, et mihi [571] sicut heredi vel meis successoribus pertinet. Hec inquam omnia predicta vendidi predictis fratribus Dominici Sepulcri pro septem millibus bizanciis iure perpetuo possidenda, ab omni servitio, dominio, exactione soluta, libera ac quieta. Ut autem hec mea venditio firmior permaneret, et nullius eam contradictio vacillaret, sic- C ut predixi, concessit eam frater meus Balduinus et non minus mater mea Helois [572] et soror mea Hermengardis, domina Tiberiadis [573], avunculi etiam mei Philippus de Neapoli, Guido Francigena, Henricus Bubalus; concesserunt et cognati mei Philippus de Cafran et frater eius et Petrus de Tellei. Pro illis vero qui infra annos sunt, sicut Barisanus frater meus et soror mea Stephania, si qui etiam in mea prosapia minoris etatis inveniuntur, aut in posterum inveniri poterunt, ego et frater meus Balduinus et Philippus de Neapoli et Guido Francigena et Henricus Bubalus fideiussores sumus quod, quando ad annum legitimum pervenerint, infra ipsum annum fatiemus [574] eos predictam venditionem concedere. Non minus etiam nos ipsi idem D predicti barones plegii legitimi sumus ab omni calumpnia nunc et semper hec omnia predicta adquietandi; hoc tamen tenore quod, nostrum plegiorum quicunque superstes fuerit, aliis humano more decedentibus, ipse pro omnibus respondebit, et calumpniam adquietabit. Si qua aliquando occasione ex quacunque calumpnia interim super istis prenominatis exorta fuerit, quicumque nostrum plegiorum prior occurrerit, ipsa calumpniam removebit ac pacificabit; si quis vero in posterum super prefatam venditionem calumpniam induxerit, illi ad quos hereditas mea post me transierit, conventui Sancti Sepulcri tenebuntur obligati ut, quicquid dampni propter motam calumpniam eidem conventui contigerit, sub estimatione bonorum virorum predicto conventui ab illis in integrum restauretur, et venditio pretaxata rata in perpetuum maneat. Ut igitur huius mei privilegii auctoritati nichil desit, tum quia hec omnia facta sunt assensu et voluntate domini mei Amalrici, comitis Ascalonis, de cuius feodo fuit presentis venditionis [575] possessio, tum quia ipse sigillum non habeo instanti prece feci presentem cartam sigillo iam dicti domini mei, comitis Ascalonis, corroborari.

Letardus, Nazareth archiepiscopus. Constantinus, Liddensis episcopus. Gaufridus abbas Templi. Amilius, abbas Latine. Engelrannus, prior Montis Syon. Rogerius, prior Sancti Abraham. Balduinus, archidiaconus Lidde.

De fratribus Templi:

Odo, commendator. Gauterius de Berito. Philippus. Lodoicus.

De baronibus:

Henfredus de Torono [576], regis constabularius. Iohannes Gotman. Hugo Cesariensis. Odo de Sancto Amando. Willelmus de Barra. Odo de Tolent. Hugo de Bezan. Vivianus de Caypha. Iocelinus Pesellus. Arnaldus de Crest, constabularius Tripolis. Arnulphus de Ysengihm [577]. Willelmus de Monte Gisardi. Iocelinus de Samusac. Bartholomeus Suessionensis.

De burgensibus:

Arnulfus, vicecomes Iherusalem. Hugo saliens in bonum. Petrus Petragoricensis. Bricius. Gaufridus Turonensis. Willelmus Normannus. Rainaldus Siccarius. Petrus de Sancto Iacobo. Petrus Hugonis. Petrus de Sancto Lazaro. Andreas, filius Toseti.

Data Acchon [578], per manum Radulfi cancellarii, XIX kalendas februarii.

LXIII [579].

PRIVILEGIUM EIUSDEM DE VENDITIONE HUETDEBES.

In nomine sancte et individue Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen.

Notum sit omnibus, tam presentibus quam futuris, quod ego Hugo de Ybelino [580], concessione fratrum meorum Balduini et Barisani et Hermengardis sororis mee matrisque mee Alois et avunculorum meorum Philippi de Neapoli, Guidonis Francigene, Henrici Bubali, omniumque aliorum, ad quos presentis venditionis videtur pertinere concessio vel in posterum predicte possessionis vendite hereditaria possessio, vendidi fratribus meis Sancti Sepulcri canonicis Huetdebes cum villanis et omnibus pertinentiis suis et Deirmugsin etiam cum villanis et omnibus pertinentiis suis, cum omni plenitudine, quam in

[566] A, f° 60, v°; B, 66, v°. [567] B, *Hybelino*. [568] B, *Hvuetmouval*. [569] B, *Tyberiadis*. [570] B, *Huetmoamel*. [571] *michi*. [572] B, *Alois*. [573] B, *Tyberiadis*. [574] B. *faciemus*. [575] B, *vendicionis*. [576] B, *Turono*. [577] B, *Ysengihn*. [578] *Achon*. [579] A, f° 61, v°; B, f° 68, r°. [580] B, *Hybelino*.

eos habuerunt ex dono patris mei Barisani Muisse A Arrabit et filius ejus Georgius, queque ad successores eorum hereditario iure pertinebat; vendidi, inquam, pro tribus millibus bisantiorum iure perpetuo possidenda, ab omni calumpnia, servitio, dominio, exactione soluta, libera et quieta. Ego enim, pro imminente necessitate captivitatis et redemptionis mee compulsus, predictis hominibus meis, Muisse Arrabit filioque suo Georgio, dedi ad voluntatem eorum cambium pro predictis casalibus et eorum pertinentiis; illi vero venditionem hanc in capitulo Sancti Sepulcri iuramento confirmaverunt, et manutenendam contra omnes promiserunt. Ut autem hec mea venditio firmior permaneret, et nullius eam contradictio vacillaret, concesserunt eam, sicut predixi, fratres mei Balduinus et Barisanus materque B mea Alois et soror mea Hermengardis, avunculi etiam mei Philippus de Neapoli, Guido Francigena, Henricus Bubalus; concesserunt et cognati mei Philippus de Cafran et frater eius Petrusque de Teilli. Pro illis vero qui infra annos sunt, sicut est quedam soror mea Stephania et aliqui de predicti Arrabit et filii eius heredibus Georgii totiens [581] dicti, si qui etiam in mea et eorumdem prosapia minoris etatis inveniuntur aut in posterum inveniri poterunt, ego et frater meus Balduinus et homines mei, predictus Muisse Arrabit et filius eius Georgius, Symon de Haia, Ordelet et Stephanus filius ejus, Adam de Orgeol, Nicholaus de Ybelino [582], Hosmundus Radulfusque frater eius, Lebertus, Paganus de Rohais, Philippus de Cafran, super sacrosancta iuravimus et fideiussores sumus quod, quando ad annum legitimum pervenerint, infra ipsum annum fatiemus [583] in capitulum Sancti Sepulcri venire et tociens dictam venditionem concedere. Nos idem predicti non minus sub præfato iuramento plegii legitimi sumus hec omnia predicta nunc et semper ab omni calumpnia adquietandi. Denique si quid [584] de supradictis immunitum fuerit, nos, qui super prenominata venditione iusiurandum fecimus, per capitulum Sancti Sepulcri vel per eiusdem internuntium submoniti, a die submonitionis usque ad xv diem infra muros Iherusalem ut obsides permanebimus, donec res in integrum et firmum reformetur. Ut igitur huius mei privilegii auctoritati nichil desit, D tum quia hec omnia facta sunt assensu et voluntate domini mei Amalrici, comitis Ascalonis, de cuius feodo fuit presentis venditionis possessio, tum quia ipse sigillum non habeo, sedula prece obtinui cartam istam sigillo iam dicti domini mei comitis corroborari.

Factum est autem hoc anno incarnationis Domini [585] MCLVIII, indictione VII. Huius rei testes sunt :

Constantinus, Liddensis episcopus. Absalon, episcopus. Gaufridus, abbas Templi. Rainaldus, prior Latine, Petrus de Calvario.

De fratribus Hospitalis :

Petrus Bertrandi et Willelmus de Acer. Azo, capellanus casalis Balneorum. Radulphus, capellanus Ramarum. Paletel. vicecomes Ybelini.

De burgensibus regis :

Humbertus de Bar. Symon Ruffus. Bricius, Gaufridus Turonensis. Guillelmus [586] Normannus. Iohannes Raimundi. Guibertus Papais. Petrus Burdinus. Petrus de Sancto Iacobo. Hugo Saliens in bonum. Radulphus Burgensis. Petrus de Sancto Lazaro. Iohannes Vitrarius. Everunimus [587]. Anschetinus. Iohannes, filius Rainaldi, Pictavus.

LXIV [588].

PRIVILEGIUM HERBERTI, ABBATIS SANCTORUM IOSEPH ET ABACUC [589], DE COMMUTACIONE [590] BETHEL.

In nomine sancte et individue Trinitatis.

Notum sit omnibus, tam presentibus quam futuris, quod ego Herbertus [591], per Dei gratiam abbas Sanctorum Ioseph et Abacuc, laudante et consentiente universo tam clericorum quam laicorum Deo inibi famulante conventu, in presentia bonorum hominum, quorum nomina subter leguntur, commutavimus et reddidimus Hugoni de Ybelino, domino Ramathensi, quecumque pater eius Barisanus nobis apud Bethel dederat, videlicet ipsum Bethel et Beze, quod dicitur Bazirim, cum duabus carrucatis terre, et quinque iornatas terre, quas ibi querebamus, turC rim quoque et quidquid [592] ibi edificavimus, ut prefatus Hugo habeat potestatem exinde faciendi quicquid sibi placuerit absque omni nostra et successorum nostrorum contradictione. Capellam etiam, quam ibi construximus, tum precepto domini patriarche A[malrici], tum domini Hugonis precibus, domino priori N[icholao] et Sancti Sepulcri conventui dedimus. Confirmationes vero quas in privilegiis nostris super his omnibus habemus supradictis, omnino cassamus et in irritum penitus ducimus. Que omnia in presentia nostri fratrumque nostrorum et Balduini, archidiaconi Sancti Georgii, cantorisque eiusdem ecclesie Gisleberti et magistri Anschetini, fratris Roberti de Git, Marsirii quoque et Andree Andegavensis militum et Alberti Lombardi ipse doD minus Hugo conventui Sancti Sepulcri per manus cannonicorum [593] ipsius ecclesie, domini scilicet Bernardi cantoris et magistri Achillis, in ipsa ecclesia Sancti Ioseph [594] dedit, concessit et tradidit libere et quiete perpetuo possidenda, nobis omnibus communi assensu et bona voluntate eandem donationem laudantibus, consentientibus et confirmantibus. Pretaxatus autem Hugo voluntati nostre satisfaciens et utilitati ecclesie nostre consulens, pro hac commutatione dedit nobis partem turonii, quod est sub Mirabello ad surdos fontes, et duas carrucatas in eodem territorio. Ut igitur hoc ratum inconvul-

[581] B, *tociens*. [582] B, *Hybelino*. [583] B, *faciemus*. [584] On lit dans A : *si quidem*. [585] B, *dominice*. [586] B, *Willelmus*. [587] B, *Everinunus*. [588] A f° 62, v°; B. f° 69, v°. [589] B *Abacuch*. [590] B. *commutatione*. [591] B *Arbertus*. [592] B, *quicquid*. [593] B, *canonicorum*. [594] *Iosep*.

sumque permaneat, sigilli nostri impressione et fratrum subscriptorum testimonio confirmamus.

Ego Herbertus, abbas, subscripsi signum crucis faciendo [595].

Fratres : Bonetus. Nicholaus, Martinus. Harduinus. Martinus. Robertus. Lambertus. Laurentius [596]. Petrus. Guillelmus. Raymundus [597]. Albertus. Ebroinus. Umbertus. Iohannes. Garinus [598]. Anselmus. Bernardus. Christianus Gerardus. Iohannes. Saberandus [599]. Galandus.

Ab corroborationem presentis privilegii sigillum domini Constantini apponimus, Ramathensis episcopi, una cum sigillo nostro cereo.

Hoc autem factum est anno ab incarnatione Domini MCLX, indictione VIII, regnante Balduino, rege Latinorum quarto.

LXV [600].

PRIVILEGIUM HUGONIS DE YBELINO, DE DONO BETHEL [601].

In nomine sancte et individue Trinitatis.

Notum sit omnibus, tam presentibus quam futuris, quod ego Hugo de Ybelino [602], Dei gratia Ramathensis [dominus] [603], pro remedio animarum, tam mee quam parentum meorum, et pro magno a fratribus meis ecclesie Sancti Sepulcri canonicis [604] in captionis mee liberatione mihi collato beneficio, domino N[icholao] [605] priori et eiusdem ecclesie conventui in presentia domini Amalrici patriarche et domini Constantini, Ramathensis episcopi, dono, concedo [606] et trado quicquid pater meus Barisanus dederat ecclesie Sancti Ioseph in helemosinam [607] apud Bethel, ipsum videlicet Bethel et Beze, quod Bazarim [608] dicitur, cum duabus carrucatis terre, et quinque iornatas [609] terre, quas fratres Sancti Ioseph ibi requirebant, turrim quoque et quecumque ibi edificaverant, benigne consentientibus et concedentibus ipsius ecclesie Sancti Ioseph abbate Herberto fratribusque eius omnibus; quibus dedi pro commutatione predicte patris mei helemosine, pro voluntate et arbitrio eorum, in territorio de Mirabello partem turonii, quod superiacet surdis fontibus, et in eodem territorio duas carrucatas terre que longe meliora et commodoria eis esse noscuntur; Bethel enim, quia termini eorum ibi dilatari non poterant, sicut ab eis sepe audivi, aut nichil aut parum [610] eis prodesse poterat. Ecclesiam autem, quam ibi edificaverant, tam pro domini patriarche mandato quam pro mea petitione [611] et precibus, abbas fratresque A sui priori predictoque Sancti Sepulcri conventui communi assensu concesserunt atque dederunt. Hec igitur omnia pretaxata, concedentibus et confirmantibus fratribus meis, Balduino et Barisano, sororibusque meis, Ermengarde [612] et Steph[an]ia, libere et quiete ipsi fratres mei Sepulcri Domini cannonici [613] perpetuo possideant, habeantque [614] liberam facultatem quodcumque eis placuerit inde faciendi [615] absque mea et heredum meorum vel parentum [616] contradictione. Ut autem hoc ratum inconvulsumque permaneat, sigilli Balduini avi mei, Ramathensis Latinorum domini primi, impressione corroboro.

Quod factum est consilio domini Philippi Neapolitani, qui et ipse testis [est] [617].

B Testes etiam sunt :

Radulphus, Iherosolimitanus archidiaconus. Bernardus, monachus. Iohannes, decanus Sancti Georgii. Balduinus, archidiaconus. Gislebertus [618], cantor. Franco. Magister Anschitinus. Azo, Radulphus, Erchenbertus [619], capellani. Rainaldus de Sancto Gallerico [620]. Marsirius de Ramatha. Andreas Andegavensis. Albertus Lombardus. Umbertus de Bar. Symon Ruffus. Herbertus Tortus. Iohannes Raimundi.

Testatur etiam hoc Barisanus et confirmat. Confirmat quoque venditiones [621] casalium, scilicet Odomamel, Dersabe, Corteiz, Hodabet, Dermasun, que C ego prenominatus Hugo de Ybelino [622], frater eius [623] canonicis Dominici Sepulcri vendidi.

Donationis mee supradicte [624] et confirmationis fratris mei testes sunt [625] :

Ordelez [626]. Philippus de Caphran [627]. Paganus de Rohais. Georgius Arrabit [628]. Adam Dorniel. Osmundus. Paganus de Isengrin [629]. Garinus. Iordanus de Ybelino [630]. Radulphus et Petrus, capellani.

Hec autem facta sunt anno ab incarnatione Domini MCLX, indictione VIII, regnante Balduino, quarto Iherosolimorum rege Latinorum.

Ad confirmationem et corroborationem presentis privilegii ego Constantinus, Ramathensis episcopus, sigillum meum appono.

LXVI [631].

PRIVILEGIUM DE REBELLIONE A PRIORE ET CANONICIS MONTIS OLIVETI FACTA ADVERSUS CANONICOS SANCTI SEPULCRI, ET SATISFACTIONE ET DE IUDITIO [632] A PERSONIS INDE FACTO.

Scriptum est : *Caro corruptibilis aggravat ani-*

[595] B, *faciendo.* [596] *Lauriencius.* [597] B, *Raimundus.* [598] B, *Guarinus.* [599] B, *Siberandus.* [600] A f° 63, v°; B, f° 70, v°. [601] Ces deux rubriques manquent dans B. [602] B, *Hybelino,* [603] Suppléé d'après B. [604] B, *canonicis.* [605] Suppléé d'après B. [606] B, *concedo, dono.* [607] B, *helemosina.* [608] B, *Bazarim.* [609] B, *iornatis.* [610] B, *aut parum, aut nichil.* [611] B, *peticione.* [612] B, *Ermengarda.* [613] B, *canonici.* [614] B, *et habeant.* [615] B, *faciendi.* [616] B, *heredum vel parentum meorum.* [617] Suppléé d'après B. [618] B, *Gillebertus.* [619] B, *Erchembaldus.* [620] B, *Valerico.* [621] Cette phrase est construite dans B de la manière suivante : *Testatur quoque frater meus B. et confirmat non solum hec, verum etiam venditiones, etc...* [622] B, *Hybelino.* [623] Ces deux mots manquent dans B. [624] B, *Supradicte igitur donationis mee et, etc...* [625] Dans A les mots *testes sunt* se trouvent rejetés après les signatures. [626] B, *Ordeletz.* [627] B, *Caphrano.* [628] B *Arrabiz.* [629] B, *Hisengrino.* [630] B, *Hybelino.* [631] A, f° 64, r°; A. f° 92, r°. [632] B, *iudicio.*

mam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa-cogitantem. Intuentem [633] itaque mentium [634] humanarum conditionum [635]. quod facile preteritarum sive presentium rerum gesta, nisi certis aliquibus signis annotentur, ab omni tolluntur memoria, commodum duximus nos fratres in Christo canonici, sub regimine venerabilis [636] patris patriarche Fulcherii in ecclesia Sanctissime Resurrectionis Ihesu Christi Iherosolimis constituti, ad memoriam tam presentium quam succedentium in perpetuum notam rebellionis et indignationis reducere, quam canonici confratres nostri in ecclesia Montis Oliveti cum priore suo Aimerico adversus matrem suam, ecclesiam videlicet prephatam [637] cuius filii et servi sumus etsi indigni, moliti sunt facere, et satisfactionem presumptionis sue, [quam] iuste archiepiscoporum, scilicet P[etri] Tyriensis, B[alduini] Cesariensis, L[etardi] Nazareni; episcoporum, R[adulfi] Bethleemite, C[onstantini] Liddensis, R[einerii] Sebastensis, F[rederici] Acchonensis [638], A[lberti] Tyberiadensis, A[dami] Pancadensis, A[malrici] Sydoniensis, M[ainardi] Beritensis [639]; abbatum, G[aufridi] Templi Domini, P[etri] Sancte Marie Iosaphat, A[milii] Sancte Marie Latine, R... Sancte [640] Samuelis, H[erberti] Sancti Abacuc, E[ngeranni prioris Montis Syon, H[ugonis] prioris Templi Domini, R[adulphi] prioris Sebasteni, iudicio [641] coram Sanctissimo Sepulcro coacti sunt exibere [642].

Anno MCLVI incarnationis Domini, cum dominus Patriarcha Fulcherius Romam pergeret propter simultates quorumdam parrochianorum nostrorum impie et inique contra Sanctum Domini Sepulcrum rebellantium, adveniente sancte ascensionis die, predecessorum meorum [643] ritum, qui ante nos fuerunt, sed et patriarcharum constitutionem pro posse nostre prosequentes, cum solempni apparatu processionis nostre secundum consuetudinem ad ecclesiam Montis Oliveti venimus, debitam ea die in ea stationem cum plenario servitio facturi. Quod videntes canonici illius loci cum priore suo, prenominato Aimerico, moleste adventum nostrum ferentes, restiterunt nobis in faciem [644], dicentes se nullo modo velle pati ut aliquam dignitatem sive stationem [645] ex debito aut pro consuetudine in ecclesia sua, absente patriarcha, haberemus, equales se per omnia ecclesie Sanctissimi Sepulcri comparantes, neque aliquam ei subjectionem se debere protestantes. Nos autem pro tempore et loco siluimus, et repulsam nostram ob reverentiam tante sollepnitatis patienter pertulimus; sicque ad ecclesiam nostram revertentes, adventum domini patriarche prestolati sumus. Cui, cum a Roma tempore succedente regressus esset, assidenti in episcoporum et personarum sed et cleri et plebis plena-

A rio conventu. presumptionis et indignationis supramemoratorum canonicorum seriem conquerendo patefecimus; sicque post auditam nostram adversum eos querimoniam et illorum responsionem consilio personarum decretum est ut discaltiati [646] a Monte Oliveti usque ad Sepulcrum Domini venirent. Dominus vero P[etrus] Tyrientis [647] et A[dam] Paneadensis et M[ainardus] Beritensis [648], humilitate et pietate commoti, cum prephato [649] Montis Oliveti priore et cum canonicis ejus, videlicet Guidone, Bonitio [650], Johanne, Berruier, Durando, Odone, Zacharia, pedibus nudis [651], pro corum satisfactione in capitulum nostrum plenarium venerunt. Definitum est etiam et ab eo tempore quo renovatum est Dei servitium [652] in sancta Jherusalem post expul-
B sionem Sarracenorum, ab omnibus personis, archiepiscopis, episcopis et aliis, qui supramemorato coram domino patriarcha interfuerunt conventui, recordatum hanc esse Sanctissimi Sepulcri dignitatem et consuetudinem et debitum, ut, ad quamcumque ecclesiam infra civitatem Jherusalem vel extra faciat processionem, sicut in die purificationis ad Templum, in die ascensionis ad Montem Oliveti, in die pentecostis ad Montem Syon, in die vero assumptionis sancte Marie ad Vallem Josaphat, conventus ipsius Sancti Sepulcri disponendi tocius servitii habeat primationem cum plenaria stationis sue dignitate, ita ut, si dominus patriarcha defuerit, prior Sancti Sepulcri missam in his sollepnitatibus per
C unamquamque ecclesiam cantet, et sermonem ad populum fatiat [653] nisi alteri alicui id velit injungere.

LXVII [654].

PRIVILEGIUM WILLELMI, TIRENSIS [655] ARCHIEPISCOPI, DE DONO ECCLESIE BEATE MARIE, QUE EST APUD TYRUM.

In nomine sancte et individue Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Ego Willelmus, Dei gratia Tirensis [656] ecclesie archiepiscopus Latinorum secundus, do et concedo firmiter et inconcusse ecclesie Sanctissimi Sepulcri et canonicis fratribus meis inibi Deo famulantibus ecclesiam Beate Marie Tiri [657] iure perpetuo possidendam per manum domini patriarche Stephani et
D Willelmi, ejusdem Sanctissimi Sepulcri Domini [658] prioris. Et quoniam donationem hanc ratam atque firmam manere volui, quod sano consilio et filiorum meorum ecclesie nostre canonicorum assensu et voluntate feceram, presentis scripti pagina denotare et sigillo meo sigillare et personalium virorum qui huic donationi interfuerunt, domini videlicet patriarche et cleri et regis et baronum suorum, testimonio corroborare dignum duxi.

Factum est autem hoc publice, in urbe Acchon [659]

[633] B, *Intuentes.* [634] B, *mencium.* [635] Corrigez *conditionem.* [636] B, *veneravili.* [637] B, *prefatam.* [638] B, *Achonensis.* [639] B, *Berithensis.* [640] B, *Sancti.* [641] B, *iuditio.* [642] B, *exhibere.* [643] B, *nostrorum.* [644] B, *faciem.* [645] B, *stacionem.* [646] B, *discalciati.* [647] B, *Tyrensis.* [648] B, *Berithensis.* [649] B, *prefato.* [650] *Bonicio.* [651] B, *nudis pedibus.* [652] B, *servitium Dei.* [653] B, *faciat.* [654] A, f° 65, v°; B, f° 75; v°. [655] B, *Tyrensis.* [656] B, *Tyrie.* [657] B, *Tyri.* [658] Manque dans B. [659] B, *Achon.*

anno ab incarnatione Domini MCXXIX, presidente A ecclesie Sancti Sepulcri domino Stephano patriarcha, Balduino secundo Iherosolimorum rege existente.

Huius igitur donationis testes sunt, qui in urbe prephata [660] convenerant :

In primis dominus patriarcha Stephanus. Willelmus, Nazarenus archiepiscopus. Anselmus, Bethleemita episcopus. Acardus, Dominici Templi prior, et Arnaldus, Montis Syon prior, et Adelelmus [661], ecclesie Nazarene prior. Hugo, Bethleemita canonicus. Petrus, Galterius, Iohannes, Hugo, ecclesie Tyri canonici. Iohannes, ecclesie Acchon [662] prepositus.

De laicis autem :

Rex Balduinus secundus. Fulco, comes Andegavensis. Willelmus de Buri. Hugo Ioppensis [663]. Barisanus. Garinus [664], vicecomes Tyri, et alii quamplures.

LXVIII [665].

PRIVILEGIUM PETRI, TYRENSIS ARCHIEPISCOPI, DE DECIMA CASALIS DERINE.

In nomine sancte et individue Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti [666], amen.

Notum sit omnibus, tam presentibus quam futuris, quod ego Petrus, divina pietate et non meritis Tyrensis ecclesie archiepiscopus, et eiusdem nostre ecclesie [667] capitulum Deo et ecclesie Sancti Sepulcri eiusque venerabili priori, domino Nicholao, et universo ipsius conventui totam cujusdam casalis C decimam, quod vocatur Derina, de omnibus que modo possident vel per se vel per suos homines, libere habere concedimus; et si forte de cetero aliquid, quod de prefato casali dicunt esse, acquisierint, in eadem maneat concessione. Item et aliam decimam de quodam viridario, quod est clausum per se cum berquilio inter murum Tyri et eius antemurale, eodem modo eis in perpetuum habere permittimus. Concedimus quoque eis ecclesiam Beate Marie, que Tyri prima fuit sedes, salva nostre matricis ecclesie dignitate. Huius rei testes sunt :

A[malricus], patriarcha, in cuius presentia hoc fuit concessum. Dominus Amicus, Sancti Sepulcri prepositus. Dominus Gotofredus [668], thessaurarius [669]. Dominus Renaldus, et magister Girardus, et dominus Willelmus, Tyrenses canonici.

MCLXI Domini nostri existenti anno cum IX indictione.

LXIX [670].

ALIUD [671] PRIVILEGIUM PETRI, TYRENSIS [672] ARCHIEPISCOPI, DE TESTIMONIO DIVISE FACTE APUD CASTRUM FENICULI CUM G[ILDUINO], VALLIS IOSAPHAT ABBATE.

Ego Petrus, Dei gratia Tyrensis ecclesie humilis archiepiscopus, manifesto et testificor tam presentibus quam futuris concordiam factam et in bonam [673] pace confirmatam inter me, tunc temporis gloriosissimi Sepulcri priorem, et G[ilduinum], Sancte Marie Vallis Iosaphat abbatem, de querela terrarum, sue videlicet et nostre, apud castrum, quod dicitur Feniculi, que facta fuit hoc modo : G[ilduinus] predictus abbas cum aliquibus de monachis suis, et nos cum aliquibus de canonicis [674] ad prefixum diem super terram venientes, domino B[alduino], Cesariensi archiepiscopo, mediante, ex ipsius consilio viros Cesarienses bonos et fideles, *qui certissime* B metas utriusque terre noverant, convocavimus. Quibus convocatis, ut divisionem utriusque terre ostenderent eorum fidelitati ex utraque parte commisimus. Qui terram a palmo usque ad carrobletum, [a carrobleto usque ad cannetum] [675], a [676] caneto [677] usque ad flumariam recta linea et concorditer perambulaverunt. Post [ea] [678] vero nos ex gratia et ex bona voluntate, et ut de cetero eterna pax inter ecclesias nostras permaneret, terram, que a caneto [679] in ultra, que quasi lingua est, eis concessimus; ita ut a caneto [680] per transversum ad flumariam divisa stabilis ac firma fieret. Hec divisa tali modo facta, ut firma et stabilis in perpetuum permaneret, ex utraque parte concessa fuit in presentia domini B[alduini], Cesariensis archiepiscopi [681], C aliorumque bonorum virorum, quorum nomina subscripta sunt :

Manasses. Gervasius. Aeris de Area. Emelinus, miles. Arnaldus curta cappa. Georgius Herminius. Rainaldus de Belgrant, et alii multi.

Hoc autem privilegium factum fuit anno ab incarnatione Domini MCLXII, archiepiscopatus vero mei anno XIII.

LXX [682].

PRIVILEGIUM EVREMARI, CESARIENSIS ARCHIEPISCOPI, DE DECIMIS CASALIS DEFFEISSE.

In nomine sancte et individue Trinitatis

Anno ab incarnatione Domini nostri Ihesu Christi MCXXIX, indictione VII, ego Evremarus, Dei gratia Cesaree Palestine archiepiscopus, a[d] Dei omnipo- D tentis laudem et gloriam et beati Petri, apostolorum principis, honorem, disponens pro rationis mee facultate ecclesiastica iura, et disponendo de bono in melius cupiens ea promovere, presertim compluribus occurrentibus et oppugnantibus causis videns eam auxilio et consilio egere pro tempore et loco in utroque dominorum et canonicorum Sancti Sepulcri, dignum duxi ei providere et consulere

[660] B, *prefata*. [661] B, *Adalelmus*. [662] B, *Achon*. [663] *Iopensis*. [664] B, *Guarinus*. [665] A. f° 66, r°, C, f° 74, r°. [666] Les mots *Patris et Filii et Spiritus Sancti* manquent dans B. [667] B, *ecclesie nostre*. [668] B, *Gottifridus*. [669] B, *thesaurarius*. [670] A, f° 66, r°; B, f° 74, v°. [671] Manque dans A. [672] Manque dans B. [673] B, *bona*. [674] B, *concaconicis*. [675] Suppléés d'après B. [676] A donne *ad* [677] B, *conneto*. [678] Restitué d'après B. [679] B, *canneto* [680] B, *canneto*. [681] Tout ce qui suit manque dans B. [682] A, f° 66, v°; B, f° 75, v°.

contubernio. Pro utilitate igitur et honore prefate ecclesie nostre et filiorum nostrorum canonicorum in eadem Deo militantium, tam presentium quam futurorum, dono et concedo, eorum assensu et consultu, predictis fratribus Dominici Sepulcri et elemosine eorum, scilicet in cibos pauperum et refocillationem, decimas casalis, cognomento Deffeisse [683], ecclesie nostre pertinentes, tam in annona quam in animalibus ceterisque rebus decimandis. Ut vero huius nostre concessionis et donationis scriptum firmum, ratum sed et stabile permaneat presentibus et posteris, precipimus [684] illud sub testimonio nostri nominis scribi et plumbeo sigillo nostro insigniri. Si quis autem hoc donum evacuare vel irritum facere presumpserit, gladio beati Petri feriatur, et anathemati perpetuo subjaceat. Huius rei sunt testes [685] :

Rainerius, archidiaconus. Bonifatius [686], Aymo [687], Gosbertus, Alexander, cannonici [688] et ecclesie nostre filii. Aymericus [689], canonicus et helemosinarius Sancti Sepulcri. Albertus. Balduinus. Ricardus, Cesaree dapifer.

Facta fuit carta hec [690] apud Cesaream, regnante rege Balduino secundo Iherusalem, Stephano venerabili patriarcha ibidem presidente, Willelmo secundo priore.

LXXI [691].

PRIVILEGIUM GALTERII, CESAREE DOMINI, DE DONO ET CONCESSIONE CASALIS DE FRAISSE [692].

In nomine sancte et individue Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen.

Quoniam in rerum donationibus sepius oritur dissensio, ideo ego Galterius, Cesaree dominus, memorie omnium, tam presentium quam futurorum, tradendum decrevi, et in perpetuum ratum [et] [693] firmum et inviolabile itidem fixum permanere destinavi donationem illam, medietatem scilicet casalis, quod vocatur de Fiaisse, et terrarum adiacentium, quas pater meus Eustachius Granerius dedit Dominico Sepulcro et Girardo priori, et ego postea auxi canonicis regularibus ibidem Deo famulantibus [694], pro salute anime mee et patris mei parentumque nostrorum, tam vivorum quam defunctorum, sicuti idem pater meus divisit territorium a casale Sancte Marie Vallis Josaphat et casale Sancti Petri Cesaree et casale de la Forest et casale Sabarini et casale Sancti Iohannis Sebaste et a meo casali, quod nuncupatur de Bufles, et sicuti ego presentia mea signavi et designari feci in quibusdam locis per cruces in rupibus factas, in quibusdam autem in petris in terram fixis. Et [695] cartula recordationis et donationis tam patris mei quam mei, nullo contradicente, est edita et corroborata meo sigillo et testibus subscriptis.

Anno ab incarnatione Domini nostri Iesu Christi MCXLV, indictione VIII, testibus :

Domino Bernardo, Sidoniensi [696] episcopo. Et Rorgone, Acchonensi [697] episcopo. Hostone de Sancto Audemaro [698], et Radulfo de Patingis, fratribus militum Templi. Roberto de Franco Loco. Eustachio Escofiel. Arnaldo Costa. Rainerio de Cossia. Georgio Armenio. Gaufrido de Portu. Symone de Castellione. Petro Basso.

LXXII [699].

PRIVILEGIUM IOHANNIS, ACCHONENSIS [700] EPISCOPI, DE CONCESSIONE ECCLESIE EDIFICANDE IN URBE ACCHON [701] ET DE DONO ECCLESIE, QUE EST IN TERRITORIO CASALIS, QUOD DICITUR AMIMAS [702].

In nomine sancte et individue Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen.

Iohannes, Dei gratia Acchon [703] episcopus, karissimis fratribus et cannonicis [704] Petro, ecclesie Dominice Resurrectionis priori, ceterisque fratribus in eadem ecclesia canonicam vitam professis, tam presentibus quam futuris, salutem. Sicut pastoralis cure amministratione in vinea Domini laborantes, animarum iubemus profectui deservire, ita et ad posteritatis exemplum fraterne gratie karitatem verbis nos convenit et operibus ecclesiastice utilitatis intuitu commendare. Proinde tuis, Petre prior, tuorumque fratrum iustis et rationabilibus petitionibus [705] annuentes, ecclesiam in honore Sepulcri Domini in civitate Acchon [706], in terra scilicet quam ex dono Lamberti Aals possidetis, vobis edificandam concedimus ; huicque dono ad perhennem nostri memoriam aliam ecclesiam in territorio cujusdam casalis, nomine Amimas, tribus miliariis distantem ab urbe Acchon [707], cum his que ad eam pertinent, pontificali auctoritate adicimus ; et utramque a vobis in perpetuum possidendam libere et quiete, salvo episcopali iure, damus atque decernimus. Et ut hoc nostre gratuite benivolentie donum, ad quod capituli nostri assensus et consilium aspiravit, ratum et inconvulsum permaneat, presentem paginam de his, que sunt predicta, tam sigilli nostri apposicione precipimus roborari quam eorum, qui fuerunt [708], testimonio confirmari. Quorum hec sunt nomina :

Adam, ecclesie nostre archidiaconus. Marinus, Nicholaus, Iohannes Pictaviensis [709] Robertus, presbyteri. Gocelinus [710] et Ionathas, cannonici. Dodo, Iterius, presbiteri. Petrus diaconus. Stephanus. Leo. Iohannes de Bru[n]dusio. Willelmus Capperons [711]. Balduinus,

[683] B, *Deffiesse.* [684] B, *precepimus.* [685] B, *testes sunt.* [686] B, *Bonifacius.* [687] B, *Aimo.* [688] B, *canonici.* [689] B, *Aimericus.* [690] B, *hec carta.* [691] A, f° 67, r° ; B, f° 76, v°. [692] B, *de Fiaisse.* [693] Suppléé d'après B. [694] B, *servientibus.* [695] A ajoute *in*, ce qui rendrait la construction de la phrase toute différente. [696] B, *Sydoniensi.* [697] B, *Achonensi.* [698] B, *Audomaro.* [699] A, f° 67, v° ; B, f° 77, r°. [700] B, *Achonensis.* [701] B, *Achon.* [702] B, *Minas.* [703] B, *Achon.* [704] B, *concanonicis.* [705] B, *peticionibus.* [706] B, *Achon.* [707] B, *Achon.* [708] B, *affuerunt.* [709] B, *Pictaviensis.* [710] B, *Gozelinus.* [711] B, *Capperuns.*

Iherosolimitani patriarche cancellarius, et alii quam plures [712].

Facta autem est [713] pagine hujus inscriptio anno ab incarnatione Domini MCXXXVIII, indictione prima.

LXXIII [714].

PRIVILEGIUM ROGERII, RAMATHENSIS EPISCOPI, DE DONO ET CONCESSIONE CASALIUM CAPHARUT ET GITH ET KEFRESCILTA ET PORPHILIA.

In nomine sancte et individue Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen.

Liquet esse concedendum, liquet esse ratum atque firmum cui plures et legitimi testes auditu visuque peribere[n]t [715] testimonium. Hac autem ratione procedente, simulque cum inviolabilis episcopi maneat sententia, que clericorum suorum et cannonicorum [716] confirmatur presentia, ego Rogerius, providente Deo Ramathensis episcopus, consilio et assensu tocius capituli Sancti Georgi, Radulfi videlicet, tunc temporis archidiaconi, aliorumque canonicorum, quod dedi et confirmavi ecclesie Dominici Sepulcri, domino videlicet Willelmo priori ceterisque Sancti Sepulcri canonicis et suis successoribus, concedo et confirmo eidem Sanctissimi Sepulcri ecclesie, domino scilicet Petro priori ceterisque gloriosissimi Sepulcri canonicis et suis successoribus, duo casalia ex propria possessione Sancti Georgii cum omnibus appendiciis suis jure hereditario in perpetuum possidenda ; horum casalium aliud quidem Capharuth, aliud vero Git [717] vocatur ; hec autem casalia predicte Dominici Sepulcri ecclesie concessi in presentia domini Guarmundi patriarche eo ipso laudante. Preterea cum liceat ecclesie venerabili cum alia venerabili ecclesia rerum etiam immobilium, concedente patriarcha, si partibus ambabus placet, permutationem facere, item consilio et assensu totius capituli Sancti Georgii, dono et confirmo prefate ecclesie Sanctissimi Sepulcri, domino videlicet Petro priori ceterisque canonicis Sancti Sepulcri et suis successoribus, duo alia casalia, Kefrescilta et Porphiliam, ex propria possessione Sancti Georgii cum omnibus appendiciis suis, et medietatem decimarum messium eorumdem casalium et totam decimam aliarum rerum omnium, eidem confirmans ecclesie predicta casalia, Capharut [718] et Gith, cum omnibus appendiciis suis et medietatem decimarum messium eorumdem casalium totamque decimam aliarum rerum omnium ; tali quidem conditione ut predictus dominus Petrus prior ceterique canonici Sancti Sepulcri donent, concedant atque confirment ecclesie Sancti Georgii, mihi scilicet meisque successoribus et nostris canonicis, decimas castelli Arnaldi et decimas casalis Hospitalis, nomine Bulbul, in perpetuum possidendas. Hec autem tunc deserta et vastine quedam existentia, que utilitatem ecclesie non gravant, immo que predicta conditione data prosunt, dedi et concessi in presentia domini Willelmi patriarche, eo ipso laudante, tali quidem modo ne quis ulterius successorum meorum in ipsa ecclesia Sancti Georgii substituendorum calumpniam aliquam inde moveat, salva tamen christianitate et medietate decimarum messium, que ad eos pertinet.

Factum est hoc donum anno incarnationis Domini MCXXXVI, indictione XIV, kalendis novembris. regnante in Iherusalem Fulcone, Francorum rege tercio. Hujus vero doni legitimi testes sunt :

Anselmus, episcopus Bethleem. Iohannes, episcopus Acchon [719]. Achardus, prior Templi Domini. Arnaldus, prior Montis Syon. Henricus, prior Montis Oliveti. Guido, Sancti Abrahe prior [720].

Et de capitulo Sancti Georgii :

Willelmus Thuroldi. Iordanus. Balduinus. Hugo, et quamplures alii-

Si quis igitur huius doni nostri concessionem atque domini patriarche assensum et confirmationem violare temptaverit, anathematis gladio feriatur, quoad usque resipuerit et satisfecerit. Fiat, fiat, amen, amen.

LXXIV [721].

PRIVILEGIUM WILLELMI DE BURIS DE DONO DUORUM CASALIUM, GEBUB [722] ET HELKAR [723], ET DE DONO PISCARIE.

Anno ab incarnatione Domini MCXXXII, indictione X, Willelmo patriarcha Iherosolimitane ecclesie presidente, Fulcone rege Francorum tercio regnante, ego Willelmus de Buris pro salute anime mee et parentum meorum ecclesie Sanctissimi Sepulcri et canonicis ibidem regulariter Deo servientibus, assensu et concessione supradicti regis et nepotum meorum, Radulfi de Ysis et Simonis [724], dono et concedo duo casalia, videlicet Gebul et Helkar, et omnem terram que ad ea pertinet, libere et perpetuo jure possidenda. Hujus autem terre longitudo a montanis per planum usque ad Iordanem elongatur [725] ; latitudo vero a divisione Bethsan et Tiberiadis [726] usque ad cavam, que est proxima casali, quod dicitur Huxenia, extenditur, et docet et dirigit rectitudinis lineam ad predicta montana flumenque prefatum. Insuper [etiam] [727] omnes piscarias, que ad me pertinent, per octo dies prefatis canonicis confratribus meis solutas et quietas in unoquoque anno habendas attribuo, scilicet a Septuagesima usque in Pascha, in quacumque ebdomada accipere voluerint ; ita tamen quod, si in hiis [728] diebus, in quibus piscari inceperint, mare turbatum fuerit neque pro velle suo piscari valuerint, in aliis, quibus elegerint, eis persolvatur et recompensetur. Necnon

[712] B, *alii plures*. [713] B, *est autem*. [714] A, f° 68, v° ; B, f° 77, v°. [715] B, *perhiberet*. [716] B, *canonicorum*. [717] B, *Gith*. [718] *Capharuth*. [719] B, *Achon*. [720] B, *prior Sancti Abrahe*, [721] A, f° 69, r° ; B, f° 79, r°. [722] B, *Gebul*. [723] B, *Helcar*. [724] B, *Symonis*. [725] B, *elonguatur*. [726] B, *Tyberiadis*. [727] Suppléé d'après B. [728] B, *his*.

totam angariam et auxilium omnium piscatorum meorum per unum diem ipsis annuatim concedo. Preterea ut navem unam in mari Galilee ad piscandum assidue habeant eis similiter dono. Hujus itaque donationis testes sunt :

Domnus Willelmus, patriarcha et Fulco supradictus, rex. Willelmus, archiepiscopus Nazarenus. Anselmus, episcopus Bethleem. Petrus, prior Sancti Sepulcri. Achardus, prior Templi. Arnaldus, prior Montis Syon.

De Tiberiade [729] vero eiusque confinio testes sunt : Goffridus, capellanus Tiberiadis [730]. Guala, vicecomes. Guarmundus. Paganus de Monte Regali. Mangoth. Ricolf. Hugo de Badalone. Thomas de Bethsan.

Ut autem supradictum donum firmum sit, sigillo B meo presentem cartam confirmo.

Ego Fulco, per Dei gratiam rex Iherusalem, sigillo meo supradicta dona confirmo.

LXXV [731].

PRIVILEGIUM BERTRANDI, MILITIE [732] TEMPLI MAGISTRI, DE REMISSIONE CL BISANTIORUM [733], QUOS IAM DICTE MILICIE ANNUATIM PERSOLVERE SOLEBAMUS.

In nomine sancte et individue Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen.

Notum sit omnibus, tam futuris quam presentibus, quod ego Bertrandus, per Dei gratiam magister militie Templi, communi assensu et voluntate tocius nostri capituli, Nicholao, eadem gratia Dominici Sepulcri priori, et universo canonicorum eiusdem Sepulcri capitulo dimittimus [734] et in perpetuum libere et quiete habendum concedimus CL bizancios, quos ad sustentationem nostram annuatim persolvebant. Hanc autem dimissionem et concessionem illis facimus pro tribus casalibus cum omnibus pertinentiis suis tam in terris quam in rusticis ; si quos etiam rusticos ad ista casalia pertinentes alicubi adquirere poterimus, nobis concedunt, exceptis illis rusticis [735], quos habent in casalibus suis. Quorum casalium ista sunt nomina : primum dicitur Bubin, secundum Caphardin, tercium Betelcanzir [736]. Facto sic fine et concordia inter nos et illos quod pro hac donatione, videlicet trium casalium, que nobis concedunt, predicti CL bizancii nec per nos nec per successores nostros ulterius exigentur, quia [737] ab hac exactione ecclesia gloriosi Sepulcri libera in perpetuum pacifice et quiete permanebit. Ea propter pretaxati fratres nostri canonici [738] Dominici Sepulcri predicta tria casalia, videlicet Bubin, Caphardin, Betelcanzir, libere et quiete, salva medietate decime sue, sicut in ceteris decimis habent, nobis nostrisque successoribus in perpetuum habenda sine omni sua et suc[c]essorum suorum contradictione concedunt. Si vero aliquis de tribus predictis casalibus calumpniam nobis inferre voluerit, pacem nobis de omnibus hominibus facere debent. Ut autem hoc omni tempore ratum inconvulsumque permaneat, presentis scripti pagina, sigilli quoque nostri impressione communimus et confirmamus, nam et eorum, quorum nomina subscripta sunt, attestationibus corroboramus :

Willelmi videlicet, senescalci. Fratris Gaufridi Fulcherii. Fratris Thome Hermoini. Fratris Berengarii de Castello Perso. Fratris Galterii Beritensis. Fratris Odonis de Avalone. Fratris Boneti. Fratris Mainardi. Fratris Amalrici de Berno. Fratris Gaufridi, capellani. Fratris Iohannis, capellani. Fratris Radulfi Tyberiadis [739]. Fratris Hugonis de Corbelio. Fratris Leonis. Fratris Stephani de Iherusalem. Fratris Hugonis de Vaudemon. Fratris Willelmi de Filisteda. Fratris Bricii. Fratris Hysmionis.

Factum est autem hoc in presentia domini Amalrici patriarche, qui et ipse testis est.

LXXVI [740].

PRIVILEGIUM EIUSDEM DE CONCESSIONE DECIMARUM.

In nomine sancte et individue Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen.

Universitati omnium, tam posterorum quam presentium, notum fieri volumus quod ego Bertrandus, militie Templi Dei gratia dictus magister [741], et omnis prefate militie conventus domino Nicholao, Dominici Sepulcri priori, et universo canonicorum eiusdem Sepulcri capitulo medietatem omnium decimarum, quas in locis ad eos vel ad eorum ecclesiam pertinentibus possidemus vel possessuri sumus, videlicet vini et olei, frumenti et siliginis, ordei, avene, fabarum, ciceruin, lentium, sussimanni, risi, milii, annuatim tam eis quam et suis successoribus omni nostra et successorum nostrorum calumpnia et contradictione remota et absque ullo deceptionis ingenio fideliter reddere concedimus. De ceteris vero aliis omnibus rebus ipsi nobis decimas, sicut in privilegio, quod ipsi nobis fecerunt, continetur, integre habere et possidere concesserunt. Si vero aliquod casale ad firmam pro annona seu pro bisantiis [742] alicui dederimus, modo predicto decimas eis dabimus. Hoc autem, ut semper ratum et stabile permaneat, scripto presentis pagine et sigilli nostri impressione communimus et confirmamus, nam et eorum, quorum nomina subscripta sunt, attestationibus [743] corroboramus :

Willelmi videlicet, senescalci. Fratris Gaufridi Fulcherii. Fratris Thome Hermoini. Fratris Berengarii de Castello Perso. Fratris Galterii Beritensis. Fratris Odonis de Avalone. Fratris Boneti. Fratris Mainardi. Fratris Amalrici de Berno. Fratris Gaufridi, capellani. Fratris Iohannis, capellani. Fratris Radulfi Tyberiadensis. Fratris Hugonis de Corbelio. Fratris Leonis. Fratris Stephani de Iherusa-

[729] B, *Tyriade.* [730] B, *Tyberiadis.* [731] A, f° 70, r° ; B, f° 80, r°. [732] B, *milicie.* [733] B, *bizanciorum.* [734] B, *dimittimus.* [735] B, *rusticis illis.* [736] B, *Bethelcanzir.* [737] B, *et.* [738] B, *concanonici.* [739] *Tyberiadensis.* [740] A, f° 70, v° ; B, f° 80, v° [741] B, *magister dictus.* [742] B, *bizanciis.* [743] B, *attestacionibus.*

lem. Fratris Hugonis de Vaudemon. Fratris Willelmi de Filisteda, Fratris Bricii. Fratris Ysmionis.

LXXVII [77].

PRIVILEGIUM WILLELMI, PRIORIS TERCII, DE FEODO SANCTI LAZARI.

In nomine sancte et individue Trinitatis.

Ego Willelmus, Dei gratia prior tercius Dominici Sepulcri, posteris nostris scriptum retinere curavi hec et multa allia. Quidam Petrus Sancti Lazari frater Dominici Sepulcri, moriens in manu et consilio canonicorum predicti Sepulcri filiam suam cum matre coniuge regendam dimisit, rogans misericordiater ut filie sue, que infra annos erat, tempore conjugii misererentur, ita scilicet ut feodum Sancti Lazari, quem ipse ab eis tenuerat vivens, puelle in matrimonio redderetur, ita dumtaxat ut servitium [745], quod idem fecerat, coniunx [746] puelle pia canonicorum concessione suppleret, et mater puelle interim, si eorum consilio concordaret, de eodem feodo sustentaretur. Igitur nos post multum temporis petitioni [747] fratris defuncti condescend[ent]es [748], puellam nubilem cuidam nostro nutrito famulo, Petro nomine, legaliter copulare studuimus. Quod mater ejus nequissima audiens, post longas obiurgationes et contumelias ab ea nobis illatas voluntati nostre et consultui filie sue adquiescere noluit, dolens in vita sua feodum amittere. Unde fratres, cum domno patriarcha S[tephano] in capitulo consilio accepto, filiam cum matre ante se venire fecerunt. Quam ego coram patriarcha et conventu et matre sua et victrico suo et patrinis et pluribus aliis laicis alloquens utrum huic suo honori et saluti concordare vellet, respondit nullo modo se illi viro Petro, nolente matre, nupturam, et libentius hostiatim mendicando panem querere quam, matre dimissa, ipsum coniugem accipere. In huiusmodi autem tractatu coram astantibus in manu nostra feodum in eternum non quesitura reddidit; solummodo mater vivens cum victrico feodum possideret. Feodo vero a puella sic deliberato, hanc misericordiam cum victrico et matre eorum supplicatione fecimus ut unicum filium, quem habebant, post patris et matris obitum in ecclesia Sancti Sepulcri victum et vestimentum habiturum susciperemus. Si quis autem feodum predictum puelle prefate, cassato sano capitulo, reddere et ecclesiam nostram sua possessione spoliare presumpserit, divine ultioni subiaceat. Huius deliberationis sunt testes, qui presentes aderant :

Anselmus, cantor. Azo. Gislebertus. Petrus Bernardi. Gaudentius [749]. Petrus, elemosinarius. Aimericus. Gaufridus Acus. Petrus de Vendosme. Berengarius Parvus.

Facta fuit hec deliberatio et carta anno ab incarnatione Domini MCXXIX, indictione VII, S[tephano] venerabili patriarcha presidente in pontificali sede Iherosolimorum, qui eam proprio sigillo insignivit, et Balduino secundo rege ibidem regnante.

LXXVIII [750].

PRIVILEGIUM EIUSDEM DE EMPTIONE VINEE, QUE FUIT PETRI DE SANCTO GAUTERIO.

Quoniam exigente mole carnis humane, que cotidie occulis [751] mortalibus consideramus, leviter oblivioni tradimus, ego Willelmus, Dei gratia [prior] [752] Dominici Sepulcri, posteris nostris scriptum retinere curavi, que patent fratribus nostris profutura. Notifico cunctis fidelibus quod ego emi a Petro de Sancto Gauterio et coniuge et filio suo vineam quandam cum terra adiacenti circumsepta, que venientibus Iherosolimis in egressu Mahumerie prominet in sinistrali convalle, de pecunia [753] helemosine nostre, perpetuo iure possidendam in necessariis pauperum, precio CXL bisantiorum, liberam ab omni calumpnia et consuetudine, excepta decima, que nostro iuri cedebat, quam in capitulo postea remisimus, communi consilio fratrum, qui sigillo suo plumbeo kartam [754] presentem insigniri preceperunt. Huius emptionis sunt testes :

Goisbertus, prepositus. Aimericus, helemosinarius. Petrus Clementis. Anselmus, capellanus Mahumerie. Gaufridus Acus. Petrus de Ioppen. Petrus Guitart. Bernardus, qui filiam ipsius Petri de Sancto Gauterio habebat. Rogerius Lombart, et multi alii.

Facta fuit carta hec anno ab incarnatione Domini MCXXIX, indictione VIII, secundo patriarchatus venerabilis Stephani patriarche Iherusalem, et regnante rege Balduino secundo in eadem civitate.

Ego Petrus de Sancto Gauterio, huius rei venditor, istam cartam confirmo.

Ego Audearz [755], Petri coniux, firmo [756].

Ego Andreas, istorum filius, concedo et confirmo.

Ego Petronilla, ipsorum filia, concedo et confirmo.

LXXIX [757].

PRIVILEGIUM PETRI PRIORIS DE VINEA, QUE FUIT SORORIS ODIERDE.

In nomine sancte et individue Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti, [amen] [758].

Ego Petrus, Dei gratia Dominici Sepulcri prior, una cum fratribus omnibus notum facimus, tam presentibus quam futuris, mulierem quandam, Odierdam [759] nomine, habitatricem Mahumerie, cum effecta est gratuita soror conventus Sancti Sepulcri, vineam unam, quam habebat, eidem conventui possidendam tradidisse. Quam cum filius ejus Andreas post ejus obitum vi et contra voluntatem no-

[744] A, f° 71, r°; B, f° 81, v°. [745] B, *servicium*. [746] B, *coniux*. [747] B, *peticioni*. [748] Restitué d'apres B. [749] B, *Gaudencius*. [750] A, f° 71, v°; B, f° 82, v°. [751] B, *oculis*. [752] Suppléé d'après B. [753] B, *pecunia*. [754] B, *cartam*. [755] B. *Audeartz*. [756] B, *confirmo*. [757] A, f° 72, r°, B, f° 83, r°. [758] Suppléé d'après B. [759] B, *Odiardam*.

stram multo iam tempore tenuisset, iudicio archiepiscoporum, Roberti videlicet Nazareni et Fulcherii Tyrensis, et episcoporum, Bernardi Sidoniensis [760], Rorgonis Ptolomaidensis, Helye [761] Tyberiadensis atque Rogerii Ramathensis, et aliorum qui interfuerunt [762], ex sententia nobis cum fructibus ab eo susceptis adjudicata est. Quia vero misericordie operibus debemus insistere, et malum pro malo alicui reddere non debemus, pietatis intuitu eidem Andree perceptos fructus remisimus, et prenominatam vineam ei tantum dum vixerit concessimus, ea videlicet ratione ut eam bene excolat, et quicquid Deus ei exinde dederit partes duas sibi retineat, terciam vero nobis reddat, salva omnino nostre decime portione [763]; ad obitum vero suum predicta vinea ab ecclesia nostra libere in perpetuum possideatur. Testes autem huius rei hii sunt :

Lambertus, subprior. Godefridus, thessaurarius [764]. Nicholaus, cellararius. Obertus Ioppensis. Robertus de Acchon [765]. Alexander. Bertrandus. Ademarus [766]. Willelmus, prepositus. Lambertus Flandrensis. Aimericus. Fulco. Bertoldus. Iohannes Anglicus.

De diaconibus :

Eurardus. Giraldus. Hugo.

De suddiaconibus :

Willelmus Berithensis [767]. Iohannes Pictaviensis [768]. Willelmus de Yspania

LXXX [769].

ALIUD [770] PRIVILEGIUM PETRI PRIORIS DE DOMIBUS, QUE SUNT SUPER VOLTAS CONCAMBII HOSPITALIS.

In nomine sancte et individue Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen

Notum sit omnibus, tam presentibus quam futuris, quod ego Petrus, divina disponente clementia Dominici Sepulcri prior, una cum consensu et voluntate omnium fratrum nostrorum cannonicorum damus et concedimus Arnulfo, filio Berualdi [771] Syriani, suisque heredibus iure perpetuo possidendas domos que sunt super voltas concambii Hospitalis, que sunt super furnum nostrum, qui est in via, que ducit ad montem Syon, et stationem unam, que est iuxta predictum furnum, sub censu annuo, novem videlicet bizanciorum, in dominice resurrectionis octavis Sepulcro Dominico persolvendo; ea scilicet ratione ut, si ex inferiori parte superioribus domibus, que sunt super voltas, nostra negligentia dampnum accesserit, emendetur a nobis; quod si illius negligentia a superiori ad inferiora dampnum advenerit, ab ipso emendetur. Quicquid autem edificii super hoc, quod edificatum est, edificaverit, et aliquo adveniente tempore alicui vendere voluerit, nobis una marcha argenti vendatur levius quam aliis vendere potuerit; quod si nos emere noluerimus, cui voluerit burgensium vel Suryanorum [772] vendendi potestatem obtineat, ita dumtaxat ut qui emerit sta[tu]tum censum, ut prefixum est, in dominice resurrectionis octavis Sepulchro Domini absque nostra aliqua exactione persolvat; si autem prefixum diem pertransierit, nos domos et quicquid ibi fecerit absque calumpnia possideamus. De statione autem, que est iuxta furnum, cuius superius fecimus mentionem, si per eam ei dapnum advenerit, nos nulla ratione ei respondere debemus, sed ab ipso emendetur. Clavem siquidem cisterne sue protestati comittimus, ita ut procurator furni in reficiendis parietibus furni, si opus fuerit, scamis et ceteris utilitatibus, que ad officium furni pertinent, quantum opus fuerit de aqua accipiat. Ut autem hec nostra concessio presentibus ac futuris temporibus sui vigoris obtineat firmitatem, cum istis subscriptis testibus nostri sigilli munimine roboratur :

Iohannes Vaccarius. Fulcherius, aurifex. Iordanus, clericus. Herbertus, numularius. Saibertus. Rainerius de Arrat [773]. Petrus Bordinus. Willelmus, drogomannus. Iohannes, filius eius. Iohannes de Podio. Robertus Cocus.

Actum anno dominice incarnationis MCXLIV, indictione VI, mense aprilis.

Scriptum per manum Donati, diaconi et scribe Sepulcri Domini.

LXXXI [774].

PRIVILEGIUM AMALRICI PRIORIS DE VINEIS, QUAS NEMES SURIANUS ET FILII EIUS ET FILII FRATRIS SUI [775] HABENT APUD CALANDRIAM.

In nomine sancte et individue Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen.

Quidquid [776] aliquis sancte ecclesie prelatus nutu sui capituli alicui concedit, provide tenaci scripture vinculo oportet memorie tradi, ne decurrentibus temporibus, quod prius suo decreto terminatum fuerat, postea in contrarium surgat, et iurgia et replicationes forte inde generentur. Unde ego Amalricus, gloriosi Sepulcri prior, et totus eiusdem canonicorum conventus Nemes Suriano [777] et filiis suis et filiis fratris sui Antonii terras, vineas, quas tenent apud Calandriam, et quas ipse et filii eius et filii Antonii fratris sui ibi videlicet in posterum acquirere poterint, perpetuo iure possidendas concedimus, ea videlicet conditione [778] ut singulis annis medietatem fructus terre, videlicet omnium anno[na]rum [779] et vinearum et arborum, quas ipsi iam edificaverunt vel in posterum edificabunt, canonicis prefati conventus fideliter reddant. Et ut vero hec nostra concessio tam presentibus quam futuris tem-

[760] B, *Sydoniensis*. [761] B, *Helie*. [762] B, *interfuerant*. [763] B, *porcionem*. [764] B, *thesaurarius*. [765] B, *Achon*. [766] B, *Ademarius*. [767] B, *Berytensis*. [768] B, *Pictavensis*. [769] A, f° 72, v°; B, f° 84, r°. [770] Manque dans A. [771] B, *Bernardi*. [772] B, *Syrianorum*. [773] B, *Arraz*. [774] A, f° 73, v°, et f° 98, r°; B, f° 84, v°. [775] Les mots *et filii fratris sui* manquent dans B. [776] B, *Quicquid*. [777] B, *Syriano*. [778] B, *condicione*. [779] Restitué d'après B.

poribus sui rigoris optineat [780] firmitatem, presentem paginam nostri sigilli munimine roboramus [781]. Hinc sunt testes :

Dominus Aimericus, subprior. Giraldus, precentor. Raul. Willelmus Normannus. Balduinus. Godofridus [782] Nicholaus. Ademarus. Petrus Sepulcri Willelmus de Baruth. Hugo. Iohannes. Hulricus. Willelmus Ispanus [783]. Petrus de Latina, Petrus Bolonicnsis.

Anno dominice incarnationis MCLI, indictione XIII.

LXXXII [784].

PRIVILEGIUM PETRI PRIORIS DE DOMO, QUE FUIT HOMINIS CUIUSDAM, BERNARDI NOMINE, ET UXORIS SUE AOISE [785].

Anno ab incarnatione Domini MCXXXV, indictione XII, in idibus mensibus [786] martii [787], regnante Iherosolimis Fulcone, rege Francorum tercio, Willelmo vero patriarcha summi pontificatus gerente apicem, ego Bernardus cum uxore mea Haoisa absque controversia et alicuius hominis calumpnia, prefato annuente patriarcha, vendidi ac iure perpetuo possidendam tradidi Petro, priori Sancti Sepulcri, et canonicis eiusdem eorumque successoribus domum meam pro CC bisanciis, que est posita infra muros Iherusalem, ut ipsi liberam potestatem habeant eam vendendi, donandi, et quicquid de ea voluerint fatiendi [788]. Habet autem predicta domus ab una parte domum eorumdem canonicorum, que fuit Willelmi drugomanni, ab alia ecclesiam Sancti Karitot, ab alia viam publicam, ab alia vero domum Theodori. Quicumque vero Deo et homini odibilis atque rebellis hanc venditionem violare temptaverit, et super hac re litem aut calu[m]pniam adversus ecclesiam Sancti Sepulcri et adversus canonicos eiusdem maligno spiritu inferre ausus fuerit, anathematis percursus [789] iaculo, divine ultioni perpetuo puniendus subiaceat, et in fiscum regium auri libram persolvat. Huius venditionis testes sunt :

Seybertus [790], iudex. Petrus, faber. Tustanus. Sinardus [791]. Petrus de Petragora. Bernadus et Fulco, omnes isti aurifabri, huic fuerunt venditioni. Et Ruhelandus Bruto [792].

Iohannes, subdiaconus [793], hanc cartam scripsit cum litteris rasis in quinta linea mense et anno quo supra [794].

LXXXIII [795].

PRIVILEGIUM BERTOLDI DE DONO OMNIUM POSSESSIONUM SUARUM ET DE CONFIRMATIONE ECCLESIE, QUE EST IN DEN KENDORF.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen.

Notum sit omnibus fidelibus, tam clericis quam laicis, tam presentibus quam futuris, quod ego A Bertoldus, natura liber et ingenuus, omnia quecumque presenti die iure possideo, tam in agris quam vineis, villis et hominibus vel quibuscumque aliis possessionibus, iure Suevorum, libere omnia, sicut ego ea possideo, pro remedio anime mee cunctorumque parentum meorum dono et concedo absque omni contradictione Dominico Sepulcro, ea videlicet conditione ut, quamdiu ego vixero, easdem supradictas possessiones a domino Willelmo patriarcha et Petro, priore Dominici Sepulcri, pro beneficio habeam, et unoquoque anno ad confirmandum idem supradictum donum X solidos publice monete pro censu reddam, et, si forte mihi in animo venerit et omnia relinquens in ecclesia Sancti Sepulcri Iherusalem vel *in eam, que est in den Kendorf*, divine religioni me subdam, dominus patriarcha et prior Dominici Sepulcri, qui tunc temporis ecclesie Sancti Sepulcri prefuerint, absque omni contradictione me recipiant, et omnia supradicta libere possideant. Confirmo etiam hoc presenti privilegio donum, quod quondam ecclesie Dominici Sepulcri donavi, ecclesiam videlicet, que est in den Kendorf, cum omnibus pertinentiis suis. Et si ego devians supradicta bona alicui vendere vel donare voluerim, nullo modo post hoc primum et legale donum potestatem habeam. Et omnia supradicta confirmans propria manu subscribo :

Willelmus.

Huius donationis testes sunt nobiles, in quorum presentia hoc donum factum est, quorum nomina sunt hec :

Sifrit, Drutwin, Dederich, presbiteri. Conradus de Conronbach [796]. Volframus de Bernhusin [797]. Hugo de Bliningin [798]. Reinboldus Hecel de Benrenhusim. Wolthodo [799] et Rainaldus de Custordingen. Rudolfus de Rinuelden. Rudigerus de Bodoboro. Arnoldus de Spira.

Et quoniam proprium sigillum non habui, omnia, que prescripta [800] sunt, sigillo Dominici Sepulcri et canonicorum eiusdem confirmari inpetravi.

Acta [801] sunt hec omnia in capitulo Dominici Sepulcri, anno incarnationis dominice MCXLII, indictione V, X kalendas maii.

LXXXIV [802].

PRIVILEGIUM RODERICI DE DONO CUIUSDAM VILLE QUE APPELLATUR PASSEREL, CUM XXXI CASALIBUS.

In nomine sancte et individue Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen.

Evangelica institutione edocti, patres nostri narraverunt nobis sanctam Dominice Resurrectionis ecclesiam a quibusque fidelibus ceteris excellentius venerandam, qui eam idem Dominus noster Ihesus

[780] B, *obtineat*. [781] B, *roboratur*. [782] B, *Godefridus*. [783] B, *Yyspanus*. [784] A, f° 74, r°; B, f° 85, v°. [785] Dans B la rubrique est ainsi conçue : *De domo Bernardi et Haose uxoris sue, quam vendiderunt canonicis Sancti Sepulcri*. [786] B, *mensis*. [787] B *marcii*. [788] B, *faciendi*. [789] B, *percussus*. [790] B, *Seibertus*. [791] B, *Sivardus*. [792] B, *Britto*. [793] B, ajoute *qui*. [794] Ces cinq derniers mots manquent dans B. [795] A, f° 74, v°; B, f° 86, r°. [796] B, *Coronbach*. [797] B, *Berenhusim*. [798] Cette sigature et la suivante manquent dans B. [799] B, *Woltodo*. [800] B, *prescripta*. [801] B, *Facta*. [802] A, f° 75, r°; B, f° 87, r°.

Christus non prophetarum sibi, non martyrum sanguine consecravit, sed sua presentia et proprii respersione cruoris resurrectionisque [et] [803] ascensionis gloria quasi firmis et coherentibus privilegiis ac supervenienti prerogativa spetialem sibi ac propriam dedicavit; nec dubium, cum ad eiusdem Iesu Christi laudem et gloriam eidem ecclesie honor impenditur, quin Pater et Spiritus Sanctus in eo pariter honorentur, et cum quibus unus esse Deus et Dominus essentialiter predicatur. Proinde ego Rodericus Petri, licet indignus, terre, que vicina est ecclesie Beati Iacobi, comes, ob anime mee parentumque meorum atque uxoris, mee salutem sive remedium tam sancte tamque gloriose Sepulcri Domini ecclesie villam, nomine Passerel, in terminis castelli cuiusdam, quod Trana dicitur, sitam, cum B xxxi casalibus eorumque pertinentiis perpetualiter et sine calumpnia [804] possidendam concedo, tali videlicet conditione ut, quoad vixero, predictas mansiones cum suis habitatoribus, que, ut dictum, apud nos casalia nuncupa[n]tur, quiete possideam, duasque argenti marcas ad conservandam huius doni mei stabilitatem et memoriam Sepulcri Domini canonicis annis singulis mittam; cum autem viam universe carnis me contigerit ingredi, prescripta villa in ius ecclesie Sepulcri Domini fratrumque in ea commorantium libera pertransibit. Et ego quidem Rodericus, cum secundo Sepulcrum Domini visitassem, hoc devotionis mee donum presentia et privilegio domni Willelmi patriarche, qui tunc temporis Iherosolimitane preerat ecclesie, cupiens roborari, adductis coram testibus, signum, quod presens carta in inferiori sui margine representat, ad huius rei confirmationem manu propria anotavi, et apposito, quod multis lacrimis et precibus extorsi, domni patriarche sigillo, testium feci nomina subterscribi. Interfuerunt enim huic donationi mee amici et compatriote mei :

Arissa Varich de Ripa Migno. Iohannes Aris de terra Sancti Martini Latronis. Rodericus, abbas de terra de Pena Regine. Iohannes Tirant, germanus episcopi de Toy. Nimuranna de Lunia. Helvitu Sanizh [805] de terra Sancti Jacobi. Petrus Yspaniensis [806], frater Templi militum, et alii non pauci.

Facta est autem presens inscriptio anno Domini mcxxxviii, indictione prima.

LXXXV [807].

PRIVILEGIUM FULCONIS, REGIS IERUSALEM [808] TERCII, CUM ESSET RECTOR AC BAIULUS ANTIOCHENI PRINCIPATUS, DE QUADAM DOMO, QUE EST IUXTA BALNEUM, QUONDAM TANCREDI DICTUM.

In nomine sancte et individue Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen.

Ego Fulco, Dei gratia tercius rex Latinorum Iherusalem necnon et rector ac baiulus Antiocheni A principatus filieque Boamundi iunioris, concedo et confirmo donum, quod Osmundus de Monte Garou, Sancti Petri canonicus, Sancti Sepulcri canonicis pro redemptione anime sue donavit, scilicet domum unam cum bordello sibi adiacenti iuxta balneum, quondam dictum Tancredi. Quod si quis eam aliquando qualicumque causa auferre vel detrahere ab eis voluerit, sciat hanc cartam sigillo nostro munitam in memoriale eternum.

Anno ab incarnatione Domini mcxxxiii [809], indictione xii, epacta xxiv [810].

Data in palatio [811] Antiocheno, per manum F[ranconis] cancellarii, videntibus subscriptis baronibus :

Rainaldo Mansuerio [812], constabulario. Leone, duce Meopoli. Widone de Merlon. Thoma, vicecomite. Godefrido, filio Renbauth. B

LXXXVI [813].

PRIVILEGIUM EIUSDEM DE CONFIRMATIONE QUARUMDAM POSSESSIONUM QUAS ECCLESIA SANCTI SEPULCRI HABET IN ANTIOCHIA.

In nomine sancte et individue Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen.

Ego Fulco, Dei gratia rex Iherusalem tercius Latinus necnon baiulus et tutor Antiocheni principatus, notum esse volo tam presentibus quam futuris quod canonici Sancti Sepulcri Domini nostri Iesu Christi querimoniam in curia Antiochie quarumdam possessionum sue ecclesie, quas diu amiserant, in territorio Antiocheno fecerunt; quod nos diligenter C perscrutantes, comperimus per secreta[rio]s et fideles testes domini scilicet Antiocheni et patriarche, ita esse ut ipsi ostendebant. Unde ob honorem et reverentiam sancte Crucis, quam tunc pro deliberatione christianitatis Antiochiam nobiscum deduleramus, et pro redemptione animarum dominorum Antiochenorum, Boamundi primi scilicet et secundi, et aliorum orthodoxorum, habito consilio domini patriarche et episcoporum et baronum simulque burgensium, communi intuitu omnium, necnon iusticia dictante, in integrum reddimus eis, sicut inventum est a secretariis nostris, ut, sicut ecclesia Sanctissimi Sepulcri in tempore Grecorum prefatas possessiones habuit, ita amodo omni remota calumpnia cum omni tranquillitate perpetuo D iure possideat. Huius nostre concessionis testes sunt :

B[ernardus], Antiochenus patriarcha. R[adulphus], Mamistranus archiepiscopus. S[tephanus], Tarsiensis archiepiscopus. S..... Arthasiensis episcopus. A[nselmus]. Bethleemita episcopus. A..... archidiaconus. Iohannes, Bethleem canonicus.

De baronibus :

R[ainaldus] Masuerius. G[uidone] de Merlo. E..... de Moszon. G[aufridus] de Guircha.

[803] Suppléé d'après B. [804] B, *calumpniam*. [805] B, *Saniz*. [806] B, *Hyspaniensis*. [807] A, f° 76, r°; B, f° 88, r°. [808] Manque dans B. [809] B, mcxxxiv. [810] B, xxiii. [811] B, *palacio*. [812] B, *Mansuerio*. [813] A, 76 f°, r°; B, f° 88, r°.

W..... de Verno. Leo dux. Thomas, vicecomes.

De burgensibus :

G[odefridus], filius Raimbaldi. W..... Aversanus. B..... Berriensis.

Data Antiochie, IV nonas augusti, per manum Franconis cancellarii, anno incarnationis dominice MCXXXV, indictione XIII, epacta IV, concurrente primo.

LXXXVII[815].

PRIVILEGIUM RISONIS, BOAMUNDI PRINCIPIS ANTIOCHENI CAPELLANI, DE DONO DOMORUM, QUAS IN ANTIOCHIA HABEBAT, CUM POMERIO AD EAS PERTINENTE.

In nomine sancte et individue Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen.

Notum sit omnibus[815], tam presentibus quam futuris, sancte matris ecclesie filiis, quod ego Riso, Boamundi, Antiocheni principis magnique Boamundi filii, quondam capellanus, ecclesie Dominici Sepulcri fratribusque in ea canonicam vitam professis aut professuris domos meas cum pomerio ad eas pertinente, quas a Willelmo medico LXIV bizanziis[816] emisse me recolo, perpetuo iure possidendas concedo, et, ut eadem libertate, qua mihi a predicto Boamundo date et concesse sunt, in earum possessione fruantur, in presentia domni Willelmi, Iherosolimitani patriarche, presentis pagine inscriptione hoc donum meum inviolabile et ratum manere decerno. Ut autem earumdem domorum situs a ceteris certissime disnoscatur[817], domibus Pontii, Antiocheni thesaurarii, via solum publica intercedente, contigue habentur. Et ut ab huius doni mei votiva concessione tocius controversie scrupulus auferatur, notum sit omnibus quod in eisdem domibus mihi, quoad vixero, habitaculum ad manendum retineo, ac cuidam servo meo, quem de infidelitate ad baptismi gratiam evocavi, cameram, quam ex concessione mea ad inhabitandum in prefatis domibus optinet, quamdiu vixerit mihique fideliter servierit, possidendam concedo. Cum vero divina dispositio et terminus, qui preteriri non potest, me et illum ex hac luce subtraxerit, sicut supra dictum[818] est, ecclesie Sepulcri domini et eiusdem canonicis domus et earum possessio in perpetuum subiacebit. Et ut hec, que prescripta sunt, rata et illibata permaneant, ad eorum corroborationem et certitudinem demonstrandam privilegium domni Boamundi de concessa mihi predictarum domorum dono, venditione seu libertate conscriptum Dominice Resurrectionis ecclesie fratribusque reliqui, ac presentem paginam de huius doni mei veritate conscriptam sigillo domni Willelmi patriarche corroborari humiliter postulavi.

Factum est autem hoc donum et eius inscriptio anno Domini MCXXXVIII, presente eodem domno Willelmo patriarcha[819], omni fratrum conventu, et ipsius patriarche clericis :

Humberto, capellano. Amelio, diacono. Balduino, cancellario. Iohanne, et ceteris quampluribus.

Quodsi deinceps aliquis, diabolico instinctu vel mundane cupiditatis tabe corruptus, donum hoc [in]firmare[820] aut nullare[821] temptaverit, bis terciove commonitus si non resipuerit, perpetui anathematis gladio feriatur.

Facta est presens inscriptio anno MCXXXVIII, indictione prima.

LXXXVIII[822].

PRIVILEGIUM RAIMUNDI PRINCIPIS DE DONO ET CONCESSIONE MOLENDINORUM ET ALIARUM POSSESSIONUM, QUAS ECCLESIA SANCTI SEPULCRI HABET IN ANTIOCHIA.

In nomine summi et veri Dei Patris et Filii et Spiritu Sancti, amen.

Naturalis prudentis animi sollercia[823] ab initio conservandum[824] instituit, ut operosa rei bene geste veritas usque ad posterorum celebrem noticiam iure emanare debeat; inde enim et digna ipsius rei firmius viget firmitas, et pia posteritatis emulatio quodam collaterali exemplo ad potiora semper inardescit. Necessarium igitur universis presentibus et futuris, innotescere ducimus quoniam ego Raimundus, Dei favente clementia princeps Antiochenus, et domina Costantia[825], mea uxor illustrissima, ei qui pro nobis mortuus est, immo et resurrexit, per omnia debitores, reverentissimo eiusdem Domini nostri Ihesu Christi Sepulcro quedam sua iura penes Antiochiam constituta, que nimirum, cum ab antiquo in usus prefati loci gloriosissimi cessissent, novis tamen temporibus tum propter diutine privationis casum, tum propter terrarum longinquitatem iamiam quasi ignotam[826] iudicabantur, libere et quiete, omni prorsus calumpnie sive cuiuslibet exactionis molestia exclusa, in eternum possidenda restituimus, damus et concedimus. Que omnia partim ex propriis nominibus, partim ex locorum situ designare curavimus : primum duo edificia molendinorum extra portam Pontis ad occidentem constituta, quorum superius edificatum lingua Arabica Funcidec nuncupatur, alterum vero inferius iam diu iacet dirutum; quandam etiam vineam dudum a Brunone plateario possessam; hec autem memorata extra urbem[827] menia. Que vero subsequuntur, intra[828] eiusdem ambitum urbis continentur : in primis apotheca quedam ante balnea, que Arabice nominantur Omar, sita; una quoque domus deserta ante ecclesiam Sancte Menne, ex nomine antiquo Beruti dicta, et domus alia iuxta ecclesiam Sancti Petri, que vocatur Serice; item domus alia ante domum Serice locata, olim a quodam Greco, Salomone nomine, Sancti Sepulcri canonico, possessa, om-

[815] A, f° 77, r°; B, f° 89, r°. [815] Manque dans B. [816] B, *bisantiis*. [817] B, *dinoscatur*. [818] B, *scriptum*. [819] B, *patriarcha Willelmo*. [820] Restitué d'après B. [821] B, *avillare*. [822] A, f° 77, v°; B, f° 90, r°. [823] B, *sollertia* [824] B, *observandum*. [825] B, *Constancia*. [826] B, *ignota*. [827] Corrigez *urbis*. [828] B, *inter*.

nesque domos sitas ante hospitale nominatum He- beneboleit, a furno ,Sancti Georgii discoperti [829] usque ad viam que vergit ad ecclesiam Sanctorum Cosme et Damiani. Iterum nec illud pretermittimus quoniam pari nostre donationis auctoritate quedam alia ex beneficiis fidelium noviter collata perpetua pace et jure tenenda Sancto Dominico Sepulcro donamus et concedimus : domum scilicet quandam de helemosina Osmundi, canonici Antiocheni, ante balnea domini Tancredi constitutam ; domum quoque Gamalielis presbiteri, Sancti Sepulcri canonici, prope ecclesiam Sancti Leonardi, et aliam domum cuiusdam laici, Benedicti nomine, ante ecclesiam Sancti Symeonis. Hec igitur omnia et singula memorato Domini glorioso Sepulcro, sicut supra diximus, in eternum donamus, presenti quoque privilegio premunimus, sigillo etiam nostro insignimus, et testibus necessariis confirmamus.

Factum est autem hoc privilegium anno incarnati Dei Verbi MCXL, indictione III, mense aprilis, quarto quoque anno principatus domini Raimundi, Antiocheni principis invictissimi. Testes subscripti :

Domnus Gaudinus [830], Mamistanus archiepiscopus. Domnus Hugo, Gabulensis episcopus. Aymericus [831], decanus Antiochie. Willelmus Brachetus, et Aimericus, atque Willelmus Pictaviensis, capellani scilicet palatii. Willelmus Petri, clericus. Petrus, canonicus Templi. Godofridus [832], canonicus Sancti Abrahe. Drogo et Goisbertus, Templi milites.

Rogerius de Montibus, constabularius. Galterius de Surdavalle. Garento de Saone. Fulco de Buiguin. Willelmus Fraisnelli. Leo Maiopolus, dux Antiochie. Gaufridus de Guirchia. Petrus Armoini, castellanus. Guiterius de Moceon. Richardus de Belmont [833]. Robertus, filius Gaufridi. Paganus de Fai. Garnerius de Burgo. Hugo de Boleira. Abo de Bolins [834]. Cheale de Mausiaco. Basilius, camerarius, et Oliverius, frater eius. Garinus Malmuz, marescalcus. Godofridus [835], filius Raembaldi, vicecomes. Raimundus marescalcus. Theodorus, notarius. Georgius, magister secrete.

Si quis vero hoc privilegium legitime factum, diabolo instigante, violare quoquomodo presumpserit, ira Dei super eum veniat.

Data Antiochie, per manum Odonis cancellarii, XIII kalendas maii.

LXXXIX [836].

PRIVILEGIUM RAIMUNDI, PRINCIPIS ANTIOCHENI, DE JUDICIO [837] IN IPSIUS CURIA FACTO DE INIURIA, QUAM CONVENTUS ECCLESIE SANCTI PAULI DIUTISSIME CANONICIS SANCTI SEPULCRI SUPER INIUSTA CUIUSDAM GARDINI POSSESSIONE INTULERAT.

In nomine sancte et individue Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen.

Antiqua patrum tradit auctoritas ut, quotiens [838] digne rei celebris institutio equitatis meretur efficatiam, manifestis profecto memorialis pagine apicibus eo attentius premuniri debeat, quo et circumspectius oblivionis calcare insolentiam et tocius incursum calumpnie perpetuo intendit precavere. Presentibus igitur et eorum posteris necessario innotescimus quoniam ego Raymundus, preclaris siquidem Pictavorum ortus natalibus, cum ex superno munere Antiocheni regni solium optinuissem [839], a[d] [840] sacrosancta Iherusalem loca tercio mei principatus anno, Domino prosperante, adoraturus ascendi. Ibi vero inter cetera humane reparationis gaudia singulari potius gloriosissimi Sepulcri visitatione delectatus, a domno Willelmo, ejusdem sancte civitatis reverentissimo patriarcha, sed et a domno Petro, venerabili Dominici Sepulcri prior, necnon ab omni ipsius loci sancto conventu super quibusdam iniuriis diu penes Antiochiam excellentissime Dei et hominis Christi Ihesu sepulture irrogatis devotum et humilem clamoris effectum [841] suscepi, pari etiam omnium prece crebrius in Domino exoratus ut memorato ineffabilis misterii loco celeberrimo sua plenarie iura, quorum eatenus iniusta privatione graviter multatus fuerat, ob mee anime remedium misericorditer restituerem. Verum ego, cum tantorum pie petitioni [842] intercessorum nec possem nec deberem adversari, quippe qui iustam cuiuslibet oppressi vocem, nedum communem tante reverentie clamorem, ex debito clementer admittere exigor, usque adeo eorum vota diligentius [43] sum prosecutus, ut quicquid de iusticia Dominici Sepulcri in mea manu consistebat, totum libentissime ex tunc in eternum Christo Domino et eius ad perhennem sue resurrectionis memoriam servitoribus gratis reddere, sed et de aliis omnibus quotquot ad suum ius pertinere[n]t, que scilicet in alienos possidentium usus cesserant, me eis devotissime in mee curie audientia iusticiam executurum promitterem. Ea propter, ipso mee a Iherosolimis regressionis anno, predictus Dominici Sepulcri prior et Wlgrinus prepositus, assumptis secum aliquot suis fratribus, prima die mensis februarii Antiochiam venientes, non multo post de mei promissi executione me vivaciter requirendo convenerunt, ut et [844] nominatim de quadam iniuria, quam conventus ecclesie Sancti Pauli super iniusta cuiusdam gardini et aliquante terre possessione ipsis diutissime intulerat, neque enim usque ad illud temporis, cum sepius suam calumpniam pretendissent, iusticiam quandoque consequi potuerant, de illa inquam tam ob[s]tinata iniuria equitatis audientiam eis accomodarem. Ad hoc itaque exequendum domnum Robertum, cenobii Sancti Pauli abbatem, et universum conventum diligenti opera studui premoneri. Quorum omnium una vox et eadem fuit sententia :

[829] B, *discooperti*. [830] B, *Gaufridus*. [831] B, *Aimericus*. [832] B, *Godefridus*. [833] B, *Belmunt*. [834] B, *Molins*. [835] B, *Godefridus*. [836] A. f° 79, r°; B, f° 91, v°. [837] B, *iuditio*. [838] B, *quociens*. [839] B, *obtinuissem*. [840] Restituee d'après B. [841] B, *affectum*. [842] B, *peticioni*. [843] B, *diligenter*. [844] B, *et ut*.

bonus videlicet rei discussionem nullatenus ad secularis curie examen, sed ad solum domni patriarche Antiocheni et ipsius ecclesie spectare arbitrium; de iure enim ecclesiastico tota illa possessio processerat, presertim cum eam dominus sancte memorie Bernardus patriarcha olim pro commutatione domus Stephani, thesaurarii ecclesie Sancti Pauli, dedisset, datam etiam autentica sui privilegii sanctione, quod apud se habebant, cum domini auguste recordationis Boamundi iunioris convenientia confirmasset. Ceterum cum illud privilegium, me exigente, in medium fuisset prolatum, et in conspectu circumstantis curie ad finem usque aperte et distincte retractatum, tanta nimirum universis coauditoribus eius patuit digna confutatio, ut, quibusdam aliis, quibus seipsum impugnabat, pretermissis, nec unius testis, sicut rerum bene gestarum veritas exigit, quantulacumque assertione fulciretur. Sic tandem voce privilegii omnino cassata, ex communi consequenter curie intuitu diffinitum est quoniam, quandoquidem cenobii Sancti Pauli monachis nulla prorsus ad habendam ecclesie audientiam ratio subpetebat, sine omni subterfugio tam ipsi quam et Sancti Sepulcri canonici alterutras sue cause allegationes in publicum mee curie conferre debeba[n]t [845], ibique eorum controversias et recto iudicio dirimi et dictante iusticia terminari oporteret. Quia vero prefatos canonicos diutius nollem detinere, proxima quippe pasche sollempnitate imminente, certum xv dierum terminum utrique parti prefigere statui. In quo monachi constanter mihi resistentes nullum aliud placitandi terminum se quoquomodo suscepturos affirmabant, nisi quem communis curia ex deliberatione iusticie illis designando proferret. Cum ergo eorum voci benigne assenssissem, unanimi tocius curie consideratione quadragenarii numeri elongatio est utrisque accomodata; cujus spatii [846] finialis terminus tercio kalendas aprilis, septima quoque feria, que tunc temporis vigiliam dominice diei ramis palmarum precessit, accurrisse dinoscitur. Sane in die constituta [847] et monachis ecclesie Sancti Pauli et Sancti Sepulcri canonicis in loco extra Antiochiam, qui ad pontem Ferri dicitur, ibi enim eo tempore in castris commorabar, mei coram [848] presentia ad sue cause negotium venientibus, mihi quippe commodius est visum propter plenioris consilii habendam sufficientiam, usque dum Antiochiam intrassem, illud opus debere differri; unde et usque in diem terciam terminum consultius prolongavi. In ea iterum die monachis et canonicis in Antiocheno palatio coram me in sue cause disceptationem intentis, eandem itidem causam usque in sabbatum paschalis ebdomade protelavi; non enim in tam arto temporis spatio sufficiens meorum obtimatum consilium convocare potueram. Cum vero post Domini pascha dies prefixi termini advenisset, omnemque curie ordinem mecum ad eam audientiam congregassem, prima diei hora, canonici Sancti Sepulcri ad suum negocium convenerunt, monachis quippe ecclesie Sancti Pauli nequaquam vel tunc vel postea per totam diem conspectui nostro apparentibus. Comperta itaque eorum mora, quid me deinceps super eo negocio agere deceret barones astantes affectuose consului. Qui nimirum, communicato consilio, responderunt ut, quoniam ecclesia Beati Pauli sub mee defensionis spe consistebat, viva meorum nuntiorum voce monachos [849] ad constitutam cause audientiam ex gratia debere[m] invitare; meis quoque nuntiis id ex mei parte monachis intimandum precip[er]em quoniam, nisi ad ipsius diei nonam placitaturi venirent, tantumdem eis obesse [850] sufficeret quantum si prolata iudicii sententia eos omnino confutasset. Nec mora; assumptis de medio ceterorum baronum Guiterio de Mozo et Ricardo de Belmont, abbatem et monachos, sicut mihi suggestum fuerat, diligenter appellavi. Qui omnes, nulla legalis exonii excusatione pretenta [851], se nec coram me venturos nec mee curie iudicium subituros una voce responderunt. Verum ego, tam pertinaci eorum responso accepto, ne quid forte quasi minus iuste per precipitationem fieret, canonicos usque in diem terciam equanimiter expectare exoravi; qui et ipsi satis pacifice concesserunt. Porro die tercia expectata, soli canonici iusticiam exigentes presto affuerunt. Quorum profecto iuste petitioni [852] benigne assentiens, totum differende [853] iusticie pondus maxime ex ipsius rei conferendis circonstantiis [854] mee curie imposui. Unanimi igitur et communi omnium baronum consultatione est approbatum quoniam canonici, qui nunquam diem vel causam subterfugerant, plenaria sui iuris possessione iusto iudicio debebant investiri, hoc tamen modo designato ut ipsi [post] [855] investituram tam monachis ecclesie Sancti Pauli quam etiam cuilibet calumpnianti quicquid mea curia adiudicaret exequerentur. Eo itaque modo et conditione prefatos Dominici Sepulcri canonicos memorato gardino et reliqua terra adiacenti, suo scilicet iure, xvii kalendas maii, libere et quiete investivi. Qua statim investitione recepta, domnus prior et ceteri canonici [856] sese ecclesie Beati Pauli iusticiam exequturos [857] gratis obtulerunt; sed nec unus affuit, qui eos in aliquo impeteret. Item nolumus quasi neglectum sub silentio preteriri quoniam sepedicti canonici Grecos testes, moribus et senio maturos, in medium produxerunt, qui omnes non vulgari coniecture opinione, sed certa visus attestatione se illam, de qua loquimur, Sancti Sepulcri iusticiam iuxta curie decretum comprobaturos asserebant. Cum vero eorum testimonia non nisi suo loco esset necessarium audiri, presertim parte altera absente, producti tamen testes, suo fortassis c[e]leri

[845] B, *deberent*. [846] B, *spacii*. [847] B, *constituta*. [848] *coram mei*. [849] B, *monachis*. [850] Corrig. *abesse*. [851] B, *pretenti*. [852] B, *peticioni*. [853] B, *disserende*. [854] B, *circumstanciis*. [855] Suppléé d'après B. [856] B, *concanonici*. [857] B, *exeuturos*.

obitu iusticiam gloriosi Sepulcri posse deprimi formidantes, quod ore veraci et corde memori erant confirmaturi, totum ad plenum litteris annotatum reliquerunt, ut in posterum, si necessitas forte exigerit, pro viva voce scripti non desit auctoritas. Testium quoque nomina sunt hec : Gregorius, ecclesie Sancte Marie cantor ; Thomas, subcantor ; Michael, filius Molkem [858] ; Abraham, filius Sucar. Omnibus tandem non sine honerosa differendi [859] prolixitate, Deo auctore, ad perfectum deductis, ego Raimundus, Dei nutu princeps Antiochenus, sed et domina Constantia principissa, mea uxor illustrissima, legitimum facte investitionis [860] donum Sanctissimo Domini Sepulcro pari assensu et donatione in eternum quiete possidendum damus et concedimus; principali quoque huius privilegii nostrique sigilli confirmatione decoratum perpetua stabilitate premunimus.

Factum est autem hoc privilegium anno incarnati Dei Verbi MCXL, mense aprili, indictione III, quarto quoque anno principatus domini Raimundi, Antiocheni principis invictissimi. Testes subscripti :

Domnus Gaudinus, Mamistanus archiepiscopus. Domnus Hugo, Gabulensis [861] episcopus. Aimericus, decanus Antiochie. Willelmus Brachetus, et Aimericus, atque Willelmus Pictaviensis, capellani scilicet palatii. Willelmus, Petri clericus. Petrus, canonicus Templi. Godofridus [862], canonicus Sancti Abrahe. Drogo et Goisbertus, Templi milites.

Rogerius de Montibus, constabularius. Galterius de Surdavalle, Garento de Saone. Fulco de Boino. Willelmus Fraisnelli. Leo Maiopolus, dux Antiochie. Gaufridus de Guirchia. Petrus Armoini, castellanus. Guiterius de Mozo. Ricardus de Belmont [863]. Robertus, filius Gaufridi. Paganus de Fai. Garnerius de Burgo. Hugo de Boleira. Abo de Molins. Chalo de Masiaco [864]. Basilius, camerarius, et Oliverius, frater eius [865]. Garinus Malmus [866], marescalcus, Raimundus, marescalcus [867]. Gotefridus [868], vicecomes. Theodorus, notarius. Georgius, magister secrete.

Data Antiochie, XIII kalendas maii, per manus Odonis cancellarii.

XC [869].

PRIVILEGIUM PETRI PRIORIS DE DUOBUS MOLENDINIS, QUE HABET ECCLESIA SANCTI SEPULCRI IN ANTIOCHIA.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen.

Ego Petrus, Dei gratia prior Dominici Sepulchri, notifico cunctis fidelibus, tam presentibus quam futuris, quod veniens cum quibusdam concanonicis nostris ab Iherosolimis in Antiochiam, ut investigaremus iura Dominici Sepulcri, que temporibus antiquorum Grecorum et subinde Turcorum eidem Sepulcro deservierant, inter cetera inveni in capite pontis porte, que de Comite nuncupatur, super ripam fluminis Orontii, duo loca ad molendina, unum edificatum et aliud vastatum, que diu predecessores canonici Dominici Sepulcri libere hereditario iure, sicut prediximus, quiete possederant. Unde diligenti examinatione scrutata cum domino Raimundo, principe eiusdem civitatis, atque cum antiquis Surianis [870], qui fideliter nobiscum curam adhibuerunt, operam communi consilio dedimus ut in molendinis illis, nomine Funeidec, qui iam partim reedificati erant, duas rotas a parte fluminis tribus Surianis accomodaremus, scilicet Nichefore, Michaeli, Nichole, sibi et suis legitimis heredibus manutenendas in feodo villanie; ita ut omnes expensas ad earumdem opera necessarias, tam in ferro et ligno quam in lapide et omnibus utensilibus, ipsi per se aptent, tam in aqua quam extra aquam, tam in domo molendini quam extra domum; sed exclusam a parte fluminis, sicut melius potuerint, communi utilitati omnium rotarum, que in domo fuerint, edificent; et ut ipsi de duabus rotis predictis medietatem de omni adquisitione, quam fecerint, tam in annona quam in farina vel piscibus seu aliis, habeant, et de sua medietate custodem earumdem, scilicet molendinarium, precio conducant, et concanonico nostro seu fratri, qui propter nos ibidem domina[bi]tur [871], aliam partem reddant, eo tenore ut insimul partis conservate nullo modo absque nostro famulo, qui clavem tenuerit, dividantur. Quodsi quolibet infortunio molendinus ille vastabitur, predicti Suriani de suo rotas illas cum molendino et toto suo apparatu reedificent, et sicut fecerant conservent; sin autem illud reedificare noluerint, moniti sub trino testimonio in perpetuum exheredentur. Iterum si molendinarius eorum furto convinctus [872] fuerit, quot marcibans [873] subripuit, tot bisantios emendet; et si de suo non habuerit, canonicus vel famulus noster de parte Surianorum bisantios subputatos pro dampno extorqueat. Sed et si Suriani illi villaniam prædictam vendere seu in vadimonium ponere alienis presumpserint, non eis liceat nisi communi consilio capituli, quia caritative et absque pecunia villaniam illis dedimus. Hec itaque firmiter manebunt sub precepto canonici nostri, qui super omnia dominabitur.

Facta fuit carta anno dominice incarnationis MCXI, indictione III, in quarto anno principatus domini Raimundi, venerandi principis, et sue coniugis Constantie. Hinc sunt testes :

Wigrinus, prepositus Sancti Sepulcri. Atque [874] Aimericus, eiusdem canonicus. Ni-

[858] B, *Molkim.* [859] B, *disserendi.* [860] B, *investicionis.* [861] B, *Gabulanus.* [862] B, *Godefridus.* [863] B, *Belmunt.* [864] B, *Masiago.* [865] B, *eius frater.* [866] B, *Malmuz.* [867] Le nom de ce témoin manque dans A. [868] B, *Godefridus.* [869] A, f° 82, r° ; B, f° 96, r°. [870] Manque dans B. [871] Restitué d'après B. [872] B, *convictus.* [873] Ce mot paraît se rapprocher de l'arabe *markeb*, qui signifie *bateau ;* il signifie peut-être les bateaux chargés de grains, dont le meunier détournerait les frais de mouture. [874] Manque dans B.

chola, Gamaliel, Garneri[us] [875], atque Robertus, concanonici. Item Angerius [876], abbas de Sancto Georgio. Benedictus, cantor. Guido, Sylvester, concanonici eiusdem. Ioscerandus, capellanus. Theodorus, notarius.'

XCI [877].

PRIVILEGIUM RAIMUNDI, TRIPOLITANI COMITIS DE DONO DOMUS, QUE APUD MONTEM PEREGRINUM EST.

In nomine sancte et individue Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen [878].

Quamplurimis atque antentica firmitudine inexpugnabilibus divinarum secularіumque testimoniis scripturarum liquido patet, quia decet fidelium clementiam principum servorum Dei equis petitiónibus [879] adquiescere, et iusta Deoque grata desideria, ut ad effectum promoveantur, devota mente annuere. Unde, sedulo atque rationabiliter hoc expostulante Iohanne pie memorie, filio atque canonico ecclesie Sancti Sepulcri, Raimundus comes atque Christiane milicie [880] excellentissimus princeps in partibus Syric, sollerter sciens quia precium redemptionis anime viri est iuste adquisita possessio eius, pro redemptione anime sue suorumque parentum, communi favore et consilio suorum virorum, dedit Deo et gloriose ecclesie Sacrosancti Sepulcri [Domini nostri Ihesu Christi, que est Iherosolimis, domum quandam in Monte Peregrino, que domus antiquo tempore inmundis paganorum supersticionibus dedita fuerat, quatinus, omni gentilitatis nefario ritu inde profugato, iam nunc Deo dignum fieret perpetuum habitaculum. Cuius domus christiana religione in Christi ecclesiam salubriter translate cultoribus, eodem Iohanne rogante, concessit comes Raimundus ecclesiam Sancti Georgii, que est in montanis, cum suis appenditiis [881], in evidentia et audientia decani de Poscheriis et capellani sui Pontii [882] de Grilione et Rostagni de Port et Bernardi, prioris de Bethleem. Insuper quoque, dum propter bellorum ingruentiam non quantum vellet presenti efficatia dare posset, quod potuit fecit, scilicet firmiter concessit ut, quando divina voluntas, christianis desideriis satisfatiendo [883], eorum potestati [884] traderet Tripolitanam urbem possidendam, prescripta ecclesia Sancti Sepulcri haberet et perpetuo iure possideret eam, que post principalem ecclesiam in tota urbe predicta excellentior et dignior futura esset. Cui ecclesie promisit, immo quantum in futurum potuit rata constitutione concessit tantum de honore vel reditibus, quantum XIII clericorum inibi famulantium Deo usibus honeste sufficere posset.

Cui interim iuxta humanam necessitatem mortis debitum persolventi inclitus nepos eius, Guillelmus Iordanis, Christiane militie ductor, hereditario iure A in honorem successit. Qui quelibet ab avunculo Raimundo bene incepta sive instituta non solum incontaminata servare, sed etiam ad debitum perfectionis finem sollicite perducere studens, dona atque promissiones ab avunculo Raimundo Sancto Sepulcro factas per huius preceptionis decretum legitime roboravit. Et insuper sue suorumque parentum providens animabus, prenominatam ecciesiam propriis largitionibus multiplicare satagens, eiusdem premissi Iohannis rogatu, dedit ei quandam villam, nomine Buiora, cum omnibus ad se pertinentibus, tam in arboribus quam in aliis universis. Preterea pia affectione exuberans, concessit eidem ecclesie liberam facultatem adquirendi et perpetuo iure possidendi, si quid de honoribus sui [885] terrarii perhenniter in his B partibus remansuri dare vellent. Quatinus autem huius [nostre] [886] donationis autentica dispositio perpetua imcommutabilitate inter [887] omnem iniquam voluntatem atque illicitam presumptionem incontaminata atque inconvulsa permaneat, ego Willelmus Iordanus, Christi servus atque Christiane militie [ductor], proprie manus mee supposito [888] signo id corroborare studiosissime atque pia mentis effectione curavi.

Signum comitis Guillelmi.

Pro anima autem incliti atque fidelis Dei famuli Raimundi, huius quoque donacionis [889] inceptoris atque auctoris, hec quicumque legitis atque auditis, Deum suppliciter orate.

C Facta est autem huius donationis legitima corroboratio anno ab incarnatione Domini nostri Iesu Christi MCVI, mense augusto, XI kalendas septembris, sub testimonio universi populi ad de[di]cationem ecclesie Sancti Sepulcri, que est in Monte Peregrino, convenientis, nominatim autem sub evidentia et audientia [890] horum, qui scripti sunt, virorum :

Aicardi scilicet Arelatensis et decani de Poscheriis. Stephani de Brino. Gaufridi [891] de Pennis. Willelmi Petri, constabularii. Willelmi Raimundi constabularii. Willelmi Beralli. Raimundi de Balcis.

Ego vero Raimundus, Pontii [892] filius, comes per Dei gratiam Tripolitanus, omnia, quecumque predecessores mei, sive venerabilis comes Raimundus D sive Willelmus Iordanus, predicte ecclesie Sancti Sepulcri dederunt pro salute animarum suarum, vel quicumque alii dignitati et honori meo pertinentes in helemosinam [sepius] [893] nominate ecclesie dederunt aut daturi sunt de suis iustis possessionibus, concedo et sigilli mei impressione in perpetuum confirmo et corroboro.

XCII [894].

PRIVILEGIUM CECILIE, COMITTISSE [895] TRIPOLIS, QUE

[875] Restitué d'après B, *Maimundi constabularii. Willelmi.* [876] B, *Ansgerius.* [877] A, f° 83, r° et 87, v° ; B, f° 97, r°. [878] Manque dans B. [879] B, *peticionibus.* [880] B, *militie.* [881] B, *appendiciis.* [882] *B, Poncii.* [883] B, *satisfaciendo.* [884] B, *posteritati.* [885] B, *suis.* [886] Suppléé d'après B. [887] B, *intra.* [888] B, *subposito.* [889] B, *donationis.* [890] Manque dans B. [891] B, *Gaufredi.* [892] B, *Poncii.* [893] Suppléé d'après B. [894] A, f° 84, r° ; B, f° 99, r°. [895] B, *comitisse.*

CONCESSIT UT COQUERENT QUICUMQUE VELLENT IN FURNO, QUEM HABEMUS APUD MONTEM PEREGRINUM.

Humane conditionis miseria pressi ac mole consuetudinis quasi altera lege nature ad peccandum semper proni, in tantis proturbationum [896] fluctuationibus positi, necessarium valde duximus et utile ad servorum Dei, qui ei familiarius assidua et felici iunguntur copula, beneficiorum et orationum suffragia confugere, ut, quod per nostra non confidimus, saltem per eorum merita apud Deum obtinere mereamur [897]; quod tunc rite perficitur, cum ex habundanti nostro illorum supplemus inopiam; mutuo caritatis munere carnalia nostra eis impendentes, licet parva, que meliora sunt, id est spiritualia, ab ipsis recipimus. Idcirco ego Cecilia comitissa pro salute anime domini mei, Poncii comitis, et pro salute anime mee et filii mei, Raimundi comitis, ipso filio meo assentiente, rogata etiam a rege Iherosolimorum Fulcone et a regina Milissende, concessi in perpetuam elemosinam [898] in manu Wlgrini, prioris Montis Peregrini, canonici Sancti Sepulcri, ut quicumque voluerint coquere in furno, quem habent canonici prefati Sancti Sepulcri apud Montem Peregrinum, libere et sine omni calumpnia coquant.

Hanc concessionem fecimus ego et filius meus, comes Raimundus [899], anno ab incarnatione Domini MCXXXIX, teste :

Giraldo, episcopo Tripolitano. Petro de Podio Laurentii. Petro Raimundo de la Balma. Iocelino de Calmont [900]. Silvio Roberto. Petro de Podio, priore de Hospitali. Magistro Alberico, priore de Bethleem. Willelmo Apieres, placeario Montis Peregrini. Et Homudeu [901].

XCIII [902].

PRIVILEGIUM RAIMUNDI, TRIPOLITANI COMITIS [903], DE LIBERTATE QUAM HABEMUS IN PORTU TRIPOLIS.

In nomine sancte et individue Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen [904]

Ego Raimundus, Dei gratia Tripolitanus comes, et Hodierna coniux [905] mea, eadem gratia Tripolis comitissa, regis Iherusalem filia, filiis sancte matris ecclesie, presentibus et futuris, notum volumus haberi et memoriter in hac carta retineri quod domni Willelmi, divina gratia Iherosolymorum patriarche, ab Antiochia revertentis, ac suffraganeorum ipsius, Fulcherii, Tyrensis archiepiscopi, et Roberti, Nazareni archiepiscopi, ac Bernardi, Sydoniensis episcopi, aliorumque multorum petitionibus [906] inducti, ecclesie Sancti [907] Sepulcri Domini et fratribus in ea Domino servientibus et servituris libertatem in portu nostro Tripolis afferendi, eiciendi, deferendi inde omnia, que usibus suis necessaria fuerint, quiete et A absque ulla [exactione [908]] damus atque concedimus. Et pro remedio animarum nostrarum ac parentum nostrorum eisdem iure perpetuo confirmamus omnia illa dona, tam in casalibus quam in terris et vineis et olivetis et villanis ceterisque possessionibus, que dominus Raimundus, comes Sancti Egidii, et Willelmus Iordani, nepos eius, et Bernardus [909] comes atque Pontius [910] comes, pater meus, aliique barones seu terrarii fideliter dederunt ecclesie Dominici Sepulcri et canonicis eiusdem loci, cuncta concedimus, laudamus atque sigillo nostro firmamus, necnon [911] Sanctum Georgium. Huius autem doni existunt testes :

Giraldus, episcopus Tripolis. Iohannes, canonicus. Magister Gillebertus [912]. Rainerius, constabularius. Petrus de Podo Laurentii. Willelmus Rainoardi. Gauscelinus [913] de Cavomonte. Willelmus Porcelleti. Saxo. Pontius [914] de Sura. Geraldus [915] Isnelli. Brunellus, dapifer. Raymundus [916] Lamberti. Pontius [917] Giraldi. Stephanus, monacus. Otrannus, cancellarius comitis, qui hanc cartam dictavit.

Hoc privilegium factum est anno ab incarnatione Domini MCXL, mense ianuarii, indictione III.

XCIV [918].

ITEM ALIUD EJUSDEM ET DE EODEM, SED UNIVERSALIS [919].

In nomine sancte et individue Trinitatis.

Ego Raimundus, Dei gratia Tripolitanus comes, et Hodierna, eadem gratia Tripolitana comitissa regis C Ierusalem filia, notum volumus haberi et memoriter in hac carta retineri quod Willelmo, Iherusalem Dei gratia patriarche, et canonicis Sanctissimi Sepulcri pro animabus nostris et parentum nostrorum donamus, laudamus atque concedimus libertatem nostram [920] in portu nostro Tripolis, quod oleum suum et omnes alios redditus, quos de omni terra nostra habebunt, de portu nostro sine omni mercede libere deferant, et omnia illo, que voluerint [921] emere ad versus [922] ecclesie et canonicorum Sanctissimi Sepulcri, similiter de portu nostro libere deferant. Nunc [923] demum omnia illa dona, que Raimundus comes Sancti Ægidii, et Bertrandus comes atque Pontius [924] comes dederunt ecclesie Sanctissimi Sepulcri et canonicis eiusdem loci, concedimus atque D laudamus et sigillo nostro confirmamus, necnon [925] Sanctum Georgium. Huius doni sunt testes nostri barones :

R[ainerius], constabularius. P[etrus] de Podio Laurentii. W[illelmus] Porcelleti. Willelmus Rainoardi. Saxo. Bertrannus [926] Umberti. Gaucelinus de Cavomonte. P[ontius] de Suira [927]. Brunellus. G[eraldus] Isnel. O[tran-

[896] B, *perturbationum*. [897] Manque dans B. [898] B, *helemosinam*. [899] B, *Raimundus comes*. [900] B, *Calmunt*. [901] B, *Homodei*. [902] A, f° 84, v°; B, f° 100, r°. [903] B, *comitis Tripolitani*. [904] Manque dans B. [905] B, *coniux*. [906] B, *peticionibus*. [907] Manque dans B. [908] Suppléé d'après B. [909] B, *Bertrandus*. [910] B, *Poncius*. [911] B, *preter*. [912] B, *Gislebertus*. [913] B, *Goscelinus*. [914] B, *Poncius*. [915] B, *Giraldus*. [916] B, *Raimondus*. [917] B, *Poncius*. [918] A, f° 85, r°; B, f° 100, v°. [919] B, *universalius*. [920] Manque dans B. [921] B, *voluerit*. [922] La leçon de B, qui donne *ad usus*, est bien préférable. [923] B, *Tunc*. [924] B *Poncius*. [925] B, *preter*. [926] B, *Bertrandus*. [927] B, *Sura*

nus], cancellarius, qui hanc cartam dictavit. A

Hec carta facta est anno ab incarnatione Domini MCXL, mense Decembri. Et adhuc huius doni sunt testes :

Robertus, archiepiscopus Nazareth. Fulcherius, archiepiscopus Tyri. Bernardus, episcopus Synodis. Guido Beriti. Helias, cancellarius regis. Balduinus, cancellarius patriarche Iherusalem. Iohannes, canonicus Tripolis. Rainaldus, capellanus Nazareth.

XCV [928].

PRIVILEGIUM RAIMUNDI, COMITIS TRIPOLITANI DE CONFIRMATIONE QUARUMDAM DOMORUM [929].

In nomine sancte et individue Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen.

Quoniam memoria istius seculi labilis est, nec eius B status semper [930] esse potest, ob hoc illarum rerum, que ante nos aguntur, homines presentes et futuri Tripolitane terre veram et plenam noticiam habeant, dignum et utile est ea scripto memorie commendare, quatinus, si forte post elapsa temporum curricula in aliquo dissensio evenerit, notificatione scripture notificetur. Igitur ego Raimundus, Dei gratia comes Tripolitanus, et Hodierna, comitissa Tripolitana, et Raimundus, filius noster, notum volumus haberi ac memoriter in hac carta retineri omnibus hominibus, presentibus et futuris, quod dominus Wlgrinus, Sanctissimi Sepulcri canonicus, domos quasdam emit in civitate nostra de Willelmo de Sira LXXXI bisanciis, assensu et benivolentia nostra et C baronum nostrorum [931], quas, pro remedio animarum nostrarum et parentum nostrorum ecclesie Sanctissimi Sepulcri et canonicis in eodem loco Deo servientibus laudamus et concedimus bona fide sine [malo] ingenio. Nunc demum pro amore domini Wlgrini quoddam fructum [932] terre de tambulo [933] nostro et voltura turris ecclesie Sanctissimi Sepulcri et canonicis similiter donamus et concedimus pro remedio animarum nostrarum. Et ut firmum sit hoc privilegium impressione sigilli nostri permaneat confirmatum. Huius autem privilegii existunt testes :

Rainerius, constabularius, cum matre sua. Radulphus Caslan, frater Templi Salomonis. Petrus de Podio Laurentii. Willelmus Rainoaldi. Et filius eius, Saxus. Et frater eius Raimundus. Goscelinus de Calvo Monte. Robertus Silvii. Pontius de Sira. Brunellus, dapifer. Giraldus Isnelli. Stephanus, monacus. Pontius Giraldi. Hermengardus. Pellicius. Albertus, camerarius. Willelmus, capellanus comitisse. Otrannus, cancellarius, qui hanc cartam dictavit. D

Hec est facta carta [934] anno ab incarnatione Domini MCXLIII, indictione VI.

Preter hoc autem voltam illam, quam domnus Wlgrinus de Guidone emit, Sepulcro Domini et canonicis in eodem loco Deo servientibus bona fide sine malo ingenio, pro remedio animarum nostrarum, laudamus et concedimus iure perpetuo habendum et tenendum.

XCVI [935].

PRIVILEGIUM DOMINE ADALAIS, UXORIS HUGONIS EBRAICI [936], DE XII BIZANTIIS, QUOS ANNUATIM NOBIS [HABERE] [937] CONCESSIT.

Anno Domini MCXXXV, ego Adalais, uxor que fui Hugonis Ebraici [938], imprimis ad honorem Dei et Sancti Sepulcri et pro anima domini ac mariti mei, B Hugonis Ebraici [939], et pro salvatione mea ac filiorum meorum et pro animabus nostris, et quia canonici Sancti Sepulcri receperunt me et animam mariti mei et omnes filios meos in illorum consortio et orationibus ac fraternitate, dono et confirmo una cum filio meo, Willelmo Ebriaco, ut isti [940] canonici habeant de nostro XII bizancios per unumquemque annum aut CXX rotula olei, et ut fatiant [941] anniversarium per unumquemque annum Hugonis Ebriaci, quod est VI die intrante octobre vigilia sanctorum martirum Sergii et Bachi, et ut filiorum ac filiarum nostrarum ipsa die commemorationem de illorum animabus fatiant [942]. Testes :

Guidofressus. Guiniguisus. Stephanus. Bertrannus [943]. Segnoretus. Paganus, ferrarius.

Peregrinus interfuit ad hec omnia, et iussu domine et filii eius, Willelmi Ebriaci, posuit hoc sigillum e scripsit hec.

XCVII [944].

PRIVILEGIUM RAIMUNDI COMITIS DE OMNIBUS POSSESSIONIBUS, QUAS HABEMUS IN HONORE TRIPOLITANO.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen.

Notum sit omnibus, tam presentibus quam futuris, quod ego Raimundus, Dei gratia comes Tripolitanus, pro amore Dei et salute anime mee et requie parentum meorum, necnon rogatu domini Willelmi, Dei gratia patriarche Iherosolimitani, Petri, Dominici Sepulcri prioris, totiusque ipsius ecclesie capi- D tuli, concedo atque in perpetuum inconvulse confirmo et sigilli mei impressione corroboro omnes possessiones, quas in toto comitatu nostro Tripolis glorioso Sepulcro predecessores nostri donaverunt, videlicet domnus Raimundus, Sancti Egidii comes, Willelmus Iordanus comes, Bertrandus comes, Pontius comes et barones etiam seu alii fideles : imprimis ecclesiam sancti Sepulcri, que est in Monte Peregrino, cum suis domibus et integra sua curia ;

[928] A, f° 85, v° ; B, f° 101, r°. [929] Dans B la rubrique est ainsi conçue : *Item eiusdem de domibus, quas domnus Wlgrinus emit apud Tripolim de Willelmo de Sira.* [930] Manque dans B. [931] Le mot *emit* se trouve répété ici dans les deux manuscrits. [932] B, *frustum.* [933] B, *stabulo.* [934] B, *Hec carta facta est.* [935] A, f° 86, r° ; B, 102, r°. [936] B, *Ebriaci.* [937] Suppléé d'après B. [938] B, *Ebriaci.* [939] B, *Ebriaci.* [940] B, *predicti.* [941] B, *faciant.* [942] B, *faciant.* [943] B, *Bertrandus.* [944] A, f° 86, v° ; manque dans B.

furnum etiam cum domibus sibi pertinentibus, ita scilicet ut absque nostra aut heredum nostrorum contradictione valeant ibi coquere omnes, quicumque voluerint, ad utilitatem et proficuum domus prefate ecclesie, secundum quod mater mea, Cecilia comitissa, coram nobis presentibus et illud idem confirmantibus donavit atque concessit; domos etiam, quas in Monte Peregrino et Tripoli habent ex devexum montis, ex utraque parte vie veteris, sicut et nunc possident, a muro usque ad conductum; gardinum etiam. Libertatem quoque in portu nostro Tripolis afferendi, deferendi inde omnia, que usibus suis necessaria fuerint, quiete et absque consuetudine aut ulla exactione damus atque concedimus; transitumque per portas civitatis necnon et per universam terram nostram eadem libertate et quietudine firmamus. Ecclesiam Sancti Georgii in montanis cum suis casalibus atque cunctis aliis suis pertinentiis, quemadmodum probatur dinosciturve eam dedisse comes Raimundus Sancti Egidii predicte ecclesie; casale Buiola cum villanis suis et pertinentiis suis et suo integro oliveto, quod Willelmus Iordani comes donavit in dedicatione ecclesie Sepulcri, que est in Monte Peregrino; tria alia casalia, que sunt in montanis, cum villanis et pertinentiis suis, scilicet Abdin, Bebula, Benehara, que comes Bertrandus eidem ecclesie dedit, et ex alia parte montane casale Medera eum vill[an]is et pertinentiis suis, quem Willelmus Ermengardus donavit; gaustinam insuper, que dicitur Loisan, quam Raimundus de Raisac dedit; casale Helmedel cum villanis et pertinentiis suis prope Guibelacard, quod dedit Ribod; casale Cafarsequel in territorio de Gibelet, quod vocatur casale Pontis Sici, quod Stephanus de Brolo dedit; in casali de Bocumbe villanum unum cum una carrucata terre, quem donavit Raimundus de Narbona; in casale, quod dicitur Aer, villanum unum cum una carrucata terre, quem dedit Bernardus Derat; in casale etiam Derie villanum unum cum [una] carrucata terre et x jarras olei, quas debet persolvere annuatim dominus quicumque fuerit casalis, que dedit Petrus de Podio Laurentii, concedente uxore sua; et villanum unum cum una carrucata terre, quem dedit Petrus, nepos Rogerii constabularii, in casale Ardin; et in casale de Buissera unum villanum cum una carrucata terre, quem dedit Adalardus; in causali [945] Sorbe villanum unum cum una carrucata terre, quem dedit Gaufridus de Pennis; in territorio de N[a]phis XII quoque Bizancios aut CXX littras olei, quos donavit supradicte ecclesie Adalaxia pro anima Vgoni Ebriaci, viri sui, una cum filio suo, Willelmo Ebriaco, annuatim in sempiternum reddendos; unum quoque villanum cum omnibus suis pertinentibus, et terras alterius villani, quem dedit Willelmus de Boschet; villanos supradictos eorumque heredes cum terris suis perhenniter habendos ecclesie concedimus. Ista omnia supradicta et alia cuncta, que iuste canonici inantea sunt adquisituri seu donatione quorumcumque hominum vel emptione aut aliqua commutacione vel ad presens possident, memorate ecclesie Sancti Sepulcri presenti privilegio præmunimus, et, sicut prephati sumus, nostro sigillo insignimus, ut libere et quiete absque exactione aliqua et servicio in eternum possideant, testibus etiam subscriptis illud idem sancientes, ut censure nostre monimentum inviolabile permaneat, quatinus ut nec per nos vel successores nostros in aliquo tempore queat violari.

Rainerius, constabularius. Petrus de Podio Laurentii. Gocelinus de Cavomonte. Saxo. Giraldus Isnel. Brunellus, dapifer. Raimundus Lamberti. Pontius Giraldi. Stephanus, monacus. Otrannus, cancellarius.

Facta carta anno ab incarnatione Domini MCXLIII indictione VI.

XCVIII [946].

PRIVILEGIUM BERTRANDI, TRIPOLITANI COMITIS [947], DE TRIBUS CASALIBUS, ABDIN, HABELA [948], BENIHARAN.

Anno dominice incarnationis MCXII, kalendis [949] decembris, ego Bertrandus, inclitus comes, Raimundi Sancti Egidii [filius], reddo et laxo Domino Deo et ecclesie Sepulcri Domini nostri Ihesu Christi, que sita est in castro Montis Peregrini, tria casalia, scilicet Addin [950], Habela [951], Beniaran [952], cum omnibus pertinentiis suis, que olim donavi ad prefatam ecclesiam pro remedio anime Guillelmi Iordanis, consanguinei mei, in presentia domni Balduini, regis Iherusalem, et archiepiscopi Albariensis et Arnulfi archidiaconi aliorumque proborum virorum, et in manu domini Iohannis, qui tunc temporis erat prior eiusdem ecclesie, quod omnibus hominibus manifestum est, sicut carta declarat. Manifestum est quia ego Bertrandus, comes prescriptus, peccatis meis irruentibus, tradidi iniuste prescriptum honorem in meo dominio et potestate. Nutu Dei actum est quod capitulum Iherusalem elegit unum de fratribus suis in prioratu ecclesie Montis Peregrini, scilicet Arnaldus [953], qui missus est a nobis ut honorem supradicte ecclesie adquisitam conservaret et perditam acquirat. Illo veniente et honore perdito mihi proclamante, divino suggerente timore, consilium accepi a Domino, et cum omnibus nobilibus meis, submonente pietate et remedio anime mee et anime patris mei atque matris mee omniumque parentum meorum, reddo et guirpisco ego Bertrandus comes et filius meus Pontius sub tali tenore et stabilitate, quod nec ego nec filius meus Pontius nec ullus ex eredibus [954] meis nec ulla potestas non [955] sit ausus dirrumpere nec alienare hunc honorem prescriptum, sed sit libere et absolute nunc et semper Domino Deo et iamdicte ecclesie Sancti Sepulcri sine inganno et malo ingenio. Insu-

[945] Corrigez *casali*. . [946] A, f° 89, r°; B, f° 104, v°. [947] B, *comitis Tripolitani*. [948] B, *Babela*. [949] La leçon des mss. est fort douteuse; peut-être faut-il lire : *anno* MCX, II *kalendas*. [950] B, *Abdin*. [951] B, *Babela*. [952] B, *Beniharen*. [953] B, *Arnaldum*. [954] B *heredibus*. [955] Manque dans B.

per etiam omnes donationes iam factas et corroboratas a patre meo, scilicet Raimundo, comite Sancti Egidii, et a Willelmo Iordano, consobrino meo, cum omni conventu, qui ad de[di]cationem [956] supradicte ecclesie fuit, ego Bertrandus comes laudo et confirmo, et filius meus Pontius, sicut scriptum est in privilegiis predicte ecclesie; et [957] in antea hec guirpicio et predicta laudatio firma et stabilis permaneat omni tempore. Et propter hanc guirpitionem et evacuationem suprascripti [958] honoris, pro benedictione et reverencia ecclesie Sancti Sepulcri, dedit Arnaldus prior equum bonum et mulum optimum domno Bertrando comiti.

Facta carta huius guirpitionis [959], a Bertrando comite confirmata, et a Poncio filio suo laudata, et ab episcopis consignata, et a laicis corroborata. Si quis contra hanc donationem et guirpitionem [960] vel laudationem ad inrumpendum venerit, quicumque sit, sive ego prescriptus comes, sive filius meus Pontius [961], sive ullus ex heredibus meis vel propinquis, aut aliqua potestas, an ulla sacrilega persona, qui hunc prescriptum honorem auferre vel minuere voluerit ab ecclesia Sancti Sepulcri, imprimis iram Dei omnipotentis incurrat, et a luminibus [962] ecclesie ut depredator extrinsecus [963] fiat, et cum Iuda traditore in inferno particeps fiat, et cum Dathan et Abiron [964] supplicium eternum sustineat, et excommunicationi [subiaceat] [965] sanctorum apostolorum Petri et Pauli et omnium episcoporum et patriarche Iherusalem et episcopi Tripolitani et archiepiscopi Femie et episcopi Biterrensis, et insuper anathema maranata [966] sine fine permaneat.

Signum Bertrandi, comitis. S. Poncii, filii sui. S. episcopi A[lberti] [967] Tripolitani. S. archiepiscopi Femie, P[etri] [968]. S. episcopi Biterrensis, A[rnaldi] [969]. S. Rogerii, constabularii. S. Udalardi de Pontiano. S Pontii [970] de Grilione.

XCIX [971].

PRIVILEGIUM BALDUINI, REGIS QUARTI, DE CONCESSIONE TERRE IOHANNIS GOTHMANNI.

In nomine sancte et individue Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen.

Notum sit omnibus, tam presentibus quam futuris [972], quod ego Balduinus, per gratiam Dei in sancta Iherusalem Latinorum rex quartus, casalia subscriptis nominibus nuncupata, videlicet Bethahatap [973], Derhassen, Derxerip, Culi, Vastinam Leonis, cum omni integritate, gastinis scilicet et appendiciis suis, ubicumque in longum sive in latum protenduntur, que Iohannes Gothmannus, laudantibus et concedentibus uxore sua Amandala et filio suo Ancherio eiusdemque uxore Stephania filiaque predicti Iohannis Helisabeth, uxore videlicet Hugonis, Cesariensis domini, nec non et ipso iam dicto Hugone omnibusque aliis, ad quos presentis vinditionis videtur pertinere concessio vel in posterum prescripte possessionis vendite hereditaria possessio, canonicis Dominici Sepulcri pro M et CCCC bizanciis vendidit, prece ipsius Iohannis Gothmanni filiique sui Ancherii quamplurimum persuasus, atque fraterna dilectione, qua memoratis canonicis iamdudum astringor, ex debito inclinatus, eisdem videlicet canonicis in ecclesia Dominice Resurrectionis Deo nunc ibidem servientibus et in posterum servituris laudo, concedo et confirmo. Hoc autem, [quod] [974] prescriptus Iohannes et filius eius Ancherius canonicis, de quibus agitur, in pactis habuerunt, silencio [975] preteriri nolo, videlicet quod si in pretaxatis casalibus, gastinis quoque vel eorumdem attinentiis [976], ulla prorsus ex qualibet parte calumpnia nunc aut in futurum emerserit, sepe iamdictus Iohannes et eiusdem filius Ancherius nec non et ipsorum hereditatis successores in perpetuum prefatis canonicis illam penitus ex contracta conventione sadare [977], sopire et ex toto tollere debent. Ut igitur ecclesia Dominici Sepulcri et eiusdem conventus, tam presens quam futurus, hec omnia, que seriatim expressa sunt et commemorata, libere, quiete et sine calumpnia omnium hominum, et absque omni servitio [978], exactione et dominio nunc et in futurum habeant, et iure perpetuo in eternum possideant, presenti pagine subscriptis testibus sigillique mei suppressione [979] denotata confirmo.

Factum est autem hoc anno [ab] incarnatione [980] Domini MCLXI, indictione IX. Huius quidem rei testes sunt :

Amalricus, comes Ascalonitanus. Humfredus de Torono, constabularius. Philippus Neapolitanus. Hugo de Hybelino [981]. Hugo Cesariensis. Balduinus de Insula. Galterius, de Sancto Audemaro castellanus et Tiberiadis [982] dominus. Gormundus [983] Tyberiadensis. Clarembaldus, vicecomes Acconensis. Guillelmus de Hursa. Guido de Maneriis.

Data Accon, per manum Stephani, domini Radulfi, Bethlemite [984] episcopi regisque cancellarii, in hoc officio vice fungentis, XI kalendas decembris.

C [985].

PRIVILEGIUM IOHANNIS GOTHMANNI DE VENDITIONE TERRE.

In nomine sancte et individue Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen.

Quoniam humane vite instabilitate, caduca enim

[956] Restitué d'après B. [957] B, *ut*. [958] B, *prescripte*. [959] B, *guirpicionis*. [960] B, *guirpicionem*. [961] B, *Poncius filius meus*. [962] B, *liminibus*. [963] B, *extraneus*. [964] B, *Abyron*. [965] Suppléé d'après B. [966] B, *maranatha*. [967] B, *A[lberti] episcopi*. [968] B, *P[etri] Femie*. [969] B, *A[rnaldi] Biterrensis*. [970] B, *Poncii*. [971] A, f° 90, r° ; B. f° 106, r°. [972] *tam futuris quam presentibus*. [973] B, *Bethaatap*. [974] Suppléé d'après B. [975] B, *silentio*. [976] B, *attinenciis*. [977] B, *sedare*. [978] B, *servicio*. [979] B, *subpressione*. [980] B, *incarnationis*. [981] B, *Ybelino*. [982] B, *Tyberiadis*. [983] B, *Guormundus*. [984] B, *Bethleemite*. [985] A, f° 90, v° ; B, f° 107, r°.

est et cotidie tendit ad defectum, rerum memoria gestarum a mente cito dilabitur, scriptis eam commendare imitanda patrum sancxit auctoritas. Laudabiles igitur eorum sanctiones ego Iohannes Gothmannus pro modulo virium mearum imitari cupiens, universitati omnium, tam presentium quam futurorum, presentis scripture monimento notum fieri volo quod ego iamdictus Iohannes Gothmannus, laudantibus et concedentibus uxore mea Amandala et filio meo Ancherio cum uxore sua Stephania, filia quoque mea Helisabeth, uxore videlicet Hugonis,Cesariensis domini, nec non et ipso iamdicto Hugone omnibusque aliis, ad quos presentis venditionis videtur pertinere concessio, vel in posterum subscripte possessionis vendite hereditaria possessio, casalia subscriptis nominibus nuncupata, videlicet Bethaap [986], Derassen [987], Derxerip, Culi, Vastinam Leonis, cum omni integritate, gastinis scilicet et appendiciis suis, ubicumque in longum sive in latum protenduntur, dominis et fratribus meis ecclesie Dominici Sepulcri canonicis, domno videlicet Nicholao priori ceterisque omnibus Deo nunc ibidem servientibus et in posterum servituris, pro M et cccc bizanciis vendidi, ut ea iure perpetuo habeant et possideant ita prorsus ab omni [988] hominum calumpnia et servitio, exactione et dominio soluta, libera et quieta, et propter prescripta casalia nullum omnino cuilibet homini servicium persolvatur. Ego siquidem, ingenti me urgente necessitate, liberationis videlicet et redemptionis de paganorum captivitate, consilio et consensu domini regis Balduini, de cuius feodo fuit presentis venditionis possessio, qui etiam auctoritate privilegii sui confirmavit presentemque paginam sigillo meo [989] munivit, casalia, de quibus agitur, cum omnibus pertinentiis [990] suis pretaxatis canonicis vendidi, cooperante mecum in omnibus et per omnia filio meo Ancherio. Si qua igitur super prefatis casalibus vel eorumdem attinentiis nunc aut in futurum calumpnia emerserit, nos et nostri successores eam movebimus [991], et ex toto pacificabimus; sic [992] igitur dum vixerimus nos. Nobis vero humano more decedentibus, illi, ad quos hereditas nostra post nos transierit, conventui Sancti Sepulcri obligati in perpetuum tenebuntur ut, si quid dampni propter motam calumpniam eidem conventui contigerit, predicto conventui ab illis in integrum restauretur, et venditio pretaxata rata in perpetuum permaneret. Nolens igitur ut auctoritati huius mei privilegii aliquid deesset, rogavi dominum meum regem Balduinum ut presentem paginam sigilli sui impressione corroboraret, quod tandem sedulis tam meis quam filii mei Ancherii et amicorum meorum precibus obtinui. Munivit ergo dominus meus, sicut superius dixi, presentem paginam suo sigillo [993]; confirmavit etiam quodam alio privilegio, sub nomine ipsius scripto, hanc meam sepefatis canonicis venditionem. Ego autem, anime mee precavens, atque iam tociens dictis canonicis sollerti consideratione in futurum providens, presentem paginam, ne ab aliquo succedentium mihi in posterum concuti aut inpugnari posset, per cirographum [994], ut pars superior indicat, conscribi precepi. Huius rei testes sunt :

Odo de Sancto Amando, castellanus Turris David [995]. Marmio. Radulfus Bornio. Adam Niger et Fulco, frater eius. Thomas Patricius. Petrus Hermenius. Baharam. Gaufridus Turonensis, senescalcus domni Amalrici patriarche. Briccius [996]. Rainaldus Sicherius. Geraldus Aldenarius. Albertus Lombardus. Willelmus Beraldus. Arbertus Tortus. Willelmus Normannus.

Factum est autem hoc anno ab incarnatione Domini MCLXI, indictione IX, III nonas decembris.

CI [997].

PRIVILEGIUM BERNARDI BITURICENSIS DE QUADAM DOMO, QUAM DEDIT ECCLESIE SANCTI SEPULCRI.

Notum sit omnibus hominibus, tam futuris quam presentibus, quia ego Bernardus Bituricensis et uxor mea Aloys ecclesie Sancti Sepulcri et eiusdem canonicis, eorum Dei gratia fratres effecti, pro salute nostra et parentum nostrorum domum nostram et quecumque habemus, terram etiam, quam prope portam Sancti Sepulcri pro censu duorum bisantiorum acquisivimus, hereditario iure possidenda sub sequenti conditione donamus : in domo nostra, quamdiu vixerimus, cetera nostra possidentes, supradictorum canonicorum defensione muniti, permanebimus; cum autem quis nostrum mortuus fuerit, tertiam partem omnium canonici habuerint; qui vero supervixerit ad ecclesiam cum sua alia parte tertia, si voluerit, ierit, et ab ea victum et vestitum inde acceperit; sin autem, in domo sua erit, et de proprio vixerit, et post obitum suam partem tertiam cum precedenti ecclesia absque ullo impedimento habuerit; terciam autem partem cuidam filie nostre, fraternitati eorum similiter consortiate, cum ad nubilem etatem venerit, sive etiam nupserit, aut c bizancios ipsi canonici dederint; que si sine heredibus obierit, totum penitus sine ulla calumpnia ecclesie remanebit; et si infantes alios ex nobis ipsis, omnibus aliis remotis, genuerimus, in tertia tantum parte filie cum ipsa supradicta participare constituimus; preterea si, mortuis nobis, debitum quodlibet remanserit, de nostris et filie partibus communiter reddendum precipimus. Pro tali igitur institutione dominus Petrus, prior Sancti Sepulcri, et cuncti cum eo canonici fratres suos et participes omnium bonorum suorum spiritualium nos in perpetuum fore conces-

[986] B, *Bethaatap.* [987] B, *Derhassen.* [988] B, *omnium.* [989] B, *suo.* [990] B, *pertinenciis.* [991] B, *removebimus.* [992] Manque dans B. [993] B, *sigillo suo.* [994] B, *cyrographum.* [995] B, *Turris David castellanus.* [996] B, *Brictius.* [997] A, f° 92, r° ; manque dans B.

serunt, et ter in anno, in natale videlicet Domini et in Pascha et in festum Iherusalem, iustam unam vini cum duobus panibus ob fraternitatis recordationem habendam permiserunt. Testes sunt :

Domnus patriarcha Willelmus. Et Fulcherius, capellanus eius. Et Amelius, diaconus. Et Aschetinus, vicecomes. Et Umbertus, aurifaber. Et Herbertus cum barba. Et Giraldus, Sancti Sepulcri diaconus, qui hanc cartam composuit. Et Willelmus de Babilonia.

CII [998].

PRIVILEGIUM PETRI, PRIORIS SANCTI SEPULCRI, ET CANONICORUM DE VENDITIONE EIUSDEM DOMUS.

Anno ab incarnatione Domini MCXXXV, indictione XIII, Petrus, Sancti Sepulchri prior, cetusque B fratrum eiusdem loci canonicorum domum, que fuit Bernardi Bituricensis, et aliam, que fuit Willelmi drugomanni, predicte domui contiguam, Petronille, mulieri Ungarice, CCCCXL bisentiis vendiderunt in hospitalem domum sue genti, ut ipsa eas tamquam proprio censu emptas sibi, ut dictum est, sueque genti venditas eternaliter possideat. Quod si ipsa vel eius successores Ungarici, necessitate qualibet ingruente, prefatas domos in posterum vendere vel invadiare voluerint, priori et canonicis Sancti Sepulcri venales vel invadiandas offerant; si vero prior et canonici easdem domos ita ut alii emere noluerint, cuicumque voluerint sine contradictione vendant et invadiant. Prenominata autem mulier prebendam quatuor hominum de refectorio C Sancti Sepulcri accipiebat cotidie; sed, pro salute anime sue, sicut soror ecclesie necessitati fratrum providens, partem prebendarum remisit, ita ut deinceps duabus contenta prebendis, una unius canonici et altera unius servientis, permaneat.

Facta est autem huius carte inscriptio, domino Willelmo sancte Iherosolimitane ecclesie patriarchatui presidente, Fulcone nobilissimo rege regnante. Huius rei testes sunt :

Rogerius, Ramathensis episcopus. Anselmus, Bethleemita episcopus. Acardus, prior Templi Domini. Arnaldus, prior Montis Syon. Henricus prior Montis Oliveti. Robertus, abbas Vallis Iosaphat. Chosmas Ungaricus, heremita. Bonefatius, socius eius. Symeon D Ungaricus, archidiaconus. Roardus, vicecomes. Raimondus, magister Hospitalis. Rainaldus de Ponz, et complures alii.

Quicumque hanc conventionem infirmare vel violare temptaverit, apud Deum et homines anathema sit.

CIII [999].

DE EMPTIONE CUIUSDAM DOMUS, QUAM EMIT BERNARDUS CASTELLI RADULFI A GEORGIO RAICO.

Bernardus Castelli Radulphi et Havidis, uxor eius, emerunt unam domum de Georgio Raico atque A Bu[r]sardo, quam Georgius emerat a Petro Britanno et Geifrido, socio suo, pro LXXX bisanciis inter omnes consuetudines. Bernardus iste emit hanc domum in tempore Garmundi patriarche et Balduini regis secundi, quando ivit pugnandum ad Bursechinum, coram Anschetino, vicecomite Iherusalem, qui rectitudinem inde accepit, teste :

Odone, socero Piselli, et Bertrano Alobroge, et Roberto sine barba, et Andrea, suo genero, et Fulcone Berruer, et Stephano Alvernensi, et Pagano Stulto, et Willelmo Grosso, placcario, et Alberto, filio A[nschetini] vicecomitis, et Eudeberto Ruffo, et Baldri de Templo, et Rogero de Baios, et Soiberto, et Radulfo de Baugenci, et Cudener, et Berengero, et Radulpho Fabri, et Theaudo, et Brunet, cambiatore, et Roberto, ianitore porte David, et Petro Fabri.

Hanc cartam fecit Ogerus clericus in turre David. Hanc domum emit Bernardus a Georgio et a Bursardo sine aliqua calu[m]pnia ad vendendum et ad dandum ad suam voluntatem fatiendam.

Inde est testis Marages, filius Bursardi, qui fuit ad potationem huius rei.

CIV [1000].

PRIVILEGIUM, QUOD FECIT PETRUS, PRIOR SANCTI SEPULCHRI, BERNARDO ET UXORI SUE.

Notum sit omnibus, tam futuris quam presentibus, quod ego Petrus, Dominici Sepulcri prior, et omnis conventus eiusdem quandam domum cum una statione Bernardo et uxori sue, in fraternitate nostra susceptis, possidendam tali conditione concedimus : quamdiu vixerint, totam domum et stationem habuerint, exceptis duabus eiusdem cameris et etiam stabulis, que pro Lamberto Ptolomensi hospitando et pro suis custodiendis in nostra potestate sub corumdem custodia retinemus; si autem ipsi propria relinquere et cum omnibus suis ad nos venire voluerint, deinde victus et vestimenti necessaria eis inpendemus; sed cum alter eorum obierit, totius peccunie medietatem habebimus, et qui supervixerit cum alia sua medietate ad nos, si voluerit ultra necessaria a nobis susceptur us, venerit; sin autem, per omne tempus vite sue in domo fue- rit, et, cum obierit, domum et stationem solutas et quietas et omnia sua nobis dimiserit; nec non si infantem ex se habuerint cum obierint, duas partes eorem peccunie nobis reliquerint, et terciam infanti dederint; infans vero in domo sive statione aliquam calumpniam non fecerit nec habuerit. Preterea si vir, mortua uxore, aliam duxerit, aut mulier, mortuo [viro], alieno nupserit, quamdiu vixeri[n]t, domum et stationem similiter possederint; sed cum uterque mortuus fuerit, alienus maritus sive aliena coniux domum seu stationem non habuerint, sed ad nos solute et quiete cum peccunia mortui domus

[998] A, f° 92, v°; manque dans B. [999] A, f° 93, r°; manque dans B. [1000] A, f° 93. v°; manque dans B.

et statio redierint; sed peccunia hoc modo distribuetur : medietatem aliene coniugi sive alieno viro reliquerint, et, si infantem sic de alienis habuerint, partem peccunie sue unam nobis, alteram infanti, tertiam marito dederit.

Facta est carta ista anno ab incarnatione Domini MCXXXIII, indictione XI.

Super retentione camerarum et stabulorum, quos pro Lamberto hospitando retinuimus, ipso Lamberto defuncto, solutum facimus; uxor tamen ipsius Lamberti, quamdiu absque viro fuerit, in eis similiter hospitabitur.

Testes sunt : Umbertus, aurifaber, et Holdreus, et Turstanus Angelus, et Iohannes Galiga, et Milo Curvesarius, et Petrus Petragoricus, et Helias, frater eius, et Robertus Cocus, et Petrus de Ramata, et Bernardus, aurifaber, et Giraldus, diaconus et canonicus Sancti Sepulcri, qui hanc cartam composuit.

CV [1001].

PRIVILEGIUM RICARDI IAFERINI DE QUADAM DOMO.

Notum sit omnibus dominice vinee cultoribus quod ego Nicholaus, prior Sancti Sepulcri, assensu totius nostri capituli, domum, quam tenuit Bernardus Bursarius, Ricardo Iaferino et heredibus eius libere et quiete in perpetuum ad possidendum et emendandum concedimus, sic nempe ut per singulos annos Ricardus predictus vel eius successor nobis nostrisque successoribus kalendis martii XIV bisancios censualiter persolvent. Addimus etiam quod, si domum illam vendere voluerint, primum nobis venalem offerent; quam si retinere voluerimus, marcham argenti levius habebimus; sin autem, cuicumque dare seu vendere voluerint, omnibus militibus atque ecclesiis penitus exceptis, salvo prenominato censu, licentiam habeant.

Actum est hoc IV nonas martii, anno ab incarnatione Domini MCLX. Huius rei testes sunt :

Nicholaus, prior. Arnulphus, subprior. Bernardus, cantor. Godefridus, thesaurarius. Ebrardus. Ilbertus. Petrus de Sepulchro. Petrus Clemens. Achilles. Hugo de Nigella. Petrus de Latina. Petrus Lumbardus. Rainaldus de Ochis. Robertus Antiochie.

De laicis :

Pisellus, aurifaber. Baldoinus Borne. Petrus Salomonis. Robertus Cocus. Uldretus, aurifaber. Giraldus Salomonis. Petrus Petragorc.

CVI [1002].

DE QUODAM ORTO, QUEM DEDIT MABILIA ECCLESIE SANCTI SEPULCHRI.

In nomine sancte et individue Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen.

Sciendum est et dignum memorie tradendum quia ego Mabilia pro redemptione anime mariti mei et filii mei et anime mee et corporis inopia relevanda dedi et concessi canonicis Sancti Sepulchri, confratribus et dominis meis, ortum meum in vita mea, et post decessum meum domum meam, utrumque iure perpetuo possidendum. Nec totum fuit gratis; ipsi enim michi proinde C et LXX bisantios recompensaverunt, et in orto claudendo maceria, et in cisterna, que ibi erat, curanda XL bisancios dispenderunt, et victum michi, quamdiu viverem, communi consilio determinatum concesserunt, scilicet cotidie panem unum canonicorum et dimidiam litram vini temperati et scutellam de coquinato, in die vero dominica et magnis sollempnitatibus recentis frustrum carnis vel de cibo, quem domini comederent.

Hoc autem factum est anno ab incarnatione Domini MCXXXII, VII kalendas iulii, rege Fulcone Iherosolimitano regnante et Domino Willelmo patriarcha presidente. Huius itaque rei sunt testes :

Dominus Willelmus patriarcha.

Et canonici Sancti Sepulcri :

Petrus, prior. Petrus de Barcilona. Hugo, prepositus. Gaufridus de Constantinopoli. Radulfus Parisiacensis. Petrus Bernardus. Garnerius de Cenomanne. Guido. Giraldus. Petrus Clementis. Eurardus, et ceteri canonici. Anschetinus, vicecomes. Rainaldus de Pontibus. Gaufridus Acus. Tosetus. Hildredus.

CVII [1003].

PRIVILEGIUM ANDREE ET HOSANNE.

Notum sit omnibus, tam futuris quam presentibus, quod ego Petrus Bernardi, canonicus Sancti Sepulcri, consensu Petri prioris et concanonicorum meorum, concessi Andree et Hosanne, uxori eius, edificare domum de proprio super terram Sancti Sepulcri, que est in Iherusalem, in parte regis, circumdata ab una parte domo Sancti Sepulchri, ab alia domo Hospitalis, que fuit Garsie, ab alia vero parte est circumdata domo, que fuit Roberti Galatine : tali conditione ut eam habeant et possideant donec vixerint, et reddant II bisancios pro redditu Sancto Sepulcro in unoquoque anno; si autem Andreas mortuus fuerit, liceat prefate uxori eius manere in domo dum vixerit, duos bisancios, ut dictum est, singulis annis rendendo; similiter vero Andree facere liceat, si post uxorem supervixerit; post mortem vero utriusque domus illa tota et quieta remaneat ecclesie. Preterea concessimus ei ut de cisterna nostra, que est ad pedes gradus, quoquo die suffitienter aquam accipiat. Huius pacti testes sunt :

Holdredus, iudex. Albertus de Virduno. Ricardus. Rogerius, magister clientum Sancti Sepulcri. Arnuldus Fellarius. Petrus Porcellus. Habert de Falconberga. Bernardus Riquitie.

[1001] A, f° 94, r°; manque dans B. [1002] A, f° 94, v°; manque dans B. [1003] A, f° 94 *bis*, r°; manque dans B.

Actum anno ab incarnatione Domini MCXXXVI, indictione XIII, XVI kalendas decembris.

Scriptum per manum Iohannis Pisani, qui eo tempore ad Sepulchrum clericulos docebat.

CVIII [1004].

DE VENDITIONE DUARUM STATIONUM ECCLESIE SANCTI SEPULCRI.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen.

Ego Alois cum viro meo Girardo et filiis meis Rogerio, Alboim et Marco et Amelina, vendimus conventui Sanctissimi Sepulcri duas stationes cum suo solario pro C et LXX bisanciis iure perpetuo possidendas, certis terminis prefixas : est enim a parte orientis communis via, ab occidente atrium Sancti Sepulcri, a meridie domus Michaelis, a septemtrione domus Guisle Sancti Abrahe. B

Factum est siquidem hoc anno ab incarnatione Domini MCLV, indictione III, XV kalendas septembris, venerabili fratre Fulcherio in Ierusalem presidente venerabili patriarcha, rege Baldoino quarto.

Huius autem rei testes sunt :

Petrus Salomonis, Gibertus Papais, regie maiestati iurati. Albertus Lombardi. Giraldus Aldenarii. Robertus Cocus. Willelmus, nepos Aimerici, prioris Montis Oliveti.

CIX [1005].

RECORDATIO CONVENTIONIS ET DONATIONIS, QUE FACTE FUERUNT INTER MARIAM DE SANCTO LAZARO ET ROGERIUM.

Breve recordationis conventionis et donationis, que facta est quondam inter Mariam de Sancto Lazaro, uxorem cuiusdam Rogerii, clientis Sancti Sepulcri, et Bernardum, clientem patriarche, fratrem Petri, prioris Sancti Sepulcri. Nam prefata Maria predicto Bernardo quandam filiam suam in matrimonium tradidit in presentia capituli Sancti Sepulcri et legalium virorum, quam filiam habuerat de priore viro, nomine Petro, dotans eam dote centum bisantiorum, et vestiens eam, ut ita dicam, in dorso et in lecto, dansque etiam illi usumfructum cuiusdam vinee, quam pater puelle plantaverat. Insuper autem eidem Bernardo in ipsis sponsalibus coram testibus et fideiussoribus quartam partem cuiusdam domus, que sita est in platea Templi in Ierusalem iuxta domum Bentulini, post mortem suam concessit; aliam partem vero cuidam, quem habebat, reservavit filio, post cuius filii mortem aliam quartam partem prefatus Bernardus eiusque heredes sine lite et contentione iure perpetuo haberet et possideret. Quam domus donationem, annorum interlabente curriculo, predicta, denegavit se fecisse Maria; unde inter ipsam et generum non minima orta est controversia; que postea diffinita est in capitulo Sancti Sepulcri coram domino patriarcha Willelmo et Petro subpriore et Anselmo cantore et Goffrido thesaurario et magistro Roberto, canonicis Sancti Sepulcri, et coram Anschetino, quondam vicecomite Ierusalem, et Rainaldo de Pontibus et Goiffrido Acu : tali videlicet conditione ut iam dictus Bernardus quartam partem domus, quam ipsa Maria cum Rogerio secundo viro acquisierat, post mortem eius libere et sine aliqua possideat calumpnia; aliam vero quartam partem post mortem filii similiter sine contentione habeat. C

Facta est autem hec carta, Willelmo iubente patriarcha, anno ab incarnatione Domini MCXXXV, indictione XII, regnante in Ierusalem Fulcone, rege Francorum tertio.

Huius autem conventionis sunt testes :

Petrus, prior. Petrus de Barcinona. Willelmus Normannus. Godefridus. Wigrinus. Eurardus. Gervasius.

De burgensibus.

Oldreus. Milo. Bentulinus. Bernardus Lemovicensis, Petrus Petragorici. Arnulfus de Gorranti. Bernardus Bituricensis.

CX [1006].

DE CONCESSIONE CUIUSDAM DOMUS FACTA BENSCELINO ET UXORI SUE.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen.

Notum sit omnibus commanentibus in civitate sancta Ierusalem quod ego Amalricus prior, cum plenario capitulo ecclesie Sanctissimi Sepulcri, concedimus Benscelino et uxori eius Gode heredibusque suis domum Rogerii et Marie Sancti Lazari, quam habent de Sancto Sepulcro, que sita [est] inter domum Leodegarii molendinarii et predicte Gode, in dextra parte platee, qua itur ad Templum; ea conditione eis concedimus ut, sopitis omnibus querelis inter nos et illos ante habitis, videlicet de terra et vinea et omni feodo, quod tenuit ipsa Goda et predecessores sui apud Sanctum Lazarum, pro quibus unam medietatem domus libere et quiete possidendam eidem Benscelino et uxori eius Gode heredibusque suis concedimus, et ut habeant pro libitu suo et voluntate potestatem vendendi eam sive donandi quibuscumque voluerint, pro medietate vero altera annuatim capitulo Sancti Sepulcri ad Pascha quatuor bizancios ipsi sive heredes sui persolvent; si vero annuatim in Pascha predicto conventui quatuor bisancios non persolverint, capitulum prenominatum XV diebus post Pascha habebit liberam potestatem accipiendi domus predicte medietatem. Hanc autem concessionem, videlicet de medietate domus illius, eo tenore Benscelino et Gode uxori eius heredibusque suis facimus ut, si medietatem illam, necessitate aliqua compellente, aliquando vendere voluerint, salvo debito censu, quem ecclesie pretaxate singulis annis persolvere debebunt, quibus voluerint eam vendant aut donent, exceptis Templa- D

[1004] A, f° 94 *bis*, v° ; manque dans B. [1005] A, f° 94 *bis*, v°, manque dans B. [1006] A, f° 95, v° ; manque dans B.

riis et Hospitalaribus et aliis quibuscumque monasteriis; si autem eam vendere voluerint, primum capitulo prefato eam presentabunt; quam si emere voluerit, una marca argenti minus quam alicui alteri vendent.

Hec autem concessio inter canonicos Sancti Sepulcri et Benscelinum uxoremque eius Godam in presentia domini patriarche Fulcherii facta fuit, anno ab incarnatione Domini MCLIV, et ipsorum canonicorum, quorum nomina subscribuntur.

Videlicet domini Amalrici, prioris. Arnaldi, subprioris. Giraldi, precentoris. Godefridi, thesaurarii. Nicholai, elemosinarii. Beltoldi. Petri Sepulcrarii. Stephani, prepositi. Constantini. Petri de Golgota. Petri de Nazareth. Bernardi. Barduini. Willelmi de Baruth. Hugonis de Nigella. Iohannis Pictaviensis. Willelmi de Yspania. Rainaldi. Petri de Bolonie.

Laicorum vero:

Otonis de Verdun. Rainaldi Secher. Petri de Peregore. Willelmi Patroni. Benedicti. Alberti Lombart.

CXI [1007].

DE RESTITUTIONE CUIUSDAM FEODI ROGERIO DE SANCTO LAZARO.

Anno ab incarnatione Domini nostri Iesu Christi MCXXXV, indictione XIII, III kalendas iulii, regnante in Ierusalem Fulcone, Francorum rege tertio, Willelmus patriarcha et Petrus, prior Sancti Sepulcri, communi consilio et consensu canonicorum eiusdem, feodum, quod amiserant, Rogerio de Sancto Lazaro et uxori eius Marie tali tenore restituerunt, quatinus ab eo die usque ad duos annos domum, quam habebant in Ierusalem, venderent, et omnes res, quascumque et ubicumque haberent, cum consilio canonicorum super terram Sancti Sepulcri vel ad Sanctum Lazarum vel in Ierusalem reducerent, et si infra terminum eos mori contingeret, omnis res eorum in possessione ecclesie remaneret; verum, si infra duos annos, ut supradictum est, domum ipsam non venderent, aut in manibus canonicorum non redderent, et res suas, ubicumque haberent, super terram Sancti Sepulcri non reducerent, et feodum et fraternitatem et amititiam domus irrecuperabiliter perderent.

CXII [1008].

DE DONATIONE FACTA MARTINO ET UXORI SUE.

Noscant tam presentes quam futuri quod ego Anfredus, Dei gratia de Sancto Abraham castellanus, et uxor mea donamus et concedimus Martino et uxori sue et heredibus suis unum cortillum pro duobus bisantiis in unoquoque anno reddendis, tali conventu quod habeat potestatem vendendi et in vadimonium mittendi. Hoc totum factum est in presenti regali curia, testibus:

Dommo Roart Benscelino, vicecomite. Brictio. Rainaldo. Sicherio Petraguoricense. Petro Salomonis. Ymberto de Baro. Symoni. Hugone de Tolosa. Arberto de Arcu. Iudas, et alii multi.

Fulcherio existente patriarcha, regnante Baldoino rege, testibus:

Domno Philippo. Iohanne de Valentina. Gervasio. Petro Burdillo.

Hoc totum factum est in quadam feria V mensis iulii, ab incarnatione Domini MCXLIX.

CXIII [1009].

ALIA DONATIO MAR[TINO].

Ego Hugo, Dei gratia de castello Sancti Abraham, do unum cortillum Mart[ino] et suo heredi pro duobus bisantiis; et in hoc primo anno dedit mihi quatuor pro duobus annis; per unumquemque annum postea dabit mihi duos bisantios pro supradicto cortillo; et ut ipse potestatem habeat dandi, vendendi et invadiendi, ipse et heres eius, salvo tamen supradicto censu.

Willelmus de Alesnes, filius Radulfi de Alesnes, Normannus, de Sancto Abraham. Willelmus de Babilonia. Titger et pater eius, Augerius. Willelmus Bornicus et filius eius, Bartholomeus. Et ego Willelmus scripsi.

Omnes isti testes suprascripti audierunt et viderunt.

CXIV [1010].

DE HEREDITATE, QUAM DEDIT MARTINUS CAROANA ECCLESIE S. SEPULCRI.

Notum sit omnibus, tam futuris quam presentibus, quod ego Martinus Caroana dono, trado, concedo omnem hereditatem meam canonicis Dominici Sepulcri, laudante atque consentiente hoc idem filio meo Bonneto, eo modo quo feci eamdem donationem, vivente et consentiente prima uxore mea nomine Teiza, ut videlicet post meum decessum tota hereditas mea in ius atque ditionem concedat ecclesie Sepulcri, ut canonici Sepulcri habeant potestatem fatiendi ex ea quicquid ipsi voluerint sine alicuius contradictione; ego vero, dum vixero, hereditatem meam possidebo, ita quod michi non licet illam vendere sive inguadiare; et si prolem ex ista uxore, quam accipio, habuero, neque uxor neque proles mea in hereditatem partem proclamare debet. Huius rei testes sunt:

Petrus Peregore. Petrus Bernardi. Brictius. Rainaldus. Sicherius. Willelmus Normannus. Petrus Salomon et Constantinus, frater eius. Radulfus, burgensis.

Factum est hoc anno incarnationis dominice MCLII, indictione XV, Fulcherio patriarchatum et Balduino quarto regnum optinente, feliciter.

CXV [1011].

PRIVILEGIUM CANONICORUM SANCTI SEPULCRI ET BONETI.

Omnibus sancte matris ecclesie filiis patens et liquidum fiat quod controversia, que diu ventilata fuerat inter canonicos gloriosi Sepulcri et Bonetum,

[1007] A, f° 96, r°; manque dans B. [1008] A, f° 96, v°; manque dans B. [1009] A, f° 96, v°; manque dans B. [1010] A, f° 97, r°; manque dans B. [1011] A, f° 97, r°; manque dans B.

filium Martini Caroene, pro domibus, quas pater ipsius Sancto Sepulcro donavit, per manus proborum hominum Ierosolimorum inferius nominatorum ad finem concordie perducitur. Pro hac vero concordia tenenda ego N[icholaus], Sancti Sepulcri prior, communi assensu totius capituli, Boneto prefato et eius heredibus quandam voltam illarum domu[u]m ex integro desuper et subtus iure perpetue hereditatis habendam concedimus, sic nempe ut quicquid ex paterno iure seu materno sive quolibet modo clamabat vel clamare poterat, nobis omnino dimittit. Addimus etiam quod Bonetus et eius heredes per singulos annos nobis et successoribus nostris duos bisantios in Ramis Palmarum censualiter persolvent; et si forte contigerit predictum Bonetum, nullo herede superstite, ex hac luce discedere, volta illa cum omni integritate in potestatem et dominium nostrum redibit.

Actum est hoc VI idus iunii, anno ab incarnatione Domini MCLX. Huius rei testes sunt :

Arnulfus, subprior. Godefribus, thesaurarius. Eurardus. Petrus Clemens. Petrus de Sepulcro. Achilles. Bernardus, cantor. Rainerius. Hugo de Nigella. Petrus de Latina. Rainaldus de Lochis. Petrus Lombardus. Robertus Antiochensis.

De laicis :

Albertus Lombardus. Albertus Tortus. Robertus, Cocus. Robertus de Pinqueniaco. Willelmus Normannus.

CXVI [1012].

DE VENDITIONE CUIUSDAM DOMUS, QUAM VENDIT MORAGE CANONICIS SEPULCRI.

Notum sit omnibus, tam presentibus quam futuris, quod ego Morage Raiz, coactus necessitate debiti regis, vendidi, assensu etiam ipsius regis et consensu heredum et parentum meorum, quamdam partem domus mee, in qua molendinum habueram, a fundamento in altum quantum edificari potest, canonicis Sancti Sepulcri libere et quiete iure perpetuo possidendam pro CXX bisantiis et XII modiis frumenti. Hanc autem emptionem fecerunt ad augmentandas stationes, quas fecerunt in excambitu terre, quam habuerunt de Hospitali iuxta domum meam. Talis autem pactio fuit inter me et canonicos, quod per omnes partes sue terre, que iungitur domui mee, ipsi haberent liberam potestatem faciendi pilarios suos subtus muros meos, et ponendi capita voltarum suarum in eisdem muris; et claudentur omnia foramina sive inferius et inferius [1013], que in muris meis sunt versus suam partem, scilicet po[r]tas, fenestras, conducta, et si qua sunt alia; et quando predicti canonici vel aliqua persona per eos in sua terra iuxta domum meam laborare voluerint, me vel meos ammonebunt, et per me et per meos murus meus sustentabitur; et si forte mea domus vel murus ceciderit, nichil inde mihi vel meis respondebunt.

CXVII [1014].

PRIVILEGIUM CONCORDIE DE DECIMIS DE CASALIBUS EMAUS FACTE INTER CANONICOS SANCTI SEPULCRI ET HOSPITALES.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen.

Quoniam, impediente labe peccaminum, mortalium pectora citius in oblivionem dilabuntur, ego Willelmus, divina dispositione Ierosolimis sextus Latinorum patriarcha, et Petrus, gloriosi Sepulcri prior, totusque eiusdem canonicorum conventus scriptum retinere studuimus quod fratres Hospitalis ecclesie Sancti Iohannis Baptiste, communi assensu regis Fulconis et principum eius, conventione determinata cum Roberto de casale Sancti Egidii, firmaverunt terram de Emaus cum suis casalibus et omnibus eorum pertinentiis, eo videlicet tenore ut canonicis Dominici Sepulcri medietatem decime de omnibus annonis, scilicet de tritico et oleo, de fabis et ciceribus, de lentibus et pisellis cunctisque aliis leguminibus, de vineis et olivetis, fideliter et sine dolo reddant, et fratres Hospitalis alia omnia, que inde provenire poterunt, pro regimine suorum capellanorum et ecclesiarum retineant, in quibus ecclesie oblationes, nuptias, purificationes, confessionem et visitationes infirmorum, baptisteria et cimiteria habeant; sed et de terra et de ceteris casalibus in ipsis montanis adiacentibus, scilicet de casale Huldre et de Porcel et de Gaufrido Agulle et de Anschetino et de Bacheler et de Girardo Bocher, que ipsi possident, vel de aliis, que in eisdem montanis iuste acquirent, similiter medietatem decime eisdem canonicis pacifice reddant. Si autem aliquod casale seu terram de eisdem quibuslibet Christianis vel Sarracenis ad firmam dederint fratres Hospitalis pro annona vel bisantiis vel pro aliqua peccunia, similiter prefati canonici medietatem decime, veluti iam diximus, habeant. Hanc conventionem seu concessionem facimus Raimundo, magistro prescripti Hospitalis, et successoribus eius et fratribus ibidem Deo servientibus, Stephano videlicet de Antiochia, Petro Willelmo, Raimundo de Palatio, Stephano Lauret, Arnaldo Guasconi, Stephano diacono, Stephano de Capella, Petro thesaurario, Girardo pincerna, Bernardo Guasconi, ceterisque omnibus presentibus et futuris. Quod si qui eorumdem fratrum de Hospitali hujus conventionis totum machinando vel partem subtrahendo fraudaverint, bis vel ter commoniti, anathematis gladio, nisi emendaverint, feriri censemus.

His vero conventionibus et concordie ego Willelmus patriarcha interfui, et eas concessi, salva dignitate mei patriarchatus.

Factum fuit hoc anno incarnationis dominice

[1012] A, f° 98, r° ; manque dans B. [1013] Corrigez *superius*. [1014] A, f° 98, v° ; manque dans B.

MCXLI, indictione VI, presidente venerabili Willelmo in patriarchali cathedra et dominante inclito rege Fulcone in regali apice. Huic sunt testes :

Gaufridus, abbas Templi. Petrus, Dominici Sepulcri prior. Godefridus, thesaurarius. Americus, eiusdem ecclesie canonicus. Willelmus, prepositus. Garnerius. Lambertus, aliique canonici. Et dominus Roardus, de cuius feudo est ipsa terra.

CXVIII [1015].

DE PACE REFORMATA INTER CANONICOS SANCTI SEPULCRI ET MONACOS SANCTE MARIE MAG[DALENE].

Quoniam mens humana tot mundanis intenta in diversa rapitur, ab antiquis patribus statutum est ut res reique testes in carta scribantur. Unde omnibus sancte matris ecclesie filiis, tam presentibus quam futuris, controversiam terre Ramathe et Hadesse inter canonicos gloriosissimi Sepulcri Latinos et monacos Sancte Marie Magdalene Iacobitas diu ventilatam communi consilio proborum hominum Ierusalem inhabitantium, gratia divina cooperante, ad finem concordie perduxisse notum sit; et ut huius querela controversie inter eos in perpetuum sopiatur, utrique parti complacuit memorie litterarum hanc concordiam commendari. Quorum consilio hec pax et concordia facta est, hi subscribunt :

Arnulfus, vicecomes. Frater Leo Templi. Adam Niger. Fulco, frater eius. Robertus de Retest. Petrus Harmenius. Iohannes Raimundi. Robertus Banchelini. Salem. Albertus Lombart. Abertus Tortus. Petrus Petragoricensis. Rainaldus Siccarius.

CXIX [1016].

PRIVILEGIUM EUSTACHII GRANERII DE QUODAM MOLENDINO.

In nomine Domini nostri Ihesu Christi.

Anno ab incarnatione eius MCXVI, ego Constantius, Sancte Quarantene servus, atque Willelmus obnixe rogavimus dominum Eustachium Granerium et uxorem eius quatenus nobis terram redderent, quam quondam habitatores Sanctissime Quarantene possederant; quod facere, Deo inspirante, non recusaverunt. Reddiderunt autem nobis supradictam terram, et unum molendinum in ipsa terra manentem per manum domini Arnulfi patriarche, ita ut in unoquoque quarto decimo die cum nocte aquam sine dilatione haberemus. Huius doni sunt testes :

Dominus Arnulfus, patriarcha. Anselmus de Turre. Hugo de Nellis. Ardonetus. Azo de Drouino. Aimericus de Fraisna. Aaluns de Belram. Arnulfus, vicecomes Iherico.

Factum est primum donum huius privilegii III nonas maii, domno Arnulfo patriarcha Ierosolimorum cathedre presidente.

Post obitum vero domini Eustachii, ego Constantius ceterique fratres, videntes penuriam aque, necessarium duximus deprecari dominam Emam, uxorem supramemorati Eustachii, ut rememoraretur anime viri sui, atque pro Dei amore nobis in unaquaque edomada aquam accresceret. Illa vero, ut audivit inopiam nostram, pietate commota, concedentibus filiis suis Eustachio et Galterio, per manum viri sui domni Hugonis, principis Ioppe, petitioni nostre assensum dedit, ita ut omni septimo die, videlicet die sabbati, cum precedente nocte, dilatione procul posita, aquam iure perpetuo haberemus. Huius rei sunt testes :

Domnus Guarmundus, patriarcha. Barisanus. Paganus de Osca. Ysaac, frater Rainaldi de Bruge. Godefridus Flamens. Iohannes de Belram.

Et ego Arnulfus, vicecomes Iherico, interfui istis donis, et feci istam cartam dictare et scribere per manum domni Eustachii atque domni Galterii [et domne Eme][1017] et viri eius domni Hugonis, principis Ioppe.

Si quis hanc cartam violare voluerit, de libro viventium deleatur.

Factum est secundum donum huius privilegii VI Idus aprilis, domno Guarmundo venerabili viro Ierosolimorum cathedre presidente, anno ab incarnatione Domini MCXXIV.

CXX [1018].

DE COMMUTATIONE DUORUM CASALIUM, MEGINA ET MEZERA.

In nomine summi Dei Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen.

Ego Iohannes Patricii notum fieri volo, tam presentibus quam futuris, quod commuto duo mea casalia, scilicet Megina et Mezera, cum omnibus pertinentiis suis cum duobus casalibus ecclesie Dominici Sepulcri, scilicet Caphermelic et Anquina, cum suis pariter pertinentiis per manum domini Petri, venerabilis prioris Dominici Sepulcri, totiusque capituli. Hanc autem commutationem facio nutu et assensu domini Fulconis regis atque domine Milesendis regine filiorumque eius, nutu et assensu quoque Babini domini mei et Petrosi cognati mei, hoc idem consentiente atque laudante uxore mea Bruna atque Thoma et Eustachio cum aliis filiis meis; ut deinceps predicta duo casalia mea, scilicet Megina et Mezera, cum omnibus pertinentiis suis ex commutatione duorum casalium, scilicet Cafermelic et Anquina, sint iuris atque ditionis ecclesie et collegii Dominici Sepulcri, unde habeant potestatem faciendi exinde quicquid ipsi voluerint sine ulla calu[m]pnia vel contradictione alicuius domini mei sive parentum meorum sive alicuius Christiani. Quod si de predictis casalibus, que ego Iohannes Patritii prenominato modo commuto ecclesie et conventui Sancti Sepulcri, me vivente sive post

[1015] A, f° 99, v° ; manque dans B. [1016] A, f° 99, v° ; manque dans B. [1017] Les mots *viri eius*, qui suivent, indiquent clairement que le copiste a oublié ceux qui sont rétablis ici entre crochets. [1018] A, f° 100 v° ; manque dans B.

mortem meam aliqua controversia ab aliquo hominum orta fuerit, ego et heredes mei, vel ad quoscumque hereditas per successionem devenerit, perpetuo obligati manebimus ut, quicquid dampni propter motam calumpniam contigerit, sub estimatione bonorum virorum ecclesie et conventui in integrum restauretur.

CXXI [1019].

DE DONATIONE CUIUSDAM VINEE, QUAM RADULFUS DE FONTANELLIS DEDIT GAUFRIDO ACU.

Notum sit omnibus, tam presentibus quam futuris, quod ego Radulfus de Fontanellis, consilio et assensu uxoris mee ac Gaufridi de Parenti, generi mei, uxorisque eius, filie scilicet mee, aliorumque amicorum meorum, concessi Gaufrido Acu, quia diu bene ac familiariter michi servivit, unam vineam, que iuncta est domini patriarche, secus viam que ducit Bethleem, a leva eiusdem vie parte, non multum distans ab Ierusalem. Concessi siquidem ei hanc perpetuo hereditario iure possidendam cum libera etiam potestate vendendi seu dandi cuicumque voluerit, et hoc sine omni conditione et omnis servitii debito. Hoc quippe modo dedi ei predictam vineam libere, absolute et quiete possidendam. Huius vero doni hi sunt testes :

Anschetinus, vicecomes. Rainaldus de Ponto. Bonet de Tolosa. Porcellus. Gerardus Bocherius. Soherius de Baruth. Petrus Provintialis. Bachelerius, et alii multi.

CXXII [1020].

DE PROMISSIONE, QUAM FECIT BALDUINUS SANCTE ECCLESIE IEROSOLIMITANE.

Ego, Balduinus, profiteor et promitto coram Deo et angelis eius a modo et deinceps legem et iustitiam pacemque sancte Dei Ierosolimitane ecclesie populoque michi subiecto pro posse et nosse facere et conservare, salvo condigno misericordie respectu, sicut cum consilio fidelium nostrorum melius invenire potuerimus, patriarche, pontificibus quoque ecclesiarum Dei condignum et canonicum honorem exhibere atque ea, que ab imperatoribus et regibus et principibus ecclesiis sibi commissis collata et reddita sunt.

CXXIII [1021].

PRIVILEGIUM CONTROVERSIE ET DIFFINITIONIS CASALIS GEBUL.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen.

Quoniam volventibus annis cuncta hominum gesta, nisi memorialis pagine apicibus tradantur, oblivionem facile incurrunt, ideo ego Walterus, Dei gratia princeps totius Galilee, hanc cartam fieri precipiens, notum facio, tam presentibus quam futuris, quod controversia illa, que aliquandiu inter canonicos Dominici Sepulcri et Guidonem, filium Arnulfi monachi, agitabatur, in presentia mea coram baronibus meis terminata fuit. Nam predictus Guido casale, pro quo prefata controversia erat, videlicet Gibul, in montanis situm, cum omnibus pertinentiis suis, quod apud solis occasum casale Hubelet habet propinquum et casale Dersoet et Derlauha et Kafra et apud aquilonem Cocquet, canonicis Sancti Sepulcri ex toto in pace remisit, atque pro recognitione veritatis et iuris Sancti Sepulcri c bizencios ab eisdem canonicis in caritatem accepit. Preterea ad confirmationem rei privilegium, quod habebat, mihi tradidit. Ac ego, dictis et testimonio baronum meorum ac legitimorum et antiquorum virorum Tyberiadis veritate cognita, per illud privilegium canonicos Sancti Sepulcri de predicto casali Gibul cum omnibus pertinentiis suis investivi. Nunc autem, ut hec gesta firma et inconvulsa semper permaneant, hanc paginam sigilli mei impressione confirmo et corroboro. Huius rei testes sunt :

Herbertus, episcopus Tyberiadis. Giraldus, thesaurarius. Giraldus, canonicus. Domnus Fulco. Guarmundus. W[illelmus], marescalcus. Galterius, vicecomes. Ivo. Lodevicus. Baldevinus de Culnilz. Fulco de Petrona. W[illelmus] de Sucka. Vivianus. Ioannes. Hugo Grassinus.

CXXIV [1022].

PRIVILEGIUM DONATIONIS, CONFIRMATIONIS ET LIBERTATIS CASALIUM ET PISCARIE IN CIVITATE TABARIE ET TENIMENTO EIUSDEM.

In nomine sancte et individue Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen.

Cum omnes catholici viri ac precipue potentes, divino munere prediti, universas ecclesias Dei honorare ac exaltare debeant, spetialius tamen ecclesiam gloriosissimi Sepulcri, ubi Dominus passus occubuit, et tertia die resurgendo salutem humani generis reparavit, sublimare ac benefitiis suis ditare debent, quatenus, peracto huius vite cursu, gaudia eterne vite omni meta carentia possidere mereantur. Quapropter ego Gualterus, Dei gratia princeps totius Galilee, assensu uxoris mee Eschive, concedo et confirmo donum, quod dominus Willelmus de Buris, predecessor meus felicis memorie, ecclesie gloriosi Sepulcri et canonicis ibidem Deo regulariter militantibus, concessione Fulconis regis et heredum suorum, Radulfi de Ysis et Symonis, donavit, videlicet duo casalia, Gebul et Helkar, integre cum tota terra, que ad eadem pertinet, libere et quiete et sine omni calumpnia aut impedimento, sine exactione, perpetuo iure possidenda. Horum autem casalium terra sic dividitur : incipit enim eius longitudo a casali Hubelet, quod vergit ad occidentem, et a ceteris casalibus, scilicet Dersoet et Derlauha et Kafra et adversus aquilonem usque ad casale Cocket

[1019] A, f° 101, r° ; manque dans B. [1020] A, f° 101, r° ; manque dans B. [1021] A, f° 101, v° ; manque dans B. [1022] A, f° 102, r° ; manque dans B.

tendit, et sic ad flumen Iordanis elongatur ; latitudo vero ad divisionem Bethsan et Tyberiadis usque ad cavam, que est proxima casali, quod dicitur Huxenia, extenditur. Insuper etiam omnes pischarias, que ad me pertinent, prefatis canonicis Sancti Sepulcri, prout Willelmus de Buris eis dederat, solutas et quietas in unoquoque anno habendas confirmo, scilicet a Septuagesima usque in Pascha, in quacumque ebdomada accipere voluerint ; ita tamen quod, si in his diebus, in quibus pischari inceperint, mare turbatum fuerit, neque pro velle suo pischari voluerint [1023], in aliis, quibus elegerint, eis persolvatur et recompensetur. Necnon totam angariam et auxilium omnium piscatorum meorum per unum diem ipsis annuatim concedo. Preterea ut navem unam in mari Galilee assidue habeant ad piscandum eis similiter concedo. Huius rei testes sunt :

Herbertus, episcopus Tyberiadis. Giraldus, thesaurarius. Domnus Fulco. Garmundus. W[illelmus], marescalcus. Galterius, vicecomes. Ivo. Lodevicus. Balduinus de Cunilz. Fulco de Petrona. Willelmus de Sueka. Vivianus. Iohannes. Rodbertus Neapolitanus. Hugo Grassinus.

Factum est autem hoc et sigillo meo confirmatum, Amalrico patriarcha existente et Amalrico rege regnante, anno ab incarnatione Domini MCLXV.

CXXV [1024].

DE SEX CARRUCATIS TERRE HAC PARTE FLUMINIS CAYPHE.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen.

Notum sit omnibus, tam presentibus quam futuris, quod ego Rogerius de Caïfa et Iohannes, frater meus, dedimus canonicis Sanctissimi Sepulcri sex carrucatas terre ita determinatas : tres videlicet citra flumen de Cayfa prope fontanas, et tres ultra finem sitas supra ripas, quantum sex paria boum laborare et excolere poterint per omnes sationes, scilicet tres ad seminandum, et alias tres ad garantandum. Adicimus ad hoc et concedimus ut has predictas terre carrucatas habeant solutas, quietas et francas, et ab omni exactione et pravo usatico liberas, et possideant iure hereditario evo perhenni et per cuncta secula, amen. Huius rei sunt [testes] :

Hernesius, Cesariensis archiepiscopus. Bonefacius, Cesaree canonicus et Cayphe capellanus. Willelmus, regis marescalcus. Willelmus de Montegisart. Iohannes, frater eius. Henricus de Gilebeleth. Kogh, filius Manasse. Hunbertus, miles Pagani. Vivianus, vicecomes. Clemens, dapifer domini Cayfe.

CXXVI [1025].

DE DONO ET LIBERTATE TYRENSIS ECCLESIE A VENERABILI ARCHIEPISCOPO PETRO FACTA CANONICIS SANCTI SEPULCRI.

In nomine sancte et individue Trinitatis, amen.

Notum sit omnibus, tam presentibus quam futuris, quod ego Petrus, divina pietate et non meritis Tyrensis ecclesie archiepiscopus et eiusdem ecclesie capitulum Deo et ecclesie Sancti Sepulcri eiusque venerabili priori, domino Nicholao, et universo ipsius conventui ecclesiam Beate Marie, que Tyri prima fuit sedes, salva nostre matricis ecclesie dignitate, concedimus. Totam quoque cuiusdam casalis decimam, quod vocatur Derina, de omnibus, que modo possident vel per se vel per suos homines, libere habere permittimus ; et si forte de cetero aliquid, quod de prefato casali dicunt esse, acquisierint, in eadem maneat concessione. Necnon et quatuor carrucarum terre decimam, quas Balduinus, secundus Latinorum rex, ecclesie Sancti Sepulcri iuxta prefatum casale donavit, annuimus. Item et aliam decimam de quodam viridario, quod est clausum per se cum berquilio inter murum Tyri et eius antemurale, eodem modo eis in perpetuum habere concedimus. Huius rei testes sunt :

Dominus Mainardus, Dei gratia Beritensis ecclesie venerabilis episcopus. Dominus Gualterius, Tyrensis ecclesie decanus. Dominus Willelmus, eiusdem ecclesie archidiaconus. Dominus Aimo, eiusdem ecclesie cantor. Dominus Rainaldus, eiusdem ecclesie thesaurarius. Dominus Matheus, canonicus. Dominus Odo, canonicus. Dominus Philippus, canonicus. Dominus Willelmus, canonicus. Dominus Girardus, canonicus.

Data in Tyro, per manum Alberti, Tyrensis ecclesie cancellarii, anno ab incarnatione Domini MCLXIII.

CXXVII [1026].

PRIVILEGIUM DE SAYFA [1027].

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen.

Notum sit omnibus, tam presentibus quam futuris, quod ego Vivianus dominus de Cayfa, et filius meus Paganus, pro salute nostra et omnium parentum nostrorum, donamus glorioso Iesu Christi Sepulcro et canonicis eiusdem loci et concedimus in perpetuum in villa deserta, inter Cayfam et Palmaream sita, ab antiqua porta ville ex parte Palmaree iuxta superiorem viam usque ad lapidem, ultra medietatem ville pro termino fixum, et ab eodem lapide usque ad lapidem supra carublerium crucesignatum, item ab eodem lapide crucesignato per collem usque ad fundum cave, relictis antiquis sepulcris infra eorum terminos [1028]. Donamus etiam universam terram et eius planitiem integram a predicta villa secus viam publicam usque ad duos ca-

[1023] Corrigez *potuerint*. [1024] A, f° 102, v° ; manque dans B. [1025] A, f° 103, r° ; manque dans B. [1026] A, f° 103, v° ; manque dans B. [1027] Corrigez *Cayfa*. [1028] Cette phrase est évidemment incomplète le copiste a omis de désigner l'objet même de la donation. Il faut donc suppléer un mot, peut-être *terram*, ou *casale*.

rublerios. Ex hinc planicie relicta non multa per duplicem et antiquum invium et per spinam et carublerios densiores usque ad magnam caveam, cuius aque fluunt in Palmaream, eis concedimus ; ab hac prefata cavea usque ad alteram caveam, que est deserte ville et eorum edificationi propinqua, usque ad superiora cacumina montium recta linea eorum termini nostra donatione absque ulla contradictione concluduntur. Addimus etiam predicto dono unum hortum intra Palmaream, in quo due cisterne continentur. Hec omnia donamus Sancto Sepulcro et eius canonicis soluta et quieta, franca et libera, et ab omni exactione et pravo usatico immunia, et ut ipsi canonici habeant ea cum exitibus et regressibus suis, et possideant iure hereditario evo perhenni. Ad hec etiam adicimus et concedimus quod, si res mobiles emere vel vendere aut extrahere seu intromittere domui necessarias, quecumque sint ille, voluerint, tam in villa quam extra villam, tam in mari quam in terra, libere et sine ulla datione consuetudinaria aut premio fatia[n]t. Domos autem et terras sive quaslibet hereditates sine nostra licentia emere, vel donatas nisi per annum et diem retinere, non concedimus. Huius rei testes sunt:

Amalricus, patriarcha. Hernesius, Cesariensis archiepiscopus. Bonefacius, Cayfe capellanus. Rogerius de Cayfa, et Iohannes, frater eius. Willelmus, regis marescalcus. Giraudus de Conins. Henricus de Gilebelet. Balduinus, consanguineus Rogerii. Clemens Rufus, dapifer domini Cayfe. Vivianus, vicecomes.

Anno ab incarnatione Domini MCLXV facta est carta.

Ego Vivianus, dominus predictus de Cayfa, cum uxore mea Beatrice et filio meo Pagano cum uxore eùa Hodierna hanc cartam fieri iussimus et sigilli nostri impressione confirmavimus.

CXXVIII.

PRIVILEGIUM DE OBLATIONIBUS ET LIBERTATE ECCLESIE SANCTI SEPULCRI EIUSDEM ECCLESIE CANONICIS PERTINENTIBUS.

(*Vide in Cœlestino III ad an.* 1198.)

CXXIX [1029].

PRIVILEGIUM DE COMMUTATIONIBUS VINEARUM CUM QUIBUSDAM BURGENSIBUS MAHUMERIE FACTIS.

Notum sit omnibus, tam futuris quam presentibus, quod Arnaldus, Dominici Sepulchri prior, consilio et assensu capituli, fecit apud Mahumeriam quasdam, que subscribuntur, commutationes cum quibusdam iam dicte ville burgensibus.

Quamdam etenim fecit commutationem cum Guiberto Papasio de quadam videlicet vinea, quam prefatus Guibertus libere habebat et possidebat iuxta ecclesiam Montis Gaudii, cimiterio videlicet eiusdem ecclesie coniunctam; pro hac igitur vinea dedit ei pro commutatione in extrema parte magne vinee, que est iuxta viam superiorem, quandam partem vinee, certis metis designatam et divisam, sibi et heredibus suis habendam et possidendam, salva sola decima; que etiam vinea iuncta est vinee eiusdem Guiberti, de qua dat decimam et terraticum. Hoc autem fecit prescriptus Guibertus consilio et assensu Usanne, uxoris sue, que heres erat pretaxate vinee.

Simili modo aliam commutationem fecit cum Gauterio Carpentario de quadam vinea, que est coniuncta prenominate vinee, que fuit Guitberti Papasii; pro qua vinea dedit ei in altera parte magne vinee, juxtam [1030] magnam viam, quandam partem vinee, metis designatam, libere et quiete sibi et heredibus suis habendam et possidendam, salva sola decima.

Eodem modo dedit in eadem magna vinea Ainardo Cavallom quandam partem vinee, iunctam parti vinee Gauterii Carpentarii, metis similiter terminatam, et salva decima, pro vinea videlicet, quam isdem Ainardus habebat iuxta vineam, que fuerat Gauterii Carpentarii. Hanc etiam vineam prescriptus Ainardus, nimia paupertate compulsus, nec habens unde uxorem suam et liberos sustentare et educare posset, ad eorumdem sustentationem et nutrimentum, ac eorum assensu, et consensu etiam domini iustoque iuditio et intuitu curie, Martino Carpentario Montis Gaudii pro XXVI bisantiis vendidit.

Aliam quoque fecit commutationem cum filiabus Pontii Faverii et coniugibus earum de quadam terra culta habentem iugera XXX, que est in territorio Kalandrie, de qua decimam et terraticum dabant ; pro ea igitur terra dedit eis duas petias vinee in valle Sancte Marie, unam habentem iugera IV et alteram iugera II que quidem fuerunt fratris Petri de Rametis, de quibus ipsi et heredes eorum tertiam partem et decimam dabunt. Dedit autem et Stephano Pastinace vineam, que fuit fratris Arnald', tali quidem pacto ut incultam terram prescripte vinee pertinentem plantaret, et de utraque singulis annis medietatem et decimam redderet.

Item aliam fecit commutationem cum Helya et Amico, genero suo, de quadam parte orti eorum, que est iuxta berquilium ; que pars ab alia parte, quam ipsi sibi retinuerunt, metis divisa est; pro qua dedit eis quandam partem terre illius inculte, quam super concordia Roberti de Retest ipse et alii canonici adepti fuerant ; que etiam terra afinis est terre ipsius Helye.

Itemque aliam fecit commutationem cum Hospitali, quod est Mahumarie, de quadam parte cuiusdam orti, que tenet a berquilio Sepulcri usque ad berquilium eiusdem Hospitalis : pro qua parte dedit iam dicto Hospitali duo iugera vinee, que fuit fratris Stephani Ortalis, salva sola decima.

Item notum fieri volumus universis quod frater Robertus Porcarius donum, quod olim de seipso

[1029] A, f° 107, v° ; manque dans B. [1030] Corrigez *iuxta*.

et de universis rebus suis ecclesie Sanctissimi Sepulcri fecerat, cum forte quadam die domnus Arnaldus prior apud Mahumeriam esset, assistentibus etiam coram eo in plenaria curia pretaxate ville burgensibus, in conspectu et in audatia [1031] omnium confirmavit, et baculum, quem in manu tenebat, in manum domini prioris Arnaldi porrigens, de cunctis rebus et possessionibus suis eum investivit ; domnus vero Arnaldus baculum accipiens, eumdemque protinus fratri Roberto coram omnibus extendens, easdem res, dum viveret, custodiendas et ad honorem Sanctissimi Sepulcri regendas et propagandas ei commisit et commendavit. Frater vero Robertus quomodo et qualiter res et possessiones illas habuerat et adquisierat singillatim de singulis ibidem referre et enumerare cepit, dicens : « Terram coniunctam terre Roberti Ungari dedit michi prior Giraldus cum uxore mea, que prius desponsata fuerat Umberto, qui, quoniam terram predictam secundum statutum morem colere non poterat, et terram et villam deseruerat ; quandam aliam terram predicte terre continuam dedit michi in commutatione prior Petrus, qui postea factus est Tyrensis archiepiscopus, pro quadam terra, quam ego emeram a Galterio Bela ; iuxta eandem terram dedit michi isdem prior Petrus aliam terram ad terraticum et decimam. »

Item fieri volumus notum omnibus, presentibus et futuris, quod prior Arnaldus et dominus Robertus de Retest, apud Mahumeriam quadam die pariter se convenientes, dixerunt ad invicem : « Eamus « et videamus metas et divisias agrorum nostrorum « et terre nostre. » Placuit igitur ambobus ; egressi sunt ut viderent et peragrarent terrarum fines et metas. Elegerunt autem quendam Sarracenum antiquum, Pedem Tortum nomine, qui preiret ; ipse enim sciebat terrarum divisias et terminos. Precepit autem ei dominus Robertus, cuius homo rusticus ille erat, ut veritatem diceret, et per certos et iustos terrarum terminos eos duceret, minando ei pedem bonum facere incidi, si mentiretur, et si aliquando a via recta deviaret. Preivit igitur rusticus ille, et demonstrationem, quam eis ostendit, et sicut ivit, utrique placuit. Huic ergo demonstrationi interfuere de canonicis Dominici Sepulcri :

Dominus Petrus, elemosinarius. Dominus Bernardus Antiochenus. Et frater Pisanus. Petrus Iudeus. Et Iohannes, interpres. Arbertus. Stephanus. Interfuit etiam filius sepedicti Roberti.

CXXX [1032].

DE CONFRATERNITATE BALDUINI DE TORNACO.

Notum sit omnibus quod A [malricus] prior ceterique canonici Sancti Sepulcri receperunt Balduinum de Tornaco in confraternitate sua, et propterea concesserunt ei in natale Domini, in Pascha, in Pentecoste, in festo sancti Augustini, in festo Omnium Sanctorum, prebendam sive Ierosolimis sive Mahumerie, tamquam uni ex illis. Prefatus vero Balduinus solvit et dimisit absque sua et heredum suorum calumpnia et contradictione ecclesie Sancti quicquid super rebus vel hereditate fratris Roberti Sepulcri Porcarii iuste seu iniuste calumpniebatur vel calumpniari poterat. Concessit etiam isdem Balduinus sepedicte ecclesie post mortem suam quartum et decimam vinee, que est in terra fratris Roberti Porcarii habentem iugera VI, quam videlicet vineam libere et quiete possidebat. Propterea concesserunt ei pretaxati canonici, dum viveret, terraticum et decimam vinee, quam habebat iuxta Gabaon ; post mortem vero eius decimam et terraticum prescripte vinee pretaxati canonici habebunt. Balduinus vero secundum hunc tenorem utramque vineam dare vel vendere poterit cuicumque placuerit.

CXXXI [1033].

DE SACRAMENTO BURGENSIUM MAHUMERIE.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen.

Anno ab incarnatione Domini MCLV, indictione IV, tertio idus februarii, sub Fulcherio, patriarcha Ierosolimitano, et Balduino, rege Ierusalem Latinorum quarto, iuraverunt burgenses Mahumerie fidelitatem conventui Sanctissimi Sepulcri huiusmodi formam habentem :

« Ego Iohannes Guitardus iuro fidelitatem Deo et « Sanctissimo Sepulcro et conventui eiusdem Sanc- « tissimi Sepulcri ad custodiendum et manutenen- « dum vitam et membra eorum et honorem eorum « et omnia, que ad Sanctum Sepulcrum et ad pre- « dictum conventum pertinent, salva fidelitate regis « Ierusalem. Sic Deus me adiuvet et istud sanctum « evangelium. »

Quorum burgensium nomina subsequens pagina declarat : Iohannes Guitardus, Andreas de Sancto Gauterio, Petrus Iudeus, Petrus de Alvernia, Rainaldus de Barlet, Gaufricus Claire, Humbertus de Iosaphat, Arnulphus, Iopensis, Aimericus Guitardi, Petrus Orgerius, Giraldus Rufus, Robertus Faber, Martinus Carpentarius, Albertus Faber, Petrus Provintialis, Hugo de Sancto Helya, Helyas Lumbardus, Iohannes Catalanus, Bartholomeus, Robertus Malvais, Iohannes Pissot, Willelmus de Fabrica, Frumentius, Willelmus de Tuschet, Anselinus Lombardus, Girbertus Burgundio, Odo Francigena, Pontius Bonari, Willelmus Clericus, Giraudus Lamberti, Maurinus, Stephanus de Linedan, Maius, Bernardus Burgundio, Bruno Pictaviensis, Willelmus Provintialis, Aimericus Pictaviensis, Petrus Bonet, Godefridus Lombardus, Radulfus Senus Cementarius, Iohannes Cortiliarius, Bernardus, Pontius Milii, Bernardus Corveser, Rainaldus Gaite, Girbertus, Robertus Plantavigna, Arnaldus Tardi, Bernardus de Iosaphat, Petrus de Ramatha, Durandus Machon, Petrus Catalanus, Gallardus filius Arnaldi, Bernardus Corveser, Galterius Machon, Chris-

[1031] Corrigez *audientia*. [1032] A, f° 109, v° ; manque dans B. [1033] A, f° 109, v° ; manque dans B.

tianus, Clementius Droco, Radulfus de Curia Babilonia, Willelmus Ruffus, Robertus frater Guidonis Patriarcha, Bernardus frater Rainaldi Gaite, Bernardus frater Bartho[lo]mei, Petrus Carpentarius, Petrus de Balneis, Stephanus pater Gileberti, Stephanus filius Garsendis, Robertus Francigena, Oliverius frater Petri Boni, Bonus Valet, Durandus, Pontius Provintialis, Godoet, Gaufridus Monoculus, Laurentius, Willelmus Bucca Cava, Aimericus Magnus, Bruno, Valentinus, Iohannes Provintialis, Theobaldus, Willelmus Boteller, Theobaldus Ruffus, Petrus de Alvernia, Bernardus gener Bernardi de Gerim, Willelmus Gasco, Stephanus Biturícensis, Bernardus Lombardus, Bernardus de Sancto Albino, Galterius Parvus, Bernardus de Monte Gaudii, Gauterius Dominicus de Monte Gaudii.

Factum est siquidem hoc in claustro et in capitulo Sanctissimi Sepulcri, Amico decano iuramentum determinante, coram idoneis testibus sic nominatis :

Rainaldus Sicher. Symon Ruffus. Petrus Petragoricensis. Gaufridus Turonensis. Albertus Lombardus. Pontius Gaagne. Petrus de Sancto Lazaro

Umbertus Faber [1034], Robertus de Neapoli, magister Lucas Veneticus, Segnoret, Albertus Francigena, Raimundus Tortus, Clementius Machon, Gilbertus Machon, Willelmus de Pissot, Willelmus Turonensis, Martinus Gasco, Petrus Pictavinus, Stephanus filius Petri Iudei, Andreas de Valle Cursus, Ainardus Cavaillum, Raimundus Teisserant, Pontius Borgoniensis, Petrus Bodinus, Stephanus filius Andree de Sancto Galterio, Ambrosius, Giraldus Forner, Otgerius de casali Sancti Egidii, Aldebertus, Gaufridus Bocher, Giraldus Corvesier, Arnaldus cum barba, Willelmus decasali Sancte Marie, Rampnulfus frater Petri Ioppensis, Constantinus, Aimericus Pictaviensis, Petrus filius Rainaldi de Barlet, Arduinus, Willelmus de casali Sancti Egidii, Umbertus Bituricensis, Iordanus filius Petri aurifabri, Iohannes de Cava, Vincentius, Raembaldus, Bernardus cum testa, Radulfus, Giraldus de Belinas, Petrus Lemovicus, Arnulfus, Constantius Bocher, Lambertus Borgoniensis, Galterius Carpentarius, Rainaldus de Monte Alberti, Lambertus Bituricensis, Pontius, Petrus Bituricensis.

CXXXII [1035].

PE QUADAM TERRA MAHUMERIE, QUAM ROBERTUS DE RETESTA HABUIT, CONTIGUA CASALI SALOME.

In nomine sancte et individue Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen.

Quoniam multis supervenientibus curis et vite instabilitate humana memoria a mente cito labitur, super calumpnia in canonicos Sancti Sepulcri a Roberto de Retesta multotiens habita de terra Birre, quæ nunc Mahumeria nuncupatur, que est contigua casali suo, quod Salome dicitur, qualiter sopita fuerit, placuit utrique patri [1036], canonicorum scilicet et eiusdem Roberti, ut memoriale hoc inde fieret, quatinus a presentium vel posteriorum memoria non exciderct. Notum igitur fieri volumus omnibus, tam presentibus quam futuris, quod, ubi ventum est ab utraque parte, videlicet dominorum canonicorum et prefati Roberti, super predictam terram illam, Dominus prior et sui ostenderunt ex divisione regis Balduini primi et dono quod terra illa Sancti Sepulcri esset, immo et testes in medium produxerunt, qui parati iurare fucre hoc esse verum. Ubi vero Robertus hoc audivit, communicato amicorum suorum consilio, remisit supradictam calumpniam domino priori et suis pro honore Sancti Sepulcri et pro amore eorum. Quia vero Robertus benignum se erga dominos exhibuit, dominus prior et alii fratres concesserunt ei ut burgenses Birre, quibus placeret, excolerent terram eius non solum in frumento et oleo et legumine, verum etiam in vineis et in arboribus et in omnibus que terra reddere potest ; decimas redderent canonicis Sancti Sepulcri, Roberto vero redderent ea, que pepigerant se ei reddituros ; ipse quoque Robertus redderet dominis ex parte sua decimas. Super burgenses vero prefatos nullam dederunt neque sibi neque heredibus suis potestatem vel dominium exercere, nec violentiam inferre, aut forifactum vel exactionem exigere, nec aliquid aliud propter hoc, quod supradictum est.

Huius autem conventionis testes sunt :

Radulfus Strabo. Adam Niger et frater eius, Fulco. Symon, burgensis Ierusalem. Balduinus de Torrai. Petrus Ioppensis. Arnulfus, filius eius. Iohannes Guidardus, et multi alii.

CXXXIII [1037].

PRIVILEGIUM SAPHARORIORE, QUOD CASALE VENDIT GIBELINUS ECCLESIE SANCTI SEPULCRI.

Quoniam rerum gestarum memoria litteris conservata plures removet contentiones, ideo notum fieri volumus, tam futuris quam presentibus, quod Gibelinus miles, filius Anchetini, canonicis Sancti Sepulcri Latinis quoddam casale, quod appellatur Saph[ar]oria, cum omni terra sibi pertinente et universis appenditiis suis pro CLXXX bisantiis et pellitia quadam vendidit, et tam eis, quam eorum successoribus, iure illud hereditario in perpetuum libere et quiete possidendum concessit, dans eis legitimos fideiussores, Hugonem scilicet generum et Willelmum Normandum. Quod si suis forte vel successorum temporibus suorum aliqua super hoc ex qualibet parte calumpnia emerserit, ipse Gibelinus et Hugo, gener suus, et eorum filii filiorumque filii nec non et heredes illorum universi calumpniam

[1034] Tous les noms qui suivent, et qui dans le manuscrit sont séparés par un alinéa des noms qui précèdent, désignent probablement les bourgeois établis à la Mahomerie postérieurement à l'année 1155, et dont on exigea le même serment. [1035] A, f° 111, r° ; manque dans B. [1036] Corrigez *parti*. [1037] A, f° 111 v° manque dans B.

illam penitus cassabunt et pacificabunt. Hoc autem approbaverunt et concesserunt Agnes, uxor Gibelini, et filius eorum Anselinus, cui dederunt canonici perpetuam concessionem v bisanciorum et unum ensem. Huius itaque venditionis testes sunt :

Iohannes, dapifer regis. Gaufridus, dominus [1038] patriarche. Petrus de Petragorc. Symon Rufus. Britius. Albertus Lombardus. Balduinus de Tornac. Robertus de Iosaphat.

Concessionis vero Agnetis, uxoris Gibelini, et filii eorum Anselini testes sunt :

Brictius. Willelmus Beraldi. Albertus Lombardus.

Et de iuratis Ierusalem :

Symon Rufus. Rainaldus Sicherius. Albertus Tortus. Guibertus Papais. Arnulfus, iuratus de Mahumeria.

CXXXIV [1039].

PRIVILEGIUM ROBERTI PORCARII DE MAHUMERIA.

Notum sit omnibus, tam presentibus quam futuris, quod ego Robertus Porcarius de Mahumeria dono me ipsum et omnia quecumque habeo vel deinceps habere potero, Deo et conventui Sanctissimi Sepulcri pro anima mea et animabus parentum meorum, vineas, terras, domos, et aurum, et argentum, et omnia mobilia, denique omnes possessiones hereditatis iure perpetuo possidenda.

Facta est carta ista anno ab incarnationis Domini MCLV, indictione III, Fulcherio in Ierusalem presidente venerabili patriarcha, rege Balduino quarto. Huius autem redditionis et donationis testes sunt :

Amalricus, Dominici Sepulcri prior. Arnaldus, subprior. Giraldus, precentor. Radulfus Parisius. Willelmus Normannus. Godefridus, thesaurarius. Nicholaus, helemosinarius. Stephanus, prepositus. Petrus Sepulchrarius. Constantinus, cellarius. Bertoldus. Bernardus, camerarius. Balduinus. Mainerius. Petrus Clemens.

De diaconibus :

Willelmus Beriti. Iohannes Pictaviensis. Hugo. Petrus.

De subdiaconibus :

Willelmus de Ispania. Rainaldus de Lochis. Petrus. Robertus de Antiochia.

De fratribus :

Robertus de Mahumeria. Frater Henricus, et omnes alii.

CXXXV [1040].

PRIVILEGIUM HOMINUM DE MAHUMERIA SUPER VINEIS.

Notum sit omnibus, tam futuris quam presentibus, quod ego Arnaldus, Sanctissimi Sepulcri prior, totusque conventus hominibus de Mahumeria vineas nostras, vineam scilicet domini Hugonis de Horso, et vineam, que dicitur domini Radulfi Parisiaci, ipsis et heredibus eorum habendas in perpetuum concedimus, tali tenore ut unusquisque ex parte sua mediam partem frugum, tam in racemis quam in fructibus arborum, tam in seminibus quam in complantationibus, et decimam, quantum ad ipsum pertinet, curie Sancti Sepulcri de Mahumeria, vel in quocumque loco in Mahumeria dispensator Mahumerie iusserit, deferat. Et si aliquis vineam suam vendere voluerit, cum nostro consilio vendat, et mediam partem precii nobis persolvet; nec tamen Templariis vel Hospitalaribus sive alicui ecclesie vel militibus vel alicui, unde dampnum ecclesia incurrere possit, vendere licebit. Et si aliquis horum hominum de supradictis vineis partem suam male coluerit, dispensator Mahumerie, adiunctis sibi quatuor vel quinque idoneis testibus, ad eum veniet, et male cultam vineam ostendet, et, si emendare noluerit, dimidiam marcham argenti reddet, et alteri vinea dabitur. Si aliquis autem virorum istorum terram ad plantandam vineam accipere voluerit, nisi [1041] licebit plantare, nisi in terra Sancti Sepulcri. Preterea si canonici predicti villam suam amplificare voluerint, in vineis supradictis sine interdictione et restauratione mansiones dabunt cuicumque voluerint. Huius rei, domino Amalrico, Ierusalem patriarcha, in cuius presentia hoc factum est, assentiente, testes sunt eiusdem ecclesie canonici, quorum nomina subscribuntur :

Predictus prior Arnaldus. Nicholaus, subprior. Godefridus, thesaurarius. Gamaliel. Ilbertus. Petrus Sepulcri. Achilles. Bernardus Antiochie. Petrus Clemens. Hugo Nigelle. Petrus Latine. Petrus Lombarz. Rainaldus de Lochis. Robertus Antiochie.

De hominibus Mahumerie :

Frater Pisanus, dispensator domus. Frater Ungarus. Robertus. Arnulfus. Iohannes Guitardus. Petrus Iudeus. Andreas de Sancto Galterio. Hugo de Sancto Helia. Martinus de Monte Gaudii. Ambrosius. Robertus Iners.

CXXXVI [1042].

DE CONVENTIONE FACTA CUM QUIBUSDAM MANSURIS IN RAMATHES.

Pateat omnibus hoc audientibus quod ego Nicholaus, prior Sancti Sepulcri, totusque conventus damus Guidoni Camelario, Giraldo Caprello et Hugoni de Ioppe, et heredibus suis aliisque venientibus ad manendum infra casale nostrum de Ramathes, in loco qui dicitur Nova Villa, plateas ad edificandum domos libere sine quolibet censu possidendas et

[1038] Le mot *dominus* ne présente ici aucun sens; il faut vraisemblablement corriger *domesticus* ou *dominicus*. Dans le premier cas, le *Gaufridus*, dont il est ici question, serait le même que le *Gaufridus Turonensis*, qualifié dans le dipl. 100 *senescalcus domni pàtriarche;* dans l'autre cas, il y aurait deux personnages, l'un nommé simplement *Gaufridus*, et l'autre *Dominicus Patriarcha* qui figure dans le dipl. 158. [1039] A, f° 112, r° ; manque dans B. [1040] A, f° 112, v° ; manoue dans B. [1041] Corrigez *non ei*. [1042] A f° 113, v° ; manque dans B.

terram ad plantandum vineas et arbores, sicut ostensum est illis per manum domini Petri de Sepulcro. Damus etiam Guidoni unam carrucatam terre, Hugoni aliam, Giraldo etiam duas ad bene laborandum, ita quod de fructu segetum et leguminum, quem inde habebunt, quartum et decimam singulis annis nobis donabit[1043]; de fructu vero vinearum et olivarum, quas ibi plantabunt, quintum et decimam habebimus. Damus etiam Giraldo et Hugoni magnam partem oliveti, quod Willelmus Beritensis sibi plantari fecit, de cuius fructu quartum et decimam nobis reddent. Predictam vero nostram partem, scilicet quartam, quintam et decimam, ad voltas nostras de Nova Villa adportabunt. Furnum vero et molendinum et alias consuetudines secundum Mahumerie usum illis predictis et aliis venientibus ad manendum concedimus. Item damus Giraldo Caprello et Hugoni de Ioppe et heredibus suis vineam nostram de Ramathes ad bene laborandum; de cuius fructu dabunt nobis medietatem et decimam. Si autem quilibet eorum vel heredum suorum aliquid de sua possessione vendere voluerit, primum nobis venale offeret; quod si emere noluerimus, deinde licebit ei vendere consimili suo burgensi ibi manere debenti, qui nobis supradicta attendat et compleat.

Actum est hoc VIII kalendas aprilis, anno ab incarnatione Domini MCLX. Hujus rei testes sunt :

Nicholaus, prior. Arnulfus, subprior. Bernardus, cantor. Godefridus, thesaurarius. Ilbertus. Eurardus. Petrus de Sepulcro. Achilles. Petrus Clemens. Rainerius. Hugo de Nigella. Petrus de Latina. Rainaldus. Petrus Lombardus.

CXXXVII[1044].

PRIVILEGIUM CUIUSDAM DOMUS, QUAM NICHOLAUS, PRIOR SANCTI SEPULCRI, DEDIT STEPHANO PASNAIE.

Pateat omnibus hoc audientibus quod ego Nicholaus, prior Sancti Sepulcri, assensu totius capituli nostri, illam domum, quam dominus Petrus de Sepulcro a Nicholao et eius uxore Pontia emit, Stephano Pasnaie et heredibus eius iure perpetue hereditatis habendam concedimus, tali tenore ut Stephanus et eius heredes nobis nostrisque successoribus per singulos annos in purificatione beate Marie quinque bisancios persolvent. Addimus etiam quod si domum illam vendere voluerint, primum nobis venalem offerent; quam si emere noluerimus, deinde suo consimili burgensi ibi manere debenti vendere licebit, salvo prenominato censu et nostra donatione.

Actum est hoc IV nonas aprilis, anno ab incarnatione Domini MCLX. Huius rei testes sunt :

Nicholaus, prior. Arnulfus, subprior. Godefridus, thesaurarius. Ebrardus. Ilbertus. Petrus de Sepulcro. Petrus Clemens. Achilles. Bernardus Antiochie. Rainerius. Hugo de Nigella. Petrus de Latina. Rainaldus de Lochis. Petrus Lombardus. Robertus Antiochenus.

CXXXVIII[1045].

DE DONATIONE CUIUSDAM DOMUS, QUE EST IN MAHUMERIA.

Pateat omnibus hoc audientibus quod ego Nicholaus, prior Sancti Sepulcri, assensu totius capituli nostri, damus Dominico, qui vocatur Patriarcha, et heredibus eius unam domum in Mahumeria sitam, quam dominus Petrus de Sepulcro emit de quadam femina, nomine Armellina, iure perpetue hereditatis possidendam, tali tenore ut Dominicus predictus et heredes ipsius nobis nostrisque successoribus annuatim in purificatione Genetricis Dei sex bisancios censualiter persolvent. Verumtamen si casu accidente contigerit quod domum illam vendere voluerint, salvo prenominato censu et nostro iure, suo consimili burgensi vendere licebit; sed primum nobis venalem offerent.

Actum est hoc III nonas aprilis, anno ab incarnatione Domini MCLX. Hujus rei testes sunt :

Nicholaus, prior. Arnulfus, subprior. Godefridus, thesaurarius. Eurardus. Ilbertus. Petrus de Sepulcro. Petrus Clemens. Achilles. Bernardus Antiochie. Rainerius. Hugo de Nigella. Petrus de Latina. Rainaldus de Lochis. Petrus Lombardus. Robertus Antiochie.

CXXXIX[1046].

DE CONCESSIONE CUIUSDAM DOMUS, QUE SITA EST IN VILLA MAHUMERIE.

Omnibus sancte matris ecclesie filiis liquescat quod e[g]o Nicholaus, Dominici prior Sepulcri, totusque conventus Suardo et eius heredibus unam domum cum omnibus pertinentiis suis, que sita est in villa Mahumerie, quam dominus Petrus de Sepulcro ab Acardo et eius uxore, Bella nomine, emptione habuit, iure perpetue habendam hereditatis concedimus, tali tenore videlicet quod Suardus et eius heredes nobis nostrisque successoribus per singulos annos in purificatione beate Marie octo bisancios censualiter persolvent. Addimus etiam quod si Suardus vel eius heredes domum illam suo consimili burgensi vendere voluerint, salvo prenominato censu et nostro iure, non eis ab aliquo fiet impedimentum.

Actum est hoc XII kalendas aprilis, anno ab incarnatione Domini MCLX. Huius rei testes sunt :

Nicholaus, prior. Arnulfus, subprior. Godefridus, thesaurarius. Ebrardus. Ilbertus. Petrus de Sepulcro. Petrus Clemens. Achilles. Reinerius. Hugo de Nigella. Petrus de Latina. Rainaldus. Petrus Lombardus.

CXL[1047].

PRIVILEGIUM TRIUM VASTINARUM, QUAS VENDIDIT ABBAS SANCTI SABE CANONICIS SANCTI SEPULCRI.

Notum sit omnibus, tam futuris quam presenti-

[1043] Corrigez *donabunt*. [1044] A, f° 114, r°; manque dans B. [1045] A, f° 114, v°; manque dans B. [1046] A, f° 114, v°; manque dans B. [1047] A, f° 114, v°; manque dans B.

bus, quod ego Miletus, Dei gratia ecclesie Sancti Sabe abbas, et universus conventus monachorum fratrum nostrorum terram illam, videlicet tres vastinas, Kafarrus et Vetus Betor et Deirfres nominatas, quam M[elisenda] regina digne memorie pro elemosina XXIV panum emptorum, quam usque in perpetuum nos et successores nostri singulis sabbatis ad redemptionem anime sue celebrare debemus, ecclesie nostre et nobis erogasse dinoscitur, Nicholao priori et canonicis Latinis ecclesie gloriosissimi Dominici Sepulcri, communi assensu totius capituli nostri, pro quingentis bisanciis minus viginti vendidimus; de quibus bisanciis statim ab Amalrico, Ierosolimitano rege, quandam terram nobis utiliorem, scilicet casale nomine Thora, emimus. Preterea innotescat omnibus quod nos, statutam elemosinam pro anima memorate regine in perpetuum solito more celebraturi, predictam terram elemosinam, ut in longum et latum extenditur, quam priori et canonicis Sancti Sepulcri solutam et liberam vendidimus, integre cum vil'anis suis et pertinentiis et omnibus, que sui iuris esse noscuntur, ab omni calumpnia vel aggressione iniusta in omni curia defendere debemus.

CXLI[1048].

DE EMPTIONE CUM PRIORE ET CANONICIS SANCTI SEPULCRI FACTA ET BALDUINO, DOMINO SANCTI EGIDII, SUPER DOMIBUS ET CETERIS[1049].

In nomine Domini nostri Ihesu Christi, amen.

Notum sit omnibus Dei fidelibus, tam presentibus quam futuris, quod ego Balduinus, Dei gratia dominus casalis Sancti Egidii, una cum Stephania, coniuge mea, in presentia domini Roardi[1050], castellani Ierusalem, soceri mei, et aliorum proborum virorum, quorum nomina inferius sunt scripta[1051], assensum dedimus emptioni, quam dominus Petrus prior et canonici Dominici Sepulcri fecerunt de domibus et[1052] edifitiis et vineis cum omnibus pertinentiis suis, que abbas et monachi Montis Thabor habebant, tam ex dono predecessorum meorum quam emptione vel conquisitione, in predicto casali, ut ea omnia libere et quiete teneant et possideant in perpetuum sine omni calumpnia, ea frantitia[1053] et libertate qua abbates et monachi Montis Thabor temporibus predecessorum meorum et meo tenuisse noscuntur. Preterea calumpniam, quam fatiebamus[1054] predictis canonicis de quadam domo, quam ante emptionem illam habebant in predicto casali, penitus remittimus, et ut eam quiete et sine calumpnia deinceps teneant et possideant concedimus. Ut autem concessio et assensus noster in posterum a nemine possit perverti seu quomodolibet violari, presens A scriptum duplex per alphabetum[1055] exinde fieri et per medium partiri fecimus, unum quorum prior et capitulum Sancti Sepulcri habent, alterum nos in signum et memoriam geste rei retinuimus. Unde isti sunt testes :

Roardus, castellanus Ierusalem, socer meus. Anselmus de Brie, Symon de Bethleem, Andreas de Caypha, milites. Gaufridus Turonensis[1056], Robertus de Pinken[iaco], Iohannes Raimundi, Willelmus Patronus, Radulphus, frater domini Willelmi, Tyrensis archiepiscopi. Bernardus Proet, Burgenses Jerusalem, Arnulfus de Mahomeria. Et Guarinus[1057] Neapolitanus de Templo, serviens domine regine Marie.

Factum est hoc anno dominice incarnationis B MCLXXV, indictione VI, XV kalendas ianuarii.

CXLII[1058]

PRIVILEGIUM DOMINI GUARINI, ABBATIS MONTIS THABOR, ET PETRI, PRIORIS SANCTI SEPULCRI[1059].

In nomine Domini, amen.

Notum sit universis sancte matris ecclesie filiis, tam presentibus quam futuris, quod ego Garinus, Montis Thabor abbas, consensu domini Letardi, Nazareni archiepiscopi, prioris Lancelini et totius ecclesie nostre capituli assensu et pari voluntate, cum Dominice Resurrectionis ecclesie priore Petro et universo eiusdem conventu tali concordie pacto convenimus, quod ecclesiam nostram, quam apud casale Sancti Egidii cum oblationibus suis et iure C parrochiali aliorumque omnium ad eam pertinentium et cum medietate universarum decimarum eiusdem casalis et aliorum duorum, Turbasaim[1060] videlicet et Dere, quas ex concessione felicis memorie domini[1061] W[illelmi] patriarche ab eisdem censuali iure pro unius rote cereo tenebamus, remotione loci et magnitudine expensarum pregravati, Petro priori et canonicis eiusdem ecclesie, de cuius iure procedebat, bono animo et concordi voluntate reddidimus; vineas vero nostras, domos et[1062] edifitia[1063] et cetera mobilia nostra, que tam laboris nostri exercitio quam pretio[1064] conquisivimus, eisdem pro M[1065] bisanciis vendidimus, et pro recognitione earumdem vinearum, domorum et edifitiorum[1066] nobis et ecclesie nostre annuatim tres rotas incensi et cereum D unius rote in festo transfigurationis Domini debent persolvere[1067]. Huius transactionis testes sunt :

Letardus, Nazarenus archiepiscopus. Radulfus, Sebastensis episcopus. Iohannes, prior eiusdem ecclesie. Petrus, cantor Tyrensis ecclesie.

De canonicis autem Sancti Sepulcri :

Iohannes Pictavensis, Ugo[1068] de Nigella, Rainaldus de Lochis, Constantinus, et Petrus, cantor,

[1048] A, f° 115, v°; B, f° 32, r°. [1049] Dans B la rubrique est ainsi conçue : *Assensus Balduini, casalis Sancti Egidii, de emptione facta a monasterio Montis Thabor.* [1050] B, *Ricardi.* [1051] B, *conscripta.* [1052] Manque dans B. [1053] B, *francicia.* [1054] B, *faciebamus.* [1055] B, *alfabetum.* [1056] La signature de ce témoin manque dans B. [1057] B, *Garinus.* [1058] A, f° 116, r°; B, f° 33, r°. [1059] Dans B la rubrique est ainsi conçue : *De possessionibus Montis Thabor, que sunt apud casale Sancti Egidii.* [1060] B, *Turbasym.* [1061] Manque dans B. [1062] Manque dans B. [1063] B, *edificia.* [1064] B, *precio.* [1065] B, *pro duobus M.* [1066] B, *edificiorum.* [1067] B, *persolvere debent.* [1068] B, *Hugo*

sacerdotes. Odo[1069] et Gaufridus, diaconi. Petrus Mahumarie[1070] et Robertus Rome, subdiaconi.

De monachis vero Montis Thabor :

Lancelinus, prior. Petrus de Podio, thesaurarius. Martinus. Iohannes Yspanus[1071]. Stephanus, cantor. Aimericus. Dominicus. Iohannes de Nazaret. Enardus. Pandulfus. Willelmus Provintialis[1072]. Marcellinus.

De clericis Nazareth :

Geraldus, archidiaconus Nazarenus. Tibaldus, canonicus Sydonensis[1073]. Iohannes, canonicus Nazarenus. Galterius de Capella. Iohannes Coritensis[1074]. Gibertus, capellanus domini archiepiscopi Nazareni. Et Iordanus Mercator.

Facta est hec transactio anno dominice incarnationis MCLXXV, indictione VI, XVI kalendas novembris.

CXLIII[1075].

DE QUADAM PACE REFORMATA INTER CANONICOS SANCTI SEPULCRI ET MONACOS DE LATINA.

Ego Willelmus, Dei gratia Acconensis ecclesie episcopus, a domino papa A[lexandro] delegatus, fui cognitor cuiusdam cause, que vertebatur inter canonicos Sancti Sepulcri et monacos de Latina super decimas cuiusdam casalis, quod vocatur Montoble, quam monachi dicebant suo iuri pertinere, canonici vero e contrario asserentes eamdem tamquam sibi debitam possidebant. Die itaque experiendi utrique parti statuto, allegationibus hinc inde diligenter auditis et cognitis, tamdem per sufficientes et iuratos testes michi fides factâ est quod precedenti tempore, dum hec eadem questio inter prefatas ecclesias coram patriarcha Fulcherio tractaretur, abbas Amelinus de Latina ipsam decimam canonicis in pace confitens ei[s] deberi reliquit, una vice coram domino patriarcha presentibus quibusdam fratribus suis et non contradicentibus, altera vice in pleno capitulo Latine nullo de fratribus contradicente. Cognita itaque tam sollempni renuntiatione, canonicos Dominici Sepulcri ab ista impetitione monachorum absolvo, et eosdem predictam decimam iuste usque in perpetuum possidere iudico. Interfuerunt huic carte testes :

Hernesius dominus, Cesariensis archiepiscopus. Dominus Iubaldus, Bibliensis electus. Daniel, cantor. Rutinus, thesaurarius. Magister Monachus. Magister Rogerius. Guido, canonicus. Willelmus, Petrus, presbiteri. Girardus, Robertus, Bernoldus, Fulco, diaconi. Guido de Meniers. Manesserius de Cesarea. Rorgus de Nazareth. Godecallus. Amalricus de Cesarea. Aicaldus. Raimundus. Pandulfus Pysanus.

CXLIV[1076].

PRIVILEGIUM AMALRICI, QUINTI REGIS LATINORUM, DE DONO ET LIBERTATE ECCLESIE SANCTI SEPULCRI[1077].

In nomine sancte et individue Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen.

Notum sit omnibus, tam futuris quam presentibus[1078], quod ego Amalricus, per gratiam Dei in sancta civitate Ierusalem Latinorum rex quintus, predecessorum meorum felicis memorie, ducis videlicet Godefridi fratrisque ipsius Balduini, Ierosolimorum regis primi, Balduini etiam secundi regis nec non et Fulconis patris mei et bone memorie Balduini fratris mei, civitatis eiusdem regis quarti, vestigiis inherere desiderans, pro salute mea ac meorum tam vivorum quam defunctorum, confirmo et corroboro ecclesie Dominici Sepulcri[1079] eiusdemque canonicis nunc ibidem Deo servientibus et in posterum servituris quecumque in tempore et a tempore ducis Godefridi iuste ac rationabiliter dono, concessione, commutatione vel emptione infra regni mei fines usque in hodiernum diem impetravit. Seriatim igitur que vel a quibus pretaxata ecclesia dono, concessione, commutatione sive emptione huc usque optinuit, ut sequentia declarant, ponere libuit. Primus itaque dux Godefridus XXI casalia cum pertinentiis suis, subscriptis nominibus nuncupata, Ainquine, Armotie, Keffreca, Keffredil[1080], Bubin, que duo cum quadam gastina, Bethchamzir nuncupata, canonici prefati militibus Templi pro CL bisanciis[1081], quos annuatim solvebant ad defensionem terre, dederunt, Hubim, Haram, Kalendric, Bentiligel, Birra, que a modernis Mahomeria Maior nuncupatur, Sabaiet[1082], Ataraberet, Urinet, Zenum, Lemule, Bentelamus, Aineseins, que modo Valdecurs dicitur, Barmita, Beituimen, Beitfoteire, Betsurieh, in cuius territorio fundata est villa que dicitur Parva Mahomeria, ecclesie, de qua agitur, dedit, et iure perpetuo possidenda concessit. Dedit insuper eidem ecclesie omnes furnos Ierusalem, exceptis duobus tantum, uno de Hospitali et altero de Latina. Et primus rex Balduinus prefate ecclesie apud Sanctum Lazarum villanos cum familiis suis dedit et tradidit, et IV casalia super Sanctum Lazarum, quorum nomina sunt hec : Benehatie, Benehabeth, Ragabam, Roma ; et item in territorio Neapolitano mille modios tritici singulis annis accipiendos primus rex Balduinus eidem dedit ecclesie ; secundus autem rex Balduinus pro his mille modiis in territorio Neapolitano casale, nomine Cafarmelech, dedit. Que omnia, ut superius memorata sunt, ecclesie Sancti Sepulcri[1083] ego Amalricus, Ierosolimorum rex quintus, ex parte mea concedo et perhenniter habenda decerno. Pro concambio Sancti Lazari in Bethania et predictorum IV casalium

[1069] B, *Oddo*. [1070] B, *Mahomarie*. [1071] B, *Hyspanus*. [1072] B, *Provincialis*. [1073] B, *Sydoniensis*. [1074] B, *Coritensis*. [1075] A, f° 117, r° ; manque dans B. [1076] A, f° 121, v° ; B, f° 117, v°. [1077] Dans B, la rubrique ne contient que ces mots : *Privilegium Amalrici regis*. [1078] On lit dans A : *tam futuris quam futuris*. [1079] B, *Sepulchri*. [1080] B, *Kefredil*. [1081] B, *bizantiis*. [1082] B, *Sabahiet*. [1083] B, *Sepulcri*.

casale Thecue cum omni integritate sua, prout pater meus Fulco, Iherosolimorum rex tercius, assensu Milisendis regine, matris siquidem mee, et Balduini regis, fratris mei, ea inquam libertate, qua predictus pater meus cum Milesende[1084] regina illud tenuisse dinoscitur, ecclesie Dominici Sepulcri[1085] donavit, suoque privilegio confirmavit, eidem confirmo, necnon et a totius[1086] calumpnie molestia vel impedimento nunc et deinceps prefatam commutationis concessionem me defensurum polliceor. Commutationem insuper inter Dominici Sepulcri[1087] canonicos et Iohannem Patritium[1088] de illis casalibus, Capharmalic et Ainquina, pro duobus memorati Iohannis casalibus, Megina scilicet et Mezera, utrimque laudabiliter factam confirmo. Insuper etiam dimidiam [partem[1089]] illius possessionis, quam primus rex Balduinus pro excambitu episcopatus Bethleemitici[1090] Sancti Sepulcri ecclesie[1091] dedit confirmo. Casale insuper, nomine Derina, in territorio Tyrensi situm, supra magnum fontem, de quo conductus aquarum procedit, cum omni pertinentia sua, et in conterminis prefati casalis circa montana quantum terre quatuor paria boum de anno in annum excolere possunt, et ortum, qui est inter murum et antemurale Tyri ex parte maris, que omnia videlicet secundus rex Balduinus Dominico dedit Sepulchro, confirmo. Porro medietatem casalis Fieisse, nunc casale Sancti Sepulcri[1092] nuncupati, quam cum omni pertinentia sua Eustachius Garnerius[1093], concessione etiam Balduini, regis secundi, libere et perhenniter habendam ecclesie Sancti Sepulcri[1094] donavit, et totam terram illam, quam Galterius, prefati Eustachii filius, circa idem casale canonicis Dominici Sepulcri[1095] ultra flumen habendam usque ad terminos designatos, qui usque ad hodiernum diem apparent, dedit, sepedicte confirmo ecclesie. Preterea ecclesiam illam et possessiones, que sunt Accon, quas Lambertus Als uxorque eius[1096]. Agnes, concessu regis Fulconis, patris mei, ecclesie Sancti Sepulcri[1097] dederunt, confirmo. Nichilominus quoque et casale Mimas cum duabus carrucatis terre plenariis ex dono prefati Lamberti Als, quas pater meus pretaxate confirmavit ecclesie, confirmo. Iardinum, quod [fuit[1098]] Mainardi de Portu, quod filius eius Raimundus, in conversione sua factus frater Dominici Sepulcri[1099], dedit, confirmo. Duo quoque casalia, Gebul et Helcar, cum omnibus adiacentiis suis, et piscarias per octo dies, et angariam per unum diem, et navem assidue, iuxta modum quo Willelmus de Buris ecclesie Sancti Sepulcri[1100] canonicis concessit et suo patrisque mei privilegio roboratum est, eidem ecclesie confirmo. Domos vero in civitate Iherusalem[1101] sitas, videlicet domum Bernardi canonici, domum Eurardi canonici, item domum alterius Eurardi, canonici, domum Mainardi, domum Garsionis, domum Galterii Tronaior, domum Bernardi Bursarii, domum Herluini, domum Mabilie, domum Rogerii, fratris Sancti Sepulcri[1102]. et stationem, que fuit Willelmi[1103] Bastardi, partemque illam, quam idem Willelmus[1104] in mensis mummulariorum[1105] habebat, et domum Martini Caraoane, quas omnes pater meus iam totiens dictus ab omni exactione liberas et quietas canonicis Sancti Sepulcri[1106] concessit suoque privilegio munivit, eidem ecclesie confirmo. Insuper etiam terram, infra septa Ierusalem sitam, et domos et stationes suas ad fatiendum in his[1107] quicquid illis libuerit, eo solummodo excepto quod nulli alii nisi soli regi in predicta urbe facere licet, prefatis canonicis adeo liberas confirmo, ut quicumque sive cambiatores, sive mercatores, sive cuiuscumque operis aut artificii actores easdem a prefatis canonicis conduxerunt[1108] aut conducere voluerunt[1109], libere, quiete et sine omni disturbatione vel impedimento officium[1110] suum ibi peragant. Inter cetera vero tria casalia, quorum aliud Capharuth, aliud autem Gith et aliud Porphiria vocatur, que Rogerius, Liddensis episcopus, ex possessione Sancti Georgii cum omnibus appendiciis[1111] suis et medietate decime messium casalium illorum et aliorum omnium decima tota et integra ecclesie Sepulcri[1112] Domini iure perhenni tenenda concessit, et quartum casale, Kefrescilta nomine, quod prefatus Liddensis episcopus cum omni integritate sua et consimili decima, qua predicta duo, ecclesie pretaxate pro concambio tamen decime castelli Arnaldi et decime cuiusdam casalis de Hospitali, nomine Bulbul, in perpetuum possidendum constituit, ratum decerno. Querelam insuper illam, que de Surianis inter regem Balduinum, fratrem meum, et Dominici Sepulcri[1113] canonicos extitit, quam etiam, velut in eorum privilegio plenius continetur et nomina predictorum Surianorum in eodem conscripta sunt, prefatis canonicis liberam, quietam et prorsus absolutam remisit, confirmo. Nichilominus etiam calumpniam illam, que in terminis finium territorii casalis Dominici Sepulcri[1114], quod dicitur Bethsuri, inter Milisendem reginam, matrem siquidem meam, et Sancti Sepulcri[1115] canonicos aliquandiu versabatur, liberam et quietam et sine quolibet vel a me vel a successoribus meis vel a quibuslibet aliis impedimento sive molestia ecclesie Sancti Sepulcri[1116] ex toto remitto, et absolutam prorsus confirmo. Verumtamen casalia illa, Bethel scilicet, Odemamel, Dehyrsabeth, Corteis, Deirmusim, Huetdebes, que cum omnibus villanis et cum omni integritate et pertinentiis suis iam

[1084] B, *Milisende*. [1085] B, *Sepulcri*. [1086] B, *tocius*. [1087] B, *Sepulchri*. [1088] B, *Patricium*. [1089] Suppléé d'après B. [1090] B, *Bethlehemitici*. [1091] B, *ecclesie Sancti Sepulchri*. [1092] B, *Sepulchri*. [1093] B, *Grancrius*. [1094] B, *Sepulchri*. [1095] B, *Sepulchri*. [1096] B, *sua*. [1097] B, *Sepulchri*. [1098] Suppléé d'après B. [1099] B, *Sepulchri*. [1100] B, *Sepulchri*. [1101] B, *Ierusalem*. [1102] B, *Sepulchri*. [1103] B, *Guillelmi*. [1104] B, *Guillelmus*. [1105] B, *numglariorum*. [1106] B, *Sepulchri*. [1107] B, *eis*. [1108] B, *conduxerint*. [1109] B, *voluerint*. [1110] B, *offitium*. [1111] B, *appenditiis* [1112] B, *Sepulchri*. [1113] B, *Sepulchri*. [1114] B, *Sepulchri*. [1115] B, *Sepulchri*. [1116] B, *Sepulchri*.

totiens dicti canonici ex Hugone de Hibelino precio [1117] comparaverunt, ecclesie Sancti Sepulcri [1118] confirmo. Insuper et casale, nomine Geladia, quod ego ipse dedi pro expensa et missione, quam ad capiendam Ascalonam canonici Sancti Sepulcri fecerunt, eidem similiter confirmo. Insuper et casale, Beitatap nomine, quod prefati canonici a Iohanne Gomanno et Aucherio, ipsius filio, emerunt, cum omnibus gastinis et pertinentiis suis, ut in privilegio Balduini regis, fratris mei, plene continetur, similiter corroboro. Preterea ista duo casalia, videlicet Cafaruth et Vetus Bethor, et gastinam Derfres, a matre mea Melisenda regina abbati et monachis Sancti Sabe pro salute anime sue erogata, que iam dicti canonici Sancti Sepulcri [1119] ab eisdem monachis Sancti Sabe precio [1120] comparaverunt, ecclesie B sepedicte confirmo. Insuper donationem terre, quam Vivianus, dominus Cayphe, assensu Pagani filii sui, in civitate veteris Cayphe interius [1121] et exterius ecclesie Sancti Sepulcri [1122] dedit, et terram, quam duo fratres milites, Rogerius et Iohannes, iuxta flumen Cayphe eidem ecclesie dederunt, confirmo. Demum cunctarum oblationum, que ad Sepulcrum [1123] Domini veniunt et venient, medietatem in omnibus et per omnia, prout venerabilis Arnulfus patriarcha, primi regis Balduini consilio, prefatis assignavit canonicis, eidem Sancti Sepulcri ecclesie [1124] confirmo. Cere autem, que ad ecclesiam venerit, duas partes ad luminaria eidem confirmo ecclesie. Oblationes insuper omnes, que ad vivificam C Crucem veniunt, exceptis que sola die sancti parasceve fiunt, aut si patriarcha secum illam pro aliqua necessitate detulerit, eisdem canonicis confirmo. Decimas quoque totius civitatis sancte Iherusalem [1125] locorumque sibi adiacentium, quas patriarcha supramemoratus illis concessit, exceptis solummodo funde decimis, eisdem confirmo canonicis. Ecclesiam tandem Beati Petri in Ioppem, quam iam totiens [1126] dictus patriarcha cum honore suo integro et cum tota, que sancte matri ecclesie pertinet [1127], plenaria dignitate prefatis concessit canonicis, predicto modo confirmo, et ecclesiam Quarentene [1128] cum pertinentiis suis eisdem canonicis corroboro. Hec igitur omnia, prout superius memorata sunt, ecclesie iam sepedicteet eiusdem memorato conventui nunc et per successionem ibi- D dem Deo famulanti libere, quiete et sine omni calumpnia et impedimento in posterum habenda et iure perpetuo possidenda concedo, et presenti pagina subscriptis testibus sigillique mei subpressione [1129] denotata confirmo

Factum est autem hoc scriptum anno ab incarnatione Domini MCLXIV, indictione XII. Huius quidem rei testes sunt:

Iohannes, Paneadensis episcopus. Ricardus, Andriensis episcopus. Radulfus [1130], prior Sebastensis [1131]. Galterius, princeps Galilee. Humfredus de Torono, constabularius. Et filius eius, Umfredus. Girardus Sydoniensis. Philippus Neapolitanus. Hugo, Cesariensis dominus. Guido Francigena, senescallus [1132]. Fulco Tyberi[a]densis. Gormundus Tyberiadensis. Henricus Bubalus. Odo de Sancto Amando, pincerna. Willelmus [1133], marescalcus. Roardus [1134] Neapolitanus. Balduinus, vicecomes Neapolitanus. Anselmus de Brie. Roardus [1135] Ioppensis. Paganus de Voh. Iocelinus Pessellus [1136]. Ottho de Risberge.

Data Ascalone, per manum domini Radulfi, Bethlehemite episcopi regisque cancellarii, XVII kalendas augusti.

CXLV [1137].

PRIVILEGIUM EGREGII REGIS IOHANNIS ET NOBILISSIME REGINE MARIE DE FRANCIGIA MAGNI IARDINI.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen.

Notum sit omnibus, tam presentibus quam futuris, quod ego Iohannes, per Dei gratiam Latinorum Ierusalem rex decimus et comes Brene, et domina Maria, uxor mea, illustris regina, concedimus et confirmamus tibi Santio, Dominici Sepulcri priori, et toti eiusdem ecclesie capitulo, presenti et futuro C jardinum illum, qui est prope Accon, quem emistis a Willelmo Pomaran[o], et domos et terram, que sunt in ambitu eiusdem iardini, et totum illud quod est de iardino, sicut illud emistis a predicto Willelmo Pomarano. Insuper omnia iura, que in eodem iardino habere debemus, pro salute animarum nostrarum et antecessorum nostrorum vobis damus atque remittimus. Concedimus etiam vobis et donamus ut absque omni exactione fructum et herbas predicti iardini super equitaturas nostras [1138] per civitatem Accon libere vendatis absque contradictione, et ipsum iardinum cum suis pertinentiis pacifice et libere in perpetuum possideatis. Ut autem hec nostra concessio, donatio et confirmatio rata in eternum et inconcussa permaneat, presentem cartam sigillo nostro et testibus subscriptis precepimus communiri. Huius rei testes sunt;

Gualterius de Montbeliart, regni Iherosolimitani conestabularius. Radulfus Tyberiadis, regis senescalcus. Iacobus de Durnai, regis marescalcus. Aimarus, dominus Cesaree. Philippus de Ybelino. Guido de Monfort. Garnerius Alemannus. Roardus, dominus Cayphas. Amion d'Ays. Thomas de Maugastel. Daniel de Molembec. Adam Coste.

[1117] B, *pretio*. [1118] B, *Sepulchri*. [1119] B, *Sepulchri*. [1120] B, *pretio*. [1121] B, *intus*. [1122] B, *Sepulchri*. [1123] B, *Sepulchri*. [1124] B, *ecclesie Sancti Sepulchri*. [1125] B, *Ierusalem*. [1126] B, *tociens*. [1127] B, *matri pertinet ecclesie*. [1128] B, *Quadrantene*. [1129] B, *suppressione*. [1130] B, *Radulphus*. [1131] B, *Sebastenus*. [1132] B, *senescalcus*. [1133] B, *Guillelmus*. [1134] B, *Rohardus*. [1135] B, *Rebardus*. [1136] B, *Peselles*. [1137] A, f° 125, 1°; manque dans B. [1138] Il faut probablement corriger *vestras*.

Factum est hoc Accon, anno dominice incarnationis MCCXI, kalendis iulii, [per manum] nota ⁽rii] Balduini.

CXLVI.

PRIVILEGIUM DE LIBERTATE, QUAM CONCESSIT DOMINUS PAPA ALEXANDER PRIORI ET CANONICIS SANCTI SEPULCRI IN ECCLESIIS IEROSOLIMITANIS.

(Vide in Alexandro III ad an. 1181.)

CXLVII.

DE DIGNITATE PRIORI ET CANONICIS SANCTI SEPULCRI CONCESSA A DOMINO PAPA ALEXANDRO IN PRIMIS LOCIS.

(Vide ubi supra.)

CXLVIII.

UT PRIOR ET CANONICI SANCTI SEPULCRI LIBERAM HABEANT POTESTATEM ORDINANDI DOMOS ET PRIORATUS HOBEDIENTIARUM.

(Vide in Innocentio II ad an. 1143.)

CXLIX.

DE CANONICIS HOBEDIENTIAM TENENTIBUS.

(Vide ubi supra.)

CL.

PRIVILEGIUM DE ECCLESIA SANCTI EGIDII DE ROMA.

(Vide in Alexandro III ad an. 1181.)

CLI.

DE DECIMIS TEMPLARIORUM.

(Vide in Cœlestino III ad an. 1198.)

CLII [1139].

SACRAMENTUM PATRIARCHE.

Ego, patriarcha Ierhosolimitanus, ab hac hora in antea fidelis et obediens ero beato Petro sancteque apostolice Romane ecclesie et domino meo pape Innocentio suisque successoribus canonice intrantibus. Non ero in consilio aut in facto ut vitam perdant aut membra, aut capiantur mala captione. Consilium vero, quod mihi credituri sunt per se aut per nuntios suos sive per litteras, nulli manifestabo ad eorum dampnum, me sciente. Papatum Romanum et regalia sancti Petri adiutor eis ero ad retinendum et defendendum, salvo meo ordine, contra omnem hominem. Legatum apostolice sedis, quem pro certo scivero eius esse legatum, eundo et redeundo honorifice tractabo, et in suis necessitatibus adiuvabo. Vocatus ad synodum veniam, nisi prepeditus fuero canonica prepeditione. Apostolorum limina singulis quadrienniis visitabo aut per me, aut per nuntium meum, nisi apostolica licentia remaneam. Possessiones ad mensam mei patriarchatus pertinentes nec vendam, nec donabo, neque impignorabo, neque de novo infeudabo, vel alio modo alienabo, inconsulto Romano pontifice. Sic Deus me adiuvet et hec sancta evangelia.

CLIII [1140].

IN ACCIPIENDO PALLIONE.

Ad honorem Dei omnipotentis et beate Marie Virginis et beatorum apostolorum Petri et Pauli et domini pape Innocentii et Romane ecclesie nec non ecclesie tibi commisse tradimus tibi pallium de corpore beati Petri sumptum, plenitudinem scilicet pontificalis offitii, ut utaris eo infra ecclesiam tuam certis diebus, qui exprimuntur in privilegiis ecclesie tue ab apostolica sede concessis.

CLIV [1141].

SACRAMENTUM REGUM IEROSOLIMORUM [1142].

Ego Aimericus, divina permissione rex Ierusalem [1143] coronandus, promitto tibi, domino patriarche Monacho, tuisque successoribus, sub testimonio omnipotentis Dei et totius [1144] ecclesie, quod ab hac die in antea ero fidelis adiutor vester et defensor et omnium personarum regni Ierosolimitani [1145]. Possessiones Iherosolimitane ecclesie omniumque ecclesiarum ad eam principaliter respectum habentium, quas olim habere consueverunt et in futuro nostris temporibus juste sunt adepture, eisdem manutenebo et defendam. Canonica privilegia debitasque leges atque iustitias [1146] earumdem et pristinas libertatum consuetudines et usus tam earum quam universi populi terre, sicut rex Amalricus et rex Balduinus, filius [ejus] [1147] tenuerunt, conservabo, et defensionem, quantum potero, adiuvante Domino, exhibebo, novasque superinductas maxime post excidium terre exterminabo, prout rex Christianus et fidelis in suo regno unicuique episcopo et ecclesie sibi commisse atque populo per rectum exhibere debet. Sic me Deus adiuvet et hec sacrosancta evangelia.

Deinde imposita capiti [1148] *regis corona, accipiat patriarcha manum eius dexteram, et promittat in hunc modum :* Et ego te iuvabo coronam tuo capiti [a nobis] [1149] impositam iuste manutenere atque defendere, salvo meo ordine, *dato ei osculo.*

Cetere vero persone eodem modo ei promittant et dent ei osculum.

CLV [1150].

PRIVILEGIUM CASALIS FENICULI DE LIBERTATE ET FINIBUS TERRE.

In nomine sancte et individue Trinitatis, amen.

Cum omnes catholici viri ac precipue potentes divino munere prediti universas ecclesias Dei honorare ac exaltare debeant, specialius tamen ecclesiam gloriosissimi Sepulcri, ubi Dominus passus occubuit, et tertia die resurgendo salutem humani generis reparavit, sublimare ac benefitiis suis ditare debent, quatenus, peracto huius vite cursu, gaudia eterne vite omni meta carentia possidere mereantur. Quapropter ego Hugo, Dei gratia Cesaree Palestine dominus, assensu uxoris mee Ysabel et consilio proborum meorum hominum, dono concedo Petro priori et Latinis canonicis Sancti Sepulcri montana contigua iardino de Feissa, ubi fons de conductu oritur,

[1139] A, f° 128, r°; manque dans B. [1140] A, f° 128, r°; manque dans B. [1141] A, f° 128, v°; B, f° 129, v°. [1142] B, *Sacramentale regum.* [1143] B, *Iherusalem.* [1144] B, *tocius.* [1145] B, *Iherosolimitani* [1146] B, *iusticias.* [1147] Suppléé d'après B. [1148] B, *capitis.* [1149] Suppléés d'après B. [1150] A, f° 129, r°; manque dans B.

incipit autem ex altera parte divisio terre huius a A via, que venit de Braicaet versus casale Sancti Sepulcri, et vadit versus orientem per caveam, que est inter duos montes, per torrentem videlicet, qui in yeme fluit, quousque venitur ad parvum montem situm inter predicta montana et montana de Broiquet; et sic ab alveo torrentis versus parvum montem supradictum et per crepidinem illius parvi montis, ut cruces designant, vadit supradicta divisio usque ad parvum monticulum, qui Calcis Fornax appellatur; et exinde versus meridiem usque ad alium monticulum non longe hinc, ubi antiquus calcis fornax fuit, divisio ista protenditur; et sic per devexum montis recta linea versus spinam in planitie sitam, que terram casalis Dominici Sepulcri Faisse et Sabarim Hospitalis dividit, terminatur. Insuper divi- B sionem, quam pretaxati canonici Sancti Sepulcri cum Georgio et filio eius Balduino fecerunt, concedo et confirmo. Preterea donum avi mei Eustachii et patris mei Galterii, quod predictis canonicis fecerunt, et divisiones, quas ipsi consignaverunt confirmo et me defensurum promitto. Insuper adicimus ad hoc hanc libertatem canonicis ecclesie Sancti Sepulcri, quod ipsi in tota terra mea, tam in civitate Cesarea quam extra, vendere vel emere, ponderare vel mensurare et deportare tam mari quam terra libere et quiete ab omni usatico et exactione possint. Ipsi vero canonici pro prefate terre donatione et divisionum confirmatione et predicta liber- C tate quadringentos bisancios michi caritative impendunt. Preterea hoc retinui, ut, si aliquo tempore antiquum conductum predicti fontis reficere voluero et ipsum fontem ad casale Bubalorum ducere ad canamellas fatiendas, absque contradictione predictorum canonicorum michi liceat; ita tamen ut de una macera singulis annis dimidium quintale, et, si amplius, prefate ecclesie integrum quintale persolvam. Ut hec igitur omnia, que prenotavimus, eo ordine, quo proposuimus, firma et inconcussa permaneant, appositione sigilli mei corroboro.

Facta est hec carta anno ab incarnatione Domini MCLXVI, indictione XV.

Huius rei testes habentur, quorum nomina subscripta videntur :

Rainerius, episcopus Sebastensis. Et Radulfus, D prepositus. Ioannes, cantor Cesarensis. Symon, canonicus. Arnulfus, subprior. Petrus Lombardus. Frater Adam. Frater Vitalis. Petrus de Mahumeria. Petrus Costa, vicecomes. Engilbertus de Aria. Carolus Hamelinus. Rodbertus de Cossia. Georgius. Balduinus, filius eius.

Si vero alium conductum mihi libuerit facere et alio modo fontem ad predictum casale educere, michi non contradicatur.

CLVI.

PRIVILEGIUM ECCLESIE DOMINICI SEPULCRI.

(*Vide in Alexandro III ad an.* 1181.)

CLVII.

PRIVILEGIUM QUOD PATRIARCHA NON POSSIT FACERE CANONICOS, NISI VOLUNTATE PRIORIS.

(*Vide in Alexandro III ad an.* 1181.)

CLVIII.

PRIVILEGIUM QUOD PATRIARCHA NON DEBEAT HABERE NISI TERTIAM PARTEM CERE ECCLESIE SANCTI SEPULCRI.

(*Vide ubi supra.*)

CLIX.

DE DECIMIS, QUAS HOSPITALES TENENTUR REDDERE ECCLESIE SANCTI SEPULCRI.

(*Vide in Alexandro III ubi supra.*)

CLX. [1181].

PRIVILEGIUM DE ECCLESIA, QUE EST APUD NEAPOLIM.

In nomine sancte et individue Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen.

A[malricus], Dei gratia Sancte Resurrectionis Christi patriarcha, P[etro], eiusdem ecclesie priori, et universis canonicis, tam presentibus quam futuris, in perpetuum. Quoniam sacrosancta Dominice Resurrectionis ecclesia quadam speciali prerogativa sanctitatis merito ab omni populo Christiano devotissime veneratur, et pio intuitu humane reparationis ab universis Deum colentibus fons et origo universalis ecclesie veraciter predicatur, nos, qui supradicte ecclesie, Deo annuente, presidemus, eam propensius honorare et in amplificatione rerum suarum voluimus studiosius insudare. Dilecti itaque nostri filii Amalrici, illustris Ieresolimorum regis, precibus inclinati, vestrisque iustis et Deo placitis postulationibus nichilominus annuentes, assensu pariter et consilio venerabilis fratris nostri Hugonis, Templi Domini abbatis, concedimus tibi, Petre prior, et successoribus tuis necnon et canonicis Sancti Sepulcri, tam presentibus quam eorum posteris canonice substit[u]endis, ecclesiam, quam apud Neapolym in terra, quam prefatus rex ad hoc scilicet vobis dederat, fundastis, *cum omni* plenitudine iuris parrochialis, et patriarchali auctoritate nobis a Deo concessa hoc confirmamus; statuentes ut, quia ecclesia illa ad titulum Dominice Passionis eiusdemque Resurrectionis fundata dinoscitur, plenariam habeat potestatem baptisare, mulieres a partu Deo et ecclesie reconciliare, infirmos per civitatem absolvendo communicare, mortuos sepelire, et omnium ex propriis expensis laborum decimationes cum omni integritate usibus vestris sine omni calumpnia in perpetuum retinere. Si qua vero ecclesiastica secularisve persona hoc privilegium, contra illud temere veniendo, violare presumpserit, a corpore ac sanguine Domini nostri Ihesu Christi aliena existat, et illi pene, quam Dominus omnibus maledictis minatur, nisi resipuerit, et ad emendationem venerit, perhenniter subiaceat; cunctis autem illud servantibus sit pax et misericordia a Domino Ihesu Christo in hoc seculo et in futuro

Ut autem hoc privilegium nostrum firmum, fi-

[1181] A, f° 136, r°; manque dans B.

xum, stabile et inconvulsum permaneat, placuit illud plumbei sigilli nostri impressione communire, et subscriptorum testium veredico testimonio confirmare, Testes vero huius rei sunt :

Dominus illustris rex Amalricus. Radulfus, Bethleemita, Rainerius, Liddensis, Rainerius, Sebastensis, episcopi. Rodulfus, prior Sebastensis. Hamericus, prior Montis Oliveti. Guilricus, decanus Neapolis. Rodulfus, archidiaconus. Amalricus, cancellarius. Magister Eraclius. Robertus de Pinchinec. Gaufridus Turonensis. Balduimus, vicecomes Neapolys. Magister Stephanus.

Data Ierusalem, anno ab incarnatione Domini MCLXVIII, a captione Ierusalem LXIX.

CLXI [1152].

DE ECCLESIA SANCTI NICHOLAI, QUE EST EXTRA MUROS IOPPEN.

In nomine sancte et individue Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen.

Amalricus, Dei gratia Sancte Resurrectionis Christi ecclesie patriarcha, dilectis filiis P[etro], eiusdem ecclesie priori, et universis canonicis, tam presentibus quam futuris, in perpetuum. Quoniam sacrosancta Dominice Resurrectionis ecclesia quadam speciali prerogativa sanctitatis merito ab omni populo Christiano devotissime adoratur, et pio intuitu humane reparationis ab universis Deum colentibus fons et origo universalis ecclesie veraciter predicatur, nos, qui supradicte ecclesie, Deo annuente, presidemus, eam propensius honorare et in amplificatione rerum suarum volumus studiosius insudare. Vestris itaque iustis et Deo placitis postulationibus annuentes, concedimus tibi, Petre prior, successoribusque tuis necnon et canonicis Sancti Sepulcri, tam presentibus quam eorum posteris canonice su[b]stituendis, ecclesiam Sancti Nicholai, que extra muros urbis Ioppen, a parte septentrionali, in aggere Sancti Nicholai supra mare constructa est, cum omni plenitudine iuris parrochialis, et patriarchali auctoritate nobis a Deo concessa confirmamus, statuentes ut, quia prefata Sancti Nicholai ecclesia ex domo et concessione dilectissimi filii nostri Amalrici, illustris Ierosolimorum regis, ad titulum Dominice Passionis eiusdemque Resurrectionis pertinere dinoscitur, plenariam habeat potestatem baptizare, a partu Deo et ecclesie reconciliare, infirmos per civitatem absolvendo communicare, mortuos sepelire, et omnium rerum suarum, terrarum et vinearum, quas modo habet vel in futurum, Deo auxiliante, habere poterit, decimationes cum omni integritate usibus vestris sine omni calumpnia in perpetuum retinere. Si qua vero ecclesiastica secularisve persona hoc privilegium nostrum contra illud veniendo violare presumpserit, a corpore et sanguine Domini nostri Ihesu Christi aliena existat, et illi pene, quam Deus omnibus maledictis minatur, nisi resipuerit, et ad emendationem venerit, perhenniter subiaceat; cunctis autem illud servantibus sit pax et misericordia a Domino Ihesu Christo in hoc seculo et in futuro. Ut autem hoc privilegium nostrum firmum, fixum, stabile et inconvulxum permaneat, placuit illud plumbei sigilli impressione munire et subscriptorum testium veridico testimonio confirmare. Huius rei testes sunt :

Radulfus, Bethleemita; Rainerius, Liddensis; Rainerius, Sebastensis, episcopi. Radulfus, prior Sebastensis. Haimericus, Montis Oliveti prior. Radulfus, archidiaconus. Amalricus, cancellarius. Magister Eraclius. Hugo de Iherusalem. Robertus de Pinchinec. Gaufridus Turonensis.

Data Ierusalem, anno ab incarnatione Domini MCLXVIII, a captione sancte civitatis LXIX.

CLXII.

PRIVILEGIUM IOPPENSIS ECCLESIE.

(*Vide in Alexandro III ad an.* 1181.)

CLXIII [1153].

DE LIBERTATE ECCLESIE SANCTI SEPULCRI, QUE TROIE SITA EST.

In nomine Patris et Filii et Spiritus [Sancti], amen.

Anno dominice incarnationis MCLXXI, mense februarii, indictione IV, Wilelmus, Dei gratia Troiane ecclesie humilis episcopus. Sancta et venerabilia loca, quanto apud Deum et apud homines digniora et cariora esse dinoscuntur, tanto a fidelibus matris ecclesie Deum timentibus maiori karitatis affectu veneranda esse et protegenda et ab onere temporalis servitutis, si insisterit, relevanda auctoritate tam veteris quam novi testamenti comprobatur. Inde est quod sancto Moysi a Domino preceptum est quod nonnisi discaltiatis pedibus ad rubum succensum accederet, et Helie magnifico prophete quadragesimale ieiunium indictum est, ut sanctificatus ad montem Dei Oreb transire posset. Hoc David rex et propheta considerabat, quando dicebat : *Domine, dilexi decorem domus tue et locum habitationis glorie tue.* Huic etiam rei Christus Dominus, evangelice gratie promulgator et nostre redemptionis auctor, attestatus est, cum facto flagello de resticulis vendentes et ementes de templo sancto suo eiecit, dicens : *Domus mea domus orationis vocabitur.* Huius itaque considerationis sugillatio mentes sublimium potestatum frequenter humiliat et compellit ut in hiis locis sanctas animas servitio Dei dedicatas et mancipatas plurimum timeant et honorent, et iustis earum postulationibus diligenter intendant. Propterea, vir venerabilis Petre, sancte congregationis Dominici Sepulcri prior, honestatis et prudentie tue fratrumque tuorum dignis petitionibus annuere decrevimus, eoque faciliores vestris desideriis nos exhibemus, quod et

[1152] A, f° 137, r°; manque dans B. [1153] A, f° 139, r°; manque dans B.

loco sanctissimo, a quo christiane religionis sanctitas per omnes mundi terminos exordium traxit, vos deservire cognoscimus, sicut scriptum est : *De Syon exibit lex et verbum...* Communicato itaque universo capituli nostri consilio, annualem censum, videlicet unam untiam auri, quam ecclesia vestra, que apud Troiam sita Sanctum Sepulchrum appellatur, annuatim quathedre nostre solvere debebat, coram fratribus nostris assentientibus et collaudantibus in perpetuum remisimus, hoc autem conditionis debito reservato, ut singulis annis unam libram cere et aliam incensi nostre sedi solvatis; et si quis huic nostre remissioni obviare presumpserit, gladio anathematis nostri feriatur. Ut hec autem nostra remissio in perpetuum stabilis permaneat, te, Guillelme de Baiocis, notarium nostrum, hoc breve scribere precepimus, et hoc signo crucis nostra propria [manu] facto munivimus, et sigillo nostro roboravimus, subscriptis nostris canonicis testibus, in urbe Troia feliciter.

Ego Willelmus, tertius Troianus episcopus.
Ego Willelmus, Troianus decanus. Ego Mysandus, archidiaconus Troie. Ego Iohannes Landulfi, Troiane ecclesie precentor. Ego Thomas, archipresbiter Montis et canonicus Troie. Ego Iohannes Mannus, canonicus et sacerdos. Ego Castorius, Troianus canonicus. Ego Theobaldus, canonicus. Ego Iohannes Rao.... Ego Gar...., canonicus diaconus. Ego Alfericus, canonicus et thesaurarius. Ego Nicholaus, canonicus et sacerdos.

CLXIV [1154].

PRIVILEGIUM ECCLESIE SANCTI SEPULCRI, QUE SITA EST APUD TROIAM.

Anno dominice incarnationis MCLXXI, mense martii, indictione IV, VI die mensis intrante, ego Raginaldus, capellanus Willelmi, tertii Troiani episcopi, abrenunciavi incensui uncie auri unius, quam habebam in ecclesia Sancti Sepulcri, que Troie sita est, in manibus prenominati episcopi. Unde, sola gratia mediante, Petrus, prior Sancte Resurrectionis, cum fratribus suis dedit mihi uncias auri V et dimidiam, presentibus :

Willelmo, Troiano decano. Et Musando archidiacono. Et Iohanne [1155] Landulfi, cantore. Et magistro Thoma, archipresbitero Montis. Et Iohanne Manni, et aliis bonis hominibus.

CLXV [1156].

DONUM CUIUSDAM DOMUS ECCLESIE SANCTI SEPULCRI.

Anno dominice incarnationis MCLXXI, mense aprilis, indictionie IV, regnante domino nostro gloriosissimo Willelmo secundo, rege Sicilie, ducatus Apulie et principatus Capue, anno V feliciter, amen. Ego Ansaldus, sacri palatii castellanus, sanctissime regie maiestatis gratia concedente, divini amoris intuitu et pro remissione peccatorum meorum ante presentiam sacre curie regie mea spontanea voluntate donavi, tradidi et concessi in perpetuum ecclesie Dominici Sepulcri domum meam, quam Messane habui, cum omnibus pertinentiis suis, sicut eam tenui, et de propriis expensis eam edificare feci. Et est contigua muro civitatis extra magistram portam, que ducit ad Sanctum Iohannem Hospitalis. Que domus constat inter domum tinctoris, domum que fuit olim Boni Prolupo, murum civitatis et viam publicam. Ipsam itaque domum cum introitu et exitu et omnibus pertinentiis, sicut eam tenui, assignare feci domino Petro, venerabili priori ipsius ecclesie Dominici Sepulcri, et duobus concanonicis suis fratri Achilli et fratri Balduino, recipientibus eam ad opus ecclesie ipsius Dominici Sepulcri. Ut autem hec mea donatio in perpetuum inviolabilis habeatur et firma, hanc certam per manus Roberti, mei notarii, scribi iussi, et signo sancte crucis propriis manibus roboravi, et subscriptos testes ut se in eadem carta testarentur rogavi.

Ego Nicholaus, Dei gratia primus Messanensis archiepiscopus, interfui et concedo et affirmo.
Ego Thomas, Cassanensis episcopus, interfui et subscripsi.
Signum manus Barth[olomei] de Placza, magne regis curie magistri iustitiari, testis.
Ego Gualterus de Moac, regie private masuede magister conestabularius, testis sum.
Signum manu Iohannis Burd[onis], magne curie magistri iustitiarii.
Ego Persicus, filius Saducti, maioris regie curie magister iustiarius.
Ego Robertus, filius predicti domini Ansaldi, sacri palatii castellani, hec concedo et affirmo.

CLXVI.

PRIVILEGIUM ALEXANDRI PAPE TERTII.

(Vide in Alexandro III ad an. 1181.)

CLXVII [1157].

PRIVILEGIUM, QUOD FECIT AMALRICUS, PATRIARCHA IERUSALEM, CANONICIS SANCTI [SEPULCRI], DE ORLATIONIBUS [1158].

In nomine sancte et individue Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen.

[A]malricus, Dei gratia Sancte Resurrectionis ecclesie patriarcha, dilectis filiis Petro priori et universis eiusdem ecclesie canonicis, tam presentibus quam futuris, in perpetuum. Quoniam sacrosancta Dominice Resurrectionis ecclesia quadam speciali sanctitatis prerogativa merito ab omni populo Christiano devotissime veneratur, et pio intuitu humane reparationis ab universis Deum colentibus fons et origo totius ecclesie veraciter predicatur, nos, qui supradicte ecclesie, Deo annuente, presidemus, eam

[1154] A, f° 140, v°; manque dans B. [1155] Le ms répète les mots *et Iohanne*. [1156] A, f° 140, v°; manque dans B, [1157] A, f° 144, v; B, f°s 29, r°, et 123, v°. [1158] La rubrique manque dans B.

propensius honorare et vos, qui in eadem divinis insistentes obsequiis regulariter Domino militatis, paterno affectu tanquam speciales filios diligere et intuitionis [1159] nostre gremio confovere atque in amplificatione rerum vestrarum volumus, Deo auxiliante, studiosius insudare. Vestris itaque dilecti in Domino filii, iustis et Deo placitis postulationibus clementer annuentes, et predecessorum nostrorum felicis memorie, domni Arnulphi et domni Willelmi patriarcharum vestigiis inherentes, eorumque statuta, quia et iusta et apostolice auctoritatis privilegiis vobis sanccita esse noscuntur, pia aviditate sequentes, omnes possessiones et universa bona, que tam ex eorumdem dono et concessione quam etiam regum vel principum liberalitate aliorumve fidelium largitione seu etiam emptione aut commutatione vel aliis quibuslibet modis citra mare aut ultra in presentiarum possidetis, aut in posterum iuste et canonice, prestante Domino, adipisci poteritis, auctoritate nobis a Deo concessa vobis vestrisque successoribus canonice in pretaxata Dominici Sepulcri ecclesia substituendis firma in perpetuum et illibata manere sanccimus, concedimus et confirmamus, ac presentis scripti privilegio communimus. Quorumquidem hec propriis duximus exprimenda vocabulis : inprimis medietatem omnium oblationum, que ad Sepulcrum [1160] Domini pertinebunt vel deferentur [1161]; sed de cera duas partes ecclesia [1162], unam ad luminaria concinnanda, alteram vero ad servitium canonicorum, semper habebit, tertia [1163] vero tantum nostris successorumque nostrorum usibus cedet. Vivifice nichilominus Crucis, que quidem custodie vestre deputatur, oblationes omnes, excepta sola die parasceve, aut cum nos vel successores nostros neccessitas [1164] eam in expeditionem deportare compulerit; necnon et magnum altare, quod est in choro vestro, cum omnibus oblationibus eidem provenientibus vobis confirmamus. Carcerem quoque et altare cum omnibus, que ibidem offerentur; altare Sancti Petri et Sancti Stephani et inventionem cum altaribus et oblationibus cunctis; altare, quod est ad capud [1165] Sancti Sepulcri [1166], parrochiale cum [oblationibus [1167]] suis; cathedram, que est pone magnum altare, et omnia, que ibidem vel in quocumque prescriptorum altarium missam patriarcha celebraverit, ad manum suam sive pedem offerentur; omnes etiam oblationes compassi, quod in medio chori vestri est; plateam vero, que est inter portam ecclesie et columpnas, et aliam plateam inter easdem columpnas et Hospitale Sancti Iohannis, sicut in longum et latum protenditur; domos insuper, stationes, terras et qui[c]quid in quarterio ecclesie et nostro habetis, et de cetero iuste acquirere poteritis, et omnes alias domos, stationes et terras, quas infra Ierusalem vel extra possidetis; item omnes furnos Ierusalem, exceptis duobus, unum Hospitalis et unum de Latina, et spetialiter [1168] illum furnum, quem vobis reddi[di]mus [1169] testimonio domni Petri, Tyrensis archiepiscopi, quem a vobis commodatum tenueramus; preterea ecclesiam et cimiterium [1170] extra portam David iuxta viam, qua itur Bethleem; dimidiam etiam partem illius possessionis, quam primus rex Balduinus [1171] pro excambitu episcopatus Bethleemitici prefate Dominici Sepulcri ecclesie dedit; omnes decimas civitatis Ierusalem et totius [1172] episcopatus eiusdem, exceptis decimis funde; viginti et unum casalia, que dux Godefridus cum pertinentiis suis ecclesie vestre dedit; villas etiam, quas edificastis, ut Magnam Mahomeriam [1173] et Parvam et Bethsuri, et alias omnes, quas edificaturi estis, ubi Latini habitabunt, cum integritate iustitie [1174] et iuris parrochialis; item Tecue cum omnibus pertinentiis suis, et ecclesiam Quarantene cum suis; Geladiam, et terram, quam emistis a Iohanne Gomanno, et omnia casalia cum pertinentiis eorum, que emistis ab Hugone de Hybelino [1175]; ecclesiam Sancti Petri in Ioppen cum honoris et dignitatis sue integritate, et decimam, quam recipitis in toto comitatu illo a rege et a religiosis hominibus [et ab omnibus] [1176] Christianis; quicquid possidetis apud Ascalonam et in confinio eius, apud Neapolim et in omnibus finibus eius; quicquid possidetis sub potestate et dominio domini de Assur [1177], apud Cesaream et in toto archiepiscopatu eius, castrum Feniculi, domum iuxta Caiphas [1178], Gebul, Lecara; cuncta etiam, que in toto archiepiscopatu Nazareno et in episcopatu Acconensi [1179] atque in toto Tyrensi archiepiscopatu, et omnia nichilominus, que in [1180] universo patriarchatu et regno Iherosolimitano possidetis, vel possessuri estis; item quicquid apud Montem Peregrinum et in toto episcopatu Tripolitano, in Antiochia et in toto patriarchatu et in principatu eius habetis, vel in futurum, Deo donante, adquirere poteritis; preterea omnes possessiones, quas ultra mare habetis, ut in regno regis Sicilie, videlicet in ipsa Sicilia, in Calabria, in tota Apulia : primum ecclesiam Sancti Sepulcri apud Brundusium cum omnibus pertinentiis suis, apud Barolum ecclesiam Sancti Sepulcri [1181] cum omnibus pertinentiis suis, ecclesiam Troie cum omnibus pertinentiis suis; quicquid Rome et in omnibus finibus eius, in Tuscia etiam [et] [1182] tota Italia [1183] habetis, vel habituri estis; omnia insuper, que in toto regno Francie et universis eidem iure subiacentibus provintiis [1184], necnon et in cunctis regnis et comitatibus Hyspaniarum, seu ubique locorum in partibus ultramontanis sepedicta Dominici Sepulcri ecclesia possidere di-

[1159] B, *intuicionis.* [1160] B, *Sepulchrum.* [1161] B, *defferentur.* [1162] B, *eeclesia vartes.* [1163] B, *tercia.* [1164] B, *necessitas.* [1165] B, *caput.* [1166] B, *Sepulchri.* [1167] Suppléé d'après B. [1168] B. *specialiter.* [1169] Restitué d'après B. [1170] B, *cymiterium.* [1171] B, *Baldewinus.* [1172] B, *tocius.* [1173] B, *Mahomariam.* [1174] B, *iusticie.* [1175] B, *Ybelino.* [1176] Suppléés d'après B. [1177] B, *Arsur.* [1178] B, *Cayphas.* [1179] B, *Aconensi episcopatu.* [1180] Manque dans B. [1181] B, *Sepulchri.* [1182] Suppléé d'après B. [1183] B, *Ytalia.* [1184] B *vrovinciis.*

noscitur, vel in futurum, largiente Domino, adquirere poterit; hec et alia cuncta, que in prescriptis patriarchatibus, episcopatibus, regnis, terris seu provintiis [1185] cis mare aut ultra sepe iam nominate Sanctissimi Sepulcri ecclesie et vobis fidelium devotio [1186] contulit et conferet intuitu divino, et que etiam emptione vel aliter, ut prediximus, adepti estis, aut de cetero iustis modis, opitulante Domino, adipisci poteritis, et omnes nichilominus bonas et antiquas ecclesie vestre consuetudines vobis vestrisque successoribus perpetualiter et irrevocabiliter sine aliquo retentu confirmamus et corroboramus, salva nimirum patriarche Ierosolimitani debita obedientia et reverentia. Sane de his et aliis possessionibus et bonis vestris liberam disponendi, communi tamen consilio et ad honorem Dei et ecclesie vestre profectum, habebitis facultatem. Obeunte vero vel transfretante patriarcha Ierosolimitano, prior et canonici, qui pro tempore in eadem ecclesia fuerint, demum, ut iustum est, et familiam patriarche, et omnia, que ad ius eius spectant, intus et extra fideliter custodient et regent, donec alter secundum Deum substitutus fuerit, aut donec ipse redierit, si transfretaverit. Porro medietatem possessionum, que inter nos communes, ut in Anglia, in Datia, in Alemannia, Polonia, Rutenia, Avagia, Hungaria, Constantinopoly [1187] et in omnibus finibus eius, in quibus medietatem expensarum ponere debemus, medietatem vobis confirmamus. Si quis autem hoc privilegium nostrum violare presumpserit, illi pene subiaceat, quam Deus omnibus maledictis promisit, nisi a sua temeritate resipuerit; gratia autem et pax a Deo patre et Domino Ihesu Christo sit ista custodienti et sancte Ierosolimitane [ecclesie] [1188] jura tuenti. Ut autem hoc privilegium nostrum firmum, fixum, stabile et inconvulsum permaneat, placuit illud plumbei sigilli nostri impressione munire et subscriptorum testium veridica testificatione confirmare. Huius rei testes sunt :

Letardus, Nazarenus; Hernesius [1189], Cesareensis, archiepiscopi. W[illelmus], Acconensis [1190]; Bernardus, Liddensis, Absalon, quondam Ascalonensis, episcopi. Renaldus, abbas Montis Syon. Raimundus, abbas Templi Domini. Guido, abbas Sancte Marie de Latina. Bernardus, prior Montis Oliveti. Eraclius, archidiaconus Iherusalem. Arnulfus [1191], capellanus. Gaufridus, dapifer. Robertus de Pinkegni.

Data Eihrusalem [1192], anno ab incarnatione Domini MCLXIX.

CLXVIII [1193].

DONUM FACTUM ECCLESIE SANCTI SEPULCRI DE QUADAM VINEA.

In nomine sancte et individue Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen.

Notum sit omnibus hominibus, tam presentibus quam futuris, quod ego Amalricus, Dei gratia Sancte Resurrectionis ecclesie patriarcha, intuitu pietatis et helemosine, pro salute anime mee dono et firmiter concedo tibi, Petre, prior Dominici Sepulcri, eiusdemque capitulo ac ecclesie atque successoribus vestris in perpetuum iurisdictionem, quam habebam in vinea, que fuit Petri de Sancto Iacobo, cuius portionem, quam idem Petrus in ipsa vinea habebat, vos constat ab eo emisse; que videlicet vinea habet ab oriente et septentrione vineam de Latina, ab occidente stratam regiam, que ducit a domo leprosorum Sancti Lazari versus lacum Legerii, a meridie viam, que ducit ab ecclesia Sancti Stephani ad eamdem stratam; libere et quiete tenendam et habendam, ad libitum vestrum tam de memorata vinea quam de terra et aliis pertinentiis suis fatiendum; ita tamen quod tam vos quam successores vestri versa vice intuitu pietatis die obitus mei pro mei commemoratione introducere debetis ad refectionem tredecim pauperes et tredecim clericos alios, qui psalmos pro mea requie decantarent; deinceps vero annuatim in perpetuum die anniversarii mei tredecim pauperes refitietis, et die Sancti Michaelis ad capellam nostram et succedentium in patriarchatum singulis iugiter annis duos cereos precii unius bisancii deferri fatietis in eadem accendendos. Ut autem ista compactio, donatio, etiam concessio ex utraque parte rate et inviolabiles omni tempore permaneant, presens conscriptum in memoriale sempiternum sigilli mei appositione communiri ac roborari mandavi.

Factum est hoc anno ab incarnatione Domini MCLXXVII, indictione VIII, regnante in sancta Ierusalem Balduino, Dei gratia Latinorum rege sexto. Huius rei testes sunt :

De canonicis Sancti Sepulcri sacerdotibus :

Hugo de Nigella. Constantinus, diaconus. Odo. Rogerius, subdiaconus. Robertus de Roma. Petrus Barchilonensis.

De familia mea :

Galfredus, dapifer. Girardus, capellanus. Petrus, clericus. Willelmus, crucifer, qui hec conscripsit. Aldebertus, pincerna, tunc temporis preceptor domus mee. Petrus Lombardus.

Datum per manum magistri Monachi cancellarii, mense iunio.

CLXIX [1194].

DE DUOBUS QUINTARIIS RACEMORUM, QUE BALDUINUS, REX SEXTUS SANCTE CIVITATIS IERUSALEM, DEDIT ECCLESIE SANCTI SEPULCRI.

In nomine sancte et individue Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen.

Notum sit omnibus, tam futuris quam presentibus, quod ego Balduinus, per Dei gratiam in sancta civitate Ierusalem Latinorum rex sextus, dono et

[1185] B, *provinciis*. [1186] B, *devocio*. [1187] B, *Constantinopoli*. [1188] Supplée d'après B. [1189] B, *Hernerius*. [1190] B. *Aconensis*. [1191] B, *Arnulphus*. [1192] B, *Ierusalem*. [1193] A, f° 147, v°; manque dans B. [1194] A f° 148, v°; manque dans B.

concedo, regieque maiestatis auctoritate confirmo A Deo et ecclesie Sancte Resurrectionis necnon et Petro, eiusdem venerabili priori, universis etiam canonicis ibidem Deo servientibus et in perpetuum servituris duos quintarios racemorum in vineis meis, que sunt prope ecclesiam Sancte Crucis, perpetualiter singulis annis recipiendos, habendos et possidendos, in cambium scilicet decime, quam habebant in vinea, que est juxta secundum [1195] Procopios, quam dominus et pater meus pie recordationis, rex Amalricus, donavit ecclesie Montis Syon pro lacu Germani, qui communis est usibus universe civitatis. Ut igitur hec mea donatio rata permaneat in eternum et indissoluta, presentem cartam testibus subscriptis sigillo meo muniri et corroborari precepi.

Factum est hoc anno ab incarnatione Domini B MCLXXVII, indictione X. Huius rei testes sunt :

Willelmus Marchisius, Ascalonensis et Ioppensis comes. Iohannes de Assur. Anselmus de Bria. Roardus, castellanus Ierusalem. Petrus de Creseca. Anselmus d'Abim. Willelmus Patrum.

Datum Ierusalem, per manus Lamberti, domini regis capellani.

CLXX [1196].

DONUM CUIUSDAM VINEE, QUE SITA EST APUD PEDEM MONTIS SYON.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen ; [in] unitate Trinitatis, amen.

Notum sit omnibus, tam presentibus quam futuris, quod ego Rainaldus, Dei gratia sacrosancte ac primitive ecclesie Montis Syon humilis minister, communi assensu et voluntate capituli nostri, dono et concedo vineam, quam possidebamus ad pedem Montis Syon sub domo, que dicitur Germani, ad fatiendum lacum ad communem usum Christianorum, in concambio illius vinee, quam dominus rex Amalricus dedit nobis iuxta ecclesiam Sancti Procopeos. Concessimus etiam ipsi quamdam vineolam aliam parvam, que illi prefate vinee collateralis adiacet, a meridie, in bivio iuxta domum illius prefati Germani. Ut igitur prefata conventio rata teneatur et firma et concambium et huius prefate vineole concessio, et ut predictus lacus communibus D Christianorum usibus libere deserviat, cartam presentem sigillo conventus et ecclesie corroborare curavimus.

Actum est hoc anno ab incarnatione Domini MCLXXVI. Huius rei testes sunt :

Petrus, abbas Iosaphat. Dominus Ribaldus, abbas Latine. Dominus Rogerius, abbas Templi. Rohardus, castellanus. Anselmus de Brie. Anselmus Babic.

CLXXI [1197].

PRIVILEGIUM DOMINI W[ILLELMI], REGIS SICILIE [1198].

In nomine Dei eterni et salvatoris nostri Iesu Christi, amen.

W[illelmus], divina favente clementia rex Sicilie [1199], ducatus Apulie et principatus Capue. Omnibus ecclesiis ac locis religioni deditis dignus honor est exhibendus ; plus tamen ea reverentie promerentur, que maiorem gloriam divine virtutis privilegio sortiuntur. In quibus utique Sepulcrum [1200] Dominicum, sicut titulo clariori preminet, sic etiam christiane devotionis intuitu cultu venerandum est digniori. Unde ad venerabilis conventus eiusdem ecclesie preces aures nostre clementie tanto propensius inclinamus, quanto devotius celebratum ibi esse redemptionis nostre misterium [1201] colimus et veneramur. Ad petitionem igitur Petri, venerabilis prioris, et conventus ipsius ecclesie concedimus eidem ecclesie Sancti Sepulcri, et regie auctoritatis munimine confirmamus omnes possessiones et tenimenta, que in regno nostro ecclesia ista [1202] iusto titulo in presentiarum noscitur possidere. Ad huius autem concessionis et confirmationis nostre memoriam et inviolabile firmamentum presens privilegium nostrum per manus Alexandri, nostri notarii, scribi et plumbea bulla [1203] nostro typario impressa iussimus roborari, anno, mense, indictione subscriptis

Data in urbe Panormi felici, per manus Gualterii, venerabilis Panormitani archiepiscopi, et Ma- C th[æi], regii vicecancellarii, et Ric[ardi], venerabilis Siracusani [1204] episcopi, domini regis familiarium, anno dominice incarnationis MCLXXVIII, mense aprilis, indictione XI, regni vero domini nostri Willelmi, Dei gratia magnifici et glorio[si]ssimi regis Sicilie [1205], ducatus Apulie et principatus Capue, anno XII feliciter, amen.

CLXXII [1206].

LITTERE REGIS SICILIE [1207].

W[illelmus], Dei gratia rex Sicilie [1208], ducatus Apulie et principatus Capue, prelatis ecclesiarum, comitibus, iusticiariis, baronibus, camerariis, baiulis et universis, quibus presentes littere ostense fuerint, fidelibus suis salutem et dilectionem. Divine D maiestatis intuitu, in cuius nomine vota nostra dirigimus, et omnem regiam dispositionem feliciter communimus, sacrosanctas ecclesias, monasteria et loca venerabilia per regnum nostrum undique constituta dignum ducimus reverenter colere, rationes earum defendere, iura fovere, et ipsarum paci et quieti misericorditer providere. Inde est quod per hoc presens scriptum universitati vestre mandamus atque precipimus quatinus domibus, quas ecclesia Sancti Sepulcri habet in Apulia, hominibus quoque

[1195] Il faut vraisemblablement corriger : *Sanctum*. [1196] A, f° 149, r°; manque dans B. [1197] A, fol 149, v°; B, f° 33, v°. [1198] Cette rubrique manque dans B. [1199] B, *Sycilie*. [1200] B, *Sepulchrum*. [1201] B, *misterium*. [1202] B, *ipsa*. [1203] B, *bulla plumbea*. [1204] B, *Syracusani*. [1205] B, *Sycilie*. [1206] A, f° 150, r°; B, f° 34, r°. [1207] Cette rubrique manque dans B. [1208] B, *Sycilie*.

carum aut obedientiis vel iustis possessionibus et tenimentis ipsarum nullum iniustum vel iniustitiam [1209] inferatis, vel aliquatenus inferri permittatis, nec eas in iure vel rationibus suis iniustis vexationibus fatigetis, scituri quod, si quis huic mandato nostro temerarius obviator extiterit, nostri culminis indignationem incurret.

Data Panormi, XXV die mensis aprilis, indictionis XI.

CLXXIII [1210].

DONUM BALDUINI RUFI ET UXORI[S] SUE ARTEMILIE [1211].

Quoniam vetustate, que mater est oblivionis, hominum facta seu dicta deleri vel nulla esse credi possunt, nisi litteris commendentur, ego Balduinus Rufus et ego Artemilia, eius uxor, scripto memorie commendamus quod in presentia domini P[etri], Sanctissimi Sepulcri venerabilis prioris, et magistri Roberti, concanonici sui, et aliorum fratrum ecclesie Sancti Sepulcri medietatem totius domus nostre, sicuti est ex parte Sancti Iohannis superius et inferius, perhenniter tribuimus, ut nos confratres et orationum ac benefitiorum [1212] suorum participes fatiat [1213]; ita quod ipsam domum, quamdiu vixerimus, nobis sine invadiatione aut venditione liceat obtinere; si vero unus ex nobis obierit, alius in fraternitatem supradicte ecclesie ex toto debet recipi, si voluerit; sin autem, cum fructu domum obtineat, quamdiu vixerit, et post mortem suam libere et absolute eidem ecclesie revertatur.

Hec autem donatio facta est et concessa anno ab incarnatione [Domini] [1214] MCLXXVIII, indictione XI. Huius rei testes sunt isti :

Henricus, sacerdos. Frater Raimundus. Bernardus Mercator. Stephanus Corvesarius. Et dominus Saxo. Raimundus Provintialis [1215]. Rollandus [1216]. Gerbinus Pisanus. Et domina Calva.

CLXXIV [1217].

PRIVILEGIUM LIBERTATIS MOLENDINORUM SICILIE.

Fredericus, divina favente clementia rex Sicilie, ducatus Apulie et principatus Capue. Que sacrosanctis ecclesiis et locis venerabilibus largiuntur, et hominibus sunt accepta, et saluti profitiunt animarum. Nos itaque attendentes venerandam religionem fratrum Dominici Sepulcri, in quo rex regum et salvator in se sperantium corpus suum placuit humanitus sepeliri, ob reverentiam eius et meritum honestatis eorumdem fratrum, pro remedio quoque animarum felitium augustorum parentum nostrorum bone memorie et salute nostra nec non et intuitu probitatis fratris Alexandri, prioris ecclesie Sancti Andree de Pla[tia], que est obedientia predicti Dominici Sepulcri, de consueta nostre liberalitatis gratia remittimus, et perpetuo relaxamus eidem ecclesie Sancti Andree de Pla[tia] triginta et octo salmas victualium inter frumentum et ordeum, quas ipsa ecclesia de cabella molendinorum suorum, que habet in tenimento Pla[tie], annuatim curie nostre solvere tenebatur. Ad huius autem nostre remissionis et relaxationis memoriam et robur perpetuo valiturum presens privilegium per manus Nicholai de Petrali, notarii et fidelis nostri, scribi et maiestatis nostre sigillo precepimus communiri, anno, mense et indictione subscriptis.

Datum Pla[tie], anno dominice incarnationis MCCX, mense septembris, XIV indictione, regni vero domini nostri Frederici, Dei gratia gloriosi regis Sicilie, ducatus Apulie et principatus Capue, anno XIII feliciter, amen.

CLXXV [1218].

PRIVILEGIUM TROIANE ECCLESIE ET CANONICORUM SANCTI SEPULCRI A WILLELMO, QUONDAM PONTIFICE TROIANO.

In nomine Domini nostri Iesu Christi.

Anno ab incarnatione eiusdem MCLXXXII et XVII anno regnante domino nostro Guillelmo, gratia Dei Sicilie et Italie rege invictissimo, inclite et gloriose memorie quondam sanctissimi regis Willelmi filio, vicesimo mensis iulii XV indictionis, Guillelmus, Dei gratia quartus Troianus episcopus, fratri Guillelmo, venerabili canonico Sepulcri Domini, priori Sancti Sepulcri in civitate Troia, et Sancte Resurrectionis ecclesie in perpetuum. Cum universis locis venerabilibus ex generali debito christiane professionis, in quibus possumus, teneamur adesse, ecclesiam Sancti Sepulcri Dominici debemus diligere specialius et fovere, ubi vita nostra est in Christo abscondita, unde et cum ipso resurgente in gloria resurrexit; et in aliis quidem locis venerabilibus membra Christi pie devotionis obsequio veneramur, in ecclesia vero Sepulcri Domini ipsum caput universalis ecclesie Christum singulari veneratione prosequimur, passionis eius, qua redempti sumus, celebramus memoriam, et resurrectionis eiusdem, qua ipsi conregnaturi sumus, gloriam predicamus. Huius excellentie specialis, qua prefata ecclesia Resurrectionis Dominice preminet universis, digna consideratione inducti, volumus aliquid in eius temporale commodum providere, cuius semper beneficium spirituale sentimus. Nostra igitur bona et spontanea voluntate simulque dilectorum fratrum nostrorum, canonicorum Troiane ecclesie, precibus et assensu concedimus, et donamus tibi supradicto fratri Willelmo, priori Sancti Sepulcri de Troia, et per te sacrosancte ecclesie Sepulcri Dominici in perpetuum terram unam, que actenus fuit nostre Troiane ecclesie, iuxta civitatis nostre ambitum constitutam, quam tibi et venerande ecclesie Sancte Resurrectionis Dominice una cum eisdem Troianis canonicis fratribus nostris, existente nobiscum magistro legista in hoc negotio nostro advocato, tecum vero existente

[1209] B, *iniusticiam*. [1210] A, f° 150, v; B, f° 34 v° [1211] Cette rubrique manque dans B. [1212] B, *beneficiorum*. [1213] B, *faciat*. [1214] Suppléé d'après B. [1215] B, *Provincialis*. [1216] B, *Rodlandus*. [1217] A, f° 151 r°; manque dans B. [1218] A, f° 151, v°; manque dans B.

Nicholao, Troie regali iudice, eiusdem advocato ecclesie Sancti Sepulcri, concedimus, donamus et tradimus iure perpetuo sine nostra notrorumque successorum contradictione vel calumpnia possidendam, liberam similiter et integram, ecclesie cui conceditur utilitatibus modis omnibus profuturam, quemadmodum subscriptis finibus designatur : a prima parte desuper est secus terra Bartholomei de Rudingo, a secunda vero parte descendendo et iuxta vallonem, qui est inter hanc terram et terram predicte ecclesie Sancti Sepulcri, a quarta denique parte ascendendo est via publica, qua itur a civitate ad flumen Aceloy. Ut autem hec nostra concessio et donatio perpetuam et inviolabilem optineat firmitatem, presentem in paginam per manus Maraldi nostri notarii, confici iussimus, sigilli nostri appositione ac fratrum nostrorum canonicorum subscriptionibus corroboratam. Quam traditionem et donationem si qua in posterum ecclesiastica secularisve persona temere perturbare presumpserit, et secondo terciove. . . . . [1219].

CLXXVI [1220].

PRIVILEGIUM DE LACRIDON IN CYPRO.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen.

Notum sit omnibus, tam presentibus quam futuris, quod ego Hugo, Dei gratia rex Cypri, dono, concedo et confirmo Deo et ecclesie Dominici Sepulcri, canonicis videlicet eiusdem presentibus et futuris, in perpetuam elemosinam pro animabus patris mei et matris mee omniumque antecessorum meorum in territorio Paphi prastiam, que dicitur Lacridon, cum omnibus suis pertinentiis in terris, aquis et villanis, et cum omnibus iuribus et consuetudinibus eidem prastie pertinentibus, et quinque villanos cum eorum uxoribus et liberis habitis et habendis, et cum omnibus eorum rebus, cum stagiis eorum atque chevagiis ; nomina vero predictorum quinque villanorum hec sunt: Vassilius de Liquetima, Vassilius filius uxoris Vassilii de Liquetima. Ut autem hec mea donatio rata et inconcussa iure perpetuo permaneat, presentem paginam sigillo meo plumbeo muniri et subscriptorum virorum testimonio corroborari feci, quorum hec sunt nomina :

Galterius Cesarensis, conestabulus Cipri. Aymericus de Rivet, senescalcus Cipri. Rainaldus Suessionensis, marescalcus Cipri. Galterius de Bethsan. Gormundus de Bethsan. Galterius de Sancto Bertino. Simon Paphensis. Petrus Chape. Galterius iuvenis.

Factum est anno ab incarnatione Domini MCCX, mense novembris.

CLXXVII [1221].

DE CASALI PENDEKIO.

In nomine sancte et individue Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen.

Notum sit omnibus, presentibus et futuris, quod ego Aymericus, Dei gratia Latinorum Ierusalem rex nonus et rex Cipri, dono, concedo et confirmo Deo et tibi Monacho, venerabili Dominici Sepulcri patriarche, tuisque successoribus eiusdemque capitulo in Cypro casale dictum Pendache cum omni iure, quod in eo casali habueram et habere debueram, in perpetuam possessionem libere et quiete sine ullo servitio habendum, tenendum et possidendum, cum omnibus suis pertinentiis in terris, aquis et villanis, et cum omni iure suo, et cum omnibus consuetudinibus eidem casali pertinentibus, excepto fonte Sancti Georgii cum decem circumiacentibus carrucatis terre, quas Hospitali Alamannorum prius donaveram, et exceptis donis, que ego et frater meus rex Guido hominibus nostris donavimus Ut autem hec mea donatio rata et inconcussa iure perpetuo permaneat, presentem paginam scribi ac sigillo meo plumbeo muniri subscriptorumque virorum testimonio corroborari precepi, quorum hec sunt nomina :

Aymericus de Rivet, senescalcus Cypri. Rainerius, bibliotecarius. Raynaldus Suessionnensis. Rustanus Aymar. Raynaldus de Balma. Guillelmus de Balma, frater ejus. Symon Paphensis. Balduinus Usserius.

Factum est hoc anno dominice incarnationis MCCI, mense martio.

Datum Nicossie, per manum venerabilis Alani, Nicossensis archiepiscopi et Cypri cancellarii, eodem anno et eodem mense.

CLXXVIII [1222].

LITTERE DOMINI G. . . PATRIARCHE IEROSOLIMITANI.

G. . . . [1223] miseratione divina patriarcha Ierosolimitanus humilis et indignus apostolice sedis legatus, clero et populo in Ierusalem commorantibus salutem in Domino. Uni[versi]tatem vestram scire volumus quod nos dilectos filios, abbatem Montis Oliveti et decanum Ioppensem, in Ierusalem misimus pro nostris negotiis expediendis ac nostris requirendis iuribus et servandis, quicquid per ipsos vel alterum ipsorum actum fuerit ratum habituri, mandantes et rogantes quatenus eos velitis recipere vice nostra.

Datum Ioppen, kalendis ianuarii.

[1219] Le reste manque dans le manuscrit. [1220] A, f° 152, v° ; manque dans B. [1221] A, f° 153, r° ; manque dans B. [1222] A, f° 153, v° ; manque dans B. [1223] Cette initiale peut désigner *Gibelinus*, *Soffredus*, appelé aussi *Goffredus*, ou enfin *Giraldus*, qui tous trois réunirent à la qualité de patriarches de Jérusalem celle de légats du saint siége. En l'absence de toute indication chronologique, je suis porté à croire qu'il s'agit ici de GIRALDUS, et qu'il faut rapporter le document à l'époque où ce prélat, mécontent de la trêve conclue entre Frédéric II et les Sarrasins, avait refusé de rétablir le siége patriarcal dans les murs de Jérusalem.

CLXXIX [1224].

PRIVILEGIUM DE PALAFRUGELLO ET TURICELLA DE MONTE RASO.

Hoc est translatum fideliter transcriptum. Manifestum sit omnibus quod nos P[etrus], Dei gratia rex Aragonum et comes Barchinonensis, bono animo et spontanea voluntate cupientes executioni mandare quod dominus [Alfonsus] clare memorie rex, pater noster, ob remedium anime sue gloriosissimo Sepulcro Domini in suo testamento legavit, laudamus, concedimus et donamus ac tradimus in perpetuum cum hac scriptura perpetuo valitura Domino Deo et eidem Sepulcro Domini et vobis omnibus canonicis et fratribus eiusdem loci, presentibus et futuris, Palafrugellum et turicellam de Monte Raso et Laufrigum et Esclainanum, loca nostra sive castella, cum omnibus terminis et pertinentiis suis heremis et populatis, cum aquis omnibus et rivis et pascuis et piscariis maris et terre, cum firmamentis et placitis et caloniis et omnibus questiis et cunctis fructibus, proventibus, exitibus et expletis, cum venationibus et inventionibus, accidentibus et excautis quibuslibet, cum hominibus et feminis, qui ibi sunt vel erunt aut esse poterunt, et cum omnibus meioramentis et augmentis, que ibi facere potueritis ullo modo, cum omnibus etiam, que nos vel predecessores nostri vel aliqui alii in predictis locis et eorum tenimentis unquam habuimus, tenuimus vel accepimus aliqua ratione vel causa. Hec autem omnia et singula damus et concedimus Sepulcro Domini, et per te, dilecte noster B[eren]g[arie], prior domus Sancti Sepulcri de Barchinonia, tradimus et evacuamus per secula cuncta eidem Sepulcro Domini et canonicis et fratribus eiusdem substitutis et substituendis ad habendum quiete et possidendum plenarie et tenendum potenter et potestative, ad omnes voluntates vestras, sicut melius et plenius et sanius et utilius dici et intelligi potest, ad commune bonum domus Sancti Sepulcri et fratrum et canonicorum eiusdem, sine aliquo vinculo et retentu nostro atque nostrorum. Volumus igitur et mandamus firmiter et districte universis hominibus et feminis predicta loca et terminos eorum inhabitantibus et inhabitaturis quatenus prefato priori domus Sancti Sepulcri de Barchinonia et successoribus suis et his, quos ipsi mandaverint vel statuerint, in omnibus et per omnia tamquam dominis vestris specialibus et perpetuis obediatis, et eis teneamini de universis et singulis, que nobis aliquo modo fatiebatis et donabatis, plenarie et fideliter respondere, alio mandato nostro vel alicuius baiuli vel hominis nostri requisito numquam deinceps vel assensu.

Datum Cesaraug[usti], die lune prima post pentecosten, era MCCL, per manum Ferrarii, notarii nostri, testibus et presentibus:

Domino R[amundo], venerabili Cesaraug[ustensi] episcopo. Domino G. . . . venerabili Oscensi episcopo. Domino Exainenio Cornelii. Domino Garsia Romero. Domino Michaele de Lusia. Raimundo, reposit[ario].

En ego de Avzar, et multis aliis clericis et laicis de curia et creatione nostra.

Signum Petri, Dei gratia regis Aragonum et comitis Barchinonensis.

Ego Ferrarius de Guardia, notarius domini regis, hoc scribi feci mandato ipsius, loco, die et annis prefixis.

CLXXX.

DE DECIMIS ET POSSESSIONIBUS IERICHO.

(*Vide in Alexandro III ad an.* 1181.)

CLXXXI [1225].

PRIVILEGIUM BERNARDI, LIDDENSIS ECCLESIE EPISCOPI.

In nomine sancte et individue Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen.

Notum sit omnibus, tam presentibus quam futuris, quod pro bono pacis et concordie integritate conservanda facta est conventio et concordia inter domnum Bernardum, Liddensis ecclesie episcopum, et domnum Petrum, Dominici Sepulcri priorem, de communi voluntate ipsorum, assensu utriusque capituli, presente et collaudante domno patriarcha Amalrico, mediantibus Heraclio, tunc temporis archidiacono Jerosolimitano, et magistro Monacho, domni patriarche cancellario. Domnus quidem Bernardus, Liddensis episcopus, ex integro medietatem decime cuiusdam casalis, nomine Bermenayn, tam in messibus quam in vino, oleo, bestiis, volatilibus et in omnibus aliis, unde decima dari consuevit, que sua prius universa erant, donavit Dominici Sepulcri ecclesie et Petro priori omnibusque canonicis et eorumdem successoribus in perpetuum. Domnus vero Petrus prior, consilio et assensu omnium canonicorum ecclesie Sancti Sepulcri, concessit Liddensi ecclesie et episcopo Bernardo eiusque successoribus medietatem omnium decimationum quatuor casalium scriptorum in privilegio Rogerii, quondam Liddensis episcopi, Capharuth videlicet et Git, Kephrecylta et Porfilia, ut, cum prius Liddensis ecclesia, faciente Rogerio episcopo, non perciperet inde nisi medietatem decimarum messium tantum, prout continetur in serie privilegii eiusdem episcopi, qui duo ex illis donaverat, Capharuth et Git, et duo cambierat, Kephrecylta et Porfylia, quam donationem et cambium etiam nos rata et firma habemus, iam a tempore istius nostre conventionis facte reciperet ex integro medietatem omnium decimationum tam in messibus, vino, oleo, bestiis et volatilibus, exceptis dumtaxat canonicorum propriis nutrimentis omnium bestiarum et volatilium cuiuslibet generis, que modo habent et in posterum habituri sunt in supradictis quinque casalibus Bermenaym, Capharuth, Git, Kephrecylta et Porfilia eorumque pertinentiis; de quibus propriis nutrimentis decimas in perpetuum ex pactione non solvent; de aliis vero omnibus, tam

[1224] A, f° 153, v°; manque dans B. [1225] B, f° 102, v°; manque dans A.

de laboribus canonicorum quam aliorum supradicta quinque colentium, medietatem Liddensis ecclesia integre percipiet. Donavit etiam prenominatus episcopus Bernardus ex communi capituli sui consensu, intuitu pietatis et helymosine, ecclesias edificatas et hedificandas in illis quinque casalibus plenarie cum omni iure parrochiali ecclesie Dominici Sepulcri, retenta sibi suisque successoribus obedientia parrochialium sacerdotum, qui inibi pro bene placito prioris ac canonicorum Dominici Sepulcri substituentur, retenta etiam vocatione ad synodum; crisma et oleum ab episcopo Liddensi accipient; consecrationes altarium seu basilicarum, ordinationes clericorum, qui ad sacros ordines fuerint promovendi, ab eodem episcopo et successoribus suis requirent, et inpetrare debebunt; interdictos et excommunicatos a Lidensi [1226] episcopo pro interdictis et excommunicatis sacerdotes eorumdem quinque casalium habebunt; cetera verō alia quelibet iura eis ex dono reliquit.

Ego Bernardus, Liddensis episcopus, communi assensu capituli mei, et ego Petrus, prior Dominici Sepulcri, assensu capituli eiusdem ecclesie, hanc conventionem fecimus anno dominice incarnationis MCLXXI, indictione IV, presidente domno Amalrico venerabili patriarcha, regnante illustri Amalrico, Ierosolimitano rege quinto. Huius conventionis testes sunt:

De capitulo Domini Sepulcri :

Ugo de Nigella. Reinaldus de Lochis. Petrus Calvus. Petrus, cantor. Arnulfus, subprior. Balduinus, thesaurarius. — Presbiteri.

De diaconibus :

Dalmatius. Savinus. Rogerius.

De subdiaconibus :

Odo. Ingerradus et Petrus.

De capitulo sancti Georgii :

Gislebertus, cantor. Franco. Petrus, preceptor. — Sacerdotes.

De diaconibus :

Willelmus. Petrus Testa.

De subdiaconibus :

Gerurfus. Iohannes et Papion.

Interfuit etiam huic conventioni :

Domnus Rainaldus, Ebron episcopus. Domnus Eraclius, Ierosolimitanus archidiaconus. Et magister Monachus, cancellarius domini patriarche.

CLXXXII [1227].

[*Sine rubrica.*]

R [aimundus], Dei gratia Christi pauperum servus humilis et Sancti Hospitalis Iherusalem custos fidelis, cum omni fratrum conventu universis fratribus suis, quicumque has litteras legerint, vel eas audierint, clericis videlicet ac laicis, tam vicinis quam longe positis, sub titulo Sancti Hospitalis Ierusalem ubique terrarum manentibus in hoc instanti, interioris pariter et exterioris hominis in Christo salutem et pro diurnis laboribus postmodum eterne salutis felicitatem. Divine legis eruditione, fratres dilectissimi, salubriter informamur, sanctorumque nichilominus patrum sanctissimis documentis satis racionabiliter irradiamur ut, quod ab aliis nobis fieri nolumus, hoc et nos pariter aliis facere omnimodis caveamus. Nos etenim fratres, qui in domo pauperum, in qua pauper et inobs nomen Domini laudabunt, paupertatis sumus professores, et pauperum fratrum non vite merito sed divine dispensationis dono existimus provisores, aliena nulla iniuste appetere, sed propria nostra, si qua fuerint, cunctis indigentibus debemus fideliter erogare. Nam iuxta Salomonis vocem, qui secundum datam a Deo sibi sapientiam inter cetera suorum proverbiorum archana hoc ipsum commemorat : *De rapinis alienis elemosinam facere non est officium miserationis, sed emolumentum sceleris;* quod enim male ab aliquo adquiritur, nulli umquam bene tribuitur. Quocirca, fratres karissimi, universitati omnium vestrum mandamus, et mandando in Domino commonemus, et insuper per summam sanctamque obedientiam auctoritate in hoc ipso nobis a Deo data vobis iniungimus ut, quascumque elemosinas, quascumque possessiones et ecclesias, hospitalia atque municipia, vel quicquid aliud numerari poterit, quod, antequam ad manus nostras devenisset, de iure Dominici Sepulcri fuerat vel esse debuerat, huc usque negligenter forte et inscienter tenuistis, isto nostro accepto vel audito mandato, presentium latoribus libere et quiete relinquatis, et absque omni calumnia soluta dimittatis; sed neque ulterius de elemosinis prefati Sanctissimi Sepulcri vel possessionibus sibi adscriptis quicquam auferre, minuere vel habita retinere presumatis. Hec itaque ex communi totius capituli nostri decreto ab omnibus vobis summopere observari volumus, et observandum in veritate Sancti Spiritus vobis omnibus mandamus, ne, si aliter feceritis, Deo et nobis repugnare inveniamini.

CLXXXIII [1228].

[*Sine rubrica.*]

F [ulcherius], divine nutu pietatis sacrosancte Christi Dei nostri Resurrectionis ecclesie patriarcha, et A[malricus], eiusdem ecclesie prior, cum omni fratrum conventu universis fratribus suis, quicumque has litteras legerint, vel eas audierint, clericis videlicet ac laicis, tam vicinis quam longe positis, sub titulo ac pro honore Dominici Sepulcri ubique terrarum militantibus in hoc instanti, interioris pariter et exterioris hominis in Christo salutem et pro cotidianis laboribus post huius vite decursum eternam perpetue salutis felicitatem. Divine legis eruditione, fratres dilectissimi, salubriter informamur, et sanctorum nichilominus patrum sanctissimis documentis satis rationabiliter irradiamur ut, quod ab aliis nobis fieri nolumus, hoc et nos

[1226] Le manuscrit porte en un seul mot, *Allidensi*. r°; manque dans A.

[1227] B, f° 127, r°; manque dans A.

[1228] B, f° 123,

pariter aliis facere omnimodis caveamus. Nos etenim fratres, qui in loco misericordie, in quo iuxta psalmographi testimonium *misericordia et veritas sibi obviaverunt, et iusticia et pax karitatis et dilectionis sibi invicem osculum dederunt*, Deo militamus, pacem, sine qua nemo videbit Deum, cum omnibus hominibus et maxime cum domesticis nostrisque vicinis habere, [et] iusticiam, que cuique quod suum est reddit, pre cunctis mortalibus debemus tenere. Iusticie namque sectatores aliena nulla iniuste appetere, sed propria, si qua fuerint, cunctis indigentibus debent fideliter erogare. Eapropter, fratres karissimi, universitati omnium vestrum mandamus, et mandando in Domino commonemus, et insuper per summam sanctamque obedienciam auctoritate in hoc ipso nobis a Deo data vobis iniungimus ut, quascumque elemosinas, quascumque possessiones, aurum videlicet, argentum, pannos et equos, domos et villas, agros et vineas, possessiones et ecclesias, hospitalia atque municipia, vel quicquid aliud numerari potuerit, quod, antequam ad manus nostras devenisset, de iure Sancti Iohannis Hospitalis Ierusalem fuerat vel esse debuerat, huc usque negligenter forte vel inscienter tenuistis, isto nostro accepto vel audito mandato, presentium latoribus libere et quiete relinquatis, et absque omni calumnia soluta dimittatis; sed neque ulterius de elemosinis prephati Sancti Iohannis Hospitalis Ierusalem vel possessionibus sibi ascriptis quicquam auferre, minuere vel habita retinere presumatis. Hec itaque ex communi totius capituli nostri decreto ab omnibus summopere observari volumus, et observandum in veritate Sancti Spiritus vobis omnibus mandamus, ne, si aliter feceritis, Deo et nobis repugnare inveniamini.

CLXXXIV [1229].

PRIVILEGIUM SURIANORUM DE TURCHO DE ABSOLUTIONE REDDITUS PORTE DAVID.

In nomine sancte Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Notum sit omnibus, tam presentibus quam futuris, quod ego Amalricus, per Dei gratiam in sancta civitate Iherusalem Latinorum rex quintus, dono et concedo Suriano [s] de Turcho, scilicet casale Sancti Sepulcri, et heredes eorum in eodem casali manentes liberos esse in perpetuum de redditibus, quos michi et antecessoribus meis singulis annis de racemis suis ad portam David Iherusalem dare solebant. Ut igitur hec mea concessio rata et stabilis predictis Surianis et heredibus eorum permaneat, cartam presentem testibus subscriptis et sigillo meo muniri feci.

Factum est hoc anno ab incarnatione Domini MCLXXI, indictione IV. Huius rei testes sunt:

Hanfridus, constabularius. Milo de Placi. Rohardus, castellanus. Anselmus de Passu. Guido de Manceriis. Iohannes de Valancinis. Adam Niger. Fulco Niger. Amalricus de Franliu. Thomas Patricius. Girardus Passerel. Arnulfus, vicecomes. Amalricus, filius eius. Robertus de Pinkeni. Gilbertus de Pinkeni. Willelmus Normannus. Herbertus Tortus. Willelmus Patronus.

Data Tripoli, per manum Radulfi, episcopi Bethleem regisque cancellarii, II idus marcii.

CLXXXV [1230].

[*Sine rubrica.*]

In vico Montis Syon domus, que sunt ad census:

Willelmus Angevin..... IX bisanc.
Maria Lechevere..... II b.
Iohannes Libisonorum.... VII b.
Turoz..... III b.
Mahafe..... II b.
Litart..... II b.
Iohannes Raimont..... VI b.

Item in vico Sancti Martini:

Ricardus Capons..... III b. et dimidium.
Petrus..... IV b.
Baron..... III b.
Guillelmus Tortus..... III b.
Stephanus de Kaors..... III b.
Seyr Surianus..... IV b.
Bulfarage, medicus..... II b.

Omnes iste domus nostre sunt ad census.

Item in vico Girardi Lissebonette.

[S.....] ..... census XIV b.
Petrus..... census XII b.

In vico Templi:

Bernardus Benasis..... XVII b.
Odo de Sparnay..... XIV b.
Bernardus Mulctez..... XVII b.
Bernardus Bruhet..... XVI b.
Dame Gode..... IV b.

Omnes iste domus sunt ad census.

Petrus de Ioppen, ante palatium domini patriarche..... IV b.

In vico de Repoes:

Stephanus Mazun..... XIV b.
Selam Mazum..... ..... dimidium bisantii.
Brain, drogeman..... V b.
Et unus furnus retro.

Iste domus fuerunt Martini Karaone et filii sui Bonet.

Uxor Petri de Yspania fuit soror nostra, et mortua fuit in gardino nostro in Accon; dimisit nobis domum suam sitam in Ierusalem, sitam in ruga Marescalky vel in ruga Sancte Anastasie.

Item Bernardus Bedevvin, vicarius noster et confrater, dimisit nobis domum suam in vico Sancte Anastasie iuxta domum Alberti Lumbardi.

Ista sunt nomina furnorum veterum:

In primis in vico David unus furnus.
Ante portam Sancti Iacobi unus furnus.

[1229] B, f° 128, r°; manque dans A. [1230] A, f° 137, r°; manque dans B.

Ante domum Roardi castellani unus furnus.
Furnus ante ecclesiam Sancti Martini.
Furnus in domo, que vocatur Gileberti de Pingeny.
Furnus de vico Montis Syon.
Furnus ante ecclesiam Sancti Thome Alemannorum.
Furnus Sancti Egidii in vico Templi.
Furnus ante Bocheriam.
Furnus de la Tannerie.
Furnus Rainaldi in vico Kocatrice.
Furnus Anastasie.
Furnus de Repois.
Furnus de Iudairia ante portam Sancti Helye.
Alius in Iudaria retro Sancte Agnetis versus Orientem.
Furnus novus in Iudaria.
Furnus Martini Karaoan.
Furnus ad caput vici Girardi de Lissebone.
Furnus in vico de Tresmailes.
Furnus de vico Sancti Stephani.
Furnus de Columba.
Furnus de Ruffeide iuxta sanctum Kariton.
Furnus ante portam Sancti Sepulcri.
Furnus de Cecilia.
Furnus Sancti Pastoris.

FINIS PRIVILEGIORUM ECCLESIE SANCTI SEPULCRI.

BALDUINI I

HIEROSOLYMÆ REGIS

PRIVILEGIUM PRO ECCLESIA BETHLEHEMITICA.

(Anno 1110.)

[Willelmus Tyriensis, *Hist.* lib. xi, cap. 12.]

Divina inspirante gratia gens Francorum admonita, Hierusalem civitatem sanctam, diuque oppressione paganorum fatigatam, ubi mors, quæ primo prævaricante parente genus humanum invaserat, morte Salvatoris est destructa, a spurcitia prædicta liberavit. Obsessa est namque civitas hæc cultu divino digna, septimo Idus Junii, a gente præfata; et Idibus Julii, Deo pro ea pugnante, est capta. Capta autem civitate anno Domini millesimo centesimo, dispositione divina suggerente, placuit clero atque Raimundo Sancti Egidii, Roberto Northmanniæ, et Roberto Flandrensi comitibus, Tancredo, et cæteris primatibus, cum universa Francorum multitudine, ut piissimus et misericordissimus dux Godefridus, charissimus frater meus eidem præsideret : ipse vero, vir Deo dignus, sanctæ civitatis gubernator, primo principatus sui anno peracto, Deo propitio, tertia die sequentis, in pace quievit. Cui ego Balduinus ab exsultante clero, principibus et populo, primus rex Francorum, nutu divino, excellentiam Bethlehemiticæ Ecclesiæ, nativitatem Domini nostri Jesu Christi præfulgida mente pertractans, in qua primum venerabiliter caput meum diademate ornatum effulserat, ut episcopali dignitate donaretur, mihi per omnia placuit. Igitur quod corde caste conceperam, indesinenter excogitans, tandem ad aures Arnulfi archidiaconi, viri clarissimi, et Hierosolymitani capituli usque perduxi, eumque et idem capitulum, ut super hac re mihi consulerent, obnixe rogavi. Qui tam justæ petitioni meæ obsequentes, tum pro Hierosolymitana sede, quæ postea quasi orbata parente videbatur, tum pro hoc negotio Romam peti decreverant. Hanc itaque legationem Arnulfus archidiaconus, et Aichardus eodem tempore decanus suscipientes, Romam perrexerunt : et sancto Spiritu cooperante, apud domnum Paschalem secundum, universalis Ecclesiæ pontificem, de utroque negotio honestum invenientes consilium, Hierusalem remearunt. Domnus vero Paschalis papa, Gibellinum Arelatensem archiepiscopum, virum sapientiæ radiis coruscum, omnique morum honestate fulgidum, cui id legationis Arnulfo atque Aichardo præsentibus injunxerat, post eos Hierusalem direxit. Propterea a me, clero simul et populo gaudenter susceptus, pro præcepto domni Paschalis papæ et mea bona voluntate, et assensu Hierosolymitani capituli, ac totius favore consilii, et propria deliberatione omnia dispensans, in Bethlehemitica Ecclesia, Aschetinum, virum illustrem eamdem gubernantem, quem Hierosolymitanum capitulum ejusdem Ecclesiæ cantorem, me cum meis proceribus et populo volente Ascalonæ elegerat atque statuerat episcopum, obtinere primatum episcopalem decrevit; Bethlehemiticæque sedi, pro præcepto et considerationе nostra, Ascalonæ ecclesiam parochiali jure subjugavit. Tandem ego Balduinus, Dei gratia rex Hierusalem, Latinorum primus, jam dicta lætus obnixe firmavi. Villam etiam Bethlehem, quam Ecclesiæ concesseram, pro salute animæ meæ, et misericordissimi ducis fratris mei Codefridi, atque omnium parentum meorum : et unum casale, quod est in territorio Accon, nomine Bedar; aliud etiam

quod est in territorio Neapolitano, nomine Seylon : aliud quoque adjacens Bethlehem, quod dicitur Bethbezan : et duo casalia in territorio Ascalonitano, unum videlicet Zeophir, et aliud nomine Caicapha, cum suis pertinentiis episcopo, ejusque successoribus firmiter ac libere tenere ac possidere præcepi, dedi atque concessi. Præfatam quoque Ecclesiam a calumnia qua Hierosolimitana Ecclesia eam vexabat, commutatione terrarum ac vinearum quæ in circuitu Hierusalem in meo dominio erant, absolutissimam reddidi. Statuimus autem quod si quis clericus, vel laicus, nefandissima cupiditate ductus, illud quod pro petitione mea de Bethlehemitica Ecclesia, nativitate Domini ac Salvatoris nostri præclara, Spiritu sancto juvante, a domno Paschale, Romanæ sedis summo ac venerando pontifice, per Gibelinum B ejusdem legatum, Arelatensem archiepiscopum roboratum est, post decessum meum violare præsumpserit, invasionis crimine, nisi commonitus resipuerit, obligetur, ac totius regni nostri expers effectus, graviter judicetur. Præterea concedo quod quicunque meorum optimatum, vel aliquis militum A seu burgensium, Dei afflatus Spiritu de suis redditibus, pro sua suorumque animabus, dare eidem ecclesiæ voluerit, libera sit sibi piæ voluntatis exsecutio, et in perpetuum valeat facultatum suarum legitime facta donatio. Facta est autem hæc concessionis, vel confirmationis nostræ inscriptio, rerumque gestarum designatio, anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo decimo, indictione tertia, præsidente Romanæ Ecclesiæ papa, domno Paschale secundo : Hierosolymis vero Gibelino Arelatensi archiepiscopo, sedis apostolicæ vicario, in patriarcham electo. Sunt ergo istius assertionis testes:

Arnulfus archidiaconus,
Aicardus decanus,
Eustachius Garnerius,
Anselmus turris David custos,
Radulfus de Foritaneto
Pisellus vicecomes,
Simon ducis filius,
Anfredus vir religiosus,
Gerardus camerarius,
Et alii quamplures.

REGUM JERUSALEM, PRINCIPUM, PRÆLATORUM EPISTOLÆ VIGINTI SEX

AD LUDOVICUM FRANCORUM REGEM, HUJUS NOMINIS SEPTIMUM, COGNOMINE *JUNIOREM*.

(Bongars, *Gesta Dei per Francos*, I, p. 1172.)

I.

R[aimundi] principis Antiocheni.

Illustri viro Ludovico, Dei gratia regi Francorum, devotissimo domino suo atque diligentissimo, R. eadem permissione princeps Antiochenus, licet indignus, salutem et dilectionem.

Oppressiones et paupertates hujus terræ, excellentissime domine, frequenter audistis, et, ni Deus avertat, frequentius auditurus estis. Qua paupertate et anxietate sustineatur, vobis lingua nec manu dicere vel scribere possumus, quamvis benigna Dei clementia temporibus nostris ampliata sit. Aures quidem omnium Christianorum quotidie apertæ sunt et erectæ, per nos liberationem exspectantes ; et interrogantes sicut Joannes in vinculis positus redemptionem Jesu Christi per nuntios ab eo interrogabat D (*Matth.* xi, 2). Scientes vero cor vestrum ad liberationem hujus terræ esse sæpius intentum, quotidie ad Deum pro vestra exaltatione flexis genibus orant, ut ipse sicut velle, sic posse vobis præstare dignetur, in manibus cujus corda regum sunt, ut terra hæc per vos visitetur et a manibus impiorum liberetur. Ego autem de vestris naturalibus hominibus natus C et nutritus, ad jussum vestrum adimplendum paratus sum. Sunt etiam hic duæ filiæ principis Raimundi, quæ ad nubiles annos pervenere, facie et corpore nimis pulcherrimæ, pro quibus excellentiam vestram humiliter imploramus, quatenus eas in terra vestra ad honorem generis earum, nuptiali copula viro dare dignemini, quia in hac terra arduitate ejusdem terræ, et earum consanguinitate maritare non possemus. Præterea vestram exoro humiliter discretionem, quatenus de patrimonio meo, quod mihi et meis injuste et vi, et etiam sicut omnibus procul dubio patet, abstulerunt, ut jus et ratio postulat, sic deducere dignemini. Esse vestrum quod audire desideramus, sæpius nobis dilectio vestra rescribere dignetur, Nos autem per misericordiam Dei sani et incolumes sumus. Milo de Nealphis, miles et homo vester, vobis apertissime esse hujus terræ ore narraverit.

II.

Giberti magistri hospitalis.

Ludovico potentissimo domino, Dei gratia Francorum regi gloriosissimo, Gibertus, Christi pauperum servus, et Dei pietate Hospitalis Jerusalem na-

gister, salutem cum omni conventu fratrum, et seipsum in Christo.

Notitia nostræ infirmitatis Dominus agnovit, domine pie rex, quod res et possessiones quas peregrini sancto desiderio iter Hierusalem arripientes, causa videndi sanctam Christi resurrectionem sub umbra manus vestræ, salvas et illæsas consistere. Idcireo altitudini vestræ supplicamus, quatenus de quibusdam malefactoribus, qui terram cujusdam probi viri, videlicet Guillermi de Donperre incendio eorum perversitate cremaverunt, ipso Hierusalem permanente, talem inde justitiam placeat facere, quod alius qui audierit, amplius non præsumat consimile. Valete.

III.

AMALRICI REGIS HIEROSOLYMORUM.

Ludovico, per Dei gratiam Francorum regi gloriosissimo, Amalricus per eamdem Jerosolymorum rex, salutem.

Vestræ credimus innotuisse serenitati, charissime, multorum ex relatione veridica, quoniam postquam, peccatis nostris exigentibus, princeps Antiochenus a Turcis captus fuit, et omnes sui aut captivitate aut morte perditi et pessumdati sunt, ex improviso supervenit repentinus interitus. A sæculo etenim inauditus terræmotus, castella, turres, municipia, omnia fere tam in montanis quam in planis, tam in Antiochia quam in omnibus ei adjacentibus, tunc in planis, tunc in montanis, solo adæquavit, et innumerabilem, proh dolor! Christianorum utriusque sexus multitudinem morti improvisæ addixit, et exstinxit, et, ut verius dicamus, terra tenus absorbuit. Ad cumulum autem miseriæ et in summam desolationis omnimodæ, viam universæ carnis ingressus est, heu, heu! ille rex inclytus et egregius, clypeus et fortitudo, post Deum, Ecclesiæ Orientalis, et præcipue regni Jerusalem unica et irrefragabilis spes et fiducia salutaris, vester vestrique regni præcordialis, nosterque dominus et frater rex Christianissimus Balduinus. Cujus ideo inconsolabilior et vehementior est transitus, dolor et desolatio, quod, Deo auctore, in ipso et per ipsum omnium universitas Christiana habebat promptum adjutorium, et contra singula infestantia sufficientiam. Inde, inde est nimirum, dilectissime, quod vestræ majestati tanquam lineamenta de capite pendentia inclinantes, sustentamentum nostrum et fidei deificæ basem amabam inexpugnabilemque civitatem, serenitatem vestram fore in Christo cognoscimus, et humilitatem nostram, vestram esse curam peculiarem in Domino profitemur. Quæ ergo vel quanta fuerit veræ charitatis abundantia et perfectio in piæ memoriæ amico vestro rege Jerusalem prætaxato, Dei pro causa et illius invictissimo amore, in nostra nunc omnibus appareat et Ecclesiæ Orientalis desolatione. Sicut enim de prælecessorum vestrorum et totius prosapiæ vestræ piissima intentione verissime didicit sanctitas vobis innata, ex more et proposito laudabili, semper consuevit regnum cui præestis in Domino, civitatem sanctam et regionem ei universam adjacentem, et universos fidei catholicæ charactere insignitos, protegere, fovere, manutenere ac corroborare. Si itaque Spiritus consilii Serenitati vestræ magnificæ inspiravit velle iterum, ad majorem coronam vestri, visitare locum ubi steterunt pedes Domini corporaliter, modo instanter saltem in hac Christianitatis magna necessitate et anxietate multimoda, venire non denegetis, nec differatis. In vestra sanctitate enim omnium vota conveniunt, et, pro nutu vestro et amico imperio, nos et regnum nostrum totum exsudabimus digne Deo. De cætero vestræ commendamus paternitati præsentium latorem, magnæ honestatis virum, et venerabilem, Mamistriæ archipræsulem, ad omnia bene agenda strenuum, quatenus eum benigne recipiatis, et ei sicut ori nostro credatis. Illi enim, ne epistolarem excederemus brevitatem, secreta nostra ut vobis viva voce edisserat, commisimus. Valete.

IV.

A[MALRICI] PATRIARCHÆ S. RESURRECTIONIS.

A., Dei gratia Sanctæ Resurrectionis Ecclesiæ patriarcha, charissimo filio Ludovico, eadem gratia illustri Francorum regi, salutem et cunctorum hostium triumphum.

Quoniam paterni regni solium conscendere vos fecit divina dispensatio, pro gratia vobis collata divinam interpellamus clementiam ante passionem et resurrectionem Dei et Domini nostri Jesu Christi, ut idem Deus et Dominus noster vitam vestram prospere prolonget ac foveat, et post hujus vitæ terminum vitam vobis tribuat sempiternam. Quia vero sub vestra tutela pauperes Christi quiete conversari et fructificare cognoscimus, pro filiis nostris pauperibus leprosis, qui extra muros Hierusalem perpetuo infirmitatis suæ detinentur et damnati sunt carcere, de quorum cruciatu et ardore non tantum dicere possumus quantum oculis vestris vidistis, sublimitatem vestram rogamus attentius, commendantes vobis latorem præsentium eorumdem pauperum fratrem, quem excellentiæ vestræ pro sua necessitate transmittunt, quatenus, ea audita, prout vobis visum fuerit, et Deus vobis inspiraverit, eorumdem necessitati, qui humani aspectus et humanæ prorsus lætitiæ sunt expertes, occurrere dignemini, ut pro his et pro aliis beneficiis a remuneratore bonorum omnium Deo, et in præsenti victoriam, et post peractam temporalis regni administrationem, æternæ beatitudinis accipere mercamini portionem. In præfato siquidem loco ex diversis mundi partibus infirmorum et pauperum Dei circumfluit multitudo. Et quoniam ad sustentandam eorum miserabilem et inopem vitam, multa eis sunt necessaria, et multorum evidenter indigent auxiliis, Orientalis Ecclesia multis tribulationibus et paganorum incursionibus oppressa, eis ex toto in necessitatibus subvenire non potest. Unde benefactores eorum universos omnium orationum et beneficiorum vestrorum, et eorum

maxime quæ in sancta civitate Jerusalem fiunt, et de cætero fient, participes et consortes facimus.

V.

EJUSDEM.

A., Dei gratia Sanctæ Resurrectionis Ecclesiæ patriarcha, charissimo in Christo filio Ludovico, eadem gratia Galliæ victorioso et illustri, ab eo salvari qui dat salutem regibus.

Sincera qua vos amplectimur veræ charitatis dilectio, et debita patriarchalis officii quæ nobis incumbit sollicitudo, nos compellit et admonet Ecclesiis nostris providere, et, in quibus secundum Deum possumus, totius Christianitatis profectibus et utilitatibus invigilare. In medio siquidem nationis pravæ et perversæ positi, ab infidelium tyrannide singulis fere diebus impugnamur, et assiduas inimicorum Christiani nominis insidias et pericula sustinemus. Quanto igitur majora et viciniora nobis imminent pericula, tanto magis nos providos et sollicitos oportet et ab illis consilium et auxilium quærere qui et abundant, et conferre noverunt et dare consueverunt. Habemus autem in finibus patriarchatus nostri, in civitate Pancadensi, quæ dicitur Belinas, ecclesiam quamdam tam reverenda antiquitate celebrem, quam multis et multorum miraculorum insignibus decoratam et exaltatam. Quæ scilicet ecclesia in illo loco Cæsarea Philippi olim fundata fuit, in quo primum et solum Christus Filius Dei vivi, a Petro apostolorum vertice per fidei rectæ confessionem manifestissime prædicatus et declaratus est, cum præ omnibus et pro omnibus proclamavit : *Tu es Christus, Filius Dei vivi* (*Matth.* XVI, 16). In quo etiam loco hujus beatæ confessionis retributionem audire ex ore Dominico sibi dicente : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* (*ibid.*, 18), et claves regni cœlorum, potestatemque ligandi atque solvendi recipere ipse promeruit. Hæc igitur ecclesia, quondam tam inclyta et omni veneratione et obsequio digna, a Turcis, Christiani nominis inimicis, nunc fere eversa, et peccatis nostris exigentibus, tam illustris olim, tam præclara civitas, quæ nostræ Hierusalem propugnaculum et antemurale cunctis fidelibus esse dignoscitur, nomen inane duntaxat remanet. Est enim in spurcissimæ gentilitatis sita confinio, et barbara ferocitate ipsius impugnata, et assidua captivitate et morte filiorum suorum optimis quibusque destituitur, et minorata singulis fere diebus periclitatur. Novissime autem temporibus nostris suscitavit Deus spiritum servi sui I. venerabilis fratris nostri, in eadem civitate de novo ordinati et constituti episcopi, qui multo corporis labore, multa rerum suarum impensa, eamdem ecclesiam ad pristinum statum revocare cupiens, per varia pericula maris et terræ transitum faciens, ad genua charitatis vestræ tandem elapsus est, ut calamitatem et mendicitatem tantæ et tam reverendissimæ ecclesiæ vobis insinuet, et condonationes et relaxationes, quas consilio venerabilium fratrum nostrorum archiepiscoporum, episcoporum, abbatum quoque et priorum ad tantam ecclesiam revelandam fecimus, vobis ostendat. Ea propter regalem majestatem vestram assiduis precibus humiliter exoramus, quatenus venerabilem fratrem nostrum prædictæ civitatis episcopum, quem honestas et probitas ipsius satis commendat, Dei gratia et nostra reverentia, benigne recipiatis et honoretis, et in suis justis petitionibus eumdem misericorditer exaudiatis. Valete.

VI.

R[AIMUNDI] DUCIS NARBONÆ, COMITIS TOLOSÆ, MARCHIONIS PROVINCIÆ.

Domino suo Ludovico, Dei gratia Francorum regi, R. dux Narbonæ, comes Tolosæ et marchio Provinciæ, debitæ fidelitatis obsequium.

Pro negotio super quo legati imperatoris Constantinopolitani, cum nostris ad honorem regni vestri, sicut credimus, nobiscum convenerunt, legatos nostros cum legatis domini A. summi pontificis, ad Græcorum imperatorem transmisimus. Porro discretioni nostræ placuit legatos nostros ab itinere ad vestram præsentiam evocare. Unde quia in omnibus vestri consilii prudentiam nobis ducem præfiximus, et vestram sequentes auctoritatem legatis Græcorum nos obligavimus, precamur iterum, quoniam jam sera esset pœnitentia, excellentiam vestram regiam, ut tales legatos ad imperatorem Constantinopolitanum mittatis, per quos negotium speratum ad gloriam et securitatem regni vestri, Deo propitio ad effectum valeat perduci, et ad nos optata commoda pervenire. Interventu namque et instantia discretorum et fidelium legatorum consueverunt magna et ardua negotia optatum et prosperum finem sortiri. Valete.

VII.

R. DE BALNEO, FIDELIS IMPERATORIS CONSTANTINOPOLITANI.

Ludovico, Dei gratia excellentissimo Francorum regi, R. de Balneo, de numero fidelium domini E[manuelis] Constantinopolitani imperatoris semper augusti, sinceræ fidelitatis obsequium.

Legationis negotium super quo Adrianopolitanus abbas, et prior Hospitalis Constantinopolitani, cum legatis domini R. Sancti Ægidii comitis, vestram visitavere præsentiam : mihi cum eis pariter tanquam imperii fidelissimo a domino meo E. inclyto et sancto imperatore injunctum fuit. Proinde quia ipsi apparatu meo et providentia, jam ad dominum meum imperatorem marino itinere redire cœperunt, fidelitatis debito, quam vobis exhibere tanquam domino desidero, confidenter consulendo rogo, et rogando consulo, ut legatos vestros et litteras ad dominum meum E. imperatorem sanctum, sine cunctatione et mora mittatis. Scio enim quia fraterno amore et germana charitate personam vestram, honorem regni vestri, et gloriam diligit, et indissolubili vinculo et germano consortio vobis sociari et uniri exoptat. Vivat et valeat per multa tempora sublimitas ve-

stra, et me inter fideles regni vestri numerare dignetur.

VIII.

A[MALRICI] REGIS HIEROSOLYMORUM.

Ludovico, Dei gratia regi Francorum illustrissimo, a priscis jam temporibus sibi dilectissimo. A., per eamdem gratiam Hierosolymorum rex salutem et veri amoris indicium.

Quoniam a longe retro temporibus terram sanctam Hierusalem regnique Hierosolymitani exaltationem cordi vobis fuisse novimus, piam serenitatis vestræ devotionem humiliter exoramus, ut quod diu gestastis in corde, adimplere curetis opere, et prædictæ terræ subsidium providere mente sollicita studeatis, et negotii illius pro quo venerabilis archiepiscopus Mamistrensis Galliarum partibus destinatus est memores sitis, quoniam in instanti, plus quam lingua queat exprimi, necesse est fieri. Præterea ex quo Mamistrensis archiepiscopus a nobis discessit, fertur quotidie imperatorem advenire. Qui statim cum venerit, verentur omnes Orientales una nobiscum, absque omni dubio ipsum illam habere, quoniam in tanta debilitate prostrata succumbit, quod non aliunde sibi venerit auxilium. Eamdem Antiochiam Turcis aut Græcis cedere indubitanter necesse est. Mente igitur devota, corde sollicito, cursu concito imperatorem illum de quo magis timemus, prævenire studeatis, quia non in terram alienam, verum in eam quæ in omnibus et per omnia vobis erit exposita venietis. Et tam nos quam omnes alii jussionibus vestris obtemperabimus.

IX.

B. DE BLANCESFORT MAGISTRI MILITIÆ TEMPLI.

Ludovico, divina gratia illustrissimo Francorum regi, B. de Blancesfort, eadem gratia pauperis militiæ Templi magister dictus, cum universo ejusdem militiæ conventu, omnimodum cum debita reverentia famulatum in Domino.

Orientalis regni perturbationem graves eventus intextos infortuniis, scripto vobis intimare operæ pretium duximus, cum prosperorum nuntiandi facultas universaliter fere nobis denegetur. Ne vero majestatem vestram prolixa improperiorum nostrorum relatione amaricare videamur, capitulatim vobis ea scribere inviti compellimur. Ecce persecutores veritatis ac fidei, inspecta angustiarum nostrarum multitudine, insoliti furoris audacia adversum nos armantur. Ipsos namque R. principis Antiochiæ exaltat captivitas, cædesque suorum et magnatum principatus factæ in principis captione. Hinc ab eis terra depopulata ipsos lætificat. Hinc nutu divino, nostrorum exigente mole peccaminum, terræmotu dissipatæ munitiones, eversa castella quamplurima, innumerique quos dirutorum murorum collisio oppressit, multiplicato eorum furore adversum nos multo acrius solito accendit. Ecce iterum prædicta gravia, multa graviora, ac flebiliora flebilibus novissime subsecuta sunt. Rex namque Balduinus, qui omni vitæ suæ tempore, murus stetit inexpugnabilis pro domo Israel, naturæ persolvens debitum, viam universæ carnis ingressus est, scilicet damnum diebus nostris incomparabile. Hæc et his similia Ecclesiæ persecutores attendentes, ab extremis eorum finibus in unum conveniunt quasi vir unus, adversus sanctuarium Dei, delere de terra memoriam nostram, Ecclesiamque fidelium, quod absit! infinitæ eorum multitudinis oppressione depravare conantur. Super hoc Dei ac vestrum auxilium, consilium et subsidium, ingemiscentes postulamus. Regnum etenim Hierosolymitanum, licet plurimum propriis viribus destitutum sit, necesse est tamen quatenus, Antiochiæ principatui omnino desolato manum consolationis extendat, viresque quas, ut ita dicam, non habet, viriliter largiatur. Sed quid egenti præstare poterit, qui egestate afflictus in seipso angustiatur? Oppressionem igitur Orientalis regni, et Ecclesiæ, ipsa conscientia vestra diligenter inspiciat, in passionis resurrectionisque loci subsidium inflammetur. Oramus obsecrando quod possumus, quod ipsi quærimus, Dominicæ a nobis locus impetret resurrectionis. Singula improperiorum nostrorum, attenuationis nostræ, elationis inimicorum passionis ac resurrectionis Christi, malorum vobis scribere numerositas impedit; quæ nos latorum præsentium, scilicet fratrum nostrorum relationi fideliter commendavimus, ac sub eorum testimonio reservari dignum credidimus.

X.

EJUSDEM.

Ludovico, Dei gratia illustrissimo Francorum regi, B. domus Templi magister dictus, quamvis indignus, cum ejusdem domus conventu, servitium cum dilectione.

Nobilitati vestræ notum fieri volumus quod dominus Guillermus de Donner, postquam ad Orientales partes transfretavit, ut Dominicum visitaret sepulcrum, cæteraque oratoria circuiret, quidam ejus vicini suam terram crudeliter invaserunt, igne eam pessimo devastantes. Unde serenitatem vestram modis omnibus deprecamur, quatenus hoc, quantum ad vos pertinet, fieri non permittatis, sed ultionem in eos qui hoc præsumunt faciatis, ut cæteri, vestram justitiam audientes, tantum scelus ulterius committere non attentent. Magnum siquidem detrimentum in hoc poterit Orientalis Ecclesia sustinere, quia multi sic sua perdere metuentes, transfretare dubitabunt. Majestati vestræ grates indesinenter exsolvimus de beneficio nobis et fratribus nostris impenso.

XI.

GILBERTI CUSTODIS HOSPITALIS HIERUSALEM.

Illustrissimo atque excellentissimo domino Ludovico, Dei gratia regi Francorum benignissimo, Gilbertus, eadem gratia sancti Hospitalis Hierusalem custos, licet indignus, cum omni fratrum conventu, salutem et sacrarum orationum Hierusalem æternam participationem.

Inter cætera charitatis opera quibus ad regna fit ascensus cœlestia, eleemosyna præcipue summum

locum obtinet, omni tam Veteris quam Novi Testamenti pagina verum super hoc perhibente testimonium. Hujus itaque devotionis intuitu, regalis vestræ majestatis magnificentia, Spiritu sancto divinitus illustrata, sanctissimam domum pauperum Hospitalis Hierusalem, placentem Deo et per omnia acceptabilem, devote diligere, manutenere, vestrarumque beneficiis eleemosynarum larga manu ditare ac recreare semper consuevit. Super quo non est dubium quin propter sincerum vestræ benignitatis affectum, quem specialiter pro regno cœlorum adipiscendo erga Deum, et erga omnia quæ sibi pertinent, in toto regno vestro consistentia, charitative exhibetis. Tot barbaræ gentes, tantæque diversorum populorum nationes, vestræ de die in diem subjungentur ditioni. Dignum enim et justum esse judicamus ut qui Deum diligit ejusque mandatis puro corde obtemperare nititur, in bonis et de bonis Domini gaudeat, teneat atque victoriose possideat. Si enim protoplastus Adam, quia inobediens fuit voci Dominicæ, mundum cum omnibus in eo creaturis adversarium atque contrarium sibi habere promeruit, ita si aliquis fidelis voluntati Domini bene obediens aliquando invenitur (quod raro contingit), tam mundum quam omnia mundana beneplacito suo debet habere subjecta, et sine omni obstaculo invenire parata. Ut igitur divinæ bonitatis clementia, sine cujus nutu nihil boni fieri potest, hæc prædicta, rex illustrissime, juxta vestri affectum animi, concedere dignetur, Deum semper præ oculis habete, et ea quæ Dei sunt in regno vestro salva et secura custodite, et præcipue et specialiter prædictam domum sanctorum pauperum Hospitalis Hierusalem, in qua vere Christus in membris suis suscipitur, sicut vestris aspexistis oculis, diversisque modis servitur, solitæ vestræ pietatis more diligite, manutenete, et ab omni hostili manu tanquam bonus patronus protegendo defendite, ut beatorum precibus et intercessione pauperum, quibus regnum cœlorum a Christo traditum est, in præsenti prosperitatem mentis et corporis, pacem in regno vestro et tranquillitatem, de hostibus triumphum, et post hujus vitæ transitum, stolam immortalitatis cum eisdem pauperibus in regno cœlorum feliciter adipisci mereamini. Amen.

XII.

A[MALRICI] REGIS HIEROSOLYMORUM.

Ludovico, Dei gratia Francorum regi gloriosissimo et incomparabili viro, dilectissimo suo, A. gratia ejusdem Hierosolymorum rex, salutem et dilectionem.

Lacrymabilem et luctuosum de domino ac fratre nostro inclyto rege B. rumorem, heu! heu! vobis per præsentia scripta intimamus, denuntiantes vobis, quoniam in die Scolasticæ virginis, vocatione divina migravit ad superos. Verumtamen nos regno ipsius, quod nobis hæreditario jure obveniebat, nunc potimur, et sine omni impedimento atque in bona omnium hominum nostrorum voluntate in solio regni nostri consolidati sumus. Quia vero, illustrissime, tota Christianitas in Oriente vehementer attrita et gravius solito oppressa, nimium atque nimium laborat, tum ex infortunio R. illustris quondam principis Antiocheni, qui ut jam vos dudum audisse arbitramur, rediens ab expeditione, captus fuit, cæsis aut captis fere omnibus illis qui in comitatu ipsius erant, tum et ex terræmotu, qui in præterito Augusto, totius principatus Antiocheni castella, turres et municipia fere omnia funditus evertit, soloque coæquavit, rogamus serenitatem celsitudinis vestræ, ut pro terra illa quam Dominus sua corporali præsentia visitare, illustrare et consecrare dignatus est, quam etiam, ut liquido constat, regnum vestrum spurcitiis infidelium potenter eripuit, et cultui divino vindicavit, sollicitus sitis, et, dum licet atque vacat, notum faciatis omnibus quo animo, quo cordis affectu, qua intima sinceritate Dominicum sepulcrum hucusque dilexistis. Scitote namque quoniam ab initio, ut a præsentium latoribus certius audire poteritis, consilio quidem vestro, et festino auxilio, tantum opus, nec consimile fuit. Et si vobis in mentem veniret Dominicum sepulcrum adire, non in terram alienam, verum etiam in eam quæ tota vestra est et erit tempore quidem nostro vobis exposita, procul dubio veniretis. Nos enim ut tantum tamque sublimem dominum, vos modis omnibus honorare, diligere et omnia quæ vestri juris aut sunt aut fuerunt.

Data ad fontem Sephoriæ, VI Idus Aprilis.

XIII.

B. DE BLANCESFORT MAGISTRI MILITIÆ TEMPLI.

Ludovico, Dei gratia gloriosissimo Francorum regi, et domino suo excellenti, B. de Blanc., eadem gratia pauperis militiæ templi minister humilis, et totus fratrum suorum conventus, orationum munus cum salute.

In venerandæ celsitatis vestræ præsentia sæpenumero relatum credimus, qualiter, quandiu et qua intentione sub salutiferæ crucis vexillo et cum domino rege militaverimus in Ægypto; si enim sceleratissimus ille Noredinus, interveniente Syraconis audacia, regno Babyloniorum, ut affectabat, potiretur, multiplicatis viribus tantus incumberet Christi regno ut per piraticam clauso mari, periculosum etiam fugæ locum non concederet timidis et ignavis. Ea enim erat intentionum suarum summa, eaque gratia miserat in Babylonem Syraconem, ut infinitam Babyloniorum multitudinem, vel vi dominationis, vel simulatæ pacis astutia secum asciscceret, et in abolitionem Christiani nominis, duo potentissima regna, Babylonis scilicet et Damasci fœderaret invicem. Verum respexit nos desuper divina clementia, deditque cultoribus suis Christus noster non incruentam de infidelitate victoriam. Supra memoratus etenim Turcus, quem adipiscendi regni gratia missum præsignavimus, Berbesium validissimam civitatem Ægypti, quam etiam obfirmaverat et muniverat triginta millibus bellatorum, in triumphalis tandem ligni virtute coactus est reddere servis crucis, et non sine magno suorum detrimento pulsus est a patria, quam

quidem triduo amplius tardante succursu, nullo erat contradicente in dominium possessurus. Nos autem post hæc omnia revertentes, invenimus pro peccatis nostris terram sanctam satis ac desuper desolatam, Paneademque civitatem, qua non erat in toto regno munitior, furto sublatam et redditam Turcis per manus proditorum, Antiochiam quoque miseram ac miserabilem, eversionem sui jam proximam, et stragem suorum inenarrabilem insolabilibus lacrymis deplorantem; de qua quidem jam non est dubium quin aut in Græcorum aut in Turcorum manus veniat, et in proximo, nisi ei divina miseratio vestraque superexcellens immensitas succursum providerit festinatum. Neque enim potest rex noster A., magnus licet, Deo gratias, ac magnificus ad defensionem Antiochiæ et Tripolis, Hierusalem et Babylonis quæ servit cum filiis suis, et cui potissimum metuendum est, quadripartitum agmen ingerere, quas omnes potest Noradinus, uno et eodem tempore, si velit, superabundantibus canum suorum copiis infestare. Proinde noverit magnitudo vestra dilectum fratrem nostrum, famulum quoque et amicum vestrum, fratrem Heustan canem pro exoneratione et relaxatione sua cogente corporis infirmitate, toties supplicasse, ut jam non possemus ei salva pietate contradicere. Mittimus ergo in loco ejus præsentium latorem, fratrem Walterum, virum prudentem et discretum, gemina quoque ingenuitate, avorum scilicet et morum bene conspicuum, quem et nos his præsentibus, tanquam præsentialiter, vobis et mandato vestro committimus et submittimus, et quasi manu ad manum tradimus, rogantes ut ipsum Dei amore et nostro in agendis nostris, quæ et vestra sunt, vestra ope fulciatis, et benigno favore vestro, tanquam famulum vestrum proprium in omnibus et per omnia sustentetis. Nam et ipse sicut diuturna ejus conversatione cognoscetis, est etiam per se honorari dignissimus.

XIV.

G. FULCHERII PROCURATORIS DOMORUM MILITIÆ TEMPLI.

Ludovico, Dei gratia Francorum regi sanctissimo, domino et amico suo max. frater G. Fulcherii domorum pauperis militiæ Templi procurator indignus, salutem, mittere rem, si quis qua caret ipse potest.

Antiochenæ terræ desolationem, Hierosolymorum turbatum regnum, graves eventus, importunos casus, Christianitatis plagas continuas, lugubres vobis intimare compellimur, cum prospera nuntiandi desit facultas. Importunitatis tamen et improperii nostri singula, vobis scribere malorum numerositas impedit, dum vix aut nunquam prospera nobis eveniant. Prætermissa igitur tanti infortunii multitudine, graviores nostros eventus vobis revelare satagimus, cum linguam loquentis lacrymæ desolationis impediant. Anni autem istius mense Julio, contigit regem nostrum A. et magistrum nostrum, cæterosque terræ sanctæ proceres fines Babyloniorum intrasse, Syraconem, Noradini comestabulum qui ad partes illas declinaverat ut eas sibi vindicaret, in Berbesio obsedisse. Ipso mense finem dante, et sequente jam intrante fixerunt ibi tentoria. Quo audito Noradinus indignatus animo et mente confusus, eadem tempestate litteris et legatis suis omnes partes quæ nomen ipsius audierant et tremebant contraxit, et castellum, quod dicitur Harenc et in finibus Antiochiæ et Alapiæ situm est, olim tumaci et superbia obsedit. Applicatis machinis et petrariis suis, tot et tantis vulneribus obsessos invaserunt, ut fere cibariis et aqua carentes amplius tolerare non valerent. Cum autem hæc itaque agerentur, princeps Boemundus, qui Antiochiæ præsidebat, curam novi principatus sui viriliter agens, comite Tripolitano et domino Torosio, duceque Marmistensi, et de fratribus nostris quam pluribus sibi accersitis, fratres et homines suos, tanquam bonus Mathathiæ filius, succurrere proposuit. Tantos etenim milites et Turcopolos et pedites coadunavit, quod nunquam nostris temporibus ab illis partibus tam pulchra coadunatio fidelium adversus infideles armata processerit. Factum est autem dum adversus crucis inimicos, XII die exeunte Augusto, armati procederent, eos in primo conflictu fugaverunt, sed in multitudine gentium confisi et plurimum resistentes, nostros sustinuerunt et disconfecerunt, principem et comitem ceperunt, licet multi eorum corruissent in gladio. Quid ultra? victoriam habuerunt, sed cruentam. Præterea huc atque illuc per terram discurrentes Harenc ceperunt et Antiochiam obsederunt. Non est enim qui eorum immanitati resistat; de sexcentis militibus et duodecim millibus peditum, vix pauci qui nuntiarent evasere. Elevatum igitur cornu inimicorum nostrorum, humiliata est in laboribus virtus nostra. Supplices etenim flexis genibus cordis, charitatis vestræ pedibus provoluti, a liberalitate vestra auxilium postulamus et exspectamus. Interpellet vos ipsa conscientia vestra, moveat vos sinceræ charitatis affectus, redemptionis nostræ locus, terra sancta, urbs fortitudinis, Ecclesia primitiva. Semel ac sæpius vobis talia mandavimus, nunc autem impensius ac impressius. Nobis equidem orationes, ac rogare; vobis autem operationes ac rogata perficere divina gratia præstitit.

XV.

A[MALRICI] REGIS HIERUSALEM.

Ludovico, per Dei gratiam Francorum regi excellentissimo, Patri in Christo charissimo. A., per eamdem Hierosolymorum rex, salutem, et ab eo qui omnium regum est Rex regi.

Quoniam ex regia majestate vos posse scimus, et ex devotione piæ voluntatis vos desiderare non ambigimus, omnibus necessitatem patientibus auxilii vestri interventionem proficere, ideirco per præsentia scripta, deflendam omnibus Christianorum qui in terra sancta Hierusalem sunt, erectis Turcorum cornibus depressionem, sublimitati vestræ, licet

eam jam forte audieritis, exponere dignum duximus. Nobis apud Ægyptum cum Syracuno dimicantibus, et per virtutem Dominicæ crucis inde eum, maxime si ibi permansisset, universitati Christianitatis nociturum, expellentibus, factum est ut comes Tripolitanus et princeps Antiochenus cum multo exercitu ad liberandum castellum prope Antiochiam situm, nomine Haring, quod Noradinus cum innumera multitudine obsederat, irent, et auxilio divino hostibus eorum adventui cedentibus liberarent. Accidit autem ut dum præfati princeps et comes, non contenti tanto Dei beneficio, superbe hostes ad loca naturaliter munitissima insequerentur, ipsos ab hostibus capi, et omnem fere eorum exercitum partim capi, partim occidi. Additus est præterea huic dolor dolori. Nam traditorum manus, præfato Noradino, cum adhuc in Ægypto essemus, Panudium, quod vulgo Belinas dicitur, tradiderunt. Sic itaque quasi in angustiæ pendulo, sancta laborans terra, vestrum et vestrorum potissimum, quod sibi efficacissimum fore speramus, nobiscum implorat auxilium. Valete.

Data Antiochiæ secundo Idus Januarii.

XVI.

H. OLIM PRIORIS DE MONTE THABOR.

Excellentissimo regi Francorum, II., non nunc, sed quondam prior de monte Thabor, licet indignus, S. intimæque dilectionis effectum cum salute in Christo.

Quoniam sui est, uniuscujusque est domino suo status et seriem habitudinis suæ litteris declarare, idcirco mea epistola, quamvis magna intersit locorum distantia, prætulit ad vestras posse venire manus, et nihil est de quo lætior esse queam qua usque ad vestri præsentiam, Deo concedente, supervenerit. Considerato a minimo etiam vestræ curiæ clerico, sciatis me in curia domini imperatoris Constantinopolis præ omnibus suis familiaribus primatum tenere, ibique quoniam vestrorum minimis præsentialiter nequeo famulari, cum omnia affluentia bonorum plurimum egere. Et inde est quod flexo capite vestram imploro benevolentiam, ut imperatori Constantinopolitano vestras litteras mittere dignemini, quatenus ad vos, ut ad meum charissimum dominum, omni occasione remota, me venire dimittat, et si unquam aliquod servitium quod vobis placeret fecerim, modo maxime appareat. G. etiam et R. de Merlo, mei videlicet propinqui, flexis genibus vestræ benevolentiæ integritatem expostulant, ut quod vobis litteris meis manifestatur, facere non dedignemini. Et insuper vestri nominis excellentiam efflagito, ut huic bajulo quam citius poterit ad me reversuro, non tamen pro mei merito, sed pro vestri clementia, manu aliquantulum larga subvenire faciatis. Valete.

XVII.

PETRI PRIORIS HOSPITALIS CONSTANTINOPOLIS.

Illustrissimo Dei gratia Ludovico regi Francorum, P., frater Jerosolymitani Hospitalis et prior ecclesiæ beati Joannis Constantinopolcos, nuntiusque sanctissimi imperatoris, E. N. et utriusque vitæ felicitatem.

Noscat celsitudo vestra, domine reverendissime, quod ex parte domini nostri imperatoris, ad vos proprie missi sumus, et ex præcepto imperiali habemus quatenus vestram citius quam domini papæ visitemus præsentiam. Quapropter vestram obnixe deprecamur benignitatem, quatenus velitis ac præcipiatis ut secundum dispositionem domini imperatoris hoc implere valeamus absque scandalo domini apostolici, quia nuntius ejus nobiscum est, et ad curiam illius nos primitus ire compellit, quod nullatenus, donec vestram videremus maiestatem, faceremus. Valeat diu celsitudo vestra.

XVIII.

A. PATRIARCHÆ DOMINICÆ RESURRECTIONIS ECCLESIÆ.

Invictissimo Dei gratia Ludovico Francorumque piissimo regi, A., eadem gratia sanctæ Dominicæ Resurrectionis Ecclesiæ patriarcha, una cum N. priore, et universo canonicorum inibi Deo famulantium conventu, salutem et debitas orationes in Christo.

Piæ celsitudinis vestræ bonitas et mansuetudo, fama loquente, ut experti sumus, vobis veraciter innotuit, quod in causa servorum Dei studiose concurrat, et religiosis viris sinceritatis suæ solatia subministret. Imprimis igitur libertati vestræ immensas gratiarum actiones persolvimus, quia sicut multorum relatione suscepimus, res Dominici sepulcri cujus servi sumus, licet indigni, amoris respectu divini ubique, quantum potestis, augere non desistitis. In his ergo quæ ad Deum sunt ante sacrosancta loca passionis et resurrectionis Dominicæ jugiter pro vobis existentes, fraternitatis nostræ ac beneficiorum nostrorum vos consortem statuentes, dilectum fratrem et canonicum nostrum S. latorem præsentium, benignitati vestræ propensius commendamus, humiliter rogando, quatenus ei ob reverentiam gloriosissimi sepulcri, in quibus indiguerit, auxilium vestrum largiri dignemini, et tam eum quam res sibi commissas suo vestra sublimitas favore manutenere dignetur. Insuper vestræ probitatis excellentiam obnixe deprecamur, quatenus prædicto S. canonico, Hospitale quoddam vel almum quemlibet locum sub protectione alarum vestrarum, ubi ad honorem Dominicæ resurrectionis refugium habere possimus, pro salute animæ vestræ, omniumque nobilium parentum vestrorum, concedere dignemini. Valeat tantus rex fortissimus.

XIX.

HUGONIS ABBATIS S. MARIÆ ADRIANOPOLIS ET PRIORIS S. JOANNIS CONSTANTINOPOLIS.

Excellentissimo atque magnifico regi Franciæ Ludovico, Hugo Dei gratia Sanctæ Mariæ Adrianopolis abbas, et prior Sancti Joannis Constantinopolis, ejus fidelissimi, salutem, et in regimine sibi commisso placere summo Rectori.

Non lateat personam vestræ magnitudinis, Pater

reverendissime, quia si importunitas temporis non sic nos constringeret, nos egressi essemus ex partibus provinciæ. Sed sciatis, in rei veritate, quoniam galeæ paratæ sunt apud Narbonam, et propter rumorem, nolumus ut veniant apud Sanctum Ægidium, quia nolumus ut omnibus pateat iter nostrum. Nunc vero noscat magnitudo vestræ majestatis, Pater reverentissime, quia multum contristati sumus, quia vidimus nuntios vestros sine litteris ad regem Siciliæ. Quia vos bene scitis quoniam nos ituri et reversuri sumus per ipsum cum pecunia, et per aliam viam ire nec reverti possumus. Et istud est negotium regis Siciliæ, sicuti imperatoris et vestri, et bene scimus quia vos diligitis eum. Unde rogamus personam vestræ magnitudinis, ut per nuntios vestros dirigatis ei litteras tales quod sint honorabiles vestro regno et sibi, et sic credat legatis vestris quasi si vos loqueretis cum ipso. Et, si placet vestræ magnitudini, mittite nobis litteras quam citius poteritis, ut nobiscum possimus deferri per præsentium latorem litterarum, et nec unum diem moram faciat vobiscum. Valeat celsitudo vestra sanctissima.

XX.

AMALRICI REGIS HIEROSOLYMORUM.

Ludovico, per Dei gratiam Francorum regi serenissimo, Patri et amico suo charissimo, Amalr. per eamdem Hierosolymorum rex, salutem.

De vestræ paternitatis clementia et regno vestro specialiter sperat sibi auxilium et consilium Orientalis Ecclesiæ toti Christianitati lugubris miseria. Inde est nimirum quod de innata vobis benignitate plurimum confisi, cum pro omnibus terræ sanctæ devotis vestræ supplicamus paternitati, præcipue pro fratribus templi, vestram exoramus majestatem, quatenus solito more illos commendatos habeatis continue, qui quotidie moriuntur pro Domino et servitio, et per quos possumus, si quid possumus. In illis enim tota summa, post Deum, consistit omnium eorum quæ sano fiunt consilio in partibus Orientis. Unde quidquid eis fecerit regia vestra majestas, et muniflua dextera pietatis, nostræ personæ idipsum maxime æstimetis vos impendisse. Valete.

XXI.

BERTRANDI DE BLANCAFORT, MAGISTRI MILITIÆ TEMPLI.

Ludovico, Dei gratia inclyto et venerabili regi Francorum, domino suo charissimo, Bertr. de Blancafort, eadem gratia militiæ templi magister dictus, de regno ad regnum feliciter transferri.

Quot et quanta nobis et prædecessoribus nostris de munificentiæ vestræ largitate collata sunt beneficia, si per singula persequi tentabimus, nec littera poterit nec lingua sufficere. Nam cum ab ineunte ætate vestra liberalitas circa domus nostræ propagationem laboriosa devotione studuerit, adhuc, Deo gratias, in eodem suo tenore perdurat, Deo propitio et vita comite in posterum duratura. Et ut retroacta tempora replicemus, raro vel nunquam invenietur sancta devotio destitisse, quin semper aut sua nobis propensius ingereret, aut aliena benigni sui favoris assertione nostris usibus applicaret. Pro quibus omnibus reverentia et honorificentia fratri G. Fulch. a vobis exhibita, quia grates condignas referre non possumus, referendas illi soli committimus, qui quod oculus non vidit, nec auris audivit in æterna recompensaturus est claritate. Idem namque frater, G. Fulch. in universitatis nostræ præsentia genibus provolutus, vestram circa se studiositatem tantis extulit præconiis, ut pene intra credulitatem, et supra admirationem fieret universis. Unde et hic et ubique nos et nostra omnia, vestræ supponimus et exponimus voluntati. De cætero super oppressione sanctæ terræ, et maxime Antiochiæ quid loquamur? ad quos ibimus? quos implorabimus Vobis enim toties dictum est ut sit facilius repulsam ex tædio quam ex pietate lacrymas promereri. Antiochiæ tamen res adeo confractæ et ad tantam redactæ sunt paupertatem ut ad eam recipiendam in suam, collectis undique copiis, venire velit et accingatur imperator. Quippe ea namque per tot infortuniorum gradus ad hanc servitutum perducta est summam, ut immanitati Græcorum seu Turcorum ad primum concursum pateat exposita. Adhuc tamen ad vos respicit misera mater et apostolica sedes Antiochena, amaritudine et mœrore confecta. Valete.

XXII.

AMALRICI REGIS HIEROSOLYMORUM.

Ludovico, per Dei gratiam Francorum regi gloriosissimo, et amico suo serenissimo, Amalricus, per eamdem Jerosolymorum rex, salutem.

Quoniam vestram personam et regnum vestrum diligimus, et vobis servire parati sumus, et specialiter de vobis et de regno vestro speramus, successus nostros vestræ notificare majestati dignum duximus. Sciat ergo vestra excellentia quod intravimus Ægyptum cum gente quam habere potuimus. Terram enim nostram pro posse nostro munitam pro Noredino reliquimus, qui omnes quos potuit evocaverat a Baldac et ab Euphrate, et ab omnibus terminis eorum. Ante civitatem vero Ægypti nobilissimam quæ dicitur Bulbeis, congressi fuimus, cum Ægyptiis turmis utrinque dispositis et fronte ad frontem locatis. Deus autem, cujus non est victoria in multitudine, multitudinem inimicorum suorum convertit in fugam, et infinitis morti datis, et de melioribus et majoribus terræ multis captis, in campo illo pernoctavimus. In crastino autem civitatem prænominatam assilurimus mirabiliter, et nisi per interpositionem fluminis Paradisi, qui ex improviso nobis supervenit, sicut singulis annis solitus est, impediremur, sicut speramus, urbs illa vel caperetur vel redderetur. Si igitur ex solito nos virtus vestra magnifica adjuvare voluerit, Deo dante, ex levi poterit Ægyptus sanctæ crucis charactere insigniri Valete.

XXIII.

GAUFRIDI FULCHERII PRÆCEPTORIS HIEROSOLYMITANÆ DOMUS.

Ludovico, Dei gratia gloriosissimo regi Francorum, domino suo charissimo, frater Gauf. Fulcherii Jerosolymitanæ domus præceptor, salutem.

Sicut exstincta parum fideliter incendia majore tandem flamma reviviscunt, sic disconfectus a nostris paulo ante Noradinus transiit ipse Euphratem, Persasque ac Turquemannos, Ninivitas &c. et quidquid gentium ab extremis usque finibus, suscitat in sui pudoris ultionem. Collectaque multitudine tam inæstimabili, Herennium oppidum cœpit in Antiochenis finibus obsidere. Quod intuens bonæ indolis adolescens noster Boam. jam princeps, et magnum illum genitorem suum referens, tantæ multitudini B non formidat occurrere, et dum eis in paterna virtute congreditur, occulto Dei judicio devictus captivatur, quodque sine lacrymis dicere non debemus, ipse et comes Tripolitanus, cum duce Mamistræ, dominoque Vg~. de Leziniaco, et aliis quamplurimis, Alapiam ducti incarcerantur; reliquus autem exercitus, magnus licet ac metuendus, cæsus aut captivatus fere totus. Sed et de fratribus nostris ceciderunt in ore gladii 60, milites fortissimi, præter fratres clientes et Turcopolos; nec nisi septem tantum evasere periculum. Antiochia siquidem, amissis bellatoribus suis a primo ad ultimum, tota patet. Quippe cum in omnibus finibus ejus nihil prorsus est reliquum, præter solum corpus miseræ civitatis; C de qua etiam timetur, ut pote quæ armorum, vivorum et victualium coarctatur penuria, neque enim habet sufficientia per duos menses cibaria. Quodque nondum data est in potestatem inimicorum, solus post Deum fecit et facit patriarcha, qui ad tempus sequestrata patriarchali dignitate, munit oppida, dividit escas, largitur donativa, non dubitat etiam de vita periclitari pro patria. Sed quid inde? Sustinebit utique, sustinebit Turcos; sed imperatori Constantinopolitano qui venit, non poterit resistere, omni humano auxilio destitutus. Rex enim noster, quem sua gratia conservet Omnipotens, sub sanctæ crucis vexillo, profectus in Ægyptum cum suis, et cum altera parte fratrum nostrorum a prima die Augusti tenet inclusum in Herbesio civitate usurpantem sibi D regnum Babyloniæ comestabulum Noradini Syracohem. Et nos quidem in Jerosolymis paucissimi (tanta est Turcorum et, ut verius dicam, spurcorum infinitas), non sumus ab infestatione et ab impugnatione securi. Videtis ergo necessitatem nostram; videtis quoniam si dissimulaveritis, aut tarde credideritis, ut soletis, nec antequam residuum Christianitatis consumatur, succursum præbueritis, metuendum est ne, cum volueritis, non possitis. Accingantur itaque qui Dei sunt, et qui Christiano nomine censentur, veniant patris sui regnum et libertatis nostræ patriam liberare, ne patrum nostrorum sanguine viriliter comparata, periclitetur turpiter et irremediabiliter in manus filiorum. Ne exspectetis hinc A alios nuntios, quia rege et magistro absentibus, non audemus dimittere probos homines in hoc arcto.

XXIV.

B. RAIMUNDI FILII, PRINCIPIS ANTIOCHIÆ.

Ludovico, Dei gratia Francorum regi nobilissimo domino suo. B., Raimundi quondam Antiochiæ principis filius, ejus homo et famulus, ab eo qui dat salutem regibus.

Quoniam, serenissime regum et domine, de vestræ magnitudinis clementia non modicam fiduciam habemus, pietatis vestræ genibus prostrati totis visceribus mentis involvimur, quatenus Orientalium partium et maxime Antiochenarum frequens ac lacrymabilis miseria atque devastatio altitudinis vestræ viscera commoveat, ut vestro auxilio atque consilio in ejus manibus spes nostra atque refugium ex omni parte spectat ac singulariter constat, quod quidem suspiranti animo quotidie præstolamur dicentes: « *Quando veniet? putas, durabo?* » Terra nostra jam in arcto posita, et nos ab inimicorum Crucis Christi faucibus erepti, Deo vero laudes referamus; et vos in cœlestibus ab ipso Deo coronemini. Nos enim, nisi Dei auxilio et vestro in proximo sublevemur, cum patria nostra et gente, omnes in miseriam ac funus lacrymabile jam labimur. Securis namque ad radicem arboris posita est. Proh dolor! quantum dedecus erit omni populo et vobis, si terram istam, terram quidem tanta effusione sanguinis parentum vestrorum, tanta siti et fame acquisitam, a nefanda gente violari permittat ac destrui? Scitis equidem, domine, ut credo, ac satis audistis quæ et qualia damna in finibus Antiochiæ in transacto anno acciderint, tum videlicet in captivitate principis et aliorum virorum qui cum eo erant, et in tanta populi Christiani deprædatione atque exterminatione; tum etiam in tanta munitionum igne ferro destructione atque exstirpatione, tum etiam tanto terræ motu tali ac inaudito, qui fere omnes munitiones Antiocheni principatus et omnia castra solo tenus evertit. Sed de his ad præsens prætermitto. Cæterum autem quæ vobis hic præsentium lator vir quidem magnæ religionis ac bonæ vitæ, ex parte nostra dixerit, fideliter credatis.

XXV.

G. FULCHERII CONSERVI MILITIÆ TEMPLI.

Ludovico, Dei gratia regi Francorum charissimo domino suo, frater G. Fulch. eadem gratia militiæ Templi conservus humilis, salutem.

Beneficia et honores parvitati meæ a vobis exhibitos, dignis laudibus attollere aut recompensationibus adæquare quis valeat? Solus Deus, qui vobis sua gratia in æterna beatitudine dignetur retribuere. Ego autem, Deo gratias, sanus et incolumis Accon appuli, magistroque et fratribus primum ex vestra parte salutatis, quantam mihi honorificentiam pro Dei amore eorumque reverentia exhibueratis, expressi. Illi autem super hoc vobis gratias agentes, seque et sua vestræ celsitati commendantes, orationum suarum vobis et pro vobis offerunt instan-

tiam. Mihi autem famulo vestro non credatis elapsum, quod ab ore vestro, cum a vobis recederem, accepisse me gaudeo. Dixistis enim mihi, ut ex parte vestra, loca sancta salutarem, et in visitando ea, memoriam vestri facerem in singulis. Cujus rei non immemor, hunc annulum quem vobis mitto, per sacra loca circumferens et singulis applicans, in memoriam vestri singulis imposui. Pro cujus reverentia, precor ut annulum custodiatis et habeatis chariorem. Valete. Valete iterum cum mei memoria.

XXVI.

B. MILITIÆ TEMPLI MAGISTRI.

Ludovico, Dei gratia regi excellentissimo Francorum, Berctinus, militiæ Templi minister humilis, salutem, et in Christo regnare.

Ad aures vestræ sublimitatis pervenisse non dubitamus, quo timore afflictus dominus noster rex Amalricus communi consilio Christianitatis contra Sairanem, quem Noradinus cum multo exercitu ad regnum Babyloniæ direxerat sibi subjugandum, cum pretioso sacræ crucis signo perrexerit, et qualiter redierit. Nisi enim tanta exstitisset nostris promerentibus culpis terræ Antiochenæ perturbatio et desolatio, præsidio Dominicæ crucis dominus rex vel de suum de inimicis fecisset. Sed audita incommoda Antiochiæ, ut consilio providit, inde secessit. Putabat enim prædictus adversarius Babylonicum regnum suo domino subjacere, et Christum colentibus ingressum ad Hierusalem terra marique impedire. Nam Deus qui suos novit ubique custodire, longe consilium ipsius iniquum aliter disposuit. Tanta autem, serenissime rex, sunt utriusque patriæ, Antiochicæ scilicet et Jerosolymitanæ, incommoda, quod pro nimietate sui nolumus vobis scripto significare. Denique vestræ eximiæ dignitati hunc præsentium latorem fratrem Galterium honestum et in negotiis Dei sollicitum dirigimus, qui in negotiis ipsis permansit, et initium finemque vidit; ipse vero vestræ sanctitati placita super hoc reserabit. Quæ enim sublimitati vestræ dixerit, confidenter attendatis, tanquam nostro ex ore prolata. Et cognoscat vestra excellentia quoniam oculi totius Christianitatis Orientis, post Dominum, in vos respiciunt, ut a tantis malis, dum tempus instat opportunum, per vos eripiatur.

B. LUDOVICI FRANCORUM REGIS EPISTOLA

AD SUBDITOS SUOS IN REGNO FRANCIÆ CONSTITUTOS, DE CAPTIONE ET LIBERATIONE SUA.

Scripta in Acon, anno Domini 1250.

(Bongars, *Gesta*, etc., p. 1196.)

Ludovicus, Dei gratia Francorum rex, dilectis et fidelibus suis, prælatis, baronibus, militibus, civibus, burgensibus suis, et aliis universis in regno Franciæ constitutis, ad quos præsentes litteræ pervenerint, salutem.

Ad decus et gloriam divini nominis, crucis prosequi cupientes negotium, totis affectibus universitati vestræ duximus intimandum: quod post captionem Damiatæ, quam Dominus Jesus Christus, per ineffabilem suam misericordiam, quasi miraculose præter vires humanas Christianæ tradiderat potestati, sicut vos credimus non latere, delibato communi consilio, de Damiata recessimus, vicesima die mensis Novembri proximo præteriti; congregato tam navali exercitu quam terrestri, procedentes adversus Sarracenorum exercitum, congregatum et castrametatum in loco qui vulgariter Massoria appellatur; in ipso quidem itinere sustinuimus aliquos Sarracenorum insultus, in quibus assidue detrimentum suorum non modicum receperunt, quadam die non nullis eorum, qui de exercitu Ægyptiorum nostris occurrerant, interfectis. Intelleximus autem in ipso itinere, Soldanum Babyloniæ de novo vitam miseram finisse; qui, sicut publice dicebat et miserat ad filium suum morantem in partibus Orientis, ut in Ægyptum veniret, et eidem a cunctis sui exercitus majoribus fidelitatis fieri fecerat juramenta; relicta totius suæ terræ exercitus custodia cuidam admirato suo, nomine Farchardino. Hæc quidem, in accessu nostro ad locum prædictum, invenimus vera esse.

Accedentes igitur ad locum prædictum, die Martis, ante festum Nativitatis Dominicæ, in primis accessum habere nequivimus ad Sarracenos eosdem, propter quemdam fluvium inter utrumque exercitum defluentem, qui fluvius Thaneos dicitur, et in loco illo a magno flumine derivatur. Inter utrumque fluvium posuimus castra nostra protendentia a majori fluvio ad minorem; ubi aliquando conflictu habito cum Sarracenis, multi ceciderunt ex ipsis,

nostrorum gladiis interfecti; maxima insuper eorum multitudine submersa in aquis validis et profundis. Sane quia memoratus fluvius Thancos non erat vadabilis, propter profunditatem aquarum et riparum altitudinem, cœpimus facere super eum calciatam, ut per eam pateret transitus exercitui Christiano, ad hoc multis diebus cum immensis laboribus, periculis et sumptibus insistentes. Sarraceni autem, e contra totis resistentes conatibus, machinis nostris quas erexeramus, ibidem machinas opposuerunt quasplures, quibus castella nostra lignea quæ super passum collocari feceramus eumdem, conquassata lapidibus et contracta, combusserunt totaliter igne Græco. Quo facto, fere omni spe et exspectatione frustrata per calciatam illam taliter transcundi, tandem per quemdam Sarracenum venientem ab Ægyptiorum exercitu, datum fuit nobis intelligi locum esse vadabilem aliquantulum inferius, quo poterat exercitus Christianus fluvium transmeare. Inde, communicato consilio baronum et aliorum majorum de exercitu, die Lunæ ante Cineres, fuit concorditer ordinatum quod in crastino, die videlicet Carniprivii, summo mane conveniremus ad locum prædictum, fluvium transituri, quadam parte exercitus ad castrorum custodiam ordinata. Die itaque crastina, ordinatis aciebus, venientes ad locum, transivimus fluvium non tamen sine gravi periculo. Nam profundior et periculosior erat locus, quam nobis fuerat intimatum: ita quod ibi oportuit natare equos nostros, et propter altas et lutuosas ripas, periculosus erat exitus fluminis antedicti. Transacto itaque flumine, ventum est ad locum ubi erant Sarracenorum machinæ, juxta calciatam prædictam. Et habito cum Sarracenis aggressu, nostri qui præcedebant, multos ex ipsis trucidarunt gladiis, non parcentes sexui vel ætati. Inter quos capitaneum eorumdem, et quosdam alios admiratos interfecerunt ibidem. Deinde vero dispersis aciebus nostris, quidam nostrorum per castra hostium discurrentes, venerunt usque ad villam quæ Massora dicitur, quotquot hostium occurrebant gladiis occidentes. Sed tandem Sarraceni, cognito eorum inconsulto processu, resumptis viribus irruentes in eos, et circumvallantes undique, oppressserunt eosdem, ubi facta est nostrorum strages non modica baronum et militum, tam religiosorum quam aliorum, de qua non immerito doluimus quamplurimum et dolemus. Ibi etiam illum præcordialem et præclarum fratrem nostrum, recolendæ memoriæ, et Atrabensem comitem, temporaliter amisimus: quod cum cordis amaritudine recolimus et dolore, licet de ipso gaudendum sit potius quam dolendum, quoniam pro certo credimus et speramus eum, corona martyrii, ad cœlestem evolasse patriam, et ibi cum sanctis martyribus perenniter congaudere.

Itaque die illa, Sarracenis super nos irruentibus undique, ac imbrem emittentibus sagittarum, graves insultus sustinuimus eorumdem usque circiter horam nonam, deficiente nobis omnino balistarum A subsidio, et tandem multis ibidem vulneratis ex nostris et equis nostris pro majori parte diversis sauciatis vulneribus aut occisis, Domino auxiliante, campum retinuimus, nostrorum viribus recollectis: et ibi, juxta Sarracenorum machinas, quas acquisivimus, eadem die castra nostra posuimus: ubi cum paucis moram fecimus die illo, facto ibi prius ponte de lignis, per quem possent illi ad nos qui erant ultra fluvium transmeare. In crastino vero plures e nostris de mandato nostro fluvium transeuntes, castra metati sunt juxta nos: et tunc, destructis Sarracenorum machinis, licias fecimus ad pontes navales, per quos nostri de uno exercitu ad alium transire libere poterant et secure. Sequenti autem die Veneris, filii perditionis, congregatis ex B omni parte viribus suis, Christianum exercitum omnino perdere intendentes, in fortitudine maxima, et in multitudine infinita convenerunt ad licias nostras, ex omni parte exercitus tantos tamque terribiles facientes insultus, quantos sicut a pluribus dicebatur, in eis marinis partibus nunquam viderant facere Sarracenos. Quibus tamen, divina prævalente potentia, ordinata ex omni parte exercitus nostrorum copia restitimus, et impetus repulimus eorumdem, maxima eorum multitudine nostrorum gladiis incumbente. Postmodum autem elapsis aliquot diebus adventavit apud Massoram Soldani filius, veniens de partibus Orientis: in cujus adventu tympanizantes et lætantes Ægyptii, receperunt eum ad Dominum: C et ex hoc augmentata est eorum non modicum fortitudo. Unde apud nos postmodum, nescimus quo Dei judicio, omnia nostris desideriis in contrarium successerunt, inolente diversarum ægritudinum peste, et mortalitatis etiam generalis tam in hominibus quam in equis, ita quod vix erant in exercitu aliqui qui mortuos suos non plangerent, aut ægrotantes ad mortem. Unde pro magna parte diminutus erat exercitus Christianus, et consumptus

Tantus erat defectus victualium, quod plures inedia deficiebant et fame. Non enim vasella navalia de Damieta ad exercitum transire poterant, impedientibus Sarracenorum galeis et vasis piraticis, quæ per terram in flumine collocaverant antedicto. Sicque compluribus vasis nostris prius captis ab eis D in flumine, tandem duas successive caravanas, victualia et alia multa bona ad exercitum deferentes, cæsa mariuorum et aliorum multitudine, ceperunt in totius exercitus detrimentum. Unde deficiente omnino victualium, et annonæ equorum suffragio, cœperunt in exercitu deficere fere omnes, in desolationem et terrorem non modicum incidentes. His igitur arctatos incommodis, tam propter ciborum carentiam et equorum annonæ, tam propter casus superius adnotatos, inevitabilis necessitas nos induxit a loco prædicto recedere, et ad partes Damiatæ redire, si Dominus providisset. Sed, *cum viæ hominis non sint in eo, sed potius in illo, qui quorumque gressus dirigit, et disponit juxta sua placita voluntatis* (*Jerem.* x, 23), dum essemus in itinere revertendi,

quinto scilicet die mensis Aprilis, et Sarraceni totis suis viribus congregatis in unum, cum multitudine infinita aggressi sunt exercitum Christianum; et, sicut accidit, permissione divina, peccatis nostris exigentibus, in manus inimicorum incidimus: nobis, et charissimis fratribus nostris, A. Pictaviensis, et C. Andegavensis comitibus, et cæteris qui nobiscum revertebantur per terram, nemine penitus evadente, captis et carceribus mancipatis, non sine maxima strage nostrorum, et effusione non modica sanguinis Christiani: majori parte illorum qui revertebantur per fluvium, similiter capta, aut gladio interfecta; vasellis navalibus, ut plurimum, incendio dissipatis, in quibus incendii flamma combussit ægrotantum multitudinem dolorosam. Sane post captionem nostram, per dies aliquot jam dictus Soldanus requiri nos fecit de treugis faciendis: petens instanter, non sine minis et austeritate verborum, quod sublato moræ dispendio, faceremus sibi restitui Damiatam, cum omnibus rebus ibidem inventis, et resarciremus omnia damna, et expensas quas fecerat usque ad tempus illud a die qua receperant Damietam Christiani. Tandem vero post multos tractatus, treugas inivimus usque ad decennium, sub hac forma, videlicet:

Quod idem Soldanus nos, et omnes qui capti fuerant a Sarracenis postquam venimus in Ægyptum Christianos captivos, nec non et omnes alios de quibuscunque partibus oriundos, qui capti fuerant a tempore quo Soldanus Kyemel, avus ejusdem Soldani Caym, cum imperatore treugas inierat, de carcere liberaret, et liberos abire permitteret ubi vellent; et quod terras quas Christiani in regno Hierosolymitano tenebant in adventu nostro, cum omnibus pertinentiis in earum pace tenerent. Nos autem tenebamur ei reddere Damiatam, et octingenta millia Byzantiorum, Sarracenorum pro liberatione captivorum, et damnis, et expensis prædictis: de quibus jam solvimus quadringentos: et liberare omnes Sarracenos captos in Ægypto a Christianis, postquam illuc venimus, nec non et eos qui capti fuerant in regno Hierosolymitano, a tempore treugarum olim factarum inter imperatorem et Soldanum prædictum. Adjecto, quod omnia bona nostra mobilia, et omnium aliorum apud Damiatam remanentia, post recessum nostrum, salva forent, et sub custodia et defensione ejusdem Soldani, portanda ad terram Christianorum quandocunque opportunitas haberetur. Omnes etiam Christiani infirmi, et alii qui pro vendendis rebus suis quas ibi habebant, in Damiata moram traherent, tuti similiter essent, recessuri per terram vel per mare, quando vellent, sine impedimento vel contradictione quacunque. Et omnibus illis qui per terram vellent recedere, tenebatur idem Soldanus usque ad terram Christianorum securum præstare conductum.

Unde cum hujusmodi treugæ inter nos et Soldanum prædictum, præstitis juramentis hinc inde firmatæ fuissent, et jam idem Soldanus esset cum suo exercitu in itinere veniendi adversus prope Damiatam, pro complendis omnibus supradictis, accidit, divino judicio, quod quidam milites Sarraceni, non sine conniventia vel majoris partis exercitus, irruentes in Soldanum prædictum surgentem in mane de mensa, post prandium, ipsum immaniter vulneraverunt, et de suo tentorio exeuntem, ut posset fugæ beneficio liberari, videntibus fere omnibus admiratis, et aliorum Sarracenorum multitudine, frustatim gladiis trucidarunt. Quo perpetrato, statim multi Sarraceni armati, in illo furoris calore, venerunt ad nostrum tentorium, ac si vellent, ut timebatur a multis, in nos et alios Christianos desævire; sed divina clementia eorum furiem mitigante, super firmandis treugis præhabitis cum Soldano, et civitatis Damiatæ liberatione festina, nos requisierunt instanter. Cum quibus, præmissis tamen ab eis verborum et comminationum tonitruis, tandem sicut Domino placuit, qui tanquam pater misericordiarum, et pius in tribulationibus consolator, gemitus compeditorum exaudit, firmavimus cum juramentis treugas quas feceramus antea cum Soldano; et ab omnibus et singulis eorum recepimus juramenta, juxta legem eorumdem super treugis nostris observandis, determinatis certis temporibus, infra quæ captivi liberarentur hinc inde; et Damiatæ civitas redderetur. In cujus redditione, et tunc cum admiratis eisdem, et antea cum Soldano ea de causa non sine difficultate convenimus, quia spes nulla erat de retinenda civitate jam dicta, sicut certissime per illos intelleximus qui ad nos de Damiata venerant, veritatem nullatenus ignorantes: propter quos, de consilio baronum Franciæ, et quamplurimum aliorum, potius elegimus Christianitati fore consultius, nos et captivos alios pro treugis hujusmodi liberari, quam civitatem taliter admittere cum residuo populi Christiani existentis in illa, quam nos et alios sub tantis periculis in carcere remanere. Die igitur statuta receperunt admirati prædicti civitatem eandem: qua recepta, liberaverunt nos et fratres nostros; nec non comites Britanniæ, et Flandriæ, et Suession. Et multos alios barones, milites de regno Franciæ, Jerosolymorum, et Cypri. Et tunc spem firmam habuimus, ex quo nos liberaverunt et alios supradictos, quod de reddendis et liberandis omnibus aliis Christianis, juramenta sua firmiter observarent, secundum continentiam treugarum.

His itaque peractis, a partibus Ægypti recessimus, certos nuntios dimittentes ibidem, ad recipiendum captivos a Sarracenis, et ad custodiam rerum quas ibidem dimisimus, et quod non habebamus navigia quæ sufficerent ad portandum. Postmodum autem, venientes in actu de rehabendis captivis, quod multum insidet cordi nostro sollicite cogitantes, remisimus alios solemnes nuntios et navigia in Ægyptum, ad reducendum captivos, et res alias quas dimiseramus ibidem: scilicet, machinas nostras, arma, tentoria, quamdam quantitatem equorum et alia multa bona. Sed Admirati prædicti nun-

tios nostros, cum instantia postulantes reddi sibi captivos juxta formam treugarum et alia supradicta, detinuerunt diutius in Babylonia, sub spe reddendi omnia quæ petebant. Tandem vero post exspectationem diuturnam de captivis omnibus quos reddere tenebantur, qui sunt, ut firmiter dicitur, numero plus quam duodecim millia, inter antiquos et novos, non liberaverunt nuntiis nostris nisi tantummodo quadringentos; de quibus pars quædam exivit de carcere pecunia mediante : de cæteris tantum rebus, nihil omnino reddere voluerunt. Imo, quod est detestabilius, post treugas initas et juratas, sicut intelleximus per nuntios nostros, et per captivos quosdam fide dignos de illis partibus redeuntes, electos juvenes de Christianis captivis ducendo ad victimam, tanquam oves, quantum in eis erat, compellebant apostatare a fide catholica, appositis gladiis super eorum cervicibus, et clamare legem sceleratissimi Machometi; quorum multi imbecilles et fragiles exorbitaverunt a fide, legem illam detestabilem profitendo. Cæteri vero, tanquam athletæ fortissimi, in fide radicati et in firmo proposito constantissime persistentes, minis vel flagellis hostium superari nullatenus potuerunt : sed certantes legitime, coronas martyrii receperunt sanguine rubritas; quorum sanguis, ut pro certo tenemus, clamabat ad Dominum pro populo Christiano, et advocati nostri erunt coram summo Judice in cœlesti curia, in causa quam agimus contra fidei inimicos, utiliores nobis in illa patria quam si nobiscum conversarentur in terris. Multos etiam Christianos qui apud Damiatam remanserant ægrotantes, gladiis trucidarunt. Nec de liberandis captivis Christianis, nec de rerum restitutione nostrarum aliquam certitudinem habebamus, quamvis plene servaverimus conditiones et pacta quæ cum eis habuerimus et parati fuerimus observare.

Ad hoc cum post treugas initas et liberationem nostram, firmam haberemus fiduciam, quod liberatis captivis, terra transmarina quam Christiani tenebant, in statu pacifico permaneret usque ad tempus in treugis diffinitum : voluntatem et propositum habuimus ad partes regni Franciæ revertendi : et jam disponi feceram de navigio, et aliis quæ ad nostrum passagium necessaria videbantur. Sed aperte videntes, per ea quæ superius sunt expressa, quod admirati prædicti aperte contra treugas veniebant, et contra propria juramenta nobis et Christianitati illudere non verentes, requisimus consilia baronum Franciæ, prælatorum, domorum Templi, Hospitalium Sancti Joannis, et Sanctæ Mariæ Teutonicorum, baronum regni Jerosolymitani, et communicatum quid esset nobis ineuntibus hujusmodi faciendum : quorum major pars concorditer asserebat, quod si nos recedere contingeret his diebus, prædictam terram dimitteremus omnino in admissionis articulo constitutam; et noster recessus non esset aliud, nisi eam totaliter exponere Sarracenis : maxime cum in statu tam debili, et tam miserabili his diebus esset, proh dolor ! constituta. Captivi etiam Christiani qui ab infidelibus detinentur, post recessum nostrum poterant pro perditis reputari, omni spe de liberatione ipsorum sublata. Si autem contingeret nos morari, sperabatur quod ex mora nostra posset aliquod bonum evenire : ex quo etiam liberatio captivorum, et castrorum et villarum regni Jerosolymitani retentio, et quædam alia toti Christianitati utilia possent, actore Domino, provenire, maxime cum inter Soldanum Alapiæ, et Babylonios gravis discordia sit exorta. Qui Soldanus, congregatis suis exercitibus, jam cepit Damascum, et quædam castra sub dominio Babyloniæ constituta, processurus, ut a multis asseritur, in Ægyptum ad vindicandum mortem interfecti Soldani, et ad terram illam quantum poterit occupandam. His igitur consideratis attente, prædictæ terræ sanctæ compatientes miseriis et pressuris, qui ad ejus subsidium veneramus, ac captivorum nostrorum captivitatibus et doloribus condolentes, licet nobis dissuaderetur a multis morari in partibus transmarinis : maluimus tamen adhuc differre passagium, et morari per tempus aliquod in regno Syriæ, quam negotium Christi totaliter relinquere desperatum et captivos nostros in tantis periculis constitutos. Charissimos autem fratres nostros *A. Pictaviensem*, et *G. Andegavensem* comites, ad charissimæ dominæ ac matris nostræ, nec non et totius regni consolationem, in Franciam duximus remittendos.

Cum igitur omnes qui in nomine Christiano censentur, zelum habere debeant ad negotium memoratum, et vos præcipue, clerici, qui de illorum sanguine descendistis, quos Dominus ad terram sanctam acquirendam, tanquam populum peculiarem elegit, quam acquisitionis titulo propriam reputare debetis, universitatem vestram ad illud servitium invitamus, qui nobis in cruce servivit, et pro redemptione vestra sanguinem proprium effundendo, exstitit, ita quod corda vestra nova in Christo Jesu. Gens enim illa sceleratissima, in contumeliam Creatoris, præter blasphemias quas dicebant in conspectu populi Christiani, crucem flagellis cædebant, spuebant in eam, et deinde viliter pedibus conculcabant, in opprobrium fidei Christianæ. Eia ergo, milites Christi ! peculiaris papæ Dei vivi accingimini, et estote viri potentes ad vindicandas injurias et opprobria supradicta; actus vestros ad antecessorum vestrorum exempla reducite, qui specialiter, inter cæteras nationes, fuerunt in fidei exaltatione devoti, et sinceritatis affectu dominis suis temporaliter obsequentes, totum orbem gestis insignibus impleverunt. Præcessimus vos in obsequium Dei; venite et vos, assequimini nos pro Deo; tandem nobiscum, licet tardius deveneritis, recepturi, Domino largiente, mercedem, quam *Evangelicus Paterfamilias* primis donavit vineæ suæ operariis et extremis (*Matth.* xx, 8). Insuper præter indulgentiam generalem cruce signatis indultam, venientes, vel competens transmittentes in nostros subsidium,

imo potius terræ sanctæ, dum ibi præsentes fuerimus, apud Deum, et homines multum sibi favoris et honoris acquirent. Expedite autem negotium, ut illi quibus virtus Altissimi inspirabit venire vel mittere in subsidium memoratum, præparent se venturos vel missuros in rassagio instantis mensis Maii vel Aprilis. Ipsi autem qui parati esse non poterunt ad transmittendum in illo passagio, saltem in secundo sequenti passagio sancti Joannis transfretare procurent in subsidium memoratum. Acceleratione enim opus est, et mora dispendiosa videtur, juxta negotii qualitatem. Vos autem, prælati et alii Christi fideles, pro nobis ac memorato negotio terræ sanctæ specialiter orationum instantia interpellare velitis Altissimum, ac in locis vobis subjectis faciatis specialiter exorari, ut quod nostra peccata præpediunt, Divinæ suæ propitiationis annuente clementia, vestrarum aliorumque bonorum orationum suffragiis valeat.

Actum Acon, anno Domini 1200, quinquagesimo mense Augusto.

MONITUM IN SUBSEQUENTIA CARMINA.

(Edelestand du Méril, *Poésies ant. au* XII^e *siècle*, p. 408.)

L'enthousiasme produit par les Croisades inspira successivement un grand nombre de poésies populaires; nous avons cru devoir en ajouter quelques-unes, qui, quoique postérieures à la formation des nouvelles langues, nous ont paru offrir un véritable intérêt. Celle-ci se trouve dans les *Annales* de Roger of Hoveden, ap. Saville, *Rerum Anglicarum Scriptores*, p. 639. Elle fut composée vers 1188; l'auteur s'appelait Bertier ou Bertère, dont Symphorien Guyon fait, sans aucune raison à l'appui de son opinion, un conseiller du roi d'Angleterre, *Histoire d'Orléans*, p. 409.

I.

Chant des Croisés.

Juxta threnos Jeremiæ
Vere Sion lugent viæ,
Quod solemni non sit die
Qui sepulcrum visitet,
Vel casum resuscitet
Hujus prophetiæ.

Contra quod propheta scribit,
Quod de Sion lex exibit,
Nunquam ibi lex peribit
Nec habebit vindicem,
Ubi Christus calicem
Passionis bibit.
Lignum crucis,
Signum ducis,
Sequitur exercitus;
Quod non cessit,
Sed præcessit,
In vi sancti Spiritus.

Ad portandum onus Tyri
Num deberent fortes viri
Suas vires experiri,
Qui certant quotidie
Laudibus militiæ
Gratis insigniri.

Sed ad pugnam congressuris
Est athletis opus duris
Non mollitis Epicuris
Non enim qui pluribus
Cutem curant sumptibus
B Emunt Deum curis (1).
Lignum crucis,
Signum ducis,
Sequitur exercitus;
Quod non cessit,
Sed præcessit,
In vi sancti Spiritus.

Novi rursum Philistæi
Capta cruce, crucis rei
Receperunt arcam Dei,
Arcam novi fœderis,
Rem figuræ veteris
Post figuram rei.

Sed cum constat quod sint isti
C Præcursores Antichristi,
Quibus Christus vult resisti :
Quid, qui non restiterit,
Respondere poterit
In adventu Christi?
Lignum crucis,
Signum ducis,
Sequitur exercitus;
Quod non cessit,
Sed præcessit,
In vi sancti Spiritus.

Crucis spretor crucem premit,
Ex qua fides pressa gemit :
In vindictam qui [*l.* quis] non fremit?
Quanti fidem æstimat,
D Tanti crucem redimat,
Si quem crux redemit.

(1) *Precibus* ap. Saville; mais dans le reste de la pièce le dernier vers du couplet rime avec les trois premiers : *pressuris*, que propose l'*Histoire littéraire*, t. XV, p. 338, donne au vers une syllabe de plus qu'il ne doit avoir.

Quibus minus est argenti,
Si fideles sint inventi,
Pura fide sint contenti.
Satis est Dominicum
Corpus ad viaticum
Crucem defendenti.
Lignum crucis,
Signum ducis,
Sequitur exercitus;
Quod non cessi
Sed præcessit,
In vi sancti Spiritus.

Christus tradens se tortori;
Mutuavit peccatori;
Si, peccator, non vis mori
Propter pro te mortuum,
Male solvis mutuum
Tuo Creatori.

Sane potest indignari,
Cui declinas inclinari;
Dum in crucis torculari,
Pro te factus hostia
Tibi tendit brachia
Nec vis amplexari.
Lignum crucis,
Signum ducis,
Sequitur exercitus;
Quod non cessit,
Sed præcessit,
In vi sancti Spiritus.

Cum attendas ad quid tendo,
Crucem tollas, et vovendo
Dicas : illi me commendo
Qui corpus et animam
Expendit in victimam
Pro me moriendo.
Lignum crucis,
Signum ducis,
Sequitur exercitus;
Quod non cessit,
Sed præcessit,
In vi sancti Spiritus.

II.

Chant des Pèlerins (2).

Audi nos, rex Christe;
Audi nos, Domine,
Et viam nostram dirige!
Deus, miserere;
Deus, miserere
Et viam nostram dirige (3)!

O trine et une,
Cunctis [*l.* cunctos] nos protege,
In hoc sancto itinere.
Ducem nobis præbe,
Angelum adhibe
Qui nos deducat ante te!

Non hic resurgat causatio
Nec ulla mala detractio;
Læti fluamus ad prandium
De puro corde et animo;
De nobis gaudeant angeli :
Hæc sonat [*l. hic sonent*] *verba pacifica,*
Dulcia, bona melli fluat [*l. melli fluant*].
Si vultis aliquod dicere
Scriptura sancta hiero sonet [*l. hic resonet*],
Ut omnis homo ædificet!
Domine Deus omnipotens,
Conserva nostrum pontificem
Ut semper agat quod rectum est,
Cum [*l. ut*] *sacerdotes lætificet*
Et suum populum prædicet
Curamque gerat in pauperem
Viduas omnesque adjuvet
Orphanos; omnibus pater sit
Et captivorum redemptio
Regnum acquirat perpetuum
Rogemus Dominum.....
Ut vitam donet pontifici,
Istius mundi per spatium,
Ut renovetur ut aquila
Et in æternum lætabitur [*l. perpetuum lætatur!*
Domine Jesu Christe dulcissime,
Attingat illi [*l. illud*] *quod dictum est,*
In istis septem versiculis,
Et captivorum redemptio
Regnum acquirat hoc [*l. in*] *sæculum!*
Gloria Patri et Filio
Una cum sancto Spiritu :
Ille qui vivit et regnat [*l. ille*] *nos*
Perducat ad vitam perpetuam [*l. æternam*].
Amen.

(2) Ms. B. de Clermont, n° 189 (XI^e siècle). Ces chants des pèlerins devaient être assez nombreux; car on lit dans la Vie du bienheureux Altmann, évêque de Padoue, qui mourut en 1091 : « Inter quos præcipui duo canonici exstiterunt, videlicet, Ezzo scholasticus, vir omni sapientia et scientia præditus, qui in eodem itinere cantilenam de miraculis Christi patria lingua nobiliter composuit; » dans Pezius, *Scriptores rerum Austriacarum*, t. I^er, p. 117. La relation du voyage de Jost Artus à la terre sainte en 1485, imprimée dans le *Curiosituten*, t. II, p. 405, 422, prouve qu'un usage si naturel existait encore à la fin du XV^e siècle. Elle nous apprend que les pèlerins chantaient en approchant de Venise :

In Gotes Nansen varen wir
Und sind in disem Schiffelnier.

Et en arrivant dans la Palestine :

Sed uns gegrüsst
Du heilges Lant
Wo unser Christ
Lein Leiden vant!

Voyez aussi deux chants insérés par M. O. Wolf, dans son *Sammlang historischer volkslieder und Gedichte der Deutschen*, p. 2 et 5. Nous devons cette pièce, ainsi que la suivante, à l'inépuisable obligeance de M. Champollion-Figeac, conservateur des manuscrits de la Bibliothèque royale. La langue est trop évidemment corrompue pour que nous ayons cherché à la restituer partout. Nos corrections ne portent que sur les fautes qui nous ont semblé provenir du copiste. C'est une prière que l'on chantait avant le repas, sans doute dans un monastère :

Dicamus primum versiculum
De [*l. ad*] *Deum Patrem et Filium,*
Ille [*l. ut*] *nobis præstet auxilium*
In istum nostrum convivium,
Ut non incurrat periculum.

(3) Ce couplet etait répété après tous les autres, étant sans doute chanté en chœur.

Iter nostrum rege,
Ab hoste defende
Et ad patriam reduce
Dexteram extende,
Sinistram submove,
Ab adversis nos defende!

A

Tu, formator bone,
Jube nos vivere
In regno tuo [*l.* regni tui] lumine!
Gloriam [*l.* gloria] æterne
Mancat cum Patre
In sæculorum sæcula [*l.* tempore]. Amen.

ANNO DOMINI MC

RADULPHUS ARDENS

NOTITIA

(*Histoire littéraire de la France*, tom. VIII, p. 254)

Raoul, à qui la vivacité de son esprit et l'ardeur de son zèle semblent avoir fait donner le surnom d'*Ardent*, naquit au diocèse de Poitiers quelques années avant le milieu du XI^e^ siècle. L'éditeur de ses écrits assigne pour le lieu précis de sa naissance le village de Beaulieu dans le voisinage de Bressuire, aujourd'hui du diocèse de La Rochelle. Nous ignorons quelle était sa famille, qu'on dit cependant avoir été illustre et noble. On ne nous apprend point non plus à quelle école il fut instruit, quoique la présomption soit en faveur de celle de la cathédrale de Poitiers. Elle était alors florissante, et sa réputation y attirait des étudiants de fort loin (*Hist. lit. de la Fr.* t. VII, p. 50).

En quelque lieu au reste que Raoul eût étudié, il réussit au delà de ce qu'on faisait ordinairement en son temps. C'est ce qu'annoncent les productions de sa plume. On y voit qu'il possédait les poëtes, les philosophes, l'histoire sacrée et profane, la science canonique, et que l'Ecriture sainte lui était familière. On y découvre aussi qu'il avait quelque connaissance du grec et de l'hébreu. Pour le latin, il le parlait et l'écrivait avec autant de pureté que de délicatesse. Son style est clair, aisé et coulant, et en même temps serré, nerveux et énergique. A tous ces avantages on veut qu'il réunît encore le titre de docteur en théologie, dont il aurait été décoré avant l'âge de trente ans. Mais les degrés académiques, nommément celui de docteur, ne furent établis que longtemps après lui, comme nous l'avons montré autre part.

Raoul était revêtu du sacerdoce, et se mit lui-même au nombre de ceux qui avaient le pouvoir de lier et de délier (*vide col.* 000), ce qu'il ne faisait qu'avec une sage précaution, qu'il prescrit aux autres. En parlant de ceux qui étaient chargés du soin de l'instruction des fidèles, il donne clairement à entendre qu'on lui avait confié la conduite d'une portion du troupeau de Jésus-Christ (*col.* 000), apparemment en qualité de curé de quelque paroisse, comme il est marqué dans le petit abrégé de sa vie en tête de son œuvre. On doit croire qu'il n'a point écrit autrement qu'il a pensé; et en conséquence on se persuadera qu'il n'était point un de ces pasteurs mercenaires et timides contre lesquels il s'élève avec beaucoup de force et un zèle tout de feu (*vide col.* 009). Il ne pouvait guère mieux marquer son indignation contre cette sorte de conducteurs des âmes, qu'il dit avoir été fort communs en son temps, ni faire mieux voir combien il était éloigné de les imiter.

On s'aperçoit aisément au contraire, en lisant le beau détail des caractères du bon pasteur, qu'il a réussi à se peindre lui-même dans ce touchant tableau. Au reste, qu'il fût réellement tel, il n'en faut point d'autre preuve que le recueil d'homélies qu'on a de lui. En attendant que nous les fassions connaître pour ce qu'elles sont, nous dirons qu'elles annoncent le soin assidu qu'il avait de rompre à son peuple le pain de la parole, non-seulement tous les dimanches, mais encore toutes les fêtes de l'année, et son attention à l'instruire de tous les points de la religion chrétienne. Elles annoncent de plus que leur auteur réunissait en sa personne les trois principaux talents qu'il demandait en un prédicateur : le don de la parole, un fonds de science suffisant pour soutenir le saint ministère, et une force convenable d'esprit pour reprendre les vices des grands. Les vives sorties qu'il fait sur les mauvais pasteurs et sur les faux savants qui ne faisaient usage de leurs connaissances que par des motifs d'ostentation et de vanité; enfin sur les évêques mêmes, dont il ne dissimule ni le faste ni les autres vices, tout cela fait bien voir que Raoul n'épargnait personne, lorsqu'il s'agissait des intérêts de Dieu et du salut du prochain.

Sa sollicitude ne se bornait pas seulement à l'instruction, elle allait encore à établir le bon ordre et la bienséance dans l'Eglise, lorsque les fidèles s'y assemblaient pour l'office divin; et ce trait doit faire juger des autres plus importants. Raoul voulait qu'ils s'y plaçassent de telle manière que le clergé seul occuperait le chœur et le sanctuaire; qu'ensuite se placeraient les hommes laïques, le seigneur de la paroisse à leur tête, et que les femmes prendraient leurs places après les hommes.

Un pasteur de ce mérite ne pouvait manquer de devenir célèbre. L'éclat de sa réputation étant venu jusqu'à Guillaume IX (1), comte de Poitiers et duc d'Aquitaine, ce prince l'appela à sa cour. Ce ne fut pas apparemment par le motif de profiter de ses instructions et de corriger ses mœurs. On ne sait que trop

(1) On lit dans le petit abrégé de la vie de notre orateur placé en tête de ses homélies, *Guillaume IV*, ce

que ce comte mena toujours une vie scandaleuse, et tint à l'égard de quelques saints évêques une conduite outrageante. On suppose néanmoins que Guillaume fit de Raoul son prédicateur ordinaire; ce qui est fort douteux, pour ne pas dire hors de toute vraisemblance par les raisons qu'on vient de voir. Ce qu'il y a de certain, c'est que si notre orateur a jamais prêché à la cour de Guillaume, on a négligé de nous conserver les pièces qu'il y débita, et qu'il ne se trouve dans ses homélies imprimées rien qui puisse faire croire qu'aucune ait été prononcée devant un prince ou ses courtisans. Guillaume put cependant se servir de Raoul dans ses conseils, comme le prétend celui qui a rédigé la courte notice de son histoire, quoique, après tout, il doive paraître surprenant qu'un prêtre du caractère de Raoul ait consenti à vivre à une cour telle qu'était alors celle du comte de Poitiers. Mais il est à présumer ou qu'il ne fut pas libre de le refuser, ou qu'il espérait remédier aux désordres qui y régnaient.

Quoi qu'il en soit, le comte Guillaume partant pour la croisade en 1101, Raoul fut du voyage, toujours au service de ce prince (Will. Tyr. l. x, c. 12). Ceux qui nous racontent ces traits historiques ajoutent que ce fut à la suite de l'armée et au milieu du bruit des armes qu'il écrivit ses homélies. Mais ils se trompent assurément, s'ils prennent à la rigueur le terme d'écrire pour composer. Il est visible qu'elles ont été prononcées de vive voix, devant un peuple qui n'était point engagé dans la profession des armes, tels qu'étaient les croisés. Tout ce qu'a pu faire Raoul en cette occasion, est de les avoir mises au net, encore supposé qu'il eut assez de tranquillité et de loisir pour cette opération. Mais il y a plus d'apparence qu'il n'en eut pas même le temps, et qu'il fut du nombre de ces croisés qui, en se rendant en Palestine en 1101, périrent dans les montagnes stériles et les défilés où ils s'étaient engagés imprudemment. Ce qui en fait ainsi juger, c'est que depuis ce temps-là il n'est plus parlé de lui, et que tous les bibliographes qui en font mention terminent à cette même année le cours de sa vie (Cave, p. 558; Oud. *Scrip.* t. II, p. 883; *Supp.* p. 354).

Il est fâcheux que ceux qui ont connu personnellement cet écrivain, et qui étaient en état de nous le faire connaître, aient négligé de nous conserver les événements de son histoire. Un critique du dernier siècle (Barth. *Adv.* l. iv, c. 7, etc.) ne pouvait assez admirer la beauté de son génie, l'étendue de son érudition, la solidité de sa doctrine, la force de son éloquence, et avouait qu'il était peu inférieur aux anciens. Il faut convenir que c'est un préjugé bien avantageux pour le xi^e^ siècle que d'avoir produit et formé un orateur aussi accompli.

L'idée qu'on vient de prendre du savoir et de la manière d'écrire de Raoul, dans ce qui a été dit de l'histoire de sa vie, ne peut prévenir que favorablement au sujet de ses écrits. C'est grand dommage que tous ceux qu'il avait laissés ne soient pas imprimés; et ce serait une plus grande perte si ceux que l'on conservait manuscrits ne se trouvaient aujourd'hui nulle part.

1° Il y a de lui deux recueils d'*Homélies* sur les épîtres et les évangiles de tous les dimanches et fêtes du cours de l'année, non-seulement des fêtes de précepte, mais encore de celles qui ne le sont pas et que l'Eglise célèbre avec quelque solennité. Il y en a aussi sur les épîtres et les évangiles du commun des saints. Toutes ces homélies excèdent le nombre de deux cents; ce qui, joint à la variété qui y règne, quoique le même sujet se présente plus d'une fois à traiter, montre la fécondité de leur auteur.

Raoul y suit uniformément partout la même méthode. Qu'il s'agisse d'une épître ou d'un évangile, il en divise le texte sacré en autant de principales parties qu'il en contient, ce qui va ordinairement à trois ou quatre, quelquefois à cinq ou six, et même davantage, et y ramène le reste du texte suivant le rapport qu'il a à chaque partie, qu'il explique ensuite par ordre. En le faisant il se renferme précisément dans son texte, qu'il ne perd point de vue, et n'entre jamais dans l'histoire du mystère ou du saint pour la fête desquels on a choisi ces épîtres et ces évangiles, à moins que le texte sacré n'en contienne des traits bien marqués. De sorte que les homélies de Raoul sont tout à la fois des explications suivies du Nouveau Testament, et des instructions familières sur la religion, par le soin qu'il a pris d'y faire entrer presque tous les points de dogme, de morale et même de discipline qui la concernent.

D'abord il explique littéralement chaque partie, et en tire des moralités aussi naturelles qu'instructives. Ce qu'il dit sur le sens littéral et le sens moral, il est attentif à l'appuyer par d'autres textes de l'Ecriture, ordinairement bien choisis. Souvent il y joint l'autorité des anciens Pères, dont il rapporte les paroles; d'autres fois, des traits pris de l'histoire ou ecclésiastique ou civile, des Actes des saints, des canons des conciles, quelquefois même des poëtes profanes et des philosophes. Mais il ne cite de ces païens que des traits de doctrine en quoi ils s'accordaient avec les chrétiens. Et s'il en cite d'autres en quoi ils erraient, il est soigneux de marquer leur erreur pour la faire éviter. Les Pères et autres auteurs ecclésiastiques dont Raoul s'est servi sont nommément S. Jérôme, S. Augustin, le pape S. Grégoire, S. Sulpice Sévère, S. Benoît, patriarche des moines d'Occident, dont il cite la Règle, et le Vénérable Bède. Entre ceux-là il paraît qu'il avait choisi pour ses auteurs favoris S. Augustin sur le dogme, et S. Grégoire sur la morale. Il copie quelquefois de ce dernier, dont il possédait à fond les *Dialogues*, de longs passages sans le nommer.

Il est aisé de juger par là de l'érudition de notre orateur. Son style est assorti au dessein de son ouvrage. Il est clair, simple, net, pathétique et concis. Les divisions et subdivisions, qui ont été en vogue parmi les prédicateurs de notre siècle, y sont perpétuelles. Son éloquence est naturelle, tirée des choses mêmes, et en même temps vive, animée et bien soutenue. Son latin est assez pur pour le siècle où écrivait Raoul. Il se sert néanmoins quelquefois de termes barbares pour faire mieux comprendre sa pensée : tel est le terme de *mititudo*, pour exprimer la douceur de caractère. Ces homélies ayant été prononcées devant un auditoire illettré, par un pasteur qui n'avait en vue, comme il paraît, que d'instruire le troupeau confié à ses soins, nous ne voudrions pas nier que l'auteur ne les eût d'abord prêchées en langue vulgaire; après quoi il les aurait mises en latin, telles qu'elles sont, pour les conserver à la postérité. Nous avons observé ailleurs que des savants du premier ordre prétendent qu'il en fut de même des sermons de S. Bernard prêchés devant les frères laïques ou convers de Clairvaux.

L'auteur a fait entrer dans une de ses homélies un trait fort intéressant pour l'histoire de son siècle, et qui a échappé à tous les écrivains ses contemporains et à ceux qui l'ont suivi. M. de Meaux, néanmoins, en fait mention dans ses *Variations*. Ce trait regarde une espèce d'hérétiques manichéens qui troublaient

qui a été suivi de ceux qui l'ont copié. Mais il s'agit ici de Guillaume IX, comme le montre le trait qui concerne la croisade à laquelle il prit part, et ainsi qu'on le verra dans son histoire. Guillaume IV était mort dès 990, un siècle avant que Raoul Ardent fût connu à la cour des comtes de Poitiers.

alors le diocèse d'Agen. La peinture qu'en fait Raoul montre que c'était une branche de ceux qui avaient déjà paru à Toulouse vers 1018, à Orléans en 1023, à Cambrai et à Liége deux ans après, et que c'est de cette branche que sortirent dans la suite ceux qui parurent à Soissons en 1114, à Toulouse en 1118, en Périgord vers 1147, et formèrent enfin la secte des albigeois. Comme la doctrine de ces manichéens d'Agen différait des autres en plusieurs points, quoiqu'elle fût la même pour le fond, on ne sera pas fâché d'en lire ici le détail tel que Raoul nous l'a conservé (*vide col.* 000). « Ils se vantent, mais faussement, dit-il, de mener la vie des apôtres, de ne mentir ni jurer jamais. Sous prétexte d'abstinence et de continence ils condamnent l'usage de la chair et les noces, prétendant que c'est aussi un grand crime d'user du mariage que de commettre un inceste avec sa propre mère ou sa fille. Ils rejettent aussi l'Ancien Testament avec une partie du Nouveau, dont ils ne retiennent que certaines choses. Et, ce qu'il y a encore de plus criminel, ils reconnaissent deux créateurs : Dieu, qui l'est des choses invisibles, et le diable des visibles. Sur ce principe ils adorent en cachette le diable, qu'ils regardent comme le créateur de leur corps. A l'égard du sacrement de l'autel, ils prétendent que ce n'est purement que du pain. Ils nient le baptême avec la résurrection des corps, et soutiennent que personne ne peut être sauvé hors de leur secte. »

Un autre trait remarquable qui se lit dans une autre homélie de Raoul est le caractère dominant de quelques nations, qu'il a trouvé occasion d'y tracer. Il assigne aux Français l'orgueil comme leur vice propre, aux Romains l'avarice, et aux Poitevins la gloutonnerie et le babil. Ne nommant en particulier que cette dernière nation, c'est une preuve qu'il parlait devant elle, et qu'il en était lui-même.

Le grand nombre d'éditions qui ont été faites de ce recueil d'homélies montre en quelle estime il a été aux siècles passés. Peut-être n'en ferait-on pas moins de cas en nos jours, s'il était mieux connu. Il est divisé en deux parties, comme il a été dit. Celle qui contient les homélies sur les épîtres et les évangiles des dimanches et des mystères du Seigneur, dans le cours de l'année, fut imprimée pour la première fois à Paris, chez Claude Fremy, en 1564. Le volume, qui est in-8°, fut dédié à Jean Coquée, abbé de Maurimont, au nom du libraire. Le privilége est cependant de l'année précédente. Il y a toute apparence que c'est une faute, dans Possevin (*App.*, t. III, p. 115), où on lit que cette première édition parut à Anvers, chez les héritiers de Stelsius, en 1563. Il en est de même de la seconde partie du recueil, dont le même écrivain marque aussi une édition au même endroit en 1570; et de l'une et de l'autre, une troisième faite à Louvain, en 1565. Nous n'avons trouvé aucune de ces éditions dans aucun autre bibliographe, ni dans aucune de cette multitude de bibliothèques que nous avons visitées par nous-même ou par le secours de nos amis.

La seconde partie, qui comprend les homélies sur les épîtres et les évangiles des principales fêtes, et du Commun des saints, parut à Paris, encore chez Claude Fremy, en 1567, et en même volume que la première partie. Ce volume est dédié à Antoine Trusson, abbé de Toussaint en l'île de Châlons-sur-Marne. L'éditeur, dans son épître dédicatoire, où il fait parler le libraire, dit expressément que c'était pour la première fois que cette seconde partie d'homélies voyait le jour, et fait clairement entendre que l'édition de la première partie, faite chez le même libraire, avait précédé toutes les autres.

Depuis l'édition de cette seconde partie, l'une et l'autre furent toujours réimprimées ensemble dans la suite, en deux volumes in-8°. Elles le furent ainsi à Paris, chez Fremy, dès l'année suivante 1568; à Anvers, chez Pierre Beller, en 1571 et 1576; encore à Paris, chez Nicolas Chesneau et Jean Poupy, en 1573, 1574 et 1586; et à Cologne, chez Quentel, en 1604. M. Dupin en indique une édition comme faite à Paris, en 1583, que nous ne trouvons point ailleurs : ce qui nous fait soupçonner qu'il faut lire 1573 au lieu de 1583. Même faute, et encore plus considérable, aura été faite dans le catalogue des livres de la veuve Edmond Martin, dans lequel on en marque une édition de 1675. Nous ne doutons point qu'il ne faille lire 1575.

On a jugé autrefois ces homélies si utiles pour l'instruction de tous les fidèles, qu'on en a donné une traduction en notre langue. Elles furent imprimées, traduites de la sorte, en deux volumes in-8°, à Paris, chez Poupy et Chesneau, en 1575. Le traducteur de la première partie fut Fr. Jean-Robert, qui la dédia à Jean Brolly, abbé de N.-D. de la Victoire, près de Senlis, par une épître datée de Paris au mois d'octobre de la même année. L'autre partie fut traduite par F. Fremin Capitis, qui en fit la dédicace à Nicolas Pseaume, évêque de Verdun, d'où son épître est datée le 27 de janvier 1575. Cette traduction ne paraît point avoir été réimprimée : ce qui annonce qu'elle ne fut pas goûtée comme le texte original. Aussi y a-t-il entre l'un et l'autre une très-grande différence.

2° Celui qui a rédigé le petit éloge historique de Raoul, imprimé en tête de ses homélies, assure que, outre cet ouvrage, il en avait composé un autre, divisé en quatorze livres, et intitulé *Speculum Ardentis*, le Miroir de Raoul Ardent. Mais on ne nous instruit point si c'était un Miroir historial ou moral, c'est-à-dire si l'objet de l'ouvrage était l'histoire, la morale, ou quel autre sujet l'auteur entreprenait d'y traiter. Divers autres écrivains, dans la suite, choisirent le même titre pour annoncer quelques-uns de leurs écrits. Ce *Miroir* de notre orateur, au temps de l'éditeur de ses homélies, était conservé manuscrit à la bibliothèque des Cordeliers de Bressuire; et l'on dit que l'auteur y déclare avoir composé encore plusieurs autres ouvrages. Pour l'avancer aussi affirmativement qu'on semble le faire, il faut avoir lu l'endroit où Raoul en parle. Et si on l'avait lu, pourquoi ne pas articuler ces autres ouvrages, et en copier même ce qu'en dit l'auteur.

Outre l'exemplaire manuscrit du *Miroir* qu'on vient d'indiquer, il s'en trouve encore trois autres : l'un à la bibliothèque du Vatican, et deux autres à celle de l'abbaye de Saint-Vincent de Besançon (Montf. *Bib. bib.*, p. 101, 1190, 1194). Dans l'exemplaire du Vatican et un des deux autres l'ouvrage est intitulé *Speculum universale*, Miroir universel : ce qui ferait juger que l'auteur y traite un grand nombre de différents sujets. Mais le titre qu'il porte dans le troisième manuscrit restreint cette idée, et donne à entendre qu'il ne s'y agit que de morale. Voici ce titre : *Diversi tractatus theologici morales.* Une main étrangère, pour montrer que c'est le même ouvrage sous un autre titre, y a ajouté : *Speculum universale magistri Adulphi Ardentis*, conformément au titre de l'autre exemplaire de la bibliothèque, titre où le copiste a écrit par erreur *Adulphi* pour *Radulphi*, ou mieux *Rodulfi*.

3° On ajoute que Raoul avait écrit une histoire de son temps, c'est-à-dire, comme on l'explique aussitôt, de la guerre de Godefroi de Bouillon contre les Sarrasins. Mais on ne dit point que cet ouvrage fût un de ceux dont Raoul fait mention dans son *Miroir;* et ce qu'on ajoute tout de suite fait naître une difficulté qui demande quelque éclaircissement. On dit que cette croisade était celle dont fit partie Guillaume, comte de Poitiers. Or ce prince ne partit pour la Palestine, ainsi qu'on la vu, qu'en 1101, et par conséquent après la mort de Godefroi de Bouillon. De sorte que, si l'histoire qu'écrivit Raoul Ardent roulait sur les exploits

militaires des chrétiens contre les Turcs, du temps que le comte Guillaume était de cette expédition, elle ne contenait que des événements arrivés en 1101, et ne pouvait être qu'un commencement d'histoire, puisqu'on suppose que l'auteur ne vécut pas au delà de cette même année. Si au contraire elle comprenait ce qui se passa à la croisade sous Godefroi de Bouillon, ce devait être un ouvrage préférable à ceux de Tudebode, de Raymond d'Agiles, de Foucher et de tant d'autres, au moins pour le style ; car on a montré que son auteur avait le talent de bien écrire, que ne possédaient pas ces autres historiens.

4° Enfin on attribue à Raoul un recueil de lettres, divisé en deux livres. Les traits d'histoire, de littérature ou autres qu'elles contenaient, joints à la manière d'écrire de l'auteur, doivent en faire regretter la perte. Si elles existaient encore, de même que l'ouvrage précédent, et qu'il fût possible de les découvrir, ce serait incontestablement un agréable présent à faire au public.

D. RADULPHI ARDENTIS PICTAVI

Doctoris theologi perantiqui, illustrissimi Aquitaniæ ducis Gulielmi, hujus nominis quarti, concionatoris disertissimi

IN EPISTOLAS ET EVANGELIA SANCTORUM

HOMILIÆ

Ecclesiasticis omnibus animarum curam gerentibus plurimum necessariæ et ante annos prope quingentos ab auctore conscriptæ, nunc primùm in lucem editæ.
Quibus annecti curavimus ejusdem homilias in Epistolas et Evangelia quæ in Communi sanctorum legi consueverunt.

(Parisiis, apud Claudium Fremy, via Jacobæa, ad insigne D. Martini. — 1567.)

EPISTOLA NUNCUPATORIA

Reverendo Patri Antonio Trusson, abbati inclyti monasterii Omnium Sanctorum in insula Catalaunensi Claudius Fremy salutem et pacem exoptat.

Superioribus annis jussu cujusdam præsulis, abbas reverende, Homilias Radulphi Ardentis, auctoris perantiqui, in Epistolas et Evangelia Dominicalia, a blattis et tineis vindicandas suscepi, preloque, quanta fieri potuit cura, repurgatas tradidi. Quas ut compertum habui multorum piorum hominum ac doctorum calculis comprobari, multumque utilitatis reipublicæ Christianæ afferre, eo quod præter singularem doctrinam, etiam veterum Patrum in religione pietatem ac sanctitatem redoleant; omnem laborem rursus adhibui in transcribendis ejusdem homiliis, ut vocant, de sanctis. Quibus addidi Vitas quorumdam sanctorum, quorum exemplis veluti stimulis quibusdam urgeremur ac premeremur ad eas imitandas virtutes, quas in eorum vitæ consuetudine admiramur. Cum enim lumine fidei æternum illud gloriæ decus, quod per hujus mundi contemptum consecuti sunt sancti, contemplamur, non possumus non vehementer accendi (si modo tanquam ingenui filii ad beatam patriam cœlestemque Patrem aspiramus) ad eorum sequenda vestigia, qui jam in illa indicibili gloria securi triumphant : certo apostolica doctrina persuasi, quod si socii fuerimus passionum, et consolationis erimus. Ut autem ad æternam illam consolationem facilius pervenire valeamus, operæ pretium fuerit has nostri Ardentis homilias legere. In quibus, ut verbis D. Hieronymi utar, habet infans quod lactet, puer quod laudet, adolescens quod corrigat, juvenis quod sequatur, senior quod precetur. In quibus item, ut docet noster Ardens, methodum insequendi Christum addiscemus, utpote si mundum contemnentes, omnia quæ habemus pauperibus erogaverimus, nudi nudum Christum secuti fuerimus, carnem nostram cum vitiis et concupiscentiis crucifixerimus, castitate, charitate cæterisque virtutibus enituerimus, ad cœlestia toto desiderio contenderimus. Hæc autem omnia mecum in animo reputans illas libenti animo edendas curavi, tum ut populus Christianus et Catholicus in simplicitate fidei, quam a parentibus accepit, contineatur, tum ut tanti auctoris lectione vitia quæ in dies magis ac magis pullulant, radicitus evellantur. Quas tuæ fidei volui credere, ut tua dignitate et nomine antiquum theologum protegere digneris. Quod si susceperis, facies quod tui est muneris et dignitatis. Vale. Parisiis Idibus Februarii, 1567.

THEODORETUS

Libro de curatione Affectionum Græcarum octavo, qui est de Martyribus.

« Nam et Antiochus Deus vocatus est, et Caius qui Tiberio imperatori successit, Vespasianus quoque et Adrianus, sibi templa ingentia excitarunt. Verum et vitali simul aura et impio honore privati sunt. Martyrum vero templa conspicua cernuntur, magnitudine quæ præstantia, omni præterea ornatus genere variata, splendoremque quodammodo pulchritudinis suæ late fundentia. Neque vero hæc per annum semel, aut bis aut quinquies adventamus, sed in eis sæpenumero dies festos peragimus, sæpe diebus singulis eorum martyrum Domino laudes hymnosque cantamus. Quique homines prospera sunt valetudine, conservari eam sibi a martyribus petunt; qui vero ægritudinem aliquam patiuntur, sanitatem exposcunt. Insuper et steriles viri et mulieres dari sibi filios petunt : qui vero parentes sunt, integra sibi et propria custodiri quæ consecuti sunt, dona. Item qui peregre aliquo proficiscuntur, petunt Martyres sibi comites esse in via, vel potius itineris duces. Qui vero jam sospites redierunt, gratias agunt, acceptum beneficium confitentes. Non qui se ad deos accedere arbitrentur, sed qui orent Dei martyres tanquam divinos homines intercessoresque sibi eos apud Deum advocent ac precentur. Pie vero fideliterque precatos ea maxime consequi quæ desiderant, testantur illa quæ votorum rei dona persolvunt, manifesta nimirum adeptæ sanitatis indicia. Nam alii quidem oculorum, alii vero pedum, alii porro manuum simulacra suspendunt, ex argento aurove confecta. Gratissime namque accipit eorum Dominus qualiacunque sunt dona, nec exigua nec vilia dedignatur, quippe qui ea pro ferentis facultate metitur. Hæc itaque omnium spectaculo exporrecta, testantur morborum depulsionem, cujus ipsa certissima signa sunt, a sanitate consecutis allata : hæc, inquam, sepulcrorum ibi martyrum quæ sit virtus ostendunt. Martyrum autem virtus quem ipsi coluerunt Deum, verum esse Deum declarat, » et cætera. — Deinde : « At philosophi quidem præclarique oratores oblivioni jam dati sunt : imperatorum vero ac magnorum ducum ne nomina quidem multi hodie norunt, cum tamen martyrum nomina magis quam familiarium cuncti mortales sciant; quin etiam nascentibus filiis ea imponi curant, ita custodiam illis tutelamque certissimam comparantes, » et cætera. — Item : « At illos quidem cassos gloria vanosque reddidit, suis autem martyribus honorem illorum dedit : pro Paudiis enim Diasiisque ac Dionysiis, hoc est Jovis Liberique patris solemnitatibus, Petro, Paulo, Thomæ, Sergio, Marcello, Leontio, Antonino, Mauritio aliisque sanctis martyribus populari epulo peraguntur. Proque illa veteri pompa, pro turpi obscenitate ac impudentia fiunt modestæ, castæ ac temperantiæ plenæ festivitates, non illæ quidem mero delibutæ, non comessationibus leves, non cachinnis solutæ, sed divinis canticis personantes, sacrisque sermonibus audiendis intentæ, in quibus ad Deum preces non sine sanctis lacrymis ac suspiriis submittuntur. Cum itaque talem tantamque utilitatem ex martyribus honore collato provenire homines videatis, fugite, quæso, errorem dæmonum, prævioque ductu martyrum facibusque utentes, viam capescite quæ ad Deum perducit, ut immortali ævo illorum choris et præsentia perfruamini. »

RADULPHI ARDENTIS HOMILIÆ.

I.

HOMILIÆ DE TEMPORE.

I.

IN SOLEMNITATE SANCTI ANDREÆ APOSTOLI.

Corde creditur ad justitiam; ore autem confessio fit ad salutem (*Rom.* x), etc. Tripartita est hæc lectio, fratres mei. Primo enim ostendit Apostolus quod ex fide et confessione est salus; secundo, unde illæ in nobis oriantur; tertio ostendit quod magis auditores prædicationi, quam prædicatio auditoribus desit. Ostendens igitur Apostolus ex quibus proficiamus ad justitiam et salutem, ait : *Corde creditur ad justitiam*, verum *fit confessio ore*, et ita *ad salutem*. Non sufficit fides cordis sine confessione oris, maxime

ubi fides periclitatur. Petrus quidem fidem habebat in corde, sed quia ore negavit, mortaliter peccavit. Debemus enim crucem Christi et aperte prædicare, et in eminentiori parte nostri, et in fronte portare, et non, ut quidam hæretici, opprobria Christi erubescere. Unde Dominus : « Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo (*Matth.* x). » Econtrario : « Qui erubuerit me et meos sermones, et hunc erubescet Filius hominis coram Patre meo (*Luc.* IX). » Quod aperte contra nos est, fratres mei, qui, etsi crucem Christi, quæ nunc ubique apud Christianos est in honore, non erubescimus; tamen humilitatem, paupertatem, patientiam cæterasque Crucifixi virtutes fateri erubescimus, quoniam, sicut Dominus confitebitur eos esse suos qui has virtutes confitentur et portant, ita econtrario diffitebitur illos esse suos qui nunc has virtutes fateri erubescunt. Rursus nec sufficit confessio oris sine fide cordis. Fictis enim Christianis et hypocritis nihil prodest Deum confiteri ore, quem non habent in corde. Unde Dominus : « Populus, inquit, iste labiis me honorat; cor autem eorum longe est a me (*Isa.* XXIX; *Matth.* XV). » Quod etiam contra nos est, fratres mei, qui, etsi orando et invocando Deum confitemur, tamen per malas cogitationes ab eo elongamur. Rursus nec fides cordis, nec confessio oris sufficit sine attestatione operis, habenti dico tempus operandi; falsi enim Christiani et etiam dæmones credunt et confitentur Deum. Unde Jacobus : « Dæmones credunt et contremiscunt (*Jac.* II). » Et etiam, ut habetur in Evangelio, exeuntes de corporibus obsessorum fatebantur Jesum esse Christum (*Marc.* I); et tamen illis obest potius quam prodest. Christum credere corde, vel confiteri ore, quem diffitentur opere : Unde Jacobus : « Fides, inquit, sine operibus mortua est (*Jac.* II). » Et Paulus : « Confitentur se nosse Deum, factis autem negant (*Tit.* I). » Propterea cum dixisset hic Apostolus, *Corde creditur ad justitiam*, adjunxit, *ore autem confessio fit ad salutem*. Potest enim hic haberi justitia, nec in futuro salus. Nos ergo, fratres mei, ut æternam vitam atque salutem in futuro consequi mereamur, hic et corde firmiter credamus, et ore consono confiteamur, et vita puritatis Christum attestemur. Quod autem ex fide et confessione perveniatur ad salutem, probat Apostolus. Et primo de fide subdit : *Dicit enim Scriptura : Omnis qui credit in illum, non confundetur*. Qui enim firmiter credit in Christum fide per dilectionem operante (*Gal.* V), et si inter tribulationes et miserias sæculi videatur aliquando confundi, tamen in finem non confundetur, imo tanquam filius honorabitur. Quod enim benedixerit universaliter *omnis*, probat cum subdit : *Non est enim distinctio Judæi et Græci*. Porro Judæi erant proximi Christo carne, familiares cultu et instituti per legem. Et econtra, Græci, sive gentiles, erant remoti a Deo et ignoti, et nec per legem neque per prophetas eruditi. Sed apud Deum, qui non est acceptor personarum (*Act.* X), *non est distinctio Judæi et gentilis* : quoniam Judæos et gentiles æque credentes æque salvat, æque laicum et clericum, æque religiosum et sæcularem, æque litteratum et illitteratum, æque nobilem et ignobilem. Imo idem fervor fidei videtur esse majoris meriti in laico quam in clerico, in sæculari quam in religioso, in illitterato quam in litterato. Gratiora quippe videntur obsequia, quæ exhibentur ab eis qui minus tenentur. *Nam idem*, inquit, *Deus Dominus omnium, dives in omnes* (subaudi ditandos) *qui invocant eum*. Ac si dicat : Reges terræ propter paupertatem aliquos satellites suos quandoque vel non remunerant vel non quantum debent remunerant. At Dominus omnipotens, in omnibus dives, milites suos omnes abundanter remunerat. Deinde auctoritatem Isaiæ de confessione inducit, subdens : *Omnis enim qui invocaverit nomen Domini, salvus erit*. Dominum invocat qui ex intimo affectu eum vocat, qui procul dubio affectus, si opus subsequi non possit, ad salutem sufficit.

Sequitur pars secunda, in qua ostenditur unde fides et confessio in nobis oriantur, cum subdit : *Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? Et quomodo credent ei quem non audierunt? Et quomodo audient sine prædicante? Et quomodo prædicabunt nisi mittantur?* Ostendens per hanc gradationem quod non potest haberi confessio, vel fides, nisi ex gratia Dei, prædicatores mittentis et prædicationem in cor hominis docentis. Quando enim Deus subtrahit prædicationem aliquibus, ne vel audiant, vel acquiescant prædicationi, ex occulto Dei judicio provenit. Unde ipse ait : « Linguam tuam adhærere faciam palato tuo, ne sis quasi vir objurgans, quia Dominus exasperans est (*Ezech.* III). » Quando vero mittit et immittit prædicationem suam in homines, ex gratia divinæ misericordiæ est. Proinde, fratres mei, totis viribus orandum est nobis ut Dominus veros prædicatores in populum suum mittat, juxta quod ipse ait : « Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo dominum messis, ut mittat operarios in messem suam (*Matth.* IX), » et ut corda auditorum ad credendum et confitendum præparet; nisi enim intus sit qui doceat, in vanum lingua docentis laborat. Quam autem utilis sit adventus prædicatorum populo, ostendit Apostolus per auctoritatem prophetæ, cum subdit, sicut scriptum est : *Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona!* Quis enim adventus potest nobis esse utilior, et quæ annuntiatio potest esse gratior nobis quam eorum quæ Dei reconciliationem et pacem nobis afferunt et offerunt, et bona nobis æterna promittunt? Quod aperte contra quosdam perversos est, qui oblatam prædicationem non solum facere vel suscipere, sed et nec audire volunt, cum ad quoslibet vanos rumores et otiosos sermones audiendos semper parati sint. Quos quanta damnatio exspectet, ostendit Dominus, cum discipulis suis dicit : « Quicunque non receperint vos, amen dico vobis quia tolerabilius erit Sodomorum vel Gomorrhæorum terris quam illi civitati (*Matth.* X; *Marc.*

VI; *Luc.* IX). » Sequitur pars tertia, in qua ostendit quod magis auditores prædicationi quam prædicatio auditoribus desit, cum subdit : *Sed non omnes obediunt Evangelio.* Ac si aperte dicat : Cum autem utilis sit Evangelii annuntiatio, tamen non omnes ei obediunt. Alii enim vix etiam audiunt Evangelium ; alii vero audiunt, sed non suscipiunt ; alii vero et audiunt et suscipiunt professione, cum non exsequuntur opere; alii vero et audiunt et suscipiunt et exsequuntur ad tempus, sed tamen non perseverant. Omnes autem isti, quamvis audiant, non obediunt Evangelio, quod et fidem, et operationem, et perseverantiam requirit. De quorum inobedientia dolent et conqueruntur hodie veri prædicatores, sicut olim conquerebatur Isaias, dicens : *Domine, quis credidit auditui nostro ?* videlicet quod nos a Deo interius audivimus, et auditoribus exterius ministramus, quasi dicat *rarius : Ergo*, inquit, *fides ex auditu*, scilicet prædicationis, venit ad cor auditoris. *Auditus autem fit per verbum Dei*, exterius sonans, et per spirituale verbum interius invisibiliter operans. *Sed dico : Nunquid non audierunt ?* audierunt quidem, quoniam ex quo Evangelium per apostolorum prædicationem per universum mundum divulgatum est, nullus per inaudientiam se potest excusare. Unde et per auctoritatem Psalmistæ inducit, dicentis : *Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum.* Per omnes quippe mundi partes exivit fama apostolorum. Et ipsa eorum verba ubique propalata sunt. Petrus autem et Paulus Romanis evangelizaverunt ; Jacobus, Hispanis; Thomas, populis majoris Indiæ; Bartholomæus, populis minoris Indiæ; Matthæus, Æthiopibus; Joannes, Asianis; Simon et Judas, Ægyptiis et Persis; Andreas, cujus hodie natalia colimus, Græcis. Quorum prædicatio contemni non potuit, sed potius admirabilis, velox et efficax fuit. Et quod prædicabant verbis, confirmabant exemplis, confirmabant miraculis, confirmabant effusione sui sanguinis. Nos ergo, fratres mei, eorum verba firmiter teneamus, exempla vitæ eorum sequamur, miracula credamus, martyrium imitemur, etsi non sanguine, saltem carnalium concupiscentiarum in nobis crucifixione, mundum odientes, divitias et honores mundi contemnentes, persecutiones fortiter sustinentes, bonis operibus radiantes, omnibus enim inimicis charitatem exhibentes, ad cœlestia toto desiderio festinantes, ut, meritis et precibus ipsorum apostolorum, eorum consortia in cœlis consequi mereamur, largiente Domino nostro Jesu Christo, etc.

II.

IN SOLEMNITATE SANCTI ANDREÆ APOSTOLI.

Ambulans Jesus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, et Andream fratrem ejus, mittentes rete in mare (*Matth.* IV), etc. Tria nobis ostenduntur in hac lectione, fratres mei. Primo enim ostenditur quantum sit Dominus sollicitus in miserendo ; secundo, quomodo sit efficax in vocando ; tertio, quantum Petrus et Andreas fuerint veloces in obediendo. Porro quantum sit Dominus sollicitus in miserendo, demonstratur, cum dicitur : *Ambulans Jesus juxta mare Galilææ.* Non solum enim Dominus noster Jesus Christus miserebatur, sed et quærebat cui misereretur ; et illuc ambulabat, ubi illos quibus misereretur esse sciebat. Hinc est quod Dominus ambulabat *juxta mare Galilææ*, ubi Petrum et Joannem, Andream et Jacobum, per misericordiam vocaturus erat. Quem nos imitantes, fratres mei, illuc potius eamus, ubi occasionem miserendi nos inventuros scimus. Non simus illis similes qui declinant loca ubi pauperes esse sciunt, ne forte propter inopportunitatem cogantur misereri eorum ; sed nos, fratres, eamus ubi scimus esse errantes, ut eos ab errore revocemus. Eamus ubi scimus esse pauperes, ut eis subveniamus. Eamus ubi scimus esse lugentes, ut eos consolemur. *Vidit*, inquit, *duos fratres mittentes rete in mare*, quoniam illorum præcipue miseretur Deus qui fraternitatem diligunt, qui sese coadjuvant, et de labore suo vivunt. At qui venantur fratrem in mortem, qui sese persequuntur, et « in labore hominum non sunt (*Psal.* LXXII), » vocatione digni non sunt. Sequitur pars secunda, in qua ostenditur quomodo Dominus Petrum et Andream efficaciter vocaverit, cum eis dixit : *Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum.* In qua vocatione, fratres mei, tria consideranda sunt : Locus, ordo et efficacia. Locus, quoniam Deus de littore laborantes in mari, a mari vocat. In quo quid aliud significatur, nisi quia a sollicitudine hujus mundi ad quietem, a timore ad securitatem, ab instabilitate ad stabilitatem æternæ vitæ eos invitat? In quo et nos peccatores instruit, ut extra mundanam concupiscentiam simus, si alios ab illa concupiscentia revocare velimus, ne, si cupidus cupidum moneat, forte dicatur illud Pauli : « Tu prædicas non furandum et furaris ; non mœchandum et mœcharis (*Rom.* II). » Ordo etiam notandus est, vidit, vocavit, se sequi jussit, præmium promisit. Vidit per electionem, vocavit per fidem, jussit se sequi per obedientiam, præmium promisit per obedientiæ remunerationem. Per electionem quippe venitur ad fidem ; per fidem, ad obedientiam ; per obedientiam, ad præmium. Magnum quippe præmium et magna dignitas est suæ et aliarum animarum piscatorem esse. Qui enim aliorum animas a mundo trahit, et suam sibi submergi sinit, bonus piscator non est. Efficacia vero in hoc apparuit, quoniam ex quo vocavit eos Dominus, statim eum secuti sunt. Non enim tantum exterius eos vocavit, sed, sicut vocavit eos exterius voce, ita vocavit eos interius inspiratione. Ipse enim solus verus vocator et verus prædicator est, quoniam interius vocat et prædicat. Nos vero veri prædicatores non sumus, quoniam tantum exterius vocamus et prædicamus. Sequitur pars tertia, in qua ostenditur quantum Petrus et Andreas velociter obedierunt, cum subditur : *At illi, continuo relictis retibus et navi, secuti sunt eum.* Ecce isti, cum nulla adhuc miracula Domini vidissent, nihil de æterna retributione audissent, cum ipsum

Dominum mortalem viderent et eum nihil habere conspicerent, tamen ad primam ejus vocationem credunt, omnia relinquunt, et nudi nudum sequuntur.

Quid nos, fratres, dicturi sumus qui quotidie miracula videmus, qui quotidie de æterna beatitudine legimus et audimus, qui ipsum Dominum immortalem in cœlo regnare scimus, qui eum divitem in omnibus novimus, et tamen ad crebras ejus vocationes eum sequi contemnimus. Nec abundantes, nec egentes eum sequimur; nec minis, nec verbis, nec verberibus, nec promissionibus emendamur. *Relictis*, inquit, *navibus et patre*. Sed dices : Quid isti dimiserunt qui nihil fere habuerunt? Multum, fratres, reliquerunt qui omnia ea quæ habuerunt reliquerunt, et de cætero nihil habere voluerunt. Omnia illa reliquerunt quæ concupiscere potuerunt. Nemo ergo sibi dicat : Imitari mundi contemptores volo, sed quid relinquam, non habeo. Multum, fratres, relinquitis, si concupiscentiis vestris abrenuntiatis. Certe cum regnum cœlorum æstimationem non habeat, tantum valet quantum habes. Petrus et Andreas, *relictis retibus et navi*, regnum cœlorum mercati sunt; Zachæus dimidio bonorum suorum (*Luc.* XIX); vidua duobus minutis (*Luc.* XXI; *Marc.* XII); alius frigidæ aquæ calice (*Matth.* X); alius sola bona voluntate. Qui nihil habet, se det, et habebit illud. *Secuti sunt*, inquit, *eum*, non solum pede, sed et amore, vita et morte. Pede, quia nec mors, nec vita potuerunt eos separare a charitate Christi; vita, quia facti sunt sancti, sicut ipse sanctus est, pius, sicut ipse pius est, justus, sicut ipse justus est; morte, quia sicut Christus passus est pro eis, ita ipsi pro Christo passi sunt, crucifixi etiam, sicut Christus crucifixus est. Sed Christus, qui sine macula fuit, in cruce directus, extensus fuit. Petrus vero, quia Christum negavit, opposito crucifixus fuit. Andreas autem ex obliquo, quoniam, etsi non negavit, tamen aliquo modo peccavit. Quia vero sic obediendo secuti sunt, ita et Christus eos, ut promiserat, « piscatores fecit hominum (*Marc.* I). » Piscator navem regit, navem disponit, pisces capit, captos ad littus trahit et secernit. Sic quoque isti naves, id est Ecclesias rexerunt, et rete prædicationis disposuerunt; pisces, id est homines prædicatione ceperunt, et eos ad littus judicii traxerunt; Petrus, Antiochiam et Romam; Andreas, Achaiam. In judicio vero bonos a malis separabunt. Sedebunt enim cum cæteris apostolis « super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel (*Matth.* X). » Nos ergo, fratres, tantorum Patrum Natalitia celebremus, ut eorum precibus et meritis adjuti, ipsorum vitam et doctrinam tenere mereamur. Et si non possumus, sicut illi, pro Christo relinquere omnia, saltem relinquamus superflua; et si non possumus, sicut illi nudi sequi nudum, saltem contenti necessariis, sequamur eum; et si non possumus eum sequi per crucis passionem, saltem sequamur eum per carnis abstinentiam et macerationem. Crucifigamus membra nostra, ut peccato moriamur. Pedes crucifigamus, ne eant in viam peccatorum; manus, ne extendantur ad opera iniquorum; oculos, ne videant vanitatem; aures, ne audiant detractionem; cor, ne cogitet malam cogitationem; ut in resurrectione, si non judicare cum apostolis, tamen adjudicari vitæ æternæ ab apostolis mereamur. Per Dominum nostrum Jesum Christum, etc.

Vita beati Andreæ apostoli per Dorotheum.

(2) Andreas, frater Simonis Petri (*Matth.* X), sicuti majores nostri tradiderunt, Scythis et Sogdianis, et Sacis, et in Sebastopoli interiore, ubi Æthiopes agrestes habitant, Evangelium Domini Jesu Christi prædicavit. Sepultus est Patris, civitate Achaiæ, crucifixus ab Ægea, rege Edessenorum.

Ejusdem per D. Isidorum.

(3) Andreas, qui interpretatur *virilis*, vel *decorus*, frater Petri, secundum Joannem primus (*Joan.* I), juxta Matthæum a primo secundus (*Matth.* X). Hic in sortem prædicationis Scythiam atque Achaiam suscepit, in qua crucis patibulo suspensus occubuit. Ejus Vitam ampliorem vide in Abdia, et in Adone, Treverensi episcopo.

III.

IN DIE SANCTI STEPHANI.

Stephanus plenus gratia et fortitudine, faciebat prodigia et signa magna in populo (*Act.* VI), etc. Hodie, fratres charissimi, festivitatem sancti protomartyris Stephani celebramus, cujus admirabilem vitam et pretiosam mortem prælibata lectio nobis exponit, ostendens nobis septem, videlicet, quantus fuerit in virtute, quantus in opere, quantus in prudentia et eloquentia, quantus in contemplatione, quantus in patientia, quantus in charitate, quam felix in morte. Primo igitur, quantus fuerit in virtute, ostendit, cum dicit : *Stephanus plenus gratia*. Vocat autem hic gratiam collective, quælibet dona sancti Spiritus, ut fidem, spem, charitatem, sapientiam, quæ antonomastice gratiæ nuncupantur. His beatus Stephanus dicitur esse plenus, ad modum dolii pleni musto, et alabastri pleni unguento. Sicut enim dolium plenum musto foris eructat, et circumstantia fervore et odore replet, ita, sicut alabastrum plenum exterius respirat, et sua flagrantia exteriora delectat, ita beatus Stephanus, divina gratia repletus, non solum redolere poterat, sed potius suarum virtutum opinione circumstantes delectabat. *Plenus*, inquit, *gratia et fortitudine*. Sunt quidam qui gratiam quidem habent in mente, sed eam non exercent in opere propter pusillanimitatem, vel propter timorem, vel propter debilitatem. Propter pusillanimitatem, ut qui mentem bonam habent, sed tamen ex infirmitate horrent viam justitiæ aggredi, dicentes : Quis posset tam dura pati? Quibus Dominus per prophetam : « Pusillanimes, confortamini, et nolite timere (*Isa.* XXXV). » Propter timorem, ut quidam, qui propter timorem pravorum hominum justitiam tueri nod audent. Quibus dicitur : « Qui timet prui-

(2) Euseb. lib. III, cap. 1, *Histor. ecclesiast*

(3) *Lib. De Patribus Novi Testamenti.*

nam, irruet super eum nix (*Job* VI). » Propter debilitatem, ut quidam qui in aggressu operum justitiæ ex infirmitate succumbunt. Quibus Dominus per prophetam : « Confortamini, manus fatigatæ, et genua dissoluta, roborate (*Isa.* XXXV). » Beatus igitur Stephanus, postquam dictus est *plenus gratia*, dicitur *et fortitudine* plenus, quoniam neque propter pusillanimitatem, neque propter timorem, neque propter debilitatem mentis ab operibus justitiæ et sanctitatis poterat retardari. Unde, frementibus Judæis circa se, de duritia et malitia sua eos reprehendit, dicens : *Semper dura fronte et indomabili corde Spiritui sancto resistitis.* In quo nos indigni prædicatores confutamur, qui timentes pravorum malitiam, vel eo formidantes amittere gratiam, eorum mala non reprehendimus, sed potius palpamus vel tacemus. Secundo, quantus fuerit in opere, demonstratur, cum dicitur : *Faciebat prodigia et signa magna in populo.* Cum eadem possint esse prodigia et signa, tamen prodigia ab admiratione, signa vero a significatione dicta sunt. Prodigia vero, quæ contra consuetum naturæ cursum fiunt dicuntur, et ideo quoque ab uno vidente propter admirationem digito produntur. Sed istorum prodigiorum, sive signorum, alia quidem non faciunt, sed tantum significant fidem et sanctitatem facientis, vel potius virtutem illius in cujus nomine fiunt, ut miracula quæ et reprobi facere leguntur (*Matth.* VII). Alia vero significant simul et faciunt sanctitatem facientis, ut opera virtutum interiorum, videlicet, ut diligere inimicum, vivere in mundo angelice, et hujusmodi. Quæ quidem opera facientem, sanctum faciunt et demonstrant. Porro utrisque operibus radiabat B. Stephanus, quoniam et in se admirabilis erat, omnia mundana contemnens, Deum super omnia diligens, omnia pauperibus distribuens et inimicos diligens, in carne, non secundum carnem vivens, in mundo angelice conversans, pro persecutoribus orans, in cœlo mente habitans. In exterioribus quoque admirabilis erat, cæcos illuminans, claudos erigens, surdos audire faciens, leprosos mundans, dæmones ejiciens, omnem infirmitatem sanans, mortuos resuscitans. At nos, fratres charissimi, non affectemus exteriora facere miracula, quæ perfectis conveniunt et imperfectis, sicut nos sumus multoties et occasionem superbiendi ministrant, sed interiores virtutes et earum opera habere satagamus quæ sanctitatem interiorem et operantur et demonstrant. Operantur ad utilitatem nostri, demonstrant ad exemplum proximi. Tertio, quantus fuerit in sapientia et eloquentia demonstratur, cum quantos superaverit in disputatione, aperitur, cum subditur : *Surrexerunt autem quidam de Synagoga quæ appellatur Libertinorum, et Cyrenensium, et Alexandrinorum et eorum qui erant a Sicilia et Asia, disputantes cum Stephano*, quod cum de tot nationum Synagogis electi sapientes in superbia suæ sapientiæ, surrexissent ad disputandum cum Stephano, tamen *non poterant*, inquit, *resistere sapientiæ et spiritui qui loquebatur.* Non ait, non poterant resistere illi, sed *non poterant resistere sapientiæ et spiritui qui loquebatur* per illum, juxta quod Dominus discipulis suis ante promiserat, dicens : « Dum steteritis ante reges et præsides, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis (*Matth.* X). » Non enim in sapientia sua surrexerat beatus Stephanus atque eloquentia ad disputandum contra Judæos, sed potius in sapientia Dei, et in eloquentia Spiritus sancti, « qui linguas infantium facit disertas (*Sap.* X). » In quo confutantur sapientes hujus mundi, qui, si quid acute, si quid recte, si quid diserte sentiunt vel loquuntur, sibi non Deo attribuunt ; gloriantes, juxta Prophetam, in sententia oris sui, dicentem : « Labia nostra a nobis sunt. Quis noster Dominus est? » (*Psal.* XI.) Nos ergo, fratres mei, si quid bene sapimus aut eloquimur, non nobis sed Deo totum tribuamus, qui nobis dedit intelligentiam et linguam, et utraque utendi possibilitatem. *Audientes autem hæc dissecabantur cordibus suis, et stridebant dentibus in eum.* Quoniam enim non poterant sapientia et eloquentia contendere contra sanctum, ideo, more canis rabidi, vesania cordis et stridore dentium invehebantur in eum, ostendentes ipso gestu corporis sapientia et modestia se esse vacuatos.

Quarto, quantus fuerit in contemplatione ostenditur, cum subditur :

Cum autem esset Stephanus plenus Spiritu sancto, intendens in cœlum, vidit gloriam Dei et Jesum stantem a dextris Dei. Dicturus Lucas contemplationem Stephani, præmisit eum plenum esse Spiritu sancto, ostendens quod per Spiritum sanctum contemplatio ministratur, ut hic adverbium, *cum*, non temporale quam casuale intelligatur, *intendens*, inquit, *in cœlum*. In cœlum intendebat ; nam ubi thesaurus suus, ibi et cor suum erat (*Matth.* VI). In cœlum intendebat, quo toto desiderio festinabat, *vidit*, inquit, *gloriam Dei*. Hæc visio, partim corporalis, partim spiritualis fuit; nam cœlos apertos et Jesum in carne glorificatum corporalibus oculis utcunque videre non potuit. Ideo autem *utcunque* dico, quoniam tanta est gloria glorificati hominis quod mortalis visus eam ferre non possit. Unde et in transfiguratione, ubi brevis et imperfecta fuit in Christo gloria, Petrus et cæteri discipuli ferre non potuerunt, sed statim in facies suas ceciderunt (*Matth.* XVII). Et si gloriam transfigurati hominis ferre non potuerunt mortalium oculi, quomodo perpetuam et immensam gloriam hominis vere glorificati ferre possunt, gloriam vero immensam et inaccessibilem Dei Patris? Et quomodo Filius, a dextris Dei, id est ad æqualitatem ejus, stet, tantum spiritualis oculus et hoc utcunque videre potuit, et *utcunque* ideo dico, quoniam tanta est gloria, tantus est splendor, tanta est beatitudo divinæ majestatis quod nullus intellectus, nec et angelicus, prout est, perfecte possit contemplari. Certe vere beatus erat homo, cui cœli et eorum secreta ita

patebant. Ideo enim inter manus persecutorum posito, etiam passuro, cœli patebant, et gloria Patris et Filii ostendebatur. Ut ostenderetur non solum illi, sed quibuslibet pro Christo patientibus cœlos aperiri, et gloriam Dei parari; et Jesum eis stare a dextris Dei, id est Jesum, coæqualem nobis, Patri, cum Patre paratum eis auxiliari. Stare enim pugnantis et auxiliantis est. Nos ergo, fratres mei, animemur ad patiendum injurias, et persecutiones et tribulationes pro nomine nostri Redemptoris, quoniam procul dubio nobis pro se et justitia patientibus non deerit, sed auxilium constantiæ et victoriæ nobis ministrabit, et januam regni cœlestis nobis reserabit, et in gloria divinæ beatitudinis nos collocabit. Sed beatus Stephanus, qui nullo terrore circumstantium persecutorum cohiberi potuit, quando revelatam sibi visionem publice testificaretur, dicens: *Ecce video cœlos apertos, et Jesum, filium hominis, stantem a dextris Dei*, nobis exemplum præbet, ut ob nullum timorem testimonium veritatis, maxime ubi faciendum est, taceamus. At impii, qui, ne audirent testimonium veritatis clamaverunt, et aures sibi obturaverunt et impetum in sanctum fecerunt, ostendunt quantum sint contrarii impii testibus veritatis, qui non solum eos audire non possunt, imo et eis malum pro bono reddunt. Quinto, quantus fuerit in patientia ostenditur, cum dicitur: *Et impetum fecerunt unanimiter in eum. Et ejicientes eum extra civitatem, lapidabant. Et testes deposuerunt vestimenta sua secus pedes adolescentis, qui vocabatur Saulus. Et lapidabant Stephanum, invocantem et dicentem: Domine Jesu, suscipe spiritum meum.* Porro Judæi persecuti sunt Stephanum persecutione qua nulla est pejor. Pati quippe persecutionem ab eo quem aliquando in aliquo læsimus, parum est; pati vero ab eo quem nunquam læsimus, magnum est; et pati ab eo cui multum contulimus, maximum est! Talis erat beatus Stephanus. Ille enim contulerat Judæis multa bona, et illi econtrario inferebant ei mala. Stephanus quippe petebat Judæos in eorum salutem, et illi econtrario impetebant ei in ejus mortem. Stephanus cupiebat eos introducere in Jerusalem cœlestem; et illi econtrario ejiciebant Stephanum extra Jerusalem terrenam. Stephanus testificabatur eis verba veritatis, et illi econtrario testificabantur in Stephanum verba falsitatis, dicentes: Quoniam *nos audivimus eum dicentem quod Jesus Nazarenus destruet locum istum, et mutabit traditiones quas tradidit nobis Moyses.* Stephanus mittebat in eos verba prædicationis et orationis, et illi econtra mittebant in Stephanum lapides crudelitatis. Et cum ita redderent Judæi Stephano mala pro bonis, tamen non mutatus est; non murmuravit, sed patienter omnia tulit, eamdem observans patientiam et charitatem, Deum semper invocans, et pro se et pro eis orans. In quo confundimur nos, fratres mei, quia, etsi quando aliquis aliquam pœnam, injuriam vel contumeliam nobis intulerit, statim exardescimus, patientiam et charitatem amittimus, et injuriam pro injuria, contumeliam pro contumelia reddere festinamus. Et dum ita superare cupimus, ab ira et impatientia interius superamur, non attendentes quia, juxta Salomonem, « melior est patiens viro forti, et qui dominatur animo suo expugnatore urbium (*Prov.* xv). »

Sexto quantus fuerit in charitate demonstratur cum dicitur:

Positis autem genibus, clamavit voce magna, dicens: Domine, ne statuas illis hoc peccatum. Duo, fratres, quasi contraria et pastoribus sanctæ Ecclesiæ imitanda, ostendit in se beatus Stephanus, quoniam, cum se asperrime corrigeret, ita ferventer diligebat, et cum ita ferventissime diligeret, ita aspere corrigebat; et inde contingebat quia perfecte odiebat vitium, et perfecte naturam diligebat. Mira enim charitas Stephani, fratres mei! Pauci enim inveniuntur qui vere diligant seipsos; paucissimi enim, qui vere diligant inimicos. At Stephanus ita dilexit inimicos, et quidem inter mortiferos ictus crebrescentium lapidum. Ubi aliquis posset oblivisci etiam amicorum suorum, Stephanus non est oblitus inimicorum suorum. Sed supplicavit, clamavit, oravit pro eis. Supplicavit, non tam genibus quam mente; clamavit, non tam voce quam devotione; oravit, non tam ex præcepti coactione quam ex libera charitate. Non enim putandum est, fratres mei, quod beatus Stephanus, in quo nihil duplicitatis fuit, supplicaverit pro inimicis, ut quidam faciunt corpore, non mente, oraverit pro eis voce, non devotione. Absit hoc a martyre charitatem Christi imitante! sed procul dubio supplicavit pro inimicis sine aliquo mentis rancore, oravit pro ipsis sine fictione, vel tepore: *Domine*, inquit, *ne statuas illis hoc peccatum.* Verus imitator Christi qui in passione sua pro inimicis oraverat; « Pater, dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt (*Luc.* xxiii), » factus sicut passionis, ita et charitatis Dominicæ primus imitator. Quo enim affectu movetur pater erga filium phreneticum, patrem suum percutientem, cujus magis plangit insaniam quam suam miseriam, eo affectu movebatur beatus Stephanus erga Judæos, quorum perditionem magis dolebat quam suam passionem. Insani quippe et dæmoniaci sunt omnes mali, quoniam a dæmone vexantur et ad mala instigantur, et quid faciant, vel ad quem finem inde venturi sint, ignorant. Propterea, fratres mei, quando mali nos persequuntur, cogitemus qui eos equitet, et contra nos eos instimulet. Et sicut eques non pugnat adversus equum, sed adversus equitem, et ad hoc conatur ut equitem dejiciat, et equum luctetur, sic et nos pugnemus, non adversus homines, sed adversus dæmonem malorum insessorem, et ad hoc nitamur ut dæmonem dejiciamus, et homines Deo per beneficia, orationes et monitiones lucremur. Sic enim Stephanus Saulum persecutorem suum, et alios, ut credimus, multos Deo lucratus est. Non enim potuit oratio præcedens ex tam ferventi charitate inefficax esse. Septimo, quam felix fuerit in

morte demonstratur, cum subditur : *Et cum hoc dixisset, obdormivit in Domino*. Ab opere et oratione perfectionis, transiit ad perfectionem quietis. Pulchre, fratres mei, dictum, non obiisse, sed obdormisse. Qui enim dormit, quasi mortuus esse videtur, et non est, imo vivit, requiescit, et tandem evigilatur. Sic et sancti quando migrant ab hac vita, « visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace, et requiescunt (*Sap.* III). » Quoniam, ut legitur in Apocalypsi : « Amodo jam, dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis (*Apoc.* XIV). » Et tandem, id est diluculo diei judicii, corpora simul cum animabus evigilabuntur, ut beata et æterna luce semper fruantur. Sed et B. Stephanus *obdormivit*. Obdormivit autem *in Domino*, id est in manu et protectione Domini, juxta illud : « Justorum animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum malitiæ (*Sap.* III). » Itaque, fratres, si volumus consortes esse quietis et gloriæ beati Stephani, simus, inquantum possimus, consortes ejus virtutis. Et si non possumus eum imitari in passione, saltem imitemur eum in charitate. Duo quippe ingentia bona sunt, martyrium et passio. Sed tamen martyrium sine charitate nihil prodest, dicente Paulo : « Et si, inquit, tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem non habeam, nihil mihi prodest (*I Cor.* XV). » Charitatem autem, fratres, teneamus, per quam triumphant martyres, justificantur confessores, florescunt virgines, reconciliantur peccatores. Charitas sine martyrio multum prodest. Diligamus Deum propter seipsum : amicum in Deo ; inimicum propter Deum. Benefaciamus iis qui oderunt nos ; oremus pro persequentibus et calumniantibus nos, ut mereamur filii esse Patris cœlestis, qui facit solem suum oriri super bonos et malos, et pluit super justos et injustos (*Matth.* V), per Filium ejus unicum Dominum nostrum, qui cum eo vivit, etc.

IV.

SERMO IN EADEM SOLEMNITATE.

Dixit Jesus turbis Judæorum : Ecce ego mitto ad vos prophetas, et sapientes, et scribas, et ex illis occidetis, crucifigetis, et flagellabitis in synagogis vestris, et persequemini de civitate in civitatem (*Matth.* XXIII), et reliq. In hac sancti Evangelii lectione, fratres charissimi, conqueritur Dominus Redemptor noster de Judæorum et eorum similium duritia et perversitate ; facit igitur tria : Ostendit quam bonus ipse fuerit erga Judæos, et quam perversi Judæi fuerint contra Christum, et quanta ultio ventura sit super ipsos. Porro quam bonus ipse fuerit erga Judæos, ostendit ; et quanta beneficia eis exhibuerit et qualem affectum erga ipsos habuerit, ostendit. Primum igitur quanta beneficia eis exhibuerit, enumerat, cum dicit : *Ecce ego mitto ad vos prophetas, et sapientes, et scribas*. Beneficia siquidem temporalia, id est quæ Judæis exhibuit, tanquam parva prætermittens, sola spiritualia enarrat, ostendens se doctores et pastores semper mittere ad eorum correctionem et eruditionem spiritualem. Misit A etenim eis prophetas, qui eis prædicaren primum suum adventum, et secundum, et pœnas reproborum gloriamque justorum. Misit eis sapientes qui eos docerent quomodo hi deberent vivere, et pœnas reproborum evitare et gloriam justorum consequi valerent. Misit eis scribas, qui omnia his, nequando oblivioni darentur, scriberent, et in memoriam revocarent. Qualem vero affectum erga Judæos habuerit, ostendit, cum dicit : *Jerusalem, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti !* Quoties, inquit, volui, et quoties me velle demonstravi ! Demonstravi siquidem multis indiciis quod te volebam congregare ; vel quando ab Ægyptiaca servitute, vel quando a Babylonica captivitate, vel quando a diversis ido-
B lolatriæ erroribus ad unius divinitatis cultum te reduxi. Volui quippe filios tuos congregare, si tu velles : sed tu noluisti, et ideo non congregavi. Quod si quem filiorum tuorum congregavi, te nolente, congregavi. Est autem, fratres mei, congregare, Dei et divinorum hominum, sicut dispergere, est diaboli et diabolicorum hominum. Unde Dominus : « Qui non colligit, inquit, mecum, dispergit (*Matth.*, XII). » Deus colligit homines in virtutem fidei, spei et charitatis, et ad ultimum in unionem divinæ visionis et pacis. Et econtra diabolus dispergit homines, per errores idololatriæ, diffidentiarum, odiorum, discordiarum et inquietudinum. *Quemadmodum*, inquit, *gallina congregat pullos suos sub alas*. Gallina avis est affectuosissima et piissima in pullos suos ; ita ut præ
C amore quem habet in eos infirmetur ; et voce rancescente eis conformata, eos convocat, ut sub alas congreget, et a milvo se opponendo eos defenset. Sic, fratres mei, Dominus et Redemptor noster affectuosissimus et piissimus est, non solum in Judæos, sed et in omnes homines, quos ad imaginem et similitudinem procreavit, ita quod « propter nimiam charitatem, qua dilexit nos (*Ephes.*, II), » infirmitatem nostram assumpsit, voce prædicationis suæ nostræ capacitati conformata, nos convocaverit, non alta, sed simplicia, et simplici voce nobis loquens, sub alas brachiorum suorum in cruce extensorum nos traxit et congregavit juxta quod ipse dixit : « Cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum (*Joan.*, XII), » et se pro nobis morti opponendo, nos
D a faucibus diaboli potenter eripuerit. Ecce, frater, quam admirabilis et affectuosa est charitas Dei in homines, et quare nos sumus affectuosi ad eum diligendum. Quare tantus amor et tanta beneficia, a tanto nobis tantillis exhibita, nos non provocant ad eum redamandum ? Quam perversi vero econtra Judæi et eorum similes fuerint in Deum et in sanctos suos ostendit Dominus, cum dicit : *Et ex eis occidetis, et crucifigetis et flagellabitis in synagogis vestris*. Quorum malitiam ut magis exaggeret, repellit, apostrophans se ad Jerusalem ex malis collectam, e geminatione dicens : *Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis prophetas, et lapidas eos qui ad te missi sunt !* Magnum erat peccatum, fratres mei, si ad se missos prædicatores, vel non audirent, vel auditos contemnere

voluissent. Nunc vero consummata est malitia, cujus et suæ salutis ministros persecuti sunt et occiderunt; reddentes eis mala pro bonis, qua retributione nulla est pejor. Illi quippe Judæos ad salutem vitæ æternæ vocabant; et ideo Judæi illos occiderunt. Illi Judæos ad castigationem et castificationem corporis sui monebant, et ideo Judæi illos crucifixerunt. Illi Judæos corrigebant, et ideo illos Judæi flagellaverunt. In paterno affectu naturam Judæorum diligebant, et vitia eorum persequebantur, et ideo Judæi illos persecuti sunt de civitate in civitatem. Illi verba vitæ Judæis jaculabant, et ideo Judæi illos lapidaverunt. Occiderunt siquidem Joannem Baptistam, et Jacobum Majorem, et Minorem; crucifixerunt Petrum et Andream; flagellaverunt duodecim apostolos, quando « ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati (*Act.* v). » Persecuti sunt et illos de civitate in civitatem, ut expulsi juste ad quos migrarent. Lapidaverunt quoque Stephanum, cujus hodie celebramus solemnitatem. Et multi quidem hodie Judæorum malitiam exsecrantur, qui tamen eos imitantur. Imitantur enim Judæos quicunque prædicatores, vel magistros, vel monitores suos persequuntur, quales hodie (unde magis dolendum est) intra sanctam Ecclesiam sunt multi, qui, quamvis prædicatores et pastores suos gladio non occidant (non enim audent), tamen gladio malæ voluntatis et linguæ et injuriarum eos occidunt, dum eos odiunt, dum eis detrahunt, diffamant et contumelias inferunt, et dum eis inquietationes et damna irrogant, non attendentes quoniam, qualiscunque sit missus qui inhonorat missum, inhonorat mittentem, quoniam, etsi missus in se honorabilis non est, tamen propter Deum, imo Deus in eo honorandus.

Propterea, fratres mei, pastores, prædicatores et monitores nostros diligite, honorate et audite. Qui si digne nos corrigunt, nobis prosunt; si autem indigne, attendamus quoniam nobis prodesse volunt, et ob hoc non odiendi, sed magis diligendi sunt. Quanta autem ultio ventura sit super Judæos et eorum imitatores, ostendit Dominus, cum dicit: *Ut veniat* subaudi per imitationem, *super vos omnis sanguis justus*, id est reatus, et ultio omnis sanguinis justi, *qui effusus est super terram, a sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ, filii Barachiæ, quem occidistis inter templum et altare.* Sicut scriptum est quod « pater non portabit iniquitatem filii; et filius non portabit iniquitatem patris (*Ezech.* xviii).» Ita scriptum est: « Ego sum Deus zelotes, vindicans peccata parentum in filios (*Exod.* xx).» Sicut enim verum est quod bonus pater non portabit peccata mali filii, et bonus filius non portabit peccata mali patris, ita et verum est quod malus pater portabit iniquitatem filii exemplo suo corrupti, et malus filius portabit iniquitatem imitatam patris. Sicut enim parentes propter malum exemplum participant in peccatis filiorum, ita filii propter imitationem participant in peccatis parentum, ut scilicet qui participant in culpa, participent in pœna. Judæi autem non solum sceleratos imitati sunt, sed etiam superaverunt. Illi enim prophetas, isti etiam Dominum prophetarum occiderunt. Quare dixerit *ab Abel*, non est mirum, quoniam ipse primus sanctus occisus est. Sed quare, ait, *usque ad Zachariam*, cum multi sancti post eum occisi sint? Sed per hos duos significantur duo genera martyrum. Per Abel quippe, qui in agro occisus est, significatur martyrium laicorum. Per Zachariam vero sacerdotem, qui inter templum et altare occisus est, significatur martyrium ecclesiasticarum personarum, ac si dicat: Ut omnis sanguis, tam laicarum quam ecclesiasticarum personarum, veniat super vos. *Amen, dico vobis, venient hæc omnia super generationem istam.* Non significat his verbis generationem ex solis Judæis perversis, qui tunc erant, collectam, sed generaliter generationem omnium malorum qui fuerunt, vel futuri sunt, a principio usque in finem, super quam ultio omnium scelerum quæ in hoc mundo fuerint, ventura est. Deinde quæ ultiones super eos venturæ sint, exponit, cum subdit: *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Amen dico vobis: Non me videbitis amodo donec dicatis: Benedictus, qui venit in nomine Domini.* Duas ultiones prædixit super eos venturas, desertionem, et visitationis subtractionem. Desertionem cum dicit: *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.* Porro domum eorum, vel templum, vel civitatem vocat Jerusalem, quæ a Tito et Vespasiano quadragesimo secundo anno a passione Domini destructa sunt et desolata, quoniam auditæ sunt angelicæ virtutes, de templo clamantes: « Transeamus ab his sedibus. » Vel Synagogam, quæ a Deo derelicta est propter peccata sua, ut jam de cætero careat Dei gratia, careat prophetia et unctione, careat et sacrificio. Vel etiam mentes eorum quæ a Deo desertæ sunt, et de cætero a malignis spiritibus inhabitatæ sunt. Visitationis subtractionem, cum dicit: *Amen, dico vobis, non me videbitis amodo.* Præcesserant siquidem plures Judæorum captivitates per quas visitaverat eos Dominus, et in terram suam per prophetas et doctores reduxerat, sed per hanc extremam captivitatem eos visitare, vel in terram suam reducere eos voluit, ac si dicat aperte: Amodo non visitabo vos, neque per prophetas, neque per præsentiam meam, quam in proximo occisuri estis, donec dicatis, inquit: *Benedictus, qui venit in nomine Domini*, id est, donec in secundo adventu. Tunc enim illum cum magna majestate venientem ad judicium, confitebuntur universi, tam boni quam mali, et omne genu ante cum flectetur, cœlestium, terrestrium et infernorum (*Phil.* II). Sed Judæi, qui ad prædicationem Eliæ et Noe convertentur, voluntarie et gloriose semper cum cæteris confitebuntur Dominum. Increduli vero et reprobi coacte et inutiliter eum confitebuntur, quoniam proderit nihil tunc eis illum confiteri, quem hic confiteri noluerunt. Istas quoque pœnas noverunt super se venturas qui

ad correctionem suam missos a Deo correctores, flagella et castigationes benigne non suscipiunt, sed potius persequuntur, repellunt, et remurmurant, deteriorantes unde admeliorari debuerunt. Tales enim Deus deserit arbitrio suo et diabolo. Unde ipse ad tales loquitur per prophetam sub specie viri, uxorem suam adulteram, ob nullas correctiones correptam, relinquentis : « Jam, inquit, ut irascar tibi, zelus meus recessit a te (*Ezech.* XVI). » Hæc enim, fratres mei, est pœna quam magis timere debemus, ne forte Deus propter scelera nostra offensus, et ipsas correctiones subtrahat, et tradat nos a desiderio suo peccatori, id est, diabolo, nec velit de cætero per flagella et castigationes nos visitare usque ipse veniat judex terribilis tales in perpetuum damnare. Imitemur igitur, fratres, protomartyrem Stephanum, qui et inimicos et persecutores suos dilexit, non attendens animum eorum qui eum persequebantur, sed potius coronam et gloriam quam per eos consequebatur. Sicut refert et beatus Gregorius de sancto quodam miræ patientiæ et charitatis, qui omnes illos, qui sibi aliquam contumeliam vel injuriam inferebant, specialiter diligebat, vocans eos coadjutores suos, utpote per ministerium quorum ipse vel a peccatis suis purgaretur, vel ad majorem coronam promoveretur. Quos nos imitantes, charissimi, cum patimur persecutionem ab aliquo, quatuor cogitemus. Primo, peccatis nostris exigentibus hoc nobis contingere, et ideo non contra persecutores, sed contra nosipsos irasci debere; secundo, non hominem, sed diabolum nos tentare, et ideo non contra hominem, sed contra diabolum instigatorem hominis nos pugnare debere; tertio, nec hoc, nec aliud in hoc mundo fieri sine justo Dei judicio, et ideo judicio Dei nos patienter debere portare; quarto, illatam injuriam nobis patienter ferentibus profuturam, et ideo æquanimiter et læte eam portare debere. Sic sic cogitantes poterimus erga persecutores nostros placatum animum habere, et ita quandoque diligere vere. Quam charitatem nobis Deus concedat per intercessionem beati Stephani, qui et pro persecutoribus exoravit Dominum nostrum Jesum Christum, etc.

Vita divi Stephani per Dorotheum episcopum.

Stephanus primus martyr, unus ex septem diaconis, Hierosolymis a Judæis lapidatus, sicut Lucas in Actis apostolorum testatur, mortuus est (*Act.* VI, VII). De quo etiam sic Petrus Chrysologus (serm 154). Sicut Petrus, inquit, a *petra* nomen adeptus est, quia primus meruit Ecclesiam fidei firmitate fundare, ita Stephanus vocatus est a *corona*, quia primus meruit pro Christi nomine subire conflictum. Primus meruit sanguine suo militum Christi martyrium dedicare.

D. Augustinus (sermo 4 *De tempore*) : « Post extremum festivissimum diem quo salutaris nostri Christi nobis Nativitas illuxit, etiam hodiernus dies beati martyris Stephani corona illustratur. Martyris illius merita nulla gens orbis ignorat. Passus est enim ipso principio Ecclesiæ, id est in ipsa urbe Hierosolyma. Ibi enim diaconus ministravit, et in ipso juventutis flore decorem ætatis suæ purpuravit. Passio ejus insignis est multumque mirabilis. Hanc modo de libro Actorum apostolorum cum legeretur, audivimus non solum, sed etiam oculis spectavimus. Christus ergo caput martyrum prior passus est pro nobis, relinquens vobis exemplum, ut sequamini vestigia ejus. Cujus passionis vestigia prior secutus beatus Stephanus, confitendo Christum, lapidatus a Judæis coronam meruit, tanquam suo sibi nomine positam. Stephanus enim Græce, Latine *corona* appellatur. Jam corona nomen habebat, et ideo palmam martyrii suo nomine præferebat. Qui cum lapidaretur, non solum non exspectabat de persecutoribus reportare vindictam, sed eis potius a Deo veniam postulabat. Meminerat enim dixisse Dominum. « Mihi vindictam, et ego retribuam, dicit Dominus (*Rom.* XII). » Et iterum : « Ne dixeris : Ulciscar me de inimicis meis, sed exspecta Dominum, ut tibi auxilium sit. » De miraculis sancti Stephani vide D. August. De civitate Dei, lib. XXII, cap. 8; et Gregorium Turonensem archiepisc. lib. De Gloria martyrum, cap. 32.

V.

IN FESTO SANCTI JOANNIS EVANGELISTÆ.

Qui timet Deum, faciet bona (*Eccli.* XV), etc. Hac in lectione, fratres charissimi, agitur de sapientia, non de sapientia mundi, quam qui diliget, « inimicus Dei constituitur (*Jac.* IV), » sed de sapientia vera et cœlesti quam qui habet, Dominum habet. Quæ tam pretiosa et gloriosa est, quod Filius Dei ejus nomine se vocaverit, dicens : « Ego sapientia, quæ ex ore Altissimi prodii, primogenita ante omnem creaturam. » Est autem bipartita hæc lectio. Primo enim ostendit per quæ vera sapientia habeatur; secundo habita quanta bona largiatur. Ponit ergo tria necessaria ad adipiscendum sapientiam, timorem scilicet Dei, justitiam et gratiam. Per timorem quippe et justitiam hospitium sapientiæ præparamus. Ipsa vero sapientia non propter merita nostra, sed propter solam gratiam suam apud nos hospitatur. Per timorem autem et justitiam, hospitium sapientiæ præparamus, dum per timorem nos a vitiis purgamus, et per justitiam nos virtutibus ornamus. Frustra igitur laboras, frustra studes, frustra volvis et revolvis libros, quia, nisi primum vitia et peccata a te eliminaveris, et ad justitiam cor tuum inclinaveris, sapientiam suscipere non poteris. Scriptum est enim : « In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis (*Sap.* XI). » Ait igitur primum de timore : *Qui timet Deum, faciet bona*. Non ait, facit. Qui enim similiter *timet*, nondum facit bonum, dum non propter Dei amorem peccatum cavet, sed *faciet bonum*, dum paulatim peccata cavens et timere desinens, incipiet eum diligere. Sed dicis : Peccator, propter conscientiam peccatorum suorum Deum timens, et ob hoc multas eleemosynas tribuens, nonne facit bonum? Facit utique, id est opus de genere bonorum facit. Sed bonum non dicitur facere, quia illud non facit bene, dum illud faceret ex solo timore. Unde et illud faciendo non meretur præmium vitæ æternæ, sed qualemcunque alleviationem pœnæ. Et quæ bona faciet? Illa per quæ pervenitur ad sapientiam, scilicet abstinebit ab injustitia, et continebit justitiam.

Unde et de justitia subdens ait : *Et qui timens est justitiæ, apprehendet eam*, id est sapientiam. Est autem justitia reddere unicuique quod suum est, ut Deo religionem, sibi puritatem, parentibus honorem, majoribus reverentiam, subditis disciplinam, afflictis misericordiam, divitibus admonitionem, bonis amicitiam, malis correctionem, omnibus æquitatem. Hanc igitur justitiam qui ita operibus exhibet, vel saltem facit quod potest, eam intra se continens, ille utique apprehendet sapientiam, non meritis vel ingenio suo, sed sola ipsius Sapientiæ gratia. Unde et subditur: *Et obviabit illi gratis quasi mater honorificata*. Ad similitudinem videlicet honorabilis et amabilis matris, quæ filio sitienti et lac poscenti, non se avertit, sed potius obviam ei offert mamillam. Ecce, fratres mei, talis, imo major est pietas Dei erga nos, si filii ejus esse volumus. Unde Jacobus : « Si quis, inquit, indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat affluenter et non improperat (*Jac.* I). »

Sequitur pars secunda, in qua enumerantur decem dona, quæ adepta sapientia suis confert alumnis. Quorum septem dat in hac vita, tria vero in futura. Primum est cibus, non corporalis, sed animæ, de quo ait : *Cibabit illum pane vitæ et intellectus*, id est Christi corpore, vel doctrina Verbi sine quo panc anima in deserto hujus mundi fame perit; qui dicitur panis vitæ et intellectus; quia recte vivere, et recte intelligere facit. Secundum est potus animæ, de quo ait : *Et aqua sapientiæ salutaris potabit illum*, id est gratiam Spiritus sancti, sine qua homo in fervore hujus mundi siti perit. De qua aqua Dominus ait : « Qui biberit aquam, quam ego dabo, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam (*Joan.* IV). » Tertium est fortitudo tolerandi patienter persecutiones, flagella miseriasque mundanas. De qua hic subditur : *Et firmabitur in illo*, id est firmum eum faciet, et non flectetur a rigore veritatis et justitiæ per aliquam importunitatem, sicut faciunt hodie falsi quidam pastores sanctæ Ecclesiæ. De quibus Dominus : « Mercenarius, inquit, et qui non est pastor, videt lupum venientem, et dimittit oves, et fugit (*Joan.* X). » Quartum est continentia, de qua subditur : *Et continebit eum*, id est, continentem eum faciet, *et non confundetur* vel effundetur per illicita desideria vel tentationes carnis, ut videlicet sit firmus contra persecutiones exteriores, et continens contra tentationes interiores. Quintum est prælatio, quæ convenienter quinto loco ponitur; quando ille qui habet præcedentia dona, id est doctrinam, gratiam, fortitudinem et continentiam, dignus est ut ad officium prædicationis et magisterii sublimetur. Unde hic subditur : *Et exaltabit illum apud proximos suos*. Non ait famulos vel servos, quod videlicet pastor subditos non habeat ut minores, sed potius ut proximos et fratres. Unde scriptum est : « Principem te constituerunt, noli extolli, sed esto quasi unus ex eis (*Eccli.* XXXII). » Sextum est prædicatio, quæ est officium pastoris, et sine qua damnabiliter præest. De qua hic dicitur : *In medio Ecclesiæ aperuit os ejus*, ac si dicat aperte : Non præsumat prædicator de eloquentia sua, quia non potest prædicare per se, nisi Dominus os ejus aperiat. Unde et Psalmista orat : « Domine, labia mea aperies (*Psal.* L). » Septimum est, adimpletio Spiritus sapientiæ et intellectus, qui solus ministrat prædicatori quæ ipse dicat. Unde : « Non enim, inquit, vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis (*Matth.* X). » De his subditur : *Et implebit eum Dominus Spiritu sapientiæ et intellectus*. Supra dixerat : *Aqua sapientiæ potabit illum*. Hic vero ait : *Implebit eum Spiritu sapientiæ*, quod majus est. In quo innuitur quod quando aliquis digne ad officium prædicationis sublimatur, gratia sancti Spiritus magis et magis cumulatur.

Et hæc sunt septem dona quæ vera sapientia confert in præsenti vita. Tria vero, quæ sequuntur, confert in alia vita. Octavum ergo est stola gloriæ immortalitatis et animæ et corporis. De qua subditur : *Et stola gloriæ induet eum*. Tunc enim de cætero animæ sanctorum non poterunt corrumpi peccatis vel perturbationibus; nec corpora morte vel infirmitatibus. « Tunc enim absterget Deus omnem lacrymam ab oculis sanctorum, et non erit amplius, neque luctus neque clamor, quoniam priora transierunt Non esurient, neque sitient amplius, et non cadet super illos sol neque ullus æstus (*Apoc.* XXI). » Nonum est gaudium ineffabile quo Deus replebit sanctos in æternum. De quo subditur : *Jucunditatem et exsultationem thesaurizabit*, id est, indesinenter cumulabit super eum. Jucunditatem mentis, exsultationem corporis, vel jucunditatem de visione Dei. Exsultationem de salute communi. Tunc enim videbunt illum « in quem desiderant angeli conspicere (*I Petr.* I); » et de bonis singulorum communiter sine invidia gaudebunt. Singulorum quippe bona faciet communia voluntas et charitas una, et ita in dispari claritate par erit gaudium. Decimum est honor æternus, de quo subditur : *Et nomine æterno hæreditabit illum*. Quis, fratres mei, quis honor major potest esse quam cum Deus vocabit et constituet sanctos filios Dei, « hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi (*Rom.* VIII); » quam cum filius adoptivus erit et nomine et honore et hæreditate, ubi est naturalis et unigenitus Dei Filius. Nunc, fratres charissimi, videamus quomodo omnia ista impleta sunt in bono Joanne evangelista, cujus hodie solemnitatem celebramus. Ipse quippe timuit Dominum, cum vitaret mala, et faceret bona. Ipse fuit continens justitiæ, exhibens Deo religionem sibi tam corporis quam animæ munditiam, parentibus honorem, fratri charitatem, de labore manuum cum patre et fratre vivens, huic Dei Sapientia, tanquam *mater honorificata* obviam venit, quando eum et fratrem ejus a mari vocavit (*Matth.* IV). Hunc *cibavit pane vitæ et intellectus, et aqua sapien-*

tiæ salutaris potavit, quando eum super pectus suum recumbentem (*Joan.* XXI), de fonte pectoris sui cœlesti doctrina et sapientia largius præ cæteris inebriavit. Hunc confirmavit, qui nec Judæorum, nec gentilium persecutionibus, nec dolio pleno ferventis olei, nec exsilio a veritate potuit infirmari. Hunc continentem effecit, quia in nulla desideria carnis defluxit. Hunc exaltavit *apud proximos suos*, quando eum in apostolum sublimavit. *In medio Ecclesiæ aperuit os ejus*, quando eum prædicatorem et evangelistam constituit. Hunc implevit *Spiritu sapientiæ et intellectus*, non solum in die Pentecostes cum cæteris, sed et abundantius cæteris; ut supra omnem intellectum intelligeret, scriberet et clamaret : « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum (*Joan.* I). » Hunc induit Dominus *stola gloriæ*, quando eum sine dolore carnis ad cœlestia transtulit. *Jucunditatem et exsultationem* thesaurizavit super eum, quem secum congaudere facit in æternum. *Nomine æterno hæreditabit illum*, quoniam eum sui nominis et honoris hæredem et participem effecit. Cujus meritis et precibus nos quantuloscunque servos comparticipes gloriæ suæ faciat Dominus noster Jesus Christus, qui cum Patre, etc.

VI

IN EODEM FESTO SERMO DE EVANGELIO.

Dixit Jesus Petro : Sequere me. Conversus Petrus vidit illum sequentem discipulum quem diligebat Jesus (*Joan.* XXI), et reliqua. Hanc lectionem sancti Evangelii, fratres mei, scribit Joannes apostolus et evangelista, cujus hodie solemnitatem celebramus. Facit igitur tria in hac lectione. Primo, demonstrat significatum fuisse a Domino qua morte Petrus esset Dominum clarificaturus. Secundo, quomodo ipse esset ab hac vita migraturus. Tertio, personam suam cum quibusdam locutionibus manifestat. Porro qua morte clarificaturus Petrus esset Dominum, significavit Dominus cum in lectione præcedenti ei dixit : « Cum esses junior cingebas te, et ambulabas ubi volebas; cum autem senueris, extendes manus tuas, et alius te cinget, et ducet quo tu non vis (*Ibid.*). « Et cum postea hoc ei quod modo audivimus, dixit : *Sequere me.* Ac si aperte dicat : Imitare me, et præcipue in hoc quod sicut ego mortuus sum pro te, ita tu quoque moriaris pro me. Porro principi apostolorum præ cæteris dicitur ut sequatur Dominum, quoniam, cum omnes sequi debeant eum, præcipue primates sanctæ Ecclesiæ, qui ejus vicem in Ecclesia tenent. Omnes quippe tenentur eum sequi. Unde scriptum est : « Qui vult cum Christo manere, sicut ipse ambulavit, debet et ambulare (*I Joan.* II). » Sed minoribus sufficit, si viam Christi a longe sequantur. Prælatis vero Ecclesiæ sanctæ, non sufficit nisi de prope et expresse Christum sequantur, et ejus vestigiis innitantur. Unde et specialiter eis dictum est : « Qui mihi ministrat, me sequatur (*Joan.* XII). » Ac si diceret : Qui meum ministerium gerit, vestigia mea sequatur, ut qui eum sequitur, me sequatur, ut possit dicere secure cum Paulo : « Imitatores mei estote, sicut et ego Christi (*I Cor.* IV et XI). » Quod aperte contra nos prædicatores est, qui in Ecclesia Christi ministerium gerimus, et tamen vestigia ejus non sequimur. Christus enim viam paupertatis, humilitatis, laboris et patientiæ, nobis in hoc mundo demonstravit. At nos econtra hic ditari, gloriari, quiescere et delectari desideramus. Unde, quod sine lacrymis dicere non possum, contingit quod a Christi vestigiis nos pastores exorbitamus, nobis subditos nobiscum exorbitare facimus, et ita non solum animabus nostris, sed et animabus aliorum ruinam damus. Unde scriptum est : « Propheta laqueus ruinæ (*Ose.* IX). » At nos, fratres charissimi, sicut videmus periculum nostrum, si vestigia summi pastoris non sequamur, ita quoque periculum vestrum timeamus, si vos nos recte gradientes sequi contemnatis. Propterea vos et nos vias nostras corrigamus, et viam nostri Redemptoris sequi contendamus. Imitemur quoque imitatorem ejus Petrum, qui Christum, vita, doctrina et cruce secutus est. In quibus tribus omnes specialiter nos prædicatores eum sequi tenemur, ut videlicet pure vivamus, recte doceamus, et membra nostra cum vitiis et concupiscentiis crucifigamus. Secundo quomodo Joannes evangelista ab hac vita migraturus esset, significatum est a Domino, cum Petro de ejus morte quærenti, ait : *Sic eum volo manere, donec veniam.* Ac si diceret : Sic diutius et post mortem omnium apostolorum volo eum vivere in carne, donec ego eum visitem, et placida morte ad cœlestia eum transferam. Legimus enim quod iste Joannes evangelista longo tempore post omnes apostolos vixit. Et cum esset annorum nonaginta novem, apparuit ei Dominus Jesus Christus, et dixit illi : « Veni, dilecte mi, ad me, quia tempus est ut epuleris mecum in convivio meo cum fratribus meis. Die igitur Dominico qui post quinque dies futurus est, venies ad me. » Et cum hæc dixisset, cœlo receptus est. Veniente igitur die Dominico, venit beatus Joannes ad ecclesiam, et cum ibi a primo pullorum cantu usque ad tertiam horam divina mysteria celebrasset, et populum exhortatus fuisset, indefossum sepulturæ suæ locum solus descendit, et spiritum Deo reddidit, et tam a dolore mortis extraneus, quam a carnis corruptione invenitur alienus.

Non autem ideo Dominus dixit singulariter Petro : *Sequere me*, quasi iste Joannes non esset eum secuturus. Quis enim magis secuturus erat Agnum quam ille qui sequitur eum quocunque ierit? (*Apoc.* XIV.) Sed quia per amaritudinem passionis non esset eum secuturus, demonstravit. Nec tamen ideo Joannes a corona martyrii privatus est, Domino teste, qui ei et fratri suo Jacobo prædixerat : « Calicem quidem meum bibetis (*Matth.* XX). » Ipse nimirum et cum cæteris apostolis a Judæis flagellatus est; ipse in dolio ferventis olei propter nomen Christi a Domitiano positus est; ipse in Pathmos

insulam in exsilium relegatus est; ipse propter Christum multas persecutiones passus est, propterea tam labore quam voluntate martyr est. Propterea, fratres mei, labores, tribulationes, persecutiones et carnis afflictiones propter Deum patienter et gaudenter sustineamus; quoniam dum, hæc facimus, juxta verbum Domini, calicem ejus bibimus, et martyrii palmam promeremur. In hoc autem quod Dominus Petrum mortem condiscipuli sui curiosius inquirentem arguit, dicens : *Quid ad te? Tu me sequere;* nos instruit, fratres mei, ne vitam proximorum nostrorum, præcipue qui nobis subjecti sunt, curiose, ut quidam faciunt, inquiramus, sed potius semper de nostra solliciti simus; non alienam vitam, sed nostram semper dijudicemus. Tertio, considerandum est quomodo Joannes personam suam ad utilitatem sequentium commendat et manifeste ex tribus : ex privilegio gratiæ, ex privilegio familiaritatis, et ex officio. Et tamen in omnibus iis de se, tanquam de alio loquitur. Ilic enim mos est familiaris sanctis Patribus, ut, quando loquuntur de se bona, ad evitandam jactantiam, de se tanquam de alio loquantur. Unde Moyses de se loquens, tanquan de alio ait : « Erat autem Moyses mitissimus omnium hominum (*Num.* XII). » Ita et Joannes iste loquens ex privilegio gratiæ se commendat : cum se *discipulum quem diligebat Jesus* vocat. Non quia solum eum diligeret, sed quia majoris signum dilectionis ei ostendebat : Omnes quippe dilexit, qui omnibus dixit : « Manete in dilectione mea, sicut et ego dilexi vos (*Joan.* XV). » Sed istum specialiter dilexit, quoniam virgo electus est a Domino; virgo in ævum permansit. Felix certe est et beatissimus, quem Dominus antonomastice dicitur diligere. At privilegio familiaritatis se commendat, cum de se ait : *Qui et recubuit in cœna super pectus ejus, et ait : Domine, quis est qui tradet te?* Maximæ quippe signum familiaritatis est super pectus magistri recumbere, et ejus arcanorum conscium esse. Si quis autem quærat quare Dominus isti discipulo tantum amorem, tantamque exhibuerit familiaritatem, dicimus quod vita virginalis et contemplativa est vita cœlestis et angelica. Porro Deus et angeli ejus cum virginibus et contemplativis magnam habent familiaritatem. Hinc est quod Dominus discipulum virginem et contemplativum tenerius et familiarius dilexit cæteris, matremque Virginem ei virgini commendavit, quoniam inter virgines et contemplativos sancta conversatio, munda familiaritas, et floridus aspectus est. Quoniam autem vix vita virginalis et contemplativa cœlestis et angelica est, ideo opinor Dominum voluisse quod beata Virgo et discipulus iste, facile et sine dolore ad cœlestia transmigrarent; facilis quippe est transitus de similibus ad similia. Sicut enim quanto quis remotior est a cœlestibus vita et moribus, ita transitum ad ea sortitur difficiliorem. Ita econtrario quanto quis est propinquior cœlestibus vita et moribus, ita transitum ad ea promeretur leviorem. Ab officio vero sanctus Joannes se manifestat, cum dicit : *Hic est discipulus ille qui testimonium perhibet de iis, et scripsit hæc. Et scimus quia verum est testimonium ejus.* Cujus scripta, fratres mei, tanto firmius et charius amplecti debemus, quanto ipse mysteriis quæ ipse scribit, familiarius et propinquius interfuit; quantoque ipse de rivulis, scilicet de ipso fonte Dominici pectoris largius et profundius cæteris hausit. Propterea, fratres mei, ipsum precibus, ipsum gemitibus exoremus, quatenus meritis precibusque suis, nobis apud dilectum Dominum suum obtineat, quatenus mereamur scripta illius recte intelligere, et observare castitatem, contemplationem cæterasque ejus virtutes a longe imitari, mundum contemnere, Deum super omnia diligere, ad cœlestia toto desiderio festinare, et ad ea felici cursu pervenire, largiente Domino nostro Jesu Christo, qui in perfecta Trinitate vivit et regnat per omnia, etc.

Vita divi Joannis evangelistæ per Dorotheum.

(4) Joannes frater Jacobi, qui et evangelista Domini factus est, quem Dominus dilexit, Evangelium Domini Jesu Christi in Asia prædicavit. A Trajano vero in insulam Pathmum propter verbum Domini exsilio damnatus est; ubi etiam sanctum Evangelium suum conscripsit, quod postea Ephesi per Caium hospitem suum conscripsit, cui et Paulus apostolus Romanis scribens, testimonium dedit dicens : « Salutat vos Gaius hospes meus et totius Ecclesiæ (*Rom.* XVI). » Post mortem vero Trajani reversus est ex insula Pathmo, mansitque Ephesi, ac vixit annos 120. Quibus finitis, seipsum ibi vivus adhuc volente Domino sepelivit. Sunt tamen qui dicunt eum non sub Trajano in insulam Pathmum relegatum esse, sed sub Domitiano Vespasiani filio. In hac posterior sententia est Hieronymus, Eusebius in Chronicis et in Hist. Eccles. pluresque item alii, quanquam idem Eusebius in lib. *De præpar. evang.* et Tertullianus scribunt a Nerone eum in Pathmum insulam relegatum esse.

VII.

IN FESTO SANCTORUM INNOCENTUM.

Vidi supra montem Sion Agnum stantem (*Apoc.* XIV), etc. Hanc visionem, fratres charissimi, narrat sibi revelatam fuisse a Domino Joannes apostolus et evangelista (*Joan.* XII), qui virgo fuit electus a Christo, et virgo in ævum permansit. Qui et supra pectus ejus in cœna recubuit; unde et profundius cæteris secreta cognovit cœlestia. Primo igitur loquitur de eo quem vidit. Secundo de eis quos cum Deo vidit. Loquens igitur de eo quem vidit, ait : *Vidi supra montem Sion Agnum stantem.* In quo tria dicit : et quem viderit, et ubi, et quomodo eum situm viderit. Quem vidit? *Vidi*, inquit, *Agnum.* Agnus, fratres mei, dicitur Christus triplici de causa. Quia in agno paschali est præfiguratus. Quia mitis et innocens ut agnus; et quia nos pascit carne et sanguine suo, et sua

(4) Euseb. lib. III, cap. I, *Hist. eccles.*, et cap. 18

munditiæ et immortalitatis sto a nos vestit ut agnus. Ubi eum vidit? *Supra montem Sion*, id est supra eminentiam et contemplationem totius Ecclesiæ. Præest enim tanquam caput universis membris, non solum divinitate, sed et beneficio, doctrina et exemplo. Beneficio, quoniam, cum ipse sit fons omnium grátiarum, de plenitudine ejus tanquam membra de capite omnes participationem accipimus. Doctrina, quoniam doctrina vitæ et morum ab eo erudimur. Exemplo, quoniam, eo tanquam luce duceque præcedente, ad vitam æternam pervenimus. Propterea, fratres, operæ pretium est nobis, ut, si recte inoffenseque ad vitam æternam pervenire volumus, semper ejus vestigiis insistamus, semper oculum mentis nostræ in eum teneamus. Juxta quod Sapiens ait : « Oculi sapientis in capite ejus (*Eccle.* II). » Quomodo vidit eum situm? *Stantem*, id est paratum nobis adjuvare et pro nobis pugnare. Dum enim, fratres mei, laboramus inter tribulationes et miserias hujus mundi, Dominus stat nobis, si in eum toto corde speramus. Unde et beatus Stephanus inter persecutores positus, non sedentem, sed stantem, et quasi pro se pugnantem, cum se vidisse confessus est. Secure igitur pro Christo pugnemus et patiamur, quoniam eum stantem, et auxilium nobis ferentem procul dubio sentiemus. Sed nunquid tu, o Joannes, vidisti Agnum sine sociis? Nequaquam. Propter hoc quippe de sinu Patris in mundum venit, propter hoc et Agnus factus et immolatus est, ut secum in paterna hæreditate haberet participes et cohæredes. Sed cum omnes boni cum eo sint, tamen familiarius et conjunctius ei virgines adhærent. Cum enim ipse semper sit virgo, et filius Virginis matris, virginum contubernalia specialius diligit et quærit. Unde sequitur : *Quod cum eo centum quadraginta*, etc. Est autem hæc pars secunda in qua Joannes describit eos quos cum Agno vidit, ostendens circa eos decem, videlicet quanti essent et cujus professionis, cujusmodi vocem haberent, quale canticum cantarent, uti illud canerent, quam casti, quam Agno conjuncti, quam electi, quam veraces, quam mundi essent. Porro quanti essent, ostendit cum dicit : *Centum quadraginta quatuor millia*, id est duodecies duodecim millia. Ponitur autem hic numerus finitus pro infinito, et magis ad exprimendum mysterium quam numerum. Uterque enim numerus, id est duodenarius et millenarius, perfectus est. Alter vero per alterum multiplicatus ostendit perfectionem illos habere qui cum Agno erant. Culmen quippe omnium virtutum est virginitas. Nec de omni virginitate hoc dico. Est enim quædam virginitas coacta et inutilis, ut illorum vel illarum qui propter timorem vel custodiam virgines sunt. Est et virginitas naturalis et utilis, ut illorum qui propter dignitatem, ætatem, vel frigiditatem corporis virgines sunt. Est et virginitas virtuosa et valde meritoria, ut illorum qui propter ardorem divinæ charitatis virgines sunt ; hanc virginitatem dico omnium virtutum culmen, utpote quæ omni virtute, omni merito et martyrio cumulatur. Quæ enim major virtus, quod meritum majus, quam vivere in carne, non secundum carnem : quam esse in igne, et non ardere ; manere in luto, et non contaminari, et inter malitias hujus mundi angelicam ducere vitam ? Quod martyrium majus quam seipsum concinne crucifigere, quam secum quotidie luctari, et suis voluptatibus et voluntatibus abrenuntiare? Cujus professionis essent ostendit cum dicit : *Habentes nomen ejus*, id est Agni, *et nomen Patris ejus scriptum in frontibus suis*, id est nomen Patris et Filii palam confitentes, nec propter pudorem, nec propter timorem, nec propter tormenta illud tacentes ; parati magis mori quam silere, vel abscondere nomen Christi. In quo confunditur superbia nostra, qui, quamvis confiteamur nos Christianos, eo quod nomen Christi nunc in honore est, tamen pauperatem, humilitatem, patientiam, cæteraque insignia ferre erubescimus. Cujusmodi vocem habent, ostendit cum subdit : *Et audivi vocem de cœlo tanquam vocem aquarum multarum, et tanquam vocem tonitrui magni. Et vocem quam audivi sicut citharœdorum citharizantium in citharis suis.* Ac si dicat : Audivi vocem multam et delectabilem. Multam ex psallentium multitudine, delectabilem ex consonantiæ suavitate. Et si, juxta Jacobum, « multum valet deprecatio justi assidua (*Jac.* v), » quantum putatis placeat et delectet Dominum laus vel oratio infinitarum virginum, facta cum devotionis magnitudine et concordiæ suavitate. Pulchre autem laudem illorum qui « carnem suam crucifigunt cum vitiis et concupsicentiis (*Gal.* v), » melodiæ citharœdorum comparavit, quoniam sicut citharœdi torquent et cogunt chordam ut percussa sonum dulcem resonet, sic virgines et continentes torquent et urgent carnem suam, ut quanto magis manu persecutionis percutitur, tanto magis Deo psallat. Et sicut diversi chordarum soni in cithara in unam consonant melodiam, ita diversæ in choro, vel divisæ virtutes in eadem persona, in uniu charitatis conveniunt consonantiam.

Propterea, fratres mei, torqueamus per abstinentiam carnalem nostram voluntatem, et cogamus eam in adversis Deo psallere, et in rectæ intentionis et charitatis melodiam consonare. Quale vero canticum cantarent ostendit, quod canticum novum et singulare. Quod novum, ostendit cum ait : *Et cantabunt quasi canticum novum.* Canticum quippe virginum novum est, quia novi hominis Christi institutum ad homines innovandos. Antiqui enim non virginitati studebant, sed posteritati. Quibus et dictum est : « Crescite et multiplicamini, et replete terram (*Gen.* I). » In tempore vero novæ gratiæ monuit Christus ad observationem virginitatis, et dixit eis : « Crescite in munditia mentis et corporis, et replete cœlum. » Quod vero singulare, ostendit cum ait : *Et nemo poterat dicere canticum nisi illa centum quadraginta quatuor millia qui empti sunt de terra.* Tintinnabulum quantuluncunque fractum vel læsum non

potest reddere eam dulcedinem melodiæ quam integrum et sanum. Sed nec puberes et corrupti possunt ita sonare et acute cantare ut parvi impuberes et incorrupti. Sic conjugati vel vidui nullatenus possunt esse ante Dominum in spirituali melodia, nec virginibus adæquari. Singulare quippe canticum virgines cantant qui de mentis et corporis singulari incorruptione Deum benedicunt et laudant. Quod canticum cæteri quidem audire possunt, sed cantare nullatenus possunt. Canticum quippe virginum audiunt, et eo delectantur, qui virtutem virginalis melodiæ in aliis amant, et in ea congratulantur, nec penitus ea carent qui per charitatem eam sibi faciunt communem. Quodammodo enim, fratres mei, virtutes proximorum nostrorum nostras facimus, dum inde congratulamur et Deum laudamus. Ubi illud cantarent, ostendit cum dicit : *Ante sedem et ante quatuor animalia et seniores.* Per sedem, sanctam Dei Ecclesiam, in qua Deus requiescit, intelligimus. Per quatuor animalia, quatuor evangelistas, et per viginti quatuor seniores, Veteris et Novi Testamenti Patres, id est, duodecim patriarchas et duodecim apostolos intelligimus. Ante igitur sedem et quatuor animalia et seniores canticum novum virgines cantant, qui Deum et sanctos ejus, et magistratus, senatoresque cœlestis curiæ, novitate virtutis et laudis suæ delectant. O quam beati sunt virgines, qui in cœlesti curia novi organistæ statuuntur, et quodammodo angelorum cantico veterascente, nova melodia, Deum totamque Dei curiam merentur prædelectare! Mirabilior quippe est virginitas humana quam angelica, dum quod habet angelus per naturam, virtute nititur obtinere contra naturam. Quam casti sunt, ostendit cum dicit : *Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt.* Vocatur autem hic mulieris nomine quidquid pollutionem carnis potest provocare. Describit autem proprie luxuriam, vocans eam coinquinationem. Luxuria enim res vilis est, turpium ministerio membrorum actu, exitu fœda, et post pudens et pœnitens. Quatuor quippe luxuriam comitantur : Mentis brutificatio, coinquinatio, pudor et pœnitentia ; quæ penitus ignorat munditia virginalis. Virgines enim sunt, sicut corpore, ita et mente. Qui enim mente corruptus est, virgo jam non est. Unde Dominus : « Qui viderit, inquit, mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est in corde suo (*Matth.* x). » Quam conjuncti sint Agno, demonstrat, cum subdit : *Hi sequuntur Agnum quocunque ierit.* Super omnes sunt virgines plus familiares et conjuncti Christo, qui soli sequuntur eum *quocunque ierit.* Conjugati enim et vidui, et si eum sequuntur per viam charitatis, humilitatis, patientiæ cæterarumque virtutum, tamen non sequuntur eum *quocunque ierit*, quia per viam virginitatis eum sequi non possunt. Soli quippe virgines, et per hanc, et per omnes alias virtutes eum sequuntur. Quam electi sint ostendit, cum subdit : *Hi empti sunt ex omnibus primitiæ Deo et Agno. Hi empti sunt*, inquit, subaudis, ex omnibus periculis, tentationibus tribulationibusque mundanis. Sive *empti*, id est, electi, ex omnibus electis etiam præelectis, ut sint *primitiæ Deo et Agno.* Primitiæ enim dicuntur præmaturi fructus, qui ex sua novitate et præmaturitate plusquam cæteri fructus solent delectare. Sic novitas virginalis pudicitiæ præ cæteris virtutum fructibus, divinam delectat majestatem. Quam sint veraces, ostendit cum subdit : *Et in ore eorum non est inventum mendacium.* Ac si dicat : Non solum sunt casti mente et corpore, sed et lingua. Quod est contra quosdam, qui cum castitatem mentis et corporis observent, tamen lingua adulterantur, dum per mendacia, detractiones, turpiloquia, multiloquia, et inaniloquia cæterosque linguæ excessus effunduntur, non attendentes quoniam qui vere castus est, non solum corpus, sed et linguam, aures, oculos, cæterosque sensus castos habent. Scriptum est enim : « Perdes omnes qui loquuntur mendacium (*Psal.* v). » Quam mundi sunt, ostendit cum subdit : *Sine macula sunt ante thronum Dei.* Ac si dicat : Non solum in prædictis, sed etiam universaliter mundi sunt. Quoniam et si ex vita mundana, quæ sine peccato non agitur, aliquas maculas olim contraxerunt, tamen per baptismum, per pœnitentiam, per passionem, cæteraque purgantia, penitus mundati et sanctificati sunt ; nec solum ante homines, qui falli possunt, sed etiam ante Dominum, qui falli non potest. Et quam mundi sunt, qui divino judicio mundi sunt. Itaque, fratres mei, vos qui virgines estis, beati estis, si in vera virginitate perseveretis. At tamen scitote quoniam flos virginitatis, quanto est magis pretiosus, tanto ad custodiendum magis periculosus, inter tot tentationes carnis, diaboli et mundi. Propterea vacate jejuniis, vigiliis, laboribus, humilitati et orationi, qui custodes sunt virginitatis. Vos etiam continentes secundo loco beati estis, si quanto liberiores estis, tanto magis Deo et ejus operibus vacatis, si ea quæ sunt mundi contemnentes, toto desiderio ea quæ sunt Dei cogitatis et facitis, scientes quoniam longa castitas virginitatis imitatrix est. Vos etiam conjugati, tertio loco beati estis, si conjugalem pudicitiam illibatam servatis, si uxores et familias juste regitis, si filios in timore Dei educatis, si maculas nuptiarum eleemosynis redimitis, si hospitalitati, si curæ pauperum cæterisque operibus misericordiæ vacatis, si ecclesiam frequentatis, si Dominicis præceptis intenditis. Hoc enim faciendo, Agnum, et si non *quocunque ierit*, tamen eum sequimini, et per hoc consequimini ejus æternam beatitudinem, ipso opitulante qui vivit et regnat, etc.

VIII.

IN EODEM FESTO.

Apparuit angelus in somnis Joseph, dicens : Surge et accipe puerum et matrem ejus et fuge in Ægyptum, et esto ibi usque dum dicam tibi (*Matth.* II), etc. In hac sancti Evangelii lectione, fratres charissimi, tria juxta litteram nobis demonstrantur. Primum enim demonstratur nobis quod Christus habuit veram

divinitatem et veram humanitatem. Veram quippe humanitatem habere demonstratur, cum sicut homo fugit et absconditur. Sed in hoc exemplum dedit suis cedendi quandoque persecutioni, videlicet ne quandoque improperatur membris, si fugerent, cum ipsum caput Christus aliquando fugisset. Secundo vero demonstratur humanum furorem frustra contra divinum propositum insanire, in hoc quod intentio Herodis Christum occidere machinantis frustratur. Scriptum est enim : « Non est prudentia, non est ratio, non est consilium contra Dominum (*Prov.* XXI). » Tripliciter enim in malitia sua Herodes fallitur, dum Christum, quem occidere conatur, non lædit ; et illis quos propter eum occidit, prodest, dum eos martyres facit, et sibimet etiam nocet, dum sibi damnationem acquirit, ut de eo, et consimilibus recte dicatur, « Lacum aperuit et effodit, et incidit in foveam quam fecit. Convertetur dolor in caput ejus, et in verticem ipsius iniquitas ejus descendet (*Psal.* VII). » Tertio quoque demonstratur nobis terrenos de morte filiorum inconsolabiliter dolere cum dicitur : *Tunc adimpletum est quod dictum est per Jeremiam prophetam dicentem : Vox in Rama audita est, ploratus et ululatus multus, Rachel plorans filios suos; et noluit consolari, quia non sunt.* His verbis recordatus Jeremias veteris historiæ prædicit tantum plánctum futurum, propter occisionem a Chaldæis patrandam, quantus fuerat propter uxorem Levitæ exstinctam, et in duodecim partes divisam : exstincta pene tota tribus Benjamin, præter paucos, quorum planctus auditus dicitur fuisse usque ad remotum locum, qui dicebatur Rama (*Judic.* XX). Est ergo ac si dicat evangelista : Tantus fuit planctus matrum, filios suos ab Herode interfectos lugentium, quod similis esset et planctui qui fuit propter interfectionem filiorum Benjamin propter uxorem Levitæ occisorum, et illi qui fuit propter occisionem Judæorum a Chaldæis factam. Sicut enim tunc vel tribus Rachel, de qua natus est Benjamin, vel tribus Juda inconsolabiliter suos fleverunt occisos, ita et tunc matres inconsolabiliter fleverunt filios suos ab Herode peremptos. Sed nos Christiani non debemus vel has vel illas imitari, ut scilicet de morte filiorum vel amicorum nostrorum inconsolabiliter doleamus. Si enim boni erant, non eos lugere, sed potius eis congaudere debemus, utpote de quorum salute securi sumus. Si vero peccatores erant, eis per eleemosynas, orationes et oblationes succurrere debemus, ut pariter nobis et illis veniam et salutem impetrare valeamus, ut scilicet cum eis in resurrectione gloriemur. Illorum est enim desperare, et inconsolabiliter dolere de morte amicorum, qui fidem resurrectionis, vel spem glorificationis non habent. Unde Apostolus : « Nolo vos ignorare de dormientibus, ut non contristemini sicut et cæteri qui spem non habent. Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quia nos qui vivimus et residui sumus, in adventu Domini non præveniemus eos qui dormierunt (*I Thess.* IV). » etc. Deinde subjungit : « Rapiemur cum illis obviam Christo in aera, et sic semper cum Domino erimus. Itaque consolamini invicem in verbis istis (*Ibid.*). »

Mystice vero quatuor hic nobis significantur. Per hoc enim quod Christus, mox ut natus est, persecutionem ab Herode patitur et cum matre in Ægyptum per Joseph transfertur, significat primitivam et incipientem Ecclesiæ fidem persecutionem a Judæis passuram, et ideo ipsam fidem Christi cum Ecclesia per ordinem prædicatorum a Judæis ad gentes transituram, donec mortuo Herode, id est Judæorum infidelitate, rursus fides Christi in fine mundi ad Judæos rediret.

Secundo in occisione puerorum significatur passio omnium martyrum. Isti passi sunt a membris Herodis, et illi passuri erant a membris diaboli. Isti fuerunt parvuli et pueri ; et isti futuri erant humiles et puri. Isti fuerunt quidam bimi, quidam minoris ætatis, et illi futuri erant quidam doctrina et operatione perfecti, quidam imperfecti. Isti occisi sunt, ut Christus inter eos occideretur ; et erant illi occidendi, ut Christus cum illis occideretur. Tertio quod infantes pro Christo occiduntur, et tamen Christus non occiditur, significatur quod martyres quidem erant pro Christo occidendi, et tamen Christus nulla ratione potuit in eis occidi, vel eis auferri, juxta quod Paulus ait : « Neque mors, neque vita poterit nos separare a charitate, quæ est in Christo Jesu (*Rom.* VIII). » Et alibi : « Sive vivimus, sive morimur, Domini sumus (*Rom.* XIV). » Quarto vero in hoc quod subditur, quod *vox in Rama audita est, ploratus et ululatus multus, Rachel plorans filios suos*, significatur quod vox sanguinis martyrum qui clamat de terra, et ploratus etiam Rachelis, id est Ecclesiæ, de injusta nece martyrum, non, ut infideles putant, in vacuum cedit ; sed in Rama, id est in excelsum, usque ad aures Dei judicis ascendit, qui merito et hos coronabit, et illos puniet in æternum. Super vero morte martyrum, Ecclesia non vult consolari, *quia non sunt*, subaudis amplius de hoc mundo ; et ideo non vult super eos flere hac ratione ut redeant ad mundum, quos scit in æternum cum Christo regnare. Quamvis enim martyres et sanctos Dei doleamus nobis subtrahi, tamen non debemus velle eos huc redire, sed potius cum Christo gloriari et orare pro nobis. Moraliter quoque in hoc quod Jesus mox natus persecutionem ab Herode passus est, demonstratur nobis quod mox ut aliquis ad Deum convertitur et incipit Deo vivere, tentationem et persecutionem a diabolo passurus est. Videns enim diabolus hominem sibi mori, et Deo incipere vivere, acrius sævit contra illum, ut illum in anima occidat. Unde scriptum est : « Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in timore, et præpara animam tuam ad tentationem (*Eccli.* II). » Sed ad consilium nuntii Dei, hic talis sæcularem vitam, in qua Herodes, id est diabolus regnat, fugit, et in Ægyptum, id est in claustralem vitam, in qua diabolus non habet potestatem, confugit, et ibi securius vivit. Sed par-

vulorum, id est rudium et infirmorum, qui in sæcolari vita remanent, plerique a diabolo in anima perimuntur. Quorum perditionem Rachel, id est Ecclesia plangit, et pene inconsolabiliter plorat, quia parvulos, quos per baptismum Christo genuerat, per insidias diaboli perdit, et vix super perditionem talium vult consolari, quia scilicet de numero electorum, de quo videbantur, subtracti sunt. Quibus utique melius esset penitus non esse quam in æternum damnatos esse. Vos igitur, filii, qui adhuc in Christo parvuli et infirmi estis, quique ad quaslibet damnationes diaboli, vel carnis, vel mundi ruitis, ne quandoque a diabolo penitus perimamini, fugite sæcularem vitam, et intrate claustrum vel solitudinem, ut ibi tanto securius vivatis, quanto a tentationibus mundi remotiores estis. Vos autem qui in Christo fortes estis, et diabolo, mundo et carni, Deo auxiliante, resistere valetis, nolite vos sæcularium hominum conventibus subtrahere, sed potius peccatores verbo et exemplo vestræ bonæ conversationis Deo lucrificate. Unde Dominus : « Nemo accendit lucernam, et ponit eam sub modio, sed super candelabrum, ut qui ingrediuntur lumen videant (*Luc.* VIII). » Propterea vos qui in Christo perfectiores estis, bono verbo et exemplo aliis lucete, tenebrosos illuminate, bene incipientes promovete, infirmos confortate, bene viventes ad meliora monete, quatenus cum lucro multarum animarum ad Christum mereamini pervenire, cum ipsis, et pro ipsis coronandi per omnia sæcula sæculorum. Amen.

De sanctis Innocentibus ex libris D. Haymonis, De Christianarum rerum memoria.

Christo nato, et secundum Matthæi evangelistæ testimonium adventantibus tribus Magis ad eum stella duce, conturbatur Herodes, incredibiliter veritus status sui et regni periculum. Investigato a Magis et manifestato ex Micheæ oraculis nativitatis loco, interimi jubet omnes pueros a bimatu et infra, secundum tempus a Magis exquisitum, ut cum illis Dominum posset exstinguere. Sed præmonitus ab angelo Joseph, puerum transfert in Ægyptum, etc.

De quibus sic Chrysostomus inquit (5) : « Sed o beata lactantium gloria, quibus pro Christo contigit dedicare martyria! Expugnant tempore uno nativitatem et mortem, ingressum et exitum, principium et occasum, ut in ipsis posset tempore uno, ut dixi, et nascendo ingredi mundum, et dedicare martyrio cœlum. Probat novos exercitus Christus, rudes milites designat, legiones lactantes victoria perpetrata coronat. Fiunt pro Christo victores, qui ætate fuerunt coæquales; fiunt, inquam, infantes sine certamine fortes, sine pugna victores, norunt vincere, qui pugnari non norant; existunt victoriæ compotes, qui fuerant ætate imbelles. Merentur pœnam martyrum, gloriam sanguine comparant, æternam vitam temporali morte commutant. Nec timuit ætas illa mortem, nec horruit; timere enim non potuit quæ timere non novit; transmittit infantes infans Christus ad cœlum, nova xenia, Patri primitias fructuum exhibet Genitori. Ostendit futuram fecundissimam messem, dum in semine tantam exhibet ubertatem. Derisit se, derisit hostilis immanitas, quæ putavit turbare posse consilium Dei, gloriam Christi, salutem necessariam mundi; sed contulit infantibus multis martyrium, dum infantem quærit occidere Christum. Præstat hostis dum nocet; beneficium tribuit, cum occidit; invideret enim eorum gloriæ, si amaret; sed aliæ sunt terrestres pugnæ, aliæ cœlestes victoriæ. In prælio Christi moriendo vivitur, cadendo surgitur, victoria per interitum comparatur. »

(5) 1 Serm. 3 in opere 22 Serm., tom. II.

IX.

IN CONVERSIONE BEATI PAULI APOSTOLI.

Saulus adhuc spirans minarum et cædis in discipulos Domini (*Act.* IX). Hodie, fratres charissimi, conversionem beati Pauli apostoli celebramus, et ideo convenienter lectio recitans historiam conversionis ejus hodie recitatur. Ostenduntur autem nobis tria in ipsa lectione, videlicet quam fuerit ante conversionem malus, et quæ ejus fuerit conversio, et quam fuerit post conversionem bonus. Porro quam fuerit ante conversionem malus ostenditur, cum dicitur : *Saulus adhuc spirans minarum*. Cæteri impii persequuntur homines; Saulus vero non solum homines, sed etiam ipsum Deum in discipulis suis persequebatur. Persequebatur autem quatuor modis : animo, verbo, opere, consuetudine, quibus modis omnis malitia consummatur. Animo, Dominum in discipulis suis odiendo; quod notat cum ait *spirans*. Quando enim spiramus, conceptum interius flatum foras mittimus. Et Paulus odium intus conceptum foras emittebat. Verbo, Dominum in suis conviciando et minando. Quod notat, cum ait, *minarum*. Opere, occidendo, quod notat cum ait, *et cædis*. Consuetudine, obstinata malitia persequendo, quod innuit cum ait : *Abiit ad principem sacerdotum et petiit ab eo epistolas in Damascum ad synagogas, ut si quos inveniret hujus viæ viros vel mulieres, vinctos perduceret in Hierusalem*. Ac si dicat : More lupi, sanguini innocentium assuefactus, postquam præsentes occiderat, absentium sanguinem sitiebat, et majorem sæviendi potestatem sibi dari postulabat. Et quis unquam, fratres mei, putaret hominem tam crudelem et sanguinolentum ad tantam gratiam posse pervenire? Sed Dominus, cujus misericordiæ non est numerus, hujus etiam misertus est, ut ostenderet se esse illum de quo scriptum est : « Qui eduxit vinctos in fortitudine, similiter eos qui exasperant, et qui habitant in sepulcris (*Psal.* LXVII). »

Sequitur pars secunda, in qua ostenditur quando, et qualiter Dominus eum convertit. Quando ostenditur, cum subditur : *Et cum iter faceret, contigit ut appropinquaret Damasco*. Ac si dicatur : Quando erat in proposito et in itinere, ut etiam magis ac magis sæviret, vocavit eum Dominus, et malum ejus propositum et viam in bonum convertit. In quo divinæ gratiæ major apparet effectus. Qualiter autem eum convertit, ostenditur, cum subditur : *Et subito circumfulsit eum lux de cœlo, et statim cadens in terram, audivit vocem dicentem sibi*. Sunt autem tria genera conversionum. Quosdam enim convertit Dominus per interiorem inspirationem, ut Magdalenam; quosdam per exteriorem prædicationem, ut Petrum et Andream; quosdam per flagellationem, ut filios

Israel, de quibus scriptum est, « Cum occideret eos, quærebant eum, et revertebantur (*Psal.* LXXVII). » Hoc modo convertit Paulum, flagellat enim eum primo; secundo, flagellationis causam eum docet; tertio, Saulus medicinam quærit; quarto, medicina ei datur. Cum flagellat eum, luce de cœlo circumfulgente, eum excæcat, prosternit. Et debilitat, ostendens se habere divinam potentiam, et illum humanam fragilitatem. Eum excæcat, quoniam non poterat vere illuminari, nisi a mala sua scientia prius excæcaretur. Eum prosternit, quoniam non poterat bene surgere, nisi prius a mala sua elatione prosterneretur. Eum debilitat quoniam non poterat bene valere, nisi prius a sua mala fortitudine debilitaretur. Non potest enim aliquis divinam accipere fortitudinem, nisi suam amittat et vilipendat fortitudinem. Unde idem Paulus, « Cum, inquit, infirmor, tunc fortior sum et potens (*II Cor.* XII). » Causam flagellationis eum Dominus docet cum ait : *Saule, Saule, quid me persequeris?* Ac si dicat : Dignus es non solum flagellari, imo etiam damnari, qui me salvatorem mundi persequeris. Non autem ait, *quid* meos *persequeris*, sed, *quid me persequeris?* In quo demonstratur nobis quanta sit unio capitis et membrorum. Quoniam sicut caput dicit pro pede conculcato, quare conculcas me? et pro dorso cæso, quare cædis me? Ita Dominus dicit sibi inferri quæ suis inferuntur. Ad hoc Saulus tremens præ timore, conscius se Jesum persecutum fuisse, et stupens, illum animadvertens esse Deum, quem purum hominem putabat, quasi coactus ad obediendum medicinam quærit, dicens : *Domine, quid me vis facere?* Ac si dicat : Verum est, Domine, quod te persecutus sum, sed ignorabam te esse Christum. Sed jam de cætero tibi obedio; præcipe quidquid vis. Medicinam incipit ei Dominus adhibere, dum præcipit in urbem intrare, et dicendis obedire. Viri autem qui eum comitabantur, stabant stupefacti, vocem quidem audientes, ut testimonium ei ferre possent, sed non renati, eum videre non erant digni. *Ad manus autem illum trahentes*, etc. « Hæc mutatio dextræ Excelsi (*Psal.* LXXVI). » Qui venerat trahere oves trahitur ut ovis, factus de lupo agnus, de Saulo Paulus, de persecutore prædicator. *Et erat ibi tribus diebus et tribus noctibus non videns, et non manducavit neque bibit.* Ad modum triduanæ Domini sepulturæ mortuus est peccato, ut surgeret Deo. Cum autem Dominus jam per se interius eum etiam Evangelium docuisset (unde ipse gloriatur se non « ab homine » accepisse illud, neque didicisse, sed « per revelationem Jesu Christi) (*Gal.* I), » tamen mittit ad eum illuminandum, erigendum et confortandum ad Ananiam; ut per hoc ostendat ministris, id est ministeriis Dei, quanta reverentia debeatur, ut non nisi per eos et per ea pateat salus. Nam mox ut Ananias imposuit Paulo manus, *ceciderunt ab oculis ejus tanquam squamæ*, serpentinæ malitiæ, et illuminatus est. Et cum accepisset cibum, tam corporalem quam spiritualem, confortatus est. Hoc modo convertit ad se Dominus plerosque nostrum quotidie. Nam sæpe dum sumus in proposito et in cursu peccandi et male agendi, ut nos convertat Dominus ad se, immittit nobis flagella infirmitatum, persecutionum et miseriarum, ut qui nolumus per prosperitatem, saltem emendemur per adversitatem. Qui si vere humiliamur, et emendationem promittimus, illuminamur a Domino interius, erigimur et confortamur.

Sequitur pars tertia, in qua ostenditur quam bonus fuerit Paulus post conversionem, cum subjungitur : *Fuit autem cum discipulis qui erant Damasci, per dies aliquot.* Qui enim prius erat toto corde contra Christum et discipulos ejus, nunc erat toto corde cum Christo et discipulis ejus. Super omnia enim diligebat Christum, et discipulos ejus sicut seipsum. Quantum quippe diligeret Christum ostendit, cum ait : « Certus sum enim quod neque mors, neque vita, neque instantia, neque futura, neque altitudo, neque profundum, neque creatura aliqua, poterit me separare a charitate quæ est in Christo Jesu (*Rom.* VIII). » Quantum vero diligeret Christi discipulos ostendit, cum ait : « Quis infirmatur et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror? » (*II Cor.* II.) Et qui plus blasphamebat et persequebatur nomen Christi, coram regibus et principibus et filiis Israel portavit nomen Christi. Unde et hic dicitur : *Et continuo ingressus Paulus in synagogas, prædicabat illis Jesum, ostendens quoniam hic est Filius Dei.* Et qui prius adjuvabat toto nisu Judæos persequens Christum, nunc toto nisu persequebatur infidelitatem eorum. Unde et hic dicitur : *Saulus multo magis convalescebat, et confundebat Judæos, ostendens*, id est affirmans, *quia hic est Christus.* Et qui prius lapidabat et occidebat confitentes Christum, nunc non effugit lapidari et occidi propter Christum. Ecce, fratres mei, de quam perverso quam sanctus factus est Paulus. In Paulo quippe et in Magdalena et hujusmodi, voluit Dominus demonstrare viscera misericordiæ suæ, ut scilicet cæteris peccatoribus exemplum pœnitentiæ et spem veniæ præstaret, ne videlicet aliquis in quantacunque scelerum enormitate desperaret, sed potius per pœnitentiam ad spem veniæ festinaret. Sicut econtrario in ruina Judæ et similium, qui de alto gradu sanctitatis in foveam perditionis prolapsi sunt, voluit profunditatem severitatis suæ demonstrare, ut scilicet cæteris justis timorem incuteret, ne videlicet aliquis in quantacunque virtutum altitudine præsumeret, sed potius se humiliaret, timeret et vigilaret, et non in se, sed in Deo se posse stare confideret. Audi tamen, peccator. Non proponitur tibi Paulus in exemplum peccandi, sed pœnitendi. Si secutus es peccantem, sequere pœnitentem. Ne differas de die in diem. Ne adjicias peccatum super peccatum, et dicas : Miseratio Dei magna est, peccatorum meorum miserebitur. Neque enim vita, neque pœnitentia, est in manu hominis, sed in manu Dei. Qui sicut humilibus et timentibus per misericordiam suam tempus pœnitentiæ tribuit, ita præsumentibus et contemnentibus

per justitiam illud subtrahit. Itaque, fratres mei, qui justus est ex nobis, dum est in hac lubrica vita, semper timeat et vigilet, et qui peccator est, non desperet, sed dum licet, ad remedium pœnitentiæ festinet, compungatur, ploret, confiteatur, et bonis operibus redimat peccata sua, quatenus utrique vitam mereamur consequi sempiternam. Per Dominum nostrum Jesum Christum qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Vita D. Pauli apostoli, per Isidorum.

Paulus, qui antea Saulus, apostolus gentium, advocatus Judæorum, a Christo de cœlo vocatus, et in terra prostratus, qui oculatus cecidit, cæcatus surrexit, ex persecutore factus est vas electionis, et ex lupo agnus, inter apostolos vocatione novissimus, prædicatione primus, in lege Gamalielis discipulus, in Evangelio Christi servus, cujus patria Judæa fuit, genus de tribu Benjamin. Hic secundo post ascensionem Domini anno baptizatus, dignitatem meruit apostolatus, atque plus omnibus laborans, multo latius inter cæteros verbi Dei gratiam seminavit, atque doctrinam evangelicam sua prædicatione complevit, incipiens ab Hierosolymis usque ad Illyricum et in Italiam, Hispaniamque processit, ac nomen Christi multarum gentium populis manifestavit quibus non fuerat declaratum. Cujus miracula ista esse noscuntur : raptus tertium cœlum ascendit, seducentem Pythonis spiritum imperata discessione damnavit, adolescenti mortuo vitalem redintegravit spiritum, cæcitate præclusit Magum, claudo proprium reformavit incessum, diri serpentis nec sensit morsum, sed igni dedit arsurum, patrem etiam Publii a febribus orando sanavit. Ob amorem quoque Christi multas passiones sustinuit, in primis Judaicas persecutiones, et gentium miserias, et laborem, et famem, sitim, frigus, et nuditatem, die ac nocte, profundi naufragia, mille pericula, ferrum, verbera, carcerales tenebras, tormenta catenarum, calores et vincula. Inter hæc ligatur, et Judæis traditur, a gentibus lapidatur ad necem, in sporta per murum dimittitur, virgis cæditur, pœnis arctatur in carcere, vinctus terræmotu facto resolvitur. Ac ultimum a Nerone gladio occiditur eo die quo et Petrus crucifixus est. Sic enim oportuerat ut ii qui simul confessi sunt, uno die coronarentur. Sepultus est Romæ via Ostiensi, anno post passionem Domini trigesimo sexto, tertio milliario ab urbe contra orientalem plagam.

X.

IN EODEM FESTO.

Dixit Simon Petrus ad Jesum : Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te. Quid ergo erit nobis? (*Matth.* XVIII.) Et reliqua. Hujus evangelicæ lectionis, fratres charissimi, tres sunt partes. Primo enim dicit Petrus Domino quid propter Dominum fecerit. Secundo quærit quid boni inde consecuturus sit. Tertio quæsitum ei Dominus exponit. Primo igitur Petrus quid propter Dominum fecerit ostendit, cum dicit : *Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te.* Porro cum Petrus nullas in hoc mundo divitias habuisset, sed ex arte piscatoria utcunque se sustentaret : quia non solum navem et retia reliquit, sed omnia reliquisse dicit, eo quod reliquerat omnem cupiditatem habendi. Tanta enim indicat se reliquisse quanta poterat cupivisse. Omnia igitur reliquit, qui et illud minimum quod habebat, totum reliquit, et cupiditatem habendi penitus deposuit. Duo enim sunt, relinquere cupiditatem, et relinquere rem. Alterum est præcepti, alterum vero consilii. Relinquere quippe cupiditatem tenemur ex præcepto. Relinquere vero rem non tenemur, sed monemur ex consilio. Si cupiditatem non relinquimus, damnamur. Si vero rem non relinquimus, non ideo damnamur, sed quodamodo impedimur. Quidam igitur sunt qui relinquunt cupiditatem et rem ; quidam, qui cupiditatem et non rem ; quidam, qui rem, et non cupiditatem. Cupiditatem et rem reliquerunt apostoli, et eorum imitatores, qui et cupiditatem habendi penitus a se abjecerunt, et omnia etiam necessaria reliquerunt. Quibus a Domino dicitur : « Nihil tuleritis in via, neque sacculum, neque peram, neque calceamentum (*Luc.* x), etc. » Quibus debet esse in Deo tanta fiducia, quod etsi non portent ista, tamen pro certo habeant, Deo providente, nulla sibi defutura. Unde Dominus : « Quando, inquit, misi vos sine pera, et sacco et calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis? Qui dixerunt : Nihil (*Luc.* XXII). » Quod aperte est contra claustrales, qui postquam omnia reliquerunt, rursus ad habendum saeculos et bursas, per cupiditatem redeunt, facti deteriores multo quam sæculares, qui eas licite possident. Cupiditatem vero, et non rem, relinquunt boni sæculares, qui omnem illicitam cupiditatem relinquunt, res vero sibi necessarias non relinquunt. Nam res superfluas retinere, cuilibet damnabile est. Qui ergo res superabundantes et superfluas possidet, eas pupillis, viduis et egenis eroget, ne forte fiat reus propter inopiam tot pereuntium animarum, quot potuit sustentare ex rebus quas superflue retinet apud se. Unde Joannes Baptista : « Qui habet duas tunicas, det unam non habenti; et qui habet escas, similiter faciat (*Luc.* III). » Nam juxta Joannem evangelistam : « Si quis habuerit substantiam hujus mundi, et videns fratrem suum necessitatem patientem, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? » (*1 Joan.* III.) Rem autem et non cupiditatem relinquunt avari, qui, quamvis vel per exactionem, vel per mortem divitias habere desinant, tamen nec in morte eas pauperibus erogare possunt, de quibus scriptum est : « Et relinquent alienis divitias suas, et sepulcra eorum, domus vero eorum in æternum (*Psal.* XLVIII). » Itaque Petrus qui cupiditatem et omnia etiam necessaria reliquerat, vere dicebat : *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te;* nudum nudi, expeditum expediti. Ac si aperte dicat : Non secuti sumus te, ut quidam solent, propter lucrum majorum divitiarum sæcularium, cum eas non possideas, sed tantum propter teipsum. Sequitur pars secunda, in qua Petrus quærit quid inde boni sit consecuturus, cum subdit : *Quid ergo erit nobis?* Ac si aperte dicat : Mandatum, consilium et exemplum tuum secuti sumus; quod est illud præmium quod promisisti nobis, dicens : « Si vis esse perfectus, vade, et vende omnia quæ habes, et veni, sequere me, et habebis thesaurum in cœlo (*Matth.* I). » Porro hæc illatio quæ fit per hanc conjunctionem

ergo, non provenit ex debiti astrictione, sed potius ex promissione. Non enim electis suis dabit Dominus vitam æternam, ideo quia illi meruerunt, sed ideo quod gratis eis promisit. « Non enim ex operibus, ut ait Apostolus, quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam suam salvos nos fecit (*Tit.* III). » Unde non ait hic Petrus : Quid ergo reddes nobis, sed ait : *Quid ergo erit nobis*, quasi quid proveniet nobis ex tua promissione? Bene quoque ait *quid*, quoniam ea quæ hic damus, vel relinquimus propter Deum, non sunt commensurabilia ei bono quod ab eo accepturi sumus, quoniam ista sunt parva, fugitiva et transitoria; illud vero bonum erit (*quid*) quoniam magnum, stabile et æternum.

Sequitur pars tertia, in qua Dominus ad hoc quod Petrus quæsierat, respondet dicens : *Amen dico vobis, quod vos qui reliquistis omnia et secuti estis me, in regeneratione cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel.* Per hoc confirmativum adverbium, *amen*, confirmat Dominus hoc quod ipse promittit fore verum, et est quasi jusjurandum Dei, quod *vos*, inquit, *qui reliquistis omnia.* Sed quoniam multi propter inanem gloriam, vel propter furorem omnia reliquerunt, ut Socrates et Diogenes, qui etiam necessaria reliquerunt, addit, *et secuti estis me*, quod fidelium proprium est, *in regeneratione*, id est in resurrectione, quæ ideo vocatur regeneratio, quoniam qui primum nascendo regeneramur ad vitam mortalem, postea resurgendo generabimur ad vitam æternam. *Cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos.* Ac si aperte dicat : Vos qui non solum mandatum, sed etiam consilium et exemplum meum secuti estis, ita specialiter mecum sedebitis. Significatur autem hic per duodecim sedes, judiciaria potestas omnium perfectorum, sicut per duodecim tribus, universitas omnium judicandorum. Alias nec Paulus, qui dicit se angelos judicaturum, judicabit, nec aliæ a duodecim tribubus judicabuntur. Judicabit autem solus Dominus auctoritate, tanquam Dominus et Judex. Apostoli vero judicabunt assensu, tanquam senatores in concilio. Mediocriter etiam bonos dicit alibi Dominus judicaturos, comparatione scilicet melioris facti dicens : Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione ista, et condemnabunt eam, quoniam egerunt pœnitentiam in prædicatione Jonas (*Matth.* XII ; *Luc.* II). *Et omnis*, inquit, *qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit.* Ac si dicat : Non solum vos qui omnia reliquistis, et me secuti estis, apud me gloriam æternam consequimini, sed etiam cæteri minores, qui cum cupiditate etiam relinquent, et si non omnia, tamen aliquot temporalium propter me. Hi et si non erunt tanti, quanti vos in potestate judicandi, tamen centuplum accipient, et vitam æternam possidebunt. Sed quid est, fratres mei, quod hic Dominus promittit præmium A relinquentibus propter se patrem, aut matrem, aut uxorem, cum alibi idem præcipiat honorare patrem et matrem (*Matth.* XV ; *Marc.* VII), et uxorem a viro non discedere? (*Matth.* XIX.) Sed non naturam vel charitatem patris et matris vult Dominus propter se relinquendam, sed carnales affectus, maxime cum a via Dei nos impediunt. Quod olim in primitiva Ecclesia frequenter contingebat, cum fidelem pater, vel mater, vel uxor infidelis a via Dei retrahebat. Quod si carnales affectus patris, vel matris, vel uxoris Deo præponebat, indignus Deo erat, ipso dicente : « Qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus (*Matth.* X). » Non ait propter me, aut secundum me, sed ait *plusquam me*, vel contra me. Itaque, fratres mei, quando a via Dei B parentes nos impediunt, nec nos eos possumus lucrari Deo, sed ipsi cupiunt nos lucrari mundo, relinquendi sunt, ne simul cum eis pereamus. Unde Dominus : « Non veni pacem mittere in terram, sed gladium. Veni enim separare filium a patre, nurum a socru (*Matth.* X), » etc. Et Hieronymus : « Si tibi tendenti in eremum obstiterit pater in limine, per calcatum perge patrem. » Pietatis enim genus est in hac re esse crudelem. Quod si non impediunt nos omnino parentes, sed aliquantulum nos retardant a via Dei, et spem habeamus eos lucrificandi Deo, non sunt deserendi, sed potius per charitatem et bonam conversationem ad Deum trahendi. Hinc Paulus ait : Si consentit vir infidelis habitare cum C muliere fideli, non discedat fidelis. Sanctificatur enim vir infidelis per mulierem fidelem ; et mulier infidelis per virum fidelem (*I Cor.* VII). Non enim deficit, imo magis proficit, qui propter lucrandam proximi animam, a sua perfectione descendit. Unde etiam Paulus : « Factus sum infirmis infirmus, ut eos lucrifacerem (*I Cor.* IX). » Quod autem ait, quia *qui reliquerit* illud *propter me, centuplum accipiet*, non est intelligendum secundum intellectum Judæorum vel hæreticorum, qui putant omnia temporalia, quæ in hac vita propter Deum reliquerunt, ea in centuplum se in alia vita recepturos, non attendentes turpe et indecens esse, ut qui unam uxorem propter Christum reliquerit, sit recepturus centum. Sed iis verbis significatur nobis, D quoniam centuplo pluris erunt prima, quam pro Deo data vel derelicta. Quod autem ait alius evangelista, *centuplum accipiet hic, et in futuro vitam æternam*, manifestum est. Qui enim omnia temporalia vere reliquit propter Christum, centuplum accipiet hic in gratia virtutum. Sed etiam in temporalibus centuplum recipit, quoniam Deo omnia adjiciente, factus est tanquam nihil habens, et omnia possidens (*II Cor.* VI). Centuplum enim melius est omnia habere sine sollicitudine et timore quam cum sollicitudine et timore. Itaque, fratres mei, cum necesse sit nos vel relinquere omnia temporalia, vel jam relinqui ab eis, quoniam relinqui a temporalibus pœnam habet, et non præmium, relinquamus ea, antequam relinquamur ab eis ; et si non possu-

mus relinquere non necessaria, saltem relinquamus superflua, ea in pupillos, viduas, infirmos, captivos et cæteros bonos usus erogantes; et etiam ab ipsis necessariis, quantum possumus, nos restringamus, in cibo, et potu cæterisque necessariis nos cohibentes, ut sine cupiditate et timore hic vivamus, « tanquam nihil habentes et omnia possidentes, » mandata, et consilia, et exempla Christi sectantes, ut, et si non judicare cum apostolis possimus, tamen mereamur adjudicari vitæ æternæ ab apostolis, largiente Deo et Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

XI.

IN PURIFICATIONE BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

Ecce mitto angelum meum, qui præparabit viam ante faciem meam (*Mal.* III), etc. Hic loquitur, fratres mei, de adventu Christi Malachias propheta, imo Dominus per eum. Ostendit autem quinque. Primo, dicit Deus Pater se mittere angelum ante adventum Filii sui. Secundo, dicit statim ipsum Filium venturum. Tertio, dicit paucos intellecturos adventum ejus. Quarto, dicit quod sit officium ejus. Quinto, dicit quid sit facturus. Primo igitur, Deus Pater loquens ad Filium suum, dicit se mittere nuntium ante adventum ejus, dicens : *Ecce ego mitto angelum meum.* Cum plures nuntios adventus Filii sui præmisisset Deus in pluribus temporibus, ut patriarchas et prophetas, hic singulariter dicit se mittere unum nuntium, Joannem Baptistam intelligens, quem etiam propter prærogativam sanctitatis et officii, suum angelum vocat. Sicut enim rex terrenus venturus in aliquam urbem, multos præmittit præambulos, adventus sui nuntios, et jam intraturus, nuntium familiariorem sibi præmittit ; ita Dominus fecit, mittens primo patriarchas et prophetas, et jam vero venturus, præcursorem sibi chariorem præmisit ; cui etiam testimonium perhibuit, quoniam « inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista (*Joan.* I). » Qui etiam more angeli divinorum arcanorum internuntius fuit ad homines, secreta Trinitatis et Incarnationis prædicavit, imo etiam demonstravit, non suam, sed Domini gloriam quæsivit. Quid autem iste angelus facturus esset ostendit, cum subdit : *Qui præparabit viam ante faciem tuam.* Præparavit enim præcursor viam Christo, prædicando, baptizando ; sed etiam sua mirabili nativitate, nativitatem Christi mirabiliorem, et sua sancta conversatione conversationem Christi sanctiorem, et sua passione pretiosa passionem Christi pretiosiorem præcucurrit et præmonstravit. Si autem in littera habeatur *ante faciem meam*, facies Patris Filius dicitur, eo quod per Filium Deus Pater in terra cognoscatur. Secundo, dicit post præcursoren statim Filium venturum, cum subdit : *Et statim veniet*, etc. Conceptionem quippe et nativitatem præcursoris, post dimidium annum subsecuta est conceptio et nativitas Christi. Et quis veniet? *Dominator quem vos quæritis, et angelus testamenti quem vos vultis.* Quia namque Patres Veteris Testamenti, gravi dominio diaboli et malorum principum oppressi erant, jugum suave Christi quærebant ; qui pondus Veteris Testamenti, et duritiam ministrorum ejus ferre non poterant, angelum Novi Testamenti desiderabant. Hoc est quod Simeon ille senex, qui responsum acceperat se non moriturum donec videret Christum (*Luc.* II), dicebat quotidie in orationibus suis : Quando veniet? Quando nascetur? Quando videbo? Hoc etiam desiderium antiquorum Patrum significant illæ septem antiphonæ, quæ a desiderativo adverbio *O* incipiunt ita : *O Sapientia, O Adonai*, etc. Et quo veniet? *Ad templum sanctum suum*, id est ad uterum beatæ Virginis, quod antonomastice *sanctum*, id est sanctificatum fuit. Vel etiam ad materiale templum Hierosolymis, in quo hodierna die cum oblationibus a parentibus oblatus fuit. Vel certe *ad templum*, id est ad sanctam Ecclesiam, quam significare et conjungere sibi venit. Et ne desperetis de dilatione, quia *ecce venit, dicit Dominus exercituum.* Tertio, dicit paucos intellecturos adventum Christi, cum subdit : *Et quis poterit cogitare diem adventus ejus? Et quis stabit ad videndum eum?* Quasi dicat, *pauci.* Pauci quippe fuerunt Simeon et Anna, et aliquot viri spirituales, qui per Spiritum intellexerunt quando venturus erat. Et pauci fuerunt discipuli ejus, qui per Spiritum intellexerunt quod Filius Dei in carne quam videbant, venerat. Convenienter autem ait, *stabit*, quoniam et si multi carnalibus oculis viderunt Christum, tamen ad eum videndum non steterunt, qui unde proficere debuerant, per infidelitatem corruerunt.

Quarto, dicit quod foret officium ejus cum subdit, *Ecce ille quasi ignis conflans, et quasi herba fullonum.* Ac si dicat : Officium ejus erit purgare et mundare Ecclesiam. Venit enim in primo adventu justificare impios per misericordiam, qui in secundo venict impios damnare per justitiam. Nec tamen ait : Ecce ille quasi conflator, et quasi fullo, quoniam Christus non est tantum minister purgandi et emundandi, ut cæteri magistri, sed etiam causa. Porro ignis sex res facit, calefacit, liquefacit, urit, illuminat, corroborat et inflammat. Christus quoque veniens in hunc mundum calefecit hominum frigiditatem, liquefecit cordium duritiam, ussit peccatorum rubiginem, illuminavit hominum insipientiam, corroboravit hominum infirmitatem, inflammavit etiam cordium torporem. Herba quoque fullonum duo facit, maculas pannorum tollit, et eos dealbat. Christus similiter maculas animarum tollit, et eos dealbat. Unde Propheta ei dicit : « Asperges me, Domine, hyssopo et mundabor, lavabis me, et super nivem dealbabor (*Psal.* L). » Sunt autem duo genera hominum. Quidam enim sunt duri cordis et crudelis, qui significantur per metalla rubiginosa. Quidam vero sunt mollis animi et remissi, qui significantur per squalida vestimenta. At Christus utrosque per misericordiam suam respiciens, et illis *ut ignis conflans*, et istis *herba fullonum*. Utrumque,

fratres charissimi, in hodierna solemnitate significamus, qui hodie luminaria accensa gestamus, et vestimentis candidis dealbamur. Quinto, quid facturus sit ostenditur, cum subditur : *Et sedebit conflans et emundans argentum, et purgabit filios Levi.* Per argentum, quod sonorum est et utensilibus altaris aptum, significantur prædicatores et ministri Ecclesiæ. Idem etiam significatur per filios Levi, qui in ministerium Domini assumpti erant. Ad quorum emendationem emundationemque Christus sedit, tanquam magister, et vacavit. Primum enim apostolos et discipulos suos igne sancti Spiritus purgavit et illuminavit, ut per ministerium eorum cæteri quoque purgarentur et illuminarentur. *Et conflabit eos*, inquit, *tanquam aurum, et quasi argentum*, id est sapientia et eloquentia eos claros reddet, per quas prædicatio ministratur. *Et erunt Domino offerentes sacrificia in justitia.* Deo omnia bona, sibi sola mala attribuentes, non aliena, sed seipsos Deo propter Deum sacrificantes. Hoc est enim sacrificare sacrificium justitiæ. Utinam et nos indignos peccatores et sacerdotes, ille ignis divinus purget, illuminet et inflammet, quatenus sacrificium justitiæ mereamur ei digne sacrificare! *Et placebit*, inquit, *Deo sacrificium Juda et Jerusalem*, id est primitivæ de Judæis Ecclesiæ, *sicut dies sæculi*, subaudis, primi. *Et sicut anni antiqui*, id est sicut sacrificium Abel, Abrahæ, Melchisedech, et cæterorum antiquorum Patrum, quorum sacrificium certum est Deo placuisse; imo magis quam illud, quia illi figuram, isti verum Agnum et verum panem obtulerunt. Moraliter vero, sicut Deus Pater præmisit angelum suum, id est Joannem Baptistam, ut præpararet Filio suo in carne venienti, viam, ita quotidie præmittit angelos suos qui præparent Filio eidem invisibiliter ad corda hominum venienti viam. Angelos autem dico sacerdotes et prædicatores, qui primum prædicant verbum Dei auditoribus, ut ita postmodum ad corda illorum veniat ipse Filius. Scriptum est enim : « Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirent de ore ejus. Angelus enim Domini exercituum est (*Mal.* II). » Et non solum nos, sed etiam quislibet vestrum, fratres mei, qui verbum salutis proximo annuntiat, angelus Domini potest dici. Itaque verbo prædicatoris exterius ad aurem sonante, et Deo intus invisibiliter operante, statim venit verbum Patris per fidem ad cor, et illud in templum sibi sanctificat. « Templum enim Dei, inquit Apostolus, sanctum est, quod estis vos (*I Cor.* III). » Sed *quis poterit cogitare*, vel intelligere *diem* vel horam *adventus ejus* ad cor? Ac si dicat : Nullus. Ipse enim solus novit quomodo mentes hominum in melius mutet, vel quomodo ad eas veniat, vel eas sanctificet. Scriptum est enim : « Spiritus ubi vult spirat, et vocem ejus audis, et nescis unde veniat, aut quo vadat (*Joan.* III). » Et tamen hoc scimus, quia ille est *quasi ignis conflans, et quasi herba fullonum.* Id est auctoritatem habet emolliendi mentes per compunctionem, et emundandi per baptismum, ve. per pœnitentiam. Unde Job : « Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu qui solus es? » (*Job* XIV.) *Et sedebit*, inquit, *conflans et emundans argentum.* Ac si dicat : Non illos in quibus ad horam habitat Deus, sed illos solos in quibus sedet et manet, emendat et efficit argentum purum et vasa electionis. *Et purgabit filios Levi*, id est illos qui videbantur additi numero reproborum, purgando addet numero electorum ministrorum, et faciet eos offerre *sacrificia in justitia*, ut justitia sit in offerente, et in oblato, et in intentione. *Et placebit Deo sacrificium Juda et Jerusalem.* Ac si dicat : Quia in vera confessione et pace sacrificabunt, placebunt Deo sicut sacrificia antiquorum sanctorum. Clamemus ergo, fratres mei, toto corde, clamemus ad illum sanctum mundatorem animarum, quatenus ipse emolliat duritiam animarum nostrarum, decoquat rubiginem peccatorum, induat nos candore suarum virtutum, inflammet nos ad amorem desiderii sui, ut omnia transitoria tanquam stercora reputantes (*Philip.* III), ad eum toto desiderio festinemus, nosmet in holocaustum suavitatis offerre ei, et ab eo suscipi mereamur, intercedente Dei Genitrice, quæ hodierna die meruit offerre Filium suum Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

XII.

ITEM IN EODEM FESTO.

Postquam completi sunt dies purgationis Mariæ secundum legem Moysi (*Luc.* II), etc. Hodie, fratres charissimi, beatæ Virginis et matris Domini celebramus purificationem. Unde et Evangelium, illius explicans historiam, hodie recitatur in sancta Ecclesia, proponens nobis quatuor quasi opposita : videlicet, quod pura purificatur, quod Deus offertur, quod Redemptor redimitur, quod senex jam moriturus gratulatur. Ut quid, fratres mei, voluit Dominus vel matrem suam puram, cum non indigeret purificari, vel se Deum offerri, vel Redemptorem redimi? Ob tres causas : ut se non solvere legem, sed adimplere demonstraret (*Matth.* V), ut per omnia exemplum humilitatis nobis proponeret, ut nos debitores a debitis pro nobis indebita solvendo redimeret. Primo igitur proponit nobis evangelista purissimæ virginis purificationem, cum ait : *Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ secundum legem Moysi*, subaudis, egit quod purificando facere debebat. Præcepit enim lex ut mulier quæ suscepto semine masculum peperisset, immunda haberetur septem diebus, et in octava puer circumcideretur, deinde, aliis triginta tribus diebus, suspenderetur ab introitu templi. Quibus expletis, quadragesimo die cum hostiis, agno scilicet et turture, vel columba, puerum ad templum offerret. Si autem peperisset feminam, erat immunda quatuordecim diebus, et aliis sexaginta sex diebus suspendebatur ab ingressu templi : donec octogesimo die cum hostiis ad templum veniret (*Deut.* XII). Videamus igitur diligenter verba legis, et primo secundum

litteram; ait enim mulierem quæ suscepto semine masculum peperisset, immundam esse septem diebus. Illam vero quæ sine semine perperisset, non dicit esse immundam neque prædictæ purificationi subjacere. Patet ergo quod beata Virgo quæ sine semine de Spiritu sancto concepit, cum immunda non fuerit, purificatione non egnerit. Itaque, fratres mei, si mater puritatis non recusavit purificationem legis subire, quid nos impuri et impii facere debemus, qui quotidie purificatione indigemus? Mater munditiæ et sanctitatis mundationem non refugit, et tu adulter vel adultera, tu immunde vel immunda, per purificationem disciplinæ et pœnitentiæ mundificari fugis? Moraliter vero, anima fidelis quæ, suscepto verbi Dei semine, fructum masculæ et sanctæ vitæ intus concipit per bonam voluntatem, et exterius parere incipit per bonam operationem, non statim se mundam, sed potius immundam reputare debet. Quia, quis quantumcunque justus gloriabitur mundum se habere cor? Debet ergo se immundam ante Dei oculos reputare, et præcipue dum adhuc ejus conversio nova est et rudis, quam debet in octava, id est in fide et pro fide resurrectionis, a veteri et vana consuetudine circumcidere, sed et etiam per quadraginta dies, id est per totum vitæ præsentis cursum, se debet a præteritis peccatis per pœnitentiam et disciplinam purificare, et lacrymis, partim de recordatione peccatorum, partim de desiderio patriæ cœlestis natis, se lavare, donec, consummata præsenti vita, fructum suum cum sacramento Agni immaculati et castitate turturis, et innocentia columbæ templum patriæ cœlestis mereatur introire. Anima vero quæ feminam, id est, mollem voluntatem concepit, et operando mollem vitam peperit, duplo quam alia majori indiget purificatione, et per quadraginta dies, id est per totam præsentem vitam non digne purificatur. Sed et etiam post mortem in purgatoriis locis purificatur, donec octogesimo die, id est, in resurrectione, plene purificata, in templum æternæ beatitudinis admittatur. Secundo vero proponit quod Deus, cum sit omnis oblatio, offertur, cum subdit: *Tulerunt Jesum in Hierusalem, ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini, quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur.* Quia namque Dominus in Ægypto primogenita Hebræorum ab angelo percutiente servaverat, voluit Dominus primogenita eorum de cætero sanctificari et offerri. Juxta quam institutionem, Dominus noster Jesus seipsum voluit Deo Patri offerri, videlicet ut per hostiam sui corporis nos Deo reconciliaret. Alias, unde Deo homo reconciliari poterat? Si enim homo offerret seipsum Deo Patri, cum reus esset, potius exacerbaret eum quam placaret. Si offerret sua, ut agnum vel bircum, aut hujusmodi, minor esset oblatio, nec pro dilecto satisfactura. Si angelus se offerret pro homine, oblatio esset ab homine aliena. Itaque Verbum factum est homo (*Joan.* I), ut homo per omnia Deo placens pro homine oblatus, eum Deo reconciliaret; ipso Patre teste, qui ei innotuit: « Tu es Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui (*Matth.* III; XVII; *Marc.* I). » Nos ergo, fratres, si quandoque peccamus, si quandoque Deum offendimus, non per nos, sed per Christum reconciliationem quæramus, per quem solum preces, oblationes, et hostiæ apud Deum Patrem acceptabiles esse possunt. Unde et quælibet oratio *Per Dominum nostrum Jesum Christum* fit et concluditur.

Tertio vero proponit quod Redemptor mundi redimitur, cum subditur: *Et ut darent hostiam secundum quod scriptum est in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum.* Hæc hostia pauperum erat, qui agnum ferre non poterant. Dignatus est enim Dominus pro nobis pauper fieri; dignatus est pro nobis redimi. Data quippe est hostia, quæ dabatur pro conceptis et natis in peccato, pro Domino, qui nec conceptus nec natus est in peccato. Redemptus est etiam secundum hoc quod scriptum est, quod primogenitus qui non erat de tribu Levi, quinque siclis argenti redimebatur (*Lev.* XXVII). Voluit enim nobis vitam humilitatis tam exemplo quam verbo commendare. Exemplo, quia, cum esset omnium dives, natus est pauper, et pro nobis pauper fieri voluit. Cum esset Redemptor mundi, voluit redimi; cum esset rex omnium, voluit pro se tributum dari; cum esset Dominus omnium, voluit hominibus subdi Unde ipse ait: « Non veni ministrari, sed ministrare (*Matth.* XX). » Verbo, quia discipulis adhuc carnalibus, et de principatu contendentibus ait: « Qui major est vestrum, fiat sicut junior; et qui præcessor est, sicut qui ministrat (*Luc.* XXII), docens eos de sola humilitate contendere. In quo nostra retunditur superbia, qui malumus dominari quam subdi, qui fugimus dominatum hominum, et dominatum non fugimus vitiorum, qui tributa dare hominibus quasi pestem fugimus, et tributa dare diabolo non horremus, qui damna et exactiones pecuniæ quasi gravissimum scelus fugimus, et damna innocentiæ non timemus. Si aliquis sæcularis tollat nobis pecuniam, ab Ecclesia arcemus, divina fidelibus prohibemus, Deo nostro servitium subtrahimus. Et quia nobis aufertur pecunia, nos nobis auferimus divina Deo ministeria sua. Ut quid hoc? nisi quia viam Dei, paupertatem et humilitatem abjicimus, et pecuniam Deo et animæ nostræ præponimus. Contra quos Apostolus loquitur: « Omnino, inquit, delictum est in vobis, quod contentiones habetis inter vos, quare non magis injuriam patimini? » (*I Cor.* VI.) Quarto quoque inducit evangelista senem prophetam jam moriturum, qui viso, quod desideraverat, optat dimitti ad mortem. Describitur autem talis qui dignus sit Deo ferre testimonium. Nam erat *justus*, reddens unicuique sua, *timoratus*, non timore servili, sed filiali; quia timebat cum dilectione, et diligebat cum timore Deum; *Espectans* non ut dubius, sed certus, Redemptorem. *Et Spiritus sanctus*, cum septem donis suis, *erat in eo*. Hic orando et desiderando, meruerat a

Spiritu sancto habere responsum non visurum se mortem, donec videret Christum. *Et venit*, non fortuitu, sed illustratus a Spiritu, *in templum*, et in eodem Spiritu eum esse Christum intellexit, et in ulnas suas eum suscepit. Quis potest pensare, fratres mei, quantum gaudium habuit iste senex, quando Redemptorem suum et mundi, quem tandiu desideraverat, suspiraverat et exspectaverat, oculis vidit, inter brachia sustulit, exsultans portavit? Qui cum gaudii magnitudinem nec exprimere, nec omnino tacere posset, in gratiarum actionem prorumpens, benedixit de immensis beneficiis suis Deum et dixit : *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace.* Ac si aperte dicat : Nunc, Domine, exhibito quod promiseras, oro dimitti in pace, quando post magnitudinem gaudii, non sentiam mortem. Et quare tantum gaudes? *Quia viderunt oculi mei salutare tuum.* Exteriores, exteriorem carnem ; interiores, interiorem divinitatem. Quarum conjunctio est salutare tuum et nostrum ; tuum, quia das ; nostrum, quia accipimus et sentimus beneficium, quandoquidem salutare, non est singulare, sed omnium commune. Unde sequitur : *Quod parasti ante faciem omnium populorum. Lumen ad revelationem gentium*, huc usque cæcarum, *et gloriam plebis tuæ Israel.* De quibus Christus secundum carnem natus est. Et quia hodie ille sanctus senex sic a Spiritu sancto illuminatus est, ut lumen totius mundi agnosceret et bajularet, hinc inolevit mos in sancta Ecclesia ut omnes luminaria accensa hodie quasi Christum in manibus bajulamus. Ignis enim divinitatem ; cera, quæ apis virginalis est opus, humanitatem ex Virgine sumptam demonstrat. Nos itaque, fratres, quæramus omnibus modis animarum nostrarum purificationem ; redimamus peccata nostra per eleemosynarum largitatem ; offeramus Deo in holocaustum, turturis castitatem et columbæ innocentiam. Et sicut utraque avis facit gemitum pro cantu, dum sumus in hac valle lacrymarum semper habeamus gemitum, et more sancti Simeonis, justitiam esuriamus et sitiamus. Desideremus pacem et videre dies bonos, ut visitatione Dei illustrati, et gaudio sancti Spiritus repleti, pleni dierum et gaudentes dimittamur in pace ad mortem victuri in æternum, per Christum Dominum nostrum, cui est honor et gloria per infinita sæculorum sæcula. Amen.

Annotatio.

Observa pervetustum Ecclesiæ morem, quod in die Purificationis beatæ Mariæ virginis candelæ ceræ benedictæ fidelium manibus deferuntur. Quod etiam autumat Cyrillus archiepiscopus Hierosolymitanus, in oratione de occursu Domini nostri Jesu Christi, et de Simeone qui Deum excepit. Quamobrem, inquit, venite vos omnes Christi et Dei amantes, Domino læti et mundi occurramus, non legaliter, sed spiritualiter ; non ventrem geliciis explentes, sed spiritu exsultantes ; non nos vino inebriantes, sed spiritu ferventes. Læti hodie lampades ornemus. Tanquam filii lucis, ceras veræ luci Christo offeramus. Quoniam *lumen ad revelationem gentium* mundo apparuit, ideo lumina ex lumine supra nivem resplendeamus. Supra lac dealbati, supra sapphirum illuminati, supra immaculatas columnas in cœlos evolantes, ita in nubibus ad Dei occursum excamus. Hodie dilecti festi cursum perpetuo peragamus, cum angelis choros ducamus, cum pastoribus illuminemur, cum orthodoxis adoremus, cum Bethlehem festum agamus, cum Simeone Christum ulnis amplectamur, ut simus intra æterna Christi bona gratia et miserationibus et clementia Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et potentia in sæcula sæculorum.

XIII.

IN CATHEDRA SANCTI PETRI.

Petrus apostolus Jesu Christi, electis advenis dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ, et Bithyniæ, secundum præscientiam Dei Patris, in sanctificationem Spiritus, in obedientiam et aspersionem Jesu Christi, gratia vobis et pax multiplicetur, etc. Hanc epistolam, fratres mei, scribit beatus Petrus apostolus discipulis, qui de diversis nationibus venientes, erant conversi ad fidem Jesu Christi, et in persecutione, quæ facta est in Ecclesia Hierosolymitana, quando lapidatus est Stephanus, per diversa loca dispersi sunt. At beatus Petrus relinquens Hierusalem, tanquam firmus et nescius cedere persecutioni, tanquam bonus pastor habens curam etiam de absentibus, Epistolam consolatoriam et confortatoriam eis scribit. Primo, eos salutans ; secundo, de eorum profectu Deum benedicens ; tertio, ad tolerantiam passionum et tribulationum tanquam utilium eos exhortans. Sed quod tunc beatus apostolus Petrus dicebat illis, nunc quoque, fratres, ego dico vobis, qualiscunque ego sim qui officium et apostolatum Petri habeo ; missus enim sum vobis evangelizare. Qui etiam Petrus esse debeo, id est firmus ; pastor enim inter persecutiones et tentationes debet esse firmus et fortis, ut imperfectiones tam verbo quam exemplo possit confirmare. Vos quoque, fratres mei, electi estis, si tamen tenetis opere quod estis vocatione, si estis sicut nomine, ita in veritate Christiani. Advenæ quoque estis in hoc mundo, si intelligentes vos non habere hic manentem civitatem, ad æternam patriam toto desiderio festinatis, si inter hujus exsilii miserias ingemiscentes, ad patriam suspiratis, et dicitis cum Propheta : « Heu mihi ! quia incolatus meus prolongatus est (*Psal.* CXIX). » Et illud : « Advena ego sum apud te et peregrinus, sicut omnes patres mei (*Psal.* XXXVIII). » In dispersione etiam positi estis, quoniam pauci inter infinitos malos, sicut pauca grana inter multas paleas misti estis. Alius enim electorum latet in Ponto, alius in Cappadocia, alius in Galatia, alius in Asia, alius in Hispania, alius in Britannia, alius hic, et alius ibi. Quos Deus, qui solus novit qui sunt ejus (*II Tim.* II), in fine sæculorum segregabit a malis, et in unum congregabit. Ad hoc enim, teste Joanne, mortuus est Christus, ut filios Dei qui erant dispersi, congregaret in unum (*Joan.* II). Electi autem estis non secundum merita vestra vel parentum vestrorum, *sed secundum præscientiam Dei Patris*, qui scilicet vos sua sola gratia ab æterno prædestinavit. Ad quid? *In sanctificationem Spiritus*, ut videlicet per spiritum, sanctum in baptismo vos emun-

daret ab omnibus peccatis vestris. *Et in obedientiam*, ut scilicet mundati a peccatis, non rediretis ad vomitum, sed de cætero mandatis Dei obedientes essetis. *Et in aspersionem sanguinis Jesu Christi*, ut videlicet participes essetis passionis Christi, per quam solam regnum cœlorum vobis aperitur et cœlestia terrenis confœderantur. Hic est enim ordo salutis nostræ, fratres mei. Primo enim antequam essemus, a Deo gratis ad vitam prædestinati sumus ; nati vero per baptismum sanctificamur ; deinde per obedientiam vitam Deo placitam ducimus et ad extremum per passionem Christi regni januam intramus. Quod autem tunc Petrus optabat suis, ego nunc opto, fratres mei, vobis : *Gratia vobis et pax multiplicetur*. Non opto vobis divitias, non honores, non glorias hujus sæculi, quæ multis sunt causa perditionis, sed opto vobis multiplicationem gratiarum, scilicet fidei, spei, charitatis, sapientiæ, justitiæ, fortitudinis, temperantiæ, cæterarumque virtutum quæ homines sanctos et Dei amicos efficiunt, et ad vitam æternam ducunt. Opto etiam vobis pacem, ut videlicet pacem habeatis cum Deo, ei obediendo, pacem vobiscum, vos mundos custodiendo ; pacem cum proximis, eos in Deo diligendo. Hæc enim pax homines efficit filios Dei. Scriptum est enim : « Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur (*Matth.* v). » Sequitur pars secunda, in qua Petrus benedicit Deum de beneficiis quæ discipulis suis contulerat dicens : *Benedictus Deus, et Pater Domini nostri Jesu Christi*, subaudis *sit*. Sed quomodo, fratres mei, Deo optamus benedictionem, a quo est omnis benedictio, et a quo est benedictus quicunque est benedictus? Vel quomodo Deum benedicere possumus, qui benedicti esse non possumus, nisi a Deo benedicamur ? Sed alio modo Creator benedicit creaturam, alio modo creatura creatorem ; alio modo una creatura aliam creaturam. Creator enim benedicit creaturam sanctificando. Creatura vero dicitur benedicere Creatorem, ei gratias agendo. Una etiam creatura benedicit aliam, ei divinam benedictionem optando. Deum ergo benedicimus, fratres mei, cum ei gratias agimus de beneficiis suis.

Unde et subdit, *Qui regeneravit vos in spem vivam*, id est qui vos generatos ex Adam in mortem, regeneravit vos per baptismum in spem vivam, id est vitæ æternæ. Vel certe spem vivam vocat, quæ per charitatem bene operatur. Spes enim, sicut et fides, sine operibus mortua est (*Gal.* v), nec fructum parturit æternitatis. Quod est contra illos qui, cum male vivant, se futuros salvos præsumunt. Sed nunquid propter merita nostra vel parentum nostrorum *regeneravit* nos *in spem vivam?* Nequaquam, sed *secundum magnam misericordiam suam*. Et quomodo? *Per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis*. Resurrectio quippe ejus non solum est causa regenerationis et emundationis nostræ, sed etiam argumentum et causa est nostræ futuræ resurrectionis. Sicut enim mortuus est pro nobis, ne nos pro eo mori timeremus, ita resurrexit pro nobis, ut nos per eum resurrecturos speraremus. Et ubi est spes illa? *In vobis* qui custodimini non cum viribus vestris, sed in virtute Dei. Et quomodo est vobis spes illa? *Per fidem*. Non enim speraretis, nisi crederetis. Et quo tendit spes illa ? *In hæreditate* æternæ beatitudinis, a qua per peccatum primi Adæ exhæreditati eramus, et nunc per novum Adam hæredamur? Hæreditatem dico *incorruptibilem*, nec senio, nec morbo, nec aliquibus defectibus ; *et incontaminatam*, nec peccato, nec vitio, nec aliqua macula ; *et immarcessibilem*, nec mutationibus, nec deteriorationibus. Hæreditatem dico *conservatam in cœlis*, qui ejus digni esse merentur. Et ubi conservatam ? *In cœlis:* « Ubi nec ærugo, nec tinea demolitur, neque fures effodiunt, nec furantur (*Matth.* vi). » Ad quam hæreditatem, qui tendit in salutem æternam animæ et corporis, *præparatam revelari in tempore novissimo, in quo exsultabitis*. Juxta quod Joannes ait: « Filii Dei sumus, sed nondum apparuit quid erimus. Cum autem venerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est (*I Joan.* iii). » Et quid dulcius, quid gloriosius, fratres mei, quam in æterna beatitudine et gloria cum Filio Dei cohæredes esse, et cum eo in æternum gaudere ? Propter quam hæreditatem emendam contemnamus, id est vendamus, fratres mei, omnes temporales hæreditates, quoniam qui istarum amatores sunt, ad illam æternam pervenire non possunt. Sequitur pars tertia, in qua Petrus nos hortatur ad tolerantiam passionum, subdens : *Modicum si oportet vos contristari in variis tribulationibus.* Bene autem ait, *oportet*, quoniam frumentum, nisi prius trituratum, non reconditur in horreum, et sicut aurum, nisi prius examinetur non reponitur in thesaurum, ita nec justus, nisi prius per tribulationes probatus, non recipitur in regnum cœlorum. Bene etiam ait contristari, quoniam, quamvis, ut ait Apostolus, justi glorientur in tribulationibus in spe gloriæ filiorum Dei (*Rom.* v), tamen caro inter amaritudines tribulationum, non potest non contristari. Unde Dominus ait : « Tristis est anima mea usque ad mortem (*Matth.* xxvi ; *Luc.* xxii). » Bene quoque ait, *in variis tribulationibus*, quoniam sicut varietas membrorum exigit varietatem medicinarum, ita varietas morum exigit varietatem tribulationum. Bene autem ait *modicum*, quoniam in respectu æternæ beatitudinis quantacunque in hoc sæculo patiamur, modicum et momentaneum esse videtur. Unde Apostolus : « Existimo, inquit, quod non sunt condignæ passiones hujus temporis, ad futuram gloriam quæ revelabitur in vobis (*Rom.* viii). » Porro quam utilitatem nobis conferant tribulationes ostendit, cum subdit : *Ut probatio fidei vestræ*, id est fides vestra probata, *multo pretiosior sit auro quod per ignem probatur*. Prima utilitas tribulationum est, quoniam hic probant et purgant. Probant quoniam sicut equus in stadio, id est eques in prælio, ita fides in tribulationibus probatur. Purgant, quoniam sicut ignis reddit aurum purissimum, ita tribulatio justum. Secunda utilitas, est

mercs æterna. Unde et subdit, *Inveniatur in laudem, et gloriam, et honorem, in revelationem Jesu Christi Domini nostri.* Quæ autem, fratres mei, major laus potest nobis contingere, quam quando laudabimur a Deo dicente : « Venite, benedicti Patris mei (*Matth.* XXV), » qui fecistis hoc et hoc propter me ? Quæ major gloria potest esse quam quando Deus induet nos gloria immortalitatis, faciens nos sole clariores, et introducens nos in societatem angelorum dicens : Percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi ? Quis major honor esse potest quam associari angelis, patriarchis, prophetis et apostolis, imo etiam ibi esse ubi est unigenitus Filius Dei, et non solum vocari, imo etiam esse et apparere filii Dei ? Hæc autem fient in revelatione Jesu Christi; id est in fine mundi, quando Jesus Christus, qui modo est absconditus, et a pluribus contemnitur, aut ignoratur, veniet ad judicium cum potestate magna, claritate et majestate, revelans potentiam suam, revelans etiam occulta cordium nostrorum, revelans quoque quantam gloriam sui dilectores et quantam pœnam sui contemptores meruerunt. Ne autem crimina nostra, fratres mei, ibi ad confusionem revelentur, nunc revelemus ea per confessionem, ea lacrymis abluentes et eleemosynis redimentes, omnia transitoria vilipendentes, ad cœlestia toto desiderio festinantes. Ad quæ perducere nos dignetur Deus et Dominus noster, cui est honor et gloria per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Vita D. Petri per Dorotheum.

(5) Petrus apostolorum Coriphæus, ut in epistolis suis innuere videtur, Evangelium Domini Jesu Christi, in Ponto, Galatia, Cappadocia, Bithynia, et tandem Romæ prædicavit (*I Petr.* I), ubi et postea sub Nerone rege capite ad terram verso (nam ad hunc modum ipse pati volebat) tertio Kalendas Julii crucifixus, ibique sepultus est.

XIV.

IN FESTO SANCTI MATTHIÆ.

Exsurgens Petrus in medio fratrum dixit (erat autem turba hominum fere centum viginti) (*Act.* I) etc. Hodie, fratres mei, natalitium sancti Matthiæ apostoli celebramus, qui est in loco Judæ proditoris divina electione subrogatus, ne videlicet sacramentum duodenarii a sua perfectione claudicaret. Hinc est quod lectio ejus explicans electionem, hodie in sancta Ecclesia recitatur, quæ quadripertita est. Primo enim, surgit Petrus inter fratres ; secundo, demonstrat reprobationem Judæ, et alterius substitutionem a Spiritu sancto fuisse prædictam ; tertio, ostendit quod unus ex fratribus debeat ei subrogari ; quarto, ostenditur quomodo substitutus sit. Aitergo, *Exsurgens Petrus in medio fratrum.* Tria dicit, *exsurgens, et in medio,* et *fratrum.* Quæ quidem tria sunt in vero pastore requirenda. Erat enim exsurgens super reliquos, ut gradu ita etiam vita, et virtutum altitudine, juxta illud : « Super montem excelsum ascende, tu qui evangelizas Sion (*Isa.* XL). » Nec tamen idcirco reliquos quasi minores et subjectos despiciebat, ut quidam faciunt, sed eos quasi æquales et fratres amabat. Unde idem ait : « Nec ut dominantes in clero, sed forma facti gregis ex animo (*I Petr.* V). » Rursus ita erat exsurgens inter fratres, quod etiam in medio eorum erat per æquitatem. Quod enim medium est, æqualiter se habet ad circumstantias. Petrus quoque æqualiter se habebat erga omnes. Non enim, ut quidam faciunt, vel propter sanguinem, vel propter aliquod temporale emolumentum, vel propter aliquam temporalem intentionem, unum alii præponebat ; sed in exercenda justitia, ordinatione, electione, æquitatem et rectitudinem observabat. Itaque qui pastor est, ad exemplum Petri per altitudinem vitæ exsurgat ; per charitatem minores tanquam fratres et sibi æquales habeat ; et per æquitatis rectitudinem medium teneat. *Erat autem turba hominum simul fere centum viginti.* Qui numerus constat ex denario duodecies ducto. In quo ostenditur conventum discipulorum in exsecutione fuisse perfectum. Sed tamen *fere* additur, quoniam numerus, propter ruinam Judæ minoratus, erat perficiendus. Qui omnes esse simul dicuntur sicut loco, ita fide, amore et communitate. Unde et de eis dicitur : « Multitudinis credentium erat cor unum et anima una, erantque eis omnia communia (*Act.* II). « Sequitur pars secunda, in qua ostendit Petrus Judæ reprobationem et alterius substitutionem a Spiritu sancto fuisse prædictam, dicens : *Viri fratres, oportet impleri Scripturam quam prædixit Spiritus sanctus per os David de Juda.* Et cum deberet subjungere Scripturam, interponit causam reprobationis, dicens : *Qui fuit dux eorum qui comprehenderunt Jesum,* id est dux proditionis fuit, *qui connumeratus erat nobiscum, et sortitus est sortem ministerii hujus.* Ac si dicat : Nobiscum erat numero non merito, vocatione non electione, ministerio non virtute. *Et hic quidem possedit,* id est fecit possideri, *agrum iniquitatis,* reddito pretio iniquæ proditionis Judæis. Vel *possedit,* quia forte in eo sepultus fuit. *Et suspensus crepuit medius, et diffusa sunt omnia viscera ejus.* Qui licet peccasset gravissime prodendo, tamen gravius peccavit desperando. Cujus guttur de quo vox proditionis exierat laqueo suffocatur. Venter et viscera quæ proditionem conceperant effunduntur. Moritur autem non in terra, non in cœlo, sed in aere, quoniam societate hominum et angelorum indignus, aeris potestatibus erat agregrandus. *Scriptum est enim in libro Psalmorum : Fiat habitatio ejus* (ante tempus) *deserta,* quoniam impii « non dimidiabunt dies suos (*Psal.* LIV). » *Et episcopatum ejus accipiat alter.* Quia commissum talentum, quo male usus est, auferetur ab eo, et dabitur alii bene usuro (*Matth.* XXV). Multi, fratres mei, hodie exsecrantur scelus Judæ qui tradidit Dominum, sed ipsi simile scelus incurrunt. Quicunque enim vel veritatem pro pretio dicunt, vel justitiam pro munere faciunt, Deum, qui veritas est et justitia, vendunt. Quicunque enim vel

(5) Epiph., lib. I, tom. II, *Contra hær.*

manus impositionem, vel ecclesiasticam administrationem, vel aliquod sacramentum Christi vendunt, ipsum Christum, quantum in eis est, vendunt. Qui laqueo collum suum stringunt, dum rete iniquitatum vocem et officium prædicationis sibi auferunt, seipsos suspendunt et occidunt, dum male vivendo, ab officio quod indigne administrant, se suspendunt, et se spiritualiter necant. Quorum venter crepat et viscera effunduntur, quoniam consilium eorum dissipatur, id est pereunt omnes cogitationes eorum. Quorum dies sunt pauci, quoniam in malo et non in bono sunt consummati. Et habitatio eorum fit deserta, et episcopatum eorum accipit alter, quoniam conversatio eorum, ut digna erat, perit, et talentum male ministratum alter sumit. Impiis quoque Judæis, qui Judæ dicenti: « Peccavi tradens sanguinem justum, responderunt: Quid ad nos? tu videris (*Matth.* xxvii), » similes sunt qui eos qui sibi per Simoniam vendiderunt; et non se, qui pecuniam dederunt, reos Simoniæ opinantur. Sed Simoniaeos, tam emptores quam venditores, simul involvit damnatio, nisi quia præcessuri sunt in pœna qui in gradu et scientia præcedebant. Quod vero Judæi dixerunt : « Non mittamus xxx argenteos in corbonam, quia pretium sanguinis est, sed inde emerunt agrum in sepulturam peregrinorum (*Ibid.*), » imitantur hodie quidam qui pecunias male habitas offerre Deo metuunt, et tamen eas in eleemosynas vel in alios usus conferunt, non attendentes quoniam quod non licuit offerre, non licuit dare vel sibi retinere.

Sequitur pars tertia, in qua ostendit Petrus de quibus, id est, ad quid substitutio debeat fieri cum subdit : *Oportet ergo ex his viris qui nobiscum sunt omni tempore congregati, ex quo Dominus Jesus intravit et exiit inter nos, incipiens a baptismate Joannis usque in diem qua assumptus est a nobis, testem resurrectionis nobiscum fieri, unum ex istis.* Ex his, inquit, qui nobiscum sunt. Quoniam de fratribus ejusdem congregationis debet fieri electio, si ibi dignus possit inveniri. Quod aperte est contra illos, qui propter invidiam suos bonos fratres contemnunt, et eligunt extraneos. Ait ergo, *viris*, quoniam viri tam ætate quam moribus debent in pastores eligi, unde et presbyteri, id est *seniores*, nuncupantur. Quod aperte est contra illos qui juniores ætate vel moribus eligunt in pastores, cum ipsa sapientia Patris Dominus noster Jesus Christus, non nisi tricesimo anno voluerit aperte prædicare et Ezechieli prophetæ non nisi tricenario aperti sunt cœli, et in canonibus prohibitum sit, nisi tricenarium in sacerdotem ordinari. Ait etiam *ex his qui vobiscum sunt omni tempore quo Dominus Jesus intravit et exiit inter vos, incipiens a baptismate Joannis*, etc. Quoniam illi soli debent eligi in pastores, qui longo tempore fuerunt eruditi in schola sanctarum Scripturarum et morum ordinandorum. Quod aperte est contra illos qui rudes et novitios eligunt in pastores, cum Apostolus præcipiat episcopum ordinandum non neophytum, ne elatus cadat in ruinam diaboli. Ait etiam *testem resurrectionis fieri nobiscum*. In quo ostendit ad quid debeat in sacerdotem vel in pastorem aliquis eligi, quoniam ad hoc ut resurrectio Christi semper testificetur non solum testimonio prædicationis, sed etiam testimonio bonæ vitæ et boni operis, ut videlicet sic prædicet, sic vivat, sic agat ut ostendat se vere credere Christi resurrectionem, et vere sperare suam. Quod aperte condemnat nos indignos sacerdotes, qui, et si verbo Christi resurrectionem et nostram prædicamus, tamen moribus et factis eam negamus. Cum enim præsentem vitam, tantisper amamus, quod propter eam ultra modum concupiscimus, multa illicita et vitæ futuræ contraria facimus, resurrectionem vel vitam futuram nos non credere vel non sperare demonstramus. Unde etiam minores de resurrectione facimus dubitare et dicere : « Si nostri pastores, cum prudentes sint, sperarent resurrectionem, nunquam sic viverent, nunquam talia perpetrarent, et propterea non exspectantes vitam futuram omnia referunt ad præsentem. Quorum ruina (quod sine gemitu dicere non possum) nobis imputatur. Sequitur pars quarta in qua ostendit quomodo Mathias substitutus sit, cum dicitur : *Et elegerunt duos, Joseph qui nominabatur Barsabas, qui cognominatus est Justus, et Matthiam.* Ac si dicat : Non extranei, sed ipsi elegerunt. Nec unus vel duo, sed communiter. Non enim extranei, sed ipsi fratres; qui confratres suos ex quotidiano convictu familiarius agnoverunt, debent eligere. Quod aperte contra principes vel pontifices est, qui eos quorum vitam non cognoverunt, eligere præsumunt. Nec unus vel duo sibi dilectum vel utilem nisi forte omnes communiter alicui honestæ personæ non sibi suspectæ, sponte communem concesserint electionem. Elegerunt autem apostoli duos, quos juxta arbitrium suum cæteris præponebant, quorum alter cognominatione justitiæ commendatur; alteri vero ad commendationem sufficit quod a Domino electus est. Sed quoniam uter eorum alteri præponendus esset, nesciebant, ad orationem confugiunt, et Deum consulunt dicentes : *Tu, Domine, qui corda nosti hominum, ostende quem elegeris ex his duobus, unum accipere ministerii hujus et apostolatus, de quo prævaricatus est Judas ut abiret in locum suum.* In quo nobis dederunt exemplum ut electionem celebraturi, communem cum fratribus omnibus faciamus orationem ad Deum, ut ipse qui solus novit corda hominum, eligat et demonstret quem ad ministerium suum noverit magis dignum. *Et dederunt fortes eis, et cecidit sors super Matthiam, et annumeratus est cum undecim apostolis.* Hinc sumunt quidam auctoritatem sibi sumendi sortes. Sed tamen noverint quod privilegia paucorum non faciunt legem communem. Si tamen voluerint sortibus uti, faciant hoc quod apostoli fecerunt, et non nisi in necessariis et dubiis. Alias graviter peccant, nec merentur a Domino certificari. Apostoli vero qui dederunt sor-

tes in re tam necessaria et dubia, et hoc cum oratione, a Domino exaudiuntur. Nam Matthias a Deo sortem regente electus est, et annumeratus est tam merito quam numero, tam electione quam sorte, tam potestate quam ministerio, cæteris apostolis, tam in cœlis quam in terra. Unde hodierna die de terra assumptus, cum cæteris apostolis in cœlo glorificatus, cum eisdem mundum judicaturus. Cujus meritum et intercessio faciat nos vitæ æternæ adjudicari, largiente Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Vita divi Matthiæ per Dorotheum.

(6) Matthias cum esset unus ex septuaginta discipulis, postea undecim apostolis duodecimus, loco Judæ proditoris, annumeratus est (*Act.* I). Hic in interiore Æthiopia, ubi Hyssus maris portus, et Phasis fluvius est, omnibus barbaris et carnivoris prædicavit Evangelium. Mortuus est autem in Sebastopoli, ibique prope templum Solis sepultus.

XV.

IN ANNUNTIATIONE BEATÆ MARIÆ.

Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet (*Isa.* XI), etc. His verbis, fratres charissimi, prædixit olim Isaias propheta Christum in carne venturum, ostendens tria, scilicet unde esset oriundus, quantis donis a Spiritu sancto esset illustrandus, et qualis erga alios esset futurus. Porro unde esset oriundus primo ostendit cum dicit : *Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet.* Metaphorice, fratres mei, vocat radicem semen Jesse patris David; virgam vero beatam Virginem, et florem Christum. Radix quippe est ima et occulta in terra, et tamen ex ea surgit arbor magna. Sic stirps Jesse fuit ima et occulta, quoniam plebeus erat Jesse, id est nullius nominis, et tamen ex eo nata est regalis linea. Et sicut nesciretur ubi esset radix, nisi propter arborem inde surgentem, ita nulla notitia esset de Jesse, nisi per regiam lineam ex eo procedentem. Virga quoque est plana, virens, recta et rotunda. Sic beata Virgo fuit plana ab omni nodo vitiorum, fuit virens omni virore virtutum, fuit recta rectitudine intentionis, fuit rotunda rotunditate perfectionis. In flore vero sunt tria, pulchritudo, odor et spes. In Christo quoque fuit pulchritudo omnium virtutum. Unde de eo scriptum est : « Speciosus forma præ filiis hominum (*Psal.* XLIV). » In ipso quoque fuit odor omnium bonarum virtutum. Unde de eo scriptum est : « Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus (*Gen.* XXVII). » Et in Evangelio legimus quoniam « abiit opinio ejus per totam regionem (*Matth* IV). » In ipso etiam fuit et est spes fructus æterni. Unde ipse vocatur a prophetis Exspectatio gentium (*Gen.* XLIX), et Desideratus cunctis gentibus (*Agg.* II). Porro tunc vocatur flos; nunc vocatur fructus. Quoniam ipse qui nobis est flos in via, erit fructus in patria. Nunc enim pulchritudine suarum virtutum, et odore suorum operum et morum, nos delectatur et allicit, et spe suavitatis qua fruuntur sancti in patria nos trahit. In futuro vero gustu suæ ineffabilis suavitatis nos in æternum satiabit. Si illa ineffabili dulcedine, fratres mei, in æternum satiari cupimus, in pulchritudine ejus admiremur, et in odore ejus curramus, et in spe trahamur, orantes cum sponsa et dicentes : « Trahe me post te, curremus in odore unguentorum tuorum (*Cant.* I). » Convenienter autem ait : *Et flos de radice ejus ascendet*, quoniam non de insitivo surculo, sed de sola carne Virginis sine opere virili conceptus est Christus. Convenienter quoque ait, *ascendet*, quoniam Christus merito humilitatis altitudinem virtutis ascendit, non solum ut esset caput totius Ecclesiæ, sed etiam ascendit super cherubim et seraphim et super cœlos cœlorum usque ad Patris æqualitatem, nobis relinquens exemplum ut mereamur ascendere ad cœlorum altitudinem.

Quantis autem donis a Spiritu sancto esset illustrandus ostendit, cum subdit : *Et requiescet super eum Spiritus Domini.* Non solum enim Spiritus sanctus, sed etiam tota Trinitas in homine Jesu Christo requiescit, id est gratanter quiescit. In cæteris quippe hominibus aliquid est quod Deo displicet; in Christo autem nihil est vel fuit quod Deo beneplacitum non sit, teste Patre qui de eo dixit : « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui (*Matth.* III). » Nos ergo, fratres mei, omne quod Deo displicet excludamus a nobis. Si volumus quod Deus requiescat in nobis, evitemus peccata per quæ Deus excutitur a nobis. Sequitur in textu : *Spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini.* Unus est enim spiritus, sed diversa sunt ejus dona. Qui nomen suum donis suis ideo tribuit, quoniam ea in aliquo nunquam derelinquit. Qui enim habet dona Spiritus sancti, habet Spiritum sanctum, et qui habet Spiritum sanctum, habet ejus dona, præsertim cum nihil aliud sit Spiritum sanctum habere, quam ejus dona habere. Porro in Domino nostro sunt septem, id est omnia dona Spiritus sancti. Omnia quippe habet in potestate, qui ea cui vult potest dare, sed in usu non habet, nisi ea quæ oportet eum habere. Pœnitentia enim et refrenatio libidinis sunt dona Spiritus sancti, quæ Christus in se non habet, quoniam non oportet. Primum donum est sapientia divinorum, ut notitia trinitatis in unitate, et unitatis in trinitate, et notitia divinorum secretorum, notitia creandi, conservandi propagandi, et gubernandi universa. Quod donum quis magis habuit quam ille qui essentialiter est sapientia Dei Patris, et qui cum Patre ab æterno omnia disposuit, et in tempore omnia creat, conservat et regit? Et tamen istud donum in tempore accepturus dicitur, quoniam quod erat ei, secundum quod Deus natura est, factum est ei se-

(6) Euseb., lib. 2, *cap.* 1, Hist. eccles.

cundum quod est homo gratia. Secundum donum est intellectus occultorum, ut videlicet intelligere occulta cordium, occulta futurorum, occulta Scripturarum, occulta absentium et invisibilium, qui proprie spiritus prophetiæ potest dici. Quod donum quis magis habuit quam ille qui occultas cogitationes iniquorum Judæorum arguit, et futura et absentia tanquam præterita narravit? Inde est quod propheta, imo Dominus prophetarum vocatur. Moyses enim de eo ait : « Prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris (*Deut.* XVIII). » Et in Evangelio : « Hic est vere propheta qui venturus est in mundum (*Joan.* VI). » Tertium donum est consilium inter insidias et pericula hujus mundi. Quod donum quis magis habuit quam ille qui humano generi de salute desperanti consilium dedit, et qui quotidie inconsultis consulit? Propter hoc enim antonomatice a propheta « consiliarius, et angelus magni consilii » nuncupatur (*Isa.* IX). Quartum donum est fortitudo resistendi persecutionibus et tentationibus hujus mundi. Quod donum quis magis habuit quam ille qui diabolicas tentationes et persecutiones penitus superavit, aerias potestates debellavit, fortem armatum alligavit, et omnia vasa ejus distribuit. Propter hoc enim, « Deus fortis et Dominus virtutum » a propheta appellatur (*Isa.* I). Quintum donum est scientia discernendi virtutem a vitio, verum a falso, bonum a malo, justum ab injusto. Quod donum proprie discretio spirituum dicitur. Quod donum quis magis habuit quam ille qui « scientiarum Dominus est (*I Reg.* II), » et « qui scrutatur renes et corda (*Rom.* VIII), » qui non solum inter bona et mala dijudicat, sed etiam inter bona et bona, mala et mala, et secundum merita unicuique redditurus est? Unde Apostolus : « Vivus est, inquit, sermo Dei, et penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens usque ad divisionem animæ et spiritus, compagum quoque et medullarum, et discretor cogitationum et intentionum, et non est aliqua creatura invisibilis in conspectu ejus (*Hebr.* IV). » Sextum donum est pietas diligendi, compatiendi, et benefaciendi. Quod donum quis magis habuit quam ille qui seipsum dedit non solum pro amicis, sed etiam pro inimicis, orans etiam pro persecutoribus suis? Propter hoc etiam non solum pius, sed ipsa pietas et ipsa charitas appellatur. Septimum donum est timor Domini filialis; habuit quidem Jesus Christus non passionem timoris, sed reverentiam et obedientiam omnia Patri attribuens, ei usque ad mortem obediens. Et hæc quidem dona hic descendendo enumerantur, quoniam Christus (de quo hæc dicuntur) ab altitudine divinæ sapientiæ. usque ad extremum donum, id est timorem Domini qui est initium sapientiæ (*Psal.* CX), propter nos est humiliatus. Nos vero, fratres, qui in infimis positi sumus, a minore dono, id est timore Domini, in altum proficiamus. Oremus ergo ipsum qui sine mensura habet plenitudinem donorum, ut ipse secundum mensuram suæ voluntatis nobis distribuat ea. Oremus et dicamus, Domine : immitte in corda nostra timorem nominis tui, ut, propter te, peccata et omnes turpitudines evitemus. Sed quia hoc non sufficit, da etiam nobis, Domine, spiritum pietatis, ut simus pii in te et in proximos nostros, te super omnia, et proximos sicut nos diligentes. Sed quoniam quidam habent zelum Dei, sed non secundum scientiam, da quoque nobis, Domine, spiritum scientiæ, ut sciamus cui pietatem, et cui correctionem debeamus. Sed quoniam quidam sciunt, sed tamen propter pusillanimitatem quæ sciunt facienda aggredi non audent, da simul, Domine, nobis spiritum fortitudinis, ut fortiter agere, et tam duris quam blandis resistere valeamus. Sed quoniam quidam etiam fortes sunt, sed tamen in angustia periculorum perturbantur, da etiam nobis, Domine, spiritum consilii, ut tam nobis quam aliis consilium rectum dare possimus. Sed quoniam rectum consilium per spiritum intellectus ministratur, da nobis quoque, Domine, spiritum intellectus, ut eo illustrati quod faciendum sit in dubiis intelligamus. Sed quoniam intellectus per participationem veræ et æternæ sapientiæ confertur, da nobis sedium tuarum, Domine, assistricem sapientiam, ut sciamus quid acceptum sit coram te omni tempore.

Sequitur pars tertia, in qua ostendit qualis Christus erga alios esset futurus, demonstrans eum futurum Judicem subtilem et incorruptum defensorem bonorum, persecutorem malorum, justos et fideles sibi conjuncturum. Judicem subtilem eum futurum demonstrat, cum dicit : *Non secundum visionem oculorum judicabit, neque secundum auditum aurium arguet.* Ac si diceret : Non secundum exteriorem superficiem, sed secundum interiorem conscientiam judicabit, juxta quod scriptum est : Homo videt in faciem, Deus autem intuetur cor (*I Reg.* XVI). Visus enim humanus persæpe fallitur, dum non interius, sed tantum exterius videt. Hinc est quod multoties judicat hominem justum qui injustus est, et e converso · et opus rectum, quod perversum est, vel e converso. Humanus quoque auditus similiter fallitur, dum nescius cogitationum vel intentionum, ex quibus proferuntur verba, tantum exteriorem vocem attendens, judicat verbum verum, quod falsum est, vel bonum, quod malum est. Hinc est quod judicare in hoc sæculo multum periculosum est. Quamvis enim judex neminem intendat fallere, tamen multoties fallitur, justificans damnandum, vel damnans justificandum. Hinc Dominus nos monet, dicens : « Nolite, inquit, judicare, et non judicabimini (*Luc.* VI). » Et Apostolus : « Nolite, inquit, judicare ante tempus, quoadusque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum et manifestabit consilia cordium (*I Cor.* IV). » Judicem incorruptum Christum fore demonstrat, cum subdit : *Sed judicabit in justitia pauperes*, id est causam pauperum, circa quam omnes fere judices mundani corrumpuntur. Alii enim corrumpuntur contemptu, ita quod causam pauperum tanquam sibi

inutilem audire contemnunt. Unde Isaias : « Pupillos non judicant, et causa viduæ non ingreditur ad eos (*Isa.* I). » Alii vero, et si eam audiunt, tamen corrumpuntur munere, vel favore, vel amicitia, vel metu parentum, ne eam juste judicent. Contra quos Psalmista : « Usquequo judicatis iniquitatem, et facies peccatorum sumitis? Judicate egeno et pupillo, humilem et pauperem justificate (*Psal.* LXXXI). » Alii vero, et si istis non corrumpuntur, corrumpuntur immoderato motu misericordiæ, dum contra rectitudinem justitiæ per misericordiam pauperi conferunt quod per invidiam diviti auferunt. Sed qui judex sedet, non debet agnoscere faciem in judicio, sed a cupiditate, a favore, a metu, a contemptu, ab amore, ab odio, a misericordia et invidia alienus esse debet. Unde Dominus Moysi : « Non consideres in judicio personam pauperis, nec honores vultum potentis (*Levit.* XIX). » Non consideres personam pauperis miserando in præjudicium divitis, nec honores vultum potentis ei favendo in præjudicium pauperis. Talis prædictus est a propheta Christus futurus, qui in judicio personam non agnoscat, sed omnes etiam pauperes æque judicet, non parcens pauperi prave viventi, nec damnans divitem recte viventem. Unde scriptum est : « Deus potentes non abjicit, cum et ipse sit potens (*Job* XXXVI). » Quod vero foret defensor bonorum ostendit, cum subdit : *Et arguet in æquitate pro mansuetis terræ*, id est, potentes, injuste opprimentes mansuetos, corripiet in æquitate. Unde et ei dictum est : « Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor (*Psal.* IX). » Quod si aliquando dissimulet ferre auxilium mansuetis, quandiu noscit tribulationes eis necessarias, tamen « non in finem oblivio erit pauperis, patientia pauperum non peribit in finem (*Ibid.*). » Quod foret persecutor malorum ostendit, cum subdit : *Et percutiet terram virga oris sui*, id est corripiet terrenos rectitudine prædicationis suæ ab amore terrenorum, et diriget ad amorem cœlestium. *Et spiritu labiorum suorum*, id est spirituali sermone, interficiet impium, id est impietatem ab homine, et generabit in eo pietatem. Vel si inemendabilis perstiterit, rectitudine sententiæ judiciariæ damnabit ipsum impium et terrenum in æternum. Quidam etiam hoc specialiter de Antichristo dictum putant. Quod justos et fideles sibi esset conjuncturus, et in consortio eorum delectaturus, ostendit, cum subdit: *Et erit justitia cingulum lumborum ejus, et fides cinctorium renum ejus*. Per lumbos enim et renes delectatio intelligitur; per cingulum et cinctorium, societas eum circumdans. Erit ergo justitia cingulum lumborum ejus, et fides cinctorium renum ejus, quoniam in societate justorum et fidelium delectabitur. Deliciæ enim illius sunt esse cum filiis hominum (*Prov.* VIII), non veterum scilicet sed novorum. Ut ergo, fratres mei, Christum delectet habitare nobiscum, imo in nobis, purgemus per pœnitentiam a nobis omnem immunditiam, satagamus in nobis habere justitiam et fidem. Quoniam enim Christus in suis similibus delectatur, simus tales qualis ipse est, simus justi sicut ipse justus est, fideles sicut ipse fidelis est, mundi sicut ipse mundus est, misericordes sicut ipse misericors est, quatenus in eo delectemur et ipse in nobis, nos in eo habitemus et ipse in nobis, ipso largiente qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

XVI

IN EODEM FESTO.

Missus est angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen virginis Maria (*Luc.* I), et reliqua. Quinque sunt partes hujus lectionis, fratres mei : Primo enim angelus mittitur a Deo ad virginem; secundo, ingressus eam salutat; tertio, turbatam confortat; quarto, quærenti modum determinat; quinto, ipsa, suam humilitatem professa, promissum fieri optat. Primo ergo mittitur a Deo archangelus ad virginem, ministerium nostræ redemptionis ferens. Sed cum Deus omnipotens solo nutu posset nos redimere, cur placuit ei redimere nos tam laborioso et tam humili modo : ut scilicet propter nos carnem de muliere sumeret, nasceretur, nutriretur, infirmitates hominis pateretur et etiam moreretur? Ob tres causas. Prima est, quia sic nimiam charitatem, quam erga nos habebat, melius demonstravit; dum non per alium, sed per seipsum nos redemit; nostras infirmitates suscipiendo nobis condescendit et se nobis coæquavit et non aliud, sed seipsum pro nobis pretium dedit. Ac si aperte dicat : Amate me, quia tantum vos amavi. Secunda est, quia sic exemplum humilitatis imitandum nobis melius demonstravit, dum seipsum pro nobis exinanivit, matrem pauperculam elegit, paupertatem, abjectionem et persecutionem pati voluit. Ac si aperte dicat : Sequimini viam quam vobis demonstravi. Tertia est, quia sic nostræ miseriæ convenientiorem medicinam adhibuit, dum genus humanum per mulierem damnatum, per mulierem salvavit, sicut caro peccaverat, ita caro purgaret, juxta illud hymnographi : « Culpat caro, purgat caro, regnat Deus, Dei caro. » Sicut igitur diabolus per serpentem seduxit mulierem, et per mulierem virum, ita Dominus per angelum instruxit mulierem, et per mulierem salvavit genus humanum. Quamvis enim homo peccando Deum offendisset, et ideo ab eo juste expulsus esset, tamen quia non obliviscetur misereri Deus, prior legatum pacis mittit et pacem offert homini. In quo nos instruit, ut si quandoque aliquis nos offendendo iram Dei meruit, non exspectemus ut ab eo petamur, sed ipsi priores per legatos pacis ei veniam et pacem offeramus, ut simus filii Patris cœlestis qui cupit semper aversos a se convertere et profugos revocare. Eleganter autem angelus Gabriel, qui *fortitudo Dei* interpretatur, mittitur ad Mariam, ut pote virgo ad virginem, fortitudo Dei ad fortem mulierem. Quam exoptans et prævidens Sa-

lomon, ait : « Mulierem fortem quis inveniet? procul et de ultimis finibus pretium ejus (*Prov.* XXXI). » Fuit quippe beata Virgo inter omnes quæ fuerunt vel erunt a principio usque ad finem fortissima, quæ prima et sine exemplo carnem, sexum et ætatem vincens, virtute mentis conservavit in nobilitate humilitatem, in paupertate honestatem, in conjugio virginitatem. Et ideo etiam ei datum est ut sine exemplo in virginitate haberet fecunditatem. Solet enim nobilitas expugnare humilitatem, paupertas honestatem, conjugium virginitatem, virginitas fecunditatem. Propterea admirabilis beata Virgo fuit; quæ quamvis de regia stirpe nata esset, quamvis ab angelo salutata, quamvis gratia et benedictione repleta, quamvis mater Dei electa, tamen in tanta sublimitate nescit elevari (ut quidam faciunt), sed potius se ancillam fatetur et subjectam. *Ecce*, inquit, *ancilla Domini*. Rursus quamvis esset paupercula, quamvis fabro desponsata, quamvis plebeia et ignota, tamen non se contempsit, non per inhonesta efluxit, ut quidam pauperes faciunt, tanto diffusius quanto occultius, sed potius in paupertate honestatem conservavit et sanctitatem. Rursus, quamvis esset conjugata, quamvis tenera puella, tamen nuptialibus lenociniis non fuit irretita, sed potius in conjugio servavit virginitatem. Sic ergo meruit etiam in virginitate singularem habere fecunditatem, et ut non qualemcunque, sed etiam ipsum Filium Dei generaret. Admirentur igitur et æmulentur eam nobiles, ut videlicet ad exemplum ejus discant in nobilitate observare humilitatem. Admirentur et æmulentur eam conjugati et conjugatæ, ut ad exemplum ejus discant in conjugio observare castitatem. Admirentur quoque et æmulentur eam virgines, ut ad exemplum ejus discant habere in virginitate fecunditatem, non fecunditatem carnis (hoc enim salva virginitate non possunt), sed fecunditatem fidei et bonorum operum, ut scilicet Christum per fidem in corde concipiant, ac per bonam confessionem et operationem pariant. Merito quippe ipsa beatissima virgo Maria nuncupatur, quæ *stella maris* interpretatur. Est enim quasi quædam lux, et quasi quædam stella prævia nobis, in magno et periculoso hujus mundi pelago navigantibus, suo exemplo nos ducens, suis virtutibus nos illuminans, suis intercessionibus nobis auxilians. Si ergo, fratres mei, si malignus spiritus nos infestat, si caro nos tentat, si mundus nos oppugnat, ad Mariam respiciamus, ad Mariam confugiamus, ad Mariam conclamemus.

Secundo, ingressus angelus ad Mariam, eam salutat. Quo ingressus? Æstimo quod in cubiculum, vel in aliquem locum secretum, ubi sancta Virgo clauso ostio orabat ad Patrem suum. Hinc discant virgines nostræ thalami secretum diligere, non publicum frequentare, non per plateas curiose discurrere, non velle videri et videre, ne forte sicut Dina concupiscantur et opprimantur (*Gen.* XXXIV). *Ave*, inquit, *gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus*. Hæc salutatio, fratres mei, quam Dominus per A angelum facit Virgini, et per Virginem humane generi, est signum pacis, demonstratio amoris, annuntiatio salutis. Per hanc quippe salutationem a Deo Virgini, et per eam humano generi pax offertur, amor demonstratur, salus annuntiatur. Quod nos imitantes, fratres mei, quando salutamus adinvicem, salutemus ex vera pace, non ex pravitatis consensu, ut quidam faciunt, de cujusmodi Joannes dicit : « Ne ave ei dixeritis. Qui enim ei dicit Ave, communicat operibus ejus (*II Joan.* I). » Salutemus ex vero amore, non ex sola itineris occasione. De cujusmodi Dominus dicit : « Et neminem per viam salutaveritis (*Luc.* X). » Salutemus ex vera salutis optatione, non ex doli et proditionis duplicitate, ut Judas. Quæ autem salus Mariæ annuntietur exponit, cum subditur . B *Gratia plena*. Vocatur siquidem excellenter, et quasi appropriata nuncupatione, gratia plena : quoniam nihil virtutis, nihil meriti, nihil honoris est, quod in ea non abundet, et gratiæ (quæ singulis sanctis sigillatim distribuuntur) Mariæ universaliter conferuntur. Sed et insuper, quod nemini unquam potuit contingere, cum gloria virginitatis gaudet etiam honore parentis, gestans intra se non qualemcunque, sed Deum, et Dei Filium, fontem omnium gratiarum, per quem gratia et veritas est, Jesum Christum. Rogemus igitur, fratres mei, matrem gratiarum, quatenus de fonte gratiarum quem parit, aliquem rivulum nobis impetret impartiri. *Dominus*, inquit, *tecum*. Tecum per essentiam, tecum per gratiam, tecum per amorem, tecum per incarnationem, tecum Dominus C in corde, tecum in ore, tecum in opere, tecum in ventre. Illi igitur qui adeo tibi familiaris est, et qui semper est tecum, nos, piissima domina, reconcilia, ut per te dignetur esse etiam nobiscum. *Benedicta tu*, inquit, *in mulieribus* imo præ omnibus mulieribus, utpote quæ cæterarum mulierum es remedium, honor et exemplum. Remedium, quia flagella cæterarum mulierum expias; honor, quia inhonestatem cæterarum mulierum honoras; exemplum, quia cæteris mulieribus viam virginitatis et omnis virtutis tui exemplo demonstras. Bene igitur benedicta in mulieribus, quæ præ omnibus mulieribus digna es benedici. Unde omnes mulieres, imo *omnes beatam* te *dicent generationes*. Tertio, turbatam confortat D angelus. Cum audisset enim insolitam salutationem, *turbata est in sermone ejus*. Solent quippe virgines (quæ veræ virgines sunt) semper esse formidolosæ et ad subitum occursum virorum insolitorum trepidare. Timent enim pericula floris virginei, qui cito amittitur, et amissus non recuperatur. Sic igitur beata Virgo, ex subito aspectu angeli, et ex insolita salutatione, turbata est, sed non est perturbata; imo prudenter *cogitabat qualis esset ista salutatio*. Noverat quippe quod aliquando Satanas transfigurat se in angelum lucis (*II Cor.* XI), et sub salutatione occultat fraudem, sub commendatione, deceptionem. Cogitabat igitur an ista salutatio et commendatio esset falsitatis, an veritatis. Cogitabat an ex adulatione esset, an ex amore. Quod et nos cogitare

debemus, fratres mei, quando aliquis nos salutat et commendat. Quod si salutatio et commendatio falsitatis est, erubescamus et contradicamus ; et quales prædicamur, esse studeamus. Si autem veritatis est, non apud nos elevemur, sed Deo totum, non nobis attribuamus. Si ex adulatione est, non recipiamus, sed tanquam falsitatem repudiemus. Si vero ex amore, amicis, qui in judicio rei amatæ sæpe falluntur, non omnino credamus. Turbatam igitur et cogitantem beatam Virginem angelus (quod proprie est bonorum angelorum) confortat, et, quod maxime timorem pellere solet, proprio nomine eam vocat dicens : *Ne timeas, Maria.* Et quare non sit ei timendum, imo potius gaudendum, subjunxit : *Invenisti gratiam apud Deum.* Ac si aperte dicat : Quia Deo, non hominibus placere desiderasti, apud Deum gratiam invenisti. Qui hominibus placent, confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos. Unde Apostolus : « Si adhuc, inquit, hominibus placerem, Christi servus non essem (*Gal.* I). » Heu ! quam vani sunt illi qui totam vitam, corpus et animam suam, expendunt propter emerendam inanem principum mortalium gloriam, quam vix habere possunt, habitam cito perdunt ! Quam facilius possent invenire veram et æternam gloriam apud Deum !

Ecce concipies, inquit, *et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum.* De hac conceptione prædixerat Jeremias propheta, dicens : « Novum faciet Dominus super terram, mulier circumdabit virum (*Jer.* XXXI). » Mulierem concipere et parere filium non est novum. Sed in hoc partu novum et mirabile fecit Deus, vel in hoc quod non ex utero Virgo suscepit, sed in utero et ex utero tantum. Vel in hoc quod non per intervalla primum caro decisa est de carne matris, et post aliquot dies spiritus infusus est, sed simul concepit plenum virum, ex vera carne et vera anima constantem, Deum et Dominum nostrum Jesum Christum. De hoc eodem Isaias dicit : « Ecce virgo concipiet in utero et pariet filium (*Isa.* VII). » Cum autem hic tantum iste, nominativus virgo ponatur, necesse est ut ad utrumque verbum referatur. In quo aperte demonstratur sicut in conceptu, ita quoque in partu, virginem permansuram esse. Et vocabitur, inquit (*ibid.*), Emmanuel, quod interpretatur *nobiscum Deus.* Hic autem ait angelus : Vocabis nomen ejus Jesum : quod interpretatur *Salvator.* Quid enim aliud est nobiscum Deum esse, quam nos salvare ? Et quid est nos salvare, quam nobiscum Deum esse ? Per partum igitur Virginis Deus nos salvat et nobiscum est. Nobiscum est, nostræ carnis assumptione, nobiscum est charitate, nobiscum est protectione. *Hic erit*, inquit, *magnus.* Et vere magnus, quoniam ejus magnitudinis non est finis. *Et Filius Altissimi vocabitur*, non adoptivus, sed naturalis. Sed cum ab æterno fuerit magnus et Filius Altissimi, quare ait : Per futurum erit magnus, et Altissimi Filius ? Ad humanitatem, et ad hominum notitiam referendum est, quoniam qui primo parvus secundum humanitatem æstimatus est, postea magnus æstimatus est, postea magnus et Dei Filius esse operibus attestantibus innotuit. Hic est enim ille parvus lapis, qui excisus est de monte sine manibus, et postea excrevit in magnum montem, et occupavit totum orbem (*Dan.* II). *Et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus*, ut videlicet populo, in quo David regnavit corporaliter et temporaliter, Jesus regnet spiritualiter et æternaliter. *Et regnabit in domo Jacob in æternum*, id est in Ecclesia, quæ per fidei imitationem ad patriarcharum pertinet sortem. Sectemur, fratres, fidem patriarcharum ; simus Jacob, id est supplantatores vitiorum ; non regnet peccatum in nostro mortali corpore, et regnabit Jesus in nobis. « In malevolam enim animam non intrabit sapientia, et non habitabit in corpore subdito peccatis (*Sap.* I). » *Et regni*, inquit, *ejus non erit finis.* Non erit finis potestatis et gloriæ, non erit finis præmiorum. Quarto, quærenti modum, angelus determinat. Cum enim beata Virgo promissionibus angelicis fidem adhiberet, de modo adimpletionis dubitans ait : *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco ?* id est me non cognituram proposui. Alias super hoc dubitare non deberet, utpote quæ de sponso suo concipere posset. Modum ergo determinans angelus ait : *Spiritus sanctus superveniet in te.* Ac si aperte dicat : Non de virili semine concipies, sed de virtute Spiritus sancti. Sed cum superius beata Virgo plena gratia describatur, quomodo hic Spiritus sanctus dicitur superventurus ? Non ut eam gratia repleret, qua jam repleta erat, sed ut eam sancto et miro modo gravidam efficeret. *Et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Virtus Altissimi potest dici vel Spiritus sanctus, juxta illud quod Lucas ait : « Vos autem sedete in civitate, quousque induamini virtute ex alto (*Luc.* XXIV) ; » vel ipse Filius, juxta quod Paulus vocat eum « Dei virtutem et sapientiam (*I Cor.* I). » Ait ergo : *Virtus Altissimi obumbrabit tibi*, id est, Spiritus sanctus æstum vitiorum a te excludet, ut habitatio munda in te Dei Filio præparetur. Vel certe virtus Altissimi, id est Filius Dei, obumbrabit tibi, id est obumbraculum carnis accipiet in te. Quia enim immensitatem divini fulgoris infirmitas nostrorum oculorum contemplari non posset, ideo Sol justitiæ Jesus Christus sese velavit carne, ut sic quodammodo melius eum contemplaremur sub nube. Ideoque videlicet, quia non ex virili semine, sed ex Spiritus sancti virtute concipies, *quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei*, id est ille qui nascetur. Non enim per hoc relativum, *quod*, sola caro, sed persona significatur. Neutrum tamen positum est, ad majorem rei expressionem. Si enim dixisset ille sanctus homo, vel ille sanctus vir, parum dixisse videretur, sed ait illud *sanctum ;* ac si aperte diceretur : Ille in quo nihil nisi sanctitas, nihil nisi bonitas est.

Et ecce Elizabeth cognata tua, et ipsa concepit filium in senectute sua. Postquam beatæ Virgini gaudium suum nuntiatum est, nuntiatur ei et gaudium cognatæ et amicæ suæ, ut ita gaudium gaudio cu-

mulctur, et ut ad mutuam matrum visitationem et congratulationem, infantes quoque sancti in sanctis uteris congratulentur. *Et hic mensis est sextus illi quæ vocatur sterilis.* Ac si ei dicatur : Sicut cognata tua te præcucurrit concipiendo, ita filius ejus tuum præcurret prædicando et baptizando. *Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum* ; ac si aperte dicat : Non solum partus virginis, vel anus, vel sterilis, Deo est possibilis, imo etiam quidquid hominibus videtur impossibile, Deo est possibile, cui facilius est quidquid vult facere quam nobis verbum proferre, et propter hoc dictum est potius *omne verbum*, quam omne factum. Non ergo desperet quæcunque anima sterilis, quoniam licet per totam vitam suam fructum bonum non fecerit, speret tamen in Domino, qui in senectute, et etiam in extremo articulo vitæ, peccatores ab omni bono opere steriles respicit, et per pœnitentiam fructificare facit. Quinto, beata Virgo suam profitetur humilitatem dicens : *Ecce ancilla Domini.* Ecce, fratres mei, beata Virgo, quamvis gratia plena, quamvis Mater Dei et Domini nostri electa, tamen solam profitetur in se subjectionis humilitatem, nec hoc sola voce et fictione (ut quidam faciunt), sed corde et opere. Unde et statim post annuntiationem angelicam surgens (ut in sequentibus continetur) vadit salutare et obsequium præstare Elisabeth, Mater Dei, matri hominis, mater Regis, matri servi. Quod est contra plerosque nostrum, fratres mei, quos si quandoque nostris simulationibus Ecclesia decepta, et Deo permittente, ad aliquam administrationem ecclesiasticam promoverit, nostris meritis hoc ascribimus, et nostræ fragilitatis obliti cæteros contemnimus, immemores Domini exempli (*Matth.* xx), qui non ministrare, sed ministrari volumus, nosque non patres, sed dominos demonstramus, numerum equorum, acervum divitiarum, mutatoria mollium vestimentorum nobis aggregamus, cum pompa gloriaque procedimus, et in alto sublimati mortales videre dedignamur, quod facientes non humilitatem quam Dominus demonstravit nobis, sed superbiam diabolicam imitamur. Deinde beata Virgo per desiderativum et deprecativum verbum desiderat tota mente et deprecatur adimpleri promissum cum subdit : *Fiat mihi secundum verbum tuum*, quod est contra teporem quorumdam nostrum, fratres mei, qui ad æternas et beatas Dei promissiones torpescimus, cum tamen ad promissiones temporales inardescamus. Certe si aliquis rex temporalis promittat nobis honores et divitias vanas, eas cum toto desiderio non differri optamus et postulamus. Et ecce Deus promittit nobis æternum et beatum regnum, promittit nobis cœlestia bona, « quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, et in cor hominis non ascendit (*I Cor.* II), » et ad illa torpescimus et negligentes sumus. Ut quid hoc, nisi quia temporalia nimis ardenter amamus, et cœlestia bona, vel non credimus, vel contemnimus? *Fiat*, inquit, *mihi secundum verbum tuum.* Fiat mihi et in me Verbum Patris, secundum verbum tuum. Et ecce, gloriosa Virgo, desiderium tuum adimpletum est. Secundum enim angelicum verbum, Verbum Patris factum est in te et tibi, imo et mihi et omnibus qui in eum firmiter credunt et sperant, qui eum ardenter diligunt, qui ejus mandata faciunt. Sed ecce, piissima domina, dum hoc facere volumus, inimici nostri qui animabus nostris insidiantur, nos impediunt, et in partem suam trahere volunt. Sed tu, domina, materna pietate pro nobis servulis tuis esto sollicita. Si nos tentat dæmon, juva ; si nos tentat caro, juva ; si nos tentat mundus, juva: imo semper juva, quatenus potentissimis intercessionibus meritisque tuis adjuti, ad æterna gaudia pervenire mereamur, per Filium tuum Dominum nostrum, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

XVII.

IN FESTO APOSTOLORUM PHILIPPI ET JACOBI.

Dixit Jesus discipulis suis : Non turbetur cor vestrum. Creditis in Deum, et in me credite (*Joan.* XIV), et reliqua. Omnisciens Dominus, fratres charissimi, prævidens animos discipulorum ex sua passione perturbandos, eos præmunire et præconsolari dignatus est. Minus enim lædunt jacula quæ prævidentur quam ea quæ non prævidentur. Igitur iturus in ipsa nocte ad passionem eos præmunivit et præinstruxit, sicut in prælibata Evangelii lectione modo audivistis. Facit autem in ipsa lectione quatuor. Primo enim eos consolatur. Secundo, ad interrogationem Thomæ, ostendit se esse viam per quam ad Patrem itur. Tertio, ad petitionem Philippi, per se cognosci Patrem dicit. Quarto, quid mereatur vera fides ostendit. Itaque eos consolans ait : *Non turbetur cor vestrum*, ac si dicat : Propter passionem meam non commoveatur cor vestrum a stabilitate fidei et suæ tranquillitatis. Et quare non debeant perturbari ostendit, cum subdit. *Creditis in Deum, et in me credite*, id est, si creditis Patrem esse omnipotentem, consequens est ut me quoque consubstantialem ejus Filium credatis omnipotentem, qui detineri non possum a morte, sed sum Dominus mortis et vitæ. Sed et si contingat vos in passione mea turbari usque vel ad fugam, vel ad dubitationem, vel etiam ad negationem, tamen non perturbemini usque ad desperationem, quoniam *in* domo Patris mei cœlestis, non solum qui nunquam ceciderunt, sed etiam qui ceciderunt, et per pœnitentiam resurgunt, locum habent. Unde et subditur : *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Quod autem Dominus tunc dicebat discipulis, ego nunc, quoque, fratres mei charissimi, dico vobis. Si contigerit vos turbari cadendo in aliquod grave peccatum, non perturbetur cor vestrum usque ad desperationem, quoniam nullus tantis flagitiis et scelcribus potest implicari, qui per pœnitentiam non possit reparari, et locum in regno cœlorum adipisci, in quo sunt diversæ mansiones, id est,

meritorum et præmiorum diversitates. Quoniam et si unus æternæ beatitudinis denarius detur omnibus electis, tamen stella differt a stella in claritate (*I Cor.* xv), et secundum gradus meritorum, diversi sunt gradus præmiorum. Sed tamen major claritas ibi per superbiam non elevatur, nec minor claritas per invidiam cruciatur, sed in dispari claritate par sufficientia et par gaudium est. Omnia quippe singulorum bona facit communia charitas et voluntas una. Ad illa ergo vera et æterna bona, fratres charissimi, toto desiderio festinemus, contemnendo falsa et momentanea hujus sæculi bona, in quibus nec sufficientia, nec verum gaudium reperitur.

Sequitur. *Si quominus*, id est, si non essent diversæ mansiones paratæ in domo Patris mei, *dixissem vobis : Quia vado parare vobis locum. Et si abiero et præparavero vobis locum, iterum veniam ad vos.* Paratæ quidem sunt ab origine mundi in regno cœlorum multæ mansiones, sed tamen nondum erant præparati illis mansores. Propterea Dominus descendit et rediit, ut illis mansionibus mansores præpararet. Ascendit igitur Dominus et præparat nobis locum ; dum nos præparat loco. Ita fac, Domine Jesu Christe, ut promisisti. Præparasti mansiones, præpara nos mansionibus. Fac nos dignos illis mansionibus, qui ex nobis indigni sumus. Mansiones sunt sanctæ et nuptiales, tu quoque indue nos sanctitate et nuptiali veste, ut ibi discumbamus secure. *Et si*, inquit, *abiero et præparavero vobis locum, iterum veniam ad vos, et accipiam vos ad meipsum.* Officio nuntii et præambuli fungitur summus et humilis Dominus, dum abit et præparat nobis locum, et iterum redit obviam nobis, ut ad locum nos ducat præparatum. Sic enim facere solent potentes hujus sæculi, cum vadunt in aliquam civitatem, præmittunt nuntium, qui præparat hospitium. Quo parato eis obviam redit, et eos ad hospitium ducit. Sic quoque Deus et Dominus noster, qui venit in hunc mundum non ministrari, sed ministrare (*Matth.* xx), tanquam præambulus abiit ante nos, et ascendit in cœlum præparare nobis locum, et iterum redit obviam nobis, vel quando ab hoc sæculo migramus susceptaturus animas nostras, vel certe in extremo judicio, quando corpore et anima glorificati, « rapiemur obviam Christo in aera, et sic semper cum Domino erimus (*I Thess.*, iv). » Et hoc est quod hic dicitur : *Et accipiam vos ad meipsum, ut ubi ego sum, et vos sitis.* Non ait, ubi ego ero, sed *ubi sum*, ostendens se semper præsentialiter esse in gloria per divinitatem cum Patre, in qua nondum erat per humanitatem. Et quid, fratres mei, quid beatius quam esse in illa beatitudine, in qua est Deus Pater, et ejus Unigenitus? Quare ergo ad hanc promissionem non exardescimus? Quare propter eam omnia temporalia tanquam stercora non reputamus? Quare per omnes amaritudines et passiones eam non apprehendimus? *Et quo ego*, inquit, *vado scitis et viam scitis.* Ac si aperte dicat : Non debetis de recessu meo turbari, quia scitis quo ego vado, ad Patrem scilicet causa præparandi vobis locum. *Et viam scitis*, scilicet exemplum et doctrinam meam, per quam me sequendo potestis ad Deum Patrem, præparatamque vobis gloriam pervenire. Et hoc quidem Thomas per auditum sciebat ; quia tamen quid esset ad Patrem ire ignorabat, se nescire dicit, cum respondens ait : *Domine, nescimus quo vadis, et quomodo possumus viam scire?* Est autem hæc pars secunda, in qua Dominus Thomæ respondens dicit se esse viam, qua itur ad Deum Patrem, cum subdit : *Ego sum via, veritas et vita.* Porro quatuor de causis Christus dicitur via, quoniam per ejus cognitionem, per ejus exemplum, per ejus doctrinam, per ejus auxilium itur ad Deum Patrem. Tribus etiam de causis dicitur veritas, quoniam verum et immutabile esse habet cum Deo Patre, quoniam in eo adimplentur lex et prophetæ, quoniam verax est fidelibus suis in omni promissione. Tribus quoque de causis dicitur vita, quoniam essentialiter et immutabiliter cum Deo Patre vivit, quoniam causaliter per eum, sive corporaliter, sive spiritualiter vivitur, et quoniam potentialiter per eum mortuus, sive in anima sive in corpore vivificatur. Quantum vero ad præsentem locum pertinet, sensus est cum dicitur : *Ego sum via, veritas et vita*, id est, ego sum ductor eundi ad veram vitam, quæ ego et Pater sumus. Quod exponens subdit : *Nemo venit ad Patrem nisi per me.* Ac si aperte dicat : Nemo venit ad beatam cognitionem et visionem Dei Patris, nisi per me ductorem, nisi per mei cognitionem, exemplum, doctrinam, et auxilium. O Domine Jesu Christe, ut ad beatam et desiderabilem Dei Patris et tui visionem pervenire valeamus, da nobis ducatum tuum, da nobis tui cognitionem, da nobis sequi exemplum et doctrinam tuam, da nobis manus tuæ opitulationem. Et quidem tardiusculi sumus, Domine, utpote quos aggravat inhabitatio et miseria corporalis. Sed, tu, « trahe nos post te, et curremus in odorem unguentorum tuorum (*Cantic.* i). » *Si cognovissetis me*, inquit, *et Patrem meum utique cognovissetis.* Ex duplici ratione accipit consecutio ista necessitatem, videlicet et ex ratione relationis, et ex ratione consubstantialitatis. Pater enim et Filius sunt relativa, et ideo sunt similes natura et cognitione. Rursus Deus Pater, et Deus Filius sunt non solum similes, sed etiam ejusdem substantiæ, et ideo cognito uno, cognoscitur et reliquus. Si ergo perfecta fide cognovissent discipuli Filium Dei, cognovissent utique et Deum Patrem. *Et amodo*, inquit, *cognoscetis eum*, quando scilicet accepto Spiritu sancto in fide consolidabimini, *et jam etiam vidistis*, inquit, *eum*, fide scilicet imperfecta, quali et me Filium esse vidistis ; quomodo et nos nunc, Domine Jesu, te et Patrem tuum videmus? sed quod minus est in nobis, tu per Spiritum sanctum in nobis perfice, ut et hic perfectiori fide nos unum Deum esse credamus, et in futuro beatitudinem faciei vestræ remota nube videamus

Sequitur pars tertia in qua Philippo, quærenti sibi Patrem ostendi, respondet Christus in se Patrem

cognosci, cum dicit : *Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis me? Philippe, qui videt me, videt et Patrem meum.* Porro in hoc quod Philippus postulat sibi Patrem ostendi, fatetur se eum non cognoscere. Unde quia, non cognito Patre, non cognoscitur Filius, arguit eum ipse Filius increpando, quod non vere cognoscat eum ; cum tanto tempore conversando cum eo potuerit eum per divina miracula, virtutes et prædicationes esse verum Dei Filium cognoscere. *Qui videt*, inquit, *me, videt et Patrem.* Sic de duobus valde similibus dicitur propter accidentalem similitudinem, qui videt unum, videt alterum. Maxime de Patre Deo et Filio ejus, quorum non solum similis, sed una et eadem est substantia, potest vere dici quod qui Dei Filium oculis fidei videt, et Patrem, cui est consubstantialis, videt. Est ergo ac si dicat : Qualis ego sum, talis penitus est Pater meus. Sicut videtis quod ego sum sapientia, justitia, misericordia et charitas, ita credite quod Pater meus, cum quo unum sum, est sapientia, justitia, misericordia, charitas. *Non credis*, inquit, *quia ego in Patre, et Pater in me est?* Si dicitur quod aliquis pater carnalis sit in filio suo, et filius in patre, propter solam similitudinem, quanto verius dicitur quod Deus Filius est in Deo Patre, et Deus Pater in Deo Filio, propter eamdem utriusque substantiam. Quod vero Deus Pater in Deo Filio sit, probat ipse Filius ex hoc quod nec loquitur, nec operatur ex se, sed ex Deo Patre, qui in eo et per eum et loquitur et operatur. Unde et subdit : *Verba quæ loquor vobis a meipso non loquor, sed Pater in me manens ipse facit opera.* Si autem Deus Filius cum sit ejusdem potestatis et auctoritatis cum Patre, nihil sibi, sed totum Deo Patri attribuit, quanta est superbia hominis, qui, cum nihil penitus boni ex se possit, bonum sibi a Deo præstitum sibi præsumptuose audet arrogare? Propterea, fratres charissimi, infirmitatem nostram semper consideremus, et si quid boni habemus, non nobis, sed Deo attribuamus, malum vero quod habemus, nobis ascribamus. *Non creditis* inquit, *quia ego in Patre, et Pater in me est? Alioquin propter ipsa opera credite.* Ac si aperte dicat : Si sine experimento mihi credere non vultis, experimentum habetis divinorum operum quæ ego operor, et propter quæ credere debetis.

Sequitur pars quarta, in qua quid vera fides mereatur ostendit Dominus, cum subdit : *Qui credit in me, opera quæ ego facio et ipse faciet, et majora horum faciet, quia ego vado ad Patrem. Et quidquid petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam.* Duo sunt quæ promittit Dominus in se credentibus, videlicet quod divina opera operabuntur, et quidquid petierint Patrem in nomine suo, consequentur. Porro divina opera quæ Filius Dei operatur operati sunt etiam credentes in eum, juxta quod Dominus etiam alibi prædixit : « In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis (*Marc.* XVI), » etc. *Et majora*, inquit, *facient.* Majus enim est sanare infirmos ob solam umbram, quod factum est per Petrum, quam propter tactum fimbriæ, quod factum est per Christum. Majus est etiam totum mundum convertere ad fidem, quod factum est per discipulos, quam paucos Judæorum, quod factum est per Christum. Majus etiam et mirabilius est quod homo mortuus suscitatur ab homine mortali et etiam a mortuo, quam quod suscitatur ab omnipotente Deo. Quomodo autem Christus, vel quomodo discipuli ejus essent operaturi, ostendit, cum subdit : *Opera quæ ego facio, et ipse faciet.* Ego ero adjutor, ille erit minister. Ac si dicat : Sine me nihil potestis dicere nec facere (*Joan.* XIV). Quod vero potestatem sic operandi possit dare discipulis suis, ostendit cum subjungit : *Quia vado ad Patrem.* Ac si aperte dicat : Bene possum hanc potestatem credentibus in me dare, quia habeo potestatem ascendendi et consedendi in eadem æqualitate cum Patre. Et non solum vobis credentibus hoc concedam, sed etiam *quidquid petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam.* Non ait faciet, sed *faciam*, ut ostendat eamdem suam et Patris esse operationem. Porro in nomine Jesu, id est Salvatoris, petit qui salutem æternam petit. Qui procul dubio si illud toto desiderio et perseverantia petit, adipiscetur. Itaque, fratres mei, firmiter in Jesum Christum Salvatorem nostrum credamus, et fide per dilectionem operante (*Galat.* V), ei adhæreamus, quoniam dabit nobis ut etiam opera quæ ipse facit, faciamus, videlicet misericordiam, justitiam, sapientiam, virtutem, temperantiam. Dabit etiam nobis potestatem cæcos, et si non exterius, tamen quod majus est, interius illuminandi, claudos in via Dei spiritualiter erigendi, captos a fauce diaboli prece et correptione eripiendi, mortuos in peccatis per bonum consilium resuscitandi, sed et salutem æternam nobis toto desiderio et perseverantia postulantibus procul dubio largietur, ut eum videamus et benedicamus in sæcula sæculorum. Amen.

Vita divi Jacobi Minoris, per D. Isidorum.

Jacobus Alphæi, episcopus Hierosolymorum primus, cognomento justus, sororis matris Domini filius, unde et Domini frater vocatus est, homo lucis, operarius veritatis, tantæque etiam sanctitatis ut fimbriam vestimenti ejus certatim cuperent attingere populi. Hic duodecim tribubus, quæ sunt in dispersione gentium, Epistolam scripsit. Qui dum in Hierusalem Christum Dei Filium prædicaret, de templo a Judæis præcipitatus, lapidibus opprimitur, ibique juxta templum humatus est. Quem Josephus tantæ sanctitatis perhibet ut propter ejus necem Hierosolyma credatur esse diruta.

Vita D. Philippi apostoli per eumdem.

Philippus, qui interpretatur *os lampadis*, a Bethsaida civitate Andreæ et Petri, Gallis prædicat Christum. Barbaras gentes vicinasque, tenebris et tumenti Oceano conjunctas, ad scientiæ lucem fideique deduxit. Deinde in Hierapoli urbe Phrygiæ provinciæ crucifixus lapidatusque occubuit, erectoque sepulcro sepultus est. Cujus Natalis est Kalendis Maii.

XVIII.

IN INVENTIONE SANCTÆ CRUCIS.

Confido de vobis in Domino quod nihil aliud sapie-

tis (*Galat.* v), etc. Fratres mei, hæc loquitur Paulus Galatis, quibus pseudoprædicatores prædicaverant legem cum Evangelio esse tenendam; contra quorum falsam prædicationem scribit eis Apostolus. Facit autem sex in hac lectione. Primo, dicit se confidere in Deo de stabilitate fidei eorum. Secundo, pseudoprædicatoribus minatur judicium. Tertio, demonstrat se non prædicare legis observantiam. Quarto, optat perturbatorum separationem. Quinto, demonstrat quantum prædicent legis observantiam. Sexto, dicit se non in lege, sed in cruce Christi gloriari. Primo igitur dicit se confidere in Deo, id est, de fidei eorum stabilitate, cum ait : *Confido de vobis in Domino quod nihil aliud sapietis.* Ac si dicat : Quamvis pseudoprædicatores vobis prædicent contraria fidei, tamen confido de vobis in Domino quod nihil aliud a virtute fidei sapietis. Boni magistri est de discipulorum errantium emendatione nunquam, dum sunt in hac vita, desperare, et ideo nunquam ab oratione cessare, quoniam, etsi de incorrigibilium emendatione quantum in eis diffidat, tamen de eis in Domino confidere debet, qui non solum errantes potest revocare, imo etiam de lapidibus suscitare filios Abrahæ (*Matth.* III). Inde est quod ait : *Confido de vobis in Domino*, non in vobis, quoniam « maledictus homo qui confidit in homine (*Jerem.* XVII). » Nullus enim per se stare, necdum resurgere potest. Quod autem Apostolus tunc dicebat Galatis, ego, fratres charissimi, nunc dico vobis : Quamvis inter iniquos et hæreticos habitetis, quorum alii malo exemplo, alii mala doctrina vos corrumpunt, tamen confido de vobis non in vobis, sed in Domino, quod nihil aliud ab unitate fidei sapietis vel facietis. Qui enim ab unitate ecclesiasticæ fidei separatur, tanquam ovis errabunda a lupis devoratur.

Sequitur pars secunda, in qua Apostolus pseudoprædicatoribus judicium minatur subdens : *Qui autem conturbat vos, portabit judicium, quicunque est ille.* Si nullum malum Deus relinquit impunitum, quanto supplicio debet ille puniri qui fideles disturbat a rectitudine vitæ et fidei? Si enim tantum peccatum est occidere corpus hominis mortale, quantum peccatum est occidere animas immortales? Hinc Dominus in Evangelio : « Qui scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris (*Matth.* XVIII; *Marc.* IX). » Quia videlicet prædicator qui offensione mali exempli vel doctrinæ pusillos in fide facit ruere, melius esset ei ut circuitus ponderosus vitæ sæcularis eum in æternam damnationem præcipitaret, quoniam solus animæ suæ reum minor pœna cruciaret; nunc autem tot supplicia sustinebit, quot animas ruere fecit. *Portabit*, inquit, *judicium*, vel hic voluntarius, vel in futuro invitus. Qui enim hic de perpetrato peccato seipsum per contritionem, confessionem et satisfactionem accusat et judicat, æternum judicium evitat. Unde idem Apostolus alibi ait : « Si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur (*I Cor.* II). » Itaque, fratres mei, præveniamus divinum judicium. Hic nos de peccatis nostris accusemus, ne in futuro accusemur. Hic nos judicemus, ne in futuro judicemur. Nam quicunque est ille, et quantuscunque qui minores a via Dei deviare facit, juxta gradum suum judicium suum portabit. Nam « gravius judicium in his qui præsunt fiet, et potentes potenter tormenta patientur, et fortioribus fortior instat cruciatio (*Sap.* VI). »

Sequitur pars tertia, in qua Apostolus demonstrat se non prædicare legis observantiam cum Evangelio. Legalia enim sacrificia et observantiæ venturam Evangelii observantiam præfiguravere : propterea, Evangelio coruscante, debuerunt cessare. Quam legis consummationem et cessationem Dominus in sua passione demonstravit, cum ait : « Consummatum est (*Joan.* XIX). » Qui igitur extunc figuras legis observat, Christum nondum venisse, sed adhuc venturum esse demonstrat. Itaque extunc legales figuras observare, non tantum est inutile, sed etiam mandatum, et sperantibus etiam in eis damnosum. Unde idem Paulus alibi ait : « Si circumcidamini, Christus nihil proderit vobis (*Gal.* V). » Demonstrat igitur Paulus se non prædicare legis observantiam, cum ait : *Et ego, fratres, si circumcisionem adhuc prædico, ut quid adhuc persecutionem patior?* Ac si aperte dicat : Et hoc patet, quia circumcisionem non prædico, quia a Judæis amatoribus circumcisionis persecutionem patior. Qui ob nihil aliud me persequuntur, nisi quia circumcisionem evacuo, quam amant, et crucem prædico Christi, in qua scandalizantur. *Ergo*, inquit, *evacuatum est scandalum crucis*, si non crucem prædico, sed circumcisionem in qua Judæi non scandalizantur, sed potius lætantur. Quod autem tunc Paulus patiebatur a Judæis, idem patimur hodie nos, licet indigni prædicatores, a quibusdam perversis Christianis, quia cum eis non grata, sed vera, non placita, sed dura dicimus, insidias, contumelias et injurias ab eis patimur. Cum enim hunc corripimus de luxuria, illum de avaritia, hunc de ira, illum de crudelitate, alium de mollitie et dissolutione, eos lucrari Deo cupientes, nos oderunt unde diligere debuerunt.

Sequitur pars quarta, in qua Apostolus optat perturbantium separationem cum subdit : *Utinam abscindantur qui vos conturbant!* Sicut prudens pastor separabat morbidam ovem vel porcum ab ovili, ne ejus contagio totus grex pereat; ita Doctor gentium optat separari iniquos, male docentes vel viventes, a grege fidelium, ne eos sua contagione corrumpant et in anima occidant. Illos enim debemus retinere in gregem nostrum qui de nostra societate sint meliores, vel de quorum societate nos meliores simus. Incorrigibilem vero, qui de nostra bona conversatione non fit melior, et nos de sua deteriores fieri possumus, a nobis excludamus. Scriptum est enim : « Auferte malum de medio vestri (*I Cor.* V). » Hinc est quod sancta Ecclesia adulteros, fœnc-

ratores, hæreticos cæterosque publicis sceleribus involutos excommunicare et eliminare consuevit, in hoc tam sibi quam illis consulens: sibi, ne contagio eorum interius corrumpatur, illis, qui cum vident propter scelera sua se dejectos, erubescant et salubriter confundantur.

Sequitur pars quinta, in qua demonstrat Apostolus quare observantia legis prædicetur a pseudoprædicatoribus, et ponit duas causas. Primam, ut evitent persecutionem; secundam, ut acquirant sibi nomen. *Quicunque enim volunt placere in carne* id est carnaliter, et non spiritualiter, hominibus, et non Deo, *hi cogunt nos circumcidi*, tantum, subaudis, in carne, vel tantum hac causa ut crucis Christi persecutionem non patiantur. Romani enim imperatores, Augustus, Tiberius, et Caius dederant libertatem Judæis, ut ubique possent patriis legibus, donec viverent, in pace deservire. Propterea pseudoprædicatores dum viderent Christianos persecutionem pati, legales observantias tenebant, et suos tenere cogebant, ut hominibus non displicerent, et persecutionem evitarent. Quorum etiam hodie sunt similes quidam solo nomine pastores, qui non vera, sed grata, non dura, sed placita dicunt et faciunt hominibus, hac videlicet causa ut eis placeant. Sed ut ait Psalmista : « Qui hominibus placent, confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos (*Psal.* LII). » : Et Apostolus : « Si adhuc, inquit, hominibus placerem, Christi servus non essem (*Gal.* I). » Secundam vero causam ponit cum subdit : *Neque enim qui circumciduntur*, subaudis, tantum in carne, *legem custodiunt*, quæ spiritualem magis quam carnalem præcepit circumcisionem. *Sed volunt*, inquit, *vos circumcidi, ut in carne vestra*, id est in carnali vestra circumcisione, *glorientur*, dum plures proselytos faciendo, nomen sibi acquirent. Quales sunt hodie (unde dolendum est) multi, qui prælicant et legunt, non ut auditoribus proficiant, sed ut in multitudine auditorum glorientur et nomen sibi acquirant. Sed tales quicunque sunt, jam receperunt mercedem suam.

Sequitur pars sexta, in qua Apostolus dicit se non in lege, sed tantum in cruce Christi gloriari. Quasi dicat : Illi gloriantur in circumcisione; *mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi!* Noluit dicere, cum posset, Apostolus, mihi absit gloriari nisi in sapientia vel potentia, vel in aliqua alia virtute Jesu Christi, sed ait, *nisi in cruce*. Quare? quia crux est arma per quæ nos Christus redimens diabolum superavit, et nos eum superare docuit. Sicut ergo aliquis miles gloriatur in armis suis, quibus superavit hostem suum, ita Paulus gloriatur in cruce Christi, per quam victor erat omnium suorum adversariorum. Nec ait simpliciter *in cruce*; sed *in cruce Domini nostri Jesu Christi*. Multæ quippe sunt cruces, id est causæ patiendi. Est enim crux sinistri latronis, qui pro peccatis suis invitus patitur, nec emendatur, in qua non est unde glorietur, sed unde damnetur. Est et crux dextri latronis pro peccatis suis patientis, sed tamen pœnitentis, et confitentis, nec in ea est unde glorietur, sed unde corripiatur. Est et crux Cyrenæi in angaria, sed non morientis, id est hypocritæ carnem affligentis et mundo viventis, nec in ea est unde vere glorietur, sed unde judicetur. Est et crux Christi innocentis, pro peccatis nostris sponte morientis, et in ea est multum unde glorietur. In hac Paulus gloriatur, quoniam et ad exemplum Christi in cruce pendentis, carnem suam crucifixerat cum vitiis et concupiscentiis (*Gal.* V), mortuus mundo, sed vivus Deo. Unde idem ait: « Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus (*Galat.* II). » Et etiam pro Christo quotidie patiebatur contumelias, injurias, flagella, carceres, lapides, et hujusmodi. Unde idem ait : « Ego stigmata Christi porto in corpore meo (*Gal.* VI.) Et suppleo, inquit, quæ desunt passionum Christi (*Col.* I). » His igitur armis jam superaverat Apostolus, non solum mundum, sed etiam seipsum. Unde et subdit: *Per quem*, id est, per cujus amorem, per cujus imitationem, *mundus mihi crucifixus est*, ne me trahat concupiscentiis, *et ego mundo*, ne eum sequar, id est per quem vici mundum, et etiam meipsum. Sed nos, fratres, si adhuc mundo, si adhuc carnis concupiscentiis vivimus, quomodo in cruce Jesu Christi gloriari possumus? Nonne, dum signum crucis fronti nostro imprimimus, et tamen concupiscentias et vitia in nobis non mortificamus, paupertatem, humilitatem, contumelias, injurias, infirmitates, cæterasque infirmitates, cæterasque anxietates patienter non portamus, nonne facti sumus similes Cyrenæo, qui crucem quidem portat, sed non moritur? Itaque, fratres, si volumus gloriari cum Christo, patiamur cum eo, per viam quam ipse ambulavit ambulemus, divitias, honores et glorias mundi contemnamus, membra nostra cum vitiis et concupiscentiis crucifigamus, miserabilibus personis compassionem et misericordiam exhibeamus, omnia dura spe regni cœlorum amplectamur, pro Christo ejusque justitia usque ad mortem decertemus, quatenus ejus gloriæ participes esse mereamur, ipso largiente qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

XIX.

IN EODEM FESTO.

Dixit Jesus discipulis suis: *Sicut fulgur exit ab oriente et paret usque in occidentem, ita erit et adventus Filii hominis* (*Matth.* XXIV), et reliqua. In hac sancti Evangelii lectione, fratres charissimi, præinstruit nos Dominus et Redemptor noster de secundo adventu suo, sex res nobis demonstrans, videlicet qualiter sit venturus, quos ad judicandum secum sit congregaturus, quales mutationes rerum sit facturus, cum quibus insignibus sit venturus, quid mali malis, et quid boni bonis sit collaturus. Primo igitur adventum suum non ut primum, ita secundum futurum esse occultum, et in humilitate, sed potius manifestum et in gloria per similitudinem dicens:

Sicut fulgur exit ab oriente et paret usque in occidentem, ita erit et adventus Filii hominis. Porro fulgur octo proprietates habet. Venit subito, manifeste, cum tempestate, cum igne, cum fulgore, cum terrore, alta percutit et urit, humilibus parcit. Redemptor quoque noster ad judicium subito veniet et repente. Unde ipse dicit: « Sicut in diebus Noe erant comedentes et bibentes, nubentes, et nuptum tradentes, et venit subito diluvium, et tulit omnes, ita erit et adventus Filii hominis (*Luc.* XVII). » Et alibi: « Dies enim Domini sicut fur, ita in nocte veniet (*I Thess.* V; *II Petr.* III). » Veniet quoque manifeste, sicut et in hoc Evangelio demonstratur; et in Psalmo: « Deus noster manifeste veniet (*Psal.* XLIX). » Veniet quoque cum tempestate elementa concutiente. Veniet quoque cum igne quatuor elementa concremante. Unde et ibi dicitur: « Ignis in conspectu ejus exardescet, et in circuitu ejus tempestas valida (*ibid.*). » Veniet quoque cum fulgore, quoniam sicut ipse dixit, cum gloria veniet et majestate (*Marc.* XIII). Veniet quoque cum terrore, quoniam terribilis erit reprobis, quamvis sit blandus justis. Quod bene significavit angelus qui in resurrectione ejus apparuit; cujus « aspectus erat sicut fulgur, et vestimenta sicut nix (*Matth.* XXVIII). » Feriet quoque Dominus alta, ad instar fulguris, igne gehennæ elatos et superbos in æternum concremans et humilibus parcens, « quoniam excelsus Dominus, et humilia respicit et alta a longe cognoscit (*Psal.* XLVI). » Secundo, demonstrat Dominus quos ad judicandum secum sit congregaturus, cum subdit: *Ubicunque fuerit corpus, illic congregabuntur et aquilæ.* Ac si apertius dicat: Sicut aquilæ cadavera etiam transmarina sentiunt, et ibi congregantur, ita cœlestes potestates et sancti congregabuntur ubi erit caro Filii hominis, ut judicent mundum cum eo, juxta illud: « Et vocabit cœlum desursum, et terram discernere populum suum (*Psal.* XLIX). » Convenienter autem posuit corpus, quod significantius cadaver dicitur, insinuans quoniam quamvis Christus in cruce sit mortuus, quamvis tanquam in sepulcro positus, tamen ipse qui fuit judicatus, veniet judicaturus, et ad ipsum tanquam ad panem vitæ, omnes sancti congregabuntur. Sancti autem comparantur aquilis propter tres eorum proprietates, quoniam pennis virtutum altius ad cœlestia sublevantur, quoniam oculis contemplationis Solem justitiæ subtilius contemplantur, et quoniam vetustate non corrumpuntur, sed renovantur ut aquilæ juventus sua. Quibus ut associari mereamur, vetustatem peccatorum nostrorum, fratres mei, per pœnitentiam exuamus, et de die in diem per novitatem virtutum renovemur, et toto mentis desiderio ad videndum Deum deorum in Sion suspiremus. Tertio demonstrat Dominus quas res in secundo adventu suo sit facturus, cum subdit: *Statim autem post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et stellæ cadent de cælo, et virtutes cælorum movebuntur.* Porro juxta litteram, sol, luna et stellæ ad tempus suo lumine privabuntur, ut instantem adventum Domini significent; sed postea mundo renovato, majus lumen recipient. Sed et tanta claritas erit veri Solis sanctorumque ad judicium venientium, quod ad comparationem eorum, sol et luna obscurabuntur, et stellæ cadent a sua claritate, tantaque severitas erit districti judicis contra reprobos, quod virtutes et potestates cœlorum movebuntur, non quod de se timeant, sed quod tantam severitatem exerceri videant. Unde Job: « Columnæ, inquit, cœli contremiscunt et pavent adventum ejus (*Job* XXVI). » Et si tremebunt angeli, fratres mei, quanto magis homines? Et si, ut ait apostolus, vix justus salvabitur (*I Petr.* IV), impius et peccator ubi parebunt? Mystice vero multi qui videbantur hic radiis bonorum operum quasi sol et luna mundum irradiare, Domino veniente, « qui illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium (*I Cor.* IV), » obscurabuntur, et multi qui fulgere videbantur ut stellæ, cadent, et qui hic firmi videbantur quasi virtutes cœlorum, ruent. Quarto quoque ostendit Dominus eum quibus insignibus ad judicium sit venturus, cum subdit: *Et tunc apparebit signum Filii hominis in cœlo.* Sicut rege sæculari cum equitatu suo veniente solent vexilla ejus præcedere, sic, fratres mei, fiet Domino ad judicium veniente. Præcedet enim vexillum santæ crucis. Et hoc ob tres causas. Prima est, ut ostendat quale sit signum victoriæ suæ, quod prius videbatur opprobrii esse et dejectionis; secunda est, ut dilectoribus suis suæ crucis bajulatoribus inspiret jucunditatem; tertia est, ut crucifixoribus suæque crucis comtemptoribus incutiat confusionem et timorem. Unde scriptum est: « Et videbit eum omnis oculus, etiam qui eum pupugerunt (*Apoc.* I). » Tradunt etiam quod vestigia vulnerum quæ pro nobis pertulit tunc demonstrabit, et reprobis improperabit. Propterea, fratres mei, propter nos crucifixum diligamus, et ejus crucem, quantum possumus, bajulemus, cupiditates carnis et amorem mundi in nobis crucifigamus, paupertatem, humilitatem, contumelias, injurias, infirmitates et dolores cum patientia sustineamus, erga miserabiles personas compassionem et misericordiam habeamus, spe regni cœlorum omnia dura pati non timeamus, pro Christo usque ad mortem decertemus, quatenus Christum crucifixum in judicio securi videre mereamur. Quinto demonstrat Dominus quid mali sint habituri mali in judicio, cum subdit: *Et tunc plangent omnes tribus terræ,* id est aliqui de omnibus tribubus qui Christum persecuti sunt, vel comtempserunt in hoc mundo. Unde et subdit causam quare plangant, *quia* videlicet *videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli, sicut in nubibus cœli ascendit. Venientem* dico *cum virtute magna et majestate,* ut reddat unicuique secundum opera sua. Plangent quidem et pœnitebunt reprobi, sua interius conscientia eos accusante, sed sero, quoniam planctus et pœnitentia illa non erit

purgatoria, sed principium æternæ miseriæ. In qua quidem erit planctus sine consolatione, pœnitentia sine indulgentia, dolcr sine remedio, cruciatus sine refrigerio, ardor sine rore, supplicium sine spe, mors sine fine. Sexto demonstrat Dominus quid boni suis sit collaturus, cum subdit : *Et mittet angelos cum tuba et voce magna*, videlicet tam immensa et tam efficaci quæ omnes mortuos, ubicunque sint, possit excitare, et ad judicium concitare. *Et congregabunt*, inquit, *electos ejus a quatuor ventis*, id est ab omnibus partibus mundi, *a summis cœlorum usque ad terminos eorum*, id est ab omnibus locis qui sub cœlo sunt, a mediterraneis usque ad ultimos terminos terræ. Hi sunt messores angli qui, juxta parabolam evangelicam, zizania et triticum pariter colligent; sed zizania colligabunt in fasciculos ad comburendum, triticum vero congregabunt in cœleste horreum (*Matth.* XIII). Ut autem, fratres, tunc non ad ignem, sed ad vitam colligi mereamur, interim formidinem extremi judicii semper ante oculos nostros ponamus, quam terribilis veniat summus Judex semper cogitemus ; peccata nostra lacrymis pœnitentiæ diluamus, et omnia transitoria contemnentes, ad illa æterna bona toto desiderio festinemus, Deum super omnia, et proximum sicut nos diligamus ; et si tunc Judicem nobis illum misericordem invenire cupimus, nunc misericordes simus, patientibus compatiamur, esurientem pascamus, sitientem potemus, nudum vestiamus, peregrinum suscipiamus, infirmum visitemus, incarceratum redimamus, quatenus tunc a summo Judice æternaliter pasci, potari, vestiri, suscipi et consolari mereamur, ipso largiente qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Quomodo crux Dominica inventa est, ex Eutropio historico lib. II *rerum Romanarum in Flavio Constantino.*

Mater Constantini imperatoris, Helena nomine, in somnis admonita, Hierosolymam properavit, et sepulcrum Christi, licet difficillime, tamen invenit, sordibus coopertum, et desuper templum Veneris ædificatum, ubi virgines cantibus insultabant ; præcepitque destrui sceleratissimum, ipsumque pulverem funestis sacrificiis violatum ejici, et a civitate procul dispergi. Exin locum purgari præcipiente, statim palam monumentum Domini apparuit. Apparuerunt et circa illud suffossæ tres cruces et clavi, simul et titulus litteris Græcis et Latinis conscriptus, *Jesus Nazarenus rex Judæorum*. Dicitur autem quia etiam mortuus crucis tactu surrexit. De hoc ligno Sibylla dixit apud Riganos : « O ter beatum lignum, in quo Deus extensus est ! » Tunc ergo quæ crux Domini esset, quæ latronum dubitare cœperunt. Proinde Macarius, civitatis præsul, hujusmodi tactu dubitationem solvit. Mulieri namque nobilitate claræ, longa ægritudine fatigatæ, unam earum crucum cum oratione promptissima adhibens, virtutem Salvatoris agnovit. Mox enim ut mulierem attigit crux, passionem sævissimæ ægritudinis effugavit, et fœminæ salutem restituit. Vide epistolam Paulini undecimam ad Severium, ubi copiose inventionem Dominicæ crucis tractat.

XX.

IN NATIVITATE SANCTI JOANNIS BAPTISTÆ.

Priusquam te formarem in utero, novi te, et antequam exires de ventre, sanctificavi te, et prophetam in gentibus dedi te (*Jer.* I), etc. Hæc sunt, fratres charissimi, verba ad Jeremiam prophetam, de electione ejus in prophetam. Sed quoniam nihilominus beato præcursori Domini conveniunt, ideo convenienter recitantur in ejus nativitate, quam nos hodie celebramus. Sunt autem hujus lectionis quatuor partes. Primo enim dicit Dominus Jeremiæ se eum in prophetam prædestinasse; secundo, Jeremias se excusat; tertio, Dominus consolatur eum; quarto, injungit ei prophetiæ ministerium. Missurus igitur Dominus Jeremiam ad officium prophetandi, ne ipse propriæ imperitiæ fragilitatisque conscius injunctum officium renueret, primo demonstrat ei quod ipse ad hoc sit præelectus, cum dicit : *Priusquam te formarem in utero novi te*, id est approbavi et elegi te, *et antequam exires de vulva, sanctificavi te, et prophetam in gentibus dedi te*. Ecce quam mirabilis, quamque stupendus, fratres mei, est divinæ prædestinationis effectus, quæ hominem antequam sit, eligit; antequam de immunditia exeat, mundat; antequam loquatur, prophetam facit, juxta quod de eo scriptum est : « Qui fecit quæ futura sunt. » Et alibi : « Qui vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt (*Rom.* IV). » Quæ autem hic de Jeremia dicuntur, similiter, imo excellentius, sanctissimo conveniunt Domini præcursori. Istum enim similiter et antequam formaret in utero elegit, imo venturum per prophetas prædixit et per angelum nasciturum pronuntiavit. Istum quoque antequam exiret de vulva sanctificavit, imo, juxta verbum archangeli, cum Spiritu sancto ex utero matris suæ replevit. Istum similiter antequam exiret de vulva prophetam in gentibus per prædestinationem dedit, imo per propheticum gaudium, et per os matris suæ, adventum Christi in utero sanctæ Virginis prophetare fecit. Ecce videtis quomodo omnia hæc excellentius beato Joanni conveniant quam Jeremiæ. Nemo autem vestrum, fratres mei, ex istis verbis quæ hic dicuntur, *priusquam te formarem in utero, novi te*, sumat erroris occasionem, æstimando quod ideo Dominus vel Jeremiam, vel Joannem elegit, quod eos futuros bonos prænovit. Non enim bona vita eorum divinæ prædestinationis, sed potius divina prædestinatio bonæ vitæ eorum causa fuit. Nihil enim aliud præelegit in eis, nisi quod facturus erat in ipsis. Est igitur ac si diceret : *Priusquam te formarem in utero, novi te*, id est priusquam te formarem in utero elegi in te quod formaturus eram in te. Itaque, fratres mei, quod Dominus ab æterno suos prædestinat, quod eos in tempore sanctificat, quod eos ad bene operandum perseveranter excitat, totum est gratiæ divinæ, non meriti humani. Sicut e contrario quod in præscientia sua ab æterno impios reprobavit, quod temporaliter gratiam suam subtrahit, quod eos male agere derelinquit, divini

judicii est et meriti humani. Unde et nos, fratres mei, immensam ejus clementiam totis visceribus indesinenter exoremus, quatenus nos indignos famulos suos de massa perditionis eripere, et in electorum suorum grege nos dignetur numerare.

Sequitur pars secunda, in qua Jeremias ab officio prophetandi seipsum excusat, cum dicit : *A, a, a, Domine Deus, ecce nescio loqui, quia puer ego sum.* Ecce, fratres mei, Jeremias, quamvis audierit a Deo se esse ab eo prælectum, se esse sanctificatum, se esse prophetam destinatum, tamen se exhorrescere et pertimescere grave et periculosum prophetandi officium demonstrat, per *a* interjectionis expressivam dicens *A, a, a, Domine Deus !* Ac si dicat : Domine Deus, cui famulari et obedire teneor, officium ad quod me vis mittere, quia supra meas vires est, reformido. Quare autem reformidet ostendit, cum subdit : *Ecce nescio loqui, quia puer ego sum.* Puer sum ætate, puer sum ineloquentia, puer sum imperitia, puer sum pusillanimitate. Quodlibet enim istorum quatuor impedit officium prædicandi. Puer enim ætate nondum valet perfecte loqui ; puer vero ineloquentia, nescit affluenter loqui ; puer imperitia, nescit prudenter loqui ; puer vero pusillanimitate, non audet fortiter loqui. Joannes vero Baptista, quoniam in ipso matris utero prophetare cœpit, non legitur se excusasse, sed tantum ad officium prophetandi se esse indignum demonstrat, cum rogatus a Pharisæis quis esset, an propheta esset, se esse prophetam negat (*Joan.* I). Ab officio vero baptizandi Redemptorem nostrum se aperte excusat, cum expavescens ait : « Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me? » (*Matth.* III.) Quidam igitur laudabiliter se excusant, ut Jeremias, et Joannes Baptista ; alii vero laudabiliter se offerunt, ut Isaias, qui Domino dicenti : « Quem mittam, et quis ibit nobis? ait : Ecce ego, mitte me (*Isa.* VI). » Considerandum tamen est quoniam Isaias qui se offert, vel carbone, vel calculo de altari sumpto, jam purgatum se esse sciebat, et Jeremias, et Joannes Baptista, etsi se excusant, non aperte repudiant. Sed quis, fratres mei, hodie se mundatum esse intelligit? Ideo tutius hodie officium prædicandi declinatur, quam appetitur. Nec tamen debet ille pertinaciter declinare qui intelligit se a Deo vocatum esse. Quorum utrumque Moyses in se demonstrat, cum Domino mittenti eum ad Pharaonem se excusat, et tamen ei instanti humiliter obtemperat (*Exod.* IV), dans exemplum nobis, ut quantumcunque simus probati, tamen semper officium pastorale reformidemus, sed et si noverimus divinam esse voluntatem, non omnino resistamus. In quo quorumdam præsumptio refutatur qui, quamvis in conscientia sua non mundi sed potius polluti sint, tamen officium pastorale non reformidant, imo ambiunt. Confutantur quoque et illi qui ex hoc quod Jeremias puer prophetavit, accipiunt sibi erroris exemplum, ut et ipsi adhuc imberbes debeant prædicare, non attendentes quoniam quod in Jeremia minus erat per ætatem suppletum est per gratiam, et quia privilegia paucorum non faciunt legem communem. Confutantur etiam et illi qui, cum non habeant sermonis eloquentiam, attentant prædicationem. Sed quomodo prædicabunt, qui loqui nesciunt? Confutantur similiter et illi qui, cum non habeant doctrinam sapientiæ, prædicare audent. Sed quomodo alios docebunt, qui seipsos docere nesciunt? Confutantur nihilominus et illi qui, cum non habeant fortitudinem mentis, præsumunt officium prædicationis. Sed quomodo principatibus et potestatibus prædicabunt, qui eos increpare non audent? Ab ista pusillanimitate ostendit Psalmista se esse alienum cum dicit : « Et loquebar de testimoniis tuis in conspectu regum, et non confundebar (*Psal.* CXVIII). »

Sequitur pars tertia, in qua Dominus timorem prophetæ consolatur et confortat, dicens : *Noli dicere : Puer sum, quoniam ad omnia ad quæ mittam te ibis, et universa quæ mandavero tibi loqueris. Ne timeas a facie eorum, quia ego tecum sum, ut eruam te.* Ac si aperte dicat : Quamvis sis puer ætate tamen ego dabo tibi possibilitatem ut ea ad quæ ego mitto te possis facere. Quamvis sis puer per ineloquentiam et insipientiam, tamen ego dabo tibi eloquentiam et sapientiam ut mandata mea possis eloqui. Quamvis sis puer pusillanimitate, tamen ego præcipio tibi ne adversarios tuos timeas, quia ego semper sum tecum ad constantiam et defensionem. Porro in hoc quod ait, *ad omnia ad quæ mittam te ibis*, ostendit prophetam, vel prædicatorem, ad ea ad quæ missus est semper ire ; ad ea vero ad quæ missus non est, nunquam ire debere. Unde divinam experitur indignationem Jonas, qui Ninivitis, ad quos missus erat prædicatum, ire fugiebat (*Jon.* I). Et damnatur Balaam, qui corruptus pretio, populum a Deo benedictum maledicere, ad quem missus non erat, ibat (*Num.* XXIV). Quorum sunt hodie etiam similes quidam falsi pastores, qui corrupti favore vel odio, timore vel pretio, vadunt absolvere illos qui ligandi sunt, vel ligare eos qui solvendi sunt, et juxta prophetam, « vivificant animas quæ non vivunt, et mortificant animas quæ non moriuntur (*Ezech.* III). » Sed « maledicam, inquit Dominus Deus, benedictionibus vestris, et benedicam maledictionibus vestris (*Malach.* II). » In eo vero quod ait *universa quæ mandavero tibi loqueris*, ostendit prophetam vel prædicatorem semper verba Dei, et non alia debere prædicare. Unde confutantur æqualiter et illi qui verbum injunctæ prædicationis tacent, unde « canes muti » a Domino vocantur (*Isa.* LVI), et sanguis propter taciturnitatem suam pereuntium ab eis requiritur, et illi qui alia quam Domini verba prædicare præsumunt, cum Dominus dicat Ezechieli ; « Annuntiabis eis ex me (*Ezech.* III). » In hoc etiam quod Dominus ait, *ne timeas a facie eorum, quia ego tecum sum*, confutantur illi prædicatores qui homines timent ; nam in hoc Deum secum non habere demonstrant. Nam si secum Deum habent, quare homines timent? Imitandi ergo sunt nobis prædica-

toribus Jeremias et Joannes Baptista, qui sævitiam Judæorum, regumque potentiam non timuerunt, sed aspere vitia eorum reprehenderunt. Clamat enim Joannes Baptista contra Judæos: «Genimina, inquit, viperarum, quis docebit vos fugere a ventura ira? » (*Matth.* III; *Luc.* III.) Et contra Herodem : « Non licet, inquit, tibi habere uxorem fratris tui (*Marc.* VI). » Sed quomodo eruit eos Dominus a persecutoribus suis, cum Jeremias a Judæis in Ægypto sit lapidatus, et Joannes ab Herode decollatus est? Eruit eos, fratres mei, a persecutoribus, non quasi eos affligerent et occiderent, sed quod eis non nocerent, imo prodessent, dum illis occasionem coronæ darent.

Sequitur pars quarta, in qua Dominus injungit Jeremiæ officium prophetiæ, cum mittens manum suam tangit os ejus dicens : *Ecce posui verba mea in ore tuo : ecce constitui te super gentes et super regna, ut evellas, et destruas, et disperdas, et dissipes, et ædifices et plantes.* Jeremiæ, quoniam ab utero sanctificatus erat, non emundantur labia ut Isaiæ, sed tantum tactu manus suæ, id est efficacia potestatis suæ, tria ei confert quæ prophetæ vel prædicatori necessaria sunt; videlicet affluentiam verbi, gradum potestatis, et usum ministerii. Affluentiam verbi se ei dedisse demonstrat, cum dicit : *Ecce dedi verba mea in ore tuo.* Dedi, quasi non vendidi. Et ideo quia gratis accepisti, gratis da. In quo illos condemnat qui verbum prædicationis vendunt. Item ait, *verba mea*, quasi non aliena. In quo eos condemnat qui prædicant non verba Dei, sed verba dialectices, vel rethorices, vel alicujus scientiæ sæcularis. Item, ait, *in ore tuo*, quasi : verba mea dedi in ore tuo, ut tu ore tuo prædices, non alieno. In quo illos confundit qui gregem sibi commissum, et de cujus stipendiis vivunt, docere dedignantes per se, eos per linguam mercenariorum docere volunt, sed, teste Domino, oves non audiunt vocem alienorum (*Joan.* X). Gradum vero potestatis se ei dedisse demonstrat, cum dicit : *Ecce constitui te hodie super gentes, et super regna.* Constitui te, inquit, quasi non tu te per ambitionem injecisti, ut multi (unde dolendum est) hodie faciunt, sed ego te elegi et constitui. Nemo enim debet sibi assumere honorem, sed qui vocatus est a Deo sicut Aaron (*Hebr.* V). Ait quoque, *super gentes*, quoniam super gentes debet esse propheta vel prædicator, ut gradu, ita vita et sapientia, ut scilicet exemplo et doctrina inferiores gentes regat. Turpissimum enim est quando sacerdos est sicut populus. Quod aperte est contra quosdam hodiernos prædicatores, qui vita et sapientia non solum non præsunt plebi, sed etiam subsunt. Unde nec audent, nec sciunt eos corrigere. Sed tamen quia principes corrigere non audent, addit, *et super regna*, id est super reges, quoniam tanta debet esse prophetæ vel pastoris excellentia, quod non solum plebes, sed etiam ipsos reges debet regere. Non tamen intelligat dominatum se habere super homines, sed super vitia. Unde in Evangelio : « Qui major est, fiat sicut junior, et qui præcessor, sicut qui ministrat (*Luc.* XXII). » Usum vero ministerii se propheta dedisse demonstrat, cum subdit : *Ut evellas et destruas*, etc. Ac si aperte dicat : Non ad hoc te constitui super gentes et super regna, ut tu vaces somno et otio, sed potius ut tu sollicite ad modum ruricolæ labores, qui saturus bonam plantationem in agro, primo spinas et tribulos, et quæcunque nociva exstirpat de agro. Ponit autem sex, quorum quatuor auferunt mala, duo ponunt bona. Quædam enim nociva sunt in agro, quæ facili manu, agricola cum ipsis radicibus evellit. Quædam vero ita radicata sunt, quod evellere non potest, sed cum labore multo et ferro succidenti destruit. Quædam vero sunt quæ latent, ut radices; quæ cum ligone et aratro subvertens, ne iterum possint reviviscere, igni disperdit. Quædam vero sunt quæ naturaliter terra producit, ut silices; quæ quia non possunt omnino auferri, sæpe cum falcastro dissipat. Quædam vero bonæ plantæ sunt, quæ ager forte germinabat, ut vitem vel pomum silvestrem, vel hujusmodi, et illas non destruit, sed potius ædificat. Quædam vero excellentes plantæ sunt, quibus ager penitus carebat, et illas sollicite perquirit agricola et plantat. Sic, fratres mei, sic debet facere prædicator, qui est quasi spiritualis cultor Ecclesiæ. Primo enim debet auferre mala, deinde seminare bona; scriptum est enim : « Declina a malo, et fac bonum (*Psal.* XXXVI). » Ille enim vitia, quæ minus hærent, a cordibus populi sui facili correctione evellat. Illa vero quæ altius radices fixerunt multa sollicitudine, et crebra æternæ damnationis comminatione destruat. Illa quoque quæ latent, ut cogitationes et causas vitiorum, sollicita investigatione perquirens, et per propriam uniuscujusque confessionem evertens, igne conpunctionis et divini amoris disperdat. Illa vero quæ naturaliter natura generat humana, quem dum homo est in hac via, penitus abjicere non potest, ut edacitatem, cupiditatem, et curam temporalium, cum falcastro moderationis dissipet et refrenet. Illos vero bonos mores, quæ naturaliter in quibusdam natura producit, ut naturalem pietatem, naturalem justitiam, naturalem veracitatem, non destruat bonus prædicator, sed potius ædificet. Illas autem virtutes, quæ omnino aberant, crebra admonitione et commendatione plantet. Ita, fratres mei, præcepit Dominus, ita quoque Jeremias, ita et Joannes Baptista. Evellit enim et destruit, cum clamat : « Ecce securis ad radicem arboris posita est. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur (*Matth.* III). » Ædificat et plantat cum clamat : « Facite dignos fructus pœnitentiæ. Qui habet duas tunicas, det unam non habenti ; et qui habet duplices escas, similiter faciat (*Luc.* III.) » Itaque, fratres mei, ad exhortationem præcursoris Domini, evellamus de cordibus nostris, per veram pœnitentiam et emendationem, spinas vitiorum, scilicet ingluviem, ebrietatem, luxuriam, avaritiam, iram, invidiam, accidiam, vanam gloriam,

superbiam, et cætera vitia; et germinent in nobis sanctæ virtutes, scilicet abstinentia, sobrietas, castitas, largitas, mansuetudo, charitas, devotio, contemptus mundi, humilitas, cæteræque virtutes, quibus decenter ornati, continuis cœlestium nuptiarum solemniis læti sine fine interesse mereamur, eo præstante qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

XXI.

IN EODEM FESTO.

Elisabeth impletum est tempus pariendi, et peperit filium (*Luc.* I), et reliqua. Hodie, fratres charissimi, in universo mundo venerabilem sancti præcursoris et Baptistæ Domini nativitatem celebramus, quem honorem nulli alii sanctorum exhibemus. Depositiones quippe sanctorum, quibus ad vitam nascuntur æternam, sancta celebrat Ecclesia. In nativitatibus vero eorum, quibus ad miseriam et ad pœnam homo nascitur, silere consuevit. Nativitas tamen præcursoris solemniter celebratur, quoniam octo honorum privilegiis a Domino decoratur. Primus honor est, quod Deus Pater nasciturum longe ante prædixit, dicens per os Malachiæ prophetæ Filio suo : « Ecce ego mitto angelum meum, qui præparabit viam ante faciem tuam (*Malach.* III; *Marc.* I). » Secundus est, quoniam per eumdem archangelum, per quem Unigenitum suum Virgini erat nuntiaturus, istum nasciturum patri nuntiavit. Tertius est, quod eum in utero matris non tantum sanctificavit, imo etiam Spiritu sancto replevit. Quartus est, quod ad adventum sacrosanctæ Virginis Filium Dei in utero gestantis, eum in utero exsultare, et per os matris, quod a sæculo inauditum fuerat, prophetare fecit, sicut Lucas in præcedentibus Evangelii sui aperte demonstrat. Quintus est quod contra naturam de matre sterili et utroque parente sene mirabiliter natus est. Unde et in exordio evangelicæ lectionis modo audivimus : *Elisabeth impletum est tempus pariendi, et peperit filium*. Ac si dicatur : Elizabeth, cujus jam præterierat tempus pariendi, mirabiliter Domino operante, in diebus senectutis suæ, impletum est tempus pariendi et peperit filium. Et pulchre de sene et sterili nascitur, qui nasciturum de virgine prædicare veniebat, ut mirabiliter natus mirabilius nasciturum demonstraret. Sextus honor est gaudium in ejus nativitate. Unde et subditur : *Et audierunt vicini et cognati ejus quia magnificavit Dominus misericordiam suam cum illa, et congratulabantur ei.* Prædixerat siquidem archangelus de præcursore Domini, quoniam in nativitate ejus multi essent gavisuri (*Luc.* I). Quod quidem et ipsa die nativitatis ejus impletum est, quando non solum parentes de dono tanti filii gavisi sunt, sed etiam vicini et cognati ejus congratulati sunt; et remotiores etiam, tantæ rei novitate, stupore et admiratione moti sunt. Et idipsum etiam singulis annis complentur, quoniam fideles ubicunque terrarum in gloriosa Nativitatis ejus solemnitate tripudiant et exsultant. Cum enim cæteri filii hominum in peccatis et in tristitia nascantur, non est mirum si in ejus nativitate gaudeamus, qui in sanctificatione et in gaudio natus est; qui et gaudium commune toti mundo venit nuntiare. Septimus honor est, quod in demonstratione nominis ejus loquela patri restituitur. Cum enim ad circumcidendum puerum convenissent, et cognati cum paterno nomine Zachariam, mater vero edocta (ut credimus) a Spiritu cum Joannem vocaret, pater mutus de medio dubitationem auferre volens, ut acceperat ab angelo, scriptura simul et voce nomen ejus indicavit, dicens : *Joannes est nomen ejus.* Et pulchre, qui incredulitate filii nascituri loquelam amiserat, in filii nati nominatione eamdem recuperat et misericordiam Dei circa se factam benedicit et magnificat. Cujus rei admiratione non solum vicini, sed etiam remoti percelluntur, metientes et conjectantes penes se quantis virtutibus in vita sua esset radiaturus, qui etiam in nativitate tantis virtutibus radiabat. Bene autem Joannes, id est *gratia*, nuncupatur, qui gratiam prædicare venerat. Lex enim et prophetæ usque ad Joannem (*Luc* XVI), et a Joanne tempus gratiæ inchoatur. Octavus vero honor est, quod gratia filii prophetæ propheta etiam ipse pater efficitur. Unde et subditur : *Et Zacharias pater ejus impletus est Spiritu sancto, et prophetavit dicens: Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit et fecit redemptionem plebis suæ.* In quo cantico tria facit. Primo enim Dominum de impletione promissionis patribus factæ benedicit. Secundo infantulum prophetam vias Domino præparaturum ostendit. Tertio verum lumen ortum ex alto ad illuminandas mundi tenebras dicit. Unde et hoc canticum in matutinis laudibus sancta Ecclesia cantare consuevit. Quoniam igitur nativitas præcursoris illis octo donis privilegiatur, ideo a sancta Ecclesia per universum mundum celebratur. De quibus duo, scilicet extrema, in octavo die circumcisionis complentur, ideo et ipsa nativitatis festivitas usque in octavum diem solemniter protelatur. Moraliter autem, fratres mei, ex hac lectione sex nobis imitanda proponuntur. Primum enim, ex hoc quamvis sterili et vetulæ filius a Domino datur, exemplum nobis proponitur, ne aliquis peccator unquam quantumcunque a bono sterilis, quantumcunque in peccato senuerit, etiam in ipso margine vitæ a fructu pœnitentiæ debeat desperare, sed semper sperare in ineffabilem Dei misericordiam, quæ nunquam quantumcunque flagitiosum, converti volentem, respuit; quæ Mariam Magdalenam de tam sordida tam sanctam fecit; quæ latroni in cruce jam exspiranti postulatam misericordiam non negavit.

Secundo vero ex hoc, quod vicini et cognati bono Elisabeth congratulantur et congaudent, exemplum nobis proponitur, quod nos quoque bonæ conversationi conversionique aliorum congaudeamus. Si enim, teste Domino, gaudium est angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente (*Luc.* XVI), quanto præcipue homines de hominum conversione et emendatione debent gaudere? Quod aperte con-

tra quosdam malignos est, qui de bonis aliorum non solum non gaudere, sed etiam per invidiam dolere solent. Sed, fratres mei, sicut divinorum hominum est de bonis aliorum gaudere, et de malis dolere, ita diabolicorum hominum est de bonis aliorum dolere, et de malis gaudere. Tertio quoque ex hoc, quod puer non nomine patris, sed nomine Joannis, id est *gratiæ* nuncupatur, exemplum proponitur nobis, quod nunquam bonum opus nostrum nomini nostro, sed potius divinæ gratiæ attribuamus, quæ sola dat et velle et posse perficere (*Phil.* II), ipso attestante qui discipulis suis ait : « Sine me nihil potestis facere (*Joan.* XV). » Quod aperte contra quosdam arrogantes est, qui si quid sapienter vel fortiter egerint, ingenio vel viribus suis ascribunt, quasi dicentes : « Manus nostra excelse, et non Deus fecit hæc omnia (*Deut.* XXXII). » Quarto etiam ex hoc quod, demonstratione nominis gratiæ, patri muto ad benedicendum Deum os aperitur, nobis demonstratur quoniam illi soli Deum benedicere et laudare digne possunt, qui bonum quod faciunt, non nomini suo, sed Dei gratiæ totum ascribunt. Sicut enim per diabolicam præsumptionem, qua aliquis quod Dei est sibi attribuit, magis Deus exacerbatur ; ita per humilitatem, qua homo de se viliter sentiens, si quid boni habet, totum Deo attribuit, magis Deus placatur. Quinto quoque ex hoc quod, propter visa miracula, timor factus est super vicinos, et super omnia montana Galilææ divulgabantur omnia verba hæc, proponitur nobis exemplum, ut visis virtutibus Dei divinorumque hominum, Deum timere discamus, et opera virtutum semper et ubique prædicemus. Quod aperte contra quosdam malignos est, qui virtutes et bona opera, quæ Deus per sanctos suos operatur, vel negant, vel silent, peccata vero et mala opera hominum statim credunt et diffamant. Sexto vero ex hoc quod merito filii patri muto non solum loquela, sed etiam prophetia confertur, nobis exemplis proponitur quoniam multoties illi qui prius ad Deum laudandum et prædicandum muti erant, si bene incœperint fructificare et vivere, non solum facultas digne laudandi Deum confertur sed etiam gratia eis docendi et prædicandi cumulatur. Sicut econtrario persæpe contingit quod quidam qui prius apti erant, vel ex naturali ingenio, vel ex industria, ad docendum, postea exigentibus peccatis suis excæcantur, et priori gratia spoliantur, juxta quod scriptum est : « Omni habenti dabitur, et abundabit ; ei vero qui nihil habet, etiam quod habere videbatur, auferetur ab eo (*Matth.* XIII ; *Marc.* IV) » Itaque, fratres mei, sterilitatem et vetustatem peccatorum per pœnitentiam exuamus, in novam vitam per bonam operationem fructificemus; bona habentes opera, non nomini nostro, sed divinæ gratiæ attribuamus ; misericordiam Dei circa nos factam semper benedicamus ; alios ad Deum convertere bono exemplo et verbo studeamus; misericordiam et charitatem super omnia sectemur; mundum contemnamus ; toto desiderio ad Deum suspiremus ; quatenus intercedente beato Joanne Baptista, cui hodie festivamus, ad æterna festa pervenire valeamus, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

(7) *Vita et mors Divi Joannis Baptistæ, per Epiphanium Constantiæ Cypri episcopum scripta.*

Joannes Baptista, Zacharia natus et Elisabeth, e tribu Levi emicuit. Is est qui tanquam digito ostendit nobis Agnum, Dei Patris Filium, qui tollit peccata mundi. Hic mortalibus viam perstruxit, et fores patefecit regni Dei. Nemo sane inter natos mulierum major Joanne Baptista. Functus est autem vita, decollatus ab Herode tyranno propter Herodiadem fratriam, puta Philippi fratris sui conjugem.

Ejusdem per D. Isidorum episcopum Hispalensem (8). Joannes Baptista, filius Zachariæ, ex tribu Levi in Hierusalem ortus, angelo nuntiante conceptus, prænuntius Christi, præco judicis, propheta Altissimi, vox Verbi, amicus Sponsi, testis Domini, lucerna luminis, terminus prophetarum, baptismatis initium. Qui prænuntiatus parentis vocem abstulit, genitus officium linguæ resolvit. Qui necdum editus Christum prophetavit, salutavit ex utero, in columba agnovit, in deserto monstravit. Cujus vestimentum lanugo fuit camelorum, habitatio eremus, victus mellis et locustarum cibus. Hic dum Herodem prohiberet fraternum violare connubium, carceralibus tenebris mancipatur. Cujus caput filia regis ludens a patre præmium postulavit. At ille desectum male poscenti filiæ ebrius inter pocula dedit. Sepultus est in Sebastia oppido Palæstinæ, quæ olim Samaria vocabatur. Quam Herodes rex Judææ, Antipatris filius, ob honorem Cæsaris Augusti, Latino sermone Augustam vocavit.

XXII.

IN FESTO D. PETRI APOSTOLI.

Misit Herodes rex manus ut affligeret quosdam de Ecclesia (*Act.* XII), etc. In hac lectione, fratres charissimi, tria juxta litteram nobis consideranda sunt. Primo, qua ratione omnipotens et justus Dominus reprobis tantam in sanctos suos tribuat sæviendi potestatem. Bene autem dico tribuat, quoniam, ut ait Apostolus, « non est potestas nisi a Deo (*Rom.* XIII,) » teste etiam Redemptore nostro qui ait Pilato : « Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper (*Joan.* XIX). » Unde nec diabolus contra Job aliquid facere potuit, priusquam a Domino potestatem postulaverit et acceperit (*Job* I). Dat igitur Dominus malis potestatem sæviendi triplici de causa : Primum, ad exercitium bonorum. Quod enim fornax auro, quod lima ferro, quod aqua panno, hoc confert tribulatio justo. Per exercitium igitur malorum tanquam fabrorum suorum, limat Deus vasa electionis, ut eos purgatiores, clariores, solidiores et pretiosiores reddat. Secundo, ad illusionem reprobationemque malorum, juxta quod scriptum est : « Draco iste quem formasti ad illudendum ei (*Psal.* CIII). » Illuditur enim diabolus et membra ejus in hoc quia, dum cupiunt nocere sanctis, eis prosunt, et sibi ipsis magis obsunt. Tertio, ad divinæ sapientiæ potentiæque demonstrationem, quæ tanta est, quod

(7) Habetur in lib. ejus de Vita prophetarum.

(8) In lib. De patribus Veteris Testamenti.

malis operibus reproborum scit et potest uti in bonum. Quidquid enim mali intentant Deo et membris ejus, Deo militant, qui de eis et per eos suam perficit voluntatem et gloriam. Secundo vero, considerandum est quod Dominus quosdam sanctorum suorum non vult in hoc sæculo diutius manere. et quamvis, si superviverent, viderentur tam sibi quam aliis multum profuturi, tamen festive eos educit de tribulationibus hujus mundi, ut Jacobum Majorem quem adhuc juvenem ante cæteros apostolos, de hoc mundo, per gladium Herodis subtraxit. Quod omniscions Dominus propter tres causas facit. Prima est, quoniam novit eos merita quæ habituri erant, consummasse, juxta quod scriptum est : « Consummatus in brevi explevit tempora multa. Venerabilis enim est senectus, non diuturna, neque annorum numero computata. Cani enim sunt sensus hominis, et ætas senectutis vita immaculata (*Sap.* IV). » Unde, quamvis sancti juvenes moriantur, tamen explent dies suos, cum contra de reprobis dicatur : « Viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos (*Psal.* LIV). » Secunda est, ne in lubrica hujus sæculi via aliquando laberentur et perirent, juxta quod scriptum est : « Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam ejus (*Sap.* IV). » Propterea properavit educere eum de medio iniquitatum. Tertia est, quod ideo cito præripiuntur sancti de hoc sæculo, quoniam eis, ut ait Apostolus, « dignus non erat mundus (*Hebr.* II). » Et ideo exigentibus peccatis suis, lumine sanctorum privantur. Unde scriptum est : Viri justi tolluntur, et nemo considerat; a facie iniquitatis sublatus est justus (*Isa.* LVII). Sed quacunque de causa, fratres mei, tam cito tollantur ab hoc misero mundo sancti, bene et beate actum est cum eis, quibus datum est tam cito transcurrere laborem hujus mundi et miseriam, et gloriam invare sempiternam. Tertio, quoque considerandum est quod alios sanctorum Dominus potenter de tribulationibus eripiens, facit eos hic longam ducere vitam, ut Petrum et Joannem evangelistam. Quod quidem facit, et ad majorem majoris laboris eorum remunerationem, et ad Ecclesiæ suæ consolationem et eruditionem, et ad partis adversæ confusionem et deprædationem, quam maxime confundunt, dum eis vasa captivitatis eripiunt.

Propter has igitar causas Petrum Ecclesiæ suæ Dominus diutius reservavit, et de carcere Herodis potenter eum liberavit. In qua liberatione misericordiam pariter et omnipotentiam suam nobis aperte demonstrat. Et misericordiam quidem, in hoc quod ad preces Ecclesiæ suæ pro incarceratione magistri sui desolatæ, motus et misertus est. Potentiam vero in hoc quod Petrum incarceratum duplici catena vinctum, duplicique custodia multum circumvallatum, porta ferrea præclusum, ab omnibus his impedimentis, non per humanam cautelam, sed per angelum suum potenter eripuit, et Ecclesiæ suæ misericorditer restituit, demonstrans nobis ad pias Ecclesiæ suæ preces se semper esse exorabilem, et ad liberandum eam se semper esse potentem. Porro incarceratio et liberatio, quæ semel factæ sunt in Petro, quotidie fiunt in nobis. Herodes enim, id est diabolus, qui est rex omnium iniquorum, quotidie Deo permittente, mittit manus suas ut affligat quos potest de Ecclesia. Non enim sufficit ei quod gentiles et Judæos cæterosque infideles quotidie devorat, nisi etiam Christianos, quos potest in anima occidat. Unde Dominus de eo ad beatum Job ait : « Absorbebit fluvium, et non mirabitur, et habet fiduciam quod Jordanis fluat in os ejus (*Job* XL). » Ac si dicat : Non pro magno habet diabolus quod fluvium, id est genus humanum, a principio mundi usque ad Christum fere totum absorbuit, nisi etiam Jordanem, id est baptizatos in ventrem suæ malitiæ transglutiat. Nec sufficit etiam ei quod minores de Ecclesia aliquos quotidie enecat, sed etiam majores et prælatos sanctæ Ecclesiæ præcipue occidere festinat. Escæ enim ejus, ut ait Habacuc, electæ sunt (*Habac.* I). Unde et hic dicitur . *Occidit autem Jacobum fratrem Joannis gladio*, quoniam magnos contemptores et supplantatores vitiorum occidit gladio suæ tentationis. *Videns autem* hoc placere *Judæis*, id est malitiæ suæ fautoribus, apponit etiam *ut Petrum*, id est firmorum episcoporum ordinem apprehendat, ut videlicet læso capite minora membra sibi universaliter subjiciat. Facit autem hoc præcipue in diebus azymorum, quoniam in solemnitatibus et in jejuniis, in quibus fideles exercent se ad majorem puritatem, majorem exercet contra eos diabolus impugnationem. Apprehensum autem impugnationibus suis peccatorem, mittit in profunditatem et obscuritatem vitiorum, et ne inde per portam pœnitentiæ exeat, tradit eum *quatuor quaternionibus militum custodiendum*. Dicitur autem quaternio qui habet quatuor tyrannos sub se, sicut centurio qui habet centum. Primus igitur quaternio, cui peccator custodiendus traditur a diabolo, est spiritus stulti pudoris, qui confusionem ingerit peccatori confitendi peccatum suum. Unde Salomon : « Est confusio adducens peccatum (*Eccli.* IV). » Hic habet sub se quatuor, videlicet pudorem confitendi, pudorem se sacerdoti humiliandi, pudorem medicinam quærendi, pudorem injunctam pœnitentiam persequendi. Et ne forte iste, ad custodiendum in peccato suo peccatorem non sufficiat, adjungitur et secundus quaternio, scilicet spiritus pravæ securitatis, qui similiter secum habet quatuor, securitatem levis et remissibilis culpæ, securitatem longioris vitæ, securitatem satis agendæ pœnitentiæ, securitatem divinæ misericordiæ. Et ne forte isti duo non sufficiant, additur et tertius quaternio, spiritus scilicet obstinationis, qui scilicet quatuor sub se habet, obstinationem in peccato, obstinationem in contemptu, obstinationem in cordis duritia, obstinationem in impœnitentia. Et ne forte isti tres non sufficiant, additur et quartus quaternio, spiritus scilicet incre-

dulitatis. Hic similiter quatuor sub se habet. Incredulitatem gravitatis peccati, incredulitatem resurrectionis, incredulitatem extremi judicii, incredulitatem æterni supplicii.

Istis igitur gravibus custodibus arctat et custodit diabolus peccatorem in carcere peccatorum, *volens post Pascha*, id est post transitum mortis, *producere eum* torquendum *populo* dæmoniorum. Et peccator quidem sic servatur *in carcere*. *Oratio* autem debet fieri *sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo*. Unde constat quoniam iste vere non est de Ecclesia, qui pro filiis Ecclesiæ adeo captivatis incessanter non orat. Quod est aperte contra quosdam Christianos, qui, si quandoque vident pastorem suum, vel aliquem alium, vinculis peccatorum mancipatum, non tantum pro eo non orant, imo potius gaudent, detrahunt et diffamant. Qui procul dubio maledictionem Cham incurrunt, dum ad exemplum ejus pudenda patris non tegunt, sed irrident (*Gen.* IX). Cum autem peccatorem sic captivatum diabolus speret se jam producturum ad pœnam æternam, peccator interim est *dormiens inter duos milites*, *in nocte* peccatorum suorum, id est inter spiritum præsumptionis, qui retinet eum ne evadat a dextris, et spiritum desperationis qui retinet eum ne evadat a sinistris. *Vinctus catenis duabus*, id est amore et delectatione peccatorum suorum, qui eum a bono opere et bona via prohibent et arcent. *Et custodes ante ostium custodiebant carcerem*. Ostium carceris peccatorum est pœnitentia, quæ, ne pateat peccatori, prædicti quaterniones prohibent, stultus scilicet pudor, prava securitas, obstinatio, incredulitas. Quamvis autem peccator ita in profundo vitiorum sine spe dormiat vinctus et oppressus, jam ad æternam damnationem producendus, tamen divina clementia assiduas Ecclesiæ suæ preces exaudiente, angelus potentiæ divinæ, vel etiam aliquis prædicator, astitit, qui astat; et astantes facit, et lumen compunctionis refulget illi, qui habitabat in tenebris peccatorum : *Percussoque latere Petri*, id est conscientia peccatoris, excitat cum dicens : *Surge velociter* a somno peccatorum tuorum, ne jam ad æternam damnationem traharis. Et continuo cadunt *catenæ* amoris et delectationis peccatorum *a manibus ejus*, quoniam peccata quæ prius amabat, et in quibus delectabatur, incipiunt ei displicere et eum cruciare. Et suggeritur ei ut mollitiem fluxarum cogitationum per continentiam præcingat et refrenet, et calcet pedes affectuum suorum, ne desideriis terrenis inhæreant. Suggeritur etiam ei ut vestimentum charitatis cæterarumque virtutum circumdet sibi, et salutis admonitionem sequatur. Surgens autem peccator, sequitur angelum salutaris admonitionis, et tamen conscius propriæ fragilitatis et infirmitatis, non putat esse verum quod ipse possit exire a consuetudine peccatorum suorum. Ita enim tenetur a consuetudine, quod putat se non posse abstinere. Transiens autem, Domino operante, *primam custodiam*, id est spiritum præsumptionis et A desperationis, *et secundam*, id est, stultum pudorem, pravam securitatem, obstinationem, incredulitatem, ad ultimum venit *ad portam Ferream*, id est ad obstaculum pravæ et duræ consuetudinis, quæ, Domino operante, aperitur ei. Et exiens processit *vicum unum*, quoniam, postquam a consuetudine peccatorum exiit, viam bonæ operationis procedit, *et* statim *discedit angelus ab eo*, quoniam abstractus et instructus jam non videtur indigere ductu, qui etiam aliorum doctor efficitur. *Et* peccator jam justus effectus, respiciendo profunditatem peccatorum suorum de qua erutus est, *ad se reversus* dicit, affirmans quod prius de se sperare non præsumebat : *Nunc scio vere quia misit Dominus angelum suum*, et misericordiam suam, *et eripuit me* indignum *de manu* B *Herodis*, id est diaboli, *et de omni exspectatione* dæmoniorum. Sic itaque, fratres mei, confiteatur et benedicat Dominum, qui jam novit se esse erutum, per misericordiam Dei, de pristina consuetudine peccatorum suorum. Qui vero adhuc in carcere peccatorum suorum dormit, angelum salutaris admonitionis exaudiat, et a peccatis suis cito resurgat, zona castitatis lumbos præcingat, pedes affectuum ab inhærentia terrenorum prohibeat, vestimento charitatis cæterarumque virtutum sese muniat, operibus misericordiæ peccata sua redimat, quatenus a carcere, a vinculis, a gemina diaboli custodia, a porta ferrea consuetudinis, liber evadens, viam justitiæ, de cætero sequatur, et Domini misericordiam, et nunc et in æternum benedicat et confiteatur, largiente Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

C

XXIII.

IN EODEM FESTO.

Venit Jesus in partes Cæsareæ Philippi, et interrogabat discipulos suos (*Matth.* XVI), et reliqua. In hac sancti Evangelii lectione, fratres charissimi, quinque facit Dominus et Redemptor noster. Primo enim, venit in partes Cæsareæ Philippi. Secundo, ibi quærit et audit quis ab hominibus diceretur. Tertio, quærit et audit quis a discipulis crederetur. Quarto, responsionem Petri commendat. Quinto, eam remunerat. Requisiturus igitur Dominus a discipulis suis fidei suæ confessionem, primo eos ducit in partes D Cæsareæ Philippi (quæ est civitas quam statuit Philippus ad honorem Tiberii Cæsaris), ubi tradunt antiquis regibus tributa solitum esse persolvi. Et bene Dominus hoc in has partes maxime peragere voluit, ut videlicet in eo loco in quo terrenus rex tributa quondam exigebat a subditis suis, nunc Rex cœlestis tributum confessionis exigeret a discipulis suis. Cui congruit et nomen, Philippus enim *os lampadis* interpretatur. « Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem (*Rom.* X). » In quo ostendit Dominus a terreno rege se in hoc distare, quoniam cum terrenus rex exigat a suis tributum metalli, ipse a suis non exigit nisi tributum puræ confessionis. Unde ipse ait: « Qui me confessus fuerit coram hominibus, con-

fitebor et ego eum coram Patre meo (*Matth.* VIII; *Luc* XII). » Quæ quidem confessio tunc est pura, quando in confessione Dei fit cordis, oris et operis consonantia. Alia non est puritas nec integritas confessionis, et fassio tantum, non confessio, potest dici. Secundo, quærit Dominus cujus opinionis apud homines habeatur, cum dicit : *Quem dicunt homines esse Filium hominis?* Non quod hoc nesciret, qui omnia novit, sed ut relinqueret nobis exemplum vicem suam in Ecclesia tenentibus, ut similiter a familiaribus nostris quæramus, cujus famæ apud homines habeamur. Et quare hoc? quia solemus dum nobis nimis indulgemus, vitia nostra ignorare. Innatum quippe est omni ingenio, ut melius aliena quam sua dijudicet. In nostris enim dijudicandis nimio affectu impedimur. Placet siquidem simiæ simiolus suus, quamvis sit turpis; placet et corvo vox sua, quamvis sit rauca. Placent et nobis vitia nostra, quamvis sint fœda et aliis displiceant. Proinde, fratres mei, submittamus judicium vitæ nostræ non adulatoribus, qui nesciunt dicere vera, sed grata, sed familiaribus morum censoribus, et adjuremus eos, ut quales vel ab hominibus, vel ab eis æstimemur, nobis non taceant, et si famæ bonæ nos esse audierimus, totum Dei gratiæ, non nobis deputemus, et esse tales quales dicimur laboremus. Si autem in aliquo nos notari audierimus, vitam nostram in melius emendemus, et non solum vitia, sed etiam vitiorum umbras fugiamus, ut scilicet tanta sanctitas in nobis effulgeat, quæ omnem infamiam detergat, et ora maledicentium claudat. *Quem dicunt*, inquit, *homines esse Filium hominis?* In quo quærendum est, fratres mei, quare Redemptor noster se non Christum, non Jesum, sed potius Filium hominis frequenter appellet. Quod facit utique triplici de causa, ut quantum pro nobis se humiliaverit, nobis in memoriam reducat, ut contra Manichæos se veram humanitatem habere frequenter dicat, ut nos exemplo sui de nobis humiliora et sentire et loqui commoneat. Ecce Filius Dei se esse Filium Dei tacet, sed se esse Filium hominis frequentat. In quo, fratres mei, confundit superbiam nostram, qui minores parentes nostros fateri erubescimus, et ditiores semper memoramus, et more muli proverbialis, interrogati quis fuerit pater noster, asinum fateri erubescimus, sed equum nostrum fuisse avum jactitamus. Porro in quod respondetur, *alii Joannem Baptistam, alii vero Eliam, alii vero Jeremiam, alii unum ex prophetis*, ostenditur opiniones populi fere semper dissonare, et a veritate discrepare. Unde, fratres mei, non facile rumoribus populi aurem credulitatis dare debemus, ne si forte rumorem popularem affirmemus, re aliter reperta, ipsi mendaces inveniamur. Tertio vero quærit Dominus a discipulis suis quem eum esse dicant. Quod quidem facit triplici de causa, ut in sui confessione eos promereri faciat, ut a fide eos corroboret, ut eorum confessionem audet et remuneret, *Vos autem*, inquit, *quem me dicitis?* In quo notandum est cum superius dixiset, *quem dicunt homines esse Filium hominis*, hic ait : *Vos autem quem me esse dicitis?* ac si discipuli homines non essent. In quo innuit, fratres mei, quod homines erant, qui de Christo tantum humanitus sapiebant. Non autem homines, sed dii erant, qui de eo divinitus sapiebant. Homines erant, qui humanitatem fatebantur quam videbant. Spirituales et divini erant, qui divinitatem fatebantur quam non videbant. Nos quoque, fratres mei, quando tantum quæ carnis sunt sapimus, carnales et animales sumus. Porro Petrus Domino respondet pro omnibus, quoniam conveniens est, ut prior omnium, prius omnium, et pro omnibus loquatur : *Tu es*, inquit *Christus Filius Dei vivi*. Sub breviloquio omnia complectitur Petrus. Confitetur autem non solum Filium, sed etiam Patrem et Spiritum sanctum, divinam quoque naturam et nomen. Patrem confitetur, dum Filium nominat. In nomine etiam Christi, id est uncti; et ungentem Patrem, et unctionem Spiritum sanctum significat. Divinam Christi naturam astruit, dum eum Filium Dei dicit. Humanam quoque innuit, dum eum Christum, id est unctum, appellat. Secundum enim humanitatem ungi potuit. Nomen etiam non tacet, dum Christum, id est Messiam, in lege promissum eum vocat. Adjungit etiam *vivi*, ad distinctionem eorum quos gentiles ex mortuis deos æstimaverunt, vel de insensata materia construxerunt. Dicitur quippe Deus tripliciter, natura, ut Christus; adoptione, ut sancti; æstimatione, ut Jupiter. Nos ergo, fratres mei, a Petro edocti, Christum Filium Dei vivi firmiter confiteamur, ut per hanc confessionem cum Petro adoptionem divinitatis mereamur, et auctoritatem divinitatis creaturæ summopere fugiamus. Quarto commendat Dominus responsionem Petri cum dicit : *Beatus es, Simon Bar-Jona*, id est fili Joannis, subaudis in hac confessionis veritate, nec tamen hanc confessionem habes ex te. Unde et subdit : *Quia caro et sanguis non revelavit tibi*, id est, natura carnis et sanguinis, vel quislibet carnalis homo, non revelavit tibi. Ac si dicat : Non ex te, nec ex alio homine hoc habuisti, *sed Pater*, inquit, *meus qui est in cœlis, hoc tibi revelavit*. In quo, fratres mei, retunditur quorumdam præsumptio, qui de ingenio suo præsumentes, humano sensu cœlestia conantur investigare, sed isti tales, ut Salomon ait, opprimuntur a gloria (*Prov.* XXV). Propterea errantes, non sicut apostoli a summo Patre inspirati, in unam conveniunt confessionem, sed pro arbitrio suo, diversas opiniunculas faciunt, sicut illi homines qui de Christo sentientes diversa, alii dicebant eum esse Joannem Baptistam, alii Eliam, alii Jeremiam, aut unum ex prophetis. Quinto, remunerat Dominus responsionem Petri quatuor modis, nominis sui denominatione, principatu, virtute perseverantiæ et officio. Nominis sui denominatione Petrum honorat, dum a se Petra eum Petrum appellat. Sicut enim petra firma est, et ædificio apta, et scintillat, et aquam emittit, ita Petrus in confes-

sione fuit firmus, in ædificio Ecclesiæ aptissimus, inscintillas miraculorum emisit, aquam sapientiæ emanavit. Principatu eum remunerat cum subdit : *Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Sicut enim, quamvis solus Christus sit pastor, tamen ab eo denominative Petrus dicitur pastor ; et quamvis solus Christus sit substantialiter Ecclesiæ fundamentum, tamen Petrus cæterique apostoli Ecclesiæ fundamenta dicuntur : ita, quamvis solus Christus sit petra, tamen denominative ab eo Petrus dicitur petra. Porro super Petrum Ecclesia fundata est, quoniam eam portat officio, merito, prædicatione, exemplo, cura et intercessione. Virtute perseverantiæ eum remunerat cum subdit : *Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Portæ inferi dicuntur vel peccata, vel tentationes, vel tormenta, vel mortes. Hæc autem non solum adversus Christum, sed nec etiam adversus Petrum Christi virtute armatum prævalent, quoniam peccata dissolvit, tentationes repellit, tormenta superat, mortem tam animæ quam corporis per utriusque resurrectionem vincit. Et non solum seipsum, sed etiam multos peccatores ab ipsis portis et faucibus inferni trahit. Nec solum ille, fratres mei, sed etiam quicunque fidelis, qui peccatorem aliquem corrigendo, monendo, docendo, a faucibus diaboli eripit, quid aliud quam portas inferi frangit, et vasa captivitatis reducit ? Officio remunerat cum subdit : *Et tibi dabo claves regni cœlorum ; et quodcunque ligaveris super terram erit ligatum et in cœlis ; et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlis.* Porro duæ claves omnibus æqualiter apostolis dantur. Unde et post resurrectionem suam Dominus eis inspirans ait : « Accipite Spiritum sanctum ; quorum remiseritis peccata remittuntur eis (*Joan.* XX), » etc. Hic tamen ad solum Petrum sermo dirigitur, ut ostendatur quia qui unitatem Ecclesiæ non sequitur, a clavibus ligandi atque solvendi privatur. Sunt autem duæ claves, discretio et potestas. Discretione, discernitur qui sunt ligandi vel qui solvendi ; potestate, ligantur ligandi, et solvuntur solvendi. Sed quid dicam hodie, fratres mei, cum multi sacerdotum careant discretione, et multi eorum qui discretionem habent abutantur ligandi atque solvendi potestate? Hi enim (unde dolendum est) qui sint ligandi, vel qui solvendi nesciunt. Illi, et si sciunt, odio vel amore ligant solvendum, vel solvunt ligandum. Sed qui injuste solvit vel ligat, a potestate ligandi vel solvendi se privat. Unus est enim invisibilis sacerdos, qui solus baptizat, solus absolvit et ligat. Ministri vero ejus, solo ministerio, non auctoritate aliqua solvunt vel ligant, id est solutos vel ligatos esse ostendunt. Unde et in Levitico, leprosi jubentur ostendere se sacerdotibus (*Lev.* XIV) ; quos illi quidem leprosos vel mundos non faciunt, sed leprosos vel mundos esse discernunt. Solus quoque Dominus Lazarum in monumento suscitavit, et suscitatum a discipulis solvi præcepit (*Joan.* XII), non ut suscitarent, sed ut suscitatum demonstrarent. Cum autem sacerdos vel discretione caret, vel injuste solvit, vel ligat, non solvitur ille quem Deus ligat, nec ligatur ille quem Deus solvit. Sed tamen sententia pastoris vel justa vel injusta timenda est, ne si eam contemnas, ex ipso contemptu ligandus fias. Oremus igitur, fratres mei, Petrum pastorem animarum nostrarum, ut ipse nobis meritis et precibus suis, absolutionem a peccatis nostris mereatur, officio largiatur, cura sua nos a diabolo tueatur, regimine suo nos regat, et ducat nos ad pascua viriditatis æternæ, ipso largiente Deo et Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Vita divi Petri apostolorum principis per divum Hieronymum in lib. De viris illustribus.

Simon Petrus filius Joannis, provinciæ Galilææ, vico Bethsaida, frater Andreæ apostoli, et princeps apostolorum, post episcopatum Antiochensis Ecclesiæ, et prædicationem dispersionis eorum qui de circumcisione crediderant, in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia, et Bithynia, secundo Claudii anno, Romam ad expugnandum Simonem Magum pergit, ibique viginti quinque annis cathedram sacerdotalem tenuit, usque ad ultimum annum Neronis, id est decimum quartum. A quo et affixus cruci, martyrio coronatus est, capite ad terram verso, et in sublime pedibus elevatis, asserens se indignum ut sic crucifigeretur ut Dominus suus. De quo etiam sic Haymo in lib. De rerum Christianarum memoria, loquitur : « Et Petrum et Paulum apostolorum duces et signiferos Judææ, populo Dei, in ipsa urbe Roma, alterum quidem gladio, alterum crucis patibulo condemnat Nero. Et Petrus quidem capite demerso crucifigitur ; quod rogavit, ne Domino videretur adæquari. » Vide Eusebium, lib. II, cap. 25, et Epiph., lib. I, tom. II, contra hæres. ; Dorotheum episcop. in Synopsi.

XXIV.

IN NATALI BEATI PAULI.

Notum vobis facio Evangelium quod evangelizatum est a me, quia non est secundum hominem (*Gal.* I), etc. Multi, fratres mei, non solum gentiles et Judæi, sed etiam, unde magis dolendum est, quidam falsi Christiani, cum audiunt narrationis evangelicæ simplicitatem, putant nihil aliud esse quam humanam adinventionem, vel doctrinam Platonis, vel Ciceronis, et aliorum. Contra quos loquitur Apostolus in lectione quam modo audivimus. Facit autem tria. Primo, dicit Evangelium non esse secundum hominem. Secundo, dicit non ab homine, sed a Deo illud sibi traditum esse. Tertio, demonstrat hoc certa ratione. Dicit itaque : *Notum vobis facio Evangelium quod evangelizatum est a me, quia non est secundum hominem.* Ex hoc, fratres mei, constat quoniam Evangelium non est secundum hominem quoniam supra hominem est. Altitudo enim Evangelii superat omnem humanæ rationis altitudinem Nulla quippe ratio potest attingere ad altitudine Trinitatis cæterorumque mysteriorum, quæ Evangelium præcipit credere, nec ad altitudinem pr miorum quæ præcipit sperare. Humilitas quoqu Evangelii, omnem humanam vincit humilitate Nullus enim homo potest satis admirari, necdu

sequi humilitatem Filii Dei, qui ab altitudine divinæ majestatis tantum se humiliavit ut de muliere formam servi sui acciperet, Deus homini se subderet et ei ministraret, pro servo et a servo suo contumelias, injurias mortemque sustineret. Justitia quoque Evangelii omnem humanam et etiam legatam justitiam superexcellit. Non solum enim homicidium, sed etiam contumeliam et iram damnat. Nec solum malam operationem, sed etiam malam voluntatem damnat. Non etiam solum perjurium prohibet, sed etiam jusjurandum. Inimicos præcipit non solum non odio haberi, sed etiam diligi. Misericordia etiam Evangelii omnem humanam misericordiam excedit. Præcipit enim misereri, non solum miserabilium, sed etiam inimicorum, et compati non solum indigentiæ afflictorum, sed etiam insaniæ perversorum, orare pro persecutoribus et benefacere inimicis. Et quod Evangelium sit supra hominem ex his constat. Quod vero a Deo sit, ex hoc apparet, quoniam ab æterno fuit a Deo Patre præordinatum, a Spiritu sancto per patriarchas præfiguratum, per prophetas prædictum, per angelos nuntiatum, a Filio impletum et promulgatum, et a Spiritu sancto per apostolos ubique prædicatum. Ad quorum probationem accedunt opera virtutum. Pro hac enim fide sancti totum mundum contempserunt, omnia quæ habebant pauperibus erogaverunt, nudi nudum Christum secuti sunt, carnem suam cum vitiis et concupiscentiis crucifixerunt, castitate, charitate cæterisque virtutibus enituerunt, toto desiderio ad cœlestia tetenderunt, contumelias, injurias, tormenta, mortes inhumanas et importabiles fortiter portaverunt, et per hoc ad cœlestia gloriose pervenerunt. Accedunt iterum ad hoc opera miraculorum. Per hanc enim fidem cæci illuminati sunt, dæmoniaci liberati sunt, de paucis panibus, multa hominum millia pasta sunt, infirmi sanati sunt, mortui suscitati sunt, super aquas ambulatum est, ignis ne sanctis noceret exstinctus est, venenum sine læsione bibitum est. Per hanc fidem, serpentes non nocuerunt, feræ obedierunt, aves ministraverunt, elementa paruerunt, inferna patuerunt. Qui ergo Evangelium non credit esse a Deo, sine Deo est.

Sequitur pars secunda, in qua Apostolus dicit Evangelium non ab homine, sed a Deo sibi traditum esse, cum subdit : *Neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem Jesu Christi.* Se neque ministerium prædicandi Evangelium accepisse, neque etiam illud didicisse ab homine dicit Apostolus, sed per revelationem Jesu Christi. Ad officium quippe prædicandi missus est, cum Barnaba, a Spiritu sancto dicente, ut habetur in Actibus apostolorum : « Segregate mihi Paulum et Barnabam in opus ad quod assumpsi eos (*Act.* XIII), » id est ad prædicandum gentibus. Unde et apostoli dicti sunt gentium Paulus et Barnabas, quod ipse Apostolus testatur : « Qui operatus est, inquit, Petro in apostolatum, operatus est et mihi inter gentes, et cognoverunt gratiam quæ data est mihi a Christo (*Gal.* II). » Evangelium vero ipsum didicit per revelationem Jesu Christi, vel quando in via Damasci excæcatus mansit, vel in Damasco tribus diebus in oratione non manducans neque bibens. Unde statim ingressus in synagogas confundebat Judæos, affirmans quoniam hic est Christus. Vel quando raptus est usque ad tertium cœlum, vel quando raptus est in paradisum, et audivit verba quæ non licet homini loqui. Unde certe beatissimus est Paulus qui veritatem Evangelii meruit percipere, non ab interprete, nec ab aliquo mediante, sed ab ipso Evangelii auctore, factus subito in eo perfectus sine mora, sine exercitio, sine labore. Nos vero, fratres, qui veritatem Evangelii ab homine paulatim didicimus, in hoc profecto beati erimus, si eam corde firmiter tenuerimus, si eam etiam inter tormenta constanter confessi fuerimus. Si vero, (quod absit!), verbis Evangelium confitemur, et factis negamus, quid aliud quam voce nos damnamus, similes facti Judæ proditori, qui Christum quem magistrum confitebatur et salutabat, opere prodebat? Sequitur pars tertia, in qua Apostolus demonstrat se non didicisse Evangelium ab homine. Hoc autem demonstrat duobus modis. Primo per tempora et per facta, secundo per jusjurandum. Per tempora et per facta hoc demonstrat cum dicit : *Audistis enim conversationem meam in Judaismo, quoniam supra modum persequebar Ecclesiam Dei, et expugnabam illam, et proficiebam in Judaismo super multos coætaneos meos in genere meo, amplius æmulator existens paternarum mearum traditionum*, etc. Ac si aperte dicat : Ex hoc patet quod ego non didici Evangelium ab homine, nec ante conversionem meam, nec post. Quod nec ante conversionem meam, patet ex factis. Ante enim conversionem meam non sequebar Evangelium, imo persequebar; nec Evangelium discebam, imo expugnabam. Quod vero nec post conversionem meam didicerim Evangelium ab homine, similiter ex factis apparet, quoniam post conversionem meam non abii ad apostolos Christi causa discendi Evangelium ab eis, imo statim abii in Arabiam prædicare Evangelium, et postquam eum ibi prædicavi, redii Damascum, et ibi prædicavi. Hoc autem dicit his verbis : *Cum autem complacuit illi qui me segregavit*, id est abstraxit *ab utero matris meæ*, vel segregavit de fovea nativæ incredulitatis, *et vocavit per gratiam suam, ut revelaret Filium suum in me, ut evangelizarem eum in gentibus, continuo non acquievi carni et sanguini*, id est consilio generis mei carnalium hominum. In Græco apertius habetur, videlicet, *non contuli cum carne et sanguine*, id est cum homine Evangelium. Quod apertius dicitur cum subditur : *Nec abii ad antecessores meos apostolos, sed abii in Arabiam, et inde reversus sum Damascum.* Porro in his verbis ponit Apostolus tres causas vocationis suæ. Primam ponit, cum dicit, *cum autem complacuit illi*, et cum subjungit, *et vocavit per gratiam suam.* Ac ei aperte dicat : Non propter merita mea quæ non erant nisi mala, sed tantum propter bene-

placitum suum et gratiam suam vocavit me, in quo, fratres mei, dat exemplum nobis, ut idem sentiamus de nobis. Secundam ponit causam, cum ait : *Ut revelaret Filium suum in me*, id est Filii sui misericordiam. Propter hoc enim vocavit Dominus Paulum et Magdalenam, et hujusmodi criminosas personas, ut in his demonstraret superexcellentem Filii sui misericordiam, qui venit in hoc mundo quærere peccatores quos salvaret. Ac si dicat : Propter hoc, me magnum peccatorem vocavit Deus, ut in me demonstraret quod nullus quantuscunque peccator de misericordia Dei debeat desperare. In quo, fratres mei, nobis peccatoribus dat exemplum culpas nostras semper accusandi et Dei misericordiam semper prædicandi. Tertiam causam ponit, cum subdit : *Ut evangelizarem eum in gentibus*. Propter hoc enim vocavit eum Deus (ut ipse ait Ananiæ), ut ipse portaret nomen ejus coram gentibus, et regibus, et filiis Israel. Sane propter has tres causas, non solum Paulum, sed etiam nos quoslibet peccatores quotidie Deus vocat. Vocat enim nos Deus, fratres charissimi, propter beneplacitum suum tantum; vocat nos, ut magnam misericordiam suam in nobis revelet; vocat nos, ut immensam ejus semper et ubique prædicemus bonitatem.

In hoc autem quod ait Apostolus : *Continuo non acquievi carni et sanguini*, ostendit divinæ vocationis circa se velocem efficaciam, quæ tam cito eum de malo bonum, de carnali spiritualem, de insipiente fecit sapientem. Nescit enim moras, sed subito mentem Deus mutat, subito erudit, subito sanat. In quo confutantur illi qui, quando vident aliquem criminosum, de ejus emendatione desperant et dicunt : Quomodo fiet iste bonus, qui tam malus est? Non attendentes quam cito Deus Paulum, quam cito Magdalenam, quam cito latronem mutaverit, et de tam malis tam bonos effecerit. In hoc vero quod Paulus modo conversus statim tam strenue festinat, et vadit et venit ad prædicationem, demonstrat suæ conversationis fervorem. Qui sicut fuerat prius fervidus in persecutione Evangelii, et in damnatione animarum, ita imo magis postea in prædicatione Evangelii, et in lucro animarum fervidus effectus est. In quo, fratres, inde meus et mei similium tepor confunditur, qui, sicut nunquam fui valde fervidus in magna malitia, ita nec in magna bonitate fervidus existo, non attendens quod ait Dominus in Apocalypsi hominibus hujuscemodi : « Utinam, inquit, frigidus aut calidus esses; sed quia nec frigidus nec calidus es, ideo incipio te evomere de ore meo (*Apoc.* III). » Natura quippe hominum fervidæ mentis est, quod quidquid faciunt, sive bonum sive malum, illud fervide faciunt. Et econtra homines tepidæ mentis quidquid faciunt, sive bonum sive malum, illud tepide faciunt. Et quamvis pejor sit mens frigida quam tepida, tamen sæpius et citius mens frigida quam tepida venit ad fervorem. Proinde, fratres mei, teporem nostrum, ne nauseam Deo faciat, excutiamus, et in dilectione Dei et proximi inardescamus, et quidquid boni facimus, cum magnæ dilectionis fervore faciamus. Nam juxta prophetam, « maledictus est qui opus Dei facit negligenter (*Jer.* XLVIII). » *Deinde*, inquit, *post tres annos ivi Hierosolymam videre Petrum, et mansi apud eum diebus quindecim*, non tam scilicet disciturus, quam cum eo collaturus Evangelium. Exemplum dat Paulus visendi Patres et fratres nostros, maxime spirituales, non ut vultus, quantitates et qualitates eorum videamus, sed ut invicem mores, vitam, virtutes, opera et studia consideremus, sed ut de religione et doctrina Christi conferamus, et ut alterutrum in melius ædificemus et proficiamus, et in spirituali gaudio simul collætemur. *Aliorum autem*, inquit, *vidi apostolorum neminem, nisi Jacobum fratrem Domini*. Ac si dicat: Si ab illis apostolis quos vidi, Evangelium non didici, multominus ab illis quos non vidi. Porro Jacobus, frater Domini dictus est, vel quia expressius cæteris sanctitatem ejus imitabatur, unde et ei successit episcopatus Hierosolymorum, vel quia cognatus ejus erat, et ex parte matris, et ex parte patris putativi Joseph. Per jusjurandum demonstrat Apostolus se non didicisse Evangelium ab homine cum subdit : *Quæ scribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior*. Est enim species juramenti. Quasi, *ecce coram Deo*, id est, *teste Deo, loquor vobis, quia non mentior in his quæ vobis scribo*. Sed cum Dominus prohibeat omnino jurare, neque per cœlum, neque per terram, neque per aliquam creaturam, sed, inquit, sit sermo vester : Est, est; Non, non; quidquid enim abundantius his est, a malo est (*Matth.* v) : quid est quod Apostolus jurat? Dominus, fratres mei, quod perfectius est, consulnit, prohibens ne quis quasi bonum appetat juramentum, et assiduitate jurandi labatur in perjurium. Apostolus tamen jurat quasi coactus propter incredulitatem hominum. Ecclesia etiam pro fœdere pacis et fidei suos jurare permittit. Non est tamen juramentum bonum, id est, non est appetendum quasi bonum, tamen non est malum, quando est necessarium. Verumtamen semper a malo est, id est ab incredulitate eorum qui jurare faciunt. Debet autem juramentum cum sit, habere tres comites : veritatem, judicium et justitiam. Veritatem, ut ita corde sentiat sicut jurat. Judicium, ut cum discretione, et pro quibus necessarium est jurare, juret. Justitiam, ut propter Deum et justitiam juret. Si veritas non est in juramento, perjurium est, ut quando aliter jurat ore quem sentiat corde, vel quando jurat in verborum calliditate. Deus enim sic accipit, sicut ille cui juratur intelligit. Si vero judicium, id est discretio non sit in juramento, stultum est juramentum. Et si illud quod juratum est facere, sit peccatum criminale, non est faciendum, sed potius stultum juramentum per pœnitentiam corrigendum. Unde scriptum est : « In male promissis rescinde fidem, in turpi vero muta decretum. « Si vero justitia, id est bonus finis, non sit in juramento, dejeramentum id est pravum juramentum potest dici, ut

quando aliquis propter lucrum vel propter favorem, vel odium, vel aliquam aliam temporalem causam jurat. Itaque, fratres mei, grave peccatum est dejeramentum, quia caret recto fine. Gravius vero est stultum juramentum, quia jurat ea quæ non deberet jurare. Gravissimum vero est perjurium, quia jurat falsum pro veritate, et falsitatis Deum testem inducit. Super omnia etiam ista, gravissima est jurandi consuetudo. Qui enim quotidie jurat, frequenter pejerat. Et si tantum peccatum est etiam semel pejerare, quantum crimen est frequenter pejerare? Igitur, fratres, consuetudinem jurandi quasi mortem fugiamus; nec etiam aliquando, nisi pro magna necessitate, et tunc cum timore et reverentia juremus. Alios ad jurandum non compellamus, præcipue illos quos falsum juramentum habere novimus, ne eos in anima occidamus. Et ne ipsi ad juramentum aliquando compellamur, tam veraces omnibus nos exhibeamus quod nostro simplici dicto credatur tanquam juramento. Sit veritas in ore, simplicitas in corde, innocentia in opere, justitia in intentione, Christus in mercede. Quod ipse nobis concedat qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

XXV.

IN FESTO BEATÆ MARIÆ MAGDAELNÆ.

Rogabat Jesum quidam Pharisæus ut manducaret cum illo (*Luc.* VII), et reliqua. Hæc sancti Evangelii lectio quinque pertita est. Primo, invitatus Jesus a Pharisæo recumbit. Secundo, peccatrix pœnitens ad eum accedit. Tertio, murmurat Pharisæus. Quarto, ei respondet Jesus. Quinto, ponitur Pharisæorum remurmuratio, et peccatricis dimissio. Primo igitur, rogatus Dominus a Pharisæo, intrat domum ejus et recumbit. Cæterum alibi præcepit Dominus discipulis, ut venientes in aliquam civitatem interrogarent quis in ea dignus sit, et ibi maneant (*Luc.* X). Cum ergo iste Pharisæus legatur murmurasse contra Dominum, quomodo erat dignus ut Dominus recumberet apud eum? Non erat, fratres, unde dignus, sed ideo Dominus recumbit apud eum, ut eum faciat dignum. Itaque, fratres, Dominus non nisi rogatus apud Pharisæum recumbit, et hac de causa, quia prævideratur se pluribus ibi profuturum, et peccatrici per veniam, et Pharisæis per increpationem, dans nobis exemplum, ut non comedamus cum aliquo nisi rogati, et nisi intentione proficiendi. Nam sunt reprehensibiles, vel qui non rogati veniunt, vel qui solum cibum quærunt. Cum quis ergo nos rogat, ut secum comedamus, si talis est persona cui prodesse valeamus, vel quæ nobis, eamus. Alias non eamus. Imperfectus ergo et rudis convivia et consortia malorum penitus evitet, quia non converteret eos, sed potius subverteretur ab eis. Qui vero est in virtute, rogatus a persecutoribus eat, ut, dum pascitur ab eis corporaliter, pascat eos spiritualiter. Si quis vero obmurmuret, respondeat illud Dominicum : « Non est opus valentibus medico, sed male habentibus (*Matth.* IX). »

Secundo, inducitur peccatrix pœnitens cum subditur : *Et ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit*, etc. In quo consideranda sunt quatuor : Peccatricis magnitudo, occulta provocatio, accelerata conversio, fervens pœnitudo. Peccatrix siquidem hæc magna erat, quæ antonomastice peccatrix dicta est. Unde et hic dicitur : *Mulier, quæ erat in civitate peccatrix.* Non quod nulla alia esset peccatrix, sed quia quælibet peccatrix, in comparatione ejus sancta esset. Unde et Marcus septem dæmonia de ista a Domino fuisse ejecta testatur (*Marc.* XVI; *Luc.* VIII). Septem enim dæmonia Maria habuit quæ universis vitiis plena fuit. Qui enim a libidine possidetur, a spiritu fornicationis possidetur; et qui ab avaritia possidetur, a mammona spiritu avaritiæ possidetur. Et sic de aliis. Quot ergo criminibus quis servit, tot dæmonibus servit. Sed quanto fuit hujus peccatricis iniquitas major, tanto sanctificatio ejus fuit mirabilior, ut de ea specialiter dictum videatur : « Ubi abundavit delictum superabundavit gratia (*Rom.* V). » Hæc peccatoribus in exemplum proponitur, ne propter aliquam criminum enormitatem desperent, sed ad exemplum hujus per pœnitentiam resurgant. Audi, peccator : non tibi proponitur Magdalena in occasionem peccata tua excusandi; ipsa enim non excusavit sua, sed accusavit. Si ergo, tu secutus es peccantem, sequere corrigentem. Fuit quoque vocatio ejus occulta, et ideo magis digna. Non enim per vocem prædicationis, ut Petrus et Andreas, nec per necessitatem, ut Paulus, sed per solam internam inspirationem vocata fuit. Ille enim qui corporaliter apud Simonem erat, Mariam absentem, ut ad se veniret, invisibiliter vocabat et trahebat. Unde non est mirum si eam exterius suscipiebat, qui eam interius advocabat. Fuit etiam conversio ejus accelerata, quia non procrastinavit, non distulit, non exspectavit ut Dominum in loco secreto et tempore libero inveniret, sed mox festinans in domum alienam inter convivas, ad Dominum convivio occupatum erumpit, et medelam quærit. Hæc, fratres mei, nostram condemnat negligentiam, qui, cum simus magnis obvoluti criminibus, tempus pœnitentiæ procrastinamus, exspectamus tempus Quadragesimæ, locum secretum, sacerdotem familiarem, quasi totum tempus vitæ nostræ pœnitentiæ non sit accommodatum; et spatium vitæ nobis promittimus, cum de præsenti hora securi non simus. Inde est quod mors quasi fur in nocte veniens, heu! multos rapit impœnitentes et intestatos. Hujus ergo peccatricis acceleratam conversionem imitemur. Et quia quotidie labimur, quotidie ad medicum animarum nostrarum recurramus. Nunquam dormiamus in peccato, sed semper mortem instantem timeamus. Fuit etiam ejus pœnitentia fervens, quod ostendit, dum *stans retro secus pedes Jesu, lacrymis cœpit rigare pedes ejus, et capillis capitis sui tergebat, et osculabatur pedes ejus, et unguento ungebat.* Dum retro secus pedes Domini stat, se de cætero ejus vestigia secuturam significat. Dum lacrymis pedes

Jesu rigat, compunctionem et fervorem interiorem se non jam ulterius posse celare demonstrat. Nam pensate, fratres mei, quanto ardore intus ardebat, quæ inter epulas flere non erubescebat, quæ inter comedentes et lætantes compungebatur et flebat. Et cum, teste Salomone « melius sit ire ad domum luctus quam ad domum convivii (*Eccle.* VII), quantum hæc intus fervebat, quæ in domum convivii luctum faciebat. Recordabatur quippe quam immoderate peccaverat, et ideo non curavit quam immoderate pœniteret. Quare, fratres mei, non confundunt lacrymæ hujus peccatricis duritiam mentis nostræ, qui non flentes venimus, sed ridentes, qui ad deflendum damna terrena, lacrymas invenimus; ad deflendum vero peccata et spiritualia damna, lacrymas invenire non possumus? Hæc mulier, quia per oculos terrena concupierat, ideo nunc eorum lacrymis pedes Jesu rigabat. Capillos ad decorem corporis nutrierat, et ideo nunc eos in obsequium tergendi pedes domini expendebat. Ore vana et falsa dixerat, et illicita oscula fecerat, et ideo nunc ore pedibus Domini osculadabat. Unguento, ut bene oleret hominibus, sese ungere solebat, nunc unguento pedes Domini ungebat. Quot habuit oblectamenta culpæ, tot habuit nunc sacrificia pœnitentiæ.

Tertio inducitur Pharisæus murmurans et intra se dicens : *Hic si esset propheta, sciret profecto quæ et qualis est mulier quæ tangit eum, quia peccatrix est.* Ac si dicat : Non est propheta iste qui se tangi patitur a peccatrice. Pharisæus iste, fratres mei, sibi justitiam arrogabat, et tamen vere justus non erat. Cum enim omnes virtutes inter se conjunctæ sint, iste veram justitiam non habebat qui consortibus ejus humilitate et charitate carebat. Si enim humilitatem haberet, non aliorum peccata, sed sua judicaret, cum scriptum sit : « Justus prior accusator est sui (*Prov.* XVIII). » Iste autem de falsa justitia superbit et contemnit peccatricem, et judicat Dominum eam suscipientem, in utroque perversus, præsertim cum videret Dominum non nisi humiliatam et plorantem suscepisse. Rursum, si charitatem haberet, et peccatrici per misericordiam compateretur, et Dominum compatientem imitaretur. Ipse autem et contra patientem, et contra compatientem indignatur. Tales sunt hodie quidam, et unde gravius dolendum est, etiam nostri ordinis, qui, cum aliquid exterius boni faciunt, mox minores despiciunt, et, more Pharisæi, a peccatrice tangi refugiunt. Quæ si ad pedes Pharisæi resedisset, calcibus repulsa recederet. Inquinari enim se alienis peccatis opinantur, qui non vera justitia, sed sua replentur. Sed nos, fratres mei, hæc evitantes, quid facere debemus, nisi ut in alienis peccatis lugeamus nos? In similia enim peccata aut lapsi sumus, aut labi possumus. Si lapsi sumus, lapsos non judicemus, sed potius cum eis lugeamus. Si vero in hujusmodi lapsi non fuimus, quia tamen labi possumus, nobismet timeamus.

Quarto respondet Dominus ad cogitationem Pharisæi, inducens paradigma de eo qui minus, et de eo qui plus debebat. Quibus cum creditor dimisisset, interrogat Dominus uter eorum magis diligere deberet. Qui respondit. *Æstimo quia is cui plus donavit. Cui Dominus : Recte judicasti.* Ecce Pharisæus sua sententia constringitur, et quasi phreneticus, fune quem portat, ligatur. Ostendit enim Dominus per hanc parabolam, peccatrici sua peccata esse dimissa, et eam tanto plus in amorem ferventem, quanto de pluribus et majoribus consecuta erat remissionem. Quod plerumque cernimus, fratres mei. Videmus namque aliquos, qui quanto fuerant fervidiores in peccando, tantum fiunt fervidiores in pœnitendo. Et aliquando aliquos qui quanto minus peccaverunt, tanto minus in bono fervidi sunt. Sed quosdam plango, de quorum numero ipse sum, qui, cum multa magnaque crimina perpetraverint, tamen in pœnitendo tepidi sunt, et quasi nihil vel parum delicti commiserint securi sunt. Sed quicunque tales sumus, quid aliud facere debemus, nisi ut quotidie replicemus multitudinem magnitudinemque criminum nostrorum in cordibus nostris, et tormenta eis ulciscendis debita et parata, semper ante oculos nostros habeamus : ut hinc erubescentes, et inde timentes in lacrymis compungamur, et quandiu vivimus nunquam nobis sanctitatem promittamus. Scriptum est enim : « De propitiato peccato noli esse sine metu (*Eccli.* V). » Adaptans autem Dominus inductam parabolam, subjungit : *Vides hanc mulierem?* Probat autem Dominus Pharisæo quod plus a peccatrice, cui multa dimissa erant, diligatur, quam ab eo cui minus dimissum erat. Et hoc per exteriora opera, quæ probatio sunt dilectionis, probat, loquens per antithesim, nunc de hoc, nunc de illa hoc modo : *Intravi in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti*, quod minus est; hæc autem, quod majus est, *lacrymis non cessavit rigare pedes meos. Osculum mihi non dedisti, hæc autem*, quod majus est, *non cessavit osculari pedes meos.* Potuit enim subjungere : Tu spiritualiter me non pavisti; hæc autem spiritualiter me pavit. *Propter quod*, inquit, *dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Ac si aperte dicat : Per suæ dilectionis fervorem decoxit peccatorum suorum pristinam rubiginem. Cavete autem, fratres mei, ne hic intelligatis ideo peccatrici peccata esse dimissa, quod ipsa prædicta opera Christo exhibuit, vel quia eum dilexerit. Non enim dilectio vel exhibitio peccatricis fuit causa Christo quare ei peccata dimitteret, sed econtrario. Non enim ideo quia mulier Christum dilexit et prædicta opera ei exhibuit, Christus ea dimisit, imo quia Christus ei dimisit, illa Christum dilexit, et ei prædicta opera exhibuit. Deus enim sola gratia prævenit peccatorem, conferendo ei gratis et contritionem et peccatorum remissionem. Quod ergo ait, *propter quod* et *quoniam*, non sunt essendi, sed potius intelligendi et sciendi. Est ergo sensus : Ex prædictis enim operi-

bus potes intelligere et quia dilexit multum, et quia peccata sunt ei dimissa.

Quinto loco, sequitur remurmuratio Pharisæorum, qui, cum viderint cogitationes suas divino nutu deprehensas et confutatas, non erubescunt; nec dant honorem Deo, sed adhuc malum cogitant, dicentes : *Quis est hic qui etiam peccata dimittit?* Sed Dominus eos tanquam responsione indignos prætermittens, causam absolutionis peccatricis subdit dicens illi : *Fides tua te salvam fecit.* Sed si fides sua eam salvam fecit, quomodo sola gratia? Quoniam etiam ipsa fides gratia est. Non enim credidisset, nisi divina gratia ei inspirasset. Quid autem post absolutionem agere debeat, ostenditur cum ei dicitur : « *Vade in pace*, hoc est quod alii peccatrici dicitur : Vade, et amplius noli peccare (*Joan.* VIII). » In pace ire præcipitur, ut viam non scandali, sed rectitudinis sequatur. Non enim prosunt lamenta, si replicentur peccata.

Exemplum ergo, fratres charissimi, hujus peccatricis sequamur, pœnitentiam non procrastinemus, sed propere convertamur. Si fuerit vespera, non exspectemus mane ; et si fuerit mane, non exspectemus vesperam, sed quam cito cum lacrymis compunctionis et unguento devotionis ad medicum animarum curramus, secus pedes ejus resideamus per humilitatem, et retro, non ante, per conscientiæ pudorem, inter convivantes et lætantes flere discamus, et dum peccata nostra ploramus, ultima Christi membra, id est, pauperes beneficio compassionis rigemus, superfluitate nostrorum scilicet bonorum temporalium, eis serviamus, osculum fraternæ dilectionis eis porrigamus, ut videlicet eos quibus eleemosynam facimus, fraterno amore diligamus, odore et opinione nostræ devotionis eos, imo et totam Ecclesiam respergamus et delectemur, quatenus perfectam peccatorum nostrorum veniam consequi et viam pacis de cætero sequi mereamur, largiente Deo et Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

De sancta Maria Magdalena. Ex Sedulio.

Post Dominus, Pharisæa petens convivia cœnæ,
Orantis dapibus sese impertivit amici.
Tunc mulier, quam fama nocens et plurima vitæ
Mordebant delicta suæ clementia supplex
Corruit amplectens vestigia, quæque profusis
Irrigat incumbens lacrymis, et crine soluto,
Tergere nec sacras, nec cessat lambere plantas.
Unguento fragrante fovens sententia, donec
Læta Dei, quem ferre manum non pœnitet unquam,
Si nos pœniteat veterem quæsisse ruinam :
Vade, fides, mulier, tua te salvavit ab omni
Dixisset quodcunque malo gessisse videris.
Utere pace mea. Magna est medicina fateri
Quod nocet abscondi. Quoniam sua vulnera nutrit,
Qui tegit, et plagam trepidat nudare medenti.
Ea polluta diu, modicum purgata recessit
Per gemitum, propriique lavans se gurgite fletus
Munda suis lacrymis redit, et detersa capillis.

De sancta Maria Magdalena.

Magdalena, relicta sorore cæterisque collem præruptum, haud amplius duobus passuum millibus procul Aquensium oppido conscendit, nunquam postea digressura, ibique in antro obscuritate quidem sua horribili, sed horrore ipsa venerabili, annos triginta orans, ac cœlestia jugiter animo versans, absque ullo cibo quem mortales suggesserint, transegit. Cæterum angelico ministerio alebatur, visebaturque cœlo affatim id supplente, quo se, ne mundo deberet, abdicaverat. Nam eam deinceps vidit nemo mortalium, præter episcopum Maximinum, qui illam semel Dominici corporis ministrandi gratia, cum proxima fato jam esset, oraculo monitus adiit. De Magdalena ita inquit Franciscus Petrarcha : Fecit idem Maria post peccatum. Non enim in populis longum conspici, aut habitare in palatiis elegit, sed patriam fugiens, in has terras velut in orbem alterum delata, perseveranter latuit hic in finem, et pro domo habuit nudam et concavam illam rupem, quam vidisse te arbitror; neque enim procul hinc abest, et locus est sacro quodam horrore venerabilis, ac visitari de longinquo etiam non indignus, ubi et sæpe me fuisse, et tres olim noctes totidemque dies, non sine voluptate alia, quam quæ in urbibus capi solet, exegisse memini. Illic dulcis ac felix Christi hospita non ornantium servitio puellarum, sed obsequentium ministerio angelorum vivens ac moriens usa est. At nihil tale fecit Martha soror, dicat aliquis, et tamen sancta est. Non inficior id quidem, sed certe multo sanctior Maria quæ id fecit. Hæc Petrarcha, qui et plurimum devotus huic sanctissimæ fuit, in cujus honorem et carmina quædam sepulcro ipsius fecit appendi, quæ tam subscribere haud indignum duximus. Sic enim incipiunt:

Dulcis amica Dei, lacrymis inflectere nostris
Atque meas intende preces, nostræque saluti
Consule, namque potes; neque enim tibi tangere frustra
Permissum, gemituque pedes perfundere sacros,
Et nitidis siccare comis, ferre oscula plantis,
Inque caput Domini pretiosos spargere odores.
Nec tibi congressus primos a morte resurgens,
Et voces audire suas, et membra videre,
Immortale decus, lumenque habitura per ævum,
Ne quidquam dedit æthere rex Christus olympi.
Viderat ille cruci hærentem, nec dira paventem
Judaicæ tormenta manus, turbæque furentis.
Jurgia, et insultus æquantes verbera linguas,
Sed mœstam intrepidamque simul, digitisque cruentos
Tractantem clavos, implentem vulnera fletu,
Pectora tundentem violentis candida pugnis,
Vellentem flavos manibus sine more capillos.
Viderat hæc, inquam, dum pectora fida suorum
Diffugerent pellente metu, memor ergo revisit
Te primam ante alios, tibi se prius obtulit uni,
Te quoque digressus terris, et ad astra reversus,
Bis tria lustra cibi nunquam mortalis egenten
Rupe sub hac aluit, tam longo tempore solis
Divinis contenta epulis, et rore salubri.
Hæc domus antra tibi stillantibus humida saxis
Horrifico tenebrosa situ, tecta aurea regum,
Delicias omnes, ac ditia vicerat arva.
Hic inclusa libens longis vestita capillis,
Veste carens alia ter denos passa Decembres
Diceris, hic non fracta gelu, nec victa pavore
Namque famem, frigus, durum quoque saxa cubile,
Dulcia fecit amor, spesque alto pectore fixa.
Hic hominum non visa oculis, stipata caternis
Angelicis, septemque die subvecta per horas,
Cœlestes audire choros, alterna canentes
Carmina, corporeo de carcere digna fuisti.

XXVI.

IN FESTO BEATI JACOBI APOSTOLI.

Accessit ad Jesum mater filiorum Zebedæi, adorans eum, et petens aliquid ab eo (*Matth.* XX). Tripartita est hæc lectio, fratres charissimi. Primo, postulat a

Domino mater filiorum Zebedæi; secundo, respondet ei Dominus increpando; tertio, erudiendo. Filii siquidem Zebedæi, Jacobus et Joannes, audierant Dominum venturum in regno suo, et sessurum in majestate sua, et ideo tanquam adhuc carnales, capti dulcedine regnandi, per intercessionem matris suæ, quam Domini materteram et familiarem noverant, voluerunt sibi vindicare, ut Christo ad dexteram et ad sinistram collaterales sederent. Et hoc præ cæteris se consequi æstimabant, quia Christi erant familiariores, et quia in quibusdam erant cum Petro privilegiati, ut in transfiguratione et in quibusdam aliis secretis. Quorum petitio, quamvis esset indiscreta, tamen in hoc dederunt nobis exemplum, ut, quando aliquid a Domino postulamus, per intercessionem eorum quos scimus Deo placere, postulemus. Quando enim displicens et ingrata persona aliquid postulat, non illum flectit, imo potius eum exacerbat. Et si quis reus nos exoret ut apud regem pro eo intercedamus, dicere solemus : « Pro te intercedere apud regem nequeo, quia ejus familiaritatem non habeo. » Nos ergo, fratres, veniam peccatorum nostrorum per intercessionem Deo placentium, tam vivorum quam defunctorum, postulemus, ut qui de meritis nostris displicemus, eorum meritis adjuvemur. Quos ergo novimus per sanctimoniam meritorum Deo familiariores, illos potius colamus, veneremur et flagitemus. Ipsa autem mater, postulatura pro filiis, prudenter egit. Primo enim, accessit; post, adoravit; deinde, petiit aliquid. In quo nos exemplo suo instruit, ut, quando volumus a Deo postulare, primo fide et moribus Deo accedamus, ut hemorroissa. Secundo, adoremus, nos tanquam indignos humiliantes, et de sola Dei gratia præsumentes, ut humilis publicanus. Tertio, aliquid petamus. Non petamus temporalia, non petamus mortem inimicorum nostrorum, non petamus vana; quæ cum apostoli postulassent, audierunt : « Usque modo non petistis quidquam in nomine meo (*Joan.* XVI), » sed petamus in nomine Jesu, id est Salvatoris, salutem. Hanc enim petere, est aliquid petere. Petamus igitur « primum regnum Dei et justitiam ejus, et cætera adjicientur nobis (*Matth.* VI). » Interrogat autem Dominus matrem quid vellet, non quin sciat; sed ut ei consequenter respondeat. *Dic*, inquit, *ut hi duo filii mei sedeant unus ad dexteram, et alius ad sinistram in regno tuo.* Hæc mulier, fratres mei, habuit magnam fidem, et prudentem pietatem. Fidem quippe magnam habuit, cum illum quem in mundo possidere nihil cernebat, regem æternitatis credidit. Fidem magnam habuit, cum ei non fac, sed dic tantum dicit, sciens procul dubio quod dicere Dei est facere, « quoniam ipse dixit, et facta sunt (*Psal.* XXXII). » Prudentem quoque pietatem habuit, quæ filiis non opes, non possessiones terrenas, sed regnum æternum postulavit. Hanc matrem nostræ maresfamilias imitentur, ut perfecta fide et prudenti pietate, filiis suis, non divitias, non honores, non glorias vanas postulent, quæ fuerunt multis causa perditionis, sed regnum æternum. Non exhæredent, ut multi hodie faciunt alios, ut filios suos hæredent, non damnant animas suas, ut filios suos in hoc mundo locupletent, sed potius orationibus, oblationibus et eleemosynis, filiis suis divinam mereantur hæreditatem; imitantes illam egregiam matronam Paulam, quæ, cum omnia erogando pauperibus spoliaret filios suos, dicebat : « Non possum majorem hæreditatem acquirere filiis meis quam Dei misericordiam. » Secundo, respondet eis Dominus per increpationem, cum subdit : *Nescitis quid petatis.* Respondet autem hic Dominus non singulariter matri, sed filiis quorum instinctu postulabat. Illi autem bonum petebant, sed indiscrete. Indiscretionem quippe habuerunt in quinque. Primo, in persona a qua postulabant, quoniam Dominum esse personarum acceptorem putabant. Personarum enim acceptor esset, si cognatos suos ob sanguinis amorem sublimaret, et remotos despiceret, si Judæos ob solam propinquitatem diligeret, et alienas gentes reprobaret. Sed, ut ait Petrus : « Non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente qui timet Deum et operatur justitiam, acceptus est illi (*Act.* X). » Secundo, in ordine petendi indiscretionem habuerunt, dum præmium ante meritum, messem ante seminationem, requiem ante laborem, regnum ante militiam, triumphum ante prælium postulabant.

Tertio in re postulata indiscretionem habuerunt, dum alterum ad dexteram Domini, et alterum ad sinistram sessurum postulabant, cum omnes electi ad dextram sint statuendi. Quarto, in nimietate petiti indiscretionem habuerunt, qui cæteros apostolos, quos non præibant probitate, honore præcellere satagebant; quod et sequentia ostendunt, dum audientes decem, indignati sunt de duobus fratribus. Quinto, in modo petendi indiscretionem habuerunt, dum non per humilitatem, sed per ambitionem regnum cœleste postulabant. Unde et in sequentibus audiunt : *Reges gentium dominantur eorum. Vos autem non sic. Sed qui major est, fiat sicut junior; et qui præcessor est, sicut qui ministrat.*

Nos ergo, fratres mei, cum postulamus aliquid a Domino, cum discretione postulemus. Petamus confidentes, non ex hoc quod sumus ministri Dei, vel quod videmur aliquid esse in hoc sæculo, sed ex sola Dei misericordia. « Deus enim personarum acceptor non est. » Petamus ordinate, ut scilicet prius donet nobis facere mandata sua, et postea consequi præmia sua. Petamus etiam quod conveniens est nos petere, et quod per Scripturas scimus Deum sanctis suis daturum. Petamus moderate, rogantes scilicet quod nos faciat Deus, non majores in regno suo, sed vel ultimos. Petamus etiam non cum ambitione, sed cum humilitate. Non enim per ambitionem, sed per humilitatem pervenitur ad regnum cœlorum. Tertio, eradit nos Dominus, quibus regnum Dei sit dandum,

cum subdit : *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum.* Per calicem quo infirmus bibere solet amaritudinem, significat Dominus suam passionem. Ac si aperte dicat : Vultis venire ad regni honorem? Prius exemplo mei bibite passionem. Nam per potum amaritudinis pervenitur ad gaudium salutis. Si vultis venire ad culmen, honoris prius vos exerceat via laboris. Qui cum fiducialiter responderent : *Possumus*, ait illis : *Calicem quidem meum bibetis*, subaudi, et illum bibendo regnum consequemini. Sed cum Joannes in pace vitam finierit, patet quia non solum sanguine, sed etiam abstinentia, continentia, labore et compassione martyrium obtinetur. Propterea, fratres mei, discamus crucifigere carnem nostram cum vitiis et concupiscentiis. Qui enim carnalia desideria in se crucifigit, martyrii corona non carebit. *Sedere autem*, inquit, *ad dexteram meam vel ad sinistram, non est meum dare vobis*, subaudis, nunc scilicet ante laborem. Vel, *non est meum dare vobis*, subaudis, talibus, scilicet ambitiosis et vanis. Vel, *non est meum dare vobis*, hac scilicet ex causa, qui cognati et sanguinei mei est, cum non sim acceptor personarum. In quo, fratres mei, condemnat prælatos sanctæ Ecclesiæ, qui in ecclesiasticis dignitatibus et administrationibus dandis, non pensant meritum, sed sanguinem. Non quærunt Dei honorem, nec animarum utilitatem, sed honorare carnem suam. Quod quia Heli fecit, redarguitur, et damnatur a Domino dicente : « Quia, inquit, honorasti filios tuos magis quam me (*I Reg.* II), » etc. Ecce hodie prælati nostri, quidquid locum Christi tenent, et non exemplum, si veniat mater vel matertera cum duobus parvulis suis petens eis honores ecclesiasticos, non dubitant conferre uni decanatum, et alteri archidiaconatum, postpositis senioribus, religiosis et discretis, non attendentes quod Dominus, non Jacobum, non Joannem, quamvis sancti et prudentes essent, noluit statuere principes super apostolos, ne videretur juniorem præferre seniori, vel cognatum alieno. Ipse quoque dicenti : « Ecce mater tua, et fratres tui foris stant, quærentes alloqui te (*Matth.* XII), » ait : « Quæ est mater mea, et qui sunt fratres mei? Quicunque, inquit, fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse mihi frater, soror et mater est (*ibid.*). » Dans exemplum ne quis in causa Dominica agnoscat vultum amici vel cognati, sed tantum Dei voluntatem et Ecclesiæ utilitatem. Ecce hic Dominus duobus consanguineis et amicissimis suis ait : *Sedere ad dexteram meam vel ad sinistram non est meum* (qui acceptor personarum non sum), *dare vobis* cognatis et amicis meis, præsertim adhuc elatis et ambitiosis, *sed quibus paratum est a Patre meo.* Dominus enim Pater paravit regnum suum, ut daretur non familiaribus, non cognatis indignis, sed quibuslibet dignis, de quacunque lingua et natione sint. Nos ergo, fratres mei, non per ambitionem et elationem quæramus regnum cœlorum, sed per humilitatem, patientiam, laborem, abstinentiam, continentiam, charitatem, et per opera charitatis et misericordiæ. Non enim pigris et somnolentis datur regnum cœlorum, sed laborantibus. « Neque omnis qui dicit : Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis est (*Matth.* VII; *Luc.* III). » Propterea, fratres, voluntatem Dei semper inquiramus, et eam pro posse nostro semper faciamus, petentes primo ut Deus det nobis suam facere voluntatem, deinde statuat nos vel ultimos in regno suo. Quod ipse præstare dignetur, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Vita divi Jacobi apostoli fratris Joannis evangelistæ, per Eusebium Cæsariensem scripta (9).

Tempore Claudii imperatoris, quando fames erat, misit (inquit Lucas in Actis apostolorum) Herodes rex manus suas affligere aliquos de Ecclesia, et interfecit Jacobum fratrem Joannis gladio (*Act.* XII). De hoc autem Jacobo Clemens Alexandrinus etiam historiam quamdam, dignam memoria, in septimo Dispositionum suarum libro scribit, perlatam ad se usque, ex traditione majorum. « Quoniam quidem, inquit, et is qui obtulerat eum judici ad martyrium, Jacobum scilicet, motus etiam ipse confessus est se esse Christianum, ducti sunt, inquit, ambo pariter ad supplicium, et cum ducerentur, in via rogavit Jacobum dare sibi remissionem. At ille parumper deliberans : « Pax tibi, » inquit; et osculatus est eum, et ita ambo simul capite plexi sunt. »

Vita ejusdem per Isidorum.

Jacobus, qui interpretatur *supplantator*, filius Zebedæi, frater Joannis, quartus in ordine duodecim tribubus, quæ sunt in dispersione gentium, atque Hispaniæ et Occidentalibus locis Evangelium prædicavit, et in occasu mundi, luce prædicationis effulsit. Hic in marinarica Achaiæ ab Herode tetrarcha gladio cæsus occubuit, ibidemque sepultus.

XXVII.

IN TRANSFIGURATIONE DOMINI. SERMO DE EPISTOLA BEATI PETRI, QUÆ LEGITUR IN EODEM FESTO.

Dabo opera et frequenter habere vos post obitum meum, ut horum memoriam faciatis (*II Petr.* I), etc. Lectio ista, fratres charissimi, quadripartita est. Primo enim, ostendit Petrus quantam habet operam in profectu filiorum. Secundo, ostendit doctrinam suam talem et tantam esse, cujus memores esse debeant. Tertio, ejus veritatem astruit, et apostolico et prophetico testimonio. Quarto, commendat scripturam prophetarum. Ostendit igitur primo quantam sollicitudinem habeat in profectu animarum sibi commissarum, quando dicit se daturum operam et frequenter, ut sic eis intimet evangelicam doctrinam, ut eam post obitum suum in memoria habeant. Instruxit quippe eos viva voce; instruxit eos Epistolarum delegatione; instruxit eos bono exemplo vitæ suæ. Et illi, ut bonæ oves, auditorum memores exstiterunt. Nos quoque, fratres mei, qui vicem Petri in Ecclesia gerimus, quoad possumus, vestigia ejus sequi debemus, ut scilicet solliciti simus instructione animarum nobis commissarum, et eis intimemus evangelicam doctrinam; et si non possumus san-

(9) Euseb. lib. II, cap. 9, Histor. eccles.

guine et martyrio, ut Petrus, tamen exemplo et verbo. Hæc enim duo necesse est habere omnem pastorem; et qui non habet, verus pastor non est. Nec enim sufficit exemplum sine verbo. Unde Heli, quamvis, quantum ad se, recte viveret, tamen, quia non bene correxit filios suos, reprobatur (*I Reg.* II). Unde Dominus per prophetam : « Si fecerit vir iniquitatem, et tu non annuntiaveris ei, ut convertatur a via sua mala, ipse quidem in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram (*Ezech.* III). » Rursus non sufficit verbum sine exemplo. Unde Dominus per prophetam, « cum ipsi limpidissimam aquam biberetis, reliquam pedibus vestris conculcabatis, et oves vestræ, turbatam aquam pedibus vestris bibebant (*Ezech.* XXXIV). » Porro pastores aquam limpidam bibunt, cum sanam doctrinam et intelligunt et prædicant. Reliquam pedibus conculcant, cum male vivendo prædicationem suam fœdant. Oves aquam turbatam bibunt, quando non auditam prædicationem, sed malæ vitæ exemplum trahunt. Sed, fratres mei, dum vitam nostram et vitam subditorum conspicio, raros (unde dolendum est) veros prædicatores et raras veras oves invenio. Hodierni enim pastores, nec Scripturarum ipsi memores sunt, nec alios memores faciunt. Contempta enim cura animarum, temporalibus lucris intendunt, et se nec fine nec opere pastores, sed mercenarios esse ostendunt; fine pastores non sunt, quia quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi quærunt. Num enim hodie prælationes in Ecclesia, non ut prosint animabus, sed ut ipsi sublimentur, honorentur et delectentur? Non quærunt in qua Ecclesia possint plus animabus proficere, sed in qua plus possint aggregare, et quam magis possint vendere. Opere pastores se non esse demonstrant, dum nec exemplo, nec verbo oves pascere curant, sed se oblationibus eorum impinguant. Unde propheta : « Væ pastoribus Israel, qui pascunt semetipsos! Nonne greges pascuntur a pastoribus? lac comedebatis; et lana operiebamini. Quod crassum erat occidistis, quod infirmum fuit non consolidastis, quod ægrotum non sanastis, quod fractum non alligastis; quod abjectum non reduxistis, quod perierat non requisistis, sed cum austeritate imperabatis et cum potentia. Et dispersæ sunt oves meæ, eo quod non esset pastor, et factæ sunt in devorationem bestiarum agri. Propterea, pastores, audite verbum Domini : « Ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum (*Ezech.* XXXIV). » Ecce, fratres, sicut legimus, ita hodie videmus. Quod crassum est, malo exemplo perdimus. Quod infirmum est peccatis, consilio non sanamus. Quod fractum est tribulationibus, admonitione non consolidamus. Quod erroneum, non revocamus. Quod desperatione perditum est, non requirimus. Cadit asinus, et est qui sublevet; perit anima et non est qui curet. Quomodo est pastor quem plus tangit infirmitas porci, vel asinæ suæ, quam animæ Christianæ? Si hoc faciunt pastores, quid faciunt oves? Certe non est mirum, si dolente capite doleant et membra. Ovium est audire et obedire. Sed hodie malæ oves, pastores suos audire nolunt; et modo aiunt : Prædicat sacerdos, ut nummos extorqueat. Sed et si audiunt, auditorum certe memores non sunt; nec volunt obedire pastori suo, sed cum judicare. Quare, inquiunt, quod ipse prædicas, tuipse non facis? « Tu qui prædicas non mœchandum, mœcharis; non furandum, furaris (*Rom.* II). » Quando duo vel tres vadunt ad forum vel ad villam, tunc pastorem suum judicant, mordent et damnant, non attentes illud quod Dominus ait : « Non est discipulus super magistrum (*Luc.* VI). » Et illud : « Quæcunque dixerint vobis servate et facite; secundum vero opera eorum nolite facere (*Matth.* XXIII). » Hi mali filii, maledictionem Cham incurrunt. Cum enim Noe inebriati apparerent pudenda, Cham eum derisit. Sem vero et Japheth, avertentes oculos, eum velaverunt. Evigilans Noe maledixit semen Cham; Sem vero et Japhet benedixit (*Gen.* IX). Non est, fratres mei, aliquis pastor ita perfectus quin aliquid pudendum faciat quandoque. Sed malus filius eum deridet et diffamat. Bonus vero subditus peccatum magistri sui dissimulat, tegit et excusat. Propterea hic benedictionem, ille sortitur maledictionem. Sic, fratres mei, quia utrique peccavimus, utrique defleamus, utrique ad pœnitentiam recurramus. Et nos ut boni pastores demus amodo operam et frequenter, ut evangelicam doctrinam verbo et exemplo vobis intimemus. Vos quoque, ut bonæ oves, date amodo operam et frequenter, ut, audiendo et obediendo, auditorum a vobis memoriam faciatis.

Sequitur pars secunda, in qua ostendit doctrinam suam tantam et talem esse, cujus memores esse debeant, subdens : *Non enim ineptas fabulas secuti, notam facimus vobis Domini nostri Jesu Christi virtutem et sapientiam.* Ac si dicat : Non fabulas, sed veritatem et sapientiam notam fecimus vobis. In quo condemnat eos qui, omissis Evangeliis, legunt poeticas fabulas, bucolica carmina et comœdias. Quod quamvis in pueris excusationem habeat necessitatis, in aliis tamen crimen habet voluntatis. Quomodo autem ore illo quo quotidie clamat Jupiter omnipotens, vocat divam Venerem, et cætera magis dæmonia quam numina, poterit Deum benedicere, pure laudare et orare? *Notam fecimus*, inquit, *vobis Domini nostri Jesu Christi salvatoris et regis virtutem et sapientiam.* Non ait humanitatem vel infirmitatem, quæ omnibus nota sunt, sed incredulis dubiam, fidelibus certam virtutem et sapientiam. Fratres, cum Dominus posset nos virtute aperta et sapientia redimere, noluit, sed in infirmitate humana occultavit divinam virtutem, et in insipientia sapientiam. Insipientia enim visa fuit hominibus quod Deus fieret homo, quod impassibilis pateretur, quod immortalis moreretur. Virtus ergo Dei per infirmitatem devicit diabolicam virtutem. Sapientia Dei, per insipientiam vicit calliditatem. « Nos prædicamus, inquit, Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum; gen-

tibus autem stultitiam, ipsis vero vocatis Judæis et Græcis, Dei virtutem, et Dei sapientiam. Nam quod infirmum est Dei, fortius est hominibus ; et quid stultum est Dei, sapientius est hominibus (*I Cor.* 1). » Nos ergo, fratres, exemplo Redemptoris nostri discamus, non per superbiam, sed per humilitatem, per patientiam et per mansuetudinem vincere malitiam mundi. Discamus non per calliditatem, sed per stultitiam Dei vincere sapientiam sæculi. Stultitia videtur huic sæculo nequam contemptus mundi, abjectio sæculi, omnia relinquere, paupertatem et vilitatem amare, invisibilia desiderare. Et tamen hæc insipientia diabolicam et humanam vincit sapientiam.

Sequitur pars tertia, in qua apostolico prophetico testimonio astruit veritatem. Et prius apostolico cum subdit : *Sed speculatores facti illius magnitudinis.* Ipse enim Petrus et Jacobus, et Joannes, qui fuerunt cum Domino in monte, quando transfiguratus est, potuerunt de visis et auditis verum proferre testimonium ; ut, secundum legem, in ore duorum vel trium testimonium, staret omne verbum (*Deut.* XIX). Triplici enim de causa ostendit Dominus gloriam suam discipulis in monte, ut eos de fide divinitatis suæ roboraret, ut eos in spe resurrectionnis confirmaret, ut eos de utroque certos testes efficeret. Unde et hic ait : *Speculatores illius facti magnitudinis.* Et cujus subdit, *fuit enim Christus accipiens a Deo Patre honorem et gloriam*, gloriam in hoc quod, « facies ejus refulsit sicut sol, vestimenta ejus fuerunt alba sicut nix (*Matth.* XVII). » Et hoc parum fuit in Filio, cum etiam quilibet sancti in patria, plusquam sol sint radiaturi. Sed tantum in eo ostensum est claritatis, quantum infirmus visus mortalium discipulorum mortalium, quoquomodo poterat intueri. Mystice vero per faciem, divinitatis notitia intelligitur, quæ fulgebit in sanctis sicut sol. Sol tria facit. Desiccat, illuminat, calefacit. Notitia quoque divini vultus omnem terrenitatem in sanctis desiccabit et exuret. Illuminabit etiam ita eos, ut omnia occulta cognoscant. Calefaciet etiam ita eos ut eos in amore reddat ferventes, ut quanto cum viderint, eum magis videre desiderent. Per vestes vero vel caro Christi, vel sancti intelliguntur, de quibus scriptum est : « Omnibus his quasi vestimento vestieris (*Isa.* XLIX). » Hæc vestimenta erunt alba sicut nix. Nix de cœlesti pluvia per magnitudinem frigoris constringitur et candidatur. Per nivem ergo castimonia designatur, quæ non habetur nisi gratia, per refrigerationem carnis; nec enim per gratiam sine refrigeratione, nec per refrigerationem sine gratia datur. Errant ergo qui volentes castigare corpus suum, de sola gratia sine labore volunt castimoniam obtinere; Dominus enim virtutes non dormientibus, sed laborantibus concedit. Rursus errant, qui per solam castigationem carnis castitatem habere conantur. Inutilis enim est labor sine gratia. Unde et in macilentis et pallidis adhuc vivunt incendia, nisi per Dei gratiam restringantur. Unde Hieronymus de se loquens ait : « Pallebant ora jejuniis, et mens desideriis æstuabat. » Honorem vero a Deo Patre Filius accepit, in eo quod legis eum et prophetarum Dominum, per Moysen et Eliam inter quos in majestate visus est, designavit. Et in hoc testimonium ei Pater exhibuit. Unde et subditur : *Voce delapsa hujuscemodi a magnifica gloria*, id est a Patre glorioso Filium magnificante. Qua? Hac, scilicet *hic est Filius meus dilectus*, id est, hic non alius, est Filius meus, non adoptivus ut alii, sed substantialis. In quo solo mihi complacui, cum in Adam, et in cæteris quantumcunque sanctis, mihi aliquid displicuerit. *Et hanc vocem*, inquit, *nos audivimus de cœlo allatam, cum essemus cum illo in monte sancto.* Superius dixerat : Speculatores facti illius, hic dicit, audivimus. Ac si dicat : Bene debetis credere nobis visa et audita testificantibus vobis. *Et habemus*, inquit, *firmiorem propheticum sermonem.* Quem dicit *firmiorem*, id est valde firmum. Vel *firmiorem*, id est magis firmum quantum ad Judæos, qui plus acquiescebant testimonio prophetarum quam apostolorum.

Sequitur pars quarta, in qua commendat prophetiam, et eos qui ei attendunt, dicens : *Cui benefacitis attendentes.* In quo econtrario condemnat eos qui, sermoni Scripturarum attendere nolunt. Quales sunt hodie multi etiam sanctæ Ecclesiæ magistri, qui spretis Scripturis, intendunt aucupio, venationi, aleis, ludicris et vanis, et qui etiam spretis Scripturis sanctis, intendunt legibus sæcularibus, causis et vanis figmentis. Reprehenduntur etiam et plebes qui libentius audiunt cantilenas, citharas et vanitates quam sacram Scripturam. *Accedentes*, inquit, *tanquam lucernæ ardenti in caliginoso loco.* Mundus caliginosus est triplici caligine. Caligine peccatorum, caligine ignorantiæ, caligine miseriæ. Scriptura vero sacra nobis est lux in hoc mundo; quam sequentes, evitamus peccata, ignorantiam, et ad ultimum miseriam. Et hæc lucerna est nobis, dum sumus in hoc sæculo, necessaria, *donec dies*, dies scilicet magnus judicii, qui vesperam non habebit, *illucescat* in resurrectione, quæ erit quasi mane æternitatis, *et lucifer*, id est claritas divina, *oriatur in cordibus* nostris, excludens penitus a nobis caliginem peccatorum, caliginem ignorantiæ, caliginem miseriæ, et revelata facie videbimus Deum sicuti est (*I Cor.* XIII). Ipso largiente qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

XXVIII.

IN TRANSFIGURATIONE DOMINI.

Assumpsit Jesus Petrum, et Jacobum et Joannem fratrem ejus, et duxit eos in montem excelsum seorsum, et transfiguratus est ante eos (*Matth.* XVII). In præcedentibus hujus Evangelii, fratres mei, dixerat Dominus Jesus discipulis suis hujusmodi verba : « Sunt de hic stantibus qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis in regno suo (*Marc.* VIII). » Qui autem essent illi discipuli ostendit, cum statim subjungit : *Et post dies*

sex assumpsit Petrum, et Jacobum et Joannem fratrem ejus, etc. Voluit quippe Dominus ostendere discipulis suis gloriam suam, ante mortem suam; potentiam suam, ante passionem suam; honorem suum, ante injuriam suam. Et hoc triplici de causa. Prima est, quoniam in fide divinitatis et potentiæ suæ eos corroboraret, ut videlicet quando viderent eum pati, scirent quod non de necessitate pateretur, sed de voluntate. Secunda est, quatenus in demonstratæ gloriæ desiderium animos eorum accenderet. Tertia est, quatenus de visa gloria sua eos tam firmos quam veros testes efficeret. Unde tribus eam ostendit, quoniam juxta legem, in ore duorum vel trium testium, stat omne verbum (*Deut.* XIX). Et his sibi magis familiaribus et perfectis[1], ut ostenderet divinitatis arcana tantum familiaribus et perfectis esse revelanda. Est autem hæc lectio quadripartita. Primo quippe describitur Dominus tres discipulos duxisse in montem; secundo, promissam visionem eis demonstrasse; tertio, eos prostratos erexisse, quarto, ne visa nisi post resurrectionem suam revelarent inhibuisse.

Primo igitur describitur Dominus tres discipulos duxisse, cum dicitur: *Post dies sex assumpsit Jesus Petrum, et Jacobum et Joannem fratrem*, etc. In quo, fratres mei, innuit nobis sex, videlicet quando, quot, qui, quomodo, per quem et ubi ad contemplationem divinæ gloriæ sint perventuri. Quando? *Post sex dies*, id est post sex ætates mundanæ vitæ; in ætate septima, quæ defunctorum est, incipient sancti in anima frui gloria Dei. Fruitur eadem in anima et corpore in octava, id est in resurrectione. Et unde et hunc locum describens alius evangelista dicit: « Post octo (*Joan.* XX),- » includens primum et extremum diem. Quot? tres tantum, id est tres ordines sanctæ Ecclesiæ, scilicet conjugatorum, continentium et virginum, qui juxta ordinem suum recte vivunt. Fornicarii quippe et adulteri, mœchi, Sodomitæ cæterique polluti ad divinæ gloriæ visionem nullatenus sunt perventuri (*I Cor.* VI; *I Tim.* I). Qui? Simon Petrus, Jacobus, Joannes, id est obedientes, vitiorum supplantatores et gratiosi. Qui enim Deo et majoribus suis non obediunt, quique vitia certando non vincunt, quique a gratia Dei vacui sunt, ad divinæ gloriæ visionem pervenire non possunt. Quomodo? ascendendo, laborando, et de virtute in virtutem proficiendo. Qui enim in imo voluptatum vitiorumque remanent, nequaquam ad Dei contemplationem pervenire valent, sed potius subvertuntur et damnantur. Unde et Lot, subversionem Sodomiticæ voluptatis luxuriæque fugienti, angelus consuluit, dicens: « Nec manseris hic, nec in omni circumregione, sed in monte salvum te fac (*Gen.* XIX). » Per quem? Per Christum. Nullus quippe viribus vel meritis suis ascendere valet, nisi fuerit assumptus per electionis gratiam, et ductus per gratiam cooperantem ab eo qui solus dat et velle et perficere (*Phil.* II). Quod sentiens sponsa, in Canticis canticorum clamat sponsum: « Trahe me post te, curremus in odore unguentorum tuorum (*Cant.* I). Hinc et Psalmista: « Beatus vir cujus est auxilium a te (*Psal.* LXXXIII). » Quare? Quia te ei bonam voluntatem inspirante, « ascensiones in corde suo disposuit (*ibid.*), » quatenus corporaliter adhuc maneat « in valle lacrymarum, in loco [quem posuit (*ibid.*). » Et per quem quod disposuit facere poterit? « Etenim benedictiones gratiarum dabit legistator; ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion (*ibid.*). » Ubi? In monte seorsum. Qui enim meruntur frui divina visione, sublimabuntur supra omnes reprobos. Juxta illud: « Et dominabuntur eorum justi in matutino (*Psal.* XLVIII), » et separabuntur in æternum ab eis. Unde et scriptum est: « Tollatur impius ne videat gloriam Dei (*Isa.* XXVI). »

Secundo, describitur Dominus promissam visionem apostolis revelasse, cum dicitur: *Et transfiguratus est ante eos*, etc. Tria, fratres mei, revelantur in hac visione apostolis, videlicet gloria, auctoritas et natura divina Jesu Christi. Gloria quippe, quam habiturus vel daturus erat suis in resurrectione demonstratur, cum dicitur: *Transfiguratus est ante eos, et resplenduit facies ejus.* Tunc proprie transfigurari dicitur, cum manente eadem substantia, tantum qualitas et status circa eum transmutatur. Volens ergo Dominus demonstrare gloriam resurrectionis, substantiam suam non mutat, sed tantum se transfigurat, innuens nobis quod in resurrectione substantia hominum non auferetur, sed tantum qualitas mutabitur, malorum in pejus, bonorum in melius. Quod expressius ostenditur, cum subditur: *Et resplenduit facies ejus sicut sol, vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix*, testante alibi Domino. « Fulgebunt justi sicut sol in regno cœlorum (*Matth.* XIII). » Multo major ergo est gloria Christi, et etiam sanctorum multorum (ut credimus) quam solis. Sed si clarius exemplum invenisset, illud posuisset. Sed nec, etiam Dominus Jesus, ostendit gloriam vel suam vel sanctorum, nisi quantum infirma discipulorum acies hic poterat aliquomodo intueri. Unde et vestimenta ejus candida sicut nivem demonstravit, cum stola beatæ immortalitatis induti, vestibus non indigeant vestiri, utpote qui de cætero nec frigus nec pudorem sint perpessuri. Sed per faciem, animam; per vestimentum, corpus designavit. Convenienter quippe anima quæ ad imaginem et similitudinem Dei creata est, facies Domini dicitur, quoniam per eam Dominus a nobis et in nobis cognoscitur. Unde Psalmista: « Tibi dixit cor meum: Exquisivit te facies mea, faciem tuam, Domine, requiram (*Psal.* XXVI). » Quoniam enim similia similibus gaudent, facies animæ nostræ, faciem Dei, ad cujus imaginem creata est, semper debet desiderare. Facies igitur Jesu Christi, vel etiam sanctorum, in resurrectione fulgebunt sicut sol, id est tanquam Deus, non quantum Deus, quoniam anima uniuscujusque in resurrectione, juxta mo-

dum suum, erit munda sicut Deus mundus est, recta sicut Deus rectus est, sancta sicut Deus sanctus est, ardens sicut Deus ardens est. Vestimenta vero, id est corpora, erunt candida sicut nix. Nix de cœlesti pluvia per frigoris magnitudinem constringitur et candidatur. Per nivem ergo, castimonia significatur, quæ non nisi de cœlesti gratia per carnis refrigerationem et castigationem obtinetur. Unde pariter errant, vel qui sine Dei gratia, vel qui sine carnis castigatione, putant se castimoniam adipisci posse. Corpora igitur sanctorum in resurrectione erunt sicut nix candida, id est castitate splendentia, quoniam de cætero non nubent, neque nubentur, sed erunt virgines et casti sicut angeli Dei in cœlo (*Matth.* XXII). Auctoritas vero Jesu Christi demonstratur cum dicitur : *Et apparuerunt eis Moyses et Elias cum eo loquentes.* In hoc quippe demonstravit Redemptor noster se esse Dominum legis et prophetarum, Dominum vivorum et mortuorum, Dominum cœli et terræ. Porro Dominum legis et prophetarum se esse ostendit, cum legislatorem et prophetarum eximium, quando et ubi voluit, sibi assistentes demonstravit. Dominum vivorum et mortuorum se esse ostendit, quando mortuum Moysen, et Eliam in paradiso viventem, quando et ubi voluit, sibi assistentes et colloquentes exhibuit. Dominum cœli et terræ se esse demonstrat, cum sic potestative illis imperavit, quod statim terra Moysen, et cœlum Eliam ibi præsentavit. Quales autem visi sunt, et quid cum eo locuti sunt, Lucas exponit dicens : « Visi sunt in majestate, dicentes excessum quem completurus erat in Hierusalem (*Luc.* IX). » Sane in hoc quod Dominus legislatorem et prophetarum eximium, secum in majestatis gloria ostendit, demonstrat se spirituales legis exsecutores et prophetarum secum in gloria glorificaturum. In hoc vero quod exeessum, quem completurus erat loquebantur, aperte demonstratur quod lex et prophetæ consentientes prænuntiaverunt, et in eo veraciter adimpleti sunt. Porro delectatus Petrus in divini splendoris et gloriæ contemplatione, dixit ad Jesum : *Bonum est nos hic esse.* Sed cum Petrus in umbratilis brevisque gloriæ visione, tantisper gavisus et delectatus sit, ut semper ibi vellet manere, quantum putatis, fratres mei, gaudium, quantaque dilectio erit in illa vera æterna, beataque gloria divinæ visionis, « in quam angeli semper desiderant prospicere (*I Petr.* I). » *Si vis*, inquit, *faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, et Eliæ unum.* Cum Petrus adhuc in carne positus in ostensione umbratilis et brevi gloriæ, Moysen et Eliam nunquam amplius visos cognoverit, quam aperta putatis, fratres mei, notitia erit omnium, in illa vera et æterna beatitudine? Cæterum etiam, petitione construendorum tabernaculorum Petrus errat, quoniam ex subito nimioque gaudio perturbatus, teste alio evangelista, quid peteret nesciebat (*Luc.* IX). Quid peteret, nesciebat qui in æterna beatitudine, ubi nulla intemperies est, tabernacula postulabat. Quid peteret nesciebat, qui ante humani generis per sanguinem Jesu Christi redemptionem, et ante Evangelii prædicationem, gloriam postulabat. Quid peteret nesciebat, qui in constructione tabernaculorum, Domino servos adæquabat. In hoc tamen bene sapiebat, quod cum Domino semper esse desiderabat, et quod divinam voluntatem suæ præponebat, cum dixit : *Si vis, faciamus.* Ac si dicat : Non mea voluntas, sed tua fiat. Quem nos imitantes, fratres mei, semper cum Domino manere desideremus, semper in petitionibus nostris divinam voluntatem nostræ præponemus. Divina vero natura revelatur cum subditur : *Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos; et ecce vox de nube dicens*, etc. Sive hoc pronomen, *eos*, referatur ad Moysen et Eliam, sive ad Petrum, et Jacobum, et Joannem, idem est sensus, quoniam utrique obumbrati sunt. Illi ne viderentur ab istis; et isti ne viderent eos. Quare? ut istis certum esset quod Jesum, qui solus apparebat, vox Patris de nube testimonium perhiberet. Ecce mysterium Trinitatis. Filius transfiguratus, Spiritus sanctus per nubem eum ab aliis secernit, Pater per vocem eumdem ostendit. Sicut enim baptizato Domino, Pater in voce, Spiritus sanctus, in columba testimonium perhibuerunt, sic eidem transfigurato Pater similiter in voce, Spiritus vero sanctus in nube lucida testimonium fecit. Bene autem super baptizatum Dominum Spiritus sanctus in columba apparuit, quando Christi innocentiam simplicitatemque demonstrabat, per quam et ad quam Christus homines per baptismum advocabat. Bene vero super transfiguratum in nube apparuit, quoniam eum solum esse in alia vita tegimen et lumen sanctorum demonstrabat, tabernaculorum, quæ Petrus postulabat, et solis usu pariter, ut Joannes in Apocalypsi perhibet, cessante. « Et templum, inquit, non vidi in ea : Deus enim omnipotens templum illius est, et Agnus. Et civitas illa non eget sole et luna; nam claritas Dei illuminat illam, et lucerna ejus est Agnus (*Apoc.* XXI). » *Ecce vox*, inquit, *de nube dicens. Hic* et non alius, *est* naturalis *Filius meus dilectus*, scilicet in quo nihil est nisi diligibile; *in quo*, id est, in cujus generatione, *complacui mihi;* qui in formatione hominis quondam quodammodo mihi displicui, cum multiplicatis hominum sceleribus dixi : « Pœnitet me fecisse hominem (*Gen.* VI). » *Ipsum*, inquit, *audite.* Quasi diceret : Hic est de quo Moyses ait : « Prophetam suscitabit Deus de fratribus vestris, ipsum tanquam me audietis in omnibus quæ locutus fuerit vobis. Et anima quæ non audierit eum, vel in se, vel in suis prædicatoribus, peribit de populo suo (*Deut.* XVIII). »

Sequitur pars tertia, in qua Dominus prostratos discipulos erigit : *Nam cum audirent discipuli vocem patris, ceciderunt in faciem suam, et timuerunt valde.* Ordo præposterus. Ex auditione quippe vocis timuerunt, et ex timore ceciderunt. Ubi enim divina magnitudo panditur, humana infirmitas concutitur et prosternitur. Sed Jesus humanæ fragilitatis sem-

per sublevator, accedit, tangit, erigit, et consolatur eos. *Levantes autem oculos neminem viderunt nisi solum Jesum.* Ex quo certum habuerunt vocem de nube solum Jesum demonstrasse, et ei soli testimonium perhibuisse. Porro quod tunc contingit apostolis, quotidie, fratres mei, contingit in nobis. Cum enim in contemplatione ab inspiratione vel lectione divina ore cordis, Dei audimus potentiam et magnitudinem, nostræ fragilitatis conscientia timet et concitatur, et in faciem, id est in notitiam propriæ infirmitatis humiliatur; sed ne usque in desperationem dejiciatur, adest Jesus solita clementia sua, et accedit nobis compatiendo, tangit nos, gratiam suam nobis conferendo, erigit nos ad cœlestia desiderium nostrum dirigendo, consolatur nos, fiduciam sui amoris nobis præstando, ut levantes oculos nostros non videamus nisi solum Jesum, id est aciem nostræ contemplationis ad Deum levantes, non videamus in eo nisi salvationem qua cupit omnes homines salvos fieri (*I Tim.* II). Unde eum magis diligere quam horrere debemus.

Sequitur pars quarta, in qua Dominus inhibet discipulis ne cuiquam visa nisi post resurrectionem suam revelent, dicens: *Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis a mortuis resurgat.* Et quare hoc? Ob tres causas. Prima est, ne, si Christi divina potentia et gloria palam omnibus manifestaretur, passio ejus nostraque redemptio impediretur, teste enim Apostolo, si principes cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent (*I Cor.* II). Secunda est, ne si transfiguratio Domini omnibus manifestaretur, non verum, sed phantasticum corpus habere putaretur. Cujus corporis veritas, postquam per passionem probata fuit, nihil deinceps transfigurationem ejus impedivit prædicari. Tertia est, ut daret fidelibus suis exemplum, quatenus si quid virtutis et gloriæ in se haberent, nunquam in vita sua quidquam manifestari vellent. Sed et si cui forte familiarium notum fieret, ab eo exigerent, ne se viventibus alii revelarent; sicut legimus beatum fecisse Nicolaum, sicut enim ventus boreæ flores urit, ita flosculos virtutum, rumor et favor popularis. Quamvis enim laudari erubescamus, et indignos nos dicamus, tamen anima, quæ naturaliter sui amatrix est, ad laudes intus lætatur, et sibi incipit placere. Et quanto magis nos nobismet placemus, tanto magis Deo displicemus. Propterea, fratres mei, gloriam et laudem humanam semper fugiamus, thesaurum, gloriam et desiderium nostrum ad cœlos penitus transferamus, nos hic contemni, dejici et opprimi propter Christum diligamus, ut in alia vita ab eo honorari, sublimari et glorificari mereamur; ipso præstante qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

XXIX.

IN PASSIONE BEATI LAURENTII.

Qui parce seminat, parce et metet. Et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet (*II Cor* IX), etc. In hac lectione, fratres mei, hortatur Apostolus Corinthios ad dandam eleemosynam sanctis qui erant in Jerusalem, qui, cum omnia sua posuissent ad pedes apostolorum (*Act.* IV) indigebant. Cum autem eos hortatur, nos quoque, fratres mei, hortatur ad eleemosynam præcipue bonis egentibus. Unde idem alibi dicit: Facite « bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei (*Gal.* VI). » Sunt autem hujus lectionis quatuor partes. Primo enim ostendit ob quam causam debeamus eleemosynam facere large. Secundo, quomodo; tertio, quo fine; quarto, qua fiducia eam debeamus donare. Primum igitur ob quam causam debeamus large facere eleemosynam, ostendit cum dicit. *Qui parce seminat, parce et metet, et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet.* Ac si aperte dicat: Large seminate, quia secundum quod aliquis seminat, metet. Qui nihil seminat, nihil metet; et qui parce seminat, parce et metet, et qui seminat in benedictionibus, id est in largitatibus, de largitatibus large metet. Vocat autem benedictionibus, largitatem, quoniam causa est benedicendi. Vocat quoque datorem eleemosynæ metaphorice, seminantem. Quoniam sicut seminator spargit in hieme modicum semen in terram, et in ætate copiam colligit messis, ita dator eleemosynæ modicum dat in hac vita, et æternam beatitudinem recipiet in futura. Sed animadvertendum, fratres mei, quod parcitas vel largitas eleemosynam faciendi, non refertur ad substantiam; alias miserrimi essent pauperes, parum vel nihil in eleemosynam dare valentes, quoniam in alia vita parum vel nihil essent recepturi. Et beatissimi essent divites, hic plurima pauperibus tribuentes, quoniam in alia vita plurimam mercedem essent habituri. Non ergo refertur ad substantiam, sed potius ad charitatem et ad possibilitatem. Non pensat quippe Dominus quantum tribuatur, sed ex quanta charitate et possibilitate. Unde Dominus viduam duo minuta in gazophilacio offerentem dicit plus omnibus obtulisse; quoniam illi ex abundantia aliqua; illa vero quidquid habuit obtulit (*Marc.* XII; *Luc.* XXI). Unde et patet quod ex majori charitate hoc fecit. Multum igitur, fratres mei, seminat qui illud modicum quod habet totum pro Deo erogat. Multum seminat, qui, cum plus non possit, verbum correctionis et salutis tribuit. Multum seminat, qui, cum patienti non possit dare rem, dat vel charitatis compassionem; et econtra, dives aliquis, cum videatur pro Christo multa dare, tamen pauca donat, quia ex nulla vel tepida charitate. Quod inde patet quoniam, ad comparationem eorum quæ possidet, pauca præbet. Sed et illud sciendum est quoniam præmia æterna meritis nostris commensurabilia non erunt, quoniam merita nostra nulla vel minima sunt, præmia vero immensa erunt. Unde Dominus in Evangelio: « Serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam (*Matth.* XXV). » Nullus ergo in futuro sæculo parce metet, quoniam quislibet minimus sanctus sufficienter in futuro abundabit. Sed

quod dicitur *parce metet*, ad comparationem majorum præmiorum dicitur, quoniam, Apostolo testante, « stella differt a stella in claritate (*I Cor.* xv). » Secundo, demonstrat Apostolus quomodo eleemosyna sit facienda, cum subdit, *unusquisque enim*, subaudi, tribuat eleemosynam, *prout destinavit*, id est, proposuit in corde suo, scilicet libero. Et quoniam tristitia et necessitas solent cordis devotionem obnubilare et impedire, subdit, *non ex tristitia, aut ex necessitate*, id est, ex tristitia quæ provenit ex necessitate. Porro ex tristitia donat qui in ambiguo donandi vel non donandi positus, pene negat, sed quadam necessitate compulsus donat. Vocat autem Apostolus necessitatem, quamdam coactionem, quam facit quibusdam tepidis vel frigidis mandatum vel importunitas, vel pudor, vel promissio, vel caro, vel hujusmodi. Quidam enim non ex compassione, sed quasi ex mandati coactione, inopibus tribuunt, in quo vel nihil, vel parum merentur. Alii vero, importunitate indigentium compulsi, ut tædio careant tribuunt; qui procul dubio rem et meritum perdunt. Alii vero, videntes juxta se multos multas eleemosynas dantes, pudore compulsi, non aliqua compassione tribuunt; qui profecto nihil merentur vel parum. Alii quoque non ex aliqua pietate, sed ex promissione quam fecerunt compulsi, tribuunt; qui similiter vel parum, vel nihil merentur, sed dictum suum redimunt. Alii vero, carnis propinquitate compulsi, non charitate parentibus et cognatis suis tribuunt, ex quo nihil merentur, sed tantum carnis usum sequuntur.

Has necessitates, fratres charissimi, vitamus, si vere Deum et proximum diligimus. Tunc enim nullum Dei mandatum, nulla pauperum importunitas, nulla alia ratio largiendi erit nobis gravis, sed potius amabilis. Necessitatem quippe superat, qui vult quod coactum est. Per veram igitur dilectionem, ipsas donandi necessitates amplectendo, tristitiam a nobis fugemus, et libera devotaque voluntate largientes illa etiam dona quæ parentibus, cognatis, familiaribus et amicis nostris exhibemus, et ad quæ astricti videmur, libera multumque meritoria faciamus. *Hilarem enim*, inquit, *datorem diligit Deus.* Sicut enim inviti coactique animi, est triste, tarde et exprobrando dare, et ita donum suum vendere, ita benevolentis devotique est, lætè, cito et benedicendo dare, et ita donum suum Deo et hominibus gratificare. Cæterum non vani cujuslibet datoris hilaritas vana Deo placet, sed ea sola quæ ex vera dilectione procedit. Sed ea ipsa compescenda est, ne ultra modum hilarescat animus, et de perpetrata eleemosyna sibi nimis complaceat, unde et Deo displicere incipiat. Quanto magis enim nobismetipsis placemus, tanto magis Deo displicemus. Propterea, fratres mei, quando eleemosynam damus, vel aliquod aliud bonum facimus, pensemus quoniam non nostra, sed aliena dispensamus, nec datores, sed potius ministratores sumus. Unde et dicamus illud quod Dominus jubet : « Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite : Servi inutiles sumus, quod debuimus facere non fecimus (*Luc.* xvii). » Tertio vero, demonstrat Apostolus ob quam causam eleemosyna sit facienda, cum subdit : *Potens autem est Deus omnem gratiam abundare facere in vobis, ut in omnibus sufficientiam habentes, abundetis semper in omne opus bonum.* Ac si aperte dicat : Eleemosynam semper debetis facere, non ob gratiam vel laudem hominum, qui vel ingrati, vel impotentes, vel mendaces sunt ad remunerandum, sed propter Deum solum, qui solus potens est etiam semper nobis dare copiam eleemosynam faciendi, et remunerare factam. Ipse enim est eleemosynæ et causa finalis et causa efficiens. Namque propter ipsum solum et eleemosynam facere possumus, et propter eum solum eam facere debemus. Ipse enim dat nobis et voluntatem et potestatem, et materiam et affectum totius boni operis, et istorum omnium æternam remunerationem. Propter quod ait, *omnem gratiam*, id est cooperantem, operantem, perficientem et remunerantem. Et hoc probat auctoritate Psalmistæ, subdens : *Sicut scriptum est : Dispersit*, id est, dispergendo, *dedit pauperibus* (*Psal.* cxi). Non enim uni omnia sunt danda sed pluribus, juxta quod possumus, et secundum quod illi indigent, distribuenda, ut plures apud Deum mereamur habere advocatos et intercessores. Neque sunt distribuenda non pauperibus, ne liberalitas liberalitate pereat. Pars enim sacrilegii est, res pauperum dare non pauperibus. Et quid meruit justus distribuendo pauperibus? *Justitia ejus*, id est merces quam per justitiam meruit, *manet in sæculum sæculi*, id est in æternum. Sed sollicite considerandum est, fratres mei, quoniam cum dixisset Psalmista, *Dispersit, dedit pauperibus*, et inde consequenter deberet subjungere, misericordia eleemosynarum ejus manet in sæculum sæculi, ait : *Justitia ejus manet in sæculum sæculi.* Similiter Dominus in Evangelio cum moneret ad eleemosynam, et apertius posset dicere : Attendite ne eleemosynas vestras faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis, noluit, sed ait : « Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus (*Matth.* vi). » Ut quid hoc, nisi quia eleemosyna justitia est? Sicut enim debemus Deo religionem, parentibus honorem, majoribus reverentiam, subditis disciplinam, peccantibus correctionem, ita debemus miseris misericordiam. Sed et etiam, ipsæ res in communi omnium creatæ sunt. Deus vero eas abundantius commendat divitibus, præcipiens eis ut intelligant se non dominos, sed dispensatores earum ad pauperes. Unde constat quoniam, quando damus eleemosynas pauperibus, non nostra eis damus, sed sua eis reddimus. Quod utique officium justitiæ est. Qui ergo pauperibus inopia pereuntibus communium rerum superabundantiam retinent apud se, quid aliud faciunt quam quod pauperibus sua tollunt et eos occidunt? Tot profecto pauperum facti sunt homicidæ quot sustentamenta pauperum retinent apud se.

Quarto, demonstrat Apostolus qua fiducia debea-

mus eleemosynam dare, cum subdit : *Qui autem dat semen serenti, et panem ad manducandum præstabit. Et multiplicabit semen vestrum, et augebit incrementa frugum justitiæ vestræ.* Ac si aperte dicat : Non sitis timidi vel pusillanimes ad dandam eleemosynam, sicut quidem qui pauperibus eleemosynam postulantibus causantur se habere parum in arca, et parum annonæ in horreo. Nam Dominus *qui dat semen serenti*, id est materiam eleemosynæ tribuenti, ipse vobis facientibus eleemosynam procul dubio et *panem ad manducandum præstabit, et multiplicabit semen vestrum*, id est, propter eleemosynam quam fecistis, multiplicabit vobis materiam, unde majores eleemosynas facere possitis, *et* ita *augebit incrementa frugum*, id est præmiorum justitiæ vestræ, et ita multiplicando, merita augebit et præmia. Minimæ quippe fidei est qui ob hoc non vult dare eleemosynam, quia timet sibi necessaria deesse. Nam si Deus dat necessaria non suis, quanto magis suis fidelibus? Et si dat necessaria rapientibus aliena, quanto magis erogantibus sua? Fiducia quoque seminantis agricolæ (de quo metaphoram sumit Apostolus) debet nos excitare; quem quamvis spes messis aliquando fefellerit, tamen non timet iterum quantumcunque potest seminare, sola perparce retinendo necessaria. Sed etiam quandoque ea quæ erant sibi necessaria seminat; quandoque vero cum necessaria non habet, mutuat etiam aliena quæ seminet. Et si, fratres mei, cum tanta fiducia dat agricola præsens semen pro spe futuræ messis, fortassis inanis, cum quanta fiducia debemus hic eleemosynas dare pro certa spe retributionis æternæ? Beatus Nicolaus, beatus Joannes patriarcha, cæterique sancti, vix sibi necessaria retinentes, quæcunque poterant, in manus pauperum seminabant, et Deus eis abunde ministrabat quæ tribuere possent. Et quasi certare videbantur : Deus illis ministrando, illi pro Deo distribuendo. Ipsa etiam necessaria tribuit viduæ Sareptanæ; quæ, cum tanta fames esset quod plus panis habens plus viveret, ipsa tamen fidens in Deo, de pusillo farinæ quod solum habebat, ipsa esuriens prius prophetam pascit : unde et temporalis farinæ multiplicationem, æternamque retributionem promeruit. Aliena etiam mutuat, cum propria non haberet hospes Elisæi, ad exhibendum hospitalitatem prophetis, unde promeruit post mortem suam, et multiplicationem olei ad absolvendum, sustentandumque uxorem et filios, mercedemque sempiternam. Quotidie quoque, fratres mei, videmus quoniam quidam semper rapiunt, et semper egent; quidam semper tribuunt, et semper abundant, Deo propter quem donant eis cuncta ministrante. Propterea discamus Christum pascere in esurientibus, potare in sitientibus, vestire in nudis, suscipere in peregrinis, visitare in infirmis, redimere in captivis, quatenus mereamur ab illo audire illam dulcissimam vocem: « Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare; sitivi, et dedistis mihi potum (*Matth.* xxv), » etc.: ipso præstante qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

(10) Lib. 1 Offic. cap. 41.

Vita sancti Laurentii martyris per divum Ambrosium episc. Mediolanensem scripta (10).

Non prætereamus sanctum Laurentium, qui, cum videret Sixtum episcopum suum ad martyrium duci, flere cœpit, non passionem illius, sed suam remansionem. Itaque his verbis appellare cœpit : « Quo pregrederis sine filio, Pater? Quo, sacerdos sancte, sine diacono properas? Nunquam sacrificium sine ministro offerre consueveras. Quid in me ergo displicuit, Pater? Num degenerem probasti? Experire certe utrum ministrum idoneum elegeris, cui commisisti Dominici sanguinis consecrationem, cui consummandorum consortium sacramentorum, huic consortium tui sanguinis negas? Vide ne periclitetur judicium tuum, dum fortitudo laudatur. Abjectio discipuli, detrimentum est magistri. Quid quod illustres et præstantes viri discipulorum certaminibus magis quam suis vincunt? Denique Abraham filium obtulit, Petrus Stephanum præmisit, et tu, Pater, in filio ostende virtutem tuam, offer quem erudisti, ut securus judicii tui comitate nobili pervenias ad coronam. » Tunc Sixtus : « Non ego te, fili, relinquo ac desero, sed majora tibi debentur certamina. Nos quasi senes levioris pugnæ cursum recipimus, te quasi juvenem manet gloriosior de tyranno triumphus. Mox venies, flere desiste, post triduum me sequeris. Inter sacerdotem et levitam hic medius numerus decet. Non erat tuum sub magistro vincere quasi adjutorem quæreres. Quod consortium passionis meæ expetis? Totam tibi hæreditatem ejus dimitto. Quid præsentiam meam requiris? Infirmi discipuli magistrum præcedant, fortes sequantur, ut vincant sine magistro, qui jam non indigent magisterio. Sic et Elias Elisæum reliquit. Tibi ergo commendo nostræ virtutis successionem. » Talis erat contentio, digna sane de qua certarent sacerdos et minister, quis prior pateretur pro Christi nomine. In fabulis ferunt tragicis excitatos theatri magnos esse plausus, cum se Pylades Oresten diceret, Orestes (ut erat) Oresten se esse asseveraret; ille, ut pro Oreste necaretur, Orestes ne Pyladem pro se pateretur necari. Sed illis non licebat vivere, quod uterque esset parricidii reus; alter qui fecisset, alter qui adjuvisset. Hic Laurentium sanctum ad hoc nullus urgebat, nisi amor devotionis, tamen et ipse post triduum, cum illuso tyranno impositus super craticulam exureretur : « Assum est, inquit, versa et manduca. » Ita animi virtute vincebat ignis naturam.

De D. Laurentio sic ait Petrus Chrysologus (11). Itaque beatissimus martyr ostendens quam quiete jaceret in illo ignito ferro, ait circumstantibus : « Jam me versate, et si una pars cocta est, vorate. » Miramur patientiam, donum Dei miremur. Ibi fides non solum non arsit, sed et consolabatur ardentem. Quare fides consolabatur ardentem? Quia fidelem tenebat promittentem, ut fides non deficeret, ut spes non averteretur, ut charitas inter pœnas igneas corporales plus accenderetur, Dei dona erant, fratres mei, nemo arroget potentiæ suæ, quod non dat nisi Deus. Merito Apostolus alloquens martyres, ut in Epistola ejus hodie, cum legeretur, audistis, « Vobis (inquit) donatum est pro Christo, non solum ut credatis in eum, sed etiam ut patiamini pro eo (*Phil.* 1). » Ergo martyrium merita velut Dei dona laudemus, amemus, subinferamus voluntatem nostram; voluntas enim sequitur, non prævenit. Sed tamen non deest charitas, si non desit voluntas; ipsa enim ardens voluntas vocatur charitas. Quis est qui timeat volens? quis est qui amet nolens? ferveat oratio, et festum martyris celebretur.

(11) Sermo 235, in opere Homil. ejus.

Sed ut non sit inanis, qui celebrat, imitetur. »

XXX.

IN ASSUMPTIONE BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

In omnibus requiem quæsivi, et in hæreditate Domini morabor (*Eccli.* XXIV), etc. Hæc verba, fratres charissimi, verba sunt sapientiæ, non mundanæ quæ inimica est Deo, sed sapientiæ quæ ex ore Altissimi prodiit, scilicet Domini nostri Jesu Christi, in quo et per quem Deus omnia fecit et refecit. Cujus verba omni aviditate suscipere debemus, scientes quoniam quod loquitur, loquitur nobis et pro nobis. Dicit autem quatuor. Primo, dicit se requiem quæsivisse et elegisse, quod demonstrat, cum dicit, *in omnibus requiem quæsivi, et in hæreditate Domini morabor.* Sed quid est, Domine mi Jesu Christe? Tu es ipsa requies, et quicunque requiescit, per te requiescit. Unde etiam ipse clamas: « Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos (*Matth.* XI), » id est, requiescere faciam. Quomodo ergo tu ipse, cum sis requies, requiem quæsivisti? Sed scio quod nos, in his quæ nobis concordantia et placentia sunt, requiem habemus; in illis vero, quæ nobis contraria et displicentia sunt, requiem habere non valemus. Tu quoque, Domine, cum penes te requiem semper et pacem habeas, apud illos tamen qui per immunditiam et iniquitatem tibi dissimiles et displicentes sunt, requiem non habes, nec illi similiter apud te. Apud vero illos, qui per munditiam et justitiam tibi similes et placentes sunt, requiem habes, et illi similiter apud te. Unde et dixisti: « Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem et mansuetum, et trementem sermones meos? » (*Isa.* LXVI.) Hic quoque ostendis apud quem requiem eligas, cum subjungis, *et in hæreditate Domini morabor.* Porro hæreditas Domini dicuntur hi quos Deus regni sui hæredes, Filiique sui cohæredes elegit, qui, contemptis omnibus transitoriis, solum Deum in hæreditatem sibi eligunt, dicentes cum Propheta: « Dominus pars hæreditatis meæ (*Psal.* XV), » id est, pars et hæreditas mea. Hinc est quod beata et venerabilis Virgo Maria, cujus hodie Assumptionem celebramus, quia præ cunctis, qui ab initio usque in finem fuerunt vel futuri sunt, Dominum in munditia, humilitate, mansuetudine, simplicitate, sanctitate, cæterisque virtutibus magis studuit imitari, Dominique fieri hæreditas omnibus modis desideravit; ideo eam Dominus de numero universorum qui sunt vel fuerunt, vel futuri sunt, singulariter elegit. In qua non tantum spiritualiter, sed etiam carnaliter requiesceret, et secundum assumptam humanitatem habitaret, confoveretur et cresceret. Sed et in nobis, fratres charissimi, si vias Domini nostri Jesu Christi pro modulo nostro secuti fuerimus; si mundi, si humiles, si mansueti, si sancti, si justi, sicut ipse justus est, fuerimus, procul dubio in nobis habitabit, requiescet et complacebit, vel certe divina sapientia dicit se in omnibus requiem quæsivisse, et tantum in hæreditate Domini morari, quia homines sapientes omnia mundana studia experiri facit, et non invenientes in eis requiem, facit eos ad hæreditatem Domini transire et ibi morari.

Secunda pars sequitur, in qua sapientia Dei Patris ostendit ipsum Patrem mandatum, et consensum sibi in hæreditate ejus, cum subdit: *Tunc præcepit et dixit mihi Creator omnium*, subaudis, ut etiam morarer in hæreditate ejus. Cum Pater et Filius sint ejusdem substantiæ, essentiæ, aucto itatis, voluntatis et potentiæ; tamen Filius semper respiciens, tum ad hoc quod ipse ex Patre est, cum Pater ex nullo sit, tum ad hoc quod secundum assumptam humanitatem minoratus est, dicit quia « non veni facere voluntatem meam, sed voluntatem Patris mei qui misit me (*Joan.* VI). » Et quia « Pater major me est, et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio (*Joan.* XIV). » Consensum vero cum subjungit: *Et qui creavit me*, id est genuit me, vel certe secundum humanitatem assumptam creavit, *requievit in tabernaculo meo.* Cum enim Deus Pater, et ex eo genita sapientia, fuit semper ejusdem essentiæ et voluntatis, in quocunque requiescit Dei sapientia, et Deus Pater. Unde et eadem sapientia in Evangelio dicit: « Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus (*Joan.* XIV). » Porro tabernaculum suum vocat, vel ipsum assumptum hominem in quo habitat plenitudo divinitatis corporaliter; vel etiam sacratissimum uterum beatæ Virginis, in quo Dei sapientia secundum carnem habitavit. Sed et tam Deus Pater quam ejus Filius in ea et per essentiam, et per gratiarum plenitudinem requievit. Sed et unusquisque nostrum, fratres mei, si omnem spurcitiarum labem a nobis eliminamus, si nos virtutibus et bonis operibus exornamus, si per veram charitatem Deum in nobis habemus, procul dubio Dei Patris ejusque sapientiæ tabernaculum et templum sumus, dicente Apostolo: « Templum Dei sanctum est, quod estis vos (*I Cor.* VI); » et alibi: « Nescitis quia membra vestra templum sunt Spiritus sancti? Si quis enim violaverit templum Domini, disperdet illum Deus (*I Cor.* III). » Templum Dei violat, qui per turpes et malas cogitationes, et per reprobam vitam, a se Dei sapientiam prolongat. Scriptum est enim: « In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis (*Sap.* I). » Sequitur pars tertia, in qua exponitur in quibus Dei sapientia requiescat, cum subjungitur: *Et dixit mihi: In Jacob inhabita, et in Israel hæreditare, et in electis meis mitte radices.* Voluntas Dei Patris est ut ejus sapientia habitet in Jacob, id est in luctatoribus contra vitia, hæreditet in Israel, id est in fortibus contra vitia, mittat radices, tantum in electis. Multoties quippe et luctatores vitiis succumbunt, et fortes cadunt, et Dei sapientiam, quæ videbatur in eis habitare vel hæreditare, perdunt. Sed electi soli, in quibus divina sapientia misit radices, eam non admittunt. *Et sic*, inquit, *in Sion*, id est in speculativis,

firmata sum, qui scilicet optimam partem sibi elegerunt, quæ non auferetur ab eis (*Luc.* x). *Et in civitate*, id est in congregatione sanctorum, *sanctificata similiter requievi.* « Ubi enim duo vel tres congregati sunt in nomine meo, ego in medio eorum sum (*Matth.* xviii). » *Et in Hierusalem potestas mea*, id est in pacificis. Potestas enim divinæ sapientiæ, præcipue in pacificis, qui filii Dei vocabuntur (*Matth.* v), apparet, quoniam omnes inordinatos motus non solum in se, sed etiam in aliis sedant. Divina quippe sapientia pacifica est, similis aquæ profundæ. Sæcularis vero litigiosa est, similis aquæ tenui et garrulæ. *Et radicavi in populo honorificato*, cui dicit Dominus : « Tu es populus meus, et ego Deus tuus. » Quod exponens subdit : *Et in partes Dei mei hæreditas illius*, id est, in illo populo radicavi quem elegit Deus in partem, et qui Deum elegit in hæreditatem. *Et in plenitudine sanctorum detentio mea.* Ubi enim major sanctimonia, ibi divina magis invitatur et detinetur sapientia. Cum autem in omnibus his divina requiescat sapientia, præcipue et singulariter requiescit in Maria. Ipsa enim omnia hæc, et plusquam hæc habet. Quis enim sic fuit Jacob, id est luctator contra vitia, ut Maria ? Quis fuit sic electus, imo præelectus ut Maria ? Quis fuit sic Sion, id est speculativus, ut Maria ? Quæ civitas sic fuit sanctificata, ut civitas et claustrum Dei Maria ? Quis fuit sic Hierusalem, id est pacificus, ut mediatrix Dei et hominum Maria. Quis fuit populus sic honorificatus, ut pars vel hæreditas Dei, ut singularis Dei Mater et Virgo, et regina cœlorum Maria ? Quis habuit tantam sanctimoniæ plenitudinem, quantam Maria ? Singulariter igitur et superexcellenter Dei sapientia requievit in Maria.

Sequitur pars quarta, in qua sapientia ostendit qualis ipsa sit : dicit se esse exaltatam, se esse speciosam, se esse odoriferam. Se esse exaltatam ostendit, cum subdit : *Quasi cedrus exaltata sum in Libano.* Sed cum divina sapientia non possit esse major vel altior quam semper fuerit, quomodo dicit se esse exaltatam ? Non quia in se, sed quia in suis, dum eos exaltat, exaltatur. Divina quippe sapientia facit quod sancti, a vitiis surgentes, in alto virtutum se collocant, et quod virtutem virtuti, bonum bono accumulant. Et hoc est quod dicit : *Quasi cedrus exaltata sum in Libano, et quasi cypressus in monte Sion. Quasi palma exaltata sum in Cades.* Per Libanum, qui *candidatio* interpretatur, candor innocentis vitæ significatur. Per cedrum vero, cujus odor fugat serpentes, dicente poeta :

Disce odoratam stabulis accendere cedrum,

(Virg., *Georg.* lib. iii, vers. 414.,

et cujus resina libros a tineis et vetustate conservat, fides accipitur, cujus intelligentia fugat hæreticos, et sensum Scripturarum a corruptione conservat. Per Sion altitudo speculationis intelligitur. Per cypressum vero quæ odorifera est, nullo impulsu amittens comam, solida et oneri cedere nescia, fortitudo spei æternæ odorantis et superari nescientis, A accipitur. Per Cades, quæ *mandatum* vel *sancta* interpretatur, mandatum Dei intelligitur. Per palmam vero, quæ gracilis est circa radicem, et desuper dilatatur cum gratia foliorum semper virentium et suavium pomorum, charitas, quæ ab angusto incipit, et postea usque ad inimicos dilatatur, et semper viret et fructificat, significatur. Divina igitur sapientia *quasi cedrus in Libano, quasi cypressus in monte Sion, quasi palma in Cades* exaltatur, dum per eam sancti in innocentia fidem, in contemplationem spem, in mandato charitatem observantes, exaltantur. Se vero speciosam ostendit cum subdit : *Quasi plantatio rosæ in Jericho. Quasi oliva speciosa in campis, et quasi platanus exaltata sum juxta aquam in plateis.* Porro Jericho *odor* vel *luna* interpretatur. B Per plantationem rosæ in Jericho, corona martyrii designatur. Per olivam, cujus liquor superenatat omnibus liquoribus, misericordia quæ superexaltat judicium, accipitur. Per platanum, sic dictam a latitudine foliorum, et quia patula et ampla est, quæ nascitur juxta aquam in plateis, magnanimitatem significat, quæ juxta mandatum divinæ sapientiæ, et latitudine charitatis, animi amplitudine cunctos recipit, protegit cunctisque benefacit. Divina igitur sapientia est speciosa *quasi plantatio rosæ in Jericho, et quasi oliva speciosa in campis, et quasi platanus exaltata, juxta aquam in plateis*, quoniam quosdam odore bonorum operum etiam martyrio coronat, alios in campo hujus vitæ, virtute misericordiæ et compassionis decorat, alios latitudine charitatis, C magnitudine benefaciendi, latius illustrat. Se vero esse odoriferam ostendit, cum dicit : *Sicut cinnamomum et balsamum aromatizans, odorem dedi ; quasi myrrha electa, dedi suavitatem odoris.* Sane per cinnamomum, quod est brevis frutex, colore subnigro vel cinereo, et fractum, spiramentum visibile emittit in modum nebulæ vel pulveris, humilitas significatur, quæ se quasi brevem et vilem dejiciens, etiam læsa magis humiliatur, et quasi visibile spiramentum boni dicti, vel facti, suis læsoribus reddit. Per balsamum vero, quod duobus cubitis eminet, foliis albis et semper manentibus, et læsum cum acuto lapide, emittit guttas odoris præcipui, benignitas significatur ; quæ semper albens et virens, D etiam læsa læsoribus gratiam beneficiorum reddere novit. Per myrrham etiam quæ amara est, et corpora incorrupta conservat, castimonia et mortificatio carnalium desideriorum significantur, quæ corpus et animam a vitiis conservant incorruptam. Divina igitur sapientia est odorifera sicut cinnamomum et balsamum et myrrha, quoniam sanctos suos virtute humilitatis, benignitatis et castitatis redolere facit.

Et si, fratres mei, sapientia Dei Patris, Dominus noster Jesus Christus, sic exaltat, sic decorat, sic redolere facit cæteros sanctos, quanto magis dilectissimam et singularem matrem suam ? Et mandatum quod de honorificatione patris et matris nobis dedit, quanto magis ipse custodit. Exaltavit itaque dilectissimam matrem suam sicut cedrum in Li-

Lano, sicut cypressum in monte Sion, et sicut palmam in Cades, qui eam in via super altitudinem fidei, spei, et charitatis, cæterarumque virtutum omnium superexcellenter exaltavit, et in patria super omnem angelorum et archangelorum celsitudinem singulariter sublimavit. Decoravit quoque eam sicut plantationem rosæ in Jericho, et sicut olivam speciosam in campis, et platanum exaltatam juxta aquam in plateis, quoniam eam etiam in via martyrii, testante Simeone dicente quod ejus animam pertransiret gladius (*Luc.* II), et misericordiæ, et magnanimitatis, cæterarumque virtutum operibus decoravit. Et in patria omni corona, omnique gloria, omni pulchritudine, claritate et honore, plusquam cor hominis capere possit, mirificavit. Redolere quoque fecit eam sicut cinnamomum et balsamum aromatizans, et sicut myrrham electam, quoniam tam bono odore, tam bona opinione humilitatis, benignitatis, virginitatisque singularis, cæterarumque omnium virtutum, eam aromatizavit. Quod universi fideles, tam illi qui adhuc sunt in via quam illi qui jam sunt in patria, omnisque militia cœlestis, in fragrantia illius incomparabili delectentur et admirentur dicentes : « Quæ est ista quæ ascendit de deserto sicut virgula fumi ex aromatibus mirrhæ et thuris, et omnis pulveris pigmentarii? » (*Cant.* IV.) Ineffabilem igitur fragrantiam sacratissimæ Virginis et Dei Matris, fratres charissimi, admiremur, admirando delectemur, delectando æmulemur, æmulando de longe pro viribus nostris imitemur, omnem maculam, omnem turpitudinem fugientes, studia virtutum, morumque bonorum sequentes, castitatem mentis et corporis conservantes, jejuniis et orationibus insistentes, operibus compassionis et misericordiæ semper radiantes, bonæ opinionis exemplo alios invitantes, gloriosam Dei Matrem, ut nostram adjuvet tarditatem, fletibus et suspiriis flagitantes et dicentes : O gloriosa Dei Mater, meritis et precibus tuis trahe nos post te, curremus in odore unguentorum tuorum. Nec poterit eam non exaudire de nobis, qui pro nobis de ea dignatus est nasci, Dominus noster Jesus Christus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

XXXI.

In eodem festo assumptionis beatæ mariæ.

In illo tempore, intravit Jesus in quoddam castellum, et mulier quædam, Martha nomine, excepit illum in domum suam (*Luc.* X). Et reliqua. In hac lectione, juxta tropologiam, trium vitarum exempla proponuntur nobis. Sunt enim tres vitæ quæ solæ regnum cœlorum merentur, activa scilicet, contemplativa et mista. Activa est laborantium, contemplativa oratorum, mista rectorum sive prædicatorum. Est autem officium activæ vitæ terrena recte dispensare, quod suum est unicuique reddere, Deo religionem, sibi munditiam, parentibus honorem, familiæ providentiam, filiis eruditionem, majoribus obedientiam, patriæ defensionem, minoribus tutelam, omnibus æquitatem, erranti correctionem, esurienti cibum, nudo vestimentum, peregrinis hospitium, et hujusmodi. Et quia hæc in labore est, ab actione frequenti activa nuncupatur. Contemplativæ vero officium est Dei gloriam contemplari, sola cœlestia meditari, toto desiderio ad æternam beatitudinem festinare, omnia caduca fastidire. Hujus studium triplex est oratio, lectio, meditatio. Orando loquitur ad Deum, legendo Deus sibi loquitur, meditando lecta memorantur. Oratione mundatur, lectione instruitur, meditatione philosophatur. Et quia in contemplatione studium ejus versatur, contemplativa vocatur. Mistæ quoque officium est, alternatim nunc contemplativæ, nunc activæ vices agere. Nunc contemplando adorare, legere, meditari. Nunc laborando instruere rudes, corrigere errantes, juvare indigentes, et hujusce modi. Hujus officium Dominus exsequebatur, quia nunc orabat in montibus et in solitudinibus, nunc prædicabat et curabat in urbibus et populosis locis. Unde et hic legimus, quia Jesus intravit in quoddam castellum. Activæ vero officium exsequebatur Martha, cum Dominum in sua persona, vel in suis membris suscipiebat, dum ei ministrabat, dum circa ministerium frequens erat. Contemplativæ officium exsequebatur Maria, quasi relicta cura et administratione, sedens secus pedes Domini, eum toto desiderio cernebat et audiebat. Erat autem sedens, id est quieta tam corpore quam mente, soli contemplationi et verbo Dei intenta. Et hoc est contra quosdam falsos contemplativos, qui, cum sedeant in claustro, vel in solitudine, corpore, tamen per universum mundum vagantur mente, nec sunt intenti orationi vel lectioni, sed rumoribus et vanitatibus. Et hoc solet eis contingere ex accedia, quæ maxime contemplativos solet vexare, cum non habeant solatia sociorum aut operum, quibus tædia sua possint relevare. Sed vos contemplativi per dilectionis fervorem excutite a vobis omnem torporem « Maledictus est enim qui opus Dei facit negligenter (*Jer.* XLVIII). » Et variate vestra studia, nunc orando, nunc legendo, nunc aliquid agendo, quoniam similitudo mater satietatis est.

Porro, juxta Evangelii seriem, tria nobis consideranda sunt. Quare istæ vitæ, cum sic sint diversæ, sorores dicantur, et quare Martha conqueratur, et quid ei a Domino respondeatur. Sane hæ duæ vitæ ideo sorores dicuntur, quia ex eadem origine procedunt, quia ad eumdem finem tendant, et se semper coadjuvent et comitentur. Ex eadem quippe dilectionis Dei et proximi est, et quod laborat Martha, et quod contemplatur et orat Maria, ad eumdem quoque finem tendunt, quia et illa ad hoc laborat, et hæc ad hoc philosophatur, ut Deo placeat et ad ejus visionem perveniat. Alias nec hæc vera Martha est, nec hæc vera Maria est. Sese etiam semper coadjuvant; nam Martha Mariam ministrando necessaria sustentat, ut ita possit contemplationi vacare, et ita quodammodo participat et suum facit bonum Mariæ, dicente Domino : « Qui

recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet (*Matth.* x). » Non enim ait : Mercedem de propheta, sed mercedem ipsius prophetæ, suum facit, dum eum sustinet, ut prophetare possit. Maria quoque juvat Martham pro ea Dominum orando, ne aliquando inter tot sollicitudines corruat, et ita meritum Marthæ facit suum. Sic itaque contemplativa et activa vita sese coadjuvant et comitantur, non solum in diversis, sed etiam in una et eadem persona. Nullus enim activus vivit recte, nisi et ipse aliquando contempletur et oret, aliter enim rationabiliter agere nequit. Nec aliquis contemplativus potest in hac vita sic contemplationi vacare, quin necesse sit eum ad activæ operationem descendere, similis aquilæ, qui, postquam ad astra volavit, et solem contemplatus est, rursus ad cadavera in terram descendit. Sed quare conqueritur apud Dominum Martha de Maria, dicens : *Domine, non est tibi curæ quod soror mea reliquit me solam ministrare? Dic ergo illi ut me adjuvet.* Non ideo quod putet officium Mariæ otiosum et nullum esse, ut quidam hodie putant, et ideo velit ad suum bonum officium Mariam transire, sed quoniam ipsa novit officium Mariæ peroptimum esse, et ideo vellet in suo inferiori officio, tamen necessario, a sua sorore juvari, quatenus, eo cito consummato, queat cum sorore eadem diutius desideratæ contemplationi vacare. Quod aperte contra quosdam falsos activos est, qui nunquam desiderant ad quietem contemplationis transire, sed semper curas et labores sæculares amant tractare, qui et si quandoque forte vacant corpore, tamen tunc sollicitantur et laborant mente, nec in curis et negotiis sui coadjutores quærunt habere, sed potius ipsi soli omnia volunt tractare, curas et labores habentes pro quiete, et quietem pro labore. Sed quando inter curas quietem habere poterunt, qui nec in ipsa quiete quietem habere non possunt. Quid autem Dominus pro Maria respondeat, ostenditur, cum subditur : *Martha, Martha, sollicita es et turbaris erga plurima. Porro unum est necessarium. Maria optimam partem elegit quæ non auferetur ab ea.* In his verbis Dominus partem Marthæ non reprehendit, sed partem Mariæ præponit. Officium enim Marthæ sibi placere demonstrat, cum illud suscipit, et cum *Martha, Martha*, ex magna affectione, geminat. Sed demonstrat illud inferius esse officio Mariæ, in tribus : quia videlicet Martha sollicita est in pluribus, et quia turbatur, et quia pars ejus aufertur. Quia enim sollicita est in pluribus, ideo uni necessario minus intenta est. Et quia turbatur, ideo veritatem minus contemplari potest. Et quia aufertur, ideo minus appetenda est. Et econtra pars Mariæ in eorum contrariis commendatur, quia uni tantum est intenta necessario, et quia non turbatur, sed manet inconcussa, et quia non aufertur, sed semper est mansura, et ideo magis appetenda. Attamen pars Marthæ fructuosior est in operibus et prodest pluribus, nec minoris meriti est. Quia si quid pulveris ex terrenis negotiis et curis quotidianis contrahit, charitas et profectus proximorum abluit. Porro quod sit illud unum quod omnibus est necessarium, ostendit Psalmista, dicens : « Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam (*Psal.* LXXII). » Huic uni tanquam anchoræ, cui soli intendunt contemplativi, adhærere semper et nos debemus activi, dum turbines et tempestates sollicitudinum et laborum et tribulationum temporalium nos jactant.

Notandum vero est quod Dominus, quamvis rogatus, non præcipit Mariam transire ad officium Marthæ, et quamvis laudet partem Mariæ, non præcipit Martham ad eam transire. Et quare? Quoniam novit hanc magis esse idoneam contemplationi quam actioni, et illam magis esse actioni quam contemplationi, et ideo vult utramque in vita magis sibi idonea salvare. Sunt enim quædam personæ tardioris et grossioris ingenii, magis ad temporalia quam ad spiritualia idoneæ, et econtra, quædam subtilioris ingenii, magis ad spiritualia quam ad mundana aptæ. Utræque ergo ad quos magis idoneæ sunt sese exerceant, ne, si forte ad id ad quod idoneæ non sunt, transeant, inutiles fiant. Quod bene significatur per hoc quod tabernaculum Moysi erat exterius coopertum pellibus et sagis cillicinis, ad expellendam intemperiem aeris. Interius vero splendebat coccus, purpura et byssus. Quia enim quidem homines grossæ mentis sunt minus idonei tractare spiritualia, ideo debent illud ad quod idonei sunt facere, scilicet exteriores curas et perturbationes suscipiendo ab eorum injuriis contemplativos protegere. Et quia quidem homines spirituales ad exteriora tractanda sunt minus idonei, debent interiora et spiritualia ad quod magis idonei sunt tractare, ne forte, si purpura et byssus ad intemperiem foris prodeant, gratiam suam amittant. Et econtra si sagæ et pelles interius ponantur, indecora et inutilia fiant. Vidi enim quosdam a claustro contemplationis egressos, non regressos esse, sed, more corvi missi a Noe, cadaveribus adhæsisse. Sunt et aliæ personæ, quæ ad utrumque sunt idoneæ, quæ et exteriora et interiora convenienter norunt tractare. Isti debent rectores Ecclesiarum constitui, qui vicissim sciant cum Moyse, et in tabernaculo per contemplationem Dominum consulere, et foras ad erudiendum regendumque populum exire. Qui ad exemplum columbæ Noe egressi, nec in exterioribus requiem invenientes, cum ramo olivæ, id est opere misericordiæ, exterius adepto, ad aream contemplationis festinant redire. Qui more Jacob speciem Rachel, id est contemplationis, magis diligant, et Liam, id est activam vitam, propter operum fecunditatem sustinere non recusant. Mystice vero castellum in quo Dominus intravit, uterus est beatæ Virginis. Quod bene congruit ei et nomine et significatione. Nomine, quoniam castellum sive castrum dicitur a castrando, eo quod propter vigilias et laborem armorum omnis libido eliminetur a castro. Ab utero quoque beatæ Virginis omnis libido propter labores et be-

nestas exercitationes exclusa fuit. Significatione, quoniam castellum dicitur quod est muris et propugnaculis circumvallatum, custodibus munitum, necessariis repletum. Castrum quoque beatæ Virginis fuit propugnaculis vallatum, ut abstinentia contra ingluviem, castitate contra luxuriam, munificentia contra avaritiam, patientia contra iram, humilitate contra superbiam Unde in Canticis canticorum : « Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus (*Cant.* IV). » Item : « Collum tuum sicut turris David, quæ ædificata est cum propugnaculis. Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium (*Ibid.*). » Fuit enim beata Virgo collum, per quod exiit ad nos Verbum Dei. Fuit etiam custodibus munitum, utpote quam Gabriel cæterique angeli, et sancti homines, ut Joseph et Joannes evangelista, ut Dei templum, sanctissime custodierunt. Fuit et necessariis repletum, utpote in qua fecit sibi cellarium panis vitæ et aqua sapientiæ. Fuit igitur beata Virgo castellum, et quoddam, id est singulare, quia, quamvis cæteræ virgines possint esse mundæ et castæ, tamen nulla potest esse similis, et Virgo et Mater. Quod et si concedamus posse fieri, nulla tamen alia potest esse mater Filii Dei. Qui sicut est unico Patri, ita est unicus unicæ matri. In hoc igitur castissimum castellum intravit Jesus. Porta vero per quam intravit, fides est. Quia enim credidit, perfecta sunt ei omnia quæ dicta sunt ei a Domino. Nec intrans Jesus hoc castellum violavit; Jesus enim salvat, non violat. Secundum nomen ejus, ita et opus ejus.

Et mulier quædam, Martha nomine, excepit illum in domum suam, etc. Nulla sic exsecuta est officium Marthæ, ut beata Virgo. Alii quemlibet hospitem in domo sua suscipiunt, hæc et istud ad litteram fecisse creditur, et quod est majus, ipsum Filium Dei, qui non habet ubi caput suum reclinet (*Luc.* IX), in utero suscepit. Alii nudum quemlibet veste cooperiunt; hæc et istud fecisse creditur, et quod majus est, ipsum Filium Dei propria carne vestivit. Alii quemlibet esurientem cibo vel potu reficiunt; hæc et istud fecisse creditur, et etiam ipsum Filium Dei secundum carnem esurientem, etiam interiori lacte suo potavit, et cætera humanitatis officia ei diligentissime exhibuit, ut de ea merito dicatur : *Martha vero satagebat circa frequens ministerium*. Inter hæc etiam sollicita erat, et turbabatur, cum fugeret in Ægyptum a facie Herodis suum talem filium persequentis (*Matth.* II). Turbabatur cum Judæos insidiantes, et ei mortem machinantes agnosceret. Comprehenso quoque et crucifixo adfuit, imo etiam ipsius animam idem gladius passionis transverberavit (*Luc.* II). Unde et bene congruit quod dicitur : *Martha, Martha, sollicita es, et turbaris erga plurima*. Nemo vero dubitat quin beata Maria vellet filium suum de omni tribulatione liberari, et seipsam in turbatione adjuvari a divinitate, quam eidem filio suo noverat inesse per theoriam quæ est pars Mariæ. Et est quod conqueritur Martha, quod eam solam soror ministrare relinquit. Et si talis est in beata Virgine pars Marthæ, qualis putatis est in ea quæ optima pars prædicatur Mariæ? O quam magna multitudo dulcedinis fuit in ea, quando Spiritus sanctus in eam venit, et virtus Altissimi obumbravit, et de eodem Spiritu sancto concepit! Quid de Deo non aspiciebat, in qua Dei sapientia latebat? Et quid de Deo non sapiebat, quæ ipsum thesaurum sapientiæ et scientiæ in se portabat? Nemo unquam sic gustavit quam suavis est Dominus. Hæc conservabat omnia verba angelorum, pastorum, magorum, necnon et ipsius filii sui, conferens in corde suo (*Luc.* II). Circa plurima occupabatur, ut Martha, circa unum delectabatur, ut Maria. Singulariter igitur partem Marthæ peregit, singulariter optimam partem Mariæ elegit. Sed pars Marthæ ei aufertur bono suo, quia pars Mariæ ei perficitur quæ non auferetur ab ea. Exaltata est enim super choros angelorum, repletum est in bonis desiderium suum, quæ gaudet et regnat cum filio suo in æternum, apud ipsum pro nobis semper intercedens, si tamen ad exemplum ejus fuerimus vel Martha, Christum in pauperibus suscipiendo, cibando, vestiendo, cæteraque opera misericordiæ ministrando, vel si fuerimus Maria, soli Christo cunctis transitoriis spretis adhærendo, contemplationi, lectioni, orationi, cæterisque virtutibus vacando, et ad Deum toto desiderio festinando et perveniendo. Quod gloriosis precibus ejusdem beatissimæ matris suæ nobis concedere dignetur, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

XXXII.

IN FESTO SANCTI BARTHOLOMÆI.

« *Facta est contentio inter discipulos, quis eorum videretur esse major* (*Luc.* IX), et reliqua. Quinquepertita est lectio ista, fratres mei. Primo enim contendunt discipuli de prælatione. Secundo, Dominus eos redarguens ostendit de quo non debeant, vel debeant contendere. Tertio, exemplo suo eos invitat. Quarto, quæ sit summa meriti eorum demonstrat. Quinto, quod præmium esset eis daturus manifestat. Primo igitur discipuli narrantur de prælatione contendisse, cum dicitur : *Facta est contentio inter discipulos, quis eorum videretur esse major*. Sicut bonorum est in Scripturis attendere unde in melius proficiant, sic perversorum est in Scripturis accipere, unde nequitias suas vel defendant, vel excusent, ideoque multo ardentius attendunt quod facta est contentio inter discipulos Christi, quis eorum videretur esse major, quam quod « multitudinis credentium erat cor unum et anima una (*Act.* IV). » Multo recolunt tenacius quod facta est contentio inter Paulum et Barnabam, ita ut discederent ab invicem, quam quod idem Paulus dicit : « Cum sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis? » (*I Cor.* I.) Quasi nobis infirmitas sanctorum præponatur imitanda et non illud potius, quia « convaluerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello (*Hebr.* XI). » Non enim proponitur nobis contentio vel infirmitas sanctorum ad

imitandum, sed potius ad cavendum. Attamen de qua prælatione contenderent, dubium est. Si enim de exteriori prælatione contendebant, constat quia, tanquam carnales adhuc, errabant. Unde et a Domino redarguuntur dicente : *Reges gentium dominantur eorum, et qui potestatem habent super eos benefici vocantur. Vos autem non sic.* Ac si diceret : Non more sæcularium de prælatione et laude contendatis. Si autem (quod magis credo) de prælatione virtutis contendebant, juxta quod Dominus eis præceperat : « Contendite intrare per angustam portam (*Matth.* VII ; *Luc.* XIII), » nequaquam in hoc peccabant, nec de hoc a Domino redarguuntur, sed potius ab eo eruditur, quod de virtute et sanctitate contendere debent, non per elationem, sed per humilitatem. Porro insitum est nobis, fratres mei, naturaliter concupiscere et ambire. Cum enim omnis anima creata sit a Deo concupiscibilis, naturaliter concupiscit profectum et honorem suum. Sed in electione concupiscendorum, falluntur sæculares, qui spiritualia et æterna bona vel ignorantes, vel negligentes, sola transitoria mirantur, cupiunt et ea quocunque modo rapere contendunt. At viri spirituales, spiritualia bona jam degustantes, et æterna prædorantes, illa sola. contemptis divitiis sæcularibus et honoribus, ambiunt et appetunt. Sed quia norunt profectum virtutum sine humilitate esse præcipitium, in virtutibus per humilitatem proficere contendunt. Quia igitur, fratres mei, non concupiscere non possumus, vera et æterna bona concupiscamus. Quanto magis enim desideraverimus æterna, tanto magis vilescant nobis terrena.

Sequitur pars secunda, in qua Dominus discipulos de quo non debeant, vel debeant contendere, informat. Porro de quo non debeant contendere, eos informat, cum subdit : *Reges gentium dominantur eorum, et qui potestatem habent super illos benefici vocantur.* Ac si aperte dicat : Illi per ambitionem rapiunt sibi regnum, vel potestatem super gentes. Exercent super eas non regimen, sed magis dominationem per superbiam, et amant ab eis laudari et honorari per inanem gloriam. *Vos autem non sic*, id est, non ambietis prælationem. Et si ad eam fueritis vocati, non amabitis dominari et honorari, sed potius humiliari, laborare et ministrare. Unde et Petrus : « Neque, inquit, ut dominantes in clero, sed forma facti gregis ex animo (*I Petr.* V). » Cum enim omnes homines æquales creati sint, superbia est super æquales velle dominari. Sed quia quidam homines a ratione deviantes, peccando fiunt animales, necesse est ut rationales et spirituales homines eis corrigendis et regendis præficiantur, et in hoc non hominibus, sed animabus dominentur. Debet igitur prælatus se exhibere et bonis tanquam socium, et perversis tanquam dominum, ita tamen quod in ipsis perversis sciat prudenter persequi culpam, et fovere naturam, ut nec propter correctionem cadat ab amore, nec propter amorem, a correctione. Sed etiam ipsum quem corripit exterius, sibi præponat interius, attendens se cum major sit gradu et scientia similia vel etiam graviora commisisse, vel committere posse. Quod aperte contra quosdam est, qui per ambitionem super meliores et prudentiores rapiunt principatum, et non regnum super eos exercent, sed tyrannidem, « amantes primos accubitus in cœnis, et salutationes in foro, et vocari ab hominibus Rabbi (*Luc.* XIV), » vitia tam in se quam in subditis nutrientes, et spiritum exstinguentes. De quibus vero discipuli Christi debeant contendere ostendit ipse, cum dicit : *Sed qui major est vestrum, fiat sicut junior; et qui præcessor est, sicut ministrator.* Ac si aperte dicat : Non contendetis de prælatione et dominio, sed potius de humilitate et ministerio. *Qui major est*, inquit, *vestrum*, subaudis, merito virtutum, *fiat sicut junior*, id est inferior, non quidem sola voce et simulatione, ut hypocritæ, sed etiam vera sui æstimatione. Quod erit si seipsum vere cognoscens, semper infirmitates, vitia et peccata sua, aliorum vero bona consideret. Hoc enim pensans, non solum bonis quibuslibet minoribus non audebit se præferre, sed nec etiam quantumcunque peccatoribus, cogitando se posse ruere, et illos per pœnitentiam, etiam ad summas virtutes ascendere posse. Quis enim considerans Judæ apostoli ruinam, et Magdalenæ restaurationem, audeat se, quantumcunque justum, præferre alicui quantumcunque peccatori ? *Et qui præcessor est*, inquit, gradu prælationis, *fiat sicut ministrator*, non sola similitudine, sed veritate. Cum enim episcopus superintendens dicatur, et intendere. vigilare, custodire, timere, et sollicitum esse pro subditis, sit magis ministrantis quam dominantis officium, patet quod officium episcopi est magis ministrare quam ministrari, et episcopus magis minister debet dici quam dominus. Hoc autem probat per similitudinem, cum subdit : *Nam quis major est*, juxta judicium scilicet sæculi, *qui recumbit an qui ministrat? Nonne qui recumbit?* Porro officium ministri est tam pro se quam pro aliis sollicitum esse, necessaria præparare, et quod unicuique necessarium est apponere. Recumbentis vero est pro se solo sollicitum esse, sedere et appositis uti. Episcopus ergo et sacerdos est in Ecclesia tanquam minister, quoniam non tam pro se quam pro aliis sollicitus est, et quoniam sacramenta et prædicationis verba aliis habet præparare, et quoniam unicuique verbum vel sacramentum necessarium habet apponere. Plebs vero est in Ecclesia quasi recumbens, quoniam pro se tantum unusquisque sollicitus est, et non stat quasi ad aliquid agendum, sed semper quasi discumbit ad audiendum, et appositam expositamque suscipit prædicationem.

Sequitur pars tertia, in qua Dominus exemplo sui invitat discipulos ad humilitatem et ad ministerium, cum subdit : *Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat.* Quomodo Dominus officium ministri expleat, ostendit ipse cum se officium pastoris et medici facturum demonstrat per Ezechielem pro-

phetam, dicens : « Ecce ego requiram oves meas, et visitabo eas sicut pastor visitat gregem suum in die, quando fuerit in medio ovium suarum dissipatarum. Quod perierat requiram, quod abjectum fuerat reducam, et quod fractum fuerat alligabo, et quod infirmum fuit consolidabo, et quod forte et pingue custodiam, et pascam eas in judicio et justitia (*Ezech.* XXXIV). » Et Isaias : « Sicut pastor, inquit, gregem suum pascet, in brachio suo congregabit agnos, et in sinu suo levabit, fetas ipse portabit (*Isa.* XL). » Sane Dominus quod perierat requisivit, quando hominem perditum redimere venit. Quod abjectum fuerat reduxit, quando gentes, per idololatriam abjectas, ad fidem vocavit. Quod fractum fuerat alligavit, quando Magdalenam, et Saulum, et consimiles, desperatione fractos, alligavit. Quod infirmum fuerat consolidavit, quando infirmitatem discipulorum per Spiritum sanctum roboravit. Quod forte et pingue est custodit, quando viros sanctos ne aliquando in tentationibus corruant, custodit. Pascit eos in judicio et justitia, quoniam eos recte et justa intentione instruit. In brachio suo congregabit agnos, quoniam electos suos de diversis mundi partibus in unionem fidei convocat. In sinu suo eos levat, quoniam earum teneritudinem in sinu misericordiæ suæ confovet et conservat. Fetas ipse portat, quoniam animas per prædicationem alias generantes, ne ab hoc labore deficiant, beneficio gratiarum supportat. Quem nos quoque qualescunque pastores pro modulo nostro imitantes, quod perierat per infidelitatem, ut Judæum et gentilem, per prædicationem requiramus. Quod adjectum est per excommunicationem, per reconciliationem reducamus. Quod fractum est per tribulationes, per consolationes alligemus. Quod infirmum est, per confortationem consolidemus. Quod pingue et forte est, per pastoralem sollicitudinem custodiamus. Oves Christi recte et juste doceamus, dispersos et diversos in unitatem congregemus, infirmos et rudes in sinu nostro confoveamus, animas alias parturientes, et parientes, ne in hoc deficiant, adjuvemus. Non solum vero officium ministri Dominus suscepit, sed etiam servi. Nunquid enim, fratres mei, formam et humilitatem servi suscipere, hominibus se subdere, tributum reddere, pedes lavare, flagella, contumelias, injurias sustinere, se pro aliis morti opponere, nonne hoc magis servi quam Domini, vel etiam quam ministri officium est? Nos quoque, fratres mei, qualescunque sumus, vicem Christi in Ecclesia tenemus, non solum ministri, sed etiam servi officium fratribus nostris exhibeamus, et eis nos subdere, pedes eorum lavare, contumelias et injurias pro eis sustinere, et pro eis non solum nostra, sed etiam vitam nostram ponere dubitemus; alias, veri pastoris officium non tenemus.

Sequitur pars quarta, in qua Dominus ostendit quæ summa sit meriti discipulorum suorum, cum subdit : *Vos autem estis qui permansistis mecum in tentationibus meis.* Nulla, fratres mei, tentatio interior Dominum pulsavit, sed infirmitates et persecutiones exteriores, per causam tentationes vocat. Infirmitates, ut esuriem, sitim, lassitudinem, et hujusmodi. Persecutiones, diaboli, vel membrorum ejus, insidias, contumelias, flagella, injurias, mortes. Inter quas tentationes, discipuli cum Christo non solum fide et charitate permanserunt, sed etiam eas cum Christo experti sunt. Magna et mira fuit fides et meritum apostolorum. Nonne enim magnum et admirabile fuit, quod illum, quem videbant hominem, credebant Deum : et quem videbant mortalem, credebant immortalem? et quem videbant infirmum, credebant omnipotentem? Sed quid ad hoc dicturi sumus, fratres mei? Illi cum Christo adhuc infirmo, egeno et mortali, fide et charitate permanserunt, et nos cum eodem jam glorificato, jam immortali, cœlo et terræ imperanti, vera fide et charitate permanere non possumus? Illi cum Christo et pro Christo patiente patiebantur, et nos pro eo jam suos glorificante, pati reformidamus?

Sequitur pars quinta, in qua Dominus præmium apostolorum demonstrat, cum subdit : *Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo, et sedeatis super thronos duodecim, judicantes duodecim tribus Israel.* Hæc est mutatio dextræ Excelsi, ut qui nunc humiles cum Christo gaudent ministrare conservis, tunc sublimes cum Christo regnent. Qui nunc gaudent esurire cum Christo, tunc cum Christo æternis deliciis reficiantur. Qui nunc laborant et patiuntur cum Christo, tunc cum Christo sedeant. Qui nunc injuste judicantur, cum Christo, tunc cum Christo suos judices judicent. Constituit autem præmium apostolorum in quatuor, scilicet in honore regnandi, in voluptate epulandi, in requie sedendi, in potestate judicandi, quamvis tunc cesset omnis prælatio, omnis necessitas epulandi, sedendi, judicandi. Cum enim illa æterna bona tanta sint, « quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit (*I Cor.* II), » constat quia nec humanis possunt exprimi verbis. Sed quia necesse erat ea nobis quoquomodo significari, ideo significantur vocabulis translatis ab illis rebus quæ magis hic appetuntur. Magis autem appetuntur in hac vita honor, voluptas, requies et potestas. Quæ quidem erunt et in illa æterna vita, sed non talia qualia nunc, quia erit ibi honor verus et sine termino; voluptas vera, et sine fastidio; requies vera, et sine fine. Quod nobis concedere dignetur meritis et precibus beati Bartholomæi omnipotens Dominus, Pater, Filius, et Spiritus sanctus. Amen.

Vita Bartholomæi apostoli.

Eusebius, de S. Bartholomæo : Bartholomæus Indiam citeriorem sortitus est, lib. III, cap. 1, et lib. V, cap. 10, sic scribit : Pantæmium ferunt, cum ad Indos pervenisset, reperisse quod Bartholomæus apostolus apud eos fidei semina prima condiderit, et Matthæi evangelium Hebræis scriptum litteris dereliquerit, etc. Joachimus Vadianus sic meminit S. Bartholomæi : Inter suppliciorum genera excoriationem Persas habuisse. Marcellinus, lib. XXIII, tradit pœnam

sine dubio vicinis etiam gentibus cognitam, ut verisimile sit, quod de Bartholomæo Orientis apostolo excoriato proditum est. De S. Bartholomæo sic habet D. Hieronymus (12) : Bartholomæus apostolus Indis iis qui dicuntur fortunati, prædicavit Evangelium Christi et Evangelium quod est *secundum Matthæum* eis tradidit. Dormivit autem Albanopoli, oppido Majoris Armeniæ.

Miraculum de corpore D. Bartholomæi apostoli per beatum Gregorium archiep. Turonensem scriptum.

Bartholomæum apostolum apud Indiam passum agonis ipsius narrat historia. Post multorum vero annorum spatia a passione ejus, cum iterum Christiana persecutio advenisset, et viderent gentiles omnem populum ad ejus sepulcrum concurrere, eique deprecationis assiduæ incensa deferre, invidia illecti abstulerunt corpus ejus, et ponentes in sarcophagum plumbeum projecerunt illud in mare, dicentes : « Quia non seduces amplius populum nostrum. » Sed providentia Dei cooperante, per secretum operis ejus, sarcophagum plumbeum, a loco illo aquis subvehentibus sublevatum, delatum est ad insulam, vocabulo Liparis, revelatumque est Christianis, ut eum colligerent, collectumque est ac sepultum. Super quo etiam ædificaverunt templum magnum, in qua nunc invocatus prodesse populis multis virtutibus ac beneficiis manifestatur.

XXXIII.

IN DECOLLATIONE BEATI JOANNIS BAPTISTÆ.

Misit Herodes et tenuit Joannem, et vinxit eum in carcerem propter Herodiadem uxorem fratris sui Philippi, quia duxerat eam (*Marc.* VI), et rel. In hac sancti Evangelii lectione, fratres charissimi, quatuor nobis proponuntur, videlicet quanta sit benignitas justorum in malos, et quanta sit malignitas malorum in justos, et quomodo de malo in pejus mali corruant, et quomodo de bono in melius boni proficiant. Porro quanta sit benignitas justorum in malos, primum ostenditur hic per beatissimum Joannem Baptistam, qui more boni prædicatoris habuit erga Herodem iniquum et adulterum, discretam charitatem, et severam justitiam, et rectam compassionem. Discretam quippe charitatem habuit erga eum, quando ita dilexit ejus naturam, quod odio habuit iniquitatem ejus, et ita odio habuit ejus iniquitatem, quod vere dilexit ejus naturam. Sic enim diligendi sunt homines, quod eorum non diligantur errores. Quod est contra quosdam, qui vel propter amorem hominum, fovent vitia eorum, vel propter odium vitiorum, persequuntur naturam hominum. Rigidam quoque justitiam erga Herodem exercuit, qui, quamvis esset rex, quamvis crudelis et persecutor sanctorum, tamen ubi cæteri tacebant, se propter justitiam opposuit, et cum de adulterio cum uxore fratris, cæterisque malis, aspere corrigere non dubitavit. Quod est contra nos indignos prædicatores, qui et vitia potentum vel palpamus, vel molliter corrigimus : et vitia pauperum et inferiorum crudeliter et superbe corrigimus. Ut quid hoc? Nisi quia neutros vere non diligimus, et neutris veram justitiam exercemus, dum illis propter divitias, mollitiem et istis propter paupertatis contemptum, crudelitatem exhibemus, facti personarum acceptores. Rectam quoque compassionem ei exhibuit, quoniam, quamvis ab eo injurias, vincula et carcerem sustineret, tamen plus deflebat ejus insaniam et perditionem quam injuriam ab eo sibi irrogatam. Quod quoque contra nos est, qui si forte ab aliquo fratre nostro lædimur, non ejus stultitiæ compatimur, sed ira contra illum inardescimus, vindictam quærimus, et perditionem illius desideramus. Secundo vero, quanta sit malignitas malorum in justos, ostenditur per Herodem ; quæ illi, tam sancto et tam diligenti monitori suo, reddit mala pro bonis, more serpentis, pro amore odium, pro justitia injustitiam, pro compassione crudelitatis immanitatem, juxta illud Psalmistæ : « Et posuerunt, inquit, adversum me mala pro bonis, et odium pro dilectione mea (*Psal.* CVIII); » et alibi : « Perfecto odio oderam illos, inimici facti sunt mihi (*Psal.* CXXXVIII). » Perfectum quippe odium, id est odium perfectorum, est odio habere malitiam hominum, et non naturam, pro quo bono odio mali reddunt eis iniquum odium, odientes et persequentes eorum naturam et sanctitatem. Quia enim Joannes liberare volebat Herodem de manu diaboli et de vinculis peccatorum, ideo Herodes tenuit et vinculavit Joannem. Quia Joannes volebat eripere Herodem de carcere mortis et inferni, ideo Herodes incarceravit eum. Quia Joannes volebat vivificare Herodem, ideo Herodes occidit eum. Et hoc est quod ait evangelista : *Misit Herodes et tenuit Joannem, et vinxit eum in carcerem propter Herodiadem uxorem fratris sui, quia duxerat eam. Dicebat enim Joannes Herodi : Non licet tibi habere uxorem fratris tui. Herodias autem insidiabatur illi*, ideo quia volebat eam separare ab adulterio, et eam reddere legitimo viro, *et volebat eum occidere, nec poterat. Herodes enim metuebat Joannem, sciens eum virum sanctum et justum, et custodiebat eum*, a manu Herodiadis. Ecce, fratres mei, quamvis Herodes teneret sanctum Joannem in vinculis et in carcere, tamen metuebat eum. Et quare? Causam subdit : *Sciens eum virum sanctum et justum*. Sic, fratres mei, sic semper timet iniquus, quantumcunque sit potens, justum, malus bonum, luxuriosus castum. Scit enim, teste conscientia sua, se reum, et illum innocentem, se esse dignum morte, et illum dignum vita. Et ideo quidquid hic patiatur, beata est innocentia, et quantumcunque hic prosperetur, infelix est malitia, quia seipsam penes se damnat, et illam justificat. *Et audito eo*, inquit, *multa faciebat*, minima scilicet, majora prætermittens, ut excolens culicem, camelum vero glutiens (*Matth.* XXIII). *Et libenter eum audiebat*. Factus enim erat ei Joannes, juxta prophetam, quasi organum musicum (*Job* XXX), cujus vocem magis ei audire gratum erat quam facere. Hæc omnia, fratres charissimi, quod Herodes sciebat Joannem virum sanctum et justum, et quod libenter eum audiebat, et de auditis multa faciebat, replicantur ad exagerationem malitiæ Herodis qui talem et tantum sciebat, et tamen eum occidebat.

Tertio, quomodo mali corruant de malo in pejus, ostenditur per Herodem et Herodiadem, cum subdi-

(12) Lib. De viris illustribus.

tur : *Cum autem dies opportunus accidisset.* Cui opportunus, et ad quid opportunus? Herodiadi ad occidendum Joannem, quod ante non poterat. Et etiam ipsi Herodi, qui tunc sibi visus est justam habere occasionem occidendi sanctum, quam ante non habebat. *Herodes natalis sui cœnam fecit.* Quia enim Herodes diem natalis sui agebat festivam, ideo meruit mortem habere lugubrem. In die enim natalis nostri, fratres mei, festivare non debemus, sed potius lugere, quia, quando in hunc mundum intramus, in miseriam et culpam cadimus. Hinc est quod quando homo nascitur, lugere potest, ridere non potest. Obitum vero sanctorum debemus solemnizare, quoniam tunc exuunt miseriam, et vitam accipiunt gloriosam et æternam. Unde et eorum natalitia nuncupamus. Et quibus fecit Herodes cœnam? Non pauperibus et hospitibus, sed principibus et tribunis, et primis Galilææ, contemnens mandatum Domini dicentis : « Cum facis prandium, noli vocare amicos, neque fratres tuos et divites, ne forte reinvitent te, et fiat tibi retributio, sed voca pauperes et debiles, et beatus eris, quia non habent unde retribuant tibi; retribuetur autem in resurrectione justorum (*Luc.* XIV). » *Cum autem intrasset filia ipsius Herodiadis, et saltasset, et placuisset Herodi, simulque discumbentibus, rex ait puellæ : Pete a me quod vis, et dabo tibi. Et juravit illi, quia quidquid petieris, dabo tibi. Licet dimidium regni mei.* Ecce quot mala proveniunt ex ingluvie. Quia, cum Herodes superfluæ et frequenti intentus esset comessationi, cecidit in amorem meretricum. Sicut enim genitalia pendent ex ventre, ita luxuria ex ingluvie. Et pro ordine membrorum, est ordo vitiorum. Unde legitur quod abundantia panis fuit causa Sodomitis ignominiosæ fornicationis (*Ezech.* XVI). Rursus quia intentus erat superfluæ et frequenti comessationi, cecidit in amorem saltatriæ, mimorum, et scurrilium. Scriptum est enim : « Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere (*Exod.* XXXII). » Rursus ex eadem causa cecidit in inconsideratam promissionem et temerarium juramentum. In comessationibus enim solet abundare multiloquium, ex quo provenit inconsiderata locutio et temerarium juramentum; crimina enim criminibus vindicantur : unde Joannes in Apocalypsi : Justum est ut « qui in sordibus est, sordescat adhuc (*Apoc.* XXII). »

Sequitur : *Quæ cum exiisset, dixit matri suæ : Quid petam? At illa dixit ei : Caput Joannis Baptistæ.* Ecce quid crudelius est meretrice. Scriptum est enim : « Non est caput nequius super caput colubri, et non est malitia super malitiam mulieris (*Eccli.* XXV). » Et oblita sexus sui, oblita pudoris et reverentiæ, in tam solemni convivio, et coram tot principibus, jugulum tam sanctissimi hominis, et ob tam pudendam causam postulare non erubescit. *Et contristatus est*, inquit, *rex propter jusjurandum, et propter simul discumbentes noluit eam contristari, sed missso spiculatore, præcepit afferri caput Joannis Baptistæ in disco.* Ecce, fratres mei, Herodes ex intemperantia ingluviei et luxuriæ ad quantam venit cæcitatem mentis, ut mallet occidere tam sanctum virum, quam temerarium mutare juramentum, mallet Deum et homines offendere quam adulteram et saltatricem contristari, mallet apparere impius quam vaniloquus, mallet suum natalem et cœnam tam solemnem, et tot principum præsentiam sanguineo capite occisi hominis maculare, quam adulteræ tam sacrilegam petitionem denegare. Impii, quorum nullus inventus est qui temerariam regis promissionem et juramentum saniori consilio moneret esse permutandum, præsertim cum viderent eum contristatum esse propter juramentum, nisi forte intellexerunt tristitiam regis fictam esse, et eum sub tali excusatione voluntatis suæ impletionem præstruxisse. Ecce Herodes et Herodias, ruentes de ingluvie in adulterium, et de adulterio in mentis cæcitatem, de cæcitate in homicidium patriarchæ, et demum in æternam præcipitantur damnationem. Quarto vero demonstratur quomodo boni proficiant de bono in melius per Joannem Baptistam. Qui, ut præmonstratum est, de bono charitatis, profecit in bono prædicationis; de bono prædicationis, in triumphum martyrii; de triumpho martyrii, in æternam beatitudinem, juxta quod legitur in Apocalypsi : Justum est ut « qui sanctus est, sanctificetur adhuc (*Apoc.* XXII). » Et Psalmista : « Beatus vir, cujus est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum, in loco quem posuit. Etenim benedictionem dabit legislator, « ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion (*Psal.* LXXXIII). » Nos itaque, fratres mei, vitam et malitiam pravorum detestantes, comessationes et ebrietates fugiamus, meretricum et saltatricum, et scurrarum pestem fugiamus et evitemus, et in silentio et temperantia comedentes, sacram lectionem audiamus, multiloquium, stultiloquium et temeraria juramenta caveamus. Sed et si quid forte temerarie promiserimus vel juraverimus, melius est illud mutare quam in pejus corruere. Juravit quoque David quod occideret Nabal stultum, sed ad primam intercessionem Abigail prudentis feminæ, revocavit ensem in vaginam, nec aliquid culpæ tali perjurio se doluit contraxisse (*I Reg.* XXV). Joannis vero sanctitatem æmulantes, discamus et proximum nostrum vere diligere, delinquentium vitia corrigere, pro justitia non solum nostra, sed etiam vitam nostram ponere, mundana contemnere, ad æternam beatitudinem toto desiderio festinare. Quod precibus sui præcursoris et baptistæ concedat nobis Deus et Dominus noster Jesus Christus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

De decollatione sancti Joannis Baptistæ. Ex Baptista Mantuano.

Herodes, Herode satus, vesana propago,
De patre vesano fratris consorte Philippi

Usurpata, ingens scelus, immanemque rapinam,
Ausus erat, tantumque nefas jactabat in horas.
Id Baptista, palam facinus reprehendere adortus,
Iram Herodiadis, nam regis adultera nomen
Hoc habuit, subito incurrit; crudelior hydra
Illa sacro insidias vati, laqueosque tetendit.
Huic erat eximio vultu viridique juventa
Filia, quæ, cum rex proceres ad festa vocasset,
Natali celebranda die salutaverat inter
Solemnes epulas, et regia pectora tantum
Moverat, ut se rex peteret quæcunque daturum
Dixerit, hæc sceleri vox est via facta nefando.
Nam cum consuleret matrem petitura quid esset,
Mater, ait : Pete Baptistæ, pete, filia, nobis
Funestum dirumque caput, linguamque procacem.
Ipse autem dudum vates in vincula missus
Ob regale odium fuerat, vinctusque jacebat
Qua sedet in terris Arabum Macheronta Sabæis.
O scelus, o immane nefas, o cognita nunquam
Ante hæc impietas! Hominum sanctissimus isti
Traditur incestæ, pellex olidissima calcat
Fas et jura, decus mundi ludibrio habetur
A meretrice, jocus de majestate triumphat,
De virtute scelus, de jure injuria, sicque
Naturæ ac simul, ac morum subvertitur ordo,
Quo Deus hoc vultu vidit? cur sidera non sunt
Hoc opus indignata? solum cur pertulit hujus
Criminis auctorem? cur non absorbuit Orcus
Illico? Et ad stygias subito non corruit umbras

XXXIV.

IN NATIVITATE BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

Ecce ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris, et flores mei fructus honoris et honestatis (*Eccli.* XXIV), etc. Hæc verba, fratres mei, verba sunt sapientiæ non mundanæ, quæ reprobatur, sed illius quæ ex ore Altissimi prodiit, et per quam Deus Pater mundum creavit et redemit. Hæc itaque tanquam piissima mater, ad ubera dulcissimæ doctrinæ suæ nos invitat. Et hoc modo. Primo, se fructiferam demonstrat. Secundo, nos ad se invitat. Tertio, qualis ipsa sit, dicit. Quarto, quam ipsa sit utilis, ostendit. Primo igitur demonstrat se fructiferam esse, cum dicit : *Ego quasi vitis fructificavi*, etc. Ac si aperte dicat : Non sum sterilis sicut mundana sapientia, quæ non generat nisi mortem, sed sicut vitis fructificavi per prophetas, per apostolos cæterosque sanctos, qui mihi adhærent tanquam palmites viti. Porro vitis tria habet : nullum tibi fructum reddit, nisi diligenter excolas. Exculta vero dabit tibi flores suaviter olentes et fructus inebriantes. Divina quoque sapientia nihil tibi proderit, nisi eam cum summo studio et labore excolueris. Pigros enim et somnolentos odit. Unde et ipsa clamat : « Beatus qui audit me, et qui vigilat ad fores meas quotidie (*Proverb.* VIII). » Exculta vero dabit tibi flores redolentes, et fructus inebriantes. Cum enim divinæ sapientiæ cœperis designanter invigilare, incipiet paulatim te magis ac magis suo mirabili odore delectare et allicere, et tandem suo mirabili sapore inebriare, et mentem tuam a terrenis ad amorem cœlestium alienare, ut possis dicere cum Propheta : « Et calix tuus inebrians, quam præclarus est! » (*Psal.* XXII.) Hoc musto erant ebrii apostoli in die Pentecostes (*Act.* II). Hoc musto usque hodie sunt ebrii viri spirituales, qui sola invisibilia desiderantes, omnia terrena tanquam stercora asperna-

A tur, unde quasi stulti et amentes in hoc sæculo reputantur. Inebriat quidem et calix Babylonis, id est sapientia mundanæ cupiditatis, quosdam. Sed calix iste non est præclarus, quoniam non illuminat mentes hominum sicut divina sapientia, sed potius eas excæcat, et in foveam æternæ damnationis præcipitat. Et quid fructificavisti? *Suavitatem odoris*, et flores suaviter olentes, videlicet virtutes et opera earum, quæ sanctos ita reddunt famosos, et bonæ opinionis, quod etiam absentes et remotissimos delectent. *Et flores mei fructus honoris et honestatis.* Ac si dicat : Flores mei non sunt inanes et infructuosi, quemadmodum flores mundanæ et carnalis sapientiæ, de qua dicitur : « Omnis caro fenum, et omnis gloria ejus tanquam flos agri. Exsiccatum
B est fenum, et cecedit flos, verbum autem Domini manet in æternum (*Isa.* XL). » Sed flores mei, id est virtutes et bona opera, quibus meos fiorere facio, generant fructus honoris et honestatis, id est vitam æternam et beatam, ubi nullus honorabitur sine honestate, et nullus honestabitur sine honore, sicut in hoc misero sæculo, ubi multi habent honorem sine honestate, et multi habent honestatem sine honore. Deinde qui sunt illi flores, et qui sunt illi fructus apertius exponit, cum subdit : *Ego mater pulchræ dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctæ spei.* Dilectionem Dei et proximi cæteris virtutibus præponit, ideo quia ipsa est causa omnium virtutum. Quam et pulchram vocat ad differentiam car-
C nalis dilectionis, quæ plerumque turpis et fœda est. Cui etiam adjungit timorem, quoniam diligere debemus cum timore, et timere cum dilectione. Sed quia nec vere diligere, nec vere timere possumus, nisi quid sit diligendum et quid timendum agnoverimus, adjungit agnitionem, id est fidem, quam ideo agnitionem vocat, quia per eam solam agnoscimus quid timere et diligere debemus. Quibus etiam adjungit spem, quoniam inutiliter diligimus, inutiliter timemus, inutiliter Deum credimus, nisi in eum sanctam, id est firmam, spem habeamus *In me*, inquit, *omnis gratia viæ et veritatis, in me omnis spes vitæ et virtutis*, id est vitæ æternæ, quæ semper est virtuosa et virens.

Sequitur pars secunda, in qua Dei sapientia nos
D ad se invitat cum subdit : *Transite ad me omnes qui concupiscitis me, et a generationibus meis implemini.* Tria dicit, videlicet qui, et quomodo, et qua utilitate ad eam accedamus. Qui? concupientes. Unde et Danieli divina secreta per angelum revelantur, quia vir, inquit, desideriorum est (*Dan.* IX). Negligentes enim et tepidi, ad veram sapientiam venire non possunt. Quomodo? transeundo, a malo scilicet ad bonum, ab ignavia ad probitatem, a somnolentia ad vigilantiam, a vitiis ad virtutes, a temporalibus ad æterna. Soli enim Hebræi, id est transeuntes, carnes agni digni sunt manducare. Et Redemptor noster se discipulis videndum promittit in Galilæa, id est in transmigratione. Qua utilitate? *A generationibus*, id est fructi-

ficationibus meis *implemini*. Porro vera sapientia mentem reficit; mundana vero sapientia non reficit, sed inflat. Unde et bene significatur per silicas sonoras, inflantes, non reficientes, quibus filius prodigus cupiebat implere ventrem suum, et non poterat (*Luc.* xv). Quoniam sæcularis sapientia garrula est et inflativa, cibus magis porcorum quam hominum.

Sequitur pas tertia, in qua divina sapientia ostendit qualis ipsa sit. Ostendit autem se esse dulcem, se esse æternam, se esse desiderabilem. Sane se esse dulcem ostendit, cum dicit : *Spiritus meus super mel dulcis, et hæreditas mea super mel et favum.* Si aliquid dulcius invenisset, illud posuisset. Et quidem inspiratio divinæ sapientiæ in sanctis, quamvis sit particularis et umbratilis, tamen super omnem dulcedinem est. Sed quanta putatis erit dulcedo in aperta perceptione et hæreditate illius, quæ in Dei visione fiet ? Se vero æternam esse ostendit, cum subdit : *Memoria mea in generatione sæculorum.* Ac si aperte dicat : Sapientia mundanorum peribit, et non erit memoria ejus, quoniam in illa die peribunt omnes cogitationes eorum. At ego in æternum maneo, et mei memores in æternum manere facio. Et notitia quam habent de me in hac vita, non auferetur, imo perficietur eis in æterna vita. Se esse desiderabilem ostendit, cum subdit : *Qui edunt me adhuc esurient, et qui bibunt me adhuc sitient.* Hoc siquidem interest inter delicias corporales et spirituales, et inter terrenas et æternas, quod deliciæ corporales et terrenæ, cum non habentur, magnæ putantur et desiderantur. Enim vero cum consuetæ fuerint, vilescunt et in fastidium vertuntur. At contra, spirituales et æternæ deliciæ, cum non habentur, nullæ putantur; habitæ vero desiderium accendunt, ita tamen quod in ipso desiderio satietas est, et in ipsa satietate desiderium.

Sequitur pars quarta, in qua divina sapientia ostendit quam nobis utilis sit, cum subdit : *Qui audit me, non confundetur, et qui operantur in me non peccabunt, et qui elucidant me vitam æternam possidebunt. Qui audit*, inquit, *me*, subaudi corde, et proposito obediendi, etsi non habeat tempus operandi, tamen non confundetur in die judicii ad damnationem, quia audierit hoc consilium sapientiæ, ut confunderetur ad pœnitentiam. Hoc est quod ipsa sapientia Patris dicit in Evangelio : « Qui non erubuerit me nec meos sermones, hunc Filius hominis non erubescet, cum venerit in majestate sua, et sanctorum angelorum (*Luc.* ix). » *Et qui operantur*, inquit, *in me, non peccabunt*, subaudi ad mortem, quoniam, si peccabunt, jam non operabuntur in me. *Et qui*, inquit, *elucidant me*, id est qui me verbo et exemplo aliis exponunt et explanant, *vitam æternam possidebunt.* Hoc est quod alibi legitur, quoniam sicut stellæ firmamenti fulgebunt qui erudiunt multos (*Dan.* xii). Porro gradus est in his tribus, sicut in merito vel in præmio. Magnum est audire corde sapientiam, majus operari secundum ipsam, maximum est verbo et exemplo elucidare aliis illam. Similiter magnum præmium accipient, qui audiunt corde sapientiam, majus qui operantur secundum illam, maximum qui verbo et exemplo explanant illam. Omnes tamen vitam habebunt sempiternam. Cum itaque, fratres mei, hæc verba sint sapientiæ, possunt et beatæ Virgini convenire, quam ipsa Patris sapientia in singulare reclinatorium sibi præelegit, fabricavit et ornavit. Est enim tropus, qui metonymia nuncupatur, quando videlicet quod contenti est, continenti attribuitur. Potest igitur beata Virgo nos ad admirationem et ad venerationem, id est ad exemplum sui, nos invitando, dicere : *Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris*, non solum exemplum sanctæ vitæ et bonæ opinionis universo mundo præbendo, sed etiam illum, cujus odore mortui resurgunt, generando. Ego enim sum illa virga de qua prædixit Isaias : « Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet (*Isa.* xi). » Et flores mei non sunt inanes, sed sunt *fructus honoris et honestatis :* filius quippe meus ipse flos, ipse et fructus flos suavitatis et fructus satietatis. De ejus suavitate Isaac in persona Dei Patris ait : « Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus (*Gen.* xxvii). » De ejus satietate Psalmista prædixit, dicens : « Satiabor cum apparuerit gloria tua (*Psal.* xvi). » Ipse est *fructus honoris et honestatis*, quoniam omnem honorem et honestatem et in se habet, et cui vult præbet. *Ego mater pulchræ dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctæ spei.* Harum scilicet, cæterarumque virtutum, non solum exempla præbendo, sed etiam illum, qui est dilectio, fides, timor et spes omnium fidelium generando. *In me gratia omnis viæ et veritatis, in me est omnis spes vitæ et virtutis.* Quoniam non solum hæc in me per exemplum ostendo, sed etiam illum qui est « plenus gratiæ et veritatis (*Joan.* i), » qui est « via, veritas et vita (*Joan.* xiv), » qui est spes, virtus et refrigerium omnium fidelium, in meo utero gesto. *Transite ergo ad me* per imitationem, *qui concupiscitis me*, id est vitam, sanctimoniam et gloriam meam, *et a generationibus meis*, id est ab Unigeniti mei benedictionibus *implemini* : *Spiritus enim meus*, id est Spiritus sanctus qui singulariter in me supervenit et requiescit, *super mel est dulcis. Et hæreditas mea*, quam scilicet habeo cum Filio meo, super choros angelorum, est *super mel et favum. Memoria mea in generatione sæculorum*, quia « ex hoc beatam me dicent omnes generationes (*Luc.* i). » *Qui edunt me adhuc esurient, et qui bibunt me adhuc sitient.* Quia quanto aliqui fideles mores et virtutes meas percipere et imitari incipient, tanto magis et magis eas admirabuntur, et eas magis sitient. *Qui audit me*, per imitationem, non confundetur, *et qui operantur in me*, id est secundum me, *non peccabunt. Et qui elucidant me*, id est mores, virtutes, et sanctitatem meam verbis et factis exponunt et prædicant, *vitam æternam habebunt.* Ecce, domina et mater nostra, nos minimi servi

tui tuam sanctitatem et gloriam admiramur, laudamus et prædicamus, sed tamen digne imitari non valemus. Ideo potentissimis precibus tuis nos adjuva, fac nos desiderio transire ad te, fac nos fugere vitia et peccata nostra, et transire ad mores et virtutes, fac nos contemnere terrena et desiderare cœlestia, sustine nos inter tentationes carnis, inter insidias diaboli, inter tribulationes hujus mundi, quibus, te auxiliante, te duce, valeamus pervenire ad illa gaudia in quibus tu in æternum cum Filio tuo lætaris, cui est honor et gloria cum Patre et Spiritu sancto per omnia sæcula sæculorum. Amen.

XXXV.

IN EODEM FESTO. SERMO DEE VANGELIO.

Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham (*Matth.* I). Et reliqua. Duæ sunt generationes Domini nostri Jesu Christi, fratres mei : una æterna, altera humana. Per illam natus est ante tempora de Deo Patre Deus verus. Per istam natus est in tempore de humana matre homo verus. Per illam natus est æternaliter de Patre sine matre. Per istam est temporaliter natus de Virgine matre sine patre. Illa generatio est incomprehensibilis, ista mirabilis. De illa dixit Isaias propheta : « Generationem, inquit, ejus quis enarrabit? » (*Isa.* LIII.) De ista dicit hic evangelista Matthæus : *Liber generationis Jesu Christi*, subaudi, hic est. Et est hic quasi titulus exponens materiam sequentis libri. Porro quatuor sunt generationes temporales. Prima fuit nec de viro nec de femina, ut quando Deus formavit primum hominem de terra. Secunda fuit de viro sine femina, ut quando Deus formavit mulierem de latere viri dormientis. Tertia est de viro et de femina, et hæc est quotidiana. Restat quarta de femina sine viro, et hæc est singularis generatio Jesu Christi. Prima, et secunda, et tertia generatio fuit ad humani generis propagationem. Hæc ultima quarta fuit ad ejus redemptionem. Illæ tres per inobedientiam corruerunt; hæc quarta restauravit ruinas eorum. Est igitur hæc generatio cæteris major, mirabilior et nobis utilior. Major, quia major est qui nascitur, scilicet Dei Filius. Mirabilior, quia mirabilius est quod Deus in forma servi de muliere dignatus est nasci quam quod servum plasmavit. Nobis utilior, quoniam utilius est nobis ad vitam æternam renasci (quod habemus per Christi nativitatem), quam ad mortem in hoc sæculo nasci per carnis nativitatem. Cum itaque de hac sola Christi generatione hic intendat Matthæus agere, cur altius exorditur multas texendo generationes? Ut videlicet ostendat Hebræis, quibus scripsit, se non cujuslibet Christi scribere generationem, sed illius solius qui antiquis patribus in lege promissus est. Unde et duos patres præponit, David scilicet et Abraham, quibus specialiter de Christo, de semine eorum nascituro, promissio facta est. Abrahæ quippe dictum est : « In semine tuo benedicentur omnes gentes (*Gen.* XXIII). » Et David : « Et ponam in sæculum sæculi semen ejus, et thronum ejus sicut dies sæculi (*Psal.* LXXXVIII). » Unde et Jeremias longo tempore post David, et jam tendente regno Judæorum ad finem, ait : « Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et suscitabo David germen Justum, et regnabit rex, et sapiens erit, et faciet judicium et justitiam in terra. Et hoc est nomen quod vocabunt eum : Dominus justus noster (*Jer.* XXIII). »

Exordiens igitur evangelista Christi genealogiam, ait : *Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Jacob*, etc. In hac igitur genealogia, fratres charissimi, quatuor considerare debetis. Ipsius genealogiæ qualitatem, personarum diversitatem, numerum et ordinem. Et primum, qualis est ista genealogia? Admirabilis, sancta et fructuosa : admirabilis est, et in principio et in fine. Mirabiliter quippe Abraham, cum senex esset, de matre sterili et seni genuit Isaac. Mirabilius vero sacratissima Virgo Maria absque viri consortio genuit, non qualemcunque, sed ipsum Dei Filium, Deum et Creatorem suum. Prima est generatio admirabilis, quia contra naturam; ista vero mirabilior, quia supra et contra naturam. Unde bene per mirabilem virgæ Aaron fructificationem præfigurata est. Sicut enim virga Aaron cum sicca esset, sine adminiculo radicis vel humoris, mirabiliter floruit et nuces protulit, ita imo mirabilius beata Virgo Maria, cum ardore Spiritus sancti omnis cupiditas in ea esset desiccata, sine exteriori adminiculo concepit et peperit. Sancta vero est ista generatio, quia sancta est radix, sanctus stipes, sanctus truncus, sanctior Virgo Maria, sanctissimus vero flos et fructus; sanctus enim fuit Abraham et cæteri patriarchæ, qui sunt prima credendi via. Sancti quoque prophetæ, qui fuerunt organum Spiritus sancti. Sancti quoque reges, qui habuerunt sapientiam se et alios regendi. Sanctior vero fuit beata Virgo Maria, quæ est templum Dei, sacrarium Spiritus sancti, cella aromatum, paradisus deliciarum. Sanctissimus vero Sanctus sanctorum, Deus et Dominus noster Jesus Christus, in quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter (*Col.* II), et septem spiritus missi in omnem terram. Sanctitatem hujus generationis prævidens Isaias ait : « Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet, et requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini (*Isa.* XI). » Utilis quoque est genealogia nobis, si tamen sanctitatem Patrum præpositorum imitati fuerimus, si ad exemplum patriarcharum recte vivamus et doceamus, si ad exemplum bonorum regum nos et alios bene corrigamus et regamus, si ad exemplum beatæ Virginis, munditiam, humilitatem et omnem sanctitatem habere studeamus; si Jesum Christum diligendo ut Redemptorem nostrum, sequendo et præcepta ejus faciendo, ejus redemptionis fieri participes laboremus. Per hanc enim genealogiam, misit Deus Verbum suum, tanquam hamum in carne absconditum, inter aquas humani generis, ut eo diabolum caperet, et nos ab

ejus fauce liberaret. Hinc beato Job dicit : « Nunquid capies Leviathan hamo? » (*Job* XL.) Subaudis, ut ego, qui, dum Filium meum tanquam hamum in carne abscondo, diabolum carnis avidum capio. Qui, dum illum, in quem jus non habebat, glutire cupit, etiam genus humanum in quo jus habere videbatur, amittit. Secundo, consideranda est diversitas personarum, quæ in hac ponuntur genealogia ; ponuntur autem hic tam viri quam mulieres, tam Judæi quam gentiles, tam reges quam inferiores, tam antiquiores quam juniores, tam boni quam mali : omnes enim Christi redemptione indigebant. Et ideo de omnium genere carnem sumpsit, ut omnes redimeret. Sicut enim mali indigebant peccatorum remissione, ita boni indigebant regni cœlorum apertione, quod nisi per sanguinem Christi poterat aperiri. Sed et aliqui mali ideo in hac generatione sancta interseruntur, ut ostendatur malitiam non obesse sanctitati, quoniam, juxta prophetam, « anima quæ peccaverit, ipsa morietur, et filius non portabit iniquitatem patris, et pater non portabit iniquitatem filii (*Ezech.* XVIII). » Justitia justi super eum erit, et impietas impii erit super eum. Non enim nocet bono patri malitia sui filii, si tamen prout potuit eum correxit. Nec nocet bono filio malitia sui patris, si eum imitatus non fuerit. Alias et malitia filii nocet patri negligenti, ut apparet in Heli, et malitia patris nocet filio patrem imitanti. Unde Dominus : « Ego, inquit, sum Deus zelotes, vindicans peccata patrum in filios, usque in tertiam et quartam generationem (*Exod.* XX). » Sed nec econtrario bonitas patris prodest malo filio, imo nocet, dum propositum et proximum sibi exemplum sequi contemnit. Nec bonitas filii prodest malo patri, qui nec verbo nec exemplo eum instruxit. Tertio vero numerus attendendus est. Enumerantur hic quadraginta duæ generationes usque ad Christum. Totidem quoque mansionibus filii Israel ad terram promissionis pervenerunt. Nos quoque per ejusdem numeri sacramentum, id est per Decalogi in quatuor Evangeliis, et per quatuor Evangeliorum in Decalogo, cum gemina charitate impletionem ad terram promissionis et ad Christum pervenimus. Decalogus enim et quatuor Evangelia sine gemina charitate, Dei videlicet et proximi, non possunt nos ad terram promissionis et ad Christum perducere. Unde Dominus in Evangelio : « In his, inquit, duobus mandatis, tota lex pendet et prophetæ (*Matth.* XXII). » Et Psalmista : « Viam, inquit, mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum (*Psal.* CXVIII), » subaudis per charitatem quæ extenditur etiam usque ad inimicum. Quod alibi exponens ait : « Omnis consummationis vidi finem, latum mandatum tum nimis (*Ibid.*). » Quanto enim Deum et proximum ferventius diligimus, tanto facilius et velocius mandata Dei percurrimus. Sicut igitur filii Israel per quadraginta duas mansiones ad fluvium Jordanis pervenerunt, quem sicco pede mirabiliter transeuntes terram promissionis intraverunt, ita Redemptor noster per quadraginta duas generationes venit ad fluvium nostræ mortalitatis, quem victoriosissime pertransiens cœlum intravit.

Nos quoque, fratres mei, per Decalogi in quatuor Evangeliis, et per quatuor Evangeliorum in Decalogo cum gemina charitate impletionem, stadium hujus vitæ feliciter usque ad mortem currimus ; quam salvi transeuntes, in terræ promissionis desideratam requiem intramus. Quarto etiam ordo attendendus est. Ordinatur quippe præfatus numerus per tres tesseræ decades, id est per quatuor denas. Prima protenditur ab Abraham usque ad David regem, id est a via credendi usque ad regimen ; secunda a David usque ad transmigrationem ; tertia a transmigratione usque ad Christum. In quo ordine ordo nostri profectus nostræque salvationis nobis, fratres mei, demonstratur. A fide enim quæ est fundamentum omnium virtutum, et sine qua nihil potest placere Deo (*Hebr.* XI), viam ad Christum incipimus. Quæ non sufficit, quia « fides sine operibus mortua est (*Jac.* II), » sed ex ea proficientes et per quatuordecim, id est per Decalogi et quatuor Evangeliorum doctrinam, ad regnum, quo scilicet nos et alios bene regere sciamus, pervenimus. Sed nec hic debemus cessare, imo ad transmigrationem divinæ contemplationis toto desiderio tendere ; quam per quatuordecim, id est per septem dona Spiritus sancti, in gemina charitate duplicati acquirimus. Unctio enim Spiritus docet nos (*I Joan.* II) interius quo tendere debeamus, et inflammat nos per verum amorem, ut toto desiderio a terrenis ad æterna, a mundo ad Deum transmigremus. Sed hæc transmigratio contemplationis ænigma est et umbratilis. « Ex parte enim hic cognoscimus, et ex parte prophetamus (*I Cor.* XIII). » Unde Dominus ad Moysen : « Non videbit me, inquit, homo et vivet (*Exod.* XXXIII). » Propterea, fratres mei, ab hac umbratili contemplationis transmigratione ad veram Dei visionem debemus festinare, cupientes dissolvi et esse cum Christo (*Philipp.* I). Ad quod per quatuordecim pervenimus, id est per duplex septenarium, hoc est per duplicem corporis et animæ requiem, quæ in depositione hujus mortalitatis justis confertur. Unde Psalmista : « Cum dederit, inquit, dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini, filii merces fructus ventris (*Psal.* CXXVI). » Ac si diceret : Dum sunt in hoc sæculo electi cum reprobis, filii liberæ cum filiis ancillæ simul vapulantur, affliguntur, et patiuntur tribulationes hujus mundi. Sed « cum dederit Dominus dilectis suis somnum » corporalis mortis, « ecce » nunc datur eis « hæreditas Domini, filii merces fructus ventris, » scilicet virginalis. Propter hoc enim Filius Dei se humiliavit, et de Virgine natus est, ut æternam nobis mereretur hæreditatem. Propter hoc est factus particeps vilitatis nostræ, ut nos faceret cohæredes beatitudinis suæ, claritatis suæ, gloriæ suæ. Vilescant igitur nobis, fratres charissimi, divitiæ, honores, voluptates et gloriæ sæculares, vilescant

nobis quæcunque in hoc sæculo videmus, quæcunque hic possidemus, pro mercanda illa æterna beatitudine et hæreditate, per opera misericordiæ distribuamus, ad illa tota mente, toto desiderio festinemus, bona vita, bonisque moribus ad illa pervenire studeamus. Quod meritis et precibus beatissimæ Virginis et matris suæ nobis concedat Dominus et Redemptor noster Jesus Christus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

XXXVI.

IN EXALTATIONE SANCTÆ CRUCIS.

Nunc judicium est mundi, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras (*Joan.* XII), et reliqua. Hæc lectio sancti Evangelii, fratres mei, quadripertita est. Primo enim dicit Dominus per judicium principem hujus mundi ejiciendum de mundo. Secundo demonstrat per quod hoc faciat, et quomodo. Tertio respondentes Judæi, se mysterium crucis ignorasse demonstrant. Quarto, Dominus hortatur eos ad fidem. Primo igitur ostendit Dominus per judicium principem mundi ejiciendum de mundo, cum dicit : *Nunc judicium est mundi*. Porro tria sunt judicia Dei : unum est retributionis, quod erit in fine, quando Deus « reddet unicuique secundum opera sua (*Matth.* XVI). » Alterum est discretionis, quod fit quotidie in sancta Ecclesia, quando Deus discernit merita singulorum. « Qui autem, inquit, me judicat Dominus est. Nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum (*I Cor.* IV). » Tertium est expulsionis diaboli a cordibus hominum, de quo Dominus, imminente sua passione, hoc quod modo audivimus dixit : *Nunc judicium est mundi*. Nunc agitatur causa de habitatoribus mundi, quis magis eos debeat possidere, Deus an diabolus. Cum enim constans esset quod Deus mundum et habitatores ejus tanquam creaturas suas jure possidere deberet, tamen diabolus videbatur eos juste possidere, eo quod homo sponte sua se ei subdidisset, et quia eum jam longa præscriptione possedisset. Cum autem Dominus potestative creaturam suam ad se reducere posset, noluit, ne diabolus conquereretur, se non per justitiam spoliari, sed per potentiam. Placuit igitur ei ut fraudem et injuriam diaboli non per potentiam, sed potius per sapientiam et justitiam vinceret, et ut eum non per alienam naturam, sed per eamdem quam superaverat, superaret. Occultavit igitur hamum divinitatis sub humana carne, non quidem peccatum, sed similitudinem peccati habente, quem dum malignus prædo more solito cupit capere, capitur ipse, et dum in eum, in quem jus non habebat, præsumit, etiam illum in quem jus habere videbatur amittit. Hoc est ergo quod sequitur : *Nunc princeps mundi hujus ejicietur foras*. Vocat autem diabolum principem mundi, non quod in mundo principatum habeat, sed quia est auctor malitiæ mundanæ, et in cordibus malorum principatur, qui ex hoc quod diligunt mundum, nomine mundi merentur appellari. De quorum tamen cordibus ex magna parte per passionem Domini ejectus est, gentibus ubique terrarum ad prædicationem apostolorum credentibus et abrenuntiantibus diabolo et pompis ejus. Qui quidem diabolus, quamvis a cordibus patriarcharum et prophetarum olim ejectus fuerit, tamen nunc præcipue dicitur ejectus esse, quia quod olim in paucis, nunc factum est in multis, et quia tantum per passionis fidem sicut nunc ab istis, ita ab illis olim ejectus est.

Sequitur pars secunda, in qua ostendit Dominus per quem et quomodo diabolus de mundo ejiciendus sit, cum subdit : *Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum*. Ac si aperte dicat : Ego, in quo princeps mundi hujus non habet quidquam, ex eo quod me injuste exaltabit in cruce, eum juste dejiciam, et possessa ab eo injuste, ad me juste reducam. Unde et hoc exponens evangelista subdit : *Hoc autem*, inquit, *dicebat, significans qua morte esset moriturus*. Porro cum tota Trinitas diabolum ejecerit a cordibus hominum, et homines ad se reduxerit, tamen hoc specialiter dicit Filius Dei se facturum, eo quod ipse nostræ liberationis, non solum cum Patre et Spiritu sancto fuit auctor, sed etiam minister. Ipse enim fuit in causa nostra advocatus, pugil et patronus. Quare autem Dominus potius voluit per crucem quam alio modo diabolum vincere, et suos ad se reducere, ostendit Dominus per triplicem figuræ crucis proprietatem, quam innuit in verbis suis. Crux enim cum sit vilissimum genus mortis, tamen alta est super terram, et qui in ea crucifigitur, oportet exaltari a terra. Voluit igitur Dominus se vili morte moriturum, tamen in cruce exaltandum, ut significaret se per humilitatem et patientiam diabolum superaturum, et super omnem potestatem exaltandum, juxta quod Apostolus de ipso ait : « Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltavit illum et donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur (*Philip.* II). » Rursus crux brachia habet expensa, et qui in ea affigitur, extensis brachiis similis est amanti amplexanti, et ad se trahere volenti. Voluit ergo Dominus se in cruce extensis brachiis pro hominibus mori, quatenus nimiam charitatem quam erga homines habebat demonstraret, et se amplexu attracturum eos ad se significaret. Et hoc est quod ait : *Omnia traham ad meipsum*. Rursus quatuor brachia crux habet, quibus quatuor mundi partes respicit. Christus quoque, in cruce positus, capite respicit orientem, pedibus occidentem, dextra austrum, sinistra aquilonem. Per quod significavit Dominus se per crucem de omnibus mundi partibus homines ad se tracturum. Et hoc est quod ait, *omnia*. Hoc autem, fratres mei, faciens pro nobis Dominus, ostendit nobis quid pro eo facere debemus. Unde Petrus ait : « Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia ejus (*I Petr.* II). » Dedit igitur nobis exemplum, quatenus non timeamus pro eo et cum eo humiliari et pati, si cum eo volumus exaltari. Per humilitatem enim et

patientiam venitur ad regnum, sicut per superbiam venitur ad infernum. Dedit igitur rursus nobis exemplum, ut pro eo et ad similitudinem ejus per charitatem omnes homines amplecteremur, et ad diligendum Deum et nos, beneficiis attraheremus non solum notos, sed etiam quoscunque de quibuscunque partibus mundi, et ad exemplum ejus diabolum dejicere, et vasa captivitatis ei auferre, et ad Deum reducere decertemus.

Sequitur pars tertia, in qua turba Judæorum Domino respondens, demonstrat se mysterium crucis ignorasse, cum subdit: *Nos audivimus ex lege quia Christus manet in æternum. Et quomodo tu dicis: Oportet exaltari Filium hominis?* Cum Dominus obscure mortem suam in cruce significasset, tamen Judæi cito intellexerunt eam, utpote qui de ea in mente sua jam tractabant. *Quis est iste*, inquiunt, *Filius hominis?* quasi dicant: Non est Christus, quia est crucifigendus. Cæterum, sicut perpetuitas regni Christi in lege significata est, ita et ejus passio. Sicut enim de regni ejus perpetuitate dictum est: « Multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis (*Isa.* IX); » ita et de passione ejus dicitur: « Sicut ovis ad occisionem ducetur, et sicut ovis coram tondente se obmutescet, sic non aperiet os suum (*Isa.* LIII). » Sed Judæi perpetuitatem regni, tanquam Christo bene convenientem, intellexerant, passionem vero quam nullatenus putabant Christo convenire, intelligere non poterant. Hoc est enim, ut ait Apostolus, mysterium absconditum a sæculis, et quod nemo principum hujus sæculi cognovit (*Col.* I). Quis enim intelligere posset Deum pro hominibus, immortalem pro mortalibus sic moriturum? Sed nec etiam quidam hodie jam impletam et attestatam Christi passionem credere volunt. Quia enim diabolice et superbe sapiunt, et virtutem humilitatis et patientiæ despiciunt, eam Deo convenire non credunt. Ac econtrario sicut Deus detestatur omnem superbiam, ita diligit humilitatem. Et sicut per superbiam humanum genus fuerat præcipitatum, ita per humilitatem statuit Deus illud reparandum. Nos quoque, fratres mei, Redemptorem nostrum sequentes, amemus humilitatem, patientiam, paupertatem et charitatem. Hæc sunt enim arma per quæ Christus diabolum expugnavit, et nos redemit, ostendens quod per hæc eadem arma oportet nos diabolum expugnare, et ad patriam nostram redire.

Sequitur pars quarta, in qua Dominus hortatur Judæos ad fidem dicens: *Adhuc modicum lumen in vobis est*, hoc scilicet quia modo dixistis, quia *Christus manet in æternum*, sed non sufficit, quoniam non sufficit vobis credere Christi æternitatem, nisi pariter credatis et ejus passionem. Vel certe: *Adhuc modicum lumen in vobis est*, id est, ego qui sum lumen, adhuc modicum, id est, modico tempore inter vos sum. *Ambulate*, subaudi, credendo et bene operando, *dum lucem habetis* præsentem et se vobis offerentem, *ut non tenebræ* infidelitatis, excæcationis et damnationis, *vos comprehendant. Nam qui ambulat in tenebris, nescit quo vadat.* Quisquis enim sine vera fide est, errare potest, ambulare non potest. Et si enim quidam infideles videantur in bono proficere, bonis operibus bona opera addendo, tamen propter hoc non perveniunt ad salutem, quia impossibile est aliquid sine fide placere Deo. Fides enim est via ad salutem. Bona vero per charitatem operatio, est ambulatio. Sicut igitur nec ambulatio sine via, nec via sine ambulatione potest nos perducere ad propositam metam, ita nec bona operatio sine fide, nec fides sine operatione habentem tempus et locum potest ducere ad salutem. Sicut enim scriptum est quod quidquid fit sine fide peccatum est, ita et scriptum est, quod « fides sine operibus mortua est (*Jac.* II). » Unde et subdit: *Dum lucem habetis*, subaudis præsentem et se vobis offerentem, *credite in lucem*, et non quocunque modo, diabolus enim credit et contremiscit, *sed ut filii lucis sitis* imitatione, adoptione, hæreditate. Quod tunc dicebat Dominus Judæis, ego, fratres mei, nunc dico vobis: *Ambulate, dum lucem habetis, ut non tenebræ vos comprehendant.* « Operamini, dum dies est, quia venit nox in qua nemo potest operari (*Joan.* IX). » Pœnitemini et convertimini ad Dominum dum tempus habetis, quoniam jam instat tempus in quo non poteritis. Et qui modo dum potest, operari non vult, tunc cum volet operari, non poterit. Pensemus, fratres mei, quoniam Dominus qui nunc nos misericorditer ad pœnitentiam exspectat et clamat: « Convertimini ad me, et ego convertar ad vos (*Zach.* I), » tunc severius contemptoribus suis clamabit: « Amen, amen dico vobis, nescio vos (*Matth.* XXV). » Propterea, fratres mei, tempus ad pœnitentiam nobis datum non perdamus, sordes peccatorum nostrorum lacrymis abluamus, corpus nostrum cum vitiis et concupiscentiis crucifigamus, vitam nostram in melius mutemus, orationibus, jejuniis et operibus misericordiæ insistamus, mundum et concupiscentiam ejus contemnamus, ad cœlestem patriam toto desiderio tendamus. Ad quam nos perducat qui pro nobis crucifigi voluit Dominus noster Jesus Christus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

XXXVII.

IN FESTO BEATI MATTHÆI.

Vidit Jesus hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine (Matth. IX). Et reliqua. Quoniam solemnitatem beati Matthæi apostoli et evangelistæ, hodie, fratres mei, celebramus, recte lectio evangelica, conversionis ejus continens historiam, in Ecclesia recitatur. Est autem hæc lectio quinquepertita. Primo enim Dominus videt et vocat Matthæum; secundo, Matthæus sequitur eum; tertio, Jesus apud eum manducat cum peccatoribus; quarto, super hoc a Pharisæis reprehenditur; quinto, de stulta responsione Pharisæi a Domino convincuntur. Primum igitur Dominus Matthæum videt, non solum corpora-

libus oculis, sed etiam oculis misericordiæ et oculis præscientiæ. Multos forte tunc ibidem videbat corporalibus oculis, sed istum solum tunc ibi vidisse narratur, et oculis misericordiæ, quibus Petrum negantem, ut pœniteret, vidit, et quibus filios Israel in Ægypto afflictos se vidisse dicit: « Videns vidi afflictionem populi mei qui est in Ægypto (*Exod.* III). » Sed et eum etiam oculis præscientiæ vidit, utpote quem ab æterno prædestinaverat vas electionis et apostolum in Ecclesia sua futurum. Ut quid vidit? hominem. Et qualem? publicanum, ut alius evangelista tradit. Et ubi eum vidit? In telonio sedentem. Ac si aperte dicat: Vidit quidem hominem sed peccatorem, et in proposito peccandi perseverantem. Publicanum quippe dicitur qui publicis sceleribus fœdatur, vel qui publicis negotiis implicatur, quæ sine peccato vel vix vel nullatenus exerceri possunt, qualis est negotiatio et telonium. Telos enim Græce, Latine dicitur *vectigal*. Constat autem quoniam exigere vectigalia, et exactiones facere, non est sine crimine.

Vidit igitur Dominus hominem, imaginem quidem Dei in se habentem, sed eam peccatis deformantem, et in hoc proposito perdurantem. Itaque, fratres mei, exprimitur ejus miseria, ut major miserentis Dei appareat misericordia, quæ de tam malo tam sanctum effecit, ut eum non solum discipulum suum, sed etiam apostolum constituerit, et ei non solum prædicandi, sed etiam scribendi Evangelium auctoritatem præberet, ut communicato cum supernis spiritibus vocabulo, evangelista nominaretur et esset. Quod omnipotens et pius Dominus voluit facere triplici ratione. Primum, ut omnipotentiæ suæ effectum nobis demonstraret, qua quantumcunque sceleratum, quam cito vult, justificare potest. Secundo, ut immensitatem misericordiæ suæ nobis aperiret, quam nulla scelerum ignominia superare potest. Tertio, ut veniæ spem omnibus quantumcunque criminosis præberet. Audi tamen, peccator; non proponitur tibi Matthæus telonarius in exemplum peccandi, sed in exemplum pœnitendi. Cave ne pecces. Si tamen peccaveris, non desperes, quoniam ad exemplum Matthæi, per pœnitentiam resurgere potes, si peccatum tuum accusaveris. Matthæus enim non se excusat, sed potius accusat de veteri peccato, cum dicit, *sedentem in telonio*, et dum nominat se nomine magis noto, Matthæum nomine. Alii vero evangelistæ dicunt, nomine Levi. Erat enim binomius. Sed alii evangelistæ coevangelistam suum minus noto vocabulo nominare voluerunt, ne eum de veteri conversatione notare viderentur. Ipse vero juxta quod scriptum est: « Justus prior accusator est sui (*Prov.* XVIII), » seipsum magis noto vocabulo vocat. In catalogo quoque apostolorum se publicanum vocat dicens: « Thomas et Matthæus publicanus. » In quo nobis, fratres mei, exemplum proponitur, quatenus peccata proximorum nostrorum discamus reverenter tegere, propria vero humiliter confiteri. Unde et Paulus: « Christus, inquit, A venit in hunc mundum salvos facere peccatores, quorum primus ego sum (*I Tim.* I). »

Sequitur: *Et ait illi: Sequere me.* Ac si diceret: Linque lucrum mundi et ejus cupiditatem, et me sequere. Sequere me corpore, sequere me corde, sequere me imitatione. Sequere corpore meam conversationem, sequere corde meam voluntatem, sequere imitatione meam vitam. Secundo demonstrat Matthæus Dominum vocantem se secutum, cum subditur: *Et surgens, secutus est eum.* Lucas plenius dicit: « Relictis omnibus, secutus est eum (*Luc.* V). » In quo, fratres mei, attendenda est et vocationis Domini mira efficacia, et vocati velox obedientia. Et vocationis quidem Domini mira efficacia in hoc apparet, quoniam quam cito dicit, tam cito efficit. In B quo demonstratur quoniam sicut dicere Domini est facere, juxta illud: « Ipse dixit et facta sunt (*Psal.* XXXII), » ita ejus vocare est trahere. Vocat quippe non tam exterius quam interius. Vocati vero velox obedientia in hoc demonstratur, quoniam vocatus non dubitavit, non moratus est, non rationes vectigalium reddidit, sed periculo principum spreto, quam cito ad unam solam vocationem, Dominum tam exterius quam interius secutus est. Et quid ad hoc respondere poterimus, fratres mei? Matthæus Dominum adhuc mortalem ad unam solam vocationem secutus est, et nos eum jam immortalem, in omnibus divitem, in cœlo et in terra regnantem, et multas vocationes, et minas et terrores, flagella et promissiones sequi contemnimus. Unde, C fratres mei, multum formidare debemus ne Deus nobis iratus, exigentibus meritis nostris, nos non jam exterius interiusque vocet ut Matthæum, sed exterius tantum ad tollendam nobis excusationem. Unde ipse in Evangelio: « Si non venissem, inquit, et locutus eis non fuissem, peccatum non haberent. Nunc autem excusationem non habent de peccato suo (*Joan.* XV). » Et alibi: « Clamavi et renuistis, ego vero in interitu vestro ridebo (*Prov.* I). » Porro in hoc quod hic dicitur, *surgens, et relictis omnibus, secutus est eum*, perfecta et omnis abrenuntiatio demonstratur. Sunt enim tres abrenuntiationes. Prima est abrenuntiare vitiis et cupiditatibus. Secunda est renuntiare ipsis rebus. Tertia est abrenuntiare D voluntati propriæ. Primam abrenuntiationem intelligitur fecisse apostolus cum dicitur, *surgens*, subaudi a vitiis et cupiditatibus suis. Secundam intelligitur fecisse etiam cum dicitur, *relictis omnibus*. Tertiam, cum subjungitur, *secutus est eum*, id est voluntatem ejus, non suam. Perfecte igitur omnibus abrenuntiavit, qui vitiis suis, rebus suis, et etiam voluntati suæ abrenuntiavit. Et nos, fratres mei, si non possumus rebus nostris abrenuntiare, saltem abrenuntiemus vitiis et concupiscentiis nostris. Si non possumus relinquere omnia, saltem relinquamus superflua. Victum enim et vestitum habentes, his contenti simus (*I Tim.* VI), ut simus habentes tanquam non habentes, et utentes hoc mundo, tanquam non utentes (*I Cor.* VII).

Tertio, demonstratur Dominus apud Matthæum manducasse cum subditur : *Et factum est, discumbente eo in domo, ecce multi publicani et peccatores venientes discumbebant cum eo et discipulis ejus.* Porro quod Matthæus de se humilitatis causa indeterminate dicit, Lucas apertius exponit dicens : « Quia fecit ei Levi convivium magnum in domo sua (*Luc.* v). » Hinc discant auditores, prædicatores et monitores suos suscipere, pascere et honorare. Unde Dominus inquit : « Edentes et bibentes quæ apud illos sunt (*Luc.* x). » Et Apostolus : « Si vobis, inquit, spiritualia seminavimus, magnum est si vestra carnalia metamus (*I Cor.* IX). » Sicut enim hi debent illis spiritualia, sic illi debent istis temporalia. Conversus igitur Matthæus suscipit Christum, non solum corporaliter, sed etiam spiritualiter, ipso Domino teste : « Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus (*Joan.* XIV). » Pascit quoque eum non solum corporaliter, sed etiam spiritualiter, eodem attestante, qui ait : « Ecce sto ad ostium et pulso. Si quis audierit vocem meam, et aperuerit januam, introibo ad illum, et cœnabo cum illo, et ipse mecum (*Apoc.* III). » Stat quippe Dominus ad ostium et pulsat, cum voluntatem suam, vel per prædicatoris vocem, vel per inspirationem suam, in cor nostrum immittere quærit. Audita vero voce ejus, januam ei aperimus, quando voluntatem suam gratanter accipimus, et ad implendum eam operam damus. Cœnat vero nobiscum, et nos cum illo, quando ipse pascitur et delectatur nostra devotione, et nos ejus amore. Hinc discant prædicatores et pastores sanctæ Ecclesiæ, ut quando cœnant cum subditis suis, magis delectentur in devotione eorum, quam in comestione ciborum appositorum : magis in eorum profectu quam in suo esu. Qui enim magis quærit a subditis suis pasci corporaliter quam spiritualiter, non pastor, sed mercenarius est. Non solum Dominum et discipulos suos Matthæus pascit, sed etiam multos publicanos et peccatores. Et pulchro veroque præsagio, qui apostolus et doctor gentium erat futurus, in prima sua conversione peccatorum gregem post se trahit et pascit, officiumque evangelizandi quod erat expleturus, ab exordio fidei suæ cœpit. Non solum enim qui fratrem suum verbo, sed etiam qui exemplo erudit, ministerium gerit doctoris. Illi publicani et peccatores jam ad imitationem Matthæi Christum sequebantur, teste Marco qui dicit : « Multi publicani et peccatores discumbebant cum Jesu (*Marc.* II). » Erant enim multi qui etiam sequebantur eum. Quia igitur non unus sed multi conversi erant, non privatum sed solemne convivium et gaudium erat celebrandum. Si enim, juxta parabolam, epulari et gaudere oportebat, dicente patre « quia filius meus mortuus fuerat et revixit, perierat et inventus est (*Luc.* XV), » multo magis nunc epulari et gaudere oportebat, quia multi filii erant mortui, et revixerunt. Nam si « gaudium est in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente (*ibid*), » quanto magis super multis peccatoribus pœnitentiam agentibus !

Quarto, Dominus a Pharisæis reprehenditur, cum discipulis ejus dicunt : *Quare cum publicanis et peccatoribus manducat magister vester ?* Ac si aperte dicant : Consentiens est in culpa eis, qui consentiens est eis in cœna. Hi in tribus peccant. Primo, quia justitiam quam non habent sibi arrogant. Secundo, quia Dominum de dubiis judicant. Tertio, quia peccatoribus non compatiuntur, sed eos contemnunt et dedignantur. In quibus tribus se non esse justos demonstrant. Primo enim, si vere justi essent, bonum non habitum sibi non arrogarent, sed potius habitum dissimularent, et in oculis suis parvum vel nullum putarent. Quis enim gloriabitur mundum se habere cor? Hinc Psalmista ad Dominum : « In conspectu tuo non justificabitur omnis vivens (*Psal.* CXLII). » Et si astra non sunt munda in conspectu ejus, ut ait Job (*Job* XXV), quantominus homo cujus vita non est nisi tentatio, et qui domum habitat luteam, qui et terrenum habet fundamentum? Debemus enim, fratres mei, dicere cum propheta : « Omnes justitiæ nostræ quasi pannus menstruatæ ante te, Domine (*Isa.* LXIV). » Secundo, si vere justi essent, Dominum de comestione cum peccatoribus non judicarent. Manducare enim cum peccatoribus, quia potest et bono et malo animo fieri, est opus indifferens, et ideo non debemus et hujusmodi aliquem judicare, nec in malam partem interpretari, sed potius in bonam. Tertio, si vere justi essent, peccatorum miseriæ per charitatem compaterentur, nec eos contemnerent, nec dedignarentur, sed potius eis condescenderent, ut eos Christo lucrifacerent. Quarto, Dominus Pharisæos de injusta reprehensione confutat, cum eis respondens dicit : *Non est opus valentibus medico, sed male habentibus.* Ac si aperte dicat : Justi, quales vos esse æstimatis, non indigent justificatore, sed peccatores, quales isti se esse. In quo verbo Dominus reprehensionem Pharisæorum convenienter confutat, ostendens contra tria quæ illi in verbis suis significaverant, videlicet et se non consentientem peccatoribus, sed potius medicum peccatorum esse, et ipsos, juxta opinionem suam, justificatore non indigere, et istos peccatores esse et indigere justificatore. Est ergo ac si dicatur : Ego quidem sum justificator peccatorum, sed vos de falsa justitia elati, quia justificatore vos non egere putatis, vix vel nunquam justificabimini. Sed isti peccatores humiles, quia noverunt se justificatore indigere, cito justificabuntur. Verumtamen pius et misericors Dominus consilium eis donat, cum subdit : *Euntes autem*, subaudis, a temeritate vituperationis, *discite quid est, misericordiam volo et non sacrificium.* Ac si aperte dicat : Intelligite quid significat illud verbum Domini per prophetam dicentis : « Misericordiam volo, et non sacrificium (*Ose.* VI). » Ac si aperte dicat : Vos propter legalia sacrificia quæ facitis, vos justos re

putatis, sed teste propheta, Deus plus requirit misericordiam quam sacrificium. Exteriora quippe sacrificia et oblationes, sine interiori misericordia, Deo placere non possunt. Ista vero sine illis Deo placuit et accepta est. Nihil enim sic Deum placat sicut misericordia miseriæ subveniens, vel compatiens alienæ. Non enim Dominus in judicio reprobis dicet : « Ite, maledicti, in ignem æternum, » quia non sacrificavistis mihi hostiam, non obtulistis mihi oblationem, et non construxistis mihi ecclesiam, licet hæc dona magna sint. Sed potius dicturus est : « Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare. Sitivi, et non dedistis mihi potum. Hospes eram, et non suscepistis me (*Matth.* xxv), » etc. Deinde Dominus Pharisæos ad sequendam misericordiam exemplo sui invitat, cum subdit : *Non enim veni vocare justos, sed peccatores*, id est non veni vocare angelum justum, qui non indigebat, sed hominem qui indigebat. Omnis enim homo vel alieno peccato, vel suo reus erat. Vel certe non veni vocatione colligere superbos justos, sed humiles peccatores. Quamvis enim nonnunquam superbi justi vocentur, tamen non veniunt ad Deum, nisi primo humiliati peccatores se esse peccatores confiteantur. Itaque, fratres, si æterna vocatione a Deo vocari volumus, nos peccatores et credamus et confiteamur. Lacrymis veræ pœnitentiæ, et operibus misericordiæ peccata nostra redimamus, semper in oculis nostris nos humiles habeamus, nos semper judicemus, alios vero semper judicare caveamus ; peccatores nullos contemnamus, sed blandis correctionibus eos Deo lucrari satagamus; ad exemplum beati Matthæi mundum contemnamus, et ad Deum toto desiderio festinemus. Quod illius intercessione nobis annuat Deus et Dominus noster Jesus Christus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

S. Matthæus apostolus (*Matth.* ix ; *Luc.* v).

(13) Progredieus tunc inde ad vectigalia vidit,
Consessu in medio, Matthæum : protinus illi
Discipulis hærere jubet; nihil ille recusans,
Imperio Christi paret, gaudetque secutus.

(14) De sancto Matthæo habet hæc Eusebius noster : « Sed et reliqui Domini ac Salvatoris nostri discipuli, non solum ex illis duodecim, sed et si qui extra hunc numerum, de schola tamen Domini et Salvatoris nostri sermonem aliquem divinitus inspirati, memoriæ reliquerunt, brevem hunc et succinctum per omnia esse voluerunt. Igitur ex discipulis Domini, Matthæus tantummodo et Joannes ad scribendum appulisse animum traduntur, necessitate quadam in hoc ipsum provocati. Matthæus enim primo Hebræis prædicabat. Verum cum pararet transire ad gentes, patria lingua scripturam composuit, et ea quæ prædicarat comprehendens, dereliquit his ad memoriam, a quibus proficiscebatur, ut gentibus prædicaret. Post hunc Lucæ et Marci Scriptura evangelica, » etc., lib. III, cap. 24. Idem de Evangelio Matthæi Hebraice scripto, l. III, c. 39. Item l. V, c. 10. D. Hieronymus, in Viris illustribus, de sancto Matthæo sic : « Matthæus qui et Levi, ex publicano apostolus, primus in Judæa propter eos qui ex circumcisione crediderant, Evangelium Christi Hebraicis litteris verbisque composuit. » Quod quis postea in Græcum transtulerit, non satis certum est. Porro ipsum Hebraicum habetur usque hodie in Cæsariensi bibliotheca, quam Pamphylus martyr studiosissime confecit. Mihi quoque a Nazaræis, qui in Beroea urbe Syriæ hoc volumine utuntur, describendique facultas fuit. In quo animadvertendum quod ubicunque evangelista, sive ex persona sua, sive ex persona Domini Salvatoris, veteris Scripturæ testimoniis utitur, non sequatur Septuaginta translatorum auctoritatem, sed Hebraicam, e quibus illa duo sunt : *Ex Ægypto vocavi Filium meum* (*Matth.* II); et : *Quoniam Nazaræus vocabitur* (*ibid.*).

XXXVIII

IN FESTO ANGELORUM. SERMO DE APOCALYPSI.

Factum est prælium magnum in cœlo, Michael et angeli ejus præliabantur cum dracone, et draco pugnabat et angeli ejus (*Apoc.* XII). Hac in visione, fratres charissimi, revelatum est a Deo Joanni, et per eum nobis, sancti angeli quam sint solliciti et vigiles in tutela et defensione nostra, et quantum gaudeant de profectu et salute nostra. Sunt autem hujus lectionis tres partes. Primo enim dicit prælium magnum factum esse in cœlo inter Michaelem et draconem. Secundo dicit draconem victum. Tertio dicit hinc magnam exsultationem in cœlo factam esse. Primum igitur dicit : *Factum est prælium magnum in cœlo.* Dicitur autem hic prælium quoddam certamen invisibile, quod habent boni spiritus adversus malos spiritus, et mali spiritus adversus bonos spiritus, pro acquisitione hominum. Boni quippe spiritus nituntur homines trahere in partem suam, et lucrari eos Deo, sola tracti bonitate et charitate Dei et Domini sui, et hominum concivium suorum. Gaudent enim, ad exemplum et ad voluntatem Dei regis sui, pro hominibus pugnare, pro quibus vident ipsum in persona sua pugnasse. Gaudent quoque homines ad se trahere, de quibus exspectant diminutionem numeri sui reparandam esse. Econtra quoque maligni spiritus nituntur homines in suam partem trahere, et suæ damnationis consortes habere, sola ducti malitia et invidia, in qua sunt ita indurati quod nullum bonum diligere possunt, sed alienis successibus semper invident, et eos pro posse suo impediunt, præcipue promotionem hominis ad gloriam, de qua ipsi per superbiam corruerunt. Dicitur autem hoc prælium magnum, quoniam magni sunt qui pugnant, magnus effectus ex quo pugnant, et magna causa pro qua pugnant. Magni sunt qui pugnant, quoniam tam boni quam mali angeli, naturali virtute et scientia sunt magni. Et sicut boni angeli sunt magni in bonitate et virtutibus, ita mali angeli sunt magni in malitia et dolositatibus. Magnus est effectus ex quo pugnant, quoniam bonos excitat ad præliandum fervens dilectio Regis sui et concivium suorum. Malos vero excitat fervens odium et invidia quam habent in successus hominum. Magna est causa pro qua pugnant, quoniam non pugnant pro auro vel argento, vel pro aliquo caduco

(13) Ex Juvenco presbytero Hispano

(14) Ex Euseb. Cæsariensi.

præmio, sed pro homine facto ad imaginem et similitudinem Dei, ad restaurationem lapsus angelici. Si ergo, fratres mei, apud cœlestes tanti sumus, quod pro nobis angeli et archangeli, et omnis curia cœlestis, imo etiam ipse Filius Dei pro nobis prælietur, quare ipsi pro nobis ipsis non præliamur? Quare conditionem nostram contemnimus? Quare nos eripere a dæmonum potestate non laboramus? Quare angelos et archangelos pro nobis præliantes non coadjuvamus? Si jam a diabolo superari nos patimur, nullam excusationem habere possumus, cum tot adjutores habeamus. Sed cum hoc prælium inter bonos et malos quotidie adhuc fiat, quare hic dicitur jam factum esse? Quoniam in primitiva Ecclesia, cum prælium et vestigia sanguinis Christi adhuc erant recentia, præcipue factum fuit, quando multa millia quotidie eripiebantur, et tunc pari fervore, et homines et angeli contra diabolum præliabantur: Nunc vero quia pauci diabolo resistunt, et fere omnes se spontaneos ei tradunt, negligentia nostra facit angelos negligentes, ut tepide coadjuvent quos tepide pugnare vident. Propterea, fratres mei, ardenter contra diabolum præliemur, ut ardentes adjutores angelos habere mereamur. Vigiles et parati sunt ad adjuvandum nos, si vigiles et promptos pro nobismet viderint nos. In cœlo enim superiori soli sunt boni, sicut in inferno soli sunt mali. Sed in hoc tenebroso aere, qui circa nos est, ubi tam boni quam mali angeli circa nos volitant et conversantur, de nobis utrique præliantur. Proinde quia semper nobis præsentes sunt, opera nostra eos latere non possunt, et ob supernorum civium, qui semper circa nos sunt, reverentiam, semper honeste, fratres mei, nobis esset vivendum, ut de honestate nostra semper eos lætificaremus, et malos angelos confunderemus. Vel certe cœlum hoc, Ecclesia in qua Deus sedet, intelligitur, in qua et pro qua ab utrisque angelis præliatur. *Michael*, inquit, *et angeli ejus præliabantur cum dracone, et draco et angeli ejus pugnabant.* Boni angeli præliantur pro nobis, fratres mei, nobis bona suggerendo. Mali vero econtra præliantur nobis suggerendo mala. Isti præliantur nos adjuvando, isti præliantur nobis nocendo. Isti præliantur nos protegendo, illi præliantur nobis insidiando. Isti præliantur apud Deum nos excusando, isti præliantur nos accusando. Isti præliantur pro nobis intercedendo, et bona nostra Deo offerendo; isti præliantur nos incusando et diffamando. Isti præliantur nobis fraudes et eorum insidias nobis revelando, isti præliantur nos, quantum possunt, latenter et fraudulenter circumveniendo.

Sequitur pars secunda, in qua ostenditur quod mali angeli a bonis sunt superati, cum subditur: *Et non prævaluerunt, neque locus inventus est eorum amplius in cœlo.* Angeli mali, quamvis fortiter, quamvis callide, quamvis vigilanter et incessanter pugnant, tamen bonis in quibus est, et in quibus pugnat Deus, resistere non possunt. Unde et hic Michael pugnasse dicitur, qui dicitur mitti quando aliquid miræ virtutis efficitur. Michael enim interpretatur, *quis ut Deus?* Nam ut ait Psalmista: « Quis Deus magnus sicut Deus noster? Tu es Deus qui facis mirabilia (*Psal.* LXXVI). » *Neque locus inventus est eorum amplius in cœlo.* Finito certamine bonorum et malorum angelorum, quod non erit usque in finem mundi, ex tunc angeli ita coarctabuntur in inferno ut de cætero non habeant potestatem per aera discurrere vel aliquem infestare. *Et projectus est*, inquit, *draco ille magnus*, serpens *antiquus*, *qui vocatur diabolus et Satanas*, *qui seduxit universum orbem.* Quatuor nomina ponit, quorum duo prima diaboli malitiam, reliqua duo ejus miseriam demonstrant. Dicitur enim ille draco magnus, pro magna aperte nocendi violentia. Dicitur serpens antiquus, pro antiqua occulte nocendi versutia, dicitur autem diabolus, id est *deorsum fluens* pro maxima quam semper malefaciendo incurrit miseria. Dicitur autem Satanas, id est *adversarius*, pro obstinata in semper adversando pertinacia. Quæ est enim major miseria quam semper se extollendo, semper deterius ruere, quam semper aliis nocendo pœnas sibi exaggerare, et a proprio damno cessare non posse? *Qui seducit*, inquit, *universum orbem*, subaudis, quantum in eo est. Quamvis enim non omnes seducat, quia tamen omnes tentat, et pro posse suo seducere cupit, pro seductione omnium puniendus erit. *Projectus est autem*, inquit, *in terram*, in profunditatem videlicet terræ, videlicet in infernum, quia angeli ejus cum ipso missi sunt. Justum est enim ut qui per superbiam se extulit usque ad altitudinem Dei, præcipitetur usque in profunditatem inferni. Vel certe si intelligimus diabolum superius ejectum de cœlo, id est de Ecclesia fidelium, possumus hic intelligere eum esse dejectum in terram, id est in amatores terrenorum quos ille vexat, licet gravissime doleat de fidelibus se ejectum esse.

Sequitur pars tertia, in qua dicitur pro diaboli dejectione magnam exsultationem in cœlo factam esse, cum subditur: *Et audivi magnam vocem in cœlo dicentem: Nunc*, id est a dejectione diaboli, *facta est salus et regnum Dei nostri et potestas Christi ejus*, id est nunc facta inde apparet salus, et virtus, et regnum Dei nostri, et potestas Christi ejus. Et salus quidem Dei in hoc apparebit, quia potenter salvabit suos. Virtus, in hoc quod potenter præcipitabit adversarios. Regnum, in hoc quod justis glorificatis, et damnatis reprobis, et omnibus voluntatem suam facientibus, in beata parte semper cum suis est regnaturus. Potestas vero Christi tunc maxime apparebit, quia qui apparuit hic infirmus, tunc apparebit omnipotens. Qui hic fuit judicatus, tunc judicabit. Qui fuit hic damnatus ab impiis, impios damnabit, et suos salvabit. Unde et subditur: *Quia projectus est a Deo*, id est a Patre et a Christo ejus Filio, *accusator fratrum nostrorum*, id est diabolus, cujus officium est homines accusare, id est

per peccata accusabiles et infames facere. *Qui accusabat illos*, inquit, *in conspectu Dei nostri die ac nocte*. Quanta est proditio et fraus diaboli, fratres mei, qui de hoc quod nobis suggerit nos accusat! Nec in conspectu cujuslibet, sed in conspectu Dei. Ea namque maxime suggerit nobis quæ plus offendant Deum quam homines. Parvipendit enim aliquos infamare tantum ante homines, nisi quos ante Deum infamare non potest. Et hoc facit die ac nocte, id est semper. Et quam timendus est, fratres mei, qui nunquam dormit, sed semper in perniciem nostram vigilat! Propterea, fratres, contra ejus insidias vigilemus, et quia aliquando nos dormire necesse est, tamen tanta faciamus vigilantes, quæ nos custodiant dormientes. Et non solum a Deo auctore diabolus ejectus est, imo etiam ipsi, inquit, *fratres nostri vicerunt eum*, Deo in ipsis et per eos pugnante. Et propter quid vicerunt eum? *propter sanguinem Agni*, id est propter fidem passionis Agni. Et quia sola fides non sufficit homini habenti tempus confitendi, addit : *Et per verbum testimonii*, id est confessionem. « Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem (*Rom.* x). » Et quia nec fides nec confessio sufficit ad salutem habenti tempus operandi, addit : *Et non dilexerunt animas*, id est vitas suas, contra Deum, imo pro Deo posuerunt eas usque ad mortem. Ac si dicat : Non solum sua, sed etiam seipsos pro Christo dederunt. Nos quoque, fratres mei, si diabolum vincere cupimus, firmiter credamus, audacter confiteamur, fortiter pro Christo ponamus nostra, nostramque voluntatem et voluptatem, et si etiam tempus fuerit, animam nostram. Postquam autem vox angelica laudavit Dominum et sanctos ejus super dejectione diaboli, ostendit affectum suum gaudens, et alios ad gaudendum invitans, cum subdit : *Propterea lætamini, cœli*, id est et qui habitatis in eis. Ecce, fratres mei, sic diligunt nos, sic semper pugnant sancti angeli pro nobis, sic pro nostra victoria gaudent et laudant Deum; cur igitur non excitamur ad pugnandum? cur sic pigri pro nobis sumus, cum angelos adeo pro nobis sollicitos audiamus? Cur contra diabolum non vigilamus, quem contra nos semper vigilare scimus? Itaque, fratres mei, armis fidei et charitatis nos armemus, in orationibus vigilemus, contra tentationes diaboli fortiter dimicemus, supernos cives in auxilium nostrum invocemus, eorum memoriam veneremur et frequentemus, munditia mentis et operum sanctitate eos nobis propitios faciamus, quatenus auxiliis et precibus eorum adjuti, diabolum superare, et cum victoribus coronari mereamur, largiente Deo et Domino nostro Jesu Christo, qui in Trinitate perfecta vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

XXXIX.

IN EODEM FESTO. SERMO DE EVANGELIO.

Accesserunt ad Jesum discipuli dicentes : Quis putas major est in regno cœlorum? (*Matth.* XVIII.) Et reliqua. Sex capitulis distinguitur lectio ista, fratres charissimi. Primo enim, discipuli quærunt a Domino quis sit major in regno cœlorum. Secundo, respondet Dominus eis. Tertio, demonstrat quantum bonum sit parvulos in suo nomine suscipere. Quarto, quantum malum sit eos scandalizare. Quinto, eos jubet scandalizantes evitare. Sexto, ostendit quare pusilli non debeant contemni. Primo igitur, discipuli quærunt a Domino : *Quis putas major est in regno cœlorum?* Alius evangelista dicit : « Facta est contentio inter discipulos, quis eorum videretur esse major (*Luc.* XXII). » Porro, cum omnis anima creata sit concupiscibilis et irascibilis, innatum est omni animæ ut naturaliter concupiscat profectum et honorem suum. Cum ergo anima concupiscit quod debet et quomodo debet, bona est talis cupiditas. Mala enim fuit cupiditas angeli apostatæ, qui per ambitionem cupivit ascendere ad æqualitatem Dei. Cum ergo discipuli de majoritate in regno cœlorum contendunt, dupliciter peccant, et quia cupiunt quod non debent et quomodo non debent. Quod enim non debent cupiunt, qui majoritatem in regno cœlorum cupiunt, in quo sufficere debet esse vel ultimum. Quomodo non debent cupiunt, qui ad regnum cœlorum per ambitionem, non per humilitatem, ascendere cupiunt.

Sequitur pars secunda, in qua Dominus respondet eis. Primo, per increpationem, cum advocans parvulum et statuens eum in medio eorum dixit : *Amen dico vobis, nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum*. Ac si apertius dicat : Vos affectatis per ambitionem majores esse in regno cœlorum, sed eo modo quo hæc affectatis, nullo modo intrare in regnum cœlorum valetis, nedum majores esse in eo valeatis. Vos enim affectatis intrare in regnum cœlorum per ambitionem, in quo non intratur nisi per humilitatem. Si ergo in regnum cœlorum intrare vultis, tales virtute et moribus sitis, quales iste parvulus beneficio ætatis. Porro tales eritis qualis iste parvulus, si innocentes, si nescii mentiri, si in ira non perseverantes, si injuriarum immemores, si visam mulierem non concupiscentes, et hujusmodi. *Qui ergo se*, inquit, *humiliaverit sicut parvulus iste, hic est major in regno cœlorum*. Ac si aperte dicat : Qui erit in oculis suis minor humilitate, sicut iste parvulus est ætate, hic erit major in conspectu Dei. Sicut enim ruina est causa ruinæ, ita humilitas sublimationis. Et quemadmodum quanto quis magis superbit, tanto deterius præcipitatur, ita quanto quis se humiliat, tanto plus in conspectu Dei sublimatur. Si ergo desideras fieri in regno cœlorum major, esto hic humilior. Humilior dico, non sola voce, non simulatione, sed in veritate cordis te minorem cæteris credas, confitearis et ostendas. Est enim humilitas virtus, qua homo verissima sui cognitione sibi vilescit. Nobis autem vilescimus, et cæteros omnes nobis præponimus, si bona nostra, fratres mei, parva vel nulla reputantes, omnia peccata et infirmitates nostras semper ante oculos nostros habeamus, et aliorum peccata dissimulantes, eorum bona ante oculos no-

stros multiplicemus. Sed si aliquis ad præsens aperte malus videtur, nos tamen attendentes non quam malus est, sed quam bonus esse potest, et quia nos qui modo stamus, ruere possumus, non ei præferre nos audeamus. Quamvis autem, fratres mei, nosmet spernere et humiliare præcipimur, non tamen negligenter nos tractare debemus, quia quamvis debeamus nos spernere in hoc quod fecimus, tamen non debemus nos spernere in hoc quod a Deo facti sumus, et quod esse possumus. Ideo enim nos Deus in sacra Scriptura filios suos vocat, ne nos videlicet ab eo negligi credamus, et ideo nos male negligamus, ut quidem et maxime pauperes faciunt, qui ideo quod putant se a Deo negligi, ita se negligunt, quod quid faciant, vel quomodo vivant, non attendunt.

Sequitur pars tertia, in qua ostendit Dominus quantum bonum sit in nomine suo parvulos fideles suscipere, cum subdit : *Et qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo*, id est humilem et innocentem, *me suscipit*. Quamvis generaliter sit verum, quod quicunque pascit vel suscipit aliquem in nomine Christi, Christum pro quo hoc facit, suscipit, tamen de pauperibus spiritu se specialiter hoc dixisse innuit in hoc quod hic ait, *unum parvulum talem*, et in hoc quod in judicio dicturus est : « Quandiu fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis (*Matth.* xxv), » et si enim, ut ait Paulus, « faciendum est bonum ad omnes, maxime tamen ad domesticos fidei (*Gal.* vi). Porro dupliciter suscipimus parvulos in nomine Christi, vel corporaliter, ut quando eis hospitalitatem et necessaria præparamus, vel spiritualiter, ut quando eorum infirmitatem et imperfectionem, manu spiritualis consilii et auxilii, ne cadant, supportamus. Unde et Paulus : « Suscipite, inquit, invicem sicut Christus suscepit vos (*Rom.* xv). » Et alibi : « Fratres, si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis suscipite hujusmodi in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne et tu tenteris (*Gal.* vi). » Et alibi : « Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi (*ibid.*). » Est autem utrumque opus magni meriti, sed istud ultimum majoris.

Sequitur pars quarta, in qua Dominus ostendit quantum malum sit pusillos suos scandalizare, cum subdit : *Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris.* Pusillum scandalizat, qui dicto vel facto minus recto ei occasionem ruinæ dat. Sicut autem carnalis pater majorem adhibet diligentiam in parvulis suis custodiendis, quam in adultis, ita spiritualis pater majorem debet adhibere diligentiam in custodiendis et erudiendis simplicibus et infirmis. Perfecti enim non facile scandalizantur, non cito a statu suo moventur. At simplices et infirmi quacunque parva occasione moventur. Et sicut parvuli gestiunt imitari quæcunque facta vel dicta parentum suorum, ita in Ecclesia simplices et infirmi volunt semper æmulari mores et actus majorum suorum. Propterea, nos majores, et si non propter nos, tamen propter illos debemus sapientius et honestius in Ecclesia Dei conversari, et non quærere quæ nobis utilia sunt, sed quæ omnibus. Ne enim aliquis illorum verbo vel exemplo nostro scandalizetur, debemus non solum omnia mala evitare, sed etiam umbras et similitudines malorum, et etiam quædam bona, ut illa sine quibus potest haberi salus, ut est jejunium, et usus licitorum. Unde Apostolus : « Si esca, inquit, scandalizat fratrem meum, non manducabo carnes in æternum, ne fratrem meum scandalizem (*I Cor.* viii). » Bona autem ad salutem necessaria, ob nullius sunt scandalum dimittenda, ne dum Deo alios lucrari cupimus, nos ipsos perdamus. *Qui ergo scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus et demergatur in profundum maris*, id est melius esset ei ut innoxius morte criminosorum occideretur, quam sic noxius æternaliter damnaretur. Vel certe per molam asinariam, sæcularis vitæ circuitus exprimitur. Per profundum vero maris, extrema damnatio. Qui ergo speciem sanctitatis habens, verbo vel exemplo cæteros destruit, melius esset ei ut sæculari habitu damnaretur, quia si solus caderet, tolerabilior pœna eum cruciaret. Nunc autem tot reus est animarum, quot ob dictum vel exemplum ejus perierunt. Unde et subditur : *Væ*, inquit, *mundo*, id est mundanis, *ab scandalis*, id est propter scandala quæ inferunt. *Necesse est enim ut veniant scandala*, id est, utile est sanctis videlicet qui per ea probandi sunt. *Verumtamen væ homini illi per quem scandalum venit!* quia non est judicandus secundum utilitatem quæ inde provenit, sed secundum quod intendit.

Sequitur pars quinta, in qua Dominus jubet pusillis evitare scandalizatores, cum subdit : *Si autem manus tua, vel pes tuus, vel oculus tuus scandalizat te, erue eum, et projice abs te. Bonum est tibi ad vitam ingredi debilem et claudum, vel unum oculum habentem, quam duas manus, vel duos pedes, vel duos oculos habentem mitti in ignem æternum.* Metaphorice loquitur Dominus. Si morbus, serpens, et cito perimens invaserit manum, vel pedem, vel oculum tuum, consilium est ut morbus, ne subito occupet et perimat totum corpus tuum, cito cum membro occupato abscidatur. Melius est enim ut vivas mancus, vel claudus, vel monoculus, quam cum duabus manibus et pedibus et oculis moriaris. Similiter si aliquod criminale vitium invaserit amicum tuum, qui erat tibi manus te defendendo, et per te sustinendo, et oculus tibi providendo, expedit tibi, qui infirmus es, et propinquis vitiis resistere non potes, separare a te, et vivere sine illo quam perire cum illo. Hinc contingit quod, quamvis matrimonium sit indivisibile, tamen si vir coegerit mulierem, vel mulier virum secum furari, vel rapere, vel occidere, vel idola adorare, vel aliquas pessimas artes sectari, expedit conjugi conjugem dimittere, et magis salvari sine conjuge

quam peccare cum conjuge. Si vero tu in bono proposito fortis es, et potes tuum vitiosum amicum vel conjugem magis attrahere ad te quam abstrahi ab eo, noli cum relinquere, sed magis cum Deo lucrare. « Sanctificatur enim, ut ait Paulus, vir infidelis per mulierem fidelem, et mulier infidelis, per virum fidelem (*I Cor.* VII). » Illum enim, ut ait Sapiens, debes tecum retinere, quem tu potes facere meliorem, vel qui te.

Sequitur pars sexta, in qua ostendit quare pusilli non sint contemnendi, cum subdit : *Videte ne contemnatis unum de pusillis istis qui in me credunt*, id est, ideo quod sunt pusilli non eos contemnatis; quos contemnitis, si eos non timetis scandalizare, si eos non suscipitis, si in eis corrigendis et instruendis diligentiam non habetis, si eos ut fratres non diligitis. Et quare non sunt contemnendi, subdit : *Dico enim vobis quia angeli eorum semper vident faciem Patris sui qui in cœlis est.* Ac si aperte dicat : Ideo non sunt contemnendi, quia sunt filii cœlestis Patris, qui eos tanti habet, quod quotidie pro eis mittit angelos suos, ad eorum custodiam deputatos. Qui cum intra immensitatem Dei semper currant, non impedit eorum delegatio Dei contemplationem. Ex hoc loco, et ex illo loco Actuum apostolorum, ubi puellæ asserenti Petrum ad januam stare, discipuli respondent : « Angelus ejus est (*Act.* XII), » atque ex aliis locis cognoscimus, fratres mei, quod unaquæque anima, ab ortu nativitatis suæ, habet sibi angelum in custodiam delegatum. Sed si omnes tam boni quam mali habent angelos sibi deputatos, quomodo in hoc parvuli quasi privilegiati hic dicuntur? Quia boni angeli sunt eorum, eo quod eos per consensum, suos efficiunt, malorum vero non sunt, eo quod mali non bonos angelos sed potius malos eis consentiendo, efficiunt suos. Legimus in Vitis Patrum quod abbas Paulus habebat hanc gratiam, ut ingredientes ecclesiam respiciens, ex ipsorum facie uniuscujusque cogitationes, seu bonæ essent, seu malæ, sentiret. Contigit autem aliquando, quod, cum videret ingredientes in ecclesiam clara facie et læto animo, et angelos eorum ingredi pariter gaudentes, vidit unum nigrum et nebulosum, et dæmones hinc inde trahentes eum, misso in naribus ejus funiculo, et angelum sanctum ejus de longe sequentem tristem. Cœpit ergo beatus Paulus flere illum stans ante ecclesiam. Post paululum vero cum absoluti discederent, iterum omnium vultus inspiciebat, si egrederentur tales quales ingressi fuerant, et vidit illum quem ante viderat nigrum, tunc clarum et candidum egredientem, et dæmones de longe eum sequentes, sanctum vero angelum prope eum gaudentem. Exsurgens Paulus clamabat benedicens Dominum : « Venite et videte misericordiam Dei. » Exposuitque omnibus quæ viderat. Et petebat ab illo quomodo tantam commutationem illi Deus donasset. Ille autem flens, ego, inquit, sum peccator, et multo tempore fornicationi deditus. Ingressus autem nunc ecclesiam, audivi verba Isaiæ prophetæ, magis autem A nunc Dei per ipsum loquentis : « Mundi estote, et tollite malitias de animabus vestris ante conspectum oculorum meorum. Discite bene facere, quærite judicium. Et si fuerint peccata vestra ut coccinum, velut lana dealbabuntur (*Isa.* I). » Ego igitur compunctus in hoc sermone, dixi intra me : « Domine, tu es qui venisti salvare peccatores. Hæc ergo quæ promisisti per prophetam, imple in me indignum peccatorem. Renuntio enim amodo omni injustitiæ, et serviam tibi de cætero in conscientia munda. Suscipe me pœnitentem. Juravi enim et statui apud me servare omnes justificationes tuas. » Sub hac ergo sponsione, de ecclesia egressus sum. Senes ergo hæc audientes, glorificaverunt Deum. Itaque, fratres charissimi, quoniam sancti angeli B tantam habent erga nos charitatem, quia sic sunt solliciti nos defendere, nobis bona suggerere, pro nobis orare, pro nostra salute lætari, et Dominum laudare diligamus, et nos eos veneremur, deprecemur, et memoriam eorum frequentemus, quatenus precibus et auxiliis eorum mereamur diabolicas insidias deprehendere et eludere, nos irreprehensibiliter habere, Deo nostro gratanter militare, ut eum pariter cum eis in æternum mereamur contemplari et laudare, ipso largiente qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

De angelis per Desid. Erasmum Roterod.

Angeli quoque multis nominibus sunt nobis C amandi, vel quia Domino communi familiariter inserviunt, vel quia jussu summi Principis, ex animo bene volunt electis, additi nobis custodes adversus impios spiritus; quorum præsentia nos deberet a peccando deterrere. Contristamus enim illos, et a nobis profligamus, quoties contemptis Dei præceptis, Satanæ paremus instinctibus. Ille cum suis satellitibus nusquam non vigilat, ut perdat; hi semper vigilant, ut tueantur. Tot enim casibus est exposita humana vita, ut pauci infantes pervenirent ad adolescentiam, pauci adolescentes ad virilem ætatem, pauci viri ad senectutem, nisi nostri curam assidue gererent angeli. Par est redamare qui nobis bene volunt; par est venerari qui naturæ sunt sublimioris, et in amore Dei constabiliti. Deferunt nostra vota ad Deum, referunt ad nos illius munificentiam, solatium afferunt in afflictionibus. Nam et Christum in agone confortasse leguntur. Inspirant sancta desideria, adjuvant in tentatione, bonis nostris exhilarantur, malis quo- D dammodo indolescunt, omnes exspectant consummationem corporis Christi. De natura angelorum non est necesse altius philosophari quam in canonicis libris traditum est. Angelos esse constat, ac per hos Deum administrare res hominum. Ordinum quorumdam tituli proditi sunt, quorumdam etiam propria nomina. Mentes sunt incorporeæ, quæ, si quando apparent, assumptitiam speciem exhibent oculis. Dicuntur viri, non quod ullus sexus sit in angelis, sed quod ea specie sese ostendunt. Quoniam autem humanæ mentis hebetudo ægre credit esse quod non videt, expedit illud teneris protinus animis instillare esse spiritus invisibiles, testes omnium actionum nostrarum, atque adeo cogitationum quoque, quibus grata est sobrietas, pudicitia, veritas, simplicitas, et quidquid ad veram pietatem pertinet: ut omnes excludas homines, angelum tamen habes spectatorem. Similiter agendum ut de sanctis vita defunctis religiosam imbibant opinionem.

XL.

IN FESTO SANCTI LUCÆ.

Designavit Jesus et alios septuaginta duos, et misit illos in omnem civitatem et locum, quo erat ipse venturus (*Luc.* x). Et reliqua. Jam elegerat, fratres charissimi, Dominus duodecim apostolos ; sed quia, ut ipse dicit hic, messis erat multa, operarii autem pauci, necessarium erat ut eis suffragatores et operarii adderentur, et hoc est quod dicitur hic : *Designavit Jesus et alios septuaginta duos*, etc. Primum igitur describitur eos elegisse, secundo, eos misisse, tertio eos instruxisse. Porro eos elegisse describitur cum dicitur : *Designavit Jesus.* Quid enim est aliud designasse quam eos quodam signo et privilegio gratiæ, notabiles electos demonstrasse? Debent enim præfulgere signis virtutum, qui pastores et magistri constituuntur populorum. Nam quantus et qualis debet esse doctor ecclesiasticus, in cujus comparatione populus grex vocatur! Convenit quippe ut ratione, moribus et scientia supereminеat, nec incurvetur more pecoris ad terrena, sed potius erectus sit ad cœlestia, quæ sursum sunt sapiat, non quæ super terram ; se et subditos regere et pascere sufficiat. Sed, proh dolor! hodie est sacerdos ut populus, imo deterior. Et qui deberent esse lux mundi, sunt potius fumantes quam flammantes. Et quot designavit? *Septuaginta duos.* De numero istorum unus putatur beatus Lucas qui hoc scribit, et cujus hodie solemnitatem celebramus. Sane septuaginta duo eliguntur, qui totidem linguarum gentibus Evangelium Christi prædicarent. Ut sicut primo duodecim apostoli pro duodecim tribubus Israel, ita septuaginta discipuli propter septuaginta gentium linguas destinarentur erudiendas. Sicut autem in apostolis forma est episcoporum, sic in septuaginta duobus forma est minorum sacerdotum. Secundo, describitur eos misisse cum subditur : *Et misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem et locum quo erat ipse venturus.* Ecce, fratres mei, hic discipuli non a semetipsis, sed a Domino eliguntur et mittuntur. « Nemo enim, ut ait apostolus, sibi assumit honorem, sed qui vocatus est ut Aaron (*Hebr.* v). » Et alibi : « Quomodo, inquit, prædicabunt nisi mittantur? » (*Rom.* x.) Et hoc aperte est contra quosdam, qui impudenter semetipsos eligunt, qui se ingerunt, qui ecclesiasticas dignitates, vel precibus, vel pretio, vel violentia rapiunt. De quibus Dominus : « Ipsi regnaverunt, sed non ex me. Principes exstiterunt, et ego ignoravi (*Ose.* viii). » Ex se namque, et non ex arbitrio summi Rectoris regnant, qui nullis fulti virtutibus, non divinitus vocati, sed sua cupiditate succensi, regimen rapiunt magis quam assequantur. Quos internus Judex provehit et nescit, quia quos permittendo tolerat, per judicium reprobationis ignorat. *Et misit*, inquit, *eos binos.* Non minus quam inter duos fratres fraterna charitas potest demonstrari, nec minus quam duo sufficiunt ad testimonium veritatis, dicente Domino quia « in ore duorum vel trium testium, stat omne verbum (*Matth.* xviii). »

A Bini ergo ad prædicandum mittuntur. Ac si eis dicatur : Vos qui prædicationis officium suscipitis, oportet ut et consono corde in vobis aliis charitatem demonstretis, et consono ore veritatem testificetis. Omnis enim cujus cor dissonat a veritatis unitate, omnino indignus est officium prædicationis suscipere. Et quo eos misit? *Ante faciem suam, in omnem civitatem et locum quo erat ipse venturus.* Præmisit eos tanquam locum sibi præparaturos. Ordo enim exigit ut præcedat vox prædicationis, ut Dominus veniat ad habitaculum mentis. Unde propheta, « Parate viam Domino, rectas facite semitas ejus (*Isa.* iv). » Quando enim, fratres mei, vobis prædicamus, quando vos corripimus et instruimus, Domino viam ad corda vestra paramus.

B Tertio describitur Dominus eos instruxisse, cum subditur : *Et dicebat illis*, etc. Sunt autem decem in quibus instruit eos. Ostendit autem eis quantus labor eis incumbat, quid debeant ipsum rogare, quomodo ipse sit facilis eos audire, quales, quam expediti et quam festini ipsi debeant esse, quod potius debeant prædicare, et qua utilitate, ubi debeant manere, et unde necessaria sumere. Porro quantus labor eis incumbat, ostendit cum dicit : *Messis quidem multa, operarii autem pauci.* Ac si aperte dicat : Cum multa sit messis, et vos operarii sitis pauci, non est vobis otiandum et dormiendum, sed potius cum omni labore et sollicitudine operi instandum; ut multam messem vos pauci operarii colligere valeatis. Quod autem tunc Dominus dicebat, nunc nos

C dicere possumus. Quoniam (quod sine gemitu dicere nequeo) et si sunt qui bona audiant, desunt qui dicant : Ecce sacerdotes innumerabiles sunt, et tamen in messe Dei rarus reperitur operarius bonus, quia officium quidem sacerdotale libenter suscipimus, sed opus officii non implemus. Et perit multitudo messium propter pigritiam operariorum. Secundo, quid rogare debeant ostendit cum subdit : *Rogate ergo dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.* Hoc enim tota Ecclesia debet quotidie Dominum rogare, ut mittat tantos et tales operarios in messem suam, qui digni et probi sint eam custodire et colligere in horrea beatitudinis æternæ. Rogemus ergo Dominum, nos pastores. Rogate et vos pro nobis,

D fratres mei, quatenus et nos bonos operarios efficiat, et alios suppleat ad honorem nominis sui, et ad utilitatem nostri et vestri. Utilitas quippe nostra vestra est, et utilitas vestra nostra est, quia si vos bonæ oves estis, nos orationibus et beneficiis vestris sustentatis. Damnum quoque nostrum vestrum est, quoniam si (quod absit!) ab officio boni pastoris et vita exorbitamus, vos exorbitare facimus. Vestrum quoque damnum nostrum est quoniam, si (quod absit!) unus vestrum perit, inde timor et dolor nobis accrescit. Certe, propter peccata populi, sinit Deus regnare hypocritam, ut apparet in Saule. Et propter peccata principum vel sacerdotum, venit persecutio super populum, quod apparet in filiis Heli, et in David. Quoniam igitur sic nos pastores et vos sub-

diti, conjuncti sumus, nos ad invicem diligamus, vos nostra, et nos vestra onera portemus; vos nostri, et nos vestri, in orationibus, oblationibus et eleemosynis memores simus, quatenus sicut simul hic vivimus, sic simul in alia vita gloriemur. Tertio, Dominus ostendit quomodo ipse sit facilis audire eos qui sibi donari bonos pastores rogant, cum subdit : *Ite. Ecce ego mitto vos*. Hinc, fratres mei, constat quoniam si pia et instante oratione bonum pastorem postulaverimus, procul dubio repulsam non patiemur. Propterea, quando vacat sedes pastoralis, deberent sacerdotes ad ecclesias cum plebibus convenire, votis et suspiriis, jejuniis et orationibus, oblationibus et eleemosynis, a Domino bonum pastorem postulare. Sed, unde dolendum est, hodie in electionibus pastorum, unusquisque requirit non Dei voluntatem, sed suam temporalem commoditatem ; non lucrum spirituale, sed temporale, et spretis idoneis personis, vel se, vel amicum gestit impudenter ingerere. Hinc iratus Dominus permittit hodie pontificari tyrannos et poetas non instructores sed destructores animarum.

Quarto, quales esse debeant qui ad prædicandum mittuntur, ostendit cum subdit: *Sicut agnos inter lupos*. Ac si aperte dicat : Si gaudetis de officio prædicationis, attendite quales esse debetis. Debetis enim esse quasi agni inter lupos, innocentes inter nocentes, patientes inter persecutores, mansueti inter sævientes, beneficiarii inter injuriantes. Pastor enim ecclesiasticus debet non inferre, sed inferentes tolerare, sævientes sua mansuetudine mitigare, injuriosos suis beneficiis superare, et peccatorum vulnera in aliis ipse afflictionibus vulneratus sanare. Quem etsi quandoque zelus rectitudinis erigit, ut contra subditos sæviat, furor ipse de amore fit, non de crudelitate. Sed multi hodie cum regimen suscipiunt, ad lacerandos subditos inardescunt, et quia charitatis viscera non habent, non patres, sed domini videri appetunt, et humilitatis locum in elationem dominationis mutant. Quos propheta reprehendit dicens : « Cum austeritate imperabatis, et est potentia (*Ezech.* xxxiv). » Hi audiant quod Deus mittit discipulos suos tanquam agnos inter lupos, hoc est ad passionem, non ad voluptatem, ad patientiam, non ad gloriam, ad humilitatem, non ad dominationem. Quinto, quam expediti esse debeant ostendit, cum subdit : *Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta*. Quod hic Lucas minus dicit, Matthæus supplet : « Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, neque peram, neque calceamenta in via (*Matth.* x). » Tanta prædicatori debet in Deo esse fiducia, ut præsentis vitæ sumptus, etsi non provideat, tamen non defuturos sibi certissime sciat, ne, dum mens ejus occupatur ad temporalia, minus aliis provideat æterna. Duas quoque tunicas habere prohibetur, ne dum in aliis ipse superfluitatem reprehendit, ea in ipso reprehendi possit ; calceamenta quoque, etsi videntur necessaria, ei prohibentur, ut qui in aliis resecat superflua, in se quantumcunque potest restringat etiam ea quæ videntur ei necessaria. Mystice vero pecunia in sacco clausa, est sapientia occulta. Sed sapientia abscondita, et thesaurus absconditus, quæ utilitas in utrisque? Prædicator ergo pecuniam in sacco ferre prohibetur, quia qui talentum verbi occultat, reprobatur. Scriptum est enim : « Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis (*Prov.* xi). » Prohibetur quoque ferre peram, id est onus sæcularium negotiorum, ne si collum mentis ejus opprimat, ad cœlestia aliis prædicanda non assurgat. Hinc Paulus : « Nemo, inquit, militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus. (*II Tim.* ii). » Prohibetur et duas tunicas, id est, duplicitatem habere. Simplex enim esse debet qui simplicitatem debet aliis prædicare. Unde dicitur : « Væ homini terram ingredienti duabus viis (*Eccli.* ii). » Prohibetur etiam calceamentis, id est pellibus mortuorum animalium pedes suos munire, id est exemplis mortuorum operum opera sua mala defendere, ut faciunt quidam qui pravitatibus aliorum suam tuentur pravitatem ; debet autem, juxta Marcum, uti sandaliis sive soleis (*Marc.* vi), ut scilicet pes neque sit tectus, neque ad terram nudus, quatenus affectus ejus terrenis non hæreat, sed nudus cœlestia suscipiat. Sexto, quantum debeant ad prædicandum esse festini, ostendit cum subdit: *Et neminem per viam salutaveritis*. Similia dicit Eliseus in libro Regum, mittens festinanter Giezi cum baculo suo ad filium Sunamitidis suscitandum : « Si occurrerit tibi homo, inquit, non salutes eum, et si salutaverit te quispiam, non respondeas ei (*IV Reg.* iv). » Ac si aperte dicat : Nullius obvii detineris confabulatione. Et quam, fratres mei, cæteras vanas occupationes debet vitare, qui etiam prohibetur in via salutare ! Mystice, omnis qui in via salutat ex occasione salutat itineris, non ex studio exoptandæ ejusdem salutis. Prohibetur ergo prædicator in via salutare, id est, ex occasione alicujus temporalis intentionis salutis verbum prædicare. Quod prædicandum est ex sola Dei et proximi charitate. Septimo, quid prædicare debeant, ostendit cum subdit: *In quamcunque domum intraveritis, primum dicite: Pax huic domui*. Pax quippe præcipue charitatis non solum optanda, sed etiam prædicanda et offerenda est. Pax quippe tota evangelica prædicationis materia est. Propter hoc enim misit Deus Pater Filium suum mediatorem in mundum, ut sanguine suo hominem Deo, et Deum homini, reconciliaret, ut Judæum et gentilem in se angularem lapidem conjungeret, ut mutuam charitatem prædicaret, ut rebellionem carnis et spiritus sedandam esse demonstraret. Propterea angeli in nativitate Christi pacem annuntiant dicentes : « Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis! » (*Luc.* ii.) Et ipse Christus postquam cœlestia et terrena pacificavit sanguine suo, stans in medio discipulorum ait : « Pax vobis! » (*Joan.* xx.) Hæc pax, fratres mei, præcipue optanda, prædican-

da, et offerenda est; hujus enim pacis omnes nos prædicatores legati sumus. Unde Paulus : « Pro Christo, inquit, legatione fungimur, tanquam Deo vos exhortante per nos. Obsecro vos, reconciliamini Deo (*II Cor.* v). » Deum, fratres mei, peccando exacerbaveramus, et tamen ipse prior ad nos nuntios pacis mittit, pacem vestram quærit, dans nobis exemplum, ut quando aliquis nos offenderit, non exspectemus eum, sed ipsi eum primi petamus, et pacem ei offeramus, quatenus de acquisitione ejus animæ præmium mercamur.

Octavo, demonstrat qua utilitate pax offeratur, cum subdit : *Et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super eum pax vestra. Sin autem, ad vos revertetur.* Sane sive prædicatio, sive oratio, sive aliquod quodcunque bonum, non potest esse irremuneratum : quoniam aut prodest et illi qui facit, et illi cui fit; aut si illi cui fit non prodest, illi qui facit non potest non prodesse. Unde et Psalmista : « Et oratio, inquit, mea in sinu meo convertetur (*Psal.* xxxiv). » Propterea, fratres, nunquam a bono cessandum est, quia cuicunque fiat, si opus et intentio bona est, sine fructu esse non potest. Nono, ubi debeant manere ostendit, cum subdit : *In eadem autem domo manete*, subaudit, in qua pax vestra recepta est. Nec est, ut in sequentibus demonstratur, de domo in domum vaga facilitate demigrandum. Propterea, juxta alium evangelistam, præcipiuntur intrantes civitatem inquirere quis in ea dignus sit (*Matth.* x), ne forte coacti postea hospitium permutare redargui possint aut leves esse, aut non bene elegisse; ab ea enim domo in qua prædicator hospitatur, debet profectus prædicationis inchoare, ut testimonium bonum habeat ab iis quibuscum conversatur. Nam quomodo extraneos poterit convertere, qui illos cum quibus quotidie conversatur, convertere nequit? Aut quomodo ab exterioribus diligetur, qui a suis domesticis non diligitur? Decimo vero et ultimo loco, prædicatores, quos necessaria ferre prohibuerat, unde ea sumere debeant ostendit, cum subdit : *Edentes et bibentes quæ apud illos sunt.* Debent enim prædicatores ab eis pasci corporaliter, quos pascunt spiritualiter. Unde Paulus : « Si vobis, inquit, spiritualia seminavimus, magnum est si vestra carnalia metamus? (*I Cor.* ix.) » *Edentes*, inquit, *et bibentes quæ apud illos sunt.* Ac si aperte dicat : Ab illis quibus prædicatis, potestis juste necessaria sumere, sed illis quæ apud eos sunt debetis contenti esse. Quod aperte contra illos est qui hospites suos vel petendo deliciosiora gravant, vel asperiora et duriora fatigant. Sicut enim vitium est majores divitias quam domi habeantur flagitare, ita et vitium est asperiores cibos quam qui domi reperiantur, postulare, cum parce appositis utendo, possit quis religioni suæ satisfacere. Quare autem debeant edere et bibere quæ apud illos sunt, ostendit cum subjungit : *Dignus est enim operarius mercede sua.* Porro impria stipendium mercedem vocat. Aliud est enim stipendium, aliud merces. Stipendium est expensa quæ datur militantibus, per quam vel propter quam militatur. Merces vero est corona sempiterna. Non enim propter stipendia temporalia debet prædicare, sed propter mercedem sempiternam. Qui enim vel propter temporalia stipendia, vel propter gloriam, vel propter aliquam aliam causam temporalem prædicat, ab æterna mercede se privat. Debemus ergo non evangelizare ut manducemus, sed potius manducare ut evangelizemus. Evangelizare vero, ut vitam æternam consequamur. Sed quid, nos miseri pastores, quid nos dicere possumus, qui stipendia capimus, et tamen operari nolumus? Stipendium prædicatoris sumimus, et non prædicamus. Ex oblationibus fidelium et redemptionibus peccatorum vivimus, et contra eadem peccata, nec prædicatione, nec oratione, ut dignum est, aliquid facimus. Pensemus, fratres, semper quod scriptum est : « Peccata populi mei comedunt (*Ose.* iv). » Cum enim oblationes pro peccatis factas comedimus, et tacemus, vel forte (quod gravius est) palpamus et fovemus, profecto peccata populi comedimus, id est ea nostra facimus. Itaque, fratres mei, pigritiam nostram expergiscamus, et quod dicimur, pastores esse studeamus. Sanctitatem quam prædicamus habere desudemus, onera sæcularium negotiorum abjiciamus, paucis contenti simus, exemplo et verbo prædicationi insistamus, lucris animarum incessanter intendamus, oves nobis commissas nobiscum ad Deum trahere satagamus, quatenus pro illis et cum illis a summo Pastore æternæ viriditatis pascua consequamur, ipso largiente qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum.

Vita S. Lucæ evangelistæ per D. Isidorum scripta (15).

Lucas evangelista, et apostolicæ conscriptor historiæ, natione Syrus, arte medicus, Græco eloquio eruditus, quem plerique tradunt fuisse proselytum, et litteras Hebræas ignorasse. Hic fuit Pauli discipulus, et individuus peregrinationis ejus comes. Quique ab ineunte pueritia castissimus fuit, et discipulus apostolorum effectus, evangelicæ prædicationis opus exercuit. Obiit autem septuagesimo et quarto vitæ suæ anno, sepultusque est in Bithynia. Cujus quidem ossa, regnante Constantio, Constantinopolim sunt translata.

XLI.

IN FESTO OMNIUM SANCTORUM.

Ecce ego Joannes vidi alterum angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei vivi (*Apoc.* vii), etc. Hæc visio, fratres mei, quam Joannes evangelista se vidisse testatur, de Christo intelligitur. Sunt autem hujus lectionis quatuor partes. Primo enim, Christum per circumlocutionem designat. Secundo, quantam potestatem habeat super adversarias potestates demonstrat. Tertio, quam potenter suos salvet, declarat. Quarto, quanta laus inde sequatur, manifestat. Primo igitur Christum per circumlocutionem designat cum di-

(15) In lib. De Patribus Novi Testamenti.

cit : *Ecce ego vidi alterum angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei vivi.* Ex tribus Christum commendat, ex officio, ex natura, ex virtute. Ex officio, in eo quod vocat eum angelum. Ipse est enim angelus non qualiscunque, sed « magni consilii angelus (*Isa.* IX), » qui missus a Patre veniens, ut ait Apostolus, « evangelizavit pacem et illis qui fuerant longe, et illis qui prope (*Ephes.* II). » Ex virtute eum commendat, cum ait : *Ascendentem ab ortu solis*, subaudi, virtute propria, non aliena. Unde Apostolus : « Qui descendit ipse est qui ascendit supra omnes cœlos, ut adimpleret omnia (*Ephes.* IV) ; » et Psalmista : « Psallite, inquit, Domino qui ascendit super cœlos cœlorum ad orientem (*Psal.* LXVII). » Porro Christus qui se humiliavit, dicitur ascendisse ab ortu solis. Dicitur autem diabolus qui superbivit, ascendisse voluisse ad aquilonem, quoniam qui se humiliant, ad regnum claritatis ascendunt, et qui superbiunt, præcipitantur in regionem frigoris et tenebrarum. A natura eum commendat, cum subdit : *Habentem signum Dei vivi*, id est divinam auctoritatem et potestatem, qua quasi quodam signo se per omnia demonstrat Deo Patri coæqualem. Quidam tamen hic intelligunt per signum, crucem qua Deus suos signat. Sequitur pars secunda, in qua demonstratur quantam potestatem Christus habeat super adversarias potestates, cum dicitur : *Et exclamavit voce magna quatuor angelis, quibus datum est nocere terræ et mari.* Porro clamare Dei, est facere : voce igitur magna clamavit Christus, quando magno et efficaci imperio dæmones refrenavit. Quatuor vero angeli, quibus præcipue datum laborantibus in terra et mari nocere, sunt spiritus luxuriæ, spiritus superbiæ, spiritus gastrimargiæ, spiritus avaritiæ. Unde Joel : « Residuum, inquit, erucæ comedit locusta, residuum locustæ comedit bruchus, residuum bruchi comedit ærugo (*Joel.* I). » Sane per erucam, quæ ex oleribus nascitur et foliis, et ea consumit, significatur luxuria, quæ ex carne nascitur, et eam consumit. Per locustam vero, quæ in altum salit, et cito deponitur, significatur superbia ; per bruchum, qui est fetus locustæ, antequam alas habeat, qui semper in imo jacens loco, herbam penitus corrodit, notatur gastrimargia. Per rubiginem vero, quæ metalla sequitur, avaritia designatur. Multos quippe consumit luxuria. Et quos non consumit luxuria, tumefacit superbia. Et quos ista non superant, superat gulositas. Quos vero nullum istorum vincit, vincit avaritia. Contra hæc quatuor vitia nos monet Joannes dicens : « Charissimi, nolite diligere mundum, nec ea quæ in mundo sunt. Omnium quidquid est in mundo, est aut concupiscentia oculorum, aut concupiscentia carnis, aut superbia vitæ quæ non est ex Deo Patre (*I Joan.* II). » Per concupiscentiam carnis, gulositatem et luxuriam; per concupiscentiam oculorum, avaritiam designat.

Horum igitur quatuor vitiorum species refrenat Dominus, ne suis electis obsint, dicens : *Nolite nocere terræ et mari neque arboribus.* Constat quod quidam dæmones præcipue nocent in terra, quidam in aquis, quidam in nemoribus, vel per terram, intellige deditos terrenis : per mare, instabiles et per diversa vitia fluentes ; per arbores, terrenitatem excedentes et fructificantes. *Quoadusque*, inquit, *signemus servos Dei nostri in frontibus eorum.* Hinc datur intelligi quoniam propter electos, qui inter reprobos in hoc mundo habitant, prohibentur aliquando dæmones persecutionem exercere in reprobos, ne forte eradicantes zizania, eradicent simul et triticum (*Matth.* XIII), usquequo electi muniantur, et confirmentur, vel ut Lot, de medio tollantur. Est autem hæc pars tertia, in qua ostenditur quam potens sit Christus suos custodire inter malos et salvare. *Signemus*, inquit, id est discernamus, muniamus et confirmemus, ego interius, et mei ministri exterius. Ego interius, fide crucis, et etiam ministri mei exterius, signo crucis ; ego interius, oleo invisibili, et mei exterius, oleo visibili. Fide enim crucis et oleo gratiæ spiritualis, Christus interius suos a non suis discernit, contra persecutiones munit, in bono confirmat et constantes facit. Ministri vero Christi. eos visibili cruce et oleo visibili exterius signantes, eos interius discerni, muniri et confirmari demonstrant. *In frontibus*, inquit, *eorum*. Porro puer quando catechizatur, signatur oleo in modum crucis in pectore, ut fidem Christi habeat in corde ; signatur inter scapulas, ut onus solius Christi portet ; signatur in vertice, ut rationem, quæ est judex hominis, conservet. Quod bene significatur per hoc quod de sanguine agni liniebatur uterque postis et superliminare domus, in qua agnus comedebatur. In confirmatione vero fit unctio in modum crucis in fronte, quæ est sedes pudoris et pars corporis magis eminens, ut fidem Christi non erubescat in tribulatione, sed potius confiteatur et prædicet aperte. Quod bene significatur, per hoc quod Dominus præcepit in Ezechiele signari litteram Thau in frontibus dolentium et gementium de iniquitatibus aliorum, ut sic discernerentur et præmunirentur, nec cum peccatoribus perderentur. *Et audivi*, inquit, *numerum signatorum, centum quadraginta quatuor millia signati ex tribu filiorum Israel.* Cum juxta litteram videatur per hunc numerum electos de Judæis significare, et per turbam innumerabilem, quam subjungit, electos de gentibus. Sed quia super hoc incerti sumus, et fere totus iste liber ænigmaticus est, ad mysticum referamus, ut intelligamus per hunc numerum non quot, sed quales sint signati ex omni tribu filiorum Israel, id est ex omnibus gentibus fidem Jacob imitantibus. Per centum igitur quadraginta quatuor millia, omnes electi de quatuor mundi partibus significantur. Per quadraginta enim accipiuntur pœnitentes, per centum, perfecti, per millia, perfectiores, per quatuor, quatuor partes mundi. *Ex tribu*, inquit, *Juda duodecim millia signati.* Per Judam, qui *confitens* interpretatur, confitentes significantur. Quorum duodecim, id est ter quatuor sunt signati, id est omnes de quatuor partibus mun-

di, in confessione sanctæ Trinitatis perfecti, sunt Deo signati et electi, et sic de cæteris intelligendum est. Significantur autem per has duodecim tribus, duodecim virtutes. Quas qui sequuntur. salvantur. Per Judam, confitentes accipiuntur, quibus sola confessio sufficit, cum non habent tempus operandi, ut latroni in cruce confitenti. Et quia habenti tempus operandi sola confessio non sufficit, sequitur Ruben, qui *videns filium* interpretatur, per quem significantur illi qui ad bene operandum sunt reservati, qui videbunt fructum manuum suarum in æternum. Et quoniam quidam, bene operantes, minus providi sunt tentationum, sequitur Gad, qui interpretatur *accinctus*, per quem accipiuntur illi qui contra tentationes se præparant et accingunt, juxta illud : « Fili, accedens ad servitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem (*Eccli.* II). » Et quia quidam etiam post longam luctam succumbunt, sequitur Aser, qui interpretatur *beatus*, per quem significantur illi quibus datum est feliciter contra tentationes pugnare, et tentationes in profectum provenire, juxta illud : « Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ (*Jac.* I). » Et quia patientiam debet comitari charitas, sequitur Nephthalim, qui interpretatur *latitudo*, per quem significantur illi qui ex latitudine charitatis suæ etiam persecutoribus suis largiuntur. Et quoniam quidam, quamvis exteriora sua persecutoribus suis largiantur, tamen injurias in corde retinent, sequitur Manasses, qui interpretatur *obliviosus*, per quem illi significantur qui injuriarum immemores sunt. Et quoniam quidam de prædictarum virtutum consecutione nimis hilarescunt, sequitur Simeon, qui interpretatur *tristitiæ exauditio*, per quem significantur illi qui, ne virtutibus suis nimis hilarescant, semper cor suum ad considerationem peccatorum præteritorum et miseriam hujus mundi convertunt, ut inde contristentur et humilientur, juxta illud Sapientiæ Salomonis : « Cor sapientis in tristitia, et cor stulti in lætitia (*Eccles.* VII). » Et quia septem præcedentes virtutes tenemur ex præcepto adimplere, sequitur Levi, qui interpretatur *aditus*, per quem illi significantur qui non solum præcepta, sed etiam consilia et non injuncta faciunt. Et quoniam tales inter labores mundanæ miseriæ ingemiscunt, exspectantes redemptionem corporis sui, sequitur Issachar, qui interpretatur *merces*, per quem significantur illi quos tædet hic vivere, cupientes mori et esse cum Christo. Et quoniam vita talium minoribus necessaria est, sequitur Zabulon, qui interpretatur *habitaculum fortitudinis*, per quem significantur illi qui pro necessitate fratrum laborem non recusantes, de Maria ad Martham descendunt. Et quoniam ex hoc provenit augmentum et profectus Ecclesiæ, sequitur Joseph, qui interpretatur *augmentum*, per quem illi significantur qui, per doctrinam suam, Ecclesiam numero fidelium augmentant. Et quoniam tot et tantas virtutes solet ad extremum elatio impugnare, sequitur Benjamin, qui *filius dexteræ* interpretatur, per quem illi significantur qui inter magnas virtutes suas humiles semper existunt, nihil a se, sed a benedictione divinæ dexteræ omnia se habere reputantes, et quidquid boni habent ei attribuentes. Proficiunt autem istæ virtutes ascendendo gradatim ab imo, id est a sola confessione ad summam virtutem, quæ est humilitatem in summo virtutum tenere. Has virtutes, fratres charissimi, habere studeamus, si de numero signatorum esse desideramus.

Enumeratis igitur sub figura virtutibus signatorum, agit Joannes de ipsis signatis subdens : *Post hæc vidi turbam magnam*. Vocat autem universitatem turbam, propter sui multitudinem et incomprehensibilitatem. Porro de hac turba dicit septem : videlicet, quanta esset, unde venisset, quomodo vel ubi se haberet, quem conspiceret, quo vestita esset, quid in manibus haberet, quid diceret. Quanta esset ostendit cum subdit : *Quam dinumerare nemo poterat*. Juxta quos Dominus dixerat Abrahæ : « Multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli et arenam maris (*Gen.* XXII et XXVI) ; » electos enim ille solus potest numerare, qui stellas cœli et arenam maris potest numerare. Et hoc contra eos qui dicunt : Quis poterit salvus esse? Unde venissent ostendit, cum subdit : *Ex omnibus gentibus, et tribubus, et populis, et linguis*. Et hoc contra illos, qui putant tantum in Latina vel in Græca lingua catholicos esse. Ut enim Petrus ait : « In omni gente quæ timet Deum et operatur justitiam, acceptus est illi (*Act.* X). » Et Paulus : « Unde est, inquit, masculus aut femina, Judæus et gentilis, circumcisio et præputium, servus et liber? » (*Gal.* III.) « sed omnia in omnibus Christus (*Col.* III), » id est, nulla diversitas apud Deum præjudicat, scilicet neque sexuum, neque nationum, neque observantiarum, neque linguarum, neque conditionum, sed solus Christus est omnia in omnibus. Nemini enim nocet vel feritas gentis suæ, vel malitia tribus suæ, vel vitium populi sui, vel barbaries linguæ suæ, si tantum Christus vita et moribus et fide teneatur. Quomodo vero se habeant ostendit cum subdit : *Stantes ante thronum*, id est assistentes Deo judicanti et regnanti. Quia enim in mundo semper astiterant Christo in mentibus suis judicato et patienti, illo digni sunt, ut in cœlo assistant judicanti et regnanti. Quem conspicerent ostendit cum subdit : *In conspectu Agni*. In quem desiderant angeli conspicere. Illum enim in gloria sua videre est beate vivere. Quod illi soli merentur, qui in eum direxerunt semper in hac vita oculos intentionis suæ, juxta illud : « Oculi sapientis in capite ejus (*Eccle.* II). » Quo vestiti essent ostendit cum subdit : *Amicti stolis albis*, id est vestiti corpus et animam candore immortalitatis. Quod illi merentur qui stolas suas, in baptismo sanguinis Christi dealbatas, immaculatas custodierunt, vel maculatas lacrymis pœnitentiæ purgaverunt. Quid manibus ferrent ostendit cum subdit : *Et palmæ in manibus eorum*, id est victoriales et immarcessibiles mercedes in operibus illorum.

Quod illi merentur qui in hac vita otiosi non fuerint, sed pro Christo infatigabiliter laboraverint. Quid docerent ostendit cum subdit : *Et clamabunt voce magna*. Est autem hæc pars quarta, in qua ostenditur Salvatorem quanta laus sequatur. Illi enim qui salvati sunt, sicut in hac vita, imo magis in illa æterna vita laudibus magnæ devotionis Salvatorem suum semper benedicunt, juxta illud : « Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te (*Psal.* LXXXIII), » dicentes : *Salus Deo nostro sedenti super thronum et Agno*. Ac si aperte dicant : Quidquid salutis consecuti sumus, vel in peccatorum remissione, vel in bona operatione, vel in glorificatione, nihil meritis nostris, sed gratiæ Dei Patris et Filii ejus attribuendum est. Quod canticum cantare ante thronum Dei, illi soli merentur qui, quidquid boni habuerint, non sibi sed Deo attribuere didicerint; hæc est enim laus quæ magis divinam delectat majestatem. Ad quam laudem ut magis nos invitet, ostendit illam omnes angelos approbare et confirmare. Quorum attestationi ut magis acquiescamus, innuit prius ipsos angelos esse protectores et exemplares nostros. Eos protectores nostros esse ostendit, cum dicit : *Et omnes angeli stabant in circuitu throni*, id est Ecclesiæ, in qua Deus sedet, juxta illud : « Immittet angelus Dei in circuitu timentium eum, et eripiet eos (*Psal.* XXXIII). » Et non solum in circuitu throni, sed etiam in circuitu *seniorum et quatuor animalium*, id est prædicatorum Veteris et Novi Testamenti. Seniores enim et quatuor animalia sunt in circuitu throni, sed angeli sunt in circuitu et seniorum et quatuor animalium et throni, quoniam prædicatores circumeunt vigilando Ecclesiam, ipsos vero prædicatores et ipsam simul Ecclesiam circumeunt angeli et custodiunt. Eos vero exemplares nostros esse ostendit, cum eos humiliare in facies suas et Dominum adorare ostendit. Et hoc *in conspectu* throni, id est Ecclesiæ, quatenus considerans Ecclesia ipsos angelos, qui nunquam peccaverunt, se tamen humiliare, et suam ex se infirmitatem attendere, discat et ipsa quæ peccavit multo magis se humiliare, suam infirmitatem cognoscere, et Deo auctori quidquid boni habet attribuere. *Et adoraverunt*, inquit, *dicentes : Amen*. Quasi homines bene facitis, quia salutem vestram non vobis, sed Deo attribuitis, quia non solum salus, sed etiam omnis *benedictio*, id est donum quod est benedicendum, *et claritas*, sive exterior sive interior, *et sapientia*, qua mala vitamus et bona eligimus, *et gratiarum actio* de collatis bonis, *honor*, sive temporalis sive æternus, *et virtus* interior, *et fortitudo* exterior, omnia hæc sunt Dei, ita ad Deum debent referri, qui hæc in manu habet, cui vult præbet, cui est honor et gloria per omnia sæcula sæculorum. Amen.

XLII.

IN FESTO OMNIUM SANCTORUM.

Videns Jesus turbas, ascendit in montem (*Matth.* V). Et rel. Hanc sancti Evangelii lectionem, fratres charissimi, toto corde audire et retinere debemus, quoniam in ea demonstratur nobis doctrina, sine qua non potest haberi salus. Sunt autem hujus lectionis partes duæ. Primo enim, instruit nos Dominus, exemplo sui; secundo, doctrina verbi. Porro exemplo sui nos instruit, cum videns turbas, ascendit in montem et ibi sedens discipulos erudivit, monens nos universaliter, ut si eum sequi volumus, non cum turbis in imo remaneamus, sed tumultum strepitumque mundi et ima vitiorum fugientes, ad altitudinem virtutum ascendamus, et in ipsa virtutum altitudine sedeamus, id est non elate, sed humiliter nos habeamus, et condescendendo minoribus nos coæquemus, quatenus sic eos ad nos accedentes docere et Deo lucrari valeamus. Specialiter vero nos prædicatores instruit, ut cæteris prædicaturi, primo altitudinem vitæ et doctrinæ conscendamus, juxta illud Isaiæ : « Super montem excelsum ascende, tu qui evangelizas Sion; exalta in fortitudine vocem tuam, qui evangelizas Jerusalem (*Isa.* XL). » In ipsa quoque vitæ et doctrinæ celsitudine sedeamus, cum per vocationem, tum etiam per condescensionem. Per vocationem, quia magistrorum est non discurrere, sed sedere, non se negotiis sæcularibus implicare. Unde et in Gestis pontificalibus legitur : « Tot et tot annis sedit ille, vel ille episcopus. » Sane sedentis pars inferior recumbit quæ manet quieta; pars vero superior erigitur, et manet directa. Spiritualis quoque magistri pars inferior, id est sensualitas, debet a sæculari decursione et implicatione quiescere, et pars superior, id est ratio, ad prædicanda cœlestia debet assurgere. Per condescensionem, quia spiritualis magistri est, sicut infirmitati, sic et capacitati subditorum condescendere, quatenus non minus alta, nec importabilia primo eos prædicet, sed juxta capacitatem illorum eis distillet, juxta quod Dominus in Evangelio discipulis suis dicit : « Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo (*Joan.* XVI). » Quatenus non ingravet nec deterreat auditores, ut quidam faciunt, sed eis condescendendo, eos ad se trahat. Debet quoque os suum aperire, id est clausum et obscurum verbum aperire et doctrinaliter erudire. Quasi enim clauso ore docet, qui intelligibiliter non docet. Sed doctor ecclesiasticus, ut legitur in Esdra, debet distincte loqui et aperte ad intelligendum, ut videlicet non sibi soli, sed aliis loquatur. Quod contra quosdam est, qui ut se ostentent, obscuris verbis et inusitatis loquuntur, similes illis qui magis appetebant olim linguis loqui quam interpretari, quos Paulus reprehendit dicens : « Nisi manifestum sermonem dederitis, quomodo scietur id quod dicitur? » (*I Cor.* XIV.) Et post pauca : « In Ecclesia volo magis quinque verba meo sensu loqui, ut vos instruam, quam decem millia verborum in lingua (*ibid.*). »

Sequitur pars secunda, in qua Dominus instruit nos verbi doctrina, hortans nos ad octo virtutes æternæ beatitudinis consecutrices. Quarum prima est paupertas voluntaria. Ad hanc nos invitat, cum

dicit : *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Quæ utique doctrina mundanæ sapientiæ est contraria. Mundus enim putat pauperes esse miseros, et divites esse beatos, juxta illud : « Quorum filii sicut novellæ plantationes in juventute sua, filiæ eorum compositæ, circumornatæ ut similitudo templi ; promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud, oves eorum fetosæ, abundantes in egressibus suis. Non est ruina maceriæ neque transitus, neque clamor in plateis eorum. Beatum dixerunt populum cui hæc sunt (*Psal.* CXLIII). » Sed econtra Dominus sentiens, hic dicit : *Beati pauperes spiritu*, id est voluntate. Voluntaria enim paupertas (si propter Deum fiat) virtus est. Quæ a prophetis frugalitas appellata est. Porro quatuor sunt species paupertatis. Alii quippe sunt pauperes rebus, et non spiritu ; alii, spiritu, et non rebus; alii, et spiritu et rebus ; alii, spiritu et mediocribus rebus. Sane pauper rebus et non spiritu est, qui cum non habeat mundanas divitias, eas tamen ardet et desiderat. Sed quia pauper est, putat se esse miserum et Deo exosum. Divites vero putat esse fortunatos. Propterea furatur, rapit, decipit, mentitur, perjurat, occidit. Qui tanto pejor et damnabilior efficitur, quanto de flagello paupertatis non emendatur. De hujusmodi dicit Dominus per prophetam : « Curavimus Babylonem, et non est sanata (*Jer.* LI). » Quasi diceret : Fecimus quod ad correctionem ejus potuit sufficere, sed tamen ipsa perdurat in sua iniquitate. Pauper vero spiritu et non rebus est, qui cum divitias habeat, eas contemnit, et dum est inter opes, sentit se dispensatorem, non dominum. Pauperibus est largus, sibi vero parcus. Illas vero credit solas esse divitias quæ dominum suum non relinquunt, ut fidem, spem et charitatem, et cæteras virtutes quæ hominem sanctificant simul et beatificant. Qui tanto major est et mirabilior, quanto majoribus opibus circumdatus. Vitiis earum non tenetur, non enervatur, non inflatur, non sollicitatur. Opes ei, etsi arrident, non tamen irrident. Talis pauper erat Abraham, talis erat pauper David, qui positus inter divitias sæculares dicit : « Ego sum pauper et dolens (*Psal.* LXVIII). » Talis pauper erat Job, qui dicit se de divitiis suis gaudia non habuisse (*Job* XXXI). Est autem hæc pauperies fortium virorum, qui in divitiarum mollitie norunt fortiter continere se. Pauper vero et spiritu et rebus est, qui non solum mandata, sed etiam consilia secutus, vendit omnia quæ habet et dat pauperibus, et nudus nudum Christum sequitur. Talis pauper fuit Elias propheta, talis Joannes Baptista, tales pauperes fuerunt apostoli et eremitæ. Est autem hæc paupertas tantum perfectorum virorum, qui sunt in fide fortes, in vita continentes. in duris patientes. Qui certissime norunt nulla sibi debere, Deo sibi necessaria providente. Pauper vero spiritu et re mediocriter est, qui cum divitias tanquam vanas contemnat, tamen non vult eas omnino relinquere, timens ne forte egens fieret, mendax, fur, raptor atque dolosus. Rursus nec vult magnas possidere divitias, timens ne forte divitiæ eum aut effeminarent, aut inflarent, aut nimis sollicitum, aut securum eum facerent. Propterea mediocriter vult necessaria possidere, orans Dominum cum Salomone : « Domine, divitias et paupertates ne dederis mihi, sed tanquam victui meo tribue necessaria (*Prov.* XXX). » Est autem hæc paupertas imperfectorum, qui non habent tantum virtutis, ut possint dicere cum Paulo : « Scio et abundare et penuriam pati (*Phil.* IV). » Qui enim nec solvitur prosperis, nec frangitur adversis, scit abundare et penuriam pati. Vos itaque fratres, si non potestis omnia relinquere, nec potestis inter divitias continenter vivere, saltem necessaria sola retinete, superflua erogate, et estote pauperes et humiles mente. Solis enim contemptoribus terrenarum divitiarum promittuntur divitiæ regni cœlorum. Non est enim cœlestium divitiarum amator, terrenarum. Secunda virtus est mititudo, sive mansuetudo. Ad hanc nos invitat Dominus cum subdit : *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* Est autem mititudo virtus mentis, iræ, furoris, impatientiæ, et totius asperitatis mitigatrix. Est etenim iræ contraria, et sicut iracundus homines a se repellit, ita mitis eos ad se attrahit. Mititudinis termini sunt asperitas et mollities. Tunc enim, fratres mei, virtutes mititudinis recte tenemus, cum nec per asperitatem uti quidam faciunt, nostros fugamus, nec per mollitiem, ut Heli, eos corrumpimus. Cum enim rigor et mititudo virtutes collaterales sint, utraque pro causa, pro tempore, pro persona est exercenda. Contra contumaces quippe debemus esse rigidi, erga vero simplices et rudes debemus esse mites. Sed et in omnibus debet semper comitari rigor mititudinem, et mititudo rigorem, ut videlicet et semper habeamus, et mititudinem rigidam et rigorem mitem. Alioquin, aut rigor incrudescet aut mititudo emollescet. Quanta vero virtus sit mititudo, ostendit Dominus, cum se dicit esse magistrum illius. « Discite, inquit, a me quia mitis sum et humilis corde (*Matth.* XI). » De hac virtute Moyses commendatur cum dicitur : « Erat autem Moyses mitissimus omnium hominum (*Num.* XII). » De hac commendatur et David cum dicitur : « Memento, Domine, David, et omnis mansuetudinis ejus (*Psal.* CXXXI). » Discamus ergo, fratres mei, esse mites et mansueti, quoniam soli tales possidebunt terram. Porro congrue possessio terræ mitibus promittitur, quoniam soli illi qui sunt mites moribus, ut Moyses et David, possunt possidere vel terram viventium vel terram mortuorum. Immites namque nec se nec alios possunt possidere.

Tertia virtus est tristitia sive luctus. Ad hanc nos invitat Dominus, cum subdit : *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Risum, fratres mei, nulla Scriptura commendat, sed potius vituperat. Salomon enim dicit : « Risum deputavi errorem, et gaudio dixi : Quid frustra deciperis? (*Eccle.* II.) » et alibi : « Risus dolore miscebitur, et extrema gaudii

luctus occupat (*Prov.* XIV). » Et alibi : In ore stulti semper risus. Et Dominus in Evangelio : « Væ vobis qui ridetis, quia plorabitis (*Luc.* VI). » Omnis enim risus nascitur aut ex vanitate, aut ex invidia, aut ex malitia mentis. Qui ridet de vanis, vanus est. Qui ridet de damnis alienis, invidus et malignus est. Qui ridet aliis lugentibus, crudelis est. Qui ridet inter seria stultus est. Qui cachinnatur, cæteris tacentibus, constat quia aliquid stultitiæ occurrit memoriæ ejus. Risus quoque multus hominem reddit onerosum et odibilem. Luctum vero commendat hic Dominus. Quinetiam ipse legitur flevisse, qui tamen nunquam legitur risisse. Cæterum non omnis luctus est laudabilis. Quidam enim lugent, quia lugenda facere non potuerunt, et mali sunt. Quidam lugent de damno rei temporalis, et avari sunt. Quidam lugent de corporis sui incommodo, et pusillanimes sunt. Quidam lugent super funeribus mortuorum, et humani sunt. Talis enim luctus, si sit modestus, reprehensibilis non est. Scriptum est enim : « Fili, in mortuum produc lacrymas quasi dira passus, incipe plorare (*Eccli.* XXXVIII). » Verum duo genera luctus præcipue commendat Scriptura sacra. Primus luctus est, quando aliquis luget pro suis vel aliorum peccatis. Secundus luctus est, quando aliquis perfectus plorat pro dilatione cœlestis patriæ. Primus luctus nascitur ex consideratione peccatorum perpetratorum, et ex timore gehennalium pœnarum eis debitarum. Secundus luctus similiter nascitur ex duobus, videlicet ex consideratione præsentis miseriæ et desiderio beatitudinis æternæ. Primus luctus si non excedat, bonus est, et secundus melior. De istis dicitur, *quoniam qui lugent consolabuntur*, in peccatorum dimissione et gaudii cœlestis adeptione, quando scilicet « absterget Deus omnem lacrymam ab oculis sanctorum, et mors non erit amplius, neque luctus, neque dolor, quoniam priora transierunt (*Apoc.* VII), » etc. Quarta virtus est desiderium, ad quod nos invitat Dominus cum subdit : *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur*. Porro universaliter justitia est, unicuique reddere quod suum est. Justitia vero hominis est, Deo reddere religionem, sibi munditiam, proximis dilectionem, parentibus honorem, filiis providentiam, majoribus obedientiam, subditis disciplinam, omnibus æquitatem. Justitia Dei est unicuique secundum quod meruit reddere. Neutra autem in hac vita perficietur, quoniam neque homo poterit in hac vita perfecte unicuique quod suum est reddere, neque Deus hic reddet plenarie unicuique quod meruit. Sed utraque justitia consummabitur in alia vita. Propterea convenienter ait : *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam*, tanquam scilicet cibum, et potum animæ. Nos quoque, fratres mei, toto desiderio esuriamus et sitiamus justitiam, subaudi, facere et fieri desiderantes, scilicet ut nos possimus perfecte unicuique quod suum est reddere, et ut a Deo reddatur unicuique justo secundum quod meretur, ne scilicet diutius A patiatur bonitatem opprimi a malitia, justitiam ab injustitia, pietatem ab impietate, honestatem ab inhonestate. Qui enim hoc esuriunt in hac vita, sine dubio saturabuntur in alia vita, quando scilicet Deus et sanctos in justitia perficiet, et unicuique secundum quod meruit reddet. Tunc enim « non esurient neque sitient amplius, et non cadet super illos sol neque ullus æstus (*ibid.*). »

Quinta virtus est misericordia. Ad hanc nos invitat Dominus, cum subdit : *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*. Sane misericordia est virtus miseriæ compatiens alienæ; hujus duo sunt effectus, dare et dimittere. Unde Dominus : « Date, et dabitur vobis. Dimittite, et dimittetur vobis (*Luc.* VI). » Hæc enim virtus se extendit B etiam usque ad inimicos. Unde Dominus : « Estote, inquit, misericordes, sicut et Pater vester cœlestis misericors est (*ibid.*), » — « qui solem suum facit oriri super bonos et malos, et pluit super justos et injustos (*Matth.* V). » Et Apostolus : « Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi, hoc enim faciens, congeres carbones super caput ejus (*Rom.* XII). » Hujus virtutis sunt termini duritia inhumana, et compassio indiscreta. Tunc enim, fratres mei, virtutem misericordiæ recte tenemus, quando nec inhumane duri sumus erga naturam proximi indigentis, nec indiscrete compatimur vitiis delinquentis. Cum enim misericordia et justitia virtuales sint, misericordia erga naturam, et justitia contra C vitium, exercenda est. Imo in omnibus habeamus et misericordiam justam, et justitiam misericordem; alias nec hæc vera misericordia, nec illa vera justitia, sed potius vitium est. Eleganter autem misericordibus consecutio misericordiæ promittitur, sicut et econtra judicium sine misericordia ei qui non facit misericordiam (*Jac.* II). Sexta virtus est munditia cordis. Ad hanc nos invitat Dominus, cum subdit : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. Est autem perfecta cordis munditia, nullam turpem in se recipere cogitationem. Sed quis hoc in hac vita poterit? Nullus. Velimus enim nolimus, multoties turpiter cogitamus et delectamur. Sed si turpem cogitationem et delectationem in corde nascentem, statim non consentiendo, refrenamus, non ideo hic D munditiam amittere dicimur, quia scilicet nos turpiter cogitasse et delectatos fuisse reprehendimus et punimus. Possumus autem dicere cum Apostolo : « Si quod nolo hoc ago, non pecco ego, sed quod habitat in me peccatum (*Rom.* VII). » Est autem munditia cordis secundum statum præsentis vitæ, nulli turpitudini consentire. Qui autem sic mundi, quoniam nondum omnino mundi sunt, ideo dicitur de iis : Non quia jam vident Deum, sed quia videbunt in æterna vita, quando scilicet nihil de cætero poterunt turpiter cogitare. Nos ergo, fratres mei, si ibi eum videre volumus, hic purgare mentis oculum satagamus. Septima virtus est pax. Ad hanc nos invitat cum subdit : *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur*. Est autem pax perfecta, perfectæ tran-

quillus mentis status, cunctis sibi ornate concordantibus. Sed cum caro hic concupiscat adversus spiritum, et spiritus adversus carnem (*Gal.* v), hæc pax non est viæ, sed patriæ. Juxta vero præsentem statum, dicitur pax tranquillus mentis status, cunctis sibi ornate concordantibus, vel saltem aliis ordinate cedentibus. Quando enim omnes motus in nobis concordant ordinate, vel sibi saltem ordinate cedunt, ut bonis mali, vel spiritualibus carnales, tunc pacem habemus nobiscum, carnem spiritui subdendo, et cum Deo, ei obediendo, et cum omnibus hominibus quantum in nobis, eorum bonum scilicet et volendo et quærendo. Qui autem sic modo sunt pacifici, filii Dei, non dixit jam vocantur, dum adhuc aliqua rebellio in eis est, sed vocabuntur in æterna vita, cum omni rebellione in eis sopita similes Deo efficientur. Nos ergo, fratres, quantum possumus, hic pacem in nobis ordinatam habeamus, quatenus ad illam pacem Dei, quæ exsuperat omnem sensum (*Phil.* IV), pertingere, et filii Dei vocari et esse mereamur.

Octava virtus est patientia. Ad hanc nos invitat Dominus cum subdit : *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Porro patientia est virtus, illatas sibi injurias propter Deum æquanimiter portans. Cum ergo dicitur : *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam*, subaudiendum est æquanimiter. Tria enim faciunt martyrem : innocentia, æquanimitas et causa. Innocentia, ut propter peccata pœnam non mereatur; æquanimitas, ut pœnam injuste illatam æquo et miti animo patiatur; causa, ut propter Deum patiatur. Idem enim est pati propter justitiam, quod propter Deum, cum Deus justitia sit. Si autem aliquis patiatur innocenter, sed non æquanimiter, martyris meritum non habet. Rursus et si patitur et innocenter et æquanimiter, sed non propter Deum, martyr non est. Sed si innocenter, et æquanimiter, et propter Deum patiatur, procul dubio martyr est. Sed cum dicitur, patiatur propter Dominum, subaudi pœnam illatam propter Deum, ut videlicet et pœna propter Deum inferatur, et propter Deum sustineatur, quatenus est et in inferente causa sit odium Christi, et in patiente causa sit amor Christi. Qui enim sic patiuntur, vere nomine martyres dicuntur. Sed tamen aliquando largiori nomine martyres vocamus, vel quando aliquis propter Deum patitur pœnas, non propter Deum, sed propter Deum inflictas ut sanctus Leodegarius, vel quando aliquis patitur sine aliqua Dei intentione, pœnas propter Deum inflictas, ut infantes qui sub Herode passi sunt. Quod dixerat Dominus de patientia, apertius exponit, cum subjungit : *Beati*, inquit, *estis, cum maledixerint vobis*, vel ut alia translatio habet, *cum vos oderint homines, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos mentientes propter me.* In tribus complectitur persecutionem. In odio, in factis, in verbis. In odio, cum ait, *maledixerint*, sive odio habuerint, quasi ex odio vobis in corde imprecaverint; *et persecuti vos fuerint*, scilicet damnificationibus, exsiliis et tormentis; in verbis, cum dicit, *et dixerint omne malum*, scilicet detrahendo, conviciendo et accusando. Addit, *mentientes*, ne glorietur is de quo vere maledicuntur. Addit etiam *propter me*, quoniam non pœna, sed causa martyrem facit. *Gaudete*, inquit, subaudi mente, *et exsultate* corpore, *quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.* Hæ virtutes, fratres charissimi, ita sibi sunt conjunctæ, quod gradatim proficimus ascendendo ad ultimam. Primum quippe mundanam considerantes miseriam incipimus mundum contemnere. Secundo, interiores passiones in nobis mitigare. Tertio, videntes, nos non posse eas hic omnino purgare lugemus. Et quarto æternitatem justitiæ in qua eas mitigare valeamus, esurimus; ad quam, quoniam non propter merita nostra, sed propter solam misericordiam pervenitur. Quinto discimus aliis misereri, ut Deus misereatur nobis.

Et quoniam misericordia sine munditia non sufficit, omnes cogitationum turpitudines a corde repellere studeamus. Quod, ut melius valeamus, septimo rebellionem carnis et spiritus in nobis pacificari, et cum omnibus hominibus pacem habere affectamus, et deinde perfectionem martyrii propter Deum sustinere æquanimiter valemus. Cum istis octo virtutibus unum beatitudinis præmium debeatur, tamen propter competentiam singulariter diversæ nominantur. In illa enim omnia invenient, in illa quippe et paupertas nostra æternas divitias inveniet, et nostra mititudo hæreditatem, et noster luctus consolationem, et nostra esuries refectionem, et nostra misericordia misericordiam, et nostra munditia Dei visionem, et nostra pax Dei similitudinem, et nostra patientia regni dominationem, largiente omnium sanctorum precibus Deo et Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum.

XLIII.

IN COMMEMORATIONE DEFUNCTORUM SERMO DE APOCALYPSI.

Audivi vocem de cœlo dicentem mihi : Scribe : Beati mortui qui in Domino moriuntur (*Apoc.* XIV), etc. Hoc scribit, fratres charissimi, Joannes apostolus et evangelista, qui virgo est electus a Domino, et virgo in ævum permansit; qui et recubuit in cœna super pectus Jesu, et cui virgini matrem Virginem commendavit. Cujus scriptis tanto magis fides adhibenda est, quanto ipse cœlestia secreta de ipsius Dominici pectoris fonte cæteris profundius accepit et scripsit. Hoc ergo scribit injunctum sibi esse ab angelo, imo per angelum a Spiritu sancto, quatenus de requie fidelium defunctorum in libro scribens intersereret, et ad nostram scilicet fidem et spem magis roborandam, quatenus de resurrectione et requie fidelium defunctorum certi essemus, et ideo mortem non timeremus, sed potius cum bonis operibus eam securius exspectaremus, et de morte amicorum nostrorum nequaquam, sicut quidam qui

spem non habent, contristaremur. Sic igitur beatus Joannes scribit quod a Spiritu sancto audierat dicens ita, quod beati sunt qui in Domino moriuntur. Et in quo sunt beati et quare. Primo ergo quoniam beati sunt, qui in Domino moriuntur, quid sit mori in Domino videamus. Porro in Domino mori est in fide et spe et charitate illius mori. Qui ergo habet fidem catholicam, et sperat salutem, et diligit salutis auctorem, si in iis tribus moritur, in Domino moritur. Qui vero uno istorum carens moritur, non in Domino,, sed in diabolo moritur. Primo itaque in Domino moriuntur, qui non solum in Domino, sed etiam pro Domino moriuntur, ut martyres. Secundo etiam in Domino moriuntur, qui, etsi non moriantur pro Domino, ut martyres, tamen cum Domino, et in Domino, id est, cum innocentia et sanctitate vitæ moriuntur, ut confessores. Tertio etiam, et illi in Domino moriuntur, qui, etsi in vita sua multum peccaverunt, tamen in confessione et peccatorum suorum emendatione moriuntur, ut vere pœnitentes. Quarto quoque nihilominus et illi in Domino moriuntur, qui tamen, etsi fidem et opera fidei per ætatem vel temporis angustiam habere non potuerunt, tamen cum sacramento fidei, hoc est cum baptismo, decedentes moriuntur, ut infantes et neophyti. Sed illi, qui per totam vitam suam in peccatis perdurantes in fine pœnitent, nunquid illi in Domino moriuntur? nescio. Scio tamen quod si vera sit in eis fides et pœnitentia, procul dubio in Domino moriuntur. Scriptum est enim: Pœnitentia, quantumcunque sera, non erit infructuosa. Sedet latro in cruce moriens, pœnitendo misericordiam consecutus est. Sed raro, fratres mei, hujusmodi negligentes in fine sunt vere pœnitentes. Exigentibus enim peccatis suis alius morte prævenitur, alius amittit loquelam, alius memoriam, alius desperat, alius sic induratur quod plus pœnitet eum temporalia reliquisse quam peccasse. Propterea, fratres mei, dum valemus, dum peccare possumus, peccata nostra dimittamus, et securi simus. Alioquin quando jam peccare non possumus, nos peccata nostra non dimittimus, sed peccata nostra nos dimittunt.

Sequitur pars secunda in qua demonstratur in quo illi qui in Domino moriuntur, sint beati, cum dicitur: *Amodo jam dicit Spiritus.* Haud dubium quin Spiritus sanctus, cuius dicere est facere *Amodo*, inquit, *jam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis.* Amodo, id est a Christi resurrectione, sive a morte cujuslibet justi, post Christi resurrectionem defuncti. Nam, qui ante passionem et resurrectionem Christi moriebantur, in inferno detinebantur et laborabant, etsi non in alio, saltem in eo quod Dei visione carebant, *ut requiescant*, inquit, *a laboribus suis*, hæc præpositio *a* est remotiva et causalis. Et remotiva quidem est, quoniam fideles defuncti cessant ab omnibus laboribus, a laboribus necessitatis, a laboribus infirmitatis, a laboribus erroris, a laboribus pœnitentiæ, a laboribus justitiæ. A laboribus necessitatis, quando non oportet eos de cætero laborare, neque pro victu, neque pro vestitu, vel cæteris necessariis sollicitos esse. « Non enim esurient, neque sitient amplius et non cadet super illos sol neque ullus æstus (*Apoc.* VII). » A laboribus infirmitatis, quoniam neque morbo, neque senectute, neque aliquo incommodo, de cætero affligentur. « Absterget enim Deus, ut ait Joannes, omnem lacrymam ab oculis sanctorum, et mors non erit amplius, neque luctus, neque clamor, sed nec ullus dolor, quoniam priora transierunt (*ibid.*). » A laboribus erroris, quoniam de cætero nec ignorantia, nec excessus, nec aliqua inordinatio in eis erit. Quoniam æterna sapientia illos illuminabit, « et erunt omnes docibiles Dei (*Joan* VI). » A laboribus pœnitentiæ, quoniam de cætero non compungentur, nec flebunt, nec jejunabunt, nec se affligent, propter conscientiam peccatorum quæ eis in hac vita dimissa fuerunt. Quod si aliquis ad tempus in purgatoriis emundantur, tamen in certa spe requiei jam requiescunt. A laboribus justitiæ, quoniam non erit opus de cætero pro defensione fidei vel Ecclesiæ, vel pro subventione indigentium agonizare, omnibus inimicis et indigentiis procul eliminatis. Rursus quoque causalis est hæc præpositio *a*, quoniam propter labores justitiæ quas ferunt, fideles defuncti, requiem sempiternam consequentur. Sed causam intellige non sufficientem, sed adminiculantem. Non enim ex operibus justitiæ, sed ex sola Dei gratia est salus. Cave autem ne, quando audis fideles defunctos a laboribus quiescere, intelligas eos quasi præ lassitudine pausare vel dormire. In illa quippe beatitudine, nec labor, nec somnus erit. Sed dicuntur sancti a laboribus quiescere, id est cessare. Non enim in illa æterna requie erunt sancti otiosi, sed potius contemplabuntur, laudabunt et benedicent Dominum in æternum. Sed talis actio nec fatigationem, nec tædium generabit, sed potius omnifariam requiem, delectationem et jucunditatem. Cum igitur dicitur quod sancti requiescunt a laboribus suis, litotes est, minus dicens et plus significans. In illa quippe æterna beatitudine, non sola requies, sed omnis suavitas, omnis pulchritudo, omnis dulcedo, omnis delectatio, omnis claritas, omnis jucunditas, omnis gloria ineffabiliter cumulatur.

Sequitur pars tertia, in qua causa requiei subjungitur, cum dicitur: *Opera enim illorum, sequuntur illos*, id est merces operum, vel si tempus operandi non habuerunt, merces fidei et bonæ voluntatis, quæ pro facto reputantur. Bene autem ait *opera eorum*, non opera aliorum, quoniam, ut ait Dominus per prophetam, « anima quæ peccaverit, ipsa morietur. » Filius non portabit iniquitatem patris, et pater non portabit iniquitatem filii. « Justitia justi erit super eum, et impii impietas erit super eum (*Ezech.* XVIII). » Sed nunquid orationes, eleemosynæ, oblationes, cæteraque bona quæ pro amicis nostris defunctis facimus, eos non sequuntur? Nunquid eis non pro-

sunt? Legimus enim in libro Machabæorum, quod « vir fortissimus Judas misit duodecim drachmas argenti Hierosolymam, offerri ea ibi pro peccatis mortuorum (*II Mach.* XII). » Quod si supervacuum esset, non hoc eis valere speraret. Prosunt igitur, sed illis qui indigent, et qui in vita sua meruerunt, ut eis hujusmodi prodesse valerent. Defunctorum enim tria sunt genera. Alii enim sunt valde boni, qui post mortem statim ad requiem transeunt, et hi nostris orationibus nec beneficiis indigent, imo vero nos suis juvant. Alii sunt mediocriter boni, qui in vera confessione et pœnitentia descendentes, quia nondum sunt perfecte purgati, purgantur in purgatoriis locis: et iis procul dubio orationes, eleemosynæ et sacrificia prosint. Quibus tamen non ipsis mortuis nova merita comparantur, sed præcedentibus consequentia ista redduntur. Alii vero sunt damnati omnino, qui hujusmodi beneficia sibi prodesse non meruerunt. Nos tamen, fratres, quia ignoramus qui indigeant, vel qui non indigeant, vel quibus prosint, vel non prosint, pro omnibus et quibus incerti sumus, orationes, eleemosynas, oblationes, facere debemus. Quæ profecto pro valde bonis sunt gratiarum actiones, pro mediocribus expiationes, pro reprobis qualescunque vivorum consolationes. Sed, sive prosint, sive non prosint, illis pro quibus fiunt, tamen illis qui hoc ex devotione faciunt, prodesse possunt. Scriptum est, « et oratio mea in sinu meo convertetur (*Psal.* XXXIV). » Et qui pro alio orat, pro seipso laborat. Sicut et etiam honor sepulturæ et ædificatio sepulcrorum, quæ mortuis nihil prosunt, vivis tamen hujusmodi facientibus sine fructu non sunt. Unde Tobias, et quidam alii, sancti commendantur. Propterea, fratres mei, de defunctis nostris, scilicet parentibus, amicis, benefactoribus, et cæteris memores et solliciti simus, pro illis orationes, eleemosynas et oblationes frequentemus. Refert siquidem beatus Gregorius in dialogo suo. Quod Paschasius Romanæ sedis diaconus, vir fuit eleemosynarius, pauperum curator et sui contemptor, cujus etiam libri exstant de Spiritu sancto luculenti. Hic in illa contentione, quæ inter Laurentium et Simachum fuit, Laurentium elegit. Et tamen, quamvis ille omnium generali electione superatus esset, a Laurentio nunquam discessit, sed usque ad mortem ei favit. Tandem moriens cum in feretro positus esset, ejus dalmaticam dæmoniacus tangens, liberatus est. Cum Germanus Capuanus episcopus, causa valoris recuperandæ, in angulanis thermis se lavaret, præfatum Paschasium obsequentem in caloribus invenit. Cum vero mirans quæreret quid tantus vir ibi faceret, audivit ab eo quod in illo loco pœnali positus esset, quod contra Simachum Laurentium sustinuisset. Sed, « quæso, ora pro me. Et tunc me requiem consecutum noveris, si huc rediens me non inveneris. » Quod et factum est. Nam beatus Germanus pro eo Domino supplicavit, et rediens non eum invenit Unde cognoscimus quod præfatus Paschasius meA morat vivens, quod orationes aliorum ei prodessent post mortem. Ea propter, fratres mei, dum possumus vitam nostram emendemus, lacrymis maculas nostras abluamus, operibus misericordiæ insistamus, animas defunctorum orationibus et eleemosynis adjuvemus, quatenus aliorum orationes et eleemosynas nobis post mortem prodesse mereamur, largiente Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

XLIV.

IN EADEM SERMO DE EVANGELIO.

Dixit Jesus turbis Judæorum: Amen, amen dico vobis, quia venit hora, et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei vivi, et qui audierunt vivent B (*Joan.* V), etc. Sicut ex hoc et aliis sacræ Scripturæ locis, colligimus, fratres mei, tres sunt viæ, et tres mortes earum privatoriæ, et prima quidem vita est spiritualis, qua spiritus sine homo vivit, dum juste et spiritualiter vivit, dum scilicet per gratiam veram, vitam, quæ Deus est, habet in se habitantem. Huic vitæ est opposita mors spiritualis, qua spiritus, sive homo moritur, dum peccat, dum Deum a se excludit, et diabolum habitatorem recipit. Sicut enim Deus inhabitando per gratiam suam vivificat animam, ita diabolus per peccatum inhabitando occidit eam. Non quia mori possit, sed quia melius esset ei omnino non esse, quam sine Deo esse. Secunda vero vita est corporalis, qua vivimus, dum corpus nostrum anima vegetatur. Huic est con- C traria mors corporalis, qua morimur dum anima a corpore nostro separatur. Tertia autem vita est vita æterna et beata, quæ vere vita dicitur, quoniam omni corruptione, omni defectu, omni tristitia carens, omnium bonorum et gaudiorum felicitate cumulabitur. Huic est opposita mors æterna et misera. Quæ vero mors dicitur, non quod reprobos annihilet, vel resolvat, sed quia melius esset eis millies mori quam in æterna vivere miseria et pœna. Sicut justi ex spirituali vita per corporalem merito proveniunt ad æternam, ita reprobi ex morte spirituali, per corporalem merito perveniunt ad æternam. Non sicut tres vitæ ex Deo sunt auctore, ita tres mortes. Mors enim spiritualis, id est peccatum, non est a D Deo, sed potius a diabolo, vel ab homine. Unde scriptum est: « Deus mortem non fecit (*Sap.* I), » sed homines manibus et pedibus accerserunt sibi mortem. « Invidia diaboli introivit mors in orbem terrarum (*Sap.* II). » Imitantur autem eum qui sunt ex parte ejus. Mors vero corporalis et æterna a Deo auctore sunt, quoniam sunt pœnæ juste propter peccatum inflictæ, unde Dominus; « Ego occidam, et ego vivere faciam, percutiam, et ego sanabo. (*Deut.* XXXII). »

Cum igitur sint tres mortes, a prima et secunda resurgere homo potest, a tertia, non potest. Sicut enim vita æterna non potest cadere in mortem, ita nec mors æterna potest resurgere ad vitam. A morte enim spirituali facit nos peccatores per pœnitentiam

in hac vita resurgere. A morte vero corporali faciet nos resurgere in generali resurrectione. De iis itaque duabus resurrectionibus loquitur Dominus in prælibata lectione. Et primo de prima, secundo de secunda. Loquitur igitur de prima cum dicit : *Amen, amen dico vobis*, etc. Porro *Amen* adverbium est affirmandi, derivatum a nomine fidei, valens quantum *fideliter* sive *vere*, et est quasi jusjurandum Dei. Quod cum geminatur, major rei affirmatio demonstratur. Noluit igitur Dominus in hoc nos dubitare, quod quasi per duplex jusjurandum voluit confirmare. *Quia*, inquit, *venit hora, et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei vivi, et qui audierint vivent. Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit in Filio hominis vitam habere in semetipso*, etc. Quatuor dicit de prima resurrectione, videlicet quando fiat, et in quibus, et per quem, et ex quo. Sane quando fiat ostendit cum dicit, *venit hora et nunc est*. Quia enim Dominus jam aliquot mortuos in peccatis, prædicando resuscitaverat, et multo plures per se et per suos resuscitaturus erat, bene ait, *venit hora et nunc est*. Est autem generaliter hæc hora vita præsens ; dum enim hic vivimus, dum peccare possumus et bene agere, a peccatis possumus pœnitere et resurgere.

In alia vero vita non erit tempus peccandi, nec bene agendi, sed tantum recipiendi. Nec poterunt ibi resurgere a morte æterna, qui hic noluerunt resurgere a culpa. In quibus autem fuit hæc resurrectio ostendit, quoniam, in mortuis audientibus vocem Fliii Dei. Sed quoniam quidam audiunt verba Christi tantum aure corporis, et non cordis, geminavit dicens *audient ;* et qui audient? Illi enim soli resuscitantur a peccatis in mente, qui verba Christi audiunt etiam totius cordis aure, qui scilicet ea retinent corde, quæ exsequuntur operatione. Unde Dominus : « Qui credit in me, » subaudi, fide per dilectionem operante, « etiamsi mortuus fuerit, vivet (*Joan.* xi). » Ecce, fratres mei, vere vocem Filii Dei auditis, verba enim, quæ loquor vobis, verba Christi sunt. Si ergo ea toto corde auditis, etiamsi in peccatis mortui sitis, procul dubio vivetis. Verum, si ad modum Judæorum sola corporis aure verba Christi auditis, non tantum non proderunt vobis, imo majorem damnationem sicut illis cumulabunt. Unde Dominus : « Si non venissem, inquit, et locutus eis non fuissem, peccatum non haberent. Nunc autem excusationem non habent de peccato suo (*Joan.* xv). » Per quem quoque fiat resurrectio a peccatis, ostendit quia per Filium, non tanquam per ministrum, sed tanquam per auctorem. Et causam subdit, quia habet vitam in se manentem, sicut Pater, substantialiter et causaliter. Substantialiter, quoniam ipse est ipsa vita per essentiam ; causaliter, quoniam ipse est causa efficiens omnium viventium sive viventium corporali vita, sive viventium spirituali vita, sive viventium æterna vita. Bene autem potest vivificare, qui auctor est vitæ. A quo vero hoc habeat ostendit, quia a Patre. Sicut enim est Deus de Deo, ita est vita de vita. Et hoc est quod dicit : *Sicut enim habet Pater vitam in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso* Non quod Filius tanquam non habens et gratiam aliquando acceperit vitam, sed dedit vitam, id est genuit ex sua substantia substantialiter viventem. Si ergo Unigenitus Dei omnia dicit se habere a Patre, quanto magis nos, fratres, si quid boni habemus, si quid boni vel cogitamus, vel dicimus, vel facimus, debemus sentire et dicere, non ex nobis ipsis habere, sed ex Deo Patre.

Sequitur pars secunda, in qua Dominus loquitur de resurrectione corporali. Dicit itaque ita se habere potestatem ab eodem Patre, et judicandi, et resuscitandi, et remunerandi. Potestatem judicandi, cum dicit, *et potestatem ei dedi judicium facere*, et causam, cum subdit, *quia filius hominis est*. Porro triplex causa potest hic intelligi, vel dandi, vel potestatis, vel judicii. Quia enim Filius est, dicitur ei data potestas tanquam majori. Rursus quia filius hominis est, et quasi impotens inter homines apparere dignatus est, dignum est ut in resurrectione appareat omnia habere in potestate. Rursus quia filius hominis est, et se injuste judicari passus est, dignum est ut in judicio judex appareat universorum. Non enim persona Patris, sed persona solius Filii in judicio apparebit, ut videlicet aperte videant Judæi quem injuste judicaverunt, et crucifixores in quem pupugerunt, et omnes reprobi, quem contempserunt, et omnes electi, quem dilexerunt. Potestatem vero resuscitandi mortuos se dicit habere, cum subdit, *nolite mirari*, hoc scilicet quod Filius hominis habeat potestatem judicandi, et etiam quod mirabilius videtur, habet potestatem mortuos in corpore et anima simul resuscitandi. Quod ita ait, *quia venit hora quando omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei.* Hæc vox est ille clamor, de quo idem alibi in Evangelio dicit : « Media nocte clamor factus est : Ecce sponsus venit, exite obviam illi (*Matth.* xxv) ; » hæc vox est illa vox archangeli sive tuba, de qua ait Apostolus : « Quoniam ipse Dominus in jussu et voce archangeli, et in tuba Dei descendet de cœlo, et mortui qui in Christo sunt, resurgent primi (*I Thess.* iv), » etc.; *audient*, inquit, *vocem Dei et procedent*, id est ex vi vocis audient et resurgent. Ecce, fratres mei, quanta et quam mirabilis est omnipotentia Filii Dei, ad cujus vocem pulveres omnes defunctorum, quantumcunque tecti, quantumcunque dispersi, statim conglutinabuntur, vivificabuntur et de tumulis procedent. Qui licet a me ita verbis distinguantur, tamen, quam cito fiant Apostolus demonstrat, dicens : « Omnes resurgemus in momento, in ictu oculi (*I Cor.* xv). » In momento, id est in temporis puncto, cujus brevitatem, actione, quæ in ea fieri potest, diffinit. Cum addit, in ictu oculi, id est quod tantum durat, quantum ictus oculi, id est emissio radii, qui ex quo emittitur, non prius proxima, sed æque proxima et remotiora contigit, et omnem interjacentem aerem simul transit, ut in eo quod

videt, aciem suam potius invenisse, quam illuc eam perduxisse quod putet. Per quam intelligimus Deo tam facile esse quæcunque recentia quam diuturno tempore delapsa cadavera suscitare. Quales quoque de monumentis procedent, ostendit idem Apostolus dicens : « Canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti (*I Cor.* xv), » id est integri membris et immortales, tam boni quam mali. Sed tamen mali semper erunt passibiles et ad acerbitates pœnarum semper recrudescentes, nec mori valentes. Potestatem quoque remunerandi bonos et malos se habere ostendit, cum subdit, quod ad ejus vocem *procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ; qui vero mala in resurrectionem judicii*, id est damnationis. Resurgent quippe omnes, tam boni quam mali, ut bona quæ fecerunt in corpore et in anima, recipiant similiter in anima et in corpore. Et bona quidem fecerunt qui bona opera et cum intentione bona et cum perseverantia perfecerunt; mala vero opera fecerunt, qui mala opera, vel bona cum mala intentione, vel sine perseverantia, fecerunt. Sed cum tam boni quam mali ad judicium sint venturi, quare dicit Dominus non bonos, sed malos, resurgere ad judicium? Quoniam sanctis suis supra merita sua accumulabit gloriam; malis vero nonnisi juxta merita adjudicabit pœnam. Sed dicetis. Quomodo reprobi secundum merita sua judicabuntur? Quid? pro eo quod peccaverunt temporaliter et momentanee, sine fine punientur? Justum est enim ut qui finem non fecerunt peccato suo, finem non inveniant in tormento. Qui enim in hujus vitæ brevitate peccare non desinit, multo magis si semper se hic victurum putaret, nunquam peccare desineret. Unde merito, qui semper erat peccaturus, semper erat luiturus. Propterea, fratres mei, aut finem nostrum, finem malis voluntatibus et voluptatibus nostris ponamus. Dum licet mores nostros corrigamus, mortem nostram ante oculos nostros semper habeamus, quam terribilis veniat summus judex cogitemus, maculas peccatorum nostrorum lacrymis pœnitentiæ diluamus, operibus misericordiæ insistamus, quatenus in illo tremendo judicio misericordiam consequi mereamur. Amen.

II.

HOMILIÆ DE SANCTIS.

DE APOSTOLIS (EX G. VICELIO).

Mononymi horum sunt quatuor, videlicet Andreas, Joannes, Philippus et Bartholomæus. Reliqui omnes sunt vel dinonymi vel trinonymi. Dinonymi, Jacobus Major, qui idem dicitur filius Zebedæi (*Matth.* x; *Marc.* III); Jacobus Minor, qui idem dicitur filius Alphæi (*Matth.* x; *Marc.* III; *Luc.* VI; *Act.* I). Dicebatur idem Justus, et Oplia, id est *armatura*. Matthæus qui fuerat telones, qui idem dicitur Levi filius Alphæi, haud dubium quin alterius et diversi a priore Alphæo Jacobi Minoris patre (*Marc.* II). Neque enim fratres germani erant Jacobus et Matthæus. Thomas, qui idem dicitur Didymus (*Joan.* xx), tametsi idem nomen videri poterat, diversa nimirum lingua pronuntiatum. Nam quod Hebræi thom seu Thomas, hoc Græci διδυμον vocant, Latine *gemellum* dicimus. Trinonymi sunt, Simon qui idem Cananæus dicitur (*Matth.* x), et Zelotes (*Act.* I). Neque tamen usque adeo aliud est, cognominari Cananæum, aliud Zelotem, siquidem quod Hebræi Canani seu Cananæum, hoc Græci ζηλώτην dicunt, nos *æmulatorem*. Dictus vero est Simon ille Cananæus, non quod fuerit de gente Chanaan, sed a vico Galilææ Cana (*Joan.* II). Simon alter (nam duos Simones habet apostolicus ordo), is cognominatus fuit Cephas, et idem Petrus, imo etiam Barjona, seu *filius columbæ*. Verum et hoc loco consistit nominum variatio in linguarum diversitate. Nam quod Chaldæi Cephas, hoc ipsum Græci πέτραν vocant, nos *saxum*. Pari ratione dicitur puella illa (*Act.* IX). Tabitha, et eadem Dorcas, scilicet ab intuendo, tametsi juxta originale rectius legitur Tabeia. Ultimus Judas, qui jam Lebbæus, jam Thaddæus cognominatur (*Matth.* x), sanctus Lucas vocat hunc Judam Jacobi (*Luc.* VI), Judam Jacobi fratrem (*Act.* I), exponens nimirum quod ante dixerat, Judas Jacobi. Hactenus de nominibus apostolorum. Cæterum nonnulli ex apostolis sanguine ac necessitudine conjuncti fuerunt. Simon enim Cephas seu Petrus et Andreas fratres erant ex Galilæa orti. Jacobus Major et Joannes fratres, et ipsi erant, quorum pater Zebedæus, mater Salome. Duo isti apud Marcum cognominationem habent Beneregesch seu Beniaregesch (*Marc.* III), id est *filii tonitrui*, a firmitate et magnitudine fidei, teste Hieronymo. Quin fratres etiam erant illi Jacobus Minor, Simon et Judas; horum pater Cleophas, et mater Maria, quæ dicebatur soror Mariæ deiparæ (*Joan.* XIX). Verum aut Cleophas ille cognominatus fuit Alphæus, aut Alphæus secundus maritus Mariæ hujus fuerit oportet. Libet vero hos duos Simones epithetis discernere, sicut duos ille Jacobos, ita ut alterum Majorem, nempe Simonem Petrum vocites, alterum Minorem, videlicet Simonem Zelotem. Discernuntur etiam duo Judæ, dum alter Lebbæus a corde, alter Iscariota a mercede appellatur. In cujus locum suffectus Mathias, quem Franciscus Picus in carmine Donatum vocat, interpretans nimirum Latine, quod Hebræis *Matthi* dicitur (*Act.* I). Idem nomen Matthæus habet, nisi quod in fine syllabis distinguuntur Mathias et Matthæus.

COMMUNE SS. APOSTOLORUM.

I.

Jam non estis hospites et advenæ, sed estis cives sanctorum et domestici Dei (*Ephes.* II), etc. Hæc loquitur apostolus Paulus Ephesiis discipulis suis; sed et eadem loquitur nobis, fratres charissimi, si tamen juxta Dei præcepta et apostolicam doctrinam vivitis. Dicit itaque tria. Primo dicit non esse cives

civitatis Dei; secundo, quod majus est, esse etiam lapides ejusdem civitatis per ædificationem Christi; tertio, quod maximum est, esse etiam templum Dei. Primo igitur ostendit nos esse cives civitatis Dei, cum dicitur: *Jam non estis hospites et advenæ*. Porro hospites dicuntur, breviter manentes, advenæ aliunde venientes. Hospites vero in civitate Dei sunt, falsi Christiani, qui in Ecclesia ista militante sunt, numero, non merito, nomine, non numine, tanquam tandem inutiles paleæ, ventilandi et comburendi. At vos, fratres mei, si in fide et charitate Dei perseveratis, hospites non estis. Rursus advenæ non estis, quoniam in illa cœlesti civitate, in qua in primo homine creati estis, desiderio et spe, jam manetis. *Sed estis cives*, id est concives *sanctorum et domestici Dei*. Porro tria faciunt concivem ejusdem civitatis, cohabitatio, earumdem legum et morum observatio, ejusdem communionis et reipublicæ dilectio. Est autem, fratres mei, civitas nostra illa Jerusalem cœlestis et beata, cujus cives omnes beati sunt qui jam sunt. Cujus quoque nos cives, Deo largiente, futuri sumus, et etiam jam in parte sumus, si in illa beata civitate spe et desiderio habitamus, si mores et leges sanctorum observamus, si communionem et rempublicam sanctorum toto ardore diligimus, desideramus et quærimus, si pro ea laboramus, et usque ad mortem decertamus. At qui in mundo amore habitant, qui leges et mores mundanorum sectantur, qui communionem fraternitatis scindunt, et pro temporalibus proprietatibus litigant et pugnant, ab illa beata civitate prorsus exsules erunt. Duo quoque faciunt domesticum, videlicet familiare obsequium et conscientia secretorum. Nos quoque, fratres mei, si Deo, juxta voluntatem suam, familiariter et specialiter servire satagimus, si per sacram Scripturam et Spiritus revelationem secreta Dei jam ex parte cognoscimus, jam procul dubio, non solum cives, sed etiam domestici sumus.

Sequitur pars secunda, in qua Apostolus ostendit nos, si veri Christiani sumus, esse etiam lapides supernæ civitatis, cum subdit: *Superædificati super fundamentum apostolorum et prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu*. Fundamentum apostolorum et prophetarum, unum solum Christus, qui dicitur fundamentum triplici ratione. Sicut enim fundamentum sustinet totum ædificium et a nullo sustinetur, ita Christus totam Ecclesiam regit et portat, et a nemine portatur vel regitur. Rursus, sicut ædificium sine fundamento stare non potest, ita nulla structura virtutum, vel bonorum operum, sine fide Jesu Christi stare potest. « Impossibile est enim aliquid sine fide Deo placere (*Hebr.* XI). » Rursus sicut fundamentum non videtur, et tamen inde tota structura surgit, ita fides Jesu Christi de invisibilibus est, et ex ea omnis virtutum et bonorum ædificatio procedit. Cui fundamento, quia prophetæ et apostoli primi adhæserunt et alios adhærere docuerunt, dicuntur et ipsi denominative fundamenta Ecclesiæ. Unde Psalmista: « Fundamenta, inquit, ejus in montibus sanctis (*Psal.* LXXXVI), » id est in apostolis Illi ad instar montium primi radios fidei susceperunt, super quorum fundamentum ædificati sumus, juxta quod Petrus ait: « Ad quem accedentes, lapidem vivum ab hominibus quidem reprobatum, a Deo vero electum et ipsi tanquam lapides vivi superædificamini in domos spirituales (*I Petr.* II). » Porro lapis qui in ædificio est collocandus, prius de lapicidio malleis sequestratur. Deinde omnis impostura et tortura ferramentis ab eo resecatur, deinde ad regulam quadratur, ad ultimum cum cæmento in ædificio collocatur. Sic unusquisque nostrum, fratres mei, ut in ædificio cœlestis civitatis valeamus collocari, primo a massa perditionis malleis comminationem, gratia Dei operante, sequestramur. Quasi enim quidam malleus est, cum dicitur nobis: « Agite pœnitentiam, quia securis ad radicem arboris posita est (*Matth.* III; *Luc.* III). » Deinde, per disciplinam doctorum omnis tortura et impostura vitiorum a nobis resecatur. Tertio, ad regulam divinorum præceptorum quadramur, ut scilicet solidi simus et firmi, ut scilicet nec per prosperitatem a dextris, nec per adversitatem a sinistris, nec per apertam tentationem ante, nec retro per occultam, dejiciamur, nec per superbiam sursum, nec per desperationem deorsum commoveamur. Sed et cæmentum charitatis necessarium est nobis, sine quo nec Deo, nec proximo compaginari, nec in cœlesti ædificio valemus collocari. Hac enim non habita, frustra habentur cætera. Hoc autem cœleste ædificium fundatur, et perficitur, non homine, *sed ipso summo angulari lapide Christo Jesu*. Tria dicit de Christo: Quod ipse est lapis, quod summus, et quod angularis. Lapis est, quia immobilis et firmus, quia effundit aquam vivam, unde bibunt homines et jumenta, quia scintillat virtutibus et miraculis. Reprobis vero est « lapis offensionis et petra scandali (*I Petr.* II), » « super quem qui ceciderit, confringetur; qui vero super eum ceciderit, conteretur (*Matth.* XXI). » Summus est, quia sicut ipse fundator et fundamentum sanctæ Ecclesiæ, ita est perfector et perfectio ejusdem. Ipse quippe est principium et finis. Finis non consumptionis, sed consummationis. Angularis est, quoniam ipse mediator reconcilians in se hominem Deo et Deum homini, pacificans in se angelos hominibus et homines angelis, uniens in se Judæos gentilibus et gentiles Judæis. Quidquid igitur, fratres mei, ædificamus, quantumcunque rectitudinem in moribus et in bonis operibus habere videamur, tamen super arenam et in vacuum ædificamus, nisi Christum, et fundamentum et lapidem angularem, id est, principium et finem habeamus. *In quo sola omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino*, sive constructa sit ex pluribus personis in ejusdem Ecclesiæ unionem, sive ex pluribus virtutibus, bonis moribus, et bonis operibus in ejusdem personæ sanctificationem. Est autem hæc pars tertia in qua ostendit nos, si veri Chri-

stiani sumus, esse templum sanctum Domini, et etiam habitaculum Dei, cum post subditur : *In quo et vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu sancto.* Non solum, fratres charissimi, omnes quotquot sumus fideles, sumus simul unum templum et habitaculum Dei, sed etiam unusquisque fidelis templum et habitaculum est Dei, teste Paulo, qui dicit : « Nescitis quia membra vestra templum sunt Spiritus sancti, quem habetis a Deo, et non estis vestri (*I Cor.* VI). » Et templum quidem est, quoniam sicut in templo Deus adoratur et ei sacrificatur et exoratur, ita in anima uniuscujusque fidelis Deus adoratur, et ei sacrificatur et exoratur. In anima quippe Deus per fidem verius adoratur. Unde ait Dominus ad Samaritanam : « Venit hora, quando nec in monte, neque Hierosolymis adorabitis Patrem. Sed veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate (*Joan.* IV). » Spiritus est Deus, et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare. In anima quoque verius Deo sacrificatur, per compunctionem et contritionem, dicente Psalmista . « Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies (*Psal.* L). » In anima etiam Deus verius exoratur, dicente Domino . « Cum oratis, non eritis sicut hypocritæ tristes, qui amant in synagogis et in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus. Tu autem cum oras, intra cubiculum, » id est, cordis secretum, « et clauso ostio, ora Patrem tuum. Et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi (*Matth.* VI). » Habitaculum vero, sive domus Dei, est anima fidelis, quoniam sicut unusquisque dominus in domo sua habitat, pascitur et requiescit, ita Deus in anima fidelis pascitur, habitat et requiescit. Habitat per gratiam inhabitantem, ipso Domino dicente : « Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus (*Joan.* XIV). » Pascitur in anima per bonæ voluntatis et desiderii devotionem, ipso dicente : « Ecce ego sto ad ostium, et pulso. Si quis mihi aperuerit, intrabo ad eum, et cœnabo cum illo, et ipse mecum (*Apoc.* III). » Requiescit in anima per meritis pacem et quietem. Unde idem Dominus dicit : « Super quem requiescam, nisi super humilem et quietum et trementem sermones meos (*Isai.* LXVI). » Itaque, fratres mei, quia templum et habitaculum Dei dicimur et sumus, eliminemus a nobis omnem turpitudinem et immunditiam, ne habitatorem offendamus, et a nobis excludamus. Si enim graviter fert Deus templum suum manufactum immunditiis pollui et profanari, multo gravius fert et vindicat templum suum spirituale criminibus violari et profanari. Unde Paulus : « Nescitis quia membra vestra templum sunt Spiritus sancti qui habitat in vobis (*I Cor.* VI). » — « Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus (*I Cor.* III). » Propterea, fratres charissimi, omnem sordem, omne vitium et spurcitiam evitemus, virtutum et morum ornamentis nos decoremus, et omni studio tales nos præparemus, qui digni sumus in quibus habitet Deus, et nos in eo. Quod ipse intercedentibus sanctis apostolis concedat, qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

II.

IN EODEM SERMO DE JOANNE.

Dixit Dominus Jesus discipulis suis : *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos* (*Joan.* XV), et reliqua. Hæc lectio sancti Evangelii tribus distinguitur capitulis. Primo enim, præcipit nobis Dominus ut diligamus invicem exemplo sui. Secundo, exponit præmium hujus mandati. Tertio, demonstrat nos nec præmium nec meritum nostra sapientia, sed tantum sua gratia obtinere posse. Primum igitur præcipit nobis ut diligamus invicem, cum dixit : *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem.* Multa sunt præcepta Domini, fratres mei, sed mandatum de dilectione, specialiter et antonomatice dicit suum esse, quoniam omne mandatum ex sola surgit et perficitur dilectione. Sicut enim ex una radice multi arboris rami prodeunt, sic ex una dilectione multæ virtutes procedunt, nec habet in se aliquid viriditatis ramus boni operis, nisi maneat in radice charitatis. Dominica igitur præcepta multa sunt per diversitatem operis, sed unum in radice dilectionis. Unde Paulus : « Plenitudo, inquit, legis, est dilectio (*Rom.* XIII). » — « Omnis, inquit, consummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis (*Psal.* CXVIII). » Est ergo ac si diceret : Hoc præcipue et specialiter est mandatum meum. Meum, quod in me præcipue demonstro, dum per nimiam in vos charitatem me humilio et mortem sustineo. Meum, quod præ cæteris vobis præcipio, et repetens iterum iterumque monebo. Meum, per quod me vestrum, et vos meos efficio. Teneamus hoc mandatum, fratres mei, et diligamus Deum, et in Deo diligamus alterutrum. Vera dilectio fortissima est, dulcissima est, utilissima est, et fortissima quoniam, juxta Salomonem : Fratres se diligentes murus æneus, et « fortis ut mors dilectio (*Cant.* VI), » imo plusquam mors. Nam per veram dilectionem mortem contemnimus, et cammoriendo superamus, et de mortalibus immortales efficimur. Nam quid dulcius quam observare benignitatem, concordiam, et amorem? Hujus dulcedinem admirans Propheta dicit : « Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum (*Psal.* CXXXII). » Utilissime est, quoniam vera dilectio nos de inimicis efficit amicos, de temporalibus æternos, de hominibus deos. Et quoniam dilectio tantisper est necessaria nobis, ideo diabolus præ cæteris hanc nobis auferre molitur. Trahit enim, quantum potest, ad delectationem et amorem terrenorum, ut, dum eadem et a nobis et ab aliis concupiscuntur invidia et odium inter nos seminetur, et charitas exstinguitur. Si ergo, fratres mei, charitatem Dei et proximi in nobis conservare volumus, terrena omnia contemnemus, ut ea nec aliis invideamus,

nec nobis auferri doleamus. Qui enim propter rem aliquam temporalem fratrem suum odit, amorem Dei et proximi perdit, dum ei rem temporalem præponit. Hinc constat quod nemo potest habere simul amorem Dei et amorem mundi. Deinde nos exhortatur Dominus ad mutuam dilectionem, exemplo sui, cum subdit : *Sicut dilexi vos. Majorem dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Ac si aperte dicat : Diligite inter vos, quantum et qualiter ego dilexi vos. Et qualiter Dominus nos? Gratis, spiritualiter et ferventer. Gratis dilexit nos, quoniam non propter meritum nostrum, qui nihil nisi malum merebamus, nec propter meritum suum, qui nullius indigebat, sed propter commodum nostrum, qui multum indigebamus; spiritualiter, quoniam non dilexit nos ad terrena, sed ad cœlestia, ut scilicet nos de carnalibus spirituales, de terrenis cœlestes, de temporalibus æternos faceret; ferventer, quoniam nos non tepide et ficte dilexit, sed ferventissime, dum non solum sua, sed etiam seipsum pro nobis dedit. Diligamus itaque, fratres mei, sicut et ipse dilexit nos. Diligamus gratis, non exspectantes quod alii nos diligant, sed ipsi nos priores eos diligamus, nec commoda nostra, sed aliorum quæramus. Sed quoniam quidam carnaliter diligunt, et gratis, ut parentes filios, diligamus etiam spiritualiter, ut scilicet fratres nostros, non ad terrena et vana, sed ad cœlestia et æterna diligamus. Sed quoniam quidam diligunt, et gratis, et spiritualiter, sed tepide, diligamus ferventer non in verbo et lingua, sed in opere et veritate; tepidos enim nauseat et odit Deus. Quantum vero dominus nos dilexerit, ostendit cum subjungit : *Majorem dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Sed nonne majus est ponere animam suam pro inimicis suis? Est utique. Et Christus animam suam posuit pro inimicis suis. Sed inimicos vocat amicos, non quia jam eum diligerent, sed quia eos diligebat, et de inimicis amicos facturus erat, ut profecto nobis ostenderet, quia, cum diligendo lucrum de inimicis facere possumus, ipsi amici sunt qui persequuntur. Sed nemo nos usque ad mortem persequitur. Unde ergo probare possumus an inimicos diligamus? Si non habemus locum ponendi animam nostram, certe habemus locum quotidie ponendi rem nostram. Proximus noster esurit, frangamus ei panem nostrum; friget, demus ei vestimentum. Nam qui tempore tranquillitatis non dat proximo egenti pro Deo tunicam suam, quomodo in tempore persecutionis daturus est pro eo animam suam? Virtus ergo tranquillitatis, ut invicta sit in persecutione, nutriatur per misericordiam in tranquillitate.

Sequitur pars secunda, in qua Dominus ponit præmium mandati sui, cum subdit : *Vos amici mei estis.* O quanta misericordia Conditoris nostri. Servi digni non sumus et amici vocamur. O quanta est dignitas hominum esse amicos Dei! Sed auditis gloriam, audite et laborem : *Si feceritis, quæ ego præcipio vobis.* Ac si aperte dicat : Gaudetis de culmine, pensate quibus laboribus pervenitur ad culmen. Hinc filiis Zebedæi poscentibus juxta Dominum in regno suo sessionem dicitur : « Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? » (*Matth.* xx.) Ac si dicat : Jam vos locus delectat celsitudinis, sed prius via vos exerceat laboris. Cum autem dicatur quandoque amicus, qui diligit et non diligitur, quandoque, qui non diligit et diligitur, hic magis proprie et absolute pro utroque ponitur amicus, qui scilicet diligit et diligitur. Nam viri sancti et amici Dei sunt, quos scilicet Deus diligit, pro eis, ut superius dixit, animam suam ponendo. Et amici Dei sunt, qui scilicet Deum diligunt præcepta ejus, ut hic subjungitur, faciendo. Est ergo ac si dicat Dominus : Facite quod pertinet ad vos, quia facio quod pertinet ad me. Ego facio quod amicus, animam meam pro vobis ponendo; facite et vos quod amici, me diligendo et mandata mea faciendo. Quod si facitis, *jam non dicam*, inquit, *vos servos, quia servus nescit quid faciat dominus ejus. Vos autem dixi amicos, quia omnia quæ audivi a Patre meo, nota feci vobis.* Differentiam assignat inter servum et amicum in hoc quod servus secretorum domini sui ignarus est; amicus vero eorum familiaris et conscius est. Et servus quidem operum domini ignarus est, non solum spiritualium quæ hic Dominus operatur, in sanctis, et æternorum quæ in futuro præparat eis, sed etiam ipsorum visibilium; quorum intentionem et finem non intendit, imo etiam eorum quæ Deus per ipsum servum facit, ipse servus ignarus est, quia in illis Dei auctoritatem et finem non intelligit. Unde Apostolus : « Animalis, inquit, homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei (*I Cor.* II). » Amicis vero suis Dominus omnia quæ audivit, id est novit a Patre eis revelanda, revelavit. Quoniam non solum dulcedinem amoris sui et mundæ conscientiæ, spiritualiumque virtutum suavitatem eis intimavit, sed etiam festa summæ beatitudinis, non solum per fidem et spem, sed etiam per quamdam contemplationis prælibationem eis hic inspiravit. Ad quam nos exhortatur Propheta dicens : « Gustate et videte quam suavis est Dominus, beatus vir qui speret in eo (*Psal.* XXXIII); » et alibi : « Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te (*Psal.* XXX). » Dum enim, fratres mei, cœlestia diligimus, jam ea quodammodo novimus, quia amor ipse quædam notitia est. Porro hujusmodi amicos Dei admirans idem Propheta, dicit : « Mihi autem nimis honorati sunt amici tui, Deus (*Psal.* CXXXVIII). » Et quare? « Nimis confortatus est principatus eorum (*ibid.*). » Ecce electi Dei carnem domant, spiritum roborant, dæmonibus imperant, virtutibus coruscant, præsentia despiciunt, æternam patriam voce et moribus prædicant. Occidi propter eam possunt, sed flecti nequeunt, imo ad eam pertingunt. In ipsa passione qua ceciderunt in

mortem carnis, videte quantum fuerit culmen mentis. Unde hoc, nisi quia confortatus est principatus eorum? Sed si magni, forsitan sunt pauci. Ideo subjungit : « Dinumerabo eos, et super arenam multiplicabuntur (*ibid.*). » Quoniam, cum sint numerabiles, nobis innumerabiles sunt. Ecce, fratres mei, totus mundus martyribus et amicis Dei plenus est, ut et infinitos testes veritatis habeamus, et nos eorum numero posse fieri ne desperemus.

Sequitur pars tertia, in qua Dominus ostendit nos meritum et præmium suum, non nostra sapientia, sed sua tantum gratia, consequi posse, cum subdit : *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Sed cum Moyses dicat ad Israel : « Dominum elegisti hodie in Deum (*Deut.* XVII), » et unusquisque justus eligat servire Deo, magis quam mundo, quid est quod Dominus dicit : *Non vos me elegistis?* Sed quod eligimus servire Deo, non est ex nostra sapientia, sed ex electione et gratia divina. Ipse enim prælegit et prædilexit nos, ut cum diligamus et eligamus. *Ego*, inquit, *elegi vos et posui vos, ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat.* Elegi vos gratis ab æterno prædestinando, posui vos in via, gratis fidem inspirando, ut eatis per gratiam cooperantem bene volendo, et fructum afferatis bene operando, et fructus vester maneat bene perseverando. Quidquid, fratres mei, propter præsens sæculum laboramus, fugit et perit. Unde Propheta : « Cum dederit, inquit, dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini (*Psal.* CXXVI). » Quoniam cum temporalis hæreditas desinit, æterna incipit. Vilescant igitur nobis labores sæculares, et tales fructus operemur qui maneant. Insistamus virtutibus et virtutum operibus, quæ semper manebunt, non solum in retributione, sed etiam quædam eorum in re. Charitas enim, sapientia, justitia, fortitudo, modestia, et hujusmodi, in illa beata vita non solum permanebunt, imo etiam perficientur et confirmabuntur, *ut quidquid*, inquit, *petieritis Patrem in nomine meo det vobis*, id est æternam beatitudinem, in qua omnia optata succedent, imo plura quam optata. Cum enim in illa æterna beatitudine, sint bona, « quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit (*I Cor.* II), » constat quoniam plura, et majora et meliora, ibi nobis a Deo dabuntur quam petere vel desiderare valeamus. Ad quæ, fratres mei, ut pervenire mereamur, mandata Dei et præcipue dilectionem teneamus. Diligamus Deum plusquam nos, proximos nostros sicut nos. Proximis nostris ponamus non solum nostra, sed etiam nosmetipsos. Cum enim nostra temporalia, et etiam ipsa vita temporalis transeat et pereat, quid sapientius, quid melius, quam de rebus perituris hæreditatem emere sempiternam? Ecce admiramur et beatificamus sanctos, qui pro Dei proximique dilectione non solum sua, sed etiam seipsos posuerunt. Quare igitur non imitamur eos? Refert beatus Gregorius quod quidam presbyter, nomine Sanctolus, vir fuit nimiæ charitatis. Hic rogavit Longobardos, ut cuidam diacono, quem vinctum tenebant, vitam concederent. Quod cum illi renuerent, petiit ut sibi eum traderent custodiendum. « Tibi, inquiunt, eum custodiendum damus, sed ea conditione ut, si ipse fugerit, tu pro eo moriaris. » Quod vir Dei concedens eum in sua fide suscepit. Quem nocte media cum Longobardos omnes dormientes videret, excitavit et ait : « Surge et quantocius fuge, liberet te omnipotens Dominus. » Qui ait : « Fugere non possum, Pater, quia, si fugero, tu ipse pro me morieris. » At vir Dei eum ad fugiendum compulit, dicens : « Ego in manu Dei sum, tantum in me facere possunt, quantum Deus permiserit. » Mane Longobardi commendatum requirunt. Quem cum ille diceret fugisse, dicunt : « Tu ipse scis quid convenit? » Qui ait : « Scio. » « Bonus, inquiunt, homo es tu, nolumus te per varios cruciatus mori, elige mortem. » Qui ait : « In manu Dei sum, ea morte me occidite, qua ipse permiserit. » Elegerunt ergo virum fortem, qui eum uno ictu truncare posset. At vir Dei postulato orandi spatio, prostratus oravit. Quem diutius orantem gladiator calce pulsavit, ut surgeret et cervicem tenderet. Qui collum extendens et eductum pactum intuens dixit : « Sancte Joannes, suscipe illam. » Tunc gladiator percussurus gladium levavit, sed brachium diriguit. Quod omnes qui aderant videntes, virumque Dei mirantes et laudantes, rogant eum, ut brachium gladiatoris sui sanaret. Ego, inquit, pro eo non orabo, nisi prius juraverit quod cum manu ista de cætero Christianum non occidat. Cui juranti brachii libertatem restituit. Cum vero Longobardi ea quæ deprædati fuerant ei offerrent, respuit; sed animas captivorum postulavit et accepit. Sic quoque factum est ut, dum unus pro uno se morti obtulit, multos a morte liberavit. Teneamus igitur, fratres mei charitatem, quæ, juxta Apostolum, « omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet, quæ nunquam excidit (*I Cor.* XIII), » nec suos observatores excidere permittit, sed ad æternam beatitudinem eos perduxit. Ad quam per eam nos perducere velit omnipotens et misericors Dominus. Amen.

III.

DE APOSTOLIS.

Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt sancti (*Rom.* VIII), etc. Quatuor hic Apostolus, fratres mei, dicit. Primo siquidem, dicit omnia electis in bonum cooperari. Secundo, demonstrat quo ordine Deus propositum electionis suæ complea in eis. Tertio, dicit neminem posse eis nocere Quarto, nihil posse eos a Deo separare. Primum igitur demonstrat omnia in bonum electis cooperari cum dicit, *scimus*, etc. Ac si dicat : Nos apostoli Dei, quorum auctoritate credendum est, scimus non per solam scientiam, sed etiam per experimentum, quod omnia cooperantur in bonum diligentibus Deum. Sed, quoniam quidam diligunt Deum ad horam; addit, *iis qui*, *secundum propositum* divinæ

electionis *vocati sunt*, ut sint *sancti*. Æque omnia, prosperitas et adversitas, sanitas et infirmitas, favor et contradictio, pax et certamen, amor et odium, vita et mors, et cætera universa. Sicut enim prosperitas, sanitas, favor et pax, amor et vita, dant bene agendi opportunitatem et materiam electis, ita et iis contraria dant eisdem bene agendi occasionem et exercitationem. Per adversitatem quippe exercetur sanctorum patientia, per infirmitatem humilitas, per contradictionem sapientia, per certamen fortitudo, per odium benevolentia, per mortem ingressus ad requiem aperitur. Nec sola ista, fratres mei, cooperantur electis in bonum, sed etiam ipse excessus et casus, quoniam humiliores resurgunt et doctiores. Econtrario quoque reprobis omnia cooperantur in malum; nec solum mala, sed etiam ipsa bona, dum de eis superbiunt, dum Deo ingrati existunt, dum eis abutuntur, dum ea inutiliter occultant, dum non perseverant. Propterea, fratres mei, semper timeamus, et Dominum suspiriis, Dominum gemitibus et lacrymis incessanter exoremus, quatenus de numero reproborum nos eripiat, et in numero electorum suorum nos per misericordiam suam ascribat, et omnia nobis faciat in bonum cooperari.

Sequitur pars secunda, in qua demonstrat Apostolus quo ordine Deus propositum electionis suæ perficiat in sanctis, cum subdit: *Nam quos præscivit fieri conformes imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinavit, hos et vocavit. Et quos vocavit, hos et justificavit. Et quos justificavit, hos et glorificavit.* Sed, quoniam præscire, et ad bona et ad mala se habet, determinat ad quantam gloriam eos præscivit, cum subdit, *fieri conformes Filii sui*, etc., ut scilicet fiant prius mentis novitate, et « post immortalitate conformes Filii sui, qui est imago Patris (*Heb.* I), » ut sicut portaverunt imaginem terreni, portent imaginem cœlestis, ita tamen *ut sit ipse* Christus *primogenitus*, scilicet primus sine peccato, conceptus et natus, et primus resurgens *in multis fratribus*, hoc est inter multos fratres. Quos non in eo quod unigenitus, sed in eo quod primogenitus est, non confunditur fratres vocare. *Quos prædestinavit*, id est ante quam essent eis gratiam præparavit. Quos autem prædestinavit, hoc cum jam essent, ad illam gratiam vocavit, prædicatione, vel alio modo. Quos autem sic vocavit, hos per illius gratiæ collationem justificavit, ut in æterna beatitudine ei similes sint. Similiter econtrario dicere possumus de reprobis. Quoniam quos Deus præsentit futuros similes diabolo, hos reprobavit; et quos reprobavit, hos quamvis ad fidem aliquos eorum vocaverit, abjecit. Et quos abjecit, hos in reprobum sensum et in passiones ignominiæ tradidit, et quos in hoc tradidit, damnavit. Sed differt, quoniam damnando reprobavit Deus, quia præsentit eos futuros malos. Sed electos non ideo prædestinavit, quia præscivit eos futuros bonos, imo potius ideo futuri erant boni, quia Deus prædestinavit eos. Non enim, A fratres mei, Deus electos propter futura merita eorum prædestinavit, sed potius gratis prædestinavit, gratis vocavit, gratis justificavit, gratis magnificavit; damnatos vero propter merita eorum reprobavit, abjecit et damnavit. Quare, quia electi non a se, sed a Deo boni sunt. Mali vero non ex Deo, sed ex se mali sunt. Neminem tamen, fratres charissimi, Deus a sua gratia repellit, omnibus eam offert. Non repellit, nisi repellentem se. Itaque, si volumus, et prædestinamur et salvamur. Volumus, si bene operamur, quantum possumus. Quod si non operamur, patet quia perfecte non volumus.

Sequitur pars tertia, in qua demonstratur neminem posse electis nocere, cum subditur: *Quid ergo dicemus* B *ad hæc*, subaudi, nisi quod ex Deo nobis omnia? et nemo poterit *nobis nocere. Si Deus est*, inquit, *pro nobis*, non existentes scilicet prædestinando, adversos vocando, peccatores justificando, mortales glorificando, *quis contra nos*, subaudi, poterit valere, ut non omnia nobis Deus cooperetur in bonum? Nullus prorsus. Sunt quidem mali contra sanctos voluntate, sed non efficacia, imo potius, dum eis nocere student, eis prosunt, et sibi nocent, juxta illud: « Draco ille quem formasti ad illudendum eis (*Psal.* CIII). » Quia etiam, inquit, hoc singulare et admirabile beneficium nobis contulit, *quod proprio Filio suo non pepercit, sed pro omnibus* etiam peccatoribus hostiam sufficientem *tradidit illum. Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* Argu- C mentum est a majori. Qui enim dedit nobis ipsum Dominum, dedit nobis res ipsius Domini. Unde idem Paulus: « Omnia, inquit, nostra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas, sive hic mundus, sive vita, sive mors, sive præsentia, sive futura (*I Cor.* III). » Boni quippe sive homines, sive angeli, nostri sunt, quia nos juvant. Mali, sive homines, sive dæmones nostri sunt, quoniam nos exercent. Mundus, noster est, ut servitio ejus bene utamur, vita præsens, nostra est, ut, per eam bene mereamur. Mors, nostra est, ut per eam ad requiem transeamus. Præsentia bona, nostra sunt, ut per ea servitio Dei consolemur. Futura, nostra sunt, ut eorum felicitate in æternum perfruamur. *Quis*, inquit, *accusabit adversus electos* D *Dei?* ita scilicet quod accusatio eorum noceat electis Dei? Nullus. *Deus est qui justificat: Quis est qui condemnet?* id est pro peccato inferat pœnam? Nullus. Quia Deus non vult, alius non potest. *Christus*, inquit, *Jesus, qui* pro illis salvandis *mortuus est*, imo quod majus, *qui et resurrexit, qui est ad dexteram Patris*, ei æqualis in honore; *qui etiam*, inter nos et Deum medius, humanitatis suæ representatione *interpellat pro nobis*, cujus postulatio inefficax esse non potest. Ecce si, fratres, fideles sumus, et Christus interpellat pro nobis, et Deus Pater est pro nobis, et omnia sunt nostra, et omnia nobis cooperantur in bonum. Quis ergo poterit nobis nocere? Nullus.

Sequitur pars quarta, in qua ostenditur quod nulla res potest separare electos De a charitate cum sub-

dat : *Quis nos separabit a charitate Dei?* Ac si aperte dicat : Tantum nos diligit, et tanta beneficia nobis confert Deus. *Quis ergo nos separabit a charitate Dei*, scilicet separabit nos, *tribulatio* corporis? *an angustia* mentis? *an fames*, *an nuditas*, id est penuria victus et vestitus? *an persecutio* de loco ad locum? *an periculum* mortis? *an gladius*, id est ipsa mors? Non utique. Et fiunt, ne ista aliquibus ut separentur a charitate Dei? fiunt utique, *sicut scriptum est : Quia propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oves* quæ nihil valent nisi ad occidendum. *Sed in his*, inquit, *omnibus superamus*, non propter nos, sed *propter eum qui dilexit nos*. Ac si dicat : Quamvis ea quæ enumeravi magis in hoc sæculo timeantur, tamen nos propter Deum, quem timemus et diligimus super omnia, illa superamus. *Certus enim sum*, inquit, ex promissione scilicet Dei dicentis : « Non te deseram, non te derelinquam » quod *neque mors*, quam scilicet minantur, *neque vita* quam scilicet promittunt, *neque angelus*, *neque principatus*, *neque virtutes*, id est neque gloria minoris, vel mediocris, vel majoris ordinis promissa, vel minorum, vel majorum, vel maximorum dæmoniorum minæ, *neque instantia*, id est præsentia, *neque futura bona*, vel mala, *neque fortitudo*, id est alicujus violentia, *neque altitudo*, humanæ scilicet potestatis, vel elevatio Satanæ, *neque profundum*, id est infernus ostensus a diabolo minente præcipitium (vel altitudinem et profundum vocat prosperitatem et adversitatem), *neque creatura*, inquit, *alia* quælibet, vel alia contra naturam facta, ut equus biceps, vel qualia fecerunt, incantatores Pharaonis, *poterit nos separare a charitate Dei*, quam Deus habet ad nos et nos ad eum, *quæ est*, id est apparet, *in Christo Jesu*. Enumeravit Apostolus tam ea quæ magis timentur quam ea quæ magis amantur in hoc sæculo, ut ostendat electos, et ea quæ magis timentur in hoc sæculo, propter Deum (quem præ cæteris timent) non timere, et eas quæ magis hic amantur propter Deum, quem præ cæteris diligunt, contemnere. Qui ergo plus timet aliquid vel diligit quam Deum, in hoc ostendit se non esse de numero electorum. Porro divitias, honores et voluptates Deo plus diligit qui eas Deo præponit, qui propter eas contra Deum facit. De cujusmodi ipse Dominus dicit : « Qui amat patrem aut matrem, aut uxorem, vel aliquid aliud plusquam me, non est me dignus (*Matth.* x). » Itaque, fratres, sentiamus de nobis, quod Paulus sentiebat de se, et similibus suis. In amore Dei inardescamus, nimiam charitatem, quam ipse habuit, erga nos semper recolamus, mandata ejus sequi contendamus, multis amaritudinibus, multisque voluptatibus a Deo divellamur, pro eo animas nostras ponere semper paratissimus, quatenus ipse faciat omnia nobis cooperari in bonum, et nos ascribat in numero electorum suorum.

IV.

DE APOSTOLIS. SERMO DE JOANNE.

Dixit Jesus discipulis suis : Ego sum vitis vera, et Pater meus agricola est (*Joan.* xv), etc. Hæc lectio sancti Evangelii, fratres charissimi, tripertita est. Primo enim Jesus se vitem, Patrem agricolam, homines palmites metaphorice vocat. Secundo ut palmites habeant purgationem et fructificationem demonstrat. Tertio quid mali exspectet malos palmites, et quid boni manifestat. Primo igitur se vitem vocat, cum dicit : *Ego sum vitis vera*, similitudinis scilicet, non generis veritate. Sane enim Dominus Jesus sit Deus et homo, secundum quod est Deus, est unus auctor et unus agricola cum Patre, non talis qui solum adhibeat ministerium, sed qui etiam præbeat incrementum. Nam « neque qui plantat, neque qui rigat est aliquid, sed qui incrementum dat Deus (*I Cor.* III). » Secundum vero quod est homo, se vitem vocat, quoniam secundum quod est homo, est nobiscum unius naturæ, sicut vitis et palmes sunt unius naturæ. Sicut autem vitis, cum vile arbusculum videatur, tamen generosum vinum generat, ita Dominus Jesus Christus, eum in hoc mundo despicabilis visus sit, secundum illud prophetæ : « Vidimus eum non habentem speciem neque decorem, unde nec reputavimus eum (*Isai.* LIII), » tamen generosum doctrinæ fructum reddit. Sicut enim vinum in sui natura est siccum, calidum, lætificans et inebrians ; sic doctrina Evangelii Christi desiccat vitia in nobis per comminationem, corda calefacit per charitatis fervorem, mentes lætificat per cœlestium præmiorum promissionem, inebriat et alienat ab amore mundi ad amorem cœlestium per contemplationem. In hoc musto erant inebriati discipuli Christi, cum in die Pentecostes omni timore et amore terreno postposito, « loquebantur variis linguis magnalia Dei (*Act.* II). » Deus vero Pater agricola dicitur quadam similitudine. Sicut enim agricola vitem eligit, in terram figit, rigat, fodit et putat, palmites infructuosos amputando, et fructuosos purgando ; ita Deus Pater unicum Filium suum prælegit, per incarnationem in terram misit, rore Spiritus rigavit, ligone tribulationum fodit, sirpa discretionis putavit, infructuosos amputans ab eo, ut Judam, fructuosos vero ut plus fructificarent purgans, ut Petrum et Andream. Unde et ipse Filius hic subdit : *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum. Et qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat.* Homines quoque palmites dicuntur, quando ad instar palmitum debent per fidem Christo adhærere, et bonam operationem fructificare. Verum palmitum tres sunt species : alius enim adhæret Christo per fidem et charitatem, et fructum facit, ut bonus Christianus, qui, ut magis fructificet, ab omnibus vitiis et superfluitatibus est magis magisque purgandus. Alius vero sola fide et sacramentorum participatione Christo adhæret, et fructum non facit, ut falsus Christianus, qui more infructuosi palmitis, ne fructificantibus noceat per sententiam, vel hic excommunicationis, vel in futuro damnationis, a Christo est separandus. Alius autem nec etiam fide Christo

a lhæret, sed viti alienæ, ut gentilis et Judæus cæterique infideles. Qui, ut ait Dominus, jam judicati sunt (*Joan.* III). Porro vitis aliena est diabolus. Unde ait Dominus ad Judæos : « Vinea mea, quomodo conversa es in amaritudinem vitis alienæ ? (*Isai* v.) » Et Moyses : « De vinea, inquit, Sodomorum vinea eorum, et de suburbanis Gomorrhæ. Uva eorum uva fellis, et botrus amarissimus, fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile (*Deut.* XXXII). »

Secundo, demonstrat Dominus unde palmites habeant purgationem et fructificationem, cum subdit: *Jam vos mundi estis propter* verbum quod *locutus sum vobis*. Ac si diceret : Non estis mundi propter vos, sed propter verbum meum. In quo demonstrat se non esse solum vitem, sed etiam agricolam. Mundare quippe vitem, non vitis, sed agricolæ est officium. Mundi igitur erant discipuli, sed tamen adhuc mundandi. Quis enim in hac vita potest esse sic mundus ut non sit magis magisque mundandus ? Nisi discipuli mundi essent, ferre fructum non possent ; et nisi mundandi essent, non dicerent : « Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est (*I Joan.* I). » Mundi igitur a criminalibus, mundandi adhuc erant a quibusdam venialibus. Unde eis Dominus dixit: « Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet (*Joan.* XIII). » Jam vos, inquit, *mundi estis*, ex magna scilicet parte, propter verbum quod *locutus sum vobis*, non tantum auditum, sed etiam creditum et exsecutum. Audit enim infidelis, nec tamen mundus est ; audit et credit diabolus, nec tamen mundus est ; audit et credit et exsequitur fidelis, et mundus est. Sed quare non ait: Mundi estis propter baptismum, et pœnitentiam, et emendationem ? quoniam verbum Dei ad hæc omnia nos trahit, nos ad pœnitentiam compungit, nos vitia deserere et virtutes sequi facit, ipso Dei verbo non solum exterius sonante, sed etiam interius inspirante et invisibiliter operante. Hic est enim qui solus baptizat, qui solus absolvit, qui solus mundat et illuminat. Unde vero palmites habeant fructificationem, ostendit, cum subdit: *Sicut enim palmes non potest ferre fructum a semetipso , nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis.* Ac si aperte dicat : Non ex vobis, sed ex me potestis fructificare. Palmes vero manet in vite et vitis in palmite, sed alio alioque modo. Palmes quippe manet in vite, nihil viti conferendo, sed potius ex vite vigorem accipiendo ; vitis vero manet in palmite, nihil a palmite accipiendo , sed potius ei virtutem subministrando. Utrumque ergo nihil confert viti, sed tantum palmiti. Sic et nos, cum manemus in Christo, nihil utilitatis ei conferimus. Sic, cum Christus in nobis per gratiam inhabitantem manet, nihil inde sibi utilitatis provenit, sed nobis. Sed cum mansio Christi in nobis sit nobis causa quare mancamus in Christo, quare non præposuit mansionem suam, ut diceret: Manco in vobis, manete in me? Ut videlicet demonstret nobis nos habere arbitrii libertatem, et gratiam suam esse paratam ad manendum in se, nec se unquam relicturum nos, nisi nos eum prius relinquamus. Est ergo ac si dicat : Perseverate manere in me, quia ego semper paratus sum perseveranter manere in vobis. Ecce, fratres mei, rogat nos, qui rogare debuit. Rogat nos, ut maneamus in eo, quem semper debemus rogare , ut maneat in nobis. Contubernales et præcordiales nos habere desiderat Creator et Redemptor noster , quare ejus amicitiam et familiaritatem contemnimus ? Quare cum totis desideriis non amplectimur ? Quare in ejus amore non ardescimus ? Si aliquis rex, vel princeps sæcularis, suam amicitiam nobis offerat, cum magno gaudio eam amplectimur, quare regem cœlorum se nobis offerentem aspernamur? *Palmes*, inquit, *non potest ferre fructum a semetipso*. Nec homo potest facere bonum a semetipso. Sicut enim ex vitis humore ascendit vigor, faciens palmitem pullulare, frondere et fructificare ; ita et ex Christo provenit gratia in nos, ut bene velle, bene loqui, bene agere valeamus. *Nec vos*, inquit, subaudi potestis bene operari, *nisi in me manseritis*. Ergo Judæi et gentiles, et quicunque per fidem in Christo non manent, bonum facere non possunt. « Impossibile est enim sine fide aliquid Deo placere (*Hebr.* XI). » *Ego sum vitis, vos palmites*. Ac si dicat: Facio ego naturam vitis, facite et vos naturam palmitis. Sum vitis vobis gratiam subministrando, estote et vos palmites in me manendo et fructificando. Nam si , tam vos quam ego , faciamus quod ad nos pertinet , multus tunc fructus proveniet. Et hoc est quod sequitur : *Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum.* Magis vera et magis usitata locutio est, quod vitis ferat fructum quam quod palmes. Quippe cum palmes et hoc quod habet et hoc quod fructum facit, totum habeat ex vite. Sic ergo, et cum totum, et quod sumus, et quod boni aliquid possumus, totum habeamus a Christo, verius posset dicere : *Qui manet in me, et ego in eo*. Ego per hunc fero fructum multum. Sed per magnam misericordiam suam, quod suum est attribuit nobis, dicens nos facere quod ipse per nos facit. *Quia sine me*, inquit, *nihil potestis facere*. Ego sum vobis omnia, vos sine me, nulla. Nam abscisis palmitibus infructuosis, possum ex me meliores producere, et per eos fructificare. Locum ergo et gratiam quam habemus in Christo, fratres mei, non inutiliter et otiose teneamus, sed fructificemus studiose, ne forte nos summus Agricola, tanquam inutiles palmites, abscindat, et alios in nostrum locum producat.

Tertio, demonstrat Dominus quid mali exspectet malos palmites, et quid boni bonos. Quid mali exspectet malos, ostendit cum subdit : *Si quis in me non manserit*, subaudi, fide, Judæus et paganus, cæterique infideles nec charitate, ut falsus Christianus, *mittetur, sicut palmes, foras*. Et hic ab unione fide-

lium per reprobationem, et in futuro a regno beatitudinis per damnationem, quando scilicet, juxta aliam parabolam, dicentibus illis : « Domine, Domine, aperi nobis (*Matth.* xv), » respondebitur eis : « Amen dico vobis, nescio vos (*ibid.*). » *Et arescet* non solum a potestate benefaciendi, sed etiam a potestate nocendi. *Et colligent*, inquit, *eum*. Qui? messores angeli per fasciculos, juxta parabolam zizaniorum (*Matth.* xiii), videlicet gulosos cum gulosis, adulteros cum adulteris, avaros cum avaris, homicidas cum homicidis, perjuros cum perjuris, superbos cum superbis, infideles cum infidelibus, similes cum similibus, in simili pœna colligentes. *Et in ignem*, inquit, *mittent*. De duobus alterum convenit palmiti, aut ut adhæreat viti, aut ut tradatur igni. Non enim est utilis ædificio, vel alicui alii usui. Sic nullum medium est homo, aut adhærebit Christo et fructificabit, aut mittetur in ignem, qui non indiget formite lignorum, sed semper per se ardet et punit animas cum corporibus in æternum. *Et ardebit* tanquam sarmentum inutile, non tamen ut penitus pereat, sed sic ut semper duret, et semper ardeat. Immortalis enim ibi mors erit, finis infinitus, defectus indeficiens. Nam, juxta Apocalypsim : « Optabunt miseri mori, et mors fugiet ab eis (*Apoc.* ix). » Ah! quam melius esset eis millies et millies mori, quam in cruciatibus semper vivere. Quid vero boni exspectet bonos palmites, ostendit cum subdit : *Si manseritis in me*, subaudi, per fidem et charitatem, *et verba mea in vobis manserint* per bonam operationem, *quodcunque volueritis petetis, et fiet vobis*, in alia vita, ubi omnia optata electis succedent. Sed etiam et in hac vita quidquid petierimus, pertinens ad nostri mansionem in Christo et ad mansionem verborum ejus in nobis, fiet procul dubio nobis Itaque, fratres, si petimus aliquid quod non fiat nobis, patet quia non pertinebat illud ad mansionem nostri in Christo, et ad mansionem verborum ejus in nobis. Non petamus ergo nisi quod ad charitatem Dei et mandata ejus pertinet. Sed ecce cum in ecclesia ad orationem convenimus, alius petit victum, alius vestitum, alius uxorem, alius cætera necessaria. Et hæc quidem cum desunt nobis, non est peccatum, si a Domino cum temperantia petamus. Sed illud mandatum Christi semper attendere debemus : « Primum quærite regnum Dei, et omnia adjicientur vobis (*Luc.* xii). » Sed quod gravius, alius imprecatur damnum proximo suo, et mortem inimico suo, præcipit tamen Deus ut precemur pro inimicis nostris, et non imprecemur eis (*Matth.* v). Cavete, fratres, ne sic oretis contra Dei mandatum; et juxta Psalmistam : « Oratio nostra fiat in peccatum (*Psal.* cviii). » Matthæus enim dicit: « Cum statis ad orandum, dimittite si quid habetis in cordibus vestris (*Matth.* ii). » Illi enim præ cæteris sunt impetrabiles in oratione, qui non solum odium non retinent in corde, sed etiam pro inimicis pure possunt orare. Quod hinc liquet, quoniam, quando Judæi Deum exacerbassent, prohibuit prophetæ, ne pro ipsis oraret, dicens: « Non accipies laudem et oblationem pro eis (*Jer.* xi). » — « Nam si etiam Moyses et Samuel steterint coram me, non est anima mea ad populum istum (*Jer.* xv). » Quare tot Patribus prætermissis, istos duos solos commemorat, nisi quia isti soli in tota Veteris Testamenti serie inveniuntur etiam pro inimicis orasse? Moyses itaque a populo lapidibus impetitur, et tamen pro eis orat (*Exod.* xvii). Samuel vero a principatu excluditur, et tamen dicit : « Absit hoc peccatum a me quominus cessem orare pro vobis! » (*I Reg.* xii.) Est ergo ac si dicat : Nec etiam Moysen et Samuelem pro eis audio, quos pro charitatis suæ merito præ cæteris potentes in orationem scio. Sed sæpe reluctantem animum orare pro inimicis cogimus, magis ex mandati coactione, quam ex charitate oramus; et tamen timemus ne exaudiamur. Sed duplicitas mentis quid meretur apud Deum nisi supplicium? Propterea, fratres mei, cum cogitamus quantum peccaverit in nobis proximus, cogitemus quantum et nos in Deum peccaverimus; et sicut volumus nobis dimitti à Deo, dimittamus et proximo. Simus tales debitoribus nostris, qualem volumus Deum invenire nobis. Et si non possumus corpus nostrum tradere martyrio, sicut sancti illi quibus festivamus, saltem animum nostrum vincamus. Non enim erit hæc victoria sine corona apud Deum. Cujusmodi victoriam et coronam ipse det nobis, cui est honor et imperium per omnia sæcula sæculorum. Amen.

V.

DE APOSTOLIS. SERMO DE EPISTOLA BEATI PAULI.

Habemus thesaurum in vasis fictilibus, ut sublimitas sit virtus Dei, et non ex nobis (*II Cor.* iv). Et reliqua. Tres sunt particulæ lectionis hujus, fratres mei. Primo enim Apostolus se et cæteros discipulos habere thesaurum in vasis fictilibus dicit. Secundo causam subjungit. Tertio quid boni thesaurus vasis fictilibus conferat, exponit. Primo igitur dicit : *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus*. Vocat autem thesaurum divinam sapientiam, prædicationem et virtutes, quas apostoli in se gerebant; thesaurus quippe collatio est pretiosorum, ut auri, et argenti, et lapidum pretiosorum; apostoli quoque, quæ his omnibus prætiosiora sunt, in se habebant aureum fulgorem, argenteam sonoritatem, eloquentiæ et pretiosorum varietatem. De cujusmodi thesauro scriptum est : « Melior acquisitio ejus negotiatione argenti et auri, primi et purissimi fructus ejus. Speciosior est cunctis opibus, et omnia quæ desiderantur huic non valent comparari (*Prov.* iii). » Vasa vero fictilia vocat se, cæterosque apostolos. Vasa quippe fictilia terrena sunt, et inter omnia vasorum genera magis vilia et fragilia. Apostoli quoque secundum sæculum, viles erant et fragiles. Viles, quoniam plebei, ignoti, ignobiles, pauperes, idiotæ, fragiles, quoniam ex longa maceratione carnis erant macilenti, palidi et debiles. Propter hoc habebantur mundo abjecti et despicabiles. Unde idem Apostolus : « Tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc (*I Cor.*, iv). »

Propter ergo exteriorem vilitatem et fragilitatem despiciebant divites, sapientes et nobiles mundi, discipulos Christi spiritualem thesaurum, quem interius gerebant, non considerantes. Quorum hodie similes sunt quidam falsi Christiani, personarum acceptores, pauperes et ignobiles propter exteriora contemnentes, divites vero et nobiles propter exteriora venerantes, quoniam sæpe in vase exterius deaurato latent fœda et in vase exterius vili pretiosa. Secundo reddit Apostolus causam quare Deus thesaurum suum in vasis fictilibus posuerit, cum subdit, *ut sublimitas sit virtutis Dei, et non ex nobis.* Ideo enim Dominus per imperitos et viles primo Evangelium prædicari voluit, et non per sapientes et oratores, ut hoc esse opus Dei et non hominum ostenderet, et ut se mirabilem, sicut in prædicatione, ita et in prædicatoribus demonstraret. Et mirabilis quidem prædicatio est Deum humanatum, mortuum, et redivivum, et ad dexteram Dei Patris elevatum prædicare. Sed mirabilius est per paucos viles et imperitos homines, rem adeo incredibilem condidisse. Unde Apostolus: « Videte, inquit, fratres, vocationem vestram, » id est, per quos vocati estis, « quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles; sed quæ stulta sunt, elegit Deus mundi, ut confundat, » id est, erubescere faciat « sapientes, et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia. Elegit Deus et ea quæ non sunt, » id est, quæ inter cætera non computabantur, « ut destrueret, » id est, vincendo humiliaret « ea quæ sunt (*I Cor.* I), » id est quæ sibi aliquid esse videbantur. Et erat quidem quandoque doctos, potentes et nobiles electurus. Sed ideo eos primos, ne talium rerum merito eligi viderentur, atque inflati humilitatem non reciperent, sine qua nemo potest redire ad vitam, unde est lapsus homo per superbiam. Hinc etiam Nathanael legisperitus non est in apostolum electus. Et quod hoc causa humilitatis factum intelligatur, supponit idem apostolus dicens : « Ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus de meritis suis (*ibid.*). »

Itaque, fratres, de nobis semper utiliter sentiamus, nullum quantumcunque vilem, quantumcunque despicabilem despiciamus, quoniam frequenter ubi minus putamus, major divinæ gratiæ thesaurus absconditur, et qui apud homines sunt abjecti, apud Deum sunt electi. Et ut tantum thesaurum habere mereamur, viles et despecti esse mundo non abhorreamus. Tertio quid prædictus thesaurus vasis fictilibus vel hic, vel in futuro conferat, exponit Apostolus, ostendens thesaurum sapientiæ cæterarumque gratiarum conferre suis possessoribus et hic fortitudinem constantiæ et perseverantiæ, et in futuro vitam æternam. Quod fortitudinem constantiæ et perseverantiæ eis conferat, exponit cum subdit : *In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur*, in mente, ut quidam pusillanimes qui in adversis deficiunt et desperant, sed potius in conscientia boni thesauri lætamur et dilatamur. Demum quasdam tribulationum partes enumerat, dicens. *Aporiamur*, id est, ablatis etiam necessariis pauperes efficimur, *sed non destituimur*, etiam a constantia interiori, ut quidam qui propter paupertatem fiunt mendaces, perjuri, homicidæ et fures, sed potius ex interioris thesauri abundantia sufficientes sumus, scientes æque et « abundare et penuriam pati (*Phil.* IV). » *Persecutionem patimur*, vel occultam a diabolo, vel apertam a membris ejus, *sed non derelinquimur*, ab interiori scilicet thesauri constantia, ut quidam qui in persecutionibus succumbunt, sed potius ipsos persecutores nostros, vel resistendo, vel æquanimiter tolerando superemus. *Humiliamur*, inquit, *sed non confundamur*, id est, in adversitate nostra viles reputemur, sed tamen non erubescamus, ut quidam qui humilitatem, paupertatem, crucemque Jesu Christi portare erubescunt. Quibus ipse dicit : « Qui me erubuerit et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet cum venerit in majestate sua (*Luc.* IX), » sed potius de interiori thesauro bonæ conscientiæ in ipsa nostra vilitate et contemptu gloriemur, dicentes cum Apostolo : « Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo! » (*Galat.* VI.) *Dejicimur*, inquit, *sed non perimus.* Quasi dicat : Dejicimur tanquam inutilis testa in conquassatione mortis, sed tamen manente in nobis immortali thesauro, non perimus morte æterna ut reprobi, sed potius tunc æternaliter vivere incipimus, quibus fit de morte, natalis. Itaque, fratres, istum tam pretiosum thesaurum sapientiæ cæterarumque virtutum toto desiderio ácquiramus, retineamus et conservemus, quatenus per illum et in tribulationibus lætitiam, et in paupertate sufficientiam, et in persecutione victoriam, et in humilitate gloriam, et in morte vitam habere mereamur. *Semper*, inquit, *mortificationem Jesu Christi in corpore nostro circumferentes.* Tunc, fratres mei, mortificationem Jesu in corpore nostro portamus, quando pro Jesu, et ad imitationem crucifixionis ejus, vitia nostra crucifigimus et mortificamus. Hanc autem mortificationem debemus portare, non in una sola corporis parte, ut quidam qui crucifigunt in se renes, sed non linguam, non oculos, non aures, sed *circum* in corpore nostro, ut videlicet mortificemur pariter et cor, ne male meditetur; et linguam, ne male loquatur; et manum, ne male operetur; et pedem, ne male gradiatur; et gustum, ne appetat deliciosa; et contactum, ne concupiscat luxuriosa; et aures, ne audiant vanitatem et iniquitatem; et oculos ne videant vanitatem. Et qua utilitate? *Ut et vita*, inquit, *Jesu in corporibus vestris manifestetur.* Hoc est quod Joannes ait : « Charissimi, nunc filii Dei sumus, sed nondum apparuit quid erimus. Scimus autem quoniam, cum apparuerit, similes ei erimus, quando videbimus eum sicuti est (*I Joan.* III). » Duæ sunt, fratres, vitæ Jesu Christi. Vita virtutis, quam ostendit in hoc mundo, et vita glorificationis quam ostendet et dabit in futuro. Vita virtutis Jesu Christi,

manifestatur in nobis etiam in hoc sæculo, si simus mundi, sicut ipse mundus est; justi, sicut ipse justus est; sancti, sicut ipse sanctus est. Vita vero glorificationis manifestabitur in futuro, non solum in animabus, sed etiam in corporibus nostris, quando videlicet erimus immortales sicut ipse immortalis est; speciosi, sicut ipse speciosus est; gloriosi, sicut ipse gloriosus est; beati, sicut ipse beatus est. Quod ipse meritis et intercessionibus sanctorum apostolorum suorum nobis largiatur, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

VI.

DE APOSTOLIS. SERMO DE LUCA.

Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum (*Matth.* x), et reliqua. In hac sancti Evangelii lectione, fratres charissimi, Dominus ac Redemptor noster discipulos suos, quos ad prædicandum per universum mundum erat missurus, præinstruit. In quo quoque nos prædicatores instruit nihilominus, qui vicem illorum in Ecclesia tenemus. Facit igitur quatuor. Primo, eos apostolos constituit. Secundo, quo eos mittat exponit. Tertio, quales esse debeant ostendit. Quarto, contra persecutiones venturas eos præmunit. Primo, eos apostolos constituit, cum dicit : *Ecce ego mitto vos.* Ac si aperte dicat : Ego Dominus et magister vester vos de discipulis missos, apostolos meos constituo. Apostolus quippe *missus* interpretatur. In quo tria eis demonstrat, videlicet quis, et de quibus, et quos eos constituat. Quis? Ego Dominus et magister vester vos mitto, non ipsi vos auctoritate vestra apostolatum præsumitis. Unde Apostolus : « Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?» (*Rom.* x.)»—«Nemo enim assumit sibi honorem, sed qui vocatus est a Deo, ut Aaron (*Hebr.* v). » Quod aperte illos condemnat, qui non vocati, pastoris officium potius rapiunt quam assequantur. De qualibus Dominus per prophetam : « Ipsi, inquit, regnaverunt, et non ex me; principes exstiterunt, et ego ignoravi (*Ose.* VIII). » Quippe internus judex et provehit et nescit, quia quos permittendo tolerat, per reprobationem ignorat. De quibus? De discipulis vos apostolos constituo. Ac si dicat: Vos soli qui vitam et doctrinam meam didicistis et tenetis, apostolatus et magisterii digni estis. In quo confundit illos qui præsumunt fieri magistri, antequam noverint esse discipuli; qui vitam quam nec tenent, nec didicerunt, præsumunt docere. Quibus Dominus per Psalmistam: « Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum? Tu vero odisti disciplinam, et projecisti sermones meos retrorsum (*Psal.* XLIX).» Quos? Apostolos meos vos constituo, videlicet ut vos qui vitam meam et doctrinam didicistis et tenetis, vicem quoque meam in Ecclesia teneatis. Unde alibi illis dicit: « Qui vos audit, me audit. Qui vos recipit, me recipit. Qui vos spernit, me spernit (*Matth.* x ; *Luc.* x).» Tenent autem discipuli et successores eorum vicem Christi in tribus : in prædicatione, in sacramentorum ministratione, in ligandi et solvendi potestate. Sed attendant quod in his omnibus non auctores, sed vicarii, non domini, sed missi sunt. Ipsi enim exterius prædicant, sed Christus interius docet. Ipsi tantum exterius abluunt, sed Christus interius baptizat. Illi exterius manus levant, sed Dominus benedicit et consecrat. Ipsi exterius sententiam proferunt, sed Christus interius absolvit et ligat. Unde Apostolus : « Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei (*I Cor.* IV). » Porro fideliter missus et vicarius Christi est, qui Christi moribus se conformat, qui non sua, sed Christi verba nuntiat; qui non suam, sed Christi gloriam captat.

Secundo, quo discipulos mittat, exponit cum dicit : *Sicut oves in medio luporum.* Ac si aperte dicat: Mitto vos, non ad securitatem, sed ad timorem, non ad dominationem, sed ad subjectionem, non ad gloriam, sed ad passionem. In quo confutantur illi, qui officium pastorale captant, ut in securitate, in dominatione et in gloria vivant, non attendentes, nec quod hic dicitur, nec quod alibi Dominus dicit : « Sicut misit me Pater, et ego mitto vos (*Joan.* XX).» Id est, sicut misit me Pater ad humilitatem, ad paupertatem, ad passionem ; sic ego ad eadem mitto vos. Se igitur non esse missum a Deo ostendit, qui in loco humilitatis, dominationem, divitias, et gloriam quærit. Porro luporum nomine dæmones et dæmoniacos homines designat, qui more luporum ovibus Christi insidientur, eis mala irrogant, in eis sæviant, et eas devorant. Contra quorum malitiam boni Christiani more ovium, benefici, mansueti, patientissimi perseverant. Sed, quoniam persecutores, non solum oves Christi in exterioribus persequuntur, sed etiam more luporum guttur et vitalia invadentes, vocem prædicationis et confessionis amputare, et spiritum in eis exstinguere quærunt, non solum scientia, sed etiam sapientia, vigilantia eis opus est. Unde et in tertio loco quales contra hoc esse debeant, ostendit, cum subdit : *Estote ergo prudentes sicut serpentes.* Sane prudentia serpentis est, quod caput in quo vita consistit, præ cæteris custodit, et respectu capitis totum corpus suum contemnens, pro salute capitis contra ictus ferientis, illud tanquam scutum opponit. Quorum profecto prudentiam non solum pastores, sed etiam omnes fideles tenentur imitari, ut scilicet fidem Jesu Christi, qui caput nostrum est, præ cæteris cunctis custodiamus, sine qua non est nobis salus. Et pro ejus confessione et conservatione, non solum nostra, sed etiam corpus nostrum, morti exponamus. Est et alia serpentis astutia, quoniam jejunans et per angustias se coarctans, pellem exuit veteranam. Cujus prudentiam omnes quoque imitari debemus, ut videlicet carnem nostram macerantes, et per angustam præceptorum Dei portam nos coarctantes, veterem hominem exuamus, cum vitiis et concupiscentiis, et induamus novum, qui renovatur de die in diem (*Col.* III). Sed, quoniam serpens venenosa bestia est, et astutiam habet nocendi, ne quis pariter et astutiam illius vellet imitari, post-

quam dixit: *Estote prudentes sicut serpentes*, statim adjunxit, *et simplices sicut columbæ*. Ac si aperte dicat: *Estote prudentes sicut serpentes*, ne scilicet idolis aliorum decipiamini; *et simplices sicut columbæ*, ne scilicet ipsi alios decipiatis. Porro nec prudentia sine simplicitate, nec simplicitas sine prudentia prodest. Prudentia namque sine simplicitate maligna astutia est, et simplicitas sine prudentia stulta hebetudo est. Propterea, fratres mei, habeamus et simplicem prudentiam, et prudentem simplicitatem, ut scilicet mala cavere sciamus non facere, et bona sciamus et faciamus. Simplicitas quippe columbæ est, quam a malitia fellis aliena est, ecce mansuetudo. Neminem rostro vel unguibus lædit, ecce innocentia. Alienos pullos pro suis fovet, ecce charitas. Simus itaque, fratres mei, simplices sicut columbæ, ut videlicet nemini irascamur, nemini noceamus

Quarto vero loco, contra persecutiones venturas discipulos suos præmunit, cum subdit: *Cavete autem ab hominibus* qui scilicet vos vel blandiendo, vel promittendo, vel minando volent seducere, vel a fide separare. Quos vos prudenter debetis cavere, vel eos declinando, vel eorum seductionibus fortiter resistendo. *Tradent enim vos*, inquit, *in conciliis*, ubi scilicet est locus deliberationis, cui sententiæ acquiescendum sit. In quo de communi consensu inhibebunt vobis ne in nomine meo prædicetis, ut scilicet generali concilio et præcepto superemini. Et, si contra hoc faciatis, *in synagogis suis*, ubi est locus correctionis, *flagellabunt vos*, ut vel pudore confundamini. Quod si nec eis consenseritis, cum per se vim inferre vobis non poterunt, *ad reges et præsides* quasi ad majorem audientiam *ducemini propter me*, ut saltem timore majoris potestatis deterreamini. Sed licet sitis pauci, tamen constantiam vestram nec generale concilium, nec publicus pudor, nec timor majoris potestatis superabit. Sed publice nomen meum confitebimini. *In testimonium*, inquit, *illis et gentibus*, ut scilicet sit in testimonium omnibus attestationem vestram audientibus, vel salutis, si crediderint; vel damnationis, si non crediderint. Nunc quoque, fratres mei, nos infimi prædicatores, cum verba Dei vobis testificantes prædicamus, vobis utique in testimonium sumus vel salutis, si creditis et obeditis, vel damnationis, quod absit! si obedire non vultis. Porro contra prædictos terrores, supponit Dominus consolationem, cum subdit: *Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini*, id est, nolite cogitare vel ad responsum inveniendum, vel exornandum. Quare? *Dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis*, tanquam in organis. Hic est enim « qui aperit os mutorum, et linguas infantium facit disertas (*Sap.* x). » Quomodo enim, fratres mei, putatis quod beata Catharina, simplex utique puella, contra tyrannum, et contra quinquaginta exquisitos sapientes, tam argute disputaret, et eos convinceret, nisi Spiritus sanctus in eam et per eam loqueretur? Quomodo beata Agnes, cum adhuc tantum duodecim annorum esset, contra sapientes et judices hujus mundi adeo mirabiliter loqueretur, nisi Spiritus sanctus in eam et per eam loqueretur? Quomodo Ciricus infans, cum adhuc tantum trimus esset, pro fide Christi contra tyrannum mirabiliter disputaret? Deinde contra majorem persecutionem Dominus discipulos suos præmunit, cum subdit: *Tradet autem frater fratrem in mortem*, etc. Minorem dolorem mala ingerunt quæ ab extraneis inferuntur, majorem vero quæ ab illis patimur, de quorum dilectione præsumebamus. Unde scriptum est: « Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique. Tu vero homo unanimis, dux meus et notus meus (*Psal.* LIV). »

Tradet, inquit, *frater fratrem in mortem, et insurgent filii in parentes, et morte eos afficient*. Hæc omnia, fratres mei, in primitiva Ecclesia contingebant, quando diabolo propter ejectionem suam insaniente, tanta erat rabies persecutorum, quod fervor idololatriæ naturalem vincebat dilectionem, et filios, et amicos, quos ex vi naturæ homines solent diligere, etiam contra Deum ipsi odibant et persequebantur, et contra naturam, et contra Deum. Quorum etiam sunt hodie quidam similes, qui calice Babylonis, id est, mundanæ cupiditatis sic inebriati sunt, quod fratres et parentes suos propter temporales hæreditates odiunt et persequuntur. Sed et ipsi patres et filios suos, et si non corporaliter, tamen, quod pejus est, spiritualiter persequuntur, dum more corvino de rapinis et dolis eos pascunt, et ut idem faciant, eos erudiunt, ut et ipsis imputetur, si filii sui faciant mala quæ viderint patribus suis fecisse. Et si insurgant contra ipsos patres suos, quos viderint contra patres suos insurrexisse. *Et eritis*, inquit, *odio omnibus*, subaudi infidelibus, *propter nomen meum*. Deinde contra hoc subdit consolationem, cum dicit: *Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*. Quasi dicat: Qui hæc patientur propter me, salvi erunt, si tamen perseveraverint. Sicut enim necessaria patientia et causa, ita et perseverantia. Non enim cœpisse benefacere, sed perfecisse laudabile est. Unde et in lege Moysi jubetur offerri cauda hostiæ (*Lev.* VII). Itaque, fratres, quoniam infinitos et etiam infantes scimus per tormenta et per passiones in fide perseverasse, perseveremus et nos saltem in prosperitate. Pudeat nos barbatos et in pace non posse facere, quod illi etiam infantes fecerunt et in persecutione. Illos non superaverunt tormenta, saltem nos non superent blanda. Illos non superavit fames, saltem nos non superet ingluvies. Illos non superavit asperitas, saltem nos non superet voluptas. Illos non superavit indigentia, saltem nos non superet abundantia. Et si non est externis qui nos torqueat, qui nos crucifigat et occidat, saltem nos ipsi per abstinentiam et continentiam nosmet crucifigamus et torqueamus, cum vitiis et concupiscentiis mortificemus, quatenus ipsis martyribus

pro nobis intercedentibus, socii eorum in cœlo esse mereamur, largiente Deo et Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum.

VII.

DE APOSTOLIS. SERMO DE APOCALYPSI.

Ego Joannes vidi in dextera sedentis supra thronum librum scriptum intus et foris, signatum sigillis septem (*Apoc.* v). Hæc loquitur, fratres mei, Joannes apostolus et evangelista, cui tanto magis credendum est, quanto non aliunde, sed ab ipso potavit fonte. Dicit itaque nobis quatuor: videlicet, in cujus manu sit sancta Scriptura, et quantum intelligentia ejus sit desideranda, a quo aperiatur, et quanta laus eum inde sequatur. In cujus igitur manus sit sancta Scriptura, ostendit primo cum dicit : *Vidi in dextera sedentis supra thronum, librum.* Cum Deus, fratres mei, incircumscriptus sit et spiritus infinitus, non sedet neque membra habet. Sed de re invisibili melius per similitudinem visibilium possumus instrui. Thronus quippe sedes regum est. Sedere igitur in throno quiete regnantis est. Et quis melius regnat quam ille qui cuncta creavit et gubernat? Et quis quietius omnia regit quam ille cujus velle est facere, et cujus « sapientia attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter? » (*Sap.* VIII.) Ipse igitur cum ubique sit essentialiter, tamen in cordibus fidelium habitat specialiter. In quibus enim habitat, nisi in eis quos ipse diligit, et qui eum diligunt, et qui ejus similes sunt? Mundus igitur habitat in mundis, justus in justis, sanctus in sanctis, amicus in amicis. In hujus igitur summi Regis dextera, id est potestate, sacræ Scripturæ liber continetur, utpote cujus inspiratione et auctoritate editur, scribitur, impletur et revelatur. Quod aperte contra illos est, qui sacram Scripturam non putant aliud esse nisi hominum inventionem et commentationem, non attendentes quod Dominus ait in Evangelio : « Amen dico vobis, donec cœlum et terra transeat, iota unum aut unus apex de lege non præteribit, donec omnia fiant (*Matth.* XXIV; *Marc.* XIII). » Et Petrus in Epistola canonica : « Non enim, inquit, voluntate humana allata est prophetia, sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines (*II Petr.* I). » Porro in hoc quod liber sacræ Scripturæ intus et foris est scriptus, lectio exterior historiæ, et lectio interior spiritualis intelligentiæ denotatur. In quo pariter confunduntur illi, qui in sacra Scriptura solam superficiem litteræ requirunt, ut Judæi secubantes, et illi qui nihil ad litteram, sed totum retorquent ad mysticum sensum, ut quidam præsumptuosi plus quam oportet sapientes. In sacra Scriptura quædam ad litteram tantum intelligenda sunt, ut : « Diliges Dominum Deum tuum (*Exod.* XX). » Et : « Honora patrem tuum et matrem tuam (*ibid.*), » et cætera præcepta moralia. Quædam vero ad mysticum sensum tantum referenda sunt, ut hoc quod legitur in Job : « Sub quo curvantur ii qui portant orbem (*Job* IX). » Quædam vero pariter et ad litteram et ad mysticum intelligi debent, ut quod Dominus masculum in octava circumcidi jubet (*Genes.* XVII), et agnum in Pascha immolari (*Exod.* XII), cæteraque mandata figurativa. In hoc vero quod liber describitur esse signatus sigillis septem, designatur quoniam sancta Scriptura clausa est, et septem, id est universitate omnimodarum obscuritatum generaliter obvoluta. Sed et specialiter septem in se occultat mysteria, quæ idem Joannes subsequenter ita exponit, quod nihilominus ea relinquat sigillata. Hinc et Danieli per angelum dicitur : « Et tu, Daniel, claude sermones, et signa librum usque ad statutum tempus (*Dan.* XII). » Hinc et Isaias Judæis dicit . « Et erit vobis visio omnium prophetarum sicut verba libri signati, quem cum dederint scienti litteras, dicent : Lege ; et respondebit : Non possum, signatus est enim liber (*Isa.* XXIX). » Quod aperte est contra quosdam sæculares philosophos, qui putant sacram Scripturam planam esse et apertam, eo quod exterius simplicia habeat verba et plana, non attendentes quoniam in sacra Scriptura, sub simplicitate verborum, magna utilisque lateat profunditas. Sicut econtrario in scientiæ sæcularis libris sub multiplicitate et obscuritate verborum, nulla latet utilitas. Sane tribus de causis Dominus in Scripturis sua mysteria sigillavit. Prima est, quoniam ea voluit inimicis suis abscondi, et solis amicis et iis familiarioribus reserari. Unde et convenienter dicit librum esse signatum sigillis septem. Illud quippe sigillamus quod solis amicis volumus revelari. Unde in Evangelio : « Nolite sanctum dare canibus (*Matth.* VII). »

Secunda est, quod in Scripturarum profunditate voluit nos exerceri et mereri. Unde cum angelus dixisset Danieli : « Claude sermonem, et signa librum, » adjunxit : « Pertransibunt multi, et multiplex erit scientia (*Dan.* XII). » Hinc Salomon : « Gloria, inquit, Dei celare verbum, et gloria regis investigare sermonem (*Prov.* XXV). » Tertia est, ut sicut editionem, ita quoque revelationem sacræ Scripturæ suo nomini reservaret, ne quis de humano ingenio in ea sese jactaret, sed ad eam intelligendum divinam opem flagitaret. Quantum vero intelligentia sacræ Scripturæ sit desideranda demonstratur, cum subjungitur : *Et vidi*, inquit, *angelum fortem prædicantem voce magna : Quis est dignus aperire librum et solvere signacula ejus?* Angelus iste, fratres mei, tenet personam cujuslibet prioris Patrum, qui, quamvis fortis esset virtute et sapientia, tamen, præ magno desiderio et dilatione reserationis sacræ Scripturæ, conqueritur et inquirit quis sit ille tam dignus, tam sapiens et tam potens qui eam aperire possit. Nos vero quis sit ille jam scimus, et ideo magis toto desiderio totisque viribus eum flagitemus, quatenus sigilla suæ sacræ Scripturæ nobis dignetur aperire. *Et nemo*, inquit, *poterat neque in cœlo, neque in terra, neque sub terram aperire librum, neque respicere illum*, quoniam nec inter angelos, nec inter homines, nec inter animas corpo-

ribus exutas, nec etiam inter dæmones aliquis inventus est qui sacræ Scripturæ sacramenta potuerit perfecte intelligere. Unde constat quod nec etiam prophetæ et scriptores sacræ Scripturæ, nec etiam ipsi angeli sacramenta quæ ipsi pronuntiabant ad plenum intellexerunt. In quo quidam stulti et præsumptuosi condemnantur, qui intelligentiam sacræ Scripturæ sese percepisse gloriantur, in quo faciunt, ut intelligentes non intelligant. *Et ego*, inquit, *flebam multum, quoniam nemo dignus inventus est aperire librum, nec videre eum.* Sane hic innuit Joannes se tenere priorum Patrum personam, qui sacræ Scripturæ reserationem per Christum, vel non intelligebant, vel dilatam dolebant. Unde Dominus :

Multi reges et prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt (*Luc.* x). « Qualis erat Daniel, qui dicit se plorasse, jejunasse et orasse diu, quatenus mysteria visionis mereretur sibi revelari. In quo negligentia nostra confunditur, fratres, qui sacram Scripturam nec, ut oportet, intelligimus, nec ejus intelligentiam fletu, jejunio et oratione, sicut antiqui Patres fecisse leguntur, a Domino postulamus, rebus vanis intendentes et perituris. A quo autem Scripturæ liber aperiatur, exponitur, cum subditur : *Et unus de senioribus dixit mihi : Ne fleveris.* Personam tenet iste cujuslibet priorum prophetarum, qui Christi adventum annuntiando alios consolatur. *Ecce vicit leo de tribu Juda, radix David aperire librum, et solvere septem signacula ejus.* Porro leonem de tribu Juda Christum vocat, ut innuat eum esse illum de quo Jacob prædixit : « Catulus leonis Juda (*Genes.* XLIX). » Quoniam ut leo rex fortis cauda humanitatis, operiens vestigia divinitatis, et apertis oculis dormitans divinitatis in morte. Radicem David vocat eum, ut ostendat eum esse illum qui, juxta Isaiam, « habet clavem David, claudit et nemo aperit, aperit et nemo claudit (*Isa.* XXII). » Est ergo ac si dicat : In hoc quod Christus diaboli et mortis vicit difficultates, sacræ Scripturæ aperit obscuritates. *Et vidi*, inquit, *et ecce in medio throni et quatuor animalium, et in medio seniorum, Agnum stantem tanquam occisum, habentem cornua septem, et oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei, missi in omnem terram.* Sane per thronum Ecclesia significatur, quoniam per charitatem in ea Deus sedet. Per quatuor animalia, omnes quatuor partium mundi prædicatores, qui debent esse rationales et mansueti ut homo, sine terrore ferientes adversa ut leo, sese mortificantes ut vitulus, cœlestia petentes ut aquila. Per viginti quatuor seniores, Patres perfectiores tam veteris quam novæ legis, qui, utpote senatores, moribus sunt maturi, sapientia pleni, judicii potestate honorati. Inter quos omnes Christus est medius beneficio, sicut fons in medio paradisi ; et charitate, sicut ipse dicit : « Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, in medio eorum sum (*Matth.* XVIII) ; » et auxilio, sicut idem dicit : « Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi (*Matth.* XXVIII). « Unde e

A hic se vidisse eum stantem dicit : *Agnum*, inquit, *tanquam occisum.* Agnum, quia innocentem et mansuetum, et in agno præfiguratum, et tanquam agnum immolatum, tanquam occisum in humanitate, sed semper vivum in divinitate. Tanquam occisum Judæis, sed semper vivum nobis. Tanquam occisum in quotidiano sacramento, sed semper vivum in cœlo. *Habentem*, inquit, *cornua septem et oculos septem.* Per septem cornua et per septem oculos, eadem donorum Spiritus sancti universitas designatur. Dona quippe sancti Spiritus sunt cornua, id est virtutes, per quas adversarius expugnatur. Eadem sunt oculi, id est illuminationes, quibus animus illustratur. Hæc Redemptor noster non ad mensuram, sed universaliter habet, et per universum mundum, quibus vult, et B quando vult, et quantum vult præbet. *Et accepit*, inquit, *de dextera sedentis librum.* In quantum homo accepit, quod in quantum Deus semper habuit. *Et cum aperuisset librum.* Tripliciter, fratres mei, Christus librum sacræ Scripturæ dicitur aperuisse : vel figuras legis in se implendo. Unde et in morte, « velum templi scissum est (*Matth.* XXVII ; *Marc.* XV). » Vel Scripturas exponendo. Unde duobus euntibus in Emmaus, « incipiens a Moyse et omnibus prophetis, interpretabatur eis Scripturas (*Luc.* XXIV). » Vel sensum intelligendi Scripturas discipulis suis dando. Quod post resurrectionem fecit, et adhuc quotidie nobis facit, si petimus, si quærimus, si pulsamus, si cum Daniele viri desideriorum sumus, si cum fletu et jejunio et oratione ad exemplum Joannis et C Danielis instamus. Negligentibus vero, et carnalia non spiritualia quærentibus, adhuc est liber sacræ Scripturæ sigillatus ; et quando illud volunt et legunt, adhuc sicut et Judæis velamen est positum ante oculos eorum. Quanta vero laus Christum sequatur de libri apertione demonstratur, cum tam sanctorum hominum quam angelorum chori inducuntur propter hanc eum laudare. Unde et subjungitur : *Quatuor animalia et viginti quatuor seniores ceciderunt*, id est adoraverunt, *coram Agno* per fidem, *habentes singuli citharas* per confessionem, *et phialas plenas odoramentorum* per orationem. Unde exponens subdit : *Quæ sunt orationes sanctorum.* Per fidem quippe Deum cognoscimus esse D Christum ; per confessionem, tanquam per citharæ consonantiam, cum laudamus ; per orationum devotionem, tanquam per odoramenta, cum delectamus. Quia enim in harmoniis et odoramentis maxime homines delectantur, ideo sancti hic habere citharas describuntur et phialas odoramentis plenas, quatenus quantum Deus in confessione et devotione eorum demonstratur. Bene autem ait, *ceciderunt coram Agno.* Quoniam qui Christum adorat per fidem, majestatem ejus intelligens incomprehensibilem, se nihil reputat, nisi terram. Bene quoque ait, *habentes citharas* : in cithara quippe lignum et chordæ. Per lignum, crux sive mortificatio designatur. Per chordas, sanctorum membra crucis mortificatione torsa et tensa, quorum quodcunque persecutor per-

cusserit, consonam confessionem audit. Sed et cessante persecutore ipsi sancti omnia membra virtutesque suas in Dei laude cogunt consonare. Bene autem ait, *habentes phialas aureas plenas odoramentorum*. Phialæ enim, quæ sunt vasa ampla, significant chorda sanctorum per charitatem, usque ad inimicorum dilatata. Hæc sunt aurea, id est munda, et odoramentis devotionum plena. Orationes enim, quæ de corde charitativo, mundo et devoto procedunt, tanquam incensum et odoramenta ad Deum ascendunt. Bene autem sequitur post adorationem confessio, et post confessionem charitatum et mundi cordis oratio, quoniam nec fides sine confessione, maxime ubi necessaria est, nec utraque sine charitate et munditia cordis possunt Deo placere. *Et cantabant*, inquit, *canticum novum*, quoniam novum hominem de novitate mysterii ipsi innovati collaudabant. *Dignus es*, inquiunt, *Domine, aperire librum, et solvere signacula ejus.* Quare? *Quoniam occisus es, et redemisti nos Deo in sanguine tuo.* Ac si dicat : In hoc quod occisus es et nos redemisti, aperuisti sacram Scripturam, *ex omni tribu et lingua, et populo, et natione*, subaudi, nos colligens. *Et fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes.* Omnes quotquot sumus, fratres mei, si veri Christiani sumus, spiritualiter Deo nostro reges et sacerdotes sumus. Deo nostro reges sumus, si ad obsequium ejus, omnes motus cordis et corporis nostri bene regimus, pravos cohibentes, et bonos nutrientes, justitiam et pacem observantes. Deo nostro sacerdotes sumus, si in ara cordis nostri quotidie sacrificium contriti cordis et incensum devotæ orationis ei offerimus, si ei per munditiam familiares sumus, si inter eum et homines mediatores esse valemus. *Et regnabimus*, inquit, *super terram.* Ac si dicat : Illi soli in æternum regnabunt in terra viventium, qui hic omnem terrenitatem omnemque vanitatem sibi subdiderunt. Propterea in regimine domicilii nostri vigilemus, motus cordis et corporis nostri sollicite circumspiciamus, malos motus surgentes statim compescamus, carnem et omnia membra spiritui servire cogamus, mundanas illecebras, quæ mundanis hominibus imperant, nobis subdamus, quatenus regnum æternæ beatitudinis consequi mereamur, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

VIII.

DE APOSTOLIS. SERMO DE MATTHÆO.

Misit Jesus discipulos suos, præcipiens eis, et dicens (*Matth.* x), etc. Quinquepartita est hæc lectio, fratres mei. Primo quippe Dominus duodecim mittit. Secundo, quo debeant ire vel non ire. Tertio, quid prædicare. Quarto, quid agere. Quinto, quomodo innotescit. Primo igitur Dominum ostendit duodecim misisse, cum dicitur : *Misit Jesus duodecim discipulos suos.* Porro in lectione, quæ hanc præcedit, ostendit evangelista Dominum de communi discipulorum consortio duodecim elegisse, quorum et nomina ponit. Deinde hoc quod modo audivimus subjungit : *Hos duodecim misit Jesus*, etc. In quo, fratres mei, quatuor intelligenda significantur, videlicet, quod apostoli electi sint, et unde electi sint, et quot electi sint, et ad quid electi sint. Porro in hoc quod apostoli electi sunt, et a Domino, datur nobis exemplum, quoniam in Ecclesia Dei debent pastores eligi, et a Domino jejuniis et orationibus interrogato. In quo pariter sigillantur et illi qui non eliguntur, sed potius ingeruntur, et illi qui non divinitus, sed mundanitus eliguntur. In hoc quod de schola communi electorum discipulorum præeliguntur, demonstratur : quoniam nec neophyti, nec rudes, sed qui in schola sanctarum virtutum et morum præ cæteris eruditi sunt, debent eligi in pastores, ut videlicet non solum sint electi, sed etiam inter electos pastores præelecti. Quod aperte illos condemnat qui præsumunt fieri magistri antequam discipuli, docentes ea quæ non didicerunt, et super eos qui sibi et moribus et scientia præsunt magisterium habere quærunt. In hoc quoque, quod duodecim eliguntur, demonstratur nobis pastores sanctæ Ecclesiæ quam perfecti esse teneantur. Duodenarius quippe numerus perfectus est, unde et soldus sive solidus nuncupatur. Debent namque pastores sanctæ Ecclesiæ sic perfecti et solidi esse, quatenus nec prosperis, nec adversis, nec blandis, nec asperis, nec favoribus, nec terroribus cedant; imo ipsos infirmos et cadentes sustentare queant. In quo nos indigni pastores confundimur, quos adversa deterrent, blanda demulcent, ad minas potentum dejicimur, favoribus extollimur, ad instar arundinis huc et illuc agitamur, vitia potentum non corripimus, sed palpamus, justitiam exercere non audemus, nec infirmos sustentantes, nec etiam nosmetipsos sustentare jam valentes. In hoc vero quod mittuntur, ad quod electi sint demonstratur : Apostolus quippe interpretatur *missus*. Intelligant igitur pastores sanctæ Ecclesiæ se esse missos, non dominos, missos humilitatis, non elationis, missos non ministrari, sed ministrare (*Luc.* x), missos non ad honorem et ad gloriam, sed ad laborem et ad passionem. Unde in subsequentibus eis dicit : *Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos.* Tunc igitur episcopi se esse vere missos Christi intelligant, cum Christi humilitatem, paupertatem et patientiam cæterasque virtutes Christi in se exhibuerint, cum non sua, sed Christi verba prædicaverint, cum non suam, sed Christi gloriam in omnibus quæsierint, cum non solum sua, sed etiam seipsos pro fratribus posuerint. Secundo, quo ire vel non ire debeant ostendit Dominus cum dicit eis : *In viam gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne intraveritis, sed ite potius ad oves quæ perierunt domus Israel.* Cum constet Dominum propter salutem gentium venisse, unde et ipse alibi dicit : « Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, et fiet unum ovile et unus pastor (*Joan.* x), » quid est, fratres, quod hic dicit : In viam gentium ne abieritis, et in civitates Samarita-

norum non intraveritis, nisi quod ex fine facti, colligimus; quod specialiter primo venit ad Judæos quibus promissus erat; a quibus per incredulitatem repulsus transiit ad alienos. Triplici igitur de causa voluit Dominus primo Judæis et non gentibus prædicare. Primo, ut ostenderet se esse Messiam Judæis promissum in lege. Secundo, ut Judæis omnem occasionem non recipiendi Evangelium auferret, si primum illud gentibus prædicasset. Tertio, quoniam tunc erant inter Judæos qui salvandi erant, et erant inter gentes qui salvandi non erant. Nam ad prædicationem Petri uno die tria millia (*Act.* II), et alia die quinque millia (*Act.* IV) crediderunt, et cum vellent apostoli in Asiam prædicare, a Spiritu sancto prohibiti sunt (*Act.* XVI). Quam tamen Asiam postea Spiritus sanctus per apostolos convertit. Nam B dia jam est quod Asia credidit. Subtili ergo occultoque judicio quibusdam prædicatio subtrahitur, quia suscitari per gratiam non merentur.

Unde necesse est, fratres charissimi, ut in omne quod agimus occulta Dei judicia super nos timeamus, ne dum exterius mens nostra fusa a sua se voluntate non revocat, intus contra eam judex terribiliter disponat. Quod bene intuens Psalmista ait : « Venite et videte opera Domini quam terribilis in consiliis super filios hominum (*Psal.* LXV). » Vidit namque quod alius misericorditer vocatur; alius justitia occulta repellitur, et quia alia parcendo, alia irascendo disponit, expavit, quod penetrare non potuit. Et quoniam non solum investigabilem, sed etiam in quibusdam inflexibilem vidit, C terribilem esse memoravit. Moraliter vero præcepit sanctæ Ecclesiæ pastoribus, ne in viam gentium, id est, ne in errores et negotia mundanorum hominum, sequendo, eant : et in civitates Samaritanorum, id est, ne in tumultus sollicitudinum et curarum intrent, sed eant potius ad oves quæ perierunt domus Israel, id est ad ruinam animarum reparandam. Vult quippe Dominus quod prædicatores et pastores sanctæ Ecclesiæ non solum errores et publica sæcularis vitæ negotia, sed etiam omnes alias sollicitudines et curas fugiant, quatenus soli animarum reparationi incessanter intendant. Quod aperte nos indignos pastores redarguit, qui dum sæcularibus negotiis intendimus, et variis vanisque curis occupamur, nec nostrarum, nec commissarum aliarum D utilitati (sicut oportet) invigilemus. Tertio vero quod prædicare debeant ostendit Dominus, cum subjungit : *Euntes autem prædicate.* Ac si aperte dicat : Sic sitis festivi et intenti prædicationi, quod etiam eundo prædicetis, et prædicando eatis, quatenus nec via impediat prædicationem, nec prædicatio viam, ut scilicet prædicetis non solum in villis, sed etiam in viis, non solum populis, sed etiam personis, non solum civibus, sed etiam peregrinis, agricolis et viatoribus. In quo nos indigni pastores confutamur, qui ad prædicandum tardi pigrique sumus, qui diem, locum et conventum hominum exspectamus, et quando paucos habemus auditores, A prædicare contemnimus, non considerantes quoniam melius est acquirere Deo animam unam quam nullam, et quod omne illud tempus perdimus, quo luere animarum non vacamus. Nec exemplum Domini spectamus, qui soli Samaritanæ in via juxta puteum prædicare non neglexit, cujus salutem se non negligere, sed potius se esse ostendit, cum discipulis suis ait : « Ego habeo cibum manducare, quem vos nescitis (*Joan.* IV). » *Appropinquavit*, inquit, *regnum cælorum.* Tota, fratres mei, prædicatio Evangelii versatur circa finem mundi, et beatitudinem regni æterni. Hoc Dominus prædicavit, hoc apostoli, hoc sancti martyres et confessores; hæc nos prædicatores prædicamus, sed utinam, sicut voce, ita et opere! Opere finem mundi et adventum regni cœlorum prædicamus, si mundum ejusque illecebras contemnimus, si divitias, si honores, si glorias et voluptates ejus abjicimus, si toto desiderio ad aliam vitam festinamus, si propter eam quæcunque possumus [facimus]. Sed (quod sine lacrymis nequeo dicere) nos in contrarium operamur, et dum mundum et ejus cupiditates amplectimur et sectamur, et pro regno cœlorum laborare negligimus, prædicationi nostræ operibus obviamus. In quo infirmos scandalizamus, qui opera nostra considerantes, Si, inquiunt, sacerdos vel episcopus regnum cœlorum exspectaret, nequaquam mundo tantisper, mundanisque desideriis adhæreret; et sic malo exemplo nostro exorbitantes regnum cœlorum non exspectant, sed mundo adhærent, quem sic semper duraturum putant. Sed certe C ipsa ruina mundi tam nos quam illos accusat, qui nobis tacentibus jam se casurum clamat, et aliud regnum venturum demonstrat. Tot et tantis quippe miseriis et tribulationibus mundus amarescit, quod etiam ipsos amatores suos suis amaritudinibus a se repellit.

Itaque, fratres, quia mundum cadere cernimus, eum fugiamus, ne cum cadente simul cadamus. De ruina mundi nos quantocius subtrahamus, et ex ea quos possumus extrahamus, et ad mercandum regnum cœlorum præmittamus. Quarto, quid debeant agere ostendit cum subdit : *Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones ejicite.* Quia enim tunc mundus adhuc florebat, homo diu vivebat, visibilium bonorum opulentia exuberabat, et ad se homines trahebat, ut alia bona non putarent, D nisi quæ videbant, ideo sanctis prædicateribus adjuncta sunt miracula, ut virtus ostensa daret verbis fidem, et nova facerent qui nova prædicarent, quatenus per ea miracula quæ faciebant in rebus visibilibus, crederetur eis de invisilibus. Ad hoc quippe miracula coruscant, ut corda videntium ad invisibilium fidem trahant. Unde cum fides nunc ubique pene dilatata est, multi sunt in Ecclesia qui vitam quidem virtutum tenent, sed signa virtutum non habent. Nam, teste Paulo, linguæ in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus. Unde idem Paulus qui ad prædicationem suam dormientem Eutychum, cadentemque de fenestra sua, et ita mortuum coram infidelibus suscitavit (*Act.* XX), et in insula Mitilenæ infi-

delibus plena, patrem Publii dysenteria vexatum sanavit (*Act.* XXVIII), discipulum suum Timotheum infirmum verbo non curat, sed medicinali arte ei mederi patitur, dicens : « Modico vino utere propter stomachum et frequentes tuas infirmitates (*I Tim.* V). » Cur ergo, sicut infidelem, ita fidelem verbo non curat? nisi quia ille per exteriorem curationem intus curandus erat, et iste exteriori signo erudiendus non erat, qui intus salubriter vivebat. Quia igitur, fratres mei, nunc fideles exterioribus signis non egent, insistamus interiori animarum curationi, infirmos in fide, doctrina, et admonitione curemus et confirmemus. Mortuos in peccatis correctione et spirituali consilio resuscitemus ; leprosos hæresum et errorum varietate, doctrinis fidelibus emundemus ; vexatos a diaboli suggestionibus, sacerdotali opere liberemus. Quinto, quomodo hæc facienda sint ostendit, cum subdit : *Gratis accepistis, gratis date.* Præsciebat namque Dominus nonnullos ipsum sancti Spiritus donum ad avaritiam declinaturos. Unde Simon per impositionem manus edita miracula concupiscens, hoc pecunia emere voluit, ut deterius venderet quod male comparasset (*Act.* VIII). Hinc de templo Dominus flagello de resticulo turbas ejecit, cathedras vendentium columbas evertit (*Matth.* XXI). Columbas quippe vendere est impositionem manuum qua Spiritus sanctus accipitur, non ad vitæ meritum, sed ad præmium dare. Et sunt nonnulli qui quidem, etsi non conferant ordinationem, vel aliquam aliam ecclesiasticam ministrationem, propter pecuniam tamen eam conferunt, vel propter obsequium, vel propter favorem, vel propter cognationem, vel propter familiaritatem, vel propter precum instantiam, vel propter potentum timorem, vel propter aliquam aliam terrenam intentionem. Qui omnes procul dubio nec gratis, nec juste tribuunt, quoniam in tribuendo non Deum, sed terrenam causam attendunt. De quibus Psalmista : « In quorum, inquit, manibus iniquitates sunt; dextera eorum repleta est muneribus (*Psal.* XXV). » Et Isaias beatum virum describens ait : « Beatus qui excutit manus suas ab omni munere (*Isa.* XXXIII). » Ille igitur solus gratis et juste donat, qui propter Deum solum et digno donat. Itaque, fratres mei, totam vitam nostram scrutemur et circumspiciamus, caveamus ne mala quoquomodo, nec etiam bona vana intentione faciamus. Intentionem omnium voluntatum et operationum nostrarum ad Deum dirigamus, omnem vanitatem a nobis circumcidamus, mundum cum cupiditatibus suis contemnamus, paucis contenti vivamus, quæcunque possumus de ruina hujus mundi ad cœlestem patriam per manus pauperum transferamus ; illuc toto desiderio, totis viribus suspiremus et tendamus. Quod nobis annuat Pater, et Filius, et Spiritus sanctus.

COMMUNE MARTYRUM.

IX.

UNIUS MARTYRIS. SERMO.

Omne gaudium existimate, fratres, cum in tentationes varias incideritis (*Jac.* I), etc. Quadripartita est hæc lectio, fratres mei. Primo enim nos monet apostolus ut in tribulationibus nostris gaudeamus. Secundo, ut sapientiam a Deo postulemus. Tertio, promittit humili exaltationem et diviti humiliationem. Quarto, ostendit beatum esse qui habet patientiam. Primo igitur quoniam plerique nostrum, fratres mei, in adversitatibus ultramodum dolent, deficiunt et desperant, hortatur nos apostolus ne in adversitatibus doleamus, sed potius gaudeamus, dicens : *Omne gaudium existimate, fratres, cum in tentationes varias incideritis* Vocat autem adversitates et tribulationes hujus mundi tentationes, quoniam per eas tentamur utrum firmi vel infirmi simus. Has autem vocat varias, quoniam quemadmodum, juxta varietatem membrorum, est varietas medelarum, ita, juxta varietatem morum, adhibetur a summo medico varietas tribulationum. Quia namque quidam delinquunt in nimio amore et usu rerum temporalium, ideo juste puniuntur in damnificatione earum. Quia vero alii delinquunt in nimio amore conjugum, filiorum et amicorum, ideo juste puniuntur in amissione eorum. Quia quoque plures alii delinquunt in voluptate carnis propriæ, ideo juste puniuntur in ejusdem afflictione. Et de similibus similiter. Convenienter autem, juxta infirmorum æstimationem, ait, *incideritis*, quasi de alto et improviso. Infirmi quippe reputant temporalem prosperitatem esse quasi altitudinem et felicitatem : adversitatem vero quasi quamdam profunditatem et miseriam; et dum in alto prosperitatis, quasi securi requiescentes, non præconsiderant tribulationes, quasi de improviso cadunt. At sapiens, qui omnes temporales prosperitates intelligit esse, non exaltationem, sed potius insidias, tentationes et adversitates novit esse justis perutiles, quia semper eas prævidet et exspectat; cum veniunt non cadit, sed potius eas gratanter excipit. Ait ergo, fratres mei, *cum incideritis in varias tentationes, existimate omne gaudium* vobis proventurum. Porro gaudiorum, aliud est omne gaudium, aliud nullum gaudium, aliud quoddam gaudium. Omne gaudium est gaudium generale, verum et æternum. Generale, sine aliquo mœrore; verum, sine falsitate; æternum, sine fine. Unde Dominus discipulis suis ait : « Gaudebit, inquit, cor vestrum ; gaudium vestrum nemo tollet a vobis (*Joan.* XVI). » Gaudium vero nullum, est gaudium mundanum, de quo Salomon : « Risum reputavi errorem; et gaudio dixi : Quid frustra deciperis? » (*Eccle.* II.) Gaudium quoddam est gaudere inter adversitates hujus sæculi in spe gaudii futuri. Unde Apostolus : « Non solum autem, sed gloriamur in tribulationibus (*Rom.* V). » Sane hoc particulare gaudium sanctos inter miserias et tribulationes hujus mundi recreabat, consolabatur et sustinebat. Discamus igitur, fratres mei, et inter adversa hujus mundi gaudere, et inter prosperitates plangere, ut sic nec elevemur in prosperis, nec dejiciamur in adversis. Quare autem sit gaudendum inter adver

sitates, ostendit apostolus cum subdit · *Scientes quod probatio fidei vestræ patientiam operatur, patientia autem probationem, ut sitis in omnibus perfecti et in nullo deficientes.* Vocat autem tribulationem probationem fidei; ideo scilicet, quia per tribulationem fides probatur : hoc est quod Paulus dicit his verbis : « Scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia vero probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit (*Rom.* v).» Tribulatio igitur per exercitium operatur patientiam. Sicut enim pullus rudis ad prima verbera impatiens est, sed postea per exercitium quotidianum mansuescit, et freni sellæque patiens fit : ita rudis animus hominis ad primam tribulationem inhorrescit, et impatiens est; sed paulatim per frequens tribulationum exercitium mansuescit et patiens fit, præcipue cum intelligit et ordinationi Dei non esse resistendum, et se per hujusmodi esse purgandum, et non contra limam, sed contra vitium suum esse irascendum. Patientia vero operatur probationem, sive opus perfectum, id est perfectionem, quod idem est. Cum enim justus omnia adversa æquanimiter sustinet, non solum in his non murmurans, sed etiam Deum benedicens, probatur, id est perfectus esse demonstratur, juxta illud : « Aurum probat fornax, et justos persecutio tribulationis (*Prov.* xxvii). » Probatio vero operatur spem. Qui enim se per tribulationes purgatum intelligit et probatum, non vana spe, ut quidam, sed certa spe futuram gloriam præstolatur. Hæc autem spes non in homine qui mendax est, sed in Deo qui fallere non potest, posita, etsi prudentibus mundi, eo quod humana non potest asseri ratione, vana videatur, tamen non confundit, imo ad beatitudinem perducit. In qua sitis perfecti et integri, in nullo deficientes.

Secundo, nos monet apostolus ut ad intelligendum quomodo tribulationes sint nobis utiles, a Deo sapientiam postulemus, cum subdit : *Si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter*; qui *non improperat, et dabitur ei. Postulet autem* ei *in fide nihil hæsitans*, etc. Quibus verbis quatuor nobis insinuat, videlicet, qui debeat petere, et quid, et a quo, et quomodo. Qui debet petere? Qui indiget. Nam si non indiget et petit, otiose et male petit. Quod aperte est et contra illos qui res temporales, quibus abundant, adhuc sibi multiplicari petunt, et contra illos qui res sibi non necessarias, imo sibi inutiles, et honores et administrationes et hujusmodi petunt. Unde idem Jacobus in sequentibus dicit : « Petitis et non accipitis, eo quod male petatis, ut in concupiscentiis vestris insinuatis (*Jac.* iv). » Proinde, fratres mei, non nisi necessaria et proficua a Deo petamus, et si dubii sumus an illud quod petere volumus sit utile nobis, cum conditione petamus, dicentes : « Domine, da nobis illud, si scis quod expediat nobis. » Quid debeat petere? Præcipue sapientiam. Quæ petitio, haud dubium quid sit justa et expediens. Omnes enim indigemus, vel quod sapientia nobis detur, vel quod data nobis multiplicetur. Hanc Salomon a Domino sibi optionem postulanti dante, postulavit dicens : « Domine Deus, ego sum puer parvulus, ignorans ingressum et exitum meum. Da ergo cor docile servo tuo, ut possim judicare populum tuum, et discernere inter bonum et malum. Et placuit Domino et ait : Quia non postulasti, juxta verbum hominum, dies multos et divitias, et animas inimicorum tuorum, feci tibi sermones tuos. Dedi tibi cor sapiens, intantum ut nullus ante te tibi similis fuerit. Sed hæc quæ non postulasti dedi tibi, si tamen ambulaveris in viis meis, ut pater tuus (*III Reg.* iii). » Itaque, fratres mei, petamus a Domino non longævitatem, non divitias, non honores, non cætera hujusmodi vana, quæ multis fuerunt causa perditionis, sed veram sapientiam, orantes cum Sapiente : « Emitte, Domine, sapientiam de sede magnitudinis tuæ, ut mecum sit et mecum laboret, et ut sciam quid acceptum sit ante te omni tempore (*Sap.* ix). » A quo petenda est sapientia? A Deo, quoniam omnis sapientia a Domino Deo est. Frustra igitur confidis de ingenio, vel de temporali doctore, frustra studes et vigilas, quoniam non potes sapientiam obtinere, nisi a Patre luminum. *Qui dat*, inquit, *omnibus*, subaudis, digne petentibus, dat et *affluenter*, sine thesauri sui diminutione pios faciens abundare. *Et non improperat*, ut quidam homines improperantes aliis vel ignobilitatem, vel infirmitatem, vel excessum, vel hujusce-modi. Quomodo debet petere? Cum fide, cum fiducia, cum simplicitate. Et qui sic petit, procul dubio dabitur ei. Quod cum fide debeat postulare ostendit, cum dicit : *Postulet autem in fide*, videlicet firmiter credendo Deum omnipotentem hæc et cætera dare. Unde Dominus : « Si credis, inquit, omnia possibilia sunt credenti (*Marc.* ix).» Et alibi : « Si habueritis, inquit, fidem quantum granum sinapis, dicetis monti : Transfer te, et fiet (*Matth.* xvii; *Luc.* xvii). » Quod cum fiducia ostendit, cum subdit : *Postulet autem nihil hæsitans.* Hæsitat autem in postulatione quem conscientia interius mordens diffidere facit de impetratione. *Qui enim*, inquit, *hæsitat similis est fluctui maris, qui a vento movetur et circumfertur.* Fluctus enim vento cedit. Sic et ille qui per fidei incredulitatem, vel per conscientiæ pravitatem diffidit, omni vento tentationis cedit, et a Deo recedit. *Non ergo*, inquit, *existimet homo quod accipiat aliquid a Domino.* Accipere quidem potest fenum temporalium stipendiorum, cum jumentis, sed non æternæ stabilitatis.

Quod cum simplicitate debeat postulare ostendit, cum subdit : *Vir duplex animo inconstans est in omnibus viis suis*, subaudi, et ideo non potest aliquid impetrare. Propterea cum simplicitate postulandum est. Porro cum simplicitate postulamus, quando quod petimus a Deo propter ipsum postulamus. Duplex vero animo est, qui cum aliquid videatur petere a Domino Deo, et propter Deum, interius in intentione habet aliquid terrenum. Duplex etiam animo est, qui ipsam intentionem dividens, tum

propter Deum, tam propter sæculum facere intendit.

Duplex quoque animo est qui et hic gaudere cum sæculo, et in futuro regnare cum Deo quærit. Itaque, fratres, si volumus a Deo exaudiri, petamus ab eo sapientiam, cæteraque spiritualia et cœlestia dona, et petamus ea cum fidei firmitate, cum fiducia mundæ conscientiæ, cum intentionis simplicitate.

Tertio, promittit apostolus humili exaltationem, et superbo diviti humiliationem, cum subdit : *Glorietur autem frater humilis in exaltatione sua*. Ac si dicat : Licet aliquis fidelis inter tribulationes humilis et abjectus, tamen non inde doleat, sed potius glorietur, quoniam merito humilitatis suæ procul dubio exaltabitur. Præsens abjectio est parva, momentanea, et contemnenda ; futura vero sublimatio erit maxima, æterna et gloriosa. *Dives vero*, inquit, *glorietur in humilitate sua*. Ironia est. Quasi dicat : Quia modo in divitiis gloriatur, merito humiliatur. Gloria præsens est parva, brevis et contemnenda. Humiliatio vero damnationis ejus erit ingens, æterna, et perhorrenda. Quod innuit cum subdit : *Quoniam sicut flos feni transibit. Exortus est enim sol cum ardore et arefecit fenum, et flos ejus decidit, et decor vultus ejus deperit : ita et dives in itineribus suis marcescet*. Fenum quippe gradatim viret, crescit, floret, aret, perit. Sic et dives viret per prosperitatem, crescit per temporalem exaltationem, floret per mundanam gloriam, aret per mortem, perit per æternam damnationem. Hæc sunt itinera vani et superbi divitis. Flos feni cum pulcher videatur, res parva est et vilis. Sic et gloria mundi, ira Dei fervescente, decidit ; flos feni sine aliquo fructu perit, et gloria mundi sine aliqua utilitate pertransit. Unde Psalmista : « Vidi impium superexaltatum et elevatum sicut cedros Libani ; et transivi, et ecce non erat ; quæsivi eum, et non est inventus locus ejus (*Psal.* XXXVI). » Propterea, fratres mei, falsas divitias, honores, voluptates, et gloriolas mundi contemnamus, ad veras regni cœlorum divitias toto desiderio inardescamus ; propter illas præsentes tribulationes, paupertates et abjectiones pati gaudeamus.

Quarto, demonstrat apostolus illum beatum esse qui habet patientiam, cum subdit : *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se*. Quatuor dicit : quis sit futurus beatus, et in quo, et quando, et per quem. Quis ? *Qui suffert tentationem*. In quo distinguendum est, quoniam nec omnem tentationem sufferens, nec quilibet sufferens beatus erit. Tentatio quippe, alia est interior, quæ fit vel a diabolo, vel a propria carne. De qua in sequentibus dicit : *Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus*. Quorum tentationem non debemus sufferre, sed potius expugnare, et a nobis excludere. Alia exterior, quam immittit Deus, vel per se, ut morbos et infirmitates, vel per ministerium malorum, ut persecutiones vel injurias, et hujusmodi. Hanc debemus ferre patienter tanquam verbera pii patris, illata nobis vel ad purgationem, vel ad probationem, vel ad humilitatis conservationem. Quando erit beatus? *Cum probatus fuerit*. Sicut enim triticum, nonnisi prius tritura-tum, non reponitur in horreum, et sicut vinum, nonnisi prius pressuratum, non ponitur in cellarium, et sicut aurum, nonnisi prius examinatum, non ponitur in thesaurum ; ita fidelis, nisi prius purgatus et probatus, non recipitur in regnum cœlorum. Extra quippe quadrantur et poliuntur lapides et ligna ; in templo vero æternæ beatitudinis non audietur sonitus mallei vel securis. In quo erit beatus? Quia *accipiet coronam vitæ*. Corona, quia insigne regale est, significat regnum. Quia rotunda, significat perfectionem. Quia vero principio et fine caret, significat æternitatem. In hoc igitur, fratres mei, beati erimus, quod regnum et perfectionem et æternitatem vitæ cœlestis accipiemus. Regnum sine impotentia, perfectionem sine insufficientia, æternitatem sine meta. Per quem beatus erit? Non propter merita sua, sed per gratiam divinæ repromissionis : Unde subdit, *quam repromisit*, id est, iterum et iterum per prophetas, per apostolos promisit Deus qui omnipotens et verax est. *Diligentibus se :* ut igitur coronam a Deo nobis promissam consequi valeamus, Deum toto desiderio diligamus, in mandatis ejus obedientes, omnia caduca propter eum contemnentes, omnia adversa patienter sufferentes, ad ipsius promissum toto desiderio festinantes ; ipso præstante cui et honor et gloria per omnia sæcula sæculorum. Amen.

X.

UNIUS MARTYRIS. SERMO DE JOANNE.

Dixit Jesus discipulis suis : Amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit. ipsum solum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert, etc. (*Joan.* XII.) Ante adventum Redemptoris nostri, fratres charissimi, mundus oppressus erat tenebris ignorantiæ et infidelitatis ; nesciebant enim resurrectionem, nesciebant sanctorum futuram vitam, nesciebant futuram reproborum damnationem. Solam temporalem vitam noverant, et ad eam omnia referebant. Propter eam conservandam, furta, rapinas, fraudes, sacrilegia et cædes exercebant. Propter eam in omnes libidines, flagitia, scelera et abominationes defluebant. Propterea veniens Redemptor noster docuit resurrectionem, docuit vitam bonam sanctorum, et damnationem reproborum. Docuit vitam præsentem contemnendam, et mortem temporalem justis non timendam, imo tanquam introitum ad requiem exoptandam. De hoc igitur loquitur Dominus in lectione prælibata. Et hoc modo. Primo, dicit mortem suam suorumque ad instar grani seminati esse fructuosam. Secundo, dicit quod qui stulte animam suam amat, eam occidit ; et qui sapienter eam amat, eam custodit. Tertio, ad sequendum se nos exhortatur. Quarto, præmium pollicetur Igitur primo suam suorumque mor-

tem prædicit fore fructuosam, cum dicit : *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet*, etc. Granum frumenti interius candidum est, exterius rubeum, cibus est hominis, non jumentorum. Præ cæteris quoque cibis est confortativus. Redemptor quoque noster interius est candidus candore innocentiæ suæ; exterius est rubeus sanguine passionis suæ. Unde sponsa in Canticis canticorum : « Amicus meus candidus est et rubicundus (*Cant.* v). » Et Isaias : « Quis est iste qui venit de Edon, tinctis vestibus de Bosra? Quare rubrum est indumentum tuum, et vestimentum tuum sicut calcantium in torculari? » (*Isa.*, LXIII.) Cibus quoque non est animalium, id est animaliter sapientium, sed rationabilium, juxta illud; « Panem angelorum manducavit homo (*Psal.* LXXVII). » Præ cæteris quoque cibis magis confortativus est, quoniam in fortitudine cibi istius ambulamus quadraginta diebus et quadraginta noctibus usque ad montem Dei Horeb (*III Reg.* XVIII). Hinc est quod sancta Ecclesia sacramentum corporis Christi non in alio, sed tantum in pane de frumento celebrare consuevit. Quemadmodum igitur granum frumenti nisi jaciatur prius in terram, operiatur et moriatur, non renovatur nec multiplicatur; ita Christus, nisi mitteretur a Patre in terram, et nisi moreretur et sepeliretur, non per resurrectionem renovaretur, nec per fidem multorum multiplicaretur. Propter hoc enim descendit et mortuus est, ut multos sibi convocaret fratres et cohæredes. Sancti quoque apostoli et martyres, nisi per manus persecutorum in terram mitterentur et morerentur, non per resurrectionis gloriam renovarentur, nec per imitationem multorum multiplicarentur. Nos etiam, fratres mei, nisi nosmetipsos per humilitatem in terram dejiciamus, nisi membra nostra cum vitiis et concupiscentiis mortificemus, nisi ipsam corporis mortem patienter sustineamus, nec per gloriam resurrectionis renovari, nec per bona cœlestium præmiorum valebimus dilatari.

Secundo, demonstrat Dominus quod qui stulte animam suam diligit, eam occidit, cum subdit: *Qui amat animam suam perdet eam*. Stulte et male, fratres mei, animam nostram diligimus, si ejus sensualitati in ingluvie, in luxuria, in voluptate, in gloria, et in cæteris carnis satisfaciamus. Hinc quidam reprobus cum moreretur, animæ suæ dixisse fertur : « Anima mea, cur me deseris? Nonne te bene pascebamus? Nonne te bene potabamus? Nonne te bene vestiebamus? Nonne bene cæteris desideriis tuis inserviebamus? » Si sic, fratres, animam nostram diligimus, eam procul dubio destruimus, et ei damnationis æternæ mortem acquirimus. Unde et consequenter Dominus demonstrat quod qui in hoc mundo animam suam odit, eam amat, cum subdit : *Et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam*. Bene, fratres, animam nostram odimus, et ei vitam æternam acquirimus, quando concupiscentias vanaque desideria ejus odimus et mortificamus. Vitium dico, non naturam, peccata, non creaturam. Alioquin, sicut damnatur qui etiam vitia corporis et animæ nutrit, ita qui et ipsam naturam et occidit. Licet enim, fratres mei, præsentem vitam contemnere, et ad æternam toto desiderio festinare debeamus, tamen præsentem vitam non debemus præcidere, ut quidam indiscreti, qui vel nimia maceratione, vel manu propria mortem sibi intulerint, sed potius ipsam vitam præsentem patienter sustinere et in Dei servitio regere, non frangere; ipsam vero mortem vel a persecutore, vel a Deo nobis illatam suscipere cum gratiarum actione. At nos (unde dolendum est) vitam præsentem non solum non odimus, sed etiam ultra modum eam diligimus, et propterea solliciti sumus, volentes hic diu vivere, vitam futuram vel non credentes, vel quasi negligentes. Heu! quantum sumus dissimiles apostolis et sanctis martyribus, cæterisque Patribus, qui, vitam præsentem vehementer odio habentes, cum tanto desiderio et aviditate ad vitam æternam etiam per tormenta cucurrerunt, eamque potius rapuerunt quam assecuti sunt, juxta illud verbum Domini : « A diebus Joannis regnum cœlorum vim patitur, et violenti diripiunt illud (*Matth.* XI)! »

Tertio, Dominus nos hortatur ad sequendum se, cum subdit: *Qui mihi ministrat, me sequatur*. Quamvis universaliter omnes fideles qui Deo militant et obediunt, milites Christi, ministri, possunt dici, tamen specialiter Christus ministros suos nos appellat, qui ei ad altare ministramus, qui verborum ejus nuntii et prædicatores sumus, qui ejus vicem in Ecclesia tenemus. Nos igitur, fratres mei, nos præcipue eum sequi tenemur, non de longe, ut cæteri fideles de populo, sed de prope ejus vestigiis adhærere. Debemus autem sequi eum præcipue in doctrina et obedientia, in munditia, in charitate, in contemptu mundi, in humilitate, in patientia, in vitæ munditia, ut simus in conspectu Domini nostri Jesu Christi, qui non solum mundus est, sed etiam ipsa munditia est, mundi ministri. Unde ipse ait : « Sancti estote, quoniam ego sanctus sum (*Lev.* XIX). » Et illud : « Mundamini, qui fertis vasa Domini (*Isa.* XLII). » Nam si reges et domini temporales volunt habere ministros mundos, juxta quod David ait : « Ambulans in via munda hic mihi ministrabat (*Psal.* C); » quanto magis Rex regum et Dominus dominantium! Qua igitur audacia, qua fronte, tu scortator, tu pollute, audes in conspectu Dei ministrare, ad altare sacrum accedere, et filium Virginis immundis manibus contrectare? *In obedientia*, ut semper ei obedientes simus, sicut ipse obediens fuit Patri usque ad mortem; non nostram, sed suam voluntatem et gloriam semper facere quæramus, sicut ipse non suam, sed Patris voluntatem quæsivit : « Non enim veni ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem Patris mei qui misit me (*Joan.* VI). » Nec quæramus quæ nostra sunt, sed quæ Jesu Christi, sicut ipse non quæsivit suam, sed omnium utilitatem. Quod contra plerosque nostrum est, fratres mei, qui in admini-

strationibus ecclesiasticis quærimus potius quæ nostra sunt quam quæ Dei et proximorum, dum ibi lucrum potius temporalium stipendiorum quærimus quam animarum. Quærimus Ecclesiam, non ubi plus valeamus animabus proficere, sed ubi plus valeamus congregare; magis circa curam jumentorum nostrorum quam fidelium animarum, pro quibus mortuus est Christus, solliciti sumus. Sed quotquot tales sumus, procul dubio non pastores, sed mercenarii sumus. *In charitate*, ut diligamus Deum propter se, et proximum propter ipsum, juxta quod ipse præcepit dicens : « Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos (*Joan.* xv). » Diligamus autem non solum amicos, sed etiam inimicos, et benefaciamus his qui oderunt nos, et oremus pro persequentibus et calumniantibus nos, sicut ipse fecit et præcepit (*Matth.* v). Quod contra plerumque nostrum est, fratres mei, qui in eos qui in aliquo nos læserunt, vel aliquam contumeliam nobis dixerunt, animum gerimus implicatum. Sed etsi quandoque eis propter mandatum dimittimus ore, tamen adhuc rancorem retinemus in corde. Contra quos Dominus dixit : « Si diligitis eos qui vos diligunt, et si benefacitis eis qui vobis benefaciunt, quam mercedem habebitis? Nonne publicani et ethnici hoc faciunt? » (*Matth.* v; *Luc* vi.) Debemus igitur injuriantibus nobis dimittere propter duo : propter damnum cavendum, et propter utilitatem adipiscendam. Propter damnum cavendum, quoniam si non dimittimus proximis, nec Deus dimittet nobis (*Matth.* vi). Imo omnia quæ dimissa videbantur, requirit. Propter utilitatem, quoniam si dimittimus et dimittetur nobis (*ibid.*). Si misericordes sumus, misericordiam inveniemus; et mensura qua mensi fuerimus, nobis remetietur (*Matth.* vii). *In contemptu mundi*, ut quemadmodum ipse nec divitias, nec ubi caput reclinaret habere voluit (*Luc.* ix), paupertatem amavit et prædicavit; illos qui eum voluerunt constituere regem declinavit (*Joan.* vi); ita et nos divitias, honores, et gloriolas mundi, vel omnino fugiamus, vel saltem contemnamus. In quo (quod sine gemitu dicere non possum) nos confundimur, qui ista nec fugimus, nec contemnimus, sed magis et magis ambimus et amplexamur : opes opibus, vineam vineæ, domum domui aggerantes. Habentes ecclesiam, decanatum ambimus; habentes vero decanatum, episcopatum ambimus. Non est finis nostræ cupiditatis et ambitionis. Non attendimus quæ ait Apostolus : « Qui volunt fieri divites in hoc mundo, incidunt in laqueum et tentationes diaboli. Victum et vestitum habentes, iis contenti simus. Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium quia nec auferre quid possimus (*I Tim.* vi). » *In humilitate*. Ut quemadmodum ipse, cum esset Deus et Dominus omnium, se humiliavit formam servi accipiens, servis suis Mariæ et Joseph se subdens, tributum Cæsari reddens, pedes servorum suorum lavans, non ministrari sed ministrare volens, clamans et dicens, « Discite a me quia mitis sum et humilis corde (*Matth.* xi), » ita et nos non solum majoribus, sed etiam minoribus nos humiliemus. Nos cæteris minores non solum ore confiteamur, sed etiam mente sentiamus. De sola humilitate contendamus, semper aliis priorem ordinem vel fandi vel operandi, vel sedendi, vel hujusmodi concedentes. Quod contra quosdam nostrum est, fratres mei, qui semper majores videri quærimus, in contentione nulli cedere volumus. Nos humiliare, et a proximo nostro veniam postulare opprobrium reputamus, quærentes primos recubitus in cœnis, et primas cathedras in synagogis, et salutationes in foro, et vocari ab hominibus Rabbi (*Matth.* xxiii). Non attendentes quoniam quoties superexaltari volumus, diabolum imitamur; quoties vero humiliamur, Christum imitamur. *In patientia*, ut quemadmodum ipse injurias, contumelias, flagella, sputa, passionem et mortem pro nobis patienter sustinuit, ita nos pro eo hæc eadem pati non formidemus, juxta quod Petrus ait : « Christus passus est pro nobis, nobis relinquens exemplum, ut sequamur vestigia ejus (*I Petr.* ii). » Sed nos (quod sine gemitu dicere non possum) ipsas infirmitates, castigationes et adversitates, nobis pro peccatis nostris inflictas, patienter non sustinemus, sed murmuramus, et sordidamur unde purgari deberemus. Si quis nobis infert injuriam, et malum pro malo, maledictionem pro maledicto, vel si non possumus, corde ei imprecamur. Non attendentes quoniam tam injuriantes quam injuriam reddentes alieni sunt a Christo, qui dorsum suum exposuit ad flagella, et maledictus non maledixit.

Quarto, præmium pollicetur cum subdit : *Et ubi sum ego, ille et minister meus erit*, id est, in illa gloria, in illa claritate, in illo honore, in illa beatitudine, ubi ego sum substantialiter et naturaliter cum Patre, in illa erit per gratiam minister meus, qui imitationc secutus fuerit me. Quod exponens subdit : *Si quis mihi ministrat, honorificabit eum Pater meus qui in cœlis est*. Et quis honor, fratres mei, major potest esse quam esse in illa inenarrabili gloria in qua est Filius Dei? quam esse cohæredem et participem Filii Dei? Quid enim mali habet, et quid boni non habet, qui in illa æterna beatitudine cum Filio Dei semper manet? Propterea, fratres mei, vilescant nobis divitiæ, honores, gloriæ et voluptates, et quæcunque in hoc sæculo videmus; concupiscentias et illicita carnis desideria refrenemus, munditiam mentis et corporis habeamus; Deum super omnia et proximum sicut nos diligamus, viscera compassionis et misericordiæ super afflictos habeamus; Dei, non nostram voluntatem quæramus; paupertatem, humilitatem diligamus; ad promissam beatitudinem toto desiderio festinemus, adversitates et persecutiones pro Christo pati gaudeamus, illa cœlestia gaudia semper in animo nostro meditemur et ambiamus; mora nobis videatur quod in hoc sæculo moramur, parum nobis videatur quantumcunque hic pro Christo laboramus. Si sic, fratres mei, fecerimus, procul dubio illius sum-

mæ beatitudinis participes erimus. Quod meritis A sanctorum martyrum suorum largiatur nobis Dominus noster Jesus Christus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum.

XI.

UNIUS MARTYRIS. SERMO DE LIBRO SAPIENTIÆ.

Justus si præoccupatus morte fuerit, anima ejus in refrigerio erit (*Sap.* IV), etc. Cum præcipue justi patiantur in hoc sæculo tribulationes, infirmitates, et persecutiones, et plerumque gladio, vel aliqua alia morte festinata, sine testamento, et sine rerum dispositione tollantur de hoc mundo, considerantes hoc mundani homines, putant eos vel a Deo reprobatos esse, vel Deum mundana non curare. Contra igitur istam mundanorum opinionem loquitur Sapiens in hac lectione, ostendens tria : Primo quod justus quantumcunque præoccupatus videatur, tamen requiem ingreditur. Secundo, quod in bona senectute moritur. Tertio, demonstrat quare tam cito de mundo tollatur. Primo igitur demonstrat quod justus quantumcunque præoccupatus videatur, tamen requiem ingreditur. Bene autem dico, præoccupatus videatur, quoniam præoccupatus non est, sed videtur. Qui enim semper paratus exspectat mortem, præoccupari non potest. Qui vero paratus non est, etsi senex et decrepitus moriatur, tamen præoccupatus moritur. Unde Psalmista : « Viri impii non dimidiabunt dies suos (*Psal.* LIV). » At justus, cui est oneri vita præsens et qui venturam desiderat, et ad illam totis viribus se præparat, similis hominibus exspectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis. Et si in prima vel secunda, vel in tertia, vel in quarta vigilia venerit, beatus est quem dominus suus invenerit vigilantem, quoniam super omnia bona sua constituet eum (*Matth.* XXIV). Quia igitur dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet, semper, fratres mei, vigilemus, semper parati simus, mortem nobis instare semper cogitemus. Propter hoc quippe voluit Dominus mortis nostræ terminum nobis esse incertum, ut semper mortem quasi præsentem timeremus, et ad eam suscipiendam præpararemur. Secundo, demonstratur quod justus quantumcunque sit morte præoccupatus, tamen in bona senectute moritur, cum subditur : *Senectus enim venerabilis est; non diuturna*, id est non dierum neque numero annorum computata. *Cani enim sunt sensus hominis*, id est, sapientia est bona canities hominis, *et ætas senectutis vita immaculata*, id est, bona vita est bona senectus. Duæ senectutes nobis demonstrantur, una annorum, altera morum. Prima sine secunda est pessima. Prima simul et secunda, bona. Secunda sine prima, optima. Senex enim diebus et non moribus abominabilis est. Scriptum est enim : « Puer centum annorum maledictus erit (*Isa.* LXV). » Quæ enim major abominatio quam canescere corpore et non corde; mento, et non mente; quam gestare exterius rugosum senem, quam interius juvenem lasciviem tem. Tales erant illi duo senes inveterati dierum malorum, qui puellam teneram Susannam corrumpere voluerunt, sed ab ea superati sunt (*Dan.* XIII). Hujusmodi senes præ cunctis ætatibus tanto damnabiles sunt, quanto in eis nec frigiditas ætatis ardorem libidinis, nec gravitas corporis levitatem mentis superare potest. Senex vero diebus simul et moribus bonus et venerabilis est. Qui convenienter respondet maturitate cordis maturitati corporis, et candore mentis candori menti, et gravitate animi gravitati carnis. Tales erant illi duo sanctissimi senes Simeon et Anna, qui ante Deum erant justi et timorati, non recedentes a templo, servientes Deo jejuniis et obsecrationibus die et nocte, et ideo meruerunt a Spiritu sancto illustrari et responsum accipere videndi Christum, antequam morerentur, et ipsum in ulnas suas accipere et de eo prophetare (*Luc.* II). Senex vero moribus et non diebus tanto sanctior est et admirabilior, quanto virtute mentis superat naturam ætatis, observans in juventute maturitatem, in carnis calore castitatem, in ætatis levitate gravitatem. Tales senes fuerunt Daniel et pueri in fornacem missi, talis senex fuit Joseph, talis senex fuit Joannes Baptista et Joannes evangelista, tales senes fuerunt innumerabiles virgines, quæ non solum ætatem, imo etiam sexum et sæculum et etiam ipsam mortem superaverunt, et per immanitatem tormentorum ad Deum pervenerunt. Vera est igitur, fratres mei, sententia, quoniam justus quantumcunque præoccupatus moriatur, tamen non moritur nisi canus et maturus. Canitiem igitur morum et maturitatem vitæ habere satagamus, fratres mei, quam habentes, mortem securi exspectamus : præveniri a morte non possumus; non in dimidio, sed in plenitudine dierum de mundo ad cœlum transmigramus.

Tertio, demonstratur quare justi cito de mundo tolluntur. Ponuntur autem hic quinque causæ : Prima est, quoniam ideo cito de mundo tollitur, quoniam Deus diligit eum, et vult eum cito in beatitudine sua habere secum. Hanc causam innuit, cum subdit : *Placens Deo factus dilectus*. Ac si dicat : Quia placuerat Deo immaculata vita, ideo vult Deus ut fiat ei dilectus et familiaris in beata vita. Secunda est, quoniam justus ideo cito de mundo tollitur, quoniam eo dignus non erat mundus. Hanc causam ponit, cum subdit : *Vivens inter peccatores translatus est*. Ac si aperte dicat : Quia sancte vivebat inter peccatores, nec tamen peccatores ad exemplum et doctrinam ejus corrigebantur, ideo merito indignis subtrahitur ad ejus gloriam, et ad illorum confusionem. Ad ejus quippe gloriam fuit, quod inter peccatores bene vixit. Non enim gloria magna inter sanctos sancte vixisse, sed inter peccatores sancte vixisse valde laudabile est. Hinc laudatur Job cum dicitur : « Erat vir in terra Hus, nomine Job, simplex et rectus (*Job* I). » Hinc et in Canticis canticorum dicitur : « Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias (*Cant.* II) » Ad confusionem

eorum est qui nec ad exemplum, nec ad doctrinam ejus præsentem emendari voluerunt; nec festinatam sancti de inter eos subtractionem, iram Dei esse contra illos intellexerunt. Hinc etenim scriptum est: « Ecce quomodo moritur justus; et nemo percipit corde, et viri justi tolluntur, et nemo considerat. A facie iniquitatis ablatus est justus, et erit in pace memoria ejus (*Isa.* LVII.) » Hanc iram Dei, fratres, multum formidare debemus; quando videmus aliquem sanctum de medio nostrum subtrahi, ne videlicet nobis ideo subtrahatur, quia ejus contemnentes doctrinam, eo digni non eramus. Tertia causa est, quoniam aliquando justus cito de mundo subtrahitur, ne in tam lubrica hujus mundi via aliquando labatur. Hanc causam ponit cum subdit: *Raptus est ne malitia mutaret intellectum illius, aut fictio decideret animam illius*, id est ne malitia eorum cum quibus conversabatur, vel malo exemplo, vel mala doctrina, vel graviori persecutione, mutaret intellectum illius de bono ad malum, aut fictio, id est tentatio occulta, vel carnis vel diaboli, deciperet animam illius, sicut plerisque multoties evenit. Quarta causa est, quoniam ideo justus cito de mundo tollitur, quoniam in meritis erat consummatus. Hanc causam ponit cum subdit: *Consummatus in brevi explevit tempora multa.* Ac si aperte dicat: Quamvis brevi tempore vixerit, tamen plenus dierum et consummatus meritorum mortuus est, quoniam illa quæ alii per longa tempora comparant merita, iste brevi tempore comparavit. Et nonne, fratres mei, probior et felicior videtur ille qui in brevi multa perfecit quam ille qui nisi per multa tempora illa perficere non potuit? Nonne felicius est cito quam tarde ad bravium pervenire? *Placita enim*, inquit, *erat Deo anima illius.* Et propterea dedit ei in brevi perficere, quæ cæteri non faciunt nisi in longo tempore. Propter hoc, id est propter hanc et propter prædictas causas, properavit educere eum de medio iniquitatum. Quinta vero causa est quoniam ideo aliquando justum Dominus cito de mundo aufert, ut parcat laboribus ejus. Hanc causam innuit, cum subdit: *Quia gratia Dei et misericordia ejus, et respectus in electis illius.* Gratia, quando eis in via hujus sæculi gratiam virtutum confert. Misericordia, quando eos inter tribulationes, ne deficiant, sustinet. Respectus, quando cito de labore ad requiem eos transfert. Oremus igitur, fratres mei, oremus gemitibus et suspiriis Deum et Dominum nostrum, quatenus nobis servulis suis gratiam suam, per hujus mundi tenebras illuminatricem et conductricem, conferat, sustentamentum misericordiæ suæ nobis inter tribulationes hujus mundi præbeat, de hujus mundi laboribus ad refrigerium æternæ beatitudinis nos transferat. Amen.

XII.

ITEM, SERMO DE MATTHÆO. DE EODEM.

Dixit Jesus discipulis suis: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam et sequatur me (*Matth.* XVI), etc. Quadripartita est lectio ista, fratres mei. Primo enim Dominus ostendit quid facere debeamus, si eum sequi volumus. Secundo, demonstrat quare animas nostras et omnia temporalia pro eo ponere debeamus. Tertio, minatur quod ipse erubescet in futuro eos qui eum sequi modo erubescunt. Quarto, dicit quosdam discipulorum ante mortem promissum Dei regnum esse visuros. Primo igitur quid facere debeamus, si eum sequi volumus, ostendit cum dicit: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidie, et sequatur me.* Tria dicit: *Abneget semetipsum, tollat crucem suam, sequatur me.* In quibus et numerus et ordo necessarius est. Neque enim primum absque duobus sequentibus, neque duo prima absque tertio sufficere possunt. Primo igitur præcipit ut abnegemus nosmetipsos. Sunt autem, fratres mei, tres species abnegationum. Abnegare seipsum, abnegare res proprias, abnegare propriam voluntatem, et abnegare quidem seipsum, id est propria vitia, quod hic præcipitur, tenetur omnis homo, ut abnegemus non naturam, sed vitium: non quod a Deo facti sumus, sed quales nos peccando fecimus. Scriptum est enim: « Verte impios, et non erunt (*Prov.* XII). » id est, converte eos de impietate ad pietatem, et jam non erunt impii, sed potius pii. Si quis vixerat et fuerat luxuriosus, convertatur et luxuriam deserat, abnegat utique quod fuit. Si quis vixerat avarus, esse avarus desinat, abnegat utique quod fuit. Hinc Paulus postquam infidelitatem et crudelitatem deseruit, se non vivere qualis ante vivebat dicit: « Vivo, inquit, ego, jam non ego (*Gal.* II). » Quid ergo vivis? « Vivit in me, inquit, Christus (*Ibid.*). » Ac si aperte dicat: Malitia prior exstincta est in me, et Christi gratia vivit in me. Non vivo malus, sed vivo Christianus. Abnegare vero proprias res tantum est perfectorum, qui, implentes non solum præcepta, sed etiam consilia Christi dicentis: « Si vis perfectus esse, vade, et da quæ habes pauperibus, et veni, sequere me (*Matth.* X), » omnia relinquunt, et nudum Christum nudi sequuntur. Tenemur quidem ex mandato, fratres mei, omnes tam perfecti quam imperfecti cupiditatem et amorem abnegare; sed ipsas res relinquere ex mandato non tenemur, sed ex consilio admonemur, eo quod exoneratus et nudus magis expeditus sit ad viam percurrendam. Cum onere quippe cursor non potest bene currere, nec natator bene natare. Hinc Paulus: « Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet (*I Cor.* IX). » Et: « Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus (*II Tim.* II). » Dum enim in via hujus mundi simus, cum diabolo certamen habemus, qui nihil possidet in hoc mundo. Nudi ergo luctemur cum nudo: nam si vestitus quis cum nudo luctetur, facile dejicitur, quia habet unde teneatur. Propterea, fratres mei, impedimenta rerum temporalium abjiciamus, ne per ea tentati a diabolo præcipitemur, vel a cursu nostro

retardemur. Abnegare vero propriam voluntatem perfectorum est, qui non solum propria vitia et proprias res, sed etiam proprias voluntates abnegant, subdentes se mandato spiritualis patris, et jam non quod ipsi voluerunt, sed quod ipse præceperit, faciant. Omnes quidem tenemur, fratres mei, malas voluntates abnegare; sed et isti etiam suas bonas voluntates abnegant, ut jam de cætero neque etiam orare, neque jejunare, neque aliquam bonam voluntatem suam facere, nisi juxta arbitrium et voluntatem abbatis sui queant, effecti spirituales Jesu Christi imitatores, qui de seipso ait : « Non veni ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me (*Joan.* IV). » Et quis, fratres mei, melius posset facere voluntatem suam quam ille cujus voluntas semper optima est, et qui semper idem vult cum Patre? Attamen ipse dicit se non suam, sed Patris facere et quærere voluntatem, ut demonstraret nobis multo magis nos, qui frequenter malas cogitationes habemus, non debere nostras, sed potius spiritualis patris nostri et quærere et facere voluntates.

Secundo, præcipit Dominus ut qui abnegavit semetipsum, quia hoc non sufficit, aggrediatur laborem virtutum, cum subdit: *Tollat crucem suam.* Crux, fratres mei, labor et tormentum est. Præcipimur igitur crucem nostram tollere, id est laborem et tormentum virtutum acquirendarum vel per nos spontanei assumere, vel per alios impositum gratanter sustinere. Tribus quippe modis crucem tollimus, vel cum per abstinentiam et castigationem corpus nostrum affligimus, vel cum per compassionem proximi mens nostra afficitur, vel cum illatæ a persecutoribus injuriæ corpore et animo patienter sustinentur : in primo, virtutem abstinentiæ et continentiæ; in secundo, virtutem charitatis et misericordiæ; in tertio, virtutem fortitudinis et patientiæ consequentes. Primam crucem demonstrat se Doctor gentium portare, cum dicit : « Castigo corpus meum, et in servitutem redigo (*I Cor.* IX). « Secundam vero demonstrat se portare cum dicit : « Quis infirmatur, et ego non infirmor? » (*II Cor.* XI.) Tertiam vero demonstrat se ferre cum dicit : « Gaudeo nunc in passionibus pro vobis, et adimpleo quæ desunt passionum Christi in carne mea (*Col.* I). » Sed nec, fratres mei, ista cuiquam sufficiunt, nisi et tertium addatur quod subjungit Dominus, *et sequatur me.* Multi quippe crucem abstinentiæ et castigationis ferunt, sed tamen per intentionem vanæ gloriæ eam sibi inutilem reddunt. Quos bene Simon ille significat qui, inventus in itinere, crucem Domini in angaria portat (*Matth.* XXVII), quia cum ad opus bonum ex bona voluntate aliquis non ducitur, crucem justi sine fructu peccator operatur. Unde idem Simon crucem portat, sed non moritur, quia gloriosi abstinentes per abstinentiam quidem corpus afficiunt, sed per desiderium vanæ gloriæ mundo vivunt. Multi quoque crucem compassionis ferunt in animo, sed tamen per indiscretionem eam sibi inutilem reddunt, dum per falsam pietatem usque ad condescendendum vitiis eos inclinat. Compassio quippe homini, et rectitudo vitiis debetur, ut in uno eodemque homine et diligamus bonum quod factum est, et persequamur mala quæ fecit. Ne dum culpas incaute remittimus, non jam per charitatem compati, sed per negligentiam concidisse videamur. Multi quidem crucem passionum et corpore et animo portant, ut gentiles et philosophi, sed hanc sibi inutilem reddunt, dum non pro charitate et imitatione Christi, sed tantum pro vanitate philosophiæ suæ eam ferunt. Si ergo, fratres mei, has cruces nobis facere volumus, per eas Christum sequamur, ut videlicet et in cruce castigationis sequamur Christum intentione, et in cruce compassionis sequamur discretionis rectitudine, et in cruce persecutionum sequamur Christum, causa et imitatione.

Sequitur pars secunda, in qua demonstrat Dominus ob quam causam animas nostras et omnia temporalia propter eum ponere debeamus, cum subdit : *Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam. Et qui perdiderit animam suam propter me, salvam faciet eam.* Sicut sunt duæ vires animæ, sensualitas scilicet quam anima per officinas corporis exercet, et ratio, ita sunt duæ salvationes et perditiones ejus : una videlicet temporalis, et altera æterna. Et temporalis quidem animæ salvatio est, quando quis ejus sensualitatem et vitam carnalem bene custodit, eam bene pascendo, bene potando, bene vestiendo, ejusque desiderio satisfaciendo; eam nec etiam pro Christo ponere volendo. Qui sic vult animam suam salvare temporaliter, procul dubio perdet eam æternaliter. Idcirco vero temporalis animæ est, quando fidelis sensualitatem et corporalem suam vitam affligit laborando, jejunando, castigando, cupiditates et desideria ejus cohibendo, et, si locus fuerit, etiam eam pro Christo morti exponendo. Qui sic temporaliter perdiderit animam suam propter Christum, procul dubio salvam eam faciet in æternum. Sic ergo nobis loquitur Dominus cum dicit : *Qui voluerit animam suam salvam facere, perdet eam. Et qui perdiderit animam suam propter me, salvam faciet eam.* Quasi dicatur agricolæ : Frumentum si servas perdis, si seminas renovas. Nam nisi perdatur in pulvere, nec renovatur in messe. Sic ergo temporalis vita contra Deum custodita, non prodest, imo nocet. Ergo multo magis temporalia lucra propter eam facta contra Deum non prosunt, imo multum nocent. Et hoc est quod subjungit : *Quid enim prodest homini si lucretur totum mundum, se autem perdat et detrimentum sui faciat?* Persecutionis tempore ponenda est anima; pacis vero tempore frangenda est cupiditas terrena. Cum persecutio ab adversariis deest, tunc cum summa vigilantia cor custodiendum est. Nam pacis tempore, quia licet vivere, licet etiam ambire. Quam ambitionem, fratres mei, bene restringemus,

si brevitatem vitæ semper meditemur. Longa nostra desideria increpat brevis via. Quid enim magis stultum quam, decrescente via, viaticum augere, et, deficientibus diebus, dietam multiplicare?

Sequitur pars tertia, in qua Dominus minatur quod ipse erubescet in futuro eos qui erubescunt eum sequi modo, cum subjungit : *Qui me erubuerit et sermones meos, hunc Filius hominis erubescet cum venerit in majestate sua, et Patris, et sanctorum angelorum.* Hac sententia invehitur in nos, fratres mei, qui tametsi Christum ejusque sermones ore confiteri, eo quod cæteri eum confitentur, non erubescimus, tamen moribus et vita eum confiteri verecundamur. Insignia quippe Christi quæ in se ostendit et aliis prædicavit, sunt humilitas, paupertas, abjectio, patientia, passio, et hujusmodi. Cum igitur, fratres, humiliari, pauperes fieri, abjici, contemni, pati propter Christum erubescimus, nonne Christum et sermones ejus erubescimus? Si forte cum proximo jurgium fecimus, priores satisfacere verecundamur, et eum ut prior nobis satisfaciat, exspectamus. Ut quid hoc est, nisi quia magis honorari quam humiliari quærimus, et exemplum Christi sequi erubescimus? Christus enim cum discordia inter nos et ipsum, peccatis nostris exigentibus, esset, non exspectavit ut nos priores eum requireremus, sed ipse prior nos requisivit, reconciliationem nobis obtulit, legatos pacis apostolos et sequaces eorum misit, et adhuc quotidie mittit. Unde unus eorum, Paulus videlicet, dicit : « Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos : obsecramus vos, reconciliamini Deo (*II Cor.* v). » Erubescat igitur superbia nostra. Deus offensus nos peccatores per legatos suos ad pacem prior rogat venire, et nos miseri peccatoribus proximis nostris priores erubescimus satisfacere!

Sequitur pars quarta, in qua Dominus, ad promissi regni certificationem, promittit quosdam discipulorum visuros illum etiam ante mortem suam, cum subdit : *Dico autem vobis vere: Sunt hic aliqui qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis in regno suo.* Hi discipuli sunt Petrus, Jacobus et Joannes, quibus post septem dies, ut in sequentibus continetur, Dominus gloriam suam in monte Thabor transfiguratus demonstravit (*Matth.* xvii). Discipulis quippe adhuc rudibus aliquid promittendum fuit in præsenti vita, ut in fide roborarentur et in spe futuræ. Sic et Israelitico populo promissionis terra promittitur, et, cum vocandus esset ad cœlestia, terrenis promissionibus suadetur (*Exod.* iii). Ut quid hoc? nisi quia dum esset aliquid quod ex vicino perciperetur, illud jam certius crederet quod ei de longinquo promissum esset. Carnalis enim populus, si parva non acciperet, magna non crederet. Unde et de eis dicitur : « Dedit eis regiones gentium, et labores populorum possederunt, ut custodiant justificationes ejus, et legem ejus requirant (*Psal.* cv). » Et sunt adhuc non nulli, soli nomine Christiani, qui sola visibilia diligunt, invisibilia non appetunt, qui nec esse credunt. Quos sancti martyres quibus solemnizamus, redarguunt. Nunquid enim se ita promptos morti traderent, nisi constitisset eis esse vitam futuram? Et ecce illi qui ita crediderunt, et miris operibus effulserunt, et mortui sese vivere miraculis prodiunt. Ad exstincta namque corpora eorum viventes ægri veniunt, et sanantur; perjuri veniunt, et a dæmonio vexantur; dæmoniaci veniunt, et liberantur. Quam gloriose igitur vivunt ubi vivunt! Si in tot miraculis vivunt hic, ubi mortui sunt? Æternam igitur vitam, fratres, credamus firmiter, speremus et appetamus; propter eam omnia terrena contemnamus, carnales voluptates et voluntates nostras abnegemus, crucem Christi et in castigatione carnis, et in compassione proximi, et in æquanimitate persecutiones patienter feramus, vitam et doctrinam Christi omnimodo sequi studeamus, quatenus ejus beatitudinis participes esse mereamur, ipso largiente qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

XIII.

UNIUS MARTYRIS. SERMO DE LIB. SAPIENTIÆ.

Beatus vir qui inventus est sine macula, et qui post aurum non abiit, nec speravit in pecuniæ thesauris (*Eccli.* xxxi), etc. Quadripartita est hæc lectio, fratres mei. Primo quippe quis sit beatus demonstrat. Secundo, eum commendat. Tertio, unde meruerit dicit. Quarto, in quo præmium ejus consistat ostendit. Primum igitur quis sit beatus ostendit, cum dicit : *Beatus vir qui inventus est sine macula*, etc. Quis est beatus? vir scilicet qui non est mollis nec effeminatus, sed potius virilis et virtuosus. Deus enim duro milite gaudet, non eo qui otio, deliciis, voluptatibus sese præbet, sed eo qui in abstinentiis, in asperitatibus, et in laboribus sese exercet : « Non enim coronabitur, nisi qui legitime certaverit (*II Tim.* ii). » Nec pervenitur ad magnum præmium nisi per laborem magnum. Deinde virtutes beati viri exponit, cum subdit : *Qui inventus est sine macula.* Non ait qui non habuit maculam, quoniam nemo mundus a sorde, nec etiam infans cujus vita est unius diei super terram, sed *qui inventus est sine macula*, id est, qui, etsi aliquando habuit maculam, tamen lacrymis veræ pœnitentiæ eam abluit et emundavit, juxta quod Psalmista : « Beati, inquit, quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata (*Psal.* xxxi). » Vocatur autem universaliter macula criminalis peccati, specialiter vero macula vocari potest luxuria, eo quod plus quam cætera criminalitia tam corpus quam animam commaculet. Unde Apostolus : « Omne peccatum, inquit, quodcunque fecerit homo, extra corpus est. Qui autem fornicatur, in corpus suum peccat (*I Cor.* vi). » Id est, nullo peccato sic totus homo corporis ipsius voluptati addicitur, et inevitabiliter afficitur, sicut fornicatione, quoniam

in aliis peccatis, illis etiam quæ per corpus exercentur, qualia sunt ebrietas et rapina, liberum est animo in eodem tempore et aliud operari, et alibi cogitatione distendi. Qui vero fornicatur, totus absorbetur, ut animus liber non sit, sed totus homo fiat caro. *Et qui*, inquit, *post aurum non abiit*, id est quem divitiarum et ambitionum cupiditas a vitæ rectitudine non fecit deviare. Hæc duo, videlicet luxuria et cupiditas, sunt, juxta Salomonem (*Prov.* xxx), « duæ filiæ sanguisugæ, » id est concupiscentiæ, quæ semper dicunt: « Affer, affer. » Utraque enim est insatiabilis; luxuriam quippe quanto plus sequeris, tanto plus eam gestis ; et post copiam rursus pateris egestatem. Cupiditatem quoque nulla satiat abundantia, sed, more hydropici, cum plus bibit, plus sitit. Et :

Crescit amor nummi quantum ipsa pecunia crescit.

Nec speravit, inquit, *in pecuniæ thesauris*, id est, non fuit avarus pecuniæ, sed potius distributor, juxta illud : « Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi (*Psal.* cxi), » Sicut enim cupidi est non concupiscenda concupiscere, ita avari est non retinenda retinere et in eis sperare. Unde avaritia idolorum servitus ab Apostolo nuncupatur (*Col.* iii). Avarus enim nummum pro Deo colit. Itaque, fratres mei, qui non mollis mente, sit virtuosus. Qui est mente et corpore immaculatus, qui temporalia contemnit, et ea si habeat, propter Deum pauperibus distribuit, iste dicitur jam esse beatus. Ad istas igitur virtutes adipiscendas toto desiderio laboremus, quatenus et nos in numero beatorum computari mereamur.

Sequitur pars secunda, in qua prædictum laudat, cum subdit : *Quis est hic*, id est quantus est hic, *et laudabimus eum ? fecit enim mirabilia in vita sua.* Non ait mirabile, sed mirabilia. Qui enim hujusmodi virtutes in hac vita observant, tria mirabilia in se demonstrant. Mirabile raritate, quoniam mirum est quod aliquis virtuosus, immaculatus, contemptor sæculi et distributor pauperibus inveniatur in hoc sæculo, ubi sunt omnes molles, maculati, amatores sæculi, contemptores pauperum habentur, juxta illud poetæ :

Rara avis in terris nigroque simillima cycno.

(Juv. *sat.* vi, 164.)

Mirabile virtute, quoniam mirum est quod non hominis, sed divinæ virtutis est, quod homo positus in carne, non secundum carnem; in mundo, non secundum mundum ; inter homines, non secundum homines, sed potius spiritualiter, cœlitus et angelice vivat. Unde Job ad Deum clamat: « Quis potest, inquit, facere mundum de immundo conceptum semine ? Nonne tu qui solus es ? » (*Job* xiv.) Mirabile difficultate, quoniam mirum est et summæ difficultatis inter homines nocte et die conversari, et eorum pravo convictu non corrumpi, eorum sordibus non illiniri. Quid enim mirabilius quam inter ebrios et vomentes siccum et sobrium esse, quam inter contagiosos vivere sane ? *Qui in illo*, inquit, *perfectus inventus est*, id est in prædictarum virtutum exsecutione, *erit illi gloria æterna.* Magnum, mirabile et gloriosum meritum, majus, mirabilius et gloriosius præmium consequetur.

Sequitur pars tertia, in qua ostenditur unde sit meritum, cum subjungitur : *Qui potuit transgredi*, non faciendo ea quæ præcepta sunt fieri, quod proprie est delictum, *et non est trangressus*, et *facere mala* quæ prohibita sunt, quod proprie dicitur peccatum, *et non fecit.* Ex eo enim, fratres mei, quod habemus libertatem arbitrii, sive ad bonum, sive ad malum, promereri dicimur, quando scilicet malum quod facere possumus evitantes, bonum eligimus et operamur. Pro opere enim quod facere non possumus, nec pœnam nec præmium meremur. Quanto igitur majorem libertatem quis habet, tanto magis meretur, si malo evitato bonum operetur. Multum igitur meruerunt sancti, qui libertatem arbitrii, et libertatem gratiæ, et libertatem corporalem habentes, non inde (ut quidam fecerunt) tanto diffusius quanto liberius peccaverunt, juxta illud Petri : « Quasi liberi et non quasi velamen habentes malitiæ libertatem, sed sicut servi Dei (*I Pet.* ii). » Juxta igitur hanc regulam magis meretur qui in libertate quam qui in servitute vivit innocenter, qui in abundantia quam qui in paupertate vivit abstinenter, qui in populo quam qui in claustro vivit continenter. Sed quoniam quidam ad hoc se sentiunt imbecilles, præeligunt non majorem coronam, sed majorem securitatem, spontaneæ servituti, paupertati, et custodiæ se tradentes. In quo quoque merentur plurimum, si perseveranter et sponte servant promissum suum. Propterea, fratres mei, unusquisque eligat viam sibi magis aptam Qui libertate et abundantia temporali scit uti bene, eis utatur, et per eas vitam æternam mereatur. Qui vero eis bene uti non novit, spontaneam eligat subjectionem et paupertatem, quatenus arbitrio regatur alieno, qui nescit regi suo.

Sequitur pars quarta, in qua demonstratur in quo præmium justi constituatur, cum subditur : *Ideo stabilita sunt bona illius in Domino.* Justus quippe qui firma spe semper Domino adhæsit, qui ad eum omnia opera sua retulit, qui res temporales per manus pauperum ad eum transmisit, habet bona, id est præmia sua, in Deo stabilita ; in firmo firma, in æterno æterna, in beato beata. *Et eleemosynas*, inquit, *illius enarrabit omnis Ecclesia sanctorum*, et Ecclesia scilicet militans et Ecclesia triumphans. Ecclesia militans ad imitationem, Ecclesia triumphans ad laudationem. Nos quippe, fratres mei, quando narramus, vel narrari audimus quam compatiens et misericors fuit Nicolaus super afflictos, quam pius et eleemosynarius fuit Joannes patriarcha Alexandrinus, cæterique sancti super egenos, instruimur et ad similia incitamur, quatenus per similia opera ad similem coronam pervenire satagamus, quatenus bona opera nostra stabilita sint, non in terra, « ubi

tinea et ærugo demolitur, et fures effodiunt et furantur (*Matth.* v), » sed in Domino, qui pro parvis ingentia, pro caducis æterna, pro terrenis cœlestia præmia suis largitur, cui honor et gloria per omnia sæcula sæculorum. Amen.

XIV.

UNIUS MARTYRIS. SERMO DE LUCA.

Dixit Jesus discipulis: Si quis venit ad me, et non odit patrem suum et matrem, et uxorem, et fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus (*Luc.* XIV), etc. In hac sancti Evangelii lectione, fratres charissimi, demonstrat nobis Dominus quæ sint nobis necessaria, ad hoc, ut de numero electorum suorum esse valeamus. Sunt autem illa quatuor : vitia odisse, virtutes diligere, in his perseverare, nec de suis meritis, sed de sola Dei misericordia præsumere. Primum igitur nos hortatur Dominus ad odium vitiorum, cum subdit : *Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus.* Non enim in his verbis Dominus, qui alibi præcepit nobis honorare patrem et matrem, et diligere proximum (*Exod.* x), præcipit eos odio habere, sed tantum vitia ipsorum. Eo igitur modo quo debemus odisse nosmetipsos, eo modo debemus odisse parentes et proximos nostros. Debemus quippe odisse nosmetipsos, quales scilicet peccando nos fecimus, et debemus diligere nosmetipsos, quales videlicet a Deo facti sumus. Debemus persequi vitia nostra, quæ a nobis non a Deo sunt, et fovere naturam ipsam, quæ a Deo, non ex nobis est. Ita quoque in parentibus et proximis nostris vitia eorum debemus odio habere, et naturam fovere cum tanta discretione ut aliquando propter vitia eorum naturam eorum non persequamur, nec aliquando propter dilectionem naturæ vitia eorum foveamus. Propter hoc enim nomine carnalium affectuum, videlicet patrem et matrem, uxorem, et filios, et animam propriam, vigilanter posuit, ut ostenderet quod propter nullum carnalem affectum erat aliquis in peccato suo fovendus, vel contra Deum diligendus, imo propter amorem Dei, si necesse sit, omnes carnales affectus sunt abjiciendi. Quandiu carnales affectus vel animæ nostræ, vel parentum, vel filiorum nostrorum non obsistunt nobis in via Dei, eos teneamus. Si vero nos impediunt, eos abjiciamus. Certe dum Paulus Jerusalem pergeret, propheta Agabus zonam illius apprehendit, et pedibus suis alligavit, dicens : « Virum, cujus est hæc zona, sic alligabunt in Jerusalem (*Act.* XXI). » Sed qui perfecte animam suam oderat, dicebat : « Ego non solum alligari, sed etiam mori in Jerusalem paratus sum pro nomine Jesu Christi (*ibid.*). » — « Nec facio animam meam pretiosiorem quam me (*Act.* XX). » Ecce quomodo animam suam oderat, imo odiens amabat, cujus carnalem affectum abjiciebat, volens eam mori temporaliter propter charitatem Christi, ut cum eo æternaliter vivaret. Similiter si affectus parentum vel filiorum nos impediunt a charitate Dei, sicut fiebat in primitiva Ecclesia, parentibus, filiis et amicis infidelibus, fidelem a fide retrahentibus, eos tanquam alienos ignoremus. Etsi se nobis objiciant, eis calcatis ad Deum confugiamus. Pietatis enim genus est hac in re esse crudelem.

Secundo vero nos hortatur ad virtutes cum subdit : *Et qui non bajulat crucem suam et venit post me, non potest meus esse discipulus.* Multi quidem discipuli Christi fuerunt, qui tamen crucis patibulum experti non sunt. Non solum igitur crucis patibulum vocat Dominus crucem, sed etiam quamlibet corporis vel animæ laborem vel afflictionem. Porro sine magno labore et afflictione de imo ad altum, de vitiis ad virtutes ascendere non valemus. Nam vitiorum via facilis est ; virtutum vero via valde difficilis est. Unde Dominus : « Ampla, inquit, et lata est via quæ ducit ad vitam (*Matth.* VII). » Dicit igitur hic nobis Dominus quod discipuli ejus esse nequimus, nisi crucem nostram bajulemus, id est nisi laborem et difficultatem virtutum amplectamur. Sane crux ista tripliciter bajulatur ; aut enim per laborem et abstinentiam corpus castigatur, aut per compassionem proximi mens affligitur, aut cum illatæ injuriæ æquanimiter sustinentur. In primo, abstinentiam et continentiam ; in secundo, charitatem et misericordiam ; in tertio, fortitudinem et patientiam possidemus. Sed quia quidam crucem corporalis castigationis ferunt propter vanam gloriam, aut crucem compassionis propter carnalem et indiscretam pietatem, aut crucem injuriarum propter vanam gloriam, quia hi omnes crucem portant, sed Dominum non sequuntur, subjungit Dominus, *et venit post me ;* ut videlicet, fratres mei, et laborem virtutum in castigatione corporis, et in compassione mentis, et in patientia persecutionis amplectamur, et hæc tantummodo propter charitatem et imitationem Christi faciamus. Tertio quoque perseverantiam esse nobis necessariam ostendit, cum per parabolam subdit : *Quis enim ex vobis volens turrim ædificare, non prius sedens computat sumptus qui necessarii sunt, si habet ad perficiendum, ne postea cum posuerit fundamentum, et non potuerit perficere, omnes qui viderint incipiant illudere eum, dicentes : Quia hic homo cœpit ædificare, et non potuit consummare ?* Cum in ædificio Dei laborantes, bonum opus bono operi, virtutem virtuti, adjiciendo, ascensiones in corde nostro disponimus (*Psal.* LXXXIII), quid aliud quam turrim ædificamus? Sicut enim turris, ita et constructio virtutum nos ab inimicis defendit, et ad alta nos sustollit. Hanc turrim fides fundat, spes parietes erigit, charitas lapides lapidibus ligat, imaque virtus suum propugnaculum fabricat. Humilitas totum ædificium sublimat et consummat. Quam utique turrim si ædificare volumus, oportet prius ut sedentes, id est a tumultibus mundi quiescentes, sumptus computemus. Tunc sumptus computamus, cum discerni-

mus propter cœleste ædificium omne vitium esse fugiendum, virtutem esse sequendam, animam contra adversa esse præparandam, mundum contemnendum, et temporalem substantiam propter charitatem Domini nostri erogandam, et in omnibus his perseverandum. Non enim sicut ad terrenum ædificium construendum, sic ad cœleste necesse est nos expensas colligere, imo potius erogare. Hinc est quod dives cum audisset a Domino præceptum omnia relinquendi, abiit tristis (*Matth.* XIX; *Marc.* X); et tanto plus arctatus est in mente, quanto plus dilatatus fuerat in possessione. Omnes igitur hi sumptus cum perseverantia necessarii sunt nobis. Quod si in bono principio (quod absit) non perseveramus, omnes labores nostros inutiles nobis reddimus, et inimici nostri, id est dæmones et mundani homines, incipient illudere nobis dicentes : *Quia hic homo cœpit ædificare, et non potuit consummare*, teste quidem Paulo, « facti sumus spectaculum mundo, angelis et hominibus (*I Cor.* IV). » Unde in omne quod agimus occultos adversarios nostros semper cogitare debemus, qui nostris opibus insidiantur, et nisi contra eos vigilemus, patimur irrisores quos habuimus ad malum suasores. Inde est quod Psalmista rogat Dominum dicens : « Ne irrideant me inimici mei (*Psal.* XXIV) »

Quarto, demonstrat Dominus quod, postquam prædicta fecerimus, nunquam est nobis de meritis nostris, sed de sola Dei misericordia præsumendum, cum per similitudinem de minori ad majus subdit : *Aut quis rex iturus committere bellum adversus alium regem, non prius sedens cogitat si possit cum decem millibus occurrere illi qui cum viginti millibus venit ad se? Alioqui, illo adhuc longe agente, mittens legationem rogat ea quæ pacis sunt.* At Rex regum contra nos miseros peccatores ad judicium venit. Quanta igitur lacrymarum, suspiriorum et piorum operum legatione ab eo misericordiam et veniam implorare debemus, qui cum eo judicio contendere non valemus ! Hoc prævidens Psalmista, timens judicium, misericordiam rogat, dicens : « Ne intres cum servo in judicium, Domine, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens (*Psal.* CXLII). » Ille enim cum viginti millibus ad judicium contra nos venit, quoniam geminam Decalogi impletionem, quam videlicet mente et opere debueramus implere, nobis opponit. At nos si multum proficimus, vix cum decem millibus, id est cum exteriori impletione Decalogi, ei occurrimus. Nam si luxuria a carne jam abscisa est, tamen a corde funditus abscisa non est. Ille qui ad nos venit interiora simul et exteriora discutit. Quid ergo, fratres, faciemus, qui summo Regi in judicium duplo exigenti de dimidio rationem [reddere] vix valemus, nisi ut dum adhuc longe est, id est dum nos patienter exspectat et ad judicium venire differt, legationem lacrymarum, pœnitentiarum, eleemosynarum, orationum sanctarum et omnium bonorum studiorum præmittamus, et veniam misericordiæ postulemus? Cum enim prope erit nobis morientibus et ad judicium venientibus, tunc non erit tempus legandi et supplicandi, sed potius pro meritis recipiendi. Infert autem Dominus ex præmissis similitudinibus : *Sic igitur omnis ex vobis qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Ac si aperte dicat : Sicut non potest ædificium bene consummare, nisi qui cæteris commissis sedens computat sumptus, et sicut non potest secure occurrere fortiori, nisi qui, de propriis viribus diffidens, legat et rogat pacem, sic non potest meus esse electus, nisi qui renuntiat omnibus propter me. Quibus omnibus ? vitiis, affectibus, rebus et meritis. Si enim, fratres, volumus esse de numero electorum Christi, necesse est ut propter ipsum vitiis abrenuntiemus, ea penitus fugiendo; abrenuntiemus affectibus nostris, eos divinæ voluntati postponendo; abrenuntiemus etiam rebus temporalibus, eas propter cœleste ædificium erogando; abrenuntiemus quoque meritis nostris, de eis, quantumcunque benefecerimus, diffidendo, et ad solam Dei misericordiam confugiendo, per quem nos salvare dignetur qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

XV.

PLURIMORUM MARTYRUM. SERMO DE EPISTOLA AD HEBRÆOS.

Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones (*Hebr.* XI), etc. In hac lectione, fratres mei, commendat Apostolus fidem, non quamlibet, sed eam solam quæ operatur per spem et charitatem. Quidam enim fidem habent sine spe, ut dæmones. Quidam habent perceptionem veritatis invisibilium ad religionem pertinentium, cum assensione, sed tamen non habent spem salutis, sed tantum timorem damnationis. Unde Jacobus : « Dæmones, inquit, credunt, et contremiscunt (*Jac.* II). » Quidam vero habent fidem, et etiam quamdam spem salutis, sed non habent charitatem, ut quidam falsi Christiani, qui quidem credunt et sperant, sed inutiliter, cum opera charitatis non habeant. De qualibus Jacobus : « Fides, inquit, sine operibus mortua est (*ibid.*). » Quidam autem fidem et spem per charitatem operantem, ut veri Christiani. De qua vera fide Habacuc propheta ait : « Justus ex fide vivit (*Habac.* II). » Quam veram fidem superius Apostolus descripserat, dicens : « Fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium (*Hebr.* XI), » id est, fides est quæ facit jam subsistere per spem in cordibus fidelium præmia repromissa. In quo removetur fides dæmonum, quæ non est in eis substantia rerum sperandarum, sed potius timendarum. Argumentum, inquit, non apparentium, quoniam fides justorum, dum in spe futurorum præmiorum per charitatem operatur, vitia fugiendo, virtutesque sequendo, et multa dira sustinendo, argumentum est nobis resurrectionis et futuræ retributionis. Nisi enim de ea certi essent, nunquam pro ejus adeptione tanta sustinuissent. In quo revocatur fides falsorum Chri-

stianorum, qui dum non bene, sed male operantur, non ostendunt nobis argumentum quod ipsi credant, imo potius quod ipsi non credant futuram resurrectionem et retributionem. Commendat igitur Apostolus hic veram fidem justorum, ostendens duo, videlicet, et quanta justi propter fidem peregerunt, et quanta propter fidem passi sunt. Et primo quidem quanta per fidem peregerunt ostendit cum subdit : *Sancti per fidem vicerunt regna*, sicut Moyses, Josue, Gedeon, Samson, David, in Veteri Testamento; in Novo autem Constantinus per fidem crucis Christi vincit Maxentium et exercitum Barbarorum. Et Heracleus Chosroes regem Persarum, et Joannes et Paulus regem Scytharum, et multi alii reges multa regna vicerunt. *Operati sunt justitiam*, divinis præceptis obediendo, se ipsos castigando, et bonos defendendo, et malos puniendo, ut Moyses in Veteri Testamento occidens idololatras, Phinees transfigens Israelitam fornicantem cum Madianita; in Novo vero, ut Petrus qui Ananiam et Saphiram zelo justitiæ occidit; et Paulus, qui Elimam magum cæcitate percussit. Et alii multi *adepti sunt repromissiones*, ut Abraham recepit filium sibi in senectute promissum, et filii Israel terram promissionis, et Aaron promissionem sacerdotii, David promissionem regni. In Novo vero Testamento suscipiunt discipuli promissum sibi Paracletum in die Pentecostes, et efficaciam virtutum et signorum super male habentes, et omnes fideles in præsenti vita gratiam; post mortem vero, vitam sempiternam. *Obturaverunt ora leonum*, ut, in Veteri Testamento, David et Samson ora insurgentium leonum dissipando, et Daniel ora esurientium leonum, ne ipsum devorarent, constringendo; in Novo autem, leones esurientes sanctos sibi expositos non solum non læserunt, sed etiam eis paruerunt, pecudes eorum servaverunt, et ad sepelienda sanctorum corpora foveas unguibus paraverunt. *Et exstinxerunt impetum ignis*, ut tres pueri in Veteri Testamento missi a Nabuchodonosor in fornacem; in Novo autem sanctus Polycarpus, sancta Agnes, sancta Agatha, sancta Cæcilia, multique alii sancti et sanctæ incendium, ne sibi noceret, per fidem exstinxerunt. *Effugaverunt aciem gladii*, id est exercitus armatorum, ut Josue, Samson, David, in Veteri Testamento; in Novo autem Germanus Antissiodorus, et Lupus episcopus, et alii multi. *Convaluerunt de infirmitate*, ut Job et Ezechias in Veteri Testamento; in Novo autem Paulus in Lycaonia lapidatus et mortuus reputatus. Tamen per Dei misericordiam convaluit ad profectum plurimorum. Et sanctus Sebastianus a Diocletiano sagittatus, et sagittis quasi ericius obsitus, tamen per Dei gratiam convaluit, et alii multi. *Fortes facti sunt in bello*, in quo pauci multos vicerunt, duce Josue, vel Samson, vel Juda Machabæo. In Novo autem Constantinus, Theodosius, Heracleus, Carolus, multique alii imperatores et principes per fidem in bello fuerunt fortes et victores. *Castra verterunt exterorum*, id est castra inimicorum sæpe in fugam verterunt multi tam in Veteri quam in Novo Testamento. *Acceperunt mulieres filios suos mortuos de resurrectione*, id est per resurrectionem : ut eos qui per Eliam et Eliseum resuscitati sunt. In Novo vero Testamento per Petrum et Paulum, per cæterosque apostolos, et martyres, et confessores, ut per Martinum et Hilarium, perque multos alios multi resuscitati sunt.

Hæc omnia, fratres mei, etsi non corporaliter, tamen, quod melius est, quotidie facimus, si fidem operantem per charitatem habemus. Vincimus enim quotidie regna et imperia dæmoniorum, si eis resistimus, et eos a nobis et ab aliis repellimus; et etiam regna tyrannorum, si Deum plusquam eos timentes, eis pro justitia Dei obviamus. Justitiam quoque operamur, si Dei mandatis obedientes, malos corripimus, bonos defendimus, si nec etiam peccatis nostris paremus, si nos aspere castigamus. Repromissiones etiam adipiscimur, dum de bono in melius proficiendo, gratiam Dei, sicut nobis promisit, operantem et cooperantem accipimus, et sic ab hac vita migrantes, æternam accipimus promissionem. Obturamusque ora leonum, si fauces dæmonum, animas nostras esurientium, ne nobis vel aliis noceant, orationibus refrenamus. Exstinguimus etiam impetum ignis, si incendium libidinis et cupiditatis in nobis et in aliis jejuniis et orationibus consopimus. Effugamus quoque aciem gladii, si exercitus dæmonum, animas nostras jugulare quærentium, orationibus et bonis studiis a nobis propulsamus. Convalescimus quoque Dei infirmitate, si postquam nos peccasse animadvertimus, statim per pœnitentiam et emendationem ad priorem et meliorem gradum cautiores resurgimus; fortes etiam sumus in bello, si contra vitia tentationesque viriliter obluctamur. Castra quoque inimicorum in fugam vertimus, si diabolicas munitiones et insidias fortiori virtute orationum, jejuniorum et bonorum operum dissipamus; et effugamus de resurrectione mortuos suos, si filios sanctarum Ecclesiarum, in peccatis mortuos, oratione, correptione et eruditione in anima resuscitamus.

Secundo vero quanta passi sint sancti per fidem, ostendit cum subdit : *Alii autem distenti sunt*, subaudi in tormentis, non suscipientes redemptionem, id est, non curantes præsentem a tormentis liberationem, ut meliorem invenirent resurrectionem, ut in Veteri Testamento Eleazarus, qui cum uxore et septem filiis ab Antiocho variis tormentis vexatus et occisus est; in Novo autem idem martyres fecerunt innumerabiles. *Alii ludibria et verbera experti, insuper vincula et carceres.* Verbera, ut Noe et Eliseus; vincula et carceres, ut Joseph, Michæas propheta et alii multi. In Novo vero Testamento eadem experti sunt apostoli, et martyres infiniti. *Lapidati sunt*, ut, in Veteri Testamento, Jeremias in Ægypto, Ezechiel in Babylone; in Novo autem Stephanus protomartyr, et Paulus apostolus, et alii plures. *Secti sunt*, ut, in Veteri Testamento, Isaias;

in Novo vero, ut Bartholomæus apostolus et alii plures. *Tentati sunt*, subaudi promissionibus, ut Joseph ab uxore Putiphar, et Machabæi ab Antiocho. In Novo vero Testamento multi sancti promissionibus a diabolo et diabolicis hominibus tentati sunt, ut, Christo derelicto, simulacra adorarent, ut sanctus Sebastianus, sanctus Hippolytus, Joannes et Paulus, sancta Agnes, sancta Agatha, sancta Catharina et multi alii. *In occisione gladii mortui sunt*, ut in Veteri Testamento Abimelech cum 70 indutis ephod et Urias. In Novo autem Joannes Baptista, Paulus apostolus, et alii multi. *Circuierunt*, subaudi diversa mundi loca, *in melotis*, id est, vilibus et asperis tunicis tecti. Vel quod dicit in melotis, exponit subdens *in pellibus caprinis*. Dicit enim quidam melotam esse vestis genus, factæ ex pellibus caprinis, qua, propter asperitatem Elias, Joannes Baptista, et adhuc aliqui eremitæ utuntur. *Semper egentes*, subaudi necessariis, *angustiati* in animo, *afflicti* diversis tribulationibus. *Quibus*, id est quorum conversatione *non erat mundus dignus*, id est amatores mundi. *In solitudinibus errantes, in montibus, in speluncis, in cavernis terræ;* ut Elias, et filii prophetarum, quos Abdias tunc quinquagenos pavit. In Novo autem Testamento multi solitarii sic vixerunt. Hi omnes, fratres mei, et nos si vere fideles sumus, quotidie pro modulo nostro sustinemus. Si enim vere fideles sumus distendimur; etsi non in tormentis, saltem jejuniis, laboribus in anteriora nos extendentes, non suscipientes redemptionem corporalis afflictionis, ut meliorem inveniamus resurrectionem. Si vere fideles sumus, ludibria experimur a mundanis hominibus nostrum bonum propositum irridentibus, et nos vel insanos, vel hypocritas, vel impostores vocantibus. Verbera quoque frequenter patimur, vel ab homine, vel a Deo, tanquam pio patre, nos flagellis erudiente, ad nostram purgationem vel probationem. Carceres quoque, si fideles sumus, quotidie experimur, vincula scilicet divinæ legis et charitatis, quibus tenemur ne contra Dei voluntatem aut velimus aut faciamus, juxta quod Apostolus ait : « Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis (*Ephes.* IV). » Carceres quoque quotidie patitur anima nostra, et si non alios saltem angustias et molestias corporis, dum, cupientes dissolvi et esse cum Christo (*Phil.* I), cum Propheta ad Dominum clamamus : « Educ de carcere animam meam, ut confiteatur nomini tuo (*Psal.* CXLI). » Lapidamurque frequenter, si fideles sumus, a mundanis hominibus, saltem lapidibus contumeliarum injuriarum, detractionum et accusationum. Sectamur etiam ab his omnibus diversa de nobis opinantibus aliisque dicentibus : « Bonus est (*Joan.* XII), » aliis dicentibus : « Non, sed seducit turbas (*ibid.*). » Tentamur quoque a propria carne, vel a diabolo, vel a diabolicis hominibus nos seducere volentibus : contra quos opus est nobis auxilio divino et lucta quotidiana. In occisione quoque gladii morimur, si gladio verbi Dei usque ad interiora penetrantis, nos ipsos mortificamus, ut moriamur mundo, vivamus autem Deo. Circuimus quoque peregrinationem istius mundi, si intelligentes nos non habere hic « civitatem permanentem, futuram inquirimus (*Hebr.* XIII). » Et hoc in melotis, in pellibus caprinis, vel ad litteram ciliciis et sacris pœnitentialibus nos induentes, vel vilitatem, et asperitatem, et corruptionem, qua circumdamur, semper considerantes. Egentes quoque sumus, fratres mei, magis divinæ gratiæ et spiritualium virtutum quam terrenorum stipendiorum, ut dicat unusquisque nostrum quotidie cum Psalmista : « Ego vero egenus et pauper sum; Deus, adjuva me (*Psal.* LXIX). » Angustiamur quoque quotidie, cum videmus aliam legem in membris nostris repugnantem legi mentis nostræ, et captivantem nos in lege peccati (*Rom.* VII), et clamamus unusquisque nostrum cum Apostolo : « Infelix homo! quis me liberabit de corpore hujus? » (*Ibid.*). Afflicti etiam sumus pro peccatis nostris frequenter et corpore et mente, vel etiam pro alienis mente, dum considerantes infinitos divinæ legis transgressores, dicere possumus unusquisque cum Propheta ad Dominum : « Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei (*Psal.* CXVIII). » In solitudinibus quoque erramus, si mundanæ perditionis frequentata et lata itinera fugientes, et secretam vitam ducentes, mundanis hominibus errare videamur, dicentes unusquisque cum Propheta : « Ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine (*Psal.* LIV), » ad montes virtutum quotidie ascendentes, et tamen in speluncis nos humiliando, et in cavernis gloriam humanam fugiendo latitantes. *Et ii*, inquit, *testimonio fidei*, subaudi operum, *probati sunt*. Ac si dicat : Hujusmodi omnes qui tanta fecerunt et passi sunt, testimonio fidelium operum probati sunt apud Deum. Quibus nos adjuvare dignetur et præmio et merito, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Amen.

XVI

PLURIMORUM MARTYRUM. SERMO DE LUCA.

Cum audieritis prælia et seditiones, nolite terreri (*Luc.* XXI), et rel. Quoniam tribulationes et ex improviso venientes, prostrare solent etiam fortiores, ideo Dominus et Redemptor noster venturus longe ante prædixit discipulis suis perturbationes, ut tanto minus eos perturbarent quanto magis eos clypeo præscientiæ muniti essent. Primo igitur, eis prædixit tribulationes præcedentes et significantes finem mundi, et contra eas consolationem. Secundo vero, prædixit eos tenendos, et ad judices trahendos, et contra eos consolationem. Tertio, dixit eos ab inimicis occidendos, et contra hoc consolationem. Primo itaque tribulationes præcedentes et significantes finem mundi, eis prædixit cum dixit, *cum audieritis prælia et seditiones*. Porro bella, fratres mei, ad hostes pertinent, seditiones ad cives. Ut ergo nos indicet exterius interiusque turbandos, prædixit nos ab hostibus et a fratribus esse passuros. Sicut enim humanum corpus in se-

nectute patitur crebrius passiones mortis præambulas, et ab exterioribus accidentibus exterius, et ab dissonantia humorum interius, sic fiet imminente fine in corpore machinæ mundialis. *Surget enim*, inquit, *gens contra gentem, et regnum adversus regnum, et terræmotus per loca magni erunt, pestilentiæ et fames, terroresque de cœlo*, et sicut in quibusdam codicibus legitur, *et tempestates, et signa magna erunt*. Sane signa ista demonstrantur esse ventura, quædam e cœlo, quædam e terra, quædam ex elementis, quædam ab hominibus. Ait enim : *surget gens contra gentem*, ecce perturbatio hominum. *Erunt terræmotus per loca*, ecce ira Dei desuper. *Erunt pestilentiæ*, ecce inæqualitas aeris. Quia igitur omnia consummanda sunt, omnia ante consummationem perturbantur. Et qui in cunctis delinquunt, in cunctis puniuntur, ut impleatur quod scriptum est : « Pugnabit pro eo orbis terrarum (*Sap.* v). » Quia enim omnibus, quæ ad usum vitæ acceperamus, abutimur, ideo cuncta nobis in ultionem convertuntur. Bonum pacis vertimus in usum securitatis. Peregrinationem terræ pro habitatione diligimus patriæ. Salutem corporum in abusum vertimus vitiorum. Abundantia ubertatis, non ad necessitatem utimur, sed ad voluptatem. Aeris serenitatem ad mundani gaudii retorquemus vanitatem. Justum est ut cunctis feriamur, qui cunctis abutebamur, et quot ex illis habuimus prava oblectamenta, tot ex illis sentiamus tormenta. Quare autem adjunxit tempestates inter signa, nisi quia tempestates ordinem temporum non servant consuetum? Quod nuper experti sumus, qui totum tempus æstivum vidimus conversum. Porro contra hæc futura mala discipulos suos consolatur, cum addit : *Nolite terreri*. Et consequenter : *Oportet enim primum hæc fieri*, erunt enim signa ista justis ad consolationem et eruditionem. Unde prius dicitur : *His autem fieri incipientibus, levate capita vestra : appropinquavit enim redemptio nostra*. Quibusdam vero peccatoribus erunt ad pœnitentiæ festinationem. Reprobis erunt ad æternæ pœnæ inchoationem. *Sed nondum*, inquit, *statim finis*. Ultima enim tribulatio multis tribulationibus demonstratur. Et ideo debent multa mala præcurrere, ut maluin valeant sine fine nuntiare.

Sequitur pars secunda, in qua Dominus prædicit discipulis eos tenendos, trahendos et judicandos, cum subdit : *Sed ante hæc omnia injicient vobis manus, et persequentur vos tradentes in synagogas et custodias, trahentes ad reges et præsides propter nomen meum*. Ac si aperte dicat : Ideo signa et æterna damnatio sunt ventura super reprobos, quoniam ipsi prius hoc merebuntur reddendo vobis mala pro bonis. Vobis quippe volentibus eos de manu diaboli liberare injicient manus. Vos quoque volentes eos liberare ab æterni judicii damnatione, ad judicia regum et præsidum trahent. *Et hæc*, inquit, *facient vobis propter nomen meum*. Quasi dicat : Propter me vos odibunt, qui propter me vos diligere debuerant. Quæ utique causa sicut erit vobis causa coronæ, ita erit eis causa damnationis æternæ. Unde et subdit : *Continget autem vobis in testimonium*. In testimonium videlicet coronæ vestræ et in testimonium damnationis suæ; qui, vobis salutem suam quærentibus, quod est vobis causa coronæ, non crediderunt, imo et persecuti sunt. In testimonium pro vobis, et in testimonium contra illos. Unde enim vos coronam, illi inde recipient damnationem. Unde Psalmista: « Deus, laudem meam ne tacueris, quia os peccatoris, et os dolosi super me apertum est. Locuti sunt adversum me lingua dolosa, et sermonibus odii circumdederunt me, et expugnaverunt me gratis. Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi, ego autem orabam ; et posuerunt adversum me mala pro bonis, et odium pro dilectione mea (*Psal.* cvm). » Sed quis inde hujusmodi homini eventus : « Cum judicatur, exeat condemnatus (*Ibid.*) » Porto contra prædictas traditiones et accusationes consolatur Deus discipulos, cum subdit : *Ponite ergo in cordibus vestris non præmeditari quemadmodum respondeatis. Ego enim dabo vobis os*, id est eloquentiam. Et quia eloquentia sine sapientia non prodest, adjungit, *et sapientiam cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri*. Ac si dicat: Nolite præmeditari contra hujusmodi, quoniam et si vos verba profertis, ego per vos loquor; et si vos ad certamen accedilis, ego per vos pugno.

Sequitur pars tertia, in qua Dominus prædixit discipulis suis etiam ab amicis perimendos, cum subdit : *Trademini autem a fratribus, et parentibus, et cognatis, et morte afficient ex vobis*. Tolerabilius est pati ab extraneis quam ab amicis. Majorem enim dolorem nobis incutiunt tormenta ab amicis illata, quia cum damno corporis mala nos cruciant amissæ charitatis. Hinc est quod de Juda proditore per Psalmistam Dominus dicit: « Et quidem si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique. Tu vero homo unanimis, dux meus, et notus meus (*Psal.* LIV). » Et rursum : « Homo pacis meæ in quo speravi, qui edebat panes meos magnificavit super me supplantationem (*Psal.* XL). » Hæc omnia, fratres mei, in primitiva Ecclesia contingebant, quando, diabolo per ejectionem suam furente, tanta erat rabies persecutorum quod fervor idololatriæ naturalem vinceret pietatem, et filios, et amicos, quos ex vi naturæ homines solent diligere, etiam contra Deum ipsi odiebant, et persequebantur, et contra naturam et contra Deum. Sed quia eos prædixit perimendos, protinus eos consolatur, subdens: *Capillus de capite vestro non peribit*. Capillus, fratres mei, minima pars corporis nostri est, quæ etiam abscissa non sentitur. Est ergo argumentum a minori. Ac si dicatur : Si illud quod in vobis minimum est, et quod incisum non dolet, perire non potest, multo minus illud quod in vobis majus est, et quod incisum dolet, perire non potest. Mystice vero non solum ossa nostra, id est fortia gesta, vel dicta peribunt, imo remunerabuntur, sed etiam capilli, id

est bonæ cogitationes nostræ, quæ de cerebro, quasi de corde exeunt, non peribunt apud Deum, sed justa mercede donabuntur. *In patientia*, inquit, *vestra possidebitis animas vestras*. Sicut, fratres mei, impatiens non possidet animam suam, sed potius ab ira, tristitia et indignatione cæterisque animæ perturbationibus superatur, sic qui patiens est animam suam possidet, dum animæ perturbationibus dominatur. Per patientiam ergo animas, quæ corpus possident, possidemus, cum eas ad patientiæ æquanimitatem ratione gubernamus. De hoc Salomon ait: « Melior est patiens viro forti, et qui dominatur animo suo, expugnatore urbium (*Prov.* XVI). » Pauca viribus, sed omnia patientia superantur. De patientia rursus Salomon ait : « Doctrina viri per patientiam noscitur (*Prov.* XIX). » Quanto ergo aliquis est magis patiens, tanto est magis doctus. Notandum vero est quod quædam a Deo, quædam a diabolo, quædam a proximo sustinemus. A Deo quippe flagella, a diabolo tentationes, a proximo injurias toleramus. Et flagella quidem Dei sic æquanimiter portare debemus, ut non remurmuremus, sed potius, intelligentes eum omnia juste agere et paterno affectu suos castigare, cum benedicamus. Tentationes quoque diaboli vel carnis sic sustinere debemus, ut de victoria per Dei auxilium non desperemus, sed viriliter eis resistamus, ne ad delectationem vel consensum inclinemur. Injurias vero proximi sic sustinere debemus ut non ad ultionem, sed potius ad compassionem moveamur, intelligentes quoniam non qui patitur, apud Deum, sed qui facit injuriam miser. Quod utique facere poterimus si hoc ita consideremus, scilicet quod nihil patimur sine justo judicio Dei, cujus ordinationi non resistendum, et quod pro peccatis nostris juste patimur : et ideo non contra lunam nos vexantium, sed contra vitia nostra est nobis irascendum : et quod non homo, sed diabolus per ministerium hominis, cui tanquam insidet, nos persequitur. Et ideo non contra hominem, sed contra diabolum miseri hominis incessorem, est nobis præliandum, ut videlicet diabolum expellamus, et hominem ab ejus potestate eripientes, amore et beneficiis Deo lucrifaciamus. Omnes enim mali a diabolo vexantur, et quasi dementati, quid faciant non attendunt. Inde est quod Stephanus protomartyr a Judæis patitur, et eorum insaniæ compatiens orat pro eis dicens : « Domine, dimitte eis, quia nesciunt quid faciunt (*Act.* VI). » Refert B. Gregorius quod Stephanus, Pater monasterii juxta Reatinam urbem siti, fuit valde sanctus et pœnitentiæ singularis. Hic pro amore cœlestium omnia terrena despexerat, possidere aliquid in hoc fugiebat. Tumultus fugiebat hominum, crebris et prolixioribus orationibus intentus erat, tantæque patientiæ erat ut suum adjutorem crederet, si quis sibi aliquid molestiæ irrogasset. Reddebat pro contumeliis gratias, et damnum suæ paupertati illatum, suum putabat lucrum. Hunc cum dies mortis evocaret, convenerunt multi, ut sanctæ animæ animas suas commendarent. Et alii angelos ingredientes corporeis oculis viderunt, alii vero nihil viderunt, sed utrosque tantus timor invasit ut nullus, illa sancta anima egrediente, illic consistere potuerit. Pensate, fratres, quantum terreat omnipotens Deus, cum districtus judex et visibilis veniet, si sic gratus, remunerator et invisibilis assistentes terrult quando venit? Ecce servata illa et in ecclesiastica pace patientia, ad quantum gloriæ culmen illum evexit? Nullo iste gladio percussus occubuit, et tamen coronam, quam per patientiæ virtutem in merito tenuit, in remuneratione percepit. Nos quoque, fratres mei, si patientiæ virtutem servaverimus, corona martyrii nequaquam expertes futuri sumus. Quoniam Joannes evangelista bibiturus calicem passionis a Domino dicitur, qui tamen non per gladium, sed in pace legitur defunctus. Propterea, fratres mei, virtutem patientiæ teneamus, diligere inimicos et benefacere persecutoribus nostris addiscamus, quatenus oratione sanctorum martyrum comparticipes esse mereamur, largiente Deo et Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

XVII.

PLURIMORUM MARTYRUM. SERMO DE LIB. SAPIENTIÆ.

Justorum animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum malitiæ (*Sap.* III), etc. Infideles et falsi Christiani cum vident in hac vita justos deprimi, contumelias, injurias et tribulationes pati, et de hac vita per angustias et cruciatus egredi, putant vel Deum non esse, vel mortales non curare, et homines anima et corpore deperire. Nobis credentibus animas mori non posse, sed animas justorum semper beate vivere, et animas iniquorum semper pœnas luere, dicunt : Ubi sunt animæ justorum? Contra hos igitur, fratres charissimi, loquitur hic sacra Scriptura demonstrans tria : ubi scilicet animæ justorum sint, et quod illi mortui non sint, et ad quanta bona per tribulationes pervenerint. Primum igitur ostendit ubi animæ justorum sint, cum dicit : *Justorum animæ in manu Dei sunt*. Sed nonne omnia sunt in manu Dei? Sunt utique, sed alio alioque modo. Manus quippe Dei dicitur vel potestas Dei, in qua sine exceptione sunt omnia ; « quia in manu ejus sunt omnes fines terræ (*Psal.* XCIV); » vel pœna a Deo inflicta, « manus, inquit Job, Domini tetigit me (*Job* XIX). » Vel protectio Dei, unde propheta : « Manus, inquit, Domini erat mecum, confortans me (*Ezech.* III). » Sic ergo, fratres mei, justorum animæ sunt in manu Dei, quoniam sunt in protectione Dei. Quod exponens subdit : *Et non tanget illos tormentum mortis* æternæ, vel tormentum malitiæ, quod scilicet debetur malitiæ reproborum in perpetuum puniendæ. Animæ igitur justorum sunt procul dubio in cœlestibus æternæ beatitudinis mansionibus, quæ ab initio eis præparatæ sunt, dicente Domino : « In domo Patris mei mansiones multæ

sunt (*Joan.* XIV). » Ubi utique sunt? in manu Dei, omnia bona et jucunda eis largientis, et omnia mala et tristia ab eis auferentis juxta illud : « Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis sanctorum, et mors non erit amplius, neque luctus, neque clamor (*Apoc.* XXI). » Animæ vero reproborum procul dubio in pœnis gehennæ perpetuo cruciantur, quam subtus terram credimus, dicente Propheta : « Liberasti animam meam ex inferno inferiori (*Psal.* LXXXV). » Cujus in Siliciæ montibus perpetuum ignem eructuantibus multi esse autumant, eo quod animæ multæ reproborum a dæmonibus illic deferri visæ, vel auditæ sint. Refert enim Gregorius quod quidam eremita, qui in Silicia habitabat, viderit animam Theodorici tyranni et hæretici qui Symmacum et Boetium viros religiosos occiderat, in illam ollam Vulcani præcipitari. Animæ vero peccatorum, qui tamen in confessione et pœnitentia, et proposito emendationis ab hac vita migraverunt legimus, non in inferno, sed in pœnalibus locis secundum Dei dispositionem purgari, quousque penitus examinatæ, cœlestes subeant mansiones. Unde legimus in Dialogo beatum Germanum, Capuanum episcopum, Pascasii Romani diaconi animam in caloribus balneorum invenisse, et eo orante veniam consecutam fuisse. Legimus ibidem quemdam sacerdotem, valde religiosum, cum quotidie ad vicina balnea, antequam missas faceret, iret se lavatum, invenisse ibi quempiam sub miserabili habitu, qui calceamenta detraxit et ei ministravit. Cui cum in sequenti die panem deferret, respondit ei illic se defunctum esse et ibi se pœnitentiam agere, nec panc materiali egere, sed potius sacrificiis et orationibus. « Hæc, quæso, inquit, fac pro me. Et si rediens me non inveneris, scias pro certo me indulgentiam consecutum esse. » Quod et factum est.

Animæ vero reproborum quæ in tormentis gehennalibus cruciantur timent judicii diem advenire, eo quod tunc, resumptis corporibus, supplicia quoque sint eis duplicanda. Animæ vero electorum illum desiderant, eo quod tunc sicut in anima, sic in corpore sint perfectius glorificandæ. Unde Joannes in Apocalypsi : « Vidi, inquit, sub altare Dei, id est in sancta secretaque quiete, animas interfectorum propter verbum Dei, dicentes voce magna : Usquequo, Domine sanctus et verus, non judicas sanguinem nostrum, et non vindicas de his qui habitant de terra? Et datæ sunt illis singulæ stolæ albæ. Et dictum est illis ut requiescerent tempus adhuc modicum donec impleatur numerus fratrum suorum (*Apoc.* VI). » Secundo demonstratur, quod justi etsi mori videantur, tamen æternaliter et beate vivunt, cum subditur : *Visi sunt oculis insipientium mori, et existimata est afflictio exitus illorum. Illi autem sunt in pace.* Porro insipientes habent oculos tantum corporales, quos habent et bruta animalia. Spirituales vero non habent oculos, quibus Deus et invisibilia videntur, et ideo nulla alia esse æstimant, nisi quæ carnalibus oculis vident. Et ideo sola visibilia proni tanquam pecudes petunt, invisibilia vero non curant, quia nec esse suspicantur. *Et existimata est*, inquit, *afflictio exitus illorum; et quod a nobis est iter, exterminium.* Ac si apertius dicatur : Mortem justorum, quæ est exitus ad requiem et iter ab hoc sæculo ad patriam, existimant esse tantum afflictionem, id est supplicium et exterminium, id est a vita alienationem. Pulchre siquidem mortem sanctorum vocat exterminium, exitum et iter, eo quod tunc exeant et eant de carcere ad libertatem, de timore ad securitatem, de tenebris ad lucem, de tristitia ad jucunditatem, de exsilio ad patriam, de miseria ad beatudinem. *Illi autem*, inquit, *sunt in pace*, habentes videlicet pacem ab omnibus et cum omnibus a dæmonibus, ab hominibus, a propria carne. Jam quippe de cætero non dæmones possunt eos infestare, qui non longius relegati sunt, nec homines possunt eos infestare, qui ibi nisi quieti esse non possunt. Nec caro rebellionem facere, quæ a voluntate spiritus non poterit dissonare. Pacem cum omnibus, cum Deo, cum proximis, cum semetipsis. Tanta quippe, fratres mei, in illa beata vita est convenientia quod sancti nullatenus a divina voluntate, nec ab invicem poterunt dissonare.

Tertio vero, octo bona ponuntur, quæ justi per tribulationes hujus mundi adipiscuntur. Primum est immortalitas animæ et corporis, de qua subditur : *Etsi coram hominibus tormenta passi sunt, spes eorum immortalitate plena est.* Et spes quidem hypocritarum qui propter vanam gloriam patiuntur vacua est. Unde Job : « Spes, inquit, hypocritæ peribit (*Job* VIII). » Spes vero justorum, qui propter Deum patiuntur, desiderii sui consequentur plenitudinem, quoniam « absterget Deus omnem lacrymam ab oculis sanctorum, etc. (*Apoc.* XXI.) » Secundum vero est divinorum multiplicatio præmiorum, de qua subditur : *In paucis vexati, in multis bene disponentur.* Hoc est quod ait Apostolus : « Existimo quod non sunt condignæ passiones hujus temporis, ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis (*Rom.* VIII). » Passiones enim præsentes, paucæ, modicæ et momentaneæ sunt; præmia vero multa, ingentia et æterna erunt. Tertium est dignitas, de qua subditur: *Quoniam Deus tentavit*, id est probavit *illos, et invenit illos dignos se.* Quia namque per multas tentationes a Deo separari non potuerunt, ideo digni sunt meritis, quatenus ad tantam præmiorum dignitatem sublimentur, ut amici filiique Dei sint et nuncuparentur, « Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi (*ibid.*). » Quartum vero bonum, quod sancti per tribulationes adipiscuntur, omnimoda est munditia, de qua subjungitur : *tanquam aurum in fornace probavit eos.* Aurum per fornacem examinatum redditur et mundum, sic et sancti per tribulationes ab omni macula purificantur, et omnino fiunt mundi et puri, quatenus divino sint conspectu digni. Quintum est acce-

ptabilitas, de qua subjungitur : *Et quasi holocausti hostiam accepit illos.* Unum solum verum fuit holocaustum, id est, totum incensum et concrematum flamma charitatis in cruce, Dominus noster Jesus, quo Deus Pater odoratus est in odore suavitatis. Ad cujus fidem et exemplum, sancti quoque se totos in sacrificium, ardore charitatis incensum Deo obtulerunt. In quo quoque Deus in odorem suavitatis odoratus est, et ei bene placitum est. Sextum est fulgor, de quo subditur : *Fulgebunt justi.* Hoc est quod Dominus in Evangelio dicit: « Fulgebunt justi tanquam sol in regno Patris mei (*Matth.* XIII). » Et si fulgebunt sicut sol singuli, quanto magis fulgebunt simul universi ? Septimum est potestas judicandi, de qua subditur : *Et tanquam scintillæ in arundineto discurrent, judicabunt nationes*, etc. Hoc est quod Dominus in Evangelio dicit : « Vos qui secuti estis me, sedebitis super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel (*Matth.* XIX).» Porro per arundinem designatur congregatio reproborum, qui ad instar arundinis sunt leves, vacui, et flammæ destinati ; per scintillas vero, sententiæ judiciariæ significantur, quæ, ad instar scintillarum, sunt subtiles, lucidæ et succendentes. Sancti igitur tanquam scintillæ discurrent per judiciariam sententiam reproborum, eos subtiliter discernendo, manifeste judicando eos pro materia cremendorum, magis minusque æternis incendiis concremando. Octavum est dominium sive regnum, de quo subditur : *Et dominabuntur populis*, hoc est quod Psalmista dicit: « Et dominabuntur eorum justi in matutino (*Psal.* XLVIII).» Haud dubium quin reproborum. *Et regnabit*, inquit, *Dominus illorum in perpetuum.* Cum quo et ipsi regnabunt, Domino eis dicente : « Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi (*Matth.* XXV). » Quibus nos adjungi faciat Deus, et Dominus noster Jesus Christus qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus. Amen.

XVIII.

PLURIMORUM MARTYRUM. SERMO DE LUCA.

Dixit Jesus discipulis suis, Attendite a fermento Pharisæorum quod est hypocrisis (*Matth.* VIII; *Luc.* XII) et reliqua. Hæc lectio sancti Evangelii quadripartita est. Primo quippe præcipit nos Dominus, fratres charissimi, hypocrisim cavere. Secundo, non hominem sed solum Deum timere. Tertio, ipsum etiam diligere. Quarto ostendit quid confitentibus, et quid negantibus eum facturus sit. Primum igitur nos præcipit hypocrisim cavere, cum dicit : *Attendite a fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis :* Attendite, id est attendentes cavete. Cætera quippe vitia, quia aperta sunt, statim dignoscuntur. At vitium hypocrisis, quia sub specie virtutis venit, multos etiam sapientes fallit. Propterea cum majori cautela et attentione contra illud debemus vigilare. Hypocrisis est vitium colore virtutis palliatum, unde et nomen accepit, hypocrisis quippe interpretatur *in superficie deauratus.* Quod quidem vitium tanto est pejus quanto occultius. Simulata quidem æquitas, non est equitas, sed duplex iniquitas, eo videlicet quod duplicem habeat malitiam et iniquitatis et simulationis. Contra hanc cavendam nos monet Dominus alibi dicens : « Attendite a falsis prophetis qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces (*Matth.* VII). » Sunt autem hypocrisis tres species. Alii enim bona opera non faciunt, sed se facere simulant. Alii vero quædam bona opera publice faciunt, sed cum faciant propter vanam gloriam, se propter Deum facere fingunt. Alii etiam quædam bona opera quasi latenter operantur, ut ita gloriam humanam fugere videantur, sed in ipsa sua latenti operatione deprehendi desiderant, ut ex hoc majorem gloriam hominum consequantur, quia eam fugere videntur. Qui quidem, etsi non videantur ab hominibus, tamen quia hoc faciunt, ut videantur ab hominibus, receperunt mercedem suam. Bene autem Dominus hic hypocrisim vocat fermentum. Sicut enim, teste Apostolo, modicum fermenti totam massam corrumpit (*I Cor.* V), ita hypocrisis totam hominis corrumpit vitam. Sane fermentum facit panem turgidum, acidum, fistulosum et levem. Sic et hypocrisis reddit hominem turgidum propter inflammationem vanæ gloriæ, acidum propter amaritudinem vitis alienæ, quod Deus nolit sibi incorporare ; fistulosum, per vacuitatem in quo queat diabolus latibulum sibi invenire, levem propter vanitatem, quem cujuslibet favoris vel terroris causa queat huc et illuc agitare. Unde bene hypocrita per arundinem significatur, dicente Domino de Joanne Baptista : « Quid existis in desertum videre ? arundinem vento agitatam ! » (*Matth.* IX.) Arundo quippe est exterius pulchra, interius vacua, mobilis et fragilis. Sic et hypocrita pulcher videtur exterius colore virtutum mutuato, interius vacuus est ab omni bono : quolibet vento vel laudis vel vituperationis huc et illuc agitatur, irruente adversitate de facili quassatus. Inde Dominus ad beatum Job de diabolo dicit : « In umbra dormit, in secreto calami (*Job* XL), » eo videlicet quod mentes tenebrosas et simulatrices, leves et fragiles diabolus inhabitet. Bene quoque ait Dominus, fermentum Pharisæorum. Pharisæi quoque *divisi* interpretantur. Erant enim divisi a communi hominum contubernio, habitu et habitatione, victu et quarumdam observantiarum simulatione. Proprium siquidem est hypocritæ, qui singularis et solus quærit videri, fastidire communitatem, et quærere singularitatem, ut ultra cæteros appareat quatenus dicere possit : « Non sum sicut cæteri hominum (*Luc.* XVIII). » Plus blanditur sibi de jejunio uno, quod solus facit, quam si cum cæteris septem dies jejunaret, et de una oratione clam peculiari plus quam de psalmodia unius noctis. In choro primus incipit, extremus desinit. Semper præ cæteris aliquid agit qui præ cæteris videri concupiscit. Cum econtrario viri religiosi sit omnem religionem tenere, infra alios se reprimere, nec super alios videri velle. Quare autem hypocrisis sit ca-

venda demonstrat, cum subdit : *Nihil opertum quod non revelelur, et absconditum quod non sciatur.* Ac si aperte dicat : Ideo debetis hypocrisim cavere, quia profecto hic vel in die judicii illorum hypocrisis, et bonitas vestra, quæ modo est abscondita, est revelanda et remuneranda, quando, juxta Danielem, « sedebit vetustus dierum, et libri aperti erunt, et omnia omnibus manifestabuntur (*Dan.* VII). » Nihil igitur mali, adeo modo est opertum velamine simulationis, quod non revelelur, vel hic sacerdoti per confessionem ad veniam, vel in futuro omnibus per conscientiarum revelationem ad perpetuam confusionem. Nihilque boni sic modo est absconditum, per gloriæ inanis evitationem, quod non sciatur, vel hic, vel in futuro, ad remunerationem. Porro opera in tenebris, vel latibulis facta, sunt occulta. Voluntates quoque cordium sunt occultiores, intentiones et fines voluntatum sunt occultissimæ : quæ tamen omnia revelabuntur a Domino, « qui illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium (*I Cor.* IV). » Unde et subdit : *Quoniam quæ in tenebris dixistis, vel fecistis, dicentur in lumine. Et quod in aure,* id est in secreto locuti estis vel fecistis in cubiculis, *prædicabitur in tectis,* id est palam. Juxta enim morem Palæstinæ loquitur, ubi præcones desuper tecta, quæ desuper plana sunt, ad populum loquuntur. Possunt enim hæc ex parte ad præsens tempus referri, quoniam quæ discipuli Christi prius in tenebris, id est in umbra carcerum et pressurarum, et in secreto locuti sunt, nunc in Ecclesia per orbem publice prædicantur.

Sequitur pars secunda in qua Dominus præcipit non hominem, sed solum Deum timendum, cum subdit : *Dico vobis amicis meis : Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, et post non habent quid faciant. Ostendam autem vobis quem timeatis. Timete autem eum qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam.* Si bene, fratres, consideremus, Deus solus est timendus. Neque enim homines, neque dæmones, neque feræ, neque serpentes, neque alia creatura potest nobis nocere, nisi Domino permittente. Unde nec diabolus unam solam oviculam Job tangere potuisset, nisi prius potestatem a Domino accepisset (*Job* I). Non in gregem porcorum potuit intrare, nisi Domino permittente (*Marc.* V). « Non enim est potestas nisi a Deo (*Rom.* XIII). » Unde Dominus Pilato dixit : « Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper (*Joan.* XIX). » — « Non est, inquit, malum in civitate, quod non faciat Deus (*Amos* III). » Omnium igitur pœnarum Deus auctor est; dæmones vero vel homines, ministri. Unde Dominus pessimum regem Assyriorum, per quem idololatras Israelitas flagellabat, virgam suam vocat dicens : « Virga furoris mei Assur (*Isa.* X). » Non ergo diabolus, non homo, non fera, non serpens, non aliqua alia creatura timenda est, sed potius Deus solus in his omnibus timendus est, qui per ista quos vult flagellat, tanquam per instrumenta. Qui ergo Deum secum habere potest, nihil timere potest. Unde Apostolus; « Si Deus pro nobis, quis contra nos? (*Rom.* VIII)? » Ac si aperte dicat : Si Deus pro nobis est, et si quis videatur esse contra nos, tamen pro nobis est, dum ea quæ infert, non solum non obsunt, sed etiam prosunt nobis. Unde et scriptum est : « Qui timet Deum, nihil trepidabit (*Eccli.* XXXIV). » Et philosophus : Qui timet Deum, nihil timet. Et qui timet Deum, omnia timent eum. Qui vero non timet Deum, timet omnia. Itaque, fratres mei, Deum super omnia offendere timeamus, quoniam si Deum nobiscum habemus, nihil timere possumus : scientes, si Deus timentibus se flagella, tribulationesque permittit evenire, tamen eas in bonum faciet eis provenire

Sequitur pars tertia, in qua demonstrat Deum etiam cum timore diligendum, cum subjungitur : *Nonne quinque passeres veneunt dipondio,* id est duobus assibus, *et unus ex illis non est in oblivione coram Deo? Nolite ergo timere, multis passeribus pluris,* subaudi pretii, *estis vos.* Ac si dicatur : Deum non solum timere, sed etiam diligere debetis, qui tantæ benignitatis est, quod vilibus volatilibus, et, quod majus est, suis contemptoribus providere non obliviscitur. Et quanto magis nobis rationalibus suis dilectoribus providebit, defensionem suam præbebit? Mystice vero quinque passeres sunt homines mundani, quinque sensibus corporis dediti, qui sursum volant per inanem gloriam, deponuntur in terram per terrenorum dilectionem, vivunt de alieno per rapacitatem, capiuntur a diabolo per deceptionem, venеunt dipondio, id est, vili pretio terrenæ cupiditatis et voluptatis, in æternam animæ et corporis damnationem. Sed si Deus memor est etiam talium vel eis corporalia subsidia præbendo, vel etiam multoties per pœnitentiam ad salutem vocando, quanto magis fidelium suorum, qui ei semper adhærent, eum toto corde diligunt, et ei in omnibus obtemperant? *Sed et capilli,* inquit, *vestri capitis, omnes numerati sunt.* Ac si dicat : Non hominem, sed solum Deum timere et diligere debetis, a quo non solum animæ vestræ et corpora vestra, sed etiam quælibet vestri minimæ particulæ et quæ abcissæ non sentiuntur, numero suo conservantur. Non debetis ergo timere quod cætera majora in vobis pereant, cum nec etiam ista minima, Domino conservante, in vobis perire queant. Mystice vero capilli capitis vestri, id est subtiles cogitationes cordis vestri, apud Deum numerantur, quoniam nec subtilitas, nec multitudo earum, summum judicem fallere possunt, qui pro singulis et pro omnibus retributionem est redditurus. Si ergo Deus non solum facta et dicta, sed etiam minimas cogitationes ad judicium reservat, quanta diligentia debemus, fratres mei, cor nostrum custodire, ne malæ vel vanæ cogitationes in eo surgant, vel ne surgentes crescant, sed statim parvuli Babylonis teneantur, et ad petram Christum allidantur.

Sequitur pars quarta in qua Dominus ostendit

quid se confitentibus vel negantibus sit facturus. Primum igitur quid se confitentibus sit facturus ostendit, cum subdit : *Omnis quicunque confessus fuerit me coram hominibus, et Filius hominis confitebitur eum coram angelis Dei.* Confessio, fratres mei, non est tantum oris. Qui enim Christum solo ore prædicat, fatetur quidem eum, sed non confitetur. Unde Dominus : « Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me (*Matth.* xv). » Sed tunc est confessio vera, quando cor, os, opus sunt consonantia. Non enim sufficit sola fides cordis, nisi adsit, maxime quod necessarium est, confessio oris. Unde et Petrus, corde credens et ore negans Christum, damnationem incurrisset, nisi peccatum lacrymis pœnitentiæ diluisset. Ut enim ait Paulus : « Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem (*Rom.* x). » Sed nec fides cordis, nec confessio oris, sufficiunt, si non sequatur, si tempus adfuerit, attestatio operis. Teste enim Jacobo, « fides sine operibus mortua est. Dæmones enim credunt et contremiscunt (*Jac.* ii). » Unde in Evangelio dicunt, « Fili Dei, ut quid venisti ante tempus torquere nos? » (*Matth.* xviii.) Qui ergo vult Christum vere confiteri, cum simul corde, ore et opere confiteatur. Et etiam coram hominibus, ut videlicet Christi humilitatem, passionem, crucem, cæteraque improperia Christi, nec confiteri, nec imitari timeat vel erubescat, coram hominibus publice, ubi scilicet talis confessio pluribus per exemplum potest prodesse. Et quid Christus faciet sic se confitentibus? *Confitebitur illum coram angelis Dei.* Quasi dicat : Publice confitentes, publice confitebitur. Confitebitur quoque eos corde, ore, opere. Corde, eos tanquam fratres et cohæredes vere diligendo : ore, eis dicendo : « Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi (*Matth.* xxv). » Opere, eos in regnum æternæ beatitudinis introducendo. Quid vero facturus sit negantibus se, subdit : *Qui autem negaverit me coram hominibus, negabitur coram angelis Dei.* Omnes profecto qui negant Christum, vel corde, ut Judæi et pagani, vel ore, ut imperfecti Christiani, qui timent pro eo mori, vel opere, ut falsi Christiani, qui verbis quidem confitentur Deum, factis autem negant; omnes, inquam, isti negabuntur a Christo, similiter corde, ore, et opere : Corde, eos odiendo et reprobando; ore, eis dicendo : « Recedite a me, operarii iniquitatis (*Matth.* vii); » opere, eos in ignem æternum præcipitando. Itaque, fratres, confiteamur Christum : eum corde vere credendo et diligendo; ore, eum semper benedicendo; opere, ejus vitam et mores imitando, paupertatem et humilitatem, patientiam, charitatem, cæterasque ejus virtutes æmulando, ejusque præceptis obediendo, quatenus ipse nos confiteatur in die judicii, et cum sanctis suis æternorum participes faciat gaudiorum. Amen.

XIX.

PLURIMORUM MARTYRUM. SERMO DE LIBRO SAPIENTIÆ.

Stabunt justi in magna constantia adversus eos qui se angustiaverunt et abstulerunt labores eorum (*Sap.* v), etc. Quoniam, fratres, in hoc mundo, justi spoliantur, opprimuntur et vexantur ab iniquis, unde justi multoties contristantur et conturbantur; et econtrario, iniqui in spoliis et oppressione justorum gloriantur, ideo ad consolationem justorum et correctionem peccatorum, demonstratur in hac lectione, primo, quantam potestatem justi super malos in resurrectione sint habituri; secundo, quid iniqui sint passuri; tertio, quid de sua miseria justorumque gloria sint dicturi. Primum igitur quantam potestatem justi super malos in judicio sint habituri demonstratur, cum dicitur : *Stabunt justi in magna constantia adversus eos qui se angustiaverunt*, etc. Sed cum Dominus in Evangelio dicat justos in judicio super duodecim sedes sessuros, et duodecim tribus Israel judicaturos, quid est quod hic dicitur *stabunt?* Quoniam judicantis est sedere, et ultionem exercentis stare. Unde et de Phinees perforante propter justitiam Israelitam cum Madianita fornicantem, sic scriptum est : « Stetit Phinees, et placavit, et cessavit quassatio (*Psal.* cv). » Qui enim justitiam in reos exercet, stare debet, stare in virtute, stare in rectitudine, stare in rigore. Stare debet in virtute. Nam si in vitium defluit, quomodo vitiosum damnabit? Quomodo enim adulter adulterum, avarus avarum, latro latronem damnare potest? hinc Veritas dicit : « Qui sine peccato est, primus in adulteram lapidem mittat (*Joan.* viii). » Stare debet in rigore, ut scilicet nulla misericordia a rigore promeritæ sententiæ reflectatur. Nam ut philosophus ait : « Judex damnatur, cum nocens absolvitur. » Stare debet in rectitudine, ut quanta pœna debet et quanta intentione debet, damnandos damnet. Bene igitur dicitur de justis quoniam stabunt in magna constantia. In constantia videlicet virtutis, in constantia rigoris, in constantia rectitudinis et justitia confirmati. Tunc, fratres mei, erit tempus exercendæ justitiæ in malos, sicut nunc est tempus exercendæ misericordiæ et patientiæ in illos. Dominus namque in primo adventu suo venit vocare peccatores per patientiam et misericordiam; in secundo veniet judicare peccatores per justitiam. Sic justi exercent nunc in malos misericordiam et patientiam, in futuro vero exercebunt tantum justitiam et pœnam. Tunc erunt electi sic conjuncti divinæ voluntati quod nihil poterunt velle, nisi quod scient Dominum velle. Et nihil poterunt amare nisi quod sciant Dominum amare. Unde nec super damnationem parentum et amicorum suorum movebuntur, sed potius divinæ justitiæ consentient et congratulabuntur, juxta illud Psalmistæ : « Lætabitur justus cum viderit vindictam (*Psal.* lviii). » Adversus, inquit, eos, qui se angustiaverunt, et qui abstulerunt labores eorum. Dupliciter angustiant mali bonos in hoc mundo, vel eis mala inferendo, vel eorum bona contemnendo. Licet enim nulla alia mala inferant, tamen eos multum in hoc, in mente affligunt et cruciant, quod Deum contemnunt. quod

mandata ejus abjiciunt, quod verba salutis nec audire volunt. Hinc Psalmista : « Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei (*Psal.* CXVIII). » — « Zelus domus tuæ comedit me (*Psal.* LXVIII). » Dupliciter quoque auferunt mali labores justorum, vel eorum temporales substantias diripiendo, vel labores quos justi propter conversionem eorum in corripiendo et admonendo suscipiunt, inanes faciendo. Unde eis a Domino præcipitur quatenus pulverem pedum suorum excutiant in illos qui verba eorum accipere noluerunt, in testimonium illis (*Matth.* x). Unde merito justi stabunt in magna constantia, sententia adversus eos, quatenus sicut illi labores sanctorum abstulerunt, ita et labores eorum auferantur, quoniam relinquent alienis divitias suas, et sepulcra eorum domus illorum in æternum (*Psal.* XLVIII). Sed si forte fecerint aliquem bonum laborem, auferetur ab eis, ne valeat eis ad salutem. Et sicut illi sanctos angustiaverant, ita ipsi in incendiis gehennalibus, et anima, et corpore in æternum angustiantur, juxta quod in Apocalypsi Dominus dicit ad sanctos suos, a synagoga reproborum vexatos : « Reddite, inquit, illi, sicut ipsa reddidit vobis ; et duplicate duplicia secundum opera ejus. In poculo quod miscuit vobis, miscete illi duplum. Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date ei tormentum et luctum (*Apocal.* XVIII). »

Secundo demonstrantur quatuor supplicia, quæ reprobi generaliter in alia vita sunt passuri : Primum est terror, de quo subditur : *videntes turbabuntur timore horribili.* Porro in hoc quod præmittit, *videntes*, unde tantus timor eis eveniat, demonstrat, quoniam, ex visione majestatis tremendi judicis, et omnium sanctorum quos videbunt contra se sententiam damnationis ferre ; ex visione quoque terribilium dæmonum, quibus videbunt se tradi ; ex visione etiam infernalium tormentorum quæ videbunt sibi præparata esse. Sed majestatem summi judicis sanctorumque, non nisi ante judicium, vel in ipso judicio videbunt. Post judicium enim nullatenus videre poterunt eos. Scriptum est enim : « Tollatur impius ne videat gloriam Dei (*Isa.* XXVI). » Sancti vero reprobos in tormentis semper videre poterunt, quatenus videntes supplicia, vel quæ peccando ipsi incurrerunt et quæ ipsi evaserunt, semper causas glorificandi, et hinc Dei misericordiam, inde Dei justitiam collaudandi habeant. Secundum supplicium est invidia, de qua subditur, *et mirabuntur*, id est, mirantes invidia cruciabuntur *in subitatione insperatæ salutis*, nascitur enim invidia ex admiratione et ex odio. Quia namque reprobi, illos quos oderant, videbunt subito et ex insperato apud Deum glorificatos, invidia cruciabuntur intus, et tabescent, sentientes inde tot et tantas cruciationes, quot et quantas videbunt in sanctis glorificationes. Quantum enim supplicium sit invidia ostendit Salomon dicens : « Putredo ossium, invidia (*Prov.* XIV). » Quasi dicat, non solum carnes, sed etiam ossa tabefacit. Et poeta :

Justius invidia nihil est, quæ protinus ipsum
Auctorem punit, excruciatque suum.

Et alius :

Invidia Siculi non invenere tyranni
Majus tormentum.

(HORAT. *Epist.* lib. I, vers. 57, 58.)

Tertium est pœnitentia, de qua subjungitur : *intra se pœnitentes.* Sane reprobi, qui in hoc sæculo pœnitere noluerunt, tunc, velint nolint, in æternum pœnitebunt. Extorquebit enim ab eis pœnitentiam, hinc, publica confusio cunctarum turpitudinum, quæ omnibus patebit ; hinc, infinita tormentorum vexatio. Illius igitur pœnitentiæ cruciatus tanto major erit interius, quanto major erit exterius turpitudinum pudor omnibus revelatarum, et irrogatorum vexatio suppliciorum. Cæterum pœnitentia illa penitus erit infructuosa, pœnam non minuens, sed duplicans ; in inferno enim nulla erit redemptio, et ideo nulla remedia ibi valere poterunt. Quartum est dolor de quo sequitur, *et præ angustia spiritus gementes.* Videntes quippe se justo judicio in æternam tradi damnationem, ubi « vermis non moritur, et ignis non exstinguitur (*Isa.* LXVI), » spiritu præ dolore angustiato gementes, plangentes et ejulantes optabunt mori, sed mors fugiet ab eis. Nos ergo, fratres mei, dum licet, has pœnas anticipemus, et in bonum nobis vertamus, timeamus illam æternam damnationem, et timentes, peccare desistamus et bene agere studeamus. Admiremur ergo sanctorum virtutem et beatitudinem, non per invidiam ut reprobi, sed per æmulationem et imitationem. Pœniteamus etiam de nostris excessibus, et dum licet, lacrymis pœnitentiæ, et operibus misericordiæ illa redimamus. Doleamus quoque nos peccando æternam damnationem promeruisse. Et continuis doloribus animi et compunctionibus, æternos dolores anticipemus et a nobis avertamus. Pœniteamus hic, ne in æternum ibi pœniteamus. Lugeamus hic, ne ibi in æternum lugeamus.

Tertio quid reprobi in alia vita sint dicturi, ostenditur, cum subditur : *Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum*, et in *similitudinem*, id est, parabolam *improperii. Nos insensati, vitam illorum æstimabamus insaniam, et finem illorum sine honore.* Quos enim in hoc sæculo sapientes et justos, insipientes esse putabant, tunc in retributione se econtrario insipientes, et sanctos intelligent fuisse sapientes. In quo considerandum est quoniam reprobi in alia vita vires animæ et sensus corporis integros sint habituri. Habebunt quidem integram memoriam, ut recordantes quam insipienter et male se habuerunt adversus sanctos, magis inde puniantur. Habebunt et integram rationem, ut intelligentes se juste damnari, justos vero juste salvari, magis inde puniantur. Habebunt et integram providentiam, quatenus prævidentes suam damnationem et justorum beatitudinem, magis inde

puniantur. Habebunt similiter et integrum corporis visum, quatenus videntes horrores dæmonum et suppliciorum, magis inde puniantur. Habebunt et integrum auditum, quatenus audientes stridores tormentorum rugitusque dæmoniorum, magis inde puniantur. Habebunt et integrum gustum, quoniam gustantes omnimodas amaritudines, magis inde puniantur. Unde et dives purpuratus, in inferno guttam aquæ a digito Lazari ad refrigerandum linguam suam postulat, sed non accipit, eo quod recepisset bona in vita sua, et Lazarus similiter mala (*Luc.* XVI). Habebunt et integrum odoratum, quatenus odorantes omnifarios fetores, magis inde puniantur. Habebunt et integrum tactum, quatenus sentientes cunctas suppliciorum asperitates, magis inde puniantur. In cunctis quippe punientur, qui in cunctis deliquerunt. Porro in hoc quod aiunt, *hi sunt quos aliquando habuimus in derisum*, ostendunt se justos in hac vita contempsisse. Eos enim quos contemnunt homines, derident. In hoc vero quod dicunt se eos habuisse in parabolam improperii demonstrant se eos odio habuisse. Illos enim quos odio habent per parabolam improperant, et suas infirmitates et excessus eis objectant, ut « alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere (*Matth.* XXVII), » et hujusmodi. In hoc quoque quod dicunt, *nos insensati, vitam illorum æstimabamus insaniam*, ostendunt se mores et vitam sanctorum tanquam insaniam devitasse, et vitam eis contrariam dilexisse. *Et finem*, inquit, *illorum sine honore*; cum enim videbant reprobi sanctos hic multa pati, et per tribulationes et tormenta, tanquam homicidas, ab hac vita demigrare, et corpora eorum vel inhumata feris et avibus exposita esse, vel vili tradita sepulturæ, æstimabant mortem eorum esse abjectam et sine honore, miseri nescientes « quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum (*Act.* XIV), » et quod corpora sanctorum ubicunque et qualitercunque sint posita, in pace sepulta sunt, et nomina eorum vivunt in æternum (*Eccli.* XLVI). Mortem vero divitum et potentum hujus sæculi, eo quod inter divitias, et obsequia, planctusque suorum amicorum moriuntur, et cum pœna et pompa sepeliuntur, putant esse in honore, ignorantes quoniam sicut Lazarus de sterquilinio ab angelis ad beatam requiem portatur, ita et dives de purpureo lecto a dæmonibus in infernum præcipitatur (*Luc.* XVI). *Quomodo ergo*, inquiunt, *computantur inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est?* Et nos, subaudi inter filios Dei, computamur, et sors nostra inter damnatos est. Mirantur siquidem præ invidia tabescentes, quomodo illi de tanta vilitate ad tantam gloriam, et de tanta afflictione ad tantam beatitudinem, de tantis lacrymis ad tanta gaudia; et econtrario, quomodo ipsi de tanta mundi gloria ad tantam miseriam, de tanta prosperitate ad tantam vexationem, de tanto gaudio ad tantas lacrymas potuerunt devenire. Ea propter, fratres mei, vitam, mores ad vitam sanctorum imitemur quatenus cum eis in æterna beatitudine sublimari, honorari et gloriari per intercessiones eorum mereamur. Amen.

XX.

PLURIMORUM MARTYRUM. SERMO DE LUCA.

Dixit Jesus discipulis suis: Qui vos audit me audit, et qui vos spernit me spernit; qui autem me spernit, spernit eum qui me misit (*Luc.* X), et reliqua. Quadripartita est hæc lectio, fratres mei. Primo namque mittens Dominus septuaginta duos ad prædicandum, dicit se et Patrem in eis vel audiri, vel contemni, cum dicit: *Qui vos audit me audit*, etc. In his verbis Dominus Jesus tria demonstrat nobis, videlicet quod discipuli sui eorumque sequaces vicem ejus in Ecclesia teneant, et quod ideo illi, hujus vicariæ, dignos omnino se debeant præparare, et quod subditi eis omnimodam reverentiam debeant exhibere. Porro in tribus, vicarii Christi vicem ejus in Ecclesia tenent, in eruditione, in sacramentorum dispensatione, in ligandi solvendique potestate. In quibus intelligant se non auctores, sed tantum ministros, juxta illud Pauli: « Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores ministeriorum Dei (*I Cor.* IV). » In tribus, Christi vicarii dignos ejus vicariæ se debent exhibere: in doctrina, in vita, in intentione. In doctrina, ut non aliam, sed Christi doctrinam prædicent; in vita, ut non aliam, sed Christi vitam et mores pro posse suo teneant; in intentione, ut non suam, sed Christi gloriam et animarum salutem quærant. Unde Dominus: « Qui mihi inquit, ministrat, me sequatur (*Joan.* XII). » In tribus similiter subditi debent reverentiam exhibere vicariis Christi, in obedientia, in honore, in stipendiorum temporalium ministratione, ut, videlicet in vicariis Christi Christum honorent, Christo subministrent, Christo obediant. Quod si vicarii Christi doctrinam Christi non teneant, jam non dicit eis Christus, *Qui vos audit, me audit.* Si vero Christi vitam et intentionem non sequuntur, jam non dicit eis Christus, *Qui vos spernit, me spernit.* Reprobam quippe doctrinam et vitam vicariorum subditi spernere debent et fugere, qui tamen in ministris auctorem debent honorare. Secundo revertuntur septuaginta duo discipuli cum gaudio dicentes: *Domine, in nomine tuo etiam dæmonia subjiciuntur nobis.* In tribus benefaciunt, et bonum prædicatoribus futuris exemplum ostendunt, in hoc scilicet quod per prædicationem ad scholam Christi redeunt, in quo Christum Dominum et auctorem confitentur eorum quæ gesserunt, et in hoc quod non virtutibus vel meritis suis, sed virtuti nominis Christi ea attribuunt. Sic et nos prædicatores, post prædicationem factam, ad sacrarum magistrum Scripturarum debemus recurrere, quatenus ea quæ prædicavimus retractemus. Et si in aliquo prædicantes excessimus, corrigamus, et quæ iterum prædicaturi sumus, prævideamus. Debemus quoque Dominum nostrum Jesum Christum, omnium quæ bene prædicavimus vel bene fecimus, auctorem et Dominum confiteri, nos tantum esse servos et ministros in-

dignos, et non virtutibus nostris vel meritis, sed tantum nominis Christi virtuti omnia quæ per nos bene fiunt aseribere.

Cæterum in hoc quod, tanquam adhuc rudes et infirmi, magis de operatione signorum, » quam salute animarum gloriantur et elevantur, errant. Et inde a Domino tertio loco reprehenduntur cum eis dicitur : *Videbam Satanam tanquam fulgur de cœlo cadentem.* Ac si aperte dicat : Ex hoc quod dæmonia sic sunt prostrata et subjecta vobis, non habetis unde vos elevetis, quoniam dæmonia, non in virtute vel merito vestro, sed potius vitio superbiæ sic sunt prostrata et subjecta vobis. Sed potius habetis ex hoc quod timeatis, quoniam si diabolus, natione cœlestis, potuit se elevando sic præcipitari, multo magis vos qui terreni et fragiliores estis vos elevando præcipitari potestis. Bene autem Satanam fulguri comparat propter quinque fulguris proprietates. Fulgur enim in superioribus creatur et statim cadit; non humilia, sed alta petit et urit; et cum primo fulgeat, prius obscuratur et fumat. Satanas quoque creatione cœlestis fuit, sed mox superbiendo recidit; non humilia, sed alta corda quærit, urit flammis vitiorum, et cum se primo transfigurat in angelum lucis, primo obscurat et excæcat. Rursus ostendit Dominus quod de potestate signorum non debeant elevari, quoniam hoc non habent ex se, sed ex Deo. Et hoc est quod subdit : *Eccededi vobis potestatem*, etc., hoc est quod Apostolus ait; « Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? » (*I Cor.* IV.)

Dedi, inquit, *vobis potestatem calcandi super serpentes et scorpiones, et super omnem potestatem inimici, et nihil vobis nocebit.* Hæc et ad litteram, fratres mei, dedit Dominus discipulis suis, quoniam serpentes, scorpiones et venena non nocebant eis, ut vipera non nocuit manui Pauli (*Act.* XXVIII) : et venenum haustum non nocuit Joanni. Mystice vero, serpentes sunt diaboli, vel diabolici homines, qui hominibus, bene vivere inchoantibus, venena pravæ suggestionis immittunt. Scorpiones sunt, qui in consummandis bonis operibus finem vitiare contendunt. Sed, Domino protegente, hæc sanctis non nocent, qui apertas et occultas tentationes, anteriores et posteriores discernunt et cavent; sed potius eis prosunt, dum eos magis exercitatos reddunt, et magis victoriæ majorem coronam eis acquirunt. Quarto, de quo gaudere, vel non gaudere discipuli debeant, ostendit Dominus. Et primo de quo gaudere non debeant, cum subjungit : *Verumtamen in hoc nolite gaudere quod spiritus vobis subjiciuntur.* (Liptotes est.) In nullis enim quæ sunt communia bonis et malis gaudere debemus. Ejicere vero dæmonia et miracula operari, non solum bonorum est, sed et malorum. Unde et in die judicii dicturi sunt quidem reprobi : « Nonne in nomine tuo dæmonia ejecimus, et multas virtutes fecimus? » (*Luc.* X.) quibus tamen dicetur : « Non novi vos (*ibid*). » Ejicere vero dæmonia, et operari miracula, aliquando non est meriti ejus qui operatur, sed invocationis nominis Christi ad condemnationem ejus qui invocat, et ad utilitatem eorum qui vident et audiunt, ut licet despiciant miracula facientes, Deum tamen honorent, ad cujus invocationem miracula fiunt. Præcipue vero, de potestate, honore, dignitate et prosperitate temporali prohibemur gratulari, quoniam de hujusmodi gaudere vanum est. In humilitate vero, paupertate et adversitate gaudere præcipimur, quoniam in hujusmodi gaudere, non de vanitate procedit, sed de virtute. Sicut igitur mollis et effeminatus est qui in prosperis gaudet et in adversis luget, sic econtrario magnanimus est qui in prosperis luget, et in adversis gaudet. De quo vero gaudere debeamus ostendit Dominus, quia de salute animarum nostrarum. Et hoc est quod subdit : *Gaudete autem quoniam nomina vestra scripta sunt in cœlis*, vel secundum æternam prædestinationem, vel secundum præsentem justitiam. Quæ vero secundum prædestinationem scripta sunt, non delebuntur. Sed quis novit se esse prædestinatum? Quorum vero nomina secundum præsentem justitiam dicuntur scripta esse in cœlo, quia quidam bene incipiunt et male finiunt, deleri possunt. De cujusmodi Psalmista ait : « Deleantur de libro viventium, et cum justis non scribantur (*Psal.* LXVIII). » Igitur, fratres mei, etsi nomina, secundum præsentem justitiam, in cœlo videantur esse scripta, quia tamen certaminis nostri finis est dubius, semper timere debemus. Et ideo de ipsarum animarum nostrarum salute et profecto, hic magnum gaudium habere non valemus. Nec enim magnum gaudium est ubi cum gaudio timor est, et cum timore gaudium. In bono igitur timore est gaudendum. Gaudium enim sine timore nutrit securitatem, securitas somnolentiam, somnolentia contemptum, contemptus periculum et perditionem. Itaque, fratres, in terra timoris gaudium nostrum sit sobrium et modestum. Cum timore gaudeamus, et cum gaudio timeamus, quatenus sine timore semper gaudere in cœlestibus gaudiis mereamur, Amen.

COMMUNE UNIUS CONFESSORIS.

XXI.

UNIUS CONFESSORIS. SERMO DE LIBRO SAPIENTIÆ.

(15) *Ecce sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo, et inventus est justus.* Et reliqua. Hæc, fratres mei, juxta litteram de Aaron sacerdote dicta sunt. Mystice vero de Christo; sed etiam cuilibet sancto sacerdoti aptari possunt. Moraliter vero, per hos demonstratur quales cæteri debeant esse sacerdotes. Fuit quippe Aaron sacerdos magnus, quoniam primus Judæorum pontifex et summus. Fuit quoque Christus sacerdos magnus, imo maximus, quoniam sicut ipse est Rex regum, ita est Sacerdos sacerdotum, et Episcopus episcoporum. Sed et ille san-

(15) Hæc passim ex Ecclesiastici cap. XLIV, XLV, sed non ad litteram, excerpta sunt.

ctus pontifex, cui hodie solemnizamus, fuit sacerdos magnus. Magnus gradu, magnus virtute, magnus remuneratione. Tales quippe esse debent sacerdotes et pontifices, ut quemadmodum ipsi magni in prælatione, ita magni sint in sanctitate, ut et magni esse mereantur præmii retributione. Monstruosa siquidem res est, atque turpissima, altus gradus et infima vita. Quod contra quosdam nostrum est (unde dolendum est, fratres mei), qui cum sint vita et moribus infimi, tamen, per ambitionem et Simoniam, se super majores elevant, ut appareant tanquam super vertices gigantum sublimati in derisum, et subsannationem, et commotionem capitis in populis. Commendatur ergo iste sacerdos magnus in decem et octo gratiis. Prima electio, de qua subditur, *Qui in diebus suis placuit Deo*, subaudi, per electionem. Constat enim quoniam qui eliguntur a Deo, placent Deo. Porro Aaron Deo placuisse constat, utpote qui ab eo electus, vocatus, et signo virgæ siccæ revirentis et fructificantis demonstratus et cæteris prælatus est; Christum quoque præ cæteris Deo Patri placuisse, et præ cæteris electum esse, ipse Pater in baptismo et in transfiguratione contestatur dicens: « Hic est Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui (*Matth.* III, XVII). » Et per prophetam: « Ecce puer meus electus quem elegi, quia complacuit in illo anima mea (*Isa.* XLIII). » Sed et iste sanctus episcopus, fratres mei, cui hodie festivamus, cum per bonam vitam, doctrinam virtutum, et signorum evidentiam, a Deo electus, demonstratus et præ cæteris prælatus sit, constat procul dubio quoniam a Deo electus sit et Deo placuit. *Et hoc in diebus suis*, quod videlicet, vita, doctrina et operum mirificentia illustravit et suos effecit. Tales quoque debent fieri sacerdotes et episcopi, qui per bonam vitam, doctrinam et operum sanctitatem Deo placiti et electi esse demonstrantur. In quo illi condemnantur qui, cum nulla virtute vel doctrina fulciantur, pastoris officium per ambitionem potius rapiunt quam assequantur. Secunda gratia est justitia de qua subditur: *Et inventus est justus.* Justus quippe fuit Aaron, a mandatis Dei, nec ad dexteram, neque ad sinistram declinando, idololatras puniendo, pro peccatoribus intercedendo, unumquemque secundum causas meritorum judicando. Christus quoque justus, imo ipsa justitia est, a quo justus est quicunque justus est, qui unumquemque, juxta meritum suum, aut salvat aut damnat. Unde et Isaias de eo prædixit: « Et erit justitia cingulum lumborum suorum (*Isa.* XI). » Sed et sanctus episcopus cui hodie solemnizamus justus fuit, unicuique quod suum erat reddendo, Deo religionem, sibi munditiam, subjectis disciplinam, bene agentibus honorem, delinquentibus correctionem, omnibus æquitatem. Et hæc operando inventus est justus, quoniam nullus vel rarus inveniebatur justus. Virtus enim quando est magis rara, tunc est magis pretiosa. Tales quippe debent esse sacerdotes vel episcopi, in quibus, etsi non in aliis, justitia et virtus reperiatur, qui unicuique quod suum est reddant; qui in dimicandis subjectis, non affectus suos, sed causas meritorum attendant. Unde et de illis dicitur: « Sacerdotes tui induantur justitiam (*Psal.* CXXXI). » Quod hodiernos condemnat sacerdotes et episcopos, in quibus, rarius quam in cæteris, virtus et justitia reperitur, unicuique quod suum est non reddentes, sed ad lucrum suum omnia referentes, justitiam non facientes, sed vendentes, in dijudicandis causis non merita singulorum, sed suos affectus attendentes. Tertia gratia est mediatio, de qua subjungitur: *Et in tempore iracundiæ factus est reconciliatio.* Sane Aaron mediator fuit inter Deum et homines, reconcilians Deum hominibus, et homines Deo. Nam cum Deus iratus populum murmurantem igne consumeret, festinat Aaron cum thuribulo, « stansque inter vivos et mortuos, oravit Dominum, et plaga cessavit (*Num.* XVI). » Christus quoque, cum, propter peccatum primi parentis, Deus esset iratus homini, assumpta nostra humanitate, factus est mediator Dei et hominis, sanguine suo reconcilians Deum hominibus et homines Deo. Sed et iste sanctus episcopus, cui hodie festivamus pro peccatis suis, se multoties interposuit, iram Dei jam instantem, orationibus et oblationibus avertit, peccatoribus indulgentiam impetravit. Hoc est enim officium sacerdotum et episcoporum, ut scilicet inter Deum et homines semper sint medii et mediatores, hinc conjuncti Deo familiaritate charitatis, hinc conjuncti hominibus propinquitate compassionis, ut ita Deum hominibus, et homines Deo possint reconciliari. Sed quid dicam de nobis, miseris sacerdotibus, qui nec cum Deo familiaritatem charitatis, nec cum proximo propinquitatem compassionis (sicut oportet) habemus? Quomodo alios reconciliabimus, qui nosmetipsos reconciliare non valemus? Nam cum ipsi pro offensis nostris Deo displiceamus, cum pro offensis aliorum Deum interpellamus, nonne Deum magis offendimus quam placamus?

Quarta gratia est superexcellens obedientia de qua subjungitur: *Non est inventus similis illi, qui conservaret legem Excelsi.* Porro Aaron in diebus suis, in populo suo excellens fuit in obedientia et observatione legis. Christus quoque superexcellens fuit in obedientia et adimpletione legis, factus Patri « obediens usque ad mortem (*Phil.* II). » Sed nec huic sancto episcopo, cui hodie solemnizamus, inventus est in diebus suis, et in populo suo similis, qui conservaret legem Excelsi. Non enim debet esse sacerdos sicut populus (*Isa.* XXIV), et pastor sicut grex, sed sicut de Saule legimus: Qui præficitur toti populo, debet esse major toto populo, ut cui cæteri debent obedientiam, præ cæteris sciat obedientiam, et qui cæteros docet legem, præ cæteris teneat legem (*I Reg.* XII). Quod nobis indignis sacerdotibus obviat, qui non solum sumus sicut populus, sed etiam plerumque deteriores quam populus. Quinta gratia, est promotio, de qua subditur: *Ideo jurejurando*, id est immutabiliter, *fecit illum crescere*

insuper plebem suam. Quia namque Aaron excellens fuit in observatione legis, ideo a Deo summus pontifex super plebem Judæorum sublimatus et confirmatus est. Christus quoque, quia obediens fuit Patri usque ad mortem, eum sublimavit et ei « juravit Dominus, et non pœnitebit eum : Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech (*Psal.* CIX). » Beatus quoque pontifex, cui hodie solemnizamus, quia excellens fuit in observatione legis, merito a Deo non solum spiritualiter et æternaliter, sed etiam temporaliter ad summum sacerdotium promotus est. Hoc est quod Apostolus ait : « Qui bene ministraverint, bonum gradum sibi acquirent (*I Tim.* III). » Et Dominus in Evangelio : « Omni habenti dabitur et abundabit (*Matt.* XXV; *Luc.* XIX). » Quod quosdam condemnat, qui non meritis suis, sed potius nummis suffragantibus perniciose promoventur. De quibus Dominus per prophetam : « Ipsi regnaverunt, et non ex me. Principes exstiterunt, et ego ignoravi (*Osee.* VIII). » Hos enim judex internus et provehit et nescit, quia quos permittendo tolerat, per judicium reprobationis ignorat. Sexta gratia est opinio bona, de qua subditur : *Benedictionem omnium gentium dedit illi.* Bona quidem opinio sanctorum est causa quia ipsi ab omnibus gentibus benedicantur et laudentur. Data est quippe Aaron tam suavis opinio nominis ut omnes qui de eo legunt, eum benedicunt. Christo quoque datum est, ut in admirabili nominis sui suavitate, non solum eum benedicant sed ut etiam in eo benedicantur omnes gentes. Istius quoque beati confessoris gloriosam vitam et conversationem quicunque audiunt vel legunt, eum laudant et benedicunt. Sicut enim bona conscientia necessaria est coram Deo, ita et bona opinio coram hominibus, præcipue pastori, qui docere debet populum non solum verbo, sed et exemplo. Unde Dominus : « Sic luceant opera vestra coram hominibus, ut glorificent Patrem qui in cœlis est (*Matth.* V). » Quod aperte contra illos est, qui etsi clam bene vivant, tamen de se exterius male opinari permittunt, tot rei animarum, quot propter scandalum malæ opinionis suæ perierunt. Septima gratia est confirmatio, de qua sequitur : *Et Testamentum suum confirmavit super caput ejus*, id est sacram Scripturam, quæ est testamentum futuræ hæreditatis, confirmavit in mente ejus. Et Aaron quidem in accepta lege firmus fuit. Christus quoque non solum firmus, sed etiam utriusque Testamenti confirmator fuit. A quo etiam iste gloriosus pontifex sic confirmatus fuit, quod pro lege Dei sui usque ad mortem certavit, et non timuit a verbis persecutorum et hæreticorum. Unde etsi animam ejus gladius non abstulit, palmam tamen martyrii non amisit. Convenit quippe quod episcopus sit doctus et firmus in lege, qui alios debet docere in lege. Unde et mitram bicornem in capite gerit, ut utriusque cornu Testamenti fidem tueri et confirmare possit. In quo quidem miserrimi episcopi condemnantur, qui legis Dei ignari, nec se, nec alios regere norunt. Et juxta illud propheticum : « Heu perit hodie lex a sacerdote, et consilium a sapiente, et sermo a propheta (*Ezech.* VII). » A quo ergo minores requirent legem, cum scriptum sit : « Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirent de ore ejus (*Mal.* II). »

Octava gratia est approbatio benedictionis, de qua subditur : *Cognovit*, id est approbavit *eum in benedictionibus suis.* Et Aaron quidem in Israel in tempore suo habuit efficaciam benedicendi. Christus vero semper et ubique non solum benedixit, sed etiam ipsa benedictio est, sine qua nullus potest esse benedictus. Sed etiam istum gloriosum confessorem sic cognovit Deus in benedictionibus suis, quod ad benedictionem ejus benediceret, dæmoniacos liberaret, ægros sanaret, pestes fugaret, peccatores absolveret. Episcopus quippe gratiam et discretionem benedicendi habere debet, unde et sacro oleo manum inunctam habet. Sed quid dicam de quibusdam episcopis perversis, qui affectus suos, non causas meritorum sequentes, benedicunt maledictis, et maledicunt benedictis? Hi, juxta prophetam, « vivificant animas quæ moriuntur, et mortificant animas quæ non moriuntur (*Ezech.* XIII). » Nona gratia est misericordia, de qua subditur : *Conservavit illi misericordiam suam*, quasi dicat : misericordiam quam cæteris parce dedit, justo multiplicavit. Nullum enim magis quam sacerdotem misericordia decet, qui per compassionem omnibus omnia fieri debet. Et Aaron quidem magnam misericordiam habuit, qui pro transgressoribus et etiam murmurantibus contra se supplicavit. Christus vero non solum misericors, sed etiam ipsa misericordia et est, et fuit, qui etiam pro suis crucifixoribus in cruce exoravit (*Luc.* XXIII). Iste quoque gloriosus confessor totis misericordiæ visceribus affluxit, patientibus compatiens, dolentibus condolens, aliorum onera portans, res suas in operibus misericordiæ distribuens, peccata aliorum lugens, pro persecutoribus suis exorans, etiam inimicis suis benefaciens. In quo nos miseri sacerdotes confutamur, qui erga pauperes et afflictos nulla compassione commovemur, qui ad aliorum infirmitates ferrei et duri sumus, quos plus tangit ruina animæ nostræ cadentis quam damnum animæ Christianæ pereuntis. Decima gratia est gratiæ abundantia de qua subditur : *Et invenit gratiam coram oculis Domini.* Sane sacerdos non una, vel duobus gratiis, sed multarum abundantia gratiarum debet decorari. Et Aaron quidem gratiarum abundantia perfusus fuit, quod per oleum super caput ejus effusum, et ad barbam et etiam usque ad oram vestimenti defluens (*Psal.* XXXII), significatum fuit. Christus vero omnem habet in se plenitudinem gratiarum, quem unxit Deus Pater oleo lætitiæ præ participibus suis (*Psal.* XLIV). A quo hic gloriosus confessor sic large perfusus est, ut si ejus sanctam vitam, mores et actus legas, eum nulla virtute nullaque gratia caruisse dicas. Sed quid nos miseri sa-

cerdotes facturi sumus, qui cum deberemus esse in lucem gentium, potius fumantes quam flammantes sumus? Undecima gratia est magnificatio *in conspectu regum*. Talis quippe debet esse sacerdos vel episcopus, qui pro sua virtute et honestate in conspectu regum et reverendus habeatur. Et Aaron quidem non solum populi sui principibus, sed etiam regibus alienorum magnus habitus est. Christus vero, pro sui nominis majestate, omnem principatum et potestatem etiam cœlestium, terrestrium et infernorum, sibi subjecit. Sed et iste gloriosus confessor, per opinionem suarum virtutum et mirabilium operum, ipsis principibus et magnatibus admirabilis fuit, et verendus. In quo confundimur nos miseri sacerdotes, qui non solum majoribus, sed etiam minoribus pro despectu vilitateque vitæ nostræ, despectui habemur et subsannationi. Et non illi nos, sed econtrario formidamus illos.

Duodecima gratia est corona gloriæ, de qua subditur : *Et dedit illi coronam gloriæ*. Corona quippe, quæ vitæ designat perfectionem, decet sacerdotem. Unde Petrus dicit : « Regale sacerdotium (*I Petr.* II). » Sacerdos enim sic debet esse perfectus ut non solum se, sed etiam alios possit regere. Ob cujus significationem Aaron habebat in capite diadema, in quo lapides pretiosi fulgebant, dum perficeretur opus Dei. Christus vero, qui in mundum venit non prosperari, sed pati, spineam tulit coronam, ad derisionem sibi inflictam, ostendens quoniam qui hic coronam virtutis et patientiæ viriliter habuerit, corona gloriabitur sempiterna. Quem sequens iste gloriosus confessor, corona virtutis et patientiæ hic studuit coronari, per quam ad gloriosam pervenit coronam. Nos ergo sacerdotes coronam habemus, quæ quidem corona, si in moribus ejus significationem exprimimus, corona utique est nobis gloriæ et honoris, alias opprobrii et confusionis. Tertiadecima gratia est hæreditas, de qua subditur: *Statuit ei testamentum sempiternum*. Porro Levi et Aaron non acceperunt cum reliquis tribubus partem in terra promissionis, sed eorum hæreditas fuit Dominus, id est, primitiæ, decimæ et oblationes, et sacrificia quæ Deo offeruntur et hæc perpetua stabilitate habuerunt, quandiu duravit sacerdotium Judæorum. Christo vero dedit Deus æternam hæreditatem, dicens : « Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ (*Psal.* II). » Unde ipse dixit : « Data est mihi potestas in cœlo et in terra (*Matth.* XXVIII). » Iste quoque gloriosus confessor omnem terrenam hæreditatem contempsit, sed solus Deus hæreditas ejus fuit, in quo sufficientiam et hæreditatem æternam possedit. In quo nos miseri sacerdotes confundimur, qui cum Deum in hæreditatem habere debeamus, de æterna hæreditate contendimus. Sed quid sufficiet ei, cui non sufficit Deus? Unde, fratres, valde perhorresco ne nos, quia hæreditatem terrenam concupiscimus, æterna merito privemur. Nam, juxta Sapientem, « hæreditas ad quam festinatur in principio, in novissimo benedictione carebit (*Prov.* XX). » Quarta decima gratia est sacerdotium magnum, de qua subditur : *Et dedit illi sacerdotium magnum*. Et Aaron quidem in toto populo Judæorum, solus primum et summum obtinuit sacerdotium. Christus vero super omnem potestatem, summum et æternum habet sacerdotium. Unde Apostolus : « Plures, inquit, facti sunt sacerdotes secundum legem, eo quod morte prohiberentur permanere. Christus vero eo quod manent in æternum, sempiternum habet sacerdotium (*Hebr.* VII). » Sed etiam iste gloriosus confessor sacerdotium habuit magnum, magnum, non tam magnitudine parochiæ quam magnitudine pastoralis vigilantiæ, non tam magnitudine reddituum quam magnitudine virtutum. In quo nos indigni sacerdotes confutamur qui sacerdotium magnum quærimus, magnum temporalibus redditibus, non spiritualibus profectibus. Quærimus ecclesiam, non in qua animas, sed pecuniæ copiam lucrifaciamus. In quo nos non pastores, sed mercenarios esse demonstramus. Quinta decima gratia est beatificatio, de qua subditur: *Et beatificavit illum in gloria*. Id est tam in merito quam in præmio, beatum illum fecit et gloriosum. Et Aaron, quidem sibi fideliter ministrantem, per bonitatem meriti ad beatitudinem præmii feliciter perduxit. Christum vero unigenitum suum, usque ad mortem sibi fideliter obsequentem, « exaltavit, et dedit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum (*Phil.* II). » Istum quoque confessorem sibi fideliter ministrantem, cursum militiæ temporalis hodie consummare feliciter fecit, et corona æternæ beatitudinis, illum inter choros angelorum gloriose decoravit. Sed et nos quoque, fratres mei, si ei fideliter obsequamur, si eum super omnia diligamus, si, omnibus temporalibus spretis, ad eum toto desiderio tendamus, faciet nos cursum vitæ feliciter consummare et ad æterna gaudia gloriose pervenire.

Sexta decima gratia est functio sacerdotii, de qua subditur : *Fungi sacerdotio*. Et Aaron quidem, usque ad extremum diem digne et strenue functus est sacerdotio. Christus quoque qui venit ministrare, et non ministrari (*Matth.* XX), ipse in sua persona usque ad suam passionem, humilis prædicatoris et ministri functus est officio. Iste etiam sanctus confessor, cum omni humilitate et sollicitudine, usque ad mortem suo functus est ministerio. Quod nos infimos sacerdotes condemnat, qui ministerio nostro fungi negligimus, vicarios et mercenarios pro nobis statuimus, ipsi vero vanis temporalibusque rebus, negotiisque sæcularibus vacamus, satis invenientes quibus animas pro quibus Christus mortuus est committamus; cui vero res vanas credamus, invenire non valemus. Septima decima gratia est laus, de qua subditur : *Et habere laudem in nomine ipsius*. Et Aaron quidem, quia sibi et aliis profuit, de sacerdotii functione laudem habet.

Christus quoque, quia cum restauratione humani generis rediit, de functione sacerdotii sui laudem habet in cœlo ineffabilem et æternam. Iste etiam confessor, quia cum acquisitione multarum animarum rediit de sacrificii sui functione, procul dubio in cœlo æternam laudem habet, ut merito dicatur de eo : « Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam (*Matth.* XXV). » Sed quam laudem habebit pastor, qui cunctis ovibus devoratis, et dissipatis a lupis, vacuus redit? Quam laudem habebit pastor qui nec etiam conservatum seipsum redit? Octava decima gratia est : *Offerre Deo incensum dignum in odorem suavitatis.* Et Aaron quidem in populo suo supplicans obtulit Deo incensum in odorem suavitatis. Christus vero seipsum immaculatum, et igne charitatis concrematum, in ara crucis pro redemptione humani generis, Deo Patri obtulit in odorem suavitatis. In quo sacrificio plusquam cæteris omnibus odoratus est Deus Pater. Iste quoque gloriosus confessor, pro populo suo supplicans, cor compunctum, igne sancti Spiritus incensum, cum odore suavitatis, bonæ devotionis Deo obtulit, et adhuc quotidie offert cum phiala odoramentorum suorum, nobis divinam repropitians majestatem. Quem imitantes, fratres mei, discamus Deo offerre sacrificium, non alienum ut Cain, qui se deserens, alienum obtulit, sed offeramus sacrificium dignum, cor scilicet contritum et humiliatum. Nec offeramus cum igne alieno, id est, cum igne terrenæ cupiditatis, ut Nadab et Abiu, qui ob hoc a Deo percussi sunt (*Lev.* X), sed cum igne divino, id est, cum charitate. Nec offeramus illud cum tepore, ut tepidi, qui a Deo evomuntur (*Apoc.* III), sed cum fervore devotissimæ orationis, quatenus Deus nostra devotione odoretur et delectetur. Quod hujus sanctissimi confessoris precibus nobis Deus concedere dignetur. Amen.

XXII.

UNIUS CONFESSORIS. SERMO DE MATTHÆO.

Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Homo quidam peregre proficiscens vocavit servos suos, et tradidit illis bona sua (*Matth.* XXV), etc. Quidam sunt qui bona quæ habent, a semetipsis se habere putant. Alii quidam putant se a Deo habere illa, sed tantum ad suos usus data, et ideo se peccare non existimant, si ea cæteris non communicent. Alii autem, etsi ea cæteris communicanda norunt, tamen ad communicandum sunt pigri. Contra hos proponit Dominus parabolam prælibatam, ostendens quod omnia bona quæ habemus, a Deo sunt collata: et quod non ad usus nostros tantum, sed ad communicandum cæteris sint nobis commendata, et quod illi, qui ea communicare pigri sunt, eis jure spoliandi et damnandi sunt. Sunt autem quatuor particulæ lectionis hujus. Primo namque demonstrat Dominus omnia bona quæ habemus, a Deo nobis commendata esse. Secundo demonstrat quosdam de commendatis bene operari, quosdam male. Tertio, demonstrat bene operantes salvandos; quarto, male operantes damnandos esse. Primum igitur ostendit quod omnia bona quæ habemus, a Deo habemus, cum dicitur : *Homo quidam peregre proficiscens.* Quis enim homo iste est, nisi ille de quo propheta dicit : « Et homo est, et quis cognoscet eum? » (*Isa.* LIII). Qui profecto tunc peregre profectus est quando naturam nostram, quam de terra sumpsit, super cœlum collocavit. Carnis enim locus proprie terra est, quæ tunc peregre proficiscitur, quando per Redemptorem nostrum super æthera sublimatur, qui modo a nobis, quandiu sumus in hoc exsilio, peregrinatur, quoniam tum per carnis absentiam, tum per auxilii dissimulationem a nobis elongatur. Hic servos suos vocavit, quando vel per se, vel per prædicatores suos, homines de quatuor mundi partibus vocavit. Bona vero sua eis tradidit, et adhuc quotidie tradit, quoniam gratias suas singulis dispergit. Unde Apostolus : « Unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi (*Ephes.* IV); » propter quod Psalmista dicit : « Ascendens in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus (*Psal.* LXVII; *Ephes.* IV). » Diligenter autem considerandum est quod ait, *servos suos, et tradidit eis bona sua.* Si enim servi ejus sumus, ergo non sumus nostri. Si tradidit, non dedit, sed magis commendavit. Si bona sua, ergo non nostra. In quo quid demonstratur, nisi quia nec nos ipsi, nec ea quæ habemus nostri juris, sed magis Domini sumus? Si ergo vel nobis, vel nostris, præter servitium et voluntatem Domini abutimur, quid aliud quam Domino de suis defraudamus? *Et uni*, inquit, *dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum.* Hoc simpliciter accipere possumus, quoniam uni dat Deus plura dona, alii pauca, alii pauciora. Vel certe per quinque talenta exteriorum scientia, quinque sensibus acquisita denotantur. Per duo vero, intellectus et operatio significantur. Per unum, solus intellectus significatur. *Unicuique*, inquit, *secundum propriam virtutem.* Quasi dicat : Tradidit eis non quantum ipse, sed quantum unusquisque capere poterat. quam discretionem, magistros sanctæ Ecclesiæ semper decet observare. Ad quid autem eis tradet talenta, ostendit Dominus, juxta alium evangelistam, dicens : « Negotiamini dum venio (*Luc.* XIX). *Et profectus est*, inquit, *statim.* Non locum mutans, sed liberam eis operandi tribuens potestatem : Nec bene operantes statim salvans, nec male operantes statim damnans, sed utrosque cum silentio ad judicium exspectans.

Sequitur pars secunda, in qua demonstratur alios bene operari, alios male, cum subditur : *Abiit autem qui quinque talenta acceperat, et operatus est in eis, et lucratus est alia quinque.* Sunt enim nonnulli qui, et si interna mysteria capere nequeunt, tamen accepta exteriorum scientia non torpescunt. *Et abeunt*, quantumcunque possunt, de accepta scientia bene operantes, et per activam vitam, exteriora in operibus misericordiæ,

cæterisque bonis usibus expendentes, et magis magisque proficientes donec lucrum eis geminatur. Quod utique fit, vel cum ipsa scientia per exercitium in se geminata, proximis, vel dicto vel exemplo proficiendo, duplex merces acquiritur. *Similiter*, inquit, *et qui duo acceperat lucratus est alia duo.* Quia sunt nonnulli subtilia de internis intelligentes, et mira in exterioribus operantes, qui cum spiritualia docendo et bona operando tam sibi quam aliis prosunt, quasi duplicatum lucrum acquirunt. *Qui autem*, inquit, *unum acceperat, abiens fodit in terram, et abscondit pecuniam domini sui.* Porro talentum in terra abscondit qui datam sibi intelligentiam in corde terreno et avaro celat, nec eam aliis manifestat. Contra quem Salomon ait : « Sapientia abscondita, et thesaurus absconditus, quæ utilitas in utrisque? » (*Eccli.* xx.) et Jesus filius Sirach : « Qui abscondit, inquit, frumenta, maledicetur in populis (*Prov.* xi). » Talentum abscondit, qui acceptum ingenium totum in terrenis curis immittit : qui intelligentiam, qua posset cœlestem sapientiam capere, in terrena calliditate implicare gaudet. De cujusmodi per prophetam dicitur : « Sapientes sunt, ut faciant mala, bona autem facere nescierunt (*Jer.* iv). »

Sequitur pars tertia, in qua demonstratur bene operantes bene remunerandos, cum subditur : *Post multum vero temporis, venit dominus servorum illorum, et posuit rationem cum eis.* Sane non nisi post multum temporis Dominus ad judicium venit, quoniam diu et cum multa patientia peccatores exspectat, ut multos salvare queat. *Et posuit*, inquit, *rationem cum eis.* Solus Dominus est, qui rationem cum servis ponere novit, quoniam ipse solus pro meritis unicuique rationabiliter reddit. Ipse enim falli non potest, quia ipsa veritas est, nec corrumpi, quia ipse justitia est. Nec enim eum latere quidquam potest, qui omnisciens est, nec ei in aliquo detorqueri potest, qui omnipotens est. *Et accedens qui quinque talenta acceperat*, etc. Fidelis servus qui de conscientia sua est securus, remuneratori occurrit primus, et obtulit alia qninque talenta dicens : *Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum*, etc. Unusquisque fidelis de talento commisso lucrum offert acquisitum. Petrus Judæorum gentem, Paulus gentilitatem, Joannes Asiam Minorem, Andreas Achaiam, Jacobus Hispaniam, Thomas Majorem Indiam, Bartholomæus Minorem, Matthæus Æthiopiam, Simon et Judas Persidem. Alius mille animas, alius centum, alius decem, qui minus, animam suam. Quorum unicuique Dominus applaudit, laudat et remunerat, cum subdit : *Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium domini tui.* Et applaudit, cum ei congaudet, et congaudere monet per, *Euge*, interjectionem, gaudii significativam. Eum laudat, cum eum bonum et fidelem vocat. Bonum, quia bonum voluit, et strenue et fortiter egit. Fidelem, quia in omnibus non suam, sed domini gloriam quæsivit. Eum remunerat, cum ei dicit : *Quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium domini tui.* Omnia enim bona præsentis vitæ, quantumcunque magna videantur, in comparatione futurorum, parva paucaque putantur. Tunc autem fidelis servus super multa constituitur, quando illa immensa æternaque bona recipit, quæ « nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit (*I Cor.* ii). » Tunc in gaudium Domini sui intromittitur, quando in illa patria æterna assumptus, atque angelorum cœtibus admistus, sic interius gaudebit de munere ut jam non sit quod ultra doleat de corruptione. Quid enim majus potest fideli servo dari quam cum domino beatitudinis in æternum vivere et lætari?

Sequitur pars quarta, in qua demonstratur pigros malosque servos reprobari, cum subjungitur : *Accedens autem et qui unum talentum acceperat.* Qui sibimet est male conscius, extremus venit et tardus. *Domine*, inquit, *scio quia homo durus es, metis ubi non seminasti, et colligis ubi non sparsisti. Et timens abii, et abscondi talentum tuum in terra; ecce habes quod tuum est.* Vere quod scriptum est : « Ad excusandas excusationes in peccatis (*Psal.* cxl), » huic servo contingit, ut ad pigritiam et negligentiam superbiæ quoque adhæreat crimen. Qui enim simpliciter debuit confiteri inertiam suam et veniam deprecari, econtrario Domino calumniatur, et dicit se prudenter fecisse, ne dum lucra pecuniæ quæreret, periclitaretur de sorte. Porro Domino calumniatur, cum eum durum dicit, et metere ubi non seminavit, et congregare ubi non sparsit, quasi dicat : Durus es, quia dura præcipiens, et dura supplicia irrogas; metis ubi non seminasti, quia etiam eos tanquam reos falce judicii præcidis quibus legem non commisisti, et congregas ubi non sparsisti, etiam congregans in regnum tuum bonos de gentibus, et eorum operatione qui naturalem legem servant, et damnans eos qui negligunt et scriptam. Prudenter se fecisse dicit cum subdit, *et timens abii.* Quasi dicat : Timens ne si aggrederer alios acquirere, ipse periclitarer. Propterea talentum intelligentiæ in corde celavi. Sunt enim plerique tales in sancta Ecclesia, secum dicentes : Sufficit mihi ut de me rationem reddam. Cur officium prædicandi aliis assumam, ut de aliis cogar reddere rationem? Vel certe timens, ne si propositum vitæ sanctioris aggrederer, retro quandoque respicerem et magis ipse damnarer. Et ideo intelligentiæ datæ talentum in sæculari vita abscondi, non diminuens, neque augens. Sunt enim multi tales, qui meliorem vitam aggredi metuunt, et tamen jacere in sua ignavia non pertimescunt, quorum Petrus adhuc infirmus speciem tenuit, cum viso miraculo dixit : « Exi a me, Domine, quia homo peccator sum (*Luc.* v). » Imo, Petre, si peccatorem te consideras, oportet ut a te Dominum non repellas. Sic qui meliorem vitam idcirco nolunt, quia se infirmos esse conspiciunt, quasi peccatores se fatentur, et Dominum, a quo sanctificari debuerant, a se repellunt. Et velut in perturbatione, consilium non

habent, cum moriuntur, et vitam timent. Nam « qui timet pruinam, irruet super eum nix (*Job* VI). » Unde et huic servo protinus respondetur : *Serve male et piger, sciebas quia meto ubi non semino, et congrego ubi non sparsi; oportuit ergo te dare pecuniam nummulariis, et ego veniens recepissem quod meum est cum usura.* Ex verbis suis dominus servum constringit, quasi dicat : Si juxta sententiam illud exquiro quod non dedi, quanto magis a te exquiro quod ad erogandum tibi dedi! Pecuniam quippe nummulariis dare, est intelligentiam prædicationis illis impendere, exemplo et verbo, qui illam valeant exercere. Sed, sicut nostrum periculum aspicitis, si Domini pecuniam teneamus, ita vestrum periculum, fratres, intelligite, si pecuniam nobis impensam cum usuris non reddideritis. Quam profecto cum usura redditis, vel cum audita retinere, vel cum ex auditis non audita colligere studetis. Pigrum vero servum qua sententia dominus feriat, audiamus : *Tollite ab eo talentum, et date ei qui habet decem talenta.* Bonum talentum spiritualis intelligentiæ datur illi qui tantum intelligentiam exteriorum habens, illam bene ministraverat. Quod quotidie in Ecclesia fieri videmus. Quia plerique, dum bene ministrant exteriora quæ acceperunt, per adjunctam gratiam ad mysticum quoque perveniunt intellectum. Et econtra multi naturaliter acuti et ingeniosi, quia desides sunt, ob pigritiam suam hebetescunt. In judicio vero multi qui modo sunt scientia præditi, inter indoctos reputabuntur. Et econtra multi, qui modo sunt simplices, ob suam devotionem inter apostolicos doctores, præmiis spiritualibus intelligentiæ remunerabuntur. *Omni enim habenti dabitur, et abundabit. Ei autem qui non habet, et quod habere videbatur auferetur ab eo.* Ille recte dicitur rem habere qui ea utitur bene. Qui vero bono usu rei caret, perinde est ac si non haberet. Omni ergo habenti et bene utenti re dabitur, et abundabit. Ei vero qui non habet, et qui non bene utens est, quasi non haberet, et quod habere videbatur, auferetur ab eo. Vel certe omni habenti charitas dabitur et diversitas gratiarum cæterarum, et abundabit. Qui vero non habet charitatem, etiam dona quæ percepisse videbatur amittet. Unde necesse est, fratres mei, ut semper in omnibus habere charitatem studeamus, quoniam qui eam habet, omnia habet, et qui eam non habet, et talento quod habebat punitur, et, juxta Dominicam sententiam, *in tenebras exteriores* præcipitatur. Per pœnam quippe cadit in exteriores qui per culpam suam ceciderat in interiores. *Ibi erit fletus* oculorum, qui hic illicita cupiebant, *et stridor dentium*, qui edacitate gaudebant. Ardebit lingua quæ garrulitatem hic amabat. Nasus intolerabilibus fetoribus afficietur, qui hic luxuriosis odoribus delectabatur. Aures terrore stridentium dæmoniorum cruciabuntur, qui hic vanis sermonibus et malis jucundabantur. Totum corpus variis suppliciis torquebitur, quod hic luxuriosis contactibus delectabatur. Et juxta varietatem peccatorum, erit varietas suppliciorum. Itaque, fratres mei, unusquisque nostrum in negotiatione talenti commendati vigilet, quoniam nullus est qui a Deo talentum non acceperit. Alius namque spiritualem accepit intelligentiam, alius terrenam substantiam, alius temporalem potestatem, alius apud divites familiaritatem, alius artem qua pascitur, alius saltem ipsam rationem, vel ipsos corporis sensus. Habens igitur spiritualem intelligentiam, prædicationi vacet, habens terrenam substantiam, per opera misericordiæ, illam eroget. Habens terrenam potestatem, imbecilles tueatur. Habens apud divites familiaritatem, pro pauperibus loquatur. Habens artem qua pascitur, ex ea, quod potest, indigentibus conferat. Habens autem rationem, vel quinque corporis sensus, bene sibi et aliis illam vel illos impendat. Ut ergo, redeunte Domino, de talenti sui ratione quisque securus sit, cum tremore penset quotidie quod accepit, jamjam redibit, qui peregre profectus est. Festinemus igitur de talento commendato negotiari, quatenus cum duplicatione talenti, occurrere valeamus Domino venienti, ipso largiente qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

XXIII.

UNIUS CONFESSORIS. SERMO DE LIBRO SAPIENTIÆ

Ecce sacerdos magnus qui in fide sua probatus est, et cognitus in verbis suis fidelis (16) (*Eccli.* L); etc. Hæc lectio, fratres mei, licet ad litteram partim de Samuele propheta, partim de Simone summo pontifice Judæorum dicta sit, tamen quia nihilominus isti sancto pontifici, cui hodie solemnizamus, convenienter hodie in sancta Ecclesia recitatur. Fuit quippe ipse gloriosus pontifex sacerdos magnus, magnus officio, magnus merito, magnus præmio. Magnus exterius, magnus interius, magnus superius. Talis nimirum debet esse sacerdos, ut alto gradui alta vita respondeat, quatenus utrique, altum quoque præmium respondere queat. Commendatur iste sacerdos in quatuor, in fide, in claritate, in virtutum varietate, in officii sui exsecutione. Porro in fide commendatur cum subjungitur: *Qui in fide sua probatus est, et cognitus est in verbis suis fidelis.* Probatus, inquit, et cognitus, quasi probando cognitus est. Dum enim res probatur, cognoscitur. Et iste quidem sanctus probatus et cognitus est in fide sua, id est operibus fidei suæ et verbis esse fidelis. Cum enim fides sit in se invisibilis, et de invisibilibus, non nisi per exteriora opera sua probatus et cognitus est esse fidelis, quoniam propter fidem Christi, amata reliquit, dura secutus est, mira fecit, aspera passus est. Propter fidem enim Christi reliquit exemplo Abrahæ, terram et cognationem, et domum patris sui, blandasque consuetudines, cibi lautioris et

(16) Hæc ex Ecclesiastici versiculis 1-5, cap. I, sed non ad litteram, excerpta sunt.

vestis, cæterarumque illecebrarum carnis. Secutusque est angustam et arduam viam mandatorum Dei, mundum contemnens, scipsum crucifigens, paupertatem, vilitatem et humilitatem, cæterasque virtutes amplectens, inimicos etiam diligens, et pro persecutoribus exorans, per fidem quoque Jesu Christi mira fecit, cæcos illuminans, claudos erigens, dæmoniacos curans, infirmos sanans, mortuos suscitans. Quoniam, juxta verbum Domini, « omnia possibilia sunt credenti (*Marc.* IX). » Propter fidem etiam Jesu Christi aspera passus est, contumelias, injurias, damnificationes, persecutiones, exsilia, variasque afflictiones. Ipsum etiam martyrii gladium gaudens sustinuisset, si esset qui inferret. Unde quia mente, martyrio non defuit, corona martyrii non carebit. Propter verba quoque sua probatus et cognitus est esse fidelis; quoniam quantam fidem haberet, demonstravit verbo fidei in tempore persecutionis confitendo constanter, prædicando instanter, scribendo luculenter; infideles et hæreticos confutando, præsentes populos viva voce instruendo, absentes et nascituros scriptis erudiendo. Docuit vivus, docet et defunctus. Et si meretur qui docet, meretur etiam iste quotidie, cum suo scripto nos docet. Sed nos indigni sacerdotes, quid hodie facimus? qui nec factis, nec dictis, nec moribus, ut deceret, fideles esse comprobamur imo (quod sine lacrymis dicere non possum), dum carnalia spiritualibus, et etiam sempiternis transitoria præponimus, nec nos credere, vel in fide demonstramus dubitare. Sed si fidem quandoque prædicamus, ipsam contrariis factis oppugnamus.

Secundo in claritate commendetur iste sanctus, cum subditur : *Quasi stella matutina in medio nebulæ, et quasi luna plena in diebus suis lucet. Et quasi sol refulgens* (*Eccli.* I.). Sic iste sanctus refulsit in templo Dei. Stella matutina, fratres mei, diei nuntia, in medio quidem nebulæ splendet, sed tamen non sufficit nebulam superare, nec iter euntibus demonstrare. Luna vero plena in diebus suis lucens sufficit ex magna parte, et noctem superare, et iter euntibus demonstrare, sed tamen noctem omnino non expellit, nec homines suo calore calefacit. Sol vero fulgens, inter nebulas splendet, et eas superat, et iter euntibus demonstrat, et noctem penitus excludit, et suo calore homines calefacit. Stella igitur matutina in medio nebulæ est exordium bonæ vitæ, quæ diem æternitatis prænuntiat, sed tamen tenebras infidelitatis et erroris non sufficit per se superare, nec rectam viam demonstrare. Luna vero in diebus suis lucens, est evangelica doctrina, quæ inter tenebras infidelitatis et erroris lucet, et eas superat, et rectam viam hominibus demonstrat; sed tamen infidelitatis et erroris tenebras penitus non excludit, nec omnes homines suo calore calefacit. Sol vero refulgens, est mirabilium virtutum evidentia, qui inter tenebras infidelitatis et erroris splendet, et eas superat, et rectam viam demonstrat; noctem ignorantiæ et dubitantiæ penitus excludit, et suo

A admiratione homines ad fidem et charitatem accendit. Hinc est quod Dominus mittens discipulos suos ad illuminandum per fidem universum mundum, spirituali vitæ et evangelicæ doctrinæ (quibus jam præfulgebant) adjunxit etiam evidentiam spiritualium virtutum et miraculorum, qua triplici luce illi mirabiliter illustrati, « prædicaverunt ubique, Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis (*Marc.* XVI). » Hac igitur triplici luce, iste gloriosus pontifex insignitus refulsit per vitæ claritatem inter infideles et hæreticos tenebrososque homines, quasi stella matutina in medio nebulæ. Refulsit quoque quasi luna plena in diebus suis, per spiritualem doctrinam, noctem infidelitatis et ignorantiæ superans, et rectam viam hominibus demonstrans. Refulsit etiam in templo Dei tanquam sol refulgens, per virtutum et mirabilium evidentiam, omnem fidei ignorantiam et dubietatem excludens, et homines sui admiratione ad fidem et charitatem Dei trahens. Sed ad hæc quid dicimus, nos infimi sacerdotes, qui nec vita, nec doctrina, nec virtutibus (ut oportet) coruscamus, imo qui deberemus esse lux mundi, tenebræ sumus. Et si, inquit Dominus, lumen, quod in te est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt? (*Matth.* VI.) Quod bene, fratres, videmus, quia enim doctores, qui sanctæ Ecclesiæ oculi debent esse, hodie tenebrescunt, cætera Ecclesiæ membra, quæ non ducunt, sed ducuntur, quam tenebrosa sunt! Et qui cæci cæcos ducere præsumunt, nonne (quod sine gemitu dicere non possum) utrique in foveam æternæ perditionis cadunt? (*Matth.* XV.)

Tertio, de virtutum varietate commendatur iste sanctus, cum subjungitur : *Quasi arcus refulgens inter nebulas gloriæ.* Porro arcus cœlestis, qui et Iris dicitur, multicolor est, ex repercussione solis illustratus, in signum fœderis inter Deum et homines positus (*Gen.* IX), pluviarum ministrativus. Iste quoque gloriosus confessor, arcus Dei fuit, sagittis, id est sententiis sacræ Scripturæ inimicos fidei transfigens; multicolor, id est multarum varietate virtutum coruscans; in signum fœderis inter Deum et homines, quia « in tempore iracundiæ factus est reconciliatio (*Eccli.* XLIV). » Iste quippe, cæteriquæ sancti inter Deum et homines positi, quid aliud sunt quam signum pacis Dei ad homines? Quando vero de medio hominum substrahuntur, quid aliud sunt quem signum iracundiæ Dei ad homines? Et nos, fratres, qui hodie veris sanctis de medio nostrum obtenebrescimus, quid aliud quam substracto Dei fœdere Dei iram experimur? Pluviarum quoque fuit ministrativus iste sanctus qui imbre doctrinarum non solum homines irrogavit, imo etiam internebulus gloriæ, et inter cæteros gloriosos prædicatores privilegio doctrinarum et virtutum effulsit. Quomodo autem iste sanctus quasi arcus multicolor effulserit, subsequenter exponitur, cum enumerantur octo virtutes quibus varie mireque radiavit. Prima est martyrium in mortificatione carnis, de quo sub-

ditur, *quasi flos rosarum in diebus vernis.* Sane flos rosarum in diebus juventutis, est virtus martyrii in diebus juventutis. Virtus autem martyrii acquiritur non solum in sanguinis effusione, sed etiam in carnis pro Christo mortificatione. Etenim cum iste sanctus continua abstinentia, labore et vigiliis, corpus suum maceravit, cum multis castigationibus rebellionem carnis spiritui subdidit, carnem suam cum vitiis et concupiscentiis crucifixit, quid aliud quam continuum martyrium sustinuit? Secunda est castimonia de qua iste sanctus commendatur, cum subditur, *quasi lilia quæ sunt in transitu aquæ.* Porro lilia in transitu aquæ, est candor castitatis in transitu labentis vitæ. Qua virtute iste sanctus mire resplenduit, dum in carne, non secundum carnem, dum inter homines angelice vixit, imo in hoc quodammodo angelos superavit, dum castitatem, quam illi in naturæ suæ confirmatione possident, iste etiam in naturæ suæ lubricitate meruit obtinere. Tertia virtus est patientia, de qua iste sanctus commendatur, cum subditur, *et quasi thus redolens in diebus æstatis.* Sane thus arbor est Arabica lenissimi corticis, per læsuras corticis, suavissimi guttas odoris emittens, quæ et thura dicitur. Thus ergo redolens in diebus æstatis, est patientia suaviter fragrans in diebus persecutionis. Qua virtute iste sanctus mire fragravit, cum suavitate patientiæ, lenitudinis quoque suæ suos injuriatores delectavit. Quarta virtus est charitas, de qua iste sanctus commendatur, cum subditur, *quasi ignis effulgens.* Porro ignis effulgens est ardor charitatis elucens. Unde Dominus ait : « Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut ardeat? » (*Luc* XII.) Qua virtute iste sanctus mirabiliter enituit, cum inimicos persecutoresque suos tanquam filios adamavit. Quinta virtus est devotio, de qua iste sanctus commendatur, cum subjungitur, *et thus ardens in igne.* Sane thus ardens in igne est devotio orationis in charitatis fervore. Unde Psalmista : « Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo (*Psal.* CXL). » Qua virtute iste sanctus pontifex mire refulsit, cum orationis potentia, divinam placans iracundiam, Deum hominibus et homines Deo reconciliavit. Sexta virtus est sapientia, de qua commendatur iste sanctus, cum subditur, *quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso.* Porro vas auri solidum omni lapide ornatum pretioso, est minister Dei, sapientia cæterisque virtutibus decenter decoratus. Unde et Paulus vas electionis nuncupatur. Qua virtute sanctus iste mirabiliter effulsit, dum in Ecclesia Dei, ante oculos Dei et hominum sapienter et gratis ministravit. Septima virtus est misericordia, de qua iste sanctus commendatur, cum subjungitur, *quasi oliva pullulans.* Sane oliva pullulans est virtus misericordiæ per diversos miserationum ramos se effundens; oleum enim Græce, misericordia Latine, quæ sicut oleum, universis liquoribus superfertur. Quia virtute pretiosus iste sanctus confessor large radiavit, qui viscera compassionis, et manum largitatis afflictis et egenis sine mora reseravit. Octava virtus est perseverantiæ fortitudo, de qua iste sanctus commendatur, cum subditur, *et quasi cypressus in altitudinem se extollens.* Cypressus odorifera venustatem suæ comæ nullo deponit impulsu, fortis et solida et oneri cedere nescia. Cypressus igitur in altitudinem se extollens, est altitudo fortitudinis perseverans, qua virtute iste sanctus refulsit, dum in prædictarum opinione virtutum semper excrescens fortiter perseveravit. Sed ad hæc quid nos miserrimi sacerdotes dicere possumus, qui non diversarum fulgore virtutum decoramur, sed potius econtrario diversorum vitiorum sordibus maculamur et fetemus, et alios fetore nostro corrumpimus, rei non solum animarum nostrarum, sed etiam omnium malo nostro exemplo corruptarum.

Quarto, de officii sui exsecutione commendatur iste sanctus confessor, cum subditur, *in accipiendo ipsam stolam gloriæ, et vestiri eum consummatione virtutis.* In ascensu sive in accessu altaris sancti gloriam dedit. Porro vestimenta sive officia sacerdotalia non solum ordinis sunt judicia, sed etiam spiritualium virtutum, quibus sacerdotes debent intus ornari, et cœlestium præmiorum, ad quæ debent tendere sunt sacramenta. Stola quippe alba sive candida duas res significat, videlicet candorem munditiæ sacerdotalis, et præmium ejus, stolam immortalitatis. Infula, quæ cæteras vestes tegit et ambit, significat et sacerdotalis virtutis perfectionem, et præmium ejus perfectæ beatitudinis consummationem. Accessus vero sacerdotis ad sanctum altare significat propiorem accessum, quo debet sacerdos accedere ad Deum, et hic per majorem charitatem, et in futuro per majorem beatitudinem. Iste ergo sacerdos gloriosus, sicut indumentis et officiis sacerdotalibus, ita et eorum figurativis fuit exornatus, quoniam in accipiendo ipsam stolam gloriæ, id est, dum ipse acciperet sacerdotalem stolam, gloriæ futuræ significativam, et vestiri eum consummatione virtutis, id est dum vestiretur infula, consummationis virtutum significativa, et in accessu altaris sancti, id est dum accederet ad sanctum altare, dedit gloriam Deo. Hæc omnia non sibimet (ut quidam faciunt), sed soli Deo attribuens et ad eum referens, exhibens sanctitatis amictum per vestes significativum, et sanctitatis accessum per accessum ad altare designatum, per quæ stola æternæ perfectionis et accessu ad divinam gloriam perfruitur nunc et in æternum. In quo nos indigni sacerdotes condemnamur, qui, cum exterius coram populo satis vestibus fulgeamus, tamen interius coram Deo turpissimis vitiis obscuramur, et cum accedere propius ad altare præsumamus, interius a Deo per reprobam vitam elongamur. Quod ergo, fratres mei, remedium relinquitur nobis, nisi ut turpitudines nostras lacrymis veræ pœnitentiæ diluamus; et reatus nostros operibus misericordiæ redimamus, vitam nostram in melius commutantes, jejuniis, orationibus, lectionibus, cæterisque bonis studiis vacantes, exemplo et verbo

plebem nobis commissam pascentes, quatenus meritis et intercessionibus hujus sanctissimi sacerdotis, cui hodie solemnizamus, numero sanctorum sacerdotum, merito et præmio adunari mereamur, largiente Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum.

XXIV.

UNIUS CONFESSORIS. SERMO DE MATTHÆO.

Dixit Jesus discipulis suis : Vigilate, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit (*Matth.* XXIV), et reliqua. Pius Dominus et Redemptor noster, fratres charissimi, malens invenire in nobis quod coronet quam damnet, in hac sancti Evangelii lectione, somnolentiam nostram curavit excitare. Facit igitur quatuor. Primum, hortatur nos ad vigilandum. Secundo, demonstrat quare sit nobis semper vigilandum. Tertio, ostendit qui præcipue et contra quos debeant vigilare. Quarto, dicit pastorem bene vigilantem esse quidem rarum, sed beatum. Primo igitur nos hortatur ad vigilandum, cum dicit, *vigilate*. Porro, sicut est vigilia corporalis, ita et spiritualis. Sicut enim tunc corporaliter vigilamus, quando exterior homo noster, apertis oculis corporis, exteriora sua custodit, ita spiritualiter vigilamus, quando interior homo noster apertis oculis, ratione interiora sua custodit. Sicut ergo anima pretiosior est corpore, ita magis vigilandum est pro ea quam pro corpore, quam quia multi versuti inimici undique assumunt, semper et undique ei est vigilandum. Inimici qui animam nostram persequuntur, sunt diabolus, caro et mundus. Diabolus semper juxta nos est, caro etiam in nobis est, mundus undique et ubique circa nos est. Ili nostri inimici nos assiliunt ante et retro, a dextris et a sinistris, desursum et deorsum. Ante, per apertam persecutionem, retro per occultam, a dextris blandiendo, a sinistris deterrendo; desursum, nos ad elationem extollendo ; deorsum, nos ad desperationem trahendo. Assiliunt etiam per omnes corporis sensus, tanquam per omnes portas animam. Tentant visum per pulchra et concupiscibilia; auditum, per dulces melodias et placentia verba ; gustum, per exquisitos sapores et gulæ irritamenta ; odoratum, per meretricalium odorum lenocinia ; tactum per suavium contactuum delectamenta. Tot et tantis insidiis intelligens se Psalmista circumdatum, clamat : « Inimici mei animam meam circumdederunt (*Psal.* XVI). » Itaque, fratres mei, quia semper et undique impugnamur, semper et undique vigilemus. Sollicitudines rerum temporalium a cordibus nostris excludamus, ut quotidie animæ nostræ valeamus magis vacare. Legimus in Apocalypsi quod sancta « animalia erant plena oculis ante et retro (*Apoc.* IV), » imo ut Ezechiel dicit : « Totum corpus eorum erat plenum oculis (*Ezech.* I). » Quoniam justi nil sine circumspectione faciunt, sed ad custodiendas anteriores et posteriores, imo omnes vitæ suæ partes, oculos cordis sui circumflectunt. Iniqui vero omnes cæci sunt, qui A insidias sibi positas non attendunt. Et ut Dominus ait : « Nesciunt quid faciunt (*Luc.* XXIII), » aut quo vadant, dum quasi oculis rationis clausis, in perditionem tendant. Secundo demonstrat Dominus quia sic sit nobis vigilandum, cum subdit, *quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit*. Geminam causam ponit quare nobis sit vigilandum, et quare semper. Primo, quare est nobis vigilandum, quia Dominus noster venturus est ut dormientes damnet, et vigilantes salvet. Si enim, fratres mei, Dominus noster nunquam ad judicium esset venturus, nec unicuique pro meritis redditurus, non esset nobis vigilandum. Nunc vero quia certo certius ad judicandum veniet, necessario est vigilandum nobis. Et quare semper ? *quia nescitis qua hora venturus sit*. Si enim determinata esset nobis B hora, qua ipse venturus esset, possemus aliquando dormire, et tunc tantum vigilare quando sciremus eum venturum. Propter hoc ergo voluit Dominus nos ignorare diem adventus sui, ut eum semper jamjam venturum exspectaremus, et ita semper vigilaremus, et in adventum ejus semper pararemur. Item probat quod vigilare debeamus sumpto a minori argumento cum subdit : *Illud autem scitote quoniam si sciret paterfamilias qua hora fur veniret vigilaret utique, et non sineret perfodi domum suam*. Ac si aperte dicat : Si aliquis paterfamilias timens furem venturum vigilat et custodit domum et res suas temporales, quanto magis vos pro animabus vestris et animabus vobis commissis vigilare debetis. Quod aperte nostram negligentiam C arguit, qui in custodiendis rebus temporalibus nostris, rebus utique vilibus et vanis, solliciti et vigiles sumus : in custodiendis vero animabus nostris vel commissorum nobis pro quibus mortuus est Christus, negligentes et somnolenti sumus. Domus nostras terrenas muro circumdamus, portas fortes et bene obseratas constituimus, custodem vigilare monemus : sed domum cordis nostri claudere, et portas sensuum nostrorum obserare, et rationem ad vigilantiam negligimus excitare. Ut quid hoc ? nisi quia plus diligimus temporalia quam spiritualia et æterna bona.

Est autem hæc pars tertia, in qua mystice demonstratur qui præcipue et contra quem debeat vigilare. D Paterfamilias enim iste est pastor ecclesiasticus qui ad instar patrisfamilias, Ecclesiæ præest, eam corrigens, regens et pascens. Fur vero est diabolus, qui sicut fur qui a furno, id est obscuro dicitur, tenebras diligit, claustrum Ecclesiæ per malam suggestionem fodit animasque de communione Ecclesiæ rapit. Itaque si pastor ecclesiasticus sciret, id est saperet et intelligeret, *vigilaret utique qua hora fur veniret*, id est, sic semper vigilaret super Ecclesiam sibi commissam, quod diabolus veniens non posset eam invenire nisi vigilantem, et ita non sineret perfodi domum suam. Moraliter vero paterfamilias est animus, qui ad instar patrisfamilias debet præesse in habitaculo humani corporis, noxia cavendo, et utilia providendo. Fur vero est mors corporis, quia

furtim venit, vitam corporalem perfodit, et animam tollit. Itaque, fratres, si animus noster saperet, vigilaret utique, semper evitando mala, et sequendo bona, et qua hora mors veniret, non sineret perfodi domum vitæ corporis ad damnationem. *Ideo*, inquit,*et vos estote parati, quia qua hora non putatis Filius hominis veniet.* Et si Dominus ad judicium generale generaliter omnibus venturus sit, tamen cum quotidie mors ad unumquemque nostrum venit, Dominus ad nos venit. In eo enim puncto in quo a Domino ab hac vita vocamur, judicandi sumus. Ait enim Salomon : « Ubi lignum ceciderit, sive ad austrum, sive ad aquilonem, ibi stabit (*Eccle.* XI). » Ideo ergo, quia quando et sicut mors, ita et Dominus furtim venit semper nobis est vigilandum. Eleganter autem ait, *qua hora non putatis.* Et si unusquisque nostrum pro certo sciat se moriturum, tamen nullus a Deo est senex, qui non speret adhuc se victurum. Instante vero die judicii homines qui tunc in carne vivi erunt, et si scient Dominum ad judicium venturum, tamen non putabant eum tam festinanter venturum. In hoc quoque decipiuntur homines, quia qua hora ipsi non putant, et mors et Dominus venit. Sed nos, fratres, si semper in bonis operibus vigilamus, decipi non possumus. Quarto, demonstratur pastorem bene vigilantem rarum quidem esse, sed beatum, cum subditur : *Quis putas est fidelis servus et prudens quem constituit dominus suus supra familiam suam, et det illis cibum in tempore? Beatus ille servus*, etc. Ipsis autem verbis ostendit quia sit rarus, ponens quinque quæ in omni requirenda sunt pastore; videlicet quod sit fidelis, quod prudens, quod a Deo constitutus, quod sit supra illam familiam suam, et quod illam pascat in tempore suo. Quod sit fidelis non solum a fide, sed etiam a fidelitate, Dominum non solum credens, sed etiam diligens; voluntatem Dei, non suam, faciens; Dei gloriam, non suam quærens. Et quia vita non sufficit sine doctrina addit, *prudens*. Rursus quia nemo prædicare debet nisi missus, rursus addit, *quem constituit dominus*. Et quia non sufficit pastori, ut sit sicut populus, addit, *super familiam suam*. Ut scilicet sicut gradu, ita quoque vita et scientia præcedat. Et quia non sufficit ei hæc omnia habere, nisi assiduus sit in prædicatione, propter quam constitutus est, addit, *ut det illis cibum in tempore*, id est, ut pascat eam exemplo et verbo, et hoc in tempore opportuno, et juxta alium evangelistam, det illis tritici mensuram (*Luc.* XII), id est verbum prædicationis commensuret audientium capacitati (quod sine gemitu dicere non possum). Quam rarus est hodie, fratres mei, pastor Domino propter Dominum serviens, oves Christi, non ad lucrum, sed amore Christi pascens! quam rarus sibi et subditis, in futurum bene providens! quam rarus, qui sit vocatus a Deo tanquam Aaron, et non se ingerat! quam rarus qui oves Christi et non magis se pascat! Sed etiam si aliquis unum vel duo istorum consequatur, quem rarissimus est qui omnia hæc simul obtineat. Sed quanto magis rarior, tanto magis pretiosior atque beatior ille servus, *quem cum venerit dominus invenerit sic facientem.* Et in quo sit beatus ostendit, dicens : *Amen, amen, dico vobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum.* Non quod soli pastores æterna præmia sint habituri, sed quod præ cæteris, tum pro vita sua, tum pro gregis custodia, majorem gloriam sint habituri. Quanta enim inter bonos doctores et bonos auditores est distantia meritorum, tanta est et præmiorum. Bonos quippe dispensatores constituet super omnia bona sua, quod majus est. Bonos vero auditores, ut alius evangelista ait, faciet discumbere, et transiens ministrabit illis (*ibid.*), quod minus est. Sed fratres mei, qui minus habebit, sufficienter habebit, quoniam quæ erunt specialia singulorum, eadem charitas communia faciet universorum. Itaque, fratres mei, quia qua hora non putamus Dominus noster veniet, semper et undique vigilemus, animas nostras et animas nobis commissas vigilanter custodiamus. Sollicitudines rerum caducarum a cordibus nostris excludamus. Contra invisibiles hostes oculos rationis semper apertos habeamus. Cordis nostri claustra gregisque nostri vigilanter circumspiciamus. Orationi, lectioni, sacræ meditationi, jejuniis, eleemosynis, cæterisque bonis studiis intendamus. Prædicationi, lucroque animarum vigilanter insistamus, quatenus tum pro nostri, tum pro nobis custodia commissorum, beatam consequamur remunerationem. Quod precibus et meritis hujus gloriosi confessoris, cujus hodie solemnia celebramus, concedat nobis omnipotens et misericors Dominus. Amen.

XXV.

UNIUS CONFESSORIS. DE EPISTOLA AD HEBRÆOS SERMO.

Plures facti sunt sacerdotes secundum legem, idcirco quod morte prohiberentur permanere. Jesus autem eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium (*Hebr.* VII). In hac lectione, fratres charissimi, assignat Apostolus differentiam inter legalem et evangelicum sacerdotem; inter sacerdotium legis, et sacerdotium Evangelii Jesu Christi, demonstrans, in privilegiis novi, sacerdotii Jesu Christi ad legale sacerdotium prærogativa. Primum privilegium est unitas sacerdotii. Cum enim secundum legem facti sunt sacerdotes non solum in pluribus temporibus, sed etiam in eodem tempore, plures fuerunt et particulares. Jesus Christus vero in tempore gratiæ est universalis et unus. Universalis, quoniam, ut Joannes ait, « Ipse est propitiatio, non pro peccatis nostris tantum, sed etiam pro totius mundi (*I Joan.* II); » unus, quoniam si sint hodie sub eo plures sacerdotes, tamen non auctoritatem, sed solum ministerium habent. Jesus vero solus habet et officium et auctoritatem. Unde et Joanni dictum est : « Super quem videris Spiritum descendentem, ipse est qui baptizat (*Matth.* III). » Non enim ministri Christi puerum in sacro fonte immergimus, sed tamen Christus baptizat. Nos manum elevamus, sed Christus benedicit. Nos sacra verba

proferimus, sed Christus consecrat. Sed et « neque qui plantat, neque qui rigat, est aliquid, sed qui dat incrementum est Deus (*I Cor.* III) »—« Sic ergo nos sacerdotes existimet homo, ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei. Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur (*I Cor.* IV). » Si autem nos sacerdotes inter cæteros dispensatores fideles inveniamur, bene ; si autem infideles (quod Deus avertat) væ! væ nobis ! Secundum privilegium est æternitas sacerdotii. Cum enim legales sacerdotes transeuntes essent, et aliis morientibus alii succederent, evangelicus sacerdos Jesus Christus sempiternum habet sacerdotium utpote, cui « juravit Dominus et non pœnitebit eum : Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech (*Psal.* CIX). » Sacerdotis siquidem est, et testamentum mandatorum et promissorum Dei populo tradere, et pro transgressionibus ejus offerre et interpellare. Ideoque Christus tanto excellentius dicitur, quanto cæteris excellentius testamentum populo tradidit, pro ipso oravit, et seipsum in sacrificium obtulit. Qui quamvis secundum carnem mortuus sit, tamen quotidie officium sacerdotis facit, dum et corda populi sui invisibiliter quotidie docet, et signa passionis suæ quotidie Patri pro nobis præsentat, et quotidie apud Deum pro nobis interpellat : et dum quotidie invisibiliter homines baptizat, absolvit et ligat. Nos autem indigni sacerdotes nec semper sacerdotes sumus, quia in morte officium nostræ villicationis amittimus, et etiam viventes peccando sacerdotio nostro privamur, dum nec prædicare, nec sacrificare, nec orare sicut oportet idonei reperimur.

Tertium privilegium est potestas salvandi, de qua Christus commendatur, cum subditur : *Vade et salvare in perpetuum potest, semper vivens ad interpellandum pro nobis.* Quia habet cum Patre coæternitatem, ideo et omnipotentiam salvandi habet cum Patre. Nec solum auctoritatem salvandi habet, sed etiam ministerium, se pro redemptione mundi in pretium dando ; suos de faucibus inferorum eripiendo, regnum cœlorum eis aperiendo, semper pro eis ad Patrem interpellando. Unde antonomatice Jesus, id est Salvator et mundi Redemptor nuncupatur. Legales vero sacerdotes, nec se, nec alios per sacrificia, cæremoniasque suas poterant salvare. « Impossibile enim est, ut ait Apostolus, sanguine taurorum et hircorum auferri peccata (*Hebr.* X). » Nos quoque evangelici sacerdotes, qui et si non auctores, tamen salutis æternæ ministri esse debemus plerumque, quod sine gemitu dicere non possum aliquibus, damnationis, non salutis ministri sumus, dum eos non corripimus, sed eos malo exemplo corrumpimus, dum etiam, quod pejus est, eorum vitia palpamus, et eos in peccatis suis fovemus. Quartum privilegium est per seipsum ad Deum accessio, de qua Christus commendatur cum subditur, *accedens per semetipsum ad Deum*, sine aliquo mediatore. Quis enim magis potest esse conjunctus Deo Patri quam ille qui ei est consubstantialis? Ei autem a quo nunquam discedit, dicitur hic accedere, quoniam apud eum pro nobis interpellat, humanitatis suæ repræsentationis. Cæterum nec olim legales, nec modo evangelici sacerdotes ad Deum possunt accedere, sine summo sacerdote Domino nostro Jesu Christo, Dei et hominum mediatore. Sed etiam nostris iniquitatibus exigentibus, nec jam ad ipsum mediatorem per nos valemus accedere. Exoranda nimirum est et lacrymis flagitanda beatissima Dei genitrix semper Maria ; exorandi cives superni ; exorandi prophetæ, apostoli, martyres et gloriosi confessores, quibus hodie solemnizamus cum cæteris sanctis, quatenus nostri intercessores et mediatores apud Deum existant. Quanto quippe pluribus et majoribus criminibus elongamur a Deo, tanto pluribus et majoribus mediatoribus indigemus. Et quia aliorum mediatores ad Deum esse debemus, mediatoribus et reconciliatoribus apud Deum indigemus : non attendentes quoniam, si quis peccaverit, orabit pro eo sacerdos, sed si sacerdos peccaverit, quis orabit pro illo ? (*I Reg.* II.) Et si incantator percussus fuerit a serpente quis medebitur ei? (*Eccli.* XII.)

Quintum privilegium est immunitas peccati, de qua Christus commendatur cum subditur : *Talis enim decebat nobis ut nobis esset pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus.* Ac si dicat : Dicebat enim nobis ut talis nobis esset pontifex *sanctus*, qui per semetipsum posset ad Deum accedere, scilicet ut esset sanctus. Et qualiter sanctus esset per partes aperit *innocens*, quoad proximum, *impollutus* in se. Et ut generaliter dicatur omnino *segregatus a peccatoribus*, peccati totius immunitate. Decet quippe ut sanctus sit qui reos sanctificat, innocens sit qui nocentes judicat, impollutus sit qui peccatores lavat, ut a peccatoribus sit segregatus qui Deo peccatores reconciliat. In quo omnis tam Novi quam Veteris Testamenti, sacerdotes imperfecti reperiuntur, quoniam nemo mundus a sorde. « Et, ut ait Joannes, si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est (*I Joan.* I). » Sed (quod sine gemitu dicere non possum) nos hodierni sacerdotes, quales sumus ? Nonne nos qui deberemus reos sanctificare, eos econtrario mala opinione corrumpimus? Nonne qui nocentes deberemus absolvere, eis malo exemplo nocemus ? Nonne qui deberemus pollutos lavare, vitiorum nostrorum contagione alios polluimus ? Nonne qui peccatores deberemus Deo reconciliare, peccatis nostris contra peccatores Deum exacerbamus ? Sextum privilegium est celsitudo dignitatis, de qua Christus commendatur cum subditur : *Excelsior cœlis factus.* Qui enim æqualis Patri residet, omnibus cœlorum potestatibus altior sedet. Omnes vero legales, sive evangelici sacerdotes, et si aliqui eorum cæteris hominibus majores meritis esse videantur, tamen nullus eorum major angelis prædicatur. Unde cum dixisset Dominus : « Inter na-

tos mulierum non surrexit major Joanne Baptista, » mox subjunxit, « qui vero minor est in regno cœlorum major est illo (*Matth.* XI). » Sed nos hodie indigni sacerdotes quid dicemus, qui cæteris hominibus non majores, sed deteriores sumus? Qui cum in conspectu hominum gradu sacerdotalis ordinis celsiores cæteris videamur, tamen cæteris inferiores vita moribusque jacemus; et cum per ambitionem præsumptuosam tanquam vani super gigantes nos elevamus, quid aliud quam opprobrium, contemptus et derisio populi sumus? Septimum privilegium Christi est quod non habet necesse pro se hostias offerre, sicut cæteri sacerdotes; unde subditur: *Qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum alii sacerdotes, prius pro delictis suis hostias offerre, deinde pro populo.* Christus enim, quia immunis est ab omni labe, non habet necessitatem pro se hostias offerre. Quod enim se humiliavit, quod nostræ carnis defectus assumpsit, quod contumelias, injurias, flagella, crucemque sustinuit, totum pro nobis est, qui indigebamus, non pro se qui nullius indigebat. Unde ipse dicit per Psalmistam: « Quæ non rapui tunc exsolvebam (*Psal.* LXVIII). » At nos omnes tam veteris quam novæ legis sacerdotes, quia nullus a peccatis saltem venialibus mundus est, ideo habemus necesse prius pro nobis hostias offerre. Nos vero infirmi sacerdotes, qui gravioribus peccatis irretiti, pro nobis dignas hostias Deo offerre non sufficimus, quomodo pro nostris et pro aliorum peccatis offerre sufficiemus? Et qui onera nostra ferre non valemus, quomodo et nostra et aliena portare videbimur?

Octavum privilegium est quod Christus pro populo non obtulit alienas hostias, sed seipsum, quæ oblatio tam conveniens, tam magna, tam Deo placens fuit quod ad totius humani generis redemptionem, quantum in ipsa est, sufficit. At legalium sacerdotum hostia, qui brutorum sanguinem immolabant, inconveniens, parva, Deo displicens, et ideo insufficiens erat. Inconveniens, quia aliena ab homine; parva, quia inæqualis homini; Deo displicens, quoniam non in ea, sed tantum in significatione et offerentium devotione delectabatur Dominus. Unde Psalmista in persona Filii ad Patrem: « Holocaustum, inquit, pro peccato non postulasti, tunc dixi: Ecce venio (*Psal.* XXXIX). » Nos autem evangelici sacerdotes, non alienas hostias offerimus, sed hostiam passionis Christi quotidie in sacramento reiteramus, juxta quod ipse nobis præcepit: « Hoc facite in meam commemorationem (*Luc.* XXII; *I Cor.* XI). » Quam utique hostiam sicut carnalium membrorum nostrorum crucifixione, cum vera cordis contritione, cum fervida charitatis devotione Deo offerimus, hostiam procul dubio Deo placentem pro nostris aliorumque peccatis offerimus. Quod si in peccati vetustate (quod Deus avertat!) remanentes novam Christi hostiam, immunda conscientia, pollutisque labiis et manibus offerimus, quid aliud quam divinam iracundiam contra nos exacerbamus? Nonum privilegium Christi est, quod tantum semel se pro populo offerens, Deo Patri satisfecit. Unde et hic subjungitur: *Hoc enim fecit semel se offerendo.* Legales quidem hostiæ, quia insufficientes, et tantum umbra futurorum erant multiplicabantur et multoties iterabantur, hostia vero quæ Christus est, quia figurarum veritas est, et pro peccatis omnium, præteritorum scilicet et præsentium et futurorum, sufficiens est, non iteratur, quoniam « Christus resurgens a mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur (*Rom.* VI). » Quia tamen, fratres mei, si non criminaliter, tamen venialiter delinquimus quotidie, hostiam passionis Christi in sacramento iteramus, ut quotidianum ejus sacramentum, quotidianorum sit excessuum purgamentum. Sit pro præteritis delictis expiatio, et contra futura viaticum et fortitudo. Quod quidem fit, si quotidie magis ac magis innovamur, si quotidie in melius proficimus, si obliviscentes posteriora, ad anteriora magis ac magis nos extendimus. Quod si ad vomitum nostrum (quod Deus avertat!) revertimur (*II Petr.* II), si in stercore nostro putrescimus, talesque ad altare accedimus, quid aliud quam ad instar Judæ proditoris judicium nobis manducamus et bibimus? Propterea, fratres mei, mores nostros corrigamus, lacrymis pœnitentiæ excessus nostros diluamus, jejuniis, orationibus et operibus misericordiæ insistamus, omnia caduca contemnamus, ad Deum toto corde et desiderio festinemus, populum Dei, verbo et exemplo pascere studeamus, tum pura conscientia, mundisque manibus ad altare sacrosanctum accedamus, quousque digni intercessores et mediatores populi ad Deum esse mereamur, præstante ipso summo mediatore Dei et hominum Jesu Christo Domino nostro, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

XXVI.

UNIUS CONFESSORIS. SERMO DE LUCA

Dixit Jesus discipulis suis: Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris (*Luc.* XII), et reliqua. Bipartita est hæc lectio, fratres charissimi. Primum enim ostendit Dominus qualiter ad adventum ejus nos præparare debeamus. Secundo quare semper debeamus vigilare. Porro qualiter ad adventum ejus nos debeamus præparare, ostendit, cum subdit dicens: *Sint lumbi vestri præcincti*, etc. His verbis, fratres mei, nos armat Dominus contra mala vitæ præsentis, quæ sunt tria. Est enim via hujus præsentis vitæ temporalis, lubrica, tenebrosa, insidiis plena. Lubrica, quia per fragilitatem ad peccandum prona; tenebrosa, quia per ignorantiam cæca; insidiis plena, quia per tentationes diabolicis fraudibus circumsepta. Unde contra reprobos per Psalmistam dicitur: « Fiat via illorum tenebræ et lubricum, et angelus Domini persequens eos (*Psal.* XXXIV). » Contra igitur lubricitatem hujus vitæ nos armat Dominus, cum dicit, *sint lumbi vestri præcin*

cti. Sane quod viri luxuria sit in lumbis ejus, mulieris autem in umbilico, testatur Dominus, qui de diabolo ad beatum Job loquitur dicens : « Virtus ejus in lumbis ejus, et fortitudo ejus in umbilico ventris ejus (*Job* XL). » Lumbos igitur præcingimus cum carnis luxurias et voluptates per continentiam coarctamus. Contra ignorantiam vero nos armat, cum subdit : *Et lucernæ ardentes in manibus vestris.* Per lucernas quippe ardentes, doctrinæ, exemplaque sanctorum Patrum designantur. Lucernas igitur ardentes in manibus habemus, quando lumen doctrinæ, exemplaque sanctorum Patrum in operibus tenentes, viam rectam ad Christum exemplo nostro monstramus. De quibus vero operibus Dominus dicit : « Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est (*Matth.* V). » Contra quoque diabolicas insidias nos armat, cum nos monet vigilare, subdens, *et vos similes hominibus exspectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis.* Exspectare est rem amatam cum vigilantia et desiderio sperare. Igitur si Dominum diligimus, cum venturum cum vigilantia et desiderio speramus, et ad ejus adventum nos digne ornabimus. Sumit autem argumentum a minori. Nam si temporali domino absente, servi vigilant, et contra fures, et erga domini sui adventum, ut veniens inveniat eos vigilantes, quanto magis nos et contra invisibiles hostes, qui semper nos insidiando vigilant, et erga Redemptoris nostri adventum vigilare debemus? Mystice vero Dominus ad nuptias abiit, quando resurgens a mortuis, et ascendens in cœlum, supernam sibi multitudinem novus homo copulavit : qui tunc revertetur, quando ad judicium revertetur. Interim vero fideles servi vigilant et exspectant, *ut cum venerit et pulsaverit, confestim aperiant ei.* Ad unumquemque nostrum, fratres mei, Dominus venit, quando ad judicandum nos per mortem accedit. Pulsat vero, cum jam per ægritudinis molestias vicinam mortem designat. Cui confestim aperimus, si mandatum ejus cum amore suscipimus. Aperire quippe judici venienti et pulsanti non vult, qui exire de corpore trepidat, et videre eum quem contempsisse se meminit, judicem formidat. Qui autem de sua conscientia est securus, pulsanti confestim aperit, quia cum tempus propinquæ mortis agnoscit, in spe retributionis hilarescit. Itaque, fratres mei, dum licet, et dum valemus, in adventum judicis nos præparemus. Sic vivamus, sic agamus, ut cum per mortem nos vocaverit, securi et gaudentes ei occurramus.

Sequitur pars altera, in qua duplicem causam ponit Dominus. Primam quare vigilare debeamus ; secundam, quare semper. Et quidem quare vigilare debeamus ostendit, cum quod bonum vigilantes, et quod malum dormientes sortiantur, exponit. Porro quod bonum vigilantes sortiantur ostendit, cum dicit subdens : *Beati servi illi, quos cum venerit Dominus, invenerit vigilantes.* Sane sicut ad corporalem vigilantiam, ita ad spiritualem, tria sunt necessaria. Primum, ut a corporis et negligentiæ tenebris nos expergiscamur. Secundo, ut oculos rationis ad verum solem semper apertos habeamus. Tertio, ut noxia devitantes, et bona providentes, undique nos et nostra custodiamus. Hinc enim ait Apostolus . « Evigilate justi, et jam nolite peccare (*I Cor.* XV), » hinc rursus ait : « Hora est jam nos de somno surgere (*Rom.* XIII). » Sic ergo vigilantibus quid præmii largietur Dominus? *Amen dico vobis, quod præcinget se et faciet illos discumbere, et transiens ministrabit illis.* Hæc verba honorem et ministrationem designant. Quasi ipsis verbis dicat Dominus. Quia vos me honoravistis, et ego vos honorabo : quia vos mihi ministravistis, et ego vobis ministrabo. Hoc est quod alibi Dominus dicit : « Si quis confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo (*Matth.* X). » Et rursum : « Si quis honorificaverit me, honorificabit eum Pater meus qui in cœlis est (*Joan.* XII). » Mystice vero vestes Domini dicuntur sancti. Iis Dominus se præcinget, quoniam sanctis Dominus se circumdabit, et cinctorio familiaris dilectionis eos inseparabiliter sibi considerabit. *Faciet illos discumbere,* id est, ad æternum beatumque convivium residere. *Eis ministrabit,* id est æternarum deliciarum suavitate eos satiabit, juxta illud : « In voce exsultationis et confessionis sonus epulantis (*Psal.* XLI). » Et hoc faciet *transiens,* id est juxta diversitatem meritorum præmia distinguens : « Stella enim differt a stella in claritate (*I Cor.* XV). » Vel certe *transiens,* id est. transire faciens de judicio ad regnum, de visione humanitatis, qua videbitur Dominus ab omnibus in judicio, ad visionem divinitatis, qua videbitur a solis electis in regno, juxta illud : « Tollatur impius ne videat gloriam Dei (*Isa.* XXVI). »

Hæc bona confert Dominus, fratres mei, vigilantibus. Sed quid fiet de his, qui per totam pueritiam, vel etiam per totam juventutem suam, in peccatis suis dormitant? Non tamen desperent, sed cito expergiscantur. Nam sequitur : *Et si in secunda vigilia vel in tertia venerit, et ita invenerit, beati sunt servi illi.* Itaque, fratres mei, qui in prima vigilia, id est, in pueritia somnolentus fuit, saltem in secunda, id est in juventute vigilet, et ita bene agere incipiat. Qui vero etiam in juventute somnolentus exstitit, saltem in tertia vigilia, id est in senectute vigilare et bene incipiat operari. Quis magnitudinem divinæ patientiæ pensare sufficiat? Offenditur Dominus, et tamen ad veniam vocat. Contemnitur , et tamen exspectat. Nec etiam illos, qui usque ad extremam senectutem in peccatis dormierunt, si convertantur, refutat. Latronem in cruce conversum non respuit, sed illi reserat paradisum (*Luc.* XXIII). Nemo ex hoc, fratres mei, sumat occasionem abutendi patientia Dei. Nemo dicat : Juvenis sum, in senectute resipiscam. Quis scit si ad senectutem est venturus? qui nec etiam de una hora est certus? fortassis hæc est senectus tua. Longam vitam sibi promittentes, et pœni-

tentiam procrastinantes, aut a morte prævenientur, aut a cupiditate impediuntur. Audi Salomonem : « Ne tardes, inquit, converti ad Deum, et ne differas de die in diem. Subito enim veniet ira ejus, et in tempore vindictæ disperdet te (*Eccli.* v). » Et rursum : « Ne adjicias, inquit, peccatum super peccatum : et ne dicas, Miseratio Dei magna, multitudinis peccatorum meorum miserebitur. Misericordia enim et ira ab illo cito approximant, et super peccatores respicit ira ejus (*ibid.*). » Quanto quippe nunc Deus nos exspectet majori longanimitate, tanto in futuro majori sæviet severitate. Hinc Paulus ait : « An ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum duritiam tuam et cor impœnitens, thesaurizas tibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei (*Rom.* II). » Hinc Psalmista ait : « Deus judex, justus, fortis et patiens (*Psal.* VII). » Dicturus patiens præmisit justus : quoniam qui nunc exspectat patientissime, in judicio futuro judicabit durissime. Hinc Sapiens monet : « Ne dicas in corde tuo : Peccavi ; et quid accidit mihi triste? Altissimus enim est patiens redditor (*Eccli.* v). » Quamvis enim nunc patienter exspectet, tamen in futuro unicuique pro meritis reddet. Quod vero malum dormientes sortiantur, ostendit, cum parabolam subdit, dicens : *Illud autem scitote quia, si sciret paterfamilias qua hora fur veniret, vigilaret utique, et non sineret perfodi domum suam.* Et est argumentum a minori. Nam, si aliquis paterfamilias pro conservatione domus suæ, quæ utique vilis et caduca est, vigilat, quanto magis unusquisque vestrum, fratres mei, pro conservatione animæ suæ, quæ utique pretiosa et æterna est, debet instanter vigilare? Mystice vero iste paterfamilias est animus noster, qui in domicilio corporalis habitationis dominium habet regendi et providendi. Hic enim cum a sui custodia per inertiam dormit in peccatis, fur, id est mors subita et improvisa quæ venit, et domum corporalis habitationis perfodit, spiritumque ad damnationem cito rapit. Cæterum, si animus noster saperet, vigilaret, vigilansque furem, id est, mortem præcaveret, nec ei mors noceret, imo potius prodesset, dum per eam non ad damnationem, sed potius ad vitam æternam introitum haberet. Porro postquam Dominus demonstravit quare sit nobis vigilandum, deinde quare semper debeamus vigilare ostendit, cum subdit : *Et vos estote parati, quia, qua hora non putatis, Filius hominis veniet.* Si enim determinata esset nobis hora qua Filius hominis, vel ad vocandum nos a corpore, vel ad judicandum nos veniret, non esset necesse nobis semper vigilare, sed tantum ea hora qua præsciremus eum esse venturum. Propterea voluit Dominus nos diem mortis nostræ et diem judicii ignorare, quatenus semper timeremus, semper mortem exspectaremus, et semper ad eam suscipiendam parati essemus. Notandum est etiam quod non ait, qua hora putatis, sed qua hora non putatis veniet. Nemo enim adeo senex est, nemo adeo infirmus est, qui aliquantulo tempore adhuc victurum se non speret. Et ita omnis homo moritur in tempore, in quo se moriturum non arbitrabatur. Sed nos semper si vigilamus, si semper parati sumus, præveniri a morte non valemus. Propterea, fratres mei, semper in bonis operibus vigilemus, semper ad instantem mortem præparemur. Peccata nostra lacrymis veræ pœnitentiæ diluamus, et operibus misericordiæ redimamus. Jejuniis, orationibus, cæterisque bonis operibus insistamus. Lucrum putemus quidquid pro Deo, quidquid pro animabus nostris expenditur et cætera omnia amissa reputemus. Dum nunc licet, quodcunque bonum, quodcunque possumus operemur ; quoniam jam aderit tempus, in quo nihil operis facere poterimus. Propterea Salomon ait : « Quidquid potest manus tua facere, instanter operare, quoniam nec opus, nec ratio, nec scientia, nec sapientia est apud inferos, quo tu properas (*Eccle.* IX). » Itaque, fratres mei, non transeamus diem neque horam otiosam. Tota cogitatio nostra, locutio et operatio ad cœlestia tendant. Illuc vigilantes, illuc dormientes, toto cum desiderio tendamus, quatenus tandem, sanctis intervenientibus quibus hodie solemnizamus, illuc pervenire mereamur. Amen.

XXVII

UNIUS CONFESSORIS NON EPISCOPI. SERMO DE LIBRO SAPIENTIÆ.

Dilectus Deo et hominibus. Beatus enim cujus memoria in benedictione est (*Eccli.* XLV), etc. His verbis, fratres charissimi, commendat Jesus filius Sirach Moysen legislatorem. Quæ verba, quoniam conveniunt etiam isti glorioso confessori, cui hodie solemnizamus, ideo convenienter illa in ejus laudem hodie recitamus. Enumerantur autem hic quindecim gratiæ, quibus beatus Moyses olim, et nunc iste confessor hodiernus supereminet. Primam igitur gratiam ponit, cum dicit : *Dilectus Deo et hominibus.* Porro alii sunt dilecti hominibus, et non Deo, et mali sunt. Alii sunt dilecti Deo et hominibus, et boni sunt valde. Quidam enim grati sunt, non Deo, sed hominibus, per assentationem et adulationem, et mali sunt. De quibus dicitur : « Qui hominibus placent confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos (*Psal.* LII). » Quidam vero grati sunt Deo per munditiam mentis, hominibus autem displicent propter morum rigiditatem et correctionem. « De quorum numero Paulus erat, cum dicebat : « Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem (*Gal.* I). » Quidam autem tantæ mansuetudinis et lenitatis sunt quod et Deo et hominibus placent. Deo per mundam conscientiam, placent hominibus etiam malis per morum lenitatem et benignitatem, quam etiam suis inimicis exhibent. Talis fuit Moyses, talis David, talis sanctus Clemens, talis iste confessor gloriosus, cui hodie festivamus qui per lenitudinem dulcedinemque suam, multos duros et feroces mitigavit, et Deo lucrifecit. Talesque nos, fratres mei, esse studeamus, quatenus per lenitudinem et beni-

gnitatem nostram, multos ad nos attrahere et Deo lucrifacere studeamus et valeamus. Secundam gratiam ponit, cum subdit : *Cujus memoria in benedictione est.* Quandocunque enim bonam vitam et actus, vel beati Moysis vel gloriosi istius sancti confessoris ad memoriam revocamus, eum benedicimus et laudamus. Et si memoria ejus defuncti sic est in benedictione, quanto magis vita illius sive temporalis, sive æterna, erit in potiori benedictione. Benedictus quippe fuit vivus, benedictus defunctus, benedictus glorificatus. Benedictus apud se, benedictus apud homines, benedictus apud Deum. Apud se enim, gratiarum benedictione, apud homines laudum benedictione, apud Deum æternorum præmiorum benedictione. Ut autem et nos mereamur et a Deo et ab hominibus benedici, nunquam, fratres mei, maledicere, sed benedicere et bene agere semper studeamus. Scriptum est enim : « Dilexit maledictionem et veniet ei ; et noluit benedictionem, et elongabitur ab eo (*Psal.* cviii). » Tertiam gratiam ponit, cum subdit : *Similem fecit illum in gloria sanctorum.* Quis fecit? haud dubium quin Deus, qui dat velle et perficere (*Phil.* ii). Ipse igitur fecit similem, non sola similitudine, sed ipsius rei veritate. Et sanctum Moysen, sanctorum priorum, videlicet Seth, Enoch, Abraham, Isaac et Jacob, et istum gloriosum confessorem, sanctorum apostolorum martyrum et confessorum. Et in quo? In gloria videlicet virtutum, in gloria bonorum operum, et in gloria præmiorum. Habent quippe sancti gloriam virtutum, gloriam bonorum operum, et gloriam præmiorum, sed non apud se, imo apud Deum. Ut autem et nos mereamur similes fieri, similes sanctorum, simus, fratres mei, imitatores eorum ; quoniam per imitationem venitur ad similitudinem. Dat quidem Deus similitudinem sanctorum, sed non nisi eorum imitatoribus. Simus igitur imitatores eorum in labore, ut mereamur fieri similes eorum in retributione.

Quartam gratiam ponit, cum subdit : *Magnificavit eum in timore inimicorum.* Magnificavit Moysen apud Ægyptios, Amalecitas, Amorrhæos, Madianitas, cæterisque hostibus superatis, magnum et tremendum effecit. Istum quoque beatum confessorem in timore inimicorum magnificavit et inimicorum visibilium et invisibilium triumphatorem fecit. Dedit ei Dominus insidias diaboli superare, castra ejus frangere, et de faucibus ejus vasa captivitatis potenter liberare. Unde et « ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus (*Psal.* xiv). » Cujus precibus pariter et exempli suffulti, fratres mei, discamus contra diabolum fortiter rebellare, insidias ejus evacuare, munitiones ejus dejicere, et captivos de compedibus ejus liberare, quatenus nos de cætero timeat impugnare. Quintam gratiam ponit, cum subdit : *Et in verbis suis monstra placavit.* Ut Moyses quidem monstruosa quæ Dominus immisit in Pharaonem, signa fecit, et in omnes servos ejus, Pharaone permittente, et dimissionem filiorum Israel permittente, orationibus suis avertit et placavit, ut cimonias, vesicas, locustas, et hujusmodi. Iste vero insignis confessor, quod majus est, monstruosos mores et vitas perversorum hominum doctrina verborum placavit et ad rectitudinem redegit : eos qui lupi erant crudelitate revocans ad mansuetudinem ; eos qui canes erant immunditia, ad munditiam ; eos qui porci erant voluptate, ad continentiam, eos qui superbi erant, ad humilitatem. Quem et nos, fratres mei, sequentes, monstruositatem tortitudinemque vitiorum, nostrorumque morum, prius in nobis, deinde in proximis nostris, ad rectitudinem et virtutem redigere satagamus. Sextam gratiam ponit, cum subdit : *Glorificavit eum in conspectu regum.* Et Moysen quidem glorificavit Deus in conspectu regum, quando scilicet eum quasi Deum Pharaonis instituit, quando per manum ejus portenta et signa fecit, et quando eum gloriosum in conspectu Seon regis Amorrhæorum, et Og regis Basan, cæterorumque regum demonstravit. Hunc quoque gloriosum confessorem nihilominus in conspectu regum glorificavit, quem in regimine morum et animarum ipsis regibus reverendum et mirabilem, tanquam lucernam, sublimavit. Quem et nos imitantes, fratres mei, prius nos ipsos corrigere et regere studeamus, quatenus deinceps cæteros regere et corrigere valeamus.

Septimam gratiam ponit, cum subdit : *Et junxit illi cor populi sui.* Junxit quippe Dominus Moysi cor populi sui, ut videlicet eum tanquam bonum pastorem et ducem diligerent, sequerentur et audirent. Isti quoque sancto confessori junxit Dominus cor populi sui, quoniam tantam gratiam dedit ei quod sui eum tanquam bonum patrem diligebant, imitabantur et ei obediebant. Quam gratiam ut et nos indigni habere mereamur, discamus cor populi nostri nobis conjungere, per dilectionem, per condescensionem, juxta quod Dominus præcepit, dicens : « Hoc est præceptum meum ut diligatis invicem, sicut dilexi vos (*Joan.* xv). » Per condescensionem, juxta quod scriptum est : « Ducem te constituerunt, noli extolli, sed esto quasi unus ex illis (*Eccli.* xxxii), » per supportationem et condescensionem, sicut Apostolus monet : « Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi (*Gal.* vi). » Octavam gratiam ponit cum subdit : *Et ostendit illi gratiam suam.* Et Moysi quidem gloriam ostendit, quando potentiam suam per subjectas creaturas ei ostendit. Faciem enim meam, dicebat Dominus, « homo non videbit, et vivet (*Exod.* xxxiii). » Isti quoque glorioso confessori, gloriam suam Deus ostendit, quando ei per creaturas Creatorem intelligere fecit. Et quando cor ejus per gratiam, per revelationem et per contemplationem, ad se intelligendum illustravit. Nos quoque, fratres mei, si sapimus, per miram plenitudinem elementorum, quam sit pulcher auctor, per sapientem elementorum dispositionem, quam sit sapiens auctor, per immensitatem elementorum, quam sit immensus auctor, per potentiam elementorum, quam sit potens auctor, per perpetuitatem

elementorum, quam sit perpetuus auctor, gratia illustrati valeamus intelligere. Nonam et decimam gratiam ponit, cum subdit : *In fide et lenitate ipsius sanctum fecit illum.* Cum Moyses cæteras virtutes habuerit, tamen in his duabus præcipue commendatur, eo quod in his excellenter præ cæteris radiavit. Fidem quippe excellenter habuit, qui Domino firmiter credidit, et in omnibus obedivit, pro eo labores, pericula, minas et potentias regum pro nihilo reputavit. Lenitatem quippe habuit, qui contradictiones, contumelias, injurias, murmurationes et detractiones suorum patienter portavit, qui pro inimicis suis et se lapidare volentibus oravit. Iste quoque gloriosus confessor in virtute obedientiæ refulsit, qui propter Deum, mundum cum suis concupiscentiis sprevit, quælibet dura et aspera pro eo pati, divitias reputavit, contra hæreticos et infideles fortiter dimicavit, et de commissis talentis ei in omnibus fideliter ministravit, ipsamque mortem pati, si esset qui inferret, non trepidavit. Unde mente quia martyrio non defuit, corona martyrii non carebit. Virtute lenitatis præradiavit, qui contumelias, injurias et persecutiones, non solum patienter, sed et gaudenter sustinuit, peccatores reputans suos adjutores, inimicis suis benefaciens, et pro persecutoribus suis orans. Quem nos imitantes, fratres mei, discamus Domino firmiter credere, fortiter pro eo adversa tolerare, et nostra lenitudine injuriatores et persecutores nostros superare, et eos beneficiis et orationibus Deo lucrifacere.

Undecimam gratiam ponit, cum subdit : *Et elegit eum ex omni carne.* Et Moysen quidem elegit Dominus ex omnibus hominibus judicem populi sui, et in ministrum signorum prodigiorumque suorum, et in legislatorem. Istum quoque gloriosum confessorem elegit Dominus, ut exemplo et doctrina esset dux populi sui, ministerque mirabilium operum, et divinorum prædicator mandatorum. Utinam et nos, fratres mei, elegerit Dominus in duces populi sui, et in ministros sacramentorum suorum, prædicatoresque suorum mandatorum, non, ut timeo, in nostram perniciem, sed potius ad nostrarum subditorumque animarum utilitatem! Duodecimam gratiam ponit, cum subdit : *Audivit enim eum et vocem ejus.* Et Moyses quidem audivit Dominum non per internuntium, sed ore ad os sibi loquentem, quoniam, ut Scriptura testatur, sic familiariter loquebatur ei, ut amicus ad amicum (*Exod.* xxxiii). Iste quoque beatus confessor audivit Dominum, non tantum per interpretem et per Scripturam, sed etiam spiritualiter intus sibi loquentem, a quo datum est ei sicut audire, ita et obedire. Utinam et nos, fratres mei, faciat Dominus interius audire vocem suam dando nobis gratiam suam audiendi pariter et obediendi. Tertiam decimam gratiam ponit, cum subdit : *Et induxit eum in nubem.* Et Moysen quidem induxit Dominus in nubem operientem montem Sinai (*Exod.* xix), ubi dedit ei legem, demonstrans in hoc quod inducebat eum in arcanum familiaritatis et in obscuritatem legis. Quomodo et hunc gloriosum confessorem in nubem induxit, quoniam recepit eum in arcanum suæ familiaritatis, patefecit ei obscuritatem legis suæ, replevit eum nubibus doctrinæ suæ. Sed ad hæc nos indigni pastores quid dicturi sumus, qui nostris peccatis exigentibus, ab arcanis Dei excludimur? In obscuritate legis palpones sumus, et a pluvia doctrinæ cœlestis arescimus? Quartam decimam gratiam ponit, cum subdit : *Et dedit ei cor ad præcepta.* Utrique pariter, Moysi scilicet et nostro confessori, dedit Deus cor ad præcepta sua intelligenda, dirigenda et exsequenda, quæ si non intelligantur, non diliguntur, et nisi diligantur, non exsequuntur, Deo in omnibus operante, qui dat velle et perficere (*Phil.* II). Quem, fratres mei, totis animi medullis incessanter flagitemus, quatenus nobis quoque det cor ad præcepta sua facienda, ut scilicet ea intelligamus, intellecta diligamus, dilecta perficiamus. Quintam decimam gratiam ponit, cum subdit : *Et legem vitæ et disciplinæ*, subaudi, dedit. Et Moysi quidem Deus legem vitæ et disciplinæ, id est legem quæ ducit ad vitam per disciplinam, si spiritualiter intelligatur. Isti quoque glorioso confessori inspiravit Deus in cor ejus legem vitæ et disciplinæ, id est legem qua ipse spiritualiter vixit et discipulos suos docuit, ducens eos secum ad gloriam sempiternam. Cujus meritis gloriosis et intercessionibus nobis quoque tribuat Dominus legem suam spiritualiter intelligere et in ea spiritualiter vivere, et nobis commissos exemplis et verbis efficaciter erudire, quatenus simul cum illis ad beatitudinem illorum quorum memoriam agimus, pertingere mereamur. Amen.

XXVIII.

IDEM DE EODEM. SERMO DE LIBRO SAPIENTIÆ.

Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei (*Sap.* x), etc. Hac in lectione, fratres mei, enumerantur sexdecim beneficia, quæ divina sapientia præstitit Jacob patriarchæ. Quæ quoniam et in isto sancto confessore, cui hodie solemnizamus, reperiuntur merito, et ipsa lectio in ejus commemoratione hodie recitatur. Primum igitur beneficium est, quod divina sapientia *deduxit* Jacob *justum* per *vias rectas*, dum scilicet post benedictionis supplantationem, consilio matris suæ fugiens fratrem suum Esau, perrexit ad Laban suum avunculum in Mesopotamiam. Istum quoque gloriosum confessorem deduxit eadem sapientia, Dei Filius, per vias rectas mandatorum Dei, ut videlicet non ad sinistram neque ad dexteram declinaret. Et quomodo deduxit? Promissis eum invitando, viam suo exemplo ei demonstrando, manu sui auxilii eum post se trahendo. Ut autem et nos Dominus deducat per vias rectas, clamemus ad eum toto desiderio, fratres mei. Clamemus sic : « Trahe nos post te, curremus in odore unguentorum tuorum (*Cant.* I). » Secundum beneficium est, quod Dominus *ostendit* Jacob *regnum* Dei, quando scilicet

ostendit ei in somnis scalam a terris attingentem, et angelos ascendentes et descendentes per eam, et Dominum innixum scalæ *sibi* dicentem : « Ego sum Deus Abraham et Isaac (*Gen.* XXVIII). » Huic quoque beato confessori ostendit Dominus etiam in hac vita regnum suum per sacræ Scripturæ intelligentiam, per spiritualem contemplationem, per quamdam futuræ beatitudinis prælibationem. Nunc vero, carne spoliato, ostendit illud per præsentiam fruitionis regni ejus. Utinam et nobis, fratres mei, ostendat similiter regnum suum, quatenus ejus odore et desiderio trahamur, dicentes cum Psalmista : « Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam ostendisti timentibus te! (*Psal.* XXX.) Tertium beneficium est quod Dominus *dedit* Jacob *scientiam sanctorum* : quam habuit tam in temporalibus quam in divinis rebus. Rerum enim naturas animadvertit, res temporales prudenter ministravit, visiones intellexit, spiritum prophetiæ in fine habuit. Iste quoque sanctus confessor scientiam tam terrenorum quam cœlestium habuit, qui tanquam prudens negotiator, res non ex opinione secundum suam naturam pensans, inventa una pretiosa margarita, vendidit omnia quæ habuit et emit eam (*Matth.* XIII). Quam scientiam et nobis, fratres mei, Dominus largiatur, quatenus omnia terrena, tanquam stercora, in comparatione cœlestium reputantes, hæc pro illis dare et commutare festinemus. Quartum beneficium est, quod Dominus *honestavit* Jacob *in laboribus* suis, scilicet labores ejus dirigendo, et in bonum provenire faciendo et per servitium ejus etiam Laban multiplicando. Istum quoque gloriosum confessorem honestavit in laboribus suis, quia ei in laboribus suis et studiis honestis exercitium, et in exercitio honesto, honestam exsecutionem dedit. Sicut enim turpitudo laborum laborantem deturpat, ita et honestas laborum laborantem honestat. Hinc, fratres mei, inhonesta negotia fugere, honestaque frequentare studeamus. Quintum beneficium est, quod Deus *complevit labores ipsius*, quia Jacob uxorum, filiorum, familiæ, annorum rerumque omnium plena felicitate consummavit. Istius quoque sancti confessoris labores complevit, quoniam, secundum propositum suæ vocationis, omnia cooperans ei in bonum, virtutum, morum meritorumque plenitudine eum cumulavit. Cujus gloriosis precibus, et nostros utinam labores dignetur Dominus in bonum complere, et cursum vitæ nostræ de bono in melius consummare! Sextum beneficium est, quod Dominus *adfuit* Jacob *in fraude circumvenientium*. Cum enim Laban cogitaret Jacob circumvenire, et mercedem ejus mutando minuere, Dominus consilium ei dedit, ne fraus ei obesset, sed potius Laban seipsum circumveniret. Huic quoque glorioso confessori adfuit Dominus in fraude circumvenientium, quoniam, cum diabolus diabolicique homines cum tentationibus parabant circumvenire, Domino procurante, e contrario sibi ipsis nocebant, et illum juvabant, illi occasionem victoriæ dantes, et sibimet majorem damnationem aggerentes. Utinam et ejus precibus gloriosis nobis Dominus in tentationibus adsit, aperiat nobis insidias Satanæ et faciat nobis in victoriam provenire ! Septimum beneficium est, quod Dominus *honestum fecit* Jacob, utpote quem bonis moribus exornando, virtutibus illustrando, operibus decorando, suo alloquio dignando omnibus sæculis venerandum fecit atque laudandum. Istum quoque gloriosum confessorem honestum fecit, videlicet honestate sanctæ conversationis, honestate bonæ opinionis, honestate virtutum, honestate miraculorum. Utinam, fratres mei, et nos Dominus faciat honestos, ut omnem inhonestatem fugientes, ei honeste mereamur ministrare !

Octavum beneficium est, quod Dominus *custodivit* Jacob *ab inimicis*, videlicet a fratre suo et a Chananæis, fratrem suum ei pacificans, cæteros ne ei nocere possent refrenans. Istum quoque beatum confessorem custodivit Dominus ab inimicis suis, non quod injurias non inferrent, sed ne ei injuriantes nocerent, imo potius prodessent. Sic nempe Dominus melius apostolos et martyres suos consuevit liberare. Unde, fratres mei, orantes, ei dicere debemus : « Da nobis auxilium de tribulatione (*Psal.* LIX), » non a tribulatione, quasi dicat : Ipsam tribulationem fac nobis in profectum provenire. Nonum beneficium est, quod Dominus *tutavit* Jacob *seductoribus*, videlicet a crimine Simon et Levi, qui in dolo occiderunt regem et populum de Sichen, quibus postea improperavit, dicens : « In consilio eorum non veniat anima mea (*Gen.* XLIX). » Istum quoque beatum confessorem tutavit Dominus a seductoribus cæterisque peccatoribus, ne eorum vel palpando, vel consentiendo, vel tacendo, particeps fieret. In quo plerique nostrum peccant, qui aliorum peccata tacendo fovent, unde a Domino « canes muti non valentes latrare (*Isa.* LVI) » vocantur. Decimum beneficium est, quod Dominus *dedit* Jacob *certamen forte, ut vinceret*, quando scilicet luctatus est cum angelo, id est cum Domino sub specie angeli, nec quamvis læsus, eum dimisit, donec ei benediceret (*Gen.* XXXII). Isti quoque glorioso confessori dedit Dominus fortitudinem certandi et perseverandi, ut scilicet quamvis infirmus, petere, pulsare non desisteret, donec quasi Domini severitatem superaret, et eum ad ei benedicendum inclinaret. Cujus exemplo, fratres mei, instructi, in oratione perseveremus, nec desistamus donec ab eo benedicamur. Undecimum beneficium est, quod Dei sapientia *non dereliquit* Joseph *justum venditum, sed liberavit eum* a Putiphar, qui eum emit ut traderet in usus turpes et etiam ab uxore ejus concupiscente. Istum quoque sanctum confessorem, venundatum sub peccato primi parentis, vel certe venditum et distractum detractionibus falsorum fratrum Dei, sapientia eum non dereliquit, sed liberavit eum a peccatoribus, ne ei vel sua persecutione, vel vitiorum suorum contagione, nocerent. Utinam et nos, fratres mei, peccatis venditos, liberet Dominus, ne peccatores nobis

noceant, vel palam persequendo, vel latenter contagia sua nobis illiniendo! Duodecimum beneficium est, quod Dei sapientia fuit, *cum* Joseph *in foveam*, id est in carcerem Pharaonis, sed *non dereliquit eum in vinculis*. Istum quoque gloriosum confessorem, in carcere tribulationis positum, Dei sapientia non deservit, sed a vinculis insidiarum, vel certe peccatorum, quibus etiam sancti aliquando detenti fuerunt, cum liberavit. Utinam, fratres mei, ejus sanctis intercessionibus dignetur Dominus nos a carcere malæ consuetudinis et a vinculis nostrarum iniquitatum potenter liberare! Tertium decimum beneficium est, quod divina sapientia dedit Joseph *sceptrum regni*, quando quasi secundus rex a Pharaone in Ægypto est sublimatus. Isti quoque sancto confessori, sapientia Dei dedit regiam potestatem, qua videlicet se suosque fideliter et prudenter rexit, virga justitiæ, nequitiam vitiorum cohibendo, bonitatemque morum et virtutum imitando. Quam regiam potestatem utinam nobis concedat Dominus, quatenus nos et nobis subditos regere valeamus et gubernare! Quartum decimum beneficium est, quòd Dei sapientia dedit Joseph *potestatem adversus eos qui eum deprimebant*, quoniam nequitiam fratrum suorum qui eum vendiderant, et nequitiam Putiphar et uxoris suæ, qui eum emerant et dehonestare voluerant, sub eo humiliavit. Huic quoque beato confessori, ob meritum humilitatis et patientiæ, dedit Deus potestatem super dæmones, et super dæmoniacos homines qui eum prius inquietaverant, quatenus de superbis humiles et patientes faceret, et dæmones de obsessis hominibus expelleret et vexaret. Cujus gloriosis meritis utinam nobis Dominus largiatur, quatenus dæmonum et iniquorum hominum tentationibus resistere valeamus! Quintum decimum beneficium est, quod Dominus *ostendit* eos *mendaces qui maculaverunt* Joseph falso crimine, ut Putiphar et uxorem ejus, demonstrans eum esse innocentem. Invidos quoque et detractores, qui de hoc sancto confessore sinistra fingere ausi sunt, Deus mendaces esse demonstravit, dum ejus innocentiam et sanctimoniam miris operibus et virtutibus declaravit. Cujus exemplo discamus et nos, fratres mei, invidos et detractores nostros patienter sustinere, quoniam Deus eorum falsitatem et nostram veritatem declarabit. « Nihil enim opertum quod non reveletur (*Matth.* x). » Sextum decimum beneficium est, quod Dominus, tam Joseph quam isto sancto confessori, æternam dedit claritatem miræ sanctitatis, claritatem miræ opinionis, claritatem æternæ beatitudinis, claritatem in animo, claritatem in populo, claritatem in cœlo, ubi sancti fulgent sicut sol (*Matth.* xiii). Quam claritatem meritis et intercessionibus hujus sancti confessoris largiatur nobis omnipotens et misericors Dominus. Amen.

XXIX.

ITEM DE EODEM. SERMO DE LUCA.

Nemo accendit lucernam, et in abscondito ponit, neque sub modio sed super candelabrum, ut qui ingrediuntur lumen videant (*Luc.* xi), etc. Metaphorice hic Dominus loquitur, fratres charissimi. Quæ metaphora trifariam potest interpretari. Lucerna quippe universalis, alia particularis, alia singularis. Porro lucerna universalis est sol justitiæ Dominus noster Jesus Christus, qui, ut ait Joannes « est lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (*Joan.* i). » Hic, inquantum est Deus, et una lux æterna cum Patre. Inquantum vero est homo, est lucerna accensa, flamma divinitatis in testa humanitatis. Porro lucerna tria facit. Oculos pulsis tenebris illuminat, viam demonstrat, nulli se, nisi subtrahenti, negat, « prope est enim omnibus invocantibus eum in veritate (*Psal.* cxliv). » Christus quoque oculos rationis pulsis peccatorum tenebris illuminat, viam vitæ exemplo et doctrina demonstrat, nulli gratiam suam, nisi subtrahenti, negat, « prope est enim omnibus invocantibus eum in veritate. » Unde et Paulus nos monet « ne quis desit gratiæ Dei (*Hebr.* xii). » Quasi dicat : Gratia Dei, quantum in ipsa est, nulli deest, nisi tantum ei qui illi se subtrahendo deest. Deus igitur lucernam in homine Jesu non ideo accendit ut in abscondito, id est sub umbra legis, sed potius in aperto et evidentia Novi Testamenti poneret. Ideo quippe misit Deus Filium suum per incarnationem, ut divinitas, quæ homines latebat, in lucerna humanitatis appareret. Nec ideo accendit ut poneret eam sub modio, id est sub mensura legis, sed potius super candelabrum, id est eminentiam universalis Ecclesiæ. Et ad quid? ut qui ingrediuntur, sublaudi tenebras hujus mundi, lumen videant, quod sequentes valeant rectam viam tenere, et ad cœlestem patriam pervenire. Non solum autem Christus est lucerna, sed quod plus est oculus Ecclesiæ. Unde et subdit : *Lucerna corporis tui est oculus tuus*. Oculus quippe non solum est lumen corporis, sed etiam speculator et custos, et de integritate ipsius corporis est. Sic et Christus lumen Ecclesiæ et speculator ipsius Ecclesiæ est, juxta illud : « Speculator astat desuper (*IV Reg.* ix), » qui nos omnibus diebus actusque nostros prospicit. Custos quippe ipsius Ecclesiæ est, quoniam « non dormitabit neque dormiet qui custodit Israel (*Psal.* cxx). » De integritate etiam ipsius Ecclesiæ est. Unde et in custodia corporis sui, quod est Ecclesia, perpensius vigil et solicitus est. *Si*, inquit, *oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem nequam fuerit, etiam corpus, tuum tenebrosum erit.* Sane oculus simplex est Christus. Simplex quidam est oculus, qui clare et utiliter videt. Et Christus quidem clare videt, utpote in cujus conspectu nulla creatura invisibilis est. Utiliter quoque nobis videt, quoniam non nisi utilia, si volumus, nobis providet. Recte quoque nobis videt, quoniam recta et bona intentione nobis proficiendi nobis providet. Si ergo Christum, qui simplex est oculus, custodem et provisorem Ecclesia vel aliquis fidelis sequatur, totum cor-

pus, id est tota congregatio fidelium, sive tota vita talem oculum sequens, lucida erit. Nequam vero oculus diabolus est. « Oculus, quia se transfigurat in angelum lucis (*II Cor.* II). » Nequam, quia tenebrose et oblique videt atque inutiliter. Tenebrose videt, quia malitiæ suæ pertinacia ita eum excæcavit quod nisi tenebrosa diligit et quærit. Oblique videt, quoniam in omnibus promissis suis intentionem fallendi habet. Inutiliter videt, quoniam, etsi vivaci ratione aliqua videat perspicaciter, tamen sibi et aliis ea videt inutiliter. Qui, etsi quandoque præter spem alicui insidiando proficiat, tamen hoc illius intentio non habebat. Si ergo diabolum, qui utique nequam oculus est, consultorem et provisorem aliquis sequatur, totum corpus, id est opus vel vita ejus talem provisorem sequendo, tenebrosa erit. *Vide*, inquit, *ne lumen quod in te est, tenebræ sint*, id est, cave ne ille quem tanquam lucem, ducem et provisorem sequeris, tenebrosus sit. Quod aperte contra illos est qui diabolum de dubiis et futuris per artes magicas consulere non verentur. Diabolus enim futura et occulta cordium conjectare potest, scire non potest, nisi forte angelorum revelatione. Sed sive sciat, sive nesciat, quæ major insania est quam suum inimicum consulere, qui nunquam novit alicui consulere, sed fallere. *Si ergo*, inquit *totum corpus tuum*, id est tota Ecclesia, vel tota alicujus vita, vel opus sequendo, simplicem oculum, scilicet Dominum nostrum, *lucidum fuerit*, ita quod non habeat in se *aliquam partem tenebrarum, erit* tunc *lucidum totum, et sicut lucerna fulgoris illuminabit* te, subaudi, lumen oculi et lucernæ. Sed et perfecta Ecclesiæ munditia erit in alia vita, ubi erit sine macula et ruga. Dum enim in hac vita defectus patitur, semper macula erit in luna. Sed et vita alicujus sancti sic esse potest lucida in hac vita, quin aliquando aliquid habeat tenebrosum, et si non in criminalibus, saltem in venialibus. Propterea, fratres mei, sequentes lucernam, id est oculum nostrum Jesum Christum, ad illam beatam vitam toto desiderio festinemus, ubi perfectam munditiam consequamur et fulgorem. Lucerna vero particularis est quilibet magister præclarus et spiritualis, hujusmodi Dominus dicit : « Vos estis lux mundi (*Matth.* v). » Hic ad instar solis sive lucernæ, oculos rationis in omnibus, et si non ut auctor, saltem ut minister illuminat, viam vitæ exemplo et doctrina demonstrat, nulli lucem suæ doctrinæ negat ; quam qui negat ab officio lucernæ se privat. Hujusmodi lucernam Dominus in sanctis accendit, non ut ponatur in abscondito vitæ solitariæ et absconditæ, neque sub modio vitæ reclusæ, sed super eminentiam Ecclesiæ, ut qui ingrediuntur Ecclesiam, lumen videant boni exempli et doctrinæ. Ita Dominus semper faceret, nisi merita moresque hominum impedirent. Merita quippe mali populi exigunt quatenus super eos sublimetur non aliquis vir vita et doctrina luminosus, sed aliquis tenebrosus, in majus sui ipsius detrimentum et populi, Job A idipsum testificante, quoniam propter peccata populi, permittit Dominus hypocritam regnare (*Job* XXXIV). Sed et mores multorum hujusmodi sunt, quoniam magis proficiunt positi in imo quam in alto, in occulta vita quam in alta, in vita contemplativa quam in activa. *Lucerna quippe corporis tui est oculus tuus.* Doctor quippe ecclesiasticus non solum lucerna, sed et oculus, id est speculator et custos et præcipuum Ecclesiæ membrum esse debet. Speculator, quatenus in alto constitutus, singulorum mores circumspiciat. Unde Dominus : « Fili hominis, inquit, speculatorem dedi te domui Israel (*Ezech.* III). » Custos, quatenus vigilias noctis super gregem suum vigilet, ne aliquem de suis leo circuiens diripiat. Membrum, quatenus cæteris Christi membris B nervis charitatis compaginatus eis compatiatur. Porro si hic oculus fuerit simplex, clare, utiliter recteque videndo, totum corpus Ecclesiæ quod cum sequitur, lucidum erit. Si autem nequam fuerit, tenebrose inutiliter et oblique videndo, totum corpus Ecclesiæ quod cum ducem sequitur tenebrosum erit. Sicut enim clarus visus oculorum totam faciem Ecclesiæ clarificat et honestat, et sicut tenebrosus vel excæcatus oculus totam hominis faciem obtenebrat et deturpat, ita tenebrosus pastor totam Ecclesiæ faciem excæcat et fœdat. *Vide*, inquit, *ne lumen quod in te est tenebræ sint.* Ac si dicat : Omni vigilantia cave ne doctor tuus qui te debet illuminare tenebrosus sit. Nam, sicut alibi dicit : « Si lumen quod in C te est tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt? (*Matth.* VI.) » Caveant igitur filii Ecclesiæ ne tenebrosum oculum in ducem sibi eligant, et ne etiam, si sit violenter sibi instructus, vel de priori, ut putabatur, bono postea depravatus, ejus ducatum sequatur, ne forte cæci, cæcos ducentes et sequentes, pariter cum eo in foveam æternæ damnationis præcipitentur (*Matth.* XV), sed potius quam citius poterunt, nequam oculum eruant, juxta Domini mandatum dicentis : « Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum et projice a te (*Matth.* V). » Quod aperte condemnat illos qui, neglectis viris vita et doctrina præclaris, sublimant super candelabrum Ecclesiæ, carbones potius fumantes quam flammantes, ut qui ingrediuntur lumen non videant. Lucer- D na singularis est in una quoque homine ratio mentis, quæ ad instar luminis hominem illuminat, quid fugiendum aut sequendum sit demonstrat, et ad modum flammæ superfertur naturaliter ad superiora. Hæc autem flamma divinæ gratiæ accensa non debet in abscondito poni, id est bestialibus moribus et corporis voluptatibus, non debet premi, vel abscondi, neque sub modio debet poni, sub mensura corporalium sensuum non debet includi, sed potius super candelabrum, id est super eminentiam totius hominis debet elevari, quatenus omnia membra sensusque hominis ei subdantur ; ipsa vero regat, provideat et dominetur. Hæc autem non solum est lucerna, sed etiam oculus, id est speculatrix, servatrix, et superior pars hominis. Oculus autem ra-

tionis tunc est simplex, quando clare utiliter et recte videt. Quidam enim oculis clare videt, sed non utiliter. Quidam vero oculis videt clare et utiliter, sed non recte. Porro clare videt, sed inutiliter, qui bonum a malo perspicaciter discernit, sed discrete non eligit. Clare vero et utiliter, sed non recte videt, qui prudenter discernit et discretum utiliter eligit, sed electum ad debitum finem non dirigit. Oculus igitur simplex est, qui et prudenter discernit, et discretum utiliter eligit, et electum per bonam intentionem ad Deum dirigit. Si igitur oculus rationis hoc modo simplex fuerit, totum corpus vitæ vel operis, quæ tali oculo gubernatur, lucidum erit. Si autem oculus rationis fuerit nequam, vel tenebrose discernendo, vel male eligendo, vel oblique in finem malum dirigendo, totum corpus vitæ vel operis, quæ tali oculo gubernatur, tenebrosum erit. *Vide igitur*, inquit, *ne lumen quod in te est, tenebræ sint*, id est vide ne ratio tua, quæ te debet illuminare, vel tenebrose vel inutiliter vel oblique videndo, tenebrosa sit. *Si autem*, inquit, *totum corpus tuum*, id est vitæ vel operis, *lucidum erit*, scilicet non habens, nec per ignorantiam nec per malam electionem, nec per obliquam intentionem, aliquid tenebrarum, erit lucidum totum, id est totus homo. Si enim ratio tua est tota lucida et vita tua tota lucida, tunc perfecte totus eris lucidus, et oculus tuus omnino simplex. Tunc, *sicut lucerna fulgoris illuminabit te*, ut videlicet sis lucidus penes teipsum, penes populum, et penes Deum. Itaque, fratres mei, oculum mentis purgare studeamus, non solum tenebrosa opera, sed etiam tenebrosas cogitationes fugiamus, bona opera cum bona intentione faciamus; Deum finem operum nostrorum constituamus, ad eum toto desiderio festinemus; vilescant nobis omnia quæ in hoc sæculo possidemus, omnia quæcunque possumus, ad cœlestes thesauros per opera misericordiæ transferamus, quatenus stola æternæ claritatis indui mereamur, præstante Deo et Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in æternum. Amen

COMMUNE UNIUS VIRGINIS.

XXX.

UNIUS VIRGINIS. DE EPISTOLA AD CORINTHIOS SERMO.

Qui gloriatur, in Domino glorietur (*II Cor.* x), etc. Hæc lectio tripartita est, fratres mei. Primo enim monet Apostolus gloriantem in Domino gloriari. Secundo optat suam insipientiam supportari. Tertio dicit se zelare nos zelo Dei. Primum igitur monet *ut qui gloriatur, in Domino glorietur*. Porro ad quod aliquis in Domino glorietur, tria concurrunt: Et quod gaudium suum et causam ejus Deo attribuat, et quod inde ei gratias agat, et quod gaudii sui Deum finem constituat. Sunt enim quidam qui gaudium suum et causam gaudii sui, sibi, non Deo attribuunt, et superbi sunt ut illi qui dicunt: « Manus nostra excelsa, et non Dominus fecit hæc omnia (*Deut.* xxxii). » Et sunt quidam qui gaudium suum et causam gaudii sui Deo attribuunt, sed non illi debitas gratias agunt, et ingrati sunt, ut novem leprosi qui ad reddendum ei gratias, quem curationis suæ auctorem noverant, non redierunt. Et sunt quidam, qui et gaudium suum et causam gaudii sui Deo attribuunt, et ei gratias agunt, sed finem gaudii sui ad aliquam vanam intentionem deflectunt, et vani sunt, ut hypocritæ et omnes vanitatis amatores. Qui ergo et quod gaudet, et unde gaudet Deo attribuit, et inde ei gratias agit, et eumdem finem eum constituit, in Deo profecto gloriatur, et bene gloriatur, si de bono glorietur. Sunt enim quidam qui de malo bono gloriantur, ut Paulus et cæteri legis æmuli, qui gloriabantur in persecutione apostolorum, arbitrantes « se obsequium præstare Deo (*Joan.* xvi), » habebant quidem zelum « Dei, sed non secundum scientiam (*Rom.* x). » Sunt et qui de bono in malo gloriantur, ut hypocritæ, et pejores sunt hypocritæ enim de bono, si quod faciunt vane gloriantur. Sunt et qui de malo in malo gloriantur, et pessimi sunt, ut illi « qui lætantur cum male fecerint, et exsultant in rebus pessimis (*Prov.* ii). » Sunt et qui de bono in bono gloriantur, et boni sunt, ut illi de bono quod habent, in Deo glorientur. Qui ergo de bono in bono gloriantur, bene utique et discrete faciunt. Quare autem homo debeat non in se, sed in Deo gloriari, ostendit, cum subdit: *Non enim qui seipsum commendat ille probatus est, sed quem Deus commendat*, id est non ex hoc quod aliquis se probat est probatus et laudabilis, sed ex hoc quod Deus eum probat et commendat. Sunt enim quidam qui in conspectu hominum, vanis laudibus, vel simulatis operibus sese probant et reprobantur, ut jactatores et hypocritæ. Sunt et alii qui in conspectu Dei de fide et charitate sua præsumentes sese probant. Et inde non ideo reprobantur, sed magis improbantur et humiliantur, ut suam recognoscant infirmitatem, ut Petrus de se præsumens dixit: « Et si oportuerit me mori tecum, non te negabo (*Matth.* xxvi). » Permissus est cadere, ut de cætero suam infirmitatem agnosceret, et non in se, sed in solo Deo confideret. Sic et David cum quasi de se præsumendo dixisset: « Ego dixi in abundantia mea: Non movebor in æternum (*Psal.* xxix), mox de hac præsumptione se correctum esse demonstrat, cum subdit: « Avertisti faciem tuam a me, et factus sum conturbatus (*ibid.*). » Similiter cum de se præsumendo dixisset: « Juravi et statui custodire judicia justitiæ tuæ (*Psal.* cxviii), » mox de hac præsumptione se correctum esse ostendit cum subdit: « Humiliatus sum usquequaque, Domine, vivifica me secundum verbum tuum (*ibid.*). » Sunt et alii qui coacti humiliter et fine debito sese probant, nec tamen ex hoc reprobantur, sed potius ex hoc Deus eos probat et commendat, ut Paulus, qui, coactus a pseudoapostolis, sese commendat Corinthiis (*II Cor.* xi), ut magis audiant eum prædicantem vera quam pseudoapostolo prædicante falsa. Homo igitur se laudat solis verbis, Deus autem lau-

dat hominem factis. Homo se laudat, laudabilem tantum se esse dicendo : Deus vero laudat hominem, cum laudabilem faciendo, conferendo videlicet ei gratias suas, et præcipue virtutem humilitatis, qua instruatur semper de se humiliter sentire, nihil de se, sed semper de Deo præsumere, omnia Deo attribuere, et ad Deum omnia referre. Hæc hominem probatum atque laudabilem faciunt. Quanto enim quis magis fugit gloriam, tanto magis eum gloria sequitur.

Secundo optat Apostolus suam insipientiam supportari, cum subdit : *Utinam sustineretis modicum quid insipientiæ meæ ! sed et supportate me* (*II Cor.* XI). Porro suam insipientiam vocat Apostolus, hoc quod seipsum commendare est compulsus, cum scriptum sit : « Laudet te os alienum, et non tuum (*Prov.* XXVII). » Nunquam enim sunt alicujus probitates ita splendidæ, quin ex ejus ore fiant sordidæ. Esset igitur vere insipientia quod Apostolus se commendat, nisi hoc humiliter et debito fine faceret, et nisi magis in se Deum quam seipsum commendaret. Tres enim causæ inveniuntur in sacris litteris, quibus sancti coguntur sua bona humiliter retractare, videlicet aut quando premuntur vehementi adversitate, bona sua ad consolationem et spem humiliter retractant, ut Job qui dicebat . « Oculus fui cæco, et pes claudo (*Job* XXIX). » At quando movere volunt Deum summum Judicem ad misericordiam, ut Ezechias, cui cum dictum esset a Domino : « Morieris tu et non vives, ait : Memento, Domine, quomodo ambulaverim coram te in veritate (*Isa.* XXXVIII). » Aut quando volunt persuadere auditoribus, ut sibi magis acquiescant quam pseudoprædicatoribus, ut hic Paulus : Ministri, inquit, Christi sunt, et ego, (ut minus sapiens dico), plus ego. Hanc ergo insipientiam suam optat Apostolus sustineri, ac si dicat : Opto ut meam personam commendantem non redarguatis, sed sustineatis ; sed, quod plus est, supportate me. Sustinemus enim ea quæ non approbamus. Supportamus ea quibus consentimus. Est ergo ac si dicat : Si infirmitates et excessus patris vestri spiritualis sustinere et excusare debetis, et maledictus est, qui sicut Cham pudenda patris irridet, quanto magis vos meam propter vos susceptam insipientiam supportare debetis ? Quare autem eum in hoc supportare debeant ostendit, cum subdit : *Æmulor enim vos Dei æmulatione.* Ac si apertius dicat : Propter hoc debetis me supportare in hoc, quia propter dilectionem et salutem vestram facio totum hoc. Est autem hæc pars tertia, in qua Apostolus dicit se nos zelare zelo Dei. Æmulor enim pro zelo positum est. Sane qui zelat sponsam suam, quatuor facit : eam ardenter amat, eam cultibus exornat, omnes personas suspectas ab ea sequestrat, eam monitionibus, minis et verberibus castigat. Sic faciebat Paulus. Sic facere debet omnis pastor ecclesiasticus. Debet enim Ecclesiam sibi commissam ardenter amare, bonis moribus et virtutibus eam exornare, hæreticos, criminosos et omnes animarum corruptores ab ea sequestrare, eam promissis, exhortationibus, minis, verberibus ad castitatem et sanctitatem provocare. Cui autem pastor ecclesiasticus, debeat zelare Ecclesiam ostendit Apostolus cum subdit : *Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo.* Multi enim paranymphi, sed unus solus sponsus est Jesus Christus. Et multæ sunt personæ Christo desponsatæ, sed una sola est Christi sponsa, videlicet Ecclesia. Quæ, quamvis tam ex incorruptis quam ex corruptis corpore constet, tamen propter fidei integritatem inviolabiliter conservatam, virgo casta nuncupatur. Quamvis autem hæc desponsatio in utero virginali sit celebrata, tamen Paulus ait : Desponsavi, eo quod desponsationis nuntius et conciliator, quantum ad Corinthios, fuit. Porro in desponsatione quatuor concurrunt, videlicet consensus, pactio conjugalis, ex parte virginis arrha, et dos ex parte viri. Hæc eadem sunt in desponsatione Christi et Ecclesiæ. Consentit enim Ecclesia, sive quælibet fidelis anima sponte ut Christo inhæreat per fidem. Cum enim cætera possit homo facere nolens, credere non potest nisi volens. Pascitur se in dilectione et observantia mandatorum Dei perseveraturum. Christus vero sponsus largitur ei æternæ hæreditatis dotem. Ita ue, fratres mei, quia spopondistis in baptismo vos per fidem Christo sponso adhærere, quia pacti estis vos in charitate ejus et mandatis perseverare, quod Spiritum sanctum accepistis in peccatorum remissione, considerate diligenter, si in his perseveratis, procul dubio beati estis, quam percepturi estis dotem æternæ hæreditatis. Quod si consensum et pactum desponsationis vestræ frangistis, festinate quam citius poteritis, illud per pœnitentiæ remedium, illud renodare, quoniam benignus et misericors est Dominus, qui post multas fornicationes animam non solum recipere dignatur, imo ut ad seipsum redeat hortatur. Unde ipse per Jeremiam dicit : « Si recedens a viro suo mulier duxerit alterum virum, nunquid revertetur ad eum ultra? Nunquid non polluta erit mulier illa? Et tu fornicata es cum amatoribus multis, tamen ad me revertere, et ego te suscipiam, ait Dominus (*Jer.* III). » Quis viscera divinæ misericordiæ pensare sufficiat? Homo peccator mulierem post fornicationem ad se redeuntem recipere dedignatur, et Deus, qui ipsa munditia est, animam post multas fornicationes ut ad se redeat hortatur. Jam nobis nullus excusationis relinquitur locus. Propterea, fratres mei, post multas turpitudines et prævaricationes ad Deum revertamur, scelera nostra lacrymis veræ pœnitentiæ diluamus, operibus misericordiæ redimamus, jejuniis et afflictionibus corpora nostra castigemus, orationibus et bonis operibus superni sponsi gratiam imploremus, ad eum totis suspiriis et gemitibus clamemus, quatenus ad suas æternas nuptias nos introducere dignetur, et dotem promissam nobis concedat Dominus noster Jesus Christus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula. Amen.

XXXI.

UNIUS VIRGINIS. SERMO DE MATTHÆO.

Dixit Jesus discipulis suis : Simile est regnum cælorum decem virginibus quæ, accipientes lampades suas, exierunt obviam sponso et sponsæ (*Matth.*. XXV), etc. In hac sancti Evangelii lectione, fratres charissimi, nos Dominus hortatur ut cum omni sollicitudine et vigilantia nos præparemus, ne, ipso subito veniente, ipsi impræparati reperiamur. Sunt enim quidam nostrum qui (unde dolendum est) in nullo præparantur. Alii sunt qui, etsi in aliquo se præparent, tamen in aliquo impræparati manent. Quidam enim sunt qui nec fidem Christi habent, qui, ut ait Dominus, jam judicati sunt (*Joan.* III). Alii vero sunt qui et fidem habent, sed opera non habent. Quæ quidem fides, teste sancto Jacobo, mortua est (*Jac.* II). Alii vero sunt, qui etsi fidem et opera habeant, tamen inde gloriam humanam, non gloriam Dei captant : hi, ut Dominus ait, « jam receperunt mercedem suam (*Matth.* VI). » Alii item sunt qui ex operibus suis divinam gloriam pariter et humanam captant, sed ecce (ut ait Jacobus) « vir duplex animo inconstans est in operibus suis (*Jac.* I). » Alii vero sunt qui, etsi in proposito sui operis principaliter divinam gloriam quærant, tamen in ipso opere, humana gloria sese latenter adjungit, quæ ex magna parte meritum boni operis excludit. Contra quod nos Dominus monet, « Faciente, inquit, te eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua (*Matth.* VI). » Alii sunt qui, etsi gloriam in opere latenter surgentem penitus repellant, tamen gloriam ab hominibus oblatam penitus contemnere non valent. Qui, etsi erubescant et indignos se esse dicant, tamen interius animus ad laudes lætatur, crescit et elevatur. Qui nisi tempestive refrenetur, merces operis tota evacuatur. Quam subtilis quippe vanæ gloriæ sit pugna, nemo advertit, nisi qui ei bellum intulit. Cæteri vero humanam gloriam aut quærentes, aut oblatam non respuentes, in adventu judicis impræparati et sine lumine reperiuntur. Hinc est quod Dominus regnum cœlorum, id est Ecclesiam regnum cœlorum sperantem, assimilat prudentibus et fatuis virginibus (*Matth.* XXV). Sunt autem parabolæ hujus septem particulæ. Primum enim, virgines in adventu sponsi se præparant; secundo, dormiunt; tertio, sponso veniente, surgunt; quarto, fatuæ a prudentibus oleum petunt, nec accipiunt; quinto, cum sponso introductis prudentibus ad nuptias janua clauditur; sexto, fatuæ clamitantes repulsam patiuntur; septimo, per hoc omnes vigilare admonemur. Primum igitur, omnes virgines sponsi adventum sperare et in aliquo se præparare demonstrantur, cum dicitur : *Simile est regnum cœlorum decem virginibus quæ, accipientes lampades suas, exierunt obviam sponso et sponsæ.* Hinc patet quod infideles, et illi qui in nullo ad adventum summi judicis se præparant, in hac parabola non includuntur; illorum enim certa damnatio est. Designantur autem hæ virgines per denarium numerum, eo quod de illis ruina novem ordinum angelorum est restauranda, et quasi ordo decimus est restituendus. Quæ bene dicuntur virgines, quasi ab illecebris carnalibus sese continentes. Unde merito tam hæ quam illæ dicuntur quinque, quæ portas quinque sensuum ab illicitis noverint refrenare. Bene quoque utræque lampades, quæ vasa ampla et lucida sunt, accipiunt, quoniam utræque operationes amplas et præclaras facere contendunt. Sed illæ secum oleum non sumunt, quæ pro nobis operibus suis non de conscientia sua apud Deum, sed ab ore hominum apud sæculum gloriam quærunt. Istæ vero cum lampadibus et oleum sumunt in vasis suis, quæ cum bonis operibus suis intentionem divinæ gloriæ recondunt in conscientiis suis. Unde Apostolus ait gloriam nostram esse testimonium nostræ conscientiæ (*II Cor.* I); et alibi : « Probet, inquit, unusquisque opus suum, et sic in semetipso gloriam habebit, et non in altero (*Gal.* VI). » Unde recte istæ prudentes dicuntur, quæ pro temporalibus et caducis operationibus, æternam gloriam emere norunt. Et illæ econtra fatuæ dicuntur, quæ totum laborem suum pro ventulo vanæ gloriæ vendiderunt. Notandum est tamen quoniam juxta Evangelii textum videtur quod hæ fatuæ virgines opera sua non fecerunt intentione laudis humanæ, sed propter adventum sponsi, scriptum quippe est : *Accipientes lampades suas, exierunt obviam sponso.* In quo causam finalem videtur significare, quasi dicat : Propter hoc acceperunt ut exirent obviam sponso. Non ergo propter hoc quod principaliter requirerent in operibus suis vanam gloriam, fatuæ dicuntur, sed quia gloriam, a latere surgentem, vel ab hominibus oblatam, non contempserunt. Quid ergo patientur illi qui principaliter ex operibus requirunt vanam gloriam, cum sic reprobentur et illi qui eam non requirunt, sed oblatam non contemnunt? Tertio, de dormitione earum subjungitur : *Moram autem faciente sponso, dormitaverunt omnes, et dormierunt.* Porro mora ista est a primo Christi adventu usque ad secundum. Non est autem hæc mora pensanda, juxta Christi divinitatem, cui omnia sunt præsentia. Unde de eo dicitur : « Quoniam mille anni ante oculos tuos tanquam dies hesterna quæ præteriit (*Psal.* LXXXIX). » Nec secundum reproborum mentem, qui secundum Christi adventum nunquam vellent advenire, eo quod tunc eorum pœnæ duplicabuntur, sed, juxta electorum mentem et desiderium, qui eum in consummatione suæ gloriæ advenire desiderant. Quorum desiderio, omnis festinantia mora reputatur. Unde et illis clamantibus in Apocalypsi dicitur : « Sustinete adhuc modicum, donec impleatur numerus fratrum vestrorum (*Apoc.* VI). » *Dormitaverunt*, inquit, *omnes et dormierunt.* Dormitare est ægrotare, dormire autem mori est. Omnes igitur virgines dormitaverunt et dormierunt, quia ægrotando ad somnum mortis accesserunt.

Tertio, de excitatione earum subjungitur, cum di-

citur : *Media autem nocte clamor factus est : Ecce sponsus venit, exite obviam ei.* Porro traditio Judæorum est Dominum ad judicium media nocte esse venturum quia in nocte media percussit Ægyptum. Sed nos hic per mortem intelligimus ignorantiam, quia scilicet Dominus sic improvisus et repente ad judicium festinabit, quod a nemine valebit comprehendi nec prævideri. Scriptum est enim : « Dies Domini, sicut fur, ita in nocte veniet (*II Petr.* III). » *Clamor*, inquit, *factus est*. Hoc est quod Dominus in Evangelio dicit : « Amen, amen dico vobis, quia venit hora in qua omnes qui in monumentis sunt audiant vocem Filii Dei (*Joan.* V). » Et Apostolus : « Dominus, inquit, in voce archangeli et in tuba Dei descendet de cœlo (*I Thess.* IV). » Quis clamor? *Ecce sponsus venit*, ad consociandam sibi perpetuo Ecclesiam sponsam suam. *Exite obviam ei.* Hoc est quod Apostolus ait : « Et nos rapiemur simul cum illis in nubibus obviam Christo in aera (*Ibid.*). » Ad hanc vocem omnes virgines surgunt, quoniam ad præceptum Christi omnes tam boni quam mali a sepulcris exibunt. Lampades ornant, quia de operibus suis reddere rationem parant, sed dissimiliter, nam boni in ea puritate in qua ea fecerunt demonstrare parant; reprobi vero impuritatem operum suorum colore palliationis simulare laborant. Quarto, fatuæ a prudentibus oleum petunt, cum eis dicunt : *Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ exstinguuntur.* Porro fatuarum lampades exstinguuntur, quia earum opera, quæ foris clara hominibus apparuerant, in adventu judicis intus obscurantur, et a Deo retributionem non inveniunt, quia pro eis receperunt laudes quas amaverunt. Quid ergo est quod tunc a prudentibus oleum petunt, nisi quod cum in adventu judicis se vacuas intus invenerunt, more solito, testimonium foris quærunt. Ac si a sua fiducia deceptæ proximis dicant : Quia nos quasi sine bono opere repelli conspicitis, dicite de nostris operibus quid vidistis. Sicque testimonium hominum, qui corda non vident, habere volunt apud Deum, qui est inspector cordium. Sed quid prudentes virgines respondeant audiamus : *Ne forte*, inquiunt, *non sufficiat nobis et vobis.* In illo enim die cujusque testimonium vix sibiipsi sufficit, quanto minus et sibi et proximo. Neque enim alieno testimonio quis juvatur apud Deum, cui omne cor patet. Neque bonorum virtutes possunt vitia malorum redimere, cum quisque pro meritis suis recipiet. *Ite*, inquiunt, *potius ad vendentes et emite vobis.* Non dant consilium, sed potius eas increpant et commemorant crimen earum. Venditores quippe olei sunt adulatores, qui dant inanem laudem, et accipiunt aliquam mercedem. De quo oleo ait Psalmista : « Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum (*Psal.* CXL). » Per caput principalior pars hominis, scilicet mens designatur. Impinguat ergo oleum caput peccatoris cum demulcet mentem laus adulantis. Ac si dicant : Ite, et more vestro venamini laudes hominum, et videamus quid possint vobis prodesse laudes eorum. Quinto, venit sponsus, et prudentes intrant cum eo ad nuptias, unde et subditur, *dum autem irent emere, venit sponsus*, quia, dum fatuæ vitæ suæ testimonium foris quærunt, judex venit, qui non opera, sed mentes attendit. *Et quæ paratæ erant intraverunt cum eo ad nuptias, et clausa est janua.* Quis pensare sufficiat, fratres mei, quid horroris habeat quod dicitur, *venit sponsus?* Quid dulcedinis, cum dicitur, *intraverunt cum eo ad nuptias?* Quid amaritudinis, *et clausa est janua?* Quid enim magis horrendum est nobis peccatoribus, quando summus judex et peccatorum ultor venit? Suo enim adventu elementa concutit, terram cœlosque accendit, homines et angelos ad judicium trahit. Unde ipse per Prophetam : « Adhuc, inquit, semel et ego movebo, non solum terram, sed etiam cœlum (*Agge.* II). » Etsi ante ejus conspectum virtutes cœlorum movebuntur, ut in Evangelio dicitur (*Luc.* XXI), et columnæ cœli, ut Job testatur, contremiscent (*Job* XXVI), quid facient peccatores? « Et si justus vix salvabitur, impius et peccator ubi parebunt? » (*I Petr.* IV.) Quantus terror erit, fratres mei, eum quem etiam tranquillum mens humana capere non valet, iratum videre? Quanta confusio erit omnibus occultis turpitudinibus, in conspectu omnium hominum angelorumque propalatis erubescere? Quanta desperatio erit tormenta sibi parata videre, et nullum remedium invenire? quem diem intuens propheta ait: « Dies illa, dies iræ, dies tribulationis et miseriæ, dies calamitatis et angustiæ, dies nebulæ et turbinis, dies tubæ et clangoris (*Soph.* I). » Quantis asperitatibus vidit illum diem reprobis amarescere, quem tot amaritudinibus non valuit explicare? Quæ vero major dulcedo poterit contingere justis quam de ejus visione gaudere, quam cæteri tremebunt, et cum eo ad æternas nuptias introire, et a divini amoris amplexibus separari non posse? Et quæ major amaritudo poterit contingere reprobis quam a cœtu sanctorum janua clausa in æternum sequestrari, et dæmoniorum horribili collegio in æternis cruciatibus aggregari? Tunc regni janua lugentibus claudetur, quæ modo pœnitentibus quotidie aperitur. Erit quippe tunc pœnitentia, sed infructuosa, quia nequaquam veniam est consecuturus qui modo aptum veniæ negligit tempus. Unde Apostolus : « Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis (*II Cor.* VI). »

Sexto fatuæ repulsam patiuntur, unde et subditur: *Novissime veniunt, et reliquæ virgines dicentes : Domine, domine, aperi nobis. At ille respondens ait : Amen dico vobis, nescio vos.* Non dicitur quod emerunt oleum, quia tunc nullum erit gaudium de laudibus alienis, sed in angustiis redeunt ad implorandam Dei misericordiam, qui eis dicit : *Nescio vos*, id est, per vitæ meritum non agnosco vos. Pensate, fratres mei, quanta confusio et quantus dolor erit pro momentaneis et vilibus voluptatibus, a consortio Dei et sanctorum perpetuo excludi, pulsare et repulsam pati, pœnitere et non invenire indultorem,

lugere et non invenire consolatorem, orare et non invenire exauditorem. Ibi enim a Deo non potest mereri quod petit qui hic noluit audire quod jussit. Qui tempus tempestivæ pœnitentiæ hic perdit, frustra cum lacrymis ante januam venit. Hinc Dominus per Salomonem : « Vocavi et renuistis ; extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret ; despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo et subsannabo, cum vobis quod timebatis advenerit (*Prov.* I). » Septimo generalis admonitio subinfertur : *Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam.* Ac si dicat : Vigilate in vestri præparatione, ne imparati reperiamini, summo judice veniente. Quare autem sit nobis semper vigilandum ostendit, cum subdit : *Quia nescitis diem neque horam.* Si præsciremus horam vocationis nostræ, aliud tempus pœnitentiæ, aliud tempus voluptatibus possemus aptare. Sed qui præsentem diem nobis ad pœnitentiam dedit, crastinum non promisit. Semper ergo debemus vigilare, semperque parati esse. Sed nos non solum commissa peccata non plangimus, sed etiam quæ plangantur augemus. Ecce nunc diem ipsum de quo loquimur, quam ad nuptias conversionis accepimus, et tamen reatus nostros flere recusamus. Et si nos aliqua ægritudo corripiat, si signa ægritudinis vicinitatem designant mortis, inducias cum fletibus flagitamus, quas acceptas nunc aspernamur. Refert beatus Gregorius quod quidem vir nobilis fuit in provincia Valeriæ, nomine Crisorius, tantum plenus vitiis quantum rebus, superbia tumidus, carnis suæ voluptatibus subditus, avaritiæ facibus accensus, qui ad extremum veniens, ea hora qua erat morituras, vidit apertis oculis tetros et nigerrimos spiritus coram se assistere, et ad se rapiendum vehementer imminere. Cœpit tremere, pallere, sudare, et cum magnis vocibus inducias petere, filiumque suum, nomine Maximum, clamando vocare : « Maxime, curre, et in fide tua me suscipe. » Turbatus mox Maximus adfuit, lugens famula convenit, sed illos malignos spiritus videre non poterant, sed eorum præsentiam in confusione, in pallore, in tremore et pavore ejus qui trahebatur videbant. Pavore autem eorum ille vertebatur in lectulo, jacebat in sinistro latere, aspectum illorum ferre non poterat, vertebatur ad parietem ne videret eos. Cumque jam nimis contractus desperaret, cœpit clamare inducias usque mane. Et in his clamoribus de habitaculo carnis est evulsus. De quo nimirum constat quia pro nobis, non pro se, ista viderit, ut ejus visio nobis proficeret, quos Dei longanimitas exspectat. Nam illi quid profuit qui inducias quas petiit non accepit? Itaque, fratres mei, semper æstimemus extremum diem nobis imminere, semper certemus nos magis ac magis præparare. Sic vivamus, sic nos habeamus, ac si jam morituri essemus, quatenus summo sponso venienti parati ei occurrere valeamus, et cum ipso ad æternas nuptias introire, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus. Amen.

XXXII.

UNIUS CONTINENTIS. DE LIBRO SAPIENTIÆ SERMO.

Mulierem fortem quis inveniet? Procul et de ultimis finibus pretium ejus, etc. (*Prov.* XXXI.) Juxta litteram, fratres mei, videns Salomon sexum femineum tantisper ad vitia proclivum, quod vix aliqua matrona reperiri possit honesta, unde et ipse dicebat : « Virum ex mille unum reperi, mulierem vero ex mille unam non reperi (*Eccle.* VII.) ; propterea admirans conqueritur et quærit dicens, *Mulierem fortem quis inveniet?* Oppositio videtur esse in adjecto; nam si mulier, quomodo fortis? aut si fortis, quomodo mulier? Porro in muliere triplex est infirmitas, videlicet infirmitas carnis, sexus et mollitiei conjugalis. Itaque mulierem in hac triplici infirmitate fortem quis inveniet? *Procul et de ultimis finibus pretium ejus.* Ac si aperte dicat : Raro potest reperiri. Et si potest reperiri, certe raris et pretiosis et de longe requisitis divitiis potest comparari. Est quidem rara, sed quanto rarior, tanto pretiosior. Scriptum est enim : « Gratia supergratiam mulier sancta et pudorosa (*Eccli.* XXVI). » Deinde quæ sint officia, et quæ merces fortis mulieris exponit. Primum autem fortis mulieris est, quod sit fidelis, non solum erga Deum, sed etiam erga virum suum. Quod per consequens demonstrat, cum subdit : *Confidit in ea cor viri sui.* Ex fidelitate enim mulieris sequitur quod vir ejus in ea confidat, quod scilicet ei fidem et dilectionem, et in corde et in opere, et in rebus sit observaturam. Et propter hoc ipso providente *spoliis non indigebit*, id est acquisitis divitiis abundabit. Et hoc contra illam mulierem quæ fidem violat nuptiarum, thorum maculat conjugalem, virum spernit, et ideo æternæ indigentiæ subjacebit. Secundum officium est quod sit de sibi collatis bonis viro grata, de quo subditur : *Reddet ei bonum, et non malum, omnibus diebus vitæ suæ.* Sicut enim ingratæ mulieris est reddere viro suo malum pro bono, vel bonum, sed non perseveranter, vel ex malo fine, ita gratæ mulieris est reddere viro suo bonum, id est reverentiam, subjectionem, obedientiam et officiositatem, et hoc cum dilectione et perseverantia. Tertium officium fortis matronæ est semper aliquid honesti et utilis operis agere, ne diabolus, qui semper otiosis insidiatur, inveniat eam otiosam. Unde et subdit : *Quæsivit lanam et linum, et operata est consilio*, id est, *arte manuum suarum.* Lanificium enim conveniens est, ut habeat unde suos vestire, hospitem operire, nudum vestire queat. Et hoc contra illam quæ mavult otiari, jacere, et in stercore suo putrescere, quam aliquid operari. Quartum officium est, sibi, et domui suæ et indigentibus victualia sapienter et juste providere et conservare, quibus cursum hujus vitæ possit consummare. Unde subditur : *Facta est quasi navis institoris, de longe portans panem suum.* Hinc Joseph qui frumenta in futuram

famem conservavit, commendatur, et salvator nuncupatur Quintum officium est, diluculo unicuique servorum et ancillarum opera injungere, ne vacent, et cibaria distribuere, ne deficiant, unde subdit : *De nocte consurgit, deditque prædam*, id est officium acquirendi *domesticis suis et ancillis suis cibaria*. Scriptum est enim : « Cibaria et virga, et onus asino panis et disciplina et opus servo. Multam namque malitiam docuit otiositas (*Eccli.* xxxiii). » Hinc Apostolus : « Qui non laborat, non manducet (*II Thess.* iii). » Sextum officium est rectiorem et honestiorem modum vivendi considerare, et eo modo vivere. Porro rectior et honestior modus vivendi est agricultura. Unde subditur : *Consideravit agrum*, id est agriculturam, et emit eum. *De fructu*, id est labore *manuum suarum plantavit vineam*. Hunc vivendi modum commendat Psalmista, dicens : « Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, et bene tibi erit (*Psal.* xxvii). » Septimum officium est, in virtute castitatis et cæterarum virtutum operibus se fortiter exercere; unde subdit : *Accinxit fortitudine lumbos suos, et corroboravit brachium suum*. Hæc enim sunt ornamenta quæ præcipue bonam matronam exornant : cingulum castitatis, perichelides bonæ operationis, peplum pudoris, monile bonæ eruditionis, inauris obedientiæ, torques prudentiæ, armilla subjectionis. Et hæc contra illas quæ ad nullum bonum se accingunt, sed in sola libidine fortes sunt. Octavum officium est, gustare et experiri quam sit bonum, de negotio agriculturæ, et de cæteris rectis laboribus sibi et indigentibus necessaria providere, et propterea non solum in die, sed etiam in nocte justis laboribus instare. Quatuor enim utilitates confert labor manuum : vitia destruit, virtutes nutrit, necessaria parat, eleemosynam donat. Unde et subdit : *Gustavit et vidit quoniam bona est negotiatio ejus ; non exstinguetur in nocte lucerna ejus*. Hinc Paulus, ne pro sustentatione sui et suorum quemquam gravaret, dicit se laborasse, et alios hortatur ad laborandum, dicens : « Magis autem laboret unusquisque manibus suis, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti (*Ephes.* iv). » — « Beatius enim est dare quam accipere (*Act.* xx), » Qui enim dat, Deum imitatur, qui accipit, fœnerator est. Nonum officium est, non solum ad fortia et magna, sed et vilia et humilia opera (si locus fuerit) manum apponere. Unde subditur : *Manum suam misit ad fortia, et digiti ejus apprehenderunt fusum*. Sicut enim superbæ mentis est opera humilia abhorrere, ita humilis mentis est nullam operum vilitatem (si locus fuerit) evitare. Decimum officium est operibus misericordiæ insistere, et inopi non solum petenti, sed et petere erubescenti, præveniendo palmas largius extendere. Unde et subdit : *Manum suam aperuit inopi, et palmas suas extendit ad pauperes*. Hinc Psalmista : « Beatus qui intelligit super egenum et pauperem (*Psal.* xl). » Super egenum intelligit qui, intelligens aliquem egere, non exspectat ut petatur, sed prævenions munus extendit. Bis enim tribuit qui indigentis verecundiam prævenit. Undecimum officium est, familiæ suæ contra frigus, cæteraque necessaria providere, unde subditur : *Non timebit domui suæ a frigoribus nivis; omnes enim domestici ejus vestiti sunt duplicibus*. Hinc Apostolus : « Si quis suorum et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit (*I Tim.* v). » Et poeta :

Non sibi sed domino gravis est, cui servit egestas.

Duodecimum officium bonæ matronæ est seipsam honeste et decenter ornare, ut placeat viro suo, ne si forte ei displiceret, ei forte occasio fornicationis fieret, unde et subditur : *Strangulatam vestem fecit sibi, byssus et purpura indumentum ejus*. « Mulier quæ nupta est, cogitat quomodo placeat viro (*I Cor.* vii). » Sicut enim cultior cultus reprehensibilis est in vidua, sic inhonestus in conjugata, si tamen per hunc non alieno viro appetit placere, sed suo. Quæ enim ob hoc se ornat ut alienis placeat, hoc ipso jam est mœchata. Tertium decimum officium mulieris fortis est, bono exemplo et verbo virum suum honestare et sanctificare, juxta quod Apostolus ait : « Sanctificatur vir infidelis per mulierem fidelem (*I Cor.* vii) ; » hoc est ergo quod sequitur : *Nobilis in portis vir ejus*, id est in judicio, *cum sederit cum senatoribus terræ*. Sicut enim mulier inhonesta virum suum reddit verecundum et latibundum, ita mulier honesta virum suum reddit nobilem atque solemnem. Quartum decimum officium bonæ et sanctæ matronæ est, quamdam telam innocentis et mundæ vitæ ordiri et perficere, et ad ejus emendam negotiationem, Chananæum, id est quemlibet extraneum negotiatorem, bonas negotiationes quærentem per æmulationem accingere. Unde subditur : *Sindonem fecit et vendidit, et cingulum tradidit Chananæo*. Et hoc contra illas quæ telam infamiæ texunt, et ad illam malo exemplo, reliquas feminas accingunt. Quintum decimum officium est se fortibus et honestis moribus tanquam quibusdam indumentis induere. Unde subditur : *Fortitudo et decor indumentum ejus, et ridebit in die novissimo*. Non ait, ridet, quoniam « væ vobis qui ridetis (*Luc.* vi). » Et hoc contra illas quæ dissolutione et turpitudine sese induunt, et in cachinnum sese effundunt. Sextum decimum officium est, filios et familiam suam in sapientia, et in lege Domini exemplis et verbis erudire, unde subditur : *Os suum aperuit sapientiæ, et lex clementiæ in lingua ejus*. Cum autem lex tam clementiæ quam justitiæ sit, tamen hic lex clementiæ dicitur, ut meminerit matrona clementiam, quam lex præcipit, in familiam habere, sicut Dominum vult invenire clementem in se. Et hoc contra illas mulieres, quæ turpiloquia et impudicas cantilenas discunt, et legem Dei non curant. Septimum decimum officium est, omnes semitas domus suæ, sive inutiles, sive utiles, sive nocentes considerare, unde subditur : *Consideravit semitas domus suæ, et panem otiosa non comedit*, sed potius vigilando et laborando, semitas per quas bonum domui provenire

poterat, aperuit, et eas per quas damnum domui provenire poterat, obstruxit. Et hoc contra luxuriantes viduas, quas Apostolus redarguit, dicens : « Simul et otiose discunt circuire domos, nec solum otiosæ, sed et verbosæ et curiosæ (*I Tim.* v). »

Sequuntur mercedes fortis mulieris. Prima merces ejus est, laus filiorum, unde subditur : *Surrexerunt filii ejus*, subaudi, ad bonos mores, virtutes et opera. *Et beatissimam prædicaverunt eam*, eo modo quo artificium prædicat artificem, fabricatura fabrum, factura factorem, sicque filii bene eruditi matrem eruditricem. Secunda laus est viri. Unde subditur : *Vir ejus laudavit eam*, quasi dicat : Cui bene credi debet, tanquam illi qui secretorum suæ conjugis diligens est perserutator. Quibus autem verbis eam laudet, ostenditur cum subjungitur : *Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu autem supergressa est universas*, quia videlicet non fallaces et vanas, ut cæteræ, sed potius spirituales et æternas tibi congregasti, unde et subdit : *Fallax gratia*, sive imago *et vana est pulchritudo*. Fallax quippe est gratia, sive imago temporalium divitiarum, vana etiam est pulchritudo corporalium bonorum, quia sive interioribus divitiis non solum non prosunt, imo etiam obsunt. Unde Salomon : « Quid prodest stulto habere divitias, cum sapientiam emere non possit (*Prov.* XVII), » imo etiam nocet. Divitiæ in manu insipientis gladius est in manu furentis. Et iterum : « Circulus aureus in naribus suis, est mulier pulchra et fatua (*Prov.* XI). » Sus enim etsi habeat circulum aureum in naribus, non ideo minus subdit eum vertendis stercoribus. Sic pulchra et fatua mulier, quamvis splendeat aurea pulchritudine, non ideo minus veretur eam subdere stercoribus luxuriæ. Unde autem procedant veræ divitiæ ostendit, quia ex Dei timore, qui est initium sapientiæ (*Psal.* CX) ; unde subditur : *Mulier timens Deum ipsa laudabitur*. Mulier enim quæ timet Deum non servili, sed casto timore, vere laudabilis est, quia laudabitur æterna laude. Tertia merces, est remuneratio et præsens sive futura, unde subditur : *Date ei de fructu manuum suarum*, quoniam et vir uxoris suæ fidem et virtutem agnoscens, eam hic remunerat dilectione, beneficiis et honore. Et Deus propter quem fidelis exstitit, remunerabit eam in fine secundum quod meruit, æterna beataque glorificatione. Quarta merces est laus et præsentis et æterni judicii. Unde subditur : *Et laudent eam in portis opera ejus*. Quoniam et hic senatores laudabunt in concilio suo virtutes sapientis mulieris, et in magno judicii die Deus omnium judex et remunerator laudabit eam, dicendo ei et cæteris justis : « Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi (*Matth.* XXV). »

Mystice vero, videns Salomon genus humanum tot erroribus implicatum, et quod homo in carnis infirmitate et in lubricitate mundanæ vitæ et inter tentationes positus, et quod peccato vix resistere possit, conqueritur et quærit : *Mulierem fortem quis inveniet?* ac si apertius dicat : Ecclesiam vel etiam animam in tot infirmitatibus mollem et infirmam, quis inveniens poterit contra easdem infirmitates facere fortem? *Procul*. Quasi dicat : Nostri non est temporis nec nostri similis, sed procul intervallo temporis, a Salomone usque ad partum Virginis. *Et de ultimis*, inquit, *finibus pretium ejus*, quia « a summo cœlo egressio ejus (*Psal.* XVIII). » Non enim Christus aliud pretium pro nobis dedit quam seipsum. Deinde commendat Ecclesiam vel animam fortem primum a virtutibus, deinde a præmiis suis. Primum igitur commendat eam de fidelitate cum subdit : *Confidit in ea cor viri sui*. Vir est Christus, unde « despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo (*II Cor.* XI). » Christus ergo in Ecclesia vel in forti anima confidit, dum eam fidelem et in se confidentem facit, ut nulla adversitate, nec etiam ipsa morte, ab eo separari possit. Unde Apostolus : « Quis nos separabit a charitate Dei? Tribulatio, an fames, an gladius? » (*Rom.* VIII.) Secundo, eam commendat de acquisione, cum subdit : *Et spoliis non indigebit*. Spoliat quippe Ecclesia vel quælibet fidelis anima diabolum, dum quotidie a faucibus ejus vasa captivitatis eripit, et aggregat gregi fidelium ; quod facere, est victoriam Christi imitari. Tertio, commendat eam de gratitudine, cum subdit : *Reddit ei bonum et non malum omnibus diebus vitæ suæ*. Reddet Ecclesia sive anima Christo bonum cum, præceptis vitæ muneribus, recte vivendo ei respondet. Sed quia quidam bonum faciunt, sed illud intentione vanæ gloriæ corrumpunt, addit : *Et non malum*. Sed quia quidam bona faciunt et bona intentione, sed non perseveranter, addit : *Omnibus diebus vitæ suæ*. Tunc igitur Christo bene grati sumus, cum bonum simpliciter et perseveranter operamur. Quarto commendat eam de studio præsentis operationis cum subdit : *Quæsivit lanam, et linum, et operata est consilio manuum suarum*. Porro Ecclesia, vel unaquæque fidelis anima, tunc quærit lanam et linum, quando in simplicitate vitæ, et in castigatione carnis studet, et in his prudenter se exercet, ne citra remaneat vel ultra excedat. Quinto commendat eam de bono proposito et perseverantia, cum subdit : *Facta est quasi navis institoris de longe portans panem suum*. Porro Ecclesia, sive fidelis anima, ad instar navis fluctus præsentis sæculi desiderio transit, et ad portum salutis tendit, ut merces bonas commutet in meliores, et de terrenis emat cœlestes. Et interim ne deficiat, panem verbi divini secum defert, quo se confortat. Sexto, commendat eam de sollicitudine fraternæ charitatis, cum subdit : *De nocte consurgit, deditque prædam domesticis suis, et cibaria ancillis suis*. Sic quælibet fidelis anima propter salutem proximorum, a quiete contemplationis suæ surgit, et dat prædam domesticis suis, cum eos quos diabolus rapuerat, fidelibus adjungit. Et cibaria ancillis, cum infirmiores, ne in opere mandatorum Dei lassescant, sustentat et reficit. Septimo, de spirituali negotiatione eam commendat,

cum subdit: *Consideravit agrum et emit eum. De fructu manuum suarum plantavit vineam.* Consideravit enim primitiva Ecclesia, et adhuc quotidie quæque fidelis anima, mundum spinis vitiorum horridum, et emit eum, cum talentum verbi auditoribus tradit. Et in eodem agro plantavit vineam, id est, Ecclesiam quam de fructu manuum suarum plantavit, quia non solum verbis, sed etiam factis et virtutibus confirmat eam. Octavo de fortitudine eam commendat, cum subdit: *Accinxit fortitudine lumbos suos*, fluxas scilicet voluptates et voluntates virtute continentiæ in se restringendo. *Et roboravit brachium suum*, ad perficienda virtutum opera sese præparando. Et bene primo lumbos accinxit, et post brachium roboravit, quia bonum opus apud Deum non accipitur, nisi prius luxuria restringatur. Hinc scriptum est: « Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris (*Luc.* XII). » Nono eam commendat de vigilantia, cum subdit: *Gustavit, et vidit quoniam bona est negotiatio ejus*, scilicet alios acquirendi, et seipsam castigandi et exercendi. *Non exstinguetur in nocte lucerna ejus*, quia sicut vigilat in die fratrum eruditioni, ita vigilat in nocte propriæ utilitati, psalmodiæ, lectioni et contemplationi. Decimo, eam commendat de forti operatione, cum subdit: *Manum suam misit ad fortia.* Fortia opera sunt opera perfectæ charitatis, ut benefacere his qui oderunt nos (*Matth.* V), et vendere omnia et dare pauperibus (*Matth.* XIX). Nam per hujusmodi opera « regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud (*Matth.* XI). » *Et digiti*, inquit, *ejus apprehenderunt fusum.* Sane colus est in sinistra, fusus in dextera. Per sinistram vero vita præsens, per dexteram vero vita æterna designatur. Tunc ergo lanam de colo, id est fusum de sinistra in dexteram, traducimus, cum temporalia bona per opera misericordiæ ad cœlestes thesauros transferimus. Undecimo commendat eam de misericordia, cum subdit: *Manum suam aperuit inopi, et palmas suas extendit ad pauperem*, quia videlicet sancta Ecclesia vel unaquæque anima fidelis animæ indigenti et petenti, manum spiritualis consilii atque instructionis aperit. Ei vero quæ nec etiam indigere se novit, eleemosynam doctrinæ sponte largitur, offert, et ostendit.

Duodecimo eam de charitate commendat, cum subdit: *Non timebit domui suæ a frigoribus nivis.* Nix est diabolus, qui ob superbiam cadens de cœlo, ad huc transfigurat se in angelum lucis. Hujus frigora sunt infidelitas et iniquitas, unde dicitur: « Quoniam cum abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum (*Matth.* XXIV). » Cujusmodi frigoribus Ecclesia non timebit, quia *domestici ejus vestiti sunt duplicibus*, id est duplici charitate, Dei videlicet et proximi, quæ est vestis nuptialis, qua induti securi discumbunt. Tertio decimo commendat eam de virtutum varietate, cum subdit: *Stragulatam vestem fecit sibi, byssus et purpura indumentum ejus.* Stragulata vestis variæ texturæ et fortis est. A Hæc significat diversarum virtutum varietatem, qua sancta Ecclesia vel fidelis anima decoratur. Juxta illud: «Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate (*Psal.* XLIV). » Byssus, exercitationibus multis ad candorem ducitur. Purpura de sanguine muricis tingitur. Ecclesia, vel fidelis anima, tunc bysso et purpura induitur, cum candore castitatis et sanguine martyrii exornatur. Quarto decimo, de nobilitate sponsi commendat eam, cum subdit: *Nobilis in portis vir ejus cum sederit cum senatoribus terræ.* Portas vocat judicium, eo quod antiqui in portis indicabant ut requirentibus præsto essent. Itaque Christus qui ante tribunal Pilati apparuit ignobilis, in judicio et in portis æternæ civitatis apparebit nobilis et gloriosus cum apostolis, et cum B eis qui eum fuerunt secuti, juxta illud: « Vos qui estis secuti me, sedebitis super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel (*Matth.* XIX). » Quinto decimo, de doctrina prædicationis eam commendat cum subdit, *Sindonem fecit et vendidit, et cingulum tradidit Chananæo.* In intexione sindonis significatur intexio predicationis. Hanc Ecclesia fecit, et vendidit. Quia textum doctrinæ evangelicæ quem composuit, et scripsit, et gentibus vendidit, et ab eis mutuum charitatis accepit. Chananæus, qui interpretatur *commutatus*, est populus gentilis. Cingulum significat aut castimoniam, aut militiam, aut negotiationem. Sancta igitur Ecclesia, cingulum Chananæo tradidit, quia gentilem populum, cui C textum evangelicæ doctrinæ tradidit, ad castimoniam, ad militiam, ad negotiationem divinorum talentorum accinxit. Sexto decimo eam commendat de fortitudine, et decore cum subdit: *Fortitudo, et decor indumentum ejus.* Ecclesia quippe vel fidelis anima decorem habet sanctimoniæ et honestatis, et fortitudinem patientiæ, quoniam persecutionem patitur propter justitiam. Et ideo quæ nunc dolet in certamine, ridebit in novissimo die, juxta illud: « Beati qui nunc fletis, quia ridebitis (*Luc.* VI). » Septimo decimo eam commendat de doctrina sapientiæ et legis cum subdit: *Os suum aperuit sapientiæ*, subaudi docendæ, juxta illud Pauli: «Omnis sermo malus de ore vestro non procedat, sed si quis est bonus ad ædificationem fidei, ut det gratiam au- D ditoribus (*Ephes.* IV). » Vel os cordis aperuit sapientiæ suscipiendæ qua alios doceret. *Et lex clementiæ in lingua ejus*, id est Evangelium, quod docet peccanti fratri semper indulgere, et pro malo bonum reddere. Octavo decimo, commendat eam de custodia semitarum domus suæ, cum subdit: *Consideravit semitas domus suæ*, id est omnes sensus et portas corporis sui, et animæ, diligenter observavit, ut malo irruenti eas clauderet, et bono suscipiendo aperiret. *Et panem otiosa non comedit*, quoniam et si visa fuit quandoque otiosa, tunc fuit minus otiosa, quoniam interius spiritualia negotia cœlestiaque pertractabat.

Sequuntur mercedes Ecclesiæ sive fortis animæ. Prima est laus filiorum, unde subditur: *Surrexe-*

runt filii ejus, et beatissimam prædicaverunt. More prophetico, præteritum pro futuro ponit. Tunc enim filiæ Ecclesiæ surgent, et eam quæ eos ex aqua et Spiritu sancto regeneravit laudabunt, quando et æterna ejus gaudia degustantes, eam æterna laude celebrabunt. Secunda merces est laus viri, de qua subditur : *Vir ejus laudavit eam.* Tunc Christus Ecclesiam, sive unamquamque animam sponsam suam laudat, quando eam laudabilem facit, et demonstrat. Vel certe eam in fine laudabit, cum dicet : « Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi (*Matth.* XXV). »

Multæ, inquit, *filiæ congregaverunt divitias.* Multæ Ecclesiæ hæreticorum vel falsorum Christianorum, quæ propter nominis Christi confessionem et sacramentorum participationem, Christi filiæ esse videbantur, congregaverunt divitias bonorum operum, scilicet jejunia, eleemosynas, orationes, studia lectionum sanctarum, et hujusmodi. Quæ quidam veræ sunt divitiæ, cum in fide et simplicitate fiunt, alias nihil vel parum prosunt. Sed has filias Ecclesia supergreditur, quæ fide casta, et intentione recta, thesaurum virtutum, et bonorum operum congregat in cœlestibus. Et quare hoc ? subdit, *fallax gratia* sive imago, *et vana est pulchritudo.* Fallax quippe est imago sive gratia humanæ laudis. Vana est pulchritudo ostentatæ castitatis et sanctitatis. Sed *mulier timens Deum ipsa laudabitur*, quoniam illa conscientia est vere laude digna, quæ Deum timet cum amore, et amat cum timore, et in omnibus timorem et amorem Dei cogitat et conservat. Tertia merces est æterna remuneratio, de qua subditur : *Date ei de fructu manuum suarum, et laudent eam in portis opera ejus.* Hæc sunt verba Christi ad angelos messores dicentis : « Date ei de fructu manuum suarum, quia Spiritus fructum facere curavit, videlicet charitatem, gaudium, patientiam, cæterasque virtutes et virtutum opera. *Et laudent eam in portis*, id est in judicio sive in ingressu patriæ cœlestis, non hominum vani favores, sed ipsa opera quæ fecit, examinante, probante et remunerante Deo, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

XXXIII.

UNIUS VIRGINIS. SERMO DE MATTHÆO.

Dixit Jesus discipulis suis : Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro, quem qui invenit homo abscondit, et præ gaudio illius vadit, et vendit universa quæ habet et emit agrum illum, etc. (*Matth.* XIII.) In hac sancti Evangelii lectione, fratres charissimi, quatuor parabolas proponit nobis Dominus. In prima et secunda, monet nos generaliter, ut regnum cœlorum emamus ; in tertia, ut pœnas infernales timeamus et caveamus. In quarta, monet nos prædicatores specialiter ut hoc intelligamus et prædicemus instanter. In prima igitur, monet nos regnum cœlorum emere, cum dicit : *Simile est regnum cœlorum thesauro.* Ideo rebus visibilibus et concupiscibilibus comparatur, quatenus animus noster per visibilia discat invisibilia, et per ea quæ huic sæculo concupiscibilia sunt, discat concupiscere ea quæ super concupiscenda sunt. Ecce enim regnum cœlorum comparatur thesauro, quoniam, ad instar thesauri inventi, gaudii abundantiam et fiduciam dat inventori. Sed longe incomparabiliter. Vanum enim gaudium præstat thesaurus, scilicet abundantiam deficientem, fiduciam infidam. Cœlestis vero thesaurus præstat gaudium verum, abundantiam indeficientem, fiduciam fidam. Ager vero est exercitium bonæ vitæ, quæ, ad instar agri, prius a spinis et tribulis vitiorum, falcastro correctionis purgatur, aratro prædicationis excolitur, semine verbi Dei seminatur, et sic germinat flores virtutum, et fructus bonorum operum. In fine autem hujus agri absconditus est thesaurus cœlestis, sicut merces in labore, fructus in flore. Hunc thesaurum per fidem et sacram Scripturam advertimus, per studium boni operis quærimus, per contemplationem contemplamur, et quodammodo jam prægustamus, et per divinam revelationem invenimus. Inventum vero thesaurum nunc abscondimus, ut nobis servetur cum propositum et intentionem thesauri cœlestis acquirendi, a malignis spiritibus et ab humanis favoribus in cordibus nostris occultamus. In præsenti enim vita quasi in via sumus, per quam ad patriam festinamus. Maligni vero spiritus, quasi quidam latrunculi, nobis insidiantur. Deprædari ergo desiderat qui thesaurum publice portat. Hoc autem dico, non ut proximi nostri opera nostra non videant, cum scriptum sit : « Videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est (*Matth.* V), » sed ut, per hoc quod exterius agimus, laudes humanas non quæramus. Sic autem sit bonum in publico, quatenus intentio maneat in occulto, ut de bono proximis præbeamus exemplum, et tamen per intentionem placandi Deo soli semper optemus secretum. Tunc autem agrum, venditis omnibus, comparamus, cum pro exercitio bonæ vitæ, id est thesauri cœlestis, in fine illius absconditi acquisitione, omnibus voluptatibus et carnis desideriis abrenuntiamus, omnia caduca, quasi stercora reputamus, et pro eo quælibet dura pati non reformidamus. Sicut autem agrum per se sterilem et vilem, thesaurus in eo absconditus concupiscibilem et emptibilem facit, sic exercitationem bonæ vitæ, licet per se vilis sit et inutilis hominibus videatur, tamen thesaurus æternæ beatitudinis in fine illius absconditus eam concupiscibilem et magno comparabilem reddit. Spernunt quippe homines animales vitam spiritualem, et si venalis esset, credo quod non emerent illam. Nobis autem qui veri Christiani sumus, per se pretiosissima habetur, etiam sine præmio, quanto magis cum præmio et cum tanto ? Nonne magni est per se recte vivere, mundum cor habere, omnibus veracem et æquum esse, dæmones et vitia calcare, virtutibus et bonis

operibus florere, mundana omnia vilipendere, Deum conscium habere, mortem non timere, sed potius exspectare? Nonne hæc magna sunt per se? Sed quanto incomparabiliter fiunt majora cum thesauro æternæ beatitudinis?

In secunda quoque parabola, hortatur nos Dominus ad idem, cum subdit : *Iterum simile est regnum cœlorum*, id est negotium acquirendi regnum cœlorum, *homini negotiatori quærenti bonas margaritas.* Sane omnes homines bonas margaritas quærunt, id est beatitudines, sed inquirendo et æstimatione falluntur plerique. Quidam enim æstimant beatitudinem esse in abundantia divitiarum, quidam in honore sæculari, quidam in potestate humana, quidam in gloria temporali, quidam in corporali voluptate. Sed omnes hi decipiuntur : quoniam abundantia divitiarum temporalium egens est; honor sæcularis inhonorus est, potestas humana impotens est ; gloria temporalis, falsa est ; voluptas corporalis, fastidiosa est. Et insuper unumquodque istorum vanum et momentaneum est. Propterea prudens negotiator cum videt quod in his omnibus veræ beatitudinis margaritam invenire non potest, quærit per sacram Scripturam, et invenit per fidem et bonam operationem margaritam æternæ beatitudinis in alia vita repositam esse, et dicit : « In omnibus requiem quæsivi, et in hæreditate Domini morabor (*Eccli.* XXIV). » Igitur ad illam obtinendam inardescit, propter eam omnia temporalia negligit et tribuit. Propter eam omnibus suis rebus et sibimet abrenuntiat, eam solam desiderat, eam per quælibet aspera festinat possidere. De cujusmodi desiderio et dilectione bene per Salomonem dicitur : « Fortis est ut mors dilectio (*Cant.* VIII), » quia videlicet sicut mors corpus interimit, ità ab amore mundi, dilectio æternæ beatitudinis occidit. Nam quem perfecte inebriaverit, ad terrena desideria velut insensibilem reddit. Neque enim hæc beata, cujus hodie natalitia celebramus, mori pro Domino potuisset in corpore, nisi a terrenis desideriis mortua esset in mente. Erecta enim in virtutis constantia, blanditias et minas, promissiones et tormenta æque propter spem indicibilis et beatitudinis æternæ conculcavit. Ante reges et præsides ducta fuit sublimior judicante, sæviente fortior. Quid ad hæc nos barbati dicere possumus, qui puellas cœlestia rapere per ferrum videmus, quos ira perturbat, superbia inflat, ambitio excæcat, luxuria inquinat? Qui si adipisci regnum cœlorum per sanguinem nolumus, vel hoc nobis turpe sit, quod Dominum per pacem sequi aspernamur. Ecce nulli nostrum dicit Deus : Pro me morere, sed tantum cupiditates carnales in te occide. Qui ergo in pace vitia carnis nostræ mactare nolumus, quando in bello carnem ipsam pro Domino mactandam offeremus?

In tertia vero parabola hortatur nos Dominus, infernales pœnas præcavere, cum subdit : *Iterum simile est regnum cœlorum* et judicium regni cœlorum sagenæ *missæ in mare, et ex omni genere piscium congreganti. Quam, cum impleta esset, educentes et secus littus sedentes elegerunt bonos in vasa sua, malos autem foras miserunt.* Porro sanctæ Ecclesiæ prædicatio sagenæ comparatur, quia et piscatoribus est commissa, ut per eam a fluctibus sæculi, ad littus æternæ patriæ trahamur, vel in æternæ mortis profunda demergamur. Hinc Dominus per Jeremiam : « Ecce ego mittam ad vos piscatores multos (*Jer.* XVI). » Postquam enim audierunt Petrus et Andreas, Jacobus et Joannes, « Sequimini me, faciam vos fieri piscatores hominum (*Marc.* I), » texerunt sibi sagenam ex Novo et Veteri Testamento, et in mare mundi eam miserunt quæ ex omni genere piscium congregat. Quia ad peccatorum veniam sapientes et fatuos, liberos et servos, divites et pauperes, fortes et infirmos vocat. Unde per Psalmistam Deo dicitur, « Ad te omnis caro veniet (*Psal.* LXIV). » Quæ sagena tunc demum universaliter replebitur, cum in fine suo humani generis summa concludetur. Quam educunt et secus littus sedent, cum ad finem mundi eam trahunt, et ipsi judices sedent, et boni quidem pisces in vasis eliguntur, mali vero foras projiciuntur, quia electi in cœlestes mansiones recipiuntur, et reprobi longe in æternas tenebras projiciuntur. Nunc enim bonos malosque communiter Ecclesiæ sagena continet : sed littus indicat quid trahebat. Et pisces quidem capti non possunt mutari, nos vero per pœnitentiam de malo in bonum possumus commutari. Dum licet ergo, fratres mei, in melius vitam nostram permutemus, ne in fine a sanctorum societate separati, in æternam damnationem projiciamur. Unde et hanc parabolam Dominus exponens subdit : *Sic erit in consummatione sæculi. Exibunt angeli, et separabunt malos de medio justorum, et mittent eos in caminum ignis, ibi erit fletus et stridor dentium.* Hoc, fratres mei, potius timendum est quam exponendum. Aperte enim reproborum tormenta denuntiantur ne aliquis per ignorantiam se excusaret, si æterna damnatio obscure designaretur. Unde et subditur : *Intellexistis hæc omnia? Dicunt ei : Etiam.* Ad discipulos dirigitur sermo qui futuri erant aliorum magistri, quibus datum est nosse mysteria regni Dei, cæteris autem in parabolis. In quarta demum parabola, docet Dominus nos prædicatores, quatenus tanquam scribæ et notarii ejus, verba sua in tabulis cordis scripta teneamus, et cæteris ea instanter prædicemus, cum subdit : *Ideo omnis scriba doctus in regno cœlorum*, id est in Ecclesia, *similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera.* Quod tripliciter intelligi potest. Paterfamilias enim profert de thesauris suis novos et veteres fructus, vinum novum et vetus, quibus cor convivarum suorum corroboret et reficiat. Sic et doctus prædicator profert de thesauro doctrinæ suæ tam novam quam veterem legem, quibus cor auditorum suorum confirmet et pascat. Secundo paterfamilias profert de thesauro suo tam veteres divitias a patribus suis derelictas quam novas a seipso acqui-

sitas. Sic et doctus prædicator profert de thesauro doctrinæ suæ tam veteres sententias et parabolas, a veteribus Patribus conscriptas, quam novas ad exemplum antiquarum excogitatas. Tertio quoque, paterfamilias profert de thesauro prudentiæ suæ promissiones novorum præmiorum, aut minas veterum suppliciorum, quibus familiam suam aut trahat, aut deterreat. Sic et doctus prædicator scit nova proferre de suavitate regni cœlestis, et vetera de terrore supplicii gehennalis. Veteris enim Adæ meritum erat ad inferna descendere, novique hominis Christi meritum est cœlum introire.

Hoc ergo in conclusione ponit quod præmisit. Prius enim de regni similitudine thesaurum, et bonam margaritam produxit, post de malorum combustione subjunxit. Hinc concludens subdit : *Ideo omnis scriba doctus in regno cœlorum similis est patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera.* Ac si aperte dicat : Ille doctus in Ecclesia prædicator est, qui novit proferre nova de promissione regni cœlorum, et vetera de comminatione gehenalium tormentorum, ut vel pœnæ terreant quos præmia non demulcent. Audiat unusquisque de regno quod amet, audiat de supplicio quod timeat, ut torpentem animum et terræ vehementer inhærentem, etsi non trahat ad regnum amor, trahat vel terror. Ecce enim de expressione gehennæ dicitur : *Ibi erit fletus et stridor dentium.* Quia ergo præsentem gloriam sequuntur lamenta perpetua, hic vanam, fratres mei, lætitiam fugiamus, ne illic in æternum defleamus. Nemo enim potest et hic gaudere cum sæculo, et illic regnare cum Deo. Unde Salomon ait : « Est tempus flendi, et est tempus ridendi (*Eccle.* III). » Hic, fratres mei, est tempus flendi nostra vel aliena peccata; in alia vero vita tempus ridendi : cum pro evasione periculorum, tum pro adeptione æternorum gaudiorum. Temporalem igitur lætitiam in fletus pœnitentiæ commutemus, carnis voluptatibus abrenuntiemus, in laboribus justitiæ nos exerceamus, excessus nostros operibus misericordiæ redimamus, ob desiderium cœlestis thesauri nostra distribuamus, omnia caduca propter ipsum tanquam stercora reputemus, illuc suspiriis, illuc desideriis festinemus, quatenus per intercessionem hujus sanctæ, cui hodie festivamus, tandem læti pervenire valeamus. Amen.

ANNO DOMINI MC

THOMAS

EBORACENSIS EPISCOPUS

EPITAPHIUM GUILLELMI REGIS.

(Vide in Guillelmo, *Patrologiæ* tom CXLIX, col. 1271.)

EPISTOLÆ AD LANFRANCUM.

(Vide in Lanfranco, *Patrologiæ* tom. CL, col. 518 et seq.)

EPISTOLA

AD ARCHIEPISCOPOS ET EPISCOPOS PER ANGLIAM CONSTITUTOS

De sanitate sibi cœlitus restituta.

(Rog. DE HOVEDEN, *Annal.* parte I, p. 263, edit. Lond. 1596.)

THOMAS, Dei gratia Eboracensis archiepiscopus, episcopis, abbatibus per Angliam tam constitutis quam in posterum successuris, et omnibus sibi in Eboraco archiepiscopis successuris, in perpetuum salutem.

Cum nostrum sit officium omnibus præstare pie-

tatis obsequium, his tamen maxime sanctorum Dei debemus obsequium nostræ devotionis impendere, a quibus nos constat peculiare muneris beneficium percepisse : nos quidem flagello Dei castigati, et febrium languoribus per biennium modo incredibili exusti, cum omnes medici solius mortis exitum nobis prominere promitterent, nilque unquam fuit in quo continuæ noxam ægritudinis temperarent, per visum ergo commonitus ad tumbam sancti Cuthberti, gemens et fremens pernoctavi, qui morbo simul et mole fatigatus, dum somnum subripui, in visum mihi beatus Cuthbertus astitit, qui manu sua singula membra mea de infirmitate mea percurrens mox vigilantem ab omni infirmitate sanum reddidit, et me sibi in omnibus devotum fore, et quæcunque in mea diœcesi, ipse vel sui possessuri erant, ab omni fatigatione, secura et libera esse præcepit; quique beati confessoris adjutus beneficiis, eo ei devotior exstiti, quo majora persolvere debui. Willielmo interim Dunelmensi episcopo, de sede apostolica litteras Gregorii papæ septimi ad Willielmi regis concilium apud Westmonasterium deferente, canonicos de ecclesia sua amovere et monachos substituere, omnium consensu impetravit. Quibus plurimum gavisus, ex præcepto præfati papæ, et ex imperio domini regis Willielmi beati Cuthberti amore debito, subscriptas litteras sancto Cuthberto, et ejus episcopo, et omnibus monachis ei servientibus, consensu et permissione capituli Eboraci, et totius synodi confirmatione, dedi, concessi, et præsenti charta confirmavi, et post propria manu super altare sancto Cuthberto obtuli. Sciant igitur tam præsentes quam futuri quod ego Thomas Eboracensis archiepiscopus, ex præcepto papæ Gregorii septimi, et confirmatione domini Willielmi regis, sub testimonio universalis Anglorum concilii, et consensu Eboracensis capituli, do et concedo Deo et sancto Cuthberto, et omnibus ejus episcopis successuris, et omnibus monachis ibidem in posterum futuris, ut omnes ecclesias quascunque in præsenti in diœcesana parochia mea possident, vel in posterum canonice acquirere poterunt concessione regum, largitione fidelium, vel ædificaverint in proprio fundo terrarum , habeant liberas, et quietas omnino in perpetuum a me et omnibus successoribus meis, ab omnibus quæ ad me vel ad successores meos pertinent. Quare volo et præcipio ut omnes ecclesias suas in manu sua teneant, et quiete eas possideant, et vicarios suos in eis libere ponant, qui mihi et successoribus meis de cura tantum intendant animarum; ipsis vero de omnibus cæteris eleemosynis et beneficiis concedo insuper, confirmo, et præcipio, ut tam ipsi quam ipsorum vicarii liberi et quieti in perpetuum sint ab omni redditu synodali, et ab omnibus auxiliis, gravaminibus, vel redditibus, exactionibus, vel hospitils, tam a me, quam a decanis, archidiaconis, vel omnium nostrorum vicariis, et ministris; sub anathemate etiam prohibeo, ne aliquis ultra, ipsos, vel eorum clericos, aliqua sub occasione fatiget, vel ad synodos, vel capitula ire, nisi velint sponte, compellant ; sed si quis, erga eos vel suos aliquam querelam habuerit, ad curiam sancti Cuthberti, Dunelmum veniat, ut ibi qualem debuerit rectitudinem percipiat, omnes enim libertates, et dignitates, quas ego, vel mei successores in ecclesiis propriis vel terris nostris possederimus, ipsis et sancto Cuthberto in omnibus ecclesiis et terris suis libere in perpetuum concedimus, et absque tergiversatione sine calumnia, a me, meisque successoribus, liberas et quietas confirmamus.

ANNO DOMINI MC

RICHARDUS DE DUMELLIS

ABBAS PRATELLINUS

NOTITIA HISTORICA

(FABRIC. *Bibliotheca med. et inf. Lat.*, tom. VI, p. 77)

Richardus de Dumellis, abbas Pratellinus, quod monasterium Northmanniæ est in diœcesi Lexoviensi, circa annum 1057 fundatum, vixit an. 1100, et scripsit *Commentarium fusissimum in priora* XXVIII *capita Genescos*, qui habetur in bibliotheca Lambethana. Ex eo quædam in rem suam adduxit Henricus Wharton in Auctario ad Jac. Usserii Historiam dogmaticam de Scripturis et sacris vernaculis.

FRAGMENTA COMMENTARII RICHARDI DE DUMELLIS IN GENESIN.

(WARTHON, *Auctarium ad Historiam dogmaticam J. Usserii*, 4°, p. 395.)

Exstat manuscriptus in bibliotheca Lambethana fusissimus in priora XXVIII Geneseos capita Commentarius, cujus prologus sic incipit : *Anselmo Cantuariensis Ecclesiæ archiepiscopo, quidam Dominicæ crucis servus et minister cœnobii Pratellini*, etc. Inibi auctor omnia fere ad Scripturam, importune etiam aliquoties, solet trahere; atque illi mystice accommodare res maxime communes, puta cœlum, solem, aquas, paradisum, etc. Sic enim lib. I ad illud : *Producat terra herbam virentem*, postquam utilitatem Scripturæ late prædicasset, ait : « Quid est herba virens aliud quam sensus litteræ simplicis? quæ rudi populo, jumentis videlicet summi Regis, pabulum salutiferum subministrat. Scriptum est enim : *Qui dat jumentis escam ipsorum.* Ecce virens herba, unde parvulorum intellectus educatur. — *Et stellas.* Quid sunt aliud stellæ in firmamento positæ, quam electorum animæ, quæ sanctis Scripturis invigilant? »

Et lib. II ad illud : *Crescite et multiplicamini, et replete aquas maris.* « *Et bene* aquæ reptile producere dicuntur, quia S. Scriptura parvulos sensu quasi vivido calore fovet, membra illorum informat; quousque provectus eorumdem intelligentiam superiorem mysticarum locutionum pernice cursu adire valeat. — Crescit siquidem creatura rationalis in sui Creatoris devotione; multiplicatur bonorum operum consummatione; replet aquas maris, per investigationem legis mysticæ. Cum enim pauci profunditatem sanctarum Scripturarum intelligunt, quasi pauca reptilia aquæ producant. At ubi vero ad solidum cibum capiendum idonei facti fuerint, et interiora mysteriorum prout intelligant, aliis revelaverint, crescere quidem et multiplicare, et aquas maris implere videntur. Igitur aquæ maris replentur, cum tripartitus sensus sacræ legis simplicibus etiam panditur. Quid sunt pascua, nisi S. Scripturæ, quæ mundis animalibus alimoniam præstat? Inde fortitudinem interiori homini subministrat, » etc. *De paradiso :* « Quis est paradisus ille, quem Dominus plantavit, et in quo hominem ipse posuit, nisi sancta Ecclesia, vel sacra Scriptura, ubi omnes species deliciarum inveniuntur, et ubi lignum vitæ, lignum quoque scientiæ boni et mali plantantur? »

Lib. III : « *Dominum autem in paradiso deambulare*, est per diversa loca sacrarum Scripturarum, quæ quotidie in Ecclesia lectitantur, salutem animarum quærere, et multifaria cunctos deviantes exhortatione ad viam veritatis reducere. — *Ibid.* Quid igitur accipitur convenientius per cherubin (*Gen* III), qui *plenitudo scientiæ* interpretantur, quam sacra Scriptura, per quam nobis onus nostrarum miseriarum; et iter, quo revertimur ad patriam, satis abunde quoque declaratur? In ea nimirum promissiones gloriæ cœlestis describuntur; rursus in eadem minæ terroresque gehennalis incendii continentur; quæ, ni fallor, nomine flammei gladii præfigurantur, etc. Visne redire ad paradisum? Volo, inquit. Adito, inquam, cherubin; hoc est scrutare profunda mysteria sacrarum Scripturarum; quarum eruditione habes redire ad paradisum; quem perdideras per primi parentis appetitum illecebrosum. Alioquin clauditur tibi via paradisi, nisi tui cordis aurem consilio sacræ Scripturæ summiseris. »

Lib. V. Miram profunditatem divinarum Scripturarum, quæ cuncta sacramenta catholicæ religionis continent, deprædicat.

Lib. IX. « Vertitur autem iste fons [vitæ] in puteum juxta capacitatem legentium. Quippe sermo divinus minimis et magnis sese capabilem reddit; et omnibus omnia factus conscendit. Benedictus Dominus Deus, qui parvulis hauritorio carentibus Scripturam suam, juxta morem fontis, in superficie terræ manantem, ad potandum propinat; cæteris vero jam sensus exercitatos habentibus atque valentibus potum trahere de profunditate sacri eloquii, Puteum (*Gen.* XVI, 14) viventis et videntis me præparat effodiendo. »

Lib. X. Remissum atque sensim evanescens in Ecclesia S. Scripturæ studium deflet. — « Appropinquante jam termino mundi labentis, et refrigescente charitate quamplurium, rigor quidem Christianæ religionis oppido frigescit; et opera sacræ lectionis quam constat esse fomitem animi ad superna gaudia tendentis, ferme redacta est in nihilum. »

Lib. XI. De versione LXX Ptolomæo rege procurante facta locutus, infit : « Nam sacramenta realiter illarum litterarum sapientibus et insipientibus patuerunt. » — Et post pauca subdit : « [Vir pius] ne quando deficiat, fortitudinem sacræ lectionis oppositam sibi conspicit. Est autem sermo Dominicus mirabile speculum unicuique qui jam arcem sanctitatis ascendit, vel ascendere molitur. » — Denique patresfamilias omnes, etiam plebeios, ut conjuges atque liberos suos sacræ Scripturæ cognitione pro facultate sua imbuant, hortatur.

Lib. xv. « Qui sunt illi qui remanent ad sarcinas compede copulationis uxoriæ devincti ? Nisi quidam Christianæ plebis, quibus committitur sarcina custodiendæ legis, forma videlicet, simplicis eruditionis, per quam procurat familiam suam. Non enim est parvæ laudis, hominem habere conjugem suis imperiis parentem, et filios habere subditos disciplinæ spirituali. Qui cum profunda mysteria sacrarum Scripturarum ob tarditatem ingenii nequeunt penetrare, circa simplicem intellectum historiæ jubentur degere. »

A Codex quidem Lambethanus nullius auctoris nomen præfert. Ab abbate tamen quodam Pratellino conscriptum fuisse opus, ex ipso epistolæ nuncupatoriæ initio constat. Richardum abbatem fuisse docet codex ms. in monasterio Pratellino asservatus ; e quo descriptam præfatoriam ad Anselmum epistolam Gerberonius evulgavit in nupera operum Anselmi editione, pag. 451. Richardum denique istum de Dumellis cognomen traxisse indicant fratres Sammarthani, tom. IV, pag. 756.

RICHARDI DE DUMELLIS

EPISTOLA AD S. ANSELMUM CANTUARIENSEM

Commentarii sui in Genesin nuncupatoria.

(Vide inter Epistolas S. Anselmi, lib. IV, ep. 102, *Patrologiæ* t. CLIX, col. 251.)

ANNO DOMINI MC

ALBERICI OSTIENSIS EPISCOPI

EPISTOLA

Ad monachos monasterii S. Orientii Auxitanensis, de concordia inter archiepiscopum Auxitanensis Ecclesiæ et S. Orientii monasterium.

(De Brugelles, *Chron. de l'Eglise d'Auch*, Preuves, IIe partie, p. 49.)

Albericus, Dei gratia Ostiensis episcopus, apostolicæ sedis legatus, fratribus monasterii S. Orientii Auxitanensis salutem et gratam concordiam maxima ex parte inter reverendissimum dominum archiepiscopum Auxitanum, et priorem vestrum ; secundum gratiam et benevolentiam suam reddidit vobis ipse, et se de cætero monasterium S. Orientii velle diligere, honorare, et sustentare, præsentibus episcopis et abbatibus, in præsentia nostra apud Senonicas repromisit ; ad reparationem quoque monasterii vestri usque ad decem annos populorum B conventum in unoquoque anno congregabit : ex actiones omnes tam in præsbyteros quam in cæteros clericos omnino remisit : quod si comes de omnibus vestris aliquam novam consuetudinem exegerit, dominus archiepiscopus cum eo minime participabit ; sed et de ipso comite sicut et de aliis querimoniis vestris faciet quod justitia dictaverit. Hoc autem fecimus, salvo in omnibus jure cæmeterii vestri, et cæteris querelis vestris, donec Hugo abbas hanc concordiam stare concesserit.

CIRCA ANNUM DOMINI MC

SULCARDUS

WESTMONASTERIENSIS MONACHUS

NOTITIA

(Histoire littéraire de la France, VIII, 138)

Pitseus (Script. Angl., p. 188), qui fait en peu de mots un éloge avantageux des grandes qualités de Sulcard, le suppose Anglais de nation. Sur ce principe il prétend que, s'étant fait moine à Westminster, il s'appliqua avec tant de succès à l'étude des lettres et à la pratique de la vertu, qu'il acquit un grand fonds de science et de piété. En conséquence Sulcard était aimé et honoré de tous ceux qui le connaissaient. Il eut même, ajoute-t-on, beaucoup de part à l'honneur de la confiance du roi saint Edouard le Confesseur. Telle est l'idée que Pitseus nous donne de ce pieux et savant moine.

Elle peut être vraie en toutes ses parties, si l'on en excepte ce qui regarde le pays dont on le suppose natif. Il est effectivement beaucoup plus vraisemblable qu'il était né en Normandie, d'où il passa ensuite en Angleterre avec tant d'autres Normands, soit sous le règne de Guillaume le Conquérant, soit dès le temps même du roi saint Edouard, qui avait commencé à y en attirer plusieurs. Deux raisons principales suffisent pour le persuader. C'est une chose avouée de tous ceux qui savent l'histoire qu'avant les temps qu'on vient de marquer il était extrêmement rare de voir en Angleterre, dans le cours du XI^e^ siècle, des hommes lettrés; ils y furent plus communs depuis le règne de ces princes; mais c'est qu'ils les y avaient appelés de nos provinces, surtout de Normandie. Il est certain, d'ailleurs, que sous le règne de Guillaume le Conquérant en particulier, temps auquel florissait Sulcard, les moines de Westminster, comme ceux de quelques autres monastères d'Angleterre, étaient presque tous Normands.

Pitseus fixe le terme de la vie de Sulcard à l'année 1070. Mais il faut le reculer de beaucoup. La preuve est sans replique, puisque ce ne fut qu'en 1070 que Vital succéda à Eadwin, ou Edouin, dans la dignité d'abbé de Westminster qu'il remplit jusqu'en 1082, et que Sulcard a vécu sous Vital, à qui il a dédié un de ses ouvrages. Ajoutons pour fortifier nos preuves précédentes que ce Vital était Normand, et qu'il eut pour successeur Gilbert Crispin, autre Normand et grand homme de lettres pour son siècle. Sulcard fut enterré dans son monastère, où du temps de Pitseus on voyait encore, dit-on, sa tombe sépulcrale avec cette inscription :

SULCARDUS MONACHUS ET CHRONOGRAPHUS.

On lui attribue plusieurs écrits; mais à un seul près, dont il y a quelque chose d'imprimé, l'attribution des autres n'a que l'autorité de Pitseus pour principal garant.

1° Une chronique qu'on ne fait point autrement connaître, et dont les compilateurs du *Monasticon Anglicanum* ont publié un assez long morceau. A en juger par cet échantillon, l'ouvrage, qui se trouve apparemment manuscrit dans les bibliothèques d'Angleterre, doit être fort étendu, et roule principalement sur l'histoire de Westminster. Possevin semble en avoir eu connaissance (*App.* t. III, p. 443). Le morceau imprimé contient la description du lieu, et les premières dispositions pour l'établissement du monastère, sous l'invocation de saint Pierre. Mais ce qui a trait à ce dernier objet n'est établi que sur une vision assez singulière, que l'auteur décrit avec toutes ses moindres circonstances, ce qui montre qu'il était fort crédule. L'ouvrage est dédié à Vital, abbé de Westminster.

2° Un recueil de sermons, sur lequel on ne nous donne aucun éclaircissement, sinon qu'on dit qu'une des occupations ordinaires de Sulcard était d'instruire le peuple en lui annonçant la parole de Dieu. Ce recueil est apparemment un fruit des prédications de l'auteur.

3° Un autre recueil de lettres, sans nous apprendre ni à qui elles sont adressées, ni de quoi elles traitent, ni même s'il en existe encore quelques-unes.

4° Un troisième recueil de divers opuscules, dont on n'indique ni ne spécifie aucune des matières qui en peuvent faire l'objet. A tout cela on ajoute en général que Sulcard avait encore fait d'autres écrits, mais que le malheur des temps est cause que les titres mêmes n'en sont pas venus jusqu'à nous.

SULCARDI MONACHI

LIBELLUS

DE FUNDATIONE ABBATIÆ WESTMONASTERIENSIS.

(*Monastic. Anglic.* I, 57.)

Illustrat urbem Lundoniæ omnis æquoria subterfluens vastitate Thamesis, nunc emittens itemque recipiens fluctus cursu et recursu pelagi et fluminis, insulamque Thornei dictam tingit, ab urbe duobus milliaribus. Complacitum est Deo, ut creditur, et beato apostolorum principi, in hac insula mansionem parari sibi, in qua et Deus in suo coleretur apostolo et per ejus patrocinium et interventum misereatur supplici populo suo. Instat ergo prædives Christicola Sebertus in fundanda ecclesia, brevique tempore perfectam reddidit instanti labore et opera. Commonuit interea ejus diœcesis præsulem Mellitum, ut beato Mellito cordis Petro fundatum consecraret locum. Addito Dei minister opere perfecto gaudet de beati Petri honore, diemque denominat quoad dedicandum velit exsolvere. Parantur interea quæ erant tantæ dedicationi necessaria et annuntiantur circumquaque manentibus Deicolis, ut accurrant ad cœlestium nuptiarum celebria solemnia. Statutum diem prævenit Deo dilectus pontifex Mellitus, longeque a constructa ecclesia dimidio milliario ad vespera sanctæ diei tentoria candescunt eminus; tumor enim Thamesinus obtuderat undique Thornensem insulam et intrare volentibus non nisi navigio aliquam affectabat viam. Clauditur cœlum nocturna caligine et requiescunt singula cœlitus indulto sopore, diurnosque labores nocturnæ absolvunt reliquiæ, cum cœlestis dignatio omnem acceptans devotionem humilis et quieti cordis clare intendit electi gloriam clientis. Audite, quæso, et cunctis mentibus percipite quam sublimi prærogativa Thornensem insulam princeps apostolorum sibi dignatus sit consecrare et quam fiducialiter in ea Deo servientes ejus debeant suffragia implorare. Omnibus, ut dictum est, somno oppressis, adest ipse pastor noster beatus Petrus, super ripam Thamisiæ, visum in alia fluvii parte piscatorem inclamat ad se venire, qui si vellet et in ipsa insula poterat aperuisse. Sed voluit, ut arbitror, testem habere operis agendi hominem officii sui, unde bis terque accitum piscatorem habet cum navi. Traducit tandem petentem apostolum non sine admiratione tamen, quid ignotus ille et in illa omnium rerum quiete petere vellet trans fluvium. Transvectus cœli claviger commonet illic exspectare socium, laborisque sui certissimum pollicetur præmium. Evadit e navi ad siccum, illoque spectante, terræ infigens baculum creat post se fontem fluidum, processusque paululum item infigendo quem ferebat baculum potestate sua educit et alterum, qui duo fontes longo defluxerunt tempore, donec absorberentur in fluminis alveo, littus devorante æquoreo reumate. Hoc in ducis sui intuitu peracto, vadit ad sibi delegatam ecclesiam, comitantur eum cœlestes chori cœlestem melodificantes harmoniam, vocesque angelicæ ad usque celsitudinem personuere ætheream. Nova Dei nupta, consecrante eo qui cœlum claudit et aperit, cœlestibus resplendet luminaribus, totoque solis lucente ambitu candidatus insulam illustrat exercitus, patescunt desuper æthera, quodque agit apostolus in terra, actum favet in cœlis divinæ majestatis potentia. Spectator stupet attonitus, nedum discedere posset, permanendi caret viribus, tenetur solo corporis tremore sui inops, apostolico nutu ligatus. Si se haberet in suo jure, discessisset utique, sed retinetur apostolicis vinculis, absolvendus testimonio gloriosæ visionis. Peracto ad quod venerat officio, ad nautam suum redit apostolus tremebundum, ne paveat amplius blandis suadet sermonibus : « Ne, inquit, timeas super his quæ audisti et vidisti, sunt enim ita ex voluntate Domini, mihique ne dubites audita et visa edicere, ut sciam utrum obstante pavore, potueris visorum capax esse et quid per te notaveris gestam rem et actorem significare. » Docente dulcius apostolo, pavor abjicitur, fiducia loquendi inducitur, tandemque resumptis viribus, ad responsum piscator resolvitur : « Licet, domine mi, scientiam meam grandis excesserit visio, te jubente dicam quod sentio. Voces cantantium mira suavitate audivi, claritatem magni luminis vidi, et ad hæc, ultra quam sciam, extimui. Tu vero, domine mi, quis vel quid sis certius nescio, sed aliquid boni esse te credens non dubito. » Tunc apostolus sic recepit confitentem. « Quem, inquit, bonum bene percipis apertius intellige, quæ etiam expones aliis. Ego sum Christi apostolus Petrus, cui hanc ecclesiam fabricavit mihi ille meus amicus Sebertus, pro cujus amore et devotione, locique ejus æterna sanctificatione, per meipsum volui eam Deo et mihi consecrare. Quæ facta sunt jam tu ipse vidisti et audisti, in his quæ restant obsecundato mihi, facto die adi

Mellitum episcopum, rem ut est gesta edoce illum. Ipse advéniens signa consecrationis chrismate illitis parietibus poterit videre, in his jam suo non indigemus labore. Verum cætera, id est, missas et ministerium perficiat episcopale, ad testimonium ergo visionis tuæ et allocutionis nostræ retia projicies in flumine, cedetque tibi nostro interventu prospere. De captis piscibus unum illi præsentabis mea ex parte, ut scilicet et de relatis tibi credat et quæ a me illi dixeris exsequens perficiat, tametsi credo quia jam illi nostra actionis aliquid cœlitus sit ostensum, ut tuum certius confirmetur alloquium. Te etiam commoneo ne in Dominica nocte vel die amplius velis piscari cedetque in prosperum tibi, tuæque prosperitati futuræ, proficietisque plurimum in piscatoria arte. » Erat enim nox Dominica cum hic piscator visione et allocutione usus est apostolica (1). His dictis, apostolus ejus visibus subtrahitur, cœloque receptus piscatori relicto in captura copiosissime, ut promiserat, auxiliatur. Expansis enim retibus in flumine tantam piscium, quos salmones nuncupant, copiam traxit in littore, ut vix retia captis possent sufficere. Credulus piscator apostolicæ largitati facto die adest pueritiæ præsulis designati, novoque modo dictis illum salutat, beati Petri et

(1) Nomen piscatoris secundum quosdam *Edricus*.

A jussa dicens munus pariter exponit quod miserat illi. Assurgit episcopus devotissime gratiasque Deo et apostolo agens lætabatur se memorari et munerari a tanto cœlorum principe. Ingrediens autem ecclesiam ubi oravit diligentius, circumiens et intuens parietes sacro signatos invenit chrismate et signa defixarum candelarum apparentia in pariete. Excitis ergo omnibus, undique a plateis et vicis, a civitate occurritur et oppidis, devotisque adsunt animis missarum celebrationi Deo electi præsulis, habitoque sermone de re gesta et de reliquis animarum profectibus suscitantur quamplures ad lætabundos piæ compunctionis gemitus, gratiasque Deo et apostolo suo agentes, cum festivo gaudio propriis remittuntur quisque mansionibus. Consecrata ecclesia, ut B nova Dei sponsa, novum nomen obtinuit, vetusque nomen Thornege, id est *spinæ* insula, amisit et, a civitatis situ, *Occidentale Monasterium* nomen cepit. Acta sunt hæc regis Cantuariæ Ethelberti tempore, quo totius carnis viam ingresso, multisque negligentiis habita est eadem ecclesia, utpote non adeo magna, usque ad regnum regis Offæ, regis Orientalium Saxonum. Hic itaque diligentius colens apostoli memoriam, opere ampliavit ecclesiam.

ANNO DOMINI MCI

AMATUS

BURDEGALENSIS ARCHIEPISCOPUS

NOTITIA

(*Gall. Christ.* nov. tom. II, pag. 806)

Amatus, antequam sedem hanc metropolitanam C conscenderet, magnam famam comparaverat in exigua licet sede Ellorensi; nam Gregorius papa VII eum dignum judicaverat cui vices suas in Gallia et Hispania committeret, quemque consiliorum sanc maximorum participem et adjutorem sibi adsciscerct. Utque pontifex cujus minister erat, magna moliebatur, et ad ea exsequenda magnos assumpserat animos, ita legatus ejus Amatus magnanimitate et audacia præstabat; fulminibus Ecclesiæ, quorum arbiter erat, usus, ad reverentiam quam sibi debitam existimabat, exigendam. Id maxime patuit in concilio Exoldunensi, in quo a communione abscidit S. Martini Turonensis canonicos, quod recusassent eum solemni pompa excipere, freti nonnullis privilegiis quibus *præter Apostolicum, et regem, et Turonensem archiepiscopum semel in vita sua, neminem ad processionis susceptionem admittebant.* Rem gestam narrat Urbanus II, apud Baronium, an. 1096 : « Et quia filius noster Amatus Burdegalensis archiepiscopus, unus erat de legatis Romanæ Ecclesiæ, a Gregorio VII, prædecessore nostro, in Galliam destinatus, non ab hac ecclesia processionis solemnitate susceptus; unde etiam graviter contra eosdem clericos commotus, in Exuldunensi concilio eos excommunicatione perfoderat : eum in concordiam et

pacem eorum reformavimus. Neque eos ad ullam satisfactionem, quia auctoritate pollente se munierant, compulimus, neque qualibet pro tali excessu absolutione purgandos censuimus. » Hic legimus Amatum fuisse « destinatum » in Galliam a Gregorio VII, et quidem missus est ab urbe Roma ; conjicitque vir doctissimus Stephanus Baluzius in præfatione ad secundum tomum Miscellaneorum, eum esse Amatum illum monachum Casinensem cujus meminit Petrus diaconus in lib. De viris illustribus Casinensibus, cap. 20, quemque dicit sub Greg. VII fuisse episcopum, dissimulato tamen ejus sedis episcopalis nomine. Aliunde idem vir doctus probat eum fuisse monachum. Amatus creatus est archiepiscopus in concilio Burdigalensi cui præerat, an. 1088, die 4 Novembris, uti legitur in Chronico Malleacensi. Concilium hoc Burdigalense dictum, quod esset provinciæ Burdigalensis, videtur celebratum apud Santonas; id enim forte significant verba hæc Ademari Engolismensis episcopi, in litteris quibus quædam largitur monasterio Sancti Maxentii, ex ejusdem loci tabula : « Ego Ademarus Dei gratia Engolismæ sedis episcopus, fui Santonas ad synodum, in quo [qua] ab omnibus nobis Amatus Burdigalæ civitatis archiepiscopus electus est, ubi nobis satis convenienter abbas Adam S. Adjutoris Maxentii servivit et honoravit. »

Amatus, factus archiepiscopus, majori auctoritate, minorique invidia perrexit legatione sedis apostolicæ fungi. Q æ vero gesserit ut legatus extra suam provinciam litteris mandare nostri non est instituti; sed quæ fecit ut archiepiscopus breviter sunt referenda.

Anno 1090 confirmavit monasterio Silvæmajoris, omnes ecclesias quas Goscelinus, ejus antecessor, huic dederat cœnobio, sanctitate tum celeberrimo; cujus confirmationis testis et particeps fuit Petrus decanus et archidiaconus S. Andreæ. Eidem sacro loco dedit ecclesiolam S. Lupi Inter-duo-maria, et sanctuaria quæ ad illam pertinebant.

Anno 1093 Burdigalæ concilium habuit, ex Chronico Malleacensi. Nomina præsulum qui adfuerunt, nobis suppeditat chartarium S. Petri de Regula, quidve gestum sit in hoc cœtu, docet; nempe Otgerium de Landerone Regulæ priorem, Bernardum Aquensem episcopum *proclamasse* et compellasse pro restitutione cellæ S. Caprasii de Pontonis in pago Ausciensi super Adurcium, quam sibi vindicarat episcopus; sed eam restituendam esse concilii Patres judicarunt. Huic judicio subscripsere post Amatum Willelmus Bernardus Ausciensis archiepiscopus, Simon Aginnensis episcopus, Rainaldus Petragoricensis, Ademarus Engolismensis, Hodo Bigorræ, Bertrandus Convennarum, Petrus Adurensis, Stephanus Vasatensis, et Bernardus ipse Aquensis.

Anno 1095 sedit in concilio Claromontano sub Urbano II, in quo pro recuperanda terra sancta bellum sacrum decretum est. Eodem anno adfuit Lemovicis consecrationi ecclesiarum S. Martialis et S. Stephani, Turonisque Majoris Monasterii, ubi an. 1096 interfuit concilio habito ab Urbarno papa II, subscripsitque decreto pro S. Martino.

Ejusdem fere est temporis concilium Santonense quod celebravit Amatus. Concilium hoc in tabulis S. Joannis Angeriacensis, et S. Hilarii consignari docent Sammarthani. Sed tempus ejusdem indicat tabula Silvæ-majoris in qua legitur : « Terram de Doeria, etc., quam ecclesiæ Silvæ-majoris Helias princeps de Didonia cum uxore sua Avicia et filiis..... pro salute animarum suarum donavit, postea pignoravit abbas Malliacensis, nobis nescientibus; sed postquam rescivimus, facta proclamatione ab abbate nostro Achelmo in concilio Santonensi, recuperavimus..... judicio episcoporum et abbatum..... confirmato in manu D. Amati S. Rom. Ecclesiæ legati, Burdigalensis quoque Dei gratia archiepiscopi..... Actum est hoc an. Dom. Incarnationis 1091. » Eodem anno Urbanus papa magna pompa dedicavit ecclesiam Burdigalensem die 1 Maii, quamvis hujus dedicationis anniversaria solemnitas non eodem die, sed 21 Aprilis celebretur, forte ob concursum festi SS. apostolorum Philippi et Jacobi. Missas facimus dedicationem S. Saturnini Tolosæ et consecrationem majoris altaris Caroffensis, quibus præsens legitur his fere temporibus; uti et revelationi sanguinis Domini in eodem S. Salvatoris Caroffensis monasterio; et fundationi abbatiæ S. Mariæ de Rota cujus charta subscriptum ejus nomen præfert.

Anno 1097 pergens in Hispaniam, Oscæ majus templum, post deditionem urbis a Mauris factam Petro Navarræ et Arragonum regi, consecravit, aut profanis Mahumetanorum ritibus pollutam lustravit, et reconciliavit VI Kal. Januarii, assistentibus Petro Oscensi, Fulcone Barcinonensi, Petro Pampelonensi, et Sancio Lascurrensi episcopis, ut memorat post Chronicon Malleacense Joannes Mariana De rebus Hispaniæ lib. x, c. 2. Non tacendum est eum suffragium tulisse in concilio Nemausensi habito IV Idus Julii, in quo Philippus I rex abstentus et excommunicatus ob Bertradam de Monte-Forti, Fulconis Andium comitis conjugem, raptam et ductam, vivente Bertha legitima uxore, post debitam satisfactionem, ad Ecclesiæ gremium revocatus est, ex eod. Chron. Mall.

Anno 1098 concilium celebravit Burdigalæ III Nonas Octobris, ind. VI, cui subscripsere Rolandus Dolensis archiepiscopus, Petrus Aginnensis, etc. Charta edita inter instrumenta col. 276, num. 14, plurima alia de illo nos docet. Finem dedit controversiæ inter decanum et canonicos S. Andreæ, ac Fulconem abbatem monachosque S. Crucis, pro ecclesia S. Michaelis extra urbem super Garumnam; quam monachis adjudicavit, post datum ab abbate sacramentum de possessione. Chartam ea de re conscriptam damus, ad cujus calcem notatur annus Chr. 1099, Urbani papæ II, XII.

Mortem oppetiisse Amatum anno 1101 docet

Sammarthani, Lopesius, qui laudat Chronicon Malleacense, et alii. Lego tamen an. 1112 eum Uzercensi monasterio dedisse ecclesiam Sancti Vincentii de Barriaco. At pro 1112 legendum puto 1102. Certe anno hoc ecclesia Burdegalensis vidua erat, obeunte Amato archiepiscopo, ex charta quam edidit Beslius in historia comitum Pict., pag. 410. In charta S. Stephani de Vallibus donatio quædam legitur facta huic monasterio, per manus Amati archiepiscopi Burd. an. 1104, qua de re videndum in Reginaldo hujus loci abbate. Attamen Beslius exhibet in probatione Hist. comit. Pictav., c. 28, tabulam Angeriacensis monasterii, in qua legitur : « An. 1102, Paschali PP., Philippo rege Francorum, Willelmo duce Aquitaniæ, Ramnulfo episc. Santonensi, Burdegala viduata pastore Amato archiepiscopo obeunte. » A Anno 1103 Arnaldus successor Amati dicitur in Chronico Malleacensi. Itaque censemus Amatum auf animam efflasse anno 1101, die 22 Maii, aut an. 1102, quod videtur significari in Angeriacensi charta iis verbis : « Anno 1102..... Burdegala viduata pastore Amato archiep. obeunte. »

Sub hoc archiepiscopo Willelmus VIII, totius Aquitaniæ dux, multa dedit, seu potius jam ab aliis data confirmavit ecclesiæ Burdigalensi olim a Carolo magno, Ludovico Pio ejus filio, etc., ditatæ, tunc vero temporis miserabiliter dilapsæ; scilicet tertiam partem cameræ sive monetæ, seu etiam omnium teloneorum, et curtem-legiam..... et navim liberam ab omnibus teloneis. Cætera legi possunt in diplomate quod edidit Lopesius tertia parte Hist. c. 8, pag. 365.

AMATI

BURDEGALENSIS ARCHIEPISCOPI

EPISTOLÆ

I.

AD RADULFUM TURONENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Ut concilio Burdegalensi intersit, et de Gervasio S. Savini abbate.

(J. Sirm. not. ad epist. 26 libri 1 Goffr. Vindocin., et Mabill. *Annal.* t. V, p. 313.)

Amatus, Ellorensis episcopus, sanctæque Romanæ Ecclesiæ Dei gratia legatus, Radulfo, venerabili Turonorum archiepiscopo, salutem et omne bonum in Domino Jesu Christo.

Noverit vestra charitas, frater dilectissime, nos auctoritate Dei omnipotentis, omniumque legationis nostræ episcoporum, abbatum, principum consensu concilium Burdegalæ in octava sancti Michaelis celebrandum constituisse. Quapropter fraterna dilectione vos rogando admonemus, et apostolica auctoritate jubendo præcipimus, quatenus, recrastinatione postposita, cum omnibus suffraganeis vestris, ecclesiæque vestræ privilegiis ad concilium supradictum veniatis, ut consilio vestro solatioque causa Dei confirmetur, et Ecclesiæ vestræ justitiæ, pro qua hactenus magnæ diversæque contentiones exstiterunt, Deo annuente restituetur. Nos autem, si Deus permiserit, in reversione nostra de Britannia vobiscum loquemur, ut quidquid super his cæterisque negotiis vestris constituendum sit, Deo omnipotente tribuente salubriter ordinemus. Cæterum fraternitati tuæ notum fieri volumus, nos in ecclesia Sancti Savini, quæ sita est in pago Pictavensi, nuper fuisse, et ejusdem ecclesiæ abbatem in capitulo monachorum Simoniacum comprobasse. Cui apostolica auctoritate præcepimus, ut Pictavum iret, quatenus in præsentia nostra illius hæresis Pictavensi episcopo manifesta fieret, qui reatus sui terrore percussus, Pictavum ire renuit, et reverentia sui ordinis atque officii postposita, arreptis quibusdam ecclesiæ suæ reliquiis et ornamentis more furis aufugit. Proinde tibi præcipiendo mandamus ut si hujusmodi hominem in diœcesi tua invenire poteris, capi facias, et Pictavensi episcopo cum prædictis ecclesiæ suæ spoliis reddas. Si vero illum cum spoliis non poteris reddere, saltem, si poteris, spolia redde.

II.

AD GOFFRIDUM ABBATEM VINDOCINENSEM.

Significat restitutam monasterio illius ecclesiam Oleronensem.

(Mabill. *Annal.* V, p. 657.)

Amatus, Dei gratia Burdegalensis archiepiscopus, sedis apostolicæ legatus, dilecto filio Goffrido Vindocinensi abbati, et sibi commissæ congregationi, salutem.

Sicut charissimus filius noster Guillelmus Aquitanorum dux nos contristavit, cum ecclesiam S. Georgii, quæ est in Olerona, cum pertinentiis suis vobis abstulit, et Ebloni de castro Allionis dedit; sic nos lætificavit, cum ab injustitia sua resipiscens, ablata vobis restituit, et donum quod venerabilis comes Andegavorum Goffridus de eadem ecclesia et aliis rebus in Pictavensi et Santonensi pago vestro monasterio fecerat, confirmavit.

Insuper etiam nos humiliter rogavit, ut eamdem suam restitutionem et concessionem sanctæ Romanæ Ecclesiæ auctoritate et nostra confirmaremus, ut ita libere et quiete omnia quæ venerabilis comes Goffridus et uxor ejus Agnes comitissa Pictavensis vobis dederant, vos et successores vestri jure perpetuo possideretis, sicut ipso eo die possidebant quo ea vestro contulerunt monasterio. Confirmamus igitur eamdem restitutionem, et illam quam, sicut dicimus vobis, libertatem concessit, auctoritate Dei A et nostra sub anathemate prohibentes, ut nullus deinceps ea vobis auferre, vel concessam vobis in eis libertatem violare præsumat. Hoc etiam veraciter testificamur, quod Eblo de Castro Allionis hanc restitutionem vobis factam de ecclesia S. Georgii et ejus pertinentiis concessit, imprecans omnibus illis Dei maledictionem qui ea Vindocinensibus monachis auferrent, vel quocunque modo eos inde inquietarent.

SYNODUS GERUNDENSIS

Celebrata temporibus Gregorii papæ, instante episcopo Amato ejus legato anno 1078.

(Eruit ex ms. Gerundensi illustrissimus dominus Josephus de Taverner d'Ardenne, canonicus Barchinonensis. — Edidit D. MARTENE, *Anecdot.* t. IV, p. 1187.)

Anno Dominicæ Incarnationis septuagesimo octavo post millesimum convenit in Gerundensem ecclesiam sancta synodus episcoporum vel abbatum, ubi vice domini Gregorii papæ præfuit Amatus episcopus, sanctæ Romanæ Ecclesiæ legatus, a quo cum cæterorum cohibentia sunt plurima sancita secundum canonum decreta, de quibus referuntur pauca ne nostri dividant [*f.* decidant] memoria.

I.

Primitus enim constituit de his qui assistunt altari in ministrando corpori et sanguine Domini, videlicet sacerdotibus, levitis, sive subdiaconis, et qui in clero deputati excellentiori devoverunt se vitæ, ut in nullo contubernio communicentur mulieribus. Si quis vero de cætero palam nupserit, vel concubinam duxerit, gradus sui et honoris periculo C subjaceat, et a choro exeat, quoadusque canonice satisfaciat.

II.

Item decernit ut nullus episcoporum aliquem clericum in Ecclesia sua audeat per pecuniam sublimare sive promovere, vel ecclesiasticos honores vendere. Ille vero qui emerit, non solum sit alienus a dignitate quam pecuniis acquisivit, sed etiam proprio gradu, et excommunicationi succumbat, donec quod malum obtinuit dimittat.

III.

Item promulgavit quod nullus presbyterorum, diaconorum, subdiaconorum filius in eadem Ecclesia possideat paternos honores.

IV.

Item quod clericorum filii ad altiores gradus non promoveantur; in acceptis autem gradibus maneant, nisi vita illis obstiterit.

V.

Item filii clericorum, tam laici quam clerici, nullo B modo possideant ecclesiasticos honores, quos patres eorum pro beneficio Ecclesiæ habuerunt, vel retinuerunt, qui prætermiserit excommunicetur.

VI.

Decrevit etiam ut clerici arma deferentes, nisi dimiserint arma sint alieni a corpore et sanguine Domini, et ab ingressu totius ecclesiæ et Christianorum sepultura, et omni communione ecclesiastica, nunquam amplius in Christi Ecclesia ad majores honores sive gradus si rebelles exstiterint sublimandi.

VII.

Item constituit ne clericus barbam vel comam nutriat, vel coronam capitis abscondat, non radendo vel parum faciendo, tanquam erubescens quod in hæreditaria Christi sorte sit electus, neque ulterius induat militaria indumenta diversis variata coloribus.

VIII.

In consanguinitate conjuncti, nisi digna satisfactione separantur separati ab ecclesia et corpore Christi maneant.

IX.

Concubinarii vero et usurarii, nisi resipiscant, excommunicentur.

X.

Sanxerunt etiam ut omnium terrarum decimatio, quam exsecranda infidelium Judæorum sævitia excolebat, ita illi exhiberetur ecclesiæ in cujus parochia eædem terræ sitæ essent, quemadmodum si D a Christianis colerentur.

XI.

Item statuerunt ut si quæ ecclesiæ per pecuniam essent consecratæ, vel a Simoniaco, a legitimo canonice consecrentur episcopo. Si qui etiam clerici pecuniam præbendo vel a Simoniaco sunt ordinati,

eodem modo a catholico ordinentur episcopo. Non enim in his fit reiteratio, sed ipsa consecratio, quoniam nihil præcesserat, quod ratum haberi queat.

XII.

Clerici autem alterius regionis non recipiantur sine propriis pontificis litteris.

XIII.

Scimus quidem laicis ecclesias non competere, sed ubi illæ ex toto auferri non possunt, saltem oblationes missarum aut altaria seu primitias laicis omnino prohibemus. De cœmeteriis autem, et sepultura, et baptisteriis, exactionem fieri omnino prohibemus.

Amatus episcopus sanctæ Romanæ Ecclesiæ legatus his synodalibus gestis vice domini mei papæ subscripsi.

Berengarius Gerundensis episcopus subscripsi.

Berengarius Ausonensis episcopus subscripsi.

Raimundus Elenensis episcopus subscripsi.

Raymundus Rotensis episcopus subscripsi.

Humbertus Barchinonensis episcopus subscripsi

Guillelmus Conveniensis episcopus subscripsi.

Fulco archidiaconus agens vices Urgellensi episcopi subscripsi.

SYNODUS BURDEGALENSIS

Amato apostolicæ sedis legato præside anno 1080 *habitum*

Omnia orta occidunt, et aucta senescunt, nec multum hominis tempus protenditur, ejusque memoria brevissima probatur; sed ne oblivio prorsus præterita absorbeat, necesse est, ut rerum gestarum notitiam littera retineat, quatenus quid sit mutabile futuros non lateat. Igitur hoc præsens non ignorat Ecclesia, sed nec posteritas hinc hæreat ambigua, quod nostra gestum est præsentia. Ego itaque Geraldus Deo largiente abbas, quamvis indignus, diu optaveram eripi de mundanis fluctibus, quibus contundebar acrius, quam fragilis ferre posset animus. Cæterum subjecti mihi minus obediebant, nec eorum ferrea molliri pectora quiverant, quos quidem sæcularia plus nimio negotia induraverant. Denique monstrante divina clementia portum salutis, placuit animo antra petere solitudinis, ubi nulla esset sæcularis habitatio hominis. Itaque commendata episcopo cura commissi gregis, egressus sum de monasterio comitantibus paucis, ignorans omnino quo cursus foret itineris. Sed tandem, Domino ducente, quippe qui nunquam abest sperantibus in se, pervenimus ad domnum Willelm. Pictavensem comitem, virum apprime nobilem, totius quoque Aquitaniæ ducem, qui locum attribuit nobis congruum, Silva Major nuncupatum, quod allodium ita nobis ab illo absolutum redditur, ut nullo ibi quidquam juris requiratur, sicut etiam alia chartula testatur. Cum ergo ibi vellem incipere monasterium, perrexi ad domnum Goscelinum Burdegalensem archiepiscopum, in cujus episcopatu prædictum erat allodium, ejus quidem rogaturus beneficium. Qui interveniente præfato duce jam incœptum monasterium ita omni donavit libertate, ut nec ipse, nec alius post eum, non archiepiscopus, non archidiaconus, non archipresbyter, non cujuslibet ordinis persona aliquod in eo jus, vel dominationem possit habere. Quatenus ibi degentes monachi absque ulla inquietudine libere possent Deo servire. Sed et hoc stabilitum est ab ipso, eodem precante Willelmo, ut si quandoque, disponente Christo, villa creverit, nihilo majus in ea archiepiscopus, vel quilibet minister ejus quidquam habeat juris, nec in clericis, nec in laicis, sed omnia referantur ad abbatis dispositionem, vel congregationis. Hoc etiam sibi nobisque providit, ut nihilominus ecclesiarum consecrationem, sacrosque ordines vel chrisma ab archiepiscopo accipiamus cum necesse fuerit. Sed hæc constitutio iterum ab eodem firmata est in proximo concilio, præsentibus Romanis legatis Hugone atque Amato, multoque aliorum episcoporum collegio. Hoc quoque definitum est, ut si quis hoc decretum violare tentaverit, se sciat excommunicatum, donec satisfecerit, tam ab archiepiscopo, quam ab omnibus qui fuerunt in concilio. Nec non et hoc consulente domino Amato constituimus, ut hoc cœnobium solummodo Romanæ foret Ecclesiæ subjectum, atque sui tutelam domno Apostolico singulos annos solveret quinque solidorum. At ego jam descendens in defectum ætatis decrepitæ jam curam monachorum cupiebam dimittere, atque minus utilis meliori cedere. Verum domnus Amatus, a nostris rogatus fratribus, licet totis resisterem nisibus, tamen mihi ex parte domni Apostolici testatus obedientiam, eorum commendavit providentiam.

Acta est vero supradicta confirmatio Burdegalensi civitate in concilio, anno ab Incarnatione Domini 1080, indict. III, epacta XXVI, II Nonas Octobris, octavo an. Gregorii papæ VII, Philippo in Francia regnante.

S. Willelmi Aquitanensis ducis. CONFIRMA HOC, DEUS.

Ego Amatus apostolicæ sedis legatus confirmo.

Ego Hugo sedis apostolicæ legatus confirmo.

Ego Gocelinus Burdegalensis archiepiscopus præsente concilio concedo et confirmo.

S. Rodulphi Turonensis archiepiscopi.

S. Willelmi Auxiensis archiepiscopi.
S. Bosonis Sanctonensis episcopi.
S. Ademari Engolismensis episcopi.
S. Willelmi Petragoricensis episcopi.
S. Raimundi Vasatensis episcopi.
S. Hugonis Bigorrensis episcopi.
S. Donaldi Agennensis episcopi.
S. Petri Adurensis episcopi.
S. Odonis abbatis Sancti Joannis.
A S. Drogonis Malliacensis abbatis.
S. Raynaldi S. Cypriani abbatis Pictavensis.
S. Bertrandi S. Juliani abbatis V. Nobiliacensis.
S. Hildeberti Nantulliacensis abbatis. V. Nantolis in valle.
S. Fulchardi S. Salvatoris abbatis V. Blavia.
S. Anchelini, Gocelini Burdegalensis ecclesiæ archidiaconi.

AMATI BURDEGALENSIS ARCHIEPISCOPI DIPLOMATA.

I.

Judicium Amati archiepiscopi Burdegalensis et apostolicæ sedis legati in gratiam monasterii Sanctæ Crucis.

(MARTENE, *Thes. Anecd. I*, 276.)

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, AMATUS, sanctæ Romanæ ecclesiæ legatus, Burdegalensium quoque archiepiscopus.

Quoniam sæpissime hominum memoria mundanis adeo sollicitudinibus impeditur, quod non solum olim, sed etiam nuperrime gestorum obliviscitur: ut deinceps præsentium mens litteris excitata, quæ vidit et audivit facile imaginetur, et futurorum ingenia iisdem notulis de præteritis erudiantur: placuit paucis comprehendere, et scriptis sanctæ matris Ecclesiæ fidelium tam præsentium quam futurorum mentibus inserere, qualiter controversiam inter abbatem Sanctæ Crucis, videlicet domnum Fulconem, et decanum domnum Petrum, super ecclesia Sancti Michaelis exortam infringibili judicio sedavimus. Consistentibus namque in præsentia nostra abbate cum suis, et decano iterum cum suis, totiusque causæ rationibus utrimque attenta speculatione circumspectis illorum causæ tale judicium imposuimus. Si abbas Sanctæ Crucis tenorem Sancti Michaelis a prædecessore suo A. et a seipso habitum, prout multis confirmat assertionibus, ipse cum duobus suis monachis sacramento probaverit, quiete in posterum ecclesiam habebit; sin autem, ipsius causæ supersedendum decrevimus. Quod judicium arguente rectitudinis examine collaudandum cunctis enituit. Quocirca in conspectu omnium ibidem consistentium abbas Sanctæ Crucis domnus Fulco assurgens cum suis super quatuor Evangelia juravit quod prædecessor suus bonæ memoriæ A. Trencardi cum suis monachis a reverendissimo prædecessore nostro domino Goscelino et a Sancti Andreæ capitulo ecclesiam Sancti Michaelis extra urbem super Garonam sitam prorsus ex integro in jus Sanctæ Crucis acquisivit, præter illud quod vocatur tricesimum et confessiones. Et ut prædictus abbas et sui, juxta sanctorum Patrum decreta, aliqua commutatione prædictam ecclesiam firmiter et quiete possiderent, quoque anno in festivitate sancti Andreæ ejus matris ecclesiæ canonicis duos solidos persolverent. Hanc ergo ecclesiam hoc modo Sanctæ Cruci concessam prædictus abbas quoad vixit quiete obtinuit, necnon juravit se ipsum in abbatem constitutum eumdem tenorem obtinuisse. Quapropter ut deinceps ecclesia Sancti Michaelis inviolabiliter et quiete, tamen semper per capellanos, secundum deliberationem Sanctæ Crucis tractaretur: hoc privilegium nostræ auctoritatis firmavimus, quod impressione sigilli nostri signari præcepimus.

Actum est et concessum in præsentia nostri, assistentibus P. decano, et E. archidiacono, cum cæteris Sancti Andreæ canonicis, et quam pluribus aliis valentibus tam clericis quam laicis, anno ab Incarnatione Domini millesimo nonagesimo nono, indictione septima, epacta vicesima sexta, concurrente... anno pontificatus domni Urbani papæ secundi duodecimo.

II.

Amatus archiepiscop. Burdegalens. dat Silvæ Majori ecclesiolam S. Lupi.

(*Gall. Christ. II*, 275, instrum. nov.)

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, ego Amatus Dei gratia Burdegalensis archiepiscopus.

Si locis Deo dicatis aliquid largitionis nostræ munere ob divini cultus amorem impertimur, præmium æternæ remunerationis nobis rependi procul dubio non diffidimus. Notum itaque sit omnibus fidelibus tam præsentibus quam futuris, quoniam ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Silva Majore ad divini cultus augmentum ecclesiolam quamdam, quæ est inter duo maria constructam, in honore S. Lupi confessoris perpetuo concedimus, et sanctuaria ad supradictam ecclesiolam pertinentia; et ut hæc concessio per succedentia tempora firma et inconvulsa per-

maneat, hanc chartulam sigillo nostræ auctoritatis insigniri præcepimus.

III.

Quædam acta ad Amatum Burdegalensem spectantia.

Amatus gratia Dei Burdegalensium archiepiscopus et S. R. E. legatus, ad petitionem venerandi Asculfi Angeriacæ imo angelicæ congregationis S. Joannis Baptistæ abbatis, dedit privilegium de quibusdam ecclesiis quas antecessor Asculfi, Odo bonæ memoriæ abbas, a Goscelino archiepiscopo in archipræsulatu Burdegalensi acquisiverat: quatenus ipsa supradicta angelica congregatio simul cum ipsis ecclesiolis tam in augmento rerum temporalium per tempora succedentia crescat, quam in divino servitio in dies melius proficiat. Sunt autem istæ ecclesiæ: S. Maria de Vairas, S. Petrus de Vals, S. Sulpitius de Averniaco, S. Martinus de Ison, S. Martinus de Boiseth, S. Maria de Grisiliaco, S. Vincentius de Molon, S. Laurentius de Medulco; et hæ ecclesiæ sunt inter duo maria. Petrus decanus et archidiaconus, Eblo archidiaconus, Arnaldus Simonis cantor et cæteri canonici in capitulo S. Andreæ confirmant hoc privilegium.

Actum et concessum Burdegale, anno 1098 Incarnationis Domini, indict. VI, concur. IV, epacta XV, domino Urbano secundo Romanæ sedi papa residente.

Data per manum Petri decani ipsi abbati A. in capitulo S. Andreæ V Idus Martii. *Ex chartul. Angeriac. fol.* 97.

Idem Amatus definivit in concilio Burdegalensi altercationem quæ erat inter Ansculfum abbatem S. Joannis de Angeriaco, et Garnerium abbatem S. Maxentii, et monachos utriusque monasterii propter ecclesiam S. Petri de Mareistais vetulo sitam prope castrum quod nominatur Mastacius; in favorem Angeriacensium res fuit diffinita.

Actum et concessum in Burdegalensi concilio anno ab Incarnatione Domini 1098, indict. VI, epacta XXVI, assistentibus et præsidentibus R. Auciensium archiepiscopo, et R. Dolensium archipræsule cum suffraganeis eorum episcopis et abbatibus, necnon et S. Agennensium, et R. Petragoricensium episcopis cum suffraganeis eorum abbatibus. Anno vero XI pontific. domini papæ Urbani II, data III Nonas Octobris. *Ex chartul. Angeriac. fol.* 95.

Depositio domni Amati archiepiscopi notatur in necrolog. Monast. novi Pictaviens. X *Kalend. Junii.*

ANNO DOMINI MCIII

POPPO METENSIS EPISCOPUS

NOTITIA

(*Gall. Christ.* nov. t. XIII, col. 734)

Buchardo successit Poppo, archidiaconus Ecclesiæ Trevirensis, Henrici comitis palatini frater, tam schismaticorum factioni contrarius, quam partibus Catholicorum addictus. Quam ob causam competitorem expertus est Adelberonem seu Adelbertum, quem licet imperatoris auctoritate suffultum seclusere cives Metenses. Itaque Poppo in episcopatus possessione permansit. Verum opus erat archiepiscopo qui eum consecraret; nam Egilbertus provinciæ metropolitanus schisma sectabatur. Curam hanc in se recepit Jarentonis abbatis S. Benigni Divionensis precibus victus Hugo archiepiscopus Lugdunensis, sedis apostolicæ legatus. Ille siquidem inter pericula, pluribus comitatus prælatis, Metas accessit ac Popponem unxit in episcopum prima Quadragesimæ hebdomada. Hæc narrat in Chronico Ugo abbas Flaviniaci, auctor æqualis, ad annum 1093: Scriptor historiæ mss. S. Huberti, paulo minus antiquus, idem refert de Burchardo. Unde nonnulli censuerant Burchardum et Popponem eamdem esse personam. Aliunde Bertholdus continuator Chronici Hermanni Contracti vult ut quem elegissent Metenses episcopum, consecraverit Gebehardus Constantiensis legatus apostolicus, 27 Martii medio Quadragesimæ. Ut ut est, verisimile videtur historicos Metenses ex inaugurationis cunctatione conclusisse episcopatum Metensem pastoribus orbatum fuisse per plures annos, licet Burchardus immediate Herimanno successerit. Sed dum deesset consecratio, sedes vacua censebatur, licet plures personæ de eo episcopatu contenderent: videlicet Burchardus, Poppo, Bruno Adelbero, et

forte Nicodemus memoratus in charta Bosonisvillæ, vel etiam alter designatus per litteram O, ad quem litteras papa direxit. Attamen Poppo anno 1094 ecclesiam *de Thiecourt*, quam Gerardus *de Thiecourt* et filius ejus Arnulfus tradiderant, confirmavit monasterio Cluniacensi. Testimoniales litteras indulsit anno 1094 Richero Virdunensi episcopo, ut consecrationen ab archiepiscopo Lugdunensi acciperet, eumque adeuntem in possessionem comitatus est. Eodem anno visitavit Spinalense cœnobium, ut institutam jam pridem ab Adalberone observantiam restitueret. Popponis episcopi annus 5 componitur cum anno Incarnationis 1094 in charta Brunonis Trevirensis archiepiscopi, ecclesiam S. Petri in Arenis monasterio S. Clementis confirmantis. Unde colligere est episcopatum Popponis incœpisse anno 1090. Cum Spinalense monasterium ille visitavit, tunc temporis ibidem degebat, ut legitur, sanctimonialis Cæcilia nomine, quæ apud eum de disciplinæ regularis prolapsione expostulavit, tumque prædixit quondam futurum ut, quod nunc cernitur, sorores ejurata S. Benedicti Regula ad mores prorsus sæculares se converterent. Concilio Claromontano interfuit Poppo anno 1095, quo mediator exstitit inter Varnerum abbatem Gorziæ et Vezelonem advocatum super potestate Amellæ. Nominatur etiam anno 1097 cum Hildeberto Trevirensi archiepiscopo ac Widone S. Arnulfi abbate. Antonium Layii priorem in locum Bercheri Senoniensis abbatis mortui sufficiendum curavit anno 1098. Ut vero semper exstitit exosus imperatori, omnia Metensis Ecclesiæ bona sita in Hasbania sub suam manum princeps tradidit, et in feodum concessit comiti Arnulfo *de Los*. Obiit autem hic præsul anno 1103

POPPONIS DIPLOMATA.

I.

Integram centenam (1) *S. Juliani abbatiæ S. Vincentii concedit, et omnia bona ejus confirmat.*

(Anno 1094, Octobr. 1.)

[*Histoire de Metz*, t. III, Preuves, p. 98, ex archivis abbat. S. Vincent., fascic. 1, n. 1.]

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, et beatissimæ Virginis Mariæ, sanctique Michaelis archangeli, et sancti Petri apostolorum principis, et beatissimi Pauli apostoli, et sancti Stephani protomartyris, sanctique Vincentii gloriosi martyris, et sanctæ Luciæ pretiosissimæ virginis et martyris, omniumque cœlestium ordinum, Poppo sanctæ Mediomatricorum Ecclesiæ, gratia Dei pontifex, universis spiritalibus sanctæ matris Ecclesiæ filiis.

Commendat veneranda Patrum auctoritas nos condecorare, excellentissimo studio, corpora sanctorum, quos intercessores pios apud omnipotentem Deum fore credimus; ut quanto deditiores erimus in pretioso ornatu sanctorum, tanto celerius fruamur in nostris necessitatibus ipsorum patrocinio. Ad quam venerabilem devotionem subtiliter invigilans dilectissimus noster filius Lanzo, reverentissimus abbas cœnobii Sancti Vincentii, sacratissimum corpus sanctæ Luciæ, quod ibidem requiescit, quia intra quoddam habitaculum minus digne locatum per annos plurimos fuerat, honorabiliter transferre concepit. Insudavit itaque multis impensis ad fabricandam capsulam, auro, argento, gemmis decoram, ut sanctissimum quod conceperat desiderium compleret. Peracto igitur opere, et die ad beatissimum propositum significato, collocavimus transferentes pretiosissimum corpus præfatæ virginis intra artificiosum receptaculum, præsentibus nonnullis religiosis personis, quæ de diversis finibus ad tantum gaudium ultro convenerant. Nos vero altius contemplantes laudabile factum venerabilis abbatis, proposuimus aliquid insigne de nostris bonis ad hanc translationem amplificandum, adhibito suffragio nostrorum fidelium, clericorum et laicorum. Quapropter ego Poppo, sanctæ Metensis Ecclesiæ præsul, notum designo omnibus fidelibus tam præsentibus quam posteris, quia trado indissolubiliter beatissimæ Luciæ, propter salutem meam et prædecessorum meorum successorumque, integram centenam in burgo Sancti Juliani, et in omnibus ejus appendiciis, ut illam districtionem obtineat abbas prænominatus, omnesque sui successores libere propriis ministerialibus adhibitis et omni alia potestate sequestrata. Quotiescunque vero per bannum venditur vinum, in urbe, sive extra urbem, tradimus licentiam abbati, suisque omnibus successoribus habendi vinum venale per bannum in curte Sancti Vincentii, omnibus inculpatis, tam vendentibus quam ementibus. Collaudamus præterea et obnixe sancimus quæcunque pontifices, prædecessores nostri, tradiderunt abbatiæ Sancti Vincentii, tam de pertinentibus ad propriam mensam quam de omnibus acquisitis in villis, in vineis, in terris, in nova portione, in hominibus, in ecclesiis et in omnibus possessionibus, quatenus abbas et Deo inibi militantes, absque aliqua injuria, omnia in perpetuum rata possideant.

(1) *Seigneurie, juridiction.*

Ad hæc quidquid dignitatis et auctoritatis serenissimi papæ, videlicet Joannes, Benedictus, Leo, Urbanus, per privilegia sua concesserunt abbatibus Sancti Vincentii, quidquid etiam observandum de bonis ad abbatiam respicientibus substituerunt, concedimus et inviolabiliter conservandum præcipimus, collibrata in omnibus dignitate et auctoritate nostra omniumque Metensis Ecclesiæ præsulum, si catholici fuerint. Nos igitur corroborantes universa superius notata, ut in omne tempus rata et inconvulsa existant, violatores eorum, auctoritate Dei omnipotentis Patris et Filii et in virtute Spiritus sancti, gladio districti anathematis, a liminibus sanctæ Ecclesiæ sequestramus, ut nullam partem in sortem electorum habeant, nisi per emendationem resipiscant.

Actum Metis in ecclesia Sancti Vincentii, anno Dominicæ Incarnationis 1094, indictione III, die Dominica, Kal. Octobris, episcopatus autem domni Popponis anno V. Præsentibus et collaudantibus domno Adalberone primicerio et archidiacono, domno Gerardo archidiacono. Arnulpho thesaurario, Emicone, Accone, Folcuino, Leubrinco, Thiefrido, Sigifrido, canonicis. Walone abbate Sancti Arnulphi, Alberto abbate Sancti Martini. De laicis quoque præsente et cooperante Burchardo judice, Becelino et Alberto fratribus, Ebroino cum aliis innumeris, quorum nomina scripta sunt in libro vitæ.

II.

Jura advocatorum Amellæ ordinat.

(Anno 1095.)

[*Ubi supra*, p. 100, ex chartul. abbatiæ Gorziensis, tit. 138, p. 188-190.]

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, et beatæ Dei Genitricis Mariæ, et sancti Michaelis archangeli, et sancti Petri et Pauli, et sancti Gorgonii, et omnium cœlestium ordinum, Poppo, sanctæ Mediomatricorum Ecclesiæ gratia Dei pontifex.

Contradimus notum omnibus fidelibus, tam præsentibus quam posteris, quod venerabilis abbas Gorziensis cœnobii, nomine Warnerus, cum suo præposito fratre Adelone, nostram præsentiam humiliter adiens, conquestus fuit de Wezelone advocato suo, qui super potestatem Amellæ, ubi est advocatus, extraordinarie per se et per suos, nonnullas res vindicabat, excedens æquitatem quam obtinuerunt alii qui memorantur inibi fuisse advocati. Nos itaque satisfacientes desiderio querimoniæ suæ, venimus Amellam, collecta multitudine nostrorum fidelium, ubi convictus supradictus advocatus, nobis et abbati nostro, ob illicitas invasiones justificavit, secundum consilium præsentium, et postremo dereliquit quæ injuste usurpaverat, collaudans abbati et suis quidquid dignitatis et utilitatis, ex antiquitate in supradicta Amella palam fuit enarratum. Ut autem nulla ambiguitas super hoc pullulet apud præsentes, sive posteros, sequestravimus quæ sint jura abbatis, quæ advocati, sicut indicant, hoc ordine, sequentia : Apud Amellam nullus habet bannum (*juridiction*), neque potestatem nisi abbas Gorziensis, præpositusque suus, et ministeriales sui, cum omnibus appendiciis. In tribus annalibus placitis et in aliis placitis, per annum continuum, præpositus et villicus (*maire de village*) agent et finient, absque advocato quæcunque ad placita pertinent. Omnis investitura fiet sub banno abbatis et præpositi et villici, nulla mentione advocati habita. Abbas et præpositus ponet villicum et omnes ministeriales, absque advocato. Villicus bannalis quemcunque rebellem accipiet per se et per suos, et in cippum (*prison*) tradet, eum cogendo, donec justitiam exsequatur, sine advocato, nisi forte necesse fuerit. In centena (*seigneurie*) totius potestatis Amellæ, tam de fure quam de latrone, et de aliis omnibus, definiet villicus, sine advocato, omnia secundum judicium scabiniorum ipsius curtis Amellæ. Quod si fur vel latro extraneus fuerit, et se redemerit, advocatus tertiam partem suscipiet; si vero aufugerit, dum in custodia tenetur nihil interest advocati a villico requirere, si se poterit purgare eum suo assensu non aufugisse. Abbas suum habebit bannum vendendi vinum (*droit de ban-vin*) per menses duos, requirere quoscunque voluerit, excepto Julio et Augusto. De leuda (*amende pour cause d'homicide*) hominis interfecti solus villicus placitabit, accipiens ad opus abbatis leudam, advocatus nihil habebit inde, nisi invitatus fuerit. De mutatione monetæ et de duello sive incipiatur, sive finiatur, nihil pertinet ad potestatem advocati. Advocatus enim, ut omnia alia in libera potestate abbatis consistant, mansos decem habet in feodo, præter bannum quem retinet abbas, quos mansos habet seorsum, ut totam potestatem defendat, sine alio respectu, nisi qui inscriptus est. Habet etiam idem advocatus in illis mansis manentes, debentes sibi censum de capitibus, et habet ibi proprium villicum, decanum, scabionem, omnesque redditus illorum x mansorum, absque banno. Præterea advocatus de singulis manentibus infra bannum istum, et quorum est advocatus, et qui censum solvunt, accipit in solemnitate sancti Martini soniam unam (*droit de gite, ou plutôt prestation qui se payait pour ne point loger*) ad mensuram quartalli de curte Amellæ. Si vero ea die sonia non fuerit persoluta, tamen advocatus nullam faciet violentiam, sed villicus abbatis exsequetur sibi justitiam, annali placito abbatis finito. Sequenti die advocatus habebit placitum suum super suos homines de suis decem mansis tenentes, et super illos censum de capite sibi debente. Quod si causa aliqua in suo placito usque ad duellum pervenerit, in curte abbatis Amellæ finietur, et abbatis villicus faciet districtionem (*punition, peine imposée par le juge*) dabitque abbati suam justitiam, et advocato suam. Si meta aliqua fuerit exterminata in illis decem mansis de feodo advocati, villicus abbatis faciet totam districtionem, dans advocato suam justitiam, abbati bannum et metam restituet. Advocatus domum propriam apud Amellam nullam habebit,

neque sui servientes, nec hospitabitur ibi, nisi forte causa sui placiti venerit, et tunc tantum apud suos homines hospitabitur. Hæc suprascripta consistunt juris totius potestatis Amellæ. Hoc jus conservaverunt priores inviolabiliter usque ad nostram memoriam. Hoc jus, licet deprevaricatum a Wezelone advocato fuisset, tamen, sicut superius, prælibavimus, se conservaturum deinceps collaudavit et promisit. Ut autem ratum et inconvulsum in perpetuum habeatur, indissolubili vinculo anathematis violatores hujus renovati decreti innodamus, et ut firmiori fulciatur robore, subter notamus inscriptionem nostri nominis, nostrorumque fidelium, ad testimonium veritatis, in virtute omnipotentis Dei adversus prævaricatores, si qui exoriantur, nullam sortem cum sanctis habentes.

Poppo sanctæ Metensis Ecclesiæ episcopus. Abbates : Warnerus, Walo, Lauzo, Petrus præpositus, Adelo. Clerici : Adalbero archidiaconus, Emicho archidiaconus, Rotcelinus archidiaconus, Arnulfus thesaurarius. Laici : dux Theodericus, Gerardus comes, Gotbertus de Aspero monte, Albertus de Briaco, et duo filii ejus; Theodericus, Albertus, Wigericus de Spinal, Hugo de Aspero monte, Bertaldus de Turre, Theodericus de Confluentio, Wigericus de Donobrio, Burchardus judex, Anselmus dapifer, Girardus scanzo, Walterus Gorziensis advocatus, Wipaldus Metensis primus scabinio.

Actum Metis publice, Henrico Augusto imperante, Folmaro comite; anno Incarnationis Dominicæ 1095, indictione III. Ego Andreas cancellarius dictavi, et sigillavi, ex præcepto serenissimi domni mei Popponis, gratia Dei Mediomatricorum pontificis.

POPPONNIS EPISTOLÆ AD LAMBERTUM

ATREBATENSEM EPISCOPUM

(Vide inter epistolas Lamberti, Patrologiæ tom. CLXII.)

ANNO DOMINI MC

ANSELMUS

MEDIOLANENSIS ARCHIEPISCOPUS

NOTITIA

(UGHELLI, *Italia sacra*, tom. IV, col. 116)

Anselmus, hujus nominis quartus, Valvasorius, alias de Buis, ex Laurentianæ basilicæ præposito, dictus est archiepiscopus Mediolanensis, et ab Urbano II pontifice confirmatus anno 1096. Qui sui optimi antecessoris secutus vestigia, Cruciatam, ut vocant, et ipse instituit prædicare, conscriptisque ac cruce signatis quinquaginta millibus Longobardorum, ad sacrum bellum trajecit in Syriam. Cujus electionem, expeditionem moresque sic describit Landulphus de S. Paulo in Chronico, cap. 1 :

« Armanus enim ille monachus, quasi cardinalis Romanus, et a parte Brixiensium civium atque favore comitissæ Mathildis in Ecclesia Brixiensi electus episcopus, defuncto Arnulpho archiepiscopo Mediolanensi, ad alium eligendum venit; qui ubi sensit nobilem multitudinem Mediolanensium convenire ad eligendum Landulphum de Badagio, S. Ambrosii canonicæ præpositum, in archiepiscopum, virumque moribus, et vita quam bene ornatum substitit et electioni non consensit. Corona inde vulgi gratia Romanæ Ecclesiæ, et Brixiensis, ac Mathildis comitissæ favore putans illum fore religionis virum : mox ubi sensit illum Armanum huic electioni obesse, cœpit adversus ipsam electionem insanire, et clericos, et sacerdotes pugnis, et fustibus vehementer lacerare, virum quoque de . . . civibus Paganum nomine et in porto orientali . . . in ipsa ecclesia quæ dicitur Hiemalis, præsumpsit occidere. Hanc insaniam nobis Landulphus vitavit : et descendens secretarium ecclesiæ, ad domesticam suam ecclesiam, quæ Sancti Joannis ad Quatuor Facies dicitur, pervenit. Armanus autem ille in tanta perturbatione in ecclesia Sancti Ambrosii ait populo suo congregato : Vobis fiet prout proverbium dicit : Populo stulto e pico-

pus surdus. Hoc dicto statim elegit sibi et illis in archiepiscopum Anselmum de Buis, hominem simplicem, et canonicæ S. Laurentii præpositum. Hic vero ubi sensit electum a Brixiensi illo Armano, et populo impetuoso collaudatum, illico cathedram archiepiscopatus ascendit, et sedit, et deficientibus sibi suffraganeis episcopis, omnes ecclesiasticos ordines usque ad presbyteratum, ordinationem quoque episcopatus ab extraneis episcopis suscepit, virgæ quoque pastorali per manus comitissæ Mathildis adhæsit, stolam vero per legatum domini Urbani papæ sibi delatam induit. Deinde homo iste effectus prudens neglexit Obertum, cognomine Baltricum, qui propter investituram Brixiensis episcopatus, quam a rege suo Henrico susceperat, Armano repugnabat: et Armanum, qui se in archiepiscopum elegit, in episcopum ordinavit. In Tusciam adire tentavit. Et cum pervenisset Florentiam, rex ipse prudens, sapiens, atque decorus specie, proh dolor! adolescens, accepta potione ab Aviano medico Mathildis comitissæ vitam finivit. » Sequitur idem auctor cap. 2 : « Rege igitur in regno deficiente, supradictus Anselmus de Buis Mediolanensis archiepiscopus, quasi monitus apostolica auctoritate, jam dicto presbytero nolente, studuit congregare de diversis gentibus exercitum cum quo caperet Babylonicum regnum : et in hoc studio præmonuit præelectam juventutem Mediolanensem cruces suscipere, et cantilenam de *Ultreja Ultreja* cantare ; atque ad vocem hujus prudentis viri plures viri cujuslibet conditionis per civitates Longobardorum, villas et castella eorum cruces susceperunt et eamdem cantilenam de *Ultreja Ultreja* cantaverunt. Cum adhuc homo iste simplex Mediolani viveret, et exercitum congregaret, habuit consilium statuendi sibi vicarium, hominem multarum artium. Unde quidam sagacissimi viri, ab eo ordinati sacerdotes, mandatum eundi Saonam susceperunt, ut in ipsa civitate suo jussu et auctoritate electionem episcopi admonerent, et fieri cogerent. Qui dum iter facerent venerunt Ferrariam : in quo nemore amplexi sunt Grosulanum et ejus consilium. Quorum sacerdotum exercitium in tantum valuit, quod quidam ex Saonensibus ipsum Grosulanum, in victu afflictum, in vestitu abjectum elegerunt sibi episcopum, et eligentes una cum illo electo, et illis duobus sacerdotibus ab archiepiscopo missis, videlicet presbytero Joanne Aculeo, et presbytero Nazario Muricula Mediolanum pervenerunt. Ibique per jussionem archiepiscopi, qui jam erat in expeditione positus Grosulanus ab Armano Brixiensi, et Arialdo Januensi, et Mainardo Taurinensi ordinatus est episcopus, et archiepiscopi vicarius. Verum quia ipse ordinatus, sedem Saonensem nondum ascenderat, ad ipsam civitatem adire tentavit, et quodammodo pervenit. Sed requies ibi, si quam habuit, paucissima fuit. At citissime inde exiens Mediolanum rediit. Cujus magnæ civitatis commovit gentem, ut per singulas hebdomadas in secunda feria ad Sancti Ambrosii ecclesiam convenirent, et pro archiepiscopo illo Anselmo, ejusque exercitu litanias facerent. Ipse vero Grosulanus non solum in ipsis feriis, sed fere per singulas festivitates illi magnæ genti luculenter sermocinando non magis affectabat eam sibi, quam asperitate vestitus et cibi. » Hactenus ille ejus ævi scriptor.

Anno 1098, vel initio sequentis anni, Anselmus e Syria Mediolanum rediit, antequam Hierosolyma a Christi fidelibus capta fuisset, nam Idibus Julii an. 1099, duce Gothifredo, in eorum manibus devenit, summa totius orbis Christiani lætitia. Anselmus vero IV Nonas Februarii Mediolani sententiam tulit ad favorem abbatis S. Simpliciani, quam quidem cum sit valde celebris, ad hujus rei indagandam veritatem exhibendam duximus ex authentico exemplari, quod nobis documentum subministravit doctus, et rerum antiquarum peritissimus Constantinus abbas Cajetanus.

Basilicæ S. Simpliciani accessit deinde nobile Benedictini ordinis cœnobium, postquam Simplicianus in eo solitariam vitam duxit, et post ipsum alios ejusdem instituti viros, quibus Benedictini monachi successere circa annum Domini 700; tunc ad S. Protasium ad monachos moram trahentes, a Mediolanensibus archiepiscopis juribus atque privilegiis ornati, hactenusque sub Casinensi nobili piaque congregatione illustre cœnobium perseverat.

Cæterum cum Gothifredus Bulonius sancta civitate Jerusalem, ejectis barbaris, fuisset potitus, Anselmus archiepiscopus in patriam, in testimonium Hierosolymitanæ victoriæ ecclesiam de Ronzone, quæ in honorem S. Trinitatis erecta olim fuerat, reformavit, et ad veram similitudinem Hierosolymitani sepulcri, sive Hierosolymitanæ illius Ecclesiæ redegit, perfectoque opere, eam solemniter eidem sepulcro consecravit an. 1100, Idibus Julii ; de qua consecratione pauca Calchus, plura vero Puricellus habet recitatque Anselmi epistolam, seu publicum documentum ab authentico archetypo exemplari exscriptum quod habes infra.

Anselmus igitur, e Syria Mediolanum regressus, mox illa sanctæ Trinitatis ecclesia in honorem Dominici sepulcri renovata, eamdem Idibus Julii ann. 1100 consecravit. Deinde Kalendis Augusti Genua discessit una cum ea Genuensi classe de qua Ubertus Folieta Genuensis historiæ lib. I. In Syriam profectus, a Saracensis fugatus, Constantinopoli exspiravit eodem anno 1100, Kalendis Octobris (1), sepultus in Divi Nicolai æde, posteris immortalis nominis sui fama relicta; sic enim diserte asserunt Chalcus, Acta Ecclesiæ Mediolan., et Landulphus de S. Paulo, cap. 2, *a Turcis*, ait, *et Saracenis fugatus in gravi luctu Constantinopoli exspiravit.*

ANSELMI PRIVILEGIA.

I.

Privilegium pro ecclesia S. Simpliciani.

(Anno 1099.)

[Ughelli, *Italia sacra*, IV, 118.]

Quoniam gratiam S. Spiritus speculatum domui Israel excelsam turrim Sion montis conscendimus, omnibus commissis providenter invigilemus, non dantes somnum oculis; sed toto corde nostro in circuitu oculato habemus aspectus similes succensis carbonibus. Ostendentes vultus ignitæ flammæ lampadum admodum animalium, bis vivis diversæ formæ vultibus super rotas coruscantium, ut tota civitas in tranquillitate conquiescat, cum supra gregem suum virgam vigilantem videat : unde si quem clanculo surripientem ab ipsa specula videbimus, vel palam irruentem ad domus Dei publicam infestationem, nos

(1) Anselmus ex Catalogo *sedit an.* III, *mens.* X, *dies* XXVIII ; obiit II *Kal. Octob., sepultus Constantinopoli ut peregrinus in monasterio S. Nicolai.* Anselmus autem ex isto calculo sedere cœpit an. 1097, die 3 Novembris, feria tunc tertia post vacationem mens. I, dierum 8, et vixit usque 3 Septemb. anni 1101. Erravit igitur Ughellus, quando ipso sæculari anno mortuum Anselmum hunc scribit, qui dicto anno adhuc Mediolani consistens celebraverat dedicationem ecclesiæ S. Sepulcri, cujus dedicationis insigne monumentum refert idem Ughellus. Papæbrochius.

illis adversantes non dubitemus pro muro domus Israel ad pugnandum in prælio. Nunc ergo quia quosdam superstitiosa religione videmus in domo Dei contendere, ignorantes Dei justitiam, et suam quærentes constituere, oportet nos pastorali cura superintendere, et discordes ac contentiosos, qui sunt in Ecclesia per arma justitiæ sub ecclesiasticis statutis ad pacem, et unanimitatem reducere. Audivimus noviter scissuras esse factas Eccles. Dei sub nostro regimine, vicinis S. Protasii sub nomine religionis decertantibus pro quadam Ecclesia cum abbate S. Simpliciani. Cur autem hoc scandalum exoriatur, noster ex ordine stylus prosequatur, ut cunctis clarius innotescat, quid ex auctoritate SS. canonum a nobis inde censeri conveniat in primis vicinorum causantium postulatio clare fiat. Dicunt enim vicini Ecclesiam S. Protasii olim fuisse monasterium abbatis et monachorum, basilicam vero S. Simpliciani ex longo tempore fuisse canonicorum. Sed abbate, et monachis ad habendam solitariam vitam, evitare volentibus populorum frequentiam: canonicis vero, velut constitutis in agro, non recusantibus esse in populo, talis inter utrosque facta est commutatio, ut abbas, et monachi, cum omnibus rebus ad monasterium pertinentibus ad ecclesiam processerunt S. Simpliciani, item canonici, cum omnibus suis rebus ad ecclesiam devenerunt S. Protasii ut illi essent in solitario; isti in populo. His rationibus vicini confidentes, nullosque monachos ulterius ibi stare volentes elegerunt Gualdonem fratrum præpositum S. Protasii officialium, abbate, quia in illum turpiter murmuraverant, ejus electioni invito consentiente, ac omnibus proclamante: « Ne forte tumultus fieret in populo: huic electioni quodammodo consentio, salva tamen nostri monasterii dignitate, nostroque privilegio. » Audita vicinorum ratione consequens est . . . . Abbatis contradictionem in medium deducere. Dicit enim abbas monasterium monachorum dudum fuisse constitutum apud S. Protasium. Cum autem in omnibus monasteriorum abundanter succresceret, ut copia monachorum, cum pluribus aliis adhærentibus ad societatem, vel famulatum eorum, intolerabilem ferret incommoditatem propter angustiam loci, et civilem tumulationem, transmutata est Abbatia foras ad S. Simpliciani basilicam, abbate olim in proprietatem acquisitam ex decreto archipræsulis, qui erat tunc temporis, quibusdam tamen ibidem remanentibus monachis cum suis monasterialibus instrumentis in monasterio S. Protasii. Omnibusque patet ab ipso die in prædicta ecclesia sancti Protasii monachos semper mansisse, cum capellanis in ecclesiastico officio administrantibus populo in omnibus submissis abbati, sibique submissæ congregationi. Iis autem contentionibus abbas et vicini tam graviter dissentientes, ut Dei Ecclesia vacillanter inquietaretur, omnisque civitas perturbaretur, emolliti tandem nostris crebris admonitionibus omnem causam nostro nostrique cleri judicio terminari statuerunt. Quapropter cum nostris clericis et abbatibus in secretarium convenimus, ut eorum consilio hujus litigii canonice ventilata enuclearetur ratio. Ubi lucerna sapientiæ super candelabrum posita, ut luceret his qui in domo sunt, cum ex hac causa rationem ponere cum nostris conservis, non est inventus aliquis, qui commissum talentum subfodiendo absconderet, sed apertis thesauris multiplicet superlucrata nobis postulantibus protulerunt talenta. Quibus ostentatis, expulsa est ignorantia, introductaque veritate per legalem dilucidationem sapientiæ alterutrum amplexati sumus brachiis concordiæ. Post cujus amplexus concorditer cum electis clericis ibidem statuimus justitiam supradictis contentionibus hactenus conculcatam nunc ab ipso thalamo eductam per legis peritiam in crastinum oris nostri gladio legaliter spondere populo. Mane autem utramque contradictionem . . . . populo nostrum postulantibus audire judicium, cum eisdem clericis, et abbatibus S. Mariæ conscendimus pulpitum. Tunc facto prius silentio hoc locum capitalium est Gre. . . . . pluribus capitulis diligenter a nobis, ac nostro clero, et in secretario consideratis inspectaque antiqua institutione monasterii et S. Simpliciani, et ecclesiæ S. Protasii . . . ut deinceps ad ecclesiam S. Protasii permansisse claustrales monachi per constitutionem abbatis S. Simpliciani, laudantes quoque firmamus eamdem Ecclesiam, ejusque ecclesiæ monasterium cum omnibus rebus ad utraque cœnobia . . . . . pertinentibus, amodo manere sub potestate, et ordinatione ejusdem abbatis. Deinde lectum est capitulum Anacleti papæ. Quo explanato diximus ad populum. Præterea constituimus, ut omnino pro infecto habeatur, quod Gualdonem nostrum capellanum vobis eligentibus dedimus, ut presbyterorum, et clericorum ecclesiæ S. Protasii esset præpositus. Cum abbas S. Simpliciani tunc dicat, ac jurejurando asserere si volumus, promittat, se non voluntarie, sed per metum ejus electionem consensisse; dicens quoque suam, et nullius alterius, ab antiquo tempore semper fuisse electionem capellanorum ecclesiæ S. Protasii. Quapropter sicut jura nostrasque dignitates semper ab impugnatoribus debemus defendere legaliter, sic aliena non debemus cum fratribus . . . . auferet; statuimus etiam, ut ab hac hora et deinceps abbas S. Simpliciani eligat Capellanos officiales S. Protasii, qui suæ potestati suæque obedientiæ subjaceant, nec alium præpositum habeant, nisi ipsum abbatem, qui eos regat, et custodiat, et si inter se ipsos, vel in alios peccaverint, eos in virga rectitudinis corrigat, eosque ad eamdem Ecclesiam vivere faciat, vel regulariter in claustro cum supradictis monachis si ipsimet capellani hanc vitam magis elegerint, vel canonice in domibus aliis. Hæc fratres canonice sancivimus: hoc una cum nostro clero laudavimus: idemque a nobis omnibus firmiter laudari volumus; ut vicini, et abbas, ut nunc statuimus, inviolabiliter teneant, et dixit omnis populus: fiat, fiat.

Ego Anselmus Dei gratia archiepiscopus a me facto subscripsi.

Hoc actum, et dictatum est ab Ariprando cancellario anno Dominicæ Incarnationis 1099, IV Nonas Februarii, indict. VII.

Ego Armannus Brixiensis episcopus interfui, et ss.

Ego Guillelmus S. Ambrosii abbas interfui, et ss.

Ego Bonus Senior Regiensis episcopus interfui et ss.

Ego Arialdus, S. Dionysii indignus abbas interf. et subsc.

Ego Bellottus filius q. Ambrosii Gambarelli not. sacri palatii, authenticum hujus exempli vidi, et legi: in quo continebatur, sicut in isto legitur exemplo, præter litteras plusve minus.

Ego Niger, filius q. Girami de la Fragia de Burgo Portæ Cumanæ not. domini Henrici imper. hoc exemplum ab authentico exemplo vidi et legi, et sic in eo continebatur, ut in isto legitur exemplo, extra litteras plus minusve.

Ego Martinus, filius Nigronis de la Vagia de Burgo Portæ Cumanæ not. et missus Domini Othonis Imp. hoc exemplum ab authentico sigillato exemplavi: in quo continebatur, sicut in isto legitur exemplo præter litteras plus minusve.

II.

Ecclesiam de Ronzone, quam ad similitudinem Hierosolymitani Sepulcri redegerat, consecrat.

(Anno 1099.)

[UGHELLI, *Italia sacra*, IV, 124.]

In nomine sanctæ sempiternæque individuæ Trinitatis, et sancti sepulcri Domini nostri Jesu Christi (2).

Ego ANSELMUS, magna Dei opitulante clementia sanctæ matris Ecclesiæ archiepiscopus Mediolanensis. Ut bonus pastor animam meam deberem ponere pro meis ovibus, sed quia hoc facere, mundanis impeditus curis, non valeo nec immerito doleo quod boni pastoris officium non exerceo, ne penitus tamen videre deditus ignorantiæ, inspirante summa Dei clementia, quæ civitatem supra montem positam, ecclesiam scilicet Sancti Sepulcri, in medio hujus civitatis sitam, non est passa diutius abscondi, sed eam quasi exaltare fecit et jubilare ad signum victoriæ Hierosolymitani sepulcri, ad cujus gloriam nos procedentes cum nostris fratribus, altare Domino cum ecclesia simul interius dedicavimus, et super illud Deo nostro hostiam laudis obtulimus. Adunato igitur clericorum populorumque conventu, communi consilio omnium ac frequenti hortatu sancitum est a nobis et laudabiliter firmatum, ut unoquoque anno cum gloria et honore celebretur hæc solemnitas in sancti sepulcri commemoratione, ita ut Sanctæ Mariæ cardinales ibi adveniant reverenter cum processione. Qui cum fuerint ad ecclesiæ introitum, *Te Deum laudamus* intonent excelsa voce, tenentes manus invicem ad signum victoriæ habitæ Hierosolymæ; inter quos etiam accedat subdiaconus cum lampade, accendens luminaria more consueto mane et vespere. Finito autem officio, religiose et honorifice suscipiant majores tres solidos ex obedientiæ munere, duodecim denarios accipiant cum veglionibus custodes, duos item denarios habeat qui crucem bajulaverit auream, duos item accipiant pueri qui missæ officium fecerint. Tunc ante magistratum præterea sancimus, ut octo diebus ante solemnitatem prænarratam, et octo postea ita sit pax et tregua per nostrum comitatum firma, quod omnes qui ad hanc solemnitatem voluerint accedere, possint securi et sine molestia confluere undique. Quicunque vero ad illud sepulcrum, in quo Christi corpus dormivit, aliquo impedimento detentus accedere non poterit; et ad hoc sepulcrum, ad ejus veram similitudinem factum, venerit sana mente et bona intentione, remissionem suorum tertiæ partis delictorum habeat, et ad laudem Hierosolymitani sepulcri hoc se retulisse cognoscat. Et si quis alicui venienti ad hanc nostri destinationem molestiam ingesserit aliquam, anathematis gladio percussus incumbat, donec ad eamdem ecclesiam hoc emendare recurrat. Stabilitur quoque et communi institutione a nobis laudatur, quatenus ibi sit mercatum annuale omnium rerum fluens et venale: ex quo nullus præsumat curaturam quærere, et in quo nullus audeat ultra unum stadium obtinere, nec quod commune est omnibus dent alicui vel ut proprium vendere, nec sui juris ullo modo dicere; sed sicut communis est solemnitas ad omnium animarum utilitatem, ita commune sit mercatum ad omnium corporalium rerum venditionem. Insuper etiam parochiam quam Ilderatus et Deibertus, hujus ecclesiæ religiosi presbyteri, se longe ante possedisse dicebant, eorum precibus commotus, fratrum nostrorum Majoris Ecclesiæ cardinalium aliorumque hujus civitatis sapienti consilio communicato, concedimus, damus et confirmamus, ut prænominati presbyteri ecclesiæ Sancti Sepulcri, et eorum successores, de cætero prædictam parochiam habeant et possideant, scilicet casas Nigronis Marthæ, et Lanfranchi Littæ, et inde omnes domos usque ad domum Anselmi Mugeti: ex altera parte viæ casas Ambrosii de la Carzere, et inde omnes casas usque ad domum Romedii cancellarii, et ipsam domum; ex altera vero parte domos Rozonis et Alberici et Arnaldi Faroli, et inde omnes domos usque ad casas Benzonis Amblatoris, et Vatfredi fratris ejus, casas Lanfranchi et Marchisii Amblatorum, et inde omnes casas usque ad domos Otthonis de Samblatore, et Gratiani Cantoni, et ipsas domos Dionysii Dodonis et Petri Butelli, et Petri Gualasecca, et Lanterii Patellæ, ex altero latere ecclesiæ casas Homobeni de Calagana, Petri Patritii, et fratrum ejus Rolandi, et Alberti, Lanzo Ciogliæ, Petri Vexa, Alberti Buntaro, Petri Samaruga, Guiredi Bionoldi, Landulfi Clerici, Joannis Spata in Zotta.

Actum est hoc omnium Mediolanensium testimo-

(2) De hujus documenti fide dubitat Muratorius in Anecd. tom. I, pag. 244.

nio, et confirmatione, anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi millesimo centesimo, indictione octava, Idus Julii.

Ego Anselmus quartus, Dei gratia archiepiscopus firmavi et ss.

Ego Grosolanus indiguus episc. laudavi et ss.

Ego Andreas presb. primicerius laudavi et ss.

Ego Landulfus, Dei gratia Nazarianæ ecclesiæ licet indignus præpositus laudavi et ss.

Ego Landulfus notarius, qui et dictus præpositus, laudavi et subsc.

Ego Anselmus archipresb. laudavi et ss.

Ego Henricus abbas Padulensis, laudavi et ss.

Ego Aliprandus cancellarius laudavi et ss.

Ego Dionysius presbyter laudavi et ss.

Ego presbyter Bonifacius laudavi et ss.

Ego presbyter Albertus laudavi et ss.

Ego presbyter Landulfus laudavi et ss.

Ego presbyter Henricus laudavi et ss.

Ego archidiac. Tedaldus laudavi et ss.

Ego Rozo diaconus laudavi et ss.

Ego Darprandus diac. laudavi et ss.

Ego Henricus vice diac. laudavi et ss.

Ego Adam Mortariensis electus laudavi et ss.

Ego Guillelmus monasterii S. Ambrosii abbas indignus laud. et subsc.

Ego Joannes abbas S. Simpliciani laudavi et ss.

Ego Martinus monasterii S. Celsi indignus abbas laudavi et subsc.

Ego Arnaldus indignus abbas monasterii Sancti Dionysii laudavi et ss.

Ego Petrus monasterii S. Victoris indignus abbas laudavi et ss.

Ego Atho monasterii S. Vincentii abbas laudavi et subsc.

Ego Ildericus presb. laud. et subsc.

Ego Daibertus presb. laudavi et ss.

Ego Gulielmus, episcopus Ticinensis Ecclesiæ, laudavi et subsc.

Ego Lambertus prior Pontius laudavi et ss.

Ego Adam abbas monast. S. Coloceri laud. et ss.

Ego Rusticus, præpositus Blandatensis laudavi et subsc.

Ego Macarius, Domini Salvatoris monasterii abbas licet indignus, cum grege pusillo laud. ss.

Hoc Vercellarum clerus, decus Ecclesiarum, laudat cum populo laudibus egregio.

Novariæ clerus, super omnes urbes amœnus, asserit hæc scripta, Christi munimine dicta.

Sermodicus Padermensis monachus, super omnes laudo.

Jo. hoc festum Christi, quæ laudat quisque; fidelis.

Ego Araldus, prior monasterii S. Maioli, infra urbem Papiam siti, laudavi et ss.

III.

Privilegium pro ecclesia S. Mariæ de Calvenzano cum pertinentiis.

[Baluz. *Miscel.* ed. Mansi, III, 6.]

In nomine Filii Dei, qui est summa veritas, Anselmus, sola Dei misericordia Mediolanensis Ecclesiæ archiepiscopus.

Convenit nostro Christiano moderamini pia religione ac benevola compassione alacri mente poscentium animis assensum impertire. Idcirco ad nostram auctoritatem pertinet cunctos nostræ Ecclesiæ filios paterno affectu diligere et optatæ pietatis opem non denegare. Ex hoc enim lucri potissimum premium apud Deum omnium conditorem promeremur. Quapropter omnibus nostris fidelibus tam præsentibus quam et futuris notum fieri volumus quod nos in nostra Mediolanensi ecclesia cum nostris cardinalibus de nostrarum animarum salute disputantes, nostrorum fidelium, scilicet Arialdi et Lanfranci fratrum ac Alonis eorum consanguinei de Meregnano imploratu, Sanctæ Mariæ ecclesiam de Calvenzano, quam ex nostra ecclesia tenebant longo tempore, cum terra ac eorum, scilicet Arialdi et Lanfranci, proprii prædii decimis quas ad præsens concesserunt, et omnibus bonis quæ nunc habet et in perpetuum adipisci potuerit, sanctæ Cluniacensi ecclesiæ concessimus. Insuper volumus et laudamus quod si quis eorum hæredum vel alias quilibet homo de ecclesiis supra eorum prædium ædificatis vel ædificandis, aut eorum decimis, eo inspirante qui ubi vult spirat, prætaxatæ ecclesiæ conferre voluerit, conferat cum Dei benedictione et hac nostra concessione, eo scilicet ordine ut nostra præfata ecclesia de Calvenzano amodo absque penditio et conditione libera libere Cluniacensi cœnobio deserviat, et nullius alterius ecclesiæ ditioni in aliquo per infinita sæcula subjaceat. Quod si quis nostrorum successorum vel aliqua magna parvaque persona huic nostræ saluberrimæ concessioni contrarius exstiterit, sit anathema maranatha, non habeat partem cum illo qui pro nobis crucifixus est in Golgotha, donec resipiscens ad satisfactionem et congruam pœnitentiam venerit, et sanctæ Cluniacensis ecclesiæ abbati et monachis qui pro tempore fuerint, satisfecerit. Quod ut verius firmiusque credatur, et a nostris posteris firmum et inconvulsum in perpetuum habeatur, hanc præsentem paginam ad testimonium propria manu firmavimus, et nostro Heriprando cancellario nostro sigillo, ut moris est, insigniri jussimus.

† Ego Anselmus, Dei gratia archiepiscopus, ad confirmandum subscripsi.

Gothefridus archipresbyter subscripsi.

Ato archidiaconus subscripsi.

Arnulfus diaconus subscripsi.

Bonifatius presbyter subscripsi.

Tedaldus diaconus subscripsi.

Albertus presbyter subscripsi.

Rozo diaconus subscripsi.

Landulphus presbyter subscripsi.

Odelricus presbyter subscripsi.

Landulphus diaconus subscripsi.

Gualbertus diaconus subscripsi.

Ariprandus cancellarius sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ

ADDENDA

Post notitiam historicam, supra, col. 1299,1300.

Qui sequitur Homiliarum Radulphi tomus primus, cum hucusque, licet undequaque conquisitus, nos fugisset, jam volumini claudendo accingebamur, cum ex insperato in manus nostras venit hæc prior Ardentis lucubratio, volumini nostro duobus ab inde annis in ultimis plagulis hærenti finem imposiura.

RADULPHI ARDENTIS

PICTAVI

Doctoris theologi perantiqui, illustrissimi Aquitaniæ ducis Gulielmi, hujus nominis quarti, concionatoris disertissimi

IN

EPISTOLAS ET EVANGELIA DOMINICALIA

HOMILIÆ

Ecclesiasticis omnibus animarum curam gerentibus plurimum necessariæ et ante annos prope quingentos ab auctore conscriptæ, nunc primum in lucem editæ

(Parisiis, apud Claudium Fremy, via Jacobæa, ad insigne D. Martini. — 1564, in-12)

EPISTOLA NUNCUPATORIA

Reverendo Patri Joanni Coqueio, abbati Morimundi ac doctori theologo Pariensi, Claudius Fremy salutem et pacem per Christum exoptat.

Compertum habes, abbas prudentissime, quantus his nostris depravatis temporibus scripturientium sit pruritus, quantaque scribendi luxuries et affectatio, ut magis de religione nostra Christiana eos mereri existimem, qui antiquorum patrum libros divino Spiritu afflatos, carie et vetustate consumptos, transcribunt, repurgant, emungunt, suo candori restituunt, atque in lucem curant emittendos, quam istos qui philautiæ spiritu rapti, non sine magna nostrorum hominum jactura, suas futiles, vanas ac interdum noxias nænias et quæstiones (quæ lites generant) obtrudunt : cum interim nihil nisi a veteribus prius dictum, verborum tantum ampullosa libertate absque sententiarum ullo pondere, nobis proponant. Quocirca cum plurimos veterum libros a blattis et tineis repurgandos suscepissem, maxime autem intellexissem has doctissimi Radulphi Ardentis homilias ante 500 annos apud suos habitas, non paucorum eorumque doctorum ac piorum hominum calculis comprobari, omnem laborem ac studium in his transcribendis preloque committendis adhibui. Iis etenim quo pacto justitiæ sese assuefacere quis debeat continetur. Docet quippe noster Ardens unicuique suum esse reddendum : utpote Deo religionem, nobis munditiam, parentibus honorem; domesticis providentiam, majoribus obedientiam, minoribus gubernationem, æqualibus societatem, bonis dilectionem, malis correctionem, oppressis misericordiam, omnibus autem æquitatem. His denique homiliis instruimur quo pacto dilectio proximi sit conservanda. Quæ (ut nostri Ardentis verbis utar) Deum nobis reddit propitium, proximos benevolos efficit, inimicos reconciliat, diabolum superat, malum ignorat, adversa æquanimiter portat, prospera sapienter temperat, omnia communicat, et nunquam excidit. Quod mecum reputans, lubenti animo illas edendas curavi, tum ut populus Christianus et Catholicus in illa unione, charitate et dilectione, quam a parentibus antiquis acce-

pit, permaneat : tum ut tantum auctoris scriptis hæ nostri seculi sectæ ac dissentionis pestes, quæ in dies, magis ac magis pullulant, radicitus evellantur. Decrevi autem apud me tibi antiquitatis et pietatis amantissimo. illas credere, ut harum patrocinium suscipias. Quod si egeris, quæ restant illius Ardentis opera brevi accipies. Servet te Deus Opt. Max. abbatum decus, ecclesiæ suæ sanctæ multo tempore incolumem. Vale. Parisiis Nonis Maii 1564.

AUCTORIS VITÆ

EX EJUSDEM LIBRIS EXCERPTA.

Radulphus Ardens, Pictavus, vicule qui vulgo Beaulieu *dicitur, in agro Berchoratum, quorum Plinius. meminit lib.* IV, *cap.* 19 *Claris parentibus et per quam nobilibus ortus, subinde a pueris libris operam dedit. In quibus (ut erat ingenii ardentis) ita profecit, ut ante tricesimum suæ ætatis annum doctoris theologi assequeretur gradum. Fuit in docendo in scholis promptus, et in declamando ad populum in templis (maxime in ecclesia cui præfuit) assiduus, unde celebrior factus, à Guillelmo* IV. *Aquitanorum duce, in curiam (ut de se scribit in prologo) raptus, has homilias inter arma descripsit, dum interesset princivi a consiliis et conoionibus. Scripsit sermone equidem dulci atque facundo :*

Homiliarum de tempore et de sanctis lib. II.

Item grande opus quod Speculum Ardentis *inscripsit* (1) *quatuordecim lib. distinctum. Habetur Berchorii in bibliotheca Franciscanorum, nondum typis excusum.*

Item epistolarum lib. II.

Item Historiam sui temporis, nempe Belli Godefredi de Buillon in Saracenos, cui assecla ducis Aquitaniæ interfuit.

Scripsit pleraque alia, ut ipse de se testatur in suo Speculo. *Floruit vero circa tempora Philippi primi Francorum regis, ab anno Domini* 1040 *usque ad* 1100.

1) Vide Notitiam litterariam in Radulphum, supra, col. 1299.

PARS PRIMA.

HOMILIA PRIMA.

DOMINICA PRIMA ADVENTUS.

Hora est jam nos de somno surgere (*Rom.* XIII), etc. His verbis, fratres charissimi, hortatur nos Apostolus, ut ad secundum Filii Dei adventum præparemur. Duo quippe sunt ejus adventus visibiles : primus præteriit, secundus venturus est. Primus fuit in humilitate, secundus erit in majestate. Primus fuit occultus, secundus erit apertus. Primus misericordiæ fuit : secundus erit justitiæ. In primo venit judicandus ; in secundo veniet judicaturus. In primo venit vocare peccatores per misericordiam, in secundo veniet reddere unicuique quod meruit per justitiam. Ad hunc ergo vigilanter exspectandum exhortatur nos Apostolus hoc modo : Primo monet nos surgere a somno. Secundo subdit causam quare cito surgendum sit. Tertio ostendit quomodo ab isto somno surgatur. Monens ergo nos surgere, ait : *Hora est jam nos de somno surgere.* In quo, fratres, considerandum nobis est quis sit iste somnus, et quæ sit hora surgendi. Est autem somnus triplex : Primus est naturæ, secundus mortis, tertius peccati. De primo dicit poeta :

Quod caret alterna requie, durabile non est.
(*Ovid. Her.* ep. 4, vers. 89.)

De secundo dicit Apostolus : *Nolo vos ignorare, fratres, de dormientibus, ut non contristemini sicut et cæteri qui spem non habent* (*I Thess.* IV), vocans A mortuos dormientes, quoniam Deo non pereunt corpora nostra moriendo, sed mutantur in melius, quoniam quantum facile est alicui excitare dormientem, tam facile, imo facilius est Deo exeitare defunctum. Unde ipse Dominus ait : *Lazarus amicus noster dormit, sed vado ut a somno excitem illum* (*Joan.* XI). De tertio legitur : *Surge, qui dormis, et exsurge a mortuis, et excitabit te Christus* (*Ephes.* V). Vocat dormientes et mortuos qui in peccatis mortalibus perseverant, et convenienter, quoniam bene dormit qui non sentit quam male dormiat. Sicut enim dormiens clausis oculis, non cavet ne quid sibi mali inferatur, ita dormiens in peccatis, clausis oculis rationis, non cavet sibi a gehenna quæ ei paratur. Ab hoc ergo peccati somno hortatur nos B Apostolus surgere, dicens : *Hora est jam nos de somno surgere.* Porro hora est, alia tempestiva, alia sera, alia infructuosa. Hora tempestiva est, ut, dum vivimus, dum valemus, dum peccare possumus, peccare cessemus. Unde Apostolus : *Operemur bonum, fratres, dum tempus habemus* (*Gal.* VI). Hora sera, est hora mortis. Unde Augustinus : *Age pœnitentiam dum sanus et securus es ; quia pœnitentiam egisti, dum peccare potuisti ; si vero vis agere pœnitentiam cum jam peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa.* Non negatur tamen hic fratres quin in fine veram possit consequi misericordiam, qui veram habuerit contritionem cum scriptum sit; « Po-

nitentia quantumcunque sera, non est infructuosa;» et : « quacunque hora peccator ingemuerit, vita vivet. (*Ezech.*, XVIII.) » Sed quoniam vix vel raro in fine datur peccatori vera contritio : alius enim exigentibus peccatis morte prævenitur, alius ex gravitate infirmitatis amittit memoriam, alius loquelam, alius plus dolet temporalia nimis amata relinquere quam peccata commisisse, hinc contingit quod rari in fine vere pœniteant. Sed et si quis vere pœniteat, transeundum tamen est ei per purgatorium ignem, qui excedit omnem quæ hic sentiri possit asperitatem. Hora vero infructuosa est pœnitere post mortem. Pœnitebunt quidem damnati in inferno, et valde pœnitebunt, sed illa pœnitentia non erit eis ad remedium indulgentiæ, sed ad augmentum pœnæ. Pœnitentes namque plangent et dicent : « Operari dum licuit, voluntas mihi defuit. Nunc voluntas tribuitur, sed facultas adimitur. » Itaque, fratres, dum licet, pœniteamus, et bona operemur, dum dies est, quia *venit nox* in qua *nemo potest operari* (*Joan.* IX). Tunc enim tempus erit non serendi, sed metendi.

Sequitur pars secunda, in qua ostendit Apostolus causam quare a somno peccati cito surgere debeamus, dicens : *Nunc enim propior est nostra salus, quam cum credidimus*, id est quam cum ad fidem vocati fuimus. Ac si dicat : Cito, fratres, a somno peccati surgere debemus, quoniam jam instat tempus salutis nostræ. Tempus autem, fratres, nostræ salutis est, vel dies mortis uniuscujusque, in qua anima induitur stola incorruptionis, vel dies judicii, in qua corpus cum anima stola gaudebit immortalitatis. Hæc vero dies jam prope est, quoniam et si dies judicii quibusdam videtur remotior, tamen unicuique dies mortis suæ instat propinquior. Et in quo puncto quis exibit de sæculo, in eo est judicandus a Domino. Unde Salomon : *Ubicunque lignum ceciderit, sive ad austrum, sive ad aquilonem, ibi erit* (*Eccle.* XI). Surgamus igitur fratres, surgamus de fæce peccatorum nostrorum, dum possumus, quoniam jam aderit tempus in quo non poterimus. Nemo confidat de juventute sua, quoniam juxta Evangelium quosdam Deus vocat in prima vigilia, id est in pueritia, alios in secunda vigilia, id est in juventute, alios in tertia vigilia, id est in virili ætate, alios in quarta, id est in senectute. Nemo dicat : « Cum senex fuero, pœnitentiam agam. » Nam quis dedit tibi tantum spatium vitæ ? Et quotidie pueri moriuntur : et si tu vivere non potes, hæc est senectus tua. Heu, quam multos subita mors prævenit. Et reperitur in lecto gelidus, qui modo sanus erat. Ideo enim, fratres, Deus nos mortis nostræ terminum ignorare voluit, ut semper timeremus, semper mortem expectaremus, et ad eam suscipiendam præpararemur. Convertimini igitur fratres, convertimini, dum licet. Nam differentibus hæc contingunt, quod aut a morte præveniuntur, aut a cupiditate impediuntur. A morte præveniuntur qui, antequam putarent, sine testamento et sine emendatione moriuntur ; a cupiditate impediuntur, A qui consuetudine cupiditatum impediti, nec in senectute corriguntur. Præparemur igitur, fratres, ad mortem, antequam veniat et vincamus cupiditatem, antequam in consuetudinem durescat. Vigilemus, quoniam nescimus *diem neque horam* (*Matth.* XXV), quoniam *dies Domini sicut fur in nocte ita veniet* (*I Thess.* V). Aliam causam quare surgere debemus, subdit Apostolus, dicens : *Nox præcessit, dies autem appropinquavit*. Vocat autem, fratres, hic noctem, tenebras ignorantiæ, vel peccati, quæ præcesserunt adventum Christi ; diem vero, tempus gratiæ, in quo nuptiæ Christi et Ecclesiæ incipiunt celebrari. Ut ergo, fratres, tempori gratiæ et nuptiarum concordes et concolores simus, a tenebris peccatorum surgamus. Unde et subdit :

B *Abjiciamus ergo opera tenebrarum*. Est autem, fratres, hæc pars tertia, in qua ostendit Apostolus quomodo a somno peccatorum sit surgendum. Hoc autem fit per pœnitentiam, declinando scilicet a malo, et faciendo bonum, fugiendo vitia et sequendo virtutes. Itaque, fratres, secundum præceptum Apostoli, *abjiciamus opera tenebrarum, et induamur arma lucis*. Dicuntur autem peccata opera tenebrarum triplici ratione : tum quia qui male agit, odit lucem naturaliter. Unde et primus homo, post peccatum, se sub ficu abscondit; tum quoniam peccata mentem excæcant interius, unde Dominus : *Qui ambulat in tenebris, nescit quo vadat* (*Joan.* XII); tum quoniam ad exteriores tenebras, id est infernales, pertrahunt. Econtrario, bona dicuntur arma lucis : C Arma, quia per ea diabolum repellimus et expugnamus; lucis, tum quoniam bene operans, non habet necesse sese recondere. Qui, et si ob humilitatem quandoque se recondat, si in opere reperiatur, non habet unde erubescat, tum quoniam mentem illuminat, tum quoniam ad lucem nos ducunt sempiternam. His itaque, fratres, armis lucis induamur, et *sicut in die honeste ambulemus*, ut in nuptiis Christi, cum nuptiali veste nos exhibeamus. Quæ vero sint opera tenebrarum, enumerat Apostolus dicens : *Non in commessationibus et ebrietatibus, non in cubilibus et impudicitiis, non in contentione et æmulatione*. Est autem commessatio superflua frequens et luxuriosa epulatio, nec in mensura, nec in tempore, nec in modo modum observans. D Hæc fuit causa Sodomitis ut caderent in luxuriam abominationis. Hæc fecit Israelitas manna fastidire, et malo suo carnes postulare. Unde scriptum est : *Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, et ira Dei descendit super eos* (*Psal.* LXXVII). Ebrietas est mentis alienatio, ex potu intemperato proveniens. Hæc virilia Noe nudavit (*Gen.* IX), hæc Lot filiabus miscuit (*Gen.* XIX). Hæc hominem a se alienat, officio membrorum privat, in multa crimina præcipitat. Per cubilia vero hic intelligimus somnolentiam et torporem, quæ hominem emolliunt et enervant, et in vana pravaque desideria præcipitant, secundum illud Sapientis : *In desideriis est omnis otiosus* (*Prov.* XXI). Nam ubi desidia, ibi vana desideria.

Sane cibus et potus et somnus sumendi sunt cum temperantia, sicut medicamenta, loco, tempore, modo et mensura; et sic sumpta juvant, alias nocent. Per impudicitiam quoque intelligimus hic omnem luxuriam, quæ fit præter legitimum complexum, ut fornicationem, adulterium, mœchiam, incestum, Sodomiticam luxuriam. Amor etiam usus propriæ mulieris intemperatus crimen habet. Hæc autem quæ diximus quatuor vitia corporalia, tripliciter nocent: Animam damnant, corpori infirmitates generant, res paternas dilapidant. Contentio vero est impugnatio veritatis, per confidentiam clamoris. Verum, ut ait alibi Apostolus: *Servum Dei non oportet litigare* (*II Tim.* II). Si tua nil refert, cede contendenti. Si vero refert, cum ratione age, contentionem fuge. Æmulatio est perversitas mentis de bono alterius dolentis, et de damno gaudentis. Hæc, fratres, tanto nobis fugienda est, quanto plus est opposita charitati, quæ novit *gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus* (*Rom.* XII). Est autem quædam æmulatio bona, æmulari scilicet bonum alterius per imitationem. Unde Apostolus: *Æmulamini charismata meliora* (*I Cor.* XII). Postquam vero Apostolus vitia a corpore, ab ore et a mente jussit removenda, jubet nos virtutes prædictis vitiis contrarias induere, dicens: *Sed induimini Dominum Jesum Christum*, id est novitatem ejus, eum scilicet imitando. Itaque, fratres, dum licet, cum omni celeritate vitia abjiciamus, et eorum virtutes contrarias induamus, abstinentiam, sobrietatem, et vigilantiam, castimoniam, pacem, charitatem sectemur, ut his ornati Christo venienti ad nuptias securi obviemus, ut cum eo in æternum regnare valeamus, ipso largiente, cujus Adventum hodie celebramus, Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus. Amen.

HOMILIA II.

DOMINICA PRIMA ADVENTUS.

Initium Evangelii Jesu Christi Filii Dei, sicut scriptum est in Isaia propheta (*Marc.* I), et reliqua. Sicut audistis, fratres charissimi, Marcus evangelista, Evangelium suum incipit a præcursione Joannis. Et quare hoc faciat statim in exordio reddit causam cum dixit: *Initium Evangelii Jesu Christi*, etc. Facit itaque tria: Primo dicit præmissionem Joannis esse initium Evangelii, secundo idem probat prophetica auctoritate, tertio demonstrat quomodo Joannes Christo viam præparavit. Inchoans ergo ait: *Initium Evangelii Jesu Christi*, subaudis, hoc est quod scilicet Joannes ante Christum præmissus est. In quo, fratres, tria consideranda sunt: Quid sit Evangelium, et quare dicatur Jesu Christi Filii Dei, et quomodo exordium a Joanne habuerit. Est igitur Evangelium bona annuntiatio de fide et moribus ad salutem. Ostenditur autem in hac definitione unde dicatur Evangelium, et de quibus sit, et ad quem finem ducat. Unde dicatur, ostenditur per nominis etymologiam. Evangelium enim *bona annuntiatio* interpretatur, ab eo (εὖ) quod est *bonum*, et angelos (ἄγγελος), quod *nuntium* dicitur. De quibus sit ostenditur, cum subjungitur, de fide et moribus. Est enim Evangelium de fide trini et unius Dei, et de mysterio Incarnationis Filii, et de cæteris articulis fidei, quæ in Symbolo continentur. Est et de moribus, id est de doctrina recte vivendi. Ad quem vero finem nos ducat, declaratur cum dicitur, ad salutem. Per fidem enim veram et bonam vitam ducit nos in salutem æternam. Non enim, fratres, sufficit fides sine moribus bonis, nec boni mores sine fide. Fidem enim habet diabolus, sed non habet bonos mores. Et gentilis aliquis vel Judæus habet bonos mores, sed non habet fidem; et ita uterque reprobatur. Sed si quis habet fidem et bonos mores, procul dubio ad salutem tendit. Et quæ, fratres mei, quæ annuntiatio potest esse melior quam annuntiare illa per quæ perpetua salus habetur. Itaque, fratres, semper Evangelium et auribus captemus, et corde teneamus, et ore pronuntiemus, et operibus impleamus. Quid enim insanius quam, contempto vitæ verbo, aures fabulis, scurrilibus et detractionibus aperire? Quid insanius quam, contempto Evangelio, buccolica carmina, comœdias et cæteras vanitates legere et docere. Talibus quippe Veritas dicit: *Qui est ex Deo, verba Dei audit*; *propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis* (*Joan.* VIII). Et quare Evangelium dicitur Jesu Christi Filii Dei? Quia et si plures sint Evangelii scriptores, tamen solius Christi est Evangelium, tanquam auctoris, materiæ et promulgatoris. Ex eo namque et de eo, et per eum, habemus Evangelium: Unde Paulus Evangelium, non ab homine, neque per hominem, sed per revelationem Jesu Christi se accepisse gloriatur (*Gal.* I). In quo, fratres, super omnes doctrinas Evangelii prærogativa demonstratur, quæ non solum sua honestate et utilitate sublimatur, sed etiam dignitate auctoris, materiæ, et promulgatoris, Jesu scilicet Christi Filii Dei, commendatur. Exorsus est autem Joannes Evangelium primus prædicare, quoniam ministerium Trinitatis et Incarnationis præcedentibus obvelatum, aperte prædicavit, dum et Agnum tollentem mundi peccata demonstravit (*Joan.* I); et super ipsum baptizatum Patrem in voce, in columba Spiritum intellexit (*Matth.* III). Pœnitentiam quoque, et cœlorum regnum, antiquis inauditum prædicavit. *Pœnitentiam*, inquit, *agite, appropinquavit enim regnum cœlorum* (*ibid.*).

Sequitur pars secunda, in qua probat evangelista testimonio prophetæ præcursionem Joannis initium esse Evangelii, juxta id quod Dominus in Evangelio ait: *Lex et prophetæ usque ad Joannem* (*Matth.* XI), quasi diceret: A Joanne incipit Evangelium. Hoc ergo est quod ait propheta loquens in persona Patris ad Filium: *Ecce ego mitto angelum meum ante faciem*, id est ante præsentiam sive notitiam tuam. Sane angelus, id est nuntius, tria facit: Domini adventum præcedit; non suam, sed Domini aucto-

ritatem gerit; non sibi, sed Domino hospitium parat et honorem quærit. Sic Joannes adventum Christi tanquam præcursor præcessit, juxta quod angelus prædixerat de eo : *Ipse præcedet ante illum in spiritu et virtute Eliæ* (*Luc.* I). Non suam, sed Christi auctoritatem prædicavit. Non sum, inquit, ego Christus, non sum sponsus, sed amicus sponsi. Non sibi, sed Domino viam et hospitium præparavit. Unde et sequitur : *Qui præparavit viam tuam ante te*. Præparavit enim Joannes Christo viam prædicando, baptizando, demonstrando. Non solum autem Joannes, sed etiam quilibet prædicator, et quilibet fidelis, qui verbum vitæ peccatoribus annuntiat, angelus Dei dici potest, dum ei viam et hospitium in cordibus hominum præparat. Unde Malachias : *Labia*, inquit, *sacerdotis custodiunt scientiam et legem requirent de ore ejus*; *angelus enim Domini exercituum est* (*Mal.* II). Itaque, fratres, nos qui novimus legem Dei, aliis annuntiare non cessemus, et ei viam ad corda hominum præparemus, non nostrum, sed ejus honorem in omnibus quæramus, ut officio et nomine angelorum digni esse mereamur. Ad quod nos hortatur Psalmista dicens : *Iter facite ei qui ascendit super occasum : Dominus nomen illi* (*Psal.* LXVII). Super occasum Dominus ascendit, cum mortem resurgendo superavit. Huic iter facimus, dum verbum ejus aliis annuntiamus. Nam prædicatione personante ad aurem, Dominus venit ad mentem. Unde et sequitur : *Vox clamantis in deserto*. Porro vox habet tria : præcedit verbum, significat verbum, cito transit, verbo in corde permanente. Ita, fratres, Joannes fuit vox clamantis. Præcurrit verbum Dei, illud prædicando et demonstrando significavit. Cito ejus prædicatio et opinio transiit, verbo Dei semper permanente. Clamabat autem in deserto Judeæ, scilicet ab omni bono jam desertæ, in qua non sata virtutum, sed spinæ vitiorum crescebant, et monstra scelerum, non imago Dei habitabat. Non solum autem Joannes, sed et nos, fratres, vox clamantis sumus, si in deserto hujus mundi peccatores increpamus, si eos comminatione gehennæ terremus, si verbum Dei, in cordibus eorum, verbo et exemplo seminamus. Quid clamabat : *Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus*. Una est via magna, per quam multi vadunt. Semitæ sunt plures, angustæ et compendiosæ. Via igitur est Christiana religio, per quam plures ad Deum vadunt, et Deus ad plures venit. Semitæ sunt compendiosi et arcti modi vivendi, ut vita eremitica, claustralis et reclusa. Utræque, fratres, debent parari, ut quatuor habeant, directionem, æqualitatem, rectitudinem, et planitiem. Directionem finis ut ad Christum ducat, qui est finis ad justitiam omni credenti. Nisi enim ad Christum ducat, non est via, sed invium. Propter hoc ait propheta : *Rectas facite semitas ejus*. Æqualitatem, ut scilicet non elevetur per montes superbiæ, nec præcipitetur per valles desperationis. Propter hoc subjungit propheta : *Omnis vallis implebitur, et omnis mons et collis humiliabitur* (*Isa.* XL), ut scilicet æqualitas inter præsumptionem et desperationem teneatur. Rectitudinem, ut scilicet, nec ad dexteram declinent, nec ad sinistram, sed mediocriter teneant. Ita scilicet teneant rectitudinem justitiæ, quod non declinent a dextris ad nimiam laxitatem, nec a sinistris ad crudelitatem. Ita teneant fortitudinem quod non declinent ad audaciam, nec ad timiditatem. Ita teneant sapientiam, quod non declinent ad calliditatem, nec ad simplicitatem. Ita teneant temperantiam, quod non declinent ad nimietatem, nec ad minoritatem. Ita teneant largitatem, quod non declinent ad prodigalitatem, nec ad avaritiam. Ita castigent corpus, quod non luxuriet, nec deficiat. Quid plura? Ita teneant virtutes, quod vitia evitent collateralia. Propter hoc ergo subjungit Isaias : *Et erunt prava in directa* (*Ibid.*), ut scilicet torturis ablatis, sola rectitudo teneatur. Planitiem, ut scilicet non habeat paludes voluptatum et libidinum, nec scrupulos sæcularium sollicitudinum. Quid enim, fratres mei, quid sunt voluptates et libidines, nisi quædam paludes quæ animam maculant et retardant? Et quid sunt sollicitudines hujus mundi, nisi quædam offendicula, quæ animam præcipitant vel retardant? Propter hoc ergo ait propheta : *Et aspera in vias planas* (*Ibid.*).

Sequitur pars tertia, in qua ostendit Evangelista quomodo secundum præfatum Isaiæ testimonium, Joannes Christo præparaverit viam dicens : *Fuit Joannes in deserto prædicans et baptizans baptismo* (1) *pœnitentiæ in remissionem peccatorum*. Joannes quippe more boni prædicatoris, non solum verbo, sed etiam exemplo viam Christo præparavit. Et prius in se, post in aliis : In se, viam Christo præparavit, unde sanctitatem ejus exponit evangelista : *Fuit*, inquit, *Joannes in deserto*. In aliis, viam Christo præparavit, unde et plures ad eum confluxisse referuntur, cum dicitur : *Et egrediebatur ad eum omnis Judææ regio*, etc. Præcucurrit igitur lucerna lucens prædicando ea quæ Christus erat prædicaturus. Christus siquidem erat prædicaturus mundo pœnitentiam, baptismum, utramque sui naturam, moralem doctrinam, secundum adventum, gloriam justorum et pœnam reproborum. Omnia hæc præcursor prænuntiavit. Pœnitentiam namque non solum prædicavit dicens : *Facite fructus dignos pœnitentiæ*, sed etiam in se exemplo demonstravit, in asperitate loci, vestitus, et victus. Loci, quia habitavit in deserto solitarius, qui locus est conveniens pœnitentibus, tum ne cohabitationem sæcularium ad pristina peccata relabantur. Unde et David, *Ecce*, inquit, *elongavi fugiens*, et *mansi in solitudine* (*Psal.* LIV), tum quia fecerunt se cohabitatione hominum indignos, quia malo exemplo corruperunt, justa quod Cain post fratricidium profugus fuisse narratur (*Gen.* IV). Vestitus, quia *erat vestitus vilis*

(1) Vulg. solum habet *prædicans baptismum*.

cameli, et zona pellicea circa lumbos ejus. Pili enim camelorum et cilicium signa sunt pœnitentiæ, tum propter asperitatem et punctionem, tum quia signa sunt tunicarum pellicearum, quibus induti primi parentes a paradiso exclusi sunt (*Gen.* III). Zona pellicea signum est pœnitentiæ, tum propter duritiam et asperitatem, tum propter restrictionis luxuriæ significationem. Victus, quia *mel sylvestre et locustas edebat.* Victus enim vilis, crudus et imparatus decet pœnitentes, qui per ingluviem sæpius peccaverunt. Si ergo, fratres, Joannes ab utero sanctificatus, tanta asperitate se castigavit, quid nos miseri peccatores facere debemus ? Baptismum quoque non solum prædicavit, sed etiam pluribus dedit, non quod peccata dimitteret, sed quia ad pœnitentiam homines monebat, et ab baptismum assuefaciebat. Utramque naturam Christi prædicavit, et etiam ipsum demonstravit: *Ecce*, inquit, *Agnus Dei, et qui post me venit, ante me factus est* (*Joan.* I). Moraliter quoque instruxit dicens : *Qui habet duas tunicas, det non habenti. Et qui habet escas similiter faciat* (*Luc.* III). Secundum vero adventum prædicavit dicens : *Jam securis ad radicem arboris posita est* (*Ibid.*). Justorum etiam glorificationem, et reproborum damnationem prædicavit dicens : *Et ventilabrum in manu ejus, et purgavit arcam suam. Grana ponet in horreum suum, paleas vero comburet igni inextinguibili* (*Ibid.*). Per grana, fratres, significantur boni, quia sui unione conficiunt corpus Crhisti, id est Ecclesiam, et quia eis pascitur et delectatur Deus, et quia digni sunt reservatione. Per paleas exprimuntur mali, quia leves vento vanitatis et superbiæ, quia aridi, sine rore gratiæ, quia sunt apti soli flammæ. Utrique tamen, sicut palea et grana de eodem nascuntur semine, simul crescunt, simul colliguntur et jactantur, tamen in area, id est in judicio, summi judicis ventilabro discernentur, et ibunt illi in gehennam, isti in vitam æternam. Quibus merito et et præmio nos adunare dignetur Dominus noster. Amen.

HOMILIA III.

DOMINICA SECUNDA ADVENTUS.

Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt (*Rom.* XV), etc. In hac Lectione, fratres charissimi, ad tria nos hortatur Apostolus, ut scilicet habeamus in adversis spem, in fidei confessione unanimitatem, in charitate proximorum susceptionem. Monet igitur nos auctoritate sacræ Scripturæ, ut in adversis spem habeamus, dicens, *Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt.* Sed dices : Quomodo adulterium David, superbia Saul, effeminatio Salomonis, et cætera mala quæ in Scriptura legimus, ad nostram pertinent doctrinam? Pertinent, fratres mei, si intentionem scribentis consideremus. Scribuntur enim in sacra Scriptura diversa intentione quatuor, mala, bona, supplicia et præmia. Mala scripta sunt ad cavendum, bona ad imitandum, supplicia ad deterrendum, præmia ad imitandum. Ergo adulterium David et cætera peccata scripta sunt ad cavendum. Et si forte contigerit nos in illa cadere, non desperemus, sed exemplo David ad remedium pœnitentiæ recurramus. Quomodo valent ad nostram doctrinam quæ scripta sunt? *Ut per patientiam*, inquit, *et consolationem Scripturarum*, id est quæ leguntur in Scripturis, *spem habeamus.* Similiter potuit dicere, ut per comminationem Scripturarum habeamus timorem. Sicut enim Scriptura sacra dolentibus promittit spem, ita vane gaudentibus timorem. Si ergo doles in adversis, non desperes, sed lege quantam patientiam habuit Job in adversis, et quantam Dominus exhibuit ei consolationem, et habebis spem, ut per similem patientiam, ad similem venias consolationem. Si gaudes in prosperis, noli præsumere, sed lege quantam prosperitatem habuit Salomon, et ad quantam inde prolapsus est ignominiam, et habebis timorem, ne per similem prosperitatem, ad similem venias ignominiam. Sed quia ad fratres afflictos loquebatur Apostolus, de sola patientia et spe facit mentionem. Sed quia sola spes non sufficit ad salutem, sequitur secunda pars, in qua optat eis dari a Deo consolatore in fidei confessione unanimitatem, dicens : *Deus autem solatii det vobis sapere.* Sed quia quidam male sapiunt, alii plusquam oportet sapiunt, subdit *secundum Jesum Christum.* Sed quia iterum quidam hæretici et schismatici dicentes se sapere secundum Jesum Christum, scindunt fidem Christi, addit *idipsum*, id est unum idem. Sed quia iterum quidam bene sapiunt, sed rudes et errantes erudire contemnunt, subdit *in alterutrum.* Non enim sufficit nobis, ut nobis bene sapiamus, nisi et aliis bona bene sapiamus. Qui enim talentum sapientiæ abscondit, juxta Evangelicam parabolam reprobatur (*Matth.* XXV). Unde et scriptum est. *Ne retineas verbum in tempore salutis* (*Eccli.* IV). Et iterum : *Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis* (*Prov.* XI). Itaque, fratres, qui bene sapit, aliis bene sapiat; qui scit corrigere, errantem corrigat; qui scit bene consulere, inconsulto consulat. Nam si vides errantes et taces, tot animarum reus es, quot potuisti ab errore liberare. Et ad quid est nobis utile sapere secundum Jesum Christum, idipsum in alterutrum? *Ut unanimes*, inquit, *uno ore honorificetis Deum, et Patrem Domini nostri Jesu Christi.* Sicut fratres, non sufficit nobis uno ore confiteri Deum, nisi confiteamur ipsum et uno corde, ita non sufficit uno corde confiteri eum, nisi confiteamur ipsum et uno ore, maxime quando fides periclitatur. Si enim sola oris confessio sufficeret, non diceret Dominus per prophetam : *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me* (*Isa.* 29; *Marc.* VII). Si rursus sola confessio cordis sufficeret, sine oris confessione non diceret Dominus : *Qui me erubuerit, et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua* (*Luc.* IX). Tam igitur oris quam mentis necessaria est confessio. Sicut Apostolus alibi dicit : *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem* (*Rom.* X). Quia vero confessio cordis et oris sine bona

operatione non sufficit habenti tempus bene operandi, ideo dicitur : *Quia fides sine operibus mortua est* (*Jac.* II).

Sequitur pars tertia, in qua subdit Apostolus charitatis operationem, dicens : *Propterea*, ut scilicet perfecte honoretis Deum, *suscipite invicem, sicut et Christus suscepit vos.* Suscipere est deficientem ne cadat subtus capere. Monet igitur Apostolus, fratres charissimi, ut fortis per charitatem suscipiat debilem, sapiens incipientem, dives inopem, sanus infirmum, stans cadentem. Cum enim Deus posset omnes facere fortes, sapientes et divites, noluit. Sed voluit hos esse fortes, illos debiles, hos sapientes, illos insipientes, hos divites, illos pauperes. Si enim omnes essent fortes, sapientes et divites, alter alterius non indigeret. Rursus si omnes essent debiles, insipientes et pauperes, alter alteri non subveniret. Voluit ergo hos esse fortes, sapientes, vel divites, ut animas suas salvare possent, aliis per charitatem subveniendo. Voluit illos esse debiles vel insipientes, vel inopes, ut animas suas salvare possent, adversa per patientiam tolerando. Hinc Dominus ait : *Pauperes semper habetis vobiscum, et cum volueritis, potestis eis benefacere* (*Marc.* XIV). Cum igitur egentes manent juxta abundantes, sunt eis aut materia bonæ operationis aut reprobationis. Quod autem sic nos invicem suscipere debeamus, ostendit Apostolus exemplo Christi, qui in sua persona suscepit, non solum causam nostram, sed etiam naturam nostram. Cum enim esset sapiens, imo ipsa sapientia, suscepit insipientiam nostram. Cum esset dives omnium, suscepit paupertatem nostram. Hanc viam charitatis ostendit in se, ut per eam sequeremur se. Et hoc in honorem Dei, ut quemadmodum Christus in omnibus quæsivit gloriam Patris, non suam, ita et nos in omnibus Dei gloriam, non nostram quæramus. Suscepit autem infirmitatem non solum circumcisionis, id est Judæorum, ad quam secundum promissiones prophetarum fuit missus; imo etiam gentium, quibus non erat promissus. Unde utrique Deum debent honorare et glorificare. Et Judæi etiam de promissionis adimpletione; et gentes de insperatæ gratiæ collatione. Quod auctoritatibus prophetarum probat, dicens : *Sicut scriptum est.* Propterea ait Filius patri : *Confitebor tibi in gentibus, et nomini tuo cantabo.* *Et iterum* : *Lætamini gentes, cum plebe ejus*, id est gentiles cum Judæis ; et : *Laudate Dominum, omnes gentes*, etc. Sicut autem Christus non solum propinquos Judæos, sed etiam gentiles longinquos suscepit ; sic et nos, fratres, non solum propinquos nobis vel genere vel amicitia suscipiamus, sed etiam longinqnos et peregrinos. Non enim propter nos solos tradidit Deus nobis bona sua, sed propter pauperes. Nec fecit nos dominos, sed dispensatores, præcipiens nobis ut, de suis rebus, suis filiis indigentibus provideamus. Qui enim res Dei retinens, sinit filios Dei egestate perire, quid, fratres mei, quid est auditurus a summo Judice, nisi illam terribilem vocem : *Ite, maledicti, in ignem æternum?* (*Matth.* XXV). Et quare ? *Esurii enim, et non dedistis manducare mihi* de escis meis : *Sitivi, et* de potu meo *non dedistis mihi potum : Hospes eram*, et in hospitium meum noluistis me suscipere : *Nudus eram, et* de vestibus meis *non cooperuistis me* (*Ibid.*). Hæc igitur, fratres, hæc cogitemus, hæc in corde teneamus, et de rebus nobis a Deo commendatis, ipsum in pauperibus pascamus, vestiamus, suscipiamus, ut æternam benedictionem ab eo suscipere mereamur. Amen.

HOMILIA IV.

DOMINICA SECUNDA ADVENTUS.

Erunt signa in sole, et luna et stellis, et in terris pressura gentium præ confusione sonitus maris et fluctuum (*Luc.* XXI), etc. Pius et misericors Dominus et Redemptor noster, volens electos suos, in omnibus providos esse de secundo adventu suo in hac eos præmunit lectione. Qua ratione? triplici. Ut præscientia ejus esset eis ad certitudinem, ad vigilantiam, ad consolationem. Ad certitudinem, ut certius exspectarent adventum suum, quam cœli et terræ permanentiam. Unde post subdit : *Amen dico vobis, non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant; cœlum et terra transibunt*, id est mutabuntur in alium statum, *verba autem mea non transibunt*, quin scilicet omnia opere compleantur. Ad vigilantiam, quoniam levius nocent ea quæ prævidentur, quam quæ non prævidentur. Unde ipse ait : *Vigilate, quia nescitis diem neque horam* (*Matth.* XXV). Ad consolationem, ut de certitudine adventus sui, inter miserias hujus sæculi, sumerent sibi consolationem. Unde post subdit : *Cum videritis hæc fieri, levate capita vestra, quia apropinquavit redemptio vestra.* Nam quam dulcis est, fratres mei, in terra miseriæ, recordatio patriæ! Primo igitur ponit Dominus signa sui adventus prænuntia : secundo ostendit quomodo ipse venturus est : tertio, quid boni in bonis proveniat : quarto, dicta per similitudinem declarat. *Ait ergo : Erunt signa in sole et luna.* Sicut prius Dominus signa adventus prænuntiavit, ut suis, qui in hoc mundo lugent, essent ad consolationem, ita reprobis, qui hic consolantur, essent ad confusionem. Unde ipse post subdit : *Arescentibus hominibus præ timore et exspectatione quæ supervenient universo orbi.* Quia enim mali omnibus elementis abusi sunt, ab omnibus punientur, ut impleatur quod scriptum est : *Pugnabit pro eo orbis terrarum contra insensatos* (*Sap.* V). Quia enim claritate solis et lunæ et stellarum abutebantur, videndo per ea quid concupiscerent et quid mali facerent, vertetur eis sol in tenebras, et luna in sanguinem, et stellæ cadent de cœlo. Quia vero pace temporali per stultam securitatem abutebantur, fiet pressura gentium. Quia vero tranquillitate maris ad prædandum et rapiendum abutebantur, fiet confusio maris et fluctuum. Nam ut tradit Hieronymus in catalogo XV signorum quæ ex Hebræo transtulit, « prima die ascendet mare quadraginta cubitos super altiores montes

quasi murus; secunda vero tantum descendet, ut vix videri possit. » Rursus, quia bonis terræ per superfluitatem abutebantur, fiet eis, sicut idem evangelista superius dicit, terræ motus et fames. Quia aeris serenitate per inanem delectationem abutebantur, fient eis terrores de cœlo, et tempestates. Quia salute corporum, vitiose vivendo, abutebantur, fient eis pestilentiæ, id est inæqualitates et corporum passiones. Porro istorum signorum quædam, fratres, jam cernimus : Nam pressuræ gentium quotidie fiunt, terræ motus in plerisque locis urbes diruunt, tempestates nos quotidie territant, pestilentiæ urbes hominibus evacuant. Et impletio istorum certos nos facit de impletione cæterorum. Ecce, fratres, tot mundi ruinæ, jam finem illius adesse denuntiant. Quare ergo illum diligimus? Quare cum cadente cadimus, et cum pereunte perimus? Si domus nostra ruinam minatur, fugimus, et quæ possumus de nostris salvamus. Ecce mundus cadit, ut quid ergo cum desiderio non relinquimus? Ut quid, quæ possumus, de ejus naufragio non salvamus? Salvemus ergo, fratres, salvemus dum licet, nos et nostra. Nos desiderio ad cœlestia transeamus, nostra per manus inopum et afflictorum, ad cœlestes thesauros transferamus. Sequitur : *Arescentibus hominibus præ timore et exspectatione quæ supervenient universo orbi.* Arescent quidam mali, et timebunt instante jam judicio, sed frustra, cum non poterunt emendari. Nos ergo, fratres, dum emendari et emundari possumus, ab amore mundi arescamus, futura timeamus, et timentes caveamus. *Nam virtutes*, inquit, *cœlorum movebuntur.* Quare? Non quia de se timeant, sed quia de severitate judicantis perhorrescent. Fratres, si angeli timebunt, si contremiscent, ut ait Job, columnæ cœli (*Job.* XXVI), quid facient peccatores? *Si* vero, ait Petrus, *vix justus salvabitur, impius et peccator ubi parebunt!* (*I Petr.* IV.)

Sequitur pars secunda, in qua ostendit Dominus quomodo ad judicium venturus est, dicens. *Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli, cum potestate magna et majestate.* Et qui videbunt? Omnes, tam boni quam mali, unde et Joannes : *Ecce venit cum nubibus cœli, et videbit eum omnis oculus* (*Apoc.* I). Non enim veniet occultus, humilis, mitis, ut primo, sed potius apertus, altus et terribilis, ut ipse de se testatur; *Sicut fulgur exit ab oriente, et paret usque in occidentem, sic erit adventus Filii hominis* (*Matth.* XXIV). Quem videbunt? Filium hominis. Solus enim Filius tunc apparebit judicaturus, qui primo fuit injuste judicatus, juxta illud : *Videbunt in quem pupugerunt* (*Apoc.* I), Judæi scilicet et gentiles, sed etiam et falsi Christiani (quod sine gemitu dicere nequeo) videbunt quem contempserunt, quem abnegaverunt, quem juraverunt, et pejeraverunt, et quem dedecoraverunt. Gloria vero divinitatis non videbunt reprobi, quia scriptum est; « Tollatur impius ne videat gloriam Dei. » Videbunt autem venientem in nubibus, sicut ascendit cum nubibus ei ministrantibus, ejus gloriam ab impiis occultantibus. Cum potestate magna veniet, ante quem omnes potestates, cœlestium, terrestrium et infernorum contremiscent. Cum potestate magna veniet, qui suo adventu omnia concutiet elementa, qui cœlum et terram concremabit, et nova faciet omnia, qui conscientias hominum propalabit, qui solo nutu electos glorificabit, et reprobos in æternum cruciabit. Cum majestate quoque magna veniet, ad cujus gloriam sol obscurabitur, abscondita tenebrarum illuminabuntur, omnes electi illustrabuntur, et in ejus amore inflammabuntur. Hoc, fratres, hoc quotidie cogitemus, hoc pensemus, manifestemus hic immunditias conscientiarum nostrarum per confessionem ad veniam, ne ibi a Domino manifestentur ad confusionem et pœnam. Hic nos judicemus, ne ibi judicemur. Hic nos accusemus, ne ibi accusemur.

Sequitur pars tertia, in qua ostendit Dominus quid boni tunc electis proveniet, dicens : *His autem fieri incipientibus, levate capita vestra, et exhilarate corda vestra* (2). Quare? *quia appropinquavit redemptio vestra.* Ac si dicat : Cum hæc videritis gaudete, quia cum finitur mundus (cui amici non estis), prope est salus æterna, quam desiderabatis. Redimet autem tunc nos, fratres, Redemptor noster a tribus miseriis, tam in anima quam in corpore, ab indigentia, ab afflictione, a morte. Redimet siquidem Dominus animam nostram ab indigentia sapientiæ et virtutis, dans ei totius sapientiæ et virtutis abundantiam. Redimet quoque eam ab afflictione passionum, timoris scilicet et tristitiæ, invidiæ, et cæterarum, dans ei omnimodam securitatem, jucunditatem et amorem. Redimet etiam eam a morte malarum cogitationum et peccatorum, dans ei omnimodam munditiam et puritatem. Corpus quoque redimet ab indigentia ciborum, vestimentorum, cæterorumque temporalium, dans ei omnimodam sufficientiam. Redimet etiam illud ab afflictione morborum, senectutis et gravitatis, dans ei omnifariam incorruptionem et agilitatem. Redimet quoque illud a morte, dans ei veram immortalitatem. O fratres mei, pensate quam ineffabiliter gaudebunt electi, quando veniet spes sua, desiderium suum, Deus et Dominus suus, quando transferet eos a valle lacrymarum ad altitudinem gaudiorum, ab exsilio ad patriam, a miseria ad beatitudinem.

Sequitur pars quarta, in qua Dominus explanat dicta per similitudinem. *Videte*, inquit, *ficulneam et omnes arbores. Cum producunt jam ex se fructum, scitis quia prope est æstas. Ita et vos cum videritis hæc fieri, scitote quia prope est regnum Dei.* Comparat autem signa præcedentia adventum Christi, arborum fructificationi; æternitatem vero, æstati. Unde patet quia fructus mundi ruina est. Ad hoc enim

(2) Vulg. non habet *exhilarate corda vestra.*

pullulat, ut marcescat; ad hoc surgit, ut cadat. Æstas autem est calida, clara, fructuosa. Æterna quoque beatitudo, erit calida calore charitatis, clara illuminatione veri solis, fructuosa messibus æternæ retributionis. Econtra, vita præsens est quasi hiems, quia est frigida, tenebrosa et sterilis. Frigida sine calore charitatis, tenebrosa ignorantia, tribulationibus et peccatis; sterilis, quia hic non metuntur, sed seruntur semine bonæ operationis. Mali quoque, qui hic vacant somno et otio, sunt quasi piger, qui operari non valens propter frigus, mendicat in æstate, nec datur ei. Sic mali in futuro non metent, nisi quam in carne [seminaverunt corruptionem. Boni vero, qui spe retributionis æternæ hic laborant, sunt quasi bonus agricola, qui spe messium in hieme per pluvias, grandines et nives seminat. Qui cum videt ficum cæterasque arbores pullulare, gaudet, sciens quod hiems jam transiit et æstas messium venit. Nos quoque, fratres, in spe cœlestium gaudiorum per lacrymas peccatorum, et patientiam tribulationum, seminemus in spiritu, ut in resurrectione metamus de spiritu vitam æternam, ut mereamur adunari eis quibus dicitur : *Qui seminant in lacrymis, in exsultatione metent. Euntes ibant*, id est, de virtute in virtutem proficiebant, *et flebant*, tum de recordatione peccatorum, tum desiderio cœlestium gaudiorum *mittentes*, id est præmittentes, *semina sua*, *venientes autem venient cum exsultatione, portantes manipulos suos* (*Psal.* CXXV). Quod ipse præstare dignetur, qui vivit et regnat Deus in æternum. Amen.

HOMILIA V.

DOMINICA TERTIA ADVENTUS.

Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei (*I Cor.* IV), etc. Hæc scribit, fratres charissimi, Apostolus ad Corinthios, in quibus non solum eos instruit, sed etiam nos. Sunt autem hujus lectionis quatuor partes. In prima parte arguit Corinthios de falsa opinione sacramentorum. Putabant enim sacramenta data a sanctioribus esse sanctiora, et a minus sanctis data, esse minus sancta. Unde et dicebant : *Ego sum Pauli, ego sum Cephæ, ego Apollo, ego Christi* baptismo baptizatus (*I Cor.* I) : putantes quod baptizatus a meliori, melius esset baptizatus. Unde et scrutabantur curiosius vitas ministrorum. Istis sunt similes hodie quidam in Ecclesia, qui missas a concubinariis vel minus honestis sacerdotibus nolunt audire vel alia sacramenta sumere. Sed tam hi quam illi tripliciter peccabant, tum quia quod Dei solius est, hominibus attribuebant, tum quia de meritis judicabant, tum quia in hominibus gloriabantur, cum scriptum sit : *Qui gloriatur, in Domino glorietur* (*II Cor.* X). Contra hos ergo loquens Apostolus dixerat superius : *Neque qui plantat, neque qui rigat aliquid est, sed qui incrementum dat Deus* (*I Cor.* III), id est, sicut plantans et rigans non sunt aliquid, quantum ad potestatem vivificandi et augmentandi arborem, sed solus Deus, ita nec qui prædicat, nec qui baptizat, sunt aliquid, quantum ad efficaciam sacramentorum, sed solus Deus, qui intus invisibiliter operatur. Unde et a Spiritu sancto dictum est Joanni : *Super quem videris Spiritum descendentem et manentem super eum, hic est qui baptizat* (*Joan.* I), id est, hic et non alius habet auctoritatem baptizandi. Itaque qualiscunque sit minister, sacramenta eadem sunt, nec a meliori meliora, nec a minus bonis minus bona dantur. Hinc ergo ait Apostolus, *Sic nos existimet homo, ut ministros* sacramentorum *Christi*, non auctores. Nos enim tantum pueros immergimus fonte, et Deus baptizat. Nos tantum manum elevamus, et Deus benedicit. Nos tantum verba sacra proferimus, et Deus consecrat. Nos satisfactionem imponimus, et Deus absolvit. Sumus etiam *dispensatores mysteriorum Dei*, discernentes scilicet quis sit ligandus et quis solvendus, quis baptizandus et quis non, quis ordinandus sit sacerdos, et quis diaconus. Quamvis vero merita ministrorum nihil operentur ad efficaciam sacramentorum, tamen quia plus proficit exemplo fidelis in populo, quam infidelis, *hic*, id est in hac vita, *quæritur ut quis inveniatur fidelis inter dispensatores.*

Sequitur pars secunda, in qua ostendit Apostolus exemplo sui sana conscientia judicium hominum esse parvipendendum. Quare? Quia judicium hominum fallitur et fallit. Fallitur, quia sæpe bonum judicat esse malum, et malum bonum. Fallit, quia cum indignus a populo laudatur, sæpe ob hoc interius gloriatur. Et ad hoc inducitur ut plus aliis de se credat quam sibi, cum scriptum sit; « Plus aliis de te, quam tu tibi credere noli. » Ait ergo Apostolus: *Mihi autem pro minimo est, ut a vobis judicer, aut ab humano die*, non tamen ait pro nihilo. Quia quamvis fama et judicium plebis de nobis sit vilipendendum nobis pro nobis, tamen propter profectum proximorum non est omnino negligendum. Sicut enim munda conscientia necessaria est ante Deum, ita munda fama ante proximum. Vel parum enim, vel nihil valet bona prædicatio, sine bono exemplo. Nam cujus vita despicitur, restat ut ejus prædicatio contemnatur? Unde Dominus, *Sic luceant opera vestra bona coram hominibus, ut glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.* (*Matth.* V). Hinc etiam dicitur : « Crudelis est qui famam negligit. » Itaque fama propter nos est negligenda, sed tamen propter profectum populi est quærenda. *Sed neque*, inquit, ego qui melius non novi quam vos (3), *meipsum judico*, id est, me esse bonum non affirmo. Ecce, fratres, ipse vas electionis, Paulus, non audet affirmare se esse bonum. Quis ergo nostrum peccatorum præsumere audebit se esse bonum vel religiosum? *Qui autem*, inquit, *me judicat*, id est opera mea, et cogitationes, solus invisibiliter discernit, *Dominus est.* Nihil, inquit, *mihi conscius sum*, id est conscientia mea non me remordet, *sed non ideo justificatus sum. Nam delicta quis intelligit?* (*Psal.* XVIII.) *Et qui glo-*

(3) Vulg. non hab. *ego qui melius novi quam vos.*

rnatur, in domino glorietur se mundum habere cor (*I Cor.* I).

Sequitur pars tertia, in qua nos prohibet Apostolus judicare. Tria sunt, fratres mei, de quibus nec debemus nec possumus judicare : De dubio scilicet facto, de dubia intentione, de dubio fine. Dubium factum est quando non vere scimus an quis fecerit aliquod factum. Dubia intentio est quando scimus esse factum, sed qua intentione factum sit nescimus, ut quando videmus aliquem loqui cum uxore alterius. Dubius finis est ut quando scimus esse factum, et mala intentione factum esse, sed tamen ignoramus an sit inde aliquis damnandus, vel veniam per pœnitentiam consecuturus : in quibus omnibus temerarium judicium cavere debemus : Etsi etiam hanc in pejorem partem magis declinare videantur, tamen nos in melius æstimationem nostram vertere debemus. Unde Apostolus : *Tu quis es qui judicas alienum servum ? Suo domino stat, aut cadit. Stabit autem, potens est enim Deus statuere illum* (*Rom.* XIV). Si vides præsbyterum loqui cum uxore alicujus, dic enim illi manu levata benedicere. Sunt autem quædam aperta et manifesta, de quibus nobis judicare permittitur. Unde Apostolus : « Sic non est inter vos qui judicet inter fratrem et fratrem. » Itaque, fratres, non aliena corda, vel intentiones quæ ignoramus, judicemus, sed nostras. Scriptum est enim : *Nolite judicare, et non judicabimini* (*Matth.* VII). *Nolite condemnare, et non condemnabimini* (*Luc.* VI). *Et si nosmetipsos judicaremus, non utique judicaremur* (*I Cor.* XI). Ait ergo : *Nolite ante tempus judicare.* Ante tempus judicat, qui antequam sit de re certus judicat. Dum autem sumus in hac vita, aliorum cogitationes, opera et finis operum occulta sunt nobis, et ideo de eis judicare peccatum est.

Sequitur pars quarta, in qua ostendit Apostolus quando secure de nobis vel de aliis judicare poterimus. *Nolite*, inquit, *judicare, quoadusque veniat Dominus.* In quo, fratres, innuit quod tunc Deo omnia occulta nobis revelante judicabimus, si scilicet fuerimus de perfectis. Quatuor enim ordines erunt in judicio. Alii enim judicabunt, et non judicabuntur, ut perfecti. Alii judicabuntur et salvabuntur, ut mediocriter boni. Alii judicabuntur et damnabuntur, ut falsi Christiani. Alii non judicabuntur et damnabuntur, ut infideles. Unde Joannes : *Qui non credit*, inquit, *jam judicatus est. Illuminabit autem tunc Dominus abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium* (*Joan.* III), id est occulta facta et etiam cogitationes occultas propalabit, tam bonorum quam malorum. Tunc, fratres, patebunt occulta adulteria, occultæ turpitudines, et ignominiæ, quæ fiunt in tenebris et in cubilibus. Tunc etiam patebunt occulta turpium voluntatum, quamvis non venerint ad effectum. Pensate ergo, fratres, pensate, quantus pudor, quanta turpitudo et confusio tunc tenebit reprobos, cum omnes turpitudine et abominationes suas in conspectu tremendi judicis, et angelorum, et omnium sanctorum viderint revelari. Ne igitur, fratres, illo tam magno et æterno pudore erubescatis, erubescite nunc, et pœnitemini, et *quæ dicitis in cordibus et in cubilibus vestris compungimini* (*Psal.* IV). Tunc etiam econtra omnia bona opera sanctorum, quæ pro humilitate clam faciebant, et etiam omnes eorum bonæ voluntates patebunt ad laudem et gloriam eorum. Unde et subditur : *Et tunc laus erit unicuique electorum* (4) *a Deo.* Quæ enim major laus, major honor et gloria poterit esse, quam quando servi vocabuntur et fient filii, quando terreni fient cœlestes, quando homines fient dii, quando benedicentur, et honorabuntur et glorificabuntur a divina majestate. Nos interim, fratres, turpitudines nostras lacrymis, confessionibus, orationibus, eleemosynis tergamus. Quoniam qui hoc faciunt, et si non sint de perfectis qui judicabunt, tamen erunt beati, quoniam *Beati quorum remissæ sunt iniquitates et quorum tecta sunt peccata.* (*Psal.* XXXI). Tecta dico ne videantur vel ad pœnam vel ad pudorem. De quorum numero nos faciat Deus et Dominus noster qui in Trinitate perfecta vivit et regnat Deus. Amen.

HOMILIA VI.

DOMINICA TERTIA ADVENTUS.

Cum audisset Joannes in vinculis opera Christi, mittens duos ex discipulis suis ait illi (*Matth.* II), et reliqua. Audistis, fratres charissimi, ex Evangelica lectione, quod Christus, suo incarcerato præcursore, divinitatis suæ potentiam cœpit clarius demonstrare. Disponens quippe ordinate universa, voluit ante manifestius prædicare quia præcursor suæ præcursionis officium consummasset, ut scilicet quemadmodum Joannes eum præcurrerat nascendo, prædicando et baptizando, ita eum præcurreret et moriendo. Tendente igitur Lucifero, id est Joanne ad occasum, cœpit verus sol justitiæ, Christus, sui splendoris radios paulatim demonstrare. Hoc est ergo quod hic dicitur : *Cum audisset Joannes*, etc. Sunt autem tres partes hujus lectionis : Prima continet Joannis interrogationem, secunda Christi responsionem, tertia Joannis commendationem. Ostendit igitur evangelista, quando, unde, per quos, et quid Joannes Dominum interrogaverit : Quando ? *Cum audisset opera Christi.* Si credis a quo audisset, credendum est quod a Spiritu revelante. Et quod etiam a discipulis suis, quos frequenter ad Jesum mittebat, ut sibi tam facta quam dicta ejus reportarent. Unde? de carcere ubi erat in vinculis. In quo nobis, fratres, imitandum proponit exemplum, ut si in vinculis, si in infirmitate, si in aliquo impedimento detenti quandoque fuerimus, familiares nostros pro nobis ad Ecclesiam mittamus, qui bona ibi dicta vel facta nobis manifestent. Per quos ? per discipulos suos, qui etiam ei in vinculis assistebant, et magistrum suum in adversis non dereliquerunt, sed

(4) Vulg. non habet *electorum*.

usque ad passionem et sepulturam ei diligenter ministraverunt. Hinc discamus et nos, fratres, magistris et amicis nostris in omni adversitate constantiam exhibere fidelitatis. Sicut enim rogus aurum, cursus equum, ita adversitas probat amicum. Unde Sapiens : *Non agnoscitur*, inquit, *in bonis amicus, et non absconditur in malis inimicus* (*Eccli.* XII). Et Salomon : *Dens putridus, amicus deficiens in via* (*Prov.* XXV). Quid interrogavit? *Tu es*, inquit, *qui venturus, es an alium exspectamus?* Quærit autem hoc Joannes, non propter se, qui eum esse Redemptorem mundi prædicando, baptizando, demonstrando testatus fuerat, sed propter discipulos, ne alium a se prædicatum æstimarent, sed certitudinem acciperent fidei, tum ex miraculis, tum ex responsione Christi. Unde et ad hoc quærendum non prius suos discipulos misit, quam Christus miracula facere incœpit. Quam causam innuit ipse Evangelista cum ait : *Cum audisset Joannes in vinculis opera Christi, mittens duos ex discipulis suis*, etc. Ac si diceret : Ideo discipulos suos misit ad Jesum, quia eum aperte facere miracula audivit, ut hoc adverbium, *cum*, non tam temporale quam causale accipiatur.

Sequitur pars secunda, quæ Christi continet responsionem. *Euntes*, inquit, *renuntiate Joanni quæ audistis et vidistis.* Ac si diceret : Cessent verba, loquantur opera. Fecit enim in conspectu nuntiorum Joannis multas virtutes. Unde dixit, *quæ vidistis* scilicet per vos, *et audistis* per alios. Et quæ? *Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur*, id est visitantur. *Et beatus est qui non fuerit scandalizatus in me.* Est autem hæc responsio conveniens, quamvis non videatur præcedenti satisfaciens interrogationi. Quærebatur enim utrum redemptio mundi esset facienda per eum. Ipse vero respondet potentiam divinitatis et patientiam humanitatis, per quas redemptio facta est. Nisi enim homo esset, pati pro mundo non posset, et nisi Deus esset, mortem superare non posset. Est ergo ac si diceret, Redimere mundum jam incœpi. Nam cum operer ut Deus, scandalizor et patior ut homo. Credimus autem, fratres, Dominum opera, quæ hic enumerantur, tam corporaliter quam spiritualiter egisse. Reddebat quippe cæcis illuminationem, tam cordis quam corporis ; claudis rectitudinem, tam cordis quam corporis ; leprosis mundationem, tam cordis quam corporis ; mortuis resurrectionem, tam cordis quam corporis ; pauperibus visitationem, tam cordis quam corporis. Et cum tot signis attestaretur divinitatem, rarus erat qui non scandalizaretur in ejus humanitate. Alii enim ei detrahebant, alii insidias ponebant. Et ferme omnes de ejus divinitate dubitabant. Et quid mirum, fratres, si in Christo adhuc mortali multi scandalizarentur, cum in eo jam in cœlo regnante, multi, unde dolendum est, etiam hodie scandalizentur ? Nam ut taceam de infidelibus, etiam quidam solo nomine Christiani eum contemnunt, ejus sanctum nomen pejerant, factis eum impugnant, verba Evangelii pro vanitate habent, nec ipsam resurrectionem futuram putant.

Sequitur pars tertia, in qua Dominus Joannem commendat : Unde et subditur : *Illis autem abeuntibus, cœpit Jesus dicere ad turbas de Joanne.* Noluit quippe Dominus Joannem coram discipulis suis commendare, ne ejus commendatio adulationem redolere videretur. In quo, fratres, dat nobis exemplum, ne amicum nostrum in sua vel suorum familiarium præsentia laudemus, ne hoc gratia videamur facere assentandi, ne illi occasionem demus gloriandi. Cæterum, ne turbæ Joannem nullius virtutis esse, eo quod nulla miracula faceret, æstimarent, ipse qui eum elegerat, noverat, eum commendat. Commendat eum in quatuor : in fortitudine, in severitate, in prophetandi excellentia, in præcursionis gratia. In fortitudine cum commendat, cum dicit : *Quid existis in desertum videre? Arundinem vento agitatam?* ac si diceret : Non, sed potius virum fortem. Sane arundo nascitur in palude quæ exterius est formosa, interius vacua, et omni vento agitatur. Tales sunt homines hujus mundi, qui in crassitudine et voluptate nutrierunt animas suas, qui exterius sunt per hypocrisim et gloriam nitidi, interius autem a virtute vacui, prosperis elevantur, et adversis deprimuntur : Laudibus efferuntur, minis, et conviciis humiliantur ; in quibus diabolus requiescit. Unde Job : *Sub umbra*, inquit, *dormit in secreto calami* (*Job.* XL), quia videlicet mentes tenebrosas, simulatrices et fluxas diligit. Joannes vero arundo non erat, qui in abstinentiæ duritia crescebat, exterius hispidus et neglectus, interius virtute plenus, non elatus blanditiis, nec dejectus adversis. Discamus et nos, fratres, inter varietates hujus mundi, fortes et constantes esse. Non diligamus divitias hujus mundi, et sic non superbiemus de earum possessione, nec dolebimus de earum amissione. Non diligamus gloriam hujus mundi, et sic nec laus humana nos inflabit, nec infamia mœstificabit. Non præsentem vitam, sed futuram diligamus, et sic voluptas corporis nos non illaqueabit, non pœna vel dolor terrebit. In severitate eum commendat cum dicit : *Hominem mollibus vestitum?* Ac si diceret : Non (litote est, quia minus dicit et plus significat) Joannes quippe in nullo mollitiem secutus est, sed durus fuit in victu, in vestitu, in facto, in verbo. Victus ejus locustæ et mel silvestre. Vestitus, pili cameli, zonaque pellicea. Facta, contemptus mundi, desiderium cœli. Dicta, non palpatio, sed dura correctio vitiorum. *O genimina*, inquit, *viperarum, quis* docebit vos *fugere a ventura ira?* Jam securis ad radicem arboris posita est (*Matth.* III).

Sequitur, *Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt.* Ac si diceret : Non in deserto, ut Joannes, sed in domibus regum inveniuntur qui mollibus gaudent, qui scilicet mollibus vestiuntur, molliter epulantur, molliter operantur, molliter loquuntur. Nemo igitur, fratres, putet in fluxu et studio vestium non deesse peccatum. Nisi enim in hoc peccatum esset, Dominus in suo præcursore vestium

vilitatem non laudaret, nec de fluxu vestium divitem purpuratum reprehenderet, nec Petrus mulieres a veste pretiosa revocaret (*I Petr.* III). Quinque præcipue modis, fratres, in vestibus peccamus. Primo in nimio sumptu, ut cum tanto comparamus unam vestem nobis, quanto plures pauperes possent vestiri. Secundo in gloria, quando scilicet in speciosis pretiosisque vestibus delectamur. Tertio in contemptu proximorum, quando scilicet considerantes vestium nostrarum pulchritudinem, et proximorum vilitatem, nos miramur, et proximos aspernamur. Quarto in superfluitate, ut quando plura mutatoria vestium habemus otiosa, quæ melius pauperes vestirent, quam tineas pascerent, cum scriptum sit : *Qui habet duas tunicas, det non habenti* (*Luc.* III), id est qui habet vestem sufficientem, det superfluam. Quinto in modo, ut cum scilicet facimus nostras vestes, vel gerimus, quo non deberemus. Et cum hæc dicimus, non damnamus vestes, sed vitium vestibus abutentium. Scio enim sub purpura plures Deo placuisse ; et econtra, plures sub sacco Deo displicuisse. Sunt enim qui in purpura non efferuntur, et sunt qui se vestitos sacco, vel dolent vel gloriantur. Magnus vero est quem saccus non dejicit, et quem purpura non extollit. Talis erat David, talis Joannes Baptista, quoniam nec ille sub purpura, nec iste sub cilicio erat arundo ventis agitata. Vos autem, fratres, qui imperfecti estis, unusquisque in gradu suo mediocritatem tenete, secundum homines ordinis et gradus vestri vos induite, ne sitis nitidiores eis, ne forte inde præ vobis eos contemnatis, ne sordidiores eis, ne forte præ eis vos sordidiores doleatis. Ne hinc vel inde vos agitet ventus gloriæ vel pudoris. Sub veste mediocri saccum latenter vestite, maxime in diebus jejuniorum, ut tanto sit magis gratum Deo, quanto magis occultum. Vestem vero vobis non necessariam nudo præbete. Et si non vultis dare novam, date vel veterem meliusculam, ut si quid in nova veste deliquistis, in vetere redimatis. Mollitiem quoque, fratres, ciborum evitate, quoniam lautorum ciborum consuetudo luxuriam generat, corpus mollificat, cibos viliores fastidire facit, patrimonia consumit, sollicitudinem immittit. Minus est sollicitus qui minoribus est contentus. Sicut enim Mars duro milite gaudet, qui fortiter sustineat calores, algores, et labores, ita Dominus duros amat milites, effeminatos contemnit et molles. Inde est quod sancti Patres, sicut in Vitis Patrum legimus, balnea, unguenta, hujusque modi mollia devitabant, ne corporis sui duritiem emollirent. Mollia etiam, fratres, opera fugite, quæ faciunt qui carni serviunt, qui ædificant lignum, fenum, stipulam igne concremendam. Mollia quoque verba, id est adulationes, cavete, quæ quantum fugienda sint, ostendit propheta. *Væ*, inquit, *eis qui sub cubito pulvinar ponunt* (*Ezech.* XIII). Pulvinar quoque sub cubito ponit, qui cadentem a rectitudine animam blande per adulationem suscipit. Et Psalmista : *Quoniam*, inquit, *laudatur peccator in desideriis animæ suæ, et iniquus benedicitur* (*Psal.* IX).

In prophetiæ excellentia Joannem commendat, cum subdit : *Sed quid existis videre ? Prophetam ? Etiam dico vobis : Et plus quam prophetam.* Officium prophetæ, fratres charissimi, est ventura prædicare. Joannes vero Christum non solum prædixit, ut, *Venit fortior me post me* (*Marc.* I), sed etiam ostendit, *Ecce*, inquit, *Agnus Dei* (*Joan.* I). Nos quoque, fratres, quasi prophetæ sumus, si secundum Christi adventum ad judicium verbis et factis prædicamus, si impiis comminamus, si electis promittimus gloriam sempiternam.

In præcursionis quoque gratia cum commendat cum dicit : *Hic est de quo scriptum est* per Malachiam prophetam : *Ecce ego*, inquit, Pater ad Filium, *mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.* Vere, fratres, vere hic Joannes magnus et admirabilis est, quem longe antequam conciperetur, prophetam, imo Dominus per prophetam, Unigenito suo nuntium pollicetur et præcursorem. Nec solum Joannes nomine angeli et præcursoris dignus est, sed et tam nos quam vos, fratres, angeli et præcursores Christi merebimur appellari, si verbo et exemplo eum annuntiemus, si tam ad nostra quam ad aliorum corda per correctionem et emendationem ei viam præparemus, ipso largiente, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus. Amen.

HOMILIA VII.

DOMINICA QUARTA ADVENTUS.

Gaudete in Domino semper, iterum dico : Gaudete (*Philipp.* IV), etc. Quatuor facit Apostolus, fratres charissimi, in hac lectione. Primo monet nos in Domino gaudere, secundo modestos esse, tertio sine sollicitudine orare, quarto rogat nos custodiri in pace. Ait ergo, *Gaudete in Domino.* Si una re, fratres, omnis homo gauderet, nunquam Apostolus cum determinatione, *Gaudete in Domino*, dixisset. Est enim gaudium triplex, malignum, vanum, et bonum. Quidam enim gaudent de malo, de quibus dicitur : *Lætantur cum male fecerint, et exsultant in rebus pessimis* (*Prov.* II). His adeo placet malum, quod etiam sine sua utilitate gaudeant in eorum dolore. Alii vero gaudent de vano, id est de vana et mundana prosperitate, de quibus Salomon : *Risum reputavi errorem, et gaudio dixi : Quid frustra deciperis ?* (*Eccle.* II). Ista duo gaudia, fratres mei, mala sunt. Et de ambobus intelligitur illud Salomonis : *Risus dolore miscebitur, et extrema gaudii luctus occupat* (*Prov.* XIV). Et illud Evangelii : *Væ vobis qui ridetis ! quia lugebitis* (*Luc.* VI). Et alibi : *Væ vobis divitibus, qui habetis hic consolationem vestram!* (*Ibid.*) Alii gaudent de bono, illi scilicet qui in Domino gaudent. Unde Apostolus alibi : *Qui gloriatur, in Domino glorietur* (*I Cor.* I). Et hic : *Gaudete*, inquit, *in Domino.* Sed quare duplicavit. *Iterum dico : Gaudete.* Quia gaudium est in spe, vel in usu rei amatæ dilectio. Hic enim, fratres, tantum in spe

cœlestium gaudiorum gaudemus, non in re, tamen plus quam in spe gaudemus, quoniam et si non habemus hic rem, habemus tamen arrham, quam Apostolus *primitias spiritus vocat* (*Rom.* VIII), virtutes videlicet, et dona Spiritus sancti. Monet igitur Apostolus ut gaudeamus in usu virtutum, et in spe præmiorum. Gaudeamus in usu bonitatis, et in spe beatitudinis. Gaudeamus in usu mundæ conscientiæ, et in spe beatæ vitæ. Primum, fratres, gaudium est magnum, sed secundum est maximum. Quid enim hic lætius, quid jucundius, quid delectabilius haberi potest, quam inter mundos munde, et inter ebrios vivere sobrie, quam omnia mundana sub pedibus habere, non adversis frangi, prosperis non emolliri, solum Deum timere, mundam conscientiam habere, secure vivere, mortem non timere, sed etiam cœlestia gaudia optare et cum certitudine exspectare? Per hoc quippe, fratres, divina dulcedo non solum exspectatur, sed et præodoratur et prægustatur. Hoc prægustaverat Propheta, qui admirans et gaudens dicebat : *Quam bonus Israel Deus his qui recto sunt corde* (*Psal.* LXXII). Ad quod degustandum nos etiam hortatur dicens : *Gustate et videte quoniam suavis est Dominus* (*Psal.* XXXIII). Hoc fratres, hoc est gaudium in Spiritu sancto. Hoc est verum gaudium, verum sabbatum mentis. De quo etiam Salomon : *Secura mens*, inquit, *juge convivium* (*Prov.* XV). Hoc, fratres, gaudium non miscebitur dolore, sed ad summum et sempiternum nos ducet gaudium, videlicet ad gaudium sine mœrore, sine fine, sine metu, sine defectu ; ad gaudium in visione Dei, in quam desiderant angeli prospicere (*I Petr.* I). Quoniam autem magna gaudia solent hominem hic resolvere et improvidum facere, addit Apostolus.

Modestia vestra nota sit omnibus hominibus. Est autem, fratres, hæc pars secunda, in qua monet in omnibus nos modestos esse, ac si diceret : Gaudete, fratres, sed modeste ; psallite Domino, sed sapienter. Porro modestia est virtus inter nimis et minus, tenens mediocritatem. Hæc virtus cæterarum omnium virtutum condimentum est. Impetus enim est, non ratio, quidquid fit sine moderantiæ freno. Sane modestia tria facit, facit enim hominem suæ mentis habere dominium ; reddit eum hominibus gratum, facit ei Dominum propinquum. Quod faciat hominem habere sui dominium, innuit cum adjungit, vestra : Quasi diceret : Modestia faciat vos vestros, juxta quod Philosophus ait : « Vis habere magnum imperium ? Dabo tibi magnum imperium : Impera tibi. Vis multos regere ? rege teipsum. Multos enim reges, si te ratio rexerit. » Hinc Salomon ait : *Melior est patiens viro forti, et qui dominatur animo suo, expugnatore urbium* (*Prov.* XVI). Quod reddat hominem hominibus gratum et famosum, ostendit cum ait : *Nota sit omnibus hominibus*, ac si dicat : Tanta sit modestia vestra, quod sui admiratione et exemplo homines ad se attrahat. Quod faciat Dominum homini propinquum, ostendit cum subdit : *Dominus prope est*. Est quippe Dominus modestis prope. Prope similitudine, prope dilectione, prope remuneratione. Quoniam quos per modestiam sui similes spectat, diligit et remunerat. Hæc virtus, fratres, Moysen et David, Deo gratos et hominibus effecit, quorum alter legitur pro inimicis suis orasse, alter vero inimico, suum sanguinem quærenti, pepercisse. Discamus et nos, fratres, modestiam in omnibus tenere, motus cordis nostri refrenare, nobismetipsis dominari, aliorum dissonantias moderari, Deo, qui sine motu omnia facit, assimilari, ut ab eo mereamur diligi et remunerari, juxta quod ipse promisit : *Beati*, inquit, *mites, quoniam ipsi possidebunt terram* (*Matth.* V, 4).

Sequitur pars tertia, in qua monet nos Apostolus sine sollicitudine orare, dicens. *Nihil* {*solliciti sitis, sed in omni oratione*, etc. Et convenienter, fratres, dum hortatur nos ad orandum, præmisit : *Nihil solliciti sitis*. Nihil enim plus impedit orantem quam sollicitudo. Si enim fratres, nullus ita liber est a curis sæcularibus, et orationi devotus, qui in oratione quandoque insultus dæmoniorum, phantasmata cogitationum vanarum non sentiat. Quid, fratres mei, quid putatis de illis, quorum tota mens et desiderium versatur in temporalium sollicitudine ? Ili nimirum si quandoque orare cœperint, statim revolat mens ad consueta, quoniam ubi est thesaurus suus, ibi est et cor suum (*Matth.* VI). Proinde, fratres, purgandus est prius animus ab amore et sollicitudine temporalium, et in Deo totus figendus, ut libere possit ad orandum Deum vacare. Sed etsi quandoque nos orationi incumbentes pulsaverint suggestiones dæmonum et nebulæ vanarum cogitationum, cavendum est summopere, fratres, ne immorentur, ne forte juxta Salomonem, *muscæ morientes perdant suavitatem unguenti* (*Eccle.* X), sed statim in nosmetipsos indignantes vanas quantocius meditationes a nobis repellamus, et ad ipsum redeamus. Scriptum est enim : *Descenderunt volucres cœli, et abigebat eas Abraham* (*Gen.* XV). Quid enim per sacrificia, nisi orationes ? Et quid per volucres, nisi vanæ cogitationes designantur ? Sed devotus orator, cum vanæ cogitationes super orationem suam descendunt, exemplo Abrahæ, eas protinus expellit.

Sed in omni oratione, inquit, *et obsecratione, cum gratiarum actione, petitiones vestræ innotescant apud Deum.* Oratio, fratres, tantum fit pro bonis adipiscendis, obsecratio pro malis removendis. Hæc, inquit, innotescant apud Deum, id est talia taliter et tali intentione petantur, ut digna sint quæ Deus noscat et audiat. Petamus igitur, fratres, a Domino, non opes, non honores, non vitam in hoc sæculo longam : quæ qui petunt, non exaudiuntur, ut ait Jacobus, eo quod indigne petant (*Jac.* IV). Sed, Domino docente, petamus *primum regnum Dei, et justitiam ejus* (*Matth.* VI). Petamus et qualiter debemus, corde scilicet et opere, et cum fiducia. Unde Jacobus : *Si quis*, inquit, *indiget sapientia, postulet a*

Domino, qui dat omnibus affluenter, et non improperet. Postulet autem in fide nihil hæsitans, quoniam qui hæsitat, similis est fluctui maris, qui a vento movetur et circumfertur (*Jac.* I). Petamus quoque, fratres, ea intentione qua debemus, id est, petamus omnia propter Deum, et ipsum Deum non propter aliud, sed propter seipsum petamus et diligamus. Ipse enim eis qui non simplici intentione eum quærebant, fertur respondisse : *Amen dico vobis, quæritis me, quia comedistis de panibus. Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam* (*Joan.* VI). Ac si diceret : Non propter panem temporalem me debetis quærere, sed propter meipsum, qui sum verus panis satians in æternum.

Sequitur pars quarta, in qua Apostolus orat nos custodiri in pace et a pace, dicens : *Et pax Dei quæ* B *exsuperat omnem sensum custodiat corda vestra et intelligentias vestras.* Dicit autem pax Dei, id est, Deus qui est pax, et Christus qui *est pax nostra, qui fecit utraque unum* (*Ephes.* II). Vel Spiritus sanctus, qui est concordia Patris et Filii. Hæc pax exsuperat omnem sensum, non solum in se, sed et in creaturis. Si enim pax Dei in creaturis exsuperat omnem sensum, quanto magis in se exsuperat omnem sensum ? Quis enim sensus, fratres charissimi, comprehendere potest, quomodo quatuor elementa cum sint ad invicem contraria, in unam connectentur concordiam ? Quis comprehendere potest quomodo contrarii humores in homine, in unam pacificentur sanitatem ? Quis comprehendere potest quomodo contrarii soni in cithara in unam conveniant consonantiam ? Et ut de cœlestibus creaturis loquar, quis sensus comprehendere potest quomodo superni spiritus et sancti, cum sint in gradu et in merito dispares, et in gloria in unius gaudii, voluntatis et amoris consonent unitatem ? Et si illa, fratres charissimi, pax Dei in creaturis omnem sensum exsuperat, quanto magis in seipsa omnem sensum et omnem intelligentiam exsuperat ? Quæ enim intelligentia investigare poterit pacem et concordiam Trinitatis, quomodo scilicet cum sint tres in personis, in unam uniantur essentiam, voluntatem et majestatem. Hæc igitur *pax Dei*, inquit Apostolus, *quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra*, ut scilicet bene velint, *et intelligentias vestras*, ut rite intelligant. Oremus et nos, fratres, ut pax Dei quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda nostra, ut pacem erga eum habeamus ei obediendo, pacem erga nos, noxia cavendo, pacem erga proximos nostros, eos diligendo. Quam pacem nobis largiri dignetur pax nostra Deus et Dominus noster Jesus Christus qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus. Amen.

HOMILIA VIII.

DOMINICA QUARTA ADVENTUS.

Miserunt Judæi ab Jerosolymis sacerdotes et levitas ad Joannem, ut interrogarent eum : Tu quis es ? (*Joan.* VI), etc. Hæc lectio, fratres charissimi, continet alternatim Judæorum interrogationes, Joannisque præcursoris responsiones. Noverant siquidem Judæi, ex libro Danielis, adventum Christi jam instare. Videbant quoque Joannem Baptistam ab angelo prænuntiatum, miraculose natum, sanctissime conversatum, pœnitentiam prædicantem et baptizantem. Et ideo eum esse Christum suspicati sunt. Hac igitur de causa, legis doctores ad interrogandum eum legunt, et eum, an ipse sit Christus, interrogant. In quo patet Judæorum curiositas simul et duritia, quoniam curiosi erant ad interrogandum, et duri ad credendum. Sed quare interrogabant, qui credere nolebant ; vel qui credere nolebant, cur interrogabant ? Joannes enim eos a se removet, et ad Christum mittit, et ei non acquiescunt. Et puto quod si Joannes se esse Christum diceret, non crederent, sed quod Christo dixerunt, dicturi erant : *Tu de teipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum* (*Joan.* VIII). Similiter enim interrogabant Christum : *Si tu es Christus, dic nobis palam* (*Joan.* X). Quibus ipse dicebat : *Loquor vobis, et non creditis* (*ibid.*). Tales sunt hodie multi, unde dolendum est, qui a sanctis Ecclesiæ doctoribus, curiose multa inquirunt, sed ad acquiescendum duri sunt. Nos quoque doctores, fratres (quod sine gemitu dicere nequeo), Scribis et Pharisæis similes videmur, qui ad perscrutandum Scripturas curiosi sumus, ad operandum vero duri et tardi. Sed quæ nobis, fratres, inde est utilitas, nisi quod Dominus nobis comminatur, quod *ser-* C *vus sciens voluntatem domini, et non faciens, plagis vapulabit multis ?* (*Luc.* XII). E contrario vero, fratres charissimi, responsio Joannis magnum dat nobis fidei et humilitatis documentum ; fidei, cum in quo nobis credendum et sperandum sit, Dominum nostrum Jesum, qui solus vere baptizat, proponit, cujus et se vocem esse commemorat et præconem. Humilitatis, cum humiliter de se in omnibus sentit et respondet. In quo, fratres ; sollicite pensare debemus, quomodo sancti, cum tanta radiant virtutum excellentia, de sola humilitate gloriantur. Sciunt quippe quod ædificatio virtutum sine humilitate ruina est. Sicut enim superbia est ruina omnium virtutum, ita et humilitas est earum fundamentum. Superbia primum an- D gelum et primum hominem ab alto præcipitavit in imum. Humilitas quoslibet infirmos revocat ad cœlum. Sane tantum bonum est humilitas, quod melior est quilibet peccator cum humilitate, quam quilibet justus cum arrogantia. Nam humilitas corrigit peccatorem, superbia vero damnat justum. Hinc est quod redemptor noster exemplo et verbo proposuit nobis viam humilitatis, per quam ad cœlum ascenderemus, qui per superbiam lapsi eramus : *Discite*, inquit, *a me, quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* XI). A quo beata Mater et Virgo edocta, virginitatem cæterasque virtutes, quibus incomparabiliter præfulgebat, dissimulat et hanc solam confitetur : *Quia respexit*, inquit, *humilitatem ancillæ suæ* (*Luc.* I). David quoque vir secundum cor Domini, cum ab

uxore despiceretur, eo quod coram arca Domini saltasset, ait : *Ludam, et humilior fiam, plusquam factus sum, et ero humilis in oculis meis* (*II Reg.* VI). Et Doctor gentium, qui usque ad tertium cœlum raptus fuerat : *Ego sum*, inquit, *minimus apostolorum, qui non sum dignus vocari apostolus* (*I Cor.* XV). Ecce, fratres, Vetus et Novum Testamentum percurrendo, invenietis omnes sanctos in virtute humilitatis suum posuisse fundamentum.

Hinc est quod Joannes iste, quo nemo, teste Domino, *inter natos mulierum major surrexit* (*Matth.* XI), solam et omnem in se confitetur humilitatem. Quod melius intelligeris, si quid sit humilitas, et quod ejus partes cognoscatis. Est autem humilitas virtus, qua homo verissima sui cognitione, sibi ipsi vilescit. Multi quidam miseri et desperantes, sibimet vilescunt, et hoc non est ex virtute, quia non ex vera sui cognitione, sed ex adversitate. Sed omnis homo etiam in prosperitate, si bene cognoscat se, intelligit quod nihil, nisi malum, habet in se. Si quid autem boni habet, a Deo habet. Unde Apostolus : *Quid habes quod non accepisti? Et si accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* (*I Cor.* IV.) Ergo, fratres, nihil habemus ex nobis unde superbiamus, sed unde humiliemur. Sunt autem humilitatis quatuor gradus: Primus est, ut quis sibi quod non est, non attribuat; secundus, ut quod habet non a se, sed a Deo se habere credat ; tertius est, ut quis admirando aliorum bona, sua nulla vel modicum æstimet ; quartus, ut bonum quod habet, non meritis suis, sed gratiæ Dei attribuat. Itaque, fratres, beatus Joannes, verissima sui cognitione sibimet vilescens, primum humilitatis gradum se habere demonstrat cum (quod putabatur) se Christum esse negat. Maluit enim de se sibi credere quam alii. Maluit solide subsidere in se, quam humana opinione rapi super se. Negat etiam se esse Eliam corpore, quamvis, juxta verbum Domini, Elias esset simili præcursione. Sicut enim ille futurus est præcursor Judicis, ita iste fuit Redemptoris præcursor. Negat enim se prophetam esse, quia non venturum prædicabat, sed jam venisse ostendebat. Vel certe sicut ad bonitatem Dei nullus est bonus, ita ad præsentiam Dei nullus est propheta, qui solus omnia novit antequam fiant. Ergo, fratres, qua fronte audet aliquis in hoc sæculo sibi aliquid justitiæ vel bonitatis arrogare, cum ipse Filius Dei dicat : *Quid me dicis bonum? Nemo bonus, nisi solus Deus?* (*Matth.* XIX.) Et cum Joannes plusquam propheta, dicat : Non sum propheta ; nemo igitur, fratres, bonum sibi attribuat, quod non habet; nemo melior vel sanctior quam sit, dici velit. Nam, juxta poetam :

Falsus honor juvat, et mendax infamia terret.
Quem?

(HORAT. *Epist.* I, epist. XVI, vers. 39, 40.)

nisi mendosum et mendacem? Si ergo cum sanctus non sis, sanctus prædicaris, non inde gaudeas, sed erubesce et plange, quia non es quod diceris, et ut id valeas, labora cum omni intentione.

Postquam autem Joannes removit a se quod non erat, ostendit cum hilaritate quod erat. Nam inquisitus quis erat, ait : *Ego vox clamantis in deserto.* Non autem ait : Ego sum homo, vel ego sum filius Zachariæ. Nihil impedit enim quod erat ex natura ad id quod erat ex gratia, sed ait : *Ego vox clamantis.* Vox quippe, non est nec signat aliquid ex se, sed ex loquente. Est ergo ac si diceret : Ego nec sum, nec loquor aliquid ex me, sed ex Deo in me loquente. Ego sum tantum organum loquentis in me Dei. Ego tamen sum præco verbi, proferens ea quæ dicuntur per me, sed non ex me. Ecce, fratres, secunda species humilitatis, qua ostenditur quod id quod est, non a se, sed a Deo est. In quo bene consonat illi verbo quod prædicavit qui de se testatur : *Mea*, inquit, *doctrina non est mea, sed ejus qui misit me Patris* (*Joan.* VII). Unde idem ait discipulis suis : *Non enim estis vos qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis* (*Matth.* X). Et per prophetam : *Annuntiabunt*, inquit, *ex me* (*Ezech.* III). Et Petrus : *Si quis loquatur, quasi sermones Dei* (*I Petr.* IV). Quantum ergo, fratres mei, insaniunt qui putant se aliquid esse vel posse ex se : *Qui dicunt : Labia nostra a nobis sunt; quis noster Dominus est* (*Psal.* XI). Filius Dei dicit : *Mea doctrina, non est mea* (*Joan.* VII). Et tu, superbe cinis, dicis doctrinam esse tuam? Itaque, fratres, si quid boni dicimus vel facimus, non nobis, sed nomini Domini demus gloriam, qui ait : *Sine me nihil potestis facere* (*Joan.* XV). Non solum autem Joannes, sed et quilibet, sive clericus, sive laicus, qui verbum vitæ annuntiat in deserto hujus mundi, vox clamantis in deserto potest dici. Itaque et, nos fratres, quantum possumus, verbo et exemplo clamemus cum Joanne : *Dirigite viam Domini. Quid ergo, inquiunt, baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque propheta?* Quod ex sola invidia eos dixisse evangelista innuit, dicens : *Et qui missi fuerant erant ex Pharisæis*, qui doctrinam nesciunt quærere, sed invidere. Sed sanctus quisque, et cum perversa intentione requiritur, et a bonitate sua non movetur nec mutatur. Unde Joannes ad verba invidiæ verba respondet vitæ. *Ego*, inquit, *baptizo in aqua*, id est sola corpora, non animas lavo. Sed dicis : Quare ergo baptizabat? Triplici de causa : Prima, ut sicut nascendo et prædicando, ita et Christum præcurreret baptizando; secunda, ut populum ad baptismum assuefaceret ; tertia, ut populum ad pœnitentiam invitaret. *Ego*, inquit, *baptizo in aqua : medius autem vestrum stat quem vos nescitis*, qui, subaudis, baptizat in Spiritu sancto. Ecce tertia species humilitatis, qua Joannes ministerium suum humiliat, et Christi auctoritatem commendat. Sic enim, fratres mei, sic semper consueverunt sancti, non solum Christi, sed et aliorum sanctorum virtutes admirari, et suam imperfectionem considerare, ut sic dicant alios sibi præferre et se humiliare. Hinc est quod princeps apostolorum, Petrus, non illam tantam virtutem qua sola umbra sanabat infirmos, non principatum suum considerat, sed sapientiam Pauli admiratur : *Sicut*, inquit, *charissimus frater noster Pau-*

lus, secundum sapientiam a Deo sibi datam, docet (*II Petr.* III). Ut quod hoc? Ut ita Pauli sibi præferat excellentiam, et se humiliet, suam attendens imperfectionem. Econtra vero superbi sua bona in corde suo semper considerant et extollunt, aliorum imperfectionem semper increpant, ut ita se semper aliis præferant, et alios præ se vilipendant. De quibus propheta: *Væ vobis, qui sapientes estis in oculis vestris, et coram vobismetipsis prudentes* (*Isa.* V). Et Paulus. *Nolite*, inquit, *esse prudentes apud vosmetipsos* (*Rom.* XII). Hinc superbienti Sauli Dominus dicit: *Cum esses parvulus in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es* (*I Reg.* XV). Quasi diceret: Cum te parvum conspiceres, ego te præ cæteris magnum feci. Nunc vero, quia tu te magnum conspicis, a me parvulus æstimaris. Nos itaque, fratres, si qua bona habemus, ea quodammodo in animo nostro attenuantes parva esse æstimemus; nostra vero mala in oculis nostris multiplicemus, ut scilicet semper nobis humiles simus. Econtra vero mala proximorum, maxime qui nobis commissi non sunt, vel dissimulemus, vel attenuemus. Eorum autem bona semper admirantes, imitari satagamus, ut ita semper eos nobis proponamus.

Sequitur: *Qui post me venit, ante me factus est.* Ac si diceret: Qui post me venit nascens in humanitate, mihi præpositus est majestate. *Cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamenti ejus.* Ecce species quarta humilitatis. Nihil enim meritis suis attribuit, qui ad solvendum calceamentum se indignum dicit. Sed, fratres mei, si ad solvendum calceamentum Joannes non fuit dignus, quomodo ad officium prædicandi, vel baptizandi Christum dignus fuit? Nunquid, fratres mei, vel Christus dicendus est non dignum elegisse, vel Joannes humilitatis causa, mentitus fuisse? Sed absit, ut Christus non dignum elegerit, qui falli non potest, vel Joannis mentitus sit, qui veritatis præco est! Quomodo ergo dignus et non dignus? Dignus erat, fratres, ex Dei dignatione et electione, non dignus ex se, dignus ex gratia, non dignus ex vi propria. Erubescat igitur præsumptio et superbia nostra. Joannes quo inter natos mulierum non surrexit major, dicit se non dignum calceamento solvendo, et tu dicis te dignum sacerdotio, dignum pontificio? Joannes lucerna ardens et lucens, dicit se non dignum calceamentum solvere. Et tu carbo fumigans, dignum te dicis corpus Christi tractare, mysterium Incarnationis, quæ per calceamentum significatur, investigare vel prædicare? Quid ergo dicemus, fratres, nisi vel quantumcunque bonum fecerimus, semper nos indignos dicamus. Nec hoc dicamus solo ore, quasi mentiendo ex humilitate, sed mente credamus, ore confiteamur. Juxta quod ipsa Veritas admonet dicens: *Cum omnia feceritis quæ præcepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus, quod debuimus facere non* (5) *fecimus* (*Luc.* XVII). Quam humilitatem det nobis tenere ille qui propter nos humilis et pauper factus est, Dominus noster Jesus Christus, qui vivit et regnat, etc. Amen.

(5) Vulg. omit. *non*.

HOMILIA IX.

IN NATALI DOMINI.

Lectio Isaiæ prophetæ ad missam de nocte.

Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam (*Isa.* IX), etc. Hodie, dilectissimi, temporalem Salvatoris nostri celebramus nativitatem. In qua tanto majore mentis exsultatione solemnizare debemus, quanto majorum hodie suscepimus materiam gaudiorum. Hodie quippe humani generis calamitas reducta est de servitute ad libertatem, de miseria ad felicitatem, de morte ad vitam, de tenebris ad lucem. Hodie siquidem omnipotens et misericors Deus, quam ab æterno præordinaverat, patriarchis promiserat, in lege figuraverat, per prophetas prædixerat, humano generi jam de salute desperanti, diu præstolatam et prædesideratam persolvit promissionem. Hodie advenit Desideratus cunctis gentibus. Hodie veritas de terra orta est, et justitia de cœlo prospexit. Hodie, fratres, populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, ut modo in prophetia legimus hodie cœlis rorantibus desuper, et nubibus pluentibus justitiam, aperta est terra et germinavit Salvatorem (*Isa.* XLV). Porro hujus lectionis quinque sunt partes. Primo enim ostendit propheta populo in tenebris ambulanti lucem exortam fuisse, scilicet Christum. Secundo ostendit ejus dignationem, tertio ejus exaltationem: Quarto ponit sacramenta nominum ejus, quinto magnitudinem et perpetuitatem regni ejus. Ait ergo propheta: *Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam.* Sane, fratres charissimi, ante adventum Christi, ob primi parentis prævaricationem, universa ejus posteritas in tenebris ambulabat. In quibus? In tenebris ignorantiæ, peccatorum et miseriæ. In tenebris ignorantiæ, dum homo per esum pomi vetiti, voluit esse sciens bonum et malum, et cecidit in ignorantiam. Unde Moyses: *Immolaverunt dæmoniis et non Deo, diis quos ignorabant* (*Deut.* XXXII). Et David: *Erraverunt*, inquit, *in solitudine, viam civitatis habitaculi non invenerunt* (*Psal.* CVI). In tenebris peccatorum ambulant, quia omnes de massa prævaricatrice per concupiscentiam descendentes, in peccatis concepti (*Psal.* L), cum peccato nati sunt. Unde Apostolus: *Regnavit*, inquit, *mors in mundum ab Adam usque ad Moysen* (*Rom.* V). Sed si per legem mors peccati fuit cognita, non tamen fuit ablata, sed aucta. Et David: *Omnes*, inquit, *declinaverunt, simul inutiles facti sunt* (*Psal.* XIII; LII). Unde et legitur: *Nemo mundus a sorde, nec et infans cujus vita est unius diei super terram* (*Job* XIV, 4, juxta LXX). In tenebris miseriæ ambulabat populus, quoniam quantumcunque justus, miser erat in hac vita, miserior in morte, miserrimus post mortem. De qua miseria Ezechias: *Ego*, inquit, *in dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi* (*Isa.* XXXVIII). Heu, fratres, heu, in quantis tenebris ante adventum Christi hu-

manum genus ambulabat, imo errabat! Ambulare enim in tenebris, non est ambulare, sed errare, quoniam, sicut, ait Dominus, *qui ambulat in tenebris, nescit quo vadat* (*Joan.* XII). Cum autem sol justitiæ Christus oriens ex alto, visitavit mundum, vidit lucem magnam. Notate, fratres, notate, vidit lucem magnam. Non ipse sibi accendit, non pretio emit, non meritis suis acquisivit, sed gratis sibi oblatam vidit. Sed quomodo hanc videre potuit, qui cæcus natus erat? (*Joan.* VIII.) Nullatenus potuisset nisi illuminatus fuisset. Ut ergo lucem sibi oblatam videre posset, illuminavit eum prius Christus in mente, collyrio, ex sputo et terra, id est ex divinitate et humanitate, facto. Sic itaque, fratres, vidit lucem magnam. Quam? lucem veram *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (*Joan.* I). A luce illuminatus, vidit lucem ipsam, vidit ipsum illuminatorem. Nec solum, charissimi, qui tunc in carne erant, viderunt hanc lucem, sed et *habitantibus*, sive sedentibus, *in regione umbra mortis, lux orta est eis*, hoc est patriarchis et prophetis, cæterisque sanctis, qui carne soluti præstolabantur adventum Mediatoris, quasi exsules, habitantes non quidem in morte sed in umbra, id est in similitudine mortis, carentes visione Dei. De quibus David : *Exortum est*, inquit, *in tenebris lucem rectis corde, misericors et miserator Dominus* (*Psal.* CXI). Et alibi : *Lux orta est justo, et rectis corde lætitia* (*Psal.* XCVI). Itaque, fratres, lux vera Christus veniens in hunc mundum, et tenebras ignorantiæ fugavit, veritatem prædicando, et tenebras peccatorum solvit, suo sanguine expiando, et tenebras miseriæ terminavit, æternam beatitudinem conferendo. Ut autem Christus mundi tenebras a se demonstraret illuminandas, natus Christus media nocte ipsam noctem splendoribus et laudibus angelorum illustravit, et novi sideris claritate. Et ideo quam modo explanamus lectio legitur ad missam in nocte.

Sequitur pars secunda, in qua ostenditur dignatio Christi, cum dicitur : *Parvulus enim natus est nobis, et filius datus est nobis.* Nisi enim intuens parvus fieret, non nos illuminaret. Nisi enim splendorem suum inaccessibilem nube carnis obvelaret, infirmitas aciei nostræ eum speculari non posset. Factus est igitur ex immenso parvulus. Parvulus corpore, parvulus humilitate, parvulus reputatione. Primo, parvulus corpore, quia modo natus de virgine, in angusto præsepio collocatus est. Parvulus humilitate, quia humiliavit semetipsum, et pauperes elegit parentes, paupertatem elegit, omnibus et prædicavit: *Discite a me*, inquit, *quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* XI). Parvulus reputatione, quia dicit voluit filius fabri (*Matth.* XIII), juxta quod ipse dixerat per Prophetam : *Ego sum vermis, et non homo, opprobrium hominum et abjectio plebis* (*Psal.* XXI). In omnibus exemplum humilitatis nobis demonstravit, ut ostenderet per quam viam ad cœlum ascendere possemus qui per superbiam lapsi eramus. Iste igitur parvulus natus est nobis ex matre, et Filius Dei datus est nobis a Patre. Non sibi quidem natus est qui nullius indigebat, sed nobis natus est datus, qui multum indigebamus. Nobis natus est, ut suam dilectionem in nos commendaret, quia, ut ait Apostolus, iste *prior dilexit nos* (*I Joan.* IV). Nobis natus est et datus, ut nobis iter vitæ demonstraret, ut scilicet sequamur vestigia ejus. Nobis natus et datus est, ut nos a morte redimeret, quoniam ipse posuit animam suam pro ovibus suis. Sed quid provenit ex hac dilectione, ex hac humilitate, ex hac patientia? Hoc quod sequitur : *Et factus est principatus super humerum ejus.* Est autem hæc pars tertia, in qua, post humiliationem Christi, exaltatio Christi prædicatur. Vocatur autem hic, fratres, principatus Christi, transumpto nomine consequentis ad antecedens, quoniam per crucem, quam super humerum suum tulit, omnis potestas in cœlo et in terra ei data fuit. Et hoc est quod ait Apostolus : *Humiliavit semetipsum, factus obediens Patri usque ad mortem; mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen quod est super omne nomen* (*Philipp.* II), etc. Hic est et illud parvum granum sinapis quod minimum omnium seminum, jactum excrevit in magnam arborem. Hic est ille parvus lapis, qui juxta Danielem, excisus de monte sine manibus, excrevit et occupavit totum orbem (*Dan.* II).

Sequitur pars quarta, in qua exprimuntur sex nomina Christi, cum subditur : *Et vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis* : Admirabilis nova, inaudita miracula faciendo ; consiiiarius, prædicatione, passione, ereptione, miseris consulendo; Deus, corpus suum et aliorum a mortuis suscitando; fortis, fortem ligando, vasa ejus diripiendo, et cœlum eis aperiendo; pater futuri sæculi, id est Christianorum, eos fovendo, defendendo, Patrem pro eis interpellando; princeps pacis, justos coronando, et pravos damnando. Tunc quippe sancti omnimodam pacem habebunt cum omnibus et ab omnibus. Cum omnibus, cum Deo, cum angelis, cum proximo, cum corpore et anima. Cum Deo, idem volendo; cum angelis, eis in puritate consentiendo; cum corpore et anima, in bonum concordando; cum proximo, eum sincere diligendo. Ab omnibus, a diabolo et a membris ejus, nihil timendo.

Sequitur pars quinta, in qua multiplicatio et perpetuitas regni Christi demonstratur, cum subditur : *Multiplicabitur ejus imperium.* Qui enim nunc solis bonis imperare videtur, et non malis, in futuro sine contradictione imperabit utrisque, hos glorificando, illos in æternum puniendo. Nunc in cœlo tantum regnare videtur, et non in inferno ; in futuro apparebit eum regnare ubique. *Et regni ejus non erit finis*, nec temporis, nec loci, nec præmiorum, nec pœnarum. Itaque, fratres, si volumus esse hæredes regni Christi, simus primo hæredes charitatis suæ, humilitatis et patientiæ; per has enim virtutes veniemus ad illud præmium. Non timeamus quælibet vilia et aspera pro eo, qui tantus et talis tot abjecta

et aspera passus est pro nobis. Diligamus eum plusquam nos qui tantillus factus est propter nos. Ejus sanctum nomen, ejus sancta verba et exempla toto desiderio diligamus et imitemur. Ejus natalitia in gaudio celebremus, in gaudio non temporali, sed spirituali, non in ebrietate, sed in sobrietate, non in commessationibus, sed in communitatibus (*Rom.* XIII). Si novis et splendidis hodie vestibus vestimur, non sit ad jactantiam, sed ad ejus, cujus Natale celebramus, honorem, ita, fratres, ut nudus, etsi non novam, saltem vel veterem accipiat vestem. Si quoque largius, si splendidius hodie cibaria procuramus, non fiat ut inde largius sumamus, sed ut inde largius pupillis, viduis, hospitibus et pauperibus dividamus, ut participes fiant nobiscum in omnibus bonis temporalibus, qui participes futuri sunt in cœlestibus; ipso largiente, qui pro nobis hodie de virgine nasci voluit, Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus. Amen.

HOMILIA X.

IN NATALI DOMINI.

Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnous hominibus (*Tit.* II) etc. Hodie, fratres charissimi, temporalem Christi celebramus nativitatem, in qua communiter et multipliciter nobis est gaudendum. Communis quidem est, quoniam Christus sicut communem suscepit naturam, ita communem operatus est redemptionem. Multiplex vero est, quoniam ejus nativitas multiplicem nobis operata est utilitatem. Utrumque ostendit in prælibata lectione Apostolus, metonymica utens locutione, hoc modo: *Apparuit gratia Dei*, id est Deus per gratiam, *omnibus hominibus erudiens nos* etc. Ostendit autem hic quis et quantus apparuit, quomodo et quibus, et ob quas utilitates nostras. Quis et quantus? Deus, Dei filius. Sed quomodo invisibilis apparere potuit, cum scriptum sit: *Deum nemo vidit unquam* (*Joan.* IV). Verum quippe est, fratres, quod Dei claritas immensa nec carnali, nec spirituali oculo, prout est, videri potest. Revera enim ille splendor, et illa gloria superexcellit universam contemplationem, non solum hominum, sed etiam archangelorum. Sed cum immensa Dei misericordia humanæ tenebras cæcitatis splendore suo vellet illustrare, carnis velamine suum velavit fulgorem, ut sic infirmitas humanæ contemplationis quoquo modo eum valeret intueri. Sane sol temporalis, de illo æterno sole nos instruit. Si ejus fulgorem inspicere contendimus, excæcamur, sed latentem sub nube melius possumus eum videre. Quomodo apparuit? Gratis. Non enim ideo nobis apparuit quod ipse indigeret, vel quod nos meriti essemus, sed tantum ob gratiam suam nobis immeritis apparuit. Unde idem Apostolus alibi: *Non ex operibus*, inquit, *justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit* (*Tit.* III). Est quidem, fratres, magna gratia illi qui nec bona nec mala nobis intulit misereri sed major est et illi qui immeritis nobis mala intulit misereri. Maxima vero est et illi qui nobis bene meritis mala intulit pro bonis misereri. Hoc fecit Dominus. Unde Apostolus: *Non quia* (6), inquit, *nos dilexerimus eum, sed quia ipse prior dilexit nos* (*I Joan.* IV). Et alibi: *Cum inimici essemus, reconciliati sumus sanguine ipsius* (7) (*Rom.* V). Nos ergo, fratres, Christum imitari satagamus, Christum imitamur, si inimicos nostros nobis per beneficia reconciliamus. *Quibus apparuit*, omnibus hominibus, sub intelligendum est sese offerens. Quamvis enim Dei gratia non ab omnibus agnita sit, tamen Deus, quantum in eo est, eam nobis obtulit. Quemadmodum sol, quantum in eo est, omnibus lucet, nec aliquis potest se subtrahere ne luceat sibi. Itaque, fratres, cum gratia Dei se nobis omnibus offerat, non nos ei subtrahamus, sed potius ei toto desiderio occurramus. Tempore, et cæteris Dei donis, nobis ad bene agendum præstitis, non abutamur, non otiose prætereamus, non negligenter utamur, quoniam, juxta Evangelium, abscondens talentum juste eo spoliatur (*Matth.* XXV); et ficulnea occupans terram succiditur (*Matth.* XXI), et juxta Jeremiam: *Maledictus* est *qui facit opus Dei negligenter* (*Jer.* XLVIII). Ob quas utilitates apparuit Christus? Ob quatuor. Prima quidem est, fratres, ut exemplo et verbo quomodo vivendum et quo festinandum nobis sit demonstraret. Hanc ponit Apostolus cum dicit: *Erudiens nos, ut abnegantes impietatem*, id est infidelitatem, *et sæcularia desideria*, id est omnia vitia, *vivamus sobrie* in nos, *et juste* in proximum, *pie* in Deum, *exspectantes* secure *beatam spem et adventum Domini*. Ordo præposterus, adventum Dei secundum, scilicet ad judicium; et beatam spem, id est spem beatitudinis. Secunda vero causa utilitas nostra est qua Christus apparuit, ut charitatem, quam erga nos habebat, nascendo, patiendo, moriendo pro nobis demonstraret, juxta quod ipse ait: *Majorem dilectionem* et charitatem *nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis* (*Joan.* XV). Hanc causam ponit Apostolus cum dicit, *Qui dedit semetipsum pro nobis*. Tertia causa est utilitas nostra, ut de prima prævaricatione satisfaceret; illa autem prævaricatio fuit superbia tanta, ut se elevaret mente homo usque ad æqualitatem Dei. Cum vero contraria contrariis curentur, oportuit ut ad satisfactionem illius superbiæ aliquis homo humiliaretur ab altitudine divinitatis usque ad humilitatem hominis. Hoc autem nemo potuit facere nisi esset Deus et homo. Propterea Deus factus est homo. Hanc causam innuit Apostolus, cum dicit, *oblationem* (8) Deo, ad reconciliandum scilicet hominem. Quarta causa, et utilitas nostra, quare Christus apparuit, est redemptio, et emundatio et satisfactio generis humani. Redemptio a potestate diaboli per sanguinem Christi, emundatio a delictis per baptismum, satisfactio per virtutem et opera virtutum.

(6) V. Vulg. hab. *quasi*.
(7) V. Vulg. *Deo per sanguinem Filii ejus*.
(8) Vulg. non habet. *oblationem*.

Hanc innuit Apostolus cum dicit *hostiam* (9), ad devincendum scilicet hostem, *ut mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum*. In prima igitur causa, fratres, Christus ostendit se esse verum magistrum, verbo et exemplo nos erudiendo; in secunda, ostendit se esse verum amicum semetipsum pro nobis tradendo; in tertia, ostendit se esse summum pontificem, oblatione proprii sanguinis nos Patri reconciliando, secundum illud : *Et in tempore iracundiæ factus est reconciliatio* (*Eccli.* XLIV); in quarta, ostendit se esse redemptorem, purificatorem, et sanctificatorem nostrum, nos a potestate diaboli liberando, a vitiis purificando, et virtutibus sanctificando. Nos itaque, fratres, recognoscamus Dominum nostrum Jesum Christum esse verum et summum magistrum, ejus exemplum et doctrinam imitantes et sequentes. Recognoscamus eum verum et summum amicum nostrum esse, ei vicem, prout possumus, reddentes, et animas nostras pro eo ponentes. Recognoscamus eum verum et summum esse pontificem, nosmet ei puros offerentes. Recognoscamus eum veram redemptorem, purificatorem et sanctificatorem nostrum esse, nos tanquam suos emptos, mundatos et sanctificatos ei exhibendo, ut venientem eum judicem securi videre mereamur dominum nostrum Jesum Christum, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus. Amen.

HOMILIA XI.

IN NATALI DOMINI.

Exiit edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis (*Luc.* II), et reliqua. In hac sancti Evangelii lectione, fratres charissimi, exponit nobis Lucas manifeste causas solemnitatis hodiernæ. Exponit enim hic sex res nobis, videlicet quo tempore natus sit Christus, quo loco, ex quibus, quo cultu nutritus, quibus, et per quæ indicia sit revelatus. Porro quo tempore natus sit Christus, ostenditur, cum ait : *Exiit edictum*, etc. Cum Augustus Cæsar monarchiam pene totius mundi in tanta pace possideret, ut universum mundum una descriptione concluderet, nasci voluit, fratres charissimi, Christus, ut etiam ad litteram tunc completa visa sit illa prophetia : *Conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces* etc. *Non levabit gens contra gentem* (*Isa.* II) etc. Quantum ad litteram, in tali tempore nasci voluit Christus, ut se principem pacis et Monarcham cœli et terræ et suos in libro vitæ descripturum demonstraret. Moraliter vero, fratres, sub servitute tributi voluit Dominus nasci, ut nobis in se voluntariæ humilitatis et mutuæ subjectionis præberet exemplum. Si enim ipse, cum sit Rex regum et Dominus dominantium, propter nos venit in hunc mundum non dominari, sed subdi, non ministrari, sed ministrare, quid nos miseri servi, quid facere debemus propter eum? Propter eum dicam, an propter nos? Sed melius dicam et propter eum et propter nos. Nam et propter Christum lucrandum, et propter nos salvandos nos humiliare debemus. Si ergo Deus propter hominem se subdidit homini, homo qua ratione subdi homini refugit? Itaque, fratres, cum sponte nos humiliamus, cum servimus proximo et ministramus, Christum imitamur. Quando vero dominari hominibus, serviri et ministrari cupimus, non ipsum in hoc, sed Satanæ superbiam imitamur. Quomodo ergo, fratres, humilitatem et subjectionem, Christi sequuntur episcopi, sacerdotes et monachi qui contendunt de dominatione, qui non solum personas, sed et Ecclesias suæ ditioni gestiunt subjugare? Nos ergo, fratres, securiorem et firmiorem viam Christi sequamur, humilitatem et subjectionem juxta quod Apostolus ait : *Si servus es, non sit tibi curæ, sed si potes liber fieri, magis utere* (*I Cor.* VII). Mystice autem Augusto Cæsare, superbo diabolo, pene jam super universum mundum tyrannidem exercente et ad suum servitium transcribente, natus est Christus. *Hæc descriptio*, inquit, *prima facta est a præside Syriæ, Cyrino*, id est a primo apostata, angelos sibi super alios per superbiam dominationem usurpante. Cyrinus autem *dominans* sive *dominus* interpretatur. *Et ibant singuli, ut profiterentur in suam civitatem*. Civitas, fratres, avarorum avaritia est. Civitas luxuriosorum luxuria est. Civitas gulosorum gulositas est. Et avari ibant et conveniebant per consensum in vitium avaritiæ, ut si non ore, tamen opere se servos diaboli profiterentur. Luxuriosi quoque ibant et conveniebant propter consensum in urbem luxuriæ, ut et si non ore, tamen opere se servos diaboli profiterentur : et similiter cæteri vitiosi. Adeo autem, fratres, hic diaboli servitus, ante adventum Christi invaluerat, quod et mater Christi et sponsus ejus, id est Synagoga et sacerdotium, irent in Bethleem, id est in amorem terreni, non cœlestis panis, per hoc diabolo professionem facientes. Hanc autem in qua tunc mundus erat miseriam, etiam hiems et nox in qua Christus natus est, designat. Cum igitur in tanta servitute esset totus mundus, natus est Christus, *factus adjutor in opportunitatibus in tribulatione* (*Psal.* IX). Sed et hodie, fratres (quod sine gemitu dicere nequeo), multi falsi Christiani postquam a servitute diaboli per Christum sunt emancipati, rursus peccando in diaboli redeunt servitutem. Qui enim diaboli opera facit, quid aliud quam diabolo facit professionem? *Qui* enim *peccatum facit, servus est peccati* (*Joan.* VIII) : Et qui facit opera diaboli, servus est diaboli. Quo autem loco Christus natus sit, ostenditur cum dicitur, *in civitate David, quæ vocatur Bethleem* (10). *Ephrata, nequaquam minima es in principibus Juda, ex te enim exiet dux qui regat populum meum Israel* (*Mich.* V; *Matth.* III). Bene autem in Bethleem quæ *domus* dicitur *panis*, nascitur qui verus panis est, suos externa satietate refecturus. Bene etiam non in parentum domo, sed

(9) Vulg. non habet. *hostiam.*

(10) Aliquid ibi deesse videtur.

in via nascitur, ut in hoc ostenderet quia per humanitatem, quam assumpserat, quasi in alieno nascebatur. Alieno, dico, non quantum ad potestatem, sed quantum ad naturam. In quo et, fratres, nobis innuitur quod non solum ipse, sed et nos omnes homines, cum in hunc mundum nascimur, non in nostram patriam, sed in viam, peregrinationem et exsilium venimus. Unde et David, licet rex dives : *Advena*, inquit, *ego sum et peregrinus sicut omnes patres mei* (*Psal.* XXXVIII). Hinc est, fratres, quod quando infans nascitur, flere potest, ridere non potest. Plorat et ipse Christus. Sed quod cæteri infantes plorant, necessitatis est ; quod Christus plorat, dignationis. Cæteri infantes plorant, quia patiuntur ; Christus, quia compatitur. Si ergo, fratres, Christus plorat propter nos, quare ipsi propter nosmetipsos non ploramus? Et si infantes ex infirmitate naturæ ploramus, quare adulti cum miseriam nostram intelligimus, non magis ploramus. Pensemus ergo, fratres, quanta sit miseria humana, ob cujus medicinam Christum necesse fuerit plorare, et a tanto tantam nobis exhibitam medicinam non spernamus, sed tanta devotione veneremur, diligamus et imitemur. Ex quibus vero Christus natus sit, ostenditur, cum subditur :

Eo quod essent (11) *de domo et familia David*, Joseph scilicet et Maria. Unusquisque enim secundum legem de tribu sua ducebat uxorem. Natus est igitur Christus, fratres, ex matre nobili, sed paupere ; virgine, sed desponsata. Quod vero de matre nobili natus est, est mysterii ; quod de paupere, est humilitatis ; quod de virgine, est munditiæ ; quod de desponsata, est sacramenti. De matre nobili natus est, quæ non solum ex regia stirpe trahebat originem, sed etiam ex sacerdotali, Unde et Elisabeth cognata Mariæ fuisse commemoratur (*Luc.* I). Porro ex regia et sacerdotali tribu nasci voluit Christus, quia est Rex regum, et sacerdos secundum ordinem Melchisedech erat futurus. De matre paupere, quia nec et in sua purificatione agnum offerre potuit, natus est, ut nobis voluntariæ humilitatis et paupertatis exemplum donaret. De matre semper virgine natus est, ut se munditiam diligere, et in mundis cordibus habitare demonstraret. De sponsata vero matre nasci voluit, ut sacramentum incarnationis suæ diabolo occultaret. Mater Christi, fratres charissimi, quæ in nobilitate non se extulit, sed paupertatem et humilitatem dilexit, eos redarguit qui de nobilitate superbiunt, et humilitatem oderunt atque paupertatem. In hoc vero quod in paupertate, a naturali nobilitate degenerare parvipendunt. Rursus in hoc, fratres, quod virginali castitate conjugium decoravit, dat matronis exemplum in conjugio castitatem conservandi. Quæ si penitus etiam a licito complexu continent, profecto castitatem beatæ Virginis imitantur. Sed et si quandoque debitum viro reddunt, non sunt sine merito castitatis, dum fidem tori servant intemeratam. In hoc quoque quod beata Virgo sub conjugio virginitatem celavit, dat omnibus exemplum castitatem cæterasque virtutes celandi. Nam flores virtutum coram Deo tanto plus vernant et flagrant, quanto favoris popularis eos non exurit. Similiter et Joseph, fratres charissimi, qui ex omnibus viris mundi electus est, ut esset Virginis sponsus, cœlestium secretorum conscius, familiaris angelis, nutritius Christi, viris proponitur in exemplum justitiæ et fidei, humilitatis et castitatis, qui et ipse quoque conjugium castitate ornavit, et castitatem sub conjugio celavit. Quo autem cultu educatus sit Christus, ostendit, cum dicitur : *Et pannis eum involvit, et reclinavit eum in præsepio, quia non erat ei locus in diversorio.* Fuerunt igitur indumentum Christi panni viles, lectus arctum præsepe, cibus lac virginale. Lac enim de carne corrupta elicitum eum manducasse non credo. Unde et legimus ; Ipsum Regem angelorum sola Virgo lactabat ubere de cœlo plenō. In hoc cultu, fratres charissimi, quatuor invenimus : Primo admirationem in hoc quod ille qui lucem habitat inaccessibilem et qui cœlum luce vestivit, vilibus pannis circumamicitur ; quod ille qui totum mundum continet, in arcto præsepio continetur ; quod ille, qui omnibus dat escam in tempore opportuno, modico lactis educatur. Quis enim his non poterit admirari? Ministerium, quia ideo Dominus voluit indui pannis, ut se vilitatem et corruptibilitatem nostram induisse demonstraret, ideo poni voluit in præsepio, ut se refectionem piorum esse significaret ; ideo lacte virginali voluit pasci, ut se in pura matris Ecclesiæ doctrina delectari demonstraret. Medicinam, quia ideo dignatus est Dominus pro nobis pannis vilibus involvi, ut nos stola incorruptionis vestiret ; ideo voluit pro nobis in arcto præsepio poni, ut nos in lato cœli palatio collocaret ; ideo voluit lactis pro nobis egere nutrimento, ut nos angelorum pane satiaret. Exemplum, quia ideo vilibus pannis propter nos circumdatus est, ut nos vilitatem pannorum propter eum non abhorreremus, sed amaremus ; ideo in angusto præsepio propter nos positus est, ut nos propter eum parvo et vili tugurio contenti essemus ; ideo simplici cibo pastus est, ut nos quoque simplicitate et vilitate ciborum esse disceremus contenti. Et hoc, fratres mei, contra illos est qui in pretiosis et mollibus vestibus delectantur, qui in constructione palatiorum et turrium gloriantur, qui aviditate pretiosorum cibariorum capiuntur. Quibus Christus revelari voluit, ostenditur, cum subditur :

Et pastores erant in regione eadem vigilantes, et custodientes vigilias noctis super gregem suum. Quantum ad litteram, fratres, Christus tanquam verus pastor, tanquam humilis, tanquam pauper, pastoribus, humilibus et pauperibus voluit primo revelari. Mystice vero isti pastores gregum significant quosque pastores fidelium animarum ; qui si fuerint in

(11) Vulg. *esset.*

eadem regione, si vigilaverint super gregem suum, et custodierint vigilias noctis, profecto illis præcipue Dominus suorum arcana sacramentorum dignabitur revelare. Isti sunt pastores in eadem regione in qua natus est Dominus, qui in munditia et castitate, in qua natus est Christus et permansit, sese, quantum possunt, regere contendunt. Vigilant super gregem suum, qui in regimine animarum sibi commissarum solliciti sunt. In quo etiam pensandum est, fratres charissimi, quod dicitur *super gregem suum.* Non enim sufficit pastoribus si sint in scientia et vita sicut populus: unde et in opprobrium dicitur eis : Et *erit sicut populus, sic sacerdos* (*Eccli.* XXIV). Et sicut præeminet pastor gradu, sic sapientia et vita debet eminere. Unde et dicitur : *Super montem excelsum ascende tu qui evangelizas Sion* (*Isa.* XL). Hinc est quod sacerdos accipiebat armum separatum (*Lev.* X), quia actio pastoris non solum debet esse fortis, sed et singularis. Custodiumt vigilias noctis super gregem suum, qui populum sibi commissum in adolescentia, in virili ætate, in senectute, in decrepita ætate, informare contendunt. Et quos in adolescentia nequierunt, saltem vel in virili ætate, vel in senio, vel in decrepita ætate corrigere concupiscunt. Sed quomodo, fratres, hic dicitur *vigilias noctis custodientes super gregem suum*, cum in manu hominis non sit custodire vel se, vel alium, præsertim cum scriptum sit : *Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam* (*Psal.* CXXVI). Neque enim potest pastor jacere solus, sed socius, nec ad Dominum ire solus, sed socius. Verum utique est, fratres mei , quod in manu pastoris non est gregem custodire, sed tamen ei ex necessitate officii inditum est, quoad potest, ad custodiendum vigilare. Nam si aliquis vestrum committat centum oves opilioni suo, et ille, devoratis et perditis cunctis ovibus, solus ad dominum revertatur, quid ei dicturus est dominus suus? Nonne incarcerabit vel turpiter fugabit eum? Quid ergo, fratres, quid dicturus est Deus illi pigro pastori , qui nullam animarum sibi commissarum ad ipsum reducit? Nonne illum tanquam multarum animarum homicidam acrius cæteris damnabit? Utique. . *Nam durius judicium his qui præsunt fiet* (*Sap.* VI). Per quæ indicia voluit Christus revelari ostenditur, cum dicitur : *Et ecce angelus Domini stetit juxta illos, et claritas ejus* (12) *circumfulsit illos.* Bene, fratres, angelus nuntians nativitatem Christi stetisse legitur. Stare enim pugnantium est. Et ille nativitatem ejus nuntiabat qui aereas potestates debellare veniebat. Ille vero angelus, qui ejus resurrectionem nuntiavit, super lapidem revolutum sedit, quia profecto illum nuntiabat, qui jam victor sedebat. Bene et angelus nativitatis nuntius stetisse juxta pastores memoratur, quia videlicet Christum prope et propitium fieri hominibus per carnem et misericordiam denuntiabat, juxta illud : *Prope timentes eum salutare ipsius* (*Psal.* LXXXIV). Bene quoque angelus cum luce in Christi nativitate, quod in toto Veteri Testamento non legitur, apparuit, quoniam, juxta Prophetam, tunc *exortum est in tenebris lumen rectis corde*, *misericors et miserator Dominus* (*Psal.* CXI). *Et timuerunt*, inquit, *timore magno.* Quia humana infirmitas concutitur, ubi divina sublimitas manifestatur. Sed quia digni erant consolatione, dixit eis angelus : *Nolite timere.* Sicut enim diaboli et diabolicorum hominum est hominem ad tremorem et desperationem commonere, ita bonorum angelorum et hominum est homini consolationem et spem præbere. Quare autem pastoribus non timendum, sed gaudendum esset, ostendit angelus cum subdit : *Ecce nuntio vobis gaudium magnum, quod erit omni populo*, subaudis electorum. Gaudium magnum et commune, fratres, nuntiat angelus pastoribus, quia quoddam gaudium est quod non est magnum, sed parvum, vel potius nullum, ut gaudium quod habetur de aliqua re transitoria , de quo dicitur : *Væ vobis qui ridetis !* (*Luc.* VI.) Sed gaudium istud erat magnum, quia de salute nostra. Rursus erat commune, quia omni populo credenti erat communicandum. Ideo enim factus est Deus homo, ut homines Deos faceret, et gaudium quod habebat solus, communicaret pluribus. Hoc, fratres, contra illos qui soli sibi vivere volunt, et bonum quod habent, cæteris communicare nolunt. Et ideo communi sanctorum bono juste privantur. Quod autem illud gaudium sit, exponit angelus cum subdit :

Quia natus est hodie vobis Salvator, qui est Christus Dominus in civitate David. Tribus nominibus, fratres, vocat angelus puerum, Salvatorem, Christum, et Dominum. Christum, quia unctus est plenitudine omnium gratiarum, de quo omnes accepimus; salvatorem, quia salvat et glorificat electos ; Dominum, quia damnat reprobos. Sed quare, fratres, ait hodie, cum in nocte natus sit Christus ? Quia eam noctem sacramento nativitatis suæ splendidam Christus reddidit et solemnem, juxta quod scriptum est : *Et nox sicut dies illuminabitur. Et nox illuminatio mea in deliciis meis* (*Psal.* CXXXVIII). In civitate David ideo dicitur, ut ostendatur vere Christus esse qui in Bethlehem secundum prophetas erat nasciturus. Sed quia Judæi signa petunt, subdit angelus : *Et hoc vobis signum : Invenietis infantem pannis involutum, et positum in præsepio.* Ac si diceret : Ex hoc potestis probare quod dico, cum cognoveritis esse vera et absentia quæ nuntio, et futura quæ prædico, ut, cum me veracem in his cognoveritis, in cæteris quoque me veracem esse non dubitetis. Signum vero angelus in humilitate et paupertate Christi posuit, ut demonstraret nobis per quæ salvaremur, et quæ imitari debemus. Cæterum, ne attestatio unius angeli insufficiens videretur, non duorum tantum subjungitur vel trium testimonium, sed etiam multorum, cum dicitur : *Et facta est cum an-*

(12) Vulg. *Dei.*

gelo, concors scilicet in testimonium, *multitudo militiæ cœlestis laudantium Deum, et dicentium : Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Ac si diceret : Ex nativitate Christi, Deus ab altissimis virtutibus glorificatur et benedicitur, eo quod ruina angelica ex reparatione hominis suppletur, et pax et reconciliatio cum Deo hominibus bonæ voluntatis præbetur. Non autem ait hominibus bonæ operationis, quia bona operatio sine bona voluntate non sufficit. Bona vero voluntas sine bona operatione, si facultas deest, sufficere potest. Itaque, fratres mei, si multum laborare, si multum largiri, si multum jejunare non potestis, saltem habeatis bonam voluntatem, quæ si prompta fuerit, procul dubio pro facto reputabitur. Non enim pensat Deus quantum quis offerat, sed ex quanto. Reliquerunt quippe Petrus et Andreas navem et retia (*Matth.* IV), et omnia reliquisse judicantur (*Matth.* XIX). Obtulit vidua minuta duo, et divitibus multum offerentibus præfertur (*Luc.* XXI). Offeramus et nos, fratres, quod possimus, et si non habemus facultatem, saltem offeramus bonam voluntatem, quoniam nativitas Christi dat pacem hominibus bonæ voluntatis. Quam ipse nobis largiatur, qui hodierna die pro nobis de Virgine nasci dignatus est, Jesus Christus Dominus noster, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XII.

IN NATALI DOMINI.

In principio erat Verbum (*Joan.* I), et reliqua. Merito, fratres charissimi, Joannes apostolus et evangelista, Boanerges, id est *filius tonitrui*, nuncupatur (*Marc.* III); tum quia in monte cum Jacobo fratre suo et Petro, audivit vocem Patris super Filium intonantem : *Hic est Filius meus dilectus in quo mihi complacui* (*Matth.* XVII), tum quia de coæternitate ejusdem Verbi cum Patre sic alte meruit intonare. Filius igitur tonitrui est qui hic loquitur, et tonitruum est quod loquitur. Nam altissime, obscurissime, cœlitus, imo supercœlitus loquitur. Universum quippe intellectum, non solum humanum, sed et angelicum superexcellit quod loquitur. Unde non immerito in figura quatuor animalium, aquilæ volanti, altivolo videlicet et alturido præ cæteris volatili, comparatur. Cæteri quippe evangelistæ, qui temporalem Christi nativitatem et temporalia ejus gesta quæ gessit in homine, sufficienter exponunt, et de divinitate ejus pauca dixerunt, quasi animalia gressibilia cum Domino in terra ambulant. Hic autem pauca de temporalibus ejus gestis edisserens, sed divinitatis ejus potentiam sublimius contemplans, cum Domino ad cœlum volat. Et talia tali congruebant, quia namque altus erat vita, altus factus est intelligentia, altus et doctrina. Altus siquidem erat vita, quoniam virgo est electus a Domino, quoniam præ cæteris dilectus est a Domino, quoniam supra pectus Domini recumbens (*Joan.* XXI) altius hausit, quoniam Virginem matrem ei virgini commendavit (*Joan.* XIX), quoniam familiarius et profundius cæteris sua secreta ei revelavit. Igitur sicut altissime volavit penna virtutis, sic altissime vidit oculo contemplationis, sic altissime intonuit verbo prædicationis. Nec duntaxat cæteros evangelistas, verum etiam seipsum supergreditur et supervolat, juxta quod ab Ezechiele dictum est : *Facies*, inquit, *aquilæ desuper ipsorum quatuor* (*Ezech.* I). Cum enim aquilam, non solum tribus, sed et quatuor describat superesse, eum procul dubio non solum cæteros evangelistas, sed et seipsum designat supervolare. Enimvero cum loquens de æterna Verbi nativitate, Joannes intellectum supervolet universum, suum etiam intellectum supervolat, quia sancti Spiritus gratia illustratus, plusquam homo et videt et resonat. Huic attestatur et illud apostoli Pauli : *Nec oculus*, inquit, *vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quæ præparat Deus diligentibus se. Nobis autem Deus revelavit per Spiritum suum* (*I Cor.* II). Ac si aperte dicat quod Spiritu sancto illustrati super humanum intellectum contemplantur jam plusquam speculantur. Hinc et ipse Dominus, cum interrogasset discipulos suos, dicens : *Quem dicunt esse homines Filium hominis* (*Matth.* XVI)? et illi humanas opiniones retulissent, ait : *Vos autem quem me esse dicitis?* (*Ibid.*) Ac si dicat : Illa dicunt homines tantum humana sapientes, vos autem, qui per gratiam sancti Spiritus plusquam homines videtis, quem me esse dicitis? Sic igitur noster spiritualis aquila; creaturam supervolans universam, primum intonat Christum ante tempora Deo Patri consubstantialem esse; secundo, per eum omnia facta esse; tertio, per eumdem hominis ruinam restauratam esse. Primum igitur Christum ante omnia tempora Deo Patri consubstantialem esse intonat, dicens :

In principio erat Verbum. In quibus verbis et veritas insinuatur, et hæretica falsitas jugulatur, et istius evangelistæ superexcellentia demonstratur. Et in his quidem verbis veritas insinuatur nobis, si tamen ipsorum transsumptio verborum, spiritu revelante, nobis vigilanter advertatur. In rebus quippe temporalibus, per cognitionem rerum venimus ad cognitionem ipsorum vocabulorum. In divinis vero necesse est nos, per cognitionem vocabulorum, pervenire ad quantulamcunque intelligentiam rerum. Si enim de incognitis rebus per incognita nomina nobis sermo fieret, nulla nobis eruditio proveniret. Inde necesse fuit theologis, cognita rerum cognitarum, ex aliqua similitudinis proportione, vocabula mutuare, et sic per cognita vocabula aliquantulam incognitæ rei cognitionem nobis intimare. Cum igitur hæc nomina, Filius, Verbum, Splendor, Speculum, et hujusmodi, ad theologiam transferantur, nemo putet ea inventionis suæ ibi tenere significationem, sed causam transsumptionis sapienter investiget; nec ipsa transsumptione absolutam similitudinem vel proportionem esse existimet, quoniam comparatio creaturarum ad Creatorem nulla est. Sed theologus, qualibus potuit indiciis, de re ineffa-

bili nobis effatus est. Logos (λόγος) igitur, Græcum, pro quo nos habemus verbum, triplicem gerit significationem. Significat enim rationem, significat et verbum corde conceptum, significat et verbum prolatum. Porro logos, sive verbum, a qualibet istarum acceptionum satis convenienter transumitur ad Filium Dei significandum. Dicitur quippe Filius, Dei logos, sive ratio Patris, ea proportione, quoniam, sicut ratio est ipsi homini coæva, sic et suo modo Filius Dei est Deo Patri coæternus. Et sicut homo per rationem et sapientiam suam prudenter operatur, ita Deus Pater per Filium suum sapienter operatur universa. Unde et ei per Sapientem dicitur : *Omnia in sapientia fecisti* (*Psal.* CIII). Rursus et a verbo mente concepto non incongrue transumitur ad Filium Dei designandum, quoniam, sicut verbum mente conceptum ex mente oritur, et cum mente manet, sic et suo modo Filius Dei ex Deo Patre oritur, et cum eo manet semper. Unde ei per Psalmistam dicitur : *In æternum, Domine, verbum tuum permanet in cælo* (*Psal.* CXVIII). Rursus et a verbo prolato et proportione transumptio fit ad Filium Dei, quoniam sicut homo ex ore suo profert verbum, et per illud suam aliis manifestat voluntatem, et per mandatum verbi sui operatur, sic et suo modo Deus Pater ex substantia sua genuit Deum Filum, ipso Filio sic testificante : *Ego Sapientia ex ore Patris prodii primogenita ante omnem creaturam* (*Eccli.* XXIV), et per ipsum Pater operatur, sicut testatur Psalmista dicens : *Verbo Domini cœli firmati sunt* (*Psal.* XXXII). Et per eumdem Filium Pater hominibus suam manifestat voluntatem, ipso Filio sic testante : *Manifestavi nomen tuum hominibus* (*Joan.* XVII). *Sum* quoque verbum substantivum, significat substantiam simplicem et solitariam. Divina quoque essentia est substantia simplex et solitaria. Et substantia quidem est, quoniam res est per se existens, utpote quæ nullo alio indiget, cuncta vero alia ea indigent ad sui existentiam ; simplex vero est sine partibus, et sine omni formarum concretione ; solitaria, et est sine omni formarum adjectione. Licet enim Deus dicatur unus, verus, sapiens, justus et pius, tamen omnia hæc in Deo non sunt plura, sed unum hoc. Hinc est quod hoc verbum sum, magis proprie cæteris verbis de Deo prædicatur, et maxime in præsenti tempore. Unde ipse Deus ad Moysen : *Ego sum qui sum. Sic dices filiis Israel : Qui est misit me ad vos* (*Exod.* III). Ac si aperte dicat : Ego solus vere sum. Cætera quippe omnia ad comparationem divinæ æternitatis non sunt, quoniam generationi et corruptioni, augmento et diminutioni, alterationi et locorum mutationi subjecta sunt, et secundum temporum mutationem, accedunt et recedunt. Solus vero Deus vere est, quoniam æternus, quoniam immutabilis, quoniam semper præsens est Æternus, sine principio et fine ; immutabilis, sine omni motuum varietate ; semper præsens, sine temporis accessione vel recessione. Igitur, si ad præsentiam æternitatis divinæ respiciamus, semper A specialiter *est*, et nunquam *fuit* vel *erit* invenimus. Cæterum quando Deum nulli tempori defore et omnia transcendere tempora significare volumus, quoniam temporales sumus, et sine temporalibus verbis loqui non possumus, extra proprietatem, præterito et futuro verbo ad loquendum de Deo abutimur. Unde Joannes : *Qui erat, et qui est, et qui venturus est* (*Apoc.* XI). Similiter et hic dicit :

In principio erat Verbum. Vigilanter autem non ait, *fuit* vel *fuerat*, sed ait *erat*. *Fuit* quippe præteritionem perfectam ; *fuerat*, plusquam perfectam ostendit, et ideo minus Deo congruit. *Erat* vero, quia præteritionem nondum perfectam designat, et præsenti tempori magis conjunctum est, significantius positum est. Hoc autem Verbum erat in principio B sive temporis, sive creaturarum ; tempus enim et creatura sunt coæva. Est ergo ac si dicat ; In principio temporis non incœpit esse Verbum, quoniam ante principium temporis erat Verbum. Quod autem sic intellexerit evangelista, probatur ex hoc quod per idem Verbum facta confirmat universa. Si enim et tempus et creaturæ omnes per verbum factæ sunt, patet procul dubio quoniam auctor præcessit omnia ipsa quæ fecit. Unde et in sequentibus sic orat ad Patrem : *Clarifica me, Pater, apud temetipsum claritate quam habui priusquam mundus fieret* (*Joan.* XVII). Itaque quod præcessit omne tempus, æternum est. Et quod fecit omnem creaturam, Creator est. Potest etiam dici quoniam verbum erat in principio, id est, in Patre. Erat igitur Verbum in Patre, principium C in principio. Filius quippe se esse principium testatur, quando quærentibus Judæis : *Tu quis es ?* (*Joan.* VIII) respondit : *Principium qui et loquor vobis*. Sed Pater est principium sine principio. Filius vero sicut est Deus ex Deo, ita est principium de principio ; nec tamen duo principia, sed unum principium. Unde ipse Pater ad Filium loquitur : *Tecum principium* (*Psal.* CIX), subaudis est mihi. Cæterum Pater dicitur principium triplici ratione. Est enim principium Filii per generationem. Est principium Spiritus sancti per spirationem. Est et principium creaturarum per creationem. Filius vero duplici ratione dicitur principium : Est enim principium, cum Patre, Spiritus sancti per spirationem. Est et principium D creaturarum per creationem. Spiritus vero sanctus uno tantummodo dicitur principium, quoniam est unum principium, cum Patre et Filio, creaturarum per creationem. Sed quomodo Verbum erat in principio, id est in Patre, ut simile in simili ? Qualis enim Pater, talis filius. Si enim de duobus valde similibus dicitur per expressam similitudinem, quoniam alter est in altero, qui videt unum, videt et reliquum ; quanto magis de Deo Patre et ejus Filio, quorum essentia non tantum similis, sed et una, eadem est. Unde cum Philippus dixisset Domino : *Domine, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis* (*Joan.* XIV), audivit ab eo : *Philippe, qui videt me, videt et Patrem. Non credis quia ego in Patre, et Pater in me est ?*

Et Verbum, inquit, *erat apud Deum*. Sane hæc præ-

positio, *apud*, non localem, sed personalem designat distinctionem. Nihil enim proprie apud se esse, vel secum esse dicitur, nisi forte per figuram dicatur, quod ille apud se est qui per mentis alienationem extra se non est. Itaque in principio erat Verbum apud Deum, tanquam alius apud alium. *Et Deus erat Verbum*, Deus ex parte prædicati debet intelligi. Et de Filio Dei non quis, sed quid esset hic demonstratur. *Hoc erat apud Deum.* Quoniam cum in tribus clausulis posuerat evangelista hoc appellativum nomen, *verbum*, ut æquivocationis et invocationis excluderet calumniam, de eadem Verbi persona per demonstrativum pronomen, se demonstrat texere narrationem. Verum apud Græcos non hoc, sed *hic* ponitur, quoniam logos est masculini generis. Propterea ad utrumlibet, sive ad Logos, sive ad Theos (θεός) referri potest, sed tamen sensus idem est. Consideremus igitur, fratres, quoniam quinque diçit hic evangelista de Verbo, videlicet quando erat, ubi erat, quid erat, apud quem erat, quid faciebat. Quando erat? *In principio erat Verbum.* Ubi erat? *Et Verbum erat apud Deum.* Quid erat? *Deus erat Verbum.* Apud quem erat : *Deus* enim *erat apud Deum.* Quid faciebat ? *Omnia per ipsum facta sunt.* In primo demonstrat Verbi cum Patre coæternitatem ; in secundo, personalem distinctionem ; in tertio, ejus divinitatem ; in quarto, ejusdem cum Patre identitatem, pariter et distinctionem ; in quinto, operandi auctoritatem. Et idem quoque verbum suggillat hæreticam falsitatem. Fuerunt namque hæretici qui dicerent : « Si Filius Dei natus est, ergo non semper fuit. » Hos in principio redarguit dicens : *In principio erat Verbum.* Fuerunt rursus hæretici qui dicerent : « Idem Deus aliquando est Pater, aliquando Filius, aliquando Spiritus sanctus. » Hoc quoque confutat cum subjungit : *Et Verbum erat apud Deum.* Fuerunt rursus hæretici, qui et si dicerent Filium Dei et semper alium a Patre fuisse, tamen Deum esse negabant. Hos et suggillat, cum subditur : *Et Deus erat Verbum.* Fuerunt namque hæretici, qui, et si Christum concedunt esse Deum, tamen non naturalem, sed adoptivum et temporalem esse Deum contendebant. Hos nihilominus damnat, cum addit : *Hoc erat in principio apud Deum.*. Fuerunt etiam hæretici qui visibilia omnia a diabolo facta, sola vero facta invisibilia a Dei Verbo contenderent. Eisdem etiam verbis, excellentia hujus evangelistæ demonstratur. Alii siquidem evangelistæ Christum in tempore natum describunt; Joannes vero eumdem in principio fuisse testatur, dicens : *In principio erat Verbum.* Alii eum commemorant inter homines subito apparuisse : Joannes vero eumdem apud Deum semper fuisse declarat, dicens : *Et Verbum erat apud Deum.* Alii eum verum hominem : Joannes vero verum esse Deum affirmat, dicens : *Et Deus erat Verbum.* Alii eum hominem apud homines conversatum temporaliter ; Joannes vero apud Deum manentem æternaliter ostendit, dicens : *Hoc erat in principio apud Deum.* Alii magnalia, quæ in homine gessit, perhibent. Joannes vero, quod omnis creatura visibilis et invisibilis per eum facta sit, ostendit dicens :

Omnia per ipsum facta sunt. Est autem hæc pars secunda, in qua de Dei Verbo, tria dicit evangelista, scilicet per illud factum esse omne bonum, et nullum malum, et quod factum est in tempore, in Verbo semper fuisse. Porro per ipsum omne bonum factum esse dicit, cum dicit : *Omnia per ipsum facta sunt.* Sane cum *omnia* dicit, nihil excipit, sed omnem creaturam comprehendit, tam visibilem quam invisibilem : tam subjecta formarum, quam formas subjectorum ; tam singula generum, quam genera singulorum ; tam operationes generum, quam genera operationum. Operatus est enim omnia ab æterno in præsentia. Unde et de eo legitur : « Qui fecit quæ futura sunt, et in continenti. » *Quod factum est in ipso vita erat.* Operatus est in principio, creando omnia corpora in materia. Unde legitur : *Qui vivit in æternum, creavit omnia simul* (*Eccli.* XVIII). Operatus est per sex dies, distinguendo et formando de elementis novas rerum species. A quarum novitate legitur in die Sabbati quievisse (*Gen.* II). Operatur et adhuc omnia gubernando, et similia de similibus propagando, et novas animas procreando. Unde ipse dicit : *Pater meus usque modo operatur, et ego operor* (*Joan.* V). Operatur quoque per ministerium artificum. Unde legitur : *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam* (*Psal.* CXXVI). Operatus est et in plenitudine temporum salutem nostram. Operatus est, et adhuc operatur quotidie opera miraculorum, opera virtutum, opera misericordiæ, et opera justitiæ. Cæterum quædam istorum operatur tantum per se, quædam per ministerium subservientis naturæ, quædam per ministerium rationalis creaturæ cum tamen ipse solus sit auctor universorum. Quod aperte confutat illos, qui vel ex viribus, vel ex ingenio, vel ex industria sua, aliquid boni opinantur se posse, vel velle, vel operari. Unde et Apostolus : *Deus*, inquit, *est qui operatur in nobis et velle et perficere* (*Philip.* II). Et alibi : *Non*, inquit, *ego solus, sed gratia Dei mecum* (*I Cor.* XV). Et Marcus : *Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante, sequentibus signis* (*Marc.* XVI). Verum quando audis *gratia Dei mecum*, vel *Domino cooperante*, cave ne intelligas hanc propositionem, *cum* vel *co*, ibi numerum consignificare (non enim proprietas et improprietas in numerum surgunt), sed potius ministerium sive instrumentum habent ibi designare. Non enim nos et Dominus cooperamur, sed potius ipse cum nobis, quasi cum ministris, vel quasi cum quibusdam instrumentis operatur. Et hæc omnia diximus pro eo quod scriptum est, *omnia*. Cum vero subjungitur *per ipsum*, cave ne per hanc præpositionem, *per*, ministerium intelligas, sed potius intelligas auctoritatem. Non enim Pater per Filium, tanquam per ministrum, operatur, præsertim cum ejusdem auctoritatis et potestatis sit Filius, cujus est

et Pater. Sed Pater dicitur operari per Filium, non Filius per Patrem; quoniam auctoritatem operandi, quam habet Filius, habet a Patre, non Pater a Filio. Sic igitur demonstrato quod omnia bona facta sunt per Verbum, consequenter ostenditur quod nullum malum factum est per ipsum, cum subditur :

Et sine ipso factum est nihil, id est peccatum vel vitium. Hoc est quod dicit Jacobus in epistola canonica : *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum, apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio* (*Jac.* I). Ac si aperte dicat : Ita Deus confert bona quod non infert mala, ita mutat homines a malo in bonum quod non transmutat eos de bono in malum, ita illuminat homines luce virtutum quod non vicissim obumbrat eos tenebris vitiorum. Quod enim legitur Deus excæcare iniquos, vel indurare, hoc facit utique non tenebras vitiorum infundendo, sed lumen gratiæ suæ subtrahendo. Verumtamen animadvertendum est quoniam hoc nomen *malum* in sacra Scriptura triplicem gerit acceptionem. Quandoque namque malum nuncupatur *pœna, tribulatio, anxietas*, vel *flagellum;* quæ quoniam a summo judice justo judicio immittuntur, procul dubio a Deo sunt. Unde legitur, *non est malum in civitate quod non fecerit Dominus* (*Amos.* III), juxta quod ipse per Isaiam dicit : *Ego sum Deus et non alter, formans lucem, et creans tenebras, faciens pacem, et creans malum* (*Isa.* XLVIII). Quandoque vero dicitur malum, mala res, ut puta malus homo, vel actio mala. Quæ quidem in quantum est a Deo auctore, bona est. Quandoque etiam dicitur malum, *malitia*, vel *injustitia*, et quodlibet peccatum. Quod quoniam est privatio justitiæ nihil est, et ideo a Deo non est. Quando ergo legimus quod peccatum, quod vitium, quod idolum nihil est, distinctione opus est. Si enim de nominis appellato sermo texitur, falsa est locutio, quoniam illud quod est peccatum, vel idolum, non nihil est. Homicidium quippe actus crudelis et immanis, et idolum corpus est. Si vero de nominis qualitate sermo proponatur, procul dubio verus est sermo. Illud quippe unde idolum nomen accepit, nihil est, quoniam conformis deitas, quam falsa hominum opinio ei attribuit, nihil prorsus est. Similiter et illud unde homicidium cognominatur, nihil est, quoniam non naturæ, sed potius justitiæ debitique finis privatio est. Et cum subtilius rem inquiramus, nullus actus quantumcunque perversus sit, a debito fine frustratur. Et si enim prava intentio agentis, quantum in se est, actum pervertit, tamen summus auctor opus suum ad debitum finem, id est ad justitiæ vel misericordiæ suæ laudem semper dirigit. Et tamen inde pravus minister juste damnatur, quoniam actum quantumcunque in se est, a debito fine privavit, quemadmodum ille qui regem voluit prodere, damnatur, non quia prodidit, sed quia, quantum in eo est, fecit. Postquam autem dixit evangelista per Verbum facta esse universa, ne cui videretur secundum rerum accessionem et mutabilitatem, accedentem quoque et mutabilem fuisse in Deo voluntatem et dispositionem, per quam subito aliquid voluisset, ostendit ea quæ facta sunt in tempore, in mente divina per præsentiam et dispositionem semper fuisse et esse, cum subjungit : *Quod factum est in ipso vita erat*, hoc est quod alibi legitur : « Qui fecit quæ futura sunt. Hinc et Psalmista : *Populo*, inquit, *qui nascetur, quem fecit Dominus* (*Psal.* XXI). Quidquid enim Deus temporaliter facturus erat, prævidit ab æterno, quid, quantum, quale, ubi et quando illud facturus erat. Si enim architectus temporalis, arcam facturus, prius habet eam in mente per prævidentiam, et postea ad exemplar mentis suæ fabricat et figurat illam. Et arca quidem materialis perit; arca vero mentalis consistit; ita quod ad exemplar ejus alia et alia fieri possit. Quanto magis exemplar divinæ mentis immutabiliter manet, licet res ad illud factæ temporaliter accedant et recedant.

Sequitur pars tertia, in qua incipit evangelista demonstrare hominum ruinam per Verbum Dei esse reparatam. Et hoc modo : Primo demonstrat quod Dei Verbum, quod dedit cæteris rebus esse vel vivere, homini etiam cognitionem sui Creatoris dedit. Secundo, quod homo vitio suo illam amisit. Tertio, quomodo per Verbum Dei illam recuperavit. Primum igitur ostendit quod Dei Verbum, quod cæteris rebus dedit essentiam vel vitam, hominibus etiam dedit sui cognitionem, cum subditur : *Et vita erat lux hominum*. Ac si aperte dicat : Verbum quod erat per metonymiam, quibusdam rebus essentia, quibusdam etiam vita erat, hominibus essentia, et vita, et lux. Non enim insensatis rebus, non brutis animalibus, sed soli creaturæ rationali dedit Deus sui cognitionem. Porro tripliciter illuminat Deus hominem, rationis discretione, fidei, cæterarumque gratiarum illustratione, et sui ipsius revelatione. Primum facit hominem creans, secundum illum recreans, tertium illum glorificans. Primum est homini natura; secundum, gratia; tertium, merces æterna. Unde et legitur illum plasmasse *ad imaginem et similitudinem suam* (*Gen.* I). Ad imaginem in ratione, ad similitudinem in bonitate, ut videlicet quemadmodum Deus est rationalis et bonus, sic, sed suo modo, homo esset rationabilis et bonus, et ratione quidem sciret discernere verum a falso, bonum a malo, et majus bonum a minus bono. Et ita super omnia reperiret et recognosceret verum et summum bonum, bonitate vero imitaretur et coleret ipsum. Unde cum Psalmista quæstionem posuisset quorumdam dicentium : *Quis ostendet nobis bona?* (*Psal.* IV.) Statim quis bona nobis ostenderit, ostendit, cum subjungit : *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine* (*ibid.*). Vultus quippe Dei Filius est, per quem Deus cognoscitur, cujus lumen dicitur gratia virtutum ejus, quarum radio nos signat et insignit, et hoc *super nos*, id est in superiori parte rationis, in qua sola relucet imago Dei, tanquam exemplar in speculo et forma sigilli ceris impressis. Hæc enim

originaliter summum sapit, amat, et quærit bonum, et naturaliter ad suum semper revolat et tendit exemplar et principium. Sicut Psalmista testatur ad ipsum loquens : *Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea, faciem tuam, Domine, requiram* (*Psal.* xxvi). Et quanto magis imago divina in nobis a vitiis purificatur, et virtutibus Deo assimulatur, tanto magis eum cognoscit, ardet et quærit. Cæterum dum a carnali inhabitatione mens aggravatur, nequit usquequaque sordes vitiorum a se declinare, nec omnes Christi virtutes æmulari, nec ipsas, quas habet, ad unguem perfectas obtinere. Propterea non potest hic summum bonum speculari, nisi, ut ait Apostolus, *per speculum et in ænigmate. Ex parte enim hic cognoscimus, et ex parte prophetamus. Cum autem*, deposita mortalitate, *venerit quod perfectum est*, remota omni nube, *videbimus eum facie ad faciem* atque *sicuti est* (*I Cor.* xiii ; *I Joan.* iii). Qui vero divinam in se imaginem negligunt purificare, patientes eam paulatim vitiis obscurari, non solum divinam amittunt similitudinem, sed etiam ipsa in eis imago diminuitur et obnubilatur, ut Dei cœlique ad quæ creati sunt obliti, more pecudum ad terram totis desideriis incurvantur juxta illud Psalmistæ : *Homo cum in honore esset, non intellexit ; comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis* (*Psal.* xlviii). Cæterum et si divina in nobis imago per sordes vitiorum violetur, et offuscetur, nequaquam tamen usquequaque suffocatur et destruitur, sed in quantocunque peccatore semper vivit scintilla rationis, quæ conscientiam accusat, malum reprobat, bonumque commendat. Unde in Evangelio Lucæ, ille qui incidit in latrones, cum legatur et spoliatus et vulneratus, nequaquam tamen dicitur interfectus, sed semivivus derelictus (*Luc.* x). Et hoc est quod hic evangelista subjungit : *Et lux in tenebris lucet.* Ac si aperte dicat, licet homines vitio suo tenebrosos se faciant, et, quantum in eis est, lucem divinam a se expellant, tamen lux divina in mente eorum, tanquam in speculo suo, resultat, quæ eos accusat et damnat. Nec solum in mente, sed etiam in elementis, cæterisque creaturis relucet imago Creatoris, quoniam perpetuitas, pulchritudo, bonitas, sapientia creaturæ perpetuitatem, pulchritudinem, bonitatem et sapientiam comprobant Creatoris.

Et tenebræ, inquit, *eam non comprehenderunt* ; id est non intellexerunt, non quia non potuerunt, sed quia noluerunt. Noluerunt enim intelligere ut bene agerent, vel certe tenebrosi homines quantiscunque vitiis se involverent, divinam mentis suæ imaginem penitus comprehendere, id est exstinguere nequiverunt. Hæc enim eos in inferno positos accusabit, et vermis malæ conscientiæ semper eos cruciabit.

Sequitur : *Fuit homo missus a Deo.* Hic incipit evangelista tractare de humani generis redemptione, sive reparatione, contra illos qui dicebant humanam naturam sic in protoplasto depravatam, quod irreparabilis deperiret. Agit autem hoc modo : primo demonstrat quod humana redemptio prænuntiata sit ; secundo, per quem facta sit ; tertio, quod non ab omnibus suscepta sit ; quarto, quid boni eam suscipientibus contulerit ; quinto, quomodo facta sit ; sexto, quorum attestationibus approbata sit. Cum autem ab exordio mundi, primum a patriarchis, deinde et a prophetis præfigurata fuerit, tamen evangelista, brevitatis causa, ea prætermittit quæ convenientia suis in locis occurrerint positura, et a propinquiori prænuntiatione incipit præcursoris, qui tanquam lucifer propinquum solem, et tanquam aurora propinquum diem præcucurrit. Hunc igitur talem fuisse describit, qualem præcursorem Redemptoris esse convenit, et cui merito credendum sit. Commendat autem eum a natura, a dignitate, a nomine, et ab officio. Porro a natura eum commendat, cum dicit, *fuit homo missus a Deo.* Hoc est rationabilis, et illustratus imagine et similitudine sui creatoris. Hoc enim nomen, homo, quandoque ponitur in plenitudine suæ significationis, ut quando dicitur : Homo est animal rationale et mortale. Quandoque vero in parte plenitudinis, et tunc aut ponitur pro superiori, ut cum dicitur : *Deus creavit hominem ad imaginem et similitudinem suam* (*Gen.* i), aut pro inferiori, ut quando dicitur : *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis* (*Job* xiv). A dignitate eum commendat, cum dicit : *Missus a Deo.* Apostolus (ἀπόστολος) Græce, *missus* Latine dicitur. Fuit igitur maximus, qui non solum apostolus, sed etiam a Deo ante apostolos missus, apostolorum Apostolus est factus. A nomine eum commendat, cum subdit : *Cui nomen erat Joannes.* Enim vero Joannes *gratia* interpretatur. Et bene a gratia nomen habebat, qui gratia refertus erat, gratiamque prædicare veniebat. *Lex enim et prophetæ usque ad Joannem* (*Luc.* xvi). Ab officio eum commendat, cum subjungit : *Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine.* Non enim casualiter, non incidenter de lumine testimonium perhibuit, sed specialiter ad hoc et principaliter missus est, ad hoc venit, ad hoc sollicitus fuit. *Ut omnes*, inquit, *crederent per illum.* Quasi ille dicat : Quantum in se fuit, fecit ut omnes crederent. Et si quis non credidit, in eo non remansit. Sane hæc quatuor quæ hic commendantur in Joanne, in quolibet requirenda sunt prædicatore, videlicet ut sit non brutus, sed rationabilis et ingeniosus ; ut non se ingerat, sed a Deo sit missus ; ut sit gratiosus et gratus, ut veniat non opes, non gloriam quærere, non voluptatem, non honorem, sed testimonium perhibere de lumine. Quomodo ? operando, vivendo, docendo, ut omnes, quantum in eo est, credant per illum, nullusque in eis pareat somnolentia. Cæterum Joannes, et si tantis radiaret radiis titulorum, tamen non erat ille lux, subaudi ex se lucens, sed potius lucerna a vera Luce ad hoc illuminata, ut testimonium perhiberet de lumine, hoc est, non erat Christus, sed Christi præcursor et præco. Per quem autem humana redem-

ptio facta sit, demonstrat, cum subdit : *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Sane Christus et erat, et est lux vera, quoniam non aliunde, sed ex se est lucens, et ex se est alios illuminans. Vera lux est, et veritate in lucendi, et veritate ex se alios illuminandi. In se quippe lucet, et luce summæ bonitatis, et bonitate summæ lucis. Alios vero illuminat, et veritate lucis, et luce veritatis, vera luce fidei, spei et charitatis, et fide et spe et charitate veræ lucis. In se lucet substantialiter, æternaliter, indemutabiliter. Alios illuminat spiritualiter, universaliter, potentialiter. Spiritualiter, quoniam non bruta animalia, sed solam spiritualem rationalemque creaturam luce suæ cognitionis illustrat. Unde et dicit, *illuminat hominem*. Universaliter, quoniam ad modum solis, quantum in eo est, universos (nisi quis se subtrahat radiis ejus) illuminat. Unde et adjungit, *omnem*. Potentialiter, quem et quemlibet, quantumcunque peccatis tenebrosum, quantum in eo constat, potenter purgat et clarificat. Unde et subjungitur, *Venientem in hunc mundum*, id est cadentem in noctem hujus mundi tenebris peccatorum, ignorantiæ miseriæque pariter excæcati. Quod vero lux vera, non ab omnibus suscepta sit, subsequenter ostendit, cum subdit : *In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit. In propria venit, et sui eum non receperunt*. In quibus verbis, et divinam Christi naturam, per quam in omnibus creaturis infusus et præsens est, et humanam, per quam accessit ad nos, comprehendit. *In mundo erat*, et in mundum venit. In mundo erat per divinitatem et in mundum venit per humanitatem. Manere, siquidem est divinitatis, venire vero vel abire, humanitatis. Est ergo ac si dicatur : Licet Verbum Dei esset præsens in mundo per divinitatis essentiam, et appareret in creatura sua per facturam, gubernationem et conservationem, tamen mundus, id est mundani eum non cognoverunt. Propterea per assumptam humanitatem visibilis venit, ut vel sic cognosceretur. *Et eum sui*, id est homines, et specialiter Judæi, peculiariter sui, non dico, eum non cognoverunt, sed *non receperunt*. Quid vero boni suscipientibus se Verbum Dei contulerit, ostendit cum subdit : *Quotquot autem receperunt eum*, subaudi per fidem ex charitate operantem (*Gal.* VIII), quod postea determinat cum subjungit, *his qui credunt in nomine ejus, dedit potestatem filios Dei fieri*. Sed nunquid mali hanc non habent potestatem ? minime. Licet enim habeant liberum arbitrium ex se ad malum, tamen soli boni habent arbitrium ex gratia liberatum ad bonum, ut possint esse filii Dei, et habere per adoptionem, quod Unigenitus Dei habet per naturam quinquepartitam, scilicet Filii proprietatem. Quam ? Nativitatem, amorem, imitationem, similitudinem, hæreditatem. Nativitatem, ut videlicet ex Deo per Spiritum sanctum et aquam in filios renascamur ; amorem, ut Deus paterne nos diligat, et nos eum filialiter diligamus ; imitationem, ut nos eum pro modulo nostro moribus et virtutibus imitemur ; similitudinem, ut in futura glorificatione similes ei efficiamur ; hæreditatem ut æternæ beatitudinis hæreditatem sortiamur. O mira Filii Dei dignatio, mira charitas, mira communitas. Mira dignatio, quod tantus, tantillos in fratres elegit. Mira charitas, quod pro nostra sublimatione tantum se humiliavit. Mira communitas, quod nos indignos servos, regni sui cohæredes constituit. Quomodo fiunt homines filii Dei ? *Non ex sanguinibus*, id est non ex seminibus parentum, *neque ex voluntate carnis*, id est mulieris, *neque ex voluntate viri*. Hoc est non voluptuosa voluntate concubitus, ex qua nascuntur filii Adæ : *Sed ex Deo nati sunt*, per baptismum eos regenerante. Quomodo autem redemptio facta sit ostendit, cum subdit : *Et Verbum caro factum est*. Synecdochice carnem posuit pro homine. Sed nunquid Deus omnipotens alio modo nos redimere non potuit ? Utique : Sed modus hic magis erat conveniens, magis nos inflammans, magis nos informans, magis nobis Deum manifestans, magis nos ad spem dirigens. Magis erat conveniens, quod sicut homo per inobedientiam peccaverat, ita homo per obedientiam satisfaceret. Magis nos inflammans ad Deum amandum erat, quod ipse tantum nos dilexit, et tanta passus est pro nobis. Magis nos informans ad humilitatem, ad patientiam, et charitatem erat, quod ipse hujuscemodi se dedit ; prius exemplum et magistrum. Magis Deum nobis manifestans erat, cum sub forma apparuit humana, qui incomprehensibilis erat in divina. Magis nos ad spem dirigens erat, quod scilicet non dubitaremus nos posse filios Dei fieri, cum propter hoc Filius Dei factus sit filius hominis. *Et habitavit in nobis*, per habitum, per latitationem, per conversationem. Per habitum, quoniam nostræ humanitatis habitum humanatus habuit. Unde Apostolus : *Habitu inventus ut homo* (*Philipp.* II). Per latitationem, quoniam divinitatem suam sub nube carnis sic velavit, quod fidelibus appareret, infidelibus lateret. Unde Apostolus : *Si regem gloriæ cognovissent, nunquam eum crucifixissent* (*I Cor.* II). Per conversationem, quoniam sicut propheta prædixerat : *Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est* (*Baruch.* III). Quorum vero attestationibus redemptio nostra attestata sit, consequenter ostendit, inducens primo suam cæterorumque apostolorum auctoritatem, cum subjungit : *Et vidimus gloriam ejus*. Vidimus oculis carnis, vidimus oculis mentis. Oculis quidem carnis vidimus ejus humanitatem, operibus et doctrinam gloriosam. In qua videlicet docuit et miracula fecit, in qua transfiguratus est, in qua a mortuis resurrexit, et cœlos ascendit. Et sic per gloriosam ejus humanitatem, vidimus spiritualibus oculis, interiorem divinitatis ejus majestatem et gloriam. *Gloriam* quoque *Unigeniti* (13) *a Patre*. Gloriam non quasi ministri, sed quasi auctoris, non quasi cujuslibet sancti, sed quasi ipsius Dei, non quasi adoptivi, sed quasi

(13) Vulg. *gloriam quasi Unigeniti*.

naturalis et unigeniti Filii Dei. Non enim hoc adverbium *quasi* significat hic solam similitudinem, sed magis veritatis expressionem. Vidimus etiam eum *plenum gratiæ et veritatis*. Plenum gratiæ, plenum veritatis. Plenum veritate gratiæ, et gratia veritatis. Plenum gratiæ, quoniam cum cæteri ad mensuram, ipse plenitudinem omnium spiritualium virtutum et donorum habuit universaliter. Plenum veritatis, id est divinitatis, quoniam in eo complacuit omnem plenitudinem divinitatis inhabitare corporaliter (*Coloss.* II). Plenum veritate gratiæ, quoniam gratuitæ promissiones, patriarchis olim factæ, et figuræ legis et prophetarum, in eo sunt impletæ veraciter. Plenum gratia veritatis, quoniam divinitas, quæ erat ejus vera natura, facta est ei homini gratia specialiter. Hanc fidem, fratres charissimi, firmiter teneamus, operibus excerceamus, Christum, qui tantum nos dilexit, toto corde diligentes, ejus voluntariam humilitatem, paupertatem subjectionem, obedientiam, patientiam, charitatem, misericordiam, quoad possumus, imitantes, quatenus filii Dei et cohæredes Christi esse mereamur, ipso præstante, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus. Amen.

HOMILIA XIII.

DOMINICA PRIMA POST NATALE DOMINI.

Quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt a servo, cum sit dominus omnium, sed sub tutoribus et actoribus est usque ad præfinitum tempus a patre (*Gal.* IV). Quoniam Apostolus, fratres charissimi, debitor erat omnibus hominibus, sapientibus et insipientibus : ideo de divinis loquens, humanis et consuetis utitur verbis, ut, per cognita, incognita melius intelligere valeamus. Unde idem alibi dicit : *Humanum dico, propter infirmitatem carnis vestræ* (*Rom.* VI). Comparat igitur, in capitulo præmisso, hæredi mundi hæredem cœli, sive adoptivum, sive naturalem. Nos ergo, fratres, primo de hærede temporali, secundo de hærede cœli naturali, tertio de hærede cœli adoptivo per ordinem videamus. Scitis, fratres mei, igitur, quod in domo temporalis patrisfamilias sunt liberi, et sunt servi, sed diverso modo. Nam pater diligit filium tanquam hæredem ; et tamen dum parvulus est, eum educat in paupertate, in subjectione, in disciplina. In paupertate, nullius rei potestatem ei relinquens. In subjectione, eum sub pædagogo constituens. In disciplina, eum magistrali virgæ subdens. Et in his omnibus habet pater in filium magnum affectum dilectionis. Quoniam pater filium, quem plus diligit, corripit ; filius quoque patrem diligit, et ei ex amore obedit. Servum autem paterfamilias non diligit ad hoc ut hæredem constituat eum, sed ejus utitur servitio pro sua voluntate, et hæredis utilitate. Res tamen suas et hæredis, servi procurationi committit, ipsum etiam hæredem custodiendum et corrigendum ei submittit. Sic itaque, fratres, dum hæres est parvulus, nihil differt a servo, imo et plerumque, ipsi subditur, et ab eo corripitur, cum tamen jure hæreditario sit dominus omnium, sed sub tutoribus et actoribus. id est, sub pædagogis et doctoribus est, usque ad præfinitum tempus a patre. Cum enim fuerit adultus, dominus a patre constituitur, et servis, qui ei dominati fuerant, dominatur. Cœlestis quoque Pater, fratres charissimi, habuit et habet Filium hæredem, naturalem et coomnipotentem, coæternum et consubstantialem. Qui in hoc, fratres, differt a temporali hærede, quoniam temporalis hæres vix, vel nunquam, sibi facit cohæredes, imo potius gaudet quod sit unicus et solus hæreditatem habiturus. At Filius Dei, cujus benignitas ignorat invidiam, angelum et hominem sibi adoptavit in hæreditatem. Verum quoniam homo deceptus a diabolo, ab æterna hæreditate erat exhæredatus, placuit Filio Dei ut cohæredem suum per fraudem exhæredatum, per misericordiam hæredaret. Quia vero conveniens erat ut qui per superbiam ceciderat, per humilitatem erigeretur, humiliavit se Filius Dei, et factus est in forma servi parvulus, ita ut nihil a servo differret, cum esset Dominus omnium, sed sub tutoribus et actoribus fuit usque ad præfinitum tempus a Patre. Quare hoc? ut ita nos redimeret, ut ita nobis suam in nos charitatem ostenderet, ut ita viam humilitatis per quam hæredaremur, nobis demonstraret.

Fuit igitur hic in mundo in paupertate, in subjectione, in patientia. In paupertate, quia de pauperecula Virgine natus, pannis vilibus obvolutus, in præsepio positus, nihil in hoc mundo possedit. Unde ipse ait : *Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos, Filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet* (*Matth.* VIII ; *Luc* IX). In subjectione, quoniam subditus fuit Mariæ et Joseph servis suis, ut Lucas testatur (*Luc.* II). Tributum Cæsari reddidit (*Matth.* XVII), apostolorum pedes lavit (*Joan.* XIII) : et ut ipse testatur, non ministrari sed ministrare venit (*Matth.* XX). Cum vellent eum constituere regem, recessit (*Joan.* VI), qui tamen ad passionem volens se obtulit. In patientia, quia esurivit, sitivit, contumelias, vincula, flagella, sputa, crucem sustinuit, et (quod est gravius) a servis suis, pro quibus etiam oravit. Cum autem tempus definitum a Patre, id est resurrectio advenit, data est ei omnis potestas in cœlo et in terra (*Matth.* XXVIII), etiam super servos suos et inimicos. Unde Pater ad eum ait : *Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum* (*Psal.* CIX). Et alibi : *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam* (*Psal.* II), etc. Nos etiam, fratres, si adoptivi hæredes Dei esse volumus, viam naturalis hæredis, non iniquorum servorum, sequamur. Servi quippe sunt filii ancillæ, qui non hæredes cum filiis liberæ (*Gal.* IV) : qui non ad hæreditatem, sed ad perditionem deputati sunt, qui sicut Ismael Isaac (*Gen.* XXI), ita filios liberæ persequuntur. Possessione rerum, dominatione potestatum, correctione minorum a Deo sibi in utilitate electorum commissis abutuntur. Tamen in hoc, velint nolint, Deo et electis ejus, hæredibus

suis famulantur, qui de malis eorum novit benefacere. Nos vero fratres, si filii Dei, si hæredes Dei, et cohæredes Christi, esse volumus, sequamur vestigia ejus, simus tanquam hæres parvulus in hoc sæculo, non timeamus, imo amplectamur paupertatem, et, juxta eumdem Apostolum, victum et vestitum habentes his contenti simus (*I Tim.* VI) Quoniam, ut ait Apostolus, *qui volunt divites fieri* in hoc sæculo, *incidunt in laqueum et in tentationem diaboli* (*ibid.*). Non timeamus, sed amemus subjectionem, et juxta apostolum Petrum, subditi simus dominis, non tantum bonis et modestis, sed etiam discolis (*I Petr.* II). Hæc est enim gratia. Habeant filii ancillæ honores et prælationes per Simoniam, per ambitionem, per fas nefasque. Qui exteriores erunt hæreditatis æternæ, quoniam, juxta Salomonem, *hæreditas ad quam festinatur in principio, in novissimo benedictione carebit* (*Prov.* XX). Nos vero humiliemus in conspectu Domini, ut nos exaltet in tempore visitationis. Non timeamus, sed amemus disciplinam, quia ut Sapiens ait : *Beatus est vir, qui corripitur a Domino* (*Job* V). Auferant nobis res, proferant vitia, inferant supplicia filii ancillæ, quoniam cadent, cum dominati fuerint pauperum (*Psal.* X), et dominabuntur eorum justi in matutino (*Psal.* XLVIII). Interim ergo dicamus Domino : « Hic ure, hic seca, ne in æternum perdas, » quoniam *beatus qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se* (*Jac.* I). In his autem omnibus, fratres, teneamus firmiter dilectionem Dei et proximi. Ita habeamus vitia hominum odio, quod eorum naturam diligamus, pro inimicis nostris oremus, et eos obsequiis vincere satagamus, si quo modo vasa captivitatis eripere, et Deo lucrari valeamus. Unde etiam duplicem coronam nobis acquiramus. Hæc namque, charissimi, facientes, cum venerit tempus præfinitum a Patre, accipiemus prædesideratam hæreditatem in cœlo, quia juxta Prophetam : *Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini* (*Psal.* CXXVI), in qua cum suis cohæredibus faciat nos gaudere Jesus Dominus noster, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in æternum. Amen.

HOMILIA XIV.

DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS DOMINI.

Erant Joseph *pater* Jesu *et* Maria *mater ejus, mirantes super his quæ dicebantur de illo* (*Luc.* II), etc. Quadripartita est hæc lectio, fratres charissimi. Primo enim inducuntur Joseph et beata Virgo mirantes super his quæ dicebantur de Jesu. Secundo inducitur Simeon eis benedicens, et de puero prophetizans. Tertio quoque inducitur Anna prophetissa, Christo ferens testimonium. Quarto vero subjungitur eorum regressus, et pueri profectus. Primo igitur Joseph et Maria inducuntur, mirantes super his quæ dicebantur de illo. Sed fortassis, fratres, movet vos, cur evangelista Joseph patrem Christi appellet, cum ipse eumdem non ex virili semine, sed ex Spiritu sancto conceptum esse superius construxerit. Sed pluribus modis patrem appellare consuevimus. Nam æquivoce pater est carnalis, spiritualis, et longævus, prædecessor benefactorum. Quia igitur Joseph faber, nutritius et amator erat Jesu, et sponsus matris ejus, voluit eum dici patrem suum, et hoc ad mysterium et exemplum. Ad mysterium, quoniam ipse vere erat filius fabri, ejus scilicet qui fabricatus est auroram et solem. Ad exemplum, ut nullus quantuscunque viliorem se dici erubesceret. Hoc plane contra illos qui patres suos decrepitos, debiles, et viles erubescunt. Similes muli, qui, ut fabula narrat, inquisitus quis esset pater ejus, tacens vilem patrem, equum generosum avunculum suum esse professus est. Erubesce igitur, superbe vermis. Deus se dici voluit filium fabri, et tu tui patris vilitatem erubescis? *Erant*, inquit, *mirantes super his quæ de illo dicebantur*. A quibus dicebantur? ab angelis, a pastoribus, a magis, a Simeone, a cæteris prophetis, Zacharia, Elisabeth, Anna. Et quæ dicebantur de illo? Quod ille tantillus puerulus ab angelo Salvator vocabatur, ab angelico choro glorificabatur, a pastoribus adorabatur, a stella demonstrabatur, a Magis, mysticis muneribus venerabatur, a Simeone lumen gentium et gloria plebis Israel dicebatur. Nec tam mirabantur divinitatis altitudinem quam ejus dignationem. Mirabantur quippe in excelso humilitatem, in majestate dignationem, in gloria vilitatem, in cœlestibus divitiis paupertatem. Has sane virtutes mirabantur, æmulabantur, imitabantur. Audi quomodo mater æmulatur humilitatem filii. Oblita quippe se esse virginem, et matrem Dei et reginam cœli, ait : *Ecce ancilla Domini* (*Luc.* I); et : *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ* (*ibid.*). Nos itaque, fratres, non miremur falsas divitias, honores et glorias hujus miseri sæculi, quæ amatores suos decipiunt. Nam juxta poetam (14), Terreni nil admirari res est, quæ pene sola potest facere et conservare beatum. Ista quoque spernentes, admiremur, æmulemur in Christo et in matre ejus humilitatem, dignationem, vilitatem, et voluntariam paupertatem, cæterasque virtutes, per quas homines, similes Deo et filii Dei efficiuntur.

Sequitur pars secunda, in qua Simeon inducitur benedicens illis, Mariæ scilicet et Joseph, et prophetizans de puero, cum dicitur : *Et benedixit illis Simeon*. Puto, charissimi, quod benedicens, matri hæc vel similia dicebat : « Beata es incomparabiliter, quæ sine exemplo credidisti, concepisti, peperisti, portasti, lactasti, istum tuum filium, tuum patrem, tuum creatorem, tuum Deum. Tu quoque Joseph, beatus es, qui inter omnes hujus mundi homines electus es, ut Christum nutrires, foveres, bajulares lumen gentium, gloriam populorum. » Sic benedictio boni filii, fratres mei, redundat in parentes,

(14) Horat. *Epist.* I, epist. 6, vers. 1, 2.

nutritoresque suos, juxta illud Salomonis : *Gaudium parentum, filius sapiens* (*Prov.* x). Vos itaque, patres et matres familias, vigilate in bona nutritura, eruditione et informatione filiorum, ut, propter bonam filiorum indolem, mereamini et vos benedici. Sicut enim filius indisciplinatus vertitur parentibus in maledictionem, sic bene disciplinatus in benedictionem (*Eccli.* xxii). Denique prophetizans Simeon, ait ad Mariam matrem ejus : Ecce, fratres, beata Virgo, licet et mater fontem omnium scientiarum et gratiarum pareret et nutriret, tamen quædam minus noverat quæ a prophetis edoceretur. In quo profecto patet nullum quantumcunque sanctum, in via posse consequi omnium plenitudinem gratiarum. Ad reprimendam ergo mortalium superbiam, noluit Dominus aliquem habere omnem gratiam, ut sic alter altero indigeret, et quod in se non haberet, in altero miraretur. Sed et in hoc quod Regina cœli a vilioribus personis non refugit edoceri, confutat quorumdam superbiam, qui a minoribus personis doceri erubescunt, cum sæpe in vili testa op imum vinum contineatur, et aureo vase, pravum. Unde Apostolus : *Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus* (*II Cor.* iv). Et alibi : *Si quid revelatum fuerit minori* (15), *taceat major* (*I Cor.* xiv) (16). Et philosophus : Non te moveat dicentis auctoritas, nec quis, sed quid dicat intendito. *Ecce*, inquit, *positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel.* In ruinam, scilicet incredulorum, et in resurrectionem credentium. In ruinam superborum, et in resurrectionem humilium. Unde ipse Dominus ait : *In judicium ego veni in mundum, ut qui non vident videant, et qui vident cæci fiant* (*Joan.* ix). Et Apostolus. *Nos prædicamus*, inquit, *Jesum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam. Ipsis vero vocatis Judæis et Græcis, Christum Dei virtutem*, et *Dei sapientiam* (*I Cor.* i). Nec solum Christus, fratres, sed etiam quilibet recte vivens, et recte docens in populo, positus est incorrigibilibus in ruinam, resipiscentibus vero in resurrectionem. Unde Apostolus : *Christi bonus odor sumus, aliis odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem* (*II Cor.* ii). *Et in signum*, inquit, *cui contradicetur*, id est in exemplum et doctrinam cui contradicetur ab incredulis et perversis, qui Christi doctrinæ et exemplis, vel verbis, vel factis contradicent. Unde et subdit, *Et tuam ipsius*, inquit, *animam pertransibit gladius*, id est dolor habitus de passione ejus tua viscera transfodiet. Cum igitur vehemens compassio sit martyrium, patet quia beata Virgo a corona martyrii non est extranea, imo plusquam martyr dici potest, quæ in anima (quæ immortalis est) passa est. Hinc, fratres, discamus et nos compati passionibus, afflictionibus, necessitatibus sanctorum, pupillorum et viduarum, quoniam qui eis propter Deum compatiuntur, a corona eorum non erunt alieni, testante Domino, quoniam *qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet* (*Matth.* x). *Ut revelentur*, inquit, *ex multis cordibus cogitationes eorum*, id est prophetiæ, quæ erant occultæ, tanquam cogitationes in corde, revelentur in puero esse impletæ. Vel certe corda hominum per exteriora opera aperiantur, an sit erga Christum devota, an non.

Sequitur pars tertia, in qua inducitur Anna Christo testimonium ferens, ut in ore duorum vel trium testium, stet omne verbum (*Deut.* xix). Commendat autem eam evangelista, et a sancta progenie, et a conjugali sanctimonia, quia scilicet septem annis vixerat a virginitate cum viro suo, et a viduali castimonia, et ab obsequio divino. Et quia erat intenta jejuniis et obsecrationibus, ut talis demonstretur, quæ digna sit spiritu prophetiæ illustrari, et de Christo vaticinari, imo etiam eum in carne agnoscere, et cæteris prædicare. Hanc imitentur patres et matresfamilias, ut sancte cum conjugibus a virginitate conversentur. Hanc imitentur vidui, viduæque eorum, ut obliviscentes quæ sunt mundi, soli Deo vacent, jejuniis et obsecrationibus, et bonis operibus intendant, ut a spiritu mereantur illuminari, et Christum verbo et exemplo prædicare et contemplari. *Et hæc*, inquit, *ipsa hora superveniens*, quia scilicet eodem spiritu, quo Simeon adducta, *confitebatur Domino*, et confessione fidei, et actione laudis et verbo prædicationis. Unde et subditur : *Et loquebatur de eo omnibus, qui exspectabant redemptionem Israel.* Cæteris autem non, quia non sunt margaritæ ante porcos projiciendæ, nec sanctum dandum est canibus (*Matth.* vii).

Sequitur pars quarta, cum dicitur : *Et postquam perfecerunt omnia secundum legem Moysi, reversi sunt in civitatem suam Nazareth.* In quo, fratres, proponunt nobis exemplum, ut ab ecclesia non discedamus, donec vota et oblationes et orationes nostras, juxta quod lex præcipit, perfecerimus. Quod contra illos est, qui, antequam debita vota et oblationes persolvant Deo, antequam ministeria divina expleantur, ab ecclesia redeunt, morari in ecclesia damnum temporis æstimantes. *Puer autem crescebat et confortabatur plenus sapientia, et gratia Dei erat in illo.* Fratres mei, quod Christus Filius Dei crescebat, et confortabatur, carnis erat. Dignatus est quippe momenta ætatum nostrarum subire ut immutabilitatem suæ æternitatis nobis donaret. Sapientia vero plenus erat, qui etiam ipsa sapientia et est et erat. In qua nos primo creavit, et post recreare venit. Gratia vero Dei erat in illo, non ad mensuram, sed ad omnem plenitudinem. Omnem enim gratiam in potestate habuit, ad distribuendum singulis, ut Deus, et omnem gratiam quam voluit habuit, ut homo in usu. Nos itaque ipsum fletibus exoremus, quatenus de plenitudine sapientiæ et gratiæ suæ nos ditet, ut de suo ipsum credere, diligere et venerari valeamus. Qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus in æternum. Amen.

(15) Vulg. *sedenti.*

(16) Vulg. *prior.*

HOMILIA XV.

IN CIRCUMCISIONE DOMINI.

Postquam impleti sunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus Jesus (*Luc.* II). Hodierna dies, fratres charissimi, duplici decoratur dignitate. Et quia est octava a Christi Nativitate, et quia est consecrata ipsius circumcisione. Tanta quippe claritas Dominicæ Nativitatis fuit, ut omnes septem dies sequentes ab ea reddantur solemnes. Insuper et ejusdem circumcisio, nostrorum geminat materiam gaudiorum. Sunt autem, fratres charissimi, tres circumcisiones: prima est carnalis, secunda spiritualis, tertia cœlestis. Prima est legis, secunda gratiæ, tertia gloriæ. Prima est bona suo tempore, secunda melior et in omni tempore, tertia optima et in perpetuitate. Prima est sacramentum sacræ rei, secunda sacra res et sacramentum; tertia res sacramenti. Dicamus de singulis per ordinem. Erat igitur circumcisio carnis, circumcisio superfluæ pellis, a virili membro facta octavo die, et lapideo cultro. Videamus igitur, fratres, primo, qua de causa fuerit instituta: secundo, quare fiebat in octava, et in virili membro, et lapideo cultro; tertio, quid utilitatis conferebat; quarto, quare tunc nomen novum imponebatur; quinto, quare Christus voluit circumcidi. Fuit igitur, fratres, jussa circumcisio ob tres causas, ut esset in signum magnæ fidei Abrahæ, et ut per obedientiam homo circumcidendo mereretur, sicut per inobedientiam primus homo demeruerat, et ut per circumcisionis characterem populus Dei a cæteris discerneretur. Fiebat vero octavo die, quia corruptionis circumcisionem significabat quæ facta est octava die, id est in resurrectione, in Christo personaliter; et fiet in octava, id est in resurrectione, in omnibus generaliter. Fiebat et in virili membro, per quod genus humanum in concupiscentia propagatur, quia erat remedium contra originale peccatum, quod per carnalem concupiscentiam traducitur. Fiebat etiam lapideo cultro, quia omnis circumcisio, sive peccati, sive corruptionis, per Christum in petra significatum facienda est. Quia non est aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat nos salvari (*Act.* IV). Utilitatem vero conferebat tempore suo circumcisio, eamdem quam nunc confert baptismus. Unde Beda: « Idem salutiferæ curationis remedium conferebat tempore suo circumcisio, quod baptismus tempore revelatæ gratiæ conferre consuevit, excepto quod januam paradisi non aperiebat, quia nondum hostia sanguinis Christi data erat. Novum vero nomen in circumcisione dabatur, quia quando aliquis circumcidebatur, tunc primo fidelis, et de numero fidelium vocabatur, sicut nunc fit in baptismo. Christus etiam, licet non indigeret, circumcidi voluit, ob tres causas, ut legis sacramenta sacra esse demonstraret, ut exemplum humilitatis et obedientiæ nobis in se demonstraret, et ut se non solvere legem, sed adimplere demonstraret. Vocatum etiam tunc nomen ejus Jesus, non autem impositum. Hoc enim nomen Deo providente, a patriarchis, ut in Josue et Jesu magno sacerdote est figuratum, a prophetis prædictum, ab angelo prænuntiatum. Et cum cæteris datum sit, tantum nuncupatione soli Christo convenit substantive. Circumcisio vero moralis sive spiritualis sit, quando circumcidimus a nobis omnia vitia et omnia superflua. Vitia a nobis circumcidimus, cum gulositatem, luxuriam, cupiditatem, avaritiam, iram, invidiam, tristitiam, acediam, cenodoxiam, superbiam, mendacium, cæteraque vitia amputamus. Superflua a nobis circumcidimus, quando resecamus a nobis superfluitatem curarum, divitiarum, deliciarum, possessionum, vestimentorum, laborum, viarum, solis contentis necessariis. Hanc igitur vitiorum et superfluitatum circumcisionem significat etiam resecatio capillorum, barbæ et unguium, et longiorum decurtatio vestimentorum. Per capillos quippe sive per barbam, quæ de nostra carne nascuntur, et tamen abscisa non sentiuntur, curæ necessariorum significantur, quæ non omnino possunt resecari, sed sola superfluitas debet circumcidi, ne scilicet visum contemplationis, ne auditum verbi Dei, ne fructum orationis in nobis impediant. Unde etiam Dominus præcipit Levitis, ut crines carnis radant (*Num.* VIII). Unguium etiam manuum et pedum superfluitas circumcidi debet, id est superfluitas operum et itinerum. Hanc etiam præcepit Dominus, quod si Israelita in bello cepisset virginem puellam, et vellet eam habere uxorem, faceret ei calvitium, ungues præsecaret, pilos auferret, et sic in ejus complexus transiret, (*Deut.* XXI). Israelita puellam virginem capit, quando prædicator per bellum prædicationis animam fructu sterilem a potestate diaboli tollit. Hanc si velit Deo fecundare, necesse est ut non solum infidelitate et cæteris vitiis eam spoliet, sed etiam a superfluitate curarum, operum et itinerum sæcularium circumcidat. Superfluitas etiam vestis longioris subcurtanda, et zona restringenda est, id est superfluitas divitiarum et rerum sæcularium circumcidenda et brevianda est, ne cursum nostrum retardent: Unde Apostolus: *Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet* (*I Cor* IX). Fit etiam hæc circumcisio in octava, id est in spe resurrectionis, tam a morte animæ quam a morte corporis. Fit etiam petrino cultro, id est operante Christo, juxta illud: *Beatus qui tenebit et allidet parvulos suos ad petram* (*Psal.* CXXXVI), id est Christum, hoc est ejus amore et auxilio eos exstinguet. Tunc etiam nomen novum datur, quia ex tunc inter sanctos numero et merito nominatur, juxta illud: *Et scribam super illud nomen meum novum* (*Isa.* LXII). Circumcisio vero cœlestis fiet in octava, id est in generali resurrectione, tam in anima quam in corpore. Ab anima quippe circumciduntur vitia, defectus, perturbationes. Vitia, id est peccata, malæ scilicet cogitationes et mala opera; defectus, ut ignorantia, oblivio, hebetudo, et hujusmodi; perturbationes, ut timor, tristitia, et hujusmodi. A corpore circumciduntur vitia, necessitas, defectus, corruptio. Vitia, ut turpitudinis, nam

tunc nimietates resecabuntur, et minoritates supplebuntur; necessitas, ut comedendi, bibendi, vestiendi, dormiendi; defectus, ut morbi senectutis; corruptio, ut mortis. Hæc omnia tunc auferentur a Christo, qui est vera petra, sanctos suos glorificante. Tunc dabitur eis nomen novum, quod os Domini nominabit, ut scilicet tunc vocentur, non solum filii, amici, hæredesque Dei, imo etiam dii, juxta illud : *Ego dixi : Dii estis, et filii Excelsi omnes* (*Psal.* LXXXI). Itaque, fratres charissimi, prima istarum circumcisionum, significat secundam et tertiam, nec valet sine illis. Istæ vero duæ sine illa, multum valent. Primam sine secunda et tertia faciunt nunc Judæi, et ideo non tantum non prodest eis, imo etiam nocet, et juxta Apostolum, Circumcisio talis præputium facta est (*Rom.* II). Secundam vero faciunt nunc veri Christiani sine prima, et tertiam exspectant. Nos ergo, fratres charissimi, tunc vere Christi Circumcisionem celebramus, cum vitia, et peccata, et superfluitates necessariorum in nobis resecamus. Circumcidamus itaque corda et sensus nostros. Corda, ne noxia vel vana meditentur; sensus, ne noxiis vel vanis occupentur. Circumcidamus oculos ne videant vanitatem; aures, ne audiant deteriora vel noxia verba; odoratum, ne luxuriosos odores affectet, gustum, ne deliciis, vel lenociniis capiatur; linguam, ne noxia vel vana verba loquatur. Sic sic, fratres, fratres charissimi, facientes, per istam circumcisionem spiritualem veniemus ad illam veram et æternam circumcisionem, ubi erit omne bonum sine malo, verum sine falso, satietas sine fastidio, regnum sine termino, gaudium sine mœrore, festum sine interpositione, dies sine nocte, vita sine morte. Ad quam circumcisionem perducat nos qui hodie propter nos circumcidi voluit Deus et Dominus noster Jesus Christus. Amen.

HOMILIA XVI.

IN EPIPHANIA DOMINI.

Surge, illuminare, Jerusalem, quia venit lumen tuum (*Isa.* LX, etc.). Hæc loquitur, fratres charissimi, propheta, imo Dominus per prophetam, ad primitivam ex Judæis Ecclesiam, vel ad unamquamque animam. De utraque enim potest hæc locutio interpretari. Primo igitur hortatur Jerusalem, ut surgat et illuminetur. Secundo subdit causam, quare surgere et illuminari debeat. Tertio ostendit quæ mala sequantur eum qui surgere contemnit. Quarto ponit bona quæ sequuntur surgentem. Exhortans igitur propheta Jerusalem, sive quamlibet animam, ait : *Surge, illuminare, Jerusalem*. Sed quomodo, fratres, dicit Dominus animæ ut surgat et illuminetur? In manu enim Dei est, non in nostra, ut vel surgamus, vel illuminemur. Homo enim talis est creatus, ut stare et cadere per se potest, surgere autem per se non potest. Et per se quidem cecidit, surgere vero per se non potuit, similis elephanti qui inflexibilis est, et rigidæ naturæ, et prostratus, surgere non potest per se. Huic venator insidians, notat arborem cui se apodiat, cum requiescit, et illam laten- A ter pene totam subsecat. Veniens igitur elephans ad solitam arborem incumbit, et cum arbore ruente ruit, et non valens surgere, barrit. Ad cujus vocem veniunt cæteri elephantes qui, cum eum surgere non possint, omnes simul barriunt, usquequo veniat aliquis parvus elephans, qui cum sua promuscida prostratum sublevat elephantem. Mystice, fratres charissimi, elephans iste est homo, qui rigidæ naturæ est, talis creatus, ut magis sit aptus stare quam surgere. Hunc malignus venator, per fraudem arboris vetitæ præcipitavit, qui per se nequiens surgere, longo tempore terræ adhærens, flevit, et auxilium invocavit. Cui per compassionem appropiaverunt patriarchæ et prophetæ, sed eum sublevare non potuerunt, sed simul fleverunt, et auxilium B invocaverunt, quousque parvulus de progenie eorum natus, adveniens Christus, sua prædicatione et gratia eum relevavit. Sicut igitur homo per se cecidit, sed per se surgere non potuit, ita per se excæcatus est, sed per se illuminari non potuit. Hic est enim ille in Evangelio cæcus a nativitate, cujus oculis Dominus lutum ex terra et saliva factum, superimposuit et lavatum illuminavit (*Joan.* IX). Ostendens quod ipse qui hominem de limo videntem creaverat, ipse de eadem materia ei oculos recreaverat. Saliva enim, quæ falsa et condita est, et a capite defluit, Sapientiam veram, quæ a Patre descendit, significat ex se et ex terra, id est ex divinitate et humanitate, cataplasma et collyrium fecit, quo homo cæ- C catus, per baptismum visum mentis recuperavit. Sic ergo anima, nec per se surgere, nec illuminari potest. Dicat ergo Deo : Domine quid est hoc, quod me surgere et illuminari jubes? Ex me, nec hoc, nec illud possum. Tu solus es qui hoc et cætera potes. Ergo si vis ut surgam, da mihi manum. Si vis ut illuminer, da mihi lumen.

Sequitur igitur pars secunda, in qua ostendens Dominus quare surgere debeat, ait : *Quia venit lumen tuum*. Ac si dicat : Ecce porrigitur a me tibi manus, ut surgas : Venit lumen, ut videas, quod si recipis, facis lumen tuum; si non recipis, erit quidem semper lumen, sed non tuum, imo a te alienum. Venit tibi, quia tu per te ad eam venire non poteras. Quod vero sit hoc lumen ostendit, subdens : *Et* D *gloria Domini super te orta est*, id est Dominus gloriosus ortus est non tantum carnaliter ex beata Virgine, imo etiam spiritualiter per fidem in mente. Et hoc, *super te*, quia *a summo cœlo egressio ejus* (*Psal.* XVIII). Et in superiore tui parte, id est in ratione, ortus est per fidem, secundum illud : *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine* (*Psal.* IV). Nisi ergo surgas et illumineris, nullam habebis excusationem, cum jam lumen tuum venerit, et jam gloria Domini super te orta sit. Hoc, fratres, contra nos est, qui in tempore gratiæ sumus, quibus Christus, lumen et gloria Domini, per fidem ortus est, et gratia Dei parata est, sed nosmetipsos subtrahimus. Et gratia Dei, quæ nobis oblata est, a nobis contemnitur, dum a peccatorum nostrorum tenebris sur-

gere non curamus. Unde hoc quod Dominus ait Judæis, nobis nunc dici potest : *Si non venissem et non locutus eis fuissem, peccatum non haberent. Nunc ergo excusationem non habent de peccato suo* (*Joan.* xv). Hinc nos monet apostolus Paulus, *Contemplantes*, inquit, *ne quis desit gratiæ Dei* (*Hebr.* xii). Non autem ait ne quibus desit, sed ne quis desit gratiæ Dei, ostendens quod cum gratia Dei, admodum solis, omnibus præsto sit, nobis tamen negligentia nostra se subtrahit, dum sensus nostros, dum tempus vitæ nostræ, dum res temporales ad bene merendum nobis collatas a Deo, vel inutiliter consumimus, vel etiam abutimur.

Sequitur pars tertia, in qua ostenditur quæ mala sequantur surgere contemnentem, cum subditur : *Quia ecce tenebræ operient terram, et caligo populos.* Quasi diceret : Surge cito et illuminare, quoniam nisi cito surrexeris, tenebris operieris. Qui opertus est tenebris, fratres mei, non videt, nec videtur. Porro, qui vel ex ignorantia, vel ex fragilitate in peccato jacet, et si ipse mundo oculo Deum non videat, tamen nunquam a Deo per misericordiam videtur. Cæterum qui ex contemptu et contumacia a peccato suo surgere contemnit, exigente pravitate sua, in tantum excæcatur, ut nec ipse Deum videat, nec a Deo per misericordiam videatur. Sunt autem hæ tenebræ, quæ terram, id est amatores terrenorum, operiunt, mentis cæcitas ex diutina consuetudine peccati nata ob quam merito, mittetur reus in tenebras exteriores. Sed et si in amatoribus terrenorum, aliqua rationis scintillula adhuc remanserit, caligo ignorantiæ et infidelitatis, paulatim illam excæcabit, ut jam non solum Deum contemnant, sed etiam eum esse non credant. Notate, fratres, notate quæ dico. Primo enim homo ex ignorantia vel ex fragilitate peccat, qui, si surgere et corrigi contempserit, peccata peccatis accumulando, tandem in mentis cæcitatem cadit. Deinde caligo infidelitatis eum operit, ut Deum esse jam dubitet, et resurrectionem sive extremum judicium futurum non credat. Hæc, fratres mei, assidue pensate, et de peccatis vestris surgere festinate, ne contemnentes, vel tenebræ peccatorum, vel caligo infidelitatis operiat.

Sequitur pars quarta, in qua ostenditur quæ bona sequantur surgentem, cum subditur : *super te autem orietur Dominus*, etc. Distinguuntur autem hic quatuor bona. Primum est quod *super te orietur Dominus*. Tunc dicitur Deus oriri in nobis, cum amor ejus oritur in nobis. Et econtra Deus tunc moritur in nobis, cum amor ejus moritur in nobis. Ergo, fratres, magis ac magis Deum diligamus, ut ipse magis ac magis oriatur in nobis. Semper eum diligamus, ut semper eum vivum in nobis habeamus. Secundum est *quod gloria ejus in te videbitur*. Porro gloria Dei in nobis videtur, cum in his quæ Deus operatur in nobis, gloriosus demonstratur. In nullo A autem Deus plus apparet potens et gloriosus, atque admirabilis, quam in hoc quod facit de injusto justum, de carnali spiritualem, de dæmoniaco divinum, hoc est enim spoliare infernum. Et hæc gloria Dei, fratres charissimi, in nobis videtur, quando, per exteriorum operum nostrorum sanctitatem, nos intus a Deo esse illuminatos demonstrat. Tertium est quod *ambulabunt gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui.* Sancta enim vita justi, est quasi lux in tenebris hujus mundi. Quando ergo exempla sanctorum sequimur, quid aliud quam in lumine eorum ambulamus? Et quando bonam conversionem et conversationem aliorum nos bene regendo imitamur, quid aliud quam reges in splendore ortus eorum gradientes efficimur? Ad quem quisque fidelis sequatur viam vitæ. Unde Dominus : *Vos estis*, inquit, *lux mundi* (*Matth.* v). Sicut enim stella prævia duxit tres reges hodie recta via usque ad Christum, ita sanctorum vita, quæ est in hoc mundo, quasi stella nos regit, et aliorum reges facit, ut sequentes eam ad Christum perveniamus. Et quid boni ex imitatione tui exempli proveniet? Quod multi ad sequendum te et imitandum congregabuntur. Unde sequitur : *Leva in circuitu oculos tuos et vide. Omnes isti congregati*, in una fide et charitate, *venerunt tibi, filii tui*, per imitationem, *de longe*, id est de remotissima vita ad te *venient. Et filiæ tuæ*, id est imperfectiores, *lac sugent* (17), id est doctrinam suam. Quartum est quod tunc omnis Ecclesia videbit impletum quod tibi prædixi, *et affluES* subditis filiis, *et cor tuum mirabitur* multitudinem, *et dilatabitur*, præ gaudio, *quando conversa fuerit ad te multitudo maris*, per fidem, id est mundi, *fortitudo gentium*, id est reges et principes venerunt tibi. *Inundatio*, id est abundantia, *camelorum*, id est divitum hujus mundi, qui sunt gibbosi peccatis et divitiis onerati, *operiet te*, muneribus, *dromedarii, Madian et Epha.* Dromedarius *velox* interpretatur, Madian *iniquitas*, epha *resolutus*. Per dromedarios ergo Madian et epha, significatur conversio velocium ingenio, qui ab iniquitate resoluti ad Ecclesiam revertuntur. Et non solum ipsi, sed etiam *omnes*, id est omnium hominum genera, *de Saba*, id est de captivitate, *venient* ad fidem ; *aurum et thus deferentes*, id est munditiam et orationem, *et laudem Domini*, id est opera Filii in quibus laudatur Pater, *annuntiantes*, et aliis prædicantes. Hæc, fratres mei, non solum spiritualiter, sed etiam historialiter hodie impleta sunt. Nam tres reges, in splendore ortus Domini venientes, aurum et thus Domino obtulerunt, per aurum eum regem, et per thus verum Deum protestantes, et per adjunctam myrrham mortalem signantes. Quos nos quoque, fratres, imitantes, eum verum regem, verum Deum, verum hominem confiteamur ; et ei moraliter munditiam mentis, devotionem orationis, mortificationem carnis nostræ offeramus, quatenus ab eo recipi, et æterna benedi-

(17) Vulg. *de latere surgent.*

tione benedici mereamur, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus. Amen.

HOMILIA XVII.

IN DIE EPIPHANIÆ.

Cum natus esset Jesus in Bethlehem Judæ in diebus Herodis regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Hierosolymam, dicentes (*Matth.* II, etc.). Lectio sancti Evangelii, quam modo audistis, fratres charissimi, exponit nobis historiam hodiernæ solemnitatis. Porro hujus lectionis partes sunt quinque. In prima ostendit nobis adventum Magorum in Jerusalem, cum dicitur : *Cum natus esset Jesus*, etc. Ostenditur autem hic qui, et quando, et unde, et quo venerunt. Qui? Magi. Non autem dicti sunt hi Magi quasi maletici, sed quasi sapientes. Nam quos nos philosophos, Chaldæi appellant magos. Quando venerunt? *Cum natus esset Jesus in diebus Herodis regis.* In quo et illud, fratres, nobis insinuatur, quod quando Herodes, id est diabolus, in hoc mundo regnabat, Christus natus est. Possidebat quippe fortis armatus atrium suum in pace, sed fortior eo superveniens Christus, cœpit paulatim vasa ejus diripere (*Luc.* XI), ita ut ipsa nocte, qua natus est, ad se traxerit pastores, tertia decima vero die, id est hodie, ad se adduxerit tres reges illos, primitias Judæorum, istos primitias gentium, illos de prope quasi proximos Deo per culturam, istos de longinquo quasi remotos a Deo per idololatriam. Illos tanquam rationales vocavit per rationalem creaturam, istos tanquam irrationales vocavit per irrationalem creaturam, id est per stellam. Unde venerunt, *ab Oriente.* Sed quomodo, fratres, Christum modo natum in tam remotis regionibus scire potuerunt? Illi qui prope erant, ignorabant. Et illi qui tam remoti erant, quomodo sciebant? Quis eis indicavit? Stella. Et stellam hoc significare quis eis significavit? Non caro et sanguis, sed Pater cœlestis. Non humana ratio, sed Spiritus cœlestis inspiratio. Sed quomodo de longinquo tam cito venerunt? Potuit esse, fratres, ante ortum Christi stellam per aliquot dies apparuisse eis, et eos tunc iter cœpisse. Vel si in primo ortu Christi apparuit, eos Domino ducente, in cursoribus dromedariis longum iter cito pervolasse. Quo venerunt? *Jerosolymam.* Ut regali civitate regalem quærerent hæredem, Domino sic ordinante, ut iidem audirent legem stellæ consonante in Christi testimonium, ut ita in ore duorum vel trium testium staret omne verbum (*Deut.* XIX).

Sequitur pars secunda continens inquisitionem Magorum dicentium : *Ubi est qui natus est rex Judæorum?* Quid est hoc, fratres? Gentiles erant. Et quare regibus gentium spretis, regem quærebant Judæorum? Vel si regem Judæorum quærebant, quare, Herodem filiosque ejus contemnebant? Non hoc, fratres, non hoc intuitu humanæ rationis, sed dispositione Divinitatis gestum est. Spernitur Archelaus filius regis, et quæritur filius pauperculæ mulieris. Spernitur Archelaus in palatio, et quæritur Christus in diversorio. Spernitur Archelaus in regio lecto, et quæritur Christus in præsepio. Spernitur Archelaus involutus sericis, et quæritur Christus involutus vilibus pannis. Personas accipere nesciunt qui illum qui personas non accepit quærunt. Nos quoque, fratres charissimi, si Christum, qui non accipit personas, quærimus, personas non accipiamus. Non honoremus potentem ob suam potentiam, nec contemnamus pauperem ob suam paupertatem. Scriptum quippe est : *Non confundas vultum pauperis, nec honores vultum potentis* (*Levit.* XIX). Et alibi : *Usquequo judicatis iniquitatem, et facies peccatorum sumitis* (*Psal.* LXXXI), ac si dicat : In hoc iniquitatem judicatis, quod facies peccatorum accipiendo honoratis. *Nos ergo in susceptione hominum*, non pensemus conditionem, sed naturam, non potentiam, sed virtutem, non quantum habent, sed quantum valent. Quomodo autem sciunt regem Judæorum esse natum, ostendunt Magi, cum subdunt : *Vidimus enim stellam ejus in Oriente, et venimus adorare eum.* Nos positi in Oriente, vidimus stellam ejus, quæ nos antecedens ad eum adduxit. Stellam, inquiunt, ejus, hoc est opus ejus ministram ejus, significativam ejus. Cavete, fratres, cavete ab eis qui mentiuntur, quod quando quisque nascitur, stella sua secum nascitur, quæ factum ejus constituit, sumentes in erroris sui argumentum, quod hic dicitur, *stellam ejus.* Sed cum hic legamus quod non puer ad stellam, sed stella ad puerum cucurrit, (si dici debeat), non stella fatum pueri, sed fatum stellæ puer fuit. Sed absit a fidelium cordibus, quod esse aliquid fatum dicant! Vitam enim hominum solus qui creat, administrat. Cavete, fratres, nihilominus ab eis qui unam horam dicunt fortunatam, aliam infortunatam, unam diem bonam, aliam malam putantes a die vel ab hora, in qua aliquid fit, causam contrahere adventus sui. Quod falsum esse inde probatur, quoniam eadem hora Jacob et Esau concepti et nati sunt (*Gen.* XXV), et tamen unus probus, alter reprobus fuit (*Rom.* IX). Multi quoque eadem hora concipiuntur, et tamen eorum alii divites, alii pauperes, alii subtiles, alii hebetes, alii boni, alii mali sunt. Multi et eadem hora vel iter, vel pugnam, vel causam incipiunt, et tamen his succedit bene, illis male. Contra autem eos loquitur Apostolus : *Dies*, inquit, *observatis et menses, et tempora, et annos. Timeo ne forte sine causa laboraverim in vobis* (*Gal.* IV). Cavete etiam ab illis, fratres, qui divinationibus, obviationibus et auguriis intendunt, cum lex ista prohibeat, dicens : *Non auspicemini, neque auguriis intendatis* (*Lev.* XIX ; *Deut.* XVIII). Cavete quoque ab illis qui dicunt quosdam, oculis urentibus, alios fascinare ; fascinum enim nihil est. Sed quodam homine alium vidente, diabolus viso nocere solet, ut sic noceat, et illi, quem reddit infamem, et isti, quem facit detractorem. Quos omnes increpat Psalmista dicens : *Filii hominum, usquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem et quæritis mendacium?* (*Psal.* IV.) Et alibi : *Beatus est*, inquit, *cujus est nomen Domini spes ejus, et non respexit in vanitates et insanias falsas* (*Psal.* XXXIX).

Sequitur pars tertia, quæ perturbationem et fraudulentam Herodis inquisitionem ostendit, cum subditur : *Audiens autem Herodes rex turbatus est, et omnis Jerosolyma cum illo.* Turbatus est Herodes timens successorem. Turbati sunt sui propter ejus favorem. Turbati sunt alii propter ejus rumoris novitatem. Inquisiti autem ab Herode magistri legis testimonium de loco nativitatis Christi proferunt, ut eis fieret in testimonium damnationis, et nobis in adjutorium fidei. Et qui per hos, fratres mei, nisi pravi doctores designantur, qui dicunt, et non faciunt, et aliis prosunt, et sibi obsunt; qui sunt tanquam æs sonans et cymbalum tinniens (*I Cor.* XIII), quod alios citat et seipsum conquassat. Qui sunt tanquam candela, quæ alios illuminat, et seipsum annihilat. *Herodes vero, qui locum et tempus Christi nati diligenter inquirens*, malitiam cordis colore depingit humilitatis. Quid, fratres mei, quid nisi hypocritas designat, qui verba veritatis inquirunt et laudant, et tamen Christum in suis pauperibus corde, et quando possunt, opere persequi non cessant.

Sequitur pars quarta, quæ per ductionem Magorum per stellam ad Christum demonstratur, cum subditur : *Qui cum audissent regem, abierunt. Et ecce stella*, etc. Stella, fratres, ista quæ Magos præcessit et ad Christum perduxit, quid aliud significat quam gratiam Dei, quæ nos, ut ad Christum perveniamus, præcedit et ducit? Sicut enim isti nec viam inciperent, nec perficerent, nisi a Deo ducti per stellam, ita nos nec bene velle, nec bonam voluntatem perficere valemus, nisi præveniente Dei gratia et subsequente. Unde Apostolus : *Non est volentis*, inquit, velle, *neque currentis* currere, sed miserentis Dei (*Rom.* IX). Porro sicut stella Magos ad Herodem declinantes deseruit, et recedentes reilluminat, ita, fratres, quando ad malum declinamus, gratia Dei non deserit nos, imo nos deserimus eam. Quando vero a malo recedimus per pœnitentiam, gratia Dei nos reilluminat. Stella antecedebat Magos, donec *veniens staret supra ubi erat puer;* et gratia Dei antecedit nos, usquequo veniamus ad Christum, qui est finis ad justitiam omni credenti (*Rom.* X), ultra quam non est procedendum, quia non est aliud nomen in cœlo, neque in terra, in quo oporteat nos salvari (*Act.* IV). *Videntes autem eam Magi, gavisi sunt gaudio magno.* Nos quoque, fratres, cum viderimus gratiam Dei perduxisse nos usque ad videndum Deum deorum in Sion, gaudebimus gaudio magno et ineffabili, et gaudium illud nemo tollet a nobis (*Joan.* XVI). *Et intrantes domum* æternæ beatitudinis, inveniemus *puerum cum Maria matre ejus*, id est hominem cum divinitate contemplantes, adorantes, et benedicentes in sæcula.

Sequitur pars quinta, in qua adoratio et oblatio Magorum ostenditur, cum subditur : *Et procidentes adoraverunt eum, et apertis thesauris suis obtulerunt ei munera*, etc. Quatuor faciunt, procidunt, adorant A thesauros aperiunt, offerunt. In quo, quid, et quo ordine facere debeamus, ostendunt. Itaque, fratres, ante majestatem Dei procidamus, id est nostram superbiam humiliantes, nos peccatores infirmos et indignos confiteamur. Adoremus, id est Deum auctorem et Dominum nostrum recognoscamus. Thesauros cordis nostri per confessionem aperiamus, mala nostra nobis ascribentes, et si quid boni vel pretii habeamus in nobis, Deo attribuentes et offerentes. Porro trino dono trinum confitentes, aurum offerunt regi, thus Deo, myrrham, qua corpora defuncta condiuntur, mortali. Nos quoque fratres mei, eamdem offerendam ei offeramus, et eum verum regem, verum Deum, verum hominem corde credamus, et ore confiteamur, atque operibus comprobemus. B Moraliter etiam, fratres, aurum ei offerimus, si ei cor nostrum mundum et purum sanctificamus. Thus ei offerimus, si puræ orationis odore, eum delectamus. Unde Psalmista : *Dirigatur*, inquit, *oratio mea sicut incensum in conspectu tuo* (*Psal.* CXL). Myrrham ei offerimus, quando hoc mortale corpus a luxuriæ putredine per condimentum continentiæ custodimus. Quid enim aliud est per luxuriæ fetorem corpus defluere, quam ipsum putrescere? Hinc de quibusdam per prophetam dicitur : *Putruerunt ut jumenta in stercore* (*Joel* I). Ne ergo per luxuriam putrescat corpus, illud myrrha abstinentiæ condiamus.

Sequitur pars sexta, in qua ostenditur Magos, in somnis monitos, per aliam viam rediisse in regionem suam. Nos quoque, fratres, horum exemplo, cognito Jesu, ad cœlestem patriam, non per viam qua descendimus, sed per aliam revertamur; a regione enim nostra superbiendo, visibilia sequendo, cibum vetitum gustando, peccata nostra excusando discessimus. Et ad eam necesse est ut nos humiliando, obediendo, visibilia contemnendo, appetitum carnis refrenando, peccata nostra accusando redeamus. A paradisi gaudiis per delectamenta discessimus; ad hæc per lamenta oportet ut revocemur. Scriptum quippe est : *Beati qui lugent quoniam ipsi consolabuntur* (*Matth.* V). *Væ vobis qui ridetis, quia lugebitis!* (*Luc.* VI.) Hinc Salomon ait : *Risus dolore miscebitur, et extrema gaudii luctus occupat* (*Prov.* XIV). Abluamus igitur gemitibus et lacrymis culparum nostrarum maculas, quoniam, ut ait Psalmista: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus* (*Psal.* L), ut ita per aliam viam in nostram revertamur regionem, ipso ducente, qui Magos de longinquo hodie ad se adduxit, Domino nostro Jesu Christo. Amen.

HOMILIA XVIII.

DOMINICA PRIMA POST EPIPHANIAM DOMINI.

Obsecro vos, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem (*Rom.* XII), etc. In hac lectione, fratres charissimi, instruit nos Apostolus quomodo vivere debeamus, docens quid debeamus nobis, quid Deo, et quid proximis. Debemus enim nobis castigationem, Deo obedientiam, proximis compassionem. Et in his tribus perfectio Chri-

stianitatis consistit. Hortans igitur nos Apostolus primo ad nostri castigationem, obsecrat nos per misericordiam Dei, id est per Deum misericordem, nos adjurat, ut si ejus volumus consequi misericordiam, exhibeamus corpora nostra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem. Hostia, fratres mei, in lege veteri sacerdoti offerebatur, post mactabatur, pelle spoliabatur, abluebatur aqua, per membra secabatur, igne cremabatur in odorem suavitatis. Quod ergo in lege fiebat carnaliter, Apostolus nos præcepit facere spiritualiter. Præcepit enim nos non corpus nostrum, sed vitia corporis nostri immolare, ut scilicet corpus nostrum moriatur peccato, et vivat Deo, juxta quod idem Apostolus, alibi dicit : *Mortificate membra vestra quæ sunt super terram, quæ sunt fornicatio, avaritia, immunditia* (*Coloss.* III, etc.) ut juxta eumdem Apostolum, destruatur corpus peccati (*Rom.* VI). Hostiæ igitur membra vincimus, quando membra nostra, ne amplius peccent, per propositum pœnitentiæ ligamus. Hostiam vinctam sacerdoti offerimus, quando cum proposito cessandi a peccato, per confessionem nos sacerdoti præsentamus. Hostia mactatur, quando cultello compunctionis peccatum mortificatur. Excoriatur, quando remoto excusationis velamine, peccatum per confessionem denudatur. Aqua abluitur, quando lacrymis sordes peccatorum lavantur. Per membra secatur, quando partes peccatorum per discretionem secernuntur. Igne hostia crematur in odorem suavitatis, quando igne sancti Spiritus omne peccatum consumitur, ut inde Deus et proximus delectetur, secundum illud : *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies* (*Psal.* L) : et illud, *Gaudium est angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente* (*Luc.* XV). Non autem sufficit, fratres, ita corpora nostra exhibere hostiam per peccatorum mortificationem, nisi exhibeamus eam viventem, ut scilicet ita moriamur peccato, quod vivamus Deo, secundum illud Apostoli : *Quemadmodum exhibuistis membra vestra servire iniquitati ad iniquitatem, ita exhibeatis servire justitiæ in sanctificationem* (*Rom.* VI); et illud Psalmistæ : *Declina a malo et fac bonum* (*Psal.* XXXVI). Quia vero quidam exhibent hostiam viventem, sed non perseverantem, addit *sanctam*, id est perseverantem et firmam. Unde et in lege caput cum cauda offerebatur. Quia rursus etiam quidam perseverant, sed tamen per admistionem inanis gloriæ vel teporis displicent, subjungit, *Deo placentem*, per rectam intentionem. Unde scriptum est : *Nesciat sinistra tua quid facial dextera tua* (*Matth.* VI). Quia rursus quidam indiscrete vel nimis attenuant, vel minus nutriunt corpus suum, ait : *Rationabile obsequium vestrum.* Quod est enim in se laudabile, de nimietate fit culpabile. Quia rursus quidem dum vident hic malos florere, et quod *filii eorum* sunt *novellæ plantationes in juventute sua, filiæ eorum compositæ, circumornatæ ut similitudo templi, promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud; oves eorum fetosæ, abundantes in egressibus suis, boves eorum crassæ; non est ruina maceriæ, neque transitus, neque clamor in plateis eorum ;* et quod *beatum dixerunt populum cui hæc sunt* (*Psal.* CXLIII); e contrario vident hic bonos affligi, pene moventur pedes eorum a via recta, juxta illud : *Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei, quia zelavi super iniquos pacem peccatorum videns* (*Psal.* LXXII); adjungit : *Et nolite conformari huic sæculo*, id est per æmulationem imitari : Unde David : *Noli æmulari in eo qui prosperatur in via sua* (*Psal.* XXXVI). Sed, a deformatione quæ fuit facta per peccati vetustatem, *reformamini in novitate sensus vestri*, ut sensus videlicet vestri æmulentur et imitentur, non veterem, sed novum hominem.

Sequitur pars secunda, in qua ostenditur quid Deo debeamus, cum subditur, *ut probetis quæ sit voluntas Dei*, ac si diceret : Exhibete corpora vestra hostiam viventem, et reformamini in novitate sensus vestri, *ut* ita *probetis*, id est faciendo cognoscatis, *quæ sit voluntas Dei bona et beneplacens et perfecta.* Cum una sit semper Dei voluntas in se, tamen multa sunt ejus signa in operibus : promissiones, prohibitiones, mandata, consilia. Permittit enim minora mala, prohibet majora, præcipit bona, consulit perfecta. Hæc signa divinæ voluntatis considerans Psalmista dicit : *Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus* (*Psal.* CX). Declinare a malo, est bona Dei voluntas; facere bonum, est voluntas Dei bene placens; contemnere omnia propter Deum, et dare pauperibus, est voluntas Dei perfecta, id est perfectio quam Deus nobis consulit. Nos ergo, fratres, in omnibus debemus voluntatem Dei quærere, et illud quod plus ei placere cognoscimus, plus appetere. Si enim mundani homines, ut regis mortalis mereantur habere gratiam, ejus voluntatem etiam malam facere festinant, nonne, fratres mei, multo magis debemus facere voluntatem Dei semper bonam, et nobis utilem, ut ejus gratiam mereamur indeficientem?

Sequitur pars tertia in qua ostendit Apostolus quid proximis debeamus, cum dicit; *Dico enim*, id est jubeo, *per gratiam quæ data est mihi*, id est per auctoritatem mihi datam gratis : *Non sapere plusquam oportet sapere.* Plusquam oportet sapere sapit, qui superbe sapit, ut qui in cibo, vel potu, vel hujusmodi communibus, infirmis scandalum ponit, ut qui utilitatem proximorum quærere contemnit, dicens non alienas animas, sed solam suam animam sibi commissam, ut qui præsumens de conscientia sua, male de se opinari permittit. Et in his multum a quibusdam peccatur. Propterea præcipit Apostolus *sapere ad sobrietatem*, ut unusquisque non suam solam utilitatem, sed etiam proximorum quærat. Et sicut Deus unicuique divisit gratiam suam, ita eam non sibi, sed proximis administret. Noluit enim Deus omnes gratias omnibus dare, sed singulas singulis, ut nullus superbiret, vel alium contemneret, et videns se egere gratiis aliorum, aliam quam haberet, aliis subministraret. Sicut enim officium habet

aliud pes, aliud manus, aliud oculus etc., et tamen pes non se solum portat sed et alia membra, et manus non sibi soli laborat, sed et aliis membris, et oculus non sibi soli videt, sed et aliis membris, ita Deus ordinavit in Ecclesia ut alius sit pes portando alios labore suo, ut agricolæ; alius sit manus defendendo alios, ut principes; alius sit oculus, aliis per sapientiam providendo et consulendo, ut sapientes. Ita, fratres charissimi, unusquisque gratiam quam a Deo accipit, studeat aliis communicare, ne forte talentum commissum abscondens, illo juste privetur et damnetur. Qui habet divitias, inde pauperibus subveniat. Qui habet potestatem, inde imbecilles defendat. Qui habet sapientiam, alios corrigat et instruat. Qui habet eloquentiam, viduarum et orphanorum patronum se faciat. Qui habet artem vivendi, inde aliis valeat, ut de gratia sibi commissa, unusquisque Deo acquirat lucrum et sibi præmium. Quod ipse præstare dignetur, qui vivit et regnat Deus in æternum. Amen.

HOMILIA XIX.

DOMINICA PRIMA POST EPIPHANIAM DOMINI.

Cum factus esset Jesus annorum duodecim, ascendentibus illis Jerosolymam secundum consuetudinem diei festi, consummatisque diebus cum redirent, remansit puer Jesus in Jerusalem (*Luc.* II), et reliqua. Hujus evangelicæ lectionis, fratres charissimi, partes sunt quinque. Primo enim ostenditur Jesus cum parentibus suis secundum consuetudinem diei festi Jerusalem ascendisse. Præceperat quippe Dominus in lege quod quisque ter in anno coram eo appareret et non vacuus. Conveniebant igitur etiam e remotis partibus, ad tres præcipue solemnitates, Pascha scilicet, Pentecosten et Scenopegiam, quod octo diebus protelabantur, prælotisque corporibus, dealbatisque vestimentis, celebrarent in gaudio solemnitates cum hostiis et muneribus. Ex hac igitur consuetudine, ascenderunt beata Virgo et Joseph cum puero Jerusalem, dantes nobis exemplum celebrandi solemnitates cum devotione. Nam si Dominus noster Jesus Christus, cum non indigeret, solemnitates celebravit, quid nos miseri peccatores, qui maxime indigemus, quid facere debemus? Cum igitur fratres mei, solemnitates Domini ejusque sanctorum adveniunt, celebremus eas cum summa devotione, loti plus mentibus quam corporibus, ornati plus virtutibus quam vestibus, ne simus vacui coram Domino. Vacuus certe coram Deo est, non qui non habet in manu pecuniam, sed qui non habet in animo devotionem. Non est enim manus vacua munere, si arca cordis est repleta bona voluntate. Sed et in hoc quod beata Virgo et Joseph puerum Jesum quotannis ad solemnitates ducant Jerusalem, præstant vobis, patres et matresfamilias, exemplum, ut filios vestros postquam intelligere cœperunt, ad ecclesiam ducatis, et eos Deum timere, supplicare, et orare doceatis. Illam enim vitam firmius tenemus, quam ab infantia sectari consuevimus.

Sequitur pars secunda, in qua ostenditur puer Jesus in Jerusalem remansisse et a matre et Joseph quæsitus fuisse, cum subditur: *Remansit puer Jesus in Jerusalem, et non cognoverunt parentes ejus.* Et quomodo, fratres mei, Filius Dei qui cum tanta diligentia a parentibus nutriebatur, potuit oblivisci? Quia mos erat Judæorum, ut ad festum euntes, sive redeuntes, seorsum viri, seorsum mulieres incederent. Sed et in ipso templo atrium mulierum, ab atrio virorum prorsus erat sequestratum. Pueri vero teniores cum utroque parente indifferenter ibant. Putabat igitur beata Virgo quod puer esset cum Joseph, et Joseph putabat quod cum matre esset, et ita, ut ei placuit, relictus est. Porro, fratres, consuetudo hæc Judæorum optima erat, et nobis imitanda, ut cum sumus in ecclesia, a mulieribus sequestrati maneamus. Nihil enim plus removet ab oratione animum nostrum quam inspectio mulierum. Si enim, fratres, etiam cum solitarii oramus, vana cogitatio nos infestat, quid fit cum vir aspicit uxorem suam, stultus stultam, leccator leccatricem? Nonne plus auget culpam quam impetret veniam? fiant itaque, fratres, in ecclesia tres distinctæ mansiones. In prima parte, id est in choro, oret episcopus sive sacerdos cum clericis, in secunda rex vel dominus villæ cum subditis suis; in tertia, domina cum mulieribus suis. Legimus enim in ecclesiastica historia quod cum Theodosius imperator vellet apud Mediolanum in chorum clericorum introire, prohibuit eum beatus Ambrosius: « Distinctio, inquit, debet esse inter clericos et laicos. Ego cum clericis meis in choro debeo psallere, tu vero cum laicis tuis extra orare. » Veniens autem imperator Constantinopolim mansit extra chorum. Cui cum episcopus diceret quare solito more non intraret in chorum, respondit: « Unum solum episcopum in mundum inveni, qui quæ differentia sit inter laicos et clericos me docuit. »

Sequitur pars tertia, in qua ostenditur Jesus post triduum in templo repertus, sedens in medio doctorum, audiens eos et interrogans. Porro quod Jesus quæritur, et post triduum reperitur, significat quod et ante legem, et sub lege quæsitus fuit, sed tantum in tempore gratiæ repertus est. Quod vero in templo in medio doctorum sedet, audit et interrogat, dat exemplum pueris et adolescentibus, ut ecclesiam frequentent, doctores audiant, et eos de doctrina animæ interrogent. Hoc etiam notandum est, fratres mei, quod Redemptor noster legitur, cum esset duodenis [annis] tantum, audisse et interrogasse, nec usque in tricesimo anno publice docuisse. Ezechieli quoque in tricesimo anno aperti sunt cœli, et vidit visiones Dei. Canones etiam prohibent ne aliquis, nisi tricenarius, ad sacerdotium accedere præsumat. Hinc itaque confundantur qui ante præscriptam ætatem, vel ad sacerdotium, vel ad officium prædicationis audent aspirare. Sapientia Dei Patris noluit ante triginta annos publice prædicare. Et tu stulte, superbe, antequam noveris esse discipulus, cupis magister esse? Quod vero mirabantur omnes super

prudentia et responsis ejus, signum erat divinæ sapientiæ, quæ quodammodo eos docebat, dum prudenter eos interrogabat.

Sequitur pars quarta, in qua Dominus ostendit quid Patri cœlesti, et quid matri carnali debeamus. Nam cum beata Virgo conquereretur : *Fili, quid fecisti nobis sic? Ego et pater tuus, dolentes, quærebamus te? Respondit : Et quid est quod me quærebatis? nesciebatis, quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* Non autem in hoc quod eum quasi filium quærunt vituperat, sed quis sibi verus pater sit, insinuat. In quo, fratres, nos docet, præceptum Dei Patris et matris Ecclesiæ præcepto carnalis patris et matris præponere. Sicut idem alibi dicit : *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus* (*Matth.* x). Quando tamen præceptum terreni patris vel matris, non obviat præcepto Dei, debemus ei humiliter obedire. Unde Dominus Jesus, eum quasi increpando matri suæ et Joseph prius respondisset, mox tamen in humilitate eis paret. Sequitur enim quod *descendit cum illis et venit Nazareth, et erat subditus illis.* Erubesce, superbe cinis, erubesce. Deus se subdit homini, et tu homo dedignaris subdi homini. O homo, Deus se subdidit tibi, causa salutis tuæ, non suæ; et tu dedignaris subdi Deo, vel homini, causa salutis tuæ non suæ. Hinc, fratres, hinc discamus subdi Deo, subdi parentibus, et etiam cuilibet personæ propter Deum. Quoties enim alii subdi contemnimus, exemplo et præcepto Christi contraimus, et diaboli superbiam imitamur. Discamus præcipue subdi parentibus, et eis nutrituræ nostræ vicissitudinem reddere. Qui enim honorat propter Deum patrem vel matrem, non erit inhonorus ante Deum.

Sequitur pars quinta, in qua diligentia et prudentia beatæ Virginis ostenditur, cum subditur : *Maria autem conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo.* Non minus enim castitate oris quam corporis laudabilis, omnia quæ de Domino, vel a Domino, facta dictave cognoscebat, sive intelligeret, subsibilatio in memoria recondebat, ut, quando tempus adesset, universa, prout gesta dictave fuerant, quærentibus et scribentibus explicaret. Cujus exemplum pro modulo nostro, fratres charissimi, sequamur, habentes labia circumcisa, modestamque taciturnitatem, omniumque bonorum in cordis nostri armariolo conservantiam.

Sequitur pars sexta in qua ostenditur profectus pueri Jesu cum subditur : *Puer autem proficiebat sapientia, et ætate et gratia apud Deum et homines.* Quod ætate secundum naturam humanitatis proficiebat, apparet. Sed quo modo, fratres mei, qui ab æterno sapientia plenus erat, imo ipsa sapientia erat, sapientia et gratia proficiebat? Proficiebat quidem non sibi, sed aliis sapientia et gratia, dum eas paulatim hominibus declarabat. Unde Deus Pater glorificabatur, et homines mirabantur. Utinam, fratres mei, proficiat et in nobis, ut ipsam sapientiam et gratiam suam nobis clementer donet, quatenus virtutibus et bonis operibus mereamur abundare, et ipsum de bonis donis suis in æternum benedicere, ipso largiente qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus. Amen.

HOMILIA XX.

DOMINICA SECUNDA POST EPIPHANIAM DOMINI.

Habentes donationes, secundum gratiam quæ data est nobis, differentes (*Rom.* XII), etc. Omniscius et prævidens Dominus Deus, noluit omnes gratias alicui dare ne superbiret, sicut angelus, qui præ largitate gratiarum, superbivit; nec voluit alicui nullam dare, ne sicut despectus desperaret, sicut Judas, qui videns se propter peccatum omni gratia nudatum, desperavit. Sed voluit dare unam uni, alteram alteri, ut quisque de habita mereri posset, de non habita humiliaretur, et habentem sibi præferret, et ut de propria gratia ministraret aliis, sicut volebat alium de suis gratiis ministrare sibi, ut more membrorum humanorum sibi invicem subservirent, et pro communi salute communiter laborarent. Hoc est ergo quod Apostolus ait : *Habentes donationes secundum gratiam quæ data est nobis, differentes*, id est habentes dona diversa secundum hoc quod Dominus unicuique nostrum gratis dedit. Et, subdividit gratias ; *Sive prophetiam* habentes, habeamus eam, *secundum rationem fidei.* Prophetiam vere vocat occultorum notitiam, et Scripturarum interpretationem, quam gratiam, si quis habet, habeat eam secundum intentionem fidei, ut a fidei veritate Scripturas non distorqueat, sicut Arianus, Sabellianus, et cæteri hæretici. Hoc contra illos est, qui Scripturas non exponunt, sed apponunt; qui non referunt, sed afferunt; qui voluntatem suam non explicant Scripturæ, sed Scripturam applicant voluntati suæ. Sed quid est, fratres, quod ait, *secundum rationem fidei*, cum fides in multis contra rationem, vel supra rationem habeatur. Et fides non habeat meritum, cui humana ratio præbet experimentum. Cum enim dicitur quod immortalis mortuus est, et quod virgo concepit et peperit, contra rationem esse videtur, sed et de ratione est, fratres charissimi, ut qui rationem et naturam condidit humanam, super eam sit, et ab ea capi non possit. *Sive ministerium in ministrando*, id est qui habet gratiam ministerii, ut sacerdotii, vel diaconatus, vel cæterorum, habeat eam in usu ministrandi, ut scilicet in ministerio non sit piger vel negligens, sed sollicite, devote et gnaviter ministret, quia ut ait Jeremias : *Maledictus qui facit opus Dei fraudulenter* (*Jer.* XLVIII). Hoc, fratres, contra illos est qui malunt præesse quam prodesse, qui sunt solliciti ad congregandum argentum, spernentes damnum animarum, quos plus tangit perditio asinæ quam animæ. *Sive qui docet in doctrina*, id est qui habet officium docendi, doceat in doctrina, id est ad doctrinam auditorum. Et hoc contra illos est, qui docent ad gloriam vel ad lucrum. *Qui exhortatur in exhortando*, id est qui habet gratiam exhortandi, sit sollicitus in exhortando, ne de abscondito talento damnetur.

Hoc, fratres, contra illos est qui gratiam habentes loquendi ad populum, ex negligentia silent. *Qui tribuit*, tribuat *in simplicitate*, id est simpliciter propter Deum, non propter gloriam, vel mercedem temporalem, ut nesciat sinistra quid faciat dextera (*Matth.* VI), id est rei propter Deum factæ, non se admisceat, nec in principio, nec in medio nec in fine, intentio temporalis. *Qui præest, præsit* (18) *in sollicitudine*, quia maledictus prælatus negligens ut Heli, cujus negligentia, causa fuit perditionis, et sui, et filiorum. Maledictus enim pastor dormitans, qui commissas oves sinit a lupis devorari, et vacuus redit. *Qui miseretur, misereatur* (19) *in hilaritate ; — Hilarem enim datorem diligit Deus* (*II Cor.* IX). Non enim pensat Deus quanta sit eleemosyna, sed ex quanta devotione fiat. Parva enim eleemosyna, si læte, si cito, si devote detur, vincit magnam eleemosynam, obscure, tarde et tepide datam. *Dilectio sine simulatione.* Simulata enim dilectio, non est dilectio sed deceptio. Qui enim fingit se aliquem diligere, ad hoc fingit ut eum melius possit decipere. Hoc contra illos est qui blandis salutationibus et invitationibus, falsis promissis et obsequiis se fingunt amicos illorum quos in hoc mundo florere vident. Contra quos Joannes ait : *Filii*, inquit, *non diligamus verbo, neque lingua, sed opere et veritate* (*I Joan.* III). *Odientes malum, adhærentes bono*, hoc est omne malum naturaliter odientes, et omne bonum naturaliter diligentes. Hæc virtus dicitur benignitas. Huic, fratres, contraria est malignitas, quæ de malo gaudet, et de bono dolet. *Charitate fraternitatis invicem diligentes.* Hoc contra illos est, qui cum fratribus vivunt tanquam cum extraneis, nullum signum dilectionis et familiaritatis eis exhibentes; hos vocat Apostolus sine affectione, sine fœdere. *Honore invicem prævenientes*, concedentes scilicet aliis priorem locum, priorem honorem, primum ordinem fandi, sedendi, bibendi, et hujusmodi, secundum illud : *Cum invitatus fueris ad nuptias, recumbe in novissimo loco* (*Luc.* XIV). Sicut enim superbi semper amant sibi deferri, ita humiles semper amant aliis deferre. *Sollicitudine non pigri*, in spiritualibus scilicet studiis ; in temporalibus enim negotiis sollicitudo prohibetur. Unde Dominus : *Nolite solliciti esse dicentes : Quid manducetis, aut quid bibetis* (20)? (*Matth.* VI.) *Spiritu ferventes*, quoniam Deus nauseat et vomit. Unde ait : *Tu neque frigidus neque calidus es. Utinam frigidus aut calidus esses. Sed, quia neque frigidus neque calidus es, incipiam te evomere de ore meo* (*Apoc.* III). *Domino servientes*, non mundo, non carni, non diabolo. *Spe gaudentes*, etiam inter adversa et tristitias hujus mundi. Inter adversa spe gaudere spiritualium est virorum, ubi mundani homines turbantur et desperant. *In tribulationibus patientes*, id est tribulationes æquanimiter patientes et inferentibus compatientes. Hoc contra illos est qui lacessiti, statim reddunt malum pro malo, maledictum pro maledicto. *Orationi instantes*, et si semper non orando, tamen semper bene operando, et bene vivendo. Bene enim instat orationi, qui semper, dum vivit, facit orationem suam dignam exaudiri. *Necessitatibus sanctorum communicantes*, id est rem vestram, vel si non habetis, compassionem. Hoc contra illos est, qui, quasi homines non essent, hominibus compati nesciunt. *Hospitalitatem sectantes*, id est non vos sectemini propter hospitalitatem dandam, imo vos sitis sectantes et offerentes eam, sicut Abraham et Lot leguntur fecisse. *Benedicite* ore *persequentibus vos. Benedicite* etiam corde, *et nolite maledicere.* Hoc contra illos est qui etsi ore benedicant persecutoribus, tamen corde maledicunt. Gaudere etiam studeamus cum gaudentibus, subaudis in Deo; nam cum gaudentibus in sæculo, non est gaudendum. *Flere cum flentibus*, eis videlicet compatiendo. Hoc facimus, cum bona et damna proximorum, nostra propter charitatem putamus. *Id ipsum*, id est unum idem *sapientes* (21) *invicem*, id est non dividentes vos per schismata et hæreses, sed per eamdem fidem et spem et charitatem, idem sapientes. *Non alta sapientes de vobis*, id est non superbe, ut scilicet vos super vos superba æstimatione non elevetis, *sed* sapientes humiliter de vobis, id est infra vestram imperfectionem vos cohibentes, et *humilibus consentientes.* Hoc ideo dicit, quia superbi superbis non possunt consentire, nec cum eis pacifice vivere. Humiles autem semper humilibus consentiunt, et cum eis pacifice vivunt. Has et cæteras virtutes largiatur nobis obtinere largitor gratiarum Deus, et Dominus noster, qui in Trinitate perfecta vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXI.

DOMINICA SECUNDA POST EPIPHANIAM.

Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, et erat mater Jesu ibi (*Joan.* II), et reliqua. Fratres charissimi, tempus nunc redit nuptiarum, et de nuptiarum honestate loquitur Evangelium. Non enim damnabiles sunt nuptiæ, ut quidam hæretici prædicaverunt, sed ut ait Apostolus : *Honorabile connubium in omnibus, et torus immaculatus* (*Hebr.* XIII). Quamvis enim honestatis sit conjugium, ostendit ejus institutor, tempus, locus, diffinitio, et bona ejus, meritum personarum, et ipsius Domini præsentia. Quis enim constituit conjugium ? Dominus Deus, qui nihil nisi bonum instituit. Et quando? ante peccatum. Bonum igitur est, et fuit, quod ante peccatum fuit. Ubi? in paradiso. Ubi Dominus de latere viri dormientis sumptam costam, operatus est in mulierem, quam viro conjunxit. Unde et dixit, *hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea. Propter hoc relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori ejus, et erunt duo in carne una* (*Gen.* II; *Matth.* XIX),

(18) Vulg. non habet *præsit.*
(19) Vulg. non habet *misereatur.*
(20) Vulg. habet *quid manducabimus aut quid bibemus ?*
(21) Vulg. *sentientes.*

Non formavit autem Dominus mulierem de capite viri, ne inde super virum superbiret, nec de pedibus, ne vir eam despiceret, sed de latere, ut tanquam sociam diligeret. Quid est conjugium? Legitima conjunctio maris et feminæ, individuam vitæ consuetudinem retinens. Si igitur conjugium legitimum est, utique bonum est. Quæ sunt bona conjugii? Tria, fides scilicet, sacramentum et proles. Conjuges enim debent esse fideles, non solum Deo et proximo, sed etiam sibi invicem, ut sicut ad invicem promittunt, unio sit animorum, et corporum et rerum. Sacramentum est, quoniam est sacræ rei signum. Sicut enim mulier de latere viri est formata et ei conjuncta ita Christus per sanguinem et aquam de latere suo fluentem, formatam Ecclesiam sibi sponsam conjunxit, quæ sibi filios spirituales per baptismum gignit. Proles est etiam fructus conjugii, propter quam conjuges debent conjungi. Meritum etiam personarum commendat conjugium; quoniam nisi bonum esset, Abraham, Isaac, et Jacob, et cæteri sancti, conjuges non duxissent. Unde legitur quod non minoris meriti fuit conjugium Abrahæ tempore suo, quam cælibatus Joannis tempore suo. Præsentia etiam Christi nuptias commendat, qui, ut præsens Evangelium testatur, sua præsentia nuptias honoravit, et miraculo decoravit. Ostenduntur igitur fratres charissimi, in hac lectione quinque : qua intentione sint nuptiæ celebrandæ; qui sint vocandi; quid debeat deficere quid; debeat adesse, et quid mutari. Qua intentione sint celebrandæ, ostenditur cum subditur : *Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ.* Cana enim est *zelus*, Galilæa interpretatur *transmigratio.* Hoc enim zelo uxorem ducere debemus, non ut cum ea maneamus in luxuria, sed ut cum ea evitemus luxuriam, et transmigremus ad castitatem. Fugiamus vitia, et transmigremus ad virtutes; spernamus terrena, et transmigremus ad cœlestia. Unde Apostolus : *Propter fornicationem*, subaudi evitandam, *habeat quisque uxorem suam* (*I. Cor.* VII). Habent enim nuptiæ castistatem suam. Peccant igitur, fratres mei, qui, non recta intentione, sed propter libidinem, propter pulchritudinem, propter pecuniam, uxorem ducunt. Qui sint vocandi, ostenditur, cum subditur : *Vocatus est autem Jesus, et discipuli ejus ad nuptias.* Non ergo vocandus est ad nuptias diabolus per carnem et magicam artem, non mimi et mimæ inimici honestatis et pudicitiæ, non turpes et infames personæ, sed Christus cum matre et discipulis suis. Christus vero tripliciter ad nuptias vocatur, per orationem, per munditiam, per pauperum susceptionem. Oratione quippe debemus Christum cum matre et sanctis suis vocare, non solum ad nuptias, sed etiam ad omnia opera nostra, ut ipse actiones nostras aspirando præveniat, et adjuvando prosequatur. Unde Sapiens ait : *In omnibus cogita Deum, et ipse diriget gressus tuos* (*Prov.* III). Male enim fit quidquid sine Deo fit. Orandus est igitur Dominus, ut ipse custodiat introitum et exitum nostrum, ex hoc nunc et usque in sæculum (*Psal.* CXX). Per munditiam vocandus est Deus, quoniam per immunditiam fugit, et in corde mundo requiescit. Si igitur in sanctitate et munditia nuptias celebratis, Deus procul dubio præsens erit, sicut ipse testatur : *Ubicunque*, inquit, *duo vel tres congregati sunt in nomine meo, ego sum in medio eorum* (*Matth.* XVIII).

Accessuri igitur sponsus et sponsa ad sacramentum nuptiarum, debent de præteritis pœnitere excessibus, et peccata sua confiteri. Non enim potest novam vitam inchoare, qui veterem non deponit hominem. Nec potest recipere benedictionem, qui in corde suo reservat iniquitatem. Percepta igitur benedictione nuptiali, non statim debent sese cognoscere, sed dare honorem sacramento, et prima nocte cum luminaribus in ecclesia vigilare et orationi vacare. Legimus enim quod Sara filia Raguelis septem sponsis nupsit, qui mox in prima nocte volentes intemperanter ad eam accedere, a diabolo suffocabantur (*Tob.* XXXVI). Quod timens Tobias cum nollet eam ducere, Raphael angelus ei dixit : *Noli timere, super petulantes et Deum non timentes potestatem habent dæmonia. Tu autem cum acceperis eam, tribus diebus continebis ab ea, et per noctes vacabitis orationibus. Prima nocte incenso jecore piscis, precibus vestris fugabitur dæmonium. Secunda nocte orabitis, ut in societate patriarcharum admittamini. Tertia, benedictionem consequamini, ut filii ex vobis procreentur incolumes. Quarta, accipies eam in timore Dei, amore filiorum magis quam libidine ductus, ut in filiis benedictionem consequaris* (22) (*Ibid.*). Per pauperum etiam susceptionem vocandus est ad nuptias Christus, quoniam in pauperibus suscipitur Christus, ut ipse testatur : *Qui recipit unum de pusillis his in nomine meo, me suscipit* (*Marc.* IX). Unde et in judicio dicturus est : *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis* (*Matth.* XXV). Cum itaque nuptias celebratis, facite quod Veritas dicit : *Cum facis convivium, noli vocare divites, sed voca pauperes, qui non habent unde retribuant, et Pater cœlestis reddet tibi* (*Luc.* XIV). Quid debet in nuptiis deficere? vinum, id est ebrietas, luxuria, rixa, tumultus, et omnis intemperantia. Unde Salomon : *Luxuriosa res est vinum, et tumultuosa ebrietas* (*Prov.* XX). Et Apostolus : *Nolite*, inquit, *inebriari vino, in quo est luxuria* (*Ephes.* V). Et alibi : *Vinum et mulieres apostatare faciunt sapientes* (*Eccle.* XIX). Quæ in nuptiis adesse debent? *Sex hydriæ*, id est sex misericordiæ, quas Dominus in Evangelio enumerat. Prima est dare cibum esurienti; secunda, dare potum sitienti; tertia, vestire nudum; quarta, suscipere hospitem; quinta, visitare infirmum; sexta, redimere vel consolari captivum. Et hæc sunt *lapideæ*, quia contra adversa fortes sunt, et *positæ secundum purificationem Judæorum.* Sicut enim Judæi propter quoslibet excessus se quotidie lava-

(22) Vulg. non habet præcise eadem verba.

bant, ita conjuges, quæ frequenter excedunt, vel in amore conjugum vel filiorum, vel in cura rei familiaris, se debent quotidie per opera misericordiæ lavare, juxta illud : *Date eleemosynam et omnia munda sunt vobis* (*Luc.* XI). Sex hydrias Dominus impleri jubet in nuptiis, quia sex opera misericordiæ jubet nubentes adimplere, et per ea quotidianos excessus lavare. Eo autem præcipiente, illæ usque ad summum implentur, quia eo jubente et auxiliante, opera sex misericordiarum, a piis conjugibus abundanter et usque in finem implentur. Quid debet in nuptiis mutari ? aqua in vinum. Aqua hydriarum, fratres mei, in vinum mutatur, quando operante Dei gratia, sic sunt conjuges purificati et virtutibus perfecti, ut aquæ misericordiarum jam non habeant timorem culpæ abluendæ, sed fervorem charitatis divinæ. De quo Propheta : *Et calix meus inebrians quam præclarus est* (*Psal.* XXII). Bene fratres mei, aqua mutatur in vinum, quando qui prius erant frigidi, fiunt calidi, qui erant carnales, fiunt spirituales, qui erant sæculares, fiunt religiosi. Beati sane qui tales in conjugio vivunt, qui propter amorem conjugum et filiorum, et propter curam familiaris rei, non retardantur ab amore Dei. Beati quidem conjuges Dei hujusmodi, sed beatiores virgines vel viduæ, quæ temporalibus nuptiis spretis, superno adhærent sponso. Beatiores revera qui liberiores et devotiores, quia quanto minus hic delectantur, tanto magis cœlestia quærunt. Ut enim ait Apostolus : *Tempus breve est, et præterit figura hujus mundi. Reliquum est ut qui sunt nubentes, sint tanquam non nubentes et qui utuntur mundo, tanquam non utentes sint. Et qui gaudent tanquam non gaudentes* (*I. Cor.* VII). Propterea omnes sive conjugati, sive vidui, sive virgines, non quæ super terram, sed quæ sursum sunt sapiamus et quæramus, ubi Christus est in dextera Dei sedens, cum quo vivit et regnat in æternum. Amen.

HOMILIA XXII.

DOMINICA TERTIA POST EPIPHANIAM.

Nolite prudentes esse apud vosmetipsos (*Rom.* XII), etc. Tripartita est hæc lectio, fratres mei. Nam primo nos monet Apostolus ne simus prudentes apud nos, sed apud Deum. Secundo hortatur nos ad observandum pacem. Tertio monet nos ne reddamus malum pro malo, sed potius bonum pro malo. Monens igitur nos primo ne simus prudentes apud nos, ait : *Nolite prudentes esse apud vosmetipsos.* Sicut autem ex Scripturis sacris colligimus, fratres charissimi, quidam sunt prudentes apud Deum, et boni sunt ; quidam sunt prudentes apud sæculum, et mali sunt ; quidam sunt prudentes apud semetipsos, et superbi sunt. Prudentes apud Deum sunt, qui omnia vana propter ipsum contemnunt. De quibus dicitur : *Simile est regnum cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas. Inventa autem una pretiosa margarita, dedit omnia sua, et comparavit eam* (*Matth.* XIII). Prudentes autem apud sæculum sunt, qui nescientes vel spernentes cœlestia, solum mundum diligunt, de quibus dicitur : *Carnalis homo non sapit ea quæ sunt Dei* (*Rom.* VIII). Et illud : *Sapientia hujus mundi, stultitia est apud Deum* (*I Cor.* III). Prudentes apud semetipsos sunt, qui cæteros quasi stultos spernentes, se solos putant sapientes. De quibus per prophetam dicitur : *Væ qui prudentes estis apud vosmetipsos, et coram vobismetipsis prudentes* (*Isai.* V). De quibus etiam hic dicitur : *Nolite prudentes esse apud vosmetipsos.* Et quia superbi impatientes sunt, aliorum injurias ferre non possunt addit : *Nulli malum pro malo reddentes.* Sed potius estote sapientes apud Deum, *providentes bona, non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus.* Coram Deo et hominibus bona providet, qui ita quærit amare Deum, quod non contemnit amare proximum ; qui ita quærit placere Deo, quod etiam quærit prodesse proximo ; qui ita providet se coram Deo bonam conscientiam habere, quod etiam providet, per bonorum operum opinionem proximo exemplum præbere. Unde Dominus : *Sic*, inquit, *luceant opera vestra bona, coram hominibus, ut glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est* (*Matth.* V). Et alibi : « Crudelis est qui famam negligit. » Qui vero proximis prodesse contemnit, qui bonum exemplum eis præbere spernit et si coram Deo habet bonam conscientiam, tamen non providet bonum coram hominibus. Unde Gregorius : « Qui humanam laudem calcare jam sufficit, pœnaliter peccat, si bonum quod agit, occultat. » Ergo multo magis, fratres mei, peccat, qui etsi interius recte vivit, tamen coram populo de se male opinari permittit, quam qui coram fratribus scandalum ponit cum propter vitandum scandalum, etiam quædam minora bona sint dimittenda. De hujusmodi Dominus dicit : *Qui scandalizaverit unum ex pusillis his qui in me credunt, expedit ei ut mola asinaria suspendatur in collo ejus, et submergatur in profundum maris* (*Matth.* XVIII) : Qui enim hujusmodi est, tot reus est animarum, quot pereunt propter malum exemplum suum.

Sequitur pars secunda, in qua nos monet Apostolus ad pacem dicens : *Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes.* Hic tria consideranda sunt vobis, fratres mei, quæ sit pax, et inter quos esse possit, et cum quibus, et quomodo habenda sit. Est igitur pax quietus rerum status, cunctis sibi ordinate concordantibus, vel saltem aliis ordinate cedentibus. Pax vera alia est perfecta, alia imperfecta. Perfecta pax erit in alia æterna patria, ubi erit omnimoda consonantia, ubi electi ita erunt Deo conjuncti, ut a voluntate ejus dissonare non possint. Hæc est pax Dei quæ exsuperat omnem sensum (*Philip.* IV). Quantum ad illam pacem dictum est quod « pax est quietus rerum status cunctis ad invicem ordinate concordantibus. » Pax vero imperfecta nunc est, quoniam tanta est in mundo varietas, quod vix etiam aliquis perfectus semper possit sibi concors esse, necdum plures omnino sibi sint concordes. Sed tunc dicimus hic pacem esse inter aliquos, quando, etsi non omnino concordant,

tamen alii aliis acquiescunt et cedunt, et hoc ordinate, ut scilicet minus bene volentes, melius volentibus cedant. Quantum igitur ad hanc pacem dictum est, vel saltem aliis ordinate cedentibus. Pax vera inter malos esse non potest, quia malus a seipso dissidet, et alter ab altero, cum vitia vitiis contraria sint. Hic est enim avarus, ille prodigus, hic crudelis, ille remissus, hic timidus, ille temerarius. Hinc dicitur : *Non est pax impiis, dicit Dominus* (*Isa.* LVII). Et in Evangelio : *Omne regnum in seipsum divisum desolabitur* (*Luc.* XI). Et cum mali ita invicem dissideant, tamen in persecutione bonorum conveniunt, ut Herodes et Pilatus in mortem Jesu, ut Pharisæi et Saducæi in persecutione Pauli. Est autem hæc pax mala, et justis inimica. Inter bonos pax vera est, et quanto meliores sunt, tanto inter eos major consonantia est. Virtutes enim a se dissidere non possunt. Hinc est quod in æterna patria, ubi erit omnimoda virtutum consonantia, pax erit tranquillima. Nunc vero, quia hic non sunt virtutes omnino temperatæ, hic nec est pax perfecta. Inter bonos autem et malos pax esse, non potest; quia hi justi, illi injusti, hi pii, illi crudeles; hi casti, illi incesti; hi patientes, illi impatientes. Nec potest esse vera concordia inter quos est tanta dissidentia. Hoc sentiens Apostolus ait : *Si fieri potest cum omnibus hominibus pacem habentes*, quasi diceret : Hic non potest fieri, quia, etsi vos haberetis pacem cum malis, illi non haberent vobiscum. Propter hoc subjungit : *Quod ex vobis est*. Tunc fratres charissimi, cum omnibus hominibus quantum ex nobis est, pacem habemus, quando nulli facimus, unde debeat esse nobis inimicus, quando omnium bona volumus et quærimus quando pro Christo eis lucrandis a perfectione nostra non relaxamus. Cum quibus debemus habere pacem cum Deo, cum anima nostra, cum proximis nostris, tam amicis quam inimicis. Habeamus igitur pacem cum Deo ei obediendo, et ejus voluntati, quantum possumus, concordando. Habeamus pacem nobiscum, animales motus et sensus spiritui subdendo, habeamus pacem cum amicis, illos Deo amicando, habeamus pacem cum inimicis, illos Deo reconciliando. Ad hoc enim debemus familiaritatem malorum, et amorem inimicorum captare, ut eos bono verbo, et exemplo et conversatione possimus Deo lucrifacere. Hinc præcepit Paulus fideli, ut habitet cum infideli, secum habitare consentienti. Et si non consentit, discedat. Melius est enim quemque solum salvare animam suam, quam cum alio perire. Inde Dominus : *Non veni*, inquit, *pacem mittere in terram, sed gladium. Veni enim separare filium a patre* (*Matth.* X), etc. Cum diabolo vero et cum vitiis, non pacem, sed bellum semper habeamus, diabolo resistendo, et vitia de nobis et aliis eradicando. Nec debemus vitiis et peccatis nostris indulgere, sed plus persequi in nobis quam in aliis et inimicam carnem nostram domare, ut spiritui, etsi non concordet, saltem cedat. Quantum sit autem appetenda vera pax ostendit Dominus; *Beati*, inquit, *pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur* (*Matth.* V). Et Propheta : *Et factus est in pace locus ejus* (*Psal.* LXXV), id est tranquillo animo et tranquilla congregatione; ipse enim facit solus unanimes habitare in domo (*Psal.* LXVII).

Sequitur pars tertia, in qua monet nos Apostolus non reddere malum pro malo, sed potius bonum pro malo, cum subdit : *Non vosmetipsos defendentes, charissimi*, id est vindicantes; repellere enim injuriam sine alterius læsione licet. Sunt autem, fratres mei, quatuor retributiones, reddere malum pro malo, quod mediocriter malorum est. Reddere malum pro bono, quod maligissimorum est. Reddere bonum pro bono, quod mediocriter bonorum est. Reddere bonum pro malo, quod summæ bonitatis est. Quando vero Deus judex infert pœnam pro peccato, non reddit malum pro malo, sed potius justum pro injusto. Monet igitur Apostolus nos, ut non reddamus malum pro malo. *Sed date*, inquit, *locum iræ*, id est vindictæ divinæ. Qui enim non dat locum vindictæ Dei, tripliciter peccat. Tum, quia præsumit quod suum non est, tum quia tempus judicii prævenit, tum quia de verbere, de quo melior esse deberet, deterior est. *Scriptum est enim : Mihi vindictam*, subaudis reservate, *et ego retribuam*. Et non tantummodo non reddas malum pro malo, imo etiam reddas bonum pro malo. Et hoc est quod ait : *Sed si esurierit inimicus tuus*, vel corporaliter vel spiritualiter, *ciba illum. Si sitit, potum da illi. Hoc enim faciens, congeres carbones ignis super caput ejus*, id est ardorem charitatis in mente ejus, ut convertatur et tibi reconcilietur. Vel si noluerit, congeres carbones æterni supplicii in caput ejus. Eo enim quod nec per beneficia mitigari noluerit, plus in inferno cruciabitur. *Noli vinci a malo*. A malo vincitur, qui malum pro malo reddere conatur; a malo vincitur, qui de illata injuria deterioratur; a malo vincitur, qui malignorum prosperitati æmulatur. *Sed vince*, inquit, *in bono malum*. Tunc vincis in bono malum, quando illatam injuriam per patientiam superas, quando inimicum per beneficia tibi reconcilias, quando malos bono exemplo ad meliora invitas. Quod nobis, fratres mei, et vobis adimplere concedat qui pro inimicis suis oravit, et animam suam posuit, Dominus noster Jesus Christus. Amen.

HOMILIA XXIII.

DOMINICA TERTIA POST EPIPHANIAM.

Descendente Jesu de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ (*Matth.* VIII), et reliqua. Duobus capitulis distinguitur hæc lectio, fratres charissimi. In primo, quatuor ostenduntur : primo ostenditur Jesum de monte descendentem, turbas multas secutas fuisse; secundo, accessus leprosi ad Jesum; tertio, curatio ejus; quarto præcipitur ei ne cui dicat, sed sacerdotibus se ostendat. Ait igitur : *Descendente Jesu de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ*. Quid est, fratres mei, quod Jesum descendentem de monte secutæ sunt eum turbæ multæ, nisi quia Jesum

descendentem de cœlo, multi populi, multæque sunt nationes secutæ? Si enim in cœlo semper maneret, nullus eum sequeretur, nullus eum cognosceret, nullus amaret. Quomodo namque tardus sequeretur incomprehensibilem? quomodo hebes cognosceret invisibilem? quomodo frigidus amaret incognoscibilem? Quia ergo homo ad Deum ascendere non poterat, pius et misericors Deus ad hominem descendit, descendit autem in forma hominis se exinaniendo, descendit nostræ miseriæ compatiendo, descendit infirmitates nostras in se suscipiendo. Unde propheta: *Vere languores nostros ipse tulit*. (*Isa.* LIII). Et Apostolus : *Non habemus pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris, per omnia autem tentatum pro similitudine absque peccato* (*Hebr.* IV). Qui enim, fratres charissimi, consuevit pati, melius scit compati. Unde Dido in poeta :

Non ignara mali miseris succurrere disco.

(VIRGIL. *Æneid.* lib. I, vers 630).

Quia igitur pius et misericors Dominus descendit et condescendit infirmitatibus omnium, *secutæ sunt eum turbæ multæ*. Quæ? Rudes, egeni, peccatores et infirmi. Quare? quia rudes erudiebat, egenos pascebat, peccatores absolvebat, infirmos curabat. Non enim objurgabat, non irridebat rudes, nec eis altiora secreta, ut quidam superbi magistri solent, intonabat, sed eorum compatiens simplicitati, simplicibus verbis erudiebat eos, et discipulos perfectiores in perfectiori doctrina in montibus edocebat. Quem nos sequentes, charissimi, discamus secundum capacitatem singulorum, doctrinam Dominicam dispensare. Unde Apostolus : *Sapientiam*, inquit, *loquimur inter perfectos* (*I Cor.* II). *Vobis autem lac potum dedi, non escam* (*I Cor.* III). Prima enim, juxta philosophum, pars sapientiæ, est æstimare personam cui loquaris. Rursus non abhorrebat, non subsannabat egenos, sicut quidam divites superbi solent; sed potius condescendens eis, evangelizabat et fovebat eos. De quibus ipse ait : *Nolite prohibere parvulos venire ad me. Talium est enim regnum cœlorum* (*Matth.* XIX). Nos quoque, fratres, ejus exemplo discamus condescendere et compati paupertibus, secundum illud Sapientis : *Fili, non avertas oculos tuos a paupere*. (*Eccli.* IV). Et alibi : *Congregationi pauperum affabilem te facito* (*Ibid.*). Rursus non abhorrebat, non exsufflabat peccatores, sicut quidam superbi justi solent ; De quibus Salomon dicit : *Est justus qui perit in justitia sua* (*Eccli.* VII). Et sicut superbus Pharisæus de Christo cum ipsa tangente Magdalenam ait : *Hic, si esset propheta, sciret utique quæ et qualis est mulier quæ tangit eum, quia peccatrix est* (*Luc.* VII). Sed potius eis compatiens, veniam per misericordiam donabat, ut mulieri in adulterio deprehensæ, cui ait ; *Vade et amplius noli peccare* (*Joan.* VIII). Nos quoque, fratres, non præsereamus, nec ad desperationem moveamus peccatores, sed sicut Samaritanus vinum oleo (*Luc.* X), et increpationi lenitatem admiscentes, timentes simul et sperantes ad salutem trahamus, juxta illud Apostoli : *Si præoccupatus*, inquit, *fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spiritales estis, instruite hujusmodi in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne et tu tenteris* (*Gal.* VI) Rursus infirmos non abhorrebat, sicut quidam crudeles solent, qui infirmorum halitum, lectum et contactum abhorrent. Sed potius eis compatiens, palpabat eos, et curabat, sicut in hac lectione demonstratur. Hinc discamus et nos fratres mei, compati infirmis, assidue ministrare, ut mereamur ab ipso audire : *Infirmus fui, et visitastis me* (*Matth.* XXV). Cum autem hæc compassio cuilibet sit necessaria, maxime necessaria est episcopis, abbatibus, prioribus et patribusfamilias. Nisi enim condescendant sibi subditis, illi non diligunt nec sequuntur eos. Vidi enim nonnullos abbates et priores, qui quamvis in se essent satis religiosi, tamen quia infirmitati singulorum nesciebant condescendere, sed parcitatem et austeritatem suam eis indiscrete disponebant, gregem suum dissipasse et fugasse. Non enim sic est faciendum, charissimi. Non enim omnia possumus omnes, et habemus donum a Deo; alius quidem sic, alius vero sic (*I Cor.* VII). Propterea prælatus omnium infirmitati condescendat, fiat infirmis infirmus, gaudeat cum gaudentibus, fleat cum flentibus sit omnia omnibus, sicut Apostolus ait : *Quis infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror?* (*II Cor.* II.)

Sequitur pars secunda, in qua ostenditur accessus leprosi ad Jesum, cum subditur : *Et ecce leprosus veniens adorabat eum dicens* ; Quia enim noverat Jesum omnium infirmitatibus condescendere, inde ausus est ad eum accedere. Accessit ad eum, sicut pede, ita humilitate et fide. Humilitate ad eum accessit, quando cum sola voluntate omnia posse credidit, et confessus est dicens : *Domine, si vis, potes me mundare*. Ac si diceret : Domine, sum quidem vilis et indignus quæ tu tangas et sanes, sed tu non ex meritis meis, sed ex sola tua voluntate et gratia potes me mundare. Hujus leprosi exemplo, nos quoque fratres mei, qui lepra turpium criminum respersi sumus, humiliemus nos in conspectu Dei, et dicamus : Nos quidem indigni sumus, sed tu solus ex tua voluntate et gratia nos potes curare.

Sequitur pars tertia, in qua curatur leprosus cum ei a Domino dicitur : *Volo mundare*. Ubi fratres mei ineffabilia divinæ misericordiæ viscera pensanda sunt, qui leprosum, quem homines abhorrebant, venientem exspectat, adorantem sustinet, loquentem audit, quod postulat, imo plusquam postulet, facit. Cum enim leprosus dixisset : *Domine, si vis, potes me mundare*, Dominus non tantum voluit et mundavit, sed etiam tetigit. Quamobrem? Ob humilitatis compassionem, ob legis intelligentiam, ob mysterii significationem. Ob humilitatis compassionem, ut infirmos non abhorrere, sed compati eis nos doceret ; ob legis intelligentiam, ut per lepræ et mortui contactum in lege prohibitum, non ipsum leprosum et mortuum, sed mortalis peccati consensum, per illam significatum, fugien-

dum esse demonstraret ; ob mysterii significationem, ut malorum peccatorum lepram, indigere opere satisfactionis significaret. Veniales autem culpæ, sine operis satisfactione, sæpe dimittuntur. At lepra majoris criminis indiget manu satisfactionis.

Sequitur pars quarta, cum dicitur : *Vide, nemini dixeris. Sed vade, ostende te sacerdoti, et offer munus quod præcepit Moyses in testimonium illis.* In hoc autem, fratres charissimi, quod præcepit Dominus curato leproso, hoc miraculum silere, instruit nos, ut in bonis quæ facimus, non hominum, sed solius Dei laudes quæramus. In hoc vero quod ille miraculum publicat, demonstratur quod Dominus sanctorum virtutes non vult latere, sed eis invitis ad utilitatem aliorum manifestat, juxta quod ipse ait : *Nemo accendit lucernam, et in abscondito ponit, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt* (*Luc.* II). Præcipit vero eum ostendere se sacerdoti, ut nemo de sua pœnitentia confidat, sed ad arbitrium sacerdotis satisfaciat ; et propter inobedientiam et contemptum lepram criminis redituram timeat, nisi sacerdoti per confessionem se ostendat. Præcipit etiam offerre munus, ut legem se non solvere ostendat, ut mundatum a peccato Deo agere grates edoceat, ut oblationes sacerdotibus faciendas demonstret, ut eis in testimonium fiat, vel fidei, si credant, vel damnationis, si non credant.

Cum autem intrasset Capharnaum, etc. In hoc secundo capitulo, fratres charissimi, primo considerandæ sunt virtutes hujus centurionis, deinde circa eum opera Christi. Fuit enim hic centurio quatuor magnis virtutibus insignis et nobis imitabilis. Habuit quippe misericordiam, fidem, humilitatem et sapientiam. Misericordiam, qua infirmitati sui servi compatitur, dum per seniores Judæorum, ut alius evangelista testatur, Dominum rogat, et, ut Dominum magis ad misericordiam commoveat, dolorem servi miserabiliter exaggerat. In tribus enim eum miserabilem demonstrat : quod jacet, quod paralyticus, quod male torquetur. Sicut enim jacere est requies sano, ita est tormentum infirmo ; paralyticus, id est officio membrorum dissolutus. Paralysis enim, *dissolutio* interpretatur. Et quia sic possent arida membra esse quod ea non doleret, ait : *Et male torquetur*. Hujus exemplo, fratres charissimi, discamus pietatem habere in servos nostros, non eos spernere, non eos dure tractare, non infirmos statim expellere, sicut quidam superbi solent : sed diligamus eos tanquam homines et fratres, necessaria eis administremus, meritum reddamus, infirmis condescendamus. Sufficiat nobis quod Deo sufficit, si ab eis colimur et amamur. Cogitemus etiam nos et eos habere unum Dominum Deum. Et si cogitamus eos servos hominum, cogitemus ne forte nos (quod gravius est) simus servi peccatorum. Ne contemnamus, quod non contempsit Job, subire cum servo nostro et ancilla nostra judicium. Fidem, fratres, habuit centurio, qui Christum potentem dare solo verbo sanitatem credidit, credens etiam quod sicut ipse suis militibus imperabat, et per eos voluntatem suam implebat, ita Dominus poterat angelis imperare, et per eos quod vellet facere, dicere ægritudini ut recedat, et recederet, et sanitati ut veniat, et veniret. Et quia sic credidit, a Domino meruit laudari, et quod postulaverat impetrare. Discamus et nos, fratres charissimi, habere fidei fervorem, quoniam ipse Dominus ait : *Omnia possibilia sunt credenti* (*Marc.* IX). Humilitatem magnam habuit, quoniam indignum se reputavit, quod ad eum accederet, quod per se eum rogaret, quod in suam domum Dominus intraret. Cum enim gentilis esset, non per se, sed per seniores Dominum rogaverat. Hoc exemplo discamus et nos, fratres, de nobis humiliter sentire, in omnibus nos indignos judicare, non esse dignos qui ore nostro polluto eum rogemus, sed per intercessionem sanctorum eum ad nostri misericordiam inclinemus. Corpus et sanguinem suum, in fœdum hospitium corporis nostri reformidemus suscipere, non ideo quod in fœditate manere velimus, sed ut magis mundi et digni esse desudemus. Ecce, fratres, et iste centurio et Zachæus Dominum honoraverunt, sed diverso modo. Zachæus eum læte suscipiendo, iste se indignum reputando. Zachæum imitatur, qui Eucharistiam frequenter et læte suscipit, centurionem vero imitantur, qui se indignos reputando Eucharistiam suscipere metuunt et se retrahunt. Hinc Augustinus : Quotidianas, inquit missas celebrare, nec laudo nec vitupero, id est nec laudo indignis, nec vitupero dignis. Sapientiam magnam vero habuit, quia quem per humanitatem in uno loco videbat esse, intelligebat nulli locorum per divinitatem deesse. Hujus exemplo credamus, fratres charissimi, Christum ita per humanitatem esse in cœlis, quod per divinitatem adest omnibus locis. Consideremus e contrario, fratres charissimi in Christo, quatuor, dignationem fidei, centurionis commendationem, prophetiam de electione gentium, et reprobatione Judæorum, petitionis exauditionem. Magna dignatio Christi fuit, quando respondit : *Ego veniam, et curabo eum.* Ad servum, fratres mei, non vocatus se iturum promittit : Ad filium vero reguli rogatus ire noluit. Ut quid hoc? Nisi ut nostram perversitatem retundat, qui divites honoramus et pauperes contemnimus. In honore hominum divitias, non naturam, potentiam, non Dei imaginem attendentes. Evitemus ergo, fratres, personarum acceptionem, et discamus honorare in hominibus naturam, non fortunam, virtutem non potestatem. Fidem vero centurionis laudat Dominus, quando admirans sequentibus se dixit : *Non inveni tantam fidem in Israel.* Non autem in se miratur qui ei fidem illam dederat, sed eum in fide mirandum et imitandum demonstrat, qui sine lege et prophetis credit, cum Israel per legem et prophetas edoctus credere nolit. *Non inveni tantam fidem in Israel*, id est in eis quibus tunc prædicabat. Invenerat enim prius in patriarchis, prophetis, et

apostolis. Prophetabat autem de electione gentium, et de reprobatione Judæorum, cum subjungit : *Dico autem vobis, quod multi venient ab Oriente et Occidente, et recumbent cum Abraham, Isaac, et Jacob. Filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores.* Ecce, fratres charissimi, hæc prophetia hodie completa est. Nam electi ex gentibus ex toto orbe, cum moriuntur, ascendunt in cœlum, et glorificantur cum patriarchis, quorum mores et fidem secuti sunt. Judæi vero in quibus Deus primo regnavit, et quibus promissio regni facta fuerat, cum moriuntur, mittuntur in tenebras exteriores, qui hic sponte incurrerunt tenebras interiores. *Ibi erit fletus et stridor dentium.* Per fletum oculorum et stridorem dentium indicatur corporum vera resurrectio futura. Dentes stridٍent qui hic de edacitate gaudebant, oculi flent qui illicita cupiebant, lingua ardet quæ detrahebat, et similiter cætera membra, secundum varietatem vitiorum, incurrent varietatem pœnarum. Petitionem vero centurionis perficit Christus, cum dicit : *Vade, et sicut credidisti, fiat tibi.* Fratres mei, magnum est meritum fidei, dum, propter quod credidit Deum omnia posse, indicat eum meruisse, et pro mensura fidei facit ei. Unde et subditur : *Et sanatus est puer in illa hora.* Probatur fides Domini, dum sequitur sanitas servi. In quo, fratres, considerandum est quantum valeat unicuique fides propria, cum tantum valeat aliena. Imitemur ergo virtutes istius centurionis, et misericordiam, fidem, humilitatem, per Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus in æternum. Amen.

HOMILIA XXIV.

DOMINICA QUARTA POST EPIPHANIAM.

Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis (*Rom.* XIII), et reliqua. In hac lectione, fratres charissimi, tria facit Apostolus : Primo nos hortatur ad justitiam, secundo ad dilectionem, tertio probat dilectionem esse legis impletionem. Exhortans igitur nos ad tenendam justitiam ait : *Nemini quidquam debeatis.* Est enim justitiæ proprium, fratres mei, nemini quidquam debere, sed unicuique quod suum est, reddere, ut scilicet reddamus, sicut ipse Apostolus ait superius : *cui honorem, honorem, cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal* (*Ibid.*). Hæc autem justitia est conservatrix pacis et societatis humanæ. Sicut econtrario injustitia non reddendi alicui sua, est dissipatrix pacis et concordiæ. Unde enim, fratres mei, lis et discordia, unde seditiones et cædes, nisi ex hoc quod unus non facit alii quod debet. Propter hoc, fratres, voluit Dominus in hoc mundo ordinari judices et potestates, ut unusquisque, si nollet, cogeretur reddere alicui quod deberet. Qui autem per se justus est, et sponte reddit unicuique sua, judice non indiget, et potestatem non timet. Unde Apostolus : *Vis non timere potestatem? Bonum fac, et habebis laudem ex illa. Si vero peccas, time ; non enim sine causa gladium portat* (*Ibid.*). Vos igitur fratres, ut mercamini ab æterno et summo judice laudem spontaneam justitiam tenere : Reddite sua unicuique. Reddite Deo quam ei debetis religionem, Ecclesiæ cultum, vobismetipsis munditiam, majoribus reverentiam, minoribus dignationem, æqualibus societatem, parentibus honorem, filiis disciplinam, familiaribus providentiam, indigentibus pietatem, amicis dilectionem, inimicis patientiam, omnibus æquitatem. Sic enim juste apud Deum et homines vivetis, nemini quidquam debentes.

Sequitur pars secunda, in qua hortatur nos ad dilectionem, sicut subjungit : *Nisi ut invicem diligatis.* Ac si diceret : Reddite unicuique sua, ut nulli aliquid debeatis, nisi solam dilectionem. Hoc ideo, fratres mei, dicit Apostolus, quia, cum cætera reddita non debeantur, dilectio semper redditur et semper debetur. Sic enim necessarium bonum est, quod in omni tempore sit necessarium eam habere, et ad omnes in omnibus. In omni tempore, quia sicut animal sine anhelitu nec dormiens nec vigilans, vivere potest, et eo intercepto, moritur, sic anima sine amore Dei et proximi vivere non potest, et ea amissa moritur. Semper ergo, fratres, diligere debemus, et si non semper opera dilectionis habere valemus, ad omnes quoque dilectionem habere debemus, ad Deum, ad nos, ad proximos, tam amicos quam inimicos. Et si ad aliquem dilectionem non observamus, frustra eam ad alios observamus. In omnibus etiam operibus eam habere debemus, quia, sicut opus sine intentione Deo placere non potest, ita nec sine dilectione. Bonum quidem est opus, fratres charissimi, dare eleemosynam, honorare parentes, diligere filios, frequentare ecclesiam, credere Deum, prædicare Evangelium, et tamen nullum horum sine dilectione Dei et proximi valere potest. Unde Apostolus : *Si linguis hominum loquar et angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans aut cymbalum tinniens. Et si habuero omnem fidem et omnem scientiam, et si distribuero facultates meas in cibos pauperum, et si tradidero corpus meum ita ut ardeam* (23), *nihil mihi prodest* (*I Cor.* XIII). Et econtrario, fratres, vera dilectio cum modico opere, vel etiam sine opere non habenti facultatem, sufficit ad vitam æternam. Non enim pensat Deus quantum, sed ex quanta dilectione tribuatur. Hinc est quod vidua offerens Deo minuta, præfertur divitibus qui magna dona contulerant (*Luc.* XXI).

Sequitur pars tertia, in qua probat Apostolus quod vera dilectio est legis impletio, cum subditur : *Qui enim diligit proximum, legem implevit.* Quod ut, fratres, melius intelligamus, videamus quid sit dilectio. Et quomodo dilectio Dei et proximi connexæ sint, et quomodo per dilectionem Dei lex impleatur. Est ergo charitas dilectio, qua diligimus Deum

(23) Vulg. addit, *charitatem autem non habuero.*

propter se, et proximum propter Deum. Una est ergo dilectio, sed duo mandata. Unus est enim Deus, scilicet quem diligimus vel in seipso, vel in proximo Qui enim in proximo aliud quam Deum, vel, ob aliud quam propter Deum, eum diligit, non vere eum diligit. Diligamus ergo proximum, quia bonus est vel esse potest, quia opus Dei est, quia Deus jubet eum diligi. Sunt autem dilectio Dei et proximi sic conjunctæ, quod Deus non potest vere diligi sine proximo, nec proximus sine Deo. Unde Joannes: Qui non diligit proximum suum quem videt, Deum quem non videt quomodo diligere potest? Qui vero Deum non diligit, nec se nec alium vere diligit. Cum ergo dicit Apostolus dilectionem proximi, intellige simul dilectionem Dei, cum altera sine altera vera esse non possit. Per dilectionem ergo Dei et proximi, lex impletur, id est decem mandata legis, quorum prima quatuor pertinent ad Deum, reliqua sex ad proximum. Primum est: *Audi Israel, unus est Deus tuus* (*Deut.* VI). Si unus est, fratres, ergo mentitur insipiens qui dixit in corde suo: *Non est Deus* (*Psal.* XIII). Si unus est, mentitur gentilis qui dicit plures esse. Si unus est, semper mentitur hæreticus, qui eum variabilem asserit, est enim unus solus, indivisus, invariabilis. Secundum est: *Non facies tibi sculptile* (*Exod.* XX; *Deut.* V), id est nec opinione, nec amore, aliquid Deo præferes. Tertium est: *Non accipies nomen Dei tui in vanum* (*Ibid.*), id est in contemptum. Quod facit qui ad testimonium vanitatis vel falsitatis, vel fraudis, illud inducit. Quartum est: *Memento sanctificari diem Sabbati* (*Ibid.*). Hoc Judæus observavit legaliter, nunc vero nos spiritualiter observamus, cum per totum Sabbatum hujus vitæ, a servili opere, id est peccato feriamur, ut in futuro ab omni labore sabbatizemus. Quintum est: *Honora patrem tuum et matrem tuam* (*Ibid.*), quod de honore tam deferendi, quam benefaciendi intelligendum est. Sextum est: *Non occides* (*Ibid.*), nec voluntate, ut qui odit fratrem suum, nec opere, ut vir sanguinum, nec mala doctrina, ut hæreticus, nec malo exemplo, ut prædicator male vivens, nec subtractione temporalium bonorum, ut avarus, nec subtractione prædicationis, ut prædicator occultans talentum. Septimum est: *Non mœchaberis* (*Ibid.*), nec spiritu per idololatriam, nec corpore per fornicationem, adulterium, mœchiam, incestum, Sodomiticam libidinem, et immunditiam. Octavum est: *Non furtum facies* (*Ibid.*), in quo damnantur latrocinium, rapina, usura et dolus. Nonum est: *Non falsum testimonium dices* (*Ibid.*); in quo prohibetur omne mendacium, perjurium, detractio, susurratio, adulatio. Decimum est: *Non concupisces* (*Ibid.*), id est concupiscentiam refrenabis, et si moveatur, non consenties, nec adimplebis. Hæc sunt, fratres charissimi, decem mandata quæ per dilectionem adimplentur, quia qui vere Deum diligit, omnibus mandatis ejus obedit. Et qui proximum diligit non eum occidit, non ejus uxorem mœchatus est, non ejus A res furatur, non ei mentitur, nec cætera mandata, quæ de proximo sunt, transgreditur. Sine vero dilectione vera impleri non possunt. Nam sive honores patrem, sive non occidas, sive non mœcheris, sive quod aliud mandatum facias, si sine charitate facis, nihil præmii mereris. Charitas enim est latum mandatum Domini, in quo tota lex consummatur. De quo Propheta: *Omnis consummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis* (*Psal.* CXVIII). Et autem charitas latum mandatum, quia extenditur ab amicis usque ad inimicos, et quia etiam dilatat nos ad currendum, et adimplendum legem Dei. Cum etiam via Dei insipientibus sit gravis et ardua, tamen, quia amanti nihil est difficile, ei fit facilis et lata, juxta illud: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum* (*Ibid.*). Vos itaque fratres, si totam legem, si totum Evangelium scire non potestis, saltem tenete charitatem. Quia ille tenet, et quod patet, et quod latet in divinis sermonibus, qui charitatem tenet in moribus. Dilectio enim vos docebit reddere quod debetis Deo, quod proximo, quod amico, quod inimico. Et si in aliquo minus sapitis, illud charitas excusabit, et quidquid facitis, Deo placere faciet, ipso largiente qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum.

B

HOMILIA XXV.

DOMINICA QUARTA POST EPIPHANIAM DOMINI.

Ascendente Jesu in naviculam, secuti sunt eum discipuli ejus (*Matth.* VIII), et reliqua. Hæc lectio, fratres charissimi, juxta litteram instruit nos de fide Mediatoris Dei et hominum Jesu Christi. Ostendit enim in eo veram divinitatem et humanitatem esse. Quod enim vehiculo navis cum cæteris hominibus vehitur, et quod dormit humanitatis est. Quod vero tempestatem sedet, et mari imperat, divinitatis est. Juxta vero mysticum sensum, mare præsens sæculum est, quoniam ad modum maris, fetet et tumet, salsum et instabile est. Fetet per luxuriam, tumet per superbiam, salsum est per amaritudinem, instabile est per vanitatem. Et sicut in mari majores pisces glutiunt minores, sic in hoc sæculo fortiores devorant debiliores. Navis est Ecclesia, in qua transnatamus tempestates hujus sæculi, ac tendimus ad portum patriæ cœlestis, in qua quisquis non est, non perveniet ad portum salutis, sed demergetur in abyssum. In hac Christum sequentes navigant et transeunt, et Christus cum eis, quia ipse ait: *Ubicunque duo vel tres congregati sunt in nomine meo, ego sum in medio eorum* (*Matth.* XVIII). Et alibi: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII). Motus magnus maris: tribulatio et persecutio est hujus mundi. Ventus contrarius, malignus spiritus est. Sicut enim Spiritus sanctus ducit navem Ecclesiæ ad portum salutis, ita malignus spiritus conatur eam præcipitare in naufragium perditionis. Navicula operitur fluctibus, quando Ecclesia in persecutionibus et tempestatibus pene periclitatur. Ostenduntur ergo hic nobis quinque: Primo ostenditur quod etiam illi

C

D

qui sunt cum Christo, pene periclitantur; secundo, ostenditur quare hoc fiat; tertio, quomodo sit Dominus excitandus; quarto, quomodo Deus suos increpet et liberet; quinto, quomodo Liberatori sint gratiæ referendæ. Ostenditur igitur quod Ecclesia, in qua Christus est cum fidelibus suis, pene periclitatur, cum dicitur quod *navicula operiebatur fluctibus*. Vult enim, fratres mei, Christus quod sui per tribulationes transeant, per quas ipse transiit. Unde ipse ait : *Qui mihi ministrat, me sequatur* (*Joan.* XII). Et Apostolus : *Omnes qui pie volunt vivere in Christo, persecutiones patientur* (*II Tim.* III). Et hoc, fratres mei, contra illos est qui per mollitiem, et per prosperitatem hujus sæculi volunt tendere ad præmium regni, cum duri et laboriosi milites, non molles et effeminati, coronantur. Secundo vero subditur causa quare tribulationes sanctis eveniant, cum subditur : *Ipse vero dormiebat*. Ideo Ecclesia patitur, quia Christus dormit. Sed quomodo, fratres, dormit, cum de eo scriptum sit : *Non dormitat neque dormiet qui custodit Israel?* (*Psal.* CXX.) Fratres, dormitio Christi dissimulatio est auxilii. Tunc Christus in Ecclesia vigilat, cum eam liberat, tunc dicitur dormire, quando differt liberare. Unde Propheta in tribulatione positus, ad eum clamat : *Exsurge, quare obdormis, Domine? exsurge et ne repellas in finem* (*Psal.* XLIII). Et quare, fratres, Christus Ecclesiam suam differt liberare? Quia novit tribulationem ei utilem esse. Reddit enim tribulatio justum emendatiorem, humiliorem, clariorem, cautiorem, fortiorem, terrestrium contemptorem, et cœlestium desideratorem. Emendatiorem reddit, quia peccatorum maculas abluit. Unde Dominus per prophetam : *Excoquam ad purum scoriam tuam* (*Isai.* I). Quod apparet in Maria sorore Moysi : quæ quia peccaverat murmurando in fratrem, punita, et ablata est per lepræ passionem. Humiliorem reddit, quia eum per prosperitatem superbire non sinit. Sicut enim prosperitas solet esse causa elationis, ita adversitas humilitatis. Unde Paulus : *Ne*, inquit, *magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus Satanæ qui me colaphizet* (*II Cor.* XII). Clariorem reddit, quoniam, quanto plus justus impugnatur, clarior efficitur; quod apparet in Job et in sanctis martyribus. Cautiorem reddit, quoniam quanto plus infestatur, vigilantior efficitur. Sicut enim prosperitas parit securitatem, securitas contemptum, ita adversitas generat timorem, timor vigilantiam. Unde Petrus : *Vigilate*, inquit, *in orationibus, quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens, circuit quærens quem devoret* (*I Petr.* IV). Fortiorem reddit, quia quanto plus oppugnatur, ad resistendum exercitatior et durior efficitur. Non enim athleta potest ad certamen magnos spiritus afferre, qui nunquam sugillatus, nunquam percussus est. Et fortior est arbor quæ agitatur a ventis in monte, quam quæ crescit in aprica valle. Sic fortior est qui in adversitate nutritus est, quam qui in prosperitate. Vasa enim A figuli probat fornax, et justos tribulatio (*Eccli.* XXVII). Terrestrium contemptorem et cœlestium appetitorem reddit, quia qui non habet et in terrenis quo delectetur, facilius ad amorem cœlestium inflammatur. Hinc est quod Propheta, sciens tribulationem justis esse tam utilem, clamat : *Domine, ne derelinquas me usquequaque* (*Psal.* CXVIII). Aliquo modo se derelinqui sibi utile esse videbatur qui ne, usquequaque derelinqueretur, rogabat. Idem : *Da mihi*, inquit, *auxilium de tribulatione* (*Psal.* LIX). Non ait, a tribulatione, quia non rogat a se tribulationem auferri, sed de tribulatione auxilium provenire sibi. Hoc prævidens Dominus quasi dormitat, dum eos liberare prolongat. Tertio ostenditur quomodo Dominus sit suscitandus cum subditur : *Et accesserunt, et suscitaverunt eum dicentes : Domine, salva* B *nos, perimus*. Nos quoque fratres, cum tentamur et tribulamur, accedamus ad Christum, fide per dilectionem operante (*Gal.* V), suscitemus cum clamore precum. De sapientia, de viribus, de divitiis nostris, de auxilio hominum non confidamus, quoniam scriptum est : *Qui confidit in divitiis suis corruet* (*Prov.* XI); et : *Maledictus qui confidit in homine* (*Jer.* XVII). Sed de solo Deo qui non derelinquit sperantes in se, quoniam qui confidunt in Domino, sunt sicut mons Sion (*Psal.* CXXIV).

Clamemus igitur ad eum suspiriis, gemitibus, lacrymis, et precibus cum ad miserendum excitemus. Dicamus : Petimus in nobis; sed tu, qui solus potes, C salva nos. Si enim, fratres, hæc quatuor habuerimus, fidem veram, precem mundam, diffidentiam de nobis, in eo solo salutis fiduciam, ipse qui dixit : *Clamabitis, et ego exaudiam vos* (*Jer.* XXIX), exaudiet, quoniam, ut ait Apostolus : *Fidelis est Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione proventum, ut possitis sustinere* (*Psal.* IX), et erit adjutor in opportunitatibus, in tribulatione. Unde subditur : *Quid timidi estis, modicæ fidei?* Est autem hæc pars quarta, in qua ostenditur quomodo Deus filios suos de modicitate fidei et timore increpat, et eos liberat. Forte, fratres mei, sæpe nos majoribus et longioribus tribulationibus Deus nos probaret, ut magis mereremur, sed quia D ex modicitate fidei timemus, cum quasi ante tempus surgere cogimus, et nos liberare. Quod bene, fratres ostenditur per Petrum ambulantem super aquas, qui certe iturus esset ad Jesum, nisi timeret et dubitaret, sed quia ventum validum venientem timuit, cœpit mergi (*Matth.* XIV). Et ita quodammodo coegit Dominum sibi ante tempus extendere manum. Super aquas enim ad Jesum ambulamus, quando tribulationes et tentationes hujus mundi contemnentes et calcantes, ad eum festinamus. Ad quem, si perseveraremus, cum majori corona venturi eramus. Sed si ad validam tribulationem dubitamus et timemus, incipimus mergi, et Jesum manum auxilii nobis ante tempus porrigere concitamus. Propter hoc, fratres mei, nos Deus increpat,

et de modicitate fidei et de timore ex ea proveniente. Minus enim fidei, et nimium timoris inordinati habet, qui Domino præsente timet, qui timet quod Deus sperantes in se deserat, qui obliviscitur quod non obliviscitur misereri Deus. Quia tamen etsi nos minus Deo fideles sumus, Deus tamen semper fidelis nobis erit. Surgit qui dormire se simulat, imperat ventis et mari, id est malignis spiritibus et tribulationi, et fit tranquillitas magna in mente, in vita, in conversatione. Itaque, fratres mei, quia diabolus et omnis tribulatio, et omnis pax in manu Dei est, non oportet nos timere diabolum vel mundum, nisi solum Deum, quia juxta Sapientem : *Qui timet Deum, omnia timent eum* (24) (*Eccli.* XXXIV). Et qui non timet Deum, timet omnia. Quinto ostenditur quomodo Christo liberatori sint gratiæ referendæ, cum subditur : *Porro homines mirati sunt dicentes : Quid est hic, quia ventus et mare obediunt ei?* Qui liberatus non agit gratias liberatori, mereretur de cætero non liberari. Hinc Hebræi, post liberationem Deo canticum cantabant, ut Moyses post submersionem Pharaonis (*Exod.* XV), Debbora post occisionem Sisaræ (*Jud.* V), Judith post interfectionem Holophernis (*Judith*, XIII). Hinc dicunt Ezechiam infirmitatem incurrisse (*Isa.* XXXVIII), quia de incredibili victoria Deo gratias non egerat. Novem quoque leprosi a Domino curati reprobantur, quia ad agendum gratias non redierunt (*Luc.* XVII). Nos ergo Christo liberatori nostro, non simus ingrati, sed ejus potentiam et benignitatem admirantes, laudantes et benedicentes dicamus, quis, quantus, quam gloriosus, quam admirabilis est hic, quia spiritus maligni et tribulationes obediunt ei. Et ita post naufragium carmen psalmodiarum cantantes, gratiam agamus Christo liberatori nostro, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus. Amen.

HOMILIA XXVI.

DOMINICA IN SEPTUAGESIMA.

Nescitis quod hi qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium (*I Cor.* IX), etc. Stadium est spatium vitæ præsentis ; Bravium est præmium æternæ beatitudinis. Via, fides, Christus, dux. Unde ipse ait : *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ* (*Joan.* VIII). Ipse enim vobis reliquit exemplum, ut sequamini vestigia ejus (*I Pet.* II). Qui enim cum eo vult manere, debet sicut ille ambulavit et ipse ambulare (*I Joan.* VI). Incitamenta vero eundi hanc viam, sunt spes, et amor cœlestis bravii. Itaque, fratres charissimi, per stadium vitæ præsentis omnes currimus, quia sine intermissione omnes ad mortem festinamus. Sed tamen non omnes ad cœlestis vitæ bravium tendimus : quidam etiam non esse alteram vitam putant. Omnes igitur qui fidem non habent, ut judæus, gentilis, et solo nomine Christianus, qui de illa vita dubitant, extra viam sunt. Quod si aliquando aliqua bona opera ex naturali pietate faciunt, non plus eis valet quam celerrimus cursus extra viam : Non enim vadunt, sed errant. Illorum vero qui in via fidei sunt, alii currunt velociter, alii tarde, alii retrograde. Velociter currunt, qui abjectis omnibus impedimentis cum toto desiderio ad cœlestia tendunt. Unde et a Paulo dicitur : *Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet* (*I Cor.* IX). Et alibi : *Nemo militans Deo, implicat se negotiis secularibus* (*II Tim.* II). Quid enim sunt divitiæ, honores gloria, voluptates, et cætera sæcularia negotia, nisi quædam animæ impedimenta ? Hæc impedimenta monebat abjicere Redemptor noster, cum dicebat : *Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et veni, et sequere me* (*Matth.* XIX). Hæc fecerunt sancti apostoli et evangelistæ, Martyres et eremitæ, qui omnia relinquentes et erogantes pauperibus, nudi nudum Christum sunt secuti. Qui bene significantur per Joseph, cujus cum impudica mulier per lasciviam pallium teneret, et eum turpiter agere cogere vellet, relinquens pallium fugit. Bene quoque designantur per discipulum, qui in Christi passione tentus, rejecta sindone nudus evasit. Qui enim propter evitandam luxuriam et malitiam mundi omnia deserit, quasi rejecto pallio vel sindone, nudus fugit. Isti, fratres mei, quia velocius currunt, cum ad finem stadii, id est ad mortem perveniunt, statim accipiunt, non solum bravium, sed etiam potestatem cæteros judicandi. Sic enim promisit eis Dominus, dicens : *Vos, qui reliquistis omnia et secuti estis me, centuplum accipietis, et vitam æternam possidebitis. Et sedebitis super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel* (*Matth.* XIX). Tarde vero currunt illi, quos cura uxorum, filiorum, familiarium et mundanorum negotiorum ab appetitu supernæ patriæ retardat, nec tamen eos omnino retardat. Tendunt quippe mente, prece et opere ad cœleste bravium, sed propter curas et affectus carnales, tardiusculi sunt. Ita enim quærunt ea quæ sunt Dei, ut etiam necesse sit, eos quærere ea quæ sunt sæculi, et, ut ait Apostolus, divisi sunt, cum amorem cœlestium, temporalibus præponunt. Quos bene, fratres mei, illæ vaccæ significant, quæ de terra Philisthinorum arcam Domini ad terram Israel portaverunt. Quæ fetæ fuisse memorantur, quare vitulos domi reluserunt. Scriptum est enim : *Ibant in directum vaccæ per viam quæ ducit Bethsamis. Uno itinere gradiebantur, pergentes et mugientes, nec declinabant ad dexteram nec ad sinistram* (*I Reg.* VI). Quid fratres mei, quid vaccæ istæ significant, nisi fideles qui arcam mandatorum Dei semper portant ? Qui quamvis carnalibus affectibus revocentur et retardentur, tamen a recto itinere Bethsamis, id est, *domus solis*, non declinant. Vos igitur matres et patresfamilias, si ad habitationem veri solis tenditis, propter affectus carnales a recto itinere non declinetis. Sed sicut vaccæ pergunt et gemunt, sic et vos ita com-

(24) Vulg. aliis verbis idem dicit.

patiamini proximis, ut tamen propter hoc a via recta non exorbitetis. Porro isti qui propter curas et carnales affectus a via Dei aliquantulum retardantur, quando ad metam stadii, id est ad mortem veniunt, plerumque non statim bravium accipiunt, sed de maculis, quas ex curis et affectibus carnalibus contraxerunt, in igne purgatorio purgantur, et sic tandem bravium consequuntur. Retrograde autem currunt, qui etsi in via Dei sunt per fidem, tamen ad mundana desideria redeunt per concupiscentiam. Ili sunt qui affectus uxorum, liberorum, divitiarum, honorum et voluptatum Deo præponunt, nec quæ Dei, sed quæ mundi sunt, toto desiderio requirunt, et, juxta Apostolum : *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant* (*Tit.* I). Qui bene significantur per filios Israel, quos cum Dominus de servitute Pharaonis per transitum maris Rubri eduxisset, et eos per desertum sustentans manna, ad terram promissionis duceret, fastidientes manna, et terram promissionis oblivioni dantes, revertebantur in Ægyptum corde, dicentes : Revertamur ad Ægyptum ad ollas carnium, ad pepones et allia (*Exod.* XIV, XVI; *Num.* I, XIV). Nonne idipsum faciunt hodie illi falsi christiani, qui postquam per Christum a servitute diaboli et amore mundi liberati, per baptismum ei abrenuntiaverunt, et pane cœli sustentati, per religiosæ vitæ desertum, ad cœlestem patriam festinare cœperunt, rursus desiderio redeunt ad amorem et servitutem diaboli. Quid enim per ollas carnium, nisi fortis consuetudo ingluviei? Quid per pepones, nisi dulcedo sæcularis? Et quid per allia quæ calent et fetent, nisi luxuria denotatur. Quid vero est, fratres charissimi, quod ex olla carnium fumus, et ex peponibus et alliis, credo, et fletus oculorum procreatur, nisi quod ingluvies, dulcedo, et luxuria sæcularis, suos amatores ad gehennæ fletus trahunt, et etiam hic cæcitatem mentis et tristitiam pariunt? Tunc enim, ut Dominus ait, amatores talium *mittentur in tenebras exteriores*, ubi *erit fletus et stridor dentium* (*Matth.* VIII), et juxta Salomonem : *Risus dolore miscebitur, et extrema gaudii luctus occupabit* (*Prov.* XIV). Itaque, fratres charissimi, post abrenuntiationem in baptismo factam, non item redeatis ad servitutem diaboli, et ad amorem sæculi, quia *nemo mittens manum ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei* (*Luc.* VI). Sed obliviscentes ea quæ retro sunt, ad anteriora vos extendite (*Philipp.* III). *Militia est vita hominis super terram* (*Job* VII); et : *Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit* (*II Tim.* II). Ecce omnes quidem currunt, sed unus, ille scilicet solus qui bene curret, accipiet bravium. *Sic ergo currite, ut comprehendatis.* Et si illi qui ad temporale bravium sic se expediunt, ut corruptibilem coronam accipiant, quid, nos fratres, quid facere debemus, qui ad incorruptam festinamus? Ergo, fratres, si non curritis ita expedite, ut contemplativi, et illi qui omnia propter Deum dereliquerunt, saltem currite cum aliis qui possident tanquam non possidentes, qui nubunt tanquam non nubentes, qui gaudent tanquam non gaudentes (*I Cor.* VII), qui per temporalia sciunt emere cœlestia. Quia, si tardiusculi estis, orate Dominum qui exsultavit at gigas ad currendam viam, (*Psal.* XVIII), et dicite ei : *Trahe me post te, curremus in odore unguentorum tuorum* (*Cant.* I). Quod ipse facere dignetur qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus in æternum. Amen.

HOMILIA XXVII.

DOMINICA IN SEPTUAGESIMA.

Simile est regnum cœlorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam (*Matth.* XX), et reliqua. In hac parabola, fratres charissimi, ostendit Dominus quantam curam, quantam, ut ita dixerim, sollicitudinem, ipse habet super genus humanum. In quo confutantur illi qui dicunt Deum res humanas non curare. Ostendit hic quippe Dominus quod sicut aliquis paterfamilias sollicite providet vineæ, ne nimis indurescat, ne inherbetur, ne amittat tempus putationis et reparationis suæ, ita ipse est a principio, ut ita loquar, curiosus super Ecclesiam suam, ne nimis indurescat, ne vitiis occupetur, ne amittat curam prædicationis et commonitionis. Pater igitur familias Deus intelligitur; vinea, Ecclesia; operarii, prædicatores, sive quilibet fideles, qui sua vel aliorum corda colunt, ut Deo fructificare possint; horæ, ætates diversæ. Mane enim est quasi pueritia; hora tertia, juventus; sexta, virilis ætas; nona, senectus; undecima hora, decrepita ætas; denarius præmium beatitudinis. Conventio fit ex denario diurno, quando promissio fit bene laborantibus de beatitudinis præmio. Sunt autem, fratres mei, hujus lectionis partes quinque. Primo enim fit missio operariorum in vineam, secundo fit in sero remuneratio, tertio fit a primis murmuratio, quarto fit a patrefamilias eis responsio, quinto ponitur conclusio. Igitur missio operariorum primo fit cum dicitur : *Conventione autem facta ex denario diurno, misit eos in vineam suam.* In quo, fratres mei, pensandum est quod illis, qui mane mittuntur, fit ex denario diurno. Illis vero, qui mittuntur hora tertia vel sexta, vel nona, non promittitur denarius, sed tantum ei dicitur : *Quod justum fuerit dabo vobis.* Illis autem qui undecima hora mittuntur, nihil promittitur, sed increpantur, et in vineam mittuntur, cum eis dicitur : *Ut quid statis tota die otiosi! Ite et vos in vineam meam.* Et quare hoc, fratres mei? Quia illi qui tota vita sua in opere Dei desudant, juxta humanæ rationis judicium, integræ beatitudinis denarium promeruisse videntur. Qui vero partem vitæ suæ, in otio et vitio expendunt, et partem in Dei servitio, non usquequaque integrum beatitudinis denarium videntur promeruisse. Qui autem in finem bene operari incipiunt, vel nihil promeruisse videntur vel parum. Et revera, fratres, si quis totam vitam suam in bono consumat, dignior est eo qui in media vita, vel in fine bene operari inchoat, si fuerint ambo in eodem gradu charitatis et laboris. Sed sæpe, fratres, contingit, ut qui tardius exierunt,

priores velociori cursu præveniant, quia, sicut Hieronymus ait : « subitus fervor, longum vincit tepore. » Priores quippe sæpe ex longo labore lassescunt, et ex securitate spei tepescunt, et ex meritorum magnitudine se tardioribus præponunt. Cum econtra posteriores multoties ex sera conversione, fiant velociores, et ex timore fiant ferventiores, et ex brevi operatione sibi vilescant, et omnes sibi præponant, et ideo sicut Publicanus descendunt justificati ab illis (*Luc.* XVIII).

Sequitur pars secunda, in qua fit remuneratio cum subditur : *Cum sero autem factum esset, dixit dominus vineæ suæ procuratori : Voca operarios et redde illis mercedem suam, incipiens a novissimis usque ad primos*, etc. Per sero, fratres charissimi, finis mundi significatur, quando scilicet finitis laboribus, Deus Pater præcipit vineæ procuratori et redemptori, Domino scilicet nostro Jesu Christo, ut vocet operarios ad judicium et reddat illis mercedem suam. Quid est hoc quod ait : *Incipiens a novissimis usque ad primos*, præsertim cum judicium et retributio sit perficienda, non unius potius alium, sed potius, ut ait Apostolus, in ictu oculi? (*I Cor.* XV.) Prioritas et posterioritas ista, fratres, non ad tempus sed ad præmium referenda est. Omnes enim electi in eodem tempore, sed non eadem præmii mensura remunerandi sunt. Unde Dominus : *In domo*, inquit, *Patris mei mansiones multæ sunt* (*Joan.* XIV) ; et Apostolus : *Stella differt a stella in claritate. Alia est enim claritas solis, altera claritas lunæ* (*I Cor.* XV), etc. Quamvis igitur electi singulos accipiant denarios, tamen hic accipiet clarum, ille clariorem, ille clarissimum. Redditio enim denarii, in quo imago et nomen regis erat insculptum, nihil aliud est quam reformatio in nobis imaginis et similitudinis Dei, quæ per peccata erant in nobis deformatæ. Sicut vero unus denarius habet expressiorem in se imaginem et litteraturam quam alius, ita sanctior habebit in se expressiorem imaginem et similitudinem Dei quam minus sanctus. Ergo remuneratio incipit a novissimis usque ad primos, quando novissimi magis ferventes, primis minus ferventibus a Deo in mensura retributionis præponuntur.

Sequitur pars tertia, in qua primi arbitrantes quod plus essent accepturi, murmurant adversus patremfamilias dicentes : *Hi novissimi una hora fecerunt, et pares illos nobis fecisti, qui portavimus pondus diei et æstus.* Hæc murmuratio, fratres mei, ad statum vitæ præsentis referenda est. In cœlestem enim patriam nullus murmurans intrabit, nec intrans murmurare poterit. Sed in præsenti vita multi sunt qui in opere Dei, longo tempore sibi videntur laborasse ; qui si aliquos tardius incipientes scirent, sibi præponi vel æquari, murmurarent et dicerent : *Hi novissimi una hora fecerunt, et pares illos nobis fecisti, qui portavimus pondus diei et æstus*, quasi qui in opere Dei longitudinem temporis et ardorem carnis sustinuimus. Peccata autem quatuor modis incurrunt, tum quia judicium Dei reprehendunt, tum quia fratres suos despiciendo novissimos vocant, tum quia se de operibus jactant, tum quia fratres suos sibi æquari per invidiam dolent.

Sequitur pars quarta, in qua Dominus ei qui tam perverse loquitur vel meditatur, respondet per Spiritum, vel per Scripturam dicens : *Amice, non facio tibi injuriam.* Primo igitur ostendit judicium suum rectum esse, cum subdit : *Nonne ex denario diurno convenisti mecum?* Nemo, fratres, ex his verbis putet Deum, quasi ex conventione astrictum esse ad reddendum promissum. Sicut enim Deus est liber ad promittendum, ita est liber ad reddendum, præsertim cum tam merita quam præmia sint gratia sua. Nihil enim aliud quam gratiam suam coronat in nobis Deus, qui, si vellet in nobis agere districte, non justificaretur in conspectu ejus omnis vivens (*Psal.* CXLII). Unde Apostolus qui plus omnibus laboravit, dicit : *Existimo quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis* (*Rom.* VIII). Ergo hæc conventio nihil aliud est, quam voluntaria Dei promissio. Deinde reprehendit eos Dominus de contemptu fratrum, et de jactantia operum, dum eis æquat novissimos dicens : *Volo autem huic novissimo dare secundum opinionem tuam, sicut et tibi* in oculis tuis magno. An non licet mihi Domino facere misericordiam cui voluero? Postea eos reprehendit, quia fratres sibi æquari, per invidiam dolent, cum dicit : *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* Ecce, fratres, quam subtiliter describit malum invidiæ, quæ tam dolet, quam ipsa parum accipiat, quam quod alius aliquid accipiat. Nec tam desiderat se plus accipere, quam alios nihil accipere, et de alterius bono tabescit. Hanc, fratres, invidiam omni intentione devitate, cum qua ad cœlum nullus potest ascendere. Nam invidus qui flet cum gaudentibus, et gaudet cum flentibus, quam remotus est a charitate quæ dicit : *Flere cum flentibus, et gaudere cum gaudentibus* (*Rom.* XII).

Sequitur pars quinta, in qua Dominus concludit et adaptat similitudinem dicens : *Sic erunt novissimi primi, et primi novissimi.* Non est enim, fratres, hæc propositio universalis, sed indefinita, quoniam nec omnes novissimi erunt primi, nec omnes primi novissimi. Sed quidam qui videntur apud se, vel apud homines esse novissimi, erunt apud Deum primi. Et quidam, qui videntur apud se vel apud homines esse primi, erunt apud Deum in ordine justorum novissimi, vel etiam reprobati. Quare? Quia *multi sunt vocati, pauci vero electi.* Ecce, fratres, omnes ad vitam vocati sumus, ecclesiæ parietes replemus, solus Deus tamen novit qui sunt ejus (*II Tim.* II). Alii enim per exteriorem operationem nobis videntur esse electi, sed tamen a Deo interiora conspiciente reprobantur, ut Pharisæus (*Luc.* XVIII). Alii per exteriora mala nobis putantur esse reprobi, sed tamen per humilitatem et pœnitentiam interiorem, Deo sunt accepti, ut Publicanus (*Ibid.*). Alii bene incipiunt, sed finis eorum tepescit, et deficiunt, ut Ju-

das (*Matth.* xxvii). Alii male incipiunt, sed in finem conversi a Deo recipiuntur, ut latro, qui pene in eadem hora et pœnituit et exhalavit (*Luc.* xxiii). Nemo itaque, fratres, de operibus suis bonis præsumat. Nemo alium propter exteriora mala judicet vel condemnat. Nemo in longanimitate bonæ vitæ confidat. Nemo sero pœnitentem despiciat. Sed qui bene vixit, timeat ne cadat (*I Cor.* x), ne tepescat, ne propter præsumptionem corruat, ne propter contemptum fratris tardioris displiceat. Qui vero huc usque male vixit, audiat quod hic dicitur : *Quid hic statis tota die otiosi?* Timeat ergo talis ne morte præveniatur, nec tamen desperet, sed de immensa misericordia confidens, festinet, ploret, satagat, ut quod amisit in tepore, recuperet in fervore. Nemo dicat in undecimana hora, id est in senectute incipiam laborare, et tantumdem præmii recipiam quantum primi. Nemo hoc dicat, fratres, quia nemo de vespertina, necdum de præsenti hora certus est, quia nec vita, nec conversio in manu hominis est. Hora in qua quis moritur, est senectus sua. Omnes igitur in vinea Dei laborare festinemus. Duritiam cordium, timore de recordatione peccatorum nostrorum et consideratione gehennæ nato, quasi ligone commoveamus, sarmenta vitiorum, sarpa correctionis a nobis et aliis auferamus. Caveamus ne ventus aquilonis flores virtutum in nobis, ne fervor persecutionis fructus jam maturos in nobis ardeat, sed semper solliciti de animabus nostris, nunquam nos dignos, nunquam nos securos æstimemus, quousque præmia percipiamus repromissa, quod nobis concedat Pater et Filius et Spiritus sanctus. Amen.

HOMILIA XXVIII.

DOMINICA IN SEXAGESIMA.

Libenter suffertis insipientes, cum sitis ipsi sapientes (*II Cor.* xi), etc. Bipartita est hæc lectio, fratres charissimi. Primo enim reprehendit Corinthios, quibus hæc scribit, de hoc quod pseudoprædicatores recipiebant. Secundo se comparat et præfert illis prædicatoribus. Reprehendens ergo Corinthios de susceptione falsorum prædicatorum, ait : *Libenter sufferti insipientes, cum sitis ipsi sapientes.* Ideo enim insipiens est insipiens, quia putat se esse sapientem, et ideo non alienum sed suum vult semper facere consilium. Primus enim accessus est ad sapientiam intelligere se insipientem esse, et saniori consilio acquiescere. Porro sapientiores insipientes sufferre et recipere hoc intuitu debent, ut eos corrigant et doceant, ut non erroribus eorum consentiant, ut faciebant Corinthii, qui falsos prædicatores, legem tenendam esse cum Evangelio et alios errores prædicantes, suscipiebant, et eorum erroribus acquiescebant. Quorum (unde dolendum est) sunt etiam hodie similes in Ecclesia, qui quosdam gyrovagos et falsos prædicatores, libentius quam proprios prædicatores recipiunt, audientes libentius adulantes quam corripientes, loquentes placita quam loquentes vera. Et juxta quod Salomon ait : *Furtivæ eis aquæ dulciores sunt* (*Prov.* ix), sed, secundum Evangelium, vere oves proprii pastoris vocem cognoscunt et sequuntur, alienum autem non sequuntur, quia non noverunt vocem alienorum (*Joan.* x). Sunt autem, fratres mei, quatuor species prædicatorum : Alii autem mala prædicant, et male vivunt, et hæretici sunt, qui nec audiendi nec imitandi sunt, sed prohibendi. Alii male prædicant per ignorantiam, et in cæteris bene vivunt, et insipientes sunt. Qui etsi in moribus imitandi sunt, tamen audiendi non sunt. Alii bona prædicant et bene vivunt, et veri prædicatores sunt, qui et audiendi et imitandi sunt. Alii bona prædicant et male vivunt, qui audiendi sunt, sed non imitandi, de quibus dicitur : *Quæcunque dixerint vobis servate et facite, secundum vero opera eorum nolite facere* (*Matth.* xxiii). Tanta quippe est auctoritas veræ doctrinæ, quod per quemcunque perversum, et quocunque fine prædicetur, audienda est. Unde Apostolus : *Sive per veritatem, sive per occasionem Christus prædicetur, gaudeo* (*Philipp.* i) : Et contra, a quocunque honesto et quocunque fine prava doctrina prædicetur, audienda non est. Unde Apostolus : *Et si angelus de cœlo aliud vobis prædicaverit, anathema sit* (*Gal.* i). Quos autem insipientes sustinent Corinthii, exponit Apostolus cum subdit : *Sustinetis enim si quis vos in servitutem redigit.* Quibus sunt etiam hodie similes, qui simplices a libertate virtutum, in servitutem voluptatum et carnalium illecebrarum rediguut, dicentes cuncta ad usum hominum fuisse creata. Quibus, fratres mei, nolite consentire, quoniam qui intemperanter sequuntur licita, cadunt in illicita. Et ille solus in illicita non cadit, qui a licitis caute se restringit. *Sustinetis*, inquit, *si quis accipit* vestra, *si quis devorat* cibos vestros, *si quis extollitur* de sanctitate, vel nobilitate, *si quis in faciem vos cædit, quod dico secundum ignobilitatem.* Quia namque tanquam facie, ita nobilitate homo cognoscitur recte in faciem cædi, est per ignobilitatem contemni. Multi quoque sunt hodie, fratres mei, quibus et si falsi prædicatores prædicant non vera, sed grata et placita, sustinent eos sua devorantes, et de sanctitate se gloriantes, et cæteros negligentes.

Sequitur pars secunda, in qua Apostolus se comparat et præfert pseudo-prædicatoribus cum subdit : *In quo quis audet?* subaudis se commendare. *Et ego.* Sed quomodo, fratres mei, hic seipsum commendat Apostolus, cum idem alibi dicat : *Non enim qui seipsum commendat ille probatus est, sed quem Deus commendat* (*II Cor.* x). Et Salomon : *Laudet* inquit, *te alienus, et non os tuum* (*Prov.* xxvii). Et revera, fratres, si quis ad jactantiam seipsum laudat, non venialiter peccat. Non enim laudabilis est, qui seipsum laudat. Sed sancti cum sua bona numerant, non ob jactantiam hoc faciunt, sed ob necessitatem. Tres enim causas invenimus quibus sancti sua bona enumerare coguntur. Quando enim premuntur vehementi adversitate, ad augmentum spei et solatii sua bona coguntur enumerare, ut Job : *Oculus*, inquit, *fui cæco, et pes claudo. Si comedi buccellam*

meam solus, et non comedit pupillus ex ea (*Job* XXIX). Quando etiam volunt Deum judicem ad misericordiam sui inclinare, solent bona sua enarrare, ut Ezechias : *Memento*, inquit, *quomodo ambulaverim coram te in veritate* (*Isai.* XXXVIII). Quando etiam sancti prædicatores volunt persuadere, ut sibi magis acquiescant quam pseudo-prædicatoribus, solent se commendare et illis præferre, ut Apostolus in hoc loco : Commendat autem se apostolus in quatuor. in genere, in ministerio, in revelationibus, in humilitate. In primo se æquat aliis, in secundo et tertio se præfert eis, in quarto se humiliat aliis et sibi. De genere se commendat, et aliis æquat, cum dicit : *Hebræi sunt et ego*, etc. Nobilitas et probitas parentum ad nihil aliud valent sequacibus, fratres mei, nisi ad æmulationem imitationis. Hinc est quod antiqui imagines et probitates parentum solent depingere ad incitamentum filiorum et nepotum, ut eos ad patrizandum incitarent. Si tu vero degeneras, quare parentum tuorum nobilitatem jactas. Non te juvat, sed damnat. Non enim ex probis parentibus nasci, sed probos parentes imitari, laudabile est. Hinc est quod Dominus Judæis incredulis in patre Abraham gloriantibus, ait : *Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite. Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis facere* (*Joan.* VIII). De ministerio se aliis præfert, cum dicit : *Ministri Christi sunt et ego, ut minus sapiens dicam, plus ego.* Ac si diceret : In hoc, quod me aliis præfero, loquor ut minus sapiens, quoniam minus sapiens sapientium, est se aliis præferre. Unde et postea dicit : *Factus sum insipiens : vos me coegistis.* Non tamen in hoc quod se aliis præferebat, insipiens erat, quia non ad jactantiam, sed ob utilitatem subditorum hoc vere et sapienter faciebat. In duobus autem probat se plus cæteris ministrum Christi esse, quia plus sequitur et imitatur eum. in exteriori passione, ut in laboribus, in afflictionibus, in periculis, et interiori compassione, ut in sollicitudine omnium Ecclesiarum. Et quia infirmatur cum infirmo, uritur cum scandalizato. Hæc pensent prælati Ecclesiæ qui extolluntur et gloriantur de ministerio Christi, quia sunt sacerdotes, episcopi, et populorum magistri. Si sunt vere ministri Christi, imitentur eum, non in divitiis et deliciis, non in pompa et ambitione sæculari, quæ Christus semper detestatus est. Sed in eis in quibus imitatur eum Paulus, in passione exteriori, in laboribus, in afflictionibus, in jejuniis, in Ecclesiæ persecutionibus. Sint solliciti pro Ecclesiis, ut non eas exspolient, sed ut eas instruant et supportent. Lugeant cum lugentibus, gaudeant cum gaudentibus, infirmentur cum infirmantibus, fiant omnia omnibus. De revelationibus se commendat Apostolus, cum ait se raptum usque ad tertium cœlum. Hinc discant pastores Ecclesiæ rapi desiderio ad cœlestia, et ea per lectionem et contemplationem meditari, ut sint digni vocari viri desideriorum cum Daniele, quatenus Dominus aperiat eis secreta sapientiæ suæ, ad suam et aliorum utilitatem. Quod A vero Apostolus fatetur se nescire, an fuerit raptus in corpore et anima simul, an extra corpus, anima scilicet assumpta. Hoc fratres, contra illos erroneos est, qui affirmant se in una nocte corporaliter multas regiones transmeare, manducare, et bibere, et post remeare. Cum Apostolus Spiritu sancto plenus dicat se nescire quomodo in cœlum raptus fuerit, idem de humilitate se commendat, cum ait : *Et ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ angelus Satanæ qui me colaphizet*, etc. Ecce fratres mei, cum tot et tantis virtutibus sublimatus esset Apostolus, ad conservationem humilitatis, datus est ei a Deo stimulus carnis, et angelus Satanæ ad inquietandum et humiliandum eum. Et cum rogaret illum a se removeri, dictum B est ei a Domino : *Sufficit tibi gratia mea ; nam virtus in infirmitate perficitur.* Magnitudo enim virtutis solet superbire, nisi temperetur ex humilitate. Quæ humilitas tanta fuit in Paulo, ut contra morem hominum sæcularium, bona sua vix et coactus enarraret, infirmitates vero suas gaudens aperiret. *Libenter gloriabor*, inquit, *in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi.* Nemo igitur, fratres mei, nemo nostrum infirmitates, labores, et afflictiones fugiat, vel a se removeri deposcat, quia quod caminus auro, quod lima ferro, quod gelu sato, hoc confert tribulatio justo. Quid? Illum purgat, elimat, splendificat. Unde David, *Da mihi* inquit, *auxilium de tribulatione* (*Psal.* LIX), id est tribu- C lationem fac mihi in auxilium provenire. Oremus itaque fidelem animarum purificatorem, ut hic nos purget, nos purificet, ne in futuro, in furore suo arguat nos, ne in ira sua corripiat nos, sed statim exeuntes de corporali miseria, nos in thesaurum suum recipiat Deus et Dominus noster qui in Trinitate perfecta vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXIX.

DOMINICA IN SEXAGESIMA.

Cum turba plurima convenirent, et de civitatibus properarent ad Jesum, dixit per similitudinem : Exiit qui seminat seminare semen suum (*Luc.* VIII), et reliqua. Dominus et Redemptor noster, fratres charissimi, per omnia nos instruens, ut se persæpe figurate D loqui demonstraret, exposuit parabolam istam, ut in paraboli, quas per se non exponebat, significaret spiritualem intelligentiam similiter esse quærendam. Est igitur, ut ipse ait, semen verbum Dei, ager mundus, seminator Christus, qui de sinu Patris exiit, ut semen verbum Dei hoc in mundo seminaret, et etiam quilibet prædicator, qui secundum suum modulum de secreto contemplationis suæ ad erudiendum homines debet exire. Sed hominum, quibus semen verbum Dei proponitur, multæ species sunt. Nam quidem sunt, qui nec et illud audire volunt, ut illi quibus Dominus ait : *Qui ex Deo est, verba Dei audit : propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis* (*Joan.* VIII) : Et Propheta *Furor illis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ et obturantis*

aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantium (*Psal.* LVII). Aspis serpens est incurabilis veneni, quæ ne audiat incantationes, alteram aurem allidere terræ, reliquam obturare cauda perhibetur. Tales sunt homines quidam incurabilis malitiæ, qui aures intellectus sui obturant, hinc amore terrenorum, hinc amore posterioris partis suæ, id est carnis, ne verbum Dei audire velint. Illorum vero qui audiunt quatuor species sunt. Nam alii in tantum audiunt verbum Dei, ut nec ejus sapore vel opere delectantur, qui bene significantur per terram secus viam nulla sepe clausam, ubi semen conculcatur, et ab avibus aufertur. Corda enim talium clausa non sunt, sed omnium tentationibus spirituum patent. Venit spiritus luxuriæ, non prohibetur, sed intrat. Venit spiritus avaritiæ, non prohibetur, sed intrat. Venit spiritus vanæ gloriæ, non prohibetur, sed intrat; et similiter cæteri veniunt, nec prohibentur. Quia vero corda talium, frequentia malarum cogitationum trita et conculcata sunt, auditum verbum Dei in eis adhærere nequit, sed a spiritibus maliguis, qui tanquam aves aerii et agiles sunt, a memoria removentur. Alii vero audiunt verbum Dei, et cum desiderio percipiunt, et etiam aliquid boni agere incipiunt, sed a sollicitudinibus et voluptatibus divitiarum occupati, desistunt. Qui bene, fratres mei, significantur per terram spinis occupatam. Per spinas quippe dicit Dominus divitias significari, quia et si videantur delectare corpus, tamen animam aculeis curarum pungunt, et peccatis cruentant, et voluptatibus aggravant et exstinguunt. Cum enim divitiæ cum labore acquirantur, cum timore serventur, cum cupiditate augeantur, cum dolore perdantur, quid aliud sunt labor, timor, cupiditas, et dolor, nisi punctiones vere cruciantes animam? Hinc et de illis qui inter hujusmodi spinas delectantur, scriptum est: *Et esse sub sentibus divitias computabunt* (*Job.* XXX). Alii quoque audiunt verbum Dei, et cum gaudio suscipiunt, et aliquid boni agere incipiunt, sed tribulationibus et persecutionibus pressi, desistunt. Qui bene significantur per petram, quia altitudinem terræ et humoris, id est fidem et charitatem profundam non habent, et ideo fervescente sole persecutionis, arescunt, et non referunt fructum. Tales erant illi, quibus Dominus per prophetam promittit: *Auferam*, inquit, *cor lapideum a vobis, et dabo vobis cor carneum* (*Ezech.* XXXVI). Omnes supradicti non reddunt fructum, quia agrum cordis sui non bene colunt. De quibus per Salomonem dicitur: *Per agrum pigri hominis transivi, et ecce totum repleverant urticæ, et operuerant superficiem spinæ, et maceries lapidum destructa erat* (*Prov.* XXIV). Alii vero audientes verbum Dei, retinent corde optimo, et fructum afferunt in patientia. Qui recte significantur per terram bonam, quia sicut terra bona commendatum semen reddit multiplicatum, ita bonus homo auditum verbum, cogitando, operando, et docendo, sibi et aliis proficiendo, multiplicare non desistit. Afferet autem fructum in patientia, quia, nisi bona terra patiatur exstirpationes, arationes, frigus et calores, fructificare non potest. Ita nisi homo patienter exstirpet a se spinas et tribulos vitiorum, nisi duritiam cordis aret, vomere pœnitentiæ et compunctionis, nisi maceries carnis afflictiones et persecutiones patienter portet, verbum Dei in eo fructificare non potest. Seminato autem agro, cura non est removenda, quoniam nisi circumsepiatur satum, nisi sarciatur, nisi aves exterreantur, nisi temporum opportunitas a Deo postuletur, non veniet ad debitam maturitatis ubertatem. Suscepto quoque in corde verbo Dei, nisi vigili cautela cor a tentationibus custodiatur, nisi renascentia vitia diligenter extirpentur; nisi dæmones psalmodiis et orationibus abigantur, nisi assiduis votis incepti boni incrementum et multipheatio a Deo postuletur, non veniet ad fructus perfectionem. Reddit autem, teste evangelista alio, semen in bona terra fructum, aliud tricesimum, aliud sexagesimum, aliud centesimum (*Marc.* IV). Tres enim ordines sunt in Ecclesia, conjugati, vidui et virgines. Conjugati tricesimum, vidui sexagesimum, virgines centesimum percipient fructum, si perseveraverint bene in sui ordinis puritate. Et secundum gradum meritorum, erit ordo præmiorum. Vos igitur conjuges, si gradus vestri ordinem bene servetis, si amorem Dei uxoribus, filiis et cæteris omnibus præponatis, si conjuges cum freno modestiæ diligatis, si filios et familiam secundum Deum doceatis, si excessus vestros eleemosynis redimatis, si in mandatis Dei perseveretis, magni estis ante Deum. Vos autem, vidui viduæque, si gradus vestri religionem custoditis, si estis tanto Deo devotiores, quanto liberiores, si mente et corpore sanctimoniam habetis, si jejuniis, orationibus et eleemosynis vacatis, majores estis. Vos quoque virgines, viri vel feminæ, si estis virgines voluntate, non necessitate, vel timore, si toto desiderio cœlesti Sponso placere desideratis, si vos virtutibus potius quam vestibus exornatis, si ut prudentes non fatuæ virgines gloriam Dei, non mundi quæritis, maximi estis. Verumtamen, fratres mei, sicut aliquod argentum plus valet, quam aliquod aurum, ita aliquis conjugatus, aliquam viduam vel virginem merito potest superare. Melior quippe est conjugatus in Deo fervens, quam viduus vel virgo tepens. Itaque, fratres mei, omnes conversemur honeste, unusquisque in ordine suo. Diligamus Deum toto desiderio, mundum spernamus, carnem castigemus, vitia de nobis exstirpemus, verba Dei devoto corde suscipiamus, operando et docendo illa multiplicemus, ut fructum æternitatis recipere mereamur. Quod nobis præstare dignetur qui in Trinitate perfecta vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXX.

DOMINICA IN QUINQUAGESIMA.

Excellentiorem viam vobis ostendo. Si linguis hominum loquar et angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans aut cymbalum

tinniens (*I Cor.* XII, XIII), etc. Inter omnes gratias, quas, fratres mei, largitur hic nobis omnipotens et misericors Deus ad præmium æternæ beatitudinis promerendum, obtinet principatum vera charitas, Dei videlicet amor et proximi. Hanc commendat Apostolus quinque modis : primo, quod excellentior via est; secundo quod sine ea nihil cætera valent; tertio quod omnia vitia excludit; quarto, quod qui hanc habet, omnia habet; quinto, quod nunquam excidit. Ostendit igitur hic quod charitas est excellentior via, cum ait : *Excellentiorem viam vobis demonstro.* Est autem charitas excellentior via, quia magis extollens, magis expedita, magis propria. Magis extollens est, quia nihil plus extollit quam charitas, quæ de servis facit filios, de hostibus amicos, de hominibus Deos. Unde Dominus : *Jam non dicam vos servos, quia servus nescit quid faciat dominus ejus. Vos autem dixi amicos, quia omnia quæ audivi a Patre meo, nota feci vobis* (*Joan.* XV); et alibi : *Dedit autem eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus* (*Joan.* I). Et Propheta : *Ego*, inquit, *dixi : Dii estis, et filii Excelsi omnes* (*Psal.* LXXXI). Sicut enim charitas via est, qua Deus venit ad hominem : ita est via qua homo vadit ad Deum. Quia enim non bene conveniunt majestas et amor, ideo Deus amans hominem se coæquavit ei, ut eum secum sublimaret. Charitas est oleum, quod nimo premi non potest, sed super natat. Charitas etiam magis expedita via est, quoniam per eam compendiosius et facilius ad Deum ascendimus. Si enim magnam sapientiam, si magnam eloquentiam, si multas eleemosynas facere, si martyrium sustinere nequis, sufficit tibi si Deum et proximum vere diligis. Amor enim seipso contentus est ad merendum Deum, nec tantum Deum exspectat, sed cum jam habet, dum veraciter eum amat. Charitas etiam magis propria est Dei suorumque electorum, quoniam cum cætera bona possint etiam habere reprobi, charitatem soli possident electi. Hinc est enim fons proprius, cui non communicat alienus. Alieni enim sunt, quicunque audituri sunt hanc vocem : *Non novi vos* (*Matth.* VII). Hæc est tunica nuptialis, qua induti securi recumbunt. De hac Dominus : *Hoc est*, inquit, *præceptum meum ut diligatis invicem* (*Joan.* XV). Ac si diceret : Hoc est excellens et proprium mandatum meum, quo mei a non meis separantur. Itaque, fratres mei, ut filii et amici Dei esse mereamur, charitatem semper custodiamus.

Sequitur pars secunda, in qua Apostolus ostendit nulla quantumcunque bona sine charitate prodesse, cum subdit : *Si linguis hominum loquar et angelorum.* Magnum quippe bonum est facunda et eloquens prædicatio, sed sine charitate nihil prodest prædicanti, prodest quidem auditoribus. Sed prædicator qui non ex charitate, sed propter nummum vel gloriam prædicat, est quasi æs sonans aut cymbalum tinniens, id est alios ad Deum vocat, sed se sua voce conquassat et condemnat. Magnum bonum est prophetia de futuris, sed sine charitate nihil prodest. Nihil quippe profuit A Balaam, nihil Sibyllæ, nihil Caiphæ, quod futura Dei sacramenta prædixerunt. Magnum bonum est scire mysteria et sacramenta Veteris et Novi Testamenti, et omnem scientiam divinam et humanam, sed sine charitate nihil prodest. Nihil quippe Judæ profuere sacramenta, quæ cum cæteris apostoli habuit communia. Nihil prodest diabolo, quod, ut ait Ezechiel, cœlestia novit mysteria. Nihil Scribis et Pharisæis, falsisque doctoribus profuit habere scientiam sanctarum litterarum. Magnum bonum est habere omnium fidem ita perfectam, ut per eam transferantur montes ad litteram, vel dæmones a patientibus; sed sine charitate nihil prodest. Nihil proderit quibusdam, qui hæc et alia bona sine charitate fecerunt : Quin in judicio hoc se confitebuntur B fecisse : *Nonne in nomine tuo prophetavimus? Nonne in nomine tuo dæmonia ejicimus?* (*Matth.* VII.) Quibus non dicetur, Non habuissetis hæc dona, sed *Non novi vos* (*Ibid.*), quia sine charitate nihil habuerunt. Nihil enim prosunt hypocritis, qui ob vanam gloriam ea faciunt. Unde Jacobus : *Qui offendit in uno, factus est omnium reus* (*Jacobi* II). Ergo, charissimi, charitatem super omnia studeamus habere, sine qua cætera bona nil possunt valere.

Sequitur pars tertia, in qua ostendit Apostolus quod charitas omnia vitia excludit, cum subdit : *Charitas non æmulatur*, per invidiam, imo gaudet cum gaudentibus, et flet cum flentibus (*Rom.* XII). *Non agit perperam*, id est perverse, imo omnia facit C bono fine. *Non est ambitiosa*, non contendit de honore, sed de humilitate. *Non quærit quæ sua sunt*, sed quæ Christi; Christi enim voluntatem et gloriam quærit, non suam. *Non irritatur* per iram, *non cogitat malum;* fortis scilicet non solum ad non retribuendas injurias, sed etiam ad non curandas. *Non gaudet super iniquitate*, imo deflet, sic et cætera vitia charitas excludit. Unde et legitur : Qui charitatem habet, non peccat; non quia non peccet, sed quia non peccat ad mortem. Peccatum enim in fervore charitatis, est quasi gutta aquæ in igne, quæ eum non exstinguit, sed inflammat. Fervidam igitur, fratres, charitatem habeamus, ut in ejus fervore sordes peccatorum nostrorum excoquantur.

Sequitur pars quarta, in qua ostendit Apostolus. quod qui habet charitatem, omnes virtutes habet, D cum dicit : *Charitas patiens est* inter adversa, sed licet benigna est inimicis, eos etiam a quibus patitur, amans. *Congaudet veritati*, id est bono justitiæ. Unde et dicitur : *Beati qui esuriunt, et sitiunt justitiam* (*Matth.* V). *Omnia credit*, quæ scilicet de futura vita in Scripturis sacris leguntur. *Omnia sperat*, quæ scilicet a Deo sunt promissa. Quæ etsi differantur, *omnia sustinet.* Cæteras quoque virtutes habet, qui veram charitatem habet. Quarum quasdam etsi non habet in usu, habet tamen in affectu. Quamvis enim non habeat in se, habet tamen in aliis, de quibus gaudet tanquam de se. Teneamus itaque, fratres, charitatem, per quam omnia bona habentur, per quam lex adimpletur. Unde Propheta.

Omnis consummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis (*Psal.* CXVIII). Et Dominus, In hac tota lex pendet et Prophetæ (*Matth.* XXII).

Sequitur pars quinta, in qua ostendit Apostolus quod *charitas nunquam excidit.* Propterea nunquam cadet qui charitati adhæret. Vita enim futura non auferet, imo perficiet charitatem. Quæ enim nunc data est ad bene merendum, tunc dabitur in præmium. Cætera vero bona, quæ nunc habent locum, tunc cessabunt. Cessabunt prophetiæ, quia non erit tunc absens vel occultum quod de Deo videbitur. Cessabunt linguæ, quia res et cogitatio aperta, manifestari significationibus non egebunt. Cessabit scientia, quia tunc non erit specularis et umbratilis scientia, sed aperta Dei visio. Cessabit enim fides : ea enim quæ modo invisibilia credimus, tunc præsentialiter videbimus. Cessabit spes, quando obtinebimus quod sperabamus. Cæteris itaque cessantibus, tunc charitas augebitur et perficietur. Tunc enim ita diligemus Deum, quod ab ejus amore nullatenus poterimus separari vel tepescere. Pensemus ergo, fratres mei, pensemus toto corde, quanta, quam admirabilis erit beatitudo illa, ubi sancti illud, quod semper in hac peregrinatione desideraverant, speraverant, exquisierant, contemplabuntur, amplexabuntur, fruentur sine metu, sine defectu, sine invidia. Ubi etsi par non erit sanctorum claritas, tamen par erit gaudium. Omnia enim faciet communia amor unus, et voluntas una. Itaque, fratres mei, dilectionem Dei et proximi, quæ nobis erit præmium in patria, toto corde teneamus in via. Super omnia diligamus Deum, qui super nos est. In bono diligamus animam nostram, quæ intra nos est. Sicut nos, diligamus proximum nostrum, qui juxta nos est. Cum discretione nutriamus carnem nostram quæ infra nos est, quatenus pariter pervenire mereamur ad videndum Deum deorum in Sion, ubi est regnum sine termino, satietas sine fastidio, sanitas sine morbo, juventus sine senio, festum sine mœrore, gaudium sine fine, largiente Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXXI.

DOMINICA IN QUINQUAGESIMA.

Assumpsit Jesus duodecim discipulos suos, et ait illis : Ecce ascendimus Jerosolymam, et consummabuntur omnia quæ scripta sunt per prophetas de Filio hominis (*Luc.* XVIII), etc. Duobus capitulis distinguitur lectio ista, fratres charissimi. Porro in primo considerandum est secundum litteram, quare Dominus passionem et resurrectionem suam prædicere voluerit, et quare duodecim discipulis tantum, et quare secreto. Quare se passurum et resurrecturum prædixit? Ob tres causas, ut se Deum omniscientem demonstraret, ut se spontanee passurum probaret, ut discipulos suos contra mortis A suæ desperationem præmuniret. Quare duodecim tantum? Ut demonstraret tantum apostolicæ doctrinæ sequaces esse dignos, humanæ redemptionis agnoscere et participare sacramentum. Quare secreto? Ut sanctum non debere dari canibus, nec margaritas porcis demonstraret (*Matth.* VII). Unde idem ait : *Vobis*, inquit, *datum est nosse mysteria regni Dei, cæteris autem in parabolis* (*Marc.* IV ; *Luc.* VIII). Moraliter autem, fratres mei, instruit nos Dominus exemplo sui, quomodo supernam Jerusalem adire debeamus. Sicut enim ipse ascendendo Jerosolymam, patiendo, moriendo, resurgendo, ascendit in cœlum ad Patrem, ita nos, fratres charissimi, ima vitiorum vitando, tribulationes patiendo, mundo moriendo, anima et corpore resurgendo, ad cœlestem patriam B ascendere oportet. Ac si diceret Dominus : *Qui mihi ministrat, me sequatur. Et ubi sum ego, illic et minister meus erit* (*Joan.* XII). Itaque, fratres, totis viribus nitendum est. Nam si cum tanto sudore culmina montium ascendimus, quanto labore opus est gravitati nostræ nitenti ad cœlum? Teste enim Domino, lata et spatiosa est via, quæ ducit ad perditionem, et multi currunt per eam ; sed angusta et ardua est via, quæ ducit ad vitam, et pauci ascendunt per eam (*Matth.* VII). Facilis est enim, teste poeta (25), descensus Averni. Facile est quippe descendere de ingluvie ad libidinem, de libidine ad cupiditatem, de cupiditate ad avaritiam, et ita de vitio in vitium usque in æternam damnationem. Sed valde laboriosum est, fratres mei, ascendere ad abstinentiam, C de abstinentia ad continentiam, de continentia ad mundi contemptum, et ita de virtute in virtutem usque ad patriam cœlestem. Hanc ascensionem, fratres, non potest facere per se homo, nisi adjutus a Deo. Unde Dominus : *Nemo potest*, inquit, *venire ad me, nisi Pater meus cœlestis traxerit eum* (*Joan.* VI). Clamemus igitur ad eum, fratres, clamemus et dicamus ei : *Trahe me post te, curremus in odore unguentorum tuorum* (*Cant.* I). Nam, juxta Prophetam : *Beatus est vir, cujus est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit existens in valle lacrymarum in loco quem posuit* (*Psal.* LXXXIII). Et procul dubio fidelibus nihil de se, sed de Deo tantum D præsumentibus, benedictiones gratiarum *dabit legislator*, et ita *ibunt de virtute in virtutem*, *et* tandem *videbitur Deus deorum in Sion* (*Ibid.*). Tribulationes etiam, fratres charissimi, necesse est nos pati, dum ascendimus ad patriam, juxta illud Apostoli : *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum* (*Act.* XIV). Et alibi : *Omnes qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur* (*II Tim.* III). *Nam si in viridi ligno hoc* fuit, id est in Christo, in arido quid fiet? (*Luc.* XXIII.) Has tribulationes oportet justum pati. Necesse est illum pati, tradi, illudi, flagellari, conspui. Tradi Justum oportet, et hæc multitudo exemplorum te docet. A principio, Abel justus traditus est in manibus Cain (*Gen.* IV); Joseph justus

(25) Virgil. Æneid. lib. VI, vers. 126.

traditus et venditus est Ismaelitis (*Gen.* xxxvii) ; Job justus traditus est in manu diaboli : et ut magis mireris, ab ipso Deo. *Ecce*, inquit, *caro ejus in manu tua est ; verumtamen animam ejus serva* (*Job.* i). Dominus justus traditus est gentibus per manus Judæ et Judæorum, et hoc illi non possent nisi Pater, et etiam ipse seipsum traderet. Dicit enim de eo Apostolus : *Qui tradidit semetipsum pro nobis* (*Ephes.* v). Quia ergo, fratres mei, non est discipulus supra magistrum, si nos veri discipuli Christi sumus, si vere justi sumus, nos quoque necesse est tradi in manus impiorum, diaboli scilicet, et malignorum hominum. Sed nos respiciamus ad Christum traditum, et in eo consolabimur. Necesse etiam est Justum illudi. Illusus est Noe justus a filio (*Gen.* ix), Joseph a fratribus dicentibus : *Ecce somniator venit* (*Gen.* xxxvii). Elisæus a pueris dicentibus : *Ascende, calve* (*IV Reg.* ii). Christus a militibus indutus veste coccinea, spinis coronatus, et arundine sceptratus, et dictum est ei derisorie : *Ave, Rex Judæorum* (*Joan.* xix). Nos, fratres, si ascendere ad cœlum volumus, necesse est nos illudi, vel a diabolo per phantasticas illusiones, vel a falsis fratribus, nostram simplicitatem irridentibus, et hypocritas nos vocantibus. Sed nos respiciamus ad Christum illusum, et in eo consolabimur. Necesse est etiam Justum flagellari. Flagellatus est Job, flagellatus est Tobias, flagellatus est Dominus, et ligatus ad columnam, in qua usque hodie apparent vestigia sanguinis. Apostoli quoque flagellati sunt. Nos similiter, fratres, oportet flagellari, vel infirmitatibus, vel persecutionibus, vel injuriis, vel damnis. Sed nos, fratres, semper respiciamus ad Christum flagellatum, et in eo consolabimur. Necesse est etiam Justum conspui et respui. Spretus et contemptus fuit Joseph inter fratres ; spretus quoque David a suis dicentibus : *Quid nobis et filio Isai?* Spretus et Job a suis inter adversa : Spretus et Dominus, et vocatus filius fabri, et consputus, et inter iniquos projectus. Apostoli similiter spreti et facti tanquam purgamentum et omnium peripsema (*I Cor.* iv). Nos quoque, fratres, si justi sumus, necesse est nos a mundanis conspui et expui. Sed nos, fratres, contemnanus nos contemni, et respicientes ad Christum consputum, in eo consolabimur. Necesse est quoque Justum ad cœlos tendentem crucifigi et mori. Abel justus ab impio fratre occisus est. Isaias serratus est ; Jeremias lapidatus est, Christus crucifixus est, apostoli et sancti martyres variis tormentis passi sunt. Nos quoque, fratres, si ad cœlum ascendere volumus, necesse est crucifigi mundo, et si non materiali supplicio, tamen voluntario, ut scilicet mortificemus membra nostra quæ sunt super terram, secundum illud Apostoli : *Mortui estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo* (*Col.* iii). Sed etiam, fratres, mors corporalis benigne a nobis exspectanda et excipienda est. Necesse est etiam, fratres mei, justum resurgere de vitiis ad virtutem, de morte ad vitam, de tenebris ad lucem, *ut quemadmodum Christus resurrexit a mortuis, ita et nos in novitate vitæ ambulemus* (*Rom.* vi). Oremus igitur, fratres charissimi, Dominum, ut ipse trahat nos post se, faciat ab imis ad alta consurgere, det nobis suarum benedictiones gratiarum, ut ejus passionem, resurrectionem, et ascensionem, quantum possumus imitemur.

Sequitur : *At illi nihil horum intellexerunt. Erat enim verbum absconditum ab eis.* Idem hodie contingit, fratres charissimi. Nam cum prædicamus carnalibus hominibus, quod justos oporteat in hoc mundo tradi, illudi, flagellari, conspui, mori et resurgere : vel non intelligunt, vel contemnunt. Est enim divinum judicium eis absconditum. Et quando vident hic justum pati, putant eum vel non curari, vel reprobari. *Cum autem appropinquaret Jericho, quidam cæcus sedebat secus viam mendicans.* Hoc est secundum capitulum, in quo Dominus postquam prædixit discipulis suis passionem et mortem suam illuminat cæcum. In quo, fratres charissimi, ostendit se mori sponte, qui cæcos poterat illuminare. Appropinquans vero Jericho, illuminat cæcum. Porro Jericho *luna* interpretatur, per quam defectus nostræ mortalitatis intelligitur. Dum ergo Deus ad defectus nostræ mortalitatis accedit, humanum genus propter primam prævaricationem excæcat, vel ad Dei lucem intelligendam reddit. Fuit autem non parvi meriti iste cæcus, fratres mei. Habuit enim patientiam, fidem, orationis instantiam, petitionis electionem, impetrationem, obedientiam, gratiarum actionem. Patientiam quippe habuit, quia, quamvis duplici miseria, paupertate, scilicet et cæcitate premeretur, non desperat, sed innocentiam servans mavult mendicare, quam furari, quam rapere, quam fœnerari. Et hoc contra quosdam qui flagellis Domini abutuntur, et de quibus debuerunt fieri meliores, fiunt pejores. Et cum exigentibus meritis suis, aporiantur, vel excæcantur exterius, non corriguntur, sed excæcantur, et aporiantur interius, et fiunt usurarii, perjuri, rapaces et fures. De qualibus dicitur : *Curavimus Babylonem, et non est sanata* (*Hier.* li). Et alibi : *Omnes isti æs et stannum, in medio fornacis* (*Ezech.* xxii). Dominus enim, quantum in se est, eos per flagella sanat, sed ipsi non sanantur, sed sunt tanquam æs et stannum, cum rubigine sua in medio tribulationis. Sicut autem abundans, si eleemosynam comedat, dicitur comedere peccata populi, ita pauper vivens de eleemosyna, vivit de gratia. Fidem vero, teste Domino, cæcus habuit, quia eum, quem tam instanter ut sui misereretur, et se illuminaret, rogavit, hoc eum posse non dubitavit. Et hoc contra illos est, qui dubie et hæsitando petunt. Unde Jacobus : *Si quis indiget sapientia, postulet a Domino nihil hæsitans. Nam qui hæsitat, similis est fluctui maris, qui a vento movetur, et circumfertur* (*Jac.* i). Non autem æstimet homo talis, quod accipiat aliquid a Deo. Quantum autem vera fides ad impetrandum valeat, ostendit Dominus dicens : ***Si habueritis fidem quan-***

tum granum sinapis, dicetis monti huic : Transfer te, et jacta te in mare, et fiet (*Matth.* XVII ; *Luc.* XVII). Cum ergo, fratres, postulamus, cum magna fiducia fidei, quod postulandum est, postulemus. Orationis quoque instantiam habuit, quia quanto magis a turbis præeuntibus increpabatur, ut taceret, tanto magis clamabat : *Fili David, miserere mei*, usquequo et tumultum turbarum vinceret, et Jesum transeuntem, ad standum et ad miserandum commoveret. Quem nos imitantes, fratres charissimi, clamemus totis visceribus cordis ad eum : Fili David, miserere nobis. Et si turbæ, et tumultus vanarum cogitationum, vel malignorum spirituum, ut frequenter contingit, nos orantes disturbant et impediunt, ut ab oratione cessemus, Jesus propter teporem mentis nostræ nobis transit. Sed nos, fratres, turbas et phantasmata cogitationum, a nobis totis viribus repellamus. Et quanto plus nos infestant, tanto magis clamemus : Fili David, miserere nobis. Et tunc profecto Christus in cordibus nostris stabit, et nos per gratiam suam illuminabit. Petitionis electionem habuit, quia interrogatus a Domino : *Quid vis, ut faciam tibi?* Non petiit a Domino sicut a puris hominibus solebat panem temporalem vel argentum, vel aliquid tale, sed lucem, et puto quod utrumque petiit, sicut utrumque accepit. Quem nos, fratres, imitantes, petamus a Deo Patre luminum non aliquid transitoriam, sed lucem ; nec lucem quæ loco clauditur, et tempore terminatur, sed lucem divinæ visionis. Impetrationem habuit, quia sicut postulaverat et exterius et interius illuminatus fuit, quando dictum est ei : *Respice, fides tua te salvum fecit, et confestim vidit.* Quem nos, fratres, imitantes, nos illuminationem æternam impetraturos confidamus, si in ferventi postulatione perseveraverimus. Obedientiam habuit, quia, postquam vidit, eum secutus est. Videt enim et sequitur, qui bonum quod intelligit, operatur. Quod nos indignos prædicatores redarguit, qui per scientiam videmus, et tamen per operationem Christum non sequimur. Viam aliis demonstramus, et tamen nos pergere non curamus. Moneamus igitur nosmet, fratres charissimi, ad faciendum quod scimus, et quod prædicamus, quoniam servus sciens voluntatem domini sui, et non faciens, plagis vapulabit multis (*Luc.* XII). Gratiarum quoque actionem cæcus illuminatori suo egit, et alios exemplo suo agere fecit, quoniam subjungitur : *Et sequebatur eum magnificans Deum. Et omnis plebs, ut vidit, dedit laudem Deo.* Nos quoque, fratres mei, de immensis beneficiis non simus ingrati, sed ex toto corde, verbo et opere gratias agamus, ejus laudibus, quantum possimus, in hoc sæculo insistamus, ut in æternum eum videre et laudare mereamur. Per Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum Amen.

HOMILIA XXXII.

FERIA QUARTA IN CAPITE JEJUNII.

Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunis et fletu, et planctu, et scindite corda vestra, et non vestimenta vestra (*Joel.* II), etc. His verbis, fratres charissimi, olim hortabatur Dominus per prophetam populum suum, qui peccando recesserat a se, converti ad se. Porro quæ olim dixit Judæis, nunc quoque dicit nobis. Sunt autem hujus lectionis quatuor partes. Primo enim monet populum suum peccatorem ad se converti : secundo ponit causam quare debeat converti. Tertio ostendit qui debeant converti. Quarto qua utilitate. Primo igitur, fratres, monet nos Dominus ad se converti, cum dicit : *Convertimini ad me.* Ecce, fratres mei, quanta sunt viscera pietatis divinæ. Rogat nos qui rogari debuit. Offensus Dominus rogat servum fugitivum. Offensus sponsus rogat redire sponsam adulterantem. Unde ipse per Jeremiam prophetam Judeæ cum dæmonibus adulteranti clamat : *Si recedens uxor a viro, duxerit virum alterum, nunquid revertetur ad eam ultra? Nunquid non polluta et contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis, tamen revertere ad me dicit Dominus* (*Jer.* III). Quoties enim, fratres mei, anima criminaliter transgreditur, toties legitimum sponsum dimittit, et cum diabolo mœchatur. Hanc tamen hanc, infinitæ misericordiæ Dominus hortatur, ut redeat, et juxta prophetam rogat, ut audiat vocem post tergum monentis. *Convertimini*, inquit, *ad me.* Et quasi quæremus, quomodo ad te convertemur? Modum adjungit : *In toto corde vestro.* Quidam sunt qui convertuntur ad Deum, sed non in toto corde. Non enim in toto corde ad Deum convertitur, qui quoddam vitium propter Deum deserit, et in alio adhuc moratur. Quod, fratres mei, omnino caveamus. Nam impietas est a Deo, qui summa justitia est, veniam sperare dimidiatam. Deus enim aut omnia dimittit, aut nihil. Propterea quid prodest, fratres mei, sauciato omnia vulnera curasse, si unum restat mortiferum? Quid prodest etiam omnes aditus castri obserasse, si unus restat apertus per quem irruat inimicus? Itaque, fratres mei, omnia peccata a nobis avertamus, ut toto corde ad Deum convertamur. Sed nec hoc sufficit, nisi perpetrata etiam peccata in nobis puniamus. Unde et subdit : *In jejunio, et fletu, et planctu.* In duobus enim vera consistit pœnitentia, in evitatione peccati, et satisfactione commissi. Pœnitentia enim est perpetrata mala plangere, et plangenda non committere. Ad utrumque hic monet nos ne committamus plangenda, cum ait : *Convertimini in toto corde ;* et plangamus perpetrata, cum ait : *In jejunio et fletu et planctu, et scindite corda vestra et non vestimenta vestra.* Per hoc enim satisfactio de commissis peccatis nobis demonstratur, quæ consistit in tribus, in satisfactione operis, in compunctione mentis, in confessione oris. Porro ad satisfactionem operis nos hortatur cum dicit, *in jejunio.* Et quia non sufficit sine cordis pœnitudine et compunctione, subsequen-

ter ad compunctionem mentis nos hortatur cum dicit, *in fletu et planctu*. Per fletum quippe et planctum, interior compunctio sacerdoti propalatur. Sed quia nec operis satisfactio, nec mentis compunctio sufficit sine oris confessione habenti tempus et locum, ad confessionem nos hortatur, cum subdit, *et scindite corda vestra*. Quidam etenim sunt qui peccata sua tenent abscondita in corde, tanquam putredinem in ulcere. Sed scitis, fratres mei, quia ulcus non sanatur, nisi putredo prius ejiciatur. Ut ergo ulcera cordis nostri sanentur, putredo peccatorum per confessionem propaletur. Ad hoc, fratres mei, nos hortatur exemplo sui et alius prophetæ ad jejunium, cum ait : *Genua mea infirmata sunt a jejunio* (*Psal.* CVIII); et alibi : *Quia sicut cinerem tanquam panem manducabam* (*Psal.* CI); et ad compunctionem, cum subdit ; *et poculum meum cum fletu miscebam* (*Ibid.*) Et alibi : *A voce gemitus mei adhæsit os meum carni meæ* (*Ibid.*). Quasi diceret : Tantus erat dolor gemitus mei, quod ossa adhæserunt meæ carni. Et quis nostrum miserrimorum peccatorum facit hodie, quæ ille tam magnus et tam sanctus dicit se fecisse? Idem rursus exemplo sui ad confessionem nos hortatur, cum dicit : *Delictum meum cognitum tibi feci, et injustitiam meam non abscondi. Dixi : Confitebor injustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei* (*Psal.* XXXI). Porro in hoc quod postquam ait : *Scindite corda vestra*, adjungit, *et non vestimenta vestra*, morem reprehendit Judæorum, qui in afflictionibus scindebant vestimenta sua, magis quam corda sua. Quorum etiam hodie similes sunt qui pœnitentiam magis in exterioribus volunt ostentare, quam in interioribus habere.

Sequitur pars secunda, in qua ponit causam quare debeamus converti. *Quia benignus*, inquit, *et misericors est, patiens et multum misericors, præstabilis super malitia*. Quasi diceret : Convertimini ad Deum, quia ille facilis est ad recipiendum, quia benignus est naturaliter, et ompe bonum diligens. Et misericors etiam erga peccatores, qui non si statim convertantur, ipse tamen est patiens, eos ad pœnitentiam exspectans. Qui si abutantur Dei patientia, crimina criminibus addentes, ipse tamen super peccata multa est multum misericors, in tantum ut etiam sit præstabilis super malitia, id est ejus misericordia præstat et prævalet omni malitiæ, quoniam nulla quantacunque malitia, divinam potest vincere misericordiam. Ecce, fratres mei, quid sufficit pensare viscera divinæ misericordiæ. Ergo, fratres, nullus quantumcunque flagitiosus, quantumcunque facinorosus desperet, sed currat ad fontem David, qui, juxta prophetam, est patens in ablutione menstruatæ (*Zach.* XIII), quoniam omni converso, Deus convertitur : Et illi soli venia denegatur, qui ad Deum converti dedignatur. *Qui scit*, inquit, *si convertatur, et ignoscat Deus, et relinquat post se benedictionem? sacrificium et libamen Domino Deo nostro?* quasi nullus. Ponitur autem hæc conjunctio, si, pro quod non ; *sicut* et *ibi*. *Quibus juravi in ira mea : Si introibunt in requiem meam* (*Psal.* XCXIV). Ac si dicatur : Nullus novit quod Deus non convertatur, imo semper ad nos cum converti sperare potius debemus, quia piger ad pœnas, præceps ad præmia, velox, nec obliviscetur misereri Deus, nec continebit in ira sua misericordias suas (*Psal.* LXXVI). Sed relinquent post se, id est, conversis, benedictionem, sacrificium et libamen. Benedictio dicitur donum, sive gratia, realiter, quia propter eam donans benedicitur. Sacrificium vero fiebat olim de carnibus ; libamen de liquidis. Porro, fratres mei, dum peccator perseverat in peccato, Deo nec benedicere, nec sacrificare, nec libare potest ; quia *nec est speciosa laus in ore peccatoris* (*Eccli.* XV). Et juxta sapientem, *victimæ impiorum abominabiles* (*Prov.* XV). Sed Deus conversus dat peccatori gratiam, aperiens ejus labia, prius in vita, ut jam eum benedicere possit ; dat et ei sacrificium, id est mentis devotionem igne sancti Spiritus concrematam, unde Deo sacrificare et placere possit. Dat quoque ei libamen, id est, lacrymosam contemplationem, qua hic cœlestia desiderare, et quodammodo prælibare possit. Oremus ergo eum, fratres mei, ut secundum infinitam suam misericordiam convertatur et ignoscat Deus nobis, et relinquat nobis post se conversis benedictionem gratiæ suæ, unde ipsum benedicere valeamus ; et sacrificium cordis devoti et compuncti amore suo concremati, unde ipsum delectare possimus ; et libamen lacrymarum contemplari, unde gloriam bonitatis suæ in hac valle lacrymarum prælibare, præsuspirare, et prædesiderare queamus.

Sequitur pars tertia, in qua qui converti debeant, ostendit. *Canite tuba in Sion*, etc. Fratres mei, plaga generalis generali indiget medicina. Si enim unus peccasset, singulari remedio curari potuisset. Sed sicut olim in tempore Judæorum, ita et nunc in tempore Christianorum : *Omnes declinaverunt simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum* (*Psal.* XIII). Et sicut ait Isaias : *Omne caput languidum, et omne cor mœrens, a planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas.* (*Isai.* I). Fere nullum in toto corpore Ecclesiæ membrum est quod sit sanum. Nos enim sacerdotes et doctores Ecclesiæ, qui deberemus esse lux mundi (quod sine gemitu nequeo dicere), potius sumus fumantes quam flammantes. Et *si lumen quod* in Ecclesia *est, tenebræ sunt*, ipsæ, inquit, *tenebræ quantæ erunt* (*Matth.* VI). Quales sunt principes terrarum et judices? Raptores sunt, ut ait Propheta, impiis vespertinis et tributis, et exactionibus *devorant plebem sicut escam panis* (*Psal.* XIII). Et qualis est populus? *Omnes in sanguine insidiantur, et vir fratrem suum venatur ad mortem* (*Mich.* VII). *Non est veritas, non est misericordia, non est scientia Dei, in terra. Maledictum, mendacium, homicidium, furtum, adulterium inundaverunt, et sanguis sanguinem tetigit* (*Ose.* IV). Quia ergo omnes declinaverunt, omnes hortatur propheta ad pœnitentiam, ut cum generali edicto omnes ad Ecclesiam

convocentur, cum ait : *Canite tuba in Sion.* Quod nos, fratres mei, hodie fecimus, quando cum campanis ad ecclesiam vocati sumus.

Sanctificate, inquit, *jejunium*. Jejnnium, fratres, per se nullus meriti habetur, nisi bonis operibus sanctificetur. Monet ergo nos, ut per evitationem mali, et operationem boni, jejunium nostrum sanctificemus : Et tunc præcipue orationi, eleemosynæ, vigiliis, et cæteris bonis studiis insistamus. Deinde omnem gradum, omnem ætatem, omnem sexum præcipit convocari : majores, cum ait, *Convocate cœtum*, qui quasi rationabiles convocantur ; minores, cum ait : *Congregate populum*, qui quasi irrationabiles et bruti congregari debent et cogi ; ætatem cum ait : *Coadunate senes et sugentes ubera*, quoniam *nemo mundus a sorte, nec etiam infans cujus vita est unius diei super terram* (*Job.* XIV, 4 juxt. LXX), qui et si non actualiter, tamen originaliter, maculatur ; sexum cum ait, *egrediatur sponsus de cubili suo, et sponsa de thalamo suo*. Quos ideo dividit, quoniam in tempore jejuniorum a complexibus est abstinendum. Interponit etiam sanctificare Ecclesiam. Ecclesia autem sanctificatur, quando omne malum de ea aufertur. Sæpe enim peccatum unius personæ in totam redundat Ecclesiam. Nec solum peccatum principis, ut David, vel sacerdotis, ut filiorum Heli, sed privatæ personæ, ut peccatum Achor (26) qui furatus est laminam auream de anathemate Jericho ob cujus peccatum multi de populo ceciderunt (*Josue* VII). Hæc itaque, fratres mei, formidantes, de medio Ecclesiæ propellamus sacrilegos, et præcipue excommunicatos et contumaces, ne ob contagium unius sceleruti, pereant multi. Quod contra illos est qui excommunicatis communicare non timent, non attendentes quoniam qui tangit immundum, immundus est (*Levit.* XXII), et qui communicat excommunicato, excommunicatus est. Cum autem omnes moneat propheta ad pœnitentiam et emendationem, præcipue monet sacerdotes, quoniam sicut ruina sacerdotum est ruina populi, ita eorum profectus est profectus populi. Qui non solum pro suis, imo pro aliorum peccatis, tenentur plorare et orare, unde et subdit : *Inter vestibulum et altare plorabant* (27) *sacerdotes ministri Domini, et dicebant* (28) : *Parce, Domine, parce populo tuo*, etc. Porro tria jubet eos facere : stare inter vestibulum et altare, plorare, et pro populo orare. Inter vestibulum et altare, id est, inter Deum et populum debent stare sacerdotes medii, ordine, familiaritate et meditatione. Medii ordine debent esse, ut sicut sunt majores quantum ad Deum, ita sint majores quantum ad populum. Non enim debet esse sacerdos ut populus. Medii familiaritate, ut scilicet cum Deo et cum hominibus sint familiares per dilectionem. Medii meditatione, ut scilicet per intercessionem suam possint reconciliare et populum Deo, et Deum populo. Plorare etiam eos jubet non solum sua, sed etiam aliorum peccata. Sicut enim sacerdotes vivunt de oblationibus et eleemosynis fidelium, ita plorando, jejunando, et cætera bona faciendo, debent portare peccata eorum, ut sicut populus portat laborem pro sacerdote in temporalibus, ita sacerdos portet onus pro populo in spiritualibus. Sic plorabat Samuel Saul, cum audivit a Domino : *Usquequo tu luges Saul, cum ego projecerim eum* (*I Reg.* XVI). Orare etiam eos jubet, non solum pro suis, sed etiam pro aliorum peccatis. Unde tam pura et munda debet esse eorum oratio, ut Deum iratum possit placare, et populo reconciliare.

Sequitur pars quarta, in qua ostenditur quæ utilitas sequitur ex pœnitentia, cum subdit. *Et zelatus est Dominus populum suum, et pepercit populo suo.* Quasi diceret : Quem adversum minatus fuerat, conversum zelatur et recipit. *Ecce ego*, inquit, *mittam vobis frumentum vinum et oleum, et lætabimini in eis.* Olim Judæi carnales, qui ob carnalia serviebant, carnalibus promissis gaudebunt. Ut nos, fratres, si spirituales sumus, non promittit nobis ad se conversis temporale frumentum, vinum, aut oleum, quæ etiam infidelibus largitur, sed potius promittit nobis spirituale frumentum, vinum et oleum. Per frumentum quippe, quod prius ornat mensam, et cor hominis confortat, significatur prima virtutum fides, quæ mentem hominis confirmat. Per vinum, quod lætificat et inebriat mentem hominis, significatur spes cœlestium, quæ mentem nostram exhilarat, et desiderio vitæ cœlestis inebriat. Per oleum quod superfertur omnibus liquoribus, significatur charitas, quæ omnibus virtutibus superfertur. Has igitur magnarum charismata virtutum promittit nobis conversis Dominus, ut in eis et hic inter adversa hujus sæculi, et in futuro in æterna beatitudine lætemur contemplantes, et benedicentes Deum in sæcula. Amen.

HOMILIA XXXIII.

FERIA QUARTA IN CAPITE JEJUNIORUM.

Cum jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes (*Matth.* V). Quomodo, fratres charissimi, nobis sit jejunandum, Dominus in hac lectione nobis ostendit? Præcipit enim nobis quatuor : videlicet ut habeamus rectam intentionem in jejunio ; in mente misericordiæ compassionem ; in conscientia munditiam, in cœlo thesauri repositionem. Præcipit igitur primo nobis ut in jejunio habeamus rectam intentionem, non simulationem, cum ait : *Cum jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes*, id est nolite admodum hypocritarum tristitiam simulare. *Exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus jejunantes.* Non autem, fratres charissimi, prohibet Dominus jejunantibus tristitiam, nec pallorem vultus, nec candorem vestis, nec cætera hujusmodi, quæ sunt signa pœnitentiæ, quæ juste coram Deo a mul-

(26) Vulg. *Achan ;* alias *Achar*
(27) Vulg. *plorabunt.*
(28) Vulg. *dicent.*

tis habentur religiosis. Non prohibet siquidem ne habeantur, sed ne habere appetantur. Unde non ait : Nolite fieri tristes, sed *nolite fieri sicut hypocritæ tristes.* Qui enim tristatur de suorum recordatione peccatorum, vel de alieno malo, vel de dilatione patriæ cœlestis, bene contristatur. Unde Propheta : *Cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies* (*Psal.* L). Et alibi : *Heu me* (29), *quia incolatus meus prolongatus est !* Qui vero tristatur de amissione rerum temporalium, vel de aliqua re vana vel mala, male tristatur. Hypocritæ vero vel non tristantur, sed tristitiam simulant, vel si tristantur, simulant intentionem : quia simulant se ex bona intentione contristari ; cum ipsi de dilatione vanæ gloriæ, quam desiderant, contristantur. Quod ut melius possint simulare, a naturali colore, exterminant faciem suam, et artificiose eam pallere faciunt, sed quæ eis utilitas? *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam,* laudem scilicet humanam, propter quam totum illud faciebant. Cum igitur, fratres mei, jejunatis, cum eleemosynam datis, vel cum aliquid aliud bonum facitis, non faciatis illud ad laudem hominum, sed ad amorem Dei promerendum. Nam quæ vita miserabilior est vitæ hypocritæ, qui ob vanos hominum rumusculos et præsentem vitam perdet et futuram. Porro, fratres mei, perfectis, qui gloriam hominum non appetunt, et oblatam contemnunt, non est necesse pallorem vultus, et squalorem vestis evitare, vel sua bona opera abscondere, imo et peccarent, si absconderent, quoniam talibus dictum est : *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est* (*Matth.* v). Imperfectis vero, qui gloriam hominum nondum penitus contemnunt, et laudem oblatam respuere nesciunt, evitandus est pallor, tristitia et squalor vestis, et bona sua occulte facienda. Unde, et juxta litteram, hujusmodi imperfecto subdit Dominus, dicens : *Tu autem, cum jejunas, unge caput oleo,* quod scilicet Palæstini in solemnitatibus faciebant, *et faciem tuam lava, ne videaris hominibus jejunans, sed Patri tuo qui videt* (30) *in abscondito : et Pater tuus qui videt in abscondito,* id est in conscientia, *reddet tibi.* Spiritualiter vero præcipit Dominus in his verbis jejunantem habere in mente misericordiam. Oleo namque quod supernatat omnibus liquoribus, misericordia significatur, quæ superexaltat judicium. Unde et oleos (31) Græce, *misericordia* dicitur Latine. Per caput vero mens significatur quæ in toto homine principatur. Præcipit ergo Dominus jejunantem oleo caput ungere, id est gratia misericordiæ mentem impinguare. Est enim mens arida, quæ oleo non est impinguata. Quales sunt (unde dolendum est) hodie multi qui miserorum dolore, miseria et anxietate, non magis moventur quam si non homines, sed lapides essent. Sunt enim, ut ait Apostolus, *sine affectione, sine misericordia, sine fœdere* (*Rom.* I). Qui sicut immisericordes sunt, ita summum Judicem sibi sentient immisericordem. Scriptum est enim, *Judicium sine misericordia fiet ei qui non facit misericordiam* (*Jac.* II). Et Dominus in Evangelio : *Nisi remiseritis ex corde fratribus vestris, nec Pater vester cœlestis remittet vobis* (*Matth.* XVIII). Econtrario vero de piis et misericordibus Dominus dicit : *Beati misericordes, quoniam ipsi consequentur misericordiam* (*Matth.* V). Itaque, fratres mei, excludamus a nobis omnem duritiam et inhumanitatem, et induamus viscera misericordiæ. Et cum in omni tempore debeamus pinguescere oleo misericordiæ, juxta illud : *Oleum a capite tuo non deficiat* (*Eccle.* IX), tamen præcipue in diebus jejuniorum misericordia debemus supereffluere, quando de peccatis nostris misericordiam exspectamus. Scriptum est enim, *Misericordiam volo, et non sacrificium* (*Ose.* VI). Misericordia sine jejunio valet. Jejunium sine misericordia valere non potest. Cum igitur jejunamus, fratres mei, primo misericordiam habeamus in nos, juxta illud, *Miserere animæ tuæ placens Deo* (*Eccle.* XXX). Animæ nostræ tunc miseremus, quando a servitute vitiorum eam per pœnitentiam revocamus. Misereamur et proximorum nostrorum in nos peccantium eis dimittendo. Misereamur et malorum hominum, pro eis supplicando. Misereamur afflictorum et pauperum eis subveniendo, juxta quod Isaias dicit : *Frange esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam. Cum videris nudum operi eum, et carnem tuam ne despexeris* (*Isa.* LVIII). Præcipit quoque Dominus jejunantem habere munditiam in conscientia, si spiritualiter intelligamus hoc quod dicit, *faciem tuam lava.* Facies quippe per quam nos cognoscit Deus, conscientia est. Hanc ergo præcipit per pœnitentiam lavari, juxta illud : *Lavamini, mundi estote, auferte mala cogitationum vestrarum* (*Isa.* I), etc. Et illud Psalmistæ : *Amplius lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me* (*Psal.* L). Porro sine munda conscientia nec jejunium nec aliud bonum opus valet. Unde Dominus per Isaiam : *Nunquid hoc est jejunium dicit Dominus? quasi circulum contorquere caput suum, et saccum et cinerem sternere ? nonne hoc est magis jejunium quod elegi? Dissolve colligationes impietatis, depone fasciculos deprimentes* (*Isa.* LVIII). Lavemus ergo, fratres mei, maculas conscientiæ nostræ, singultibus, suspiriis et lacrymis veræ pœnitentiæ, quoniam lacrymæ lavant delictum, quod pudor est ore confiteri. Non quod lacrymæ sine confessione sufficiant, sed quia pudor ex crimine auget lacrymas in confitente. Faciamus, fratres, quod Psalmista exemplo sui nos facere monet : *Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo* (*Psal.* VI). Præcipit etiam Dominus jejunantem habere in cœlo thesauri sui repositionem, cum subdit :

(29) Vulg. *mihi.*
(30) Vulg. *est.*
(31) *Græce tamen* ελεος *et non* ολεος.

Nolite thesaurizare vobis in terra. In terra thesaurizat qui vel ad litteram divitias suas in terra, et ob terrenam intentionem abscondit, vel qui spem suam in terrenis ponit. In cœlo vero thesaurizat qui ad litteram per opera misericordiæ et justitiæ, divitias suas in cœlum transfert, vel mystice qui totam spem suam in cœlestibus confert. Quare autem in terra non sit thesaurizandum ostendit cum subdit : *Ubi ærugo et tinea demolitur, et fures effodiunt et furantur.* Porro ærugo corrodit metalla, tinea vestes ; quod ab his non tangitur, fures furantur. Per hæc ergo tria, omnis avarorum thesaurus perdendus esse significatur; aut enim relinquent divitias suas, aut relinquentur ab illis. Unde scriptum est : *Qui congregavit divitias, misit eas in sacculum pertusum* (*Agg.* I). Et alibi : *Thesaurizat et ignorat cui congregavit ea ; quoniam, cum interierit, non sumet omnia, neque cum eo condescendet gloria ejus* (*Psal.* XXXVIII). Mystice vero ærugo, id est superbia, et tinea, id est invidia, et fures, id est dæmones, thesauros sperantium in terrenis dissipant et perdunt. Spem vero thesaurizantium in cœlo, nec superbia, nec invidia, nec dæmones corrumpere possunt. Aliam etiam causam, ob quam non in terra, sed in cœlo thesaurizandum est, ponit cum subdit : *Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.* Ac si diceret : Quoniam cor nostrum in cœlestibus, non in terrenis figere debemus, ideo thesaurum spei nostræ semper in cœlo collocare debemus, ut multa antequam moriamur per eleemosynas ad cœlum transmittamus. Nam si recolligamus quot quotidie in usibus corporis, quot in vanis, quot in malis expendamus, fere nulla videbuntur, quæ pro salute animæ nostræ fecerimus, cum omnia pro salute ejus facere deberemus. Ploremus ergo, fratres, nihil vel parum nos in cœlo thesaurizasse, et quod minus fecimus, facere festinemus. Cogitemus quanta quotidie pro corpore expendimus, et plura pro salute animæ expendere satagamus. Illa quæ pro corpore expendimus, perdita reputemus. Illa quæ pro anima expendimus, bene collata gaudeamus, quatenus tam thesaurus quam cor nostrum sit in cœlo : et cum illuc in resurrectione ascenderimus, indelicientem thesaurum inveniamus, per Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus in æternum. Amen.

HOMILIA XXXIV.

DOMINICA PRIMA QUADRAGESIMÆ.

Hortamur vos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis (*II Cor.* VI). Duobus capitulis distinguitur hæc lectio, fratres charisssimi. In primo duo facit Apostolus : primo hortatur ne gratiam Dei vacuam in nobis habeamus, secundo ostendit quam gratiam præcipue in vacuum non debeamus habere. Hortans igitur nos primo ne vacua sit in nobis gratia Dei, ait : *Hortamur vos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Gratia, fratres charissimi, dicitur quidquid gratis datur. Nos autem nihil boni habemus, quod a Deo gratis non acceperimus. Unde idem Apostolus ait alibi : *Quid habes quod non accepisti?* (*I Cor.* VII.) Itaque, fratres, quidquid sumus, quidquid possumus, quidquid possidemus, Dei donum et Dei gratia est. Hortatur igitur nos Apostolus ut quamcunque a Deo acceptam gratiam non in vacuum habeamus. Sunt autem quatuor modi quibus gratia Dei in vacuum habetur. Primus est, quando de accepta gratia aliquis Deo ingratus existit, de quo Dominus arguit novem leprosos : *Nonne*, inquit, *decem mundati sunt, et novem ubi sunt? Non est inventus qui rediret et daret gloriam Deo, nisi hic alienigena* (*Luc.* XVII). Porro qui de accepta gratia Deo ingratus existit, meretur non solum non accipere gratiam accipiendam, sed etiam perdere perceptam. Hinc est quod sæpe videmus nonnullos qui, cum acceperint a Deo bonum ingenium vel magnam scientiam, quia tamen superbiunt, et Deo auctori ingrati existunt, accepta gratia in eis non augmentatur, sed potius minoratur. Quidam vere sunt qui, etsi in prosperis gratias agant, secundum illud : *Confitebuntur tibi cum benefeceris eis* (*Psal.* XLVIII), tamen in adversis tacent, vel murmurant, vel etiam, quod pejus est, flagellis, tempori et ordinationi Dei, et ita gratiæ Dei maledicunt. Sunt quippe flagella quibus nos Deus corripit, gratia magna et misericordiæ suæ magnæ signa. *Flagellat enim pater filium quem diligit* (*Hebr.* XII). Sicut e contrario non flagellare delinquentem divinæ iræ signum est, ipso attestante per Prophetam : *Jam*, inquit, *non irascar tibi, zelus meus recessit a te* (*Ezech.* XVI.) Hoc intelligens Sapiens, de illatis flagellis Deum benedicit, et ei gratias agit. Hinc est quod sanctus Job, uxore sibi imperante, ut benediceret Deo, et moreretur, ait : *Si bona suscepimus de manu Domini, mala autem quare non sustineamus?* (*Job* II.) *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est : sit nomen Domini benedictum* (*Job*, I). Nos itaque, fratres charissimi, hujus exemplo, tam in prosperis quam in adversis, Deo gratias agamus. In adversis enim lætari et Deum benedicere tantum est bonorum, cum in prosperis benedicere possit esse etiam malorum. Porro parum placet Deo vox confessionis, quam format exsultatio prosperitatis. Sed *in die mandavit Dominus misericordiam suam, et nocte canticum ejus* (*Psal.* XLI), ut scilicet in prosperis eleemosynam faciamus, et in adversis Deo psallamus. Secundus modus est, quando quis acceptam gratiam inutiliter abscondit, de quo damnatur, juxta evangelicam parabolam, piger ille servus, qui acceptum abscondit in terra talentum (*Matth.* XXV). Quod enim ibi talentum, hic gratia nuncupatur. Damnatur igitur, fratres, quicunque acceptam gratiam a Deo sive sapientiam, sive divitias, sive potestatem, sive ministerium, sive quamlibet aliam rem, non utitur et distribuit, ad profectum animarum. In quo illud pensandum est, quoniam talentum quod pigro aufertur, alii qui perceptis bene egerat, confertur. Quod quotidie, fratres charissimi, videmus quoniam gratia pigro aufertur, et ei qui in cæteris probus fuerat, confertur. Itaque, fratres, gratiam a

Deo acceptam non inutiliter abscondamus, sed eam aliis communicemus, ut inde et nobis et aliis proficiamus : Scriptum est enim : *Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis* (*Prover.* II). Et alibi : *Non retineas verbum in tempore salutis* (*Eccli.* IV) ; et alibi : *Thesaurus absconditus et sapientia abscondita, quæ utilitas in utrisque* (*Eccli.* XX). Sapientia enim nobilis possessio, distributa suscipit incrementum, et avarum dedignata possessorem, nisi publicetur, elabitur. Tertius modus est quando aliquis accepta gratia abutitur, ut ille qui scientia, vel divitiis, vel potestate, vel qualibet alia re, male utitur, inde persequendo Deum et proximum, unde Deo et proximo debuit servire. Unde Dominus, per Oseam, arguit Israelitas quod aurum, quod argentum, frumentum et vinum, lanam et linum, a Deo sibi præstita, Baal Deo suo offerebant (*Ose.* II). Quod etiam hodie faciunt qui sapientiam, vel eloquentiam, vel abundantiam, vel cætera bona sibi a Deo collata, contra Deum in usu criminum et diaboli servitio expendunt. Nos ergo, fratres, Deo de donis suis serviamus, et ad eum, a quo solo habemus, omnia referamus, qui solus est alpha et omega, α et ω (*Apoc.* I, XXII), omnium scilicet bonorum initium et finis. Quartus modus est, quando aliquis acceptam gratiam perseveranter non custodit. Nullum enim bonum, quod perseverantia caret, Deo placere valet. Unde in lege præcipitur, ut caput animalis cum cauda in sacrificiis offeratur (*Levit.* III, IX). Quoniam ille bene sacrificat, qui bene incipit et bene consummat. Hinc etiam Dominus per Joannem dicit : *Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ* (*Apoc.* II). Ac si diceret : Alias non dabo. Hinc per Ezechielem dicitur : *Si aversus fuerit justus, et fecerit iniquitatem, in iniquitate sua morietur, et omnes justitiæ ejus quas fecerat, non recordabuntur* (*Ezech.* III). Vos ergo, fratres mei, qui per peccata a Deo aversi estis, per pœnitentiam cito convertimini. Vos vero qui in bono proposito estis, perseverate, de bono in melius, in finem usque perseverantes.

Secundo ostendit Apostolus quam gratiam nos hortetur non in vacuum habere, cum subdit. *Ait enim Dominus*, scilicet per Isaiam prophetam de tempore gratiæ : *Tempore accepto exaudivi te, et in die salutis adjuvi te*, gratiam scilicet cooperantem conferendo. Quod Apostolus exponens subdit : *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis*, scilicet promerendæ. Ergo, fratres mei, gratia quam hortatur nos Apostolus, non in vacuum recipere, est gratia operans, qua Deus operatur primo in nobis sine nobis, cordis contritionem dando et peccata dimittendo. Est gratia cooperans, qua Deus post operatur in nobis et cum nobis, dans nobis facultatem ut faciamus bonum. Ipsum etiam tempus gratiæ, in quo Deus non solum gratias, sed etiam proprium sanguinem dedit in redemptionem generis humani, gratia potest appellari, in quo Deus plusquam in cæteris temporibus propitius est peccatori, gratis impium justificando, et gratias adjutrices conferendo.

Itaque, fratres mei, qui primam gratiam, id est peccatorum remissionem jam percepit, ingratus vel inutilis existendo, caveat ne in vacuum eam perceperit ; qui vero neutram adhuc in peccato perdurans accepit, timeat ne tempus acceptabile et diem salutis transeat otiose, sed potius tempore accepto clamet, ut Deus exaudiat eum, et trahat eum de lacu miseriæ et de luto fæcis (*Psal.* XXXIX). Clamet, inquam, dum licet, et pœniteat dum tempus habet. Quoniam pœnitentia in hac vita tantum valere potest, et salus promereri potest. In alia vita vero, non erit tempus seminandi, sed metendi, non promerendi, sed acciendi. Propterea, fratres charissimi, omni vigilantia caveamus ne tempus nobis præstitum ad salutem promerendam, in vacuum expendamus. Sed heu! fratres (quod sine gemitu dicere nequeo) spatium temporis datum ad pœnitentiam negligimus, et quando deberemus flere peccata, ea augemus. Magnam temporis partem transimus dormiendo, magnam otio vacando, magnam male agendo. Ecce, fratres, præteriit dies hesterna, non amplius reditura, et præsens hora jam non erit. Omne tempus more fluvii irremeabiliter transit. Itaque, fratres, illud modicum temporis, quod nobis a Deo datur, non inutiliter transeamus. Perdimus enim omne tempus illud, in quo de Deo, et de anima nostra non cogitamus. Videamus igitur ne diem, ne horam amittamus. Sed, sicut solebant antiqui Patres, in sero omnem diurnum laborem, et in mane nocturnam cogitationem, vel delectationem ad memoriam revocemus. Et si quid mali contraximus, pœnitentia tergamus ; si quid boni, magis augeamus, et tempus in quo nihil boni fecimus, nos amisisse ploremus ; et in tempore quod superest nobis, amissi damnum temporis recompensare satagamus. Cum autem universum tempus observandum sit nobis, maxime quadragesimale tempus observare debemus. Hoc enim quasi decima totius anni Deo consecrandum est, ut in hoc emendemus quod in cæteris temporibus transgressi sumus. Celebrate itaque, fratres mei, inchoata jejunia, non qualicunque modo, sed sicut ait propheta Joel : *Sanctificate jejunium* (*Joel*, II). Sanctificatur enim jejunium per pœnitentiam, per eleemosynam, et per orationem. Sic maceretur corpus per jejunii abstinentiam, quod humilietur, et purificetur anima per pœnitentiam, Dei misericordia imploretur per eleemosynam, mala repellantur et bona impetrentur per orationem. Consecrate jejunium vestrum, quia propter vos jejunavit Dominus noster Jesus Christus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXXV.

DOMINICA PRIMA QUADRAGESIMÆ.

Nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum, sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros (*II Cor.* VI), etc. In hoc secundo capitulo, fratres charissimi, hortatur nos Apostolus ut irreprehensibiles tanquam Dei

ministros nos exhibeamus. Cum autem ministri Dei universaliter possint dici quicunque gratiam a Deo sibi datam recte administrant, tamen ad ministros sanctæ Ecclesiæ specialiter refertur. Nos ergo, fratres mei, qui sumus ministri altaris, et dispensatores verbi Dei, monet Apostolus ut in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros. Sicut enim juxta Salomonem, malus princeps impios habet ministros (*Prov.* xxix), ita contrario conveniens est, ut sanctus Dominus sanctos habeat ministros. Unde ipse ait : *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum* (*Levit.* xix-xx). Multum enim Deum exacerbat minister fœdus. *Peccatori autem dicit : Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum* (*Psal.* xlix). Enumerat igitur Apostolus sex, in quibus præcipue nos tanquam Dei ministros debémus exhibere : in evitatione offensionis, in patientia afflictionis, in operibus bonis, in virtutibus, in verbo rectæ prædicationis, in justo usu prosperitatis et adversitatis. Primo igitur monet ut exhibeamus nos sicut Dei ministros in evitatione offensionis, cum dicit, *nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum*, videlicet, ut nec per inobedientiam, nec per negligentiam offendamus Deum, nec læsione, nec malo verbo, nec malo exemplo proximum. Porro cum omnes debeant cavere, ne Deum per obedientiam offendant, præcipue nos ministri Christi, qui etiam pro aliorum offensis intercedere debemus. Nam si aliquis de populo offendit, orabit pro eo sacerdos. Si autem sacerdos offenderit, quis orabit pro eo. Et si incantator percussus a serpente fuerit, quis medebitur ei? (*Eccle.* xii.) Caveamus etiam, fratres, ne per negligentiam Deum offendamus, quoniam, juxta Jeremiam, maledictus qui opus Dei negligenter agit (*Jerem.* xlviii). Corripiebat quidem Heli filios suos, sed quia tepide et negligenter (*I Reg.* ii), hoc fecit quod perditionem cum eis incurrit (*I Reg.* iv). Hoc contra quosdam nostrum est, fratres, qui in divino officio, in prædicatione et correctione, in oratione et lectione, et in cæteris tepidi et negligentes sumus, cum, juxta Joannem, Christus tepidos evomat (*Apoc.* iii) : et juxta Sapientem : *Homo dissolutus in operibus suis, sit super* (32) *opera sua dissipantis* (*Prov.* xviii). Læsione quoque proximum nos, ministri Christi, offendere non debemus, quin potius lædentes prohibere debemus et arcere. Nam percussorem episcopum esse Apostolus prohibet (*Tit.* i), et ille eum condemnat, qui dorsum suum exposuit ad flagella, et maledictus non remaledixit (*Act.* xxiii). Cavere etiam nos ministri Christi debemus, ne dicto proximum offendamus, ut scilicet non simus maledici, nec juratores, nec detractores, nec scurræ, nec turpiloqui, sed magis sermo noster sale sapientiæ conditus sit, ut præstet gratiam audientibus. Caveamus etiam ne malo exemplo alios errare faciamus. Offensionem quoque suo exemplo aliis ponit, qui vel male vel indiscrete agit. Propterea minister Christi caveat, ne penitus mala faciat, nec etiam bona indiscrete. Quod facit qui vel per cibum, vel per aliquod mediocre bonum scandalum ponit. Unde Apostolus. *Si cibo fratrem tuum offendis* (33), *jam non secundum charitatem ambulas* (*Rom.* xiv). Propter offensionem enim fratrum, non solum mala, sed etiam bona omnia illa, sine quibus haberi potest salus, evitanda sunt.

Secundo præcipit ut exhibeamus nos sicut Dei ministros, in patientia. Quæ in quibus necessaria sit, subjungit : *In tribulationibus*, scilicet persecutionum, juxta illud : *Fili, accedens ad servitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem* (*Eccli.* ii). Et hoc contra illos est qui volunt esse episcopi, sacerdotes et ministri Christi, ut hic pacem et tranquillitatem habeant, cum Dominus mittens discipulos suos ad prædicandum, eis dixerit : *Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos* (*Luc.* x). — *In necessitatibus*, subaudi famis, frigoris et paupertatis. Et hoc contra illos qui episcopi, sacerdotes, et ministri Christi volunt fieri, ut hic abundent divitiis et deliciis. Cum econtra Magister noster, qui hic fuit pauper, non habens ubi caput reclinaret (*Luc.* ix), dicat : *Qui mihi ministrat, me sequatur* (*Joan.* xii). Sed quomodo, fratres, divitiis oneratus discipulus nudum et expeditum magistrum potest sequi? *In angustiis*, scilicet periculorum. Et hoc contra illos est qui prælati et ministri Ecclesiarum ad hoc volunt fieri, ut sint securi. Qui enim plurimum est custos plus unde timeat, habet. Persona quippe privata de se sola timet. At pastor, et si de se securus est, tamen eum de ovibus semper timere necesse est : qui toties periclitatur, quoties aliqua ovium suarum periclitatur. *In plagis*, scilicet verberum. *In carceribus*, scilicet vinculorum. *In seditionibus* populorum, scilicet contra se commotionibus. Et hoc contra illos, qui ideo volunt fieri primates et doctores Ecclesiarum, ut sine injuria sine contumelia, sine inquietatione vivant. Verum si veri discipuli Christi sunt, injurias et contumelias patientur, cum ipse Magister dicat : *Non est discipulus super magistrum* (*Luc.* vi). *Si me persecuti sunt, et vos persequentur* (*Joan.* xv) ; et alibi : *Amen dico vobis, quia plorabitis et flebitis vos, mundus autem gaudebit* (*Joan.* xvi). Qui autem in hoc sæculo nescit pati vel plorare, probat seipsum discipulum Christi non esse.

Tertio præcipit ut exhibeamus nos sicut Dei ministros, in bonis operibus. In quibus? *In laboribus.* Et hoc contra illos est qui magistri Ecclesiarum ad hoc volunt esse, ut otiosi et desides fiant. Cum ipse qui hoc dicit Apostolus, propriis manibus laboraverit, et alios laborare fecerit, et dixerit : *Qui non laborat non manducet* (*II Thess.* iii). Et Psalmista : *Labores manuum tuarum quia manducabis. Beatus es et bene*

(32) Vulg. *frater.*
(33) Vulg. *Si enim propter cibum frater tuus contristatur.*

tibi erit (*Psal.* CXXVII). Et Hieronymus (34) : « Semper, inquit, aliquid operis age, ut diabolus inveniat te occupatum. » Otiositas enim inimica est animæ. Et hoc contra illos Ecclesiarum magistros qui, relictis laboribus necessariis, venationibus, aleis, ludis et cæteris vanitatibus intendunt. In vigiliis debent esse ministri Christi, vigiles semper esse, non solum in orationibus, sed etiam in regimine subditorum. Et hoc contra illos qui, vix etiam orto sole, ad ecclesiam surgere volunt, qui in cura salsamentorum et voluptatum plus vigilant quam in custodia animarum. *In jejuniis.* Jejunare debet minister Christi, et ut desideria carnis mortificet in se, et ut alios exemplo sui doceat jejunare. Nam sacerdos præpinguis et rubeus, qua fronte aliis abstinentiam et carnis macerationem audebit prædicare? Quarto præcepit ut exhibeamus nos sicut Dei ministros, in virtutibus. In quibus? *In castitate.* Cum castitas omnem deceat personam, præcipue decet sacerdotem. Unde et in lege quando-sacerdotes ministrabant in templo, separari jubebantur et ab uxoribus et a vino. Ipsi etiam gentiles, nonnisi castos constituebant sacerdotes. Quorum si aliquis vel aliqua de fornicatione convinceretur, vivens interficiebatur. Qualis ergo debet esse sacerdos evangelicus, qui assidue tenetur non animal, non incensum, sed Dei Filium immolare? Heu! quo animo, qua audacia sacerdos concubinarius, corde et corpore pollutus, audet contingere virginitatis Filium, mundatorem animarum? *In scientia*, divinarum scilicet et mundanarum rerum, quæ si cum charitate habeatur, utique virtus est. Et hoc contra illos qui dicunt parvam scientiam sufficere sacerdoti. Quem enim plus est necesse sapere quam judicem animarum? Debet igitur utrumque scire Testamentum, ut utroque cornu ventilet inimicos crucis Christi (*Psal.* XLIII). Et sit semper paratus reddere rationem de illa fide et spe quæ in nobis est (*I Petr.* III); et sit similis patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera (*Matth.* XIII). *In longanimitate*, patientiæ scilicet et spei, ut nulla gravedine vel longitudine adversitatum a virtute patientiæ et spei fatiscat. Et hoc contra illos qui quolibet damno etiam temporali moventur et muliebriter plorant, cum ministrum Christi tanta deceat fortitudo, ut omnia temporalia ridens amittat. *In suavitate*, scilicet ut minister Christi non exsecretur, non irrideat peccatores, sed potius suavitate verbi, et exempli, et veniæ, illos alat et alliciat. Et hoc contra illos qui arroganter intonant et exsecrantur in populum sibi commissum, calamum conquassatum conterentes, et lignum fumigans exstinguentes (*Matth.* XII). *In Spiritu sancto.* Ac si diceret : Non solum habeat minister Christi hanc vel illam virtutem, sed etiam ipsum fontem gratiarum, Spiritum sanctum : *In charitate non ficta*, ut scilicet, *non diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate* (*I Joan.* III). Ficta est charitas cum quis diligit in prosperis, et deficit in adversis. Hoc contra illos qui blandis verbis, liberalibus promissis et fictis obsequiis divites venerantur, quam non habent interius, exterius dilectionem simulantes. Quinto præcipit ut exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in verbo veritatis, secundum illud Isaiæ : *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum, et domui Jacob peccata eorum* (*Isa.* LVIII, 38); et alibi : *Væ mihi, quia tacui* (*Isa.* VI). Et Apostolus : *Prædica*, inquit, *verbum Dei, insta opportune, importune* (*II Tim.* IV). Debet autem verbum prædicator prædicare non suum, sed veritatis, quia scriptum est : *Annuntiabis eis ex me* (*Ezech.* III). Et Petrus : *Si quis loquitur*, inquit, *quasi sermones Dei* (*I Petr.* IV). *In virtute Dei*, subaudis, verbo veritatis proficiente : Quia nisi sit intus qui doceat, in vanum lingua laborat doctoris, quia *nec qui plantat, nec qui rigat aliquis est, sed qui incrementum dat Deus* (*I Cor.* III). Et hoc contra illos est qui sunt stulti et superbi, et qui se jactant in verbis suis, et in virtute sua, et in sapientia sua, non ut proficiant, sed ut gloriosi appareant.

Sexto præcipit ut *exhibeamus nos sicut Dei ministros*, in recto usu prosperitatis et adversitatis. Quod fiet, si minuti fuerimus, *per arma justitiæ a dextris et a sinistris*, ut videlicet justitia armemur, contra prospera et contra adversa, ut illa valeamus juste moderari, et ista æquanimiter pati. Exponensque dexteræ partes et sinistræ, subjungit : *Per gloriam et ignobilitatem*, subaudis, exhibeamus nos sicut Dei ministros, ut scilicet nec per vanam gloriam nobilitatis vel virtutis extollamur, nec per ignobilitatem hujus vel illius dejiciamur. Quod certe contra illos est qui nobilitatem parentum suorum jactitant, vel ignobilitatem illorum erubescunt. *Per infamiam et bonam famam*, ut videlicet infamiam bonorum operum splendore superemus. Vel si ora detractorum, nec per bona opera obstrui possunt, æquanimiter feramus, scientes quia Christus dictus fuit seductor, vorax, potator vini et amator meretricum, ut Mariæ Magdalenæ, et publicanorum, ut Matthæi (*Matth.* II) Bonam vero famam et operibus probemus, et per eam non nostram, sed Dei gloriam quæramus, et profectum proximorum, juxta illud : *Sic luceant opera vestra bona coram hominibus, ut glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est* (*Matth.* V). Quod vero dixerat *per infamiam et bonam famam*, exponens subdit : *Ut seductores et veraces.* A quibusdam enim habemur ut seductores, et tamen habemur ab aliis et sumus veraces. *Sicut qui ignoti* et reprobati habemur, a quibusdam, *et* tamen sumus *cogniti* Deo. *Quasi morientes*, id est digni morte dicimur a quibusdam, *et ecce vivimus.* Et hic vita virtutum, et in futuro vita æterna. *Ut castigati*, propter peccata nostra dicimur a quibusdam, et tamen non sumus mortificati. Notandum vero est, fratres mei, quod ait Apostolus, *ut seductores, sicut qui ignoti*

(34) Hieron. epist. 125 ad Rust. monach., Patrol. tom. XXXI, col. 1078.

quasi morientes, et econtrario dixit sine *ut*, sine *sicut*, sine *quasi*, *veraces*, noti *vivimus*, quoniam tanta debet esse in prædicatore sanctitas, quod non possit aliquis mala dicere de eo, nisi mentiendo. *Quasi tristes*, subaudi sumus inter miserias hujus sæculi, et tamen in spe vitæ cœlestis sumus gaudentes. *Sicut egentes*, rebus scilicet temporalibus, tamen multos divitiis cœlestibus locupletantes. *Tanquam nihil habentes, et omnia possidentes.* Pensandum quoque est hic, fratres mei, quoniam *sicut* tristes, *sicut* egentes, *tanquam* nihil possidentes dicit Apostolus. Et absolute dicit *gaudentes*, *locupletantes*, *omnia possidentes*, ostendens quod omnia temporalia non vere sunt, sed quasi in somnio apparent. Sicut enim loquitur qui in somno aliquid vidit; quasi equitabam, quasi currebam, et hujusmodi. Spiritualia vero et cœlestia bona, vere sunt, quoniam sempiterna. Divitiæ quippe, fratres mei, et gloriæ et honores hujus mundi, ita cito evanescunt, quod post mortem, nec etiam fuisse videantur. Unde Psalmista : *Dormierunt*, inquit, *somnum suum, et nihil invenerunt viri divitiarum in manibus suis* (*Psal.* LXXV). Econtra vero tristitia, egestas, et ignobilitas, quas patiuntur sancti in hoc sæculo, sic cito transibunt, ut post quasi somnum fuisse videantur. In futuro vero dabitur econtrario divitibus pro vanis divitiis vera et æterna paupertas; pro vana lætitia, vera et æterna tristitia, pro vanis honoribus, vera et æterna ignominia. Sanctis vero dabitur, pro vana hujus sæculi tristitia, vera et æterna lætitia, pro vana egestate, veræ et æternæ divitiæ; pro vana ignobilitate verus et æternus honor. Quibus nos adjungat Deus et Dominus no ster, qui in Trinitate perfecta vivit et regnat Deus. Amen.

HOMILIA XXXVI.

DOMINICA PRIMA QUADRAGESIMÆ.

Ductus est Jesus in desertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo. Et cum jejunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus, postea esuriit (*Matth.* IV). Quoniam quadragesimale Christi jejunium hodie, fratres charissimi, inchoamus, convenienter evangelica lectio historiam hujus jejunii continens hodie recitatur. In qua lectione hic primum nobis quærendum videtur quare Christus Deus et Dominus noster, qui in sua sanctissima carne nullam penitus sensit rebellionem, jejunare voluit et tentari. Jejunare igitur et tentari voluit ob tres causas : ob ministerium, ob triumphum, ob exemplum. Ob ministerium, quoniam voluit demonstrare se et suum jejunium per legem et prophetas fuisse præfiguratum. Jejunavit quippe legislator Moyses quadraginta diebus; jejunavit quoque et Elias, eximius prophetarum, totidem diebus. Jejunavit etiam et Christus, legis et prophetarum Dominus, totidem diebus. In quibus et præmia jejunantium pariter, fratres, attendamus. Jejunavit Moyses quadraginta diebus, et locutus est cum Deo, et accepit legem. Jejunat quoque et Elias, et cum Deo loquitur, et flammeo rapitur curru. Jejunat etiam Christus, et accedentes angeli ei ministrant. Sed cum Moyses et Elias homines utique puri, post quadraginta dierum jejunium, non legantur esurisse, quare Christus, verus Deus, voluit esurire? Triplici de causa, ut scilicet se verum hominem demonstraret, ut sua esurie voluntaria nostram necessariam redimeret, ut esuriendo, tentandi occasionem diabolo præberet. Ob triumphum quoque voluit Dominus jejunare et tentari, ut scilicet nobis de carne, de diabolo, et de mundo triumpharet. Vicerat quippe diabolus primum hominem parentem nostrum, tentando eum de tribus, de gula, de cupiditate, de vana gloria. De gula eum tentavit et vicit, quando eum ambire scientiam boni et mali persuasit. De vana gloria sive superbia eum tentavit et vicit, quando ut ambiret, ut Deus esset, ei persuasit. In his tribus, fratres charissimi, tota mundi malitia continetur, a quibus nos dehortatur Joannes, dicens : *Nolite diligere mundum, nec ea quæ in mundo sunt; quoniam quidquid in mundo est, est concupiscentia carnis, aut oculorum, aut superbia vitæ, quæ non est ex Deo Patre* (*I Joan.* II). Illis tribus victus homo fuit subjectus omni malitiæ, carnis, mundi et diaboli. Jejunare igitur et tentari voluit Christus, ut nobis triumpharet de diabolo, carne simul et mundo. Diabolus quidem, in iisdem tribus tentaverat et vicerat Adam, tentavit et Christum, sed ab eo devictus est. De gula quippe tentavit eum cum dixit : *Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.* Sed in tentatione sua Christus eum succumbit, cum ei dicit : *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* Ac si diceret : In tentando, de solo pane corporali mentionem facis, cum homini magis sit necessarius spiritualis. De cupiditate tentavit Christum, cum ei dixit : *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.* Sed in ipsa tentatione a Christo superatur, cum ei dicitur : *Scriptum est : Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies.* Ac si diceret : Nulla creatura eo cultu quo Deus, adoranda est. De vana gloria sive de superbia tentavit eum, cum dixit ei : *Si Filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim : Quia angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te, ne unquam offendas ad lapidem pedem tuum.* Sed in ipsa sua tentatione a Christo superatur, cum ei dicitur : *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Ac si diceret : Non est Deus tentandus, cum de ratione habemus quid faciamus. Porro cum diabolus hac præcipue intentione Christum tentaret, ut tentando an Filius Dei esset (quod maxime scire cupiebat), exploraret, Dominus ita ejus tentationes respondendo superat, ut eum semper dubium relinquat. Non enim ait, me adorabis vel me non tentabis, sed tantum in tertia persona testimonia legis induxit. Sic igitur diabolus victus et confusus fugit. *Et ecce angeli accedentes ad Christum* (35), *ministrabant ei.*

(35) Vulg. *Angeli, accesserunt et ministrabant ei.*

Quod victoriæ signum est simul et deitatis. Ob exemplum etiam jejunare et tentari voluit Christus, ut videlicet exemplo suo quomodo jejunare, et quomodo tentationibus resistere debemus, præmonstraret. Nec in faciendis solum instruxit nos, sed et in ordine faciendorum. Primo quippe baptizatur in Spiritu, et mox a Spiritu ducitur in desertum. Jejunat, esurit, tentatur, superat et ministratur ei. Nos quoque, fratres charissimi, sequentes exemplum Salvatoris nostri, si pure jejunare volumus, prius in spiritu baptizemur. Sed quoniam nos post baptismum lapsi, iterum rebaptizari non possumus, saltem vel per pœnitentiam, quæ est in Ecclesia lavacrum, emundemur juxta illud Isaiæ : *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite agere perverse, et discite benefacere* (*Isai.* I). Pœnitentia enim præcedere debet jejunium, sine qua, nec jejunium, nec aliquod bonum placere potest. Ut ergo Deo nostrum possit placere jejunium, mox in principio Quadragesimæ, festinemus ad lavacrum pœnitentiæ. Mundati vero per pœnitentiæ spiritum, non per nos, sed in seipso duce Spiritu ducamur in desertum, id est in vitam religionis. Quæ bene, fratres, dicitur desertum, tum quia a multis deseritur, et a paucis colitur, tum quia non habet luxus et luxurias voluptatum, sed sequitur asperitatem virtutum, tendens sursum per arduam viam et angustam. In hoc igitur, fratres charissimi, deserto, jejunemus quadraginta diebus, id est per totam hanc vitam præsentem, quæ per quatuor tempora protelatur. Jejunium autem est tam spirituale quam corporale. Spirituale jejunium est jejunare a peccato; corporale jejunium, est abstinere a cibo. Porro spirituale jejunium sine corporali semper valet : Corporale vero fine spirituali, nunquam valet. Unde Dominus per Isaiam : Quod est, inquit, jejunium quod elegi? *Nunquid tanquam circulum contorquere caput suum, et saccum et cinerem sternere? Nonne hoc est jejunium quod elegi, dicit Dominus? Dissolve colligationes impietatis, pone fasciculos deprimentes* (*Isai.* LVIII). Jejunemus igitur, fratres, dupliciter, et a peccato in mente, et a cibo in corpore. Verum, fratres, nobis qui per multa illicita offendimus, non sufficit nisi etiam a quibusdam licitis abstineamus.

Itaque ut per abstinentiam a licitis expiemus, ea quæ commisimus in illicitis omnibus, sed etiam a licitis quibusdam jejunemus, ut, cum liceat nobis edere pisces, bibere vinum, molliter indui et jacere, abstineamus. Et quod ita facere debeamus, ostendit Dominus, qui jejunantes Israelitas, non solum de illicitis, sed etiam de quibusdam licitis reprehendit per Isaiam, dicens : *In diebus jejuniorum vestrorum inveniuntur voluntates vestræ. Ecce ad lites et contentiones jejunatis, et percutitis pugno impie, et omnes debitores vestros repetitis* (*Ibid.*). Ecce arguit eos de hoc quod debitores suos repetebant, non quod hoc non sit licitum, sed quia qui vult bene jejunare, debet etiam a licito, et a quibusdam aliis abstinere. Debemus etiam, fratres mei, secundum Joel, sanctificare jejunium (*Joel.* I, II), quod utique fit per opera pietatis et misericordiæ. Eleemosyna vero sine jejunio valet; jejunium vero sine eleemosyna non valet. Unde Dominus per prophetam : *Cum jejunatis, nunquid mihi jejunatis? Et cum manducavistis et bibistis, nonne vobismet manducavistis et bibistis?* (*Zach.* VII.) Sibi et non Deo jejunat, et sibi et non Deo manducat et bibit, qui quod jejunando sibi subtrahit, non pauperibus erogat, sed sibi percipiendum reservat. Nos ergo, fratres mei, cum jejunamus, Deo non nobis jejunemus. Quæ nobis subtrahimus, pauperibus tribuamus, ad mensam nostram Christum in pauperibus recipiamus, nudos vestiamus, infirmos visitemus, captivos redimamus, sicut Dominus monet per Isaiam : *Dimitte*, inquit, *eos qui confracti sunt liberos, et omne onus disrumpe. Frange esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam : Cum videris nudum, operi eum, et carnem tuam ne despexeris* (*Isai.* LVIII). Esurire quoque ad exemplum Domini debemus, fratres charissimi, et corporaliter et spiritualiter. Corporaliter esurire debemus, ut videlicet non præveniamus esuriem, nec in fastidium vertamus, nec ultra modum extendamus. Esuriem, fratres mei, prævenire non debemus, quod faciunt, qui comedunt antequam esuriant, qui horam canonicam comedendi non exspectant. De quo vitio reprobatur Esau, qui modicum esuriei ferre non valens, ob modicum lenticulæ suam vendidit primogenituram. Nos vero, fratres, esuriem viriliter portemus, nec nisi in nona vel post nonam panem manducemus. Rursus nec esuriem in fastidium vertamus, quod faciunt qui viles cibos fugientes, deliciosis et exquisitis cibis, vel si hos non invenerint, vilioribus accurate et deliciose paratis, gulæ plus satisfaciunt quam naturæ. Ob primum vitium reprobantur Israelitæ, qui fastidientes manna, carnes malo suo postulaverunt. Ob secundum vero vitium, damnantur filii Heli, qui communes carnes sacrificii fastidientes, accurate sibi deorsum procurabant. At nos, fratres, semper ita esuriamus, ut viles cibos non fastidiamus, sed cibos viles et viriliter paratos, quasi delicias comedamus. Rursus nec esuriem nostram ultra modum protendamus; quod faciunt illi qui duos vel tres dies sine cibo manentes, tandem nimium esurientes nimiam rapiunt refectionem, in utraque nimietate peccantes pariter. Quod nos, charissimi, devitantes quotidie parum comedamus, quia melius est quotidie parum quam raro nimium manducare. Ita igitur comedamus, ut semper esuriamus, et ita semper esuriamus, quod quotidie parum comedamus. Quod utique jejunium tanto est sanctius, quanto habet magis temperantiæ, et vanæ gloriæ minus. Spiritualiter etiam esurire debemus illa utique fame quam Dominus promisit se missurum in terram, famem scilicet non panis, non vini, sed famem verbi Dei, de qua Dominus in Evangelio : *Beati*, inquit, *qui esuriunt et sitiunt Justitiam, quoniam ipsi saturabuntur* (*Matth.* V). Itaque,

fratres mei, esuriamus verbum Dei, lectioni, orationi, et sacræ Scripturæ meditationi avide insistentes; esuriamus et sitiamus justitiam et hic eam avide sectantes, et ad ejus futuram in alia vita perfectionem toto desiderio festinantes. Tentari etiam exemplo Christi nos oportet, fratres charissimi, a diabolo, qui bene incipientibus invidet et obsistit. Contra quem sapiens nos hortatur : *Fili*, inquit, *accedens ad servitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem* (*Eccli.* II). Quippe quandiu diabolo non resistis, obsistere non curat, sed cum resistere incipis, statim obsistit. Quandiu enim filii Israel fuerunt in Ægypto sub Pharaone, non leguntur tentati fuisse, sed ex quo incœperunt iter per mare Rubrum, tentantur de gula cum quærunt carnes in deserto, in terra promissionis; de luxuria, cum fornicantur cum Madianitis; de idololatria, cum fabricant vitulum; de gloria, cum petunt sacerdotium et principatum. Hæc omnia, fratres mei, in figura contingebant illis. Nos quoque, fratres mei, dum diabolo servimus, nos non tentat, sed cum incipimus ab eo discedere, et per baptismum pœnitentiæ, et jejunium deserti ab æternam patriam tendere, statim nos tentat. Sed nos sequentes Christum, qui non per potentiam, sed per humilem responsionem eum devicit, per humilitatem ei resistamus. Si nos suadet comedere, vel ante tempus, vel deliciose, vel intemperanter, ei respondeamus : *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei* (*Matth.* IV). Si suadet ut sibi, vel pecuniæ, vel luxuriæ serviamus, respondeamus. *Scriptum est : Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies* (*Ibid.*). Si tentat nos de gloria, ut in apertum nos præcipitet periculum, cum habeamus de ratione quid sit faciendum, respondeamus : *Non tentabis Dominum Deum tuum* (*Ibid.*); si tentat nos de luxuria, respondeamus; scriptum est : *Adulteros et fornicatores judicabit Deus* (*Hebr.* XIII); si de mendacio, respondeamus : *Perdes omnes qui loquuntur mendacium* (*Psal.* V); si de odio, respondeamus; scriptum est : *Qui odit fratrem suum, homicida est* (*I Joan.* III); et ad similes tentationes, similia inducamus de Scripturis testimonia. Si sic fratres, si sic fecerimus, Deo auxiliante, vincemus et fugabimus diabolum, et aderunt nobis tanquam victoribus angeli, et administratorii spiritus, concives et coadjutores nostri, quibus gaudium est in cœlis coram Domino super uno peccatore pœnitentiam agente, quam nos pure agere concedat, qui pro nobis jejunavit Jesus Christus Dominus noster, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus. Amen.

HOMILIA XXXVII.

DOMINICA SECUNDA QUADRAGESIMÆ.

Fratres, rogamus vos et obsecramus in Domino Jesu, ut quemadmodum accepistis a nobis qualiter vos oporteat ambulare et placere Deo, sic et ambuletis ut abundetis magis (*I Thess.* IV), etc. In prima hujus lectionis parte, fratres charissimi, rogat nos Apostolus, et obsecrat in Domino Jesu, id est per Dominum Jesum adjurat. De quo? non ut mundani homines de salute sua, sed de nostra. In quo ostendit se ut verum magistrum, et verum patrem paterno affectu de nostra salute sollicitum esse. Quem nos quoque, charissimi fratres, filiali affectu debemus audire et imitari. Non autem sufficit vero patri semel filium admonere, sed paterna sollicitudine eadem ei reiterat sæpe. Sicut ipse alibi dicit : *Eadem, fratres, repetere vobis, mihi quidem non pigrum, vobis autem necessarium* (*Philip.* III). Hinc est ergo quod admonitionem, quam prius fecerat, repetit cum subdit : *Ut quemadmodum accepistis a nobis qualiter oporteat vos ambulare et placere*, id est ambulando placere Deo, *sic et ambuletis, ut abundetis magis.* Comparat autem hic Apostolus vitam ambulationi. Qui enim recte ambulat, tria facit, proponit sibi metam ad quam festinet, viam intrat, movet se addendo passum passui, leucam leucæ, dietam dietæ, quousque ad propriam metam perveniat. Sic, fratres mei, sic quicunque vult recte vivere, metam sibi statuat Deum, viam intret, id est, fidem teneat. Proficiendo addat bonum opus bono operi, bonum studium bono studio, bonam dietam bonæ dietæ, ut sic ad Deum valeat pervenire. Non enim sufficit fides sine operibus habenti locum et tempus, sicut nec via sine progressu, quia, ut ait Jacobus, *fides sine operibus mortua est* (*Jac.* II) : et item, dicis quia credis, et dæmones credunt et contremiscunt. Sed nec sufficiunt opera sine fide, sicut nec celerrimus cursus extra viam. Itaque, fratres mei, si recte vultis ire, proponite vobis in omnibus finem Deum. Qui enim vadit et nescit quo, non ambulat, sed errat. Tenete fidei viam, quia sine fide impossibile est quidquam placere Deo (*Hebr.* II). Proficite etiam in operibus, sine quibus non est promovere, sed remanere. Quæ autem sit recta ambulatio et placita Deo, exponit cum subdit : *Hæc est autem voluntas Dei, sanctificatio vestra.* In quibus vero consistat sanctificatio, ostendit cum subdit : *Ut abstineatis a fornicatione, ut sciat unusquisque possidere vas suum in sanctificatione et honore*, etc. Consistit autem sanctificatio in duobus; in evitatione passionum desiderii, per munditiam, et in evitatione offensionis proximi per innocentiam. Porro spiritualem fornicationem ostendit evitandam cum ait, *ut abstineatis a fornicatione.* Dicitur autem idololatria recte fornicatio, quia sicut per temporalem fornicationem sponsa a sponso separatur, ita per idololatriam anima a spirituali sponso Deo sejungitur. Ideoque, fratres, semper firma fide Deo adhæreamus, eum nullorum malorum sed bonorum auctorem credamus. Credamus nos omnia bona quæ habemus ab eo accipere; sola vero mala a nobis esse. Credamus eum quoque remuneratorem omnium bonorum, ultorem vero malorum. Credamus et cætera quæ fides tradidit catholica. Passiones quoque desiderii monet per munditiam excludendas, cum subdit, *ut sciat unusquisque possidere vas suum in sanctificatione et honore, non in passionibus desiderii sicut gentes quæ ignorant Deum.* Vocat autem cor sine corpus nostrum vas, eo quod in ministerium Dei creatum est. De

quo alibi idem Apostolus : *Nonne licet figulo facere de eadem massa aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam* (*Rom.* IX). Et quidem, fratres mei, Deus omnia corda et corpora nostra, quantum in ipso est, fecit in honorem. Ille vero corpus et cor suum, vas contumeliosum facit, qui, per turpitudinem et fœditatem vitiorum, se turpem et immundum reddit. Monet ergo nos Apostolus *ut sciat unusquisque possidere vas suum in sanctificatione*, id est emundatione, ut scilicet omnis turpis cogitatio a mente, et omnis turpis actio a corpore, tollatur. Sciat etiam possidere vas suum *in honore*, ut scilicet cor corpusque nostrum virtutibus ornetur ut ita habitatore Spiritu sancto honoretur. *Non in passionibus*, inquit, *desiderii*. Passiones desiderii vocat omnes turpes voluntates, quibus gentes Deum ignorantes involvuntur, ignari Dei et vitæ æternæ; more ferino ad omnes carnis voluptates, tanquam ad magna bona, absque freno currunt. Sed si sunt passiones, quomodo sunt desiderii? Vel si sunt desiderii, quomodo sunt passiones. Passiones quidem, fratres mei, quantum ad spiritum sunt, qui per eas patitur, excæcatur et a Deo separatur. Desiderii vero sunt, quantum ad carnem, quæ in eis temporaliter delectatur. Contra hoc orat Psalmista : *Non tradas*, inquit, *me a desiderio meo peccatori* (*Psal.* CXXXIX). A desiderio suo peccatori traditur, qui per impletionem desiderati peccati diabolo mancipatur. Hinc etiam per eumdem prophetam Dominus dicit : *Et dimisi eos secundum desideria cordis eorum; ibunt in adinventionibus suis* (*Psal.* LXXX). Hoc, fratres mei, est signum magnæ iræ Dei, quando peccatoris desiderium non impedit, sed eum in desiderata peccata cadere permittit. Itaque, fratres, hæc mala desideria fugiamus, et munditiam mentis (quæ sola videbit Deum), omni vigilantia custodiamus, ut vas cordis et corporis nostri possideamus, et non ab eis possideamur, sed eorum pravos motus retundamus, ut inhabitatore Deo honorari mereamur. Offensionem quoque proximi evitandam nobis monet Apostolus, cum subdit : *Ne quis supergrediatur, vel circumveniat in negotio fratrem suum*, id est nec per violentiam, nec per fraudem, nec aperte, nec occulte ei noceat. Hoc præcipue negotiatores et mercatores confutat, et omnes qui faciunt lucrum sibi cum damno proximi, cum lex dicat naturalis : « Non facias alii quod tibi non vis fieri; » qui habent apud se pondus et pondus, mensuram et mensuram, ulnam et ulnam, cum dicat Salomon : *Pondus et pondus, statera et statera, utrumque est abominatio apud Deum* (*Prov.* XX). Qui jurant ut fallant, juxta quod idem Salomon dicit : *Malum malum est, dicit omnis emptor, cum autem recesserit, tunc gloriabitur* (*Ibid.*). Confutat etiam nihilominus illos qui in judicio opprimunt pauperem prece vel pretio, jura subvertentes, ut jungant domum ad domum, vineam ad vineam, agrum ad agrum. Quod, fratres mei, omnimodo cavete, quoniam, ut subjungit Apostolus, Deus vindex est talium (*I Thess.* IV). Puniet videlicet qui prædicta operantur, vel temporaliter ad purgationem, vel æternaliter ad damnationem. Nos ergo, fratres, dum licet, peccata nostra lacrymis abstergamus, fide et obedientia Deo adhæreamus, vas nostrum per munditiam sanctificemus, et innocentiam proximis exhibeamus, quoniam, ut subjungit Apostolus : *Non vocavit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem et honorem, ut simus sancti, sicut et ipse sanctus est*, misericordes sicut ipse misericors est, justi sicut ipse justus est, et in futuro gloriosi sicut et ipse gloriosus est, dii sicut ipse Deus est. Quam sanctificationem, et quem honorem det nobis qui inhonorari voluit propter nos Dominus noster Jesus Christus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus. Amen.

HOMILIA XXXVIII.

DOMINICA SECUNDA QUADRAGESIMÆ.

Egressus Jesus secessit in partes Tyri et Sydonis, et ecce mulier Chananæa, de finibus illis egressa, rogabat eum dicens (*Matth.* XV), et reliqua. In hac sancti Evangelii lectione, fratres charissimi, primo quæ ad litteram, secundo quæ ad allegoriam, tertio quæ ad tropologiam pertinent, videamus. Primo igitur juxta litteram, commendantur nobis magnæ virtutes istius mulieris. Cujus eo magis admiranda est devotio, quia cum esset gentilis et expers legis et prophetarum, tamen sanctarum, quæ in eis continentur, non fuit exspers virtutum. Habuit quippe fidem, fervorem et humilitatem; fidem habuit, quando Christum ut Deum adoravit, et eum absentem filiam sola voluntate sanare posse credidit. Fervorem mentis habuit, quæ tam devote non minus mente quam voce clamavit, quod apostolos ad interpellandum pro se commoverit. Perseverantiam habuit, quando primo et secundo quasi spreta, tamen a precibus non destitit, donec petitum impetravit. Humilitatem habuit, quæ non solum canibus, sed etiam catulis sese comparavit, et se indignam indicans panis micas cadentes postulavit. Et quia talis tantaque fuit, ideo a Domino in fide laudari, et in postulato meruit exaudiri. Mystice vero mulier ista collectam de gentibus significat Ecclesiam. Quæ de errore idololatriæ et sorde vitiorum egressa, rogat Dominum pro qualibet suæ congregationis persona a diabolo dementata. Qui enim laborat ingluvie vel luxuria, vel avaritia, vel ira, vel invidia, cæterisve vitiis, a diabolo vexatur. Et tanto pejus, quanto scienter et spontanee ei famulatur. Quod si sancta Ecclesia pro hujusmodi persona, Dominum cum firma fide, cum magna devotione, cum perseverantia et humilitate rogaverit, per intercessionem apostolorum aliorumque sanctorum exaudiet Dominus, et personam, pro qua rogaturus fuerat, a potestate diaboli liberabit. Propterea, fratres charissimi, quando videmus in Ecclesia personam diabolicæ servituti mancipatam, non cessemus a precibus, sed clamemus corde, clamemus voce, clamemus communiter, clamemus singulariter, clamemus perseveranter. Sed si teste Jacobo, *multum valet deprecatio justi assidua* (*Jac.* V), multo magis plus valebit multorum assidua deprecatio iustorum. Nec

simus, fratres, de numero illorum, qui malis christianis, et falsis fratribus, non solum non compatiuntur, sed etiam exsecrantur. Et non solum eorum conversionem non rogant, sed etiam timent, et quasi peccatores nunquam fuerint, peccatores invenire veniam nolunt. Et quare hoc? Quoniam viscera charitatis non habent, non attendentes quoniam *Judicium sine misericordia fiet ei qui non fecit misericordiam* (*Jac.* II). Nos ergo, fratres, viscera charitatis et misericordiæ semper habeamus, præcipue peccatores ad emendationem precibus et admonitionibus revocare satagamus. Si enim, fratres mei, magis compatiendum est misero, magis compatiendum est iniquo quam egeno. Et si Deus non venit vocare justos, sed peccatores (*Matth.* IX), nos exemplo ejus peccatores ad conversionem vocemus, scientes *quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte, et operit multitudinem peccatorum* (*Jac.* V), non solum alienorum, sed etiam propriorum. Tropologice etiam hæc mulier docet nos quid unaquæque persona pro filia sua, id est anima sua, a diabolo male vexata, Dominum rogatura facere debeat, quid petere, et quomodo, et per quos impetrare valeat. Rogatura enim hæc mulier pro filia sua a dæmonio vexata, exiit de finibus suis, et ad Deum accessit. Exeamus primo de veteri et mala conversatione nostra per pœnitentiam, et mente accedamus ad Dominum; deseramus mente vitia et peccata nostra, et fide, spe et amore sequamur Dominum. Hinc ipse dixit ad Abraham : *Egredere de terra et de cognatione tua, et de domo patris tui*, etc. (*Gen.* XII), id est, egredere de amore terrenorum, et de cognatione carnalium vitiorum, et de potestate diaboli, et bonis spiritualibus te ditabo. Et Psalmista, *Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum et domum patris tui* (*Psal.* XLIV). Qui enim adhuc mente in peccato habitat, in vanum laborat. Unde dicitur : *Cum levaveritis ad me manus vestras, non exaudiam vos, manus enim vestræ sanguine plenæ sunt* (*Isa.* I). Petiit autem mulier non aurum, non argentum, non honores, sed tantum filiæ suæ salutem. Petamus et nos, fratres, a Domino non transitoria, sed æterna, non terrenam substantiam, sed tantum animæ nostræ salutem. Sic enim Dominus in Evangelio jubet : *Nolite*, inquit, *solliciti esse, dicentes : Quid manducabimus, aut quid bibemus? sed primum quærite regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis* (*Matth.* VI). Qui enim vana postulabat et vane, vanus est. Vane autem ideo dico, quoniam cum Ecclesia rogat pro fructibus terræ, et pro cæteris temporalibus bonis, quoniam non vana intentione, sed in Deo et ad Deum hoc postulat, non ideo vana est. Sed qui vana, et vana intentione postulat, ille utique vanus est. Qui autem mortem vel damnum vel ultionem inimici sui petit, malus est. De qualibus Jacobus ait : *Petitis enim et non accipitis, eo quod male petatis* (*Jac.* IV). Ostendit quoque hæc mulier quomodo petendum sit, quæ cum fide, cum desiderio, cum perseverantia, cum humilitate postulavit. Petamus et nos, fratres, cum firma fide, ut bonum æternum, quod poscimus, Deum potentem dare credamus, et nos consecuturos cum certa spe præstolemur. Qui enim in aliquo istorum dubitat, vel de se desperat, vel non bene credit, vel non bene sperat, et ideo non consequetur quod rogat. Unde Jacobus : *Si quis*, inquit, *indiget sapientia, postulet a Deo qui dat omnibus affluenter, et non improperat. Postulet autem in fide nihil hæsitans, nam qui hæsitat similis est fluctui maris, qui a vento circumfertur* (*Jac.* I). Non ergo æstimet ille se accepturum aliquid a Deo. Petamus et cum desiderio, fratres mei, clamantes plus corde quam voce, sicut Moyses et Susanna tacentes clamabant. Non oremus solis labiis, sicut illi quos accusat Dominus, dicens : *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me* (*Matth.* XV). Non oremus tepide, quoniam tepidos vanæ cogitationes infestant, et juxta Salomonem, *muscæ morientes perdunt suavitatem unguenti* (*Eccle.* X). Et si nos infestaverint vanarum phantasmata cogitationum, nos magno fervore eas a nobis repellamus, sicut scriptum est : *Quoniam descenderunt volucres cœli super sacrificia, et abigebat eas Abraham* (*Gen.* XV). Non oremus multiloquio sicut hypocritæ, sed sicut Dominus ait : *Cum oraveris intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora patrem tuum* (*Matth.* VI). Ad litteram, fratres, secretum sacratumque locum eligere debemus ad orandum. Sed et mystice intra secretum cordis nostri nos debemus concludere, tam intentione quam cogitatione, ne ad exteriora pervagemur, et ostium sensualitatis nostræ obserere debemus, ne vanæ cogitationes et diabolicæ tentationes, quæ maxime orantes infestare solent, ab orationis contemplatione nos valeant perturbare. Petamus et cum perseverantia. Nam et si Deus postulata differt, non tamen aufert. Deus enim non spernit preces pauperum, sed ideo differt ut plus rogemus, et plus rogantes, plus mereamur. Unde ipse in Evangelio jubet nos perseveranter postulare. *Petite*, inquit, *et accipietis; quærite, et invenietis. Quærite* operando, *pulsate* perseverando. *Omnis enim qui petit* perseveranter, *accipit, et qui quærit, invenit, et pulsanti aperietur* (*Luc.* XI). Petamus et cum humilitate, fratres charissimi, reputantes nos immundos canes, et ad vomitum sordium nostrarum sæpe reversos : pane filiorum, apostolorum scilicet et martyrum et aliorum sanctorum gratia indignos. Sed flagitemus aliquantulas largitatis suæ minucias nobis immeritis impertiri. Per quorum vero intercessiones a Domino mereamur audiri, demonstratur nobis in muliere ista, quæ per intercessionem apostolorum a Domino postulatum impetravit, dicentium : *Dimitte illam, quia clamat post nos.* Clamemus et nos, fratres mei, post Dominum, et post apostolos cæterosque sanctos : clamemus suspiriis, clamemus et lacrymis, quatenus devotione cordis eorum viscera commoveamus, ut

pro nobis sancti apud Deum intercedant. Quod utique, fratres, fiet, si Deum in sanctis suis honoraverimus, si eorum altaria donis et luminaribus illustraverimus, si solemnitates eorum devote celebraverimus, si eorum memorias in litaniis et orationibus frequentaverimus, ut tandem nostra devotione promoti, clamant et ipsi pro nobis : Domine, dimitte illos, quia clamant post nos. Dimitte illos exaudiendo, quia precibus pulsant nos. At illorum procul dubio interventione propitiabitur Dominus, animam nostram liberans a dæmonio : et hic, ut tentationes ejus superemus, et in futuro ne amplius ab eo tentari valeamus, ipso præstante qui in Trinitate perfecta vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXXIX.

DOMINICA TERTIA QUADRAGESIMÆ.

Estote imitatores Dei, sicut filii charissimi, et ambulate in dilectione sicut et Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis, oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis, etc. (*Ephes.* v.) Bipertita est lectio ista, fratres charissimi : Primo enim nobis præcipit Apostolus ut Dominum imitemur. Secundo ostendit in quibus eum imitari debemus. Præcipiens igitur primo nos imitari Dominum, ait : *Estote imitatores Dei.* Sed quia quidam perverse voluerunt imitari Deum, attribuendo sibi divinitatem, auctoritatem, et ea quæ solius Dei sunt, ut Jupiter, Simon, et Cosdroe, et adhuc quidam faciunt, qui putant se aliquid boni vel posse vel habere ex se, ideo adjungit Apostolus, *sicut filii charissimi.* Filius quippe charissimus imitatur bonum patrem, non ut usurpet ejus dominium et auctoritatem, sed ut respondeat ei in moribus, ut scilicet diligat patrem suum, sicut diligitur ab eo, ut sit prudens, honestus, justus et moribus ornatus, sicut pater. Quis, fratres charissimi, quis potuit melius imitari Deum Patrem in æqualitate, et potentia et auctoritate, quam ejus unicus et consubstantialis Filius, Dominus noster Jesus Christus? Tamen ille, ut ait Apostolus, *non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo* (*Philip.* II). Non enim dixit se esse a se, sed a Patre. Non dixit se venisse a se, sed a Patre. Non dixit se quærere gloriam suam, sed gloriam Patris. Non dixit suam doctrinam esse suam, sed Patris, *quia Pater*, inquit, *major me est* (*Joan.* XIV). Ergo tu, superbe pulvis, quomodo audes vel potentiam, vel dominium, vel auctoritatem tibi arrogare? Quomodo potes sentire aliquid boni ex te habere? Quomodo præsumis non Dei, sed tuam gloriam vel voluntatem quærere? Hanc igitur, charissimi, perversam imitationem et idololatriam fugiamus, et Deum bona imitatione imitemur. Imitemur eum virtutibus et moribus. Virtutibus quippe, non auctoritate sibi similem creavit hominem, sed homo peccando se male a Deo dissimilavit, et se male ei similavit. Sed et nos, fratres, perversam evitemus imitationem, et ad bonam redeamus imitationem.

Sequitur pars secunda, in qua ostendit Apostolus in quibus Deum imitari debeamus, cum subdit : *Et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos*, etc. Porro in tribus præcepit Deum imitari, videlicet ut faciamus pro eo quod ipse fecit pro nobis, ut ea quæ ipse odio habet, odio habeamus, ut ea quæ ipse diligit, diligamus. Primo igitur nos hortatur Apostolus, ut faciamus pro Christo quæ ipse fecit pro nobis, cum dixit : *Et ambulate in dilectione sicut et Christus dilexit nos.* In dilectione ambulat, qui diligit, et opera dilectionis facit. Hortatur ergo nos ut quemadmodum Christus dilexit nos, et hoc opere probans tradidit semetipsum pro nobis, ita et nos eum diligamus, et tradamus nosmetipsos pro eo. *Tradidit*, inquit, *seipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo.* Oblationem, quando obtulit se ad obediendum Patri pro nobis. Hostiam, quando se ad patiendum, et hoc *in odorem suavitatis*, quoniam in hoc sacrificio plusquam in cæteris delectatus est Pater. Unde et de eodem dixit : *In quo mihi bene complacui* (*Matth.* XVII). Nos quoque, fratres, offeramus nosmetipsos Patri pro ipso, ad obediendum et compatiendum pro ipso. Et si deest persecutor qui nos pro ipso mactet, nos tamen mactemus in nobis carnales concupiscentias, et crucifigamus membra nostra cum vitiis et concupiscentiis (*Gal.* v), ut scilicet manus crucifigantur, ne extendantur ultra ad agendum male. Pedes crucifigantur, ne de cætero male ambulent. Crucifigamus corpus nostrum, ne de cætero male delectetur, et similiter cætera membra. Secundo monet nos Apostolus, ut ea quæ Deus odio habet, odio etiam habeamus, cum subdit : *Fornicatio autem et omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos.* Fornicatio, fratres, dicitur omnis complexus maris et feminæ præter legitimum matrimonium, comprehendens simplicem fornicationem, adulterium et mœchiam. Immunditiam vero vocat Apostolus omnem incestum Sodomiticum, et bestialem coitum. Avaritiam vero vocat omnem inordinatam concupiscentiam acquirendi vel retinendi ultra modum : quæ, ut postea subjungit, *est idolorum servitus*, quia quod quis plus diligit et plus colit, Deus ejus est. Ergo quis plus diligit nummum quam Deum, nummum sibi constituit deum. Qui plus colit ventrem quam Deum, ventrem sibi constituit deum. Qui plus colit meretricem quam Deum, meretricem sibi constituit dominam. Hæc autem, fratres mei, ita evitare debetis, ut nec nominentur in vobis, necdum in vobis sint, *sicut decet sanctos.* Sic sancte, sic caste, sic juste vivere debetis, ut nullus audeat aliquam infamiam fingere de vobis. Et non solum hæc majora crimina vitentur a nobis, sed etiam hæc minora : *Turpitudo, stultiloquium, et scurrilitas, quæ ad rem non pertinent.* Turpitudinem etiam loquendi, fratres, caveamus, quia non possumus turpiloquium amare, et ipsam turpitudinem horrere. Paulatim enim per turpiloquia pudor excutitur, et e contrario transit sermo in effectum, si honesta loquamur.

Stultiloquium vero dicitur quidquid nec opportuno tempore, nec opportuno loco, nec justa causa dicitur. Scurrilitas dicitur quidquid cum quadam urbanitate profertur, causa movendi risum. Porro hæc similia, fratres, cavere debemus, quoniam si (teste Domino) de omni verbo otioso reddituri sumus rationem (*Matth.* XII), quid ergo erit de scurrilitate? quid de detractione? quid de adulatione? quid de mendacio? quid de perjurio? *Perdes*, inquit, Propheta, *omnes qui loquuntur mendacium* (*Psal.* V). Et, *os quod mentitur, occidit animam* (*Sap.* I). Quæ ergo locutio debet esse in nobis? Gratiarum, inquit, actio, benedictio, oratio, et cætera bona verba. Suntne supradicta cavenda? Utique. Quia ut de cæteris minoribus taceam, *Hoc scitote quia omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet hæreditatem in regno Christi et Dei. Nemo vos seducat inanibus verbis*, dicens vel hæc esse venialia, vel impios non esse judicandos. *Propter hoc enim venit ira*, excæcationis scilicet et reprobationis, *in filios diffidentiæ*, id est perfidiæ. Sed vos, fratres, *nolite fieri* per imitationem, vel per consensum *participes eorum. Eratis enim aliquando tenebræ*, id est tenebrosi vitiis, scilicet sicut prædixi, *nunc autem lux in Domino*, id est nunc estis illuminati in Domino. Tertio monet Apostolus ut ea quæ Deus diligit, diligamus et faciamus, cum subdit: *Ut filii lucis ambulate.* Quia filii Dei estis, qui est lux, opera lucis facite. Mala opera dicuntur opera tenebrarum, tum quia ad æternas tenebras ducunt, tunc quia mentem excæcant, tum quia faciens ea vult latere, juxta illud, *qui male agit, odit lucem* (*Joan.* III). Econtrario vero bona opera dicuntur opera lucis, tum quia ad æternam lucem ducunt, tum quoniam hominem intus illuminant, tum quia diligunt lucem. Porro in quibus opera lucis consistant, ostendit cum subdit, *fructus autem lucis est in omni bonitate, justitia et veritate.* Bonitas est in mente, justitia in opere, veritas in ore. In his ergo tribus, tota perfectio sanctitatis comprehenditur. Hoc est quod Psalmista dicit, *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? Qui ingreditur sine macula, et operatur justitiam. Qui loquitur veritatem in corde suo*, etc. Itaque, fratres mei, cum omni desiderio studeamus imitari verum Deum et Patrem nostrum Jesum Christum, diligamus eum, sicut ipse dilexit nos, odio habeamus turpitudines et vitia, quæ ipse odit. Amemus bonitatem, justitiam, et veritatem, quas ipse amat. Satagamus ejus vias et exempla sequi, ut eo duce et adjutore ad ipsum pervenire mereamur, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus in æternum. Amen.

HOMILIA XL.

DOMINICA TERTIA IN QUADRAGESIMA.

Erat Jesus ejiciens dæmonium, et illud erat mutum, etc. (*Luc.* XI.) Hæc lectio, fratres charissimi, tanto nobis avidius est audienda, quanto magis necessariam animabus nostris continet medicinam. Nos ergo, fratres, primo quæ ad historiam, secundo quæ ad mortalitatem, tertio quæ ad allegoriam pertinent inquiramus. Consideranda sunt igitur juxta historiam quatuor: Primo namque Dominus dæmoniacum curat; secundo detractores confutat; tertio quid contemptoribus contingat, ostendit, quarto mulierem se laudantem corrigit. Primo igitur Dominus compatiens dæmoniaco, expellit ab eo dæmonium, quod ab effectu dicebatur mutum, quia hominem mutum efficiebat. Porro iste dæmoniacus, non solum mutus, sed etiam (teste evangelista alio [*Marc.* VII]) surdus erat. Tria ergo miracula in uno homine a Domino facta sunt. Surdus audit, mutus loquitur, possessus a dæmone liberatur, et divinam in Christo potentiam admirantur turbæ. Secundo detractores confutat et erudit. Detrahebant quippe ei, et illi qui dicebant: *In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia*, quoniam quæ Dei erant, diabolo ascribebant, et illi qui tentantes signum de cœlo quærebant, quoniam hæc quæ Dominus operabatur parva vel nulla esse putantes, eum impotentem dare signum de cœlo dicebant. In quo, fratres mei, pensandum est, quanta sit malitia detractorum, qui, cum semper sint suspiciosi, et ad omnia mala creduli, tamen ad bona aliorum semper sunt increduli, semper ea negantes. Vel si negare non possunt, parva vel nulla esse dicentes, vel finem vel modum facti pervertentes. Sed qui, quod solius Spiritus sancti est, diabolo ascribit, teste alio evangelista, in Spiritum sanctum peccat, vel vix, vel nunquam inde veniam consecuturus est (*Matth.* XII). Propterea, fratres, omni sollicitudine vitium invidiæ et detractionis studeamus evitare. Porro cum Dominus, cordium inspector, malas detrahentium cogitationes inspexisset, eos tamen secundum misericordiam suam confutare et erudire non dedignatus est. Confutat autem eos cum probat illud quod dicebant falsum esse, et eos illud per invidiam dixisse. Porro illud quod dicebant probat esse falsum cum dicit: *Omne regnum in seipsum divisum desolabitur, et domus supra domum cadet. Et si Satanas in se divisus est, quomodo stabit regnum ejus, quia dicitis me in Beelzebub principe dæmoniorum ejicere dæmonia?* Vocat autem hic Dominus regnum Satanæ malitiam, qua omne maligni spiritus ita obdurati et conjurati sunt, ut nihil nisi malum facere velint, vel possint. Quod si Satanas Satanam ejicit, aliquid boni facit, cum Satanam de obsesso ejicere utique bonum sit. Quod si unus Satanas malum, et alter bonum facit, concordia et conjuratio, quam habebant in malo, non stabit, quod utique falsum est. Probat autem illud quod dixerant illos per invidiam dixisse, cum subdit: *Et si ego in Beelzebub principe dæmoniorum ejicio dæmonia, filii vestri in quo ejiciunt?* Ac si diceret: Si ejectionem dæmoniorum a filiis vestris exorcistis factam Deo et non diabolo ascribitis, cur eamdem rem a me factam diabolo, et non Deo ascribitis? Quia de me non simpliciter, sed per invidiam lo-

quimini ; *ideo*, inquit, *ipsi judices vestri erunt*. Quia scilicet illi sciunt tam me quam se non in Beelzebub, sed in Spiritu sancto ejicere dæmonia, ideo ipsi vestri mendacii judices erunt. Postquam vero Dominus invidorum calumniam confutavit, mox ut benignus Dominus eos erudit, cum subdit : *Quod si ego in Spiritu Dei ejicio dæmonia*, quod utique verum est, *profecto pervenit in vos regnum Dei*, illud videlicet regnum de quo per Isaiam dicitur : *Multiplicabitur ejus imperium, et regni ejus non erit finis*, (*Isa.* IX). Ac si diceret Dominus : Quia si jam dæmones ejicere ab hominibus incœpi, jam in ipsis incipio regnare hominibus, diabolo usurpatum regnum auferens, et mihi restituens. De quo vos participes esse possetis, si credieretis. Quomodo autem diabolo regnum diu possessum auferat, exponit cum subdit: *Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia quæ possidet. Sed si fortior eo superveniens vicerit eum, universa arma ejus aufert*, id est omnes versutias ejus evacuat, in quibus confidebat. *Et spolia ejus distribuet*, id est captivos liberans, alios faciet apostolos, alios evangelistas, alios pastores et doctores (*Ephes.* IV), etc. *Qui non est*, inquit, *mecum, contra me est*, id est, qui non consentit mecum fide et amore, non est de regno meo, sed de regno adversarii. *Et qui non colligit mecum, dispergit.* Id est qui non amat mecum concordiam, amat cum diabolo dissensionem et dispersionem.

Tertio demonstrat Dominus quid negligentibus contingat, cum subdit : *Cum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida et inaquosa, quærens requiem, et non invenit.* In cordibus aridis et inaquosis non potest, fratres mei, requiescere diabolus, quia tantum corda mollia, voluptuosa et fluxa diligit. Proinde rigorem justitiæ et asperitatem religionis , et virtutum arduitatem sequamur, ut diabolus in nobis requiem invenire non possit. *Revertar*, inquit, *in domum meam unde exivi. Et veniens invenit domum vacantem*, scilicet a bono, *scopis mundatam et ornatam.* Metaphorice loquitur, quia invenit sibi domum mundam et paratam, *et assumit alios septem spiritus secum nequiores, et ingressi habitant ibi, et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus. Sic erit*, inquit, *et generationi huic pessimæ.* Diabolus quippe propter legem a Domino datam expulsus, primo a Judæis transiit ad gentes, sed postea illis Christo credentibus, cum jam locum requiei non inveniret in eis, rediit ad Judæos, et invenit in eis domum vacantem ab omni bono, scopis mundatam, id est legalibus purgationibus quasi mundatam, et simulatis virtutibus quasi ornatam. *Et assumit septem alios spiritus nequiores se, et ingressi habitant ibi, et fiunt novissima* populi illius *pejora prioribus.* Pejores enim sunt Judæi in synagogis suis blasphemantes, quam ante legem Deum ignorantes. Quarto Dominus se laudantem corrigit mulierem, non quin verum et vera intentione dixerit : *Beatus*, quippe imo beatissimus est *venter, qui* Dominum *portavit, et ubera quæ* eum *lactaverunt*, sed causam corrigit per adverbium correctivum *imo.* Non enim inde mater ejus beata est, quia eum corporaliter portavit et lactavit, sed sicut Elisabeth ait : *Beata quæ credidit, quoniam perficientur ea quæ dicta sunt* ei *a Domino.* Et sicut Dominus subjungit, beata es Maria, et cæteri omnes *beati, qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud.* Moraliter autem, fratres mei, in quatuor instruit nos Dominus. Primo quippe compatiens et curans dæmonia, cum docet nos exemplo sui itidem agere. Debemus quippe, fratres mei, hominibus malignis diabolica fraude irretitis, et charitate multum compati, et eos, in quantum possimus, exhortationibus, minis, et promissis et orationibus a diabolica servitute liberare, et Domino lucrifacere, ut auris cordis, prius surdia, ad intelligendum Dei verbum , et os prius mutum ad benedicendum Deum aperiantur. Quæ major enim probitas potest esse in Christiano quam Christi triumphum imitari? Christus virtute propria alligavit fortem armatum, infernum fregit, vasa captivitatis eduxit et reduxit. Nos quoque, fratres mei, eo auxiliante, quantum valemus, infernum frangamus, catenas diaboli confringamus, fratres nostros captivos ab ipsius faucibus eripientes, ad Christum cum victoria revertamur, tot coronas recepturi, quot per nos sunt a diabolo liberati. Deinde ostendens Dominus Satanam ad sibi oblatas personas semper velle redire, incutit illis timorem, et magnam vigilandi necessitatem. Illos enim quos diabolus tentando vicit, et victor diu tenuit, multum dolet amittere. Inde est quod totis fraudibus et tentationibus ad illos armatur impugnandos. Vos vero, fratres, qui fraudibus diaboli diu captivi fuistis, sed nunc per misericordiam Dei a faucibus diaboli erepti estis, vigilate, et contra ejus tentationes viriliter vos armate, juxta quod Sapiens monet : *Fili, accedens ad servitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem* (*Eccl.* II). Si enim (quod absit!) aliquem reoccupare valuerit, cum majori tyrannide in eum sæviet quam prius, ut sint novissima miseri hominis illius pejora prioribus. Respondens quoque Dominus detractoribus suis, qui illum in Beelzebub ejicere dæmonia mentiebantur, instruit nos exemplo sui, quomodo nos habere erga detractores nostros et quid eis respondere debeamus. Dominus quippe patienter eorum detractiones sustinens, multa vitia quæ in se habebant, eis improperare noluit, sed tantum illud quod de se dixerant, falsum esse ostendit. Et quod mirabilius est, verbum salutis eis prædicavit. Nos quoque, fratres mei, invidorum nostrorum detractionibus non commoveamus, nec eis malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, reddamus (*I Petr.* III), sed cum omni patientia , objectam nobis contumeliam falsam esse ostendentes, etiam illos instruere et lucrari Deo satagamus. Respondens etiam Dominus mulieri se laudanti, quomodo erga laudatores et adulatores nostros nos habere, et quid eis respondere debeamus, demonstravit. Non enim laudantem se mulierem laudavit, ut quidam solent, nec ad laudes

mulieris interius lætatus est, ut quidam solent, nec ei tacendo concessit, ut quidam solent, sed ejus verba, quasi vera non essent, correxit. Quidam enim ita gloriosi sunt, ut laudantem se statim laudent, reddentes adulationem pro adulatione. Alii vero, quamvis dicant se laude indignos, tamen ad laudem interius lætantur. Alii autem etsi penitus nihil respondeant, tamen laudationi tacendo consentiunt. Nos ergo, fratres, exemplo Christi, laudes humanas fugiamus, laudatoribus nostris vicem reddere, vel ulterius ad laudes lætari, vel eis tacendo consentire caveamus, sed laudantis verba, si vera non sint, omnino negemus. Si vero vera sint, quasi corrigamus dicentes, Non laudaveris hominem in vita sua, et hujusmodi, sed ad Deum laudandum, ex quo omne bonum est, cum incitemus. Evitemus, fratres, summopere blandum adulatorum venenum, quod quanto est dulcius, tanto pejus. Detractor quippe, dum vitia nostra subtilius inquirit, nobis quodammodo proficit, dum vitia nostra nobis ad memoriam reducit. Sed adulator sub specie dilectionis, nos fallit, ut plus ei credamus de nobis quam nobis. Unde Isaias : *Populе meus, qui beatum te dicunt, ipsi te decipiunt* (*Isa.* III). Mystice vero facit Dominus in multis quotidie, quod tunc ad litteram in uno dæmoniaco legitur fecisse.

Videamus igitur in quibus fiat, et per quem, et quæ munditia, quæ medicina, et quanta vigilantia et fortitudine eis opus sit. Multi quippe sunt hodie, qui propter turpitudinem criminum a dæmone possidentur. Hic a spiritu luxuriæ, ille a spiritu avaritiæ, alter a spiritu superbiæ. Imo quot vitiis quisque irretitur, quasi a tot dæmoniis possidetur. Qui cum scienter dæmonibus serviant, pejores sunt quam dementes, qui quod faciunt, faciunt nescientes. Regnat itaque *fortis armatus*, id est diabolus arma nequitiæ suæ super eos exercens, *in pace*, id est, sine contradictione eos possidens, exsurdans eos, ne audiant verbum Dei, et mutos faciens, ne Deum benedicant. Cum ita ergo teneantur a diabolo captivi, sua virtute se a jugo ejus nequeunt excutere. Quod bene contra illos est, qui quod in juventute sua nolunt, in senectute promittunt se pœnituros. Miseri, non attendentes, quod neque vita, neque pœnitentia hominis in manu ejus, sed in manu Dei sunt, qui quandoque superbis peccatoribus justo judicio subtrahit tempus pœnitentiæ. Nullus ergo putet se per se jugum diaboli a se excutere, sed de sola Dei misericordia præsumat, qui superveniens vincit diabolum, et excludit omnia arma ejus, id est, omnes versutias evacuat, vasa ejus distribuens, id est, animas et corpora, sensus et membra eorum liberans ad bene cogitandum, loquendum, operandum. Et qua medicina hoc facit? pœnitentia. Et quid est pœnitere? præterita mala plangere, et plangenda non committere. « Nam, ut ait Gregorius, qui ita peccata deplorat ut alia committat, pœnitentiam agere aut ignorat aut dissimulat. Non enim prosunt lamenta, si replicantur peccata. » Et Isidorus : « Irrisor est, inquit, et non pœnitens, qui agit quod pœnitet, nec videtur Deum poscere subditus, sed subsannare superbus. » Sunt igitur in pœnitentia duo, plangere facta, et non facere plangenda, id est actio pœnitentiæ et perseverantiæ : alterum sine altero non prodest. Nil enim prodest flere, si peccetur. Et parum prodest non peccare, si non fleatur. Actio autem pœnitentiæ, fit corde, ore et opere. Corde per contritionem, ore per confessionem, opere per satisfactionem. Contritio putredinem maturat intus, confessio aperit vulnus, satisfactio extrahit virus. Contritio est dolor cordis, ex recordatione peccati, et timore judicii proveniens. De hac dicitur : *Cor contritum et humiliatum, Deus, ne despicias* (*Psal.* L). Tria formant contritionem, pudor, timor et dolor : pudor, dum cogitat se turpiter egisse; timor, dum cogitat pœnam sibi paratam esse; dolor, dum cernit se reum, et dignum esse supplicii. Confessio ergo est lacrymabilis peccatorum enarratio. De hac dicitur : *Dic, tu, iniquitates, ut justificeris* (*Isa.* XLIII) : Et illud : *Dixi : Confitebor injustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei* (*Psal.* XXXI). Hæc autem debet fieri cum lacrymis, quia nisi gemat, nisi fleat, nisi suspiret peccator, cum se peccasse fatetur, peccatum suum prædicat, non confitetur. Confessio autem debet esse vera et aperta, integra, non diminuta, non divisa. Vera, ut ea quæ fecit dicat, ea quæ non fecit taceat. Qui enim ob humilitatem dicit se peccatum fecisse quod non fecit, etsi ante reus non erat, tunc esse incipit. Aperta, ut sicut turpiter egit, turpiter referat, nec ornatu verborum suam turpitudinem tegat, quod est peccatum suum minorare. Integra, ut omnes circumstantias peccatorum exponat, scilicet locum, tempus, personam, modum peccandi, numerum, tentationem et contemptum. Idem enim genus peccati est gravius in loco vel tempore sacrato quam in alio, in persona sapienti quam idiota, conjugata quam vacante, ordinata quam laica. Item gravius est, si pluries egit quam si semel, si minorem tentationem sustinuit, quam si magnam, si plus contempsit quam si minus. Non diminuta, ut scilicet unum peccatum confitens, aliud taceas. Iniquitas enim est a Deo, qui summa justitia est, veniam sperare dimidiatam. Quid enim prodest tibi de pluribus mortiferis vulneribus unum solum curasse? Non divisa, ut scilicet non dividas peccata tua, hæc uni sacerdoti, illa alii revelanda. Hoc enim est ad hypocrisim tendere, et peccata non curare, sed augere. Satisfactio vero est injuncti operis condigna exsecutio. De hac dicit Joannes Baptista : *Facite dignos fructus pœnitentiæ* (*Matth.* III), ut scilicet secundum quantitatem culpæ, sit quantitas pœnæ. Hæc tria debet habere, ut scilicet faciat quod sibi injunctum est, et quantum, et qualiter. Hæc fratres, est medicina, qua fortem armatum Christus fortior de cordibus nostris expellit, et de vasis diaboli vasa Spiritus sancti facit. Sed tunc opus est vigilantia et fortitudine. Cum enim diabolus videt se ejectum,

plus sævit, plus nobis insidiatur, et ut acrior ad locum suum redeat, machinatur. Primum igitur est cum peccata nostra flere, jejunare, et bene agere cœperimus; nos per ora malorum deridet, hypocritas nos vocat. Quibus, fratres mei, sunt isti similes, nisi Pharisæis qui dicebant de Domino : *In principe dæmoniorum ejicit dæmonia?* Illi ascribebant quod erat Spiritus sancti diabolo. Isti quoque, dum eos, quos Spiritus sanctus per pœnitentiam purgat, deridet et vocant hypocritas, et vanæ laudis amatores, quid aliud quam quod Spiritus sancti est, spiritui hypocrisis et vanæ gloriæ attribuunt. Dum igitur, tam hi quam illi, quod Spiritus sancti est spiritui maligno attribuunt, procul dubio peccant in Spiritum sanctum. Et si, fratres, ea quæ plus se habent ad malum, debemus in bonum interpretari, quid erit de eis qui etiam ea quæ se habent ad bonum, in malum interpretantur? Cavete, fratres, igitur cavete hoc peccatum, quoniam pergrande est; sed cum videritis peccatorem ad Deum convertentem, orate pro eo, ut Deus det ei perseverantiam bonam. Vos quoque pœnitentes, nolite propter derisores erubescere, et vestrum propositum relinquere, quia ut ait Salomon : *Est confusio adducens peccatum, et est confusio adducens honorem et gloriam* (*Eccli.* IV). Malum igitur, non bonum, erubescite. Cum autem hoc modo non potest diabolus vincere pœnitentem, tentat eum per adulatores, dicens : *Beatus venter qui te portavit, et ubera quæ suxisti.* Quasi diceret : Vir sanctus es et victor diaboli, et amicus Dei : ut ita eum ad elationem et inanem gloriam invitet. Sed nos, fratres, ut detractores, ita et adulatores fortiter contemnamus, et plus nobis quam aliis de nobis credamus, et semper de peccatis nostris timeamus : *Nam delicta quis intelligit?* (*Psal.* XVIII.) Sed et si quædam peccata nostra non intelligimus, quomodo scimus ea nobis esse dimissa? Propterea dicit Sapiens : *De propitiato peccato noli esse sine metu* (*Eccli.* V). Ubi enim, fratres, metus non est, est stulta securitas. Ubi est stulta securitas, est contemptus. Ubi est contemptus, est periculum et ruina. Si enim invenerit vos diabolus negligentes et a bono vacantes, reintrat in vobis diabolus cum aliis septem spiritibus nequioribus. Quoniam redeunt peccata septuplicata, et estis septuplo pejores quam primo. Tripliciter autem dicuntur peccata redire, vel quando ad vomitum redimus, vel quando spernentes injunctam pœnitentiam torpescimus : vel quando in recordatione præteriti peccati delectamur. Habeamus igitur, fratres, semper peccata nostra ante oculos nostros, et de eis semper timentes, gementes, et plorantes et operibus misericordiæ ea redimentes, quod præstet nobis Deus qui in Trinitate perfecta vivit et regnat. Amen.

HOMILIA XLI.

DOMINICA QUARTA QUADRAGESIMÆ.

Scriptum est : Quoniam Abraham duos filios habuit unum, videlicet Ismael, *de ancilla* Agar, *et unum*, scilicet Isaac, *de libera*, scilicet Sara. *Sed qui de ancilla secundum carnem natus est*, id est secundum consuetudinem carnis, secundum quem juvencula ex sene concipere potest, et parere. *Qui autem de libera, per repromissionem Dei natus est* (*Gal.* IV), non secundum carnis consuetudinem, quia anus et sterilis et de vetulo concipere et parere non solet. Cum autem crevissent ambo et luderent, Ismael prior natu, Isaac quasi persequebatur. Quod intelligens Sara, ait Abrahæ : *Ejice ancillam et filium ejus; non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ.* Ejecit ergo Abraham ancillam cum filio, dans super scapulam suam ollam aquæ; filium vero liberæ hæredem constituit (*Gen.* XXI). Hujus historiæ, fratres charissimi, Apostolus exponit nobis mysterium, et in hoc innuit nobis cæteras Veteris Testamenti historias mystice intelligendas. Nos vero, fratres, intelligentiæ simplicium subservientes, quod Apostolus brevius et obscurius, nos latius et planius, Deo largiente, vobis exponemus. Abraham igitur, fratres, Deus intelligitur, qui est Pater multarum gentium, imo omnium. Sic duos filios habuit, quoniam duos populos creavit de eadem massa. Unum quidem per occultam justitiam creavit in contumeliam, alterum per solam misericordiam suam in honorem. Unum in reprobationem, alterum in electionem. Sunt autem hic nobis, fratres considerandæ quatuor. Primo quæ sit ancilla, et quæ libera, de quibus isti duo populi nati sunt. Secundo quomodo ancilla fecunda fuisse, et prius peperisse; libera vero prius sterilis, postremo peperisse dicatur. Tertio quomodo filius ancillæ, filium liberæ persequitur. Quarto quomodo ancilla cum filio et cum olla aquæ ejiciatur, et filius liberæ hæres constituatur. Est igitur, fratres mei, ancilla de qua populus reprobationis natus est, caro : quæ idcirco ancilla dicitur, quia peccato, diabolo mancipatur, et æternæ miseriæ. *Qui* enim *facit peccatum, servus est peccati* (*Joan.* VIII). De hac ancilla, id est carne, populus reprobationis nascitur, secundum carnem, id est secundum carnalem concupiscentiam. Et qualis est natus, talis permanet; solum carnem sapiens, secundum carnem vivens, in carne seminans, unde et metet corruptionem. *Manifesta autem*, inquit Apostolus, *sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, luxuria, idolorum servitus* (*Gal.* V), etc. Libera vero, de qua populus electionis natus est, est gratia cœlestis. Quæ ideo dicitur libera, quia liberat hominem a servitute peccati, diaboli et damnationis æternæ. *Si Filius*, inquit, *vos liberaverit, vere liberi eritis* (*Joan.* VIII). De hac autem libera, id est gratia, nascitur homo, non secundum carnem, sed secundum repromissionem, id est Dei electionem. Quæ utique nativitas fit in baptismo, in quo qui natus erat ex carne filius iræ, renascitur ex gratia per Spiritum Filius misericordiæ. *Dedit* enim *eis Dominus*, juxta Evangelium, *potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus, qui, non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt* (*Joan.* I), id est,

renati. Ille ergo populus natus est ex carne secundum carnem; iste natus est ex gratia, secundum electionem. Ille est filius ancillæ, id est carnalis servitutis; iste est filius liberæ, id est spiritualis libertatis. Ille est filius diaboli; iste, Filius Dei. Ille filius Veteris Testamenti, ubi pro timore et pro temporalibus servit; iste est filius Novi Testamenti, ubi pro amore et pro æternis servit, sed Deo servire est regnare. Nos ergo, fratres mei, filii liberæ, filii electionis, et filii Dei sumus, si tamen in gratia baptismi perseveramus, si diabolum et ejus opera, quibus abrenuntiavimus, omnino detestamur, si Deum et ejus præcepta tota dilectione diligimus et sequimur. Quod si pactum baptismi freginus, et ad diaboli servitutem reversi sumus, quid erit de nobis miseris, nisi quantocius per pœnitentiam et lacrymas reconciliari, dum licet, quæramus.

Secundo, fratres, considerandum est quomodo ancilla prius fecunda fuisse et peperisse, libera vero prius sterilis, postremo dicatur peperisse. Porro carnalis generatio prius in mundo multipliciter abundavit, quando ignari Dei et vitæ spiritualis, tantum propagationi et successioni carnis intendebant. Spiritualis vero regeneratio diu ignota, sterilis permansit. Et hæc tantum tempore gratiæ abundanter fructificavit. *Non enim*, ut ait Apostolus, *est primum quod est spirituale, sed prius quod est animale, et postea quod est spirituale* (*I Cor.* xv). Unde Isaias : *Lætare, sterilis quæ non paris*, id est quæ primo vel nullos, vel paucos, pariebas, *erumpe et clama quæ non parturis, quia multi filii liberæ*, magis subaudi electi a Deo, *quam filii ejus*, id est carnalis generationis, *quæ habet virum* (36) (*Isa.* liv), id est corruptorem diabolum. Nos ergo, fratres mei, potius spiritualem quam carnalem successionem quæramus. Melius est enim relinquere unum solum bonum filium quam multos malos. Et melius est mori sine filiis quam relinquere malum filium. Qui ergo filios habent, in correctione et in instructione eorum vigilant, quoniam sicut gaudium est parentum filius sapiens, ita confusio et maledictio est parentum filius stultus (*Prov.* x, xv). Qui vero filiis carent, non doleant, sed Christum hæredem constituant, pauperes et pupillos in filios adoptent, exemplo et verbo filios spirituales gignant, ut jure de eis dici possit : *Lætare, sterilis quæ non paris, erumpe et clama quæ non parturis, quoniam filii liberæ multi quam ejus quæ habet virum* (*Gal.* iv). Adeo enim, fratres, excrevit hodie malitia filiorum carnalium, quorum alter est scortator, alter aleator, alter fur, alter raptor, alter quærit et desiderat mortem parentum; quod hodie vere dici possit : *Beatæ steriles quæ non genuerunt, et ubera quæ non lactaverunt* (*Luc.* xxiii). Tertio vero, fratres, considerandum est, quomodo, ut ait Apostolus, filii ancillæ persequuntur filios liberæ. Persequuntur quippe filii carnis filios spiritus; filii mundi, filios cœli. Quomodo? Tripliciter, malo exemplo, subdola suggestione, aperta persecutione. Malo exemplo, dum florent et prosperantur in via sua mala, quoniam eorum *filii* sunt *sicut novellæ plantationis in juventute sua. Filiæ eorum compositæ, circumornatæ ut similitudo templi. Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud. Oves eorum fetosæ, abundantes in egressibus suis, boves eorum crassæ. Non est ruina muceriæ, neque transitus, neque clamor, in plateis eorum* (*Psal.* cxliii). Sed contra hæc nos armat David, dicens : *Noli æmulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem : quoniam tanquam fenum velociter arescent* (*Psal.* xxxvi). Subdola suggestione, cum dicitur : Semper fuit mundus, ita semper orientur homines, et morientur. Quis est reversus ab inferis, qui nuntiet aliam vitam esse? Stultum est igitur præsentia gaudia perdere, propter quædam forte nunquam futura. Ita, fratres, vult decipere filius ancillæ filium liberæ. Ita *insidiatur, ut rapiat pauperem, rapit autem pauperem dum attrahit eum* (*Psal.* x) subdola suggestione. Contra hæc nos armat Apostolus : *Corrumpunt enim*, ait, *bonos mores colloquia prava* (*I Cor.* xv). Ideo *nolite omni spiritui credere* (*I Joan.* iv). Fides enim nostra testimoniis patriarcharum et prophetarum fundatur, nativitate, passione, resurrectione et ascensione Christi completur; apostolorum testimoniis fulcitur, sanguine martyrum roboratur, qui miraculis probant se melius vivere post mortem. Aperta persecutione persequuntur, dum filios liberæ spoliant, suis lacescunt conviciis, affligunt injuriis, exsiliis, tormentis, morte, juxta illud : *Sancti ludibria et verbera experti, insuper et vincula et carceres. Lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt* (*Hebr.* xi). Contra hoc nos Dominus armat, dicens : *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere : sed potius eum timete qui animam et corpus potest perdere in gehennam* (*Matth.* x). Et alibi : *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (*Matth.* v).

Quarto quoque, fratres, considerandum est quomodo ancilla et filius ejus cum olla aquæ ejiciatur, et filius liberæ hæres constituatur; filii quippe ancillæ, quia tantum terrenam hæreditatem desiderant et amplectuntur, divino judicio a cœlesti sunt hæreditate sejuncti. Et nihil eis confertur, nisi amphora aquæ super scapulam. Aqua, fratres mei, mundana felicitas est. Aqua enim est labilis, potabilis, nabilis. Mundana quoque felicitas est labilis, quia cito transit, nec redit; potabilis est, id est apta ad utendum, si modeste sumatur; si superflue, inflat hominem, et occidit; nabilis est, quia cum justo regimine, potest aliquis per eam transire ad portum salutis, alias in superabundantia ejus submergitur et perit. Hanc autem mundanam felicitatem accipit filius ancillæ super se, quia ei servit, non illa sibi. In alia vero vita prorsus a cœlesti se-

(36) Vulg. eadem non precise iisdem verbis.

questrabitur hæreditate, nihil accipiens nisi æternam damnationem, quoniam in hac vita recepit bona sua. Populus vero electus, qui est filius liberæ, constituitur hæres patris, et nunc electione, et in futuro confirmatione. Nunc spiritualium bonorum, et in futuro cœlestium præmiorum. *Nos* itaque, fratres mei, Christi sanguine liberati, *jam non sumus filii ancillæ, sed liberæ*, si tamen non secundum carnem, sed secundum spiritum vivimus; si Deum, non mundum diligimus, si cœlestia, non terrena desideramus, si servitutem vitiorum fugientes, libertatem virtutum sectamur. Accipiemusque in futuro æternam hæreditatem, incorruptibilem et incontaminatam conservatam in cœlis, ut simus *hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi* (*Rom.* VIII), quoniam ad dexteram nobis positis dicetur : *Venite, benedicti* Patris *mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi* (*Matth.* XXV). Quam hæreditatem largiatur nobis et promereri et consequi Jesus Christus Dominus noster, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus. Amen.

HOMILIA XLII.

DOMINICA QUARTA QUADRAGESIMÆ.

Abiit Jesus trans mare Galilææ, quod est Tiberiadis; et sequebatur eum multitudo magna, quia videbant. signa quæ faciebat (*Joan.* VI), et reliqua. In hac sancti Evangelii lectione, quam modo, fratres charissimi, audivimus, primo quæ ad litteram, secundo quod ad tropologiam, tertio quod ad mysticum sensum pertinet, videamus. Quantum igitur ad litteram pertinet, fratres mei, Dominus et Redemptor noster Jesus Christus ostendit in hac lectione se veram humanitatem, et veram habere divinitatem. Humanitatem quippe et pietatem veram se habere ostendit, quando infirmis et esurientibus compatitur et condescendit. Divinitatem vero se habere veram demonstrat, quando infirmos solo nutu sanat, et quando de quinque panibus et duobus piscibus quinque millia hominum, sublatis etiam duodecim cophinis fragmentorum, saturat. Nonne, fratres mei, si de quinque panibus quinque millia hominum nihilo remanente satiasset, magnum et divinum esset miraculum? Nunc vero quam mirabilius et Deo dignius miraculum apparet, cum et de quinque panibus quinque millia hominum satientur, et præterea decuplo plus sustollitur quam appositum est. Quasi non idem miraculum Dominus quotidie faciat, qui pauca seminis grana in terram jacta centuplicat. Sed nullus miratur quod quotidie videt; raritas vero rei majorem præstat admirationem. Cæterum quod hic legitur Dominus Philippum tentasse, non est contrarium ei quod a Jacobo dicitur : *Deus neminem tentat* (*Jac.* I). Tripliciter quippe tentatio fit. Aliter enim Deus tentat, aliter diabolus, aliter homo. Deus quippe tentat, ut probet, quemadmodum tentavit Abraham, ut ejus fidem probaret (*Gen.* XXII); et hic Philippum, ut ejus infirmitatem demonstraret. Diabolus vero tentat, ut decipiat : quo genere tentationis Deus neminem tentat. Homo vero tentat, ut discat quod ignorat. Juxta vero tropologiam, quando Christus hoc facit, quid Christiani facere debeant ostendit. Octo igitur hic nobis imitanda proponuntur : Maris transfretatio, in montem ascensio, miseratio humanæ tentationis, objectio, quibus et quam eleemosynam faciamus, quomodo et quo fine, quomodo eleemosyna multiplicetur, et quanta gloria inde Deum sequatur. Itaque, fratres mei, cum Dominus abiit trans mare Galilææ, nos monet tempestuosum hujus mundi mare desiderio transire, et ad cœlestem patriam suspirare. Est enim hic mundus justis, qui futuram vitam desiderant, exsilium, mare tempestuosum, vallis lacrymarum. Unde et illud desiderant cito transire, et aliam vitam advenire. Inde Psalmista, *Heu mihi*, Domine, *quia incolatus meus prolongatus est* (*Psal.* CXIX). Nam *quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus* (*Psal.* XLI). Nam idem alibi dicit : *Qui seminant in lacrymis, in exsultatione metent. Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua. Venientes autem venient cum exsultatione portantes manipulos suos* (*Psal.* CXXV). At mundani homines qui habent hic patriam suam, et ducunt hic in bonis dies suos, nunquam vellent vitam præsentem transire. Tamen, velint, nolint, transeunt, et ad mortem rapiuntur; qui tamen mente transeuntibus adhærent, velut qui rapitur a torrente adhæret spinis et asperis. Itaque, fratres, desiderio ad cœlestem vitam transeamus, illuc per opera misericordiæ quæcunque possumus, transmittamus. Illic sit thesaurus noster et cor nostrum. Illuc proximos nostros bono exemplo et exhortatione, promissis et amore, nobiscum trahamus, ut quemadmodum Dominum, ita et nos sequatur multitudo magna. Quod ubique fiet, si viderint nos facere signa super his qui infirmantur. Porro super infirma signa facimus, si vel infirmos corpore beneficiis visitamus, vel infirmos mente confortamus, vel infirmos peccato corripimus, vel furiosos odiis vel injuriis contra nos patienter sustinemus, vel si omnes hujus mundi infirmos orationibus nostris apud Deum curamus. Cum vero Dominus in montem ascendit, et ibi sedet cum discipulis suis, monet nos ut de virtute in virtutem usque ad altitudinem virtutis et contemplationis ascendamus. Et ibi inter miseriam hujus mundi sessionem et requiem cum Domino et sanctis ejus, quantum possumus habemus; talibus quippe proximum est pascha dies festus Judæorum. Quoniam tales qui per contemplationem cum Domino et sanctis ejus requiescunt, amore, spe, et merito jam proximi sunt die festo vere confitentium angelorum. Cum autem Dominus sedens in monte, inferioribus turbis esurientibus condescendit et miseretur, instruit nos, ut ita per contemplationem in cœlestibus quiescamus, quod turbis inferioribus per compassionem condescendamus, juxta quod ipse Dominus dicit : *Estote misericordes sicut et Pater vester cœlestis misericors est* (*Luc.* VI). Induamus, fratres, misericordiæ viscera et compas-

sionis, et quando videmus aliquem pati, ei compatiamur. Quando videmus aliquem dolere, condoleamus. Quando videmus aliquem egere, ei, prout possumus, subveniamus. Nam *beati misericordes, quoniam misericordiam consequentur* (*Matth.* XXV). Et econtra : *Judicium sine misericordia fiet ei qui non fecerit misericordiam* (*Jac.* II).

Cum vero Dominus discipulos adhuc rudes de humana tentatione tentando redarguit, nos docet ut humanam tentationem, quantum possumus, superemus. Humanam quippe tentationem passi sunt discipuli, quando de panis sufficientia dubitantes alter dicebat : *Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat.* Et alter dicebat : *Est puer unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos et duos pisces. Sed hæc quid sunt inter tantos?* Hanc tentationem, fratres, patimur et nos, cum videntes multitudinem pauperum, causamur nos modicum annonæ habere in horreo, modicum panis in arca, et dicimus : « Ite viam vestram. Non sufficeret quod habeo mihi et vobis. » Humanam etiam tentationem patimur, cum videntes charum tempus et sata deficere, dicimus : *Quid manducabimus, quid bibemus, aut quo operiemur?* (*Matth.* VI.) Hæc procul dubio, fratres mei, humana tentatio est, quæ de fidei nascitur imperfectione. Unde Dominus nobis dicere potest : *Quid timidi estis, modicæ fidei?* (*Matth.* VIII.) Si enim firmam fidem et charitatem in Deo haberemus, nihil profecto nobis deesse crederemus : Domino suis providente, qui etiam infidelibus non desistit providere. Legimus enim Dominum servos suos sine cibo per multos dies sustentasse. Legimus enim sanctum Nicolaum sexaginta homines de tribus panibus refecisse. Idemque legimus de pluribus aliis. Vidi fratres, multos charitativos quotidie abundanter donare, et Deum eis abundanter ministrare, ut quasi certare viderentur, justus erogando, et Dominus subministrando. Quibus autem præcipue sit dandum, Dominus ostendit, quando multitudinem, quæ eum sequebatur, pavit. Nam Dei jussu sequentibus esse dandum ostendit. Alibi tamen Dominus dicit, *Omni petenti te tribue* (*Luc.* VI). Cui contrarium videtur illud dictum Sapientis : *Benefac justo, et non dederis impio* (*Eccli.* XII). Et illud : « Cui des videto. » Non est vero contrarium, fratres. Omni enim indigenti, si possumus, benefacere debemus, non quidem impietatem ejus, sed naturam sustentantes. Si tamen non omnibus dare possimus, fidelibus, pauperibus et justioribus donare debemus, juxta illud Apostoli : *Facientes bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei* (*Gal.* VI). Quid, quibus donandum sit, Dominus ostendit, donans infirmis sanitatem, esurientibus panem, ignaris doctrinam, captivis libertatem. Cum enim Dominus inquit : *Omni petenti te tribue*, non ait tribue quod petit, sed quod tu potes, et cujus illum egere vides. Pauperi da sustentamentum corporis, diviti da verbum Dei, sustentamentum animæ. Inconsulto da consilium. Laboranti, si aliud non potes, da orationis auxilium. Munus siquidem magnum est, verbum consilii, verbum correctionis, et verbum orationis. Nam quanto pretiosior est anima quam corpus, tanto pretiosius beneficium animæ factum quam corpori. Quomodo vero et quo fine eleemosyna danda sit, Dominus ostendit, qui primum gratias egit, et post distribuit. Nos ergo dantes, Deo, ex quo omne bonum est, semper gratias referamus, et propter eum distribuamus. Juxta quod Apostolus ait : *Quid habes quod non accepisti?* (*I Cor.* IV.) Et alibi : *Qui tribuit in simplicitate* (*Rom.* XII). Si enim, fratres, rem bene consideremus, eleemosyna nostra non est meritum nostrum, sed Dei gratia. Ipsam quippe rem, quam damus, non ex nobis, sed ex Deo habemus; nec ipsam bonam voluntatem habere, nec manum ad dandum extendere ex nobis, sed ex Deo valemus. Non enim volentis est velle, nec currentis currere, sed miserentis Dei (*Rom.* IX). Quid ergo ex nobis? Sicut ergo totam eleemosynam a Deo habemus, ita totam ad eum dirigamus. Non demus ut tædio carentis careamus, quoniam qui hoc facit, meritum suum et rem perdit. Non demus ob vanam gloriam, quoniam qui hoc facit, mercedem suam hic recipit. Non det eleemosynam sinistra, id est temporalis intentio. Non dextera simul et sinistra, id est, eleemosynæ datæ propter Deum non se admisceat vana gloria, sed sola dextera, nesciente sinistra. Quantum vero eleemosyna multiplicetur, ostenditur in hoc quod de quinque panibus quinque millia hominum satiantur, et duodecim cophini sustolluntur. Porro duobus modis multiplicatur in nobis eleemosyna, et spiritualiter et æternaliter. Spiritualiter, ut cum verbum vitæ aliis prædicamus, non diminuitur, sed potius et in nobis et in illis augetur : velut si ex uno luminari, plura succenderis luminaria. Sed, etsi rem transitoriam damus, quamvis transeat in accipiente, tamen in nobis multiplicatur, dum inde a Deo in nobis fides, spes, et charitas, cæteræque virtutes adaugentur. Æternaliter vero multiplicatur, cum pro terreno cœleste, pro transitorio æternum, pro corruptibili incorruptibile præmium accipietur, ut illud impleatur : *Vos qui secuti estis me, centuplum accipietis, hic, et in futuro vitam æternam* (*Matth.* XIX). Valet igitur eleemosyna, et pro quo fit, et cui fit. Et si illis non valet, illi qui bene eam facit non valere non potest. Quæ, fratres mei, potest esse major multiplicatio, quam cum vidua propter duo minuta (*Luc.* XXI), alius propter calicem aquæ frigidæ (*Matth.* X), alius pro sola bona voluntate, accipiet regnum cœlorum? Quanta gloria de eleemosyna, deinde sequatur, ostenditur cum subditur :

Turbæ autem videntes quod fecerat signum, dicebant quia hic est vere Propheta, qui venturus est in mundum. Porro de eleemosyna semper benedicendus est *Deus, et pater misericordiarum*, et Deus totius consolationis (*II Cor.* XIII), qui aperit manum suam, *et implet omne animal benedictione* (*Psal.* CXLIV). Nos autem, fratres, qui non auctores eleemosynæ, sed

ministri tantum sumus, nobiscum gratias reddi nec velimus nec patiamur, sed dicamus : *Servi inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus* (*Luc.* XVII), non nostra, sed aliena dispensamus, et tamen hoc facientes, non erimus sine gloria ante Deum, qui suis facta reputat sibi facta esse, reputans et dicens : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi. Esurivi enim et dedistis mihi manducare, sitivi enim, et dedistis mihi potum ;* etc. (*Matth.* XXV.)

Juxta vero mysticum sensum ; Jesus abiit trans mare Galilææ, quando tribulationes hujus mundi patiendo et resurgendo transmigravit. Secuta est autem fide et amore illum multitudo magna, videntes signa quæ vel per se, vel per discipulos faciebat super his qui mente vel corpore infirmabantur. Ascendit autem Jesus in montem, id est in æternæ glorificationis altitudinem. Et ibi sedebat, et requiescebat, et regnabat, et discipuli mente, etsi nondum corpore, cum eo.

Erat autem proximum Pascha, dies festus Judæorum. Pascha *transitus* interpretatur. Ergo erat proximum Pascha dies festus Judæorum, quia, jam radiante Evangelio, instabat transitus et cessatio veterarum cæremoniarum. *Cum sublevasset ergo Jesus oculos* misericordiæ suæ, *et vidisset quia maxima multitudo*, credendo, *venit ad eum*, dixit, inspirando, *ad Philippum*, id est ad quemlibet prædicatorem (Philippus enim *os lampadis* interpretatur) : *Unde ememus panes, ut manducent hi?* Id est unde comparabimus nobis sapientiam et doctrinam Verbi, unde reficiatur populus Dei? *Hoc autem dicebat tentans eum. Ipse enim sciebat quid esset facturus.* Hæc tentatio, fratres mei, Deo permittente, frequenter nos tentat, cum videntes multitudinem fidelium in ecclesiam confluxisse, dubitamus apud nos et quærimus : De quo libro comparabo hodie sermonem, unde reficiam populum Dei, immemores quid promisit suis Dominus, et quid per nos sit facturus. Ipse enim ait : *Aperi os tuum, et ego adimplebo* (*Psal.* VIII). Et in Evangelio : *Cum steteritis ante reges et præsides, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini; dabitur enim vobis in illa hora quid loqnamini* (*Matth.* X ; *Marc.* XIII). Hujus ergo, fratres, Dominicæ promissionis semper memores, et de Dei gratia, non de nostro ingenio præsumentes, audacter verbum Dei loquamur ad populum, quoniam *Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa* (*Psal.* LXVII). Memini certe me quandoque melius locutum ad populum, quando loquebar ex improviso, quam quando loquebar ex præmeditato, Domino sic faciente. Videamur sufficientes cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis. *Ducentorum*, inquit, *denariorum panes non sufficiunt eis*, id est ducentorum prædicatorum doctrinæ ad erudiendum populum fidelium qui Deum sequuntur, non sufficiunt, *ut unusquisque modicum quid accipiat. Est puer unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, et duos pisces.* Hic puer est Moyses famulus Dei, qui habet quinque libros legis : qui bene per hordeaceos panes significantur. Hordeum enim tenacissima palea tegitur, et jumentorum cibus est. Lex quoque tenacissimis involucris figurarum et verborum occultatur, et cibus simplicium et animalium hominum est ad litteram intellecta. Si vero intelligitur subtilius, habet duos pisces secum, id est moralem et mysticum sensum, quorum dulcedine legis ariditas impinguatur. Accepit ergo quinque panes Jesus, benedixit et fregit. Quia quinque libros Moysi in se impletos, et sanctos esse ostendit, eos fregit et dedit cum duobus piscibus discipulis, ut apponerent turbis, quia intellectum legis eis aperuit, ut cum morali et mystico sensu eam turbis prædicarent. In hoc, fratres mei, quod discipuli non apponunt alium panem turbis, nisi a Christo sit traditum, nec illum panem illi frangunt, sed Christus eis frangit, confunduntur illi qui aliam scripturam prædicant quam divinam, vel qui ipsam Scripturam non a Deo sibi frangi et aperiri exspectant, sed ipsi per se eam sibi frangere præsumunt, apponentes potius quam exponentes, cum præcipiat Dominus prophetæ : *Annuntiabis*, inquit, *eis ex me* (*Ezech.* III). Saturantur autem ex quinque panibus cum duobus piscibus, id est ex quinque libris Moysi cum mystico et morali intellectu. Quinque millia hominum, id est, simplices, tantum res quinque sensibus corporis subjectas prius sapientes. Ex fragmentis vero et crustis, quæ comedentibus superfuerunt, implentur cophini duodecim, quia subtiliores et fortiores sententiæ, quas simplices capere non possunt, apostolicis et perfectioribus viris ruminandæ reservantur. Juxta quod Apostolus ait Corinthiis : *Lac potum dedi vobis, non escam* (*I Cor.* III). *Sapientia enim loquimur inter perfectos* (*I Cor.* II). Et hoc contra illos qui simplicioribus altiora loquuntur, non erudientes eos, sed potius conturbantes. Porro homines cernentes doctrinam divinam in omnibus exuberare, et quanto a pluribus percipitur, tanto magis abundare, laudant et benedicunt Dominum, qui hic pane spirituali quotidie recreat suos, eo vaticinio eos sustentans, quousque perveniant ad terram promissionis, ad quam perducat nos omnipotens et misericors Deus, qui in Trinitate perfecta vivit et regnat Deus. Amen.

HOMILIA XLIII.

DOMINICA QUINTA QUADRAGESIMÆ.

Christus assistens pontifex futurorum bonorum, per amplius et perfectius tabernaculum non manufactum, id est *non hujus creationis*, etc. (*Hebr.* IX.) In hac lectione, fratres mei, ostendit Apostolus pontificium Christi fuisse præfiguratum in pontificio legis, et illud quidem imperfectum esse tanquam figuram et umbram, istud vero perfectum esse tanquam rem et veritatem, illud transire, istud manere. Considerandæ sunt igitur, fratres mei, quatuor de pontifice legali. Qualis esse, quo in loco stare, quorum esse minister, quid agere secundum legem debeat. Debebat autem legalis pontifex esse sine macula, integer et sanus. Sine macula, ne scilicet esset cum parvo,

vel grandi, vel torto naso, ne esset gibbus, nec lippus, nec albuginem habens in oculo, nec impetiginem habens in corpore, nec jugem scabiem. Integer, ne esset cæcus, nec mancus, nec sine genitalibus, et hujusmodi. Sanus, ne esset claudus, nec fracto pede, nec manu, nec leprosus, nec ponderosus. Erant autem hæc in legali pontifice per figuram. In Christo vero sunt per veritatem. Christus quippe fuit agnus sine macula, quoniam, ut ait Petrus, *peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus* (*I Petr.* II). Et ipse etiam, *speciosus forma præ filiis hominum* (*Psal.* XLIV). Fuit autem integer, omnem habens in se virtutum perfectionem; fuit enim, ut Joannes dicit, plenus gratiæ et veritatis (*Joan.* I). Fuit etiam sanus et perfectus in omni sapientia et scientia, quoniam in Christo *sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei absconditi* (*Col.* II). Quo in loco stabat legalis pontifex? In medio, id est inter hominem et Deum; hominibus ante sistebat. Unde et antistes dicebatur, et Deo assistebat. Unde episcopus, id est superintendens dicebatur. Unde Apostolus : *Omne namque pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his quæ sunt apud Deum* (*Hebr.* V). Debebat autem medius esse extremorum participatione, affectione, et ordine. Extremorum participatione, qui scilicet esset homo cum hominibus natura, et Deus cum Deo gratia. Medius affectione, ut scilicet esset peccatoribus proximus per compassionem, et Deo proximus propter familiaritatem. Medius ordine, ut scilicet per eum haberent accessum homines ad Deum, et Deus ad homines. Christus quoque medius et verus fuit pontifex assistens Deo, et antesistens hominibus. Fuit enim medius inter Deum et hominem natura, quia naturalis homo cum hominibus, et naturalis Deus cum Deo. Medius affectione, quia per pietatem fuit compatiens hominibus. Unde Apostolus : *Non habemus pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris* (*Hebr.* IV), et per amorem unus cum Deo Patre. Medius ordine, quia per eum habemus accessum ad Deum Patrem : Et Deus Pater nobis reconciliatur per eum, et nos illi. Hinc est quod hic vocatur a Paulo Novi Testamenti mediator (*Hebr.* IX). Quorum erat minister legalis pontifex? temporalium et carnalium sacramentorum, et eorum solum erat minister, non adjutor. Christus vero est pontifex futurorum bonorum illorum, videlicet spiritualium et cœlestium bonorum, quæ per legales figuras futura significabantur. Et illorum est Christus non tantum minister, imo est auctor et largitor. Ipse enim baptizat, ipse peccata abluit, ipse virtutes tribuit, ipse præmia reddit. Quid agebat legalis pontifex? Semel in anno, in septimo mense, scilicet in festo propitiationis, sacrificabat, et cum sanguine indutus pontificalibus, intrabat in Sancta sanctorum, et sanguine pacifico aspergebantur interiora, ut propitiaretur Deus populo suo. Sic quoque Pontifex pontificum Dominus Jesus Christus, semel in tempore, semetipsum pro salute mundi sacrificavit. Et resurgens indutus stola immortalitatis, non tantum in cœlum, sed etiam in cœlum cœlorum introivit tabernaculum, scilicet peramplius capacitate et perfectius perpetuitate, ubi sedens ad dexteram Patris, aspergit sanguine suo interiora et exteriora, id est reconciliat per passionem suam cœlestia terrenis, et terrena cœlestibus, Deum homini, et hominem Deo. Assignat itaque Apostolus distantiam in quinque rebus, inter legalem pontificem et evangelicum pontificem Christum, et in omnibus demonstrat Christi excellentiam. Ille enim intrabat tabernaculum manufactum, et hic non manufactum. Ille semel in anno, hic semel in tempore. Ille moriebatur, et alter succedebat; iste permanet *sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech* (*Psal.* CIX). Unde idem Apostolus : *Plures facti sunt sacerdotes secundum legem, eo quod morte prohiberentur permanere. Jesus autem eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium.* (*Hebr.* VII). Ille cum alieno sanguine intrabat : iste cum proprio. Ille intercedebat pro suis et aliorum peccatis; iste cum sit immunis a peccato, tantum pro alienis. Unde idem Apostolus : *Talis enim decebat ut esset nobis pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, et excelsior cœlis factus. Qui non haberet necessitatem quotidie, quemadmodum sacerdotes, prius pro delictis suis hostias offerre, deinde pro populo* (*Ibid.*). *Si enim*, inquit, Apostolus, *sanguis hircorum aut vitulorum, vel cinis vitulæ, inquinatos contactu mortui* (37) *sanctificat secundum legalem observantiam* (38), *ad emundationem carnis : quanto magis sanguis Christi emundabit conscientias nostras ab operibus mortuis, ad serviendum viventi?* Revera, fratres, sanguis pecudum non emundabat ad litteram, quia nec carnem, nec sanguinem, nec animam Christi, per quem omnis emundatio fit, præfigurabat. Sanguis itaque Christi, fratres charissimi, nos emundabit ab omnibus peccatis, si tamen in eum vere credimus, si in eum speramus vere, si ejus vestigia sequimur : Quoniam ut ait Petrus, *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus* (*I Petr.* II). Humiliavit quippe se pro nobis, ne nos pro eo humiliari timeremus. Factus est pro nobis pauper, ne nos pauperes pro eo fieri timeremus. Mortuus est pro nobis, ne nos mori pro eo timeremus. Resurrexit pro nobis, ut nos per eum resurgeremus. Ascendit in cœlum, ut nos per eum in cœlum ascenderemus. Itaque, fratres, si volumus exaltari cum eo, cum eo humiliemur. Si volumus ditari cum eo, cum eo et pro eo pauperes simus. Si volumus resurgere cum eo, cum eo et pro eo moriamur, et si non carne, saltem mente. Crucifigantur et moriantur in nobis carnales concupiscentiæ, vitia, et peccata. Surgant et crescant in nobis virtutes spirituales, boni mores, et bona opera, ut sic pure passionem et resurrectionem Christi et

(37) Vulg. omit. *contactu mortui.*
(38) Vulg. omit. etiam *secundum legalem observantiam.*

celebrare et imitari valeamus, ipso præstante, qui passus est pro nobis, Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XLIV.

DOMINICA QUINTA QUADRAGESIMÆ.

Dixit Jesus turbis Judæorum et principibus sacerdotum : Quis ex vobis arguet me de peccato? etc. (*Joan.* VIII.) Dominus ac Redemptor noster, fratres charissimi, sicut non venit sibi, sed nobis, ita quod pugnavit et quod vicit, pugnavit et vicit non sibi, sed nobis. Quemadmodum enim diabolus consueverat hominem expugnare et vincere, ita Christus voluit se ab eo expugnari et eum vincere. Consueverat enim diabolus hominem duobus modis expugnare. Primo, subdola tentatione, secundo aperta persecutione. Si non superabat eum in primo, aggrediebatur eum secundo pugnandi modo. Cum igitur diabolus primo agressus esset Dominum subdola suggestione, ut eum vel in gula, vel in vana gloria, vel in superbia deciperet, et ab eo superatus esset, post aggressus est aperta persecutione eum impugnare, ut quem non vicerant blanda, vincerent dura. Et quoniam persecutio, quæ infertur a propinquis et familiaribus, solet hominem plus perturbare, persecutus est eum per Judæos contribulos et consanguineos suos, et etiam per discipulum collateralem et domesticum suum. Unde idem per Prophetam : *Amici mei et proximi mei adversum me appropinquaverunt et steterunt* (*Psal.* XXXVII). Et alibi : *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique. Et si is qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo. Tu vero homo unanimis, dux meus et notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos* (*Psal.* LIV). Et alibi : *Homo pacis meæ in quo sperabam, qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem* (*Psal.* XL). Illi ergo a diabolo instigati, persecuti sunt Christum retributione qua nulla est pejor. At Christus respondit eis retributione qua nulla est melior. Quatuor quippe sunt retributiones : Reddere bonum pro malo, reddere bonum pro bono, reddere malum pro malo, reddere malum pro bono. Prima igitur est valde bonorum. Duæ mediæ mediocriter bonorum, et mediocriter malorum. Quarta valde malorum. Prima Christi est suorumque membrorum ; ultima, diaboli suorumque membrorum. Cum itaque Christus Judæos diligeret, eisque veram doctrinam et vitam æternam offerret, illi econtra ei reddebant odium pro dilectione, maledictum pro benedicto, mortem pro vita. Unde ipse per Prophetam : *Posuerunt*, inquit, *adversum me mala pro bonis, et odium pro dilectione mea* (*Psal.* CVIII). Et alibi : *Qui retribuunt mala pro bonis detrahebant mihi* (*Psal.* XXXVII). Et quare? *Quoniam sequebar bonitatem* (*Ibid.*). Itaque cum sic persequerentur Christum Judæi, ipse per omnia exhibuit eis misericordiam et mansuetudinem, ut illi nullam haberent suæ infidelitatis excusationem, et nos exemplo ejus instrueremur quomodo inimicos nostros tolerare deberemus. Sunt igitur, fratres mei, quatuor consideranda in hac lectione. Primo, quomodo Dominus inimicis suis offerat reconciliationem et pacem. Secundo, quomodo conviciantium contumeliis respondeat. Tertio, quomodo invidi verba veritatis depravent. Quarto, quomodo persequentium injuriis Christus cedat. Primo igitur Dominus offert inimicis suis reconciliationem et pacem, cum dicit : *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Ac si diceret : Populo meus, quid feci tibi? aut in quo molestus fui tibi? Responde mihi, et si quid habes prope me, loquere. Qui quærit, fratres mei, in quo læserit, satisfactionem et reconciliationem quærit. *Si veritatem dico, quare non creditis mihi?* Quasi diceret : Si nihil mali sed plurimum boni vobis facio, quare non me diligitis? Si nihil falsi, sed semper veritatem vobis et pro vobis dico, quare non creditis mihi? In quos nos instruit, ut eis qui nobis invident, nos odiunt et persequuntur, pacem et reconciliationem habeamus, quærentes ab eis in quo eos læserimus. Quod si in aliquo, eis cum humilitate satisfaciamus. Si vero in nullo, eis amorem et obsequium offeramus, et nos eorum bonum et velle et quærere ostendamus. Qui si audierint nos, lucrati erimus fratres nostros. Res procul dubio magni meriti apud Deum. Ne simus, fratres, de numero illorum qui turpe putant se inimicis suis humiliare, et eorum pacem quærere, injurias sibi illatas grandificantes, et quas intulerunt parvificantes, præsertim cum Rex regum et Dominus dominantium, pacem impiorum servorum quæsierit, et eis se humiliaverit. Qui cum pacis bona contemnerent, dixit eis : *Qui ex Deo est, verba Dei audit; propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Nos quoque, fratres, inimicis nostris nostram pacem et satisfactionem respuentibus et exspuentibus, dicere possumus : Qui ex Deo est, verba pacis audit : Qui vero verbum pacis audire non vult, ex Deo non est. Nam ubi pax, ibi Deus, et ipso testante, *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur* (*Matth.* V). Quia igitur qui ex Deo est, verba Dei audit, interroget, fratres mei, unusquisque semetipsum, si verba Dei ore cordis audit, id est si retinet, facit, et perseverat, et in eo pro certo cognoscit si ex Deo sit.

Sequitur pars secunda, in qua Christus Judæorum contumeliis benigne respondet. Judæi quippe de oblata pace et correctione pejores effecti, contumeliam responderunt. *Nonne*, inquiunt, *bene dicimus nos : Quia Samaritanus es tu et dæmonium habes?* Heu, quam perverse locuti sunt! Sic, fratres mei, sic faciunt semper mali bonis, pro benedicto reddunt maledictum, pro correctione contumeliam. Sed audiamus quam mansuete eis Dominus respondet, *Ego*, inquit, *dæmonium non habeo.* Duo quippe ei objecta fuerant : alterum negat se dæmonium habere, alterum tacendo concedit, videlicet se esse Samaritanum, Samaritanus namque *custos* interpretatur. Dominus autem custos electorum suorum est, *qui non dormitabit neque dormiet* (*Psal.* CXX).

Cum autem eis veraciter respondere posset : Non ego, sed vos habetis dæmonium, noluit, ne contumeliam pro contumelia reddere videretur. In quo, fratres mei, exemplo suo nos docuit, ne provocati ab aliquo contumelioso, tunc ei vitium suum exprobremus. Quoniam qui alii ob iram et vindictam crimen suum objicit, etsi sit verum, tamen illud non vere, id est simplici intentione dicit, et ideo verus non potest dici, sed potius falsus. Qui autem vult alium de vitio suo corrigere, seorsum et bono zelo eum debet redarguere. Porro Dominus se non habere dæmonium probat ex eo quod subdit, *sed honorifico Patrem meum*, ei quidquid facio attribuendo, et ejus gloriam in omnibus quærendo. Diaboli vero et suorum membrorum est semper suam, et non Dei gloriam quærere, et sibi divinam auctoritatem arrogare. Qui ergo Dei gloriam in omnibus quærit, se non habere dæmonium, nec ejus esse membrum ostendit. *Et vos*, inquit, *inhonorastis me*, in quo ostenditis vos potius dæmonium habere. *Ego autem non quæro gloriam meam; est qui quærat et judicet*, id est adjudicet. Justum enim Dei judicium est, ut qui non suam, sed Dei gloriam quærit, a Deo glorificetur. Et econtrario, qui suam non Dei gloriam quærit, ante Deum inglorius semper sit. Hic discamus, fratres mei, semper Dei, non nostram gloriam in omnibus quærere, et Deus quæret et adjudicabit nobis gloriam suam sempiternam. Non solum autem Dominus non reddit contumeliosis contumeliam, sed etiam offert eis doctrinam, nos instruens ut ob nullam contumeliam, a tranquillitate mentis nostræ commoveamur, sed charitatem et mansuetudinem servantes inconcussam, etiam nobis contumelias inferentibus correctionem et doctrinam offeramus : Ait igitur : *Amen, amen dico vobis, si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum.* Sed sicut boni de accepta contumelia fiunt meliores, ita econtrario mali de accepta doctrina fiunt pejores. Unde et subditur : *Responderunt ergo ei Judæi : Nunc cognovimus quia dæmonium habes.* Est autem hæc pars tertia, in qua Judæi malitiosi, bona Domini verba sinistro depravant intellectu, cum subdunt : *Abraham et prophetæ mortui sunt, et tu dicis : Quia si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum* Sic, fratres mei, sic consueverunt malitiosi justorum dicta depravare, et quod bene et bona intentione dictum est, in deteriorem partem interpretari, vel male exponendo, vel quædam verba mutando. Cum enim Dominus dixisset. *Si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum*, de morte spirituali vel æterna hoc intellexit. Sunt enim tres species mortis, mors corporalis, quæ fit per separationem animæ et corporis, mors spiritualis, quæ fit per peccatum, quod quidem separat animam a Deo, mors æterna, pœna scilicet æterna, quæ cruciabit animam simul et corpus, quæ ideo mors dicitur, quoniam melius esset mori quotidie quam illam pœnam æternam tolerare. Cum ergo Dominus loqueretur de morte spirituali vel æterna, ipsi depravantes, de morte corporali interpretati sunt. *Nunquid*, inquiunt, *tu*, cujus scilicet sermo facit homines immortales, *major es Patre nostro Abraham, qui mortuus est, et prophetis qui mortui sunt ?* subaudis, quorum sermo, nec eos, nec alios facit immortales. Ac si dicerent : Non. Invidia, fratres mei, excæcabat Judæos, quæ semper homines excæcat, ne rectum possint de persona, cui invident, ferre judicium. Quamvis enim audierant et viderant Dominum miracula fecisse, quæ non Abraham, nec aliquis prophetarum fecerit, ut, cæco nato oculos creasse : mortuum quatriduanum suscitasse : ventis et mari imperasse, et super undas ambulasse : tamen ei Abraham et prophetas præponebant : ob nihil aliud, nisi quia ei invidebant, ideo quia eum parvum, et de pauperecula matre natum, et per ætates eum excrevisse viderant. Quorum hodie sunt similes, qui coæquevos et contemporaneos suos quantumcunque bonos despiciunt, et eos antiquioribus non posse æquari contendunt, cum summus auctor in omni tempore æqua bona possit operari. *Quem te*, inquiunt, *facis ?* Ille se ipsum magnum facit, qui virtutem quam non habet, sibi falso attribuit, sicut faciunt hypocritæ.

Propterea ostendit Dominus se non semet glorificare, et tamen se veram glorificationem a Patre habere, cum respondet : *Si ego*, inquit, *glorifico me ipsum, gloria mea nihil est. Est Pater qui glorificat me*, etc. Seipsum glorificat, fratres mei, qui gloriam suam quærit non Dei : cujus profecto gloria nihil est. Christus autem seipsum non glorificavit, quia non suam, sed Patris gloriam in omnibus quæsivit : et ideo ab ipso glorificari meruit. Unde et subdit, *Est Pater qui glorificat me.* Discamus et nos, fratres, in omnibus bonis quæ sentimus, dicimus, vel facimus, non nostram, sed Dei gloriam quærere, ut ab ipso glorificari mereamur. *Quem vos*, inquit, *dicitis, quia Deus vester est, sed non cognovistis eum.* Deum Patrem non cognoverunt, quia eum habere Filium non crediderunt. Qui enim Filium ignorat, et Patrem Deum etiam ignorat, qui reprobis operibus se eum ignorare demonstrat. Quales, unde dolendum est, sunt hodie multi falsi Christiani, qui dicunt de Deo, quia Deus noster est : et tamen eum non cognoverunt, dum se voluntatem Dei ignorare pravis operibus ostendunt. Quia vero Domino dicenti, quod si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum, opposuerant Judæi Abraham mortuum esse : ostendit Dominus Abraham non esse mortuum, sed potius in fide adventus sui vivere et gaudere, cum dicit : *Abraham pater vester exsultavit*, id est, *exsultando exspectavit ut videret diem meum*, id est, adventum meum. Vidit, id est, quem venturum credidit, venisse agnovit, *et gavisus est.* Sed Judæi carnales carnali visu dictum esse intelligentes, respondent : *Quinquaginta annos nondum habes, et Abraham vidisti ?* Respondit eis Jesus, Amen, amen dico vobis, priusquam Abraham fieret, ego sum. Judæi intelligebant Christum purum hominem, et his verbis

ostendit eis divinitatem. Unde cum de Abraham dixisset : *fieret*, de se ait : *sum*. Quoniam Abraham ut creatura factus est : Christus vero ab æterno a Patre non factus, sed natus est. Cujus essentia incommutabilis, convenienter exprimitur per verbum substantivum præsentis temporis. Unde ipse ait ad Moysen, Ego sum qui sum. Sed Judæi more suo malum pro bono reddentes, tulerunt lapides ut jacerent in eum. Sequitur pars quarta, cum subditur, *Jesus autem abscondit se, et exivit de templo*. In quo ostenditur quomodo Dominus persecutorum cesserit injuriis. Sed cum solo eos nutu perdere posset, quare fugere et latere elegit? Triplici de causa. Prima ut per timorem mortis se veram habere humanitatem demonstraret, qui tamen timor in eo voluntatis fuit, non necessitatis. Secunda, ut quod discipulis dixerat verbo : Si persecuti vos fuerint in una civitate, fugite in aliam, ostenderet exemplo. Necessarium quippe fuit prædicatores quandoque fugere et latere, ne mox ablatis prædicatoribus, Evangelium silentio premeretur. Tertia ut nobis daret exemplum, quod si quandoque persecutoribus nostris in contentione possemus prævalere, tamen provocantibus ex humilitate cederemus et lateremus, ut in hoc tam provocantium, quam nostræ saluti consuleremus. Apud Christianos enim, non qui fortiter percutit, sed qui fortiter cedit, fortis est. Fortior enim est, teste Salomone, qui vincit iram quam qui vincit civitatem. Ipse autem Christus qui nunc fugit et latuit, quando ei placuit se crucifigendum persecutoribus obtulit : nec solum fortiter eos passus est, sed etiam pro eis misericorditer deprecatus est, dicens : Pater, dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt. Imitemur itaque Christum redemptorem nostrum, pacem pro odio inimicis nostris offerendo : bonum pro malo, et benedictum pro maledicto reddendo : injuriis etiam imbecillorum cedendo : quando opus fuerit, mortem fortiter sustinendo : pro persecutoribus nostris intercedendo, ut participes Christi resurrectionis et gloriæ fieri mereamur, ipso præstante, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XLV.

DOMINICA IN RAMIS PALMARUM.

Hoc enim sentite in vobis quod et in Christo Jesu, qui, cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo (*Philip.* II), etc. Exhortatur nos Apostolus in hac lectione, fratres charissimi, ut semitam quam secutus est Christus sequatur Christianus. Christus secutus est humilitatem, obedientiam et patientiam ; et propter hoc exaltatus est, et datum est ei nomen quod est super omne nomen. Sicut primus homo secutus est superbiam, inobedientiam, et impatientiam, ita propter hoc præcipitatus est. Quia ergo per hæc tria vitia, facta est ruina humani generis, necesse erat ut per tres virtutes, prædictis vitiis contrarias, repararetur. Fuit autem in primo homine superbia quadrifaria : Prima, quia æquare se voluit suo superiori, quando per rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo, quæ proprie est arrogantia. Secunda, quia voluit se extollere super suum æqualem, angelum scilicet, quod proprie est superbia. Tertia, quod secundum legem suam, non Dei, voluit vivere; quod proprie est præsumptio. Quarta, quod peccatum suum conatus est defendere, quod proprie est contumacia. In quibus nos quoque, fratres mei, veterem Adam imitamur, cum vel superioribus nostris nos æquare contendimus, vel cum æqualibus nostris nos semper extollimus, vel cum non Dei, sed nostram voluntatem facere volumus, vel cum peccata nostra defendimus vel excusamus. Porro ad hanc quadrifariam superbiam delendam, descendens Christus exhibuit in se quadrifariam humilitatem : primam, quoniam, sicut in hac lectione ostenditur, non per rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo. Quod enim habuit per naturam, non præsumpsit per rapinam. Secundam, quoniam semetipsum exinanivit formam servi accipiens, non solum suis coæqualibus, Patre scilicet et Spiritu sancto, sed suis inferioribus, angelis scilicet minoratus (*Hebr.* I). Juxta quod de eo per Prophetam ad Patrem dicitur : *Minuisti eum paulo minus ab angelis* (*Psal.* VIII). Subditus etiam fuit hominibus, ut Mariæ et Joseph (*Luc.* II), reddens etiam tributum Cæsari (*Matth.* XVII), et lavans pedes servorum suorum (*Joan.* XIII). Tertiam, quoniam in omnibus voluntatem Patris quæsivit facere, non suam. Unde : *Descendi*, inquit, *de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me* (*Joan.* VI). Quartam, quoniam cum sua non haberet peccata, portavit aliena. Unde Petrus : *Peccata*, inquit, *nostra ipse pertulit super lignum* (*I Petr.* II). Unde idem ait : *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? longe a salute mea verba delictorum meorum* (*Psal.* XXI ; *Marc.* XV), nostra delicta dicens sua. Nos ergo, fratres mei, non veterem hominem Adam, sed Christum novum hominem imitemur. Humiliemur nos non solum nostris majoribus, sed etiam coæqualibus et minoribus : non nostram, sed Dei voluntatem facere quæramus : non solum peccatorum nostrorum onus, sed etiam alienorum onera portare satisfaciendo et orando curemus. Fuit etiam in Adam inobedientia, quia Creatori suo noluit obedire in bonum suum; et diabolo inimico suo obedivit in malum suum. Econtrario Christus, ut hic dicitur, fuit factus obediens Patri usque ad mortem, et hoc in redemptionem generis humani, non suam, et non obedivit diabolo in sui præcipitationem. Adam noluit obedire Deo in levissimis, et Christus obedivit Patri in durissimis. Adam noluit obedire Deo nec minis nec præmiis, Christus obedivit Patri, spontanea voluntate ductus. Adam noluit obedire Deo ut viveret abstinendo a ligno, Christus obedivit Patri, ut moreretur suspensus in ligno. Adam, quia inobediens fuit, amisit dominium quod habebat in omni munda creatura; Christus, quia obediens fuit, data est ei omnis potestas in cœlo et in terra. Fugiamus itaque, fratres, inobedientiam veteris hominis, ne excluda-

mur ab hæreditate patriæ cœlestis, sed imitemur obedientiam novi hominis Christi, ut cum eo mereamur glorificari. Adeo enim est necessaria obedientia, quod nullum bonum sine ea potest prodesse, et nullum malum cum obedientia potest obesse. Cum enim bonum sit comedere pomum, tamen per inobedientiam malum fuit. Et tantum malum, quod non solum auctorem Adam, sed etiam universam ejus posteritatem, a paradiso proscripsit (*Gen.* III). Cum bonum quoque sit sacrificare Deo, et per pietatem parcere victis, tamen quia contra obedientiam hoc Saul fecit, in hoc graviter peccavit. Unde ei et a Samuele dictum est : *Magis valet obedientia quam victimæ* (*I Reg.* XV). Econtrario cum malum sit vicinorum bona furari vel rapere, tamen Israelitæ spoliantes Ægyptios, quia per obedientiam hoc fecerunt, non peccaverunt, sed potius meruerunt. Item cum ducere fornicariam, et gignere filios fornicationis, grave delictum sit, tamen propheta ad mandatum Dei hoc faciens, non peccavit, sed potius promeruit. Quantum etiam bonum sit obedientia, ostendunt multa sanctorum miracula. Maurus quippe ad mandatum patris Benedicti currens, ad eripiendum puerum placidum de aqua, super aquas legitur ambulasse. Alter quoque ad mandatum abbatis in clibanum ardentem prosiliens, incombustus legitur exiisse.

Ameinus igitur, fratres, in omnibus obedientiam, Deo in omnibus obedientes, majoribus nostris etiam in omnibus, quæ contra Deum non sunt, obsequentes, scientes quoniam quod per se videtur inutile et otiosum, si tamen per obedientiam fiat, fit utile et meritorium. Fuit quoque in Adam impatientia, quoniam mitissimum jugum Dei noluit pati, ut vivens mortem evitaret. Econtrario in Christo fuit maxima patientia, quoniam durum Patris mandatum portavit, ut moriens, mortuos ad vitam revocaret. Adam quoque non potuit pati pro se mitissima, Christus vero passus est pro aliis durissima. Adam non potuit pati ut abstineret a ligno, Christus sustinuit ut moreretur in ligno. Quæ mors est magis crudelissima, probrosa, et longa. Unde et patientia ejus fuit major, et abjectior et longanimior. Crudelis enim mors est non cito, sed lente occidi. Probrosa mors inter iniquos reputari. Longa mors est cum longa vexatione dissolvi. Passi sunt autem cum eo iniqui, sed dissimiliter. Sinister enim latro patitur pro peccato suo, nec corrigitur, sed magis improperat, et magis deterioratur. Dexter quoque latro patitur pro peccato suo et corrigitur, pro se orat et salvatur. Christus vero patitur non pro suis, sed alienis peccatis ; orat pro inimicis, et virtus ejus magis ac magis glorificatur. Per hos tres significantur tria genera patientium. Per sinistrum quippe latronem significantur illi qui pro peccatis suis flagellati non emendantur, sed murmurant et magis reprobantur. Per dextrum vero latronem significantur illi qui pro peccatis suis flagellati emendantur, gratias agunt et salvantur. Per Christum vero significantur innocentes, qui flagella non merita patienter sustinentes, gratias agentes, et pro inimicis suis orantes, magis ac magis clarescunt. Quoniam ergo Christus sic fuit humilis, sic obediens, et sic patiens, exaltatus est ad dexteram Patris, et datum est ei nomen, quod est super omne nomen, ut scilicet sit unus Deus cum Patre et Spiritu sancto. Et hoc ei idcirco dicitur datum, quoniam quod erat ei natura secundum quod Deus, ei factum est gratia secundum quod homo. *Ut in nomine Jesu omne genu*, id est omnis potestas flectatur, cœlestis, terrena, et infernalis. *Et omnis lingua*, id est, omne genus sermonum, *confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.* Itaque, fratres charissimi, si cupimus pervenire ad Dei gloriam, sequamur ejus viam. Humiliemur, obediamus, patiamur. Qui enim est superbus, inobediens, et impatiens, non incedit viam Christi, sed viam diaboli, et ideo cum eo præcipitabitur et damnabitur. Quotiesque plus quærimus exaltari in hoc sæculo quam humiliari, plus præcipere quam obedire, plus prosperari in mundanis voluptatibus quam correptiones pati, non sapimus ea quæ sunt Dei, sed quæ sunt diaboli. Humiliemus igitur nosmetipsos, non solum majoribus, sed etiam æqualibus et minoribus. Obediamus Deo et majoribus nostris, non timore, non mercenarie, sed amore. Patiamur flagella et tribulationes æquo animo, et si non ita innocenter, ut Christus, tamen ut dexter latro, pro peccatis nostris mala nobis inferri dicamus, gratias agentes, et pro persecutoribus exorantes, quatenus ipsæ passiones sint nobis purgatoriæ et utiles, ut cum ipso latrone paradisum intrare mereamur. Per Dominum nostrum Jesum Christum. Amen.

HOMILIA XLVI.

DOMINICA IN RAMIS PALMARUM.

Cum appropinquasset Jesus Jerosolymis, et venisset Bethphage ad montem Oliveti, misit duos de discipulis suis, etc. (*Matth.* XXI.) In hac sancti Evangelii lectione, fratres charissimi, primo ea quæ ad historiam, secundo quæ ad mysticum sensum pertinent sunt consideranda. Sunt autem juxta historiam quinque attendenda.

Primo, quare Dominus, cum ante latuisset, imminente sua passione, voluit aperte ipsi loco, quo passurus erat, appropinquare. Quod ideo fecit, ut demonstraret se quando oportuit spontaneam subire passionem. Quando igitur latuit, dedit imperfectis exemplum latendi. Quando morti occurrit, dedit perfectis exemplum morti occurrendi. Quando latuit, fecit quod erat carnis. Quando morti occurrit, fecit quod erat spiritus. Juxta quod ipse ait : *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma* (*Matth.* XXVI). Similiter quando ait : *Tristis est anima mea usque ad mortem* (*ibid.*), dixit quod erat humanitatis. Quando vero dixit : *Nemo tollit animam meam a me, sed ego pono eam* (*Joan.* X), dixit quod erat divinitatis. Itaque, fratres mei, Christus carnis et spiritus, hominis et Dei, veram in se exprimebat

naturam. Verumtamen voluntatem spiritus voluntati carnis, voluntatem divinam humanæ præferebat. Unde cum secundum humanitatem dixisset : *Transeat a me calix iste* (*Matth.* XXVI), mox divinam voluntatem ei præponendam esse demonstrat, cum subdit : *Non tamen quod ego volo, sed quod tu* (*ibid.*). Nos quoque, fratres, quoties ex infirmitate carnis aliquid volumus, mox nos reprehendamus exemplo Christi, nostram voluntatem divinæ voluntati subdamus, dicentes : Verumtamen, Domine, non nostra voluntas, sed tua fiat. Secundo considerandum est, quare Dominus duos discipulos solitus erat mittere ad prædicandum, vel ad quærendum hospitium, vel ad adducendum asinam, vel ad aliquid aliud agendum. Ob duplicem causam utique, quoniam in duobus ostenditur veritatis testimonium et charitatis exemplum. Veritatis testimonium, quoniam in ore duorum vel trium testimonium stat omne verbum (*Deut.* XIX). Charitatis exemplum, quoniam non minus quam inter duos amor charitatis demonstratur. Unde hoc, inquit, mando vobis ut diligatis invicem. Duo ergo mittuntur, ut consono verbo et exemplo, veritatem prædicent et charitatem. Nos ergo, fratres, quando in veritate et charitate ad invicem consonamus, nos esse discipulos Christi demonstramus. Quando vero (quod absit!) a veritate et charitate discordamus, non Christi, sed magis diaboli nos discipulos esse demonstramus. Tertio vero considerandum est quomodo Deus ostendit se veram habere divinitatem in eo quod futura tanquam præsentia narrat, et quod corda hominum se præscire demonstrat. Scire enim futura tanquam præsentia, et præscire hominum corda solius divinitatis est. Porro futura tanquam præsentia se scire demonstrat, cum ait : *Invenietis asinam alligatam et pullum cum ea.* Corda hominum se præscire demonstrat, cum subdit : *Et si quis aliquid vobis dixerit, dicite quia Dominus his opus habet, et confestim dimittet eos.* Nec solum quippe novit corda hominum, sed etiam ea quo vult inclinat. Nam de eo scriptum est : *Qui mutat corda regum* (*Prov.* XXI). Oremus ergo eum, fratres, ut ipse corda nostra in melius commutet, et ad sequendam suam voluntatem inclinet. Quarto considerandum est, cum Dominus semper ire pedes soleret, quare hac vice vehiculum quæsivit. Quod ideo fecit, quia appropinquaverat tempus quo ipse erat exaltandus. Unde ipse, imminente passione, ait : *Pater, clarifica nomen tuum. Venit hora ut clarificetur Filius tuus* (*Joan.* XVII). Et Pater : *Clarificavi*, inquit, *et iterum clarificabo* (*ibid.*). Appropinquante quippe passione, majora cœpit agere, et apertius altiusque prædicare, acrius Judæos reprehendere, plures secum ducere. Imminente quippe passione, quatriduanum resuscitavit (*Joan.* XII), divinitatem suam aperte prædicavit, super asinam sedens Hierusalem venit, et a populo cum honore susceptus est (*Matth.* XXI). Et laudes populi, quem ante tacere præcipiebat, modo non refutavit, sed potius dixit : *Si hi tacuerint, lapides clamabunt* (*Luc.* XIX). Sed, fratres mei, exaltatio Christi, quoniam humilitatem habuit, fundamentum stabit in æternum. Quæsivit enim gloriam non suam, sed Patris. Ascendit non super equum superbiæ, sed super asinam humilitatis. Susceptus fuit cum laudibus, non ab adulatoribus, sed a simplicibus qui nesciunt adulari. In quo confunduntur illi qui antequam sciant humiliari, exaltari volunt, cum scriptum sit : *Gloriam præcedit humilitas* (*Prov.* XV). Confunduntur et illi qui gloriam suam, non Dei quærunt, qui super equos phaleratos ventose incedunt, qui laudem ab adulatoribus volunt. Quinto consideranda est, fratres mei, veteris et novæ legis consonantia, pariter et adimpletio. Assumptio enim agni paschalis in decima luna, et immolatio in quarta decima, juxta quod scriptum est : *Decima die mensis hujus tollat unusquisque agnum, et servabitur usque ad quartam decimam diem, et tunc immolabitur ad vesperum* (*Exod.* XII), in ipso adimpleta est. Christus enim die decima, id est hodie venit Jerusalem, et quarta decima die, ad vesperum captus, ad victimam ductus est. Prophetia Zachariæ, hæc scilicet : *Noli timere filia Sion, quia rex tuus venit mansuetus tibi, sedens super pullum asinæ* (*Zach.* IX), in ipso adimpleta est. Laus etiam puerorum, juxta quod scriptum est : *Ex ore infantium et lactantium perfecisti laudem* (*Psal.* VIII), in Christo adimpleta est. Ipsa etiam laus de psalmo sumpta est. Ubi enim nos dicimus, *O Domine, salum me fac*, Hæbræus habet, *Hosanna, bene prosperare, benedictus qui venturus est in nomine Domini* (*Psal.* CXVII). Condensitates palmarum et ramorum, de quibus in psalmo dicitur : *Constituite diem solemnem in condensis* (*ibid.*), hodie in Christo adimpletæ sunt.

Mystice vero, fratres mei, Dominus ad montem Oliveti, id est ad altitudinem misericordiæ venit, quando per carnem ad redimendum Jerusalem appropinquavit. Inde misit duplicem prædicatorum ordinem, unum ad adducendum per fidem plebem Judæorum, alterum ad adducendum populum gentium. Asinus est animal mansuetum, brutum, laboriosum, et utilitati deditum. Et Deus quærit mansuetos, sæculo stultos, laboriosos, et utilitati proximorum deditos. Per asinam igitur, quæ subjugalis et mater erat, significatur plebs Judæorum, quæ sub jugo legis erat, et populi gentium per fidem mater erat. Per pullum vero liberum et lascivum, exprimitur populus gentium, qui sine lege erat, et ad peccandum dissolutus erat. Super ambos ponunt apostoli vestimenta sua, quando eos doctrinis evangelicis onerant et honorant, ut in eis Dominus sedeat, et eos regendo in cœlestem Jerusalem ducat. Vestimenta sua sternunt in via activi, qui de rebus temporalibus se exuentes, eas in obsequium Christi suorumque membrorum expendunt. Ramos de arboribus cædunt, et in via sternunt prædicatores, qui de libris sententiarum moralium flosculos excerpunt, et eos in via membrorum Christi prætendunt. Hosanna in excelsis clamant contemplativi, qui divinis laudibus et ora-

tionibus instant. Nec solum quidem specialiter, sed et generaliter turbæ, quæ præcedebant et sequebantur, clamabant Hosanna, quoniam omnes et qui præcesserunt, et qui sequuntur adventum Christi, in fide et confessione salvantur Dominicæ Incarnationis. Et non solum contemplativi, sed etiam activi et doctores frequenter divinis laudibus et orationibus intendere debent. Significantur autem hæc tria hominum genera, per Noe, Daniel, et Job, quos solos propheta dicit liberandos. Per Noe, quippe rectores, per Daniel contemplativi et casti, per Job activi et uxorati significantur. Itaque fratres, illi soli qui istorum vitam tenuerunt, salvabuntur. Qui ergo rector est, seipsum et alios bene regat, verbo et exemplo eos instruat, flores moralium sententiarum ad eos pascendos proponat. Qui vero contemplativus est, divinæ laudi et orationi insistat, nec ducat vitam otii et pigritiæ, sed quanto a sæculo est liberior, tanto divinis sit intentior. Odoret et prægustet, in via dulcedinem et suavitatem, quæ est in patria. Qui vero activus et uxoratus est, ita agat exteriora, quod non obliviscatur interiora, sic transeat per sæculum, quod non obliviscatur Deum. Vestes et temporalia bona expendat in usus pauperum et membrorum Christi. Sit hospitator peregrinorum, vestitor nudorum, redemptor captivorum, visitator infirmorum, sustentator pauperum, defensor viduarum et pupillorum, uxorem et liberos habeat bene disciplinatos, familiam immaculatam, in usu sæcularium sciat quærere et lucrari Christum. Sic sic, fratres mei, viventes cum Christo, in cœlestem Jerusalem intrare, et cum eo in æternum vivere poterimus, ipso præstante qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus in æternum. Amen.

HOMILIA XLVII.

CŒNA DOMINI.

Convenientibus vobis in unum, jam non est Dominicam cœnam manducare (*I Cor.* II), etc. Hanc lectionem, fratres charissimi, tanto propensius audire debemus, quanto magis necessarium in ea salutis nostræ continetur sacramentum. Sunt autem hujus lectionis quatuor partes : In prima reprehendit Apostolus Corinthios de abusione sacramenti altaris. In secunda tradit formam illius sacramenti. In tertia demonstrat quomodo ad illud accedere debeamus. In quarta ostendit quid indigne accedentes mereantur. Ostendit igitur Apostolus primo abusionem Corinthiorum in hoc sacramento, cum dicit : *Convenientibus vobis in unum, jam non est Dominicam cœnam manducare.* Peccabant quippe Corinthii, vel in hoc quod pransi ad hoc sacramentum accedebant, vel quia potius corporalem quam spiritualem satietatem in hoc sacramento quærebant, vel quia offerentes oblationes suas, nihil offerentibus non communicabant. Peccabant enim Corinthii, in hoc quod ad Eucharistiam pransi accedebant. Ad nullum enim sacramentum, et multominus ad Eucharistiæ sacramentum, quod majus est cæteris et dignius, accedere debemus pransi, sed potius jejuni et sobrii, nisi forte necessitas cogat infirmitatis. Quod enim Dominus inter prandendum istud sacramentum tradidit, hoc ideo fecit, ut de figurativo ad verum Pascha transiret, et per illud, istud significatum fuisse demonstraret. Peccabant enim in hoc quod hoc sacramento non spiritualem, sed corporalem quærebant satietatem. Quamvis enim in hoc sacramento remaneat sapor panis et vini, tamen spiritualis cibus est, non corporalis. Nec spiritualis, sed carnalis homo est, qui in hoc sacramento carnalem suam quærit satietatem. Peccabant quoque et in hoc quod oblationes suas nihil offerentibus non communicabant. Quoniam qui minus Deo obtulit, in eo jus proprium amisit, et Ecclesiæ sacramenta non divitum sunt tantum, sed potius omnium communia. Et hoc contra illos est qui in hoc quod dederunt Ecclesiæ aliquod privilegium, præcæteris volunt habere. Unde et hoc sacramentum specialiter vocatur sacramentum communionis. Debent enim omnes fideles in hoc sacramento habere communionem sacramenti, fidei et charitatis. Nihil enim prodest fictis Christianis habere communionem sacramenti cum fidelibus, cum non habeant in eis communionem fidei. Rursus nihil prodest malis Christianis habere communionem sacramenti et fidei cum bonis, cum non habeant cum eis communionem charitatis. Hæc enim communio, per hoc sacramentum significatur. Sicut enim plures grani uniuntur in confectione unius panis, ita plures christiani colliguntur in unione Ecclesiæ per fidem et charitatem. Unde Apostolus : *Multi enim unus panis sumus in Christo* (39) (*I Cor.* x). Nihil enim aliud est corpori et sanguini Christi communicare, quam de unione Christi et Ecclesiæ esse. Unde Dominus : *Qui manducat*, inquit, *carnem meam, et bibit sanguinem meum, in me manet et ego in eo* (*Joan.* VI). Sed, ut ait Apostolus, *convenientibus vobis in unum*, solo corpore, non charitate, *non est Dominicam cœnam manducare. Unusquisque enim cœnam*, id est oblationem suam, quæ debuit omnibus communicari, *præsumit*, id est ante tempus sumit ad manducandum sibi soli : *Et alius quidem esurit, alius autem ebrius est.* Istis, fratres mei, sunt hodie similes quidam claustrales, qui cum sua Deo obtulerint in holocaustum, tamen communia rursus sibi appropriantes, quisque suam cœnam et sua vestimenta præsumit habere. Et alius quidem esurit, alius autem ebrius est ; alius duplicibus tegitur, alius friget. Sed profecto sic convenientibus vobis in unum, non est Dominicam cœnam manducare. Nos quoque, fratres, (quod sine gemitu dicere nequeo) istis similes videmur, qui, cum conveniamus cum pauperibus in unam Ecclesiam, et in unam fidem, et eadem sacramenta participemus, tamen unusquisque nostrum qui res temporales largius possidemus, suam deliciosam cœnam præsumit

(39) Vulg. non hab. *in Christo.*

ad manducandum, et sua mutatoria ad vestiendum, pauperibus fame et frigore pereuntibus. Sed profecto sic convenientibus in unum, non est Dominicam cœnam manducare. Ergo, fratres mei, ut Dominicam cœnam digne manducare valeamus, communicemus eis cibaria nostra qui nobiscum communicant eadem sacramenta. Communicemus eis nostra vestimenta qui nobiscum sunt communicaturi sempiterna : *Nunquid domos non habetis ad manducandum et bibendum ?* hoc ideo dicit, non quod illi qui in domibus suis delicias epulantur, excusabiles sint, si fiunt duri et incommunicabiles contra pauperes, sed quoniam non ita cruciant pauperes absentes deliciæ, sicut præsentes. Visæ enim deliciæ plurimum cruciant egentes, dum eis incutiunt invidiam, cupiditatem, et pudorem. Hinc est quod Lazarus egens ad visas divitis purpurati delicias, multum tentatus, et ideo probatus est. Sed et ipse dives minus excusabilis est, quod ad quotidie visam pauperis indigentiam, nulla humanitate motus est. *Aut ecclesiam*, inquit, *contemnitis.* Ecclesiam quippe Dei contemnit, qui pauperes Dei (qui utique de Ecclesia Dei sunt) per delicias suas scandalizare præsumit. Ecclesiam etiam Dei contemnit, qui cum habeat domum in qua manducet, in Ecclesia manducat escas corporales : Ecclesia quippe non corporalis, sed spiritualis refectionis locus est. *Et confunditis*, id est erubescere facitis, *eos qui non habent.* Ac si diceret : Si ita inhumani estis, quod escas vestras non habentibus communicare non vultis, saltem a conspectu pauperum remoti, eas vescimini, ne præsentibus pudorem et tentationem incutiatis. Si enim in conspectu pauperum nihil eis impertientes manducatis, peccatis dupliciter.

Sequitur pars secunda in qua formam hujus sacramenti Apostolus tradit, dicens : *Ego enim accepi a Domino quod et tradidi vobis* : Ac si diceret : Eo ipso formam traditi sacramenti debetis honestius observare, quod non ab homine, sed ab ipso Deo tradita est. *Quoniam Dominus noster Jesus Christus in qua nocte tradebatur*, etc. Hoc sacramentum Dominus tradidit ultimum et imminente passione, ut demonstraret illud charius et memorabilius esse recolendum in memoriam mortis suæ. In nocte vero illud tradidit, ut ostenderet illud inter miserias et ignorantias mundanæ vitæ, fidelibus sustentationem fore. *Accepit*, inquit, *panem, et gratias agens benedixit, fregit, ac dixit : Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur : Hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem, postquam cœnavit, dicens: Hic calix Novum Testamentum est*, id est Novi Testamenti firmator, *in meo sanguine. Hoc facite quotiescunque bibetis in meam commemorationem.* Juxta literam, fratres mei, hæc est forma verborum, quam dum sacerdos profert, sacerdos invisibilis visibilem panem vertit in corpus suum. Porro, cum præcepit Dominus hæc in sui memoriam fieri, loquitur secundum morem amici amico suo dicentis, qui ei in memoriam mutuæ dilectionis aliquod memoriale dereliquit. Sic Dominus cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos (*Joan.* XIII), tradens eis in commemorationem suæ dilectionis tale quid, quod non solum eis ad memoriam, sed etiam ad confortationem eis esset et solamen. Et ad solamen quidem eis est, quod dum sancti in hac valle lacrymarum ad Deum suspirant, quodammodo consolantur, dum eum in sacramento quasi visibiliter Deum suscipiunt. Ad confortationem vero est, quoniam co tanquam viatico inter labores hujus sæculi confortantur, et ne deficiant spiritualiter reficiuntur. Unde Dominus : *Caro*, inquit, *mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus* (*Joan.* VI). Ad memoriam etiam eis est, quoniam sacramentum hoc non solum Christi reducit in memoriam, sed etiam expressive nobis ejus repræsentat passionem. Unde Apostolus subjungit : *Quotiescunque enim comedetis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis*, id est, repræsentabitis. Quando enim sacerdos elevat hostiam, et ei imprimit crucis signum, elevationem Christi in cruce repræsentat. Depositio vero vini vel panis in calicem, Christi repræsentat sepulturam. Involutio vero corporalium circa calicem, sudarii circa corpus repræsentat obvolutionem. Mystice vero Dominus panem accepit, quando in sua persona naturam humanam assumpsit. Gratias egit, quando de assumpta humanitate obediendo Deo Patri gratias egit. Benedixit, quando corpus suum omni gratia et benedictione replevit. Fregit, quando illud passioni exponens, animam a corpore separavit. Dedit discipulis suis corpus suum, non solum in viaticum sacramenti, sed etiam in pretium redemptionis in via, id daturus in præmium retributionis in patria. *Hoc facite in meam commemorationem*, ut sicut ego meipsum do et pono pro vobis, ita etiam vosmetipsos date pro me, et pro fratribus vestris. Moraliter autem quando Dominus hoc egit, quid agere debeamus, demonstravit. *Accepit*, inquit, *panem et gratias egit.* Demonstrans ut quando panem vel alium cibum accipimus, Deo largitori gratias agamus, sicut magna etiam ita modica læte, et cum gratiarum actione percipientes, ut sciamus cum Apostolo et abundare et penuriam pati (*Philipp.* VI). Benedixit etiam panem, instruens nos ut quando panem, vel vinum, vel alios cibos sumimus, eos prius benedicamus; quod sacerdotis officium est, si præsens fuerit ; sin autem, diaconi vel subdiaconi. Qui si non affuerint, paterfamilias, vel etiam eo absente materfamilias, cœnam suam benedicere debet. Fregit etiam Dominus et dedit discipulis suis, docens nos ut panem nostrum esurientibus frangamus, non solum corporalem, sed etiam spiritualem, juxta quod scriptum est : *Frange esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam* (*Isai.* LVIII). Non simus de illis de quibus dicitur : *Parvuli* petierunt *panem, et non erat qui frangeret eis* (*Thren.* IV). *Hoc est*, inquit, *corpus meum quod pro vobis tradetur : hoc facite in meam commemorationem.* In hoc instruit nos, ut nos quoque exem-

pli ejus memores non solum nostra, sed etiam corpus nostrum proximis nostris tradamus.

Sequitur pars tertia, in qua ostenditur quomodo ad sacramentum altaris accedendum sit, cum subditur : *Itaque quicunque manducaverit panem hunc et biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini*, id est, non ad meritum, sed ad reatum sumet. *Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat et de calice bibat*. Probet autem, id est dijudicet, examinet, et emendet totam vitam suam, omnes cogitationes, omnia delicta et facta sua ad judicium vocans, ut quod viderit in se vitiosum abjiciat. Quod viderit sibi deesse acquirat, quod incultum excolat, quod purum magis purificet. Non solum autem criminalia, sed etiam omnia venialia, pro posse, evitet. A quibusdam etiam mediis et imperfectis bonis abstineat, ut a complexu etiam legitimæ uxoris, a causarum etiam justarum negotiis, a justa etiam repetitione debitorum. Ad perfecta autem et maxima bona pro posse suo se extendat, ut ad diligendum inimicum, ad remittendum injurias sibi illatas, et benefaciendum persecutoribus. Taliter autem purgatus et purificatus poterit ad sacramentum corporis et sanguinis Domini dignus accedere.

Sequitur pars quarta, in qua ostenditur quid indigne accedens ad sacramentum altaris mereatur, cum subditur : *Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit*. Indigne manducat et bibit qui vel incredulus, vel immundus, vel interdictus, vel incompunctus, accedit. Et talis judicium sibi manducat et bibit, id est quia talis manducat et bibit, pœnam sibi acquirit. Quod enim in se est optimum, indigne accedenti fit malum. Non dijudicans corpus Domini, id est, non discernens a communibus cibis. Ideo enim judicium sibi sumit, quoniam, sicut ad corporales cibos, sine devotione et reverentia ad Dominicum corpus accedit. Et quoniam multi indigne accedentes, judicium, id est pœnam, sibi acquirunt, *ideo inter vos sunt multi infirmi*, aliqua brevi ægritudine, illi scilicet qui minus in hoc peccant, *et multi imbecilles*, diutino languore, illi scilicet qui magis in hoc peccant, *dormiunt* etiam morte corporali multi, illi scilicet qui multum in hoc peccant, de quibus intelligendum est, quoniam si digne (de hoc quod indigne corpus Domini sumpserunt) pœnituerint, fit eis ipsa mors pœna purgatoria peccati. *Quod si nosmetipsos*, inquit, *dijudicaremus, non utique judicaremur*. Nosmetipsos, fratres mei, tunc judicamus, quando nosmetipsos de peccatis nostris accusamus, damnamus et punimus. Accuset igitur peccata nostra intus conscientia nostra, memoria nostra contra nos testimonium perhibeat, ratio nostra nos reos et suppliciis dignos pronuntiet. Timor vehemens gehennæ, tanquam gravis tortor, nos intus puniat, et de compunctione animæ lacrymas tanquam sanguinem emittat. Si enim, fratres mei, taliter nosmetipsos dijudicaremus, non utique a Deo judicaremur, id est puniremur, vel pœna æterna, vel etiam pœna temporali, quæ pro contemptu pœnitentiæ nobis infligitur sæpe. Cum enim nos excusamus, Deus nos accusat, cum nosmetipsos judicamus, Deus nos absolvit et justificat, et cum nos justificamus, Deus nos judicat. Est autem melius in hoc sæculo judicari nos a Deo, quam in futuro. Unde et subdit : *Cum judicamur autem*, id est cum flagellamur hic, *a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo* perverso in æternum *damnemur*. Itaque, fratres mei, flagella Dei tanquam pii patris hic benigne sustineamus, et ei de flagellis nostris gratias agamus. Qui ideo punit breviter in hac vita, ne nos puniat æternaliter in futura, cui laus sit per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XLVIII.

IN CŒNA DOMINI.

Ante diem festum Paschæ, sciens Jesus quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos (*Joan.* XIII). Hujus evangelicæ lectionis fratres charissimi, tres sunt partes. In prima demonstratur Dominum, imminente sua passione, majus signum dilectionis suæ ostendisse. In secunda ostenditur in quo. In tertia quare hoc fecerit demonstratur. Ait igitur evangelista : *Ante diem festum Paschæ*, illius scilicet in quo crucifigendus erat, *sciens Jesus quia venit ejus hora*, hora scilicet non necessitatis, sed voluntatis suæ, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem. In quibus verbis ostenditur, unde festum Paschæ Pascha dicatur. Pascha enim nomen Hebræum est, et a transitu dicitur. In hoc quippe festo filii Israel per immolationem agni transierunt de Ægypto ad terram promissionis. Christus quoque per sanguinem suum de hoc mundo transivit ad cœlum. Nos quoque, fratres mei, si vere Pascha celebrare volumus, ab Ægypto ad terram promissionis, a mundo ad cœlum, a vitiis ad virtutes, desiderio transire debemus. Et ut lex dicit, carnes agni comedere festinanter, ut scilicet festinemus tanquam peregrini, de exsilio hujus mundi transire ad patriam cœlestem. *Cum dilexisset*, inquit, *suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos*. In finem eis majoris exhibuit signum dilectionis. Recessurus enim ab eis, ut sui memoriam arctius mentibus eorum infigeret, eis majorem ostendit teneritudinem amoris, mysteria corporis et sanguinis sui eis tradendo, et hoc facere in sui commemorationem præcipiendo, eorum pedes lavando, eos consolando, ut quando dixit : *Non relinquam vos orphanos, vadam et veniam ad vos* (*Joan.* XIV). Spiritum sanctum eis missurum promittendo, et hujusmodi. Nos quoque, fratres, Domini et Magistri nostri exemplum sequentes, recessuri ab eis cum quibus habuimus longam conversationem, in fine debemus eis ostendere majorem dilectionem, quatenus veræ dilectionis exemplum relinquamus, et eorum mentibus dilectionem et memoriam nostri arctius infigamus.

Sequitur pars secunda, in qua ostenditur in quo majorem Dominus suis ostenderit dilectionem, cum subditur : *Et cœna facta, cum diabolus jam misisset*

in cor, ut traderet eum Judas Simonis Isiariotæ, etc. Miræ patientiæ exemplum nobis, fratres charissimi, Dominus dereliquit, in hoc quod tam patienter proditorem suum sustinuit, non excludens eum a consortio suo, non a mensa, non ab osculo. Nos quoque, fratres, sequentes magistrum nostrum, inimicis nostris patientiam exhibeamus, communicantes eis nostram dilectionem, rem temporalem et pietatem, ut sic ejus animam ad amorem inflectere valeamus. Hoc contra illos est qui nequeunt pati hominum naturam, necdum malitiam. Nam ut taceam de inimicis, si conjux, vel amicus, socius, vel familiaris, aliquantulum iracundus, vel hebes, vel tardus fuerit, statim eos objurgant vel irrident, vel contumelias inferunt. Sed qui talis est, ipse per impatientiam sibi testis est quod ipse reprehensibilis est. Non ita faciendum est, fratres. Nam si Christus mundus et sanctus patienter sustinuit suum proditorem, tu peccator, non sustinebis peccatorem ? Si Christus sustinuit inimicum, tu non sustinebis amicum ? Itaque familiarium et proximorum nostrorum vitia patienter sustineamus. Palam dissimulemus, secreto corriganus. Quod autem ait : *Cum diabolus in cor misisset*, non ita intelligendum est, fratres charissimi, quod diabolus putetur immittere vel creare cogitationes in cordibus hominum. Diabolus enim non est auctor cogitationum, sed suggestor, suadere potest, non violenter immittere. In potestate autem homims est consentire vel non consentire. Unde Dominus ad Cain : *In potestate tua erit appetitus uus, et tu dominaberis illi* (*Gen.* IV). Hoc contra illos qui quando aliquod scelus perpetraverint, dicunt diabolum hoc se facere fecisse, et culpam diabolo ascribunt, dum se excusare cupiunt. In quo magis se incusant et peccatum augent. Nam et diabolo sponte consenserunt, et cum eo juste sunt puniendi. *Sciens*, inquit, *quod omnia dedit ei Pater in manus suas*, cœlestia, terrestria, et inferna, bonos et malos, illos ad salvandum, hos ad judicandum (*Eccli.* III), illos ad eligendum, hos ad reprobandum. Et quia potens et Dominus omnium, humiliavit se ad pedes servorum, juxta illud : Quanto majores, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam. Et illud : *Qui major est, fiat sicut minor, et qui præcessor est, sicut ministrator* (*Luc.* XXII). *Et quia*, inquit, *a Deo venit, et ad Deum vadit*. Sic ideo bonum exemplum ad Deum eundi suis relinquere voluit. *Surgit a cœna, et ponit sua vestimenta, et cum accepisset linteum, præcinxit se*. Postquam distribuit cibaria vitæ, ut Dominus, dat exemplum humilitatis factus ut minister. Sic fiat et spiritualis quisque magister. Postquam sederit docens et corrigens ut magister, surgat et accingatur ad ministrandum ut humilis minister. Hoc contra quosdam sanctæ Ecclesiæ prælatos, qui semper volunt sedere et dominari : surgere autem ad ministrandum, et humiliari refugiunt. Ponit igitur vestimenta sua, præcinxit se linteo, mittit aquam in pelvim. Officium expediti et devoti vernaculi exhibet Dominus, dans exemplum ut A qui ministrat, expedite et devote ministret. Quia quanto aliquis est promptior et devotio in ministerio, tanto major est in merito. Quoniam *maledictus qui facit opus Dei negligenter* (*Jerem.* XLVIII). Mystice vero in hoc quod Dominus ipse ministrat aquam, lavat pedes discipulorum et abstergit, demonstrat quod ipse solus est potens ministrare hominibus lavacrum compunctionis et lacrymarum, ipse solus potens est mundare et extergere sordes nostrorum affectuum. Nemo enim mundus est, qui ab eo lotus non est. Unde et postea respondet Petro : *Et si*, inquit, *non lavero te, non habetis partem mecum*. Venit ergo primo ad Simonem Petrum, ostendens priores partes dandas priori. Et nullum in hoc sæculo sic esse perfectum, qui non habeat aliquid lavandum. B Videns autem Petrus divinam majestatem ad lavandum pedes suos inclinari, non est mirum si miratur et refugit. Sed cum audit, quod si non ab eo lavetur, alienus erit ab eo, consentit. Nos quoque, fratres, si major persona se humiliet ad serviendum nobis, per humilitatem refugiamus. Quod si per charitatem institerit, consentiamus, ne prohibendo eam, divinum implere mandatum culpabiles inveniamur. Porro audiens Petrus se propter pedum lavationem cum Domino partem habiturum, ut majorem possit cum eo habere partem, optat se totum ab eo lavandum, dicens : *Domine, non tantum pedes, sed et manus et caput*, id est mentem et operationem. Sed Dominus qui novit hominem, melius quam homo seipsum, dicit eum non indigere, nisi ut pedes lavet, dicens : C *Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet*, id est qui lotus est a criminalibus, non indiget, nisi ut lavetur a venialibus, sine quibus vita præsens non ducitur. Per pedes quippe affectiones, quibus ad opus agendum vadimus, significantur. Affectiones vero nostræ, quia non possunt tangere terrena, dum sumus in hoc mundo, inde aliquid pulveris, id est sordis venialis contrahunt, quod quotidie per confessionem, orationem, et eleemosynam, et cætera bona necesse est mundari. Inde præcepit Dominus ut pulverem pedum excutiant apostoli in testimonium illis qui eis credere noluerunt (*Matth.* X). Quia, si quid venialis maculæ in sollicitudine et prædicatione, quam ad convertendum eos habuerunt, contraxerunt, ab eis excutietur in eos quorum causa D contracta sunt. *Et vos*, inquit, *mundi estis, sed non omnes*. In numero tangit eum indefinite qui immundus erat, ut notatus erubescat et convertatur. In quo doctoribus sanctæ Ecclesiæ exemplum dedit, ut eum, cujus crimen occultum est, non publice arguant, sed in communi sine nomine tangant, ut intelligens se notari, timeat et convertatur.

Sequitur pars tertia, in qua causa facti demonstratur, cum subditur : *Postquam autem lavit omnium pedes, accepit vestimenta sua, et cum recubuisset, iterum dicit eis*, etc. Postquam summus Magister causa ostendendæ humilitatis, se a dignitate cathedræ inclinavit, iterum ad officium cathedræ redit. Quem imitantes magistri sanctæ Ecclesiæ, cum causa hu-

militatis et exempli se subditis suis inclinaverint, iterum ad altitudinem et officium cathedræ redeant, ut videlicet ex humilitate sibi comparant subditorum amorem et imitationem, et ex dignitate cathedræ, reverentiam et timorem. Si enim semper inclinentur, a subditis quidem amantur, sed non timentur. Si vero semper sublimentur, timentur quidem, sed non amantur : cum prælatus simul debeat timeri et amari. *Scitis*, inquit, *quid fecerim vobis*, id est qua causa hoc fecerim vobis. *Vos vocatis me Magister et Domine, et bene dicitis. Sum etenim.* Ipse enim solus est magister, qui non exterius, sed interius docet, qui nisi intus doceat, in vanum lingua docentis laborat extra, unde, *ne vocemini*, inquit, *magistri*, quia *magister vester unus est Christus* (*Matth.* XXIII). Ipse etiam solus universaliter et semper est Dominus : Unde et dicitur : *Unus Dominus, una fides, unum baptisma* (*Ephes.* IV). Cæteri vero non domini, sed diminutive, domni dicendi sunt. *Si ergo ego lavi pedes vestros Dominus et Magister, tanto magis et vos debetis alter alterius lavare pedes.* Argumentum est a majori. Si enim dominus lavit pedes servi, quanto magis servus debet lavare pedes conservi. Et si magister lavit pedes discipuli, quanto magis discipulus debet lavare pedes condiscipuli. Si Deus, qui non indiget, propter hominem voluit humiliari, quanto magis homo qui indiget propter se debet humiliari. *Exemplum*, inquit, *dedi vobis, ut quemadmodum feci vobis*, ita et vos faciatis. Exemplum humilitatis, exemplum amoris, exemplum emundationis dedit. Primo exemplum amoris, ut in exemplo magistri, discant discipuli sese invicem diligere. Unde : *Mandatum*, inquit, *novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut ego dilexi vos.* Exemplum humilitatis, ut in exemplo Magistri discant discipuli alterutrum humiliari. Exemplum emundationis, ut exemplo Magistri discant discipuli sese alterutrum per confessionem, orationem et pietatem a peccatis emundare, et alter alterius onera portare. Itaque, fratres mei, veri et summi Magistri vestigia sequentes, humiliemur ad invicem, lavantes pedes pauperum et subditorum nostrorum. Sed et hoc parum est, nisi et eos diligamus. Sunt enim quidam qui humiliantur, et lavant pedes pauperum, non ex amore, sed etiam ex quadam coactione, nec sincere isti imitantur exemplum Christi, qui ex vera dilectione pedes pauperum lavit. Itaque, nos fratres, ex vero amore pedes pauperum tanquam fratrum nostrorum lavemus. Nec hoc sufficit, nisi et eorum emundationem et salutem in anima quæramus, ut videlicet, postquam laverimus pauperes, calceaverimus et satiaverimus corporaliter, satiemus eos spiritualiter, frangentes eis panem divini verbi, panem correctionis, eruditionis et exhortationis, orantes ut et ipsi lavent nos orationibus suis apud Deum, quatenus pure Pascha celebrare mereamur, largiente qui Pascha nostrum immolatus est Christo Domino nostro, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus in æternum, Amen.

HOMILIA XLIX.

IN PARASCEVE.

Dixit Dominus ad Moysen et Aaron in terra Ægypti : Mensis iste vobis principium mensium (*Exod.* XII), etc. In hac lectione, fratres charissimi, Dominus tradidit olim Judæis historialiter qualiter figuratum Pascha deberent celebrare ; nobis vero si spiritualiter sapimus, tradidit in eadem lectione, quomodo spirituale Pascha debeamus celebrare. Nos quoque, fratres, Pascha sanguinis animalium, animalibus Judæis relinquentes, in his inquiramus qualiter spiritualiter Pascha celebrare valeamus. Hæc itaque lectio, mystice intellecta, tradit nobis sex, videlicet ubi, a quibus, et quando Pascha debeat celebrari, et qualis debeat esse paschalis agnus, et quid conferat immolatio ejus, et quomodo erat comedendus. Ubi debet Pascha celebrari ? In terra Ægypti. In Egypto quippe de celebratione Paschæ primum mandatum fuit a Domino datum, sicut hic legimus, et primum Pascha fuit celebratum. In Ægypto igitur, id est in tenebris et mœrore hujus mundi mandatum a Deo de celebrando Pascha, id est transitu hujus mundi, accepimus, quatenus exemplo Israelitarum de Ægypto ad terram promissionis, de vitiis ad virtutes, de exsilio ad supernam patriam desiderio transeamus. A quibus debet Pascha celebrari ? ab Israelitis, id est a viris desiderantibus videre Deum ; ab Hebræis, id est transeuntibus a vitiis ad virtutes, ab exsilio hujus mundi ad cœlestem patriam. Illi enim soli, fratres mei, vere Pascha celebrant, quibus odio est mundus, qui conqueruntur et dicunt cum Propheta : *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est* (*Psal.* CXIX), qui transiliunt desiderio, ut videant Deum deorum in Sion. Unde et Dominus Jesus se a Galilæis in Galilæa promittit videndum, id est a transmigrantibus in transmigrationem. Qui vero mundum complectuntur amore, qui semper hic vellent vivere, qui de terrena contendunt hæreditate, nequaquam digne possunt celebrare Pascha spirituale. Quando debet Pascha celebrari? In quarta decima luna primi mensis. In primo enim mense, id est in lunatione Aprilis, quæ in Martio aliquando secundum nos incipit, creavit Deus mundum, et in eodem recreavit eum. Eodem igitur tempore, imo eodem mense et eodem die, et eadem forte hora, qua creavit Deus hominem, recreavit eumdem. In quarta decima luna probabile est hominem esse creatum : Cum enim quarta die creata sit luna in plenilunio, sexta die potuit esse talis qualis solet esse quarta decima. Hinc et paschalis agnus decima die de grege sumptus est, quarta decima die ad vesperum immolabatur. Christus quoque die decima Jerusalem veniens ad passionem, quarta decima die agnum comedens, eadem nocte traditus est, et ad passionem ductus. Mystice vero quarta decima luna immolabatur agnus ad vesperum, quoniam significabat Christum, qui Decalogum et quatuor in se complens Evangelia, in vespere mundi immolatus est. Pulchre etiam in tempore, quo cuncta revirescunt, et reno-

vantur, et agnus legalis, et verus Agnus Christus, immolatus est, quoniam per passionem Christi mundus a vetustate exuitur, et in virtutibus virescit et renovatur. Nos quoque, fratres, in vernali tempore, et in quarta decima luna Pascha debemus celebrare, quoniam nisi deposita vetustate, innovari et virtutibus virere cœperimus, et nisi doctrinam Decalogi et quatuor Evangeliorum tenuerimus, spirituale Pascha celebrare non valemus. Qualis debeat esse agnus paschalis? sine macula, masculus, anniculus, id est perfectus in munditia, et in virtute et tempore. Quis est hic agnus, nisi Agnus Dei, qui abstulit peccata mundi? (*Joan.* I.) Qui fuit sine macula, quia *peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus* (*I Petr.* II) : Qui fuit et masculus, id est virilis et virtuosus, virtute et sapientia perfectus, utpote qui debellavit aereas potestates, et alligavit fortem armatum, et distribuit spolia ejus (*Luc.* XII). Fuit etiam agnus anniculus, id est perfectus tempore et corpore, quoniam in perfecta ætate passus est, in qua etiam nos, teste Apostolo, resurgemus, *donec*, inquit, *occurramus ei in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi* (*Ephes.* IV). Quid conferebat agni paschalis immolatio? ab angelo percutiente liberationem, hostium carnalium submersionem, in via confortationem. Sic quoque, fratres mei, Christi immolatio liberat nos a diabolo, exstinguit in nobis vitia carnalia, est nobis viaticum et confortatio, hujus exsilii via. Sicut enim Hebræi per sanguinem agni, linitum super utrumque postem et insuper liminari, liberantur ab angelo percutiente, ita, fratres mei, per Christi crucem, Christi sanguine linitam, muniti a dextris et a sinistris et in fronte, liberamur a diabolo insidiante. Sicut vero Hebræi post immolationem et per immolationem agni, submersis hostibus carnalibus, sunt salvati, ita et nos per passionem et comestionem corporis Christi, exstinctis in nobis vitiis, salvamur. Sicut enim Hebræi, carnibus agni refecti et confortati, exierunt Ægypto et arripuerunt viam ad terram promissionis, ita et nos, corporis Christi viatico refecti et confortati, mente mundo eximus, et viam virtutum arripimus ad terram æternæ hæreditatis. Quomodo erat comedendus agnus paschalis? Non crudus, non coctus aqua, sed tantum assatus igni : Caro cruda, cadaver solum sine calore est, cocta in aqua dissolvitur, assata vero constringitur, ut ossa carni, et caro ossibus hæreat. Crudum ergo Agnum comedit qui Christum purum hominem credit. Coctum et dissolutum aqua comedit, qui eum in duas personas dissolvit. Tostum vero et cohærentem comedit qui in una Christi persona divinitatem et humanitatem cohærentes credit. Comedendus est igitur etiam totus, id est caput cum pedibus et intestinis, quia qui corpus Christi suscepit, credere debet se non solum hominem, sed etiam Deum suscipere. Intestina etiam, id est quædam occulta nobis, quæ de Christo et homine prædicantur, etsi non intelligimus, debemus tamen ea credendo suscipere. *Non remanebit*, inquit, *ex eo quidquam usque mane*, id est quidquid est necessarium, vobis de Christo in via credere, credetis. Nec remanebit aliquid quod credendum est, quod dicatis vos non credere, usque mane, id est usque in resurrectionem, quoniam tunc non erit tempus credendi, sed videndi. *Si quid residuum fuerit*, id est si quid est de Christo, quod quomodo verum sit, non intelligitis, *igne comburetis*, id est divinæ potentiæ ascribetis. *Os ejus non confringetis*, id est virtutem divinitatis ejus propter passionem carnis fractam vel minoratam esse non credetis. *Comedetis etiam agnum cum azymis panibus et lactucis agrestibus*. Azymus panis fermento caret, lactucæ agrestes habent amaritudinem. Comedetis igitur agnum cum azymis panibus, id est cum sinceritate innocentiæ et veritatis, et cum lactucis agrestibus, id est cum amaritudine et compunctione cordis, ut videlicet non nisi cum pœnitentia et lacrymarum compunctione, ad Agni carnes præsumamus accedere. *Sic autem comedetis illum. Renes vestros accingetis*, id est luxuriam refrenabitis, non solum illicitam, sed etiam licitam. Quoniam, fratres charissimi, cum tanta puritate ad carnes Agni accedere debemus, ut non solum ab omnibus illicitis, sed etiam a quibusdam licitis abstinere debemus. *Calceamenta in pedibus habebitis*, id est non adhærebunt affectus vestri terrenis, sed cœlestia desiderabunt. Qui enim, fratres, per avaritiam et cupiditatem adhæret terrenis, non est dignus accedere ad carnes Agni. *Baculos tenentes in manibus*, id est, rectitudinem in operibus : ut scilicet omnem vitam et omnia opera vestra ad rectum finem dirigatis. *Et comedetis festinanter*, de vitiis ad virtutes, de mundo ad æternam patriam properantes, ad similitudinem Israelitarum, qui cum festinatione exeundi ab Ægypto, et eundi in terram promissionis agnum comederunt. Nos itaque, fratres mei, non pigre, non negligenter, non tepide, sed cum timore et devotione ad tantum accedamus sacramentum : Quoniam qui indigne sumit, judicium sibi manducat et bibit (*I Cor.* XI). Accedamus igitur ad carnes Agni cum firma fide, credentes eum in persona Deum verum, et verum hominem, credentes etiam quemlibet non particulariter, sed Christum sumere integrum et totum. In quo si quid intelligere non valemus, nec discutere, Deo reservemus. Accedamus etiam ad carnes Agni sine fermento odii et malæ voluntatis. Accedamus cum puritate mentis et devotione compunctionis, cum virtute castitatis, cum contemptu sæculi, cum rectitudine operis, cum festinatione ad terram promissionis, scientes quia incolæ hic sumus et peregrini sicut omnes patres nostri, et quia non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus. Ad quam Christus sit nobis ductor, viaticum, et via, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in æternum. Amen.

HOMILIA L.

IN VIGILIA PASCHÆ.

Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt

sapite (*Coloss.* III), etc. Tripertita est hæc lectio, fratres mei. Primo enim ostendit Apostolus quæ sapere et quæ non sapere debeamus. Ostendens igitur primo quæ sapere vel quæ non sapere debeamus, ait : ***Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt sapite.*** Non est, fratres mei, idem sapere quod scire. Scire etenim est intellectu rem capere. Sapere vero est non solum intellectu, sed etiam sapore et experientia rem cognoscere. Scire quidem debemus tam mala quam bona. Aliter enim nesciremus inter illa discernere. Sapere vero debemus sola bona. Præcipit igitur nobis Apostolus, ut sapiamus sola bona, non mala, cœlestia non terrena. Cœlestia sapit, qui terrena contemnens sola cœlestia odorat et concupiscit. Terrena vero sapit qui cœlestem ignorans dulcedinem, sola terrena diligit et quærit. Porro, fratres mei, talis fuit creatus homo, ut desideraret et quæreret naturaliter cœlestia. Dedit enim Deus homini rationem, quæ naturaliter cœlestia desiderat. Quoniam namque anima nostra ad imaginem et similitudinem Dei formata est, tendit naturaliter ad imaginem ad quam creata est. Unde propheta : *Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea ; faciem tuam, Domine, requiram* (*Psal.* XXVI). In corpore quoque talem creavit Deus hominem, ut ipso situ corporis ei demonstraret quo tendere deberet. Creavit quippe eum erectum ad cœlum, secundum illud :

Pronaque cum spectent animalia cætera terram,
Os homini sublime dedit cœlumque videre [*tueri*] *Jussit.*

(OVID. *Met.* l. I, vers 84-86.)

Cæterum, cum talis creatus esset homo, merito prævaricationis suæ excæcatus et brutus factus est, ut more bestiali inclinatus solam terram sapiat et quærat, et in eam moriendo dissolvatur, juxta illud : *Homo, cum in honore esset non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis* (*Psal.* XLVIII), sicut vitiis, ita morte. Hinc est quod poetæ describunt homines mutari in pecudes. Homo enim qui divinæ originis oblitus, soli gulæ deditus est; quid aliud quam in porcum mutatus est? Qui vero totus explendæ libidini deditus est, quid aliud est quam in fetidum hircum mutatus est? Similiter et in cæteras pecudes secundum similitudinem morum homines demutari dicuntur. Qui autem crudelitati et sanguini deditus est, quid aliud quam in lupum mutatus est? Itaque, fratres mei, propter primam prævaricationem, duplicem mortem incurrimus, alteram animæ peccatis excæcatæ, alteram corporis in terram suam revertentis. At non oblitus misereri Deus, pro nobis est homo factus, mortuus est et resurrexit, et ascendens in cœlum sedet ad dexteram Patris. Mortuus quippe est sola morte corporis, ut utramque mortem nostram, animæ scilicet et corporis, in nobis destrueret. Resurrexit sola corporis resurrectione, ut nos et in anima et A corpore faceret resurgere. Ascendit in cœlum, ut nos quoque in cœlum faceret ascendere. Itaque, fratres mei, *si consurrexistis* in anima et a peccatis *cum Christo*, id est, per Christum resurgentem in corpore a mortuis, non redeatis rursum ad peccata, nec sapiatis amplius terrena, sed potius *quæ sursum sunt sapite ubi Christus est, in dextera Dei sedens.* Ac si diceret : Vos, qui Christi membra estis, tendite desiderio sursum ubi præcessit caput vestrum. Et ex hoc quod in parte jam resurrexistis, confidite quia post Christum ascendetis.

Sequitur pars secunda, in qua ostenditur cui mori et cui vivere debeamus, cum subditur : ***Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.*** Ac si diceret : Non debetis de cætero quæ B super terram sunt, sed quæ sursum sunt sapere, quoniam mortui estis mundo, et vivi Deo. Unde ipse alibi dicit : ***Si mortui sumus peccato, quomodo adhuc iterum vivemus in illo*** (*Rom.* VI) (40)? Debemus igitur, fratres mei, esse mortui mundo, mortui carni, mortui etiam propriæ voluntati. Mortui mundo, ut non divitias, non honores, non potentias, non glorias, non desideria mundi, sed cœli quæramus. Mundo se mortuum esse ostendit Apostolus cum dicit : *Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo* (*Gal.* VI). Mundus, fratres mei, mihi crucifixus est, si me non trahit suis blandimentis. Ego vero mundo crucifixus sum, si illum C non amplector desideriis. Mortui carni esse debemus, ut non gulositas, non ebrietas, non luxuria, non voluptas, non desideria carnis quærantur a nobis, sed spiritus. Unde Apostolus : ***Mortificate membra vestra quæ sunt super terram, quæ sunt fornicatio, luxuria, avaritia, comessationes, ebrietates*** (*Coloss.* III), etc. Et alibi : *Qui autem*, inquit, *Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis* (*Gal.* V). Mortui etiam propriæ voluntati esse debemus, ut non nostram, sed Dei voluntatem facere quæramus. Ad quod exemplo sui nos invitat Dominus dicens : *Non enim veni ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem Patris mei qui misit me* (*Joan.* VI). Quis enim melius debuit facere voluntatem suam, quam Filius Dei, qui unam semper cum D Patre habet voluntatem? attamen non suam, sed Dei voluntatem se quærere dicit, ut nos instrueret non nostram, sed Dei semper et quærere et facere voluntatem. Itaque, fratres mei, non nostram, sed Dei voluntatem semper quæramus, et inquantum possumus, faciamus, et ei dicamus : Non mea, Domine, voluntas, sed tua fiat. Si ergo prædicto modo mortui fuerimus, erit procul dubio vita nostra abscondita cum Christo in Deo, ut cum Apostolo dicamus : *Vivo ego jam non ego, vivit autem in me Christus* (*Gal.* II), vita utique tam spirituali quam æterna. Et vita quidem, fratres mei, spirituali vivimus, quando morte peccatorum a nobis eliminata,

(40) Vulg. non sic prorsus loquitur loc. cit.

in fide, et spe, et charitate vivimus, in justitia, misericordia et castitate cæterisque virtutibus floremus et fructificamus. Quæ vita nunc est abscondita cum Christo in Deo, quoniam etsi nunc videmur mundanis hominibus abjecti et viles, opprobrium hominum et abjectio plebis, etsi videamur quotidie esurire, egere, et pati, æstimati tanquam oves occisionis, tamen fide, spe, et in occulto apud Deum vivimus, ut possimus dicere cum Apostolo : *Ut castigati et non mortificati, tanquam morientes, et ecce vivimus* (*II Cor.* VI). Vita vero spirituali vivemus, quando hoc mortale corpus induet immortalitatem et beatitudinem. Quæ vita nunc est abscondita cum Christo in Deo. Quoniam etsi corpus nostrum, mori, putrescere, incinerare nunc videatur, et mundanis hominibus inde resurrecturum desperetur, tamen in absconditо apud Deum, cui omnia vivunt, corpora nostra non pereunt, sed in melius renovanda, cum Christo reservantur.

Sequitur pars tertia, in qua ostenditur quod benefacientes præmium consecuturi sumus, cum subditur : *Cum autem Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria.* Quasi diceret : Sicut vita vestra nunc cum Christo abscondita est, ita cum Christo ad judicium veniente revelabitur. Dicitur autem Christus vita nostra metonymice, quoniam ipse est causa, largitor et auctor vitæ nostræ, et corporalis, et spiritualis, et æternæ. Quod quidem nunc aliis falsum, aliis dubium, et aliis videtur occultum, sed in judicio, Christo apparente, omnibus erit manifestum, tam bonis quam malis. Mali enim, teste Scriptura, tunc dicturi sunt : *Quos aliquando habuimus in derisum sunt isti, et in similitudinem improperii. Nos insensati, vitam illorum æstimabamus insaniam, et ecce quomodo nunc reputantur inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est* (*Sap.* V). Tunc quippe Christus qui primo venit occultus, veniet apertus. Unde ipse dixit : *Sicut fulgur exit ab oriente et paret usque in occidentem, ita erit Filii hominis adventus* (*Luc.* XVII). Et qui primo apparuit humilis, tunc apparebit super omnem altitudinem sublimis. Et qui prius apparuit despectus, tunc apparebit super omnem gloriam gloriosus : Et qui primum apparuit pauper pauperum, tunc apparebit Rex regum et Dominus dominantium. Et qui primo fuit judicatus et passus, tunc judicabit damnans injustos, et glorificans justos. Nos quoque, fratres mei, si humiliaverimus nos cum Christo in via, sublimabimur cum ipso in patria. Si fuerimus despecti cum Christo in via, glorificabimur cum ipso in patria. Si fuerimus pauperes et subjecti cum Christo in via, ditabimur, et domini dominabimur cum ipso in patria. Si dijudicabimur et patiemur cum Christo in via, judicabimur et lætabimur cum ipso in patria. Itaque, fratres mei, non sapiamus terrena, non incurvemur ad amorem eorum, more pecudum, quæ sine freno toto impetu, ad implendam corporis feruntur voluntatem, sed potius simus erecti ad cœlum. sicut corpore, ita mente, toto desiderio amemus et quæramus cœlestia, mortui mundo, vivi Deo, quatenus *cum Christus apparuerit vita nostra, tunc et nos apparebimus cum ipso in gloria.* Ipso præstante qui vivit et regnat cum Patre et Spiritu sancto per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LI.

IN DIE SANCTO PASCHÆ.

Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio sicut estis azymi (*I Cor.* V), etc. Hodie, fratres charissimi, Dominicam celebramus resurrectionem. Propterea debemus ipsi quam colimus congruere solemnitati. Illis enim solis prodest solemnitates celebrare, qui eis mente et operibus se satagunt configurare. Celebratio igitur Dominicæ crucis et resurrectionis tunc proderit nobis, si vitia in nobis crucifixerimus, si a vitiis ad virtutes, a vetustate ad novitatem resurrexerimus. Ad hoc igitur nos hortatur Apostolus, fratres mei, in prælibata lectione hoc modo. Primo nos præcipit exuere vetustatem, secundo induere novitatem, tertio subdit causam quare hoc facere debeamus, quarto nos hortatur epulari, quinto ostendit qualiter ad hoc epulum accedere debeamus. Monet igitur primo nos, fratres mei, exuere vetustatem, id est veteris Adæ similitudinem, scilicet peccatum. Peccatum autem vocatur vetustas triplici ratione. Vetustas enim facit hominem curvum et imbecillem, sic et peccatum animam facit curvam ad terrena, et imbecillem ad bene agendum. Vetustas hebetat sensus hominis, sic et peccatum virtutes mentis. Vetustas trahit hominem ad mortem, sic et peccatum animam. Ait ergo Apostolus : *Expurgate vetus fermentum*, tangens consuetudinem Judæorum, qui in Pascha fermentum abjiciebant, et azyma comedebant, tum ob recordationem quod post immolationem agni exirent patres eorum de Ægypto; qui cum tanta festinatione exierunt, ut non liceret eis parare panes, sed farinas ferentes, inde azymos panes in foco faciebant; tum ob mysterium eos evitandi peccati fermentum qui pure Pascha volunt celebrare. Porro fermentum, et maxime vetus reddit panem acidum, levem, minus vegetativum, et magis cavernosum. Sic, fratres mei, peccatum facit animam hominis acidam, ut Deus nolit eam unire sibi et incorporare, facit eam levem, ut diabolus possit eam circumferre, facit eam minus solidam et validam ad resistendum diabolo; facit cavernosam, ut diabolus in ea sibi latibulum inveniat. Itaque, fratres mei, expurgate vetus fermentum peccati, id est per pœnitentiam, correctionem, et emendationem, peccatum auferte, non solum a mente, sed etiam a domo et a communione Ecclesiæ. Non enim perfecte expurgat vetus fermentum, qui etsi a se, quantum potest, abjicit, tamen a domo sua vel a communione non abjicit. At se forte Heli abjiciebat fermentum, sed a domo sua non abjecit, et ideo cum ea periit. A se forte Corinthii (ad quos hic loquitur Apostolus) abjiciebant fermentum, sed a communione sua non abjiciebant, dum corruptorem novercæ suæ, quam

Apostolus excommunicaverat, non evitabant, cum de hujusmodi Joannes dicat : *Nec ave ei dixeritis, Qui enim*, inquit, *dicit ei ave, communicat operibus ejus* (*II Joan.* I, 11). Et Apostolus in eadem Epistola : *Si quis*, inquit, *nominatur fornicator, aut avarus, cum hujusmodi nec cibum sumere, nec communicare debes* (*I Cor.* 8). Hoc contra quosdam est, fratres mei, qui cum excommunicatis participare, convesci, et colloqui non verentur, cum scriptum sit : *Qui tangit picem coinquinabitur ab ea* (*Eccli.* XIII), *et Qui tetigerit mortuum, immundus erit* (*Num.* XIX). Eadem ratione, qui cum excommunicato communicat, excommunicatus est. Secundo monet nos Apostolus habere novitatem, cum subdit : *Ut sitis nova conspersio*, id est, nova pasta, pura scilicet a veteri fermento, et ab omni immunditia. Loquitur enim hic metaphorice, assimilans puritatem Ecclesiæ puritati pastæ. Qui enim vult facere puram pastam, primo purgat et emundat grana tritici, postea molit, et in farinam redigit, deinde aspersione aquæ conglutinat et conjungit. Simili modo ad hoc ut communio Ecclesiæ pura sit et Deo accepta, primum oportet ut singulæ personæ in se sint puræ et mundæ. Sed quædam personæ, licet in se puræ videantur, tamen ad modum granorum sunt grossæ et duræ, quoniam nulla societate vel compassione aliis sociantur, subjectæ sibi et conjunctæ, sibi soli viventes, ad se omnia referentes contrarii illis quos notavimus supra. Illi enim etiam excommunicatis societate junguntur. Isti nec etiam bonis consociari vel confœderari volunt. Utrumque vitium est, et omnibus confœderari, et nulli. Illi sunt in malis fervidi, hi sunt etiam in bonis tepidi. Hos vocat Apostolus *sine affectione, sine amicitia, sine fœdere* (*Rom.* I). Hæ ergo personæ ad similitudinem granorum per recordationem peccatorum, et consummationem supplicionum sunt terendæ, et in humilitatem redigendæ. Et ne forte arida humilitas eat *tanquam pulvis quem projicit ventus a facie terræ* (*Psal.* I), ideo rore charitatis sunt conglutinandæ, et in novam conspersionem conjungendæ, ne vel odio, vel invidia, vel cupiditate terrena, a mutua vel a Christi charitate valeant separari. Itaque, fratres charissimi, purgemus et emundemus unusquisque seipsum, et mola humilitatis et contritionis convertamur, et glutino charitatis et compassionis ad invicem uniamur, ut charitatis et unionis nostræ puritate, Deus pascatur et delectetur, et nos econverso charitate et unione divina pascamur et delectemur. Sicut enim charitate nostra pascitur et delectatur Deus, ita nos divina charitate pascimur et delectamur.

Tertio Apostolus subdit causam, quare novi esse debeamus, cum dicit : *Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus*. Quasi dicat : Estote novi, quoniam ad novum prandium estis vocati, ne forte veniens qui vos ad suas nuptias vocavit, dicat cuilibet vestrum : *Quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem?* (*Matth.* XXII.) Et iratus mittat vos in tenebras exteriores, ubi erit fletus et stridor dentium (*ibid*). Itaque, fratres mei, simus novi, ut ad novas novi agni epulas novi accedamus, quoniam non ut Judæi carnem et sanguinem brutorum animalium hodie epulaturi sumus, sed ipsum Deum et Dominum nostrum Jesum Christum, qui nostrum Pascha immolatus est, epulum scilicet novum, sufficiens et pingue. Et novum quidem est, quoniam et in se purum est a peccati vetustate, et nos si digne illud suscipimus, efficit novos sui novitate. Sufficiens vero est, quoniam pro multis figurativis, et insufficientibus, et frequentibus hostiis legalibus, una et vera semel oblata hostia, Christus immolatus est. Quamvis enim super multa altaria quotidie offeratur, immoletur et frangatur in sacramento, tamen non nisi semel immolatus est una sola et vera hostia Christus, quoniam *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur* (*Rom.* VI). Et cum multæ essent hostiæ Judæorum insufficientes, ut sacrificium pro peccato, pacifica, votiva hostia, victima, Christus est sufficiens sacrificium omnibus et pro omnibus, et pro peccatis propitiandis, et inter Deum et hominem pro pace reconcilianda, et pro votis hominum perficiendis, et pro hostibus vincendis. Pingue vero est, quoniam omni gratia, charitate et misericordia saginatus est Dominus noster Jesus Christus : Ilic est enim ille vitulus saginatus, quem pater in reditu filii de regione dissimilitudinis revertentis præcipit immolari. Ad hoc igitur novum, largum, et saginatum epulum invitari, fratres charissimi, sollicite pensemus agere illud quod Sapiens ait : *Ad mensam magnam sedisti, attende quoniam similia oportet te præparare* (*Eccli.* XXXI). Ad mensam quippe Christi invitati, fratres charissimi, similia ei præparemus, sic eum diligamus sicut ipse dilexit nos. Sic propter eum nos humiliemus, sicut ipse humiliavit se propter nos. Sic propter eum simus parati mori, sicut ipse mortuus est pro nobis.

Quarto monet nos Apostolus ad epulandum cum subdit : *Itaque epulemur*. Monemus et nos, fratres charissimi, vos, ut omnes pariter epulemur epulum animabus nostris necessarium. Scriptum est enim : *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis* (*Joan.* VI). Unde statutum est ut, pueris mox baptizatis, sa tem in specie vini, tradatur, ne sine necessario discedant sacramento. Et quid si discedant? Nunquid damnabuntur? Non, fratres mei, quoniam in fide, etsi non sua, tamen patrinorum salvabuntur. Duo quippe sunt modi manducandi corpus Christi, unus sacramentalis, alius spiritualis. Sacramentaliter accipit corpus Christi etiam malus, sed quia indigne, judicium sibi manducat et bibit (*I Cor.* II). Spiritualiter vero accipit corpus bonus qui, etsi non sacramentaliter quandoque accipit, tamen fide et charitate in corpore Christi est. Unde Dominus exponens quid sit eum manducare spiritualiter, ait : *Qui manducat carnem meam, et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in eo* (*Joan.* VI).

Et Augustinus : « Ut quid paras dentem et ventrem? crede, et manducasti (41). » Verumtamen, fratres mei, omnibus Christianis, locum et tempus habentibus, etiam sacramentaliter communicandum est. Unde et in primitiva Ecclesia, universi Christiani, singulis Dominicis diebus solebant communicare. Sed quia quidam negligenter accedebant, postea pro eucharistia panem benedictum statuerunt dari, et saltem ter in anno; in Natali, in Pascha, in Pentecosten communicari. Sed nunc, fratres, adeo excrevit iniquitas, quod vix semel in anno quidam digne valeant communicare. Sed et sunt quidam, qui quotidie communicare gaudent, alii qui reformidant. Et utrique bene faciunt, si contemptum cavent, et ut digne communicare valeant, laborant. Nam uterque et Zachæus et Centurio Christum honoraverunt, et Zachæus læte suscipiendo, et Centurio se indignum reputando. De illis vero qui quotidianas celebrant missas, ait Augustinus ; Quotidianas missas celebrare, nec laudo, nec vitupero, id est, nec laudo in negligentibus, nec vitupero in diligentibus. Quinto docet Apostolus qualiter ad mensam altaris accedere debeamus. Magnum quippe hospitem, imo Deum et Dominum nostrum Jesum Christum, fratres charissimi, hodie suscepturi, hospitium purum et honestum ei præparemus. Et certe si principem vel aliquam personam sæcularem suscepturi in hospitio nostro essemus, ipsum hospitium nostrum ab omni sordo purgaremus, et ornamentis decoraremus, ut intrantem personam nulla turpitudo offenderet, sed potius mundities et honestas domus lætificaret. Si ergo hoc facimus pro principe temporali, quid facere debemus pro Rege regum et Domino dominantium? Præcipit enim Apostolus, ut suscipiamus Deum nostrum, *non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ et nequitiæ*. Ac si dicat : Omnem sordem a vobis tollite, tollite a confessione vestrorum peccatorum vetus fermentum excusationis; nec scilicet more veteris Adæ peccata vestra excusetis, nec declinetis cor vestrum *in verba malitiæ ad excusanaas excusationes in peccatis* (*Psal.* CXL). Sed potius vosmet accusate, indignos clamate, plorate, et satisfacite. Tollite quoque a mente fermentum malitiæ, odii scilicet, invidiæ et malæ voluntatis. Tollite quoque ab opere fermentum nequitiæ, id est injustitiæ, ne scilicet faciatis aliis quod vobis fieri non vultis. Præcipit subsequenter ut epulemur carnes Agni in azymis sinceritatis et veritatis. Ac si dicat : Non sufficit vobis sordes expurgare a vobis, nisi etiam virtutibus hospitium, quo Dominum estis suscepturi, ornetis. Quibus? azymis sinceritatis et veritatis, ut videlicet sinceritas sit in vita, veritas in loquela. Sinceritas, fratres mei, erit in vita nostra, si sincere sapiamus, si sincere diligimus, si sincere vivimus. Veritas vero erit in loquela, si vere peccata nostra confiteamur. Si veritatem cum proximo loquimur, si Dominum consona voce laudamus. Si sic, fratres mei, vixerimus, ad carnes veri Agni pure accedere poterimus, ut per charitatem Deo et proximis uniamur, operante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in æternum. Amen.

HOMILIA LII.

IN DIE SANCTO PASCHÆ.

Maria Magdalene, et Maria Jacobi, et Salome, emerunt aromata, ut venientes ungerent Jesum (*Marc.* XVI), etc. Quoniam ad paschales nuptias nos vocat, fratres mei, institutio solemnitatis hodiernæ, debemus hanc diem spiritualibus gaudiis et evangelicis eruditionibus occupare. Et quia quod unusquisque plus diligit, libentius audit, si Deum et Redemptorem nostrum præ cunctis diligitis, evangelicam historiam de ejus resurrectione libentius audietis. Nos ergo, fratres charissimi, vobis evangelicam lectionem percurrimus, primo quæ ad historiam, secundo quæ ad tropologiam pertinent explanantes. Et juxta quidem historiam, quatuor nobis sunt consideranda. Primo quantum istæ sanctæ mulieres fuerunt in Christum devotæ, secundo quomodo postulantes fuerint exauditæ, tertio quomodo ab angelo consolatæ sint, et de resurrectione Christi eruditæ, quarto quomodo primæ ad evangelizandum Dominicam resurrectionem sint missæ. Fuit igitur, fratres charissimi, istarum mulierum mira devotio. Fuerunt quippe erga Christum fervidæ, audaces et officiosissimæ. Fervidæ, quia quem viventem ardenter amaverant, usque ad mortem flendo prosecutæ sunt, nec post mortem oblivisci potuerunt. Audaces, quia cum apostoli et columnæ Ecclesiæ fugerent, negarent et latierent, has mulieres nec damna, nec terror mortis, nec gladius potuit deterrere quin cruci assisterent et ad monumentum cursitarent. Officiosissimæ, quoniam viventi ministraverunt cum gaudio de substantiis suis, morienti assisterunt cum gemitibus et lamentis, ad sepulcrum cucurrerunt cum suspiriis et unguentis. Sed ad hæc quid, nos feminei viri, dicere possumus, qui erga Christum Redemptorem nostrum tepidi, timidi et negligentes sumus? Illæ mulieres Christum in carne mortali viventem, morientem, et sepultum, ardenter amaverunt. Et nos viri illum nunc regnantem in æternum et suos glorificantem, vel minime, vel tepide amamus! Illæ mulieres, nec terrore mortis, nec gladio potuerunt prohiberi quin astarent mortuo et sepulto : Et nos miseri viri, timore vel cupiditate separamur a Christo in æternum vivente et regnante! Illæ mulieres viventi Christo in carne mortali ministraverunt de substantiis suis, mortuo de lacrymis et unguentis suis. Nos illi jam regnanti in æternum ministrare et de suis cibis in pauperibus satiare contemnimus! Excutiamus ergo, fratres mei, teporem, timiditatem et negligentiam nostram. Et exemplo istarum mulierum, in amore Dei ferveamus, audaces et officiosi in Dei servitio esse discamus. In hoc autem quod

(41) S. August. Tract. 55 in Joan. VI, 12, t. XXXV Patrologiæ.

dicitur quod *valde mane una Sabbatorum veniunt mulieres ad monumentum orto jam sole*, fervor pariter, audacia, et officiositas mulierum demonstratur, quæ etiam nocte venire cum aromatibus ad monumentum cœperunt. Sed sole, id est aurora ex vicinitate solis jam orta, ad monumentum pervenerunt. In quo etiam innuitur quod, sole diei oriente, sol justitiæ Christus resurrexit. In cujus etiam memoria matutinas laudes celebrat Ecclesia. Generalem quoque resurrectionem in matutino tempore credimus esse celebrandam, juxta quod David inquit: *Et dominabuntur eorum justi in matutino* (*Psal.* XLVIII). Quando igitur secundum Matthæum, terræ motus factus est magnus, antequam angelus revolveret lapidem ab ostio monumenti, Christus resurrexisse et multa corpora sanctorum qui dormierant secum suscitasse credendus est. Nec mirum si Christus, qui clauso virginis utero moriturus exierat, immortalis factus clauso sepulcro exierit, cum generaliter omnia justorum resurgentium corpora sint subtilitate donanda; Ut nullo muro, nulla soliditate a sua agilitate retineri valeant aut cohiberi.

Sequitur pars secunda, in qua ostenditur quomodo mulieres petentes exaudiantur. Petunt quippe mulieres quodammodo cum insinuatione, cum dicunt: *Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti?* Sunt enim duo genera petitionum. Quædam enim a Deo sunt in se digna, ut directe et aperte valeant postulari, ut virtutes et regnum cœlorum. Alia vero sunt de quibus an nobis expediant ignoramus. Et ideo non directe, sed cum conditione vel insinuatione postulanda sunt. Cum conditione postulat Dominus a se transire calicem passionis, cum dicit: *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste: Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat* (*Matth.* XXVI). Cum insinuatione postulat beata Virgo vinum in nuptiis dari, cum dicit: *Vinum non habent* (*Joan.* II). Similiter cum insinuatione postulant sanitatem Lazaro dari sorores ejus, cum dicunt: *Domine, ecce quem amas infirmatur* (*Joan.* XI). Non enim aperte rogant eum sanari, quippe nescientes an hoc expediret, sed tantum dolorem desideriumque suum ostendunt. Qui enim suam necessitatem ostendit, satis petit. Est ergo ac si dicerent: nostram necessitatem vides, sed tu, Domine, qui omnia nosti, fac quod scis expedire nobis. Hoc modo petunt et hæ mulieres cum dicunt: *Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti? Erat quippe*, subdit evangelista, *magnus valde*, et quem feminarum debilitas non posset amovere. Et quia magna erat earum devotio, et petitio pia exaudiri meretur. Unde et subditur: *Et respicientes viderunt revolutum lapidem*. Postulatum ergo eis conceditur, non tamen ea intentione qua postulabatur. Illæ enim postulabant lapidem amoveri, ut mortuum ungerent. Lapis vero ideo remotus est, ut vacuum videntes monumentum, Christum resurrexisse intelligant. Per quem autem iste lapis remotus sit, Matthæus exponit: Quia *angelus Domini descendit de cœlo, et accedens revolvit lapidem* (*Matth.* XXVIII). Porro duplici de causa angelus descendit, et ut lapidem revolveret, et ut Dominicæ resurrectionis nuntius et testis esset. Unde et Joannes describit duos angelos Mariæ Magdalenæ apparuisse, sedentes unum ad caput, et alterum ad pedes (*Joan.* XX); ut videlicet in ore duorum vel trium testium stet omne verbum (*Deut.* XIX). Ecce quid mereatur et fervor et devotio mentis. Quia enim adeo istæ sanctæ mulieres fuerunt in Christo fervidæ et devotæ, et angelum videre, et ab eo juvari, et consolari, et erudiri meruerunt. Hinc discamus et nos, fratres mei, fervidi esse in Christo et devoti, ut similiter a Deo per angelos consolari, juvari et erudiri mereamur. Odit quippe et nauseat Deus tepidos et pigros, et arcana dulcedinis suæ atque suavitatis eis non curat revelare; sed qui, sicut Daniel, sunt desiderium viri (*Dan.* IX), a Deo merentur illuminari.

Sequitur pars tertia, in qua sanctæ mulieres angelum vident, et ab eo consolantur pariter et eruduntur, cum subditur: *Et introeuntes in monumentum*, id est in domunculam in qua erat monumentum, *viderunt juvenem, sedentem in dextris, coopertum stola candida, et obstupuerunt*, etc. Porro, fratres mei, angelus qui sic apparebat, in seipso demonstrabat, et qualis erat ille quem venerat nuntiare, et quales fideles futuri sint in resurrectione. Apparuit enim non puer, non senex, sed juvenis; quoniam resurrectio in ætate perfecta et in Christo jam erat celebrata, et in nobis erat celebranda. Unde Apostolus: *Donec*, inquit, *occurramus ei in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi* (*Ephes.* IV). Apparuit et sedens, quoniam quietem resurrectionis nuntiabat, per quam jam regnabat Christus, et nos quoque regnaturi sumus. Sedebat autem, juxta Matthæum, super lapidem monumenti (*Matth.* XXVIII), quoniam illum prædicabat, qui pondus mortis et in se jam superaverat, et in nobis in resurrectione superaturus erat. Unde idem per Oseam prædixit: *O mors, ero mors tua* (*Ose.* XIII). Apparuit etiam in dextris, quoniam illum nuntiabat qui jam in dextera æternæ beatitudinis sedebat, et nos in judicio ad dexteram suam collocaturus erat. Apparuit quoque coopertus stola candida, quia illum prædicabat, qui jam stola immortalitatis erat vestitus, et in fine suos erat vestiturus. Apparuit in stola candida, non quod cives æternæ patriæ indigeant vestiri, sed ut splendorem et suæ et nostræ festivitatis demonstraret in candore. Christi quippe resurrectio et nos ad æternitatem reduxit, et angelicam ruinam restauravit, et utrisque simul solemnia gaudia in æternum cumulavit. *Erat* enim, ut ait Matthæus, *aspectus ejus sicut fulgur, vestimenta autem ejus sicut nix* (*Matth.* XXVIII). In fulgure enim vultus terruit custodes, et in candore consolatus est mulieres. In quo et illud demonstratur, quoniam ille, quem nuntiabat, erat futurus in judicio terribilis reprobis, et blandus justis. Consolantur autem mulieres ab angelo, cum eis dicitur: *Nolite*

expavescere. Quasi dicat : Paveant qui cœlestia non amant, vos vero quid timetis, quæ concives vestros videtis? Instruuntur quoque, cum eis dicitur : *Jesum quæritis Nazarenum crucifixum ; surrexit, non est hic*. Quia namque multi nuncupative dicti sunt Jesus, determinatur per locum cum additur *Nazarenum*, et per causam cum subditur, *crucifixum*, *surrexit, non est hic*. Radix amara crucis evanuit, flos cum fructibus erupit, quoniam qui in morte jacuit, in gloria resurrexit. *Ecce locus ubi posuerunt eum*. Ostenditur locus mortis vacuus mortalibus, ut inde habeamus in nobis spem, et agamus Deo gratiarum actionem.

Sequitur pars quarta, in qua mulieres mittuntur ad evangelizandum Christi resurrectionem, cum subditur: *Sed ite, dicite discipulis et Petro quia præcedet vos in Galilæam*. Sicut per mulierem mors viro propinata est, ita nunc per eamdem opprobrium primæ matris istæ sanctæ mulieres delevere. Sunt autem istæ mulieres præ cæteris privilegiatæ, quia ad evangelizandum ipsis evangelistis Christi resurrectionem primitus sunt missæ. Cum autem dicat Apostolus: *Mulieri docere in Ecclesia non permitto* (*I Tim.* II) : istæ etiam ipsos doctores docuerunt, unde et apostolæ apostolorum nuncupari possunt. *Dicite*, inquit, *discipulis ejus et Petro*. Petrus vocatur ex nomine, ne desperet ex negatione. Nisi enim eum angelus exprimeret, inter discipulos venire non auderet. Ex magna autem dispensatione Dominus principem apostolorum se negare permisit, ut scilicet et ipse in sua culpa disceret quomodo aliis misereri et compati deberet, et in lapsu principis apostolorum timerent quantumcunque sanctiores, et in ejus sperarent restitutione quantumcunque peccatores. *Præcedet vos*, inquit, *in Galilæam*. Cum in pluribus locis aliis Dominus apparuerit prius discipulis, quare Dominus de sola Galilæa loquens, et per se et per angelos dixit se discipulos suos in Galilæa præcessurum. Tum quia ibi generalius et manifestius omnibus discipulis suis apparuit, tum quia Galilæa interpretatur *transmigratio facta*. Christus autem jam a passione ad resurrectionem, a morte ad vitam, a pœna ad gloriam transmigraverat. Sed apostoli cæterique fideles, ipsum sequentes, eum glorificatum videbunt, qui nunc a vitiis ad virtutes, a terrenis ad cœlestia transmigrant. Nos itaque, fratres, nunc a vitiis ad virtutes, a terrenis ad cœlestia transeamus, ut ipsum in gloria sua glorificatum, glorificati et ipsi contemplari mereamur. Moraliter autem per has tres sanctas mulieres, fratres charissimi, instruimur, qui quando, cum quibus, et qualiter ad calicem corporis et sanguinis domini accedere debeamus. Per calicem quippe sepulcrum, lapis superior per patenam, per corporalia, sindon et sudarium, quibus Christus involutus est, exprimuntur. Qui ergo ad sepulcrum calicis Domini accedere debeant, istæ mulieres ostendunt, quæ ad monumentum tres venerunt. Solummodo enim illi qui Trinitatem fide et moribus profitentur, ad calicem corporis et sanguinis Domini accedere digni sunt, ut scilicet illum quem suscipiunt, unum Deum ante sæcula cum Patre et Spiritu sancto, et in tempore pro nobis hominem factum esse credat atque passum. Quando etiam ad calicem Domini accedere debeamus, hæ mulieres nobis ostendunt, quæ ad monumentum Domini, orto sole, pervenerunt. Nos quoque, fratres, non nisi expulsis a corde nostrorum vitiorum tenebris per pœnitentiam, et, sole virtutum in nobis radiante per justitiam, ad calicem Domini accedere debemus. Qui enim adhuc manens in tenebris vitiorum, scilicet odii vel invidiæ, ad calicem Domini accedit, ad judicium suum accedit. Cum quibus vero ad calicem Domini accedere debeamus, hæ mulieres nobis ostendunt, quæ ad sepulcrum Domini, non nisi cum unguentis et aromatibus accesserunt. Nos quoque, fratres mei, ad calicem corporis et sanguinis Domini, non nisi cum suavitate bonorum operum et fragrantia virtutum, quibus Deum et proximum delectemur, accedamus. Qui enim ad tantum sacramentum tepide et sine compunctione, sine suspiriis, sine odore orationis et devotionis accedit, indigne accedit. Qualiter quoque ad calicem Domini accedere debeamus hæ mulieres nobis ostendunt, quæ venerunt ad monumentum cum humilitate, nihil de se præsumendo, sed propriæ infirmitatis consciæ, divinum auxilium invocando et dicendo : *Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti?* Nos quoque, fratres mei, ad calicem Domini accedamus cum humilitate, nihil de nostra justitia præsumentes, sed nostræ infirmitatis conscii, divinum auxilium invocantes et dicentes : *Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti?* id est quis nobis dabit facultatem accedendi pure ad corpus Christi? Quasi diceret : Non virtus propria, sed opitulatio divina. Si sic, fratres, si sic agimus, removetur lapis, id est difficultas, et dabitur nobis facultas pure ad illud accedendi. Vel certe *quis revolvet nobis lapidem ob ostio monumenti?* id est quis aperiet nobis intelligentiam tanti sacramenti? et si piis precibus instamus, mittet Dominus nuntium, videlicet Spiritum sanctum, vel certe aliquem angelum, vel aliquem sanctum, sicut in Vitis Patrum legimus, qui aperiet nobis intelligentiam tanti sacramenti. Et dicet nobis : *Quid quæritis juvenem cum mortuis? Surrexit, non est hic*. Id est cur inter mortales cibos, illum cœlestem panem quæritis? Non est cibus corporis, nec descendit eo quo corporales cibi descenduat, sed ita pascit animam cujusque fidelis in terra, quod integer permanet in cœlo. Itaque, fratres mei, cum quotidie Christus immoletur, frangatur, teratur, tamen impassibilis permanet in seipso. Unde Apostolus : Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, *mors illi ultra non dominabitur* (*Rom.* VI). Quandiu ergo sacramentum corporis et sanguinis Jesu Christi vides, tractas, labiis sentis, dentibus teris, scito quia Christus tecum est corporaliter. Deinde non quæras eum nisi in cœlo, nec credas esse tecum corporaliter.

sed tantum spiritualiter. Unde Augustinus : Ut quid paras dentem et ventrem? crede et manducasti (42). » Quoniam autem dum sumus in hac vita, nemo perfecte valet videre qualiter Christus, cum a singulis totus sumatur, tamen ad dexteram Patris, indivisibilis et impassibilis persistet, recte monemur ab angelo, ut ipsi et nos et alios moneamus, quatenus corde et opere, prece et vita tendamus in Galilæam, id est in æternam patriam, ubi et Christi arcana plenius, et ipsum facie ad faciem videbimus, ipso præstante qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus. Amen.

HOMILIA LIII.

FERIA SECUNDA PASCHÆ.

Exeuntes duo ex discipulis Jesus (43), *ibant ipsa die in castellum quod erat in spatio sexaginta stadiorum ab Jerusalem, nomine Emmaus* (*Luc.* XXIV). Et rel. Sex capitulis distinguitur hæc lectio, fratres charissimi. Primo enim ostenditur quod, ipsa die resurrectionis Christi, exeuntes duo ex discipulis ejus, ibant in Emmaus. Exierunt autem hi duo de collegio apostolorum non per apostasiam, ut illi de quibus dicit Joannes : *Ex nobis exierunt, sed non ex nobis erant* (*I Joan.* II). Nec per curiositatem ut Dina, quæ exiit videre mulieres illius regionis, et oppressa fuit (*Gen.* XXXIV) : Sed exierunt in ministerium, more apum quæ de communi cœnobio alvearii exeunt, ut in communem mellis utilitatem, electo flore redeant oneratæ. Quod vero recta et honesta causa exierint, hinc apparet quod non singuli, sed bini exeunt, quod non aliena verba a doctrina collegii sui inter se conferunt ; quod communem collegii sui tristitiam in mente ferunt, quod Dominum sibi apparere merentur, quod eum legem et prophetas exponentem libenter audiunt, quod eum ad hospitium cogunt, quod in fractione panis eum agnoscunt, quod eum sibi apparuisse, sine mora, collegio suo referre redeunt. Imitamini istos, vos claustrales, ut scilicet non exeatis de collegio vestro per apostasiam, vel per curiositatem, sed tantum propter necessariam causam. Et tunc non singuli, sed bini ad minus exeatis, scientes quod, juxta prophetam : *Væ soli, quia si reciderit, quis sublevabit eum?* (*Eccle.* IV.) Et non vana, sed tantum professioni vestræ convenientia verba proferatis, cum utili tristitia et gravitate ambuletis. Lectionem sacræ Scripturæ semper audire gaudeatis, hospitalitatem et charitatem diligatis, non vanos rumores, sed more apis utilia exempla ad cœnobia vestra referatis. *In castellum*, inquit, *quod erat in spatio stadiorum sexaginta a Jerusalem, nomine Emmaus*. Stadium est octava pars milliarii. Sexaginta ergo stadia, septem millia passuum et quingenti sunt. Quod iter bene congruit eis qui, certi de morte et sepultura Jesu, incerti de resurrectione ejus ambulabant. Sextum quippe et septimum milliarium compleverunt qui Jesum in sexta Sabbati mortem tulisse, et in Sabbato in sepulcro quievisse sciebant. Octavum vero tantum dimidium perrexerunt, quoniam Jesum octava die resurrexisse nondum perfecte credebant.

Sequitur pars secunda, in qua Dominus discipulis de se loquentibus, se in specie peregrini demonstravit, cum dicitur : *Et ipsi loquebantur ad invicem de his omnibus quæ acciderant*. Proprium est, fratres mei, amantium de re amata frequenter facere verbum. Nam *ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum* (*Matth.* VI). Et quod intus abundat, exterius exire festinat. Hinc est quod discipuli Dominum, quem toto corde viventem dilexerant, et quem mortuum oblivisci non poterant in ore semper habebant. Et Dominus qui diligentibus se abesse non potest, quique dixit : *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ego sum in medio eorum* (*Matth.* XVIII), Se diligentibus et de se sermonem facientibus, suam exhibet præsentiam. Nam subditur ; *Et factum est dum fabularentur in via, et secum quærerent, et ecce Jesus appropinquans ibat cum illis*. Diligamus ergo, fratres mei, Dominum Jesum, et de eo semper meditari, semper colloqui gaudeamus, quoniam se diligentes, et de se meditari et colloqui gaudentes, sua præsentia non privabit, sed procul dubio erit nobis comes individuus in via hujus mundi, sicut ipse promisit dicens : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII). Quoniam vero discipuli, et si eum diligebant, tamen de ejus resurrectione et divinitate dubitabant, ideo et si eis apparuit, tamen eis speciem quam agnoscerent, non ostendit. Sed quod intus habebant, hoc eis exterius exhibuit. Et quia de se dubitabant, se dubium esse demonstravit eis. Nam sequitur : *Oculi autem eorum tenebantur, ne eum agnoscerent*. Itaque, fratres mei, a cordibus nostris omnem dubietatem excludamus, et Christi divinitatem et humanitatem, passionem et resurrectionem, certa fide credamus, ut eum non in peregrino habitu, sed sicuti est, facie ad faciem videre mereamur.

Sequitur pars tertia, in qua Dominus interrogat discipulos, et eos dubitantes increpat et informat, cum subditur : *Et ait ad illos : Qui sunt hi sermones quos confertis ad invicem ambulantes, et estis tristes?* Sciens Dominus, fratres charissimi, sic discipulos suos interrogat, ut ex dubia eorum responsione eos increpet, et interroget, et corrigat. *Ambulantes*, inquit, *et estis tristes*. Hoc est quod ait Psalmista : *Euntes ibant et flebant mittentes semina sua* (*Psal.* CXXV). Sic quippe, fratres mei, sic debemus facere in peregrinatione hujus mundi, ambulare et flere, et semina mittere. Quo ambulare? Ad æternam patriam. Quare fleret? Ob peccatorum nostrorum recordationem et ob cœlestis patriæ dilationem. Quæ semina mittere? Semina, fratres mei, divinorum verborum ad invicem prædicare, et semina bonorum operum præmittere debemus, unde cum exsultatione, centuplicatos manipulos metere valeamus. *Et re-*

(42) Vid. sup. not. 41.

(43) Vulg. *Et ecce duo ex illis.*

spondens unus, cui nomen Cléophas, dixit ei : Tu solus peregrinus es in Jerusalem, et non cognovisti ea quæ facta sunt in illa in his diebus? Ac si diceret : Res de qua loquimur nota est omnibus qui sunt in Jerusalem, tam civibus quam peregrinis et manifesta : Et quomodo tu solus peregrinus es in Jerusalem, qui hæc ignoras? *De Jesu Nazareno, qui fuit vir propheta, potens in opere et sermone coram Deo et omni populo.* Non tanquam Deum, vel Dei Filium, sed tanquam purum hominem Jesum coram Deo et populo, in quatuor commendabilem ostendit, quia scilicet fuit mente virilis, intelligentia spiritualis, potens in opere, efficax in sermone. Quæ quatuor in ecclesiastico pastore requirenda sunt. Primum enim requiritur virtus mentis, quæ etiam non sufficit, nisi adsit intelligentia spiritualis. Sed nec hæc duo sufficiunt, nisi fulgeat in opere, et alios capiat prædicatione. *Quomodo*, inquit, *tradiderunt eum summi sacerdotes et principes nostri in damnationem mortis, et crucifixerunt eum? Nos autem sperabamus quod ipse* esset redempturus. Ecce per præteritum imperfectum, spem suam præteritam et imperfectam ostendit. Jamque pene ex toto se excidisse a fide et spe ostendit. A fide cum ait, *Vir propheta* ; a spe, cum subdit : *Nos autem sperabamus. Et quædam mulieres ex nostris terruerunt nos, quæ fuerunt ante lucem ad monumentum : Et non invento corpore ejus, redierunt dicentes se etiam visionem angelorum vidisse, qui dicunt eum vivere.* Stulta locutio, dum se ostendit magis terreri ex allatione corporis, quam gaudere ex annuntiatione resurrectionis. Ait ad illos, eos increpans. *O stulti et tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt prophetæ !* Stulti, id est hebetes ad spiritualiter intelligendum, tardi ad credendum intellectis. Deinde subdit instruens eos, tum per rationem, tum per legis et prophetarum auctoritatem. Per rationem, cum subjungit : *Nonne sic oportuit pati Christum, et resurgere a mortuis, et intrare in gloriam suam?* Oportuit quippe, fratres charissimi, ut quemadmodum per unum hominem intraverat damnatio, ita et per unum hominem fieret redemptio. Oportuit etiam, ut quemadmodum homo ceciderat per superbiam, ita repararetur per humilitatem. Oportuit quoque ut quemadmodum per primi hominis inobedientiam in esu ligni, humanum genus ceciderat in miseriam, ita per novi hominis obedientiam, in morte ligni revelaretur in gloriam. Per legis et prophetarum auctoritatem eos instruit, cum subdit : *Et incipiens a Moyse et omnibus prophetis, interpretabatur eis Scripturas, quæ de ipso erant.* Moyses enim de ipso prædixit. *Prophetam suscitabit vobis Deus ex fratribus vestris, illum tanquam me audietis* (*Deut.* XVIII). Prophetæ vero plura apertiora de Christo scripserunt. In quo, fratres mei, nostra pigritia confunditur, qui jam legem et prophetias in Christo adimpletas scientes, nec ad ipsam sacram Scripturam spiritualiter intelligendam, nec ad opere complendam, invigilare curamus.

Sequitur pars quarta, in qua Dominum se longius iturum fingentem, discipuli ad hospitium vocant. Non miremini, fratres mei, quod Dominus se longius iturum finxit, quoniam non omnis fictio habet in se malitiam duplicitatis. Est enim quædam fictio mala, et est quædam fictio bona. Et quædam fictio ad decipiendum, qua inimicus se fingit amicum, ut magis decipiat. Est quædam fictio ad erudiendum sive probandum, qua magister se fingit iratum discipulis, ut eos timere et magis proficere faciat. Unde Sapiens : *Si filiæ*, inquit, *tibi fuerint, noli hilarem vultum ostendere ad illas* (*Eccli.* VII). Nos itaque, fratres mei, fictionem deceptoriam tanquam crimen fugiamus, et fictionem proficientem appetamus. Nam Dominus se fingit longius iturum, ut probaret charitatem discipulorum. Sed quoniam illi, cum quibus ipsa charitas gradiebatur alieni a charitate esse non poterant, Dominum ad hospitium vocant, imo cogunt. Ex quo intelligendum est quoniam hospites ad hospitium non solum vocandi, sed etiam cogendi sunt. Antiqui quippe patres, etiam hospitibus occurrebant, et eos per vicos et plateas quærebant, et inventos cum gaudio suscipiebant. Prætendunt igitur discipuli Domino causam, quare cum eis debeat hospitari, cum subdit : *Mane*, inquiunt, *nobiscum, quoniam advesperascit, et inclinata est jam dies.* In quo arguuntur illi qui hospitibus dicunt altiorem diei horam adhuc restare, ut sic eos non ad remanendum, sed potius ad progrediendum longius invitent. Sed nos, fratres mei, supervenientem hospitem sine fictione imitemur, rogemus, cogamus, opportunitatem temporis et loci non prætendamus, læti suscipiamus, lætiores eis ministremus. Quanti autem meriti sit hospitalitas, hinc apparet quoniam Abraham et Lot, quia homines suscipere soliti erant, angelos, imo ipsum Deum suscipere meruerunt (*Gen.* XVIII). Quidam quoque paterfamilias, studens hospitalitati, dum quadam die peregrinum susciperet, et ei aquas ad abluendas manus ipse porrigere vellet, repente non comparuit, sed in visione noctis ei dixit : « Cæteris diebus me in membris meis suscepisti, me sero in mea suscepisti persona. » Sic etiam Dominus in judicio electis dicturus est : *Hospes eram, et collegistis me* (*Matth.* XXV). Sectemini igitur, fratres mei, hospitalitatem. Et ut ait Apostolus, sine murmuratione. Invitatus igitur Dominus et charitate coactus a suis, concessit. *Et intravit cum illis.* Dulcissimum quippe est amico cum amicis epulari, et cum invidis et odiosis epulari amarum est. Nos ergo, fratres, cum bonis et amicis nostris epulari gaudeamus ; epulari vero cum malis et inimicis nostris, nisi forte causa eos Deo lucrandi, fugiamus.

Sequitur pars quinta, in qua discipuli agnoscunt Dominum in fractione panis, cum subditur : *Et factum est, dum recumberet cum eis, accepit panem, benedixit, fregit, et porrigebat illis.* Et aperti sunt oculi eorum, et cognoverunt eum. Dum, more solito, Dominus panem benedicit et frangit, cognoscitur,

multo felicius illorum oculis apertis ad cognoscendum naturæ suæ in Christo glorificationem, quam primorum parentum ad cognoscendum concupiscentiæ suæ confusionem. Et quare Dominus non in sacræ Scripturæ expositione, sed in panis fractione cognoscitur? Quia bonus pastor plus cognoscitur operando quam prædicando, plus in charitate quam in sermone, plus se et sua pro fratribus tradendo, quam solo sermone eis prædicando. Majoris enim efficaciæ sunt in subjectis exempla, quam verba. Propterea, fratres mei, si ad bene loquendum, magis tamen studeamus ad bene agendum. *Et ipse*, inquit, *evanuit ab oculis eorum*. Sed quare Dominus, fratres charissimi, discipulis suis fecit tamen breve gaudium, ut mox agnitus mox evanesceret? Ut eos propter gaudium et suam tarditatem nondum dignos longa sui visione demonstraret, ut eos propriam tarditatem accusare faceret, ut eis agilitatem et libertatem naturæ glorificatæ demonstraret, in eis majus sui desiderium accenderet. Unde et subditur eos dixisse: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis de Jesu* (44), *dum loqueretur nobis in via, et aperiret nobis Scripturas?* Ardens quidem erat cor eorum de Jesu, dum eum exponentem Scripturas audirent, sed ardentius fuit, dum agnitus ab oculis eorum evanuit. Nos quoque, fratres mei, cum audimus Christum in Scripturis loquentem, ardentes sæpe sumus. Sed, si per contemplationem, vel per aliquam revelationem ejus dulcedinem apertius gustamus, quanto magis ardentiores efficimur? Sed quando ipse remota nube dabit se nobis facie ad faciem in æternum videri, quanto magis, fratres, tunc erimus ardentissimi in amore ejus?

Sequitur pars sexta, in qua se Dominum vidisse recurrunt eum discipulis nuntiare. O vera charitas veraque fraternitas, quam nec cœna apposita, nec nox instans potuit retardare, quin gaudium suum recurrerent nox confratribus suis communicare! Sic, fratres mei, sic debet facere vera charitas, ut gaudium prosperitatis suæ quantocius festinet amico nuntiare, ut pariter gaudeant qui sese pariter amant. Itaque *surgentes eadem hora, reversi sunt in Jerusalem, et invenerunt congregatos undecim, et eos qui cum ipsis erant, dicentes quia surrexit Dominus vere, et apparuit Simoni. Et ipsi narrabant quæ gesta erant in via, et quomodo cognoverunt eum in fractione panis.* Hinc et inde manifesta Christi resurrectio novorum cumulat materiam gaudiorum, et communiter gaudent, qui communem gaudendi causam habent. Sic erit, fratres mei, in illa generali beatorum resurrectione. Communis causa communia gaudia generabit. Et communem quidem dico causam, unam in omnibus charitatem, quæ faciet propria singulorum bona per charitatem omnibus communia. Dum quisque amabit gloriam tantum in proximo, quantum in semetipso. Ad illa ergo, fratres charissimi, festinemus gaudia, ubi erit gloria sine invidia, gaudium sine tristitia, abundantia sine defectu, securitas sine metu, vita sine morte, beatitudo sine fine. Ad quam perducat nos omnipotens et misericors Dominus. Amen.

(44) Vulg. non hab. *de Jesu.*

HOMILIA LIV.

DOMINICA PRIMA POST PASCHA.

Omne quod natum est ex Deo, vincit mundum (*Joan.* v), etc. Quoniam, fratres mei, quibusdam grave videtur vincere malitiam mundi, ostendit Apostolus, in hac lectione, primo quis sit victor mundi. Secundo per quæ vincat eum. Tertio probat testimoniis eum tantum et talem esse qui mundum possit vincere. Ostendens ergo primo quis sit victor mundi, ait: *Omne quod natum est ex Deo, vincit mundum.* Sunt autem, fratres mei, tres nativitates, prima divina, secunda carnalis, tertia spiritualis. Secundum primam, natus est ab æterno ineffabiliter et Deo Patre Dei Filius; secundum secundam, nascitur quotidie carnaliter de homine homo; secundum tertiam, quotidie per aquam et Spiritum sanctum, homo servus peccati renascitur, ut sit adoptivus Dei Filius. De prima dicit Pater ad Filium: *Ante luciferum genui te* (*Psal.* CIX). De secunda dicit David: *In peccatis concepit me mater mea* (*Psal.* L). De tertia dicitur: *Quotquot autem receperunt eum*, scilicet Christum, *dedit eis potestatem filios Dei fieri; his qui credunt in nomine ejus, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt* (*Joan.* III). Itaque, fratres mei, carnalis generatio, quia et per carnalem concupiscentiam, non vincit mundi concupiscentiam, sed ei confœderatur. Sola divina nativitas, et spiritualis nativitas, quia fortiores sunt mundo, vincunt mundum. Unde Dominus ait: *In mundo pressuram habebitis, sed confidite, quia ego vici mundum* (*Joan.* XVI). Sed Filius Dei naturalis per se et viribus suis vincit mundum, filius vero Dei adoptivus non per se, sed per Filium naturalem vincit mundum. Unde Filius Dei naturalis filiis adoptivis dixit: *Sine me nihil potestis facere* (*Joan.* XV). Quomodo, fratres mei, Vincentius et Laurentius, cæterique martyres, qui utique erant caro fragilis, possent tot tentamenta et tormenta mundi vincere, nisi Deus eos armasset, et per eos vicisset? Nullomodo. Nemo igitur fortis confidat de viribus propriis; nam si hoc facit, vincitur. Ipse primus pastor Petrus, dum de se præsumit, negando corruit. Ostendens igitur apostolus quod Christus solus vincit mundum, subdit; *Et hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra*, id est Christus quem credimus. Et non solum ipse, sed etiam ille qui ei adhæret vera fide, vincit mundum. Unde et subdit: *Et quis est qui vincit mundum, nisi qui credit*, fide per charitatem operante (*Gal.* V), *quia Christus Jesus est Filius Dei.* Secundo per quæ Christus vincat mundum, ostendit Apostolus subdens: *Hic est qui venit*, subaudis vincere mundum, *per aquam et sanguinem*

passionis. Tribus modis, fratres charissimi, Christus vincit mundum, patiendo, convertendo et damnando. In primo quippe adventu vincit mundum, persecutiones, contumelias, et flagella malorum, æquanimiter ea tolerando. Et etiam vincit malitiam quorumdam, per charitatem eos convertendo et sanctificando. Utrumque vero, id est patientiam et charitatem in passione ostendit. In secundo vero adventu vincet mundum per justitiam, malos scilicet damnando, et electos coronando. Nos ergo, fratres mei, si filii Dei esse volumus, oportet ut unigeniti Filii ejus vestigia sequamur. Vincamus igitur exemplo Christi mundum, id est malitiam mundanorum, eos æquanimiter tolerando. Nam qui deficit in tribulationibus et persecutionibus, qui murmurat, qui ultionem quærit, jam non vincit, sed victus est, secundum illud : *Noli vinci a malo, sed vince in bonum malum* (*Rom.* XII). Vincamus etiam malitiam mundanorum, eos ad Dominum convertendo bono verbo et exemplo, pro malo bonum, pro maledicto benedictum eis reddendo et pro eis orando, juxta illud Apostoli : *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum ; si sitit, potum da illi. Hoc enim faciens congeres carbones super caput ejus* (*ibid.*). Si hoc modo, fratres mei, vicerimus mundum in hoc sæculo, procul dubio in futuro vincemus dominando et judicando malos, qui hic a malitia sua converti noluerunt. Scriptum est enim : *Et dominabuntur eorum justi in matutino* (*Psal.* XLVIII), id est in resurrectione. Unde et Dominus promisit discipulis suis : *Cum sederit*, inquit, *Filius hominis in majestate sua, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel* (*Matth.* XIX). Tertio vero probat apostolus quod Christus talis et tantus est, qui per se mundum vincere possit, subdens : *Spiritus est enim qui testificatur quoniam Christus est veritas*, id est verus Deus, et verus homo. Spiritus quippe sanctus, qui in specie columbæ venit super eum, et qui ab ipso missus est super apostolos, testificatur quoniam Christus est veritas, id est verus Deus, et spiritus humanus, quem emisit in passione, testificatur, quoniam Christus est veritas, id est verus homo. Nisi enim verus homo esset, verum spiritum et veram carnem non haberet. Et non tantum spiritus hoc testificatur, imo etiam tres idem testificantur. *Quoniam tres sunt qui testimonium dant in cœlo* : *Pater, Verbum, et Spiritus sanctus.* Illi enim tres testificantur in Jordane, et in monte Thabor, quia Christus est verus Deus. *Et hi tres unum sunt*, non tantum in testimonio, sed etiam in essentia. *Et tres sunt qui testimonium dant in terra*, quod Christus sit verus homo, spiritus, aqua et sanguis, videlicet spiritus humanus, et aqua, et sanguis qui fluxerunt de latere Christi. *Et hi tres unum sunt*, subaudis in testimonio, et ideo credendum testimonio eorum, *Si testimonium*, inquit, *hominum accipimus*, secundum quod scriptum est in lege : *Ut in ore duorum vel trium stet omne verbum* (*Deut.* XIX) : testimonium Dei, quod majus est, accipere debemus. Ac si diceret : Si testimonium hominum qui utique mentiri possunt, recipimus, multo magis testimonium Dei, qui mentiri non potest, recipere debemus. Quia igitur Christus verus est Deus, tantus est qui bene potuit vincere mundum. Et quia verus est homo, talis est qui potuit pro eo redimendo pati. Nos quoque, fratres, si filii Dei per gratiam sumus, et si humanitatem nostram puram et mundam servamus, in Christo mundum vincere poterimus. *Qui credit*, inquit, *in Filium Dei, habet testimonium Dei in se*, id est rem testificatam, Christum videlicet et ejus fidem. Habet etiam testimonium Dei in se, ut scilicet testimonium quo testificatus est Pater de Filio, quod Filius ejus sit per naturam, testificetur de unoquoque credente, quod sit Filius ejus per gratiam. Itaque, fratres mei, si veram fidem habuerimus, in ea mundi malitiam vincere poterimus, quosdam malorum verbo et exemplo vincendo, et ad Christum trahendo, alios per patientiam æquanimiter tolerando, et in profectum nostrum eorum malitiam convertendo, alios et dijudicando et separando, et hic a societate Ecclesiæ, et in futuro damnando et separando a sanctorum societate. Et ita veri victores mundi cum Christo et martyribus ejus, triumphum victoriæ accipiemus, ipso præstante qui vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LV.

DOMINICA PRIMA POST PASCHA.

Cum sero esset die illo una Sabbatorum, et fores essent clausæ, ubi erant discipuli congregati propter metum Judæorum, stetit Jesus in medio eorum, et dixit eis : Pax vobis (*Joan.* XX). Sicut ex lectione sanctorum Evangeliorum collegimus, fratres charissimi, sex vicibus Dominus apparuit ipsa die resurrectionis. Primo Mariæ Magdalenæ, ut Joannes refert, secundo ipsi et aliis duabus mulieribus a monumento redeuntibus, de quibus scriptum est : *Quia accesserunt et tenuerunt pedes ejus, et adoraverunt eum* (*Matth.* XXVIII). Tertio Jacobo, ut apostolus refert, de quo etiam narrat Evangelium Nazarenum, quia devoverat se non comesturum donec videret eum resurrexisse. Quarto duobus, id est, in via Emmaus. Quinto Petro ; sexto vero omnibus præter Thomam congregatis domi, ut hic Joannes refert. Nos ergo, fratres, primo quæ ad historiam pertinent, secundo ; quæ ad tropologiam videamus. Et juxta historiam quidem ingerit hic Dominus gaudium suæ resurrectionis discipulis suis, se et vere resurrexisse multis probat argumentis. Sunt autem hujus lectionis quatuor partes. Primo enim ostenditur Dominus, januis clausis, discipulis suis apparuisse ; secundo quid discipulis contulerit ; tertio, quomodo dubitantem discipulum in fide confirmaverit ; quarto, discipulo quia vidit confidenti beatos asserit qui non viderunt et crediderunt. Primo igitur dicit evangelista Dominum discipulis apparuisse januis clausis. Unde oritur quæstio mul

tiplex, primo quomodo verum corpus fuit quod A januis clausis intraverit. Vel si ideo fuit illud corpus subtile quod januis clausis intraverit, quomodo corporalibus oculis videri vel manibus tractari potuerit, vel quomodo potuerit loqui, cum ad grossiora et humidiora conveniat membra. Quomodo etiam corpus glorificatum, cum sit splendidius sole, humani oculi potuerunt sustinere. Quomodo et manducaverit, quomodo et verum corpus fuerit, quod nunc apparere, nunc evanescere potuerit. Ad horum solutionem, fratres mei, intelligendum est quod in resurrectione corpus septem donis decorabitur. Primum erit subtilitas. Adeo enim tunc subtile erit corpus, quod obstantia corpora possit penetrare, nec vinculis nec claustris prohiberi queat. Unde et corpus Christi glorificatum, potuit B clauso sepulcro exire, clausisque januis intrare. Secundum erit velocitas; nam tantæ velocitatis erit corpus glorificatum, quod in momento de cœlo ad terras, de terris ad cœlum ad oriente in occasum, vel e converso ire possit. Hinc est quod Dominus apparens duobus in Emmaus (*Luc.* XXIV), mox apparuit Petro in Jerusalem, cum loca sexaginta stadiis distent. Tertium erit incorruptibilitas. Tunc enim corpora non poterunt corrumpi, nec morte, nec senio, nec morbo, nec gladio, nec fame, nec siti, nec aliquo incommodo. Unde Joannes: Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis sanctorum (*Apoc.* XXI), etc. Unde *Christus*, inquit, *resurgens ex mortuis jam non moritur* (*Rom.* VI). Quartum erit fortitudo. Tunc enim tantæ fortitudinis erit corpus C glorificatum, quod montes etiam possit evertere; quod nunc angelos posse credimus. Unde et lapidem ab ostio monumenti, qui valde magnus erat, quasi plumam angelus unus evertit. Quintum erit pulchritudo. Tantæ enim pulchritudinis, tantæque gloriæ tunc erit corpus, ut fulgeat sicut sol (*Sap.* III). Unde et Dominus: *Fulgebunt*, inquit, *justi sicut sol in domo Patris mei* (*Matth.* XIII). Et si gloriam, quam Dominus ad horam ostendit in monte, mortales oculi sustinere non potuerunt, quomodo gloriam ejus glorificati ferre possent? Sextum erit voluptas. Tunc enim omnes corporei sensus veris et æternis voluptatibus delectabuntur. Visus delectabitur in splendore æternæ claritatis. Auditus in suavi melodia hymnorum cœlestium. Gustus in dulcedine cœlestium bonorum et æternorum. Odoratus in suavitate omnium aromatum et odoramentorum. Tactus ineffabili suavitate et mollitie. Septimum erit libertas. Adeo enim corpus glorificatum erit liberum, ut ea quæ nobis contraria videntur, in quæ nobis se possit ostendere, ut, cum sit subtile in sui natura, se corpulentum et palpabile possit ostendere, et cum voluerit evanescere, ut, cum gloriosum et fulgens sit in sui natura, se sub obscurum et visibile possit ostendere, cum nullus cibi aut vestis indigeat, possit manducare et esse vestitum. Quod et de angelis legimus. Quia ergo Dominus volebat probare mortalibus carnem suam vere a mortuis resurrexisse, talem se exhibebat, qualis ab eis, videri, palpari, audiri, loqui, et comedere posset. Vere ergo ab eis videbatur, vere palpabatur, vere loquebatur, vere audiebatur, vere comedebat. Cibus tamen ille non descendebat eo quod nostri descendunt, sed in ipsa consumebatur masticatione.

Sequitur pars secunda, in qua ostenditur quid Dominus in hac apparitione contulerit discipulis suis. Primum quidem quoniam mœsti erant, contulit eis consolationem, eis annuntiando, cum dixit: *Pax vobis*. Est enim ac si diceret. Non doleatis, sed potius gaudete, quoniam, per passionem meam, pax inter Deum et hominem est reformata. Deinde quoniam missurus erat discipulos ad hanc prædicandum, et daturus erat eis potestatem ligandi atB que solvendi, confirmat eos, primo in fide resurrectionis, secundo aperit eis sensum, juxta Lucam, ut intelligerent Scripturas (*Luc.* XXIV). Tertio præcipit eos cum Deo et cum proximo pacem et charitatem habere. Quarto eos mittit ad prædicandum. Quinto eis confert Spiritum sanctum, et sic ad ultimum dat eis ligandi atque solvendi potestatem. Et primo quidem convenienter, quos ad officium prædicationis et sacerdotii missurus erat, in fide confirmat, quoniam primo in se debet esse firmus, qui est alios confirmaturus. Confirmat autem eos in fide, cum eis manus et latus demonstrat. Et cum, juxta Lucam, cum eis manducat (*ibid.*), ostendens illam eamdem carnem, quæ confixa fuit, resurrexisse, quæ rediviva et tractari potest et epulari. Secundo C vero convenienter aperuit discipulis sensum, ut intelligerent Scripturas, quoniam qui alios docturus est, non solum fidem debet habere, sed et eam testimoniis Scripturarum debet in alias confirmare; *ut* videlicet, juxta quod Petrus ait, *sit paratus de ea fide et spe, quæ in nobis est, reddere rationem* (*I Petr.* III). Et hoc, fratres mei, contra illos est qui ad officium prædicationis et sacerdotii accedunt, cum sint ignari Scripturarum. Tertio quoque congrue præcipit discipulis habere, per charitatem, cum Deo et proximo pacem, quoniam qui Mediator inter Deum et peccatores constituitur, oportet primo ut ipse et cum Deo et cum homine, per charitatem, pacificus et familiaris habeatur. Nam quomodo duos D adversos reconciliare potest qui ab utroque per odium vel per ignorantiam divisus est? hoc contra illos est qui cum sint Deo ignoti per reprobam vitam, pro peccatoribus præsumunt facere reconciliationis legationem. Quinto etiam discipuli opportune ad prædicandum mittuntur, quoniam qui in fide sunt firmi, et in Scripturis eruditi, et cum Deo et cum homine per charitatem pacifici, convenienter ad prædicandum possunt mitti. Non autem ipsi per se officium prædicationis assumunt, sed potius a Domino mittuntur, quoniam nemo se debet ingerere. Et nemo (teste Paulo) debet sibi assumere honorem, sed qui vocatus est a Domino ut Aaron (*Hebr.* V). Et hoc contra illos qui, per ambitionem et Simoniam officium prædicationis præsumunt

usurpare sibi. Quinto quoque convenienter missis ad prædicandum datur Spiritus sanctus, qui suggerat eis omnia quæ ipsi locuturi sunt, quique det eis et sermonum affluentiam, et persuasionis efficaciam. Frustra enim prædicatores loquuntur, nisi in verbo Dei et in spiritu oris ejus rete prædicationis laxetur. Et hoc contra illos est qui ex suo, non ex Dei spiritu, prædicare conantur, non profectum auditorum, sed suam potius scientiam ostentare quæritantes. Sexto etiam convenienter datur eis potestas ligandi atque solvendi, ut videlicet quos a Spiritu intus illuminatos intellexerint, absolvent, et quos a Deo excæcatos, ligent. Ecce, fratres mei, ad quantam dignitatem Dominus discipulos suos et eorum sequaces in hoc sæculo sublimavit, ut eos patres et pastores, imo etiam deos hominum constitueret, et eis vice sua, potestatem relaxandi vel imputandi peccata conferret. Quod utique ideo fecit divina misericordia, ut peccatores non desperarent, cum juxta se consilium et medelam peccatorum suorum invenirent, et ut homines hominibus se humiliando, et peccata sua confitendo, per humilitatem sibi Deum placarent, quem per superbiam offenderent, et ut homines hominibus, peccatores peccatoribus compaterentur, pro invicem orando, et alter alterius onera portando. Cæterum summopere attendant sacerdotes, qui, quos, qualiter, et quo animo, et in qua auctoritate absolvere debeant vel ligare.

Qui debent absolvere vel ligare? qui per Spiritum sanctum a peccatis suis absoluti et illuminati sunt. Nam quomodo digne ligatus poterit ligatos absolvere vel ligare, vel immundus immundos mundare vel damnare? Hinc Dominus accusatoribus mulieris adulteræ dixit : *Qui sine peccato est vestrum, primus lapidem in eam mittat* (*Joan.* VIII). Hinc etiam scriptum est : *Medice, cura teipsum* (*Luc.* IV). Quos debent absolvere vel ligare? populos sibi subjectos non alienos. Hinc in lege prohibitum est ne quis mittat falcem in messem alienam; et fratres, non infideles. Unde Apostolus : *Quid mihi de illis qui foris sunt judicare?* (*I Cor.* V.) Et si fuerit quis, id est privata persona; principem enim et qui secum habet sociam, multitudinem non excommunicare, sed potius ferre debemus, ne forte eradicantes zizania, eradicemus simul et triticum (*Matth.* XIII). Qualiter debent absolvere vel ligare, non præcipitanter, sed morose, discrete, et juste. Morose quippe proferenda est sententia excommunicationis, et a sacerdote, et per se, et per alios. Tertio commonendus est peccator, et prius omnia remedia sunt tentanda, antequam ad sententiam excommunicationis veniatur. Et hoc contra illos est, qui præcipitantur mox excommunicant peccatores, non attendentes, quoniam quod nimis cito fit male fit. Discrete enim proferenda est sententia, vel absolutionis, vel excommunicationis. Non enim aliquem debet excommunicare sacerdos propter veniale peccatum, nec propter ignotum vitium, ut si quis fuerit irrosus vel garrulus, nec propter occultum, sed propter crimen manifestum. De cæteris quippe vitiis monere potest, non excommunicare. Unde Paulus : *Si quis*, inquit, *fratres nominatur inter vos fornicator, aut avarus, cum hujusmodi nec cibum sumite* (*Ephes.* V). Nominatur autem cum divulgatur. Rursus nec ligatum absolvere debet, nisi peccatum abjuret peccator, et nisi satisfaciat, et nisi gemitibus, suspiriis, et vultu pœnitentis ostendat interiorem contritionem cordis. Juste quoque sententia absolutionis vel excommunicationis proferenda est, ut videlicet non ob odium, vel gratiam, sed tantum ob meriti justitiam proferatur. Hoc contra illos est qui in absolvendo, vel ligando, affectum animi proprii pensant, non meritum subjecti. Propter odium absolvendum ligantes, vel propter gratiam ligandum absolventes, alio judicio amicum, alio inimicum judicantes. Sed profecto eorum sententia ante summum judicem reprobanda est, quoniam, ut ait Salomon : *Pondus et pondus, mensura et mensura, utrumque abominabile est apud Deum* (*Prov.* XXVI), Subjectis tamen sententia pastoris justa vel injusta timenda est, ne propter contemptum, culpa quæ non erat fiat.

Quo animo pastor ecclesiasticus absolvere debet vel ligare? Læta mente absolvere debet, et tristi ligare. Propterea non nisi vix et in magna necessitate et dolenti animo debet excommunicare. Quemadmodum aliquod membrum de corporis nostri integritate, non nisi cum fuerit aridum et cæteris membris nocivum; et tunc vix, et cum dolore magno solemus amputare. Hoc contra illos est qui facile et alacriter et cito, fratres suos peccatores solent excommunicare. Cæterum cum membrum ab ecclesiastica unione abscidunt sine animi proprii dolore, ostendunt se Ecclesiæ membris non compaginari unione charitatis. In qua auctoritate absolvere debent sacerdotes, in divina, non sua. Potestas quippe peccata relaxandi solius Dei est. Ministeriam vero, quod improprie etiam potestas vocatur, vicariis suis concessit, qui modo suo ligant vel absolvunt, id est ligatos vel absolutos esse ostendunt. Prius enim Deus interius peccatorem per compunctionem absolvit, sacerdos vero exterius, sententiam proferendo, eum esse absolutum ostendit. Quod bene significatur per Lazarum, qui prius in tumulo a Domino suscitatur, et post, ministerio discipulorum, a vitiis quibus ligatus fuerat, absolvitur.

Sequitur pars tertia, in qua Dominus dubitantem discipulum in fide confirmat, cum subdit : *Thomas unus ex duodecim*, etc. Si quæritis, fratres charissimi, quare Dominus electum discipulum in fide voluerit dubitare, magna utique dispensatione. Minus quippe Maria Magdalene nobis profuit, quam Thomas qui diu dubitavit. Ille etenim vulnerum cicatrices tetigit, et de pectore nostro vulnus dubietatis amputavit, Dubitavit ille ne nos dubitaremus. Tangendo confirmatus est ille, ut nos in eo confirmaremur. Confirmat autem eum in fide resurrectionis suæ Dominus, cum subjungit : *Infer digitum tuum*

huc, etc. Ob quatuor quippe causas Dominus in corpore suo glorificato retinuit signa cicatricum. Ut carnem crucifixam vere resurrexisse ostenderet, ut eas Patri præsentans pro nobis semper interpellet, ut mali in judicio videant in quem transfixerunt, vel quem contempserunt, ut justi eas cernentes Domino suo pro se inflictas, plus in amore ejus semper inardescant. Hac etiam de causa, nunc imago crucifixi in Ecclesia depingitur, ut scilicet cernentes Redemptorem nostrum pro nostra salute sponte sustinuisse pauperiem, infirmitatem, improperia, sputa, flagella, mortem, magis ac magis in corde nostro ad eum diligendum inflammemur. Quid enim non debemus facere pro eo qui tam dignus tam indigna sustinuit pro nobis tam indignis.

Sequitur pars quarta, in qua confitenti discipulo dicitur : *Quia vidisti me, Thoma, credidisti, beati qui non viderunt et crediderunt.* Quia vidisti me, inquit, credidisti. Quid vidit ? Quid credidit ? Cum fides sit de his quæ non videntur, aliud vidit et aliud credidit. Vidit cicatrices in carne, et credidit ipsum per potentiam Deitatis vere resurrexisse. Vidit visibilem humanitatem, et credidit latentem divinitatem. *Beati*, inquit, *qui me non viderunt et crediderunt.* Quid sibi vult, fratres mei, ista verborum oppositio ? Nunquid nos qui non vidimus et credimus soli sumus beati ? Et Apostoli qui viderunt et crediderunt, non sunt beati ? Vel illi sunt beati, sed nos beatiores his? Non. Sed his verbis ostenditur quoniam majoris meriti est fides quæ sine sensus experientia credit quam ea quæ per experientiam credit. Et quidem majoris meriti esset fides nostra, quam fides apostolorum, si tanta, si tam fervens esset et efficax. Sed eorum fides quanto certior, tanto fervention. Beatissimi fuerunt igitur apostoli, quibus dictum est : *Beati oculi qui vident quæ vos videtis* (*Matth.* XIII). Sed nos quoque, fratres mei, qui non vidimus in carne Dominum, sumus beati, si vere eum credimus, si eum vere diligimus, si mandata ejus adimplemus. Juxta tropologiam vero ostenditur nobis primo, quid, exemplo apostolorum, facere debeamus ; deinde, quid emolumenti inde consecuturi sumus. Congregabantur autem discipuli omnes sero domi simul, et clausis januis propter metum Judæorum, et de Domino loquebantur, et eum suspirabant. Nos quoque, fratres mei, postquam per diuturnam actionem ad negotia exteriora exierimus, sero per contemplationem ad nosmetipsos redeamus, et intra nosmetipsos nos colligamus, ut quid corrigendum sit in nobis, quid nutriendum, quid evellendum quid plantandum perquiramus. Non simus sicut quidam, qui sola quæritant exteriora, seipsos ignorantes et negligentes. Simus et simul per unionem charitatis, ut diligamus Deum plusquam nos, et proximos nostros sicut nos, sicut et de ipsis apostolis dicitur : *Quia multitudinis credentium, erat cor unum, et anima una* (*Act.* IV). Nec erant divisi per avaritiæ proprietatem, quoniam nullus aliud suum dicebat de his quæ possidebantur, sed erant illis omnia communia. Debent etiam fores cordis nostri esse clausæ propter insidias dæmonum, ne scilicet possint ad interiora nostra per malam suggestionem penetrare (*ibid.*). Et ideo debemus, juxta præceptum Salomonis, omni custodia cor nostrum custodire (*Prov.* IV). Et juxta Petri mandatum : *Sobrii estote et vigilate*, scilicet in orationibus, *quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret* (*I Petr.* V). Si sic, fratres mei, si sic fuerimus collecti in nobis per contemplationem simul et charitatem, foribus clausis per custodiam, loquentes crebro de Jesu et eum desiderantes, procul dubio intrabit in nos, et erit nobiscum sicut ipse promisit dicens : *Ubicunque duo vel tres fuerint congregati in nomine meo, illic sum in medio eorum* (*Matth.* XVIII). Et quid conferet nobis ? Pacem suæ consolationis. Et excludens a nobis omnem dubietatem, confirmabit nos in fide, aperiet nobis sensum ad intelligentiam Scripturæ, dabit et nobis pacem geminæ charitatis, mittet et nos ad lucrandum animas fratrum nostrorum. Inspirans nobis Spiritum sanctum suum ad suggerendum nobis, omnia bona, faciet et nos quasi deos, dum vel hic vice sua ligamus ut absolvimus peccatores, vel in futuro judicabimus pertinaces. Sed si quis durior et tardior in fide fuerit, non desperet, sed pia mente certificari roget, et Dominus apertioribus signis et documentis, eum in fide sua certificabit. Qui undequaque electos suos congregans, et in regnum suum introducens, epulabitur cum eis in lætitia sempiterna. Unde ipse ait ; *Et ego dispono vobis quemadmodum disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo* (*Luc.* XXII). Quod ipse præstare dignetur, qui vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LVI.

DOMINICA SECUNDA POST PASCHA.

Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus (*I Petr.* II), etc. In hac lectione, fratres charissimi, sex nobis proponuntur consideranda : Quis passus est et pro quibus, et quanta, et in quo, et quomodo, et qua nostra utilitate. Quis passus ? Deus impassibilis, incomprehensibilis, immortalis. Res mira, fratres, et a retroactis sæculis inaudita, quod impassibilis passus est, quod incomprehensibilis comprehensus est : quod immortalis mortuus est. Et hæc, et si contraria videantur, tamen vere de eadem persona, secundum aliam et aliam naturam prædicantur. Non enim in Christo sunt duæ personæ Deus et homo, sed una eadem, naturis constans ex duabus. Tanta autem in Christo unio est divinitatis et humanitatis sine confusione, ut quidquid de Verbo dicimus, dicamus et de illo homine, et quidquid cum illo homine dicimus, dicamus et de Verbo. Inde est, fratres mei, quod audacter Deum mortuum, et hominem illum mundi Creatorem prædicamus. Non enim præjudicat veritati dictorum inconsequens junctura dictionum. Pro quibus est passus ? pro hominibus, pro servis, pro rec-

catoribus. Passus est itaque Deus pro hominibus, Dominus pro servis, sanctus pro peccatoribus. Ecce, fratres, mira et inaudita compassio; mira et inaudita dignatio. Erubescant igitur Domini temporales inhumani et crudeles in servos suos, qui servorum et pauperum nolunt misereri excessibus, nec compati infirmatibus, imo et delinquentes inhumane affligunt, et ægrotantes, frigore et inedia perire sinunt, plus dolentes de infirmitate jumenti sui quam servi sui. Quid est hoc? Deus compassus est tibi misero homini et peccatori, et tu non compateris homo homini, servus conservo. Qui nullius indiget tibi indigenti est misertus. Et tu qui indiges, indigenti non misereris. Quanta passus est? defectus et injurias. Defectus autem passus est, et rei, ut paupertatem et penuriam corporis, ut famem, sitim, lassitudinem. Defectus etiam mentis, ut tristitiam et dolorem. Injurias etiam passus est, tam a suis quam ab extraneis, exactiones in rem, convitia in verbo (*Matth.* XXI), afflictiones in corpore, exactiones, quia exactus tributum reddidit Cæsari : vestimenta ejus partiti sunt milites, et super vestem ejus miserunt sortem (*Joan.* XIX). Convitia etiam ei intulerunt, vocantes eum filium fabri, voracem et potarem vini, amatorem meretricum et publicanorum (*Matth.* XI). Vocantes etiam eum seductorem, et improperantes ei : *Alios salvos fecit, seipsum salvum facere non potest* (*Matth.* XXVII). Afflictiones etiam in corpose passus est, ut alapas, sputa, vincula, flagella, mortem. Fratres mei, si Deus sustinuit tot et tanta indigna pro nobis indignis, quid nos debemus facere pro eo, imo pro nobis? Deus dives omnium factus est pro te pauper. Et tu pro salute tua refugis esse pauper? Deus pro te passus est famem, sitim, lassitudinem et tristitiam, et hujusmodi. Et tu pro tua salute hæc refugis pati? Deus et Dominus omnium sustinuit propter se subjectionem, et reddidit tributum Cæsari. Et tu pro tua salute, refugis subjectionem et tributum dari principibus terrarum? Deus propter te sustinuit convicia et irrisiones a servis. Et tu ab æqualibus, hæc tibi dici non potes pati? Deus passus est propter te flagella et mortem; et tu pro redemptione animæ tuæ non potes pati, quæ tamen, velis nolis passurus es-t, tandem? Fratres, omnia vilia et aspera sustinuit Deus pro nobis, præter peccatum. Econtrario, nos miseri, subjectionem peccati et diaboli patienter sustinemus, subjectionem vero hominum, paupertatem et afflictionem (quæ medicina sunt animarum) pati noluimus. Ut quid hæc? nisi quia non lege Dei, sed lege nostra vivere volumus, et nostram, non Dei viam sequimur. In quo passus est? super lignum. Disposuerat namque Deus ab æterno Christum in ligno passurum, tum quia hoc genus mortis erat vilius, tum quia convenientius. Vilius quippe erat, quia in ligno suspendebantur latrones et rei. Hæc ergo nos pati voluit, qui pro nobis pati viliora voluit. Convenientius vero erat, quoniam per lignum diabolus Adam tentaverat et vicerat. Convenientius ergo erat ut qui per lignum hominem vicerat, per lignum ab homine vinceretur. Conveniens erat ut homo qui peccaverat per ligni dulcedinem, sanaretur per ligni amaritudinem. Quod autem triumphaturus esset Dominus de diabolo, prædictum erat a Psalmista: *Dicite*, inquit, *in gentibus, quia Dominus regnavit a ligno* (*Psal.* XCV) (45). Quomodo passus est? sponte et innocenter. Sponte, quoniam tradidit judicanti se injuste (*I Petr.* II). Unde idem ait : *Nemo tollit a me animam meam, sed ego pono eam, et iterum sumo eam* (*Joan.* X). Innocenter, quoniam *peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus* (*I Petr.* II). Patienter quoniam, *cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur non comminabatur* (*ibid.*). Imo Petrum redarguit, et aurem quam amputaverat, sanavit. Nos quoque, fratres, Magistri nostri vestigia sequentes, patiemur sponte amara et tristia hujus mundi, quoniam sicut infirmus non pervenit ad sanitatem, nisi tristia patiendo et amara gustando, ita nos infirmi peccatis nisi dura et amara patiendo, ad veram salutem pervenire non valemus. Patiamur, quantum possumus, innocenter ad exemplum Domini nostri; ut pœnæ temporales non sint nobis pœna culpæ, sed meritum coronæ. Sed si quandoque pro peccatis nostris flagellamur, in ipsis flagellis, more dextri latronis, nos meritos confitentes, puriores reddamur, non more sinistri latronis in iniquitate nostra induremur, et de correptionibus pejores efficiamur. Patiamur et patienter non remurmurantes, non judicium Dei accusantes, sed Deo gratias agentes, qui Filium quam plus diligit, corripit (*Hebr.* XII), scientes quia pœnæ, aut peccata purgant, aut meredem augmentant. Qua utilitate nostra passus est? quadruplici. Primo ut peccata nostra portaret, secundum quod prædixerat de eo Isaias : *Vere languores nostros ipse tulit, et peccata nostra ipse portavit* (*Isa.* LV). Secundo, ut charitatem quam habebat in nos, sic nobis ostenderet, et nos ad amandum eum arctius invitaret. Unde ipse ait : *Majorem charitatem ac dilectionem nemo habet ut animam suam ponat quis pro amicis suis* (*Joan.* XII). Tertio, ut exemplum quod sequeremur nobis relinqueret. Unde ipse ait : *Qui mihi ministrat me sequatur, et ubi sum ego, illic et minister meus erit* (*Joan.* XII). Quarto, ut nos ab errore ad viam veritatis, a tenebris ad lucem, a culto diaboli ad cultum Creatoris nostri nos revocaret. Eramus enim ante, fratres mei, quasi oves errantes sine pastore, eramus cæci, sine vera luce, eramus servientes diabolo, ignoro vero Creatore. Sed nunc, fratres mei, gaudeamus, et Redemptori nostro gratias agamus, quoniam nunc sumus conversi ad Pastorem et Episcopum animarum nostrarum (*I Petr.* III), quem toto corde diligere et totis viribus sequi tribuat nobis omnipotens Pater æternus, qui cum eodem Filio

(45) Vulg. non hab. *a ligno.*

et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LVII.

DOMINICA SECUNDA POST PASCHA.

Dixit Jesus discipulis suis : Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis (*Joan.* x), etc. Dominus ac Redemptor noster, fratres charissimi, quoniam mitis est et humilis corde, vilibus se comparat personis. Non enim ait : Ego sum bonus rex, bonus imperator, sed ego sum bonus pastor. Porro in lectione, quæ hanc præcedit, locutus fuerat Dominus de fure, hinc consequenter loquitur de mercenario, et de bono pastore. Tres igitur sunt, fur, mercenarius et pastor, sicut nominibus, ita introitu, intentione, opere, et merito differentes. Fur quippe est hæreticus, qui de unione fidei et Ecclesiæ oves Christi furatur, et in partem diaboli trahit et occidit. Qui bene dicitur fur, quoniam furtum, id est obscurum diligit, juxta illud : *Qui male agit, odit lucem* (*Joan.* III). Dicitur enim latro a latendo, quoniam sedet in insidiis occultis, ut interficiat innocentem. Non enim coram sanctis doctoribus sed clam et furtim simplicibus et idiotis audet suam hæresim prædicare. Sed nec per ostium, teste Domino intrat in ovile ovium, sed ascendit aliunde, quoniam non per humilitatem ostii, id est Christi, sed per superbiam et inanem gloriam, numero fidelium se ingerit, et nomen sibi assumit. Intentio quoque illius est non prodesse, sed potius præesse et nocere. Unde *Dominus : Fur*, inquit, *non venit, nisi ut furetur, et mactet, et perdat.* Furatur quippe, dum ab unione Ecclesiæ animas separat ; mactat quippe, dum veneno perfidæ hæresis eas occidit ; perdit penitus, dum malo exemplo eas penitus destruit. Opus vero illius est veritatem Scripturarum male interpretando depravare, veritati falsum admiscere, calamo legis caput, id est divinitatem Christi impugnare, per hypocrisin malitiam suam palliare, et ita decipere, de rebus illorum, quos decipit, vivere, et illos mala doctrina et malo exemplo perdere. Meritum vero illius pessimum est, quoniam non solum animæ suæ est reus, sed omnium illarum quas malo exemplo et doctrina perdit animarum. Et quot animas perdit, tot damnationes sustinebit. Mercenarius vero est omnis ille qui in Ecclesia Dei quærit præsidere, non ad honorem Dei, nec ad salutem animarum, sed tantum ad temporalem mercedem, quales sunt hodie (unde dolendum est magis) fere omnes prælati Ecclesiarum, non manducantes ut evangelizent, sed potius evangelizantes ut manducent, et (quod pejus est) manducantes, et non evangelizantes. Oblationes fidelium et peccata populi comedentes, et tamen eos non corrigentes, nec erudientes. Quæritur Ecclesia non ubi abundet devotio fidelium, sed ubi abundet amplitudo reddituum. Plus amatur multitudo iniquorum munera offerentium, quam Ecclesia pauperum fidelium nihil offerre valentium ; porro unde mercenarius dicatur, patens est, quoniam a mercede temporali, propter quam A prædicat, et qua deficiente ipse cessat. Et quoniam oves non diligit, sed emolumentum quod ab eis percipit, pastor non est, quoniam non oves, sed [sese] pascere quærit. Unde Dominus ait : *Mercenarius et qui non est pastor, cujus non sunt oves propriæ.* Non enim per amorem eas sibi facit proprias, sed per contemptum a se alienas. Introitus quoque mercenarii in Ecclesia non est per Christum, ostium, sed potius per ambitionem, Simoniam, et inanem gloriam. Qui licet quandoque sine munere etiam vocatus introeat, quia tamen, non quæ Jesu Christi, sed quæ sua sunt quærit, non per Christum ostium, sed per ambitionem intrat. Intentio etiam mercenarii, quoniam vana et mala est, quidquid facit, quidquid prædicat, quidquid offert, Deo inac- B ceptum est. Unde Dominus per Malachiam prophetam eis loquitur dicens : *Quis est in vobis qui claudat ostia, et incendat altare meum gratuito ? Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus, munus de manu vestra non suscipiam* (*Mal.* I). Opus autem mercenarii est honorem et lucrum temporale quærere, sese pascere, verbo solo prædicare, malo exemplo corrumpere, curam ovium negligere, veniente lupo, fugere. *Amant*, inquit, *primos accubitus in cœnis, et primas cathedras in synagogis, et salutationes in foro, et vocari ab hominibus Rabbi* (*Matth.* XXIII ; *Luc.* XX). Et iterum per prophetam : *Væ pastoribus*, inquit Israel, *qui pascebant semetipsos. Nonne greges pascuntur a pastoribus ? Lac comedebatis, lanis operiebamini, gregem autem meum non pascebatis. Quod crassum erat occidistis, et quod infirmum non consolidastis : quod ægrotum non sanastis : quod fractum non alligastis, quod abjectum non reduxistis : quod perierat non quæsistis, sed cum austeritate imperabatis, et cum potentia. Et dispersæ sunt oves meæ eo quod non esset pastor, et factæ sunt in desolationem bestiarum agri* (*Ezech.* XXXIV). Ac si diceret : Cum de orationibus et peccatis populi vos pasceretis, tamen officium pastoris non fecistis, fractum diversis tribulationibus sacerdotali ope non consolidastis ; erroneum ad viam salutis non revocastis, desperatione perditum pastorali sollicitudine non requisistis. In hoc quoque de quo sermonem facimus Evangelio, Dominus de mercenario dicit : *Vidit lupum venientem et dimittit oves, et fugit.* Lupus siquidem est diabolus, vel membra ejus, qui ovibus Christi insidiantur. Si diabolus oves Christi tentat, abstrahit, et dilaniat, ipse fugit, dum super eas vigilare refugit. Si malus homo bonos opprimit, si pupillum et viduam spoliat, si Ecclesiam inquietat mercenarius ; incurrere timens damnum fugit, dum rigoris sententiam contra malos exercere refugit. Et quare fugit ? *quia mercenarius est, et non pertinet ad eum de ovibus*, id est mercedem, non oves diligebat. Hinc Dominus per prophetam : *Non ascendistis ex adverso, nec posuistis vos murum pro domo Israel* (*Ezech.* XIII). Ex adverso ascendit, et se murum pro domo Israel opponit qui fortiter se contra persecutores erigens, sese in defensionem pro Ec-

clesia opponit. Meritum vero mercenarii est, pro bono (si quod forte egit) merces temporalis : pro malo vero quod egit, male vivendo, et oves malo exemplo corrumpendo, damnatio spiritualis. Nam quid meretur pastor, qui per negligentiam suam commissas oves sinens laniari, ad Dominum solus redit ? Hinc propheta : Propterea, pastores, audite verbum Domini : *Ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum, oves meas de manu eorum, et cessare faciam eos, ut ultra non pascant gregem meum, nec pascant amplius pastores semetipsos* (*Ezech.* XXXIV). Quoniam in hac vita omni prælatione privati, et omni miseriæ subjecti, non pascent se, ut solebant, vana gloria, et oblationibus fidelium, sed pascentur potius a vermibus, qui non moriuntur, et ab igne qui non exstinguitur. Pastor vero est qui, non ob temporalem mercedem, sed ob solam Dei et proximi charitatem oves Dominicas pascit, non quæ sua sunt quærens, sed quæ Jesu Christi (*Philipp.* II). Porro unus et summus pastor est, qui per antonomasiam de se ait : *Ego sum pastor bonus.* Dicitur autem recte pastor, quoniam ipse pascit oves suas, bono exemplo, bona doctrina, et sanguine suo. Ipse etiam cum Patre est ostium et ostiarius, id est potestas, per quam ipse, aut vicarius ejus, ad regendas oves ingreditur. Unde ipse dicit : *Qui intrat per ostium ipse est pastor ovium, huic ostiarius aperit.* Intentio autem summi pastoris est, non præesse ovibus, sed prodesse : Non enim venit ministrari sed ministrare ; non venit hic regnare, sed pati ; non venit pasci, sed pascere. Officium vero illius est proprias oves agnoscere, et eas nominatim vocare, eas ducere et præcedere, pascere et custodire ; lupo venienti se opponere, et pro ovibus suis animam suam ponere, et oves curare et congregare. Proprias enim oves agnoscit, et per prædestinationis electionem, et per bonæ vitæ approbationem. Eas nominatim vocat, dum singulos per singulas virtutes sibi notas ad se citat, ut Abel per innocentiam, Job per patientiam, Moysen per mansuetudinem, David per humilitatem. Oves ducit, educendo, conducendo, perducendo. Educit de lacu miseriæ, conducit per viam justitiæ, perducit ad pascua vitæ. Præcedit oves bono exemplo sui, viam demonstrando. Pascit corporaliter et spiritualiter, et tandem æternaliter. Custodit ab insidiis diaboli, a contagione peccati, a fovea inferni, et non est qui possit eruere de manu ejus (*Job* X). Lupo venienti se opponit, ejus insidias aperiendo, ejus potestatem refrenando, ejus conatum evacuando, oves ab eo protegendo. Pro ovibus animam ponit, quoniam eas a potestate diaboli sanguine proprio redimit. Oves quoque curat, et quas ubicunque proprias agnoscit, a lupo in tempore caliginis dispersas adducit, et recolligit, ut fiat unum ovile et unus pastor. Unde ipse per prophetam : *Ecce ego*, inquit, *requiram oves meas. Quod abjectum fueram reducam, quod perierat requiram, quod fractum erat alligabo, et quod infirmum consolidabo, et quod pingue et forte custodiam* (*Ezech.* XXXIV). Hoc facit magnus et summus pastor. At nos minimi pastores vicarii ejus, qui etiam pastore indigemus, quantum ipse dederit, vestigia ejus sequamur. Non summus mercenarii, sed pastores. Non nos, sed oves Dominicas pascere quærentes, intremus in ovile ovium non aliunde, sicut fur et mercenarius ; id est non per ambitionem, non per Simoniam, non per aliquam vanam et malam intentionem, sed per ostium, quod est Christus, ejus scilicet gloriam et ovium suarum profectum quærentes. Intendamus magis prodesse quam præesse, Christi non nostram gloriam quærere. Imitemur et studium summi pastoris, proprias oves agnoscamus, intus per confessionem, exterius per vitæ et morum considerationem. Oves nominatim vocemus, unamquamque secundum propriam virtutem ad operandum citantes. Oves educamus de lacu peccatorum. Conducamus per justitiam bonorum operum, perducamus, quantum in nobis est, ad pascua æternorum gaudiorum. Oves præcedamus exemplo bonorum operum. Pascamus eas spiritualiter, et etiam eas qui indigent corporaliter ; ut tandem pascamur cum eis æternaliter. Custodiamus eas, quantum possumus, orando et prædicando ab insidiis diaboli, a contagione peccati, a pœnis inferni. Lupo venienti, id est diabolo vel malo homini, in oves sævire volenti, nos opponamus : diabolum abjurationibus fugantes, malum hominem sententia pastorali cohibentes. Pro ovibus, si opus fuerit, non solum rem exteriorem, sed et animam nostram ponamus. In hoc enim præcipue bonus pastor a fure et mercenario discernitur. Oves quoque, dispersas requiramus, et de potestate diaboli, quas possumus eripientes, in Christi ovile congregemus, abjectas per errorem reducentes, quæ perierant peccando requirentes, fractas, per pœnitentiam alligantes, infirmas consolationibus et exhortationibus consolidantes, pingues et fortes, ut perseverent, custodientes. Quod si hoc fecerimus, meritum præcul dubio nostrum erit magnum, quoniam non soli, sed cum multiplicatione gregis ad Dominum revertemur, tot coronas quot animas ad eum duxerimus recepturi, et sicut scriptum est, tanquam stellæ firmamenti fulgebunt qui erudierint multos (*Dan.* XII). Ecce, fratres charissimi, audistis officium nostrum et periculum nostrum. Audite e contrario officium vestrum et periculum vestrum. Porro officium bonarum ovium est, magnum et summum pastorem agnoscere per fidem, eum diligere, et pro eo anima ponere per charitatem, eum audire et sequi per obedientiam, fieri cum illo sub aliis unum ovile per dilectionem, et sacramentorum communionem. Minorem etiam pastorem debent bonæ oves agnoscere, et diligere, audire et sequi, atque pascere. Et si qua vitia habent tegere, et sub eo unum ovile cum aliis fieri. Pastorem debent oves agnoscere, id est bonam vitam et mores ejus notare et approbare. Debent etiam eum diligere tanquam spiritualem patrem et animæ suæ custodem et pro eo orare. Qui enim pastorem suum non diligit, eum audire et sequi con-

temnit. Debent etiam bonæ oves pastorem suum per obedientiam audire, et per imitationem sequi. Porro cum sint tres, mercenarius, fur, et pastor, fur quia male prædicat et male vivit, non est audiendus nec sequendus. Mercenarius vero, quia bene prædicat et male vivit, audiendus est, non sequendus. Unde Dominus : *Quæcunque dixerint vobis servate et facite; secundum vero opera eorum nolite facere; dicunt enim et non faciunt* (*Matth.* XXIII). Pastor vero, quia bene prædicat et bene vivit, audiendus est et sequendus. Unde Dominus : *Vocem pastoris oves audiunt et sequuntur; alienum autem non audiunt nec sequuntur, quia non noverunt vocem alienorum.* Debent etiam oves pastorem suum pascere, id est stipendia temporalia ei ministrare, ut videlicet in cura pastorali tanto sit vigilantior, quanto est ab exterioribus curis liberior. Unde Apostolus : *Quis pascit gregem, et de lacte ejus non comedit?* (*I Cor.* IX.) Et alibi : *Si vobis*, inquit, *spiritualia seminavimus, est magnum si vestra temporalia metamus* (*ibid.*). Debent etiam oves pastorem suum non judicare, sed potius si qua sunt, ejus vitia tegere et dissimulare, reminiscentes quoniam Cham, qui pudenda patris irrisit, maledicitur; Sem et Japheth, qui obtexerunt, benedicuntur. Debent etiam oves sub uno pastore unum ovile fieri per fidem, et charitatem, et sacramentorum unionem, quoniam oves solivagas et erroneas diabolus rapit. Oremus ergo, et nos, fratres mei, ut Pastor pastorum, Dominus noster Jesus Christus, det nobis officium boni pastoris adimplere, in vobis studium bonarum ovium facere, quatenus utrique ad pascua æternæ viriditatis pervenire mereamur : Qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus in æternum. Amen.

HOMILIA LVIII.

DOMINICA TERTIA POST PASCHA.

Obsecro vos tanquam advenas et peregrinos abstinere vos a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam (*I Petr.* II), etc. Tria facit apostolus in hac lectione, fratres charissimi. Primo monet nos apostolus, ut in nobis abstinenter vivamus; secundo ut inter gentes bene conversemur: tertio, ut subjecti et humiles simus. Primum, obtinemus vitia fugiendo; secundum, virtutes consequendo; tertium, superbiam, quæ ex eis nasci solet, evitando. Primo igitur hortatur nos abstinenter et munde vivere, cum ait : *Obsecro vos tanquam advenas et peregrinos abstinere vos a carnalibus desideriis quæ militant adversus animam.* In quibus ostendit, fratres mei, a quibus abstinere debeamus, et quare, et qualiter. A quibus? a carnalibus desideriis, id est a gloriositate, a vinolentia, a luxuria, a voluptate, a cupiditate, a vana gloria, et a cæteris vitiis, quibus carnales delectantur, et quibus delectando carnales efficiuntur. De quibus ait Paulus : *Qui seminat in carne, de carne metet corruptionem* (*Galat.* VI). Quare ab his abstinendum est, quia militant adversus animam. Hoc est quod Paulus ait : *Caro concupiscit adversus spiritum* (*Galat.* V). Qui enim a vitiis et A concupiscentiis carnis possidetur, spiritualibus virtutibus evacuatur, quoniam gulositas exstinguit abstinentiam, vinolentia sobrietatem, luxuria castitatem, voluptas severitatem, cupiditas mundi contemptum, et cætera vitia, cæteras virtutes exstinguunt. Et vitia quidem dicuntur carnalia, quia ex carne oriuntur, et in eis caro delectatur, ei per ea homo carnalis efficitur. Virtutes vero dicuntur spirituales, quoniam ex studiis spiritus oriuntur, et in eis spiritus delectatur, et per eas homo spiritualis efficitur. Qualiter a desideriis carnalibus abstinere vos obsecro? *Tanquam advenas et peregrinos.* Omnes peregrini sunt advenæ, sed non omnes advenæ sunt peregrini. Sunt enim quidam advenæ, id est aliunde venientes, qui exsilium pro patria colunt et diligunt, qui et inquilini B vocantur. Peregrini vero dicuntur a peragrando et transeundo semper de loco ad locum. Nos quoque, fratres mei, advenæ sumus in exsilio hujus mundi, tum quia creati fuimus in primo parente nostro, ut essemus cives cœli, a quo per primam prævaricationem ejecti sumus in hoc exsilium, tum quia major pars nostri anima, natione cœlestis, non terrena est. Advenæ vero sumus, et non peregrini, si cœlestis patriæ, ad quam creati sumus, obliti, mundum pro cœlo diligimus et colimus, exsilium pro patria, miseriam pro beata vita. Quales multi nostrum (unde magis dolendum est), sunt hodie, fratres mei, qui beatam vitam non esse credentes, terrenis inhærent, C pro terrenis litigant, pugnant, occidunt, vel erigunt turres, et sumptuosa construunt ædificia, ac si semper victuri essent. O miser homo, quotidie transis de pueritia ad juventutem, de juventute ad senectutem, de senectute ad mortem, et te possessorem mundi arbitraris et civem! Cur homines quotidie morientes, cur tumuli et ossa mortuorum, quæ quotidie cernis, non movent et monent te? ut intelligas te in hoc mundo advenam et peregrinum esse? Crede ergo oculis tuis, et demonstra te in hoc mundo advenam et peregrinum esse, et dic cum Propheta : *Advena ego sum et peregrinus, sicut omnes patres mei* (*Psal.* XXXVIII). Plora et suspira, et dic inter miserias hujus exsilii : *Heu me, quia incolatus meus prolongatus est!* (*Psal.* CXIX.) Quatuor facit, fratres mei, D peregrinus, ad finem viæ quotidie festinat, meliorem sequitur viam, nullis retinetur blandimentis, non solum a superfluis, sed etiam a quibusdam necessariis se abstinet. Nos quoque fratres, tanquam veri peregrini ad finem hujus exsilii, ad æternam patriam festinemus. Meliorem enim viam sequamur, rectiorem, planiorem, mundiorem. Rectiorem, nec ad dexteram vanæ gloriæ, nec ad sinistram infamiæ declinantes, planiorem, montes elationis et valles desperationis fugientes, mundiorem, paludes luxuriæ et voluptates evitantes. Nullis quoque retineamur blandimentis. Sicut peregrinum non retinent florida prata, non liquida flumina, non amœna loca, ita nec nos, fratres, retineat pulchritudo hujus sæculi, non luxus divitiarum, nec aliqua voluptas, aut honor

sæcularis. Non solum ab omnibus superfluis, sed etiam a quibusdam necessariis more peregrini abstineamus, evitantes superfluitatem curarum, possessionum et divitiarum : *Omnis enim qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet* (*I Cor.* IX), *victum quoque et vestitum habentes, his contenti sumus* (*I Tim.* VI) : Et etiam ipsa necessaria, quantum possumus, circumcidamus more peregrini, et restringamus.

Sequitur pars secunda, in qua monet Apostolus ut bene inter gentes conversemur, dicens : *Conversationem inter gentes habentes bonam.* Hoc est quod dicit Paulus, *providentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus* (*Rom.* XII). Tria sunt, fratres mei, quæ formant bonam conversationem, innocenter vivere, nulli scandalum ponere, sed cunctis utilia et grata quærere. Et si enim aliquis est bonus in se, si tamen vero et exemplo alios scandalizat, non bene conversatur. Rursum, et si nullum offendit, sed tamen prodesse aliis contemnit, non bene inter gentes conversatur. Rursus et si neminem offendit, et aliis prodesse quærit, sed tamen hoc grate et amabiliter facere nescit, non bene inter gentes conversatur. Qui igitur innocenter in se vivit, nullum offendit, se cunctis utilia et grata quærit, bonam inter gentes habet conversationem et gratam. Quid boni confert bona conversatio? Infamiam exstinguit, ora detractorum obstruit, homines glorificare Deum facit, bono exemplo malos convertit. Propter hanc ergo multiplicem utilitatem, appetenda et conversatio bona. Unde et subdit : *Ut in eo quod detractent de vobis tanquam de malefactoribus ex bonis operibus vos considerantes glorificent Deum in die visitationis.* Itaque, fratres mei, cum omni studio appetamus bene inter gentes conversari.

Sequitur pars tertia, in qua monet omnes Apostolus ad subjectionis humilitatem, et primo liberos cum subdit : *Subjecti estote.* Ac si diceret : Et si genere vel gratia liberi estis, tamen non superbiatis, vel de prælatione contendatis, sicut faciunt amatores hujus mundi, sed potius subditi estote. Et quoniam subjectio sine merito, est vitiosa, nisi fiat quomodo debet, et cui debet, et quare debet, addit, *omni humanæ creaturæ propter Deum.* Facienda est ergo subjectio non coacte, sed sponte. Coacta enim subjectio misera est. Rursus et si fiat sponte, sed non cui debet, vitiosa est, servire enim diabolo, vitiosum est. Propterea addit, *omni humanæ creaturæ*, id est omni homini, videlicet non tantum majoribus, sed etiam æqualibus et minoribus. Hoc sequens dominus apostolicus vocat se servum servorum Dei, juxta illud : *quanto major es, humilia te in omnibus* (*Eccle.* III). Rursus subjectio, et si fiat quomodo debet, et cui debet, sed non quare debet, bona non est. Qui enim alieno se subdit indebite, ut propter temporalem intentionem, propter ambitionem et cupiditatem, subjectio talis bona non est. Propterea adjungit Apostolus, *propter Deum.* Propter eum quippe solum nos ad invicem humiliare, et invicem nos subdere debemus, qui quod præcipit ipse fecit, ut alter alteri ministraremus, et alter alterius pedes lavaremus. *Sive regi, quasi præcellenti, sive ducibus quasi a Deo missis, ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum.* Hoc est quod Paulus ait : *Non est potestas nisi a Deo, et qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Vis non timere potestatem? bonum fac, et habebis laudem ex ea. Si autem peccas, time, quia non sine causa gladium portat* (*Rom.* XIII). Ad hoc enim, fratres mei, Deus ordinavit potestates in hoc sæculo, ut bonos custodiant, malos coerceant. Qui etsi quandoque sua potestate abutuntur, punientes justos, justificantes malos, tamen Deus hoc facit provenire, ad vindictam malorum, laudem vero bonorum. *Quia sic est voluntas Dei, ut benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam*, qui quæ ignorant, spernunt, et quæ sibi displicent, damnant. *Quasi liberi* in mente, subditi scilicet estote hominibus, *et non quasi velamen habentes malitiæ libertatem*, sed generis vel gratiæ. Hic tangit quosdam, fratres mei, quibus libertas est occasio magis peccandi ; qui quanto sunt in corpore liberiores, tanto sunt ad peccandum laxiores. Et quia liberi sunt generis, fiunt servi peccati et diaboli. Sed sicut servi Dei qui nullam servitutem abhorrent, nisi servitutem peccati, et nullam libertatem plus appetunt quam libertatem mentis. *Omnes honorate*, juxta illud : *Honore invicem prævenientes* (*Rom.* XII) *Fraternitatem diligite*, et affectu et effectu. *Deum timete*, cum amore, et amate cum timore. *Regem honorificate*, juxta illud : *Cui honorem honorem, cui vectigal vectigal, cui tributum tributum* (*Rom.* XIII). Ad extremum monet servos, ut sicut conditione, ita voluntate subdantur dominis temporalibus. *In omni timore*, id est non solum servili, sed etiam filiali ; ut scilicet timeant et diligant eos. *Nec solum*, inquit, *bonis et modestis, sed etiam dyscolis*, id est asperis et immoderatis subjecti estote. *Hæc enim est gratia*, ut scilicet modestia et patientia servorum, mitiget et temperet intemperantiam dominorum. Humilitatem voluntariæ subjectionis, fratres mei, toto corde amplectemur, quoniam hæc vincit crudeles, æquanimiter patiendo ; hæc vincit superbos se humiliando ; hæc vincit iracundos, mansuetudinem exhibendo ; hæc vincit contumeliosos, nihil respondendo ; hæc vincit invidos, gloriam fugiendo ; hæc vincit cupidos, modico contenta existendo ; hæc meretur gloriam hominum, omnibus se subdendo ; hæc meretur imitationem Christi, non ministrari, sed ministrare appetendo ; hæc meretur a Deo exaltari, se semper humiliando. Quam virtutem det nobis omnipotens Dominus mente et corpore consequi, per Dominum nostrum Jesum Christum. Amen.

HOMILIA LIX.

DOMINICA TERTIA POST PASCHA.

Dixit Jesus discipulis suis : Modicum et non videbitis me, et iterum modicum et videbitis me ; quia va-

do ad patrem (*Joan.* XVI). Iturus ad passionem Dominus et Redemptor noster, ea quæ discipulis suis eventura erant, eis prædixit. Quare? triplici ratione : Ut se Deum omnium futurorum præscium demonstraret; ut discipulos contra adversa præmuniret; ut in adversis eos sperare consolationem prædoceret. Sunt autem quatuor partes hujus lectionis. Primo enim prædixit Dominus discipulis suis recessum et reditum suum. Secundo ponitur mutua interrogatio discipulorum illud non intelligentium. Tertio ostendit Dominus quid vel in recessu vel in reditu suo discipulis eventurum erat. Quarto per similitudinem illud explanat. Iturus igitur Dominus ad passionem, primo eos præmunit de recessu suo, cum dicit : *Modicum et non videbitis me.* Sed ne de absentia ejus desperarent, spondet eis quod post modicum cum viderent, cum subdit : *Et iterum modicum et videbitis me.* Et ne iterum corporali tantum præsentiæ ejus adhærerent, dicit post modicum se ascensurum ad Patrem, ut cum scilicet ad cœlum sequi desiderarent. Similiter facit, fratres charissimi, quotidie Dominus electis suis, post adversitatem dans eis consolationem, et post consolationem adversitatem. Si enim semper eis daret adversitatem in hoc mundo, desperarent, et si semper daret eis præsentem prosperitatem, ei adhærent, et futuram non desiderarent. Itaque benignus et misericors Dominus electis suis in hoc mundo nunc faciem advertit, nunc ostendit. Quasi enim faciem avertit, dum quasi eos deserens, sinit persecutionis tribulari. Faciem suam ostendit, dum eos in bono proficere facit. Sed utrumque, fratres mei, facit Dominus magna et utili dispensatione. Eos sinit turbari, ne de se præsumant; eos facit prosperari, ne deficiant. Propterea fratres, in adversis positi, semper a Deo meliora speremus, in prosperis vero semper timeamus; in adversis in Deo speremus. Quoniam, juxta Salomonem, *quis speravit in domino et confusus est?* (*Eccli.* II). In prosperis vero timeamus, quoniam *beatus est vir qui semper est pavidus* (*Prov.* XXVIII) : *Et beata* est civitas quæ in pace bellum timet.

Sequitur pars secunda, in qua discipuli ad invicem quærunt. *Quid est hoc quod aicit : Modicum et non videbitis me;* etc. *Nescimus*, inquiunt, *quid loquitur.* Sed cum illa Domini verba difficilia non sint, sed potius plana ad intelligendum, quid est hoc quod discipuli dicunt, *nescimus quid loquitur?* Nisi quia eum, quem Christum Dei Filium esse credebant, per passionem a se recessurum, et per resurrectionem rediturum ad se non credebant? Propterea quod Dominus sæpe dixerat se passurum et resurrecturum, ad litteram adimplendum esse non credebant. Sed per illa verba aliquod aliud mysterium significari æstimabant. Hinc est quod dicunt : *Nescimus quid loquitur*, id est nescimus ex quo sensu hæc verba ab eo proferantur. Rudes quippe erant et adhuc carnales, et nequaquam putabant Filium Dei decere quod ad tantam injuriarum abjectionem deveniret, quod tam viliter pateretur et moreretur. Unde et a Petro ei dictum est : *Absit hoc a te, Domine, non erit tibi hoc* (*Matth.* XVI.) Sed Dominus reprehendens hanc vanam ejus æstimationem ait : *Vade retro, Satanas, non sapis ea quæ Dei sunt* (*ibid.*). Quoniam enim in hac sententian divinæ voluntati Petrus erat adversarius, Satanas vocatur. Et ut relinqueret quæ male sapiebat, et divinam sequeretur sententiam invitatur. Petri et discipulorum Christi adhuc rudium sunt etiam hodie quidam similes, qui putant viros justos et Dei ministros nequaquam, quod hic paupertatem, abjectionem, et afflictionem patiantur, vel quod ab iniquis, contumeliis, injuriis, tormentis, et morte puniantur; æstimantes eos qui talia agunt, vel patiuntur hic a Deo esse reprobatos; et e contrario putantes eos qui hic prosperantur, esse beatos et Dei amicos. Sed talia æstimanti dicendum est, *vade retro Satanas, non sapis ea quæ sunt Dei.* Qui utique in multa tribulatione, tanquam aurum in fornace hic electos suos intendit probare, ut eos magis puriores in thesauro suo valeat collocare.

Sequitur pars tertia, in qua Dominus ea quæ prædixerat per consequentia eorum quæ inde discipulis erant eventura, confirmat, dicens : *Amen, amen dico vobis, quia plorabitis et flebitis vos, mundus autem gaudebit.* Ex eo enim quod Christum mortuum et in sepulcro positum, modico tempore non viderunt, et discipuli ploraverunt, et mundani homines, quorum vitam arguebant, gavisi sunt. Ex eo vero quod post resurrectionem eum viderunt, tristitia discipulorum conversa est in gaudium, et gaudium mundanorum hominum conversum est in tristitiam et metum. Nec solum illos, fratres mei, sed etiam quoscunque fideles, est necesse in hac valle lacrymarum tristari, plorare et flere. Qua de causa? duplici, tum propter gravem peccatorum conscientiam, tum propter cœlestis patriæ dilationem. Cum enim recordamur quæ et quanta peccata perpetravimus, et quanta pœna illis peccatis in inferno præparetur, necesse est nos plorare, quoniam lacrymæ lavant delictum, quod est pudor ore confiteri. Rursus cum meditamur inter miserias hujus exsilii, quanta beatitudo sit in cœlo præparata justis, necesse nos est flere, juxta illud : *Super flumina Babylonis illic sedimus et flevimus, dum recordaremur tui, Sion* (*Psal.* CXXXVI). Propterea hunc ergo geminum fletum germinavit, dicens : *Plorabitis et flebitis vos.* Hunc ergo geminum fletum omnes nos, fratres mei, appetere et amare debemus, ut dicamus cum Psalmista : *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. Sitivit anima mea ad Deum, fortem vivum, quando veniam et apparebo ante faciem Dei? Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte* (*Psal.* LX). Quod si nostrum cor durum et aridum fuerit, oremus continue ad Dominum, ut ipse per misericordiam suam largiatur, nobis istarum geminarum gratiam lacrymarum. Qui, etsi quandoque differat non tamen semper auferet a nobis misericordiam suam, sed nobis lacry-

narum gratiam conferet desideratam. Quod bene A significatur per Axa filiam Caleph, quæ sedens super asinam, et ad sponsum suum pergens, ploravit suspirans et dicens : *Da mihi benedictionem, pater. Australem et aridam terram mihi dedisti ; da mihi, quæso, irriguum superius, et irriguum inferius. Et concessit ei pater* (*Josue* XV). Anima quoque nostra, dum cœlestem sponsum mente petit sedens super asinam, id est bestiales motus carnis compescens et regens, suspiret et clamet ad Patrem cœlestem, et dicat : Da mihi, Domine, benedictionem tuam. Nam mentem siccam et duram dedisti, da mihi, quæso, irriguum superius, et irriguum inferius, ut videlicet tum pro peccatis meis, tum pro desiderio patriæ cœlestis plorem. Et benignus Dominus, quandoque nostram audi et petitionem. Has itaque, fratres mei, lacrymas sanctas appetamus, quoniam hæ procul dubio convertentur in gaudium ; cum gaudebimus de peccatorum nostrorum integra remissione, et de cœlestis patriæ consecutione, juxta illud : *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur* (*Matth.* V ; *Luc.* VI). Sicut e contrario mundanorum gaudium hominum, qui sic prosperantur in vita sua, ducunt in bonis dies suos, et lætantur cum malefecerint, verteturin lacrymas sempiternas, juxta illud : *væ qui ridetis, quoniam plorabitis* (*Luc.*VI).

Sequitur pars quarta, in qua Dominus dicta per similitudinem demonstrat, dicens : *Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora ejus. Cum autem peperit filium, jam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum.* Hoc est quod C per aliam similitudinem Psalmista dicit : *Qui seminant in lacrymis, in exsultatione metent. Euntes ibant et flebant mittentes semina sua. Venientes autem venient cum exsultatione portantes manipulos suos* (*Psal.* CXXV). Porro convenienter comparat Dominus animam justi mulieri prægnanti. Nam sicut mulier ex complexu viri concipit intus puerum, ita anima, per gratiam sancti Spiritus, concipit in mente, per fidem, spem, et charitatem, mercedem fructus æterni. Convenienter quoque comparat laborem et dolorem justi, in hac vita, mulieris parturitioni. Nam sicut mulier spe filii nascituri dolorem sustinet patienter, ita justus laborem et anxietatem temporalem spe æternæ hæreditatis sustinet patienter. D Convenienter etiam comparat susceptionem æterni præmii susceptioni nati filii, quoniam sicut non nisi per parturitionem suscipitur proles exspectata, ita non nisi per patientiam laboris temporalis, merces desiderata. Quod contra illos est qui per temporalem prosperitatem ad æternam patriam se putant posse pervenire. Sicut autem gaudium de puero nato facit oblivisci dolorem parturitionis, ita gaudium æternæ beatitudinis facit oblivisci laborem temporalis tribulationis, ut in comparatione gaudii æterni, labor temporalis, qui præcessit, nullus videatur, juxta illud Apostoli : *Existimo enim quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis* (*Rom.* VIII). E contrario tanta erit magnitudo pœnæ gehennalis in reprobis, quod faciet eos oblivisci gaudium æternæ prosperitatis, ut scilicet in comparatione æternæ pœnæ prosperitas temporalis tanquam fumus fuisse videatur, vel somnus. Deinde Dominus adaptans similitudinem præmissam subjungit : *Et vos quidem nunc tristitiam habetis*, subaudis de meo recessu, *iterum autem videbo vos*, post resurrectionem, *et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis.* Nos quoque fratres mei, dum in hoc sæculo tentamur et affligimur, quasi Domino nos derelinquente, tristitiam habemus, sed si adversa æquanimiter toleravimus, et in tristitiam gratias Deo egerimus, iterum post generalem resurrectionem videbit nos, et a nobis videbitur facie ad faciem Dominus ; et B gaudebit cor nostrum, et gaudium nostrum nemo tollet a nobis. Quod nobis præstare dignetur qui in Trinitate perfecta vivit et regnat Deus. Amen.

HOMILIA LX.

DOMINICA QUARTA, POST PASCHA.

Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum (*Jac.* I), etc. Quatuor facit, fratres mei, in hac lectione apostolus : Primo enim dicit omne bonum a Deo esse. Secundo ostendit nullum malum a Deo esse. Tertio ostendit quod bona dat Deus gratis. Quarto monet nos ut sectemur bona, et fugiamus mala. Ostendens igitur primo omne bonum a Deo esse, ait : *Omne datum optimum*, etc. Sunt autem, fratres mei, quatuor species bonorum. Nam bonorum, alia sunt temporalia, alia naturalia, alia spiritualia, alia cœlestia. Temporalia bona sunt, quæ a nobis exterius possidentur, ut res et possessiones, divitiæ, potestates et honores. Et hæc quidem in natura sua bona sunt, quoniam a bono creatore creata sunt, juxta illud : *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona* (*Gen.* I). Hæc autem bene utentibus eis materia sunt bene agendi, et male utentibus eis occasio male agendi ; hæc enim tantum valent bona temporalia iniquo, quod gladius furibundo. Naturalia vero bona sunt, quæ Deus confert a creatione unicuique, ut bona animæ et bona corporis. Bona animæ, ut ratio, memoria et providentia. Bona corporis ut forma, fortitudo, velocitas, et hujusmodi ; quæ similiter cum in sui natura bona sint, tamen male utentibus illis sunt mala, sicut bene utentibus sunt bona. Spiritualia vero bona sunt. ut fides, spes, charitas, sapientia, justitia, fortitudo, temperantia et cæteræ virtutes, cæteraque Spiritus sancti dona, quæ gratuita dona, sive gratiæ, dicuntur per excellentiam, quoniam gratos homines et bonos efficiunt, et a malis nec haberi nec usurpari possunt. Cœlestia vero bona sunt, immortalitas, impassibilitas, et cætera bona, quæ in resurrectione electis conferentur. De quibus dicitur quoniam *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quæ præparavit Deus diligentibus se* (*I Cor.* II). Sunt igitur istorum quatuor genera bonorum ; duo prima tam bonorum quam malorum communia, reliqua vero duo tantum

bonorum sunt, et ideo magis appetenda. Est enim tantum temporale, datum bonum, sed naturale est melius; spirituale vero est optimum. Cœleste vero donum est perfectum donum. Et tamen omne datum, sive bonum, sive melius, sive optimum, et etiam omne donum perfectum desursum est. Itaque, fratres mei, nemo se decipiat, nemo bonum quod habet, sibi attribuat, nemo suis viribus, nemo suæ industriæ, nemo suo labori, bonum quod habet sibi ascribat, sed summo et æterno Patri, a quo omne bonum descendit, gratias agat. Temporale vero bonum et naturale, quia communia sunt, etiam malorum, parva reputet. Spirituale vero et cœleste bonum nisu toto acquirere desudet, et desideriis, precibus et suspiriis ea a cœlesti Patre postulet, qui est Pater luminum omnium, sive lucis temporalis, quam in principio ad illuminandum mundum creavit, sive spiritualis, qua intus peccatores illuminat, sive æternæ quam in empireo cœlo angelis et electis suis præparavit. Et temporalem quidem lucem dat ad solatium, spiritualem ad meritum, æternam vero in præmium. Proinde, fratres mei, nos qui temporalem lucem videmus, ita ea utamur, ut per eam ad æternam veniamus. Qui vero temporalem lucem non videtis, non grave feratis, si ea luce careatis, quam perjuri et infideles, serpentes et bufones habent. Spiritualem vero lucem omnes habere studeamus, per quam ad æternam, in qua Deus videbitur, pervenire mereamur.

Sequitur pars secunda, in qua ostenditur quod mala ex Deo non sunt, cum subditur; *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Ideo, fratres mei, non est transmutatio, quoniam nulla mutatione variatur. Neque enim per generationem vel corruptionem mutatur, qui principio caret et fine; neque per augmentum vel diminutionem, qui major vel minor esse non potest, neque per alterationem vel loci mutationem, qui invariabilis et immensus est. Unde et ad eum per quemdam sapientem dictum est: « Mundum movens non moveris, locum tenens non teneris; tempus mutans non mutaris; vaga firmans non vagaris. » Sed ita creaturas ipse immutabilis mutat, non tamen eas transmutat, quoniam trans naturalem bonitatem eas per vitium non depravat, quod apertius exponitur, cum subditur: *Nec vicissitudinis obumbratio*, id est nec tenebræ vicissim obumbrantes. Ut enim Joannes ait: *Deus lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ* (*I Joan.* I). Illuminat enim, non obtenebrat. Cæterum tenebræ aliæ sunt noctis, aliæ sunt adversitatis, aliæ æternæ damnationis, aliæ peccati. Porro diem vicissim Deus obumbrat per mortem, unde ei dicitur:

Æternæ rerum conditor
Noctem diemque qui regis,
Et temporum das tempora,
Ut alleves fastidium.

Prosperitatem quoque vicissim obumbrat Deus per adversitatem. Unde et idem de se testatur: *Formans lucem et creans tenebras, faciens pacem, et creans malum* (Isa. XLV). Vitam etiam reproborum obumbrat Deus per tenebras æternæ damnationis, quoniam ipse in fine mittet eos in tenebras exteriores. Mentem quoque hominum nunquam vicissim obumbrat Deus per tenebras interiores, id est vitiorum. Ita quippe immittit mentibus claritatem virtutum, quod nunquam immittit tenebras vitiorum. Quod si legitur Pharaonem (*Exod.* IV) et cæteros malos indurasse vel excæcasse, hæc utique fecit, non immutando malitiam, sed subtrahendo gratiam. Itaque, fratres mei, bona semper dicamus nos habere a Deo non ex nobis. Et mala dicamus semper nos habere, non a Deo, sed ex nobis. Nec nos excusantes Deum accusemus more veteris Adæ, dicentes: Non possum Dei gravia præcepta adimplere; non possum vitio resistere, quoniam infirmus et impotens naturaliter sum. Hoc enim est ac dicamus; hoc non mihi, sed Deo ascribendum est, qui me talem creavit. Proh nefas, ascribimus justo iniquitatem, et pio crudelitatem, et discipuli ignorantiæ accusamus Dominum, ut videatur nescire quod fecit, et nescire quod jussit. Et quasi oblitus fragilitatis humanæ, cujus auctor ipse est, homini imposuerit mandata quæ ferre non potest. Sed, fratres mei, nemo magis novit vires nostras, quem ille qui eas nobis dedit. Nec enim aliquid impossibile imperavit, qui justus est. Nec damnaturus est hominem pro eo quod non potuit vitare, qui pius est.

Sequitur pars tertia, in qua ostenditur quod Deus dat gratis nobis sua bona, cum subditur: *Voluntarie genuit nos verbo veritatis, ut simus aliquod initium creaturæ ejus.* Quod de una gratia dicit, de cæteris omnibus intelligendum relinquit. Prima siquidem et major gratia, quam Deus hic confert nobis est, quod nos generatos, per concupiscentiam carnis filios iræ, regenerat per gratiam baptismi in filios adoptionis et misericordiæ, quod de filiis damnationis facit filios electionis, quod de filiis diaboli, facit filios Dei. Et ita quidem nos regenerat verbo, id est per verbum veritatis. Non ait per baptismum solum, quoniam et in baptismo verbum mundat. Nam si subtrahas verbum, quid est aqua baptisterii, nisi aqua? Regeneravit igitur nos in filios suos Deus per verbum veritatis, id est, per Filium suum, sive per verbum fidei, quod ipse Filius nobis prædicavit. Hoc est quod Joannes ait: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus* (*Joan.* I). Fecit autem hoc non meritis nostris, quæ nulla erant, sed voluntarie, id est, sola sua gratuita voluntate. Unde Joannes: *In hoc apparuit charitas Dei, non quasi nos dilexerimus eum, sed quia ipse prior dilexit nos* (*I Joan.* IV). Si enim quæratur quare Deus nos elegit in filios suos. Vera et absoluta est responsio, quia sic voluit. Quod inde maxime patet, quoniam necessitate non fuit coactus, qui cogi non potest, nec sua utilitate tractus, qui bonorum nostrorum non eget, non meritis nostris astrictus, quæ nulla præcesserant. Sed si aliqua merita subsequi videntur, sua procul dubio

gratia sunt, quoniam ipse operatur in nobis et velle et perficere (*Philipp.* II). Agamus igitur, fratres mei, Deo gratias, qui, ob solam suam gratuitam voluntatem, nos a numero reprobornm segregans, in filios suos elegit, beneficiis suis cumulavit, nobis æternam beatitudinem præparavit, si tamen in gratia baptismi per-everaverimus, si ejus mandatis obsecuti fuerimus. Porro ad quid nos voluntarie genuit verbo veritatis? *Ut simus initium aliquod creaturæ ejus*, ut videlicet in illam dignitatem et principalitatem creaturarum repararemur, in qua creati fuimus. Homo enim initium creaturarum est, non tempore, sed causa et dignitate. Tempore enim non est homo initium creaturarum, quoniam non homo ante cæteras creaturas, sed potius cæteræ creaturæ ante hominem creatæ sunt. Causa vero est homo initium creaturarum, quoniam cæteræ propter hominem, non homo propter creaturas creatus est. Dignitate etiam est homo initium creaturarum, quoniam cæteris creaturis dominii et rationis prærogativa antecellit. Vindicemus igitur, fratres mei, divina nobis opitulante gratia, prærogativam et dominium quod habuimus a principio in creaturis. Non subdamus nos per avaritiam rebus temporalibus, sed potius eis dominemur. Non admiremur eis, sed potius contemnamus eas in obsequium Dei, et in nostram proximique necessitatem expendamus.

Sequitur pars quarta, in qua monet nos Apostolus sequi bona et vitare mala, cum subdit : *Sit autem omnis homo velox ad audiendum*, subaudis verbum Dei. Ad audiendum enim vaniloquia, scurrilitates, adulationes, detractiones, et blaphemias, non aures aperire, sed potius obturare debemus, ne per eas venenosa verba introeuntia animam valeant suffocare. Unde Sapiens : *Sepi aures tuas spinis, ne audiant linguam nequam* (*Eccl.* XXVIII). — *Tardus*, inquit, *ad loquendum, et tardus ad iram*. Quoniam Apostolus simplicioribus loquebatur, monet eos ut veloces sint ad audiendum verbum Dei, et tardi ad loquendum, quoniam veritas tutius auditur quam prædicetur. Hoc contra illos qui antequam noverint esse discipuli, fiunt magistri : Et quod non didicerunt, docere præsumunt. Sed omnis homo, fratres mei, magis auribus quam lingua debet uti; et cum loquitur, cum præconsideratione loquatur, juxta illud Sapientis : « Cum vis aliquid alieno dicere, prius dic tibi. » Cæterum, istam tarditatem ita moderemur, ut nec loquamur ante tempus, nec cessemus in tempore. Nam sicut vitiosa est festinantia nimia loquendi, ita et nimia tarditas. Scriptum est enim : *Væ mihi, quia tacui !* (*Isa.* VI.) Non enim murum, sed ostium quod nunc clauditur, nunc aperitur, orat Propheta ori suo apponi, dicens : *Pone, Domine, custodiam ori meo et ostium circumstantiæ labiis meis* (*Psal.* CXL.) Non autem eo modo intelligi debet, quod dicitur tardus ad iram, quo intelligitur tardus ad loquendum. Non enim sicut aliquando loqui, ita aliquando bonum est irasci, sed præcipitur nobis ut si semper iram vitare non possumus, saltem quantum possumus evitemus ipsam, iræque motum surgentem statim refrenemus et retardemus, quoniam mora et tarditas remedium iræ est, et ira cum retardatur, mitigatur. *Ira*, inquit, *viri justitiam Dei non operatur*. Litotes est, minus dicens, et plus significans. Cum enim mens viri ira perturbatur, injustitiam operatur. Propterea, fratres, discite iram vitare, et mites mansuetique esse; quoniam quanto magis eritis mansueti et tranquilli, tanto eritis magis Deo similes et propinqui, in quem nullus motus cadit. Ut autem iram et injustitiam vitare valeatis, radices earum a vobis abjicite, omnem immunditiam, et abundantiam malitiæ; ut videlicet non sitis immundi in vos corde, nec malitiosi in proximos; et ita cum mansuetudine obedientiæ *suscipite verbum insitum*, id est seminatum in vobis. Ordo, fratres mei, congruus est, quoniam nisi prius evellantur a nobis spinæ et tribuli immunditiæ et malitiæ, cæterorumque vitiorum, non poterit in nobis germinare verbum. Scriptum est enim : *Declina a malo et fac bonum* (*Psal.* XVI). Itaque, fratres mei, spinas scilicet vitiorum a cordibus vestris prius evellite ut ita prædicatum Dei verbum in vobis valeat fideliter adhærere, per jugem memoriam in vobis radices figere, per crebram meditationem in vobis exercere, per bonam voluntatem florere, per bona opera fructificare, per perseverantiam animas vestras salvare, operante in vobis Dei verbo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LXI.

DOMINICA QUARTA POST PASCHA.

Vado ad eum qui misit me, et nemo ex vobis interrogat me : Quo vadis? (*Joan.* XVI.) Iturus Dominus et Redemptor noster, fratres charissimi, per passionem ad Patrem, discipulis suis suum prædixit recessum, ne, si subito et ex improviso recederet, eos ultra modum mœstificaret. Prædicit igitur eis, sicut in hac lectione audivimus, quatuor : quod ad patrem iret, quod hoc eis expediret, quod consolatorem eis mitteret, et quod bona eis ipse consolator conferret. Primo igitur prædicit se iturum ad Patrem, cum subdit : *Vado ad eum qui misit me*. Quid est Domine, quod dicis ? Tu semper es cum Patre, et Pater semper tecum, quomodo ad eum ire potes, cum quo semper unum et idem es? Nonne cum hoc dicis in terra, tu es cum Patre in cœlo, et Pater tecum in terra ? Fratres mei, quomodo Filius Dei descendit a Patre in terram, et ita a mundo ascendit ad Patrem? Descendit humiliatus, ascendit glorificatus; descendit per humilitatem incarnationis, ascendit per sublimationem glorificationis. Descendit quippe per humiliationem, per dissimilitudinem, per loci obscuritatem. Per dissimilitudinem, quia de Creatore factus est creatura, et de impassibili passibilis. Per loci obscuritatem, quia qui in cœlo magis esse cernitur, per loci puritatem, apparuit incarnatus in mundo, in quo Deus minus esse videtur per loci obscuritatem. Ascendit quoque per glorificationis exaltationem, juxta illud : *Gloria et honore coronasti eum* (*Psal.* VIII).

Ascendit et per dissimilitudinis accessionem : quia de passibili factus est impassibilis; de mortali immortalis. Ascendit et per loci puritatem, quia secundum carnem ascendit ad illum locum ubi divinitas clarius apparet per elementi puritatem. *Et nemo, ex vobis interrogat me : Quo vadis?* Cum enim videbitis me ascendentem in cœlum, non erit opus vobis interrogare quo vadam, videntes quod ad cœlum ascendam. Qui enim interrogat, dubitat. Sed quamvis sciatis me ad Patrem ire, ad quem utique ire gloria et gaudium est, tamen inde tristitia implebit cor vestrum. Si enim, fratres charissimi, in recessu alicujus amici et familiaris nostri, non possumus non tristari, quomodo discipuli in recessu summi magistri Dei et Domini nostri, tam sibi dilecti, potuerunt non contristari? Propterea necessarium erat eis ut hæc eis dicerentur, et ut consolatio cito adfutura eis promitteretur. Porro, fratres mei, omnis Christi actio, Christiani est eruditio. Sicut enim Christus est Filius Dei per naturam; ita Christianus est Filius Dei per gratiam. Sicut ergo est generatus a Patre ineffabiliter; ita Christianus est regeneratus per baptismum a Deo Patre invisibiliter. Sicut Christus est missus in mundum, ut Patris impleret dispensationem, ita Christianus est missus a Deo Patre in mundum, ut ejus impleat voluntatem. Si ergo ad exemplum Christi Christianus nec loquitur, nec operatur ex se, sed ex Deo, Patris quærit gloriam, consummato sic bene termino hujus vitæ, potest et etiam dicere cum Christo : Vado ad eum qui me misit, et nemo de hujusmodi transitu justi debet dubitare vel interrogare : Quo vadis? ut quidam sæculares minus credentes solent dicere : Quis scit quo vadunt animæ morientium? Sed fidelis non interrogat, nec dubitat, sed scit absque dubietate animam justi ad requiem sibi a Deo præparatam ire. Quod quamvis ita verum sit, tamen fidelis justi obitum sine tristitia non potest aspicere, quoniam pium est gaudere Martino, et pium est flere Martinum.

Sequitur pars secunda, in qua Dominus ostendit ascensum suum ad Patrem discipulis expedire, cum subjungit. *Sed ergo veritatem dico vobis, expedit vobis ut ego vadam*, et quare expediat subjungis : *Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos.* Quid est Domine, quod dicis? Nonne tecum erat et est Spiritus paracletus inseparabiliter? Nonne etiam eum in terra discipulis dedisti? Propterea quomodo non potest venire Paracletus, qui essentialiter ubique est? Venire, fratres mei, Spiritum sanctum in nos, nihil aliud est quam donum et gratiam ejus venire in nos. Et gratiam quidem Spiritus sancti jam dederat Dominus discipulis in terra, sed non ita plenarie sicut in die Pentecostes. Sed quare, fratres mei, nisi Dominus ejus ad Patrem iret, Spiritus sanctus ad discipulos non plenarie veniret? Quia quandiu discipuli Dominum carnaliter videbant, non altius mentem suam ad contemplationem deitatis erigebant. Propterea auferenda erat eis species corporalis, et in cœlum ipsis cernentibus subvehenda, ut mente Dominum sequerentur ad cœlum, et illuc semper desiderio suspirarent, quo Dominum ascendisse conspexissent. Sed etiam hodie, fratres mei, nisi subtrahatur nobis ad tempus consolatio temporalis prosperitatis, non erigitur desiderium nostrum ad gaudia æternæ consolationis. Propterea erat sponsa in Cantico amoris dicens : *Fuge, dilecte mihi, et assimilare capræ, hinnuloque cervorum, super montes aromatum* (*Cant.* VIII). Capra hinnulusque cervorum, cum forte ab homine videntur, quam cito fugientes, se subito subtrahunt humanis aspectibus. Est ergo, ac si dicat sponsa : Si ita, Domine Jesu Christe, est necessarius mihi temporalis et corporalis recessus tuus, fuge per corporalem recessum super montes contemplationum et virtutum, ut illuc te sequatur desiderium nostrum. Oremus et nos fratres mei, Domine Jesu Christe, si scis nobis expedire subtrahatur a nobis consolatio temporalis prosperitatis, ut magis ac magis exigatur desiderium nostrum ad gaudia perpetuæ consolationis.

Sequitur pars tertia, in qua promittit Dominus se missurum discipulis Spiritum sanctum cum subdit : *Si autem abiero, mittam eum ad vos.* Ac si diceret : Non contristemini de recessu meo corporali, quoniam non relinquam vos orphanos, non relinquam vos desolatos, sed mittam vobis consolatorem. Vocatur autem consolator Spiritus sanctus, quoniam ejus est inspirare mentibus consolationem, dolentibus remedium, inconsultis consilium, insipientibus sapientiam, tristibus, jucunditatem. Unde Propheta : *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam* (*Psal.* XCXIII). Et idem de eodem : *Qui sanat contritos corde, et alligat contritiones eorum* (*Psal.* CXLVI). Quia ergo tanta et tam utilis consolatio non potuit dari apostolis, nisi Dominus ab eis corporaliter recederet, orandum fuit eis, ut ipse ab eis ad tempus corporaliter absentaretur, quatenus Spiritus sancti super excellens consolatio eis invisibiliter præberetur. Orandum quoque est et nobis, fratres charissimi, quantumvis temporalis prosperitatis consolatio nobis ad tempus subtrahatur, ut Spiritus sancti consolatio nobis invisibiliter præbeatur.

Sequitur pars quarta, in qua ostenduntur quatuor commoda, quæ Spiritus sanctus erat discipulis collaturus, correctio scilicet, doctrina, phophetia et virtus. Quod correctionem esset eis daturus, ostenditur, cum dicitur : *Cum autem venerit ille, arguet mundum de peccato, de justitia et de judicio.* Arguit enim Spiritus sanctus mundanos homines, vel per ora prædicatorum, vel per interiorem inspirationem. Per ora prædicatorum, sicut per Joannem clamat : Genimina viperarum, quis docebit vos fugere a ventura ira? Agite dignos fructus pœnitentiæ (*Matth.* III). Per interiorem inspirationem, ut quando sine prædicatore interiorem inspirat compunctionem. Unde David ad Dominum : *Commovisti*, inquit, *terram*, id est terrenam mentem, ut a securitate sua mota timeret *et conturbasti eam* (*Psal.* LIX), ut a se diffide-

ret. Sed quia, Domine, diabolicum est, non tuum, ad desperationem impellere, *sana* per gratiam *contritiones ejus, quia commota est* (*Ibid.*). Arguit autem Spiritus sanctus mundum de tribus: de peccato infidelitatis, quod exponens subdit : *Quia non crediderunt in me*, cum me scilicet carne præsentem viderent. Arguet et de justitia, de justitia scilicet fidei. Justitia autem fidei est credere quod non vides, quod ipse exponens subdit : *Quia ad Patrem vado, et jam non videbitis me.* Quasi diceret: Arguet eos, quia nec in me præsentem in carne, nec in me ad dexteram Patris sedentem, credere noluerunt. Arguet et de judicio, id est, de damnatione, quia inquit, *princeps hujus mundi jam judicatus est.* Quasi diceret : Incutiet eis timorem, ne damnantur, sicut diabolus damnatus est. Quod si collaturus doctrinam, ostendit cum dicit : *Quoniam adhuc*, inquit, *multa habeo vobis dicere, quæ non potestis portare modo. Cum autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*, subaudi necessariam. In quo Dominus tradit doctoribus formam æstimandi personam cui loquuntur, ut videlicet simplicioribus simpliciora, et perfectis perfectiora dogmatizent. Hoc contra quosdam est qui simplicibus, quibus subtiliora et obscuriora prædicant, vel plana, verbis obscurioribus obnubilant, volentes magis quantum sciant aliis ostentare, quam prodesse: Cum Doctor doctorum, Dominus Jesus Christus, *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi* (*Col.* II), simplicia et simplici sermone simplices docuerit, servans locum Spiritui sancto, qui in die Pentecostes rudes subito fecit sapientes. Et cum doctor gentium dicat : *Ego non potui loqui vobis tanquam spiritualibus, sed tanquam carnalibus; tanquam parvulis in Christo lac potum dedi vobis non escam* (*I Cor.* III). *Cum autem*, inquit, *venerit ille Spiritus*, etc. Sicut Spiritus sanctus vocatur spiritus consilii, et spiritus consolationis, ita dicitur spiritus veritatis. Et quare? Subdit : *Quia docebit vos omnem veritatem*, subaudi, vobis necessariam. Et hoc ad differentiam malignorum spirituum, qui dicuntur spiritus erroris et falsitatis, quoniam docent omnem errorem et falsitatem. Qui etsi nonnunquam dicant aliqua vera, tamen illa dicunt ad decipiendum. Unde miror illorum dementiam, qui diabolum consulere et illi credere non verentur, nec timent. Insanissimum quippe est, inimicum salutis suæ, de salute sua consulere. Ut autem ostendatur eadem esse operatio Filii et Spiritus sancti, non alia docebit Spiritus sanctus, nisi ea quæ Filius habebat docere, si discipuli portare potuissent. *Non enim*, inquit, *loquitur a semetipso*, sed sicut est a Patre et Filio, ita scit et loquitur a Patre et Filio, audire quippe Spiritus sancti a Patre et Filio, nihil aliud est quam scire a Patre et Filio. Quod autem collaturus sit Spiritus sanctus prophetiam, ostendit cum subdit : *Quæ ventura sunt, annuntiabit vobis.* Quod impletum est in Joanne evangelista, qui per Spiritum sanctum Apocalypseos librum, scilicet propheticum, scripsit; et in Agabo propheta, et filiabus Philippi, qui in spiritu futura prædixerunt. Quod vero collaturus sit gratiam virtutum ostendit, cum subdit : *Ille me clarificabit.* Clarificabit quippe me, cum discipulos meos faciet in nomine meo virtutibus et signis coruscare. Clarificabit me, cum claritatem meam faciet per universum mundum innotescere. Itaque, fratres mei, oremus illum Paracletum, illum spiritum consilii, spiritum consolationis, et doctorem veritatis, ut arguat intus nos de peccato; commoverat intus temeritatem mentis nostræ, faciat peccata nostra nobis displicere, arguat nos et statuat contra faciem nostram, ut turpitudinem nostram erubescentes, nos accusemus, peccataque nostra ploremus, ut ipse per misericordiam suam sanet nos, *qui sanat contritos corde, et alligat contritiones eorum* (*Psal.* CXLVI). Cui est honor et gloria per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LXII.

DOMINICA QUINTA POST PASCHA.

Estote factores verbi, et non auditores tantum, fallentes vosmetipsos (*Jac.* I), etc. In hac lectione, fratres charissimi, hortatur nos apostolus Jacobus, ut non tantum audiamus verbum Dei, sed etiam faciamus. Ostendens primo cui sit similes ille, qui tantum est auditor verbi Dei. Secundo quid boni consequatur ille qui ejus est factor. Tertio ostendit quæ sit falsa religio. Quarto quæ sit vera. Ostendit igitur primo de auditore verbi Dei, et non factore, quid patiatur, quoniam scilicet a seipso fallitur. Frustratur enim hic opinio illius, quia est falsa; et in futuro spes ejus, quia erit vana, quoniam nihil proderit ei in futuro verbum Dei audivisse quod noluit facere. Et hoc ostendit per similitudinem, dicens : *Quia si quis est auditor verbi et non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suæ in speculo. Consideravit enim se et abiit, et statim oblitus est qualis fuerit.* Sicut enim illi nihil profuit vultum suum vidisse in speculo, qui statim oblitus est, ita nihil prodest verbum Dei audivisse ei qui noluit facere, imo etiam nocet. Unde Dominus ait de Judæis : *Si non venissem, et locutus eis non fuissem, peccatum non haberent* (*Joan.* XV); subaudi tantum quantum habuerunt, quia audierunt, et non fecerunt. Et alibi : *Servus sciens voluntatem Domini sui, et non faciens plagis vapulabit multis* (*Luc.* XII). Et apostolus Petrus : *Melius est viam veritatis non agnoscere, quam post agnitionem ejus retro abire* (*II Petr.* II). Nemo igitur, fratres, vestrum se fallat, putans se misericordiam invenire, ideo quod frequenter audit missam, et legem Dei, et prædicationem. Qui enim audit et non obedit, seipsum plus obligat et fallit. Sed et propterea nemo dicat, ut quidem solent; Non audiam verbum Dei, quoniam si audirem et non obedirem, magis reus fierem. Nemo fratres hoc dicat, quoniam *ignorans ignoraliitur* (*I Cor.* XIV). Et iterum : *Verba oris ejus iniquitas et dolus; noluit intelligere ut bene ageret* (*Psal.* XXXV). Ignorantia quippe, quæ nascitur ex contemptu, neminem excusat, sed potius accusat, præsertim in re

quam necessarium fuit scire. Sicut igitur reus est, qui verbum Dei audit, et non obedit, ita reus est, ut qui obediret, audire noluit. Comparat autem apostolus satis convenienter sacram Scripturam speculo, quoniam sicut mulieres sponso suo placere cupientes, aspiciunt vultum suum in speculo, ut fœda corrigant et pulchra plus ornent, ita animæ fideles Christo placere cupientes, aspiciunt se in sacra Scriptura, ut ea quæ in se turpia sunt emundent, et pulchra plus ornent. Consideremus igitur, fratres, vultum id est cognitionem, nativitatis nostræ in speculo hujus Scripturæ Job: *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore repletur multis miseriis* (*Job* XIV). Et possumus considerare hic qualis sit homo, quia scilicet per conceptionem reus, per brevitatem vitæ semper formidolosus, per miserias culpæ et pœnæ calamitosus.

Sequitur pars secunda, in qua ostenditur quid boni consequatur factor verbi, cum subditur : *Qui autem perspexerit in lege libertatis, et permanserit in ea, factus factor operis, non auditor obliviosus, hic beatus in facto suo erit.* Legem libertatis vocat hic apostolus Evangelium, quoniam liberat nos a servitute veteris legis, a servitute peccati, et a servitute diaboli. In qua qui perspexerit intelligendo, et permanserit in ea assidue meditando, factus factor operis obediendo, non auditor obliviosus, hic beatus in facto suo erit. Sunt autem, fratres mei, quidam qui in lege perspiciunt bene eam intelligentes, sed non permanent in ea, nisi quandiu in ea lucra perspiciunt temporalia, ut sunt quidam prædicatores et sacerdotes. Sunt et quidam qui in ea assidue permanent, meditando, legendo, et inquirendo, ut quidam studiosi magistri, sed non ad hoc ut eam faciant, sed ut sapientes appareant; Sed nec isti, nec illi sunt beati, sed solus factor legis erit beatus.

Sequitur pars tertia, in qua ostenditur quæ religio sit falsa, cum subditur : *Si quis autem putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio.* In uno exemplo ostendit quod universaliter intelligitur. Universaliter quippe illa religio est falsa, quæ cum cætera vitia caveat, unum cavere negligit. Sicut enim non est aliquis sanus, nisi omnia morborum genera evitaverit, ita nullus vere religiosus erit, nisi omnia vitiorum genera saltem criminalia evitet. Sunt enim, ut hic legitur, quidam qui cum ecclesiam frequentent, jejunent, orent, contineant eleemosynas tribuant, cæteris evitatis vitiis, linguam solam non refrenant, sed seducunt cor suum, quia quanto se putant religiosiores et a peccato liberiores, tanto sunt in lingua effreniores, aliorum peccata judicantes, detrahentes, maledicentes, vaniloquio dediti et multiloquio. Sed horum vana est religio, quia, ut ait Salomon : *Mors et vita in manibus linguæ* (*Prov.* XVIII). Et idem Jacobus : *Sicut modicus ignis magnam incendit silvam, ita et lingua cum modicum sit membrum totam contaminat vitam* (*Jac.* III). Similiter sunt alii in Ecclesia, qui cum corpus edomuerint, luxuriam evitaverint, linguam refrenaverint, et cætera vitia fugerint, tamen avaritiam non cavent, dicentes se providere vel filiis vel filiabus, vel familiæ vel pauperibus, et ita cor suum seducunt, cum scriptum sit : *Omnis avarus, quod est idolorum servitus, non habet partem in regno Christi et Dei* (*Ephes.* V). Itaque, fratres mei, omni custodia custodite cor vestrum. Quid enim valet cæteras portas urbis observasse, si per unam hostis intraverit? Itaque, fratres mei, nihil valet cætera vitia evitasse, si unum adhuc remansit.

Sequitur pars quarta, in qua ostenditur quæ sit vera religio, cum subditur : *Religio sancta et immaculata apud Deum et Patrem hæc est, visitare*, etc. Quasi diceret : Hic est vere religiosus, qui apud Deum Patrem et propter Deum Patrem est sanctus et immaculatus. Et in quo sit sanctus ostendit, cum subdit : *Visitare pupillos in tribulationibus eorum.* In quo vero sit immaculatus ostendit, cum subdit : *Et immaculatum se custodire ab hoc sæculo.* Religio, fratres mei, est cultus Deo debitus. Dicitur autem religio a religando, quia scilicet nos religat et confœderat uni Deo. Consistit autem in tribus, ut hic innuit Jacobus, in timore Dei, in puritate sui, in dilectione proximi. In timore Dei non servili sed filiali, ut scilicet sit timor cum amore, et amor cum timore. Deus enim timendus est, quia est Deus, et amandus quia est Pater. In timore igitur et amore Dei, et in observantia mandatorum ejus, consistit vera religio. Unde Salomon : *Time Deum, et mandata ejus observa ; hoc est omnis homo* (*Eccle.* XII). Observantia vero mandatorum Dei consistit in duobus : in puritate sui, ut scilicet se custodiat homo immaculatum a vitiis hujus sæculi, et in dilectione proximi, ut scilicet visitet pupillos, viduas et egentes in tribulationibus eorum. Itaque fratres, timeamus pariter et diligamus Deum, ex timore caventes eum offendere, et ex amore ei obedire studentes. Custodiamus propter amorem ejus nos immaculatos a vitiis hujus sæculi, ab ingluvie, a luxuria, a cupiditate, ab avaritia, ab invidia, ab ira, a superbia et a cæteris vitiis, et his contrarias virtutes amplectamur, abstinentiam, continentiam, mundi contemptum, munificentiam, mansuetudinem, amorem, humilitatem, cæterasque virtutes. Visitemus etiam egentes in tribulationibus suis, pascendo esurientes, potando sitientes, hospitando peregrinos, vestiendo nudos, visitando infirmos et incarceratos, redimendo captivos, sepeliendo mortuos, errantes corrigendo, inconsultis consulendo, et cætera opera pietatis exercendo. Hæc enim, fratres, hæc est sancta et immaculata religio, cujus et meritum et præmium det nobis omnipotens Dominus. Amen

HOMILIA LXIII.

DOMINICA QUINTA POST PASCHA.

Dixit Jesus discipulis suis : Amen amen dico vobis si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis (*Joan.* XVI), etc. Quadripartita est lectio ista, fratres mei. Primo enim instruit Dominus discipu-

los suos ad petendum, secundo prædicit eis quando recte scient petere, tertio ostendit tunc Patrem ad audiendum eos fore propitium, quarto subjungitur discipulorum responsio. Primo enim instruens discipulos suos ad petendum, ait : *Amen amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Iis verbis instruit nos Dominus, fratres mei, ut si volumus petitum dari nobis, petamus quid, et a Patre, et in nomine Jesu Christi. Et si ista tria concurrerint, confirmat, per duplicationem affirmativi adverbii, *amen*, quia dabit nobis. Ille petit quid, id est, aliquid, qui petit illam unam petitionem, quam Psalmista postulat, dicens : *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ* (*Psal.* xxvi). Et de qua Dominus alibi, *primum quærite regnum Dei et justitiam ejus* (*Matth.* v.). Illud enim in comparatione temporalium bonorum, vere est quid, quia est perpetuum, immutabile et sufficiens. Quidquid vero temporale est non est vere quid, quia est variabile, labile et insufficiens : Unde illorum nullum satiat habentes. De quibus Salomon, *Vanitas vanitatum et omnia vanitas* (*Eccle.* i). Non enim vere est, quod modo est, modo non est. Qui ergo tale petit, quidquam non petit. Unde et hic Dominus subjungit : *Usquemodo non petistis quidquam in nomine meo.* Multa siquidem petierant discipuli a Domino. Petierant Jacobus et Joannes ut sederent, alter ad dexteram, et alter ad sinistram ejus in regno suo (*Matth.* xx). Petierant, ut ignis de cœlo combureret Samaritanos (*Luc.* ix). Petierat beata Virgo vinum in nuptiis. (*Joan.* ii). Petierant discipuli salutem filiæ Chananææ (*Matth.* xv) : et tamen dicit eis Dominus, *usquemodo non petistis quidquam.* Quia enim temporalia quærebant, quidquam non petebant, sed quid petere debeant, ostendit, cum subdit. *Petite et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum.* Et accipietis, subaudis, si a Patre et in nomine Jesu petatis. In hac vita, fratres mei, non potest esse plenum gaudium, sed particulare, insufficiens, et breve. Particulare, quoniam si in aliquo succedit, huic homini non succedit. Insufficiens, quoniam in quo ei succedit, in eodem optat melius adhuc succedere sibi. Breve, quoniam, ut ait Salomon : *Risus dolore miscebitur, et extrema gaudii luctus occupat* (*Prov.* xiv). Cæterum e contrario in futura vita erit plenum gaudium, quoniam erit universale, sufficiens et æternum : universale, quoniam in omnibus bene succedet, sufficiens quoniam nemo melius sibi succedere volet ; æternum, quoniam nullus mœror ei succedet. Itaque, fratres mei, edocti a Domino, non petamus mala a Domino, ut quidam faciunt, petentes damnum proximi, vel mortem inimici. Nec petamus a Domino vana ut quidam faciunt petentes divitias, glorias, honores, voluptates, et gaudia mundana, sed potius petamus immutabile bonum, petamus ut gaudium nostrum sit plenum. Sed et si quando temporalia bona petimus, propter regnum cœlorum et ad regnum cœlorum ea petamus. Non nego enim A fratres mei, a domino petenda esse temporalia, præsertim cum Ecclesia quotidie oret pro pace, pro sanitate, pro fertilitate, sed ista cum finis rectitudine, et cum conditionis discretione petenda sunt. Qui enim ea propter se, non propter regnum cœlorum consequendum petit, male petit, nec exaudiri mereretur. Unde Jacobus, *Petitis et non accipitis, eo quod male petatis* (*Jac.* iv), ut in concupiscentiis vestris insinuatis. Rursus, qui sine conditionis discretione petit temporalia, stulte petit, nec exaudiri meretur. Indiscrete petit Paulus a se tolli angelum Satanæ, qui utique sibi necessarius erat ad conservationem humilitatis, unde nec exauditur, sed ei dicitur : *Virtus in infirmitate perficitur* (*II Cor.* xii). Unde idem de se ibidem dicit : Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis, B angelus Satanæ qui me colaphizet. Proinde, fratres mei, regnum Dei propter se et principaliter petamus; temporalia vero non propter se, sed propter illud, et cum conditionis discretione ; ut videlicet det nobis ea, si placet, et si scit ea nobis expedire, qui novit melius nobis quæ expediant nobis. Quem modum petendi ipse nobis exemplo sui demonstravit, qui cum conditione calicem passionis a se transferri rogavit, dicens : *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste* (*Matth.* xxvi). Cœlestium vero et spiritualium bonorum tanta est dignitas, quod ea absolute et sine conditione postulamus. A quo petere debemus ? A Deo Patre. Porro cum Pater, et Filius, et Spiritus C sanctus sint unus auctor et donator, tamen omnes ferme orationes dirigit Ecclesia ad Patrem, paucas ad Filium, pauciores ad Spiritum sanctum. Sed præcipiente mediatore nostro Jesu Christo, a Patre omnia bona petamus, quoniam ipse est principium Filii et Spiritus sancti, omniumque bonorum. Unde et in oratione Dominica ad Deum Patrem dirigimus sermonem, vocantes eum Patrem, quoniam more patris pius est super nostras petitiones justas, si per obediendiam et sanctitatem digni ejus filii existimus ; alias tanquam degeneres et indignos minime nos audit. Scriptum est enim. *Qui obturat aurem suam ne audiat legem, oratio ejus exsecrabilis est* (*Prov.* xxviii); et Isaias: *Cum levaveritis ad me manus vestras, avertam faciem meam a vobis, et cum multi-* D *plicaveritis orationes, non exaudiam vos. Manus enim vestræ sanguine plenæ sunt* (*Isa.* i). In quo petere debemus ? in nomine, id est in fide Jesu Christi. Quod utique facimus, si veri Christiani Christi veram fidem et doctrinam tenemus. In Christo enim, et per Christum mediatorem nostrum, qui est auctor et actor nostræ redemptionis, per quem habemus accessum, et qui pro nobis interpellat apud Patrem salutem a Patre obtinebimus. Unde et omnes fere orationes *Per Dominum nostrum Jesum Christum*, concludentur : Quoniam non est aliud nomen in cœlo, nec in terra in quo oporteat nos salvari (*Act.* iv). Quia ergo Judæi et pagani, falsique Christiani, in fide Christi non petunt, æternam salutem obtinere non possunt. Itaque, fratres mei, si petieritis quid, et a

Patre, in nomine Jesu Christi, illud procul dubio Pater dabit vobis. Non ait illis, Pro quibus petetis? Nam prava vita reproborum multoties obstat ne Dominus orationes pro eis factas exaudiat. Unde Dominus per prophetam : *Et tu, fili hominis, non assumas laudem et orationem pro populo isto, quoniam non exaudiam te* (*Jer.* IX). Et alibi, *si steterint Moyses et Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum* (*Jer.* XV). Ac si diceret : Nec etiam eos qui in impetratione orationis probantur viguisse, audiam pro istis, sed et si fratres mei, non dabitur pro quibus reprobis postulaveritis, tamen dabitur vobis, quoniam vos de opere pietatis, sine mercede non eritis, juxta illud Psalmistæ, *Et oratio mea in sinu meo convertetur* (*Psal.* XXXIV). Et illud Evangelii : *Et si fuerit ibi filius pacis, requiescet super eum pax vestra. Sin autem ad vos revertetur* (*Luc.* X). Illud quoque notandum est, quoniam non ait, mox dabit vobis, quoniam et si Dominus differt, tamen non aufert petitiones vestras, sed prorogat, ut vos magis rogetis, et magis mereamini. Qui tamen post longam instantiam procul dubio dabit vobis, quoniam vult ut Pater, et potest ut Deus. Quoniam vero prædicta Evangelii verba apostolis adhuc simplicibus plana et aperta videbantur, et ideo aliquando aliquid petentibus et non consequentibus, non vera esse videantur, ostendit Dominus ea subtilius quam sonarent, perscrutanda, cum subdit : *Hoc in proverbiis locutus sum vobis*. Proverbium quippe est sermo brevis et planus, subtilius quam sonet intelligendus.

Sequitur pars secunda, in qua prædicit Dominus discipulis, quando recte scient petere, cum subdit : *Venit hora cum jam non in proverbiis loquar vobis, sed palam de Patre annuntiabo vobis*. Hæc hora, fratres, fuit post ascensionem et Spiritus sancti missionem, quando illa verba quæ discipulis prius minus intelligentibus, fuerant proverbia facta, sunt ad intelligendum plana et aperta, quando et per Spiritum sanctum de arcanis Dei Patris, Filius eos altius instruxit : de qua hora et suddit : *In illo die, in nomine meo petetis*. Tunc enim tantum æternam salutem, vel ad eam petierunt. Utinam, fratres mei, et vos et nos, Dominus per Spiritum sanctum suum intus invisibiliter erudire dignetur, ut verba sacræ Scripturæ, quæ nobis sunt quasi obscura proverbia, fiant nobis lucida et aperta, quatenus de Dei gloria et dulcedine altius valeamus intelligere, et per contemplationem degustare, ut omnibus spretis temporalibus, eam solam desideremus et flagitemus, dicentes cum Psalmista : *Quid enim mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram?* (*Psal.* LXXII.) Nemo, fratres, in ingenio suo, nemo de studio suo, ut quidam faciunt, scripturas intelligere præsumat : Quoniam nisi clavis David, quæ aperit et nemo claudit, claudit et nemo aperit (*Apoc.* III), nobis aperiat, clausus erit nobis sanctarum liber Scripturarum : Et clausa erit nobis contemplatio divinæ dulcedinis, de qua ait Psalmista : *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te* (*Psal.* XXX). Abscondisti a negligentibus, et revelasti timentibus te. Hoc est quod Dominus ait : *Abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis* (*Matth.* II ; *Luc.* X). Potest etiam, fratres, et hæc hora intelligi vita futura, quando non jam exterius per proverbia loquetur Dominus, sed rebus ipsis nobis loquentibus, palam de Patre annuntiabit nobis, juxta quod Paulus ait : *Videmus nunc per speculum et in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc cognoscam sicut et cognitus sum* (*I Cor.* XIII). *In illo*, inquit, *die in nomine meo petetis*. Rutilante quippe æterni diei sole animabus sanctorum, non jam temporalia, sed solam stolam immortalitatis, et sibi jam alteram habentibus, et fidelibus adhuc in terra laborantibus utramque noverint postulare.

Sequitur pars tertia, in qua ostendit Dominus Patrem fore pronum ad audiendum discipulos, quando petierint in nomine suo dicens : *Et non dico quia rogabo Patrem pro vobis, ipse Pater amat vos*. Ac si dicat : Tunc quando petetis Patrem in nomine meo, dico quia non rogabo tunc Patrem pro vobis, tanquam durum ad audiendum vos. Ipse enim Pater amat vos, sicut et ego, et propitius erit ad audiendum vos. Patet igitur, fratres mei, per contrarium, quoniam qui divitias, vel honores, vel aliquid temporale petit a Patre, non petit illa a Patre in nomine Jesu, id est ad salutem æternam, sed potius ad explendam voluntatem suam ; procul dubio in tali petitione durum, et difficilem inveniet Patrem. Sed si forte dederit ei requisita, dabit ea in ira sua. Sed quid est cum subjungit : *ipse Pater amat vos, quia vos me amastis, et quod quia a Deo exivi creditis*. Nunquid discipuli prius tempore vel causa amaverunt Dominum, et ideo Pater amat eos ? Non, fratres mei, imo teste Joanne, *Ipse prior nos dilexit* (*I Joan.* IV). Quia ergo Pater discipulos amavit ; discipuli Deum amaverunt et crediderunt. Causalis enim conjunctio significat ibi, non causam essendi, sed causam intelligendi. Quod enim discipuli amaverunt et crediderunt Deum, non fuit Deo causa ut eos diligeret, sed hominibus fuit causa, qua intellexerunt quod Deus eos amabat. Non enim Deum potuerunt amare, nisi Deus eos amasset, et eis amorem suum inspirasset. *Exivi*, inquit, *a Patre, et veni in mundum ; et iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem*. Ac si dicat : Non sufficit vobis credidisse quod exivi a Patre per æternam nativitatem, nisi et credatis me venisse in mundum per temporalem nativitatem, et me iterum relinquere mundum per corporalem recessum, et ascendere ad Patrem per corporalem ascensionis glorificationem. Hos enim cum cæteris articulis fidei, fides catholica exigit, ut credamus ?

Sequitur pars quarta, in qua discipuli respondent ad hoc quod Dominus se in proverbiis locutum esse dixerat, et venturam horam, in qua non in proverbiis, sed palam eis loqueretur : *Ecce*, inquiunt, *pa-*

iam loqueris, et proverbium nullum dicis. Quoniam namque discipuli exteriorem verborum Domini planitiem intelligebant, putabant ipsa verba plana esse, et nullius subtilitatis profunditatem continere. Quorum etiam hodie sunt similes, qui solam Scripturæ sacræ superficiem attendentes, nulla putant ibi arcanorum mysteria contineri. Sed Scriptura sacra ita est temperata, quod in ea potest et parvulus ambulare, et gigas natare. In ea per exteriorem historiam vel moralitatem pascuntur rudes, et per interiorem allegoriam exercentur sapientes. *Nunc scimus*, inquiunt, *quia scis omnia, et non opus est tibi ut quis te interroget. In hoc credimus, quia a Deo existi.* Quia namque Dominus eos de suis omnibus dubitationibus non solum instruebat, sed etiam interrogantes, quas facturi erant, respondendo præveniebat, et ad occultas cogitationes respondebat, sic eum omnia scire, et a Deo confitentur venisse. Ad occultas quippe cogitationes et dubitationes respondere, divinum est, non humanum. Unde et ad eum per Sapientem dicitur : *Tu solus nosti corda filiorum hominum* (*II Par.* VI). Quia ergo, fratres mei, ubicumque lateamus, ante oculos divinæ majestatis sumus, qui opera, dicta, cogitationes, et voluptates quantumcunque occultas, speculatur. Propterea magna indita est nobis necessitas honeste conversandi, quoniam si erubescimus aliquid turpe dicere vel facere ante oculos regis vel principis terreni, quanto magis ante oculos Dei omnipotentis aliquid turpe facere vel dicere debemus erubescere? Abstergamus igitur, fratres mei, fletibus pœnitentiæ, nostrorum sordes peccatorum, corrigamus vitam nostram, et emundemus conscientiam nostram. *Beati* enim *mundo corde, quoniam ipsi soli Deum videbunt* (*Matth.* V). Oremus igitur ipsum quatenus ipse qui solus potest, emundet cor nostrum, ut ipsum in corde suo videre mereamur, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LXIV.

IN LITANIA MAJORI.

Confitemini alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem ut salvemini (*Jac.* V), etc. Ad tria bona, fratres mei, nos hortatur apostolus, in hac lectione, ad mutuam videlicet confessionem, ad mutuam orationem, et ad mutuam correctionem. Sunt autem hæc tria bona, magna coram Deo, et valde nobis necessaria. Confessio quippe necessaria est nobis metipsis, oratio et correctio nobis et aliis. Per mutuam enim confessionem nosmetipsos mundamus, et per mutuam orationem nos coadjuvamus. Per mutuam correctionem, alter alterum Deo lucrifacimus. Porro ad confessionem nos monet cum dicit : *Confitemini alterutrum peccata vestra.* Videte, fratres mei, quid sit confessio, et unde dicatur, quantum sit necessaria, cui fieri debeat, et quando, et quomodo. Est autem confessio flebilis propriorum peccatorum enarratio. Hæc autem flebilis esse debet, quoniam qui ad jactantiam, vel ad delectationem peccata sua refert, non curat ea, sed auget. Et hoc, fratres mei, contra illos est, qui peccata sua, non cum habitu flebili, sed potius cum risibili peccata renarrant. Sed illi profecto peccata sua non confitentur, sed potius prædicant. Dicitur autem confessio quasi communis fassio, ut scilicet corde, ore, opere confiteamur nos peccasse; corde pœniteamus, ore nos accusemus, opere satisfaciamus. Est autem confessio adeo nobis necessaria, quod per eam peccata nostra dimittantur, et sine ea non dimittantur. Quod per confessionem peccata dimittantur, apparet in David, cui cum accusaretur a Nathan propheta de adulterio cum Betsabee, et occisione viri ejus, per paradigma divitis centum oves habentis, et vicino pauperi unicam oviculam rapientis, peccatum suum coram omnibus non erubuit confiteri dicens : *Peccavi coram Domino* (*II Reg.* XII): et ait mox ei Dominus per prophetam ; *Transtulit Dominus a te peccatum tuum* (*ibid.*). Ecce, fratres mei, quis sufficiat pensare viscera divinæ misericordiæ, qui ad solam confessionem peccata et tam gravia destruit. Hinc ipse David dicit : *Dixi : Confitebor adversum me injustitiam meam Domino et tu remisisti impietatem peccati mei* (*Psal.* XXXI). Quod vero sine confessione habenti tempus ei locum peccata non dimittantur, ostendit propheta cum dicit : Dic *tu prius iniquitates tuas, ut justificeris* (*Isa.* XLIII). Et philosophus : « Si operam, inquit, medicantis exspectas, oportet ut vulnus detegas. » Cui fieri debet confessio? Confessio criminalium debet fieri sacerdoti, et nominatim, qui solus habet potestatem ligandi atque solvendi, sicut et lepræ judicium solis sacerdotibus in lege erat commissum. Confessio vero venialium alterutrum et cuilibet, etiam minori, potest fieri, quoniam propter venialia non separatur homo a Deo, nisi ultra modum per incuriam excedat, sicut nec per scabiem vel per impetiginem, aliquis in lege separabatur a castris. Fit autem hæc confessio, non quod possit a peccatis absolvere, sed quia propter propriam humiliationem, et peccatorum nostrorum accusationem, et fratris orationem, mundamur a peccatis. Unde et non dicimus : « Ego dimitto tibi peccata tua, » sed dicimus orando : *Misereatur tui omnipotens Deus*, etc. Quando debet fieri confessio hæc? Omni tempore quo nos peccasse cognoscimus. Sive enim domi, sive in agro, sive in via, peccavero, debeo statim dicere fratri qui mecum est : « peccavi, ora pro me. » Qui si non aderit, debeo confiteri Deo dicens : « Domine, peccavi, miserere mei. » Præcipue, fratres, in prima diei hora, debemus confessionem facere de his quæ in nocte deliquimus, et in completorio de his quæ in die peccavimus. Et maxime fratres, quando accedere volumus ad missam vel ad aliud sacramentum celebrandum, vel suscipiendum, per confessionem nos mundare debemus. Quæ confessio bene significatur per labium æneum in lege, quod posuit Moyses ad introitum tabernaculi, in quo sacrificaturi manus emundarent. Quomodo confiteri debemus? Cum cordis compunctione, cum vultus humilitate, cum pectoris tunsione, cum corporis supplicatione, cum vocis flebilitate. Ad mutuam vero orationem nos hortatur Apostolus cum

subdit : *Et orate pro invicem, ut salvemini. Multum enim valet deprecatio justi assidua.* Est autem oratio pius mentis affectus ad Deum, qui quandoque pigritante animo excitatur per vocem. Oratio igitur non est vox, sed potius mentis affectus, qua scilicet affectamus aliquid obtinere a Deo. Et hæc debet esse pia, quoniam quæ ad pietatem pertinent, debemus per orationem postulare. Quando enim animus noster in oratione pigressit, debemus illum per vocem excitare, ut sonus oris intrans per aures, excitet pigritiam mentis. Oratio igitur quæ fit solo corde, et si non labiis, Deo accepta est. Unde et Susanna tacens dicitur clamasse propter vehementem mentis intentionem, et a Deo audita fuisse (*Dan.* XIII). Oratio vero quæ solis labiis fit, non est ante Deum acceptabilis. Unde et ipse dicit : *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me* (*Matth.* XV; *Isa.* XXIX). Ostendit autem hic apostolus pro quibus sit orandum, et quid, et oratio cujus, et qualis valeat et quantum. Pro quibus est orandum? pro invicem, id est pro fratribus. Pro hæreticis enim et infidelibus, et in spiritum sanctum peccantibus, non ita tenemur orare. Unde et Joannes : *Est*, inquit, *peccatum ad mortem. Pro eo non dico ut quis oret* (*I Joan.* V). Pro quibus si oramus, eorum non salutem, sed conversionem petimus, et cum conditione videlicet subjungendo : Sicut et vis, et scis, Domine, ita eis facias. Quid est orandum? *Ut salvemini* : Non ait ut honoremini, vel gloriemini, vel delectemini in hoc sæculo. De hujusmodi enim postulantibus Jacobus ait : *Petitis enim et non accipitis, eo quod indigne petatis, ut in concupiscentiis vestris insinuatis* (*Jac.* IV). Sed petamus ut in evangelio præcipit Dominus : *Primum quærite regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis* (*Matth.* VI) Cujus valeat oratio ostendit, cum subdit, *justi.* Nam *oculi Domini super justos, et aures ejus ad preces eorum. Vultus autem Domini super facientes mala* (*Psal.* XXXIII). Qualis oratio valeat, ostendit cum dicit, *deprecatio assidua*, id est, quæ intensionem habet et instantiam. Nam laxa et lassa oratio impetrare non solet. Quantum vero valeat, ostendit, cum dicit, *multum valet.* Oratio quippe nobis a Deo impetrat veniam peccatorum, collationem gratiarum, aversionem adversitatum, consolationem prosperitatum. Oratio diabolum fugat, iram Dei placat, nostram viam dirigit, et ad regnum Dei perducit. Oratio valet et a quo fit, et pro quo fit : Et si illi pro quo fit non valet, illi tamen a quo pie fit, valere potest. Scriptum est enim : *Et oratio mea in sinu meo convertetur* (*Psal.* XXXIV). Porro quantum oratio valeat, ostendit exemplo Eliæ et est argumentum a minori. Nam si unus homo sicut et nos passibilis, minas unius mulierculæ fugiens, tamen sustinens, et mortem timens, una oratione pluviam avertit, et iterum eam terris dederit (*III Reg.* XVII), quid facient plurium justorum orationes etiam assiduæ? Ad correctionem vero et conversionem fratrum peccantium nos hortatur, cum dicit : *Si quis autem ex vobis erraverit, et converterit quis eum*, scilicet verbo vel exemplo, vel oratione, *scire debet, quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, servabit animam ejus a morte.* Ostendit autem quam utilis sit conversio fratrum, et converso, et convertenti. Quantum est utilis converso, qui salvat animam ejus a morte. Sicut enim pretiosior est anima quam corpus, ita major est eleemosyna quæ salvat animam nunquam moriturâm, quam quæ salvat corpus necessario moriturum. Quantum vero sit utilis ipsi convertenti, ostendit cum subdit : *Et operit multitudinem peccatorum*, subaudi propriorum. Scriptum est enim : *Sicut aqua exstinguit ignem, ita eleemosyna exstinguit peccatum* (*Eccle.* III). Nec solum conversio fratris operit peccata convertentis, sed et ei acquirit coronam. Quot enim quis salvat animas, tot habebit coronas. Inde scriptum est : *quoniam sicut stellæ firmamenti fulgebunt, qui multos erudierint* (*Dan.* XII). Quæ enim, fratres charissimi, quæ eleemosyna, quæ victoria potest esse major, quam ad similitudinem nostri Redemptoris frangere seras inferni, eripere vasa captivitatis, eruere reos de faucibus diaboli, et Christo lucrari? Itaque, fratres mei, mortem jam nobis instantem, et districtum Dei judicium semper ante oculos nostros habeamus, et peccata criminalia quasi mortem fugiamus. Venialia vero et quotidiana peccata quotidie mutuis confessionibus curemus, orationibus ad invicem nos adjuvemus, alter alterius onera portemus, errantes lucrari Deo satagamus, ut, si non possumus, cum tot triumphis cum quot Petrus et Paulus, saltem cum uno vel duobus, vel cum quot possumus, ad magnum diem judicii et æternæ remunerationis perveniamus, largiente Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus in æternum. Amen.

HOMILIA LXV.

IN LITANIA MAJORE.

Quis vestrum habebit amicum, et ibit ad eum media nocte, et dicet illi : Amice, commoda mihi tres panes, quoniam amicus meus venit de via ad me, et non habeo quod ponam ante illum (*Luc.* XI). Lectio ista, fratres charissimi, per duas parabolas bipertita est. Quoniam enim Deus et Dominus noster, nos orantes multoties non statim audit, sed differt, ut magis et magis orantes, magis, magis mereamur. Ideo per primam parabolam hortatur nos, ne ab oratione fatigemur, vel de impetratione desperemus, sed potius opportune, orationi instemus, promittens quoniam importune petentes, opportune procul dubio a Deo exaudientur. Sumit ergo istam parabolam de homine qui ad amicum suum in necessitate recurrit. Quem licet excusantem et se non posse subvenire dicentem, tamen etsi non amicitia, saltem importunitate eum flectit sibi subvenire. Quantum ergo ad litteram pertinet, duo in hac parabola sunt nobis consideranda, videlicet negligentia quam habemus in nos, et bona voluntas quam Deus habet erga nos. Et negligentiam quidem habemus in nos,

quoniam in petitione et acquisitione æternæ salutis negligentes sumus; in petitione vero et acquisitione temporalium ferventes sumus. Nam si ingruat nobis aliqua necessitas temporalis, solliciti sumus, dormire non possumus, et de media nocte surgentes discurrimus, amicos et vicinos fatigamus, fletibus et suspiriis, precibus et promissis pulsare non cessamus, donec quod nobis deerat, accipiamus. Cum vero ingruat nobis assidue maxima omnium necessitatum, evitatio videlicet mortis æternæ, et ad hanc evitandam negligentes sumus, dormimus, non surgimus ante lucem; ut Deum et ejus sanctos precibus et promissione emundationis pulsemus, quatenus dimissis peccatis nostris, mortem æternam evitare possimus. Quod si promiserit rex nobis vel princeps sæcularis se daturum nobis divitias vel honores B hujus mundi, quanto desiderio eum sequimur, et quanta diligentia ei famulamur? Ad jussum ejus lustramus mundum, transfretamus æquora, visitamus barbaras nationes, non retinemur frigore, non æstu, non periculis, non gladiis. Et hoc totum ut consequamur, quas forte nunquam consecuturi sumus, falsas et breves hujus mundi divitias et honores. Nunc autem cum promittit omnipotens et verax Deus beatum et æternum regnum, negligimus ei obedire, et famulari contemnimus, nec etiam per ipsa prospera eum sequi volumus. Utquid hoc fratres? nisi quia radicem nostram in amorem mundi figimus, et Deo promittenti regnum cœlorum, vel non credimus, vel contemnimus. Tamen Deus Pater, more pii Patris, bonam voluntatem habet erga C nos, negligentes excitat, promissis invitat, petere imperat. Et certe, fratres, qui præcipit petere, cupit dare. *Petite*, inquit, *et accipietis, quærite et invenietis, pulsate et aperietur vobis.* In quibus verbis, fratres mei, nobis ostendit quomodo postulandum sit, ut mereamur audiri. Non enim, si sola voce petamus, audiri meremur. Ipse enim alibi dicit : *Non enim omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, ipse intrabit in regnum cœlorum* (*Matth.* VII). Si ergo volumus intrare, petamus corde, quæramus opere, pulsemus perseveratione. Petamus devote orando, quæramus bene operando, pulsemus instanter perseverando. Et ne dubitemus, fratres, D de impetratione, quoniam teste Veritate, *qui* prædicto modo *petit, accipit et qui quærit invenit, et pulsanti aperietur* (*Luc.* XI). Juxta mysticum vero sensum, amicus noster, ad quem in nocte necessitatis recurrere debemus, Deus Pater est, *qui*, ut ait Apostolus, *propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos, misit Filium suum in similitudinem carnis peccati* (*Ephes.* II). Amicus vero ille, qui de via venit ad nos, est animus noster, qui toties a nobis recedit, quoties suæ et nostræ salutis oblitus, ad terrena concupiscendum exit. Tunc vero de via ad nos venit, quando de strepitu terrenarum cupiditatum, ad meditandum de nostra suaque salute redit. Redit autem famelicus, quoniam in terrenis cupiditatibus A nulla satietas invenitur. Nec nos, quid ante eum ponamus, habemus, quia divina gratia, quæ cibus animi est, in manu hominis non est. Fame igitur amici cogente, non est morandum, ut faciunt qui salutem animæ suæ procrastinant, sed de media nocte peccati et ignorantiæ quam cito surgendum, et ad amicum unicum nostrum, scilicet Deum Patrem, quam cito festinando, tres panes sunt ab eo postulandi, id est fides Trinitatis, vel triplex sacræ Scripturæ intellectus, scilicet historicus, moralis, et mysticus, quibus animi nostri esuries valeat satiari. Sicut enim *justus ex fide vivit* (*Rom.* I), ita et *de omni verbo quod procedit de ore Dei* (*Matth.* IV). Ille intus respondens se excusat, dum clausa exaditionis janua auxilium ferre dissimulat. Et ex hoc B videtur, quia ostium prædicationis clausum est et pueri, id est sancti prædicatores a carnea veste jam exuti, cum Deo sunt in cubili æternæ requiei, et ex his non videtur possibile quod Deus surgat, vel per se, vel per ministros suos ad erudiendum nos. Quod hodie, fratres, evenisse videtur, dum prædicationis ostium non minus in prædicatoribus quam in audientibus videtur jam clausum esse, utrisque pariter deficientibus. Attamen, nos fratres, si perseveraverimus precibus, suspiriis et fletibus pulsantes, dico vobis quoniam cum suo amore, cum nostro clamore flexus, nobis panem ministrabit spiritualem.

Sequitur alia parabola, in qua ostendit Dominus, quoniam non nisi bona dat Deus Pater, et ea dat C non propter meritum vel importunitatem nostram compulsus, sed statim propter affectum paternalem. Ostendit autem hoc, sumpto a minori argumento, quoniam si patres carnales, cum non sint ex se boni, sed potius mali, noverunt filiis suis petentibus non mala, sed potius bona temporalia largiri, non merito vel improbitate filiorum tracti, sed paterna pietate, multo magis cœlestis Pater, cum naturaliter sit bonus, dabit filiis suis petentibus bona spiritualia et æterna, ductus sola, quam habet naturaliter, pietate. Juxta litteram, fratres mei, pensemus in hac parabola, quam sit terrena et animalis pietas parentum carnalium in filios suos, et quam sit vera charitas cœlestis Patris in filios suos. Carnalis quippe pater plus intendit nutrire corpus filii sui D quam animam, sollicitus multum ne filius suus esuriat, ne frigeat, ne a serpente feriatur, ne aliquo casu moriatur, thesaurum ei congregat, quocunque modo eum ditare festinat et hæreditare, instruit eum in calliditate acquirendi divitias et conservandi. Cæterum si videat eum mendacem, si perjurum, si fallacem, si cupidum et avarum, si rapacem et violentum, contemnit, imo potius gaudet, vocans eum sapientem et probum. Sed quid inde contingit? Postquam malus filius a malo patre instructus excreverit, paternam vincit malitiam. Et primum in ipsum parentem exsurgit, ejus vitam odit, eum exhæredat, et fame pereuntem se eum nosse dissimulat. O miser pater, cur filium super hoc accusas?

Hoc facit quod tu eum docueras. Si eum pium invenire volebas, quare eum pium esse non docueras? Si eum justum invenire volebas, quare eum justum esse non docueras? hoc quod tradidisti ei, reddit tibi. Tales erant Israelitæ, quos vocat Joannes genimina viperarum (*Luc.* III), id est venenosos venenosorum filios. Et Dominus per Ezechielem : *Ego sum Deus zelotes, vindicans peccata parentum in filios* (*Exod.* XX) (46), paternæ scilicet malitiæ discipulos. Sicut enim puniuntur parentes propter pravam instructionem filiorum, ita puniuntur filii propter malam imitationem parentum. Cœlestis vero Pater vera dilectione diligit filios suos, non solum in hoc quod ab æterno eos elegit, et quod eos sanguine Filii sui redemit, et quod eis æternum regnum præparavit, sed etiam in quotidiana correctione et eruditione. Odit enim eos in malo, et diligit eos in bono et ad bonum, in quo vera consistit dilectio : *Qui enim parcit virgæ, odit filium suum* (*Prov.* XIII). Et pater filium quem plus diligit, corripit. Sic ergo cœlestis Pater filios suos revocat a malo prohibitionibus, minis et flagellis. Trahit vero eos ad bonum, mandatis, promissis et beneficio gratiarum suarum. Itaque patres et matres familias, cœlestem Patrem imitamini, filios, nepotes, et etiam quoslibet amicos vestros, diligite in bono et non in malo. Diligite eos plus in anima quam in corpore, plus ad Deum quam ad mundum. Optate et acquirite eis plus spirituales divitias quam corporales, plus cœlestes quam terrenas. Ab ubere instruite eos in Dei timore, in fide, in spe, in charitate, in pietate, in patientia, et humilitate, cæterisque virtutibus et bonis moribus, attendentes quoniam *gloria patris est filius sapiens, et opprobrium parentum, est filius insipiens. Et sicut filius bonus est parentum suorum benedictio, ita filius malus est parentum suorum maledictio* (*Prov.* X). Sicut enim bonum filiorum est parentum qui eos docuerunt, ita malum filiorum est parentum qui eos corrigere neglexerunt. Et ad hoc habemus exemplum, reprobationem videlicet Heli filiorumque suorum. Juxta vero mysticum sensum, per panem significatur charitas, qua anima reficitur, et econtrario, per lapidem, duritia mentis in malo induratæ, figuratur; per piscem vero, qui in absconditis aquarum vivit, fides quæ de absconditis et invisibilibus est exprimitur. Sicut econtrario per præsentem serpentem venenum infidelitatis vel hæresis significatur. Per ovum quoque, in quo est spes fetus, spes exprimitur, sicut e contrario per scorpionem, qui cauda, id est fine corporis percutit, finalis desperatio denotatur. Si quis ergo, fratres mei, a cœlestis Patre postulaverit fidem, spem et charitatem, nunquid benignus et misericors Pater dabit ei vitia harum virtutum contraria? videlicet infidelitatem, desperationem, et mentis duritiam? nequaquam, quoniam apud eum non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio (*Jac.* I). Quin potius si aliquis per ignorantiam ab eo sibi noxia postularet, ipse qui novit melius nobis quid expediat nobis, eum non exaudiret. Unde nec Paulum rogantem pro stimulo carnis amovendo, quod utique ei noxium faciebat fore, noluit exaudire (*II Cor.* XII). In quo, fratres, nobis præbet exemplum, ut in bonis non in malis nostros exaudiamus amicos. Qui enim aliquando in malo exaudit, se ei esse inimicum ostendit. Hinc est, fratres, quod pius et misericors Dominus, nos in multis malis desideriis, in discretis petitionibus nostris, nos non exaudit, in quo se verum patrem et verum amicum esse nobis ostendit. Ipsum ergo super omnia et præ omnibus diligamus. Ipsum totis visceribus amplectamur, pro eo omnem turpitudinem et omne vitium vitemus, mundum fugientem fugiamus, et omnia transitoria, antequam ab eis relinquamur, relinquamus. Ad æterna bona toto desiderio festinemus, ut Deum Patrem verum in decore suo videre mereamur. Amen.

(46) Nil tale in Vulg. reperitur in Ezechiele, qui econtra ait : *Filius non portabit iniquitatem patris* (*Ezech.* XVIII).

HOMILIA LXVI.

IN VIGILIA ASCENSIONIS DOMINI.

Unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi (*Ephes.* IV), etc. Hanc lectionem, fratres charissimi, sollicite debemus perscrutari, quoniam doctrina in ea continetur, sine qua non potest esse salus. Agit enim hic apostolus de gratia Dei, per quam solam, ut ait ipse Apostolus, sumus id quod sumus (*I Cor.* X). Inter articulos quippe fidei nostræ, etiam hoc necessarium continetur, ut credamus quod quidquid boni habemus, a Deo gratis habemus. Qui vero gloriatur se aliquod bonum habere a se, vel ex meritis suis, gloriam non habebit apud Deum. Habet igitur hæc lectio quinque partes. Primo enim dicit Apostolus unicuique gratiam datam esse a Christo. Secundo hoc probat auctoritate Scripturæ. Tertio ipsas gratias enumerat. Quarto ad quem usum datæ sint, demonstrat. Quinto quem finem habeant, manifestat. Ait igitur primo Apostolus : *Unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi.* Tria dicit : Quod unicuique nostrum data est gratia, et quod secundum mensuram, et quod a Christo. Licet autem per hoc quod ait Apostolus, *unicuique nostrum*, intelligat solos ministros esse, tamen universaliter verum est unicuique homini gratiam a Christo datam esse. Cum enim gratia dicatur quidquid gratis datur, quidquid habet homo sive bonum naturæ, sive bonum fortunæ (ut dici solet) sive bonum gratiæ, quia a Deo datum est gratis, gratia Dei dici potest. Quia tamen bona naturæ et bona fortunæ, tam bonorum quam malorum, sunt communia, antonomatice virtutes et usus earum, quoniam propria sunt bonorum tantum gratiæ solent appellari. Noluit enim Dominus aliquam suam creaturam penitus ab aliqua participatione bonitatis suæ esse exsortem, ne indecora et suo auctore indigna esse videretur, sed

quamlibet creaturam suam aliqua sua gratia privilegiavit. Quare? triplici ratione : Ut haberet quælibet creatura aliquid in se, in quo divinæ bonitatis largitatem in se demonstraret, ut haberet unde Deo largitori gratias referret, ut haberet materiam per quam apud Deum promereri posset. Itaque, fratres mei, unusquisque de gratia sibi data se dignum exhibeat, de ea Deo auctori gratias reddat, per eam fratribus suis subministrando, majora promereri satagat. Qui habet sapientiam, rudes instruat. Qui habet potestatem, Ecclesiam, pupillos, et viduas defendat. Qui habet divitias, inde inopibus suffragetur. Qui habet gratiam familiaritatis apud principem, pro pauperibus apud eum loquatur. Qui habet eloquentiam, inde inconsultis patrocinetur. Qui novit aliquam artem, inde indigentibus opituletur. Caveat unusquisque ne commissum sibi a Deo talentum occultando, eo ipso cæterisque bonis mereatur spoliari. Est autem unicuique nostrum gratia data, secundum mensuram. Noluit quippe Dominus omnes gratias alicui dare. Quare? triplici ratione. Ne aliqua creatura se quandoque Creatori suo æstimaret, ne se nullus indigere putaret, ne cæteras creaturas contemneret. Sed voluit potius unumquemque nostrum alterius gratiæ indigere, ut videns quisque se illius gratiæ indigere, qua frater suus perfulget, eum sibi præferret, ejusque auxilium postularet, et in hoc ipso disceret de gratia sibi data, indigentibus ministrare, quemadmodum volebat cæteros de gratiis suis ministrare sibi. Itaque, fratres mei, unusquisque multum deesse nobis putemus, gratias fratrum nostrorum admiremur, ut ita nobis vilescamus, et fratres nostros nobis præponamus. Et sicut eos de gratiis suis nobis ministrare volumus, ita et de gratia nobis data eis ministremus, ut per hoc etiam gratias quas non habemus, promereri valeamus. Fit autem hæc gratiarum distributio a Christo simul cum Patre et Spiritu sancto, qui sicut sunt unus auctor, ita et unus largitor, a Christo tamen dicuntur distribui gratiæ, eo quod ipse est caput omnium fidelium; cujus capitis membra sunt omnes fideles. In Christo autem tanquam in capite continetur omnium plenitudo gratiarum. Ipse enim omnes gratias habet, non tantum in potestate ad distribuendum, ut Deus, sed etiam in usu, ut homo, habet gratias omnes quas eum habere decet; et de plenitudine ejus teste Joanne (*Joan.* I), qui non habet Spiritum ad mensuram, accepimus omnes ad mensuram (*Ephes.* IV). Quod bene significatur in unctione Aaron, super caput cujus, cum plenitudo unctionis a Moyse effunderetur, distillavit per barbam et per cætera membra, usque in extremam oram vestimenti ejus (*Psal.* CXXXII). Sic, fratres mei, de plenitudine gratiarum, quibus Christus a Patre invisibiliter unctus est, distillat prius et abundantius in barbam, id est in viriles et perfectiores, deinde in cæteros, etiam usque ad extremos. Unde, fratres mei, suspiriis et gemitibus cum oremus, quatenus de sua plenitudine gratiarum, et si non tantum quantum super apostolos cæterosque sanctos, vel aliquantulum irroret super nos, tanquam ultima Ecclesiæ suæ membra.

Sequitur pars secunda, in qua gratias donari a Christo probat per auctoritatem prophetæ, cum dicit : *Propter quod dicit : Ascendens in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus.* Consistit autem in hoc vis probationis, quoniam tale est negotium, quod nec a puro homine, nec a puro Deo potuit ministrari. Captivos quippe eripere de inferno, et in altum ducere, et dona spiritus sancti hominibus dare, homo non potuit nisi Deus esset. Descendit ergo prius assumendo in se hominem, et hoc est quod Apostolus exponens subdit : *Quod ascendit, quid est nisi quia descendit primum in inferiores partes terræ?* Ac si diceret, quomodo posset ascendere, nisi primo descendisset? descendit autem non tantum in inferas, sed etiam in inferiores partes terræ, id est, ad inferna, ea confringens, et captivitatem captivam educens. Populus enim sanctorum, qui in inferno detinebatur, non tantum captivitas, imo etiam captivata captivitas erat. In hoc quippe quod a patria paradisi, ad quam obtinendam creata fuerat, per diabolicam fraudem ad hujus mundi miseriam expulsa exsulabat, captivitas erat. Rursus et in hoc quod miseria hujus vitæ ad majorem inferni miseriam captivata fuerat, non tantum captivitas, imo etiam captiva captivitas erat. Hanc ergo captivam captivitatem, more triumphatoris, duxit secum Dominus in altum. Sicut enim aliquis præliaturus contra hostem, se prius armat, deinde caute hostem aggreditur, et per magnum laborem eum superat, postea eum ligans, ejus munitionem dissipat, et captivos educit, et cum signis victoriæ ad sedem suam rediens, donaria satellitibus suis distribuit, ita fecit et Dominus. Prius enim præliaturus cum diabolo, se humilitate armavit, per occultam sapientiam eum aggressus est, per patientiam superavit, per fortitudinem eum alligavit, et infernum frangens, suos qui ibi captivi tenebantur, eduxit, et cum triumpho in cœlum ascendens, dona Spiritus sancti suis dedit. Non quod hac sola vice ea dederit, qui utique a principio semper suis gratiam suam largitus est, sed quod occultum erat, donorum cœlestium se largitorem esse visibiliter demonstraret. Repræsentat autem hanc Christi victoriam sancta Ecclesia per processiones, quas in his diebus facere consuevit. Procedit quippe in processione tanquam victor crucifixus in carne cruce, cum armis videlicet cum quibus triumphavit. Cum quo aqua benedicta procedit, id est gratia qua suos irrorat et munit. Procedunt autem vexilla suæ victoriæ signa. Procedit et draco tanquam victus ante victorem, qui solo capite vigens est, vacuus in parte posteriori, quoniam ad primam peccati partem, id est cogitationem suggere valet. Ad consuetudinem vero, vel ad perficiendum peccatum, servos Christi cogere non potest. Et certe hostis infirmus est, qui nisi sibi consentientem ladere non valet. Subsequi-

tur autem populus fidelium in processione crucifixum, tanquam liberati liberatorem, exspectantes ab eo suarum dona gratiarum. Subsequamur ergo eum, fratres mei, subsequamur eum non solo pede, sed vera fide, et firma dilectione, et operum et mandatorum ejus exsecutione, quoniam sic eum sequentibus non deerit, sed procul dubio largietur, et hic stipendia gratiarum suarum, et in futuro beatitudinem præmiorum. Ne autem videretur alicui, quod quibusdam hæreticis visum est, duas in Christo esse personas, ostendit Apostolus quoniam una et eadem persona est et ille qui descendit et ascendit ut homo, et ille qui dona Spiritus sancti dedit ut Deus, subjungens: *Qui descendit ipse est et qui ascendit super omnes cœlos, ut adimpleret omnia*, de eo per prophetas prædicta. *Et idem ipse est qui dedit quosdam apostolos, alios prophetas*, etc. Est autem hæc pars tertia, in qua Apostolus enumerat quasdam gratias administrationum quas Deus contulit ministris Ecclesiæ suæ per quas in hoc sæculo eam regerent et erudirent. Inter quos principales sunt apostoli, quos Dominus noster Jesus Christus misit a latere suo, ut fidem salutis ignaris annuntiarent. Alii sunt prophetæ, qui per Spiritum sanctum ventura prædixerunt, ut Agabus et filiæ Philippi. Alii sunt evangelistæ, qui videlicet Evangelii scribendi privilegium habuerunt. Alii sunt pastores et doctores, qui videlicet sanctam Ecclesiam regunt et docent. Bene autem, fratres mei, apostolus non ait tantum pastores, sed etiam adjunxit doctores, aperte demonstrans quoniam prælati sanctæ Ecclesiæ, non tantum pastores, sed etiam doctores debent esse, ut videlicet quos pascunt exemplo, doceant verbo. Quod manifeste contra illos est qui in Ecclesia magisterium assumunt, cum ipsi in sacra Scriptura cæci sint. Nam juxta ipsam Veritatem, si cæcus cæcum duxerit, nonne ambo in foveam cadunt (*Matth.* xv)? Hæ autem Ecclesiæ administrationes, si cum interiori gratia charitatis, cæterarumque virtutum habeantur, procul dubio magni meriti sunt, alias non juvant habentes, sed potius nocent. Quid enim Judæ profuit apostolatus? Quid Balaam et Caiphæ prophetia? Quid hæreticis profuit Evangelium scripsisse? Quid pravis magistris docuisse? Proinde fratres, nos qui in Ecclesia suscepimus administrationem, oremus nobis a Deo largiri gratiam interiorem, per quam digne valeamus exterius administrare.

Sequitur pars quarta, in qua ostenditur ad quem usum Dominus prædictas gratias hominibus dederit, cum subditur: *Ad consummationem sanctorum in opus ministerii*. Ad quem usum gratias illas dedit, in opus ministerii? Ad hoc quippe dedit homini apostolatum, ut ipse annuntiet. Ad hoc dedit prophetiam homini, ut ille futura prædicet, Ad hoc dedit sapientiam homini, ut ille doceat. Quod aperte damnat illos qui in commissa administratione desides sunt; Locum pastoris tenent, et non pascunt, stipendia prædicatoris accipiunt, et non prædicant, volunt vocari doctores, et non docent. Qui merito æternæ damnationis succidendi sunt, quia terram occupant, et fructum non faciunt (*Luc.* xiii). Et opus ministerii ad quid prodest? *ad consummationem sanctorum, et ad ædificationem corporis Christi*. Ut videlicet per ministerium doctorum, et electi singuli, in quibus oportet, proficientur, et totum corpus Christi, id est Ecclesia, in membris ædificetur, ne vel aliquibus membris Ecclesiæ aliquid desit, vel ipsi Ecclesiæ desit aliquod membrum. Deficientibus enim doctoribus in Ecclesia, frustrantur electi doctrina, et impletur illud propheticum: *Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis* (*Thren.* iv). Et Ecclesia ipsa suis membris mutilata est, non habens linguam ad erudiendum, nec oculos ad viam videndam. Dicitur autem Ecclesia corpus Christi, quoniam Christus caput Ecclesiæ est quadam similitudine dictus. Cum enim caput et membra unius sint naturæ, tamen caput præsidet, excubat, et regit omnia corporis membra a secretario cerebri sui, ubi est sedes sensuum, sapientiæ, et vigoris, diffundens per medullas beneficia vegetationis et sensus, ad inferiora membra sibi nervis et venis compaginata. Membra vero corporis totius, suo capiti parent et famulantur, capiti pariter et sibi invicem colligata, sese coadjuvantia, et subministrantia sibi. Sic, fratres mei, sic Christus, ut esset caput nostrum, factus homo unius naturæ, nobiscum præsidet, excubat, et regit omnia membra Ecclesiæ. Et de thesauris sapientiæ et virtutis gratiarumque suarum infundit in inferiora membra sua sibi fide et dilectione compaginata. Quæ membra Ecclesiæ, id est omnes quotquot sumus fideles, debemus capiti nostro Christo obedire et famulari, et ei per charitatem compaginari. Alias amittimus beneficia gratiæ suæ, et arefacti tanquam nociva membra amputamur a corporis Christi unitate. Debemus quoque, fratres mei, ad invicem, tanquam unius corporis membra, per charitatis vinculum colligari, et nos ad invicem coadjuvare, et alter alteri subministrare. Nunquid enim oculus sibi soli videt? imo et cæteris membris. Nunquid pes se solum portat? imo et cætera membra. Nunquid manus se solam defendit, vel sibi soli necessaria attrahit? Imo et cæteris membris. Similiter unusquisque fidelis de gratia sibi a Deo data, non sibi soli, sed cæteris Ecclesiæ membris subministret. Sapiens, qui est quasi oculus Ecclesiæ, non sibi soli, imo etiam cæteris fidelibus sapiat et prævideat. Prædicator, qui est lingua Ecclesiæ, non se solum, imo etiam cæteros erudiat. Plebs vero inferior, quæ est quasi pes Ecclesiæ, non se solam, sed etiam totum corpus Ecclesiæ, suis sustentet laboribus. Princeps vero, qui est quasi manus Ecclesiæ, non se solum, sed etiam totam Ecclesiam defendat.

Sequitur pars quinta, in qua ostenditur quem finem prædictæ administrationes habere debeant, cum subditur: *Donec ei occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei*. Porro duplex finis hic notatur, et intentionis et cessationis. Ministri quippe

sanctæ Ecclesiæ hac intentione prædictas administrationes debent administrare, non ut hic ditentur, non ut hic glorientur, non ut hic honorentur, non ut hic gulæ et ventri satisfaciant, sed ut cum plebibus suis sibi subjectis irreprehensibiliter possint occurrere Christo ad judicium suum venienti. Tunc quoque fratres mei, omnis talis administratio cessabit. Tunc enim sancti non indigebunt corrigi, nec instrui nec regi ab homine, quos præsentia divinæ majestatis illustrabit. Certemus ergo fratres, certemus omni sollicitudine, ut simul Christo venienti irreprehensibiles possimus occurrere, et hoc in unitate fidei et agnitione Filii Dei. Duo quippe ponuntur hic, in quibus vera beatitudo animarum consummabitur, unio videlicet mentium et agnitio divinæ majestatis. Porro tunc non erit fides, quæ umbratilis est, sed potius plenaria omnium scientia. Sed ideo dixit Apostolus, *in unitatem fidei*, quoniam illi soli qui hic quantum possunt, fidei veræ observant unitatem, ad illam plenariam pervenient mentium unionem, ubi sancti cum Deo et a Deo in charitate unientur, ut non nisi unum et idem penitus velle queant. Unde et si qua erunt singulorum propria, per charitatem erunt communia. Agnitio vero divinæ majestatis et splendoris in electis vitæ beatitudinem consummabit, juxta quod Dominus ait : *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscat te Deum verum, et quem misisti Jesum Christum* (*Joan.* XVII). Quanta, fratres, quanta putatis dulcedo, quanta beatitudo erit videre illam majestatem, illum splendorem, in quem desiderant angeli sancti conspicere (*I Petr.* I), cujus visio et præsentia omnem ignorantiam, miseriam, labem et infirmitatem expellet. Sicut enim ferrum ex propinquitate ignis ita inflammatur et ignescit, ut non jam ferrum, sed totum videatur ignis ; ita spiritus beati, ex præsentia divini splendoris et caloris inflammabuntur, ut non jam creaturæ, sed totæ divinæ videantur : et hoc fiet in animabus, in corporibus vero occurremus in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Tunc enim perfecti erimus in membris, et in decore, et tam in viribus quam virtutibus, et in ætate. Unde et subdit : *In mensuram*, non quidem staturæ corporis, *sed plenitudinis ætatis Christi*. In plena enim ætate in qua Christus erat, quando passus est, resurrecturi sumus. Ad illius igitur resurrectionis ineffabilem beatitudinem, fratres, toto desiderio tendamus; spe illius vitam præsentem fastidiamus, spe illius omnia transitoria contemnamus ; spe illius omnia dura et adversa complectamur, vitia fugiamus, et bona facere contendamus ; dissolvi et esse cum Christo cupiamus, ut tandem læti in gloria sua eum videre mereamur ; ipso præstante qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus in sæcula. Amen.

HOMILIA LXVII.

IN VIGILIA ASCENSIONIS.

Sublevatis Jesus oculis in cœlum dixit : Pater, clarifica filium tuum (*Joan.* XVII), etc. Dominus et Redemptor noster, fratres charissimi, instante jam sua passione, fudit ad Patrem hanc quam modo audivistis orationem. Cæterum cum Filius sit ejusdem auctoritatis et potentiæ cum Patre, et ea quæ petebat æque daturus esset, sicut et Pater, quare postulavit a Patre ; cum postulare videatur esse minoris impotentisque personæ ? Triplici ratione, videlicet ut humilitatem et humanitatem pro nobis assumptam, in qua minor est Patre, vere in se exprimeret ; ut in hoc sicut et in cæteris, semper Deo Patri deferret, ut nobis exemplum et formam orandi demonstraret. Nos quoque, fratres, Dei et Domini nostri semper sequentes exemplum, humilitatem, vilitatemque nostram semper profiteamur. Nihil nobis, sed Deo Patri omnia attribuamus, fratribus nostris semper deferre studeamus, devotioni, orationique, quæ Christianorum inexpugnabile munimentum est, nos assuefaciamus. Sunt autem hujus lectionis duæ partes : In prima orat Dominus pro sui clarificatione ; in secunda pro suorum conservatione. Oraturus igitur Dominus, primo oculos suos ad cœlum sublevat ; deinde Patrem invocat, se etiam Filium nominat, et sic demum rogat. Quod ille, fratres mei, verius facere potuit, qui oculos cordis sui semper ad cœlum erexit, et vere Deum Patrem habuit, et vere se Filium exhibuit. Unde et ei a Patre dictum est : *Tu es Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui* (*Matth.* XVII). Nos tamen pro modulo nostro eum sequentes, oraturi prius sublevemus ad cœlum oculos cordis, et desiderii nostri, spei et intentionis nostræ. Nam qui oculos suos statuerunt declinare in terram (*Psal.* XVI), ideo non merentur exaudiri. Invocemus et Deum Patrem, credentes eum pium et paternalem affectum gerere super nos ; quod nos primo creavit, postea per sanguinem Filii recreavit ; quod nos gratis in filios adoptionis generavit, quod nobis cœleste regnum præparavit ; quod super filiorum petitiones exaudiendas pius tanquam Pater sit. Qui enim hæc non credunt, non merentur exaudiri. Exhibeamus quoque nos, quantum possumus, dignos Dei Patris filios. Exhibeamus, inquam, per dilectionem, obedientiam et imitationem. Qui enim per contemptum, et inobedientiam pravosque mores degenerant a Deo non merentur audiri. Si ergo, fratres, oculos intentionis nostræ ad cœlum levaverimus, si in Deum Patrem firmiter crediderimus, si nos dignos ejus filios pro posse nostro exhibuerimus ; tunc secure eum rogare poterimus. Porro rogans Dominus primo exponit petitionem suam ; secundo finem, tertio modum, quarto utilitatem, quinto meritum. Et petitionem quidem suam exponit, cum dicit : *Clarifica Filium tuum*. Verum cum Filius Dei in deitate, qua Patri semper est æqualis, nec major, nec sanctior, nec gloriosior esse possit in ea non petiit glorificari, sed potius vel in humanitate, vel in operum claritate, vel in credentium fide, vel in judicii potestate. Et quoniam ipse a desiderio labiorum suorum fraudari non potuit, in his quatuor a

Patre clarificatus fuit. In humanitate quippe clarificavit Pater Filium, quando eum resuscitavit ; et in carne glorificata eum ad dexteram suam collocavit. In operibus vero eum glorificavit, quando vel ante, vel post resurrectionem miraculis et virtutibus eum verum esse Filium Dei demonstravit. Unde ipse per vocem de cœlo factam dixit : *Et clarificavi, et iterum clarificabo.* In fidem etiam credentium eum clarificavit ; quando credentes in eum sanctitate et opere claros fecit.

Unde et ipse Filius in sequentibus dicit : *Et clarificatus sum in eis*, videlicet in discipulis. In judicii vero potestate, eum amplius clarificabit, quando ostendet eum judicem omnium, judicem salvantem suos, et damnantem reprobos. Finem vero petitionis suæ exponit cum dicit : *Ut Filius tuus clarificet te.* Significat autem hæc conjunctio, *ut*, non solum consecutionem, sed etiam causam finalem. Et consecutionem quidem significat, quoniam cum Pater et Filius tanquam relativa sint simul natura et cognitione, cognito et clarificato Filio, consequens est ut et Pater cognoscatur et clarificetur. Rursus cum Pater et Filius sint substantialiter similes, et in uno simili cognoscatur reliquum, consequens est ut, cognito et clarificato Filio, cognoscatur et clarificetur etiam Pater. Causam vero finalem significat, quoniam hoc fine postulat Filius clarificari a Patre, ut in hoc clarificetur Pater. Ac si dicat : Pater, clarifica me ad laudem et honorem nominis tui. In quo, fratres mei, dat nobis exemplum, ut quidquid volumus et petimus, non ad nostram, sed ad laudem et honorem Dei velimus et petamus, dicentes cum Psalmista : *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam* (*Psal.* CXII). Clarificavit autem Filius Patrem tribus modis, ejus nomen hominibus prædicando, in ejus nomine signa et miracula faciendo, ei omnia attribuendo, et ad eum omnia referendo. Quem et nos imitantes, fratres charissimi, clarificemus, quantum possumus, nomen Dei, ejus gloriam semper prædicando; in ejus nomine bona pro posse nostro faciendo, omnia bona nostra ei attribuendo, et ad eum referendo. Modum quoque clarificationis exponit, cum subdit : *Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut omne quod dedisti ei det eis vitam æternam.* Subaudi, ita esse verum omnibus manifesta. Quod quidem in parte jam impletum est. Manifestum enim jam est fidelibus Christum habere a Patre potestatem omnis carnis : et fidelibus, qui ab hoc sæculo migraverunt, jam dedit vitam æternam. In fine vero universaliter omnibus erit manifestum, quando judex apparebit omnium, dans suis vitam æternam, et reprobis pœnam, et tunc plenarie Pater in Filio, et Filius clarificatus erit in Patre. Potestatem vero dicit Christus sibi a Patre esse datam, quoniam quæ erat ei, in quantum est Deus, natura factum est ei, in quantum est homo, gratia. Utilitatem exponit cum subjungit : *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum et quem misisti Jesum Christum.* Utilitatem dico non suam, sed nostram. Ipse enim non nostri, ut alius indiget, cui dicit Psalmista : *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges* (*Psal.* XV). Non enim a nobis credi vel cognosci voluit propter se, sed propter nos. Ipse quippe cum summe beatus esset, non indigebat a miseris cognosci, vel ad miseros accedere. Sed nos cum miseri essemus, indigebamus summe beatum agnoscere, et ad eum accedere, alias non poteramus vitam æternam habere. *Quoniam hæc est*, inquit, *vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum.* Porro cognitio Patris et Filii cum sancto Spiritu, duplex est : Prima est in fide, altera in specie. Prima est in via, altera in patria. Prima est ænigmatica, altera aperta. Utraque tamen suo modo potest vocari vita æterna, quoniam ad vitam æternam ducit. Cognitio vero speciei dicitur vita æterna, quoniam vitam æternam confert. Cognitio quippe et visio divinæ majestatis et gloriæ omnem expellet ab electis miseriam, et omnem eis conferet beatitudinem. Visio sereni et læti aeris reddit hominem lætum. Quid ergo mirum, si divinæ majestatis incomparabilis jucunditas videntem jucundum efficiat? Visio solaris luminis et caloris homines illuminat et calefacit. Et quid mirum, si divini splendoris et charitatis immensitas præsentes illuminet et inflammet? Præsentia fragrantium aromatum quæque proxima suaviter aromatizat. Quid mirum, si divinæ suavitatis et fragrantiæ ineffabilitas præsentes aromatizet et delectet? Musicorum instrumentorum melodia homines delectat audientes : quid mirum, si divinæ consonantiæ harmonia ineffabilis præsentes alliciat et delectet? Mellis et nectaris dulcedo gustantes delectat, quid mirum, si divinæ bonitatis dulcedo admirabilis gustantes pascat et delectet?

Gustate et videte, inquit Psalmista, *quoniam suavis est Dominus* (*Psal.* XXXIII). Et si temporalia ista vilia et transitoria, fratres charissimi, sic afficiunt, pascunt et delectant, quam incomparabiliter illa divina jucunditas, ille splendor, illa suavitas, illa dulcedo suos afficiet, pascet et delectabit in æternum? Et quidem comparatio terrenorum ad æternitatem nulla est, sed nos, ut possumus, magnalia Dei potius balbutimus quam eloquamur, quoniam *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quæ præparavit Deus diligentibus se* (*Isai.* LXIV; *I Cor.* II). Meritum exponit cum subdit : *Ego te clarificavi super terram, opus consummavi quod dedisti mihi ut faciam.* Christus quippe solus vere meruit et mereri potuit. Ad hoc quippe quod aliquis proprie mereri dicatur, duo concurrunt, videlicet ut sit auctor operis sui, et ut præ se habeat majorem, apud quem mereatur. Nisi enim sit auctor operis sui, mereri non potest; quia nemo pro alieno debet opere coronari, nec damnari. Et nisi habeat præ se majorem, mereri non potest, quoniam nemo meretur, si non est a quo præmium præstoletur. Hac ergo ratione homo vel angelus mereri non

potest, quoniam et si habeat præ se majorem; tamen operis sui auctor esse non potest, quoniam omnium bonorum quæ ipse fecit, non est auctor, sed tantum minister, quoniam Deus est qui operatur in nobis et velle et perficere (*Philipp.* II). Sed nec Deus Pater vel Spiritus sanctus mereri potest, quoniam et si sit auctor operis sui, tamen majorem apud quem mereatur non habet. Christus quoque solus est, qui, in quantum Deus est, auctor operis sui esse potest, et, in quantum homo est, majorem apud quem mereatur, habet. Christus ergo solus meruit et mereri potuit. Dicuntur autem sancti mereri, quoniam et si non per se bona operantur, tamen Deo cooperantur : Et ideo cum solum suum opus coronet Deus in nobis, dicuntur tamen pro meritis coronari; divinam gratiam non nisi proprie merita nostra vocantes, cum aperte clamet Apostolus, quoniam *non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit* (*Tit.* III). Exponens ergo Redemptor noster meritum suum ait : *Ego te clarificavi super terram.* Non ait, in terra, quoniam in illis qui per contemptum mundi non in terra, sed super terram sunt, maxime Deus clarificatur, dum clarificat eos. Sed et ipsa opera, per quæ Deus clarificatur, non terrena, sed potius super terram sunt. Opus injunctum consummavi, sed non ex me, quoniam tu ipse es qui illud mihi injunxisti, ut illud facerem mihi dedisti. In quo confunditur illorum superbia qui opus suum ex libero arbitrio et ex propriis viribus se duxisse ad effectum opinantur. Filius Dei dicit sibi datum esse a Patre, ut faceret quod fecit. Et tu vermis insolens, dicis te ex te fecisse quod fecisti. *Et nunc*, inquit, *clarifica me, tu Pater, apud temetipsum.* Ac si aperte dicat : Feci quod injunxisti, redde præmium quod merui. *Clarifica me apud temetipsum*, me scilicet per resurrectionem glorificando, et ad dexteram tuam colloquendo. *Claritate*, inquit, *quam habui antequam mundus fieret apud te*, id est claritatem, quam semper habui et habeo apud te, me habere hominibus declara. *Manifestavi nomen tuum*, nomen scilicet paternitatis tuæ. Nam nomen divinitatis aliquibus notum fuerat, sed quod haberet filium sibi consubstantialem notum non erat, Quibus? *hominibus quos dedisti mihi de mundo*, id est illis quos de massa prævaricationis segregatis per fidem mihi conjunxisti. *Tui*, inquit, *erant* electione, *et mihi eos dedisti* vocatione. Cum filius possideat omnia eadem auctoritate cum Patre, tamen in omnibus deferens Patri, dicit Patrem dedisse sibi tanquam homini, vel etiam tanquam Filio, quoniam quemadmodum per nativitatem Deus ex Deo, ita est habens ex habente.

Sequitur pars secunda, in qua Filius interpellat patrem pro suorum conservatione. Primum eorum meritum ostendendo, postea pro eis orando. Porro meritum eorum ostendit, cum subdit, *Et sermonem meum servaverunt.* In quo demonstrat nobis, fratres mei, quod si volumus cum interpellare pro nobis apud Patrem, ejus sermonem observemus, quoniam qui Filii sermonem aspernantur, frustra eum apud Patrem intercessorem præstolantur, quoniam sermo Filii ex Patre est. Unde et subdit, *Et non cognoverunt, quia omnia quæ dedisti mihi, sunt abs te.* In quo etiam illud intelligi datur, quam sicut mandata non observantur, nisi prius cognoscantur, ita nec perfecte possunt cognosci, nisi prius observentur. Observando quippe Evangelium, meremur ut ad interiorem ejus intelligentiam penetremus, et ut illud non ab homine, sed a Deo esse cognoscamus. Unde propheta : *A mandatis tuis intellexi* (*Psal.* CXVIII). Inde est quod qui negligunt Evangelium illud non intelligunt. Et propter simplicitatem evangelici sermonis, illud non esse a Deo, sed a simplicibus hominibus inventum putant. Cæterum, ne discipuli blandirentur sibi putantes se, vel observationem, vel cognitionem divini sermonis a se habuisse, addit. *Quia verba quæ dedisti mihi, dedi eis*, non solum in aure corporis, sed etiam in aure mentis. Sed etiam in hoc quod dicit non sua, sed Patris verba eis dedisse, confundit illorum præsumptionem, qui non de divina doctrina, sed de suo sensu præsumunt populis annuntiare, cum dicat Dominus prophetæ (*Ezech.* III). *Et tu annuntiabis eis ex me. Et ipsi*, inquit, *acceperunt.* Ac si dicat, et si omnino eis gratis datum est, tamen in hoc quod gratanter acceperunt et retinuerunt, meruerunt. *Et cognoverunt*, inquit, *quia a te exivi*, vel per æternam nativitatem, vel per incarnationem. Et ne videretur jam percepisse illam apertam cognitionem quæ erit in futuro, exponens dicit, *Et crediderunt* vere *quia tu me misisti*, id est incarnari constituisti. Postea orans pro discipulis suis ait, *Ego pro eis rogo, non pro mundo*, videlicet pro conservatione eorum, *Et non tantum pro eis* (ut post exponit), *sed etiam pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me.* In qua oratione, fratres mei, etiam pro nobis oravit, si fidem et doctrinam apostolorum sectamur. *Non pro mundo*, inquit, *rogo*, id est pro amatoribus mundi. Quid est, Domine Jesu, quod dicis? Non tu pro perversis hominibus et pro inimicis nostris tu nos orare præcepisti? Nonne tu pro perversis hominibus et amatoribus mundi, id est pro illis qui te crucifixerunt, ne amitterent locum et gentem (*Joan.* XI), orasti dicens, *Pater, dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt?* (*Luc.* XXIII.) Utique. Sed pro illis quos in præsentia sua ab amore mundi ad amorem Dei noverat convertendos, rogavit. Sed nos fratres, pro quibuslibet perversis roganus, quia cum converti omnes possint, tamen qui sunt convertendi, vel qui non, ignoramus. *Sed pro eis*, inquit, *quos dedisti mihi*, id est quos ab amore mundi segregans, meos per fidem et charitatem fecisti. E tuum est, Pater mi, exaudire me pro eis orantem, *quia tui sunt*, non solum possessione, quemadmodum dicitur, *quia Domini est terra et plenitudo ejus* (*Psal.* XXIII), nec solum ministerio, quemadmodum dicitur quia tribus Levi Domini est (*Num.* III). Sed etiam tui proprii æterna prædestinatione, electione et

dilectione. Et ne viderentur illi jam non esse Patris, ideo quia dati a Patre ipsi Filio subdit : *Et mea omnia tua sunt, et tua mea sunt.* Nec mirum, si in dominatione et possessione unum sint, qui voluntate, majestate et substantia, unum sunt. In quo nobis demonstratur carnales quoque fratres, patres et filios, sicut sanguine, ita amore et possessione unum esse debere, Patremque abundantem, filio mendicante, vel filium abundantem, patre mendicante, pariter condemnari. *Et clarificatus sum* inquit, *in eis*, id est in eis quos dedisti mihi, quos fide et operibus atque vita clarificavi, clarificatus sum. Clarifica quoque et nos, quæsumus, Domine Jesu Christe, ut et tu in nobis clarificeris. Sanctifica, inquam, nos, ut et tu in nobis sanctificeris. Clarifica opus tuum, ut in eo clarus artifex appareas. Sanctifica servos tuos, ut in eis clarus Dominus appareas. *Et jam*, inquit, *ego non sum in mundo.* Quare? quoniam per passionem, resurrectionem et ascensionem ad te venio. *Et hi*, inquit, *in mundo sunt*, id est in mundanis tribulationibus sunt diutius permansuri, quia ad Evangelium prædicandum necessarii sunt. Et ideo pro eorum conservatione, ego te rogo. Roga quoque Patrem, Domine Jesu Christe, pro nobis, qui adhuc in hoc misero mundo sumus, qui hic a malignis spiritibus infestamur, a propriis concupiscentiis superamur, a mundanis tribulationibus quassamur, jamque periclitantes clamamus ad te, qui jam in hoc mundo non es, qui jam ad dexteram Patris coæqualis resides; qui spiritus, carnem, tempestatesque in manu habes, te adjutorem semper invocamus, ad te sint semper oculi nostri ne pereamus, spiritibus impera, carnem refrena, tempestates seda, ad te nos guberna, ut semper te videre et benedicere mereamur unum Deum cum Patre et Spiritu sancto per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LXVIII.

IN ASCENSIONE DOMINI.

Primum quidem sermonem feci de omnibus, o Theophile, quæ cœpit Jesus facere et docere, usque in diem qua præcipiens apostolis per Spiritum sanctum, quos elegit, assumptus est (*Act.* I), etc. Evangelicam et apostolicam historiam, fratres charissimi, scripsit Lucas Evangelista rogatu Theophili viri religiosi. Unde transiens de una ad alteram, primo transitu utitur in quo dicta dicentis continuat; secundo, prædicta breviter epilogat, tertio, ab Ascensione Domini Apostolus historiam inchoat. Utens igitur primitus transitu ait : *Primum quidem sermonem feci de omnibus, o Theophile.* Vocat autem primum sermonem Evangelium. Primum, et quantum ad ordinem scribendi et quantum ad dignitatem. Præcellit quippe Evangelium, dignitate suæ materiæ, omnibus Scripturis tam veteribus quam novis. Sermo autem dicitur a *sero seris.* Evangelium autem dicitur sermo quoniam seritur in cordibus fidelium. Unde et juxta Evangelicam parabolam, verbum Dei semen bonum dicitur, quod cum cadit in bonam terram facit fructum, aliud quidem tricesimum, aliud sexagesimum, aliud centesimum. (*Luc.* VIII). Utinam, fratres charissimi, Christus seminet hodie semen Evangelii sui in corda vestra per os nostrum, et faciat illud fructificare in vobis fructum centuplum, qui solus potest: Quoniam neque qui plantat, neque qui rigat aliquid est, sed qui incrementum dat Deus (*I Cor.* III). De qua vero materia fecit sermonem, ostendit cum subdit : *De omnibus quæ cœpit Jesus facere et docere.* De operibus enim et doctrina Christi totum Evangelium contextum est. Omnis enim Christi operatio et eruditio animæ Christianæ est cibus et informatio. Quando enim Christus tacebat, instruebat operando. Et quando non operabatur, instruebat et docebat. Ordo quoque congruus est. Primo enim cœpit facere, et postea docere. Et quod prius ostenderat exemplo, post ostendebat verbo dans exemplum discipulis et prædicatoribus suis eumdem ordinem observandi. In quo mea, et mei similium confunditur præsumptio, qui multa vobis prædico, quæ tamen non facio. Sed utinam, fratres, per vestras orationes ipsa confusio generet in me pudorem, pudor correctionem, correctio emendationem, ut quod prius non feci, saltem postquam prædicaverim, facere incipiam ! Et quid est, fratres, quod ait Evangelista? Quare fecit sermonem de omnibus quæ cœpit Jesus facere et docere. Et quis hoc possit? præsertim cum dicat Joannes evangelista, quod si opera Christi per singula scribantur, non arbitror mundum capere qui scribendi sunt libros (*Joan.* XXI). Sed puto, fratres, quia cum ait omnibus, non ad singula generum, sed ad genera singulorum referendum est. Et si enim non de omnibus omnia, saltem de omnibus aliqua scribere potuit. Scripsit quippe de operibus, de prædicationibus, de itineribus, de passionibus Christi, et de cæteris quæ necessaria erant humanæ saluti. In quo terminaverit primum sermonem, ostendit cum dicit : *Usque in diem qua præcipiens Apostolis.* Et quid præcipiens? Quod apostoli post ejus ascensionem facere deberent. Quod vero ait, *per Spiritum sanctum :* ad utrumque, sive apostolorum electionem, sive ad ejus ascensionem referri potest. Utraque enim per Spiritum sanctum impleta est.

Sequitur pars secunda, in qua Lucas prædicta recapitulat dicens : *Quibus et præbuit seipsum vivum.* Qui sunt illi? Illi soli quos elegit. Nam alii non fuerunt digni, quibus Dominus se redivivum exhiberet. Præbuit autem seipsum redivivum divina potestate, quam cum Patre et Spiritu sancto habet communem, juxta quod ipse prædixerat : *Potestatem habeo ponendi animam meam, et iterum sumendi eam* (*Joan.* X). Qua potestate omnes defunctos exhibebit redivivos, post passionem suam propriam, et omnibus aliis dissimilem. Ipse enim solus nostra peccata, non sua, tulit super lignum (*I Petr.* II). *Per dies quadraginta apparens eis.* Quare, fratres charissimi, Christus non statim post resurrectio-

ucm, sed post multos dies ascendere voluit in cœlum? Ut per frequentem apparitionem, fidem resurrectionis in Apostolis confirmaret. Et quare post quadraginta dies? Ut discipulos, quos per quadraginta horas mortuus mœstificaverat, per totidem dies redivivus lætificaret, juxta quod eis promiserat, quod tristitia eorum verteretur in gaudium (*Joan.* XVI). Simul etiam ut per sacramentum quadragenarii, qui ex decem per quatuor multiplicatus perficitur, impletionem decalogi per Evangelium in eis se perfecturum significaret. Apparuit autem *in multis argumentis.* Argumentum est ratio rei dubiæ faciens fidem. In multis vero argumentis apparuit, quoniam multis probationibus fidem suæ resurrectionis in eis confirmavit, in hoc videlicet quod se obtulit ad videndum, ad audiendum, ad contrectandum, quod ivit et rediit inter eos, quod locutus est, quod comedit et bibit. Unde Joannes et audacter et aperte loquitur. *Quod fuit*, inquit, *ab initio, quod vidimus et audivimus* et manus nostræ contrectaverunt (*I Joan.* I). Et quæ, fratres mei, quæ resurrectionis ambiguitas post tanta probationum argumenta in cordibus discipulorum potuit remanere? Ad hoc etiam facit quod subditur: *Et loquens de regno Dei.* Sicut enim semper ante passionem suam de regno Dei loqui consueverat, ita et post semper de eodem loquebatur. Unde et in similibus verbis, similique benedictione et fractione panis a duobus discipulis in Emmaus agnitus est (*Luc.* XXIV). In quo omnibus, et præcipue illis qui in Ecclesia locum ejus tenent, *exemplum relinquit*, ut nunquam de vanis, nunquam de otiosis nocivisque sermonibus, sed semper de regno Dei et de his quæ ad illud spectant loquantur.

Sequitur pars tertia, in qua historiam dominicæ ascensionis largius prosequitur, subdens: *Et convescens præcepit eis*, etc. Pensemus, fratres, quantæ dulcedinis fuit hoc hodiernum et extremum convivium. Fuit quippe convivium charitatis, convivium gaudii, convivium eruditionis. Sicut enim aliquis paterfamilias peregre profecturus, extremum convivium suis amicis et familiaribus convocatus cum eis charius celebrat, et quomodo res suas ordinare debeant, eis mandat, ita summus Dominus dulcius et tenerius extremum convivium cum suis celebravit, et quid agere deberent eis præcepit. Unde et subditur, *Præcepit eis ab Hierosolymis ne discederent*, nec a loco, nec a significato, discederent scilicet a communitate et communione, ne discederent a visione et desiderio pacis; *sed exspectarent promissionem Patris.* Quæ utique promissio et mea est; quia eam *audistis*, inquit, *per os meum.* In quo monemur et nos, fratres, ne a communione Ecclesiæ recedamus, et pacis, si Spiritus sancti gratiam in nos advenire desideramus. In divisis enim et in inquietis cordibus, non potest habitare Spiritus sanctus. Quas autem gratias per Spiritum sanctum erant acceptari, subsequenter ostendit, emundationis scilicet virtutem, et testificandi audaciam. Et de emundatione ostendit, cum subdit: *Quia Joannes baptizavit aqua*, subaudis sola. *Vos autem, non post multos hos dies, baptizabimini Spiritu sancto*, peccata scilicet vestra a vobis emundante, et ignorantiam vestram illuminante. Quia vero quidam Judæi audierant eum loqui de regno Dei, et de impletione promissionis Patris; interrogant eum, si in tempore hoc restiturus esset regnum Israel, temporale scilicet et mundanum, quod adhuc exspectant Judæi venturum, non memores, quia Dominus responderat Pilato regnum suum non esse de hoc mundo (*Joan.* XVIII). Quorum simplicitatem Dominus redarguit dicens: *Non est vestrum nosse tempora*, etc. Scilicet ventura, *vel momenta*, id est venturas rerum mutationes, *Quæ Pater posuit in sua potestate.* In quo illos manifeste damnat qui tempora et eventus futuros per auguria, et sortilegia, atque divinationes inquirunt. Hoc enim facinus est magnum, et tam in Veteri quam in Novo Testamento prohibitum. Et qui hoc faciunt duplex damnum incurrunt, et hic deceptionem, et in futuro damnationem. Deinde secundam gratiam, quam Spiritus sanctus erat eis collaturus, ostendit cum subdit: *Sed accipietis virtutem Spiritus sancti*, ad duplicem scilicet usum, ad vestri sanctificationem, et ad signorum, miraculorumque ostensionem. Tertiam quoque gratiam subjungit cum dicit, *et eritis mihi testes*, bene vivendo, audacter nomen meum prædicando, mirabiliter operando, fortiter pro me moriendo, *in omni Judæa et Samaria, et usque ad extremum terræ.* Quasi diceret: Salutem quam operatus sum in medio terræ, prædicabitis primo domesticis, deinde vicinis, postea remotis et extremis. Utinam, fratres mei, et in nos Spiritus sanctus descendens, det nobis et peccatorum emundationem, et virtutum sanctificationem, et prædicandi fortitudinem et audaciam, ut, abjecta terrena cupiditate et fortitudine, verbum Dei coram regibus et tyrannis et iniquis constanter prædicemus. *Et cum hoc dixisset*, subaudi et eduxisset eos in montem Oliveti. Ob hoc quippe, fratres, hodie solemnis processio recte fit ad memoriam illius processionis, quam hodie Redemptor noster in montem Oliveti fecit. Qui discipulis suis chara pacis oscula relinquens, et eis benedicens, *videntibus illis elevatus est*, ut visam ejus ascensionem testificari possent. Sed a quo elevatus est? Numquid fratres mei, Dominus tanquam impotens, auxilio indigebat alieno, quo elevaretur, sicut Enoch, qui legitur translatus (*Hebr.* XI), et sicut Elias, qui legitur curru transportatus (*IV Reg.* II)? minime. Illi enim tanquam puri homines, nec etiam per cœlum aereum in paradisum terrenum per se transire poterant. Sed Redemptor noster, tanquam verus Deus, se in cœlum empireum sua elevavit potentia. Elevatus est igitur ipse homo a se Deo. *Et nubes suscepit eum ab oculis eorum.* Porro hæc nubes tulit ei non adjutorium, sed ministerium. Elementa quippe suo Creatori famulantur. Marmor montis, unde Dominus

ascendit, servat usque hodie vestigia pedum ejus tanquam ceræ impressa. Quod, ut pavimentum, ferrum non sinit sibi apponi, sed repellit. Nubes, id est aer condensatus, tanquam bajulus eum suscepit. Cœli cœlorum tanquam Dominus eum susceperunt. Rationalia animalia, id est angeli et homines, visam sui Domini ascensionem testificantur, pariter et admirantur. Unde et subditur, *Cumque intuerentur in cœlum euntem illum*, etc. Quæ causa, fratres mei, exstitit, quod discipuli tam attente Dominum contemplabantur ascendentem? Multiplex : Amor, tristitia, gaudium, admiratio, desiderium, spes. Amor, quia quantum possumus, amata concupiscimus; sicut enim amici amicum transfretantem, quandiu possunt, de specula prospiciunt; et quando amicum videre non possunt, prospiciunt navem, ita discipuli amantissimum Dominum ascendentem contemplati sunt, quandiu potuerunt. Et cum ipsum jam non poterant contemplari, contemplabantur nubem. Et cum nec jam nubem poterant contemplari, contemplabantur viam. Tristitia, quoniam de ejus corporali recessu, quem adeo diligebant, non poterant non contristari. Gaudium, quoniam de glorificatione et exaltatione ejus, quem adeo diligebant, ineffabiliter gaudebant. Admiratio, quoniam supra modum admirabantur humanam naturam, primo sic humillimam, modo super omnes cœlos sic sublimatam. Desiderium, quoniam desiderabant cum toto affectu subsequi, et si corpore in terra retinebantur, tamen cum mente in cœlum sequebantur, et cum eo in cœlo simul habitabant. Spes, quoniam sperabant quo suum et summum caput præascenderat, se inferiora membra conscensuros. Et dum hæc fiunt, *Ecce duo viri*, id est angeli in specie virorum. Duo, ut in ore duorum vel trium testium staret omne verbum (*Deut.* XIX). *Astiterunt*, ut se comministros ostenderent, *juxta illos*, ut videlicet homines per ascensionem Christi jam sibi adæquatos et appropriatos, demonstrarent. Unde et de cætero se ab hominibus non permittunt adorare, *Qui et dixerunt : Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum?* quasi stupidi et per excessum in cœlum rapti? viri autem vocantur, quoniam virtutibus viriles erant. Galilæi dicuntur, quoniam spe et desiderio ad cœlum transmigrabant. Stantes vero erant. Quem ad sequendum Dominum suum mente jam parati erant. *Quid statis aspicientes in cœlum?* Hæc interrogatio non est inquirentis vel increpantis, sed potius erudientis, hoc est quod sequitur : *Hic Jesus qui assumptus est a vobis in cœlum*. Quasi dicat, non exspectetis nunc eum rediturum vel nunquam. Veniet enim non in præsentiarum, sed in fine ad judicium. *Veniet* autem sic, *quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum*, id est ita aperte, ita gloriose, ita cum nubibus, ita cum ministerio angelorum, ita vobis dulcis et lætus. Quam ut nos quoque cum ipsis læti et securi videre mereamur; simus interim sicut et ipsi, viri spiritualibus virtutibus; simus Galilæi, spe et desiderio ad cœlestia transmigrantes; simus stantes et parati ad eum sequendum; simus quoque aspicientes in cœlum plus oculis mentis quam corporis, terrena omnia despicientes, omnem sordem evitantes, mente tota jam cum Christo in cœlestibus habitantes. Appropiemus, quantum possumus, mente ad eum, vita et desiderio atque operibus, ut tandem læti ad eum contendamus, ipso duce, qui hodierna die ascendens in cœlum, sedet ad dexteram Patris cum eo et Spiritu sancto vivens et regnans in æternum. Amen.

HOMILIA LXIX.

IN ASCENSIONE DOMINI.

Novissime recumbentibus undecim discipulis, apparuit illis Jesus (*Marc.* XVI). Historiam Dominicæ Ascensionis, fratres charissimi, quæ die celebrata est hodierna, exponit in prælibata lectione Marcus Evangelista. Distinguitur autem lectio ista capitulis sex. Primo Dominus apparet discipulis suis; secundo eos increpat; tertio eos instruit; quarto opem promittit; quinto in cœlum ascendit; sexto ostenduntur discipuli Domino paruisse, ipso cooperante. Describit igitur primam evangelista Dominum apparuisse, cum dicit : *Novissime recumbentibus*, etc. Porro novissime, id est quadraginta dierum novissimo die, id est hodierno, Dominus apparuit undecim discipulis suis recumbentibus cum beata virgine, cæterisque simul cum eis conversantibus. Nec solum eis apparuit, sed etiam teste alio evangelista, cum eis manducat (*Luc.* XXIV). Sed quare, fratres mei, Dominus mox in cœlum ascensurus, cum non indigeret, manducavit? Ob tres causas. Ut per comestionem veritatem carnis suæ, quam in cœlo sublimaturus erat, demonstraret, ut mox recessurus dilectis suis desideratam suæ præsentiæ copiam, in extremo largius exhiberet, ut charitatis dulcedinisque suæ memoriam in suorum pectoribus per extremi familiaritatem convivii arctius infigeret. Pensemus ergo, fratres, quantæ pietatis, quantæque dulcedinis fuerit istud extremum convivium hodiernum. Quemadmodum namque aliquis paterfamilias, peregre profecturus, suisque vale facturus, suos amicos et familiares convocat· cum eis extremum convivium celebrat, eis majorem in fine dilectionem demonstrat, cum de rebus suis ordinat, ita facit hodie Dominus et Redemptor noster, in cœlum ascensurus, cum chara matre charisque discipulis suis extremum convivium celebravit; eis majorem in fine dilectionem exhibuit. Quid post ascensionem suam agere deberent præcepit, ut sequentia demonstrant.

Sequitur pars secunda, cum subditur : *Exprobravit illis incredulitatem illorum et duritiam cordis, quia his qui viderant eum resurrexisse a mortuis, non crediderant*. Exprobrare est vitium alicui improperare. Porro improperant quidam palam aliqui, quem non diligunt, vitium suum, causa odii et diffamationis; quod non bonum, imo maximum malum est. Cæterum qui Domini vult exemplum sequi, exprobret peccatori vitium suum familiariter, sola charitatis

correctionisque causa. Exprobratio namque palam facta, quoniam non ex fonte charitatis, sed odii videtur manare, peccatorem non emendare solet, sed potius provocare. Sed exprobratio seorsum facta, quia de bono zelo procedere videtur, peccatorem nobis amicat et emendat. Sane non omnis qui aliquid non credit incredulus est, sed ille vero nomine incredulus dici potest qui non credit quod credere debet, præsertim cum sufficiens testimonium habeat, cui jure fidem debeat adhibere. Quales fuere quidam discipulorum, qui Dominum vere resurrexisse non credebant, licet alii discipuli, qui Dominum jam redivivum viderant, tractaverant, et cum eo manducaverant et biberant, eis Dominicæ resurrectionis sufficiens testimonium ferrent. Tales quoque sunt usque hodie miseri Judæi, qui nec propter suorum prophetarum, nec propter apostolorum et evangelistarum, nec propter signorum miraculorumque testimonia Dominicam credere volunt resurrectionem. Nascitur autem talis incredulitas ex cordis duritia, quod nulli credere vult nisi sibi, putans omnes præter se aut deceptos aut falsos esse. Sed, fratres mei, sicut stulta credulitas est cuilibet credere, ita prava incredulitas est nulli credere. Unde Joannes: *Nolite*, inquit, *omni spiritui credere, sed probate spiritus an ex Deo sint* (*I Joan.* IV). Quasi diceret: Postquam probaveritis quod spiritus ex Deo sint, eis fidem adhibete. Sed, fratres mei, quare Dominus electos discipulos suos permisit de sua resurrectione tandiu dubitare? Non hæc frustra, sed provida et utili nobis hæc permisit dispensatione. Plus nobis quippe profuerunt illi qui tarde et vix crediderunt, quam illi qui statim crediderunt. Creduli nempe facile credunt, etiam rei nondum probatæ. Increduli vero econtra rei multimodis probatæ vix credere volunt. Quis ergo non credat quod etiam increduli non credere non potuerunt? Quis non credat quod Thomas incredulus visu propriori et attrectatu manus diligenti credere compulsus est? Quis non credat quod Paulus incredulus et fidei persecutor, a Domino sibi loquente prostratus, excæcatus, et post ab eodem reilluminatus credere coactus est? (*Act.* IX.) Credamus ergo, fratres, absque dubitatione quod etiam increduli crediderunt, et agamus Deo gratias, qui ideo discipulos suos dubitare voluit, ne nos dubitaremus. Ideo eos ad tempus incredulos esse voluit, ne nos increduli essemus.

Sequitur pars tertia, in qua Dominus discipulos suos quid post Ascensionem suam agere debeant instruit dicens: *Ite in orbem universum et prædicate Evangelium omni creaturæ*, etc. Discipuli prius a Domino electi et edocti, post ad prædicandum missi sunt. In quo confunduntur illi qui antequam doceantur, docere et prædicare præsumunt, antequam sint discipuli, fiunt magistri. Confunduntur quoque et illi qui nec vocati, nec missi, sua auctoritate magistrare et prædicare præsumunt, non attendentes quod ait Apostolus: *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* (*Rom.* X.) *Ite*, inquit, *in orbem universum*. Ecce, fratres, quam magnus ager, quam paucis colonis traditur ad colendum. Et revera Dominus alibi dicit. *Messis quidem multa, operarii autem pauci* (*Luc.* X). Propterea prohibetur eis ne aliquid ferant in via, et ne aliquem salutent, ut videlicet expedite et sine cunctatione proficiscantur, et injuncte prædicationis officium festinanter prosequantur. Sed et in hoc nobis sequacibus prædicatoribus proponitur exemplum, ne nos honoribus sæcularium negotiorum oneremus; ne fabulationibus et vaniloquiis tempus consumamus, sed expedite et festinanter officio prædicationis insistamus. *Prædicate*, inquit, *Evangelium*, non aliam doctrinam. In quo confunduntur illi qui, omissa evangelica doctrina, ex se et aliena nova præsumunt populis prædicare; cum dicat Dominus per prophetam: *Annuntiabis eis ex me* (*Ezech.* III). *Omni creaturæ*, id est homini, propter quem omnis creatura facta est, et in quo omnis creatura per naturarum participationem contenta est. Habet enim esse cum lapidibus, vivere cum arboribus, sentire cum pecudibus; discernere cum angelis. Itaque fratres, quoniam propter excellentiam omnis creatura vocamur; dominium quod ex natura super creaturas habemus moribus vindicemus; dominemur rebus temporalibus per rectum usum, rectamque dispensationem; non subdamus nos turpiter illis, ut quidam faciunt, per cupiditatem et avaritiam: de cujusmodi scriptum est: *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus et similis factus est illis* (*Psal.* XLVIII). Quam autem acquiescentes prædicationi utilitatem consequantur, ostenditur cum subjungitur: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit*. At dicit aliquis: Ego credo et baptizatus sum, ergo salvus ero. Verum, frater dicis, si tenes pactum quod in baptismo pepigisti. In baptismo quippe promisisti te abrenuntiaturum diabolo, pompis et operibus ejus. Si autem ad opera diaboli relapsus es, pactum fregisti, et fides et baptismus tibi inutilis factus est. Scriptum est enim. *Qui baptizatur a mortuo, et iterum tangit illum, quid prodest ei lavatio ejus?* (*Eccli.* XXXIV.) Fides quoque, teste Jacobo, *sine operibus mortua est*. (*Jacob.* II.) Paulus etiam de credentibus et opera fidei non facientibus, ait, *Confitentur verbis se nosse Deum, factis autem negant* (*Tit.* I). Itaque, fratres mei, si vere creditis, et pactum baptismi inviolatum tenetis, procul dubio salvi eritis. Si autem baptismi fideique pactum rupistis, festinate, fratres, festinate per lacrymas pœnitentiæ illud quantotius renovare, quoniam divina misericordia, nec etiam illis salutem denegabit qui post lapsum, per veram pœnitentiam resurgunt. Quid vero non acquiescentes predicationi consequantur ostenditur, cum subditur: *Qui vero non crediderit, condemnabitur*. Non autem, ait, qui non crediderit, nec baptizatus fuerit: quoniam sine fide, nec baptismus, nec opera prosunt. Tria ergo, fratres mei, sunt ad habendum nobis adultis necessaria; fides, baptismus, et opera. Quo-

rum unum sine reliquis nihil potest valere nobis.

Sequitur pars quarta, in qua Dominus promittit prædicationem discipulorum semper signa confirmaturum, dicens : *Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur : In nomine meo dæmonia ejicient*, ab obsessis scilicet corporibus. *Linguis loquentur novis*, id est variis et inauditis; de quibus in Actibus apostolorum legimus : *Nonne omnes isti qui loquuntur Galilæi sunt? Et quomodo nos audivimus unusquisque linguam suam in qua nati sumus? Parthi et Medi* (*Act.* II), etc. *Serpentes tollent*, sicut legimus, de beato Hilario, quod, eo viso, serpentes in fugam conversi sunt, non tolerantes ejus aspectum. *Et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit*, sicut legimus de beato Joanne evangelista, qui venenum quo alii exstincti erant bibit : et non solum illæsus mansit, sed etiam exstinctos suscitavit. *Super ægros manus imponent, et bene habebunt*, sicut legimus de beato Petro, qui non solum tactu, sed etiam umbra sua infirmos sanavit. (*Act.* V). Sed nunquid, fratres mei, nos qui nunc hæc signa non facimus, fideles non sumus? aut si fideles sumus, quare hæc signa non facimus? Quoniam signa et prodigia propter incredulos data sunt, ut per ea ad fidem adducerentur, teste doctore gentium: quoniam linguæ datæ sunt in signum non fidelibus, sed infidelibus (*I Cor.* XIV). Quoniam igitur in primitiva Ecclesia necessaria erant miracula, operabatur Dominus multa miracula, etiam per quosdam, solo nomine Christianos. Quibus in fine dicentibus : *Nonne in nomine tuo dæmonia ejecimus, multasque virtutes fecimus*, dicturus est Dominus : *Nescio vos.* (*Matth.* VII). Nunc vero quoniam fides per universum mundum excrevit, quoniam signa inter fideles non sunt necessaria, multi sunt, qui coram Deo interioribus coruscant virtutibus, et tamen exterius miracula non operantur. Plantas quippe novellas irrigamus, eisque adultis cessamus. Sic novellam Ecclesiam miracula nutrierunt, ea confirmata cessaverunt. Cæterum, fratres, licet exteriora signa nunc non operemur, tamen opitulante Deo, spirituales virtutes, quæ hic non tantum habent gloriam, et ideo majoris sunt meriti, possumus operari. In nomine quippe Christi spiritualiter dæmonia ejicimus, si orationibus, correctionibus atque exhortationibus peccatorem a dominio diaboli et peccati liberamus, et Deo lucrificamus. Linguis loquimur novis, si vetustate mendacii, detractionis, adulationis, vaniloquii, cæterumque vitiorum exuta, novis et puris laudibus Deum laudamus, et sanctis novisque sermonibus impios corripimus et docemus. Serpentes tollimus, si, quantum possumus, malitiam serpentinam a cordibus malitiosorum, increpationibus, minis et promissis eliminamus; vel certe ne noceant aliis repulsamus. Mortiferum bibimus, et nobis non nocet, cum audientes detractionem et malitiam, nequaquam acquiescimus, sed potius repellimus et increpamus. Super ægros manus imponimus, et bene habent, cum nobis super infirmos animos et dolentes manum consilii et auxilii adhibentibus, convalescunt et confortantur. Hujusmodi virtutes, fratres charissimi, æmulemur, et habere cupiamus, quæ sanctitatem efficiunt potius quam exteriora miracula, quæ sanctitatem non efficiunt, sed tantum ostendunt. Joannes quippe Baptista, quo major teste Domino, de muliere non surrexit, (*Matth.* II.) testantibus Judæis, nullum signum fecit, qui tamen nulla virtute caruit.

Sequitur pars quinta, cum subjungitur: *Et dominus quidem Jesus postquam locutus est eis*, subaudis, et eos eduxit in montem Oliveti, eisque osculum pacis et benedictionem dedit, *Assumptus est in cœlum*, non auxilio alieno, ut Enoch et Elias, sed ipse homo a se Deo assumptus est. Nec in cœlo tantum aereo, ut Enoch et Elias, sed potius in cœlum, imo super cœlos, super cherubin et seraphin, superque omnem creaturam. Unde Propheta : *Psallite*, inquit, *Domino qui ascendit super cœlos cœlorum ad orientem* (*Psal.* LXVII). Super enim cœlos cœlorum Dominus ascendit, qui omnem altitudinem sibi subjecit. Ad orientem vero ascendit, qui ad illam æternam et inaccessibilem lucem, de qua omne lumen oritur, hodie corporaliter venit. *Et sedet*, inquit, *a dextris meis.* Sedere, fratres mei, quiescentis, regnantis et judicantis est. Bene ergo Redemptor noster post passionem ascensionemque suam sedere describitur, quoniam post laborem requiescit, post prælium regnat, postquam judicatus est judicat. In quo, fratres, nobis exemplum proponitur, quoniam si hic ad imitationem Redemptoris nostri laboramus et patimur, cum eo requiescemus; si ad imitationem ejus contra diabolum pugnamus, cum eo regnabimus, si ad imitationem ejus hic judicamur, cum eo judicabimus. Unde ipse ait : *Qui mihi ministrat me sequatur; et ubi sum ego, illic et minister meus erit* (*Joan.* XII). Simus ergo, fratres, participes laboris, si volumus esse participes honoris; simus consortes pœnæ, si volumus esse consortes gloriæ. Sed quare, fratres, Stephanus post ascensionem videt Filium hominis stantem a dextris Dei? (*Act.* VII). Quoniam Stephanus erat in certamine pro nomine ejus, et ideo videt eum stantem tanquam paratum sibi adjutorem. Nos quoque, fratres mei, si pro ejus nomine certaverimus, quamvis ipse jam regnans sedeat, sentiemus tamen eum stantem, id est paratum nobis ferre opem. Rursus quare describitur Dominus noster Jesus Christus sedere a dextris Dei, cum Deus Pater nec dexteram habeat, nec sinistram? Sed nomine dexteræ, æternæ beatitudinis gloria figuratur. Unde Dominus dicit se oves in judicio ad dexteram constiturum (*Matth.* II). Itaque Redemptor noster a dextris Dei dicitur sedere, quoniam regnat in Patris gloria et majestate. Per sessionem quoque dexteræ æqualitatem solemus intelligere. Illum enim quem ad dexteram nostram sedere facimus, quasi honore nobis adæquamus. Christus ergo recte dicitur ad dexteram Patris sedere, quoniam cum eo regnat in gloria et majestatis

æqualitate. Ut ergo nos hortatur Psalmista, psallamus Domino qui ascendit super cœlos cœlorum ad orientem. Psallamus, inquam, Domino, non mundo, non vanitati sæculari, quorum gaudium vertetur in mœrorem, sed Domino, qui sicut non sibi, sed nobis natus et passus est, ita et nobis resurrexit, et nobis super cœlos ascendit. Gaudeamus, fratres, quoniam natura nostra, cui dictum erat: *Terra es, et in terram reverteris* (*Gen.* III), hodie super omnem cœlorum altitudinem est exaltata, et ad dexteram Dei Patris collocat. Gaudeamus, inquam, quoniam qui in cœlo judex sedet, naturæ particeps nosterque advocatus est. Gaudeamus quoniam angeli, jam non ut olim, nos homines aspernantur, sed potius venerantur, quorum naturæ super se sublimatæ famulantur. Gaudeamus, quoniam aditum regni cœlestis Christus nobis reseravit, quem si vere dilexerimus, procul dubio quo ipse nos præcessit, perveniemus.

Sequitur pars sexta, in qua discipuli describuntur Domino paruisse, cum subjungitur : *Illi autem profecti prædicaverunt ubique.* Quoniam, ut prædictum erat de eis : *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum* (*Psal.* XVIII). Sed nunquid, fratres, hoc ex se potuerunt? Audi sequentia : *Domino cooperante et sermonem confirmante, sequentibus signis.* Dominus quippe, qui discipulis ire et prædicare jussit, ipse eis et velle et facere dedit, ipse eis prædicantibus verbum ministravit, ipse prædicationem eorum virtutibus et miraculis confirmavit, ipse animos auditorum præparavit, et ad credendum inclinavit, juxta quod ipse dixerat eis : *Sine me nihil potestis facere* (*Joan.* XV). Quod plane contra illos est qui quod acute sapiunt, quod persuasibiliter perorant, quod fortiter agunt, naturali ingenio et eloquentiæ viribusque propriis potius quam Deo ascribunt, quasi dicerent : *Linguam nostram magnificabimus, labia nostra a nobis sunt. Quis noster Dominus est?* (*Psal.* XI). Cum e contrario clamet Paulus : *Non est volentis* velle, *neque currentis* currere, *sed miserentis Dei* (*Rom.* IX). Ipse quippe primo bonam voluntatem operatur in nobis sine nobis, postea bonum opus cooperatur nobiscum, quod per misericordiam suam remunerabit in nobis, ac si ex nobis solis processisset. Utinam, fratres mei, ipse qui misit me hodie ad prædicandum vobis, cooperetur mecum, dans sermonem rectum et bene sonantem in os meum, dans et vobis cor docile ad intelligendum, confirmetque sermonem meum, ut quod prædicavi vobis, et in me confirmetur moribus et factis, et in vobis signis compunctionis et emendationis, quatenus ad illa gaudia sempiterna conscendere mereamur, quo ascendit hodierna die Dominus noster Jesus Christus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæculorum sæcula! Amen.

HOMILIA LXX.

DOMINICA PRIMA POST ASCENSIONEM.

Estote prudentes, et vigilate in orationibus (*I Petr.* IV)., etc. Hac in lectione, fratres charissimi, intendit apostolus Petrus nos instruere in moribus. Hortatur quippe nos ad quinque, ad prudentiam, ad orationem, ad charitatem, ad opera misericordiæ, ad referendum semper ad Dominum quodcunque facimus bonum. Hortans igitur primo nos ad prudentiam, ait : *Estote prudentes.* Prudentia enim omnium virtutum dux et prævia est. Sicut namque aliquis sine luce errat et non pergit, ita sine sapientia quilibet errare, nec recte pergere potest. Unde et in lege præcipitur, ut nullum sacrificium sine sale sapientiæ offeratur. Est autem prudentia virtus, unamquamque rem verissima æstimatione pensans. Hujus tres sunt partes. Prima non solum inter bonum et malum, sed etiam inter bonum et melius, et inter malum et pejus sapienter discernit. Secunda discretum sapienter eligit. Tertia electum sapienter acquirit. Prima itaque pars prudentiæ docet nos, fratres charissimi, quid sit modicum bonum, et quid majus et quid optimum, et quid modicum malum, et quid pejus et quid pessimum. Porro modicum bonum sunt divitiæ, honores, potentiæ, et quæcunque a nobis temporaliter possidentur. Et bonum quidem sunt, quoniam a Deo, qui non nisi bona facit, creata et data sunt : modicum vero sunt, quoniam etiam a malis habentur, et male eis utentibus, malæ fiunt. Majus vero bonum sunt, virtutes et Spiritus sancti dona, quoniam non nisi a bonis habentur, et per ea ad summum bonum itur. Optimum bonum est æterna beatitudo, quæ Deus est. E contrario vero modicum malum sunt, miseriæ, indigentiæ, afflictionesque temporales. Et malum quidem dicuntur, id est pœnæ pro malis inflictæ. Modicum vero malum sunt, quoniam etiam bonis hic infliguntur, quibus bene utentibus bonæ fiunt; pejus vero malum sunt vitia et peccata, quæ habentes malos efficiunt, et eos ad pessimum summumque malum pertrahunt. Pessimum summumque malum est æterna damnatio. Itaque fratres mei, summum bonum et æternam beatitudinem, quæ Deus est, super omnibus et præ omnibus appetere debemus, et post, virtutes et dona Spiritus sancti, quæ ad illud nos ducunt, magis appetendæ sunt. E contrario vero etiam damnationem præ omnibus evitare debemus, et post magis vitia et peccata fugienda sunt, quæ ad illam nos trahunt. Modicum vero bonum, modicumque malum, id est temporales abundantias, vel penurias, prosperitates, vel adversitates, quia bene utentibus bonæ fiunt, et male utentibus malæ fiunt, nec multum appetere, nec multum fugere debemus, sed magis in voluntate Dei ponere, ut tribuat nobis quod magis novit nobis expedire, quoniam sunt qui non nisi per prospera salvarentur, et sunt qui non nisi per adversa salvarentur. Ita nos instruit prima pars prudentiæ. Cui contraria est illa stultitia, quæ malum a bono non discernit, sed potius vel malum pro bono sumit vel bonum pro malo, in illam incidens maledictionem : *Væ eis qui dicunt malum bonum et bonum malum* (*Isa.* V). Vel minus bonum pro majore bono, vel minus malum, habet pro majore

malo. Qua stultitia (unde magis dolendum est), laborant hodie plures, plus paupertates et afflictiones mundanas, quam vitia et peccata, vel æternam damnationem fugientes, plusque divitias, honores, et gloriolas mundanas, quam virtutes, quamque æternam beatitudinem appetentes. Itaque pro bonis temporalibus, spiritualia et æterna bona contemnunt. Vocantes illum sapientem qui temporalia bona quacunque arte, quacunque fraude, quacunque abominatione novit aggregare. Sed profecto talis sapientia stultitia est apud Deum. Unde Dominus : *Perdam*, inquit, *sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo* (*Isa.* XXIX ; *I Cor.* I). Quomodo? Quoniam *relinquent alienis divitias suas, et sepulcra eorum domus illorum in æternum* (*Psal.* XLVIII). Secunda vero pars prudentiæ est, postquam sapienter discreverit, sapienter eligere. Nihil enim prodest sapienter inter bonum et malum, et minus majusque bonum discernere, nisi eligas quod magis eligendum est. Quod plane contra nos est magistros et pastores plebium, qui, cum bene inter bonum et malum, interque minora et majora bona vel mala discernamus, et alios quid eligere debeant doceamus, ipsi tamen scienter deterius eligimus, festinantes plus ditari quam justificari, plus honorari apud sæculum quam apud Deum. Sed quid talibus continget ? descendent in infernum viventes, id est scientes, quia scilicet majori bono spreto, deterius sibi elegerunt. Tertia pars prudentiæ est, electum bonum sapienter acquirere. Electum autem bonum sapienter acquirit, qui quam expeditius, quam facilius potest, ad illud habendum tendit. Quod, fratres mei, contra quosdam nostrum est, qui cum tendere ad summum bonum elegerimus, non tamen expedite ad illud tendimus, sed curis sæcularium negotiorum et cupiditatum nos retardamus ; non attendentes quoniam *qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet* (*I Cor.* IX) Unde et cum Moyse a Jethro, id est a quolibet sæculari reprehendimur, quod, divinis rebus contemptis, stulto labore sæcularium consumamur. Unde, fratres mei, acquiescamus consilio gentilis, et eligamus aliquos procuratores, qui pro nobis portent onus curarum sæcularium, ut nos liberius intendamus in his quæ sunt ad Deum.

Secundo nos hortatur ad orationem cum subdit : *Et vigilate in orationibus.* Quod enim per prudentiam sequi vel vitare elegimus, hoc præcipue per orationem impetramus. Per orationem quippe et insultus dæmonum vel vitiorum et fugamus, et virtutes donaque Spiritus sancti, æternamque beatitudinem impetramus, Cæterum quoniam dæmones, qui nunquam dormiunt, sed semper sunt vigiles in insidiando, nos, quantum possimus, semper simus vigiles in orando, juxta quod Apostolus alibi monet, *Vigilate*, inquit, *in orationibus, quia adversarius vester diabolus, tanquam leo rugiens, circuit quærens quem devoret* (*I Petr.* V). Quoniam vero per orationem præcipue diabolus expugnatur, hinc est quod orantem, quantum valet, impedire conatur. Immittit igitur, quantum valet, oranti pigritiam, somnolentiam, alienas vanasque cogitationes. At nos contra, ut monet Apostolus, vigilemus, et immissiones ejus malas quantum possimus, repellamus : juxta quod legitur de Abraham : *Descenderunt volucres cœli super sacrificia, et abigebat eas Abraham* (*Gen.* XV). Tunc autem, fratres mei, bene vigilamus in orationibus, si non solum corpore, sed etiam mente et operibus vigilamus. Qui vero solo corpore in oratione vigilat, et opere vel mente in peccato dormit, talis profecto non vigilare, sed potius dormire in oratione dicendus est. Plus enim perveniunt ad aures Domini mentes quam voces, opera quam verba. Itaque fratres, ante oculos nostros ponamus duos : unum videlicet iniquum, qui solo corpore vigilans orat, et alterum justum, qui ex consuetudine orandi etiam dormiens orat. Dico, fratres, quoniam ille vigilans dormit in oratione, et iste dormiens vigilat in oratione, qui, etsi dormiat corpore, tamen bona vita bonumque propositum orant pro eo. Vidi, fratres sacerdotem quemdam morientem, qui cum ad id devenisset ut nihil in hoc sæculo intelligeret, tamen ex longa quam vivens consueverat consuetudine etiam moriens divinas laudes non cessabat frequentare. Assuefaciamus, itaque, fratres mei, nos ad orandum, non sola voce, sed etiam mente et opere. Surgamus cum Psalmista media nocte ad confitendum Domino (*Psal.* CXVIII). Septies quoque ei laudem dicamus, in matutinis, laudibus, in prima, in tertia, in sexta, in nona, in vespere, in completorio; imo quidquid facimus, sive eximus domum, sive redimus, sive sedemus, sive surgimus, sive quidquid aliud facimus, semper oratione nos armemus, ut ex longa consuetudine, etiam dormientes vel morientes, non possimus non orare. Si enim non est sine peccato quod iniquus ex consuetudine etiam dormiens jurat, non est sine merito quod justus etiam dormiens orat.

Tertio nos hortatur Apostolus ad charitatem, cum subdit : *Ante omnia, fratres mei, mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habentes.* Bonum quippe, quod per sapientiam eligimus et per orationem postulavimus, per charitatem possidemus. Qui enim Dei charitatem habet, profecto jam Deum habet, Quia Deus charitas est (*I Joan.* IV), in se essentialiter, et in nobis causaliter. Charitas quippe est dilectio, qua diligimus Deum propter se, et nos et proximum propter Deum. Et Deum quidem, fratres, propter se debemus diligere triplici de causa : quoniam naturaliter in se est bonus et diligendus, quoniam prior nos diligendo meruit diligi, quoniam utilissimum est eum diligere. Proximum vero debemus diligere, non propter se, sed propter Deum, quia scilicet est opus Dei, quia jussit illum a nobis diligi, quia est bonus, vel ut sit bonus. In bono enim et non in malo, vel nos vel proximum diligere debemus. In malo quippe vel se vel proximum diligere, non est diligere, sed odisse. Magnam ergo discretionem in dilectione mali proximi debemus habere

ut videlicet ejus diligamus ita naturam quod non diligamus ejus iniquitatem, et ita odio habeamus ejus iniquitatem quod non odio habeamus ejus naturam. Nam æqualiter peccat, vel qui propter naturam diligit proximi iniquitatem, vel qui propter iniquitatem odit naturam. Hanc autem charitatem debemus habere continuam. Nam sicut corpus sine spiritu nequit vivere, ita nec anima sine Dei et proximi dilectione. Veram dilectionem nulla adversitas, nec etiam mors ipsa interrumpit. Quoniam fortis ut mors (*Cantic.* VIII), imo plusquam mors dilectio. Et in alia vita non excidet, sed perficietur. Hanc etiam charitatem debemus in nobismetipsis, id est in intimis cordibus habere radicatam, ut scilicet non diligamus verbo, neque lingua, ut quidam faciunt, sed opere et veritate (*I Joan.* III). Debemus quoque eam habere ante omnia, quoniam, ea habita, omnia habentur, et, ea non habita, nulla habentur. Nulla enim valent sine ea, et per eam valent omnia. Hæc est oleum, quod premi non potest, sed omnibus superfertur liquoribus. Si ergo, fratres mei, omnes virtutes, vel omnes scientias habere non possumus, saltem charitatem habeamus, ut per eam in aliis omnes virtutes et scientias habituri simus. Quare autem charitatem habere debeamus, ostendit cum subdit : *Quia charitas operit multitudinem peccatorum*, etc. Futurorum ne fiant, et factorum, ne videantur ad pœnam. Per hoc quippe, fratres, maxime peccata nobis dimittuntur, quod nos aliis dimittimus, quod nos miseris compatitur, quod nos aliorum onera portamus per misericordiam.

Quarto ad opera misericordiæ nos hortatur, cum subdit : *Hospitales invicem sine murmuratione*. Habita quippe charitas non potest otiosa esse, sed se ostendit per opera misericordiæ. Inter opera misericordiæ, fratres, hospitalitas præcipua est. Lot enim et Abraham, et plures tam in Veteri quam in Novo Testamento patres, quoniam homines hospitio suscipiebant, angelos, imo ipsum Deum, suscipere meruerunt. Hæc est una de sex operibus misericordiæ, quam Dominus in judicio memoraturus est : *Hospes eram, et suscepistis me* (*Matth.* XXV). Hanc præcipit Apostolus fieri sine murmuratione. Qui enim hoc vel aliud opus misericordiæ cum murmuratione oris, vel cum rancore mentis facit, et rem et meritum perdit. Hoc contra illos qui cum hospes venit, submurmurant, tristantur, vultum obnubilant, causantur sibi deesse domus amplitudinem, lectorum et operimentorum sufficientiam ; dicunt magnam adhuc diei partem superesse, ut ita eos abire cogant. Quid dicam econtrario de illis qui hospites ad hospitium invitant, ut eos expilent ? Fures sunt et latrones. Itaque, fratres mei, ob solum Deum hospitalitati studeamus. Hospites læti suscipiamus, imo etiam more antiquorum eos quæramus et cogamus, læti eis hoc quod possumus exhibeamus, plus enim devotio quam magnitudo obsequii placet Deo. Deinde ad cætera charitatis opera nos hortatur, cum subdit : *Unusquisque gratiam sicut accepit, illam administrando*. Ad hoc Deus singulis singulas confert gratias, ut unusquisque gratiam suam, non sibi soli, sed cæteris non habentibus, administret. Itaque qui habet sapientiam, eam doceat insipientes; qui habet divitias, eis sustentet indigentes; qui habet potestatem, ea defendat impotentes : ne lucem sub modio celantes, et talentum occultantes, spolientur eis et reprobentur (*Luc.* II; *Matth.* XXV). —*Sicut boni*, inquit, *dispensatores multiformis gratiæ Dei*. Bonus dispensator est, non qui bona domini sui sibi soli retentat, sed qui ea secundum Domini voluntatem erogat. Nos autem fratres, non domini, sed dispensatores sumus rerum a Domino Deo nobis commendatarum. Si ergo res Domini non distribuamus, ut ipse præcepit, filiis suis indigentibus, jure convincimur esse fures rei Dominicæ, et pauperum ejus homicidæ. Hoc timeant, hæc meditentur divites, qui pauperibus inopia pereuntibus divitias suas nolunt erogare. Tot enim rei sunt animarum, quot a fame, cum possent, contempserunt liberare.

Quinto nos hortatur ad opus Dei digne tractandum, cum subdit : *Si quis loquitur quasi sermones Dei*, id est si quis loquitur sermones Dei, loquatur eos quasi sermones Dei. Quod facit prædicator, cum sermonem et Deo attribuit, et ad Deum refert, et digne profert. Deo sermonem attribuit, qui si quid boni loquitur, non sibi, ut quidam faciunt, sed Deo ascribit. Ad Deum sermonem refert, qui non ad lucrum vel ad gloriam temporalem, ut quidam faciunt, sed ad Dei gloriam et proximorum dirigit utilitatem. Digne sermonem Dei profert, qui non illum malo exemplo destruit, qui non illum negligenter, non pigre, ut quidam faciunt, dicit, sed potius verbum Dei cum bono exemplo, cum magna devotione prædicat et strenuitate. *Si quis*, inquit, *ministrat*, subaudis minister, *tanquam ex virtute quam administrat Deus*. Quod tunc faciemus, cum, si quid bene ministramus, Deo totum attribuimus, et ad Deum referimus, et, quantum valemus, devote, sapienter strenueque ministramus. *Ut in omnibus*, inquit, *honorificetur Deus*. Cum enim nos bonos prædicatores, bonos ministros, bonos Dei filios nos exhibemus, Deus in nobis honoratur et sanctificatur, non quod ipse sanctior sit ex nobis, sed quia nos sanctiores sumus ex eo, et hoc per Jesum Christum Dominum nostrum, cui est honor et gloria, cum Patre et Spiritu sancto per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LXXI.

DOMINICA PRIMA POST ASCENSIONEM.

Cum venerit Paracletus quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me (*Joan.* XV). Recessurus, fratres charissimi, Dominus et Redemptor noster per passionem a discipulis suis, et in cœlum ascensurus, ne se derelictos et desolatos dolerent, promittit eis se missurum consolatorem, videlicet Spiritum sanctum. Prædicit igitur eis in hac lectione *quatuor* : primo, quod mittet eis Spiritum sanctum ; *secundo*, quid Spiritus sanctus in eis sit operaturus; *tertio*,

persecutiones eis venturas demonstrat; quarto, quare hæc prædicit ostendit. Prædicit ergo eis primo se missurum Spiritum sanctum, cum ait : *Cum venerit Paracletus quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis qui a Patre procedit.* Sed nullus vestrum, fratres charissimi, cum audit vel adventum, vel missionem, vel descensionem Spiritus sancti, localem intelligat Spiritus sancti motionem. Spiritus enim sanctus cum sit unum cum Patre et Filio in substantia, et sicut substantialiter omnia complet, ita nec accedere nec recedere localiter potest. Sed tunc Spiritus sanctus ad nos venire vel descendere dicitur, cum in nos donum et gratia ejus mittitur, secundum tropum qui metonymia dicitur, quando videlicet quod est doni ascribitur auctori. Secundum hoc dicit Joannes, quod septem sunt Spiritus sancti missi in omnem terram, quoniam scilicet sunt septem dona ejus, quæ fidelibus per orbem distribuuntur. Sed hic considerandum est, fratres charissimi, quoniam non propter quælibet dona sua dicitur Spiritus sanctus mitti. Si enim det alicui scientiam vel potentiam, vel hujusmodi, quæ etiam a malis habentur, non ideo dicitur Spiritus sanctus in eum mitti; sed propter ea sola dona quæ hominem sanctificant, ut est charitas, continentia, misericordia et cæteræ virtutes, dicitur mitti. Unde, fratres mei, desideremus et laboremus obtinere, non ea dona quæ etiam mali habent, sed illa quæ soli habent boni, et per quæ Spiritum sanctum merentur habere possessorem, *quem ego*, inquit, *mittam vobis a Patre*, idem de eodem Spiritu alibi dicit : *Quem mittet Pater in nomine meo* (*Joan.* XIV). Ex quo profecto patet quoniam Spiritus sanctus mittitur a Patre, mittitur et a Filio. Sed quod Filius mittit Spiritum sanctum, non a se, sed a Patre habet. Unde et adjungit : *Quem ego mittam vobis a Patre.* De quo et adhuc subjungit : *Qui a Patre procedit*, æternaliter scilicet et ineffabiliter. Unde, fratres, duplex processio Spiritus sancti intelligitur. Una, qua Spiritus sanctus procedit æternaliter a Patre et Filio, ut tertia in Trinitate persona, et una cum eis substantia, qua quotidie æque a Patre et Filio procedit temporaliter ad sanctificandum creaturam. Vocatur autem idem Spiritus sanctus multis nominibus. Dicitur autem Spiritus sanctus, quoniam sanctificat creaturas. Vocatur Paracletus, quoniam consolatur desolatos, medetur infirmis, consulit inconsultis, remittit reis. Vocatur quippe Spiritus veritatis, quoniam non fallit sicut diabolus, sed promissa veraciter reddit, et homines veraces facit; veraces in peccatorum confessione, in veritatis prolatione, veraces in operis intentione. Vocatur etiam Amor, Concordia, Benignitas, tum quoniam est connexio Patris et Filii, tum quia in cordibus hominum, amorem, concordiam et benignitatem spirat et nutrit. Unde, fratres, propensioribus desideriis eum assidue flagitare debemus, quatenus ille desiderabilis Spiritus sanctus nos a sordibus nostris sanctificet, veraces efficiat, amabiles, concordes et benignos reddat.

Secundo, quid Spiritus sanctus in discipulos operatus sit, ostendit cum subjungit : *Ille testimonium perhibebit de me.* Tripliciter, fratres, perhibet Spiritus sanctus testimonium de Christo, quod ipse sit Filius Dei : per miraculorum et virtutum operationem; per interiorem in cordibus hominum inspirationem; per prædicationis testificationem. Aliis quippe persuasit credere Spiritus sanctus in Christum per miracula et virtutes, aliis per interiorem inspirationem; aliis per exteriorem prædicationem. Testimonium quippe Spiritus sanctus Christo perhibet metonymice, dum homines ei testimonium facit perhibere. Unde et subdit. *Et vos testimonium perhibebitis.* Ac si diceret : Vos etiam qui nunc estis timidi, me derelicto, fugientes, ad unius ancillæ vocem me negantes, propter metum Judæorum latitantes, ne vel unam ob linguam Judæorum me confiteri audentes, Spiritu sancto, Spiritu videlicet fortitudinis, vos interius roborante, omni genti et omni lingua de me testimonium perhibetis. Et quomodo? quatuor modis : me Filium Dei prædicando; in me recte vivendo, quoniam sanctitas ministrorum sanctitati attestatur magistri; in nomine meo virtutes et miracula faciendo, quoniam virtus nominis attestatur auctori; propter nomen meum patiendo, quoniam bene attestatur rei qui propter eam non refugit mori (46'). Utinam, fratres mei, descendat et in nos Spiritus sanctus, dans nobis audaciam et virtutem Christo testimonium perhibendi. Quod enim sine lacrymis dicere non possum, nos magistri Ecclesiæ sumus hodie timidiores quam rudes discipuli Christi in initio nascentis Ecclesiæ. Dum enim propter timorem alicujus personæ sæcularis, vel negamus, vel silemus veritatem, Christum, qui veritas est, negamus. Dum raptore pauperem rapiente, nostrum ei auxilium subtrahimus, quasi Christo relicto fugimus. Dum potente pupillam vel viduam cruciante, nihil ei obloquimur, quasi Christo in cruce pendente tacemus. Dum persecutoribus Ecclesiæ, per rigorem justitiæ nos non opponimus, quasi propter metum Judæorum latitamus. *Quia*, inquit, *ab initio mecum estis.* Ac si dicat, cum de re visa et audita, bene possit homo testimonium perhibere, vos bene testimonium de me potestis ferre, quia ab initio mecum estis, quia convictu familiari, in veritate circa me edocti. Unde apostoli loco Judæ, non neophytum elegerunt, sed in doctrina Christi diutius informatum unde Petrus : *Oportet*, inquit, *ex his qui sunt omni tempore nobiscum, ex quo intravit et exivit Dominus noster Jesus Christus, testem resurrectionis nobiscum fieri unum ex istis* (*Act.* I). Hoc contra illos qui rudem et neophytum eligunt in magistrum, et contra illos quoque, qui doctrinam, in cujus schola nutriti non fuerunt, docere præsumunt et prædicare. Tertio prædicit eis tres

(46') *Sic vos non vobis:* invenit Radulphus Ardens, laudatur B. Pascal. V. *Pensées de B. Pascal, v° Témoins qui se font égorger.* — Ed. P.

venturas persecutiones, videlicet ejectionem : interfectionem, et infamiam. Ejectionem cum ait, *Sed hæc*, inquit, *locutus sum vobis*, id est prædixi vobis, *ut non ideo scandalizemini, quod absque Synagogis faciant vos*. Sicut enim hodie propter publica scelera, aliquos excommunicamus, et ab Ecclesiæ communione ejicimus, ita Judæi discipulos Christi, tanquam sceleratos, propter Christum a synagogis excludebant. Interfectionem et infamiam cum subjungit : *Et venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur se obsequium præstare Deo*. Ac si diceret : Adeo male opinabuntur de vobis, quoniam putabunt vos adeo esse Deo odiosos, quod in hoc quod interficient vos, arbitrabuntur officium se Deo præstare, et in hoc se ei placere. *Et hoc*, inquit, *facient, quia non noverunt Patrem neque me*, quia non noverunt Deum esse meum Patrem, nec me noverunt esse ejus Filium. Ac si diceret : Non gravet vos, si ejiciamini a synagogis eorum qui Deum non noverunt. Ne gravet vos, si interficiamini propter Deum, ab ignorantibus Deum. Ne gravet vos, si contrarii Deo arbitremini ab his qui Deum nescierunt. A consortio enim malorum excludi, Deo conjungi est, propter Deum interfici, vivere est ; propter Deum falsam infamiam pati, laus est. Hinc, fratres, exemplum consolationis sumamus, si quando mali consortium nostrum odiunt vel aspernantur, si nos ad mortem persequuntur, si de nobis bene viventibus detrahunt et male opinantur. Hæc enim propter Christum patienter pati est Christo testimonium ferre, et ita Christi martyrem esse. Quarto causam subdit, quare hæc eis prædixerat : *Hæc locutus sum*, inquit, *vobis, ut cum venerit hora, eorum reminiscamini, quia ego dixi vobis*. Et quæ inde utilitas ? Multiplex. Ut me in omnibus veracem intelligatis, ut consolationem a me prædictam certe exspectetis, ut fortiter contra adversa vos armetis, ut ipsa adversa fortiter sustineatis, ut in ipsis adversis in spe consolationis exsultetis. Quid hæc prædicta fuisse apostolis profuerit, patuit, quando *ibant apostoli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati* (*Act.* v). Nos itaque, fratres mei, suspiriis et lacrymis, Redemptorem nostrum Jesum Christum flagitemus, quatenus det nobis Spiritum sanctum, qui inspiret nobis de peccatis pœnitentiam ; in prosperis temperantiam, in adversis fortitudinem, in mœstis consolationem, inspiret nobis contemptum terrenorum, amorem cœlestium, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per infinita sæculorum sæcula. Amen.

HOMILIA LXXII.

IN DIE SANCTO PENTECOSTES.

Dum complerentur dies Pentecostes, erant omnes discipuli pariter in eodem, etc. *loco* (*Act.* II.) Hodie, fratres charissimi, adventum Spiritus sancti in discipulos celebramus : quem quoniam prælibata lectio sufficienter explanat, convenienter hodie in Ecclesia recitatur. Ostenduntur itaque septem in hac lectione, id est, quando, in quos, ubi, quibus signis, et quomodo Spiritus sanctus descenderit, quid in eis contulerit, et quanta admiratio inde subsecuta sit. Primum igitur nobis ostenditur quando Spiritus sanctus in discipulos venit, cum dicitur : *Cum complerentur dies Pentecostes*. Porro Spiritus sanctus bis legitur apostolis datus. Primo ipso resurrectionis die, quando Dominus insufflavit apostolis, dicens : *Accipite Spiritum sanctum* (*Joan.* XX). Secundo die Pentecostes die scilicet hodierna. In die resurrectionis eis datus est ad peccatorum remissionem, ut scilicet cum resurgente resurgerent, et ipsi a peccatis, in quibus vel fugiendo, vel negando, vel diffidendo, vel dubitando ceciderant. Quinquagesima vero die datus est eis idem Spiritus sanctus ad corroborationem, et ad confirmationem, ut videlicet de cætero in fide firmi, nulli cederent persecutioni, sed potius coram omni potestate veritatem constanter prædicarent. Unde et in prima sancti Spiritus donatione, tantum Spiritum sanctum accepisse, in hac vero etiam Spiritu sancto leguntur fuisse repleti. Similiter, fratres, etiam hodie bis donatur Spiritus sanctus fidelibus, primo in baptismo vel in pœnitentia ad peccatorum remissionem, secundo in confirmatione ad confirmationem et roborationem. Quod bene significatur per hoc quod discipuli prius in die Dominicæ resurrectionis Spiritum sanctum accepisse, et post quinquagesima die Spiritu sancto memorantur repleti fuisse, quoniam, nisi prius per Spiritum sanctum a peccatis nostris resurrexerimus, et ut in quadragesimam pœnitentiæ et in Decalogi adimpletionem laboraverimus, Spiritu sancto repleri non valemus. Nos ergo, fratres mei, qui in tumulo peccatorum jacemus, oremus illum benignissimum Spiritum, ut nos a peccatis nostris resurgere faciat. Vos vero, qui jam per Spiritum sanctum a peccatis resurrexistis, et in quadragesima satisfactionis et Decalogo legis desudavistis, orate et vos illum sanctissimum Spiritum, ut vos gratiarum suarum augmento repleat, et in virtute confirmet. Secundo in quos Spiritus sanctus descenderit, ostenditur, cum dicitur : *Erant omnes discipuli* subaudis exspectantes, et Spiritum sanctum suscipere præparati, juxta quod Dominus eis præceperat *a Jerosolymis ne discederent, sed exspectarent promissionem Patris* (*Act.* I). Exspectabant autem et præparabant se ad suscipiendum Spiritum sanctum, orando et jejunando. Quod orando, ostendit in Actibus apostolorum dicens : *erant*, inquit, *perseverantes in oratione cum mulieribus, et Maria matre Jesu* (*ibid.*). Quod jejunando, hinc cognoscimus quod Dominus Judæis quærentibus quare discipuli sui non jejunarent, responderat dicens : *Non possunt filii Sponsi lugere, quandiu cum eis est Sponsus. Venient autem dies, quando auferetur ab eis Sponsus, et tunc jejunabunt* (*Matth.* IX ; *Marc.* II ; *Luc.* V). Quidquid autem de jejunio ciborum, certo certius est, quia ab omni vitio et peccato, ab omni mala et vana cogitatione, ab omni malo et vano verbo, quantum potuerunt, jejunaverunt, ut Spiritum puritatis, ipsi purificati, pure suscipere mererentur. Nos quo-

que, fratres mei, si Spiritum sanctum suscipere desideramus, operæ pretium est ut discipuli Christi simus, et in oratione et jejunio perseveremus. Discipuli Christi sumus, si in humilitate, si in quiete, si in timore et amore, disciplinam et doctrinam ejus amplexamur. Nam super tales procul dubio requiescit Spiritus sanctus. Unde ipse per Prophetam : *Super quem requiescam, nisi super humilem et quietum, et trementem verba mea ?* (*Isa.* LXVI.) Oportet quoque ut perseveremus in oratione, non de solis labiis, sed de paro corde. Nam ut Sapiens ait : *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum , et auferet se a cogitationibus quæ sunt sine intellectu* (*Sap.* I). Oportet etiam ut jejunemus, non a solis cibis, sed etiam a mala et vana cogitatione, locutione, et operatione : Scriptum est enim. *In malivolam animam non introibit sapientia, et non habitabit in corpore subdito peccatis* (*ibid.*).

Tertio ostenditur ubi orant discipuli, cum Spiritus sanctus super eos venit, cum subditur : *Pariter in eodem loco.* Minus dicit et plus significat. Erant quippe in eodem loco, in eodem corde et amore, in eadem rerum communione. In eodem siquidem loco erant, quia in eadem urbe Jerusalem, in eodem monte Sion, in eodem cœnaculo sacræ Scripturæ spiritualisque refectionis. In eodem quoque corde et amore erant, quoniam de eis scriptum est : *Multitudinis credentium erat cor unum et anima una* (*Act.* IV). In eadem etiam rerum communione erant, quoniam *non dicebat aliquis aliquid proprium eorum quæ possidebant, sed erant eis omnia communia* (*ibid.*). Porro eorum univolam cohabitationem, et communionem admiratur in spiritu Propheta, dicens : *Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum* (*Psal.* CXXXII) ; et alibi : *Deus in loco sancto suo : Deus qui inhabitare facit unius moris in domo* (*Psal.* LXVII), id est unanimes. Nullus enim locus magis sanctus, nec magis Deo propitius est, quam sanctorum consonantia et unanimitas animorum : quam ipse solus per gratiam suam in sanctis congregationibus operatur. Ubi quippe pax et concordia, ibi charitas, procul dubio est et Deus. Ubi vero discordia, lis et odium est, ibi profecto malignus spiritus est. Itaque fratres charissimi, si Spiritum sanctum in nos advenire desideramus, tollamus de medio nostri lites, discordias, invidias et odia. Et sicut pariter convenimus in eadem ecclesia, sicut eisdem sacramentis participamus, sicut est nobis una fides, unum baptisma, unus Deus et Dominus, ita sit in nobis una voluntas, una charitas, et una rerum communitas. Communicent nobiscum pauperes corporalia bona, sicut communicant spiritualia. Communicent terrena nobiscum, sicut communicaturi sunt æterna. Cæterum quid dicam de quibusdam claustralibus, qui cum in eodem refectorio comedant, in eodem dormitorio quiescant, in eodem choro excubent, in eadem rerum communione vivant, in eodem ordine militent, tamen per invidiam et odium a se invicem discordant. Quid etiam de conjugibus, quibus, cum sit una mensa, unus lectus, una etiam secundum apostolum; caro, A tamen intestinum odium gerunt atque discordiam. Certe quicunque tales sunt, non Spiritum sanctum, unde magis dolendum est, sed Satanam recipiunt habitatorem.

Quarto demonstratur quibus signis Spiritus sanctus adventum suum in discipulos demonstraverit, cum subjungitur : *Et factus est repente de cœlo sonus*, etc. Porro duobus signis adventus Spiritus sancti demonstratus est : Unum fuit *sonus de cœlo repente factus, tanquam advenientis spiritus vehementis, qui replevit totam domum ubi erant discipuli sedentes.* Sane sonus iste convenienter significavit adventum Spiritus sancti. Sonus quippe invisibilis est et invisibiliter totus simul ad aures fertur singulorum, et usque ad corda penetrat, et ea ad intelligendum excitat. Sic Spiritus B sanctus invisibilis est in sui natura, et invisibiliter totus simul ad singulos fideles fertur, et usque ad intima cordium penetrat, eaque ad intelligendum excitat. Qui sonus convenienter venit de cœlo, quoniam Spiritus sanctus mittitur a summo Patre, juxta illud : *Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est descendens a Patre luminum* (*Jac.* I). Convenienter quoque dicitur factus repente et tanquam advenientis spiritus vehementis, quoniam Spiritus sanctus operatus est in discipulos, et subito et velociter, ita ut non paulatim, sed subito et cito eos de rudibus efficeret sapientes, de tepidis ferventes, de timidis audaces, ut unusquisque eorum dicere posset cum Psalmista : *Nunc cœpi. Hæc mutatio dextræ Excelsi* (*Psal.* LXXVI). Potest autem hoc adverC bium, *tanquam*, ibi notare vel veritatis expressionem, quoniam sonus ille fuit significativus vere Spiritus sancti advenientis et vehementis, id est, a mente vehentis et ab effectibus carnalibus alienantis. Vel potest solam notare similitudinem, quoniam sonus ille fuit tanquam spiritus, id est venti vehementis. Hoc nomen enim spiritus, et ad spiritum, et ad ventum, et ad cantum, æquivocum est , sicut apud Hebræos Ruha [רוח], et apud Græcos pneuma [πνεῦμα]. Alterum vero signum fuit, ignis per linguas dispertitus, qui supra singulos eorum resedit. Unde et subditur. *Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, seditque supra singulos eorum.* Porro convenienter Spiritus sanctus per ignem, significatur. D Spiritus enim sanctus amor est. Unde et Joannes, *Deus charitas est* (*I Joan.* IV). Dominus quoque Spiritum sanctum ignem vocat, dicens : *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut ardeat?* (*Luc.* XII.) Sicut enim sunt septem dona Spiritus sancti, sic et septem sunt proprietates ignis. Ignis quippe dura emollit, frigida calefacit, tenebrosa illuminat, mollia corroborat, impura examinat, sursum fertur, distributus multiplicatur. Sic et Spiritus sanctus dura corda emollit per Spiritum timoris, frigida calefacit per spiritum pietatis, tenebrosa illuminat per spiritum scientiæ, mollia corroborat per spiritum fortitudinis, impura examinat per spiritum consilii, sursum rapit per spiritum intellectus, distributus locupletat per spiritum sapientiæ. Sapientia enim

nobilis possessio distributa suscipit incrementum, et avarum dedignatur possessorem, nisi publicetur, elabitur. In igne igitur Spiritus sanctus super discipulos venit, quoniam præfatas ignis proprietates in eis efficit, qui in Christum in specie columbæ venerat, quia peccatores per columbinam simplicitatem colligere decenderat. In linguis vero super eos venit, quoniam eos in omnibus linguis eloquentes fecit, ut videlicet perceptam a Spiritu sancto sapientiam, omnibus linguis omnibus loqui et scirent et auderent. Utinam, fratres, et in nos infimos prædicatores, Spiritus sanctus descendere dignetur, inspiretque sapientiam, eloquentiam et fortitudinem nobis, quatenus verbum Dei intelligamus, et intellectum, ea saltem lingua, quam novimus, eloqui constanter audeamus!

Quinto demonstratur quomodo Spiritus sanctus in discipulos descendisse dicatur, cum subjungitur: *Et repleti sunt omnes Spiritu sancto*, id est gratia Spiritus sancti. Non enim aliter Spiritus sanctus descendere, venire, vel dari dicitur, nisi quia ejus gratia datur, secundum tropum loquendi, quo quod doni est, attribuitur donanti. Nemo igitur in his quæ vel audita, vel visa ibi sunt, Spiritus sancti putet apparuisse substantiam, quoniam substantia Patris et Filii et Spiritus sancti invisibilis, sicut omnia complet, ita nec accedere, nec recedere localiter potest. Dicuntur autem nunc demum discipuli Spiritu sancto repleti esse, quoniam et si ante Spiritum sanctum habuisse dicantur, tamen quia meticulosi fugiebant, latebant, et silebant, Spiritu sancto quas semipleni erant. Nunc vero quoniam, Spiritu sancti conceptam virtutem jam cohibere intus et silere non poterant, sed more dolii musto novo pleni eructabant et supereffundebant, recte Spiritu sancto repleti dicuntur. Unde et a Judæis postea ebrii esse dicti sunt. Sexto quid discipulis Spiritus sanctus contulerit, ostenditur, cum dicitur: *Et cæperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis.* O quam, fratres charissimi, velox magistrer est Spiritus sanctus. Non est adhibita interpretatio ad intelligendum, non consuetudo ad usum, non tempus ad studium. Sed mirabiliter et inaudito more, Spiritus sancto operante, repente timidi fiunt audaces, rudes, sapientes, elingues, omnilingues, timidi repente fiunt audaces, quoniam qui modo loqui non audebant, nunc cœperunt publice loqui. Rudes repente fiunt sapientes, quoniam qui modo, teste Domino, sine intellectu erant (*Matth.* xv), nunc mysteria Scripturarum et magnalia Dei intelligebant et eloquebantur. Elingues repente fecit omnilingues, quoniam qui modo una lingua Hebræorum perfecte loqui nesciebant, nunc omni lingua perfecte loquebantur. Et horum omnium nihil ex viribus, nihil ex ingenio, nihil ex doctrina sua faciebant, sed quid et quantum, et quomodo Spiritus sanctus dabat eloqui illis, juxta quod Dominus noster promiserat illis: *Dum steteritis ante reges et præsides, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini* (*Matth.* x; *Marc.* xiii). Pulchre autem sicut in constructione Babel, turre scilicet confusionis, una lingua in plures propter superbiam divisa est (*Gen.* xi), ita nunc in construenda Ecclesia, domo scilicet Dei, plures linguæ propter humilitatem uniuntur. Superbis quippe Deus resistit, et humilibus dat gratiam (*Jac.* iv). Non igitur fratres, nihil de viribus, nihil de ingenio, nihil de arbitrio, vel merito nostro, præsumamus, sed potius de gratia Dei, qui mysteria sua abscondit a sapientibus et prudentibus, et revelat ea parvulis (*Matth.* xi; *Luc.* x), atque linguas infantium facit disertas (*Sap.* x). Septimo demonstratur quanta admiratio subsecuta sit magnalia Spiritus sancti, cum subditur: *Erant autem in Jerusalem habitantes viri religiosi ex omni natione quæ sub cælo est*, et ideo omnium linguarum ignari. *Facta autem voce*, linguarum scilicet variarum auditione, *convenit multitudo*, tanquam ad rem mirabilem et inauditam, *et mente confusa est* in ista re, cujus causam et modum non poterant investigare: *quoniam audiebat unusquisque*, diversarum linguarum. *Lingua sua illos loquentes. Stupebant autem omnes, et mirabantur, dicentes: Nonne ecce omnes isti qui loquuntur*, tantum lingua et natione, *Galilæi sunt? Quomodo nos audivimus*, ab eis, *unusquisque linguam nostram in qua nati sumus? Parthi et Medi, et Elamitæ*, etc., *audivimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei.* Quare, fratres mei, dedit Dominus discipulis suis loqui variis linguis? ob tres causas: Ad expedimentum prædicationis, ut scilicet ad cujuscunque linguæ populum venirent, non indigerent interprete, sed statim possent prædicare. Ob signum divinæ virtutis, ut scilicet per hoc quod omni lingua loquerentur, eos a Deo doctos et missos esse adverterent. Unde Paulus: *Linguæ in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus* (*1 Cor.* xiv. Ob figuram generalis conversionis, ut videlicet per hoc significaretur quod non solus populus Judæorum, sed etiam juxta prophetam: *Omnis populus tribus et linguæ servient ei* (*Daniel.* vii). Unde Paulus: *Et omnis*, inquit, *lingua confitentur quia Dominus noster Christus in gloria est Dei Patris* (*Philip.* ii). Quem ut nos vere confiteri valeamus, oremus illum Spiritum sanctum quatenus igne suo sancto renes nostros et cor nostrum urat, purget et in bono confirmet, illuminet et inflammet, quatenus, omnibus terrenis contemptis, ad cœlestia toto desiderio tendamus, et proximos nostros nobiscum trahere contendamus. Per Jesum Christum. Amen.

HOMILIA LXXIII.

IN DIE SANCTO PENTECOSTES.

Si quis diligit me, sermonem meum servabit (*Joan.* xiv), etc. Quoniam hodierna Spiritus sancti adventus solemnitas, fratres charissimi, nos hodie in unum congregavit, necessarium duximus quantulumcunque sermonem facere vobis de evangelica lectione. Distinguitur autem lectio ista capitulis quinque. Accessurus quippe Dominus ad passionem, primo hortatur eos ad dilectionem. Secundo promittit eis Spiritum sanctum. Tertio dat eis pacem. Quarto

consolatur eos, ne timeant. Quinto eis ostendit se innocentem propter obedientiam jam passurum. Primum igitur ad dilectionem, exemplo et præcepto discipulis commendatam, hic hortatur, ostendens quid vera dilectio faciat, et ad quid perducat. Quid faciat ostendit, cum dicit: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit.* Effectus veræ dilectionis, est observantia mandatorum Dei. Itaque, fratres, si vere Deum diligimus mandata ejus observamus. Si vero mandata ejus non observamus, patet quia eum non vere diligimus. Nemo ex vobis, fratres, se decipiat. Se enim decipit qui dicens se diligere Deum, mandata ejus non custodit. Unde idem Joannes: *Si quis*, inquit, *dicit se diligere Deum, et mandata ejus non custodit, mendax est* (*I Joan.* II). Nemo de impossibilitate sua se excuset. Dicit enim aliquis: Infirmus et imbecillis naturæ sum, et mandata ejus gravia et ardua. Et quidem Deum diligo, sed arduitatem mandatorum ejus portare non valeo. Nequeo enim propriæ voluntati, nequeo carni meæ, nequeo mundo penitus abrenuntiare. Sed qui hæc dicit, dupliciter peccat, tum quia accusat Deum de crudelitate, dicens eum tale mandatum dedisse, quod homo non valeat adimplere, tum quia mentitur se non posse quod ipse potest. Deus enim, qui mandatum dedit, scit quid possit unusquisque, melius quam ipse homo. Nemo enim in necessitate non potest quod pro Deo non potest. Pro valetudine corporis bibis aquam, jejunas, pateris ferrum et ignem, tuam deseris voluntatem: et hæc pro Deo non potes? Pro ambitione mundi militas indutus ferro, pateris fames et frigora, labores et miserias, objicis te periculis et morti. Et hæc pro Deo non potes? Et quare hoc? Nisi quia plus mundum diligimus quam Deum. Si enim plus vel tantum Deum diligeremus quantum mundum, plus possemus pati pro Deo, ipso suffragante, et conscientia consonante, quam pro mundo contra Deum, conscientia nostra nobis contradicente. Vera siquidem, fratres, est sententia quod amanti nihil difficile, et nolenti nihil est leve. Cum ergo Dominus dicit: *Ardua et angusta est via quæ ducit ad vitam* (*Matth.* VII), nolenti intelligendum est. Cum vero dicit: *Jugum meum suave est, et onus meum leve* (*Matth.* II), volenti subintelligendum est. Sed, fratres mei, cum Deus dixerit: *Si quis diligit me*, per præsens tempus, quare similiter per præsens tempus non dixit, sermones meos servat, potius quam servabit? Quoniam cum aliquis incipit Deum diligere non mox potest ejus præcepta ex integro observare, sed paulatim, crescente dilectione, magis ac magis incipit sese in observatione mandatorum Dei assuescere, ut ita quod primo ei insueto fuerat grave, post ex consuetudine fiat ei suave. Unde Psalmista: *Viam*, inquit, *mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum* (*Psal.* CXVIII). Ad quid vero dilectio Dei perducat, ostendit cum subdit: *Et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* Quod enim Deum diligimus, et ejus sermonem servamus, est quasi meritum nostrum. Quod vero Pater diliget nos, et apud nos mansionem faciet, est quasi præmium. Cæterum quid est quod hic dicitur quod postquam dilexerimus Deum, et sermonem ejus servaverimus, Pater diliget nos? cum dilectio Dei nostram præveniat dilectionem, teste Joanne, *quia* inquit, *ille prior dilexit nos* (*I Joan.* IV). Non est, fratres, intelligendum quod postquam dilexerimus Deum, ipse tunc incipiat diligere nos, sed potius ipse qui prior dilexit nos postquam incipiemus eum diligere, et ejus sermonem observare, magis ac magis ostendet se diligere nos per uberiorem suarum infusionem gratiarum. Unde et adjunxit, *et ad eum veniemus.* Tunc enim Deus ad nos venire dicitur, quando gratiæ suæ abundantiam nobis largitur. Qui veniemus? Pater, et ego Filius, ipse quoque Spiritus sanctus. Qui enim dilectionem Dei habet, Spiritum sanctum, qui est amor Patris et Filii, habet. Sed quoniam ad quosdam per compunctionem venit, qui non finaliter diligunt, sed tempore tentationis frigescunt, vel tepescunt, subjungit: *Et mansionem apud eum faciemus.* Pensemus, fratres, pensemus quanta dignitas, quantus honor quanta dulcedo sit habere manentem in hospitio cordis Trinitatem. Certe per veram dilectionem et observantiam mandatorum Dei tantum penes nos hospitem suscipimus: per perseverantem munditiam eum perpetuum habitatorem retinemus. Nonne, fratres mei, si regem temporalem, si aliquem principem, si aliquem amicum nostrum temporalem susceperi essemus, nonne domum nostram mundaremus, ne aliqua turpitudo oculos intrantis offenderet? Ornaremus etiam festivis ornamentis, et festiva pararemus fercula, ut intrans persona in nostro hospitio delectaretur. Multo magis, fratres, susceptari hodie per largiorem gratiam, Spiritum sanctum, imo totam Trinitatem, per veræ lacrymas pœnitentiæ, hospitium cordis nostri mundemus, per varias virtutes ornemus, per bona studia puramque contemplationem Deo penes nos convivium præparemus, quatenus complaceat ei in nobis habitare, et in nobis semper delectari. *Deliciæ* enim, inquit, *meæ esse cum filiis hominum* (*Prov.* VIII). Scilicet quoniam quidam sunt, qui aliqua Dei præcepta, vel ex servili timore, vel ex naturali pietate, non ex vera Dei dilectione servare videntur, ostendit neminem mandata Dei posse adimplere, nisi per veram dilectionem cum subdit: *Qui non diligit me, sermones meos non servat.* Itaque, fratres, quasi paria sunt, Dei dilectio, et mandatorum ejus observatio. Sicut enim non vere Deum diligimus, nisi mandata ejus observemus, ita nec vere mandata Dei observamus, nisi eum diligamus. Quidquid enim est meritorium, ex sola dilectione est meritorium. Cum autem eadem sit auctoritas Patris et Filii in omnibus, quia tamen Filius ex Patre est, semper defertur Patri. Unde et subdit: *Et sermonem quem audistis non est meus, sed ejus qui misit me Patris.* In quo confunditur quorumdam superbia, qui putant se aliquid posse per se boni, vel sapere, vel loqui per se. Qui dicunt: *Labia nostra a nobis sunt,*

quis *noster Dominus est?* (*Psal.* II.) Erubesce, insolens vermis, Filius Dei dicit se nec loqui, nec sapere, nec posse aliquid ex se, et tu homuncio præsumis aliquid boni ex te posse sapere vel loqui?

Sequitur pars secunda in qua promittit discipulis Spiritum sanctum, dicens : *Hæc locutus sum vobis apud vos manens. Paracletus autem*, etc. Quasi diceret : Dum corporaliter vobiscum maneo, hæc pauca locutus sum vobis ; cum multa haberem adhuc vobis dicere, si possetis portare. Sed Spiritus sanctus, quæ minus dixi vobis, supplebit, dans etiam vobis majorem intelligendi capacitatem. Vocat autem eum Paracletum, id est consolatorem, quoniam discipulos de recessu mœstos erat consolaturus, minus fortes confortaturus, minus doctos eruditurus, nec solum autem eos, sed etiam quoslibet pie credituros. Eumdem etiam vocat Spiritum sanctum, quia inspirat sanctitatem. Quidquid enim sanctitatis, quidquid bonitatis homo habet, Spiritu sancto inspirante habet. *Quem mittet Pater in nomine meo.* Alibi dicit : *Quem ego mittam vobis a Patre* (*Joan.* XV). Ex quo demonstratur quoniam Spiritum sanctum mittit Filius ; sed quod mittit Filius, hoc habet a Patre. Pater etiam per Filium eum mittit. *Ipse docebit vos omnia, et suggeret vobis omnia.* Hoc, fratres mei, impletum est die hodierna in discipulis, cum, subito et mirabiliter operante in eis Spiritu sancto, qui ante erant rudes, facti sunt subito sapientes ; qui ante minimum noverant de Scripturis, facti sunt spirituales in Scripturis ; qui ante unam solam linguam noverant, subito omnes linguas noverunt. O fratres mei, quam potens, quam admirabilis, quam velox est in operibus suis Spiritus sanctus, qui quod cum labore et studio, et per longitudinem temporis vix fieri solet, hæc quiete, et sine meditatione et sine mora in suis operatur! *Et suggeret vobis omnia.* Multoties fratres, aliquid scimus quod, cum oportet, nescimus. Sed Spiritus sanctus ministrat suis, non solum scientiam, sed etiam ut ea loco et tempore uti sciant. Sed Dominus alibi dicit : *Dum steteritis ante reges et præsides, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini* (*Matth.* X ; *Marc.* XIII). Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus sanctus Patris vestri qui loquitur in vobis. Ministravit igitur Spiritus sanctus discipulis, non solum sanctitatem et sapientiam, sed etiam eloquentiam et eloquendi opportunitatem et audaciam, et miraculorum confirmationem, et resistendi fortitudinem. O utinam descendere dignetur et in nos qualescumque prædicatores ille sanctus et admirabilis Spiritus, et inspirare nobis bonitatem et sapientiam bene vivendi et sapiendi : et eloquentiam, opportunitatem et audaciam bene et opportune, et audacter prædicandi, et confirmationem operibus prædicationem confirmandi, et fortitudinem persecutoribus mundi resistendi.

Sequitur pars tertia, in qua Dominus dat discipulis suis pacem, dicens : *Pacem relinquo vobis*, in mandato scilicet *pacem meam do vobis*, in animo, ut scilicet et hic, quantum possibile est, pacem habeatis, et ad æternam pacem desiderio festinetis *Non quomodo*, inquit, *mundus dat, ego do vobis.* Porro pax alia prosperitatis, alia bonitatis, alia malitiæ. Pax prosperitatis indifferens est. Bene enim ea utenti est bona, male utenti est mala. Bene usus est Abraham et cæteri patriarchæ pace temporalis prosperitatis ; de qualibus dicitur in psalmo : *Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus. Labores manuum tuarum quia manducabis : beatus es et bene tibi erit. Uxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ. Filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ* (*Psal.* CXXVII). E contra mali male utuntur pace prosperitatis temporalis. Nam unde deberent Deum benedicere, eum obliviscuntur, superbiunt, effeminantur et efferuntur. De quibus dicitur in Evangelio : *Et quidem in hac die tua quæ ad pacem sunt tibi* (*Luc.* XIX), etc. ; et David : *Zelavi*, inquit, *super iniquos pacem peccatorum videns. In labore hominum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur* (*Psal.* LXXII) ; et alibi : *Quorum filii sicut novellæ plantationis in juventute sua. Filiæ eorum compositæ, circumornatæ ut similitudo templi Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud* (*Ps.* CXLII), etc. Ista autem pax temporalis prosperitatis non multum est nobis optanda vel petenda, fratres mei, quia quibusdam utilior est in hoc mundo adversitas quam prosperitas. Nam multi salvantur in adversitate, qui non salvarentur in prosperitate. Sicut econtra multi infirmi salvantur in prosperitate, qui non salvarentur in adversitate. Propterea, fratres, voluntati divinæ nos submittamus, ut ipse det nobis quod novit utile magis esse nobis. Pax vero bonitatis est consensus plurium in bono. Hæc est pax quam Christus promittit et dat nobis. De hac hic dicitur : *Pacem meam do vobis.* De hac etiam dicitur : *Et factus est in pace locus ejus* (*Psal.* LXXV). Hanc pacem habere debemus cum Deo, cum nobis et cum proximo. Cum Deo, ut in omnibus ejus concordemus voluntati, ut scilicet simus unus spiritus cum eo. Nobiscum, ut consentiat et concordet caro spiritui. Cum proximis, ut simus cum omnibus hominibus pacem habentes, quod ex nobis est omnium bona volentes et quærentes ; etsi etiam ipsi nobis sint infesti, juxta quod David, ait : *Cum his qui oderunt pacem eram pacificus* (*Psal.* CXIX). Non tamen propter pacem debemus malis in malo consentire, imo eos corrigere vel nos ab eis sequestrare. Unde Dominus : *Non veni pacem mittere in terram, sed gladium. Veni enim separare filium a patre.* (*Matth.* X) Pax malitiæ est consensus plurium in malo, ut quando spiritus consentit carni in malo, vel plures sunt concordes in malo. De hac dicitur quod Herodes et Pilatus facti sunt amici in mortem Christi (*Luc.* XXIII). Hæc pax est pessima, quoniam mali quanto sunt magis concordes, tanto pejores. Hæc est pax quam dat mundus, non Deus.

Sequitur pars quarta in qua Dominus discipulos suos de suo recessu prævidens turbandos (quis enim

de recessu tanti et talis magistri non doleret!), eos præconsolatur, dicens : *Non turbetur cor vestrum, neque formidet*, id est propter formidinem non turbetur. Propter formidinem recessus mei non turbetur cor vestrum a sua tranquillitate. Et quare non debeant turbari, ostendit cum subdit : *Audistis quia dixi vobis : Vado et venio ad vos.* Vado a vobis ad passionem, et venio ad vos per resurrectionem. Vel vado a vobis patiendo, et ad Patrem ascendendo. Et venio ad vos Spiritum sanctum mittendo, a quo substantialiter sejungi non valeo. Hoc est quod alibi dicit : *Non relinquam vos orphanos* (*Joan.* XIV). Deinde ostendit recessum suum, non solum non eis nociturum imo etiam eis profuturum, dicens : *Si diligeritis me*, id est si me perfecte sciretis diligere, *gauderetis utique*, de hoc *quia vado ad Patrem.* Et quare? *Quia Pater major me est*, non quantum ad divinitatis, sed quantum ad humanitatis substantiam Ac si diceret : Ascensio mea ad Patrem, et mihi est sublimatio, et vobis confortatio, quia sublimatio magistri, gaudium et confortatio et spes debet esse discipuli : *Hoc*, inquit, *dixi vobis priusquam fiat, ut cum factum fuerit, credatis*, me tanquam Deum ut præterita, ita futura nosse. Hoc etiam hodie, fratres mei, est argumentum fidei nostræ, quoniam Christus est verus Deus, qui, ut præterita, ita futura novit, et cætera quæ solius Dei sunt.

Sequitur pars quinta in qua ostendit se innocentem propter obedientiam in instanti passurum, dicens : *Jam non multa loquar vobiscum*, quoniam in A hac nocte tradam meipsum membris diaboli crucifigendum. *Venit enim*, per membra sua, princeps hujus mundi, id est amatorum mundi *et in me non habet quidquam*, scilicet juris. In nobis, fratres mei, qui in peccatis concepti sumus, et sine peccatis non vivimus, videtur diabolus aliquid juris habere. Sed in eo, cujus conceptus et vita maculam nescivit, nihil procul dubio juris habuit. Etsi ad illum, fratres mei, in quo nihil juris habuit, venire diabolus ausus fuit, quid putatis faciet nobis miseris, in quibus per peccata videtur habere plurimum juris? Quid ergo faciemus, nisi, inquantum possumus, de potestate ejus, per pœnitentiam nos eripiamus, et ei, in quo non habet quidquam, vera fide et charitate adhæreamus. *Sed ut cognoscat*, inquit, *mundus, quia diligo Patrem, et sicut mandatum dedit mihi Pater sic facio.* Ac si dicat : Non quia B diabolus in me aliquid juris habeat, me ei trado, sed ut cognoscant electi de mundo quia diligo Patrem, et ejus mandato in redemptione generis humani obedio. Itaque, fratres mei, quoniam Deus sic dilexit nos, ut Filium suum unigenitum pro nobis morti traderet, diligamus Deum et mandata ejus observemus; ut ipsum habitantem et manentem in nobis habere mereamur. Habeamus pacem in nobis ad invicem, non mundi sed Dei. Spes nostra, consolatio nostra, desiderium no trum totum sit in Deo, et propter ipsum innocenter et patienter vivamus, ejus voluntatem in omnibus quæramus et faciamus, ipso præstante qui in Trinitate perfecta vivit et regnat, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

PARS SECUNDA.

HOMILIA PRIMA.

IN DIE TRINITATIS.

Gratia Domini nostri Jesu Christi, et charitas Dei, et communicatio sancti Spiritus sit semper cum omnibus vobis. Amen (*II Cor.* XIII). Hodie, fratres charissimi, in honore sanctæ et individuæ Trinitatis solemnitatem celebramus. Conveniens quippe erat, ut post solemnitatem specialiter de Filio, in Natali, Resurrectione et Ascensione, specialiter de Spiritu sancto in Pentecosten, specialiter de Patre in Dominicis singulisque diebus, communiter hodierna die de tribus, id est de sancta Trinitate insimul solemnizemus, non quod Patrem et Filium, et Spiritum sanctum, quorum est idem honor et gloria, dividamus in honorem, sed quoniam sicut tribus est communis una substantia, ita singulis est specialis D proprietas sua. Unde scriptum est (47) : *In personis proprietas, in essentia unitas, et in majestate adoretur æqualitas.* In personis enim proprietas est, quoniam patris proprium est generare, Filii proprium est nasci; Spiritus sancti proprium est procedere. Distinguitur quippe Pater a Filio et a Spiritu sancto C paternitate; distinguitur quoque Filius a Patre et a Spiritu sancto nativitate; distinguitur et Spiritus sanctus a Patre et Filio sua processione. Sed nemo, fratres mei, cum audit Filium Dei nasci de Patre vel Spiritum sanctum procedere de ambobus, putet (sicut in humana generatione vel processione fit) substantiam Patris divisam, vel diminutam in Filium, vel amborum in Spiritum sanctum. Propter hoc enim removendum adjunctum est quod *in essentia* trium personarum est *unitas.* Sunt enim una substantia, unus Deus, et unus Dominus. Rursus nemo putet sicut fit in humana nativitate vel processione, ita et in sancta Trinitate, Filium Patre, vel Spiritum sanctum ambobus minorem, vel tempore, vel gradu, vel potestate. Propter hoc enim removendum, adjunctum est *et in majestate adoretur æqualitas.* Sunt enim Pater, Filius et Spiritus sanctus ejusdem Trinitatis, ejusdem majestatis, ejusdem potestatis. De æterno et summo Patre semper nascitur coæternus et coæqualis Filius; et coæternus et coæqualis Spiritus sanctus semper ab his procedit. In sole tria sunt, ignea substantia, splendor et calor.

(47) Præfatio Missæ Dominicæ S. Trinitatis.

Ex ignea substantia semper nascitur splendor coævus. Ex ambobus semper procedit calor eis coævus. Et cum illa tria sic adinvicem per proprietates suas distinguantur, tamen sunt unus sol, non tres soles. Comparatio tamen de temporalibus ad Deum nulla est. Sed qualibus exemplis possumus, quod intelligi vel enarrari non potest, balbutimus potius quam eloquamur. Cum igitur audis Patrem, crede quia Pater est. Cum audis Filium, crede, quia Filius est. Cum audis Spiritum sanctum, crede quia Spiritus sanctus est. Quomodo Pater generet Filium, vel quomodo Pater et Filius spirent Spiritum sanctum, noli investigare, si non vis errare. Nam, juxta prophetam : *Generationem ejus*, vel illius processionem, *quis enarrabit?* (*Isa.* LIII.)

Quoniam igitur de sancta Trinitate hodie solemnizamus, convenienter prælibata lectiuncula, in qua de tribus personis mentio fit, hodie recitatur. Est autem hæc quædam solutio, in qua ab Apostolo tria nobis optantur : *Gratia Domini nostri Jesu Christi, et charitas Dei Patris, et communicatio Spiritus sancti.* Sed cum hæc tria sint æque tribus communia, quare gratia hic specialiter attribuitur Christo, charitas Patri, et communicatio Spiritui sancto? Porro gratia hic appropriatur Christo, quoniam Christus non solum gratias nobis confert, sed etiam seipsum gratis dedit nobis. Unde Isaias : *Puer*, inquit, *natus est nobis, et Filius datus est nobis* (*Isa.* IX). Quod enim natus est homo, quod passus, quod mortuus, quod resurrexit, quod ascendit in cœlum, pro nobis fuit, et totum gratia est. Hanc gratiam Christi optat Apostolus semper esse nobiscum. Quæ quidem quatuor modis est cum fidelibus, per effectum, per memoriam, per gratitudinem, per vicissitudinem. Per effectum est nobiscum, si quod a Christo generaliter omnes homines redimuntur, in nobis specialiter efficitur. Et quidem, fratres mei, Christus, quantum in eo est, omnes homines redemit. Ipse enim sufficiens hostia fuit pro redemptione omnium. Sed quidam male vivendo, gratiæ suæ redemptionis se subtrahunt. Unde Paulus hortatur : *Ne quis*, inquit, *desit gratiæ Dei* (*Hebr.* XII). Non enim ait : Ne quibus desit gratia Dei, sed ne quis desit. Ut ostendat quod cum ipsa ex benignitate Dei omnibus præsto sit, eam tamen meritum humanæ pravitatis repellit. Per memoriam est nobiscum, si quam vilia, probrosa, quamque aspera Christus pro nobis sustinuit, semper memoriter cogitamus. Hinc est quod crucifixus, et cæteræ Christi picturæ nobis in ecclesia proponuntur, ut per eas gratia Dominicæ dispensationis, nobis in memoriam revocetur. Per gratitudinem est nobiscum, si de misericordia, quam nobis operatus est, semper eum benedicamus, et ei gratiarum actionem de toto corde referamus, si nomen sanctum ejus semper in nostro ore resonemus : non more novem leprosorum a Domino mundatorum, qui ob ingratitudinem a Domino reprobantur (*Luc.* XVII). Per vicissitudinem est nobiscum, si ea quæ ipse prior fecit pro nobis, nos pro eo faciamus, si quemadmodum ipse mortuus est pro nobis, nos quoque pro eo moriamur. Unde scriptum est : *Ad mensam magnam sedisti, scito quia talia te oportet ei præparare* (*Eccle.* XXXI). Et Propheta : *Quid retribuam Domino*, inquit, *pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam* (*Psal.* CXV). Ac si dicat : Cum tot et tanta mihi Dominus contulerit, quid digne potero illi retribuere? Et cum pro me facto me totum illi debeam, pro me redempto et sic redempto, quid ei retribuam? Sed et si millies meipsum valeam illi retribuere, quæ retributio, quæ comparatio erit mei ad illum? tantilli ad tantum? tam peccatoris ad tam sanctum? In cujus conspectu nec etiam ipsa astra sunt munda, quanto minus nos, quorum vita non est nisi tentatio, et qui habitamus domos luteas? Attamen etsi non possum ei retribuere, vel hoc quod possum faciam; me non posse semper referam : et sacrificium illud quod possum, ei offeram.

Charitas vero hic appropriatur Deo Patri, quoniam Patris est diligere, et Filium semper charum habere. Deus autem Pater non solum Filium suum unigenitum diligere vel hæredem facere voluit, sed etiam nos indignos servos per sanguinem unigeniti sui Filii in filios adoptavit, et contra morem temporalium parentum, servos suo filio cohæredes fecit. *Ut simus*, inquit Apostolus, *hæredes quidem Dei; cohæredes autem Christi* (*Rom.* VIII). Optat igitur nobis Apostolus ut nobiscum semper sit charitas Dei Patris, vel charitas illa, qua Deus diligit nos, vel charitas illa, qua nos diligimus Deum. Et charitas quidem, qua Deus diligit nos, semper est nobiscum, si dilectionem illam, qua nos vocavit et fideles suos effecit, per conversationem, per ampliorem gratiarum collationem, et per perseverantiam, in nobis (quod ipse per misericordiam suam facere dignetur), consummet et confirmet. Charitas vero, qua nos Deum diligimus, fratres mei, tunc semper est nobiscum, si (quod utinam ipse nobis concedat!) eum tanquam summum et verum Patrem totis visceribus semper diligimus, si mandata ejus inviolate custodimus, si cum, quantum possumus, ut boni filii in munditia, misericordia, et sanctitate cæterisque virtutibus imitamur. Communicatio quoque hic appropriatur Spiritui sancto, quoniam cum Spiritus sanctus sit amor, concordia et benignitas, ejus est dona gratiarum suarum fidelibus erogando communicare. Optat igitur Apostolus ut nobiscum sit semper communicatio Spiritus sancti; vel illa, quæ dona sua nobis communicet, vel illa quæ nos bona nostra aliis communicare faciat. Utraque enim ipsius est, et utinam, fratres mei, utramque communicationem, ille sanctus et benignus Spiritus operetur in nobis! Primam, ut videlicet communicet nobis suarum largitatem gratiarum, veram conferens nobis fidem, spem et charitatem, sapientiam, justitiam, fortitudinem, et temperantiam cæteraque dona sua, tam spiritualia quam corporalia, quibus decenter ornati, ipsum Spiritum sanctum inhabitatorem habere

mereamur. Secundam, ut ipsas gratias nobis collatas non aliis communicare faciat, ne scilicet talentum commissum inutiliter abscondamus, sed potius ad profectum, tam nostrum quam aliorum, distribuamus. Itaque, fratres mei, oremus toto corde ut semper sit nobiscum gratia Christi, charitas Dei Patris, communicatio Spiritus sancti, quatenus dona Dei mereamur percipere, et percepta tam ad nostrum quam aliorum profectum communicare, ne de perceptis talentis tanquam inutiles servi damnemur, sed potius de acquisito lucro remunerari mereamur, largiente Deo et Domino nostro Patre et Filio et Spiritu sancto, quibus est unus honor, una potestas, una gloria per infinita sæculorum sæcula. Amen.

HOMILIA II.

In die Trinitatis.

Erat homo ex Pharisæis, Nicodemus nomine, princeps Judæorum, hic venit ad Jesum (*Joan.* III). Lectio ista bipertita est, fratres charissimi. Prima enim pars continet Nicodemi ad Dominum accessionem et confessionem; secunda, ei factam a Domino eruditionem. Primo igitur ostenditur Nicodemum ad Dominum accessisse: in quo quinque pariter nobis ostenduntur, id est ex quibus, et quis, et quantus, et quando ad Dominum venit, et quid ei dixit. Ex quibus venit? Ex Pharisæis, ex illa videlicet mala progenie, quam Joannes Baptista progeniem viperarum vocat. *Progenies*, inquit, *viperarum, quis vos docebit* (48) *fugere a ventura ira?* (*Matth.* III; *Luc.* III.) Ex mala igitur stirpe, tanquam rosa de spina natum est aliquod bonum, juxta quod ipse Joannes dicit: *Quoniam potens est Deus suscitare de lapidibus istis filios Abrahæ* (*ibid.*). Et hoc ideo, fratres, ut nemo causetur malitiam parentum sibi obstare, sicut nec sanctitatem parentum sibi male viventi prodesse, Domino dicente, per prophetam, quoniam filius non portabit iniquitatem patris (*Ezech.* XVIII), etc. Quis venit? Nicodemus, id est *victor populi*. Et iste quidem bene victor populi fuit, quoniam cum populus suus esset incredulus, iste credulus fuit; cum populus suus esset superbus, iste humilis fuit. Quem nos, fratres mei, imitantes, conemur unusquisque vitium populi sui superare. Si Judæus es, stude Judæis innatam incredulitatem superare. Si Gallus es, stude Gallis innatam superbiam superare. Si Romanus es, stude Romanis innatam avaritiam superare. Si Pictavinus es, stude Pictavinis innatam ingluviem et garrulitatem superare, et similiter de cæteris. Quantus venit? princeps Judæorum et magister in Israel. Et cum tantus et talis esset, tamen non erubuit humilis discipulusque fieri. In quo confutantur principes et magistri, qui magis volunt ignorare quam humiliari et erudiri. Quando venit? nocte. Et quare nocte? Si propter necessitatis festinantiam, inutile est nobis, ut medicum animarum nostrarum quærere non procrastinemus. Si propter opportunitatem, inutile quoque est nobis, ut opportunitatem temporis, in qua familiarius instruamur, eligamus. Si propter pudorem vel metum Judæorum, signum est imperfectionis. Sed et hoc etiam inutile est nobis, ut si adhuc imperfecti, pudorem vel metum superare non valemus, satius tamen occulte discere quam ignorare, occulte bene agere quam nihil agere studeamus. Quid dixit? *Rabi, scimus quia a Deo venisti magister. Nemo enim potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum illo.* Tria de Domino confitetur, quia a Deo venerit, quod magisterium ejus ex Deo sit: et quod per hæc divina opera adverti possit. Quæ tria, fratres mei, in unoquoque nostrum, si boni pastores et prædicatores sumus, debent esse. Debet enim pastor a Deo mitti, ut Aaron. In quo confutantur illi qui se ingerunt, de quibus Dominus: *Regnaverunt*, inquit, *et non ex me* (*Ose.* VIII). Debet quoque pastor non suam, sed Dei doctrinam docere. Unde Dominus: *Et annuntiabis*, inquit, *eis ex me* (*Ezech.* III). Debet etiam ea opera facere, non quæ sæculares faciunt, sed quæ facere possit nemo, nisi fuerit Dominus cum eo. *Scimus, quia a Deo venisti magister.* Ac si aperte dicat: Quia a Deo venisti magister, doce nos quomodo regnum Dei valeamus adipisci.

Sequitur pars secunda, in qua Dominus docet Nicodemum quomodo valeamus adipisci regnum cœlorum. Porro tria sunt necessaria, ut ad regnum Dei ascendere valeamus, baptismus, ascensio, et passio Domini. Per baptismum quippe digni sumus, qui ascendamus. Per ascensionem Domini, nobis cœlum aperitur. Per passionem quoque ejus, erigitur nobis scala qua ascendamus. De baptismo igitur instruit Nicodemum, cum dicit: *Nisi quis natus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei.* Ac si aperte dicat: Per baptismum fit homo aptus, ut regnum Dei adipisci mereatur. In quo innuit duas esse nativitates, primam carnalem, et secundam spiritualem. Per primam nascitur ex homine homo in peccatis ad mortem. Per secundam vero nascitur ex Deo intus in Spiritu sancto ad vitam æternam. De prima dicit David: *In iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea* (*Psal.* L). De secunda dicit Joannes: *Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt* (*Joan.* I). At Nicodemus, spiritualem ignorans nativitatem, tanquam rudis ait: *Quomodo potest homo nasci cum sit senex? Nunquid potest in ventrem matris suæ iterato introire, et renasci?* Quod dicit Nicodemus de prima nativitate, verum est etiam de secunda. Quoniam sicut nec prima, ita nec secunda iterari potest. Explanat igitur quod obscure dixerat Nicodemo, tria demonstrans, ex quibus scilicet secunda nativitas fiat, et quomodo a prima differat, et qualem hominem efficiat. Ex quibus fiat ostendit, cum dicit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest*

(48) Vulg. *monstravit, ostendit.*

introire in regnum Dei. Porro in baptismo Domini, sunt sacramentum exterius, et res, et purificatio interior. Sacramentum exterius, id est exterior ablutio, ab exterioribus sordibus, fit ex aqua quando scilicet homo ter in ea mergitur in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen. Purificatio vero interior a peccatis fit a Spiritu sancto. Nihil itaque confert exterior ablutio sine interiori, videlicet ut quando adultus ficte vel indevote ad baptismum accedit. Sed nec interior sine exteriori fieri potest, nisi quando effusio sanguinis supplet vicem baptismi. Deinde inter primam et secundam nativitatem differentiam assignat cum dicit : *Quod nascitur ex carne, caro est, et quod nascitur ex spiritu, spiritus est.* Ex homine enim carnali, nascitur per carnalem concupiscentiam homo carnalis. Ex Spiritu vero sancto nascitur per baptismum homo spiritualis. Per primam nativitatem nascimur filii hominis veteris Adæ, per secundam renascimur filii novi hominis Christi. Carnalis etiam nativitas est tempore prior, spiritualis posterior. Quoniam nisi fuerit prius natus homo carnaliter ex Adam, non potest spiritualiter nasci ex Christo. Unde Apostolus : *Non* enim, inquit, *est prius quod est spirituale; imo prius est quod est animale, deinde quod est spirituale* (*I Cor.* xv). Hinc est quod infans in utero matris non potest regenerari. Postea demonstrat qualem spiritualis generatio efficiat, cum subdit : *Spiritus enim ubi vult spirat*, id est cujus cor vult illustrat. *Et vocem ejus audis*, vel per Scripturas, quæ in Spiritu Dei sunt scriptæ, vel etiam per hominem in Spiritu Dei loquentem. *Et nescis unde veniat, vel quo vadat*, id est tu carnalis ignoras unde gratia illa in hominem veniat, vel ad quantum bonum eum ducat. *Sic est*, inquit, *omnis qui natus est ex Spiritu.* Qualis quippe est Spiritus, talem efficit illum quem aspirat. Sicut enim Spiritus est liber, spirans ubi vult, ita facit hominem quem aspirat, liberum, liberans per gratiam ejus arbitrium, ut, quando velit, possit facere bonum. Malus quippe, et si habet arbitrium a necessitate liberum, tamen non habet illud per gratiam a peccato liberatum. Sicut quoque Spiritus per vocem sese declarat, ita hominem quem illustrat, per bona verba et opera, cæteraque exteriora signa justum esse manifestat. Sicut enim nescit homo carnalis unde Spiritus veniat, aut quo vadat, ita nescit quod homo spiritualis ex Deo natus sit, et quod ad regnum cœlorum tendat. Propterea vos, fratres, qui spirituales estis, et quorum vita abscondita est cum Christo in Deo (*Coloss.* III), ne miremini si carnales vos irrideant, si vos contemnant, si vos pro nihilo habeant. Quoniam animalis homo, non percipit ea quæ sunt spiritus Dei (*I Cor.* II). Sola enim terrena sapit et quærit. Cum autem Nicodemus quæreret quomodo possent hæc fieri, audivit : *Tu es magister in Israel, et hæc ignoras?* In quo ostendit Dominus magistrum Ecclesiæ spiritualia ministeria non debere ignorare. Nunquid enim decet pastorem esse bestialem, et gradiri incurvum more bestiæ, et non potius rectum stare hominem, et sapere quæ sursum sunt, non quæ super terram? (*Coloss.* III.) *Amen, amen*, inquit, *dico tibi quia quod scimus loquimur; et quod vidimus in occulto, testamur aperte* (49), *et testimonium nostrum non accipitis.* Idem, fratres, hodie contingit, quoniam cum spirituales magistri docent ea quæ spiritualiter sciunt, et testantur ea quæ spiritualibus oculis viderunt, bestiales homines non credunt testimonio eorum. Non enim credunt aliqua esse, nisi quæ carnalibus oculis possunt videre. *Si enim*, inquit, *terrena dixi vobis, et non creditis*, ut illud : *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud* (*Joan.* II), *quomodo si dixero vobis cœlestia, credetis?* Est autem argumentum a minori. Quoniam qui non credit terrenis, quæ a ratione hominum remota non sunt, quomodo credet cœlestibus, quæ humanam rationem excedunt? Porro de Ascensione sua instruit Dominus Nicodemum cum subdit : *Et nemo ascendit in cœlum, nisi et qui descendit de cœlo, Filius hominis qui est in cœlo.* De se tanquam de alio loquitur, ut exemplum præbeat nobis arrogantiæ devitandæ. Ac si dicat : Si vis in regnum cœlorum ascendere, adhæreas per charitatis unionem Filio hominis, qui solus cum membris suis ascendit. Itaque, fratres mei, si in regnum cœlorum ascendere volumus, capiti nostro Domino nostro Jesu Christo, fide et charitate adhæreamus, quoniam qui membrum corporis Christi non est, ad regnum cœlorum ascendere nequaquam potest. Unde ipse dicit : *Nemo venit ad Patrem nisi per me* (*Joan.* XIV). Ipse quippe est ostium; ipse est ostiarius, ipse nobis est dux et sublevator ad regnum cœlorum. Quod autem Filius hominis in cœlum ascendat, probat ex hoc quod ipse est idem in persona Filio Dei, qui de cœlo descendit, sed quod expressius est, Filium hominis dicit, in eodem tempore in quo hæc loquebatur in terra, esse in cœlo. Sed cum sequentia locutionis exigeret, ut diceretur Filium Dei descendisse, et Filium hominis ascendisse, quia tamen non præjudicat veritati dictorum inconsequens junctura dictionum, hic confuse dicitur idem Filius hominis et descendisse et ascendisse, et in terra loqui, et in cœlo esse, ut penitus explodatur hæresis, quæ Christum in duas dividere personas attentavit. Fides enim catholica in Christo geminam quidem naturam, sed unam solam confitetur personam. Hinc est quod, quamvis inconsequenter, tamen audacter et vere confitemur, et Filium hominis mundum creasse, et Filum Dei ex Virgine natum, et quod majus est mortuum esse. De passione sua eum instruit, cum subdit : *Et sicut Moyses exaltavit serpentem in eremo* (50) : *ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Et pulchre magistrum legis, per figuram legis, de sua instruit passione, innuens tam hoc quam alia

(49) Vulg. non habet *in occulto* nec *aperte.*

(50) Vulg. *Deserto.*

in lege in figuram sui præcessisse, ignitis enim serpentibus filios Israel in deserto necantibus, jubente Domino, Moyses erexit serpentem æneum in palo, ad quem respicientes, ab ignitis serpentibus liberabantur (*Num.* XXI). Porro Moyses prætiguravit populum Judaicum. Serpens æneus elevatus in cœlo in palo, exaltationem Christi in ligno figuravit. Et bene Christus per æneum serpentem figuratur, quoniam sicut æneus serpens serpentis habet similitudinem et non rem, ita Christus habuit similitudinem carnis peccati, non autem carnem peccati. Et sicut æneus serpens, cum serpens videretur, erat imputribilis et durabilis, ita dominus, cum homo mortalis appareret, tamen secundum divinitatem æternus erat et immortalis. Sicut autem respicientes ad æneum serpentem non occidebantur ab ignitis serpentibus, sed vivebant, ita quicunque vera fide et dilectione ad Christum crucifixum respiciunt, non occiduntur a serpentinis tentationibus diaboli, sed habent vitam æternam. Est ergo ac si dicatur Nicodemo vel cuilibet fideli : Si vis ab insidiis diaboli liberari, et in cœlum cum Filio hominis ascendere, ad ipsum crucifixum semper respice. Respice, inquam, fide, respice dilectione, respice imitatione. Juxta quod ipse alibi monet : *Qui vult venire post me, abneget semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me* (*Luc.* IX). Hæc est enim, fratres mei via, hæc est scala ascendendi ad regnum cœlorum. Non enim per divitias, non per honores, non per voluptates itur ad regnum cœlorum, sed per veram fidem, per veram Dei et proximi dilectionem, per rerum temporalium, et etiam proprii corporis abrenuntiationem, per humilitatem et patientiam. Per quam viam det nobis se sequi et consequi Dominus noster Jesus Christus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA III.

IN FESTO SANCTÆ TRINITATIS.

Time Deum et mandata ejus observa. Hoc est omnis homo (*Eccle.* XII). In hac brevi clausula, fratres charissimi, forma et eruditio totius humanæ vitæ comprehenditur. Cum enim Salomon de diversorum sententiis et opinionibus multa concionatus esset, ad extremum conclusit hanc sententiam veriorem et homini magis necessariam. Vos igitur, fratres, si non potestis multas Scripturas legere, si non potestis multas sententias retinere, saltem hanc brevissimam sententiolam in mente semper retinete. Hanc adimplere fatagite, quoniam hæc faciendo vitam consequemini sempiternam. Videre igitur debetis quomodo sit timendus Deus, quomodo mandata ejus observanda, et quomodo hic sit omnis homo : *Time*, inquit, *Deum*. Ac si aperte dicat : Noli timere amissionem rerum temporalium, noli timere pœnam vel mortem temporalem, sed solum Deum time. Timor enim damni temporalis, vitiosus est. Ille enim solus timet amittere temporalia, qui ea nimis amat. Scriptum est enim : *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt, quia si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo* (*I Joan.* II). Itaque, fratres, imitemur antiquos Patres, qui res terrenas non concupierunt, et habitas, non dilexerunt, et ideo perdere illas non timuerunt, quin potius sine rancore eas dereliquerunt, et læte eas pauperibus erogaverunt. Imitemur beatum Job, qui tot et tantas divitias sine amore habuit, sine timore possedit, sine dolore perdidit. Istum ergo mundanum vitiosumque timorem a nobis expellamus, discamus terrena contemnere, et ea ridendo amittere vel potius erogare. Timor vero pœnæ vel mortis, naturalis est, et ideo nisi excesserit, non est vitiosus. Unde et Dominus, qui nihil nisi bonum habuit, hunc pro nobis voluntarie suscepit, timuit enim mortem, et propter eam tristis fuit. Qui tamen hortatur suos ne timeant mortem : *Nolite*, inquit, *timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Sed potius illum timete qui potest animam et corpus perdere in gehennam* (*Matth.* X). Quasi diceret : Quamvis humanum sit timere mortem, tamen vos propter timorem Dei vincatis timorem mortis. Hinc est quod quamvis apostoli, ut homines, timerent mortem clamat tamen Paulus : *Cupio dissolvi et esse cum Christo* (*Philipp.* I). Et Andreas : « O crux desiderata ! » Quod enim natura in eis reformidabat, hoc voluntas amplectebatur. Nos ergo, fratres, et si caro nostra reformidat pœnam vel mortem, nos tamen recte viventes, pati vel mori pro Christo desideremus. Si enim mors timenda est, propter consequentia timenda est. Mors quippe cum sit momentanea, magna pœna non est. Sed pœnæ quæ sequuntur mortem, magnæ et æternæ sunt, et ideo magis timendæ. Timeant ergo mortem qui faciunt unde timere debeant. Timeant mortem adulteri, timeant mortem fures, homicidæ, avari, perjuri, cæterique iniqui. Nos ergo, fratres, si recte vivimus, si Deum toto corde diligimus, si mandata ejus observamus, mortem non debemus timere, imo eam securi exspectantes etiam desiderare, ut per eam de exsilio ad patriam, de tristitia ad gaudium, de miseria ad beatitudinem transeamus. Itaque, fratres, solummodo Deum timeamus. Ipse enim in omnibus et omnia in ipso sunt timenda. Quoniam nec diabolus, nec homo, nec fera, nec aliquid aliud, nisi ipso volente, nobis potest nocere. Unde sapiens ait : « Qui timet Deum, omnia timent eum : et qui non timet Deum, timet omnia. » Est autem timor Dei triplex : Servilis, initialis, et filialis. Porro serviliter timet Deum, qui conscius peccatorum suorum, non diligit Deum ut Patrem, sed timet ut judicem, more servi iniqui qui timet dominum suum, nec diligit. Hoc timore diabolus et iniqui homines timent Deum. Iste timor, in quantum quidem est initialis, est bonus; in quantum vero est servilis, est malus. Hunc timorem vera dilectio foras mittit, quoniam, cum aliquis malus conversus incipit Deum vere diligere, incipit eum non serviliter timere. Unde Joannes : *Timor* enim, inquit, *non est in charitate, sed perfecta*

charitas foras mittit timorem, quoniam timor pœnam habet. Qui autem timet, non est perfectus in charitate (*I Joan.* IV). Ergo, fratres mei, si quis nostrum sibi male conscius est, cito convertatur, confiteatur, et ploret peccata sua, ut desinat serviliter Deum timere, et incipiat eum vere diligere. Initialis vero timor est, quando aliquis se convertens ad Deum incipit eum diligere, et tamen quia in conscientia sua nondum securus est, ejus judicium timet. De quo timore dicitur: *Initium sapientiæ timor Domini* (*Psal.* CX), quia, quando aliquis Deum incipit timendo diligere, incipit recte sapere. Filialis vero timor est quando aliquis non ex conscientia prava, sed ex sola dilectione Deum timet, more boni filii vel castæ sponsæ, qui non ex iniqua conscientia sed ex sola dilectione diligunt, hic patrem, illa sponsum. De hoc timore loquitur David: *Timor Domini sanctus, permanens in sæculum sæculi* (*Psal.* XVIII). Itaque, fratres, timeamus ex sola dilectione Deum, qui nos creavit, qui nos, tanquam pater filios, diligit: seipsum pro nobis pretium tribuit, bona sua temporalia, hic et in futuro cœlestia dabit. Omnibus amicis nos relinquentibus, ipse nos non relinquit, sed nos consolatur per prospera; corrigit per adversa.

In observatione vero mandatorum Dei, quatuor considerare debemus: Primo ut non e viribus, sed de solo Deo confidamus. Propter hoc enim Judæi, qui dicebant: non deest qui impleat, sed deest qui jubeat, legem implere non poterant. Sed nos, fratres, non ex nobis, sed ex Dei auxilio, ejus posse facere mandata confidamus. Ipse enim dat velle et perficere. Unde Apostolus: *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est* (*II Cor.* III); et alibi: *Non est volentis velle, neque currentis* currere, *sed miserentis Dei* (*Rom.* IX). Secundo ut mandata Dei, quomodo, quantum, quo ordine facienda sunt, faciamus. Quomodo? ut faciamus mandata Dei ex dilectione, non ex timore, nec ex carnali amore. Ex timore enim quidam cavent homicidia, adulteria, et furta perpetrare, nec ideo adimplent ista mandata. *Non occides, non mœchaberis, non furtum facies* (*Exod.* XX). Quoniam ut ait poeta:

Oderunt peccare mali (51) *formidine pœnæ.*
Oderunt peccare boni virtutis amore.
(Horat. *Epist.*, I, epist. 16, v. 52, 53).

Faciunt etiam quidam ea quæ Deus præcipit ex carnali amore, quoniam diligunt filios et uxores et parentes carnaliter, non spiritualiter: et ideo mandata Dei non adimplent. Quantum? ut faciamus mandata Dei secundum nostram possibilitatem. Quidam enim cum multa possint dare pauperibus, non ideo putent se implere mandata Dei de eleemosyna facienda, quia aliquid præstant. Deus enim pensat non quantum, sed ex quanto. Quo ordine? ut faciamus mandata Dei eo ordine quo sunt facienda. Si enim prius diligo me vel aliquid aliud, et post Deum, A vel si plus diligo extraneos quam parentes, mandatum de dilectione non adimpleo. Tertio ut eo fine faciamus mandata Dei, quo sunt facienda. Qui enim propter vanam gloriam dat eleemosynam, mandatum de eleemosyna danda non observat, quæ propter solum Deum facienda est. De qualibus Dominus ait: *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam* (*Matth.* VI). Quarto ut de observantia mandatorum Dei non penes nos gloriemur, sed Deo totum attribuamus, sicut ipse præcepit, dicens: *Cum omnia feceritis, dicite quia inutiles servi sumus, quod debuimus facere fecimus* (*Luc.* XIX). Et Apostolus: *Qui gloriatur, in Domino glorietur* (*I Cor.* I). Postquam autem Salomon præcepit nos Deum timere et mandata ejus observare, subdit causam, dicens: Quia *hoc est omnis* B *homo*, id est ad hoc est factus omnis homo. Et hæc faciendo est omnis homo. Porro ad hoc est factus omnis homo, quoniam factus est homo a Deo, ut ipsum super omnia timeret et diligeret, et mandata ejus observaret, et, hoc faciendo, beatam et perpetuam vitam obtineret. Et hoc aperte contra illos est, qui plus timent vel diligunt hominem, vel aliquam aliam rem quam Deum, vel qui plus faciunt mandatum hominis quam Dei. Qui profecto cum timorem, dilectionem et observantiam Creatori debitam, creaturæ, impendunt, quid aliud quam creaturam pro Deo colunt? Illud quippe quod plus colis et diligis, tibi Deus est. Si ergo Deo proponis nummum, nummum tibi deum constituis. Si meretricem Deo pro- C ponis, meretricem deam tibi constituis. Si Bacchum Deo proponis, hunc tibi deum constituis. Timendo etiam Deum et faciendo ejus mandata, est omnis homo. Homo enim qui Deum non timet, et mandata ejus non observat, jam non est. Deus quippe solus, cujus essentia æterna et immutabilius est, dicitur proprie esse. Unde ipse ait ad Moysen: *Sic dices: Qui est misit me.* Et: *Ego sum qui sum. Hoc est nomen meum* (*Exod.* III). Ac si diceret: Omnia temporalia quia nunc sunt, nunc non sunt, non vere sunt. Itaque, fratres mei, quanto plus accedimus per imitationem ad Dei bonitatem, ut scilicet simus sancti, sicut ipse sanctus est, mundi, sicut ipse mundus est, misericordes, sicut ipse misericors est, tanto magis sumus. Quanto vero plus recedimus a Deo qui est D verum esse, per dissimilitudinem malitiæ, immunditiæ, crudelitatis cæterorumque vitiorum, tantominus sumus. Non quia possit homo nihil esse, sed quia est melius non esse quam esse male, melius nihil esse quam infeliciter esse. Unde Dominus de Juda: *Melius illi esset, si natus non fuisset homo ille* (*Matth.* XXVI; *Marc.* XIV; *Luc.* XXII). Optabunt enim reprobi in inferno mortem, sed mors fugiet ab eis (*Apoc.* IX), nec omnino peribunt, ut semper perire possint. Cum ergo pœna æterna duplo sit gravior qualibet pœna temporali, melius esset reprobis semel penitus perire, quam semper pereundo durare. Nos ergo, fratres charissimi, spreto mundo cum concupiscentiis suis;

(51) Leg. apud Horat. *tu nihil admittes in te*, etc. et hic prior versus non antecedit sed sequitur sequentem.

solum Deum cum dilectione timeamus, et cum timore diligamus, ejus mandata observare studeamus, ut cum eo vere esse, vivere et regnare perpetuo mereamur, ipso auxiliante qui in Trinitate perfecta vivit et regnat Deus. Amen.

HOMILIA IV

DOMINICA PRIMA POST TRINITATEM.

Charissimi, Deus charitas est (*I Joan.* IV), etc. Hæc loquitur, fratres charissimi, Joannes apostolus et evangelista, dilectus a Domino, qui et recubuit in cœna super pectus ejus. Ille enim quia tenerius cæteris a Domino dilectus est, profundius et excellentius cæteris de dilectore suo et de dilectione ejus elocutus est. Ille itaque facit in hac locutione sex. Primo demonstrat quantam charitatem Deus habuerit erga nos. Secundo ad charitatem monet nos. Tertio ostendit vera esse quæ de Dei dilectione dixit. Quarto charitatem commendat. Quinto nos hortatur ad dilectionem Dei. Sexto probat Deum sine proximo non posse vere diligi. Volens igitur ostendere quantam charitatem Deus habuerit erga nos, ait: *Deus charitas est.* Sane si Deus non omnes, vel tantum meritos diligeret, ipsa charitas, id est dilectio, proprie dici non posset. Nunc autem quia omnes, et etiam immeritos diligit, ipsa charitas et dilectio per emphasim, id est per expressionem, potest dici. Ita quippe exuberat Deus visceribus pietatis et dilectionis, quod suæ bonitatis et dilectionis neminem expertem relinquit, facit enim solem suum oriri super justos et injustos, et pluit super bonos et malos (*Matth.* V). Dat jumentis escam ipsorum, et pullis corvorum invocantibus eum (*Psal.* CXLVI). Unde ad eum vere per Sapientem dicitur. *Nihil odisti, Domine, eorum quæ fecisti* (*Sap.* XI), cæterum dilectio et largitas divina nequaquam inordinata est. Quod utique esset, si omnes tam bonos quam malos æque diligeret. Sed hoc non est, imo malis quædam minora bona præbet. Unde scriptum est: *Homines et jumenta salvabis, Domine* (*Psal.* XXXVII), scilicet temporaliter. Bonis vero maxima bona reservat, quæ scilicet nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit (*I Cor.* II). Omnes tamen quantum in ipso est, æternaliter salvabit. Unde et hic ostendit apostolus quatuor, id est quantum nos dilexerit, et ad quid, et quando, et quomodo. Quantum nos dilexerit, ostendit cum dicit: *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quia misit unigenitum suum Filium in mundum.* Multum, fratres mei, nos Deus dilexit, cum nec aurum, vel argentum, non angelum, non aliquam creaturam suam, sed ipsum unigenitum suum et amantissimum Filium tradidit pro nobis. Ad quid? ostendit, *ut vivamus per eum.* Non enim ideo dilexit nos, ut ipse melior esset de nobis, sed ut nos meliores essemus de eo. Et hæc est, fratres, vera dilectio, quæ non quærit commoda sua, sed aliena. Quando nos dilexit? ostendit cum subdit: *In hoc est charitas, non quasi nos dilexerimus eum, sed quia ipse prior dilexit nos.* Tunc ergo dilexit nos, cum nos non diligebamus eum, imo contemptores et inimici ejus eramus. Et hæc est, fratres mei, vera dilectio et perfecta diligere etiam inimicos. Quomodo nos dilexit, innuit cum subdit: *Et misit Filium suum propitiationem*, sive ut alia Translatio habet, *littatorem, pro peccatis nostris.* Bene ergo dilexit nos qui non dilexit in nobis malum quod ipsi feceramus, sed potius bonum quod ipse in nobis fecerat, vel facturus erat. Ita ergo dilexit nos, ut nos faceret de peccatoribus justos, de servis liberos, de pollutis sanctos. Et hæc est, fratres mei, vera dilectio, diligere in homine bonum, et odisse malum.

Sequitur pars secunda, in qua hortatur apostolus nos ad dilectionem, dicens: *Charissimi, si Deus dilexit nos, et nos debemus invicem diligere.* Est autem argumentum a minori, quoniam si Deus, qui non tenetur nos diligere, nos dilexit, multo magis nos qui ad invicem nos diligere tenemur, nos diligere debemus. Tenemur quippe diligere proximum, triplici de causa, quia opus Dei est, et Creatorem in creatura diligere tenemur, et quia Deus præcepit ut diligeretur, cujus præceptis obedire tenemur, et quia Deus homines dilexit, cujus exemplum imitari tenemur. Diligamus igitur, fratres mei, exemplo Creatoris nostri proximos nostros, non vilia, sed etiam chariora nostra eis et pro eis dantes. Diligamus eos, non intuitu temporalis retributionis, nec ad vitam temporalem, sed ad æternam. Diligamus quoque eos priores, non exspectantes ut ipsi prius nos diligant, sed potius nos eos prævenientes, de non amantibus amantes, vel de inimicis amicos faciamus. Diligamus etiam eos et optemus eis bonum, bonum quod est in eis amantes, malum vero, si quod est, in eis odientes, et ab eis auferentes. Ad hoc autem quod aliquis posset quærere: Quare nos hortaris, primo ad dilectionem, proximi cum prius deberes nos hortari ad dilectionem Dei? Respondet: *Quoniam Deum nemo vidit unquam.* Ac si aperte dicat: Quia ergo Deus est invisibilis, et dilectio ejus est invisibilis, propterea vos hortor primo ad dilectionem proximi, in quo solus Deus diligitur, et in cujus dilectione dilectio Dei verius comprobatur. Unde et subdit: *Si diligamus invicem*, subaudi propter Deum, Deus in nobis manet per dilectionem et charitatem ejus, quæ in nobis perfecta est, id est in vera dilectione proximorum apparet, quia Deus nos diligit vere, et nos eum.

Sequitur pars tertia, in qua ostendit Apostolus sua et aliorum apostolorum auctoritate vera esse quæ de charitate Dei dixerat, ostendens primo se tales esse, quibus credi oporteat, cum subdit: *In hoc cognovimus quia in Deo manemus et ipse in nobis, quoniam de Spiritu suo dedit nobis*, id est de gratiis Spiritus sancti, quibus eruditi, sanctificati, et purificati sumus. *Et nos vidimus* fide Filii ejus divinitatem, et oculis corporis, humanitatem ejus. *Et testificamur* moribus, prædicatione, et miraculis, *quoniam Pater misit Filium suum salvatorem mundi.* Testificamur etiam quod *quisquis confessus* corde, ore et opere *fuerit, quoniam Jesus et Filius Dei, Deus*

in eo manet per gratiam, *et ipse in Deo* per charitatem. *Et nos* scilicet Apostoli, *cognovimus* experimento hoc esse verum, *et credimus charitati quam habet Deus in nobis*, et inde cogimur diligere eum. Infideles enim ideo non diligunt Deum, quia ignorant se diligi a Deo. Itaque, fratres, si volumus quod Deus in nobis maneat, et nos in eo, confiteamur Dominum nostrum Jesum Christum esse verum Deum veri Dei Filium, et Salvatorem mundi. Confiteamur hoc, inquam, corde, ore et opere, quoniam unum sine aliis non sufficit maxime ubi est necessarium. Petrus quippe confitebatur Dominum corde, sed tamen ore negando corruit. *Corde enim*, ut ait Paulus, *creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem* (*Rom.* x). Sed et sunt quidam falsi Christiani, qui corde et ore Christum confitentur, sed operibus diffitentur. de qualibus Paulus, *Confitentur verbis se nosse Deum, factis autem negant* (*Tit.* I). Nos ergo, fratres, Christum firma fide credamus, ardenti charitate diligamus, prædicatione et opere, et etiam, si necessarium fuerit, morte eum confiteamur, ut ipse in nobis, et nos in eo in æternum manere mereamur.

Sequitur pars quarta, in qua commendat charitatem quinque modis. Primo quod adeo digna sit, quod Deus ejus nomine se voluerit appellari. Quod ostendit, cum dicit: *Deus charitas est.* Dicitur autem Deus charitas, et substantialiter et causaliter, et active et passive. Et substantialiter quidem Deus charitas, id est, dilectio dicitur, quoniam ejus substantia dilectio est, sicut sapientia, potentia et hujusmodi. Causaliter vero dilectio dicitur quoniam dilectionem, pacem et concordiam in suis efficit creaturis. Ipse enim efficit quod quatuor elementa, licet contrariarum sint naturarum, in unam dilectionis concordiam connectantur. Ipse efficit quod quatuor humores in corpore, licet contrarii sint, in unam sanitatis concordiam uniuntur. Ipse efficit quod in Ecclesia multitudinis credentium est cor unum et anima una (*Act.* IV). Ipse quoque efficit quod diversæ personæ sint unanimes, et unius moris in domo (*Psal.* LXVII). Active etiam dicitur Deus dilectio, quia benignus et suavis est Dominus universis, quosdam per electionem, ut electos, quosdam per gratiarum collationem, ut præsentialiter justos, omnes vero per essentiæ conservationem diligens. Passive vero dilectio dici potest, quoniam amabilis est in se, et dulcis ad amandum. Cujus dulcedinem gustaverat Psalmista, qui dicebat: *Gustate et videte quoniam suavis est Dominus* (*Psal.* XXXIII). Et alibi: *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te* (*Psal.* XXX). Secundo autem commendat charitatem, per hoc quod ea facit nos dignos qui maneamus in Deo, et in quibus Deus maneat. Unde et subdit: *Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo.* Per charitatem quippe in Deo manemus, quia si Deum diligimus, corde et desiderio in Deo manemus, ejus mandata facimus, ejus voluntatem nostræ præponimus, totis viribus ad eum festinamus. Per charitatem quoque Deus in nobis manet, quoniam si Deum diligimus vere, ipse habitat in nobis, gratiis suis nos implendo, nos sustentando, nos protegendo, regendo, et dirigendo. Tertio vero commendat charitatem per hoc quod charitas nos similes efficit Deo. Unde et subdit: *In hoc est charitas nobiscum, quia sicut ille est et nos sumus in hoc mundo*, id est sicut Christus est misericors, sanctus, et bonus, amator etiam inimicorum, ita et nos qui sumus in hoc mundo, per dilectionem ei assimilari cupientes, studeamus fieri misericordes, sancti, et boni, et etiam inimicorum amatores, juxta quod ipse præcepit nobis: *Qui mihi ministrat, me sequatur* (*Joan.* XII), subdens etiam præmium, cum dicit: *Et ubi sum ego illic et minister meus erit* (*Ibid.*). Unde et hic quarto commendat charitatem, quia facit nos habere fiduciam in adventu Christi. Verum quippe est quod vulgo dici solet: « Secure vadit ad curiam qui præpositum habet parentem. » Nos quoque, fratres, si Deum vere dilexerimus, si eum tanquam Patrem, sanctitate, misericordia, cæterisque virtutibus imitati fuerimus, cum magna securitate et fiducia, ad secundum ejus adventum veniemus. Hac securitate confisus Propheta non timet mortem neque judicium, sed potius ut adveniat deprecatur: *Educ*, inquit, *de carcere animam meam, ut confiteatur nomini tuo* (*Psal.* CXLI). Et Paulus: *Cupio dissolvi et esse cum Christo* (*Philipp.* I). Quinto etiam commendat charitatem, per hoc quod timorem excludit, dicens: *Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem.* Quem timorem, Cum sint quinque species timoris, scilicet mundanus, humanus, servilis, initialis, et filialis? Perfecta charitas mundanum timorem prorsus excludit, quoniam qui perfecte Deum diligit, damna mundanarum rerum non timet, sed potius quæ sine amore possidet, absque dolore relinquere paratus est. Excludit etiam ex maxima parte timorem humanum, quoniam qui Deum perfecte diligit, ad pœnam et mortem temporalem non trepidat, sed potius securus exspectat, ut per eam ad desideratam Dei visionem perveniat. Excludit etiam penitus timorem servilem, quoniam qui perfecte Deum diligit, per charitatem purgatus a delictis, non habet in conscientia unde timeat, sed potius unde gaudeat et securus fiat. Unde et hic subjungitur: *Quoniam timor pœnam habet.* Qui enim serviliter timet pro culpa, cruciatur in conscientia. Excludit etiam timorem initialem. Unde et hic subditur: *Qui autem timet*, subaudis in conscientia, *non est perfectus in charitate*, quoniam qui Deum vere diligit et perfecte, non ut incipiens, hinc a timore hinc ab amore dividitur, sed totus a dilectionis securitate possidetur. Filialem vero timorem, perfecta charitas hinc non excludit, quoniam etiam ille qui hic perfectissime Deum diligit, timet dum est in lubrica hujus sæculi via, ne cadat, ne Deum offendat. Timet more castæ mulieris sponsum suum, timet non ejus adventum, sed ejus recessum. Porro in futura beatitudine, adeo perfecta erit charitas, quod

penitus excludet timorem, vel ut omnino non sit, A vel ut non efficiat hominem timorosum, sed reverentem. Quod enim legitur, quia timor Domini sanctus, permanet in sæculum sæculi (*Psal.* XVIII), vel de bono ad quod duxit timor, vel de reverentia intelligendum est.

Sequitur pars quinta, in qua nos hortatur ad dilectionem Dei dicens: *Nos ergo diligamus Deum, quoniam ipse dilexit nos.* Tres sunt præcipue causæ, fratres mei, propter quas Dominum diligere debemus. Prima est quia in se bonus et amabilis est; quam causam notavit superius cum ait, *Deus charitas est.* Secunda est quia diligi meruit, quæ causa hic notatur cum dicitur: *Quia ipse prior dilexit nos.* Tertia est quia diligentibus se præmium æternæ beatitudinis dabit; quam causam notavit superius, B cum dixit: *Ut fiduciam habeamus in adventu ejus.* Quare tanta amoris incitamenta mentem nostram, fratres charissimi, ad diligendum Deum non excitant? Et si negligimus eum diligere, eo quod in se bonus et amabilis est, quare in misericordia ejus, dilectionis beneficia nobis quotidie exhibita, quare desiderabilia æternæ beatitudinis, quæ nobis præparavit, præmia nos ad diligendum eum non inflammant?

Sequitur pars sexta, in qua ostendit Apostolus Deum non posse vere diligi sine proximo, dicens: *Si quis dicit quia diligo Deum, et fratrem suum odit, mendax est.* Non ait inimicum vel iniquum quia inimicitiam vel iniquitatem debemus semper odio habere, naturæ vero fraternitatem diligere. Et hoc contra illos est qui vel propter amicitiam hominis diligunt ejus iniquitatem, vel propter iniquitatem hominis odiunt ejus naturam. Deinde probat duplici argumento Deum non posse diligi sine proximo. Primo argumento sumpto a minori cum dicit: *Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt, quomodo potest diligere?* Ac si diceret: Nullomodo. Minus quippe est diligere proximum nostrum quem quotidie videmus, cum quo nutriti sumus, cui nos similitudo et familiaritas amicat. Majus vero est Deum diligere, quem nullo sensu cognoscimus, sed sola fide credimus. Item subsequenter probat argumento sumpto ab auctoritate mandati, cum subdit: *Et mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum.* Non enim vere potest quis diligere Deum, nisi faciat ejus mandatum. Unde idem in Evangelio: *Si quis,* inquit, *diligit me, sermonem meum servabit* (*Joan.* XIV). Itaque, fratres mei, si volumus in adventu summi Judicis habere fiduciam et securitatem, diligamus interim Deum et proximum: Deum propter seipsum et super omnia, proximum propter Deum, et sicut nos: Nec diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate (*I Joan.* III), Christum in famelicis pascentes, in nudis vestientes, in hospitibus suscipientes, in infirmis visitantes, ut ab ipso mereamur audire: *Venite, benedicti Patris mei, percipite præparatum vobis regnum a constitutione mundi* (*Matth.* XXV). Amen.

HOMILIA V.

DOMINICA PRIMA POST TRINITATEM.

Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: *Homo quidam erat dives* etc. (*Luc.* XVI.) Cum in hac parabola, fratres charissimi, etiam nomen pauperis ponatur, patet quia non solum parabola, sed etiam historia est. Et parabola quidem est, quoniam per similitudinem quid faciendum, quidve fugiendum sit demonstratur. Historia vero est, quoniam res gesta esse ex paupere, proprio nomine designato, comprobatur. Sed quare, fratres mei, nomen pauperis ponitur, cum nomen divitis taceatur, nisi quia pauper per electionem a Deo cognoscitur. Dives vero per reprobationem a Deo ignoratur? Hinc Moysi electo dicitur: *Novi te ex nomine* (*Exod.* XXXIII). Et reprobis in futuro a Domino dicetur: *Amen dico vobis, nescio vos* (*Matt.* XXV). In quo, fratres, confunditur perversitas nostra, qui nomina divitum et potentum memoriter tenemus, nomina vero pauperum scire negligimus. Et unde hoc? nisi quia acceptores sumus personarum, et divites quos Deus ignorat, scimus, pauperes vero quos Deus novit, ignoramus? Attamen legimus de beato Clemente quod pauperes regionum nominatim habebat scriptos. Porro propositæ parabolæ sex sunt partes; primo enim ponitur meritum divitis, secundo meritum pauperis, tertio præmium pauperis, quarto pœna divitis, quinto dives orat pro se, sexto pro suis, nec exauditur. Primo igitur ponitur meritum C divitis cum dicitur, *Quidam homo erat dives*; ostenditur autem hic esse verum illud quod Dominus alibi dicit, scilicet quod dives difficile intrabit in regnum cœlorum, et quia facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cœlorum (*Luc.* XVIII). Divitiæ quippe male usæ, solent multa vitia generare, vanam gloriam, voluptatem, superfluitatem, superbiam et contemptum. Quod vanam gloriam generent, ostenditur cum subditur: *qui induebatur purpura et bysso.* Quod pretiosæ enim vestes ad gloriam quærantur, inde patet quod nullus appetit se pretiosis vestibus indui, nisi ubi scit a pluribus videri. Si enim in luxu vestium peccatum non esset, nequaquam Dominus Joannem Baptistam de asperitate vestium commendaret, et D alios de mollitie reprehenderet, dicens: *Quid existis in desertum videre? Hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt* (*Matth.* II). Quod voluptatem et luxuriam divitiæ generant, ostenditur cum subditur: *Et epulabatur quotidie splendide.* In duobus reprehenditur, et quia festivis conviviis delectabatur, et quotidie; delectabatur etiam in pretio, in apparatu, et in crapula ciborum, quæ Dominus prohibuit dicens: *Cavete, ne graventur corda vestra crapula, et ebrietate, et curis hujus sæculi.* (*Luc.* XXI.) Quotidie etiam hoc factitabat: et si enim quandoque splendidius et emollius cœnandum est, vel propter festum, vel propter hospites, vel propter infirmitatem, hoc tamen quotidie facere grande vitium est. Quod vero superfluitatem divitiæ

generent, ostenditur in utroque, quia scilicet et superflue vestiebatur et superflue epulabatur. Quod superbiam et contemptum generent, innuitur ex hoc quod dives in divitiis se efferebat, et mendicum ante januam suam pereuntem despiciebat.

Sequitur pars secunda, in qua describitur meritum pauperis, cum subjungitur : *Et erat quidam mendicus, nomine Lazarus, qui jacebat ad januam ejus, ulceribus plenus, cupiens saturari de micis quæ cadebant de mensa divitis, et nemo illi dabat.* Quatuor ostenduntur Lazari miseriæ, quia erat mendicus, quia infirmus, quia nemo in utroque ei subveniebat, quia ante januam divitis jacens, multam tentationem ex præsentium visione deliciarum sustinebat. Sicut enim præsentia mendici infirmi fuit occasio diviti majoris damnationis, ita præsentia deliciarum divitis fuit occasio mendico coronæ grandioris. Si enim dives non haberet præsentem mendicum, divitiarum suarum videretur habere excusationem. Et si mendicus infirmus a visione deliciarum remotus esset, tantam tentationis pugnam non sustineret. Quantas namque, fratres mei, putatis Lazarum sustinuisse tentationes, cum mendicus videret quotidie ante oculos suos divitem et suos in divitiis superabundantes, cum infirmus videret divitem et suos in sua sanitate exsultantes, cum esuriens videret divitem et suos, ex nimia saturitate eructantes, cum tot miseriis pressus videret quotidie divitem et suos tot prosperitatibus præflorentes ? Magnus certe erat iste Lazarus, qui tot calamitatibus premebatur nec opprimebatur, qui tot patiens fuit patiens, quem etsi tot flagella torserunt, tamen patientiam non extorserunt. Exemplo hujus discant pauperes et infirmi in suis adversitatibus non murmurare, non divites damnare, sed Deum benedicere, et flagella peccatis suis ascribere. *Et nemo illi dabat*, quia sicut dives immisericors erat, ita et immisericordes ministros habebat, juxta illud Salomonis : *Impius princeps omnes ministros habet impios* (*Prov.* XXIX).—*Sed et canes veniebant, et lingebant ulcera ejus.* Ubi homo servo Dei ministrare contemnebat, bestia, prout poterat, serviebat.

Sequitur pars tertia, in qua pauperis præmium describitur, cum subditur : *Factum est autem ut moreretur mendicus, et portaretur ab angelis in sinu Abrahæ.* Fratres charissimi, *quis sicut Dominus Deus noster qui in altis habitat, et humilia respicit in cœlo et in terra, suscitans a terra inopem, et de stercore erigens pauperem ?* (*Psal.* CXII.) Ecce quem homo abhorret, dedignatur et refugit; pius super omnia Dominus per ministerium suorum sanctorum angelorum, visitat et suscipit, transferens de sterquilinio margaritam pretiosam, et in beata requie suorum collocans electorum. Est autem sinus Abrahæ locus in superiori inferno tranquillus, in quo qui in fide Abrahæ moriebantur, cum requiescebant, exspectabant Christum qui eis regnum cœlorum aperiret.

Sequitur pars quarta, in qua describitur pœna divitis cum subditur : *Mortuus est autem et dives, et sepultus est in infernum.* Ecce quem turba ministrorum et amicorum circumfovebat et palpabat, rapitur A per durum ministerium crudelium dæmonum, et transfertur in infernum, de purpura et bysso in asperitates tenebrarum, de splendidis conviviis, in famem et sitim perpetuam, et de inter blandas manus lacrymantium amicorum, inter duras manus stridentium dæmoniorum. Et quare ? Non quia legatur aliquid rapuisse vel defraudasse, sed quia sua superflue expendebat, et pauperi nihil dabat. Si sic, fratres, damnantur qui non dant sua, quid patientur qui rapiunt aliena ? *Elevans autem oculos suos cum esset in tormentis, vidit Abraham a longe*, tam loco quam affectu (quia Deo conjunctus, aliud quam Deus velle non potest) *et Lazarum in sinu ejus.* Porro cum justi semper videant reprobos in pœnis ad augmentum gaudii, et ad glorificationem sui laboris, reprobi tantum ante B videre possunt electos, sed post, non ; quia scriptum est : « Tollatur impius, ne videat gloriam Dei. »

Sequitur pars quinta, in qua dives orat pro se, nec exauditur. Unde et subditur : *Et ipse clamans*, magis affectu quam voce, *ait : Pater Abraham, miserere mei.* Patrem vocat, quem filialiter imitari noluit, et qui vivens in deliciis et miseriam ignorabat, nunc in tormentis positus incipit scire quid habeat mali miseria, et quid boni misericordia. Vos ergo divites, ne similiter vobis contingat, discite, per compassionem, inter divitias miseriam et misericordiam, quia non inveniet in alia vita misericordiam, qui in ista non habuerit eam. Unde Jacobus : *Judicium sine misericordia fiet ei qui non fecerit misericordiam* (*Jac.* II). *Et mitte*, inquit, *Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret* C *linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Ecce fratres quam terribilis est Deus in consiliis super filios hominum (*Psal.* LXV). Dives, qui micas de mensa sua cadentes esurienti dare nolebat Lazaro, ad hoc justo judicio adductus est ut ardens guttam aquæ de digito Lazari peteret, et non acciperet. Qui si vel micas ei per misericordiam dedisset, aliquod refrigerium in pœnis inveniret. Itaque, fratres, si vultis misericordiam invenire, misericordiam facite, vocate pauperes ad convivia vestra, vel saltem date mensæ vestræ reliquias, date vel cadentes micas, ne si has forte dare negligeritis, refrigerium in igne non inveniatis. Sed cur dives potius in lingua arsisse memoratur, nisi quia comessationi et sociæ D ejus loquacitati servierat ? *Et ait illi Abraham : Fili, recordare, quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala. Nunc vero consolatur, tu vero cruciaris.* Nullus, fratres charissimi, adeo malus est quin aliquid boni aliquando faciat. Nec aliquis adeo in hac vita sanctus est quin aliquando peccatum faciat. Deus autem justus judex nullum bonum relinquit irremuneratum, nec aliquod peccatum impunitum. Itaque dives si quid boni inter multa mala fecerat, remunerata sunt ei in collatione temporalis prosperitatis quam amabat. Et si quid mali Lazarus inter fidem, spem, constantiam, et patientiam cæterasque virtutes fecerat, totum ignis temporalis tribulationis expiavit. Et econtra, mala divitis punita sunt in æterna pœna, et bona Lazari

remunerata sunt in æterna vita. Hinc discant divites timere, dum eis bene succedit in hac vita, dum florent et abundant, ne forte, propter illam prosperitatem, bona sua in hoc sæculo remunerentur, et peccata sua igni æterno reserventur. Et econtra discant pauperes et afflicti bene sperare, dum paupertie, afflictione et miseria puniuntur, quia per illam adversitatem peccata eorum, si patienter ferant, purgantur, et bona eorum æternæ remunerationi reservantur. *Et inter hæc* (52), *inter nos et vos magnum chaos firmatum est, ut qui hinc illuc transire volunt, non possint, neque inde huc transmeare.* Sane si illi qui in tormentis sunt ad requiem transire velint, non est mirum. Sed quomodo qui in requie sunt ad eos qui in tormentis sunt transmeare volunt et non possunt? Puto quod sancti per consuetam compassionem et pietatem, quas in hoc sæculo habuerunt, vellent miserendo transire ad eos qui in pœnis sunt, nisi essent ita divinæ conjuncti justitiæ, ut aliud quam Deus velle nulla possent ratione. Neque enim in æterna beatitudine, ubi dolor non est, compassio esse poterit quæ sine dolore non est.

Sequitur pars sexta, in qua dives pro aliis orat, nec exauditur, cum subditur : *Rogo ergo te, pater, ut mittas eum in domum patris mei ; habeo enim quinque fratres, ut testetur illis ne et ipsi veniant in hunc locum tormentorum.* Frustratus de se, orat pro fratribus, et nunc incipit animas aliorum diligere qui vivens suam non dilexit. Ad cumulum quippe tormentum relinquitur ei, et cognitio, et memoria et compassio. Plus enim torquetur ex hoc quod cognoscit Lazarum nunc glorificatum super se, quem olim viderat sub se miserum. Plus etiam torquetur ex hoc quod recordatur felicitatis suæ, quam in domo patris sui quondam cum fratribus suis habuerat. Plus quoque torquetur ex hoc quod compatitur fratribus suis, quos videt per eamdem vitam, in eamdem venturos damnationem. *Et ait illi Abraham : Habent Moysen et prophetas, audiant illos.* Ac si dicat : Lex et prophetæ docent quomodo æterna damnatio potest evitari. *Non pater, inquit, Abraham, sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent*, quia ipse Scripturas contempserat. Tales sunt hodie multi falsi Christiani, qui sacris Scripturis non credentes dicunt : Quis est regressus ab inferis, qui nobis testimonium ferat? in quo se esse infideles ostendunt, dum nec præmia justorum, nec pœnas reproborum credunt. Sed subditur : *Si Moysen et prophetas non audiunt, nec si quis ex mortuis resurrexerit credent.* Sive audire hic ponatur pro credere, sive pro obedire, verum esse hodie apparet quia Scripturæ de Christo testimonium ferant. Qui nolunt credere Scripturis, nolunt etiam credere Christo, qui a mortuis resurrexit. Qui non obediunt legi vel prophetis minoris perfectionis, non obediunt perfectiori doctrinæ Christi, qui resurrexit a mortuis. Itaque, fratres, discamus divitias contemnere, modum in vestibus ac cibariis observare, pauperibus largiores et misericordes esse, de bonis nobis commissis pauperes nobis amicos et intercessores facere, ut cum defecerimus, recipiant nos in æterna tabernacula (*Luc.* XVI). Ecce multos Lazaros quotidie ante januas nostras videmus, se importune ingerunt, rogant qui rogari debuerunt. In quibus, fratres mei, si forte quædam corrigenda videmus, non ideo eos contemnamus, quia quod est in eis piandum expiat ignis tribulationum. Si boni sunt, recipiendi sunt, ut fratres et intercessores nostri. Sin minus, duplicem præbeamus eis eleemosynam. Demus eis et panem corporalem, et panem verbi spiritualem, ut duplicem inde recipiamus mercedem, ut, cum venerit pauper pauperum Deus et Dominus noster Jesus Christus, recipiat nos in æterna tabernacula.

HOMILIA VI.

DOMINICA SECUNDA POST TRINITATEM.

Charissimi, nolite mirari si odit vos mundus etc. (*I Joan.* III.) Quadripertita est hæc lectio, fratres charissimi. Primo dicit non esse mirandum si mali exosos habeant bonos. Secundo ostendit eos qui habent charitatem vivere, et eos qui carent mori. Tertio exemplo Christi nos ad dilectionis perfectionem hortatur. Quarto a falsa dilectione mundi nos dehortatur. Ait itaque primo, *Nolite mirari si odit vos mundus*, id est amatores mundi. Duo dicit, et quod mundus odit justos, et quod inde non est mirandum. Et qua de causa mundus, id est mali odiunt justos? Triplici. Prima est quia vita justorum contraria est vitæ malorum. Quanta enim contrarietas est inter ignem et aquam, inter lucem et tenebras, tanta contrarietas est inter justitiam et injustitiam, inter castitatem et luxuriam, inter cæteras virtutes et vitia eis contraria. Propterea inter cultores istarum et cultores illorum pax et concordia esse non potest. Secunda causa est quia boni odiunt vitam malorum et damnant. Tertia est quia eos reprehendunt et corrigunt, cupientes eos auferre diabolo et lucrari Deo. Itaque cum boni malos bono odio odiant, mali eos iniquo odio persequuntur, juxta illud : *Perfecto odio oderam illos, inimici facti sunt mihi* (*Psal.* CXXXVIII). Perfectum quippe odium est, quando ita odimus vitium iniqui, quod ejus naturam diligimus. Quod non odium, sed potius dilectio est. Unde Psalmista : *Posuerunt adversum me mala pro bonis et odium pro dilectione mea* (*Psal.* CVIII). Joannes Baptista arguebat Herodem, dicens : *Non licet tibi habere uxorem fratris tui* (*Marc.* VI). Sed unde Herodes debuit Joanni gratias agere, inde eum incarceravit et decollavit. Hæc est retributio malorum. Porro quibus de causis mali odio habeant bonos, Sapiens complectitur his verbis : *Dixerunt impii, apud se non recte cogitantes : Circumveniamus justum, quoniam contrarius est operibus nostris. Promittit se scientiam Dei habere, tanquam nugaces æstimati sumus ab illo, et abstinet se a viis nostris, tanquam ab immunditiis* etc. (*Sap.* II.) Quare non est mirandum si mali odiunt bonos, quia amatores mundi sunt, unde et hic mundus vocantur. *Si quis autem*, teste Joanne, *diligit mundum, non est charitas Patris in eo*

(52) Vulg. *in his omnibus.*

(*I Joan.* II). Quare non est mirandum, si mali odiunt bonos, quoniam etiam seipsos odiunt. *Qui* enim *diligit iniquitatem, odit animam suam* (*Psal.* X). Quomodo diliget alium, qui seipsum non diligit? Quare non est mirandum si mali odiunt bonos. Quia sic consueverunt, faciunt non quod boni mereantur, sed quod ipsi solent. Sic ab initio Cain iniquus justum Abel fratrem suum persecutus est et occidit. Sic iniqui fratres justum Joseph, sic iniquus Saul sanctum David, sic impii Hebræi sanctos prophetas, sic iniqui Judæi Christum, sic infideles fideles. Propterea, fratres charissimi, nec miremini si mundi amatores vos odiunt et persequuntur. Dominus enim suis discipulis inquit : *Si me persecuti sunt, vos persequentur, ut impleatur illud Psalmistæ : Quia odio habuerunt me gratis* (53) (*Joan.* XV).

Sequitur pars secunda, in qua ostendit eos qui charitatem habent vivere, illos qui non habent mori, cum subdit : *Nos autem scimus quia translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* Ac si dicat : Quandiu fuimus sine dilectione Dei et proximi, in morte peccatorum eramus. At postquam cœpimus Deum et proximum diligere, cœpimus vivere, vita scilicet virtutum. Sicut enim odium et contemptus est fons omnium vitiorum, ita econtrario charitas Dei et proximi est fons omnium virtutum. Per dilectionem quippe connectimur Deo et proximo, ut simus membra corporis Christi, quod est Ecclesia. At si dilectione caremus, jam nec membra Christi, nec de integritate ejus corporis sumus, nihil fructus facientes, sed mortui et damnationi deputati. Quod Dominus in Evangelio per similitudinem vitis et palmitum ostendit, dicens : *Ego sum vitis et vos palmites. Sicut palmes ex se non potest facere fructum, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis. Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, et arescet, et colligent eum, et in ignem mittent, et ardet* (*Joan.* XV). Unde et hic subditur : *Qui non diligit, manet in morte.* Videat ergo unusquisque nostrum penes se si diligit Deum et proximum. Et si diligit, sciat quia in Deo vivit, et membrum Christi est. Si autem non diligit, sciat quia in peccato mortuus est, et membrum Christi non est. Talis ergo per pœnitentiam festinet resurgere, et per charitatem Christo adhærere, ne forte, tanquam palmes præcisus, in ignem æternum mittatur. Et si sic reus est, qui non diligit, qualis est ille qui etiam odit? *Omnis*, inquit, *qui odit fratrem suum, homicida est.* Non ait inimicum, vel iniquum, quoniam inimicitiam vel iniquitatem hominis odisse bonum est, fraternitatem vero naturæ odisse, homicidium est. Proinde, fratres, magna discretio hic habenda est, ut scilicet ita odio habeamus hominis vitium, quod non naturam, et ita diligamus hominis naturam, quod vitium ejus odio habeamus. Quod contra illos est qui vel propter amicitiam hominis consentiunt ejus vitiis, vel propter inimicitiam vitiorum odio habent hominis naturam. *Et scitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem,* sicut nec palmes aridus et a vite præcisus.

Sequitur pars tertia, in qua ad perfectionem charitatis nos hortatur exemplo Christi, dicens : *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ipse pro nobis animam suam posuit, et nos debemus pro fratribus nostris animas ponere.* Ac si diceret : Charitas per exhibitionem operis cognoscitur. Sicut ergo Deus, charitatem, quam habeat erga nos, per operationem nobis demonstravit ponendo pro nobis animam suam, ita et non charitatem, quam habemus in proximos, opere ostendamus ponendo pro eis animas nostras. Est autem argumentum a majori. Quoniam si Deus, qui non tenebatur, tantus et talis, et prior pro nobis talibus et tantus, animam suam posuit, quanto magis nos, qui tenemur, pro fratribus nostris comparibus animas nostras corporales ponere debemus? Ut scilicet si viderimus fratres nostros a gentilibus captos, in fide titubantes et dubios, tenemur eos, animas nostras pro confirmatione fidei ponendo, in fide confirmare, ne forte negando in anima perirent. Pro vita vero proximi corporali vitam nostram ponere non tenemur. Legimus tamen in Dialogo sanctum Sanctulum pro quodam clero ab infidelibus captum vitam suam obligasse, ut scilicet mane vel captu, vel seipsum pro eo eis restitueret. Quem cum nocte recedere compulisset, ipse pro eo mane seipsum exhibuit gladiatori. Qui cum sanctum, elevato gladio, decollare vellet, dextera ejus diriguit. Ad quod miraculum infideles admirantes, veniam ab eo poscunt, et ut prece sua dexteram suo decollatori redderet, exorant, et quod vellet munus ab eis postularet. At sanctus exacto per jusjurandum ab eo ne ultra sanguinem christianum funderet, ei dexteram restituit, et omnes captivos christianos quos tenebant liberos recepit (54). Ecce, fratres mei, quanta sit virtus charitatis, dum unus corpus suum pro corpore alterius morti exponit, virtus divina demonstratur. Et non solum illi duo, sed etiam multi a morte liberantur.

Sequitur pars quarta, in qua dehortatur nos a falsa dilectione, dicens : *Si quis habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem patientem, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei* (quæ etiam animam pro proximis ponit) *manet in eo?* Ac si dicat : Qui non dat fratri indigenti mundanam quam habet substantiam, quomodo pro eo daturus est animam suam? In hoc enim vera dilectio a falsa discernitur, quoniam vera dilectio non potest claudere viscera pietatis, sed quod potest operatur. Si multum habet, multum præbet. Si modicum etiam illud libenter impertitur. Sitienti, si habet, vinum porrigit ; si non habet, dat vel aquam calidam. Quod si caret lignis quibus eam calefaciat, det vel frigidam aquam. Nec amittet mercedem suam dicente Domino : *Si quis dederit in nomine meo calicem aquæ frigidæ, non perdet mercedem suam* (*Matth.* X ; *Marc.* IX). Quod

(53) Apud Joan. leg. *ut adimpleatur sermo qui in lege eorum scriptus est*, etc.
(54) S. Greg. Dialog. lib. III, cap. 47, tom. LXXVII Patrologiæ.

si plus non potest, det saltem consolationem, det vel compassionem et orationem, et bonam voluntatem, quæ plus nequeunti sufficit. Scriptum est enim : *Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* II). Dilectio vero falsa est, quæ, cum possit auxilium ferre, dissimulat, et non opere, sed solis verbis et præmissis amat. A qua nos dehortatur Apostolus subdens : *Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere et veritate*, id est non diligamus verbo solo, ut quidam simulatores faciunt, sed etiam opere. Nec diligamus linguosa et blanda fictione, sed cordis veritate. Nos itaque, fratres mei, non fictam, sed veram habeamus dilectionem. Quod utique erit, si Deum solum in proximo diligere noverimus, si nostræ dilectionis et operis solum Deum causam statuerimus, si non ab homine, sed a solo Deo remunerationem exspectaverimus, si non hominibus, sed soli Deo in omnibus placere quæsierimus si non in terra, sed in cœlo thesaurizare certaverimus, præstante Deo et Domino nostro, qui in Trinitate perfecta vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA VII.

DOMINICA SECUNDA POST TRINITATEM.

Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc : Homo quidam fecit cœnam magnam, et vocavit multos (*Luc.* XIV). In hac parabola, fratres charissimi, septem animadvertenda sunt : præparatio magnæ cœnæ, multorum invitatio, ad cœnam vocatio, quorumdam excusatio, aliorum introductio, aliorum etiam compulsio, excusantium æterna conclusio. Porro præparatio magnæ cœnæ est æternæ beatitudinis a constitutione mundi præordinatio. Hæc autem beatitudo multis vocatur nominibus. Vocatur autem hic cœna magna, alibi regnum cœlorum, alibi patria cœlestis, alibi gaudium æternum, alibi requies, et hujusmodi. Et quare hoc ? Quoniam cum beatitudo cœlestis sit tanta et talis, quam *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit* (*Isai.* LXIV ; *I Cor.* II), etc., sicut humanus animus non potest eam intelligere, ita nec humana verba eam possunt significare. Sicut enim magnitudini rei succumbit intellectus, ita rem ut est, verba non explicant. Quia tamen necesse erat nobis eam utcunque significari, nec nos homines poteramus, nisi per humana verba et intelligere et fari ; nominatur eadem beatitudo nominibus multis, mutuatis et impropriis, et temporalem significantibus voluptatem. Multis autem nominibus ideo significatur, ut proprietas æternæ beatitudinis quæ non significatur nomine uno significetur alio. Si enim uno nomine posset plenarie significari, non necesse esset eam multis nominibus designari. Mutuatis; quia omnia ista nomina, beatitudo, cœna, regnum cœlorum, patria cœlestis, et hujusmodi de temporalibus ad æterna translata sunt, cum comparatio temporalium ad æterna nulla sit. Impropriis; quia rei veritatem non exprimunt, sed utcunque per similitudinem innuunt. Temporalem significantibus voluptatem, ut per temporales voluptates quæ breves sunt et vanæ significetur illa æterna voluptas, quæ indeficiens erit et vera. Quia ergo homo hic maxime delectatur in splendida cœna, ideo regnum cœlorum, in quo non erit necesse manducare, vocatur hic cœna, quoniam ibi sancti post vesperam hujus mundi, æterna reficientur satietate. Magna vero dicitur, quia erit sufficiens et numerositati, et capacitati universorum. Invitatio vero ad hanc cœnam fit quando homo ad finem accedit. Quando enim, fratres, ad fidem et ad sacramenta accedimus, tunc nobis promittitur. Quod si in fide perseveraverimus, illius æternæ beatitudinis participes erimus. Ecce, fratres, omnes ad illam æternam cœnam invitati sumus. Ad illam ergo fide et desiderio tendamus, et operibus nos dignos efficiamus. Ad horam vero cœnæ per servum vocamur, quando per prædicatorum ordinem monemur ut venire ad æternam beatitudinem festinemus. Ecce, fratres, ipse qui loquor, qualiscunque sum, sum servus qui vos voco ad horam cœnæ. Hora enim cœnæ jam erit in fine mundi, vel etiam in fine uniuscujusque. Cum enim de hoc sæculo eximus, ad illam æternam cœnam, si digni sumus, intramus. Clamo etiam, fratres, clamo vobis : Præparate vobis quam cito ad æternam, dum potestis, ne forte tunc incipiatis velle cum non poteritis. Abluite per pœnitentiam conscientiam. Induite vos nuptiali veste : *Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris* (*Luc.* XII). Nam soli tales ad cœnam admittuntur. Sed ecce, fratres, alii vocantur et consentiunt. Alii vocantur et etiam compelluntur. Quidam igitur se excusant, quorum sunt tria genera : Alius dicit : *Villam emi, et necesse habeo exire et videre illam.* Ille, fratres mei, villam emit, qui superbiam dominationis per superbiam sibi acquirit. Tales sunt hodie (unde magis dolendum est) multi qui, contempta æterna cœna, honores et dignitates sibi emunt, non solum pro eis hominibus pretium dantes nummorum, sed etiam pro eis animas suas diabolo venundantes. Heu, quam pessima commutatio ! Quid dicam super his qui etiam facinus in sancta Ecclesia facere non erubescunt ? Qui ordines, qui ecclesias, qui ecclesiasticorum officia sacramentorum vendunt vel emunt ? Porro cum quo sunt hi computandi, nisi cum Juda et Judæis qui Christum vendiderunt et emerunt ? quorum pecunia cum eis erit in perditionem, ut Petrus inquit ad Simonem Magum (*Act.* VIII). Hi autem necesse habent exire ab inquisitione et amore spiritualium bonorum, et videre per amorem vilem emptarum dignitatum, extra alti, intus dejecti, extra clari, intus tenebrosi. De his scriptum est : *Hæreditas, ad quam festinatur in principio, benedictione carebit in novissimo* (*Prov.* XX). Alius dixit : *Juga boum emi quinque, et eo probare illa.* Per quinque juga boum, quæ combinata sunt, significantur quinque sensus corporis, qui similiter in membris combinati sunt. Sicut enim juga boum colunt et curant [*f.* arant] terram, ita quinque sensus corporis colunt et curant terrena. Juga boum emit qui pretio animæ suæ sola temporalia, quinque sensibus subjecta, acquirit et

emit, quorum oculi sola pulchritudine corporalium specierum capiuntur, aures solis canoribus vanarum melodiarum delectantur, gustus sapore vinorum, ciborum et salsamentorum inescatur, nares suavitate odorum luxuriosorum irretiuntur, tactus luxuriosis contactibus delectatur. Unde convenienter subjungitur, *et eo probare illa*. Per quinque enim sensus res exteriores probantur. Oculus enim probat quæ sunt magis pulchra; auris, magis canora; naris, magis flagrantia; gustus, magis sapida; tactus, magis suavia. Cum autem tam iste quam superior ire ad æternam cœnam contemnat, tamen se excusari rogat, dicens: *Rogo te, habe me excusatum.* Quoniam qui temporales honores et divitias terrenas ambiunt et quærunt, et pessima commutatione emunt, cum nimis amata derelinquere, vel contemnere nolint, tamen a religiosis se apud Deum excusari et pro se orari rogant. Quasi dicant: ista non possum contemnere, sed rogo te ut me excuses, et ores pro me. Vox quidem sonat humilitatem, sed mens habet contemptum et superbiam. Alius vero dixit: *Uxorem duxi, et ideo non possum venire.* Nomine uxoris, voluptas et luxuria carnalis hic intelligitur, non quia uxorem ducere sit malum, sed quoniam multi ob solam voluptatem eam ducunt. Qui ergo voluptati corporis servit, ita consuetudinariis vitiis carnis irretitur, ut se ad magnam Dei cœnam ire non posse fateatur. Hæc igitur tria genera excusantium retinentur ne eant ad cœnam Dei, illis tribus vitiis quæ Joannes in Epistola sua ponit, dicens: *Nolite, fratres, diligere mundum, nec ea quæ in mundo sunt, quoniam quidquid est in mundo, aut est concupiscentia carnis*, id est voluptas, *aut concupiscentia oculorum*, id est divitiarum, *aut superbia vitæ* (*I Joan.* II), id est ambitio honorum. Et subjungit: *Si quis autem diligit mundum, non est charitas Patris in eo* (*Ibid.*). Itaque, fratres mei, animum nostrum ab amore sæculi avertamus, amorem voluptatis refrenemus, cupiditatem divitiarum a nobis excludamus, superbiam et ambitionem evitemus.

De introductione aliorum ad cœnam subjungitur, cum dicitur: *Exi cito in plateas et vicos civitatis. Et pauperes ac debiles, cæcos ac claudos introduc huc.* Per istos, fratres mei, qui nec excusant nec compelluntur intrare, significantur humiles, et de Deo multum, nihil vero de se præsumentes. Cum sint in plateis et vicis, id est in latitudine et strepitu sæcularis vitæ, tamen sunt pauperes spiritu. Debiles se reputantes, sunt et cæci, id est ignorantiam suam confitentes, sunt et claudi, id est, imperfectionem suam recognoscentes. Isti enim vocantibus ad æternam cœnam, tanto citius consentiunt, quanto terrena plus contemnunt. Quanto debilitatem suam magis recognoscunt, tanto terrenam voluptatem minus appetunt. Impossibile enim est aliquem simul diligere Deum et mundum. Quanto enim quis plus diligit Deum, tanto plus contemnit sæculum. Et quanto plus diligit sæculum, tanto plus contemnit Deum. Itaque, fratres, ne amemus illud quod cito electuri sumus. Mundana omnia jam relinquemus vel ab eis relinquemur. Illa diligamus quæ non transeunt, quæ possessores suos beatos faciunt. De compulsione vero aliorum subjungitur, cum dicitur: *Exi in vias et sepes, et quoscunque inveneris, compelle intrare.* Per istos significantur remotiores, qui in viis et negotiis hujus sæculi, a civitate Dei longius evagantur. Qui cum sint indurati in amorem mundi, ad cœnam Dei non veniunt, nisi compellantur per adversitates, per paupertates, per infirmitates et per afflictiones. Qui cum vident se in hoc sæculo non posse invenire requiem et felicitatem quam quærebant, adversitatibus compulsi convertuntur ad Dominum. De qualibus Dominus sub specie adulteræ mulieris, loquitur ad Judæam, dicens: *Sepiam viam tuam spinis, et sepiam eam maceria, et non poteris invenire semitam tuam. Quæres amatores tuos et non invenies; quæres illos, et non apprehendes, et dices: Revertar ad virum meum, quia melius erat tunc mihi quam nunc* (*Ose.* II), et David: *Cum occideret*, inquit, *eos, quærebant eum, et revertebantur* (*Psal.* LXXVII). Propterea, fratres mei, considerate quoniam quando Dominus sinit homines prosperare in viis suis malis, et pravas voluntates adimplere, justitia quidem est occulta, sed magnæ iræ Dei signum est. Unde Dominus per Psalmistam: *Et dimisi*, inquit, *eos secundum desideria cordis eorum* (*Psal.* LXXX). Et per prophetam: *Jam ultra non irascar tibi, zelus meus recessit a te* (*Ezech.* XVI). Contra quod David orans ait: *Non tradas me a desiderio meo peccatori* (*Psal.* CXXXIX), id est, diabolo. Quando vero Deus non permittit peccatores implere malas voluntates suas, sed eos impedit et adversitatibus affligit, misericordiæ Dei signum est. Qui ideo hic ferit, ne in æternum feriat, ideo hic non parcit, ut in æternum parcat. De conclusione vero excusantium ab æterna cœna, subjungitur: *Amen dico vobis, quod nemo illorum qui vocati sunt, gustabit cœnam meam.* In quo consideranda est, fratres charissimi, magna severitas æterni judicis. Ipse enim qui modo paterno affectu blanditur, qui nos invitat promissis, qui nos trahit nunc per inspirationem interiorem, nunc nos compellit per adversitatem; qui nunc nos rogat qui rogari debet, qui nunc nobis mittit legatos et compositores pacis, et (quod majus est) fugientes revocat, contemptores invitat. Unde ipse per prophetam: *Aures tuæ audient vocem post tergum monentis* (*Isai.* XXX). Ipse in judicio terribilis apparebit. Et illis qui nunc vocantem contemnunt, quamvis tunc clamitent: *Domine, Domine, aperi nobis* (*Matth.* XXV), terribiliter eis dicet: *Amen dico vobis, nescio vos* (*Ibid.*). Nos ergo, fratres, dum tempus habemus, vocationes ejus sequamur, non ambitione, non cupiditate, non voluptate retardemur. Flagella ejus et castigationes cum gratiarum actione suscipiamus, ut ad æternam ejus cœnam vel compulsi perveniamus, ipso nos trahente, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA VIII.

DOMINICA TERTIA POST TRINITATEM.

Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos ex

in tempore visitationis, etc. (*I Petr.* v.) Quatuor facit apostolus hac in lectione, fratres charissimi. Primo enim nos monet ut humiliemur. Secundo ut omnem sollicitudinem nostram in Deo ponamus. Tertio ut sobrii et vigilantes simus. Quarto spondet auxilium Dei nobis adfuturum. Primo igitur nos monet ad humilitatem. Est autem humilitas virtus quæ facit hominem ex verissima sui cognitione sibimetipsi vilescere. Sicut autem superbia est radix omnium malorum sive vitiorum, ita econtrario humilitas est fundamentum omnium virtutum. Qui enim virtutes sine humilitate congregat, quasi pulverem in ventum portat. Cæteræ enim virtutes sine humilitate, non solum non prosunt, imo nocent, dum faciunt hominem superbire. Adeo quippe Deo est grata humilitas, quod plus placet Deo peccator humilis, quam justus superbus, sicut ipse nobis demonstrat per exemplum humilis publicani, et superbi Pharisæi (*Luc.* XVIII). Hanc virtutem Dominus noster Jesus Christus præcipue professus est, et ad eam exemplo sui nos invitat, dicens: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* IX). Quem sequens beata Dei Genitrix, quasi oblita virginitatis cæterarumque virtutum quibus præfulgebat: *Quia respexit*, inquit, *humilitatem ancillæ suæ* (*Luc.* I). Hæc virtus fecit Moysen Deo familiarem esse. Hæc fecit David secundum cor Domini esse. Ad hanc igitur nos hortatur apostolus Petrus cum ait: *Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis.* Porro quidam sunt sub manu Dei, nec humiliantur. Quidam vero sub manu Dei sunt, et humiliantur. Quidam vero etiam ante manum Dei humiliantur. Intelligimus autem hic per manum Dei, castigationem et flagellationem. Unde Job: *Miseremini mei, saltem vos amici mei; quia manus Domini tetigit me* (*Job.* XIX). Sub manu ergo Dei sunt, nec humiliantur, qui a Deo flagellantur, nec tamen per humilitatem mentis recognoscunt peccata ut emendentur. Talis erat Herodes, talis Antiochus, talesque cæteri perversi, qui a Domino flagellantur, nec tamen humiliantur aut emendantur. De qualibus Dominus per prophetam: *Percussi eos, et non doluerunt* (*Jer.* V); et alibi: *Curavimus Babylonem, et non est sanata* (*Jer.* LI). Ac si dicat: Ea quæ ad curationem ejus sufficere debuerunt, fecimus, ipsa tamen curata non est. Tales gravius cunctis in inferno punientur, quia hic nec per flagella emendati, sed deteriorati sunt. Sub manu vero Dei humiliantur qui, sub flagellis suis peccata sua recognoscentes, humiliantur et corriguntur. Talis fuit Paulus, qui percussus a Domino humiliatus et emendatus est. Tales fuerunt illi, de quibus legitur: *Cum occideret eos, quærebant eum et revertebantur* (*Psal.* LXXIX). Ante etiam manum Domini humiliantur qui, nulla afflictione nullisque flagellis attriti, sponte in prosperitate sua humiliantur et in melius emendantur. Talis fuit Moyses, talis et David, qui etiam in prosperis humiles exstiterunt. Prima igitur humilitas, quia fit in solo corpore, est inutilis. Secunda, quia fit etiam in mente, bona. Tertia, quia fit in mente et etiam sponte, optima. Quoniam vero a Deo humiliantur quidam, et detinentur inter flagella, ita ut desperent, subdit apostolus, *Ut vos exaltet.* Quasi diceret: Ita humiliamini sub flagellis Dei, quod spem habeatis, quod ipse vos exaltabit. Et quoniam rursus hic ficte humiliantur, ut in hac vita quidam exaltentur, ut hypocritæ, subdit: *In tempore visitationis*, id est in secundo adventu suo. Qui enim quærunt exaltari hic, in alia vita digni erunt humiliari.

Sequitur pars secunda, in qua monet nos apostolus, ut omnem sollicitudinem nostram in Deum ponamus, his verbis: *Omnem sollicitudinem vestram in eum projicientes, quoniam ipsi cura est de vobis.* Ac si dicat: Ne putetis sub flagellis, quibus Deus vos affligit, vos a Deo negligi, sed potius tunc in eum sperate, quoniam flagella non negligentis, sed amantis signa sunt. Porro omnem sollicitudinem et spem nostram in omnibus in Deum ponere debemus, sed de diversis diverso modo. Sollicitudinem enim de salute animæ nostræ ita in Deum ponere debemus, quod et nos de ea non minus inde solliciti simus, scientes quoniam non dormientibus neque negligentibus, sed sollicitis et laborantibus provenit regnum Dei. Unde et subditur: *Sobrii estote et vigilate*, etc. Sollicitudinem vero de his quæ ad corporalem vitam pertinent, ita in Deum ponere debemus, ut et ipsi et si non sollicitudinem de his, tamen providentiam habeamus. Sollicitudinem enim nos habere de his Dominus prohibet, dicens: *Ne solliciti sitis dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Scit enim Pater vester cœlestis quia his omnibus indigetis* (*Matth.* VI). Providentiam vero de his habere non prohibemur. Unde Apostolus: *Qui non laborat, nec manducet* (*II Thes.* III); et alibi: *Magis autem laborat unusquisque ut habeat unde tribuat necessitatem patienti* (*Ephes.* IV). Et Salomon: *Propter frigus piger arare noluit: mendicabit ergo in æstate, et non dabitur ei* (*Prov.* XX). Cum enim prohibemur cogitare de crastino (*Matth.* VI), crastinum pro futuro remoto intelligendum est. Non est cogitare de crastino annonam præsenti anno providere. *Sufficit enim*, inquit, *diei malitia sua* (*Ibid.*), id est satis est de præsentibus miseriis et necessitatibus et corporis cogitare. Ut quid enim solliciti essemus de futuris miseriis et penuriis, quas forte nunquam visuri sumus? Sollicitudinem quoque nostram in periculis et dubiis, et in quibus humanum deficit consilium, ita in Deum ponere debemus, ut et sollicitudo nostra nobis providere non possit. Tamen sollicita oratione Deum sollicitemus, ut ipsi nobis consulere dignetur et providere qui non derelinquit sperantes in se. *Quoniam ipsi*, inquit, *cura est de vobis*, tanquam bono patrifamilias de familia sua. Simus ergo bono servi Deo, et ipse erit bonus paterfamilias nobis. Si fideliter ei ministramus et ipse tam præsentia stipendia quam æterna præmia nobis fideliter providebit.

Sequitur pars tertia, in qua hortatur nos Apostolus ad sobrietatem et vigilantiam dicens: *Sobrii estote et vigilate in orationibus, quia adversarius vester diabolus, tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret.* Sobrios nos esse præcipit Apostolus

non solum a comessatione et ebrietate sæcularis cupiditatis. Hoc est quod Dominus ait in Evangelio : *Videte ne graventur corda vestra crapula et ebrietate, et curis ejus sæculi, ne forte veniat in vos repentina calamitas* (*Luc.* XXI). Sed quia non sufficit sobrios esse, nisi etiam nos oratione muniamur, addit : *Et vigilate in orationibus.* Porro in oratione nos præcipit vigilare, non solum ut in ipsa oratione non vagi mente, sed potius intenti et vigiles simus, sed ut etiam non solum in diurnis horis, sed etiam in nocturnis, in oratione meminerimus vigilare, juxta quod præcipit Jeremias : *Surge et lauda in principio vigiliarum tuarum* (*Thren.* II). Et David : *Septies in die laudem dixi tibi ;* et : *Media nocte surgebam ad confitendum tibi* (*Psal.* CXVIII). Et quare est vigilandum in orationibus? *Quia adversarius,* inquit, *vester diabolus, tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret* (*Ibid.*). Quatuor reddunt diabolum instructorem ad nocendum. Quia nunquam dormit, sed semper vigilat in insidiis, quia est invisibilis, et ideo magis nocere potest, quia naturali callet ingenio, quia est longævus, et ideo ex longa experientia versutior. Quia ergo adversarius noster ita est munitus, ideo major necessitas nobis incumbit vigilandi, *tanquam,* inquit, *leo rugiens.* Quando diabolus aperte sævit, leo vocatur ; quando occulte immittit nobis venenosas tentationes, serpens dicitur ; quando per calliditatem nos circumvenit, dicitur vulpes ; quando non in principio, sed in fine fallit, dicitur scorpio, vel draco, et hujusmodi. Unde scriptum est : *Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem* (*Psal.* XC). Sicut autem leo rugiendo mittit quemdam terrorem et obstupefactionem animalibus, ne fugere possint, ita diabolus adveniens solet mittere hominibus quemdam horrorem et stuporem, ne sibi cavere queant. Circuit quoque, ad modum leonis, ovile fidelium, ut si quem inveniat ab unione aliorum errantem, occidat. Circuit etiam unumquemque fidelem, ut si forte inveniat in eo aliquam partem minus munitam, per eam introeat et perimat. Proinde, fratres mei, majori violentia unusquisque se custodiat, ne ab unione fidelis gregis segregetur. Servet etiam, juxta Salomonem, omni custodia cor suum (*Prov.* IV), ne forte incuriam nostram aliquis introitus in nobis adversario reperiatur. Cui quomodo resistendum sit, ostendit, subdens : *Cui resistite, fortes in fide.* Junge igitur fidem cum sobrietate et oratione, quas præmisit, et habes tria per quæ diabolo potes resistere. Per sobrietatem quippe vigilamus, per orationem diabolum expugnamus, et per fidem, per charitatem operantem, fraudes et tentationes ejus evacuamus. Unde Paulus : *In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis ignea nequissimi tela exstinguere* (*Ephes.* VI). Et Dominus in Evangelio : *Si habueritis fidem quantum granum sinapis, dicetis monti huic : Transfer te et jacta te in mare, et fiet* (*Luc.* XVII). Deinde exemplo aliorum nos monet diaboli tentationibus resistere, subdens : *Scientes eamdem tentationem et quæ in mundo est vestræ fraternitati fieri.* Ac si dicat : Non vos soli pugnas et tentationes diaboli sustinetis, sed etiam omnes fideles qui in hac vita sunt, tam viri quam mulieres, tam senes quam juniores, contra diabolicas luctantur tentationes. Propterea turpe sit vobis, viri, superari a tentationibus diaboli, quas etiam mulieres devicerunt. Turpe quoque sit vobis, barbati et canuti, superari a tentationibus diaboli, quas etiam pueri et impuberes devicerunt. Turpe etiam sit unicuique, molliorem et effeminatiorem esse, nec resistere tentationibus quibus innumerabiles resistunt.

Sequitur pars quarta, in qua Apostolus spondet fidelibus pugnantibus Dei auxilium ad futurum, subdens : *Deus autem omnis gratiæ, qui vocavit nos in æternam gloriam suam in Christo Jesu modicum passos, ipse perficiet, confirmabit solidabitque.* Dicitur autem Deus omnis gratiæ, quoniam omnis gratiæ largitor est, quia incipientis, proficientis et perficientis, confirmantis et consolidantis ; et ipse qui vocavit vos per gratiam suam incipientem et perficientem, similiter per suam gratiam perficiet vos in eis quæ vobis desunt, et confirmabit vos ne cadatis, et consolidabit in alia vita, ne cadere possitis. Sed interponit, ostendens ad quid vocaverit nos, quia ad æternam gloriam suam, et per quæ vocaverit nos, quia per passiones, quod ostendit cum ait, *Modicum passos.* Modicum autem ideo dicit, quia temporales passiones et breves et nullæ sunt respectu futuræ beatitudinis, juxta illud Pauli : *Existimo quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis* (*Rom.* VIII). Et in quo vocaverit nos? quia in Christo Jesu. Sed et hoc ad singula referri potest, quoniam et in Christo Jesu passi sunt, et in Christo Jesu perficiet, confirmabit et consolidabit. *Ipsi gloria et imperium per omnia sæcula sæculorum. Amen.* Ipsi quidem est gloria, quoniam sicut potens est hic dare gratiam, ita est potens in futuro dare nobis gloriam. Ipsi quoque imperium, quoniam sicut potens est hic diabolum et suos imperio suo refrenare, ita potens erit in futuro imperio suo eos damnare. Nos ergo, fratres, eum rogemus, ut det nobis perfectam humilitatem, et spem in se et fiduciam, det et sobrietatem, et fidem, et in oratione vigilantiam cæterasque virtutes, per quas valeamus diabolum superare, et gloriam consequi sempiternam. Quod ipse præstare dignetur, qui est benedictus in sæcula Deus. Amen.

HOMILIA IX.

DOMINICA TERTIA POST TRINITATEM.

Erant appropinquantes ad Jesum publicani et peccatores ut audirent illum (*Luc.* XV). Quatuor capitulis distinguitur hæc lectio, fratres mei. Primo enim continet pœnitentium ad Christum accessionem, secundo Pharisæorum inde murmurationem, tertio quod peccatores debeant suscipi et etiam quæri probationem, quarto de uno peccatore converso magis quam de quibusdam justis exsultationem. Ostendens igitur primum peccatores pœnitentes accessisse ad Jesum, ait : *Erant appropinquantes ad Jesum publicani et peccatores.* Et quia sinistra intentione possent ap-

propinquare, subdit, *ut audirent verbum Dei*. Patet ergo quia non solum corpore, sed etiam mente ad eum appropinquabant. Appropinquabant enim tanquam infirmi ad medicum, tanquam rei ad patronum, tanquam peccatores ad misericordem, tanquam immundi ad lavacrum, tanquam oves erroneæ ad pastorem, tanquam cæci ad illuminatorem. Quales accedere ad Deum David monet, dicens : *Accedite ad eum, et illuminamini* (*Psal.* XXXIII). Exemplo horum accedite, et vos, peccatores, frequenter ad audiendum verbum Dei, quia non potest aliquis libenter Dei verbum audire, quin malum incipiat ei displicere.

Sequitur pars secunda, in qua ostenditur Scribas et Pharisæos adversus Jesum murmurasse, cum subditur : *Et murmurabant* adversus eum, *Scribæ et Pharisæi*. Est autem murmuratio nec omnino occulta, nec omnino aperta reprehensio, media inter objurgationem et detractionem. Pharisæi enim, qui nesciunt bonum in alio amare, sed potius invidere et depravare, nimietatem conceptæ invidiæ non poterant jam omnino celare, nec audebant omnino propalare, sed murmurabant. Nos vero, fratres, invidiam, detractionem et murmurationem detestantes, discamus bona in alio amare, dubia etiam in meliorem partem inclinare, peccantem coram reprehendere, nec ei clam detrahere vel murmurare. Detractio quippe et murmuratio ex malitia occulta nascuntur, nec volunt prodesse, sed tantum nocere. Non enim ut proficiat detrahit quis, vel murmurat, sed potius ut infamet et noceat. Aperta autem reprehensio, si benigne fiat, et facienti et cui fit prodest, et si cui fit non prodest, facienti non prodesse non potest. Unde philosophus ait : « Aperte me increpa, non occulte me mordeas. » *Ecce*, inquiunt, *hic peccatores recipit, et manducat cum illis*. Mentiuntur ; qui enim recipit peccatores, peccator est. Sicut qui recipit fures, fur est. Recipere quippe furem vel peccatorem est ejus furto vel peccato consentire. Porro peccatores recipere hac intentione, ut corrigantur, hoc non est recipere peccatores, sed fratres. Quod nos Apostolus præcipit facere dicens : *Si mulier infidelis consentit habitare cum viro fideli, non discedat fidelis ; sanctificabitur enim mulier infidelis per virum fidelem* (*I Cor.* VII). Itaque, juxta philosophum, illum tecum suscipe, quem tu possis facere meliorem, vel qui te. Propter ad meliorationem alterius ex nobis, præcipit Apostolus : *Infirmum*, inquit, *fratrem assumite* (*Rom.* XIV). Propter ad meliorationem nostri ex aliis, ait poeta :

..... *Nunc te melioribus offer.*

(HORAT. *Epist.* I, epist. 2, v. 68.)

Si quis autem incorrigibilis persistit, non est recipiendus, sed etiam receptus excludendus, ne per vitium unius multi corrumpantur. Unde Apostolus : *Auferte malum ex vobis* (*I Cor.* V) ; et alibi : *Hæreticum hominem post primam et secundam correctionem devita* (*Tit.* XXXIII). Et philosophus : « Tales, inquit, junge socios tibi, ex quorum contubernio non infameris. » *Et manducat cum illis*. Manducare A quoque exemplo nostri Redemptoris hac intentione cum peccatoribus possumus, ut occasione prandii eos corrigamus, et dum nos pascunt corporaliter, eos spiritualiter pascamus. Quia ergo publicani et peccatores ad verbum Dei corrigebantur, ideo eos recipiebat, et cum eis manducabat. Sed Pharisæi, etiam bona depravantes, dicunt eum recipere, id est fovere peccatores. In quo ostendunt se non veram habere justitiam. Qui enim vere justus est, neminem damnat, peccatores non contemnit, sed potius eis compatitur, bona aliorum non depravat, imo etiam dubia in melius interpretatur. At econtra isti arrogantes justi Deum de misericordia reprehendunt, et peccatores aspernantur, et etiam bona in malum interpretantur.

Sequitur pars tertia, in qua Dominus per duplicem probat parabolam peccatores pœnitentes non B solum debere recipi, sed etiam quæri. Est autem juxta litteram probatio hæc a minori. Si enim homo ovem, vel mulier drachmam perditam, res utique temporales, irrationales et perituras, cum tanta sollicitudine quærit, inventas humeris reportat, gaudet, et vicinos sibi congaudere hortatur, quanto magis homo hominem, fratrem suum, pro peccato perditum, rem utique rationalem et semper victuram, cum majori sollicitudine debet ad salutem quærere, repertum proprio labore ad Ecclesiam reportare, et de ejus correctione gaudere, et alios ad congaudendum monere ? In quo, fratres mei, nostra (quod sine dolore nequeo dicere) confunditur duri- C tia, qui plus dolemus de damno bovis vel ovis, vel pecuniæ nostræ, quam de damno unius vel multarum animarum. Si enim amittitur res temporalis, cum multa sollicitudine eam quærimus, nos et alios fatigamus, non cessamus quousque eam inveniamus. Si vero peccando perit anima fratris, pro qua mortuus est Christus, non curamus : negligimus, imo multoties irridemus, vel etiam consentimus. Ut quid hæc ? nisi quia charitatem proximi non habemus, cui ovem vel asinum præponimus. Juxta vero mysticum sensum, probatio est a majori. Mystice enim homo, vel mulier, Christus Dei sapientia intelligitur. Ovis vero vel drachma, in qua imago regis inscribebatur, homo ad imaginem Dei factus accipitur. Si ergo Christus, Deus et Dominus universo- D rum, adeo fugitivum servum hominem dilexit, quod pro eo recuperando, nonaginta novem oves in deserto, id est novem angelorum ordines in cœlo corporaliter reliquit, hominem inter diversos mundi errores quæsivit, ejus peccata in cruce portans, eum ad patriam revexit, et in hoc gavisus est, et ad congaudendum non ovi, sed etiam sibi angelos invitavit, nonne multo magis homo hominem, frater fratrem debet diligere, pro eo lucrando omnia negotia postponere, ejus salutem quærere, ejus peccata portare, et ad Deum eum reducere, de ejus salute plusquam de lucris sæcularibus gaudere, et alios ad congaudendum monere ?

Sequitur pars quarta, in qua Dominus adaptans similitudinem ait : *Ita gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta*

novem justis qui non indigent pœnitentia. Et quidem, fratres mei, plus de amissæ rei recuperatione, quam de re nunquam amissa gaudere solemus. Majus quippe est rem restaurare quam conservare, et mirabilius est post lapsum surgere quam nunquam cadendo stare. In quo etiam illud notari potest, quod quidam, quanto gravius ceciderunt, tanto ferventiores resurgunt. Et quia illicita se commisisse sciunt, etiam licita sibi abscidunt, plusquam etiam jussa faciunt; nunquam se satisfacere credunt, perfecte mundum deserunt, ad cœlestia toto desiderio tendunt, illa suspiriis et lacrymis deponunt, pro eis pati quælibet gravia facile ducunt. Econtrario quidam, quia nullum grave crimen se commisisse putant, tepidi manent, nullo desiderio, nullis suspiriis, nullis lacrymis, ad cœlestia inardescunt, sed nec frigidi, nec satis calidi vivunt. Majus ergo gaudium est Deo et angelis ejus super fervorem unius pœnitentis quam super tepidam justitiam plurium justorum, quoniam rex plus illum militem diligit, qui post fugam reversus, hostes fortiter premit, quam illum qui nec fugit, nec unquam fortiter egit. Nos ergo, fratres charissimi, duritiam et falsam justitiam Pharisæorum evitemus, compatientes in peccatores et pauperes et afflictos simus, aversorum conversionem quæramus, errantes corrigamus, et ad Deum revocemus. Nihil quippe plus acquirit nobis misericordiam, quam quod si facimus aliis misericordiam. Qui ergo lapsi sunt, ad pristinum statum cum fervore redeant, ut de conversione sua luctum diabolo et gaudium Deo et angelis suis faciant. Qui vero justi sunt, nunquam tepescant, sed semper in charitate et in compassione proximi inardescant, et secum spolia captivitatis ad Deum reportare satagant, largiente Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA X.

DOMINICA QUARTA POST TRINITATEM.

Existimo quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis (*Rom.* VIII), etc. Tripertita est hæc lectio, fratres mei. Primo ostendit Apostolus passiones sanctorum non esse condignas magnitudini præmiorum; secundo dicit ipsos non volentes subdi passionibus, sed tamen in spe patienter portare; tertio dicit omnes inter passiones ingemiscere, et etiam ipsos sanctos, et ideo æternam gloriam magis desiderare. Ait ergo primo : *Existimo quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad superventuram gloriam quæ revelabitur in nobis*. Ac si aperte dicat : per nullas passiones temporales digne mereri valemus magnitudinem gloriæ quæ nobis in futuro tribuetur. Imperator quippe noster, fratres charissimi, largus, imo ipsa largitas est, nec vult parvitati nostrorum laborum, præmia sua commensurare, sed potius de divitiarum suarum largitate nos superabundanter accumulare. Labores quippe nostri sunt modici, præmia erunt immensa. Labores nostri sunt breves et momentanei, præmia erunt sempiterna. Labores nostri sunt terreni, præmia erunt cœlestia. Labores nostri parum in se habent amaritudinis, præmia ineffabilem habebunt in se dulcedinem. Sicut scriptum est : *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quæ præparavit Dominus diligentibus se* (*Isai.* LXIV; *Cor.* II). Quod vero passiones hujus temporis non sunt condignæ passiones ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis, probat cum subdit : *Nam exspectatio creaturæ revelationem filiorum Dei exspectat*. Vocat autem hic fideles creaturam, eo quod a cæteris creaturis fere in nullo hic distare videantur. De terra enim sunt, et in terra morantur, et de terra vivunt, mutantur et corrumpuntur, moriuntur sicut cæteræ creaturæ. Unde videtur esse idem finis hominis et jumenti. Eosdem vero vocat secundum statum æternæ vitæ, sive futuræ, filios Dei, eo quod tunc erunt similes Deo immortalitate, puritate, glorificatione, et claritate, juxta quod Joannes ait : *Charissimi*, scimus *quia filii Dei sumus, sed nondum apparuit quid erimus. Cum autem apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est* (*I Joan.* III) : Ait ergo, *Exspectatio creaturæ revelationem filiorum Dei exspectat*. Quasi diceret : Fideles, qui sunt in miseria hujus mundi, exspectant aliam vitam, ut in ea glorificentur in Filios Dei, id est cum sint tantilli, tantam rem exspectant, ut qui nunc similes sunt bestiarum, sint similes Dei. Quod vero ait inculcando, *exspectatio* et *exspectat*, exspectantium certitudinem desideriumque significat. In quo damnantur (quod sine gemitu dicere non possum) illi qui tantum in hac vita spem habent, aliam vero vitam nec esse suspicantur, dicentes : Quis est regressus ab inferis, qui testificetur nobis aliam vitam esse? Sic semper nascuntur homines et moriuntur, transit homo sicut umbra et fumus, non amplius futurus. Propterea, inquiunt, dum licet, ducamus in bonis dies nostros, gaudeamus, epulemur, luxuriemus, rosis nos coronemus, sericis nos induamus, in mollitie jaceamus, quæcunque desiderat cor nostrum faciamus, qui cras moriemur. Multi certe sunt hodie, quia, quamvis hoc ore non dicant, tamen operibus se ita credere demonstrant. De quibus vere dicitur : Quoniam *homo, cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis* (*Psal.* XLVIII), imo miserior et deterior illis, quoniam melius esset illis penitus mori cum jumentis quam in morte semper vivere cum dæmoniis.

Sequitur pars secunda, in qua ostenditur fideles subjectos esse miseriis non volentes, sed tamen in spe patienter portare, cum subditur : *Vanitati enim subjecta est creatura non volens, sed propter eum qui subjecit eam in spe*. Duplici vanitati, fratres mei, homo subjectus est, vanitati culparum, et vanitati pœnarum. Et mali quidem vanitati culparum volentes famulantur, pœnis vero quæ utilitatem conferunt in purgandis peccatis, inviti et murmurantes subjecti sunt, fideles vero culpis inviti subjecti sunt, et eis, quantum possunt, resistunt. Pœnas vero, et si voluntas carnis non vult, tamen voluntas rationis

propter earum utilitatem eas sustinet patienter. Quis magister patiens quam Christus? Tamen, juxta carnis voluntatem se non velle pati ostendit, cum dicit : *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste* (*Matth.* XXIV; *Marc.* XIV; *Luc.* XXII). Sic ergo, fratres mei, in hac vita justi subjecti sunt vanitati, vanitati persecutionum, indigentiarum, perturbationum, defectuum, cæterarumque pœnarum. Sed hæc omnia patienter ferunt propter Deum, qui subjicit eos hujusmodi vanitatibus in spe retributionis et liberationis. Et diabolum quippe propter superbiam suam subjecit Dominus vanitati culparum, miseriarum et perturbationum, sed non in spe. Quare? Quoniam diabolus cum spiritualis et fortioris naturæ esset, et cum per seipsum peccasset, spem liberationis non meruit. Homo vero terrenæ et fragilioris naturæ, et per suggestorem deceptus, spem meruit liberandi. Hinc patet quoniam quando peccant aliqui fortioris naturæ, et per se magis peccant, et minus excusabiles sunt. Nos ergo, fratres, subjectionem culparum et vitiorum fugiamus, subjectionem infirmitatum, indigentiarum, atque persecutionum feramus patienter propter Deum, qui nos in hujusmodi subjecit in spe; quæ quidem spes non confundet. Unde et sequitur : *Quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei*, quando, ut ipse alibi, dicit, hoc corruptibile induet incorruptionem (*I Cor.* XV). Non ait quælibet creatura, sed ipsa creatura, quæ a vanitate, quantum potest, se excutit, et tota spe et desiderio ad Deum tendit; ea sola liberabitur a servitute corruptionis, quam superius vocavit vanitatem, et recipietur in libertatem filiorum. Tunc quippe liberabitur a servitute culpæ, a servitute pœnæ, patiendi scilicet et moriendi, a servitute necessitatis comedendi, scilicet vestiendi atque dormiendi, et hujusmodi. Tunc enim, ut ait Joannes, *absterget Deus omnem lacrymam ab oculis sanctorum, et mors non erit amplius, neque luctus, neque clamor, neque ullus dolor; quoniam priora transierunt. Non esurient neque sitient amplius, et non cadet super illos sol neque ullus æstus* (*Apoc.* XXI).

Sequitur pars tertia, in qua ostenditur omnes inter miserias hujus vitæ gemere, et etiam ipsos cum subditur : *Scimus enim quod omnis creatura ingemiscit et parturit usque adhuc.* Omnis quidem homo, fratres, tam bonus quam malus, inter tribulationes et miserias hujus mundi, velit nolit, ingemiscit, sed solus bonus parturit. Parturire enim est pro pariendo fructu laborare. Malus ergo in hac vita gemit, sed non parturit, quoniam gemitus ejus et labor (quia pro temporalibus est) fructum æternum non habebit. Bonus vero hic et gemit et parturit, quia gemitus et labor ejus infructuosus non est, sed potius fructum æternitatis obtinebit. Quod Dominus in Evangelio per similitudinem ostendit dicens : *Mulier cum parit tristitiam habet. Cum autem veverit puerum, jam non meminit pressuræ, quia natus est homo in mundum. Et vos quidem hunc tristitiam habetis. Iterum autem videbo vos et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis* (*Joan.* XVI). *Ingemiscit*, inquit, *et parturit usque adhuc*, id est a principio mundi usque nunc, et usque in finem, ab Abel usque ad ultimum justum. *Et non solum*, inquit, *illa, sed etiam nos ipsi, primitias spiritus habentes, et ipsi intra nos ingemiscimus, exspectantes adoptionem gloriæ filiorum Dei, redemptionem corporis nostri.* Quasi dicat, et non solum cæteri fideles minores inter miserias hujus mundi gemunt, sed etiam nos ipsi apostoli, qui prius et abundantius virtutes accepimus spirituales, et ipsi quamvis consolemur, tamen intra nos ingemiscimus, considerantes miserias in quibus nunc positi sumus, et adoptionem gloriæ filiorum Dei, quam exspectamus. Addit etiam redemptionem corporis nostri, ostendens quoniam non solæ animæ glorificabuntur in alia vita, ut quidam hæretici suspicati sunt, sed etiam ipsa corpora nostra ab omni corruptione et redimentur, et æterna gloria ditabuntur. Porro ex duobus, quæ hic ponuntur, id est ex consideratione præsentis miseriæ, et gloriæ futuræ, nascitur compunctio in nobis, quæ est ex desiderio patriæ cœlestis. Ex aliis vero duobus, id est ex consideratione nostrorum peccatorum, et ex consideratione æternorum suppliciorum, quæ eis debentur, nascitur in nobis compunctio pœnitentiæ. Nos ergo peccatores, turpitudinem nostrorum, et amaritudinem ignis æterni eis debitam, ante oculos nostros, semper habeamus, ut ita semper pœniteamus, semper de peccatis nostris gemamus et ploremus. Pensemus etiam simul miseriam ubi nunc sumus, et æternam cœlestium gaudiorum beatitudinem. Ut ita et desiderio illius ingemiscamus, ploremus et ad illam toto desiderio festinemus. Nunc in lacrymis seminemus, quod post cum exsultatione metamus, ut eis mereamur adnumerari, de quibus ait Psalmista : *Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua. Venientes autem venient cum exsultatione portantes manipulos suos* (*Psal.* CXXV), largiente Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XI.

DOMINICA QUARTA POST TRINITATEM.

Dixit Jesus discipulis suis : Estote misericordes, sicut et Pater vester cœlestis misericors est (*Luc.* VI). In hac sancti Evangelii lectione, fratres charissimi, intendit Dominus nos instruere, ut quantum possumus et scimus, semper misericordiam faciamus. Primo igitur monet nos, ut exemplo cœlestis Patris, misericordes simus. Secundo demonstrat quantum misericordia promereatur. Tertio ostendit ignorantem vel vitiosum non debere magisterium præsumere. Primo igitur exhortans nos ad misericordiam ait : *Estote misericordes, sicut et Pater vester cœlestis misericors est*; alibi quoque ait : *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum* (*Levit.* XIX). Ex quibus verbis profecto demonstratur quia Dominus vult nos imitatores sui esse, vult nos patrissare; alioquin non reputat nos inter filios suos, sed inter reprobos servos. Sic facit, fratres mei, ut fertur, aquila, quæ pullos

suos opponit radiis solis, et pullum quidem, qui more patris radium solis immoto lumine cernit, tanquam proprium diligit. Illum vero qui hoc non facit, tanquam degenerem abjicit. Sic et corvus pullos suos antequam videat eos nigrescere, tanquam sui dissimiles spernit. Postquam eos videt nigros, tanquam sibi similes diligit. Homo etiam filium, quem videt sibi obsequi et obedire, diligit, filium vero inobedientem odit. Nos ergo, fratres mei, ut filii Dei esse mereamur, cum imitemur, ei nos conformemus. Simus pro modulo nostro sancti, sicut ipse sanctus est. Simus justi sicut ipse justus est. Simus misericordes, sicut ipse misericors est. Ipse autem tantisper misericors est, quod nullam creaturam misericordiæ suæ reliquit expertem. Dat enim jumentis escam ipsorum, et pullis corvorum invocantibus eum (*Psal.* CXLVI). Dat non solum cultoribus et amicis suis, sed etiam contemptoribus et inimicis; facit enim solem suum oriri super bonos et malos, et pluit super justos et injustos (*Matth.* V). Nos quoque, fratres, benignitatem ejus, inquantum possumus, imitemur. Demus non solum notis, sed etiam ignotis; non solum amicis, sed etiam inimicis. Alium juvemus re, alium verbo, alium consilio, alium correctione, alium admonitione, alium consolatione. Omnes bonum exemplum, omnes nostram benignitatem sentiant : ut ita sanctificetur nomen Dei in nobis, et simus imitatione filii Patris nostri, qui in cœlis est. Secundo ostendit Dominus quantum misericordia promereatur. Ponit autem quatuor species misericordiæ, unicuique præmium suum subjungens. Primam ponit cum subdit, *Nolite judicare*, de dubiis, vel de minoribus noxis. De apertis enim malis, et de apertis bonis, permissum est nobis judicare. De quibus dicitur : *A fructibus eorum cognoscetis eos* (*Matth.* VII). De dubiis vero et minoribus noxis judicare prohibemur, quia incertum est nobis quo animo fiant, quæ et bono et malo fieri possunt, ut est manducare et bibere, loqui cum muliere, manducare cum malo homine, et hujusmodi, quæ debemus in meliorem partem interpretari. Ut si videamus sacerdotem loqui cum muliere, dicamus eum illi dare consilium de anima sua, et hujusmodi. Minores etiam culpas, ut frangere aliquando jejunium, aliquando nimis comedere vel bibere, consortia malorum frequentare, debemus per dispensationem, per infirmitatem, et per charitatem excusare. Sicut enim malignæ mentis est etiam bona depravare, ita benignæ est etiam mala in meliorem partem inclinare. Hujus misericordiæ præmium ponit cum subdit; *et non judicabimini*, subaudis de temerario judicio. Qui enim temere hic judicant, de temerario judicio judicabuntur a Domino. Secundam speciem misericordiæ ponit, cum subdit : *Nolite condemnare*, etiam aperte malos, sed potius eorum conversionem exspectate et orate, quoniam qui hodie est malus, fortassis cras, vel post cras, erit bonus. Stultissimus quippe esset qui condemnasset Mariam Magdalenam, cum adhuc stulta esset, et Paulum, cum adhuc persecutor esset, qui postea tantis meritis apud Deum effulserunt. Hujus misericordiæ præmium ponit, cum subdit : *Et non condemnabimini*, de stulta condemnatione. Qui enim nunc temerarie peccatores damnant, de temeraria damnatione a Domino damnabuntur. De istis duabus speciebus misericordiæ laudatur sanctus Martinus, cum de eo legitur : « Neminem judicans, neminem damnans. » Hinc Paulus ait : *Tu quis es qui judicas alienum servum? Suo domino stat aut cadit* (*Rom.* XIV). Et philosophus : « Vide, inquit, si adhuc malus es, et similibus parce. » Si autem malus esse desiisti, cur aliis locum emendationis abscidas? In quo, fratres, nostra confunditur præsumptio, qui aliorum peccata judicamus. Alio judicio et nostris parcimus, alios condemnamus, et nos in cordibus nostris justificamus. Alio judicio nos, alio proximos nostros judicantes, cum scriptum sit : *Pondus et pondus, mensura et mensura, utrumque abominabile est apud Deum* (*Prov.* XX). Tertiam speciem misericordiæ ponit, cum subdit : *Dimittite.* Eleemosyna quippe magna est dimittere vel injurias irroganti, vel conditionem servo, vel debitum pauperi debitori : Hujus misericordiæ præmium ponit, cum subdit : *Et dimittetur vobis.* Per hanc enim eleemosynam peccata nobis a Domino dimittuntur. Unde et in oratione Dominica dicimus : *Dimitte nobis debita nostra sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Matth.* VI). In qua etiam conditione nos constringimus, quod si non dimittamus, nec nobis dimittetur. Imo etiam per parabolam servi dimissi, et dimittere nolentis, peccata quæ dimittere videbantur, redire comprobantur.

Itaque, fratres, duritiam cordis deponamus. Et si Deum nobis dimittere volumus, aliis dimittamus. Quartam speciem ponit cum subdit : *Date eleemosynam*, vel corporalem, ut esurienti cibum, nudo vestimentum, hospiti hospitium; vel spiritualem, ut correctionem, instructionem, exhortationem, consolationem, vel realem; ut auxilium in adversis, consilium in periculis, fulcimentum in causis. Hujus misericordiæ præmium ponit, cum subdit : *Et dabitur vobis.* Hic gratia et in futuro gloria. Quam vero large eleemosyna a nobis facta a Deo sit remuneranda, ostendit cum subdit : *Mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et superefluentem dabunt in sinum vestrum.* Porro æternam beatitudinem vocat mensuram, quoniam secundum merita unicuique mensurabitur. Hæc erit bona, quæ summum et æternum bonum dabit nobis ad fruendum. Erit conferta, nihil habens vacuitatis vel vanitatis, sicut terrena bona, quæ vacua, vana, et imperfecta sunt. Erit coagitata, id est omnia bona nobis necessaria in se continens, cum terrena nulla indigentiam replere valeant. Erit superefluens et qualitate, et quantitate, et tempore. Pro vanis enim bonis vere bona, pro vacuis plena, pro insufficientibus sufficientia, pro parvis magna, pro caducis æterna dabunt. Qui? Pauperes, quia erunt causa dandi. Hoc est quod alibi dicitur : *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant*

vos in æterna tabernacula (*Luc.* XVI). Quare ergo fratres, sumus duri ista terrena conferre in pauperes, qui æterni boni promittuntur nobis remuneratores. *Eadem quia mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis.* In quo non commensurationem præmiorum ad merita figurat, præsertim cum alibi dicat centuplum justos accepturos (*Matth.* XIX). Sed ita intelligendum est : Qui plus dedit, plus accipiet ; et qui minus, minus, juxta illud Pauli : *Qui parce seminat parce et metet. Et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet* (*II Cor.* IX). Tertio per similitudinem ostendit ignorantem non debere magisterium assumere, subdens : *Si cæcus cæcum duxerit, nonne ambo in foveam cadunt?* Cæcus cæcum ducit, cum ignorans ignorantem regere præsumit. Hoc contra illos est qui nondum discipuli, fiunt magistri, qui nescientes regere animas suas, præsumunt regere alienas. Sed sicut cæcus cæcum ducens cadit gravius, dum sub alio cadit, quam si solus caderet, ita ignorans ignorantem regens, cadit gravius quam si nullum regere præsumpsisset, quia propter animas et sub animas, quas secum ad perditionem trahit, cadit. Et quod gravius magister ignorans quam discipulus ignorans puniendus sit, ostendit, cum subdit : *Non est discipulus super magistrum.* Litotes est, id est, sicut est minor gradu, ita est minor præmio, si sit bonus, et minor pœna, si sit malus. Et quare hoc? subditur : *Perfectus autem erit, si sit sicut magister ejus.* Quoniam sic æmulatur simplex discipulus magistrum, qui putat se fore perfectum, si ei valeat adæquari. Hinc est quod nihil plus nocet plebibus in Ecclesia, quam magistri perversitas. Quæ enim vident facere magistrum suum, volunt facere dicentes : « Nunquid ego sum melior sacerdote meo? non est discipulus super magistrum. » Rursus per similitudinem ostendit vitiosum non debere accipere magistratum, cum subdit : *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem quæ in oculo tuo est, non consideras?* Quasi diceret : Quomodo præsumis reprehendere alios de minori vitio, cum tu majori vitio labores? Quomodo audes reprehendere iram fratris, quæ est quasi festuca in oculo mentis, cum tu odium, quod est quasi trabes in mente tua, non reprehendas. *Hypocrita, ejice primo trabem de oculo tuo, et tunc perspicies ut educas festucam de oculo fratris tui.* Quasi diceret : Primum teipsum corrige, si alios vis corrigere, primo teipsum munda, si alios vis mundare. Oportet enim ut manus sit munda, quæ alias vult mundare, ne, si fuerit immunda, tacta deterius coinquinet. Inde Dominus de muliere in adulterio deprehensa, ait : *Qui sine peccato est, primus in eam lapidem mittat* (*Joan.* VIII). Quasi diceret : Oportet quidem ut adulteri judicentur, sed a castis ; ut malitiosi damnentur, sed ab innocentibus ; ut rei corrigantur, sed a justis. Itaque, fratres, si quem volumus reprehendere, primo videamus si similes ei simus. Quod si sumus, pariter ingemiscamus, et non eum nobis obtemperare, sed eum pariter nobiscum emendari moneamus. Quod si non sumus similes, quia tamen olim fuimus, vel esse potuimus, ei condescendamus : et non ex odio, sed ex misericordia arguamus. Raro enim et non sine magna necessitate sunt objurgationes adhibendæ, et non nisi respectu Dei, et remota ab oculo trabe. Itaque, fratres mei, misericordiæ operibus insistamus, judicare et damnare alios evitemus. Dimittamus ut nobis dimittatur, demus ut nobis detur, ut mensuram bonam et confertam, et coagitatam, et superefluentem, id est æternam beatitudinem recipere mereamur. Quod nobis concedat, qui est super omnia benedictus Deus. Amen.

HOMILIA XII.

DOMINICA QUINTA POST TRINITATEM.

Charissimi, omnes unanimes in oratione estote, compatientes, fraternitatis amatores, misericordes, modesti, humiles, etc. (*I Petr.* III.) Quadripertita est hæc lectio, fratres mei. Primo enim exhortatur nos Apostolus ad sex ; quas enumerat virtutes. Secundo ad meliorem retributionem. Tertio ostendit boni æmulatoribus neminem posse nocere. Quarto nos monet Deum in nobis sanctificare. Primo igitur hortatur nos ad sex virtutes dicens : *Omnes unanimes in oratione estote.* Porro unanimes aliqui esse non possunt, nisi sint boni et amici. Mali enim unanimes esse non possunt cum vitiis serviant contrariis. Quomodo avarus et prodigus essent unanimes? Quomodo crudelis et negligens essent unanimes? Quomodo impetuosus et formidolosus essent unanimes? At boni quia colunt virtutes, quæ nunquam contrariæ sed semper concordes, et sese coadunantes sunt, unanimes esse possunt, si affectuose sese diligunt. Omnes quidem boni in volendo communia bona, unius voluntatis sunt. Sed circa alterius bona propria, alter friget aliquando. Quando autem aliqui boni ita sese diligunt, quod alter vult bona alterius sicut sua, illi procul dubio unanimes sunt. *Multitudinis credentium*, inquit, *erat cor unum, et anima una* (*Act.* IV). Et unum quidem cor eis, quoniam bona æque volebant, una vero anima erat eis, quoniam unus diligebat alium, sicut animam suam. Hortatur igitur Apostolus nos, ut simus unanimes, præcipue in oratione, id est in optando et petendo bono. Una enim oratio plurimum fidelium, si sit unanimis, inefficax esse non potest. Simus ergo, fratres mei, in oratione unanimes, non solum cæteris fidelibus, sed etiam unusquisque sibi ipsi. Sicut enim ille qui male petendo ab unanimitate Ecclesiæ discordat, indignus est exaudiri : ita et ille qui a bono quod postulavit in oratione per reprobam vitam discors est. Et quoniam unanimitas per compassionem maxime dignoscitur, hortatur subsequenter nos apostolus, ut simus *compatientes* patientibus, non fictione, ut faciunt adulatores, sed vera mentis affectione, nostrorum fratrum dolores et damna faciendo nostra, ut faciebat Paulus qui dicebat : *Quis infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror?* (*I Cor.* X.) Ostendamus per compassionem nos vere esse membra Christi et Ecclesiæ. Ut quemadmodum in humano corpore dolente uno membro, condolent cætera membra, sic et nos proximorum nostrorum

passionibus compatiamur. Nec in eo quod proximos nostros afflictos videmus, eos tanquam inferiores et miseros contemnamus, ut faciunt quidam, qui, licet dent multa pauperibus, tamen hoc faciunt potius ex mandati coactione, quam ex fraternitatis dilectione. Propter hoc adjungit Apostolus, *fraternitatis amatores*, ut scilicet super eos non superbe nos extollamus, sed potius in æquum descendentes, eos tanquam fratres nobis coæquemus. Sed et erga illos qui nostri auxilii indigere non videntur, fraternitatis amatores simus, eis nostra communicantes, eis officia charitatis exhibentes, eos tanquam fratres Christi diligentes. Non simus de numero illorum qui soli sibi vivunt, nulli familiaritatem, nulli charitatis officium exhibentes, et quasi homines non essent, cum nullo homine aliqua vinciuntur affectione. Hos tepidos homines, vocat Apostolus *sine affectione*, *sine fœdere*, *sine misericordia* (*Rom.* I). Hos etiam ipsa bruta animalia damnant, quæ sui generis animalia quadam fraternitate diligere solent. Equus socium suum subsequentem exspectat, præcedentem libentius subsequitur, absentem desiderat, et hinnit. Quid ergo debet facere rationalis creatura? Et quoniam quidam licet compassionem et fraternitatem quibusdam exhibeant, tamen in eos qui se læserunt, immisericordes sunt. Addit, *misericordes*, videlicet ad dimittendas injurias nobis illatas. Hac enim conditione astringit nos Dominus, ut, si volumus nobis dimitti, dimittamus. Aliter nihil a Deo nobis dimittetur. Unde Dominus in Oratione Dominica sub hac conditione præcipit nos postulare hoc modo : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Matth.* VI ; *Marc.* II). Deinde subcontinuat dicens : *Si non remiseritis peccata fratribus vestris ex cordibus vestris, nec Pater vester cœlestis dimittet vobis* (*Ibid.*). Si ergo, fratres mei, volumus summum judicem misericordem invenire, simus et ipsi in eos qui nos læserunt misericordes. Nam judicium sine misericordia fiet ei qui non fecit misericordiam (*Jac.* II). Et, quoniam quidam nimis sunt misericordes in subjectos peccantes, addit, *modesti*. Modestia, fratres mei, est libra, condimentum, et temperantia cæterarum virtutum, et sine ea, non virtutes, sed vitia sunt. Modestia enim temperat misericordiam, ne cadat, vel in laxitatem, vel in duritiam, temperat etiam sapientiam ne cadat vel in caliditatem, vel in hebetudinem ; temperat fortitudinem, ne cadat vel in audaciam, vel in timiditatem ; temperat justitiam ne cadat vel in credulitatem vel in negligentiam, temperat largitatem, ne cadat vel in prodigalitatem, vel in avaritiam. Amemus ergo, fratres mei, modestiam, ut per eam inter contraria vitia mediam eligamus et teneamus virtutem. Et quoniam cæteris vitiis fugatis, demum nos impugnat superbia, ad extremum nos monet hic ad humilitatem, cum subdit, *humiles*. Humilitas quippe est conservatrix virtutum. Et qui sine humilitate cæteras virtutes congregat quasi pulverem in ventum portat. Multis quippe vitia conculcasse et virtutes acquisisse, occasio superbiæ fuit, et quia gloriantur se vitia devicisse, devincuntur. Quod bene significatur per Eleazarum qui sub elephante quem occidit occubuit ; quasi enim sub prostrato hoste prosternitur, qui de victoria vitiorum elevatur. Proinde, fratres mei, propriam recognoscamus infirmitatem, qui nihil ex nobis boni, sed tantum peccata possumus. Si quid boni habemus, non nobis, sed Deo attribuamus. Nunquam de viribus, nunquam de meritis nostris, sed de sola Dei misericordia confidamus. Dumque sumus in lubrica hujus sæculi via, semper timeamus, et quam magni ante nos ceciderunt recogitemus.

Sequitur pars secunda, in qua monet nos apostolus ad meliorem retributionem, dicens : *Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, sed econtrario benedicentes.* Porro quatuor sunt retributiones. Reddere malum pro bono : reddere bonum pro malo, reddere malum pro malo, et reddere bonum pro bono. Prima est diaboli, et membrorum suorum ; secunda est Christi et membrorum suorum ; tertia mediocriter malorum ; quarta mediocriter bonorum. Dominus in Evangilio ostendit non sufficere si bonum pro bono reddiderimus, nisi etiam bonum pro malo reddamus, dicens : *Si diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis ? Nonne et œthnici hoc faciunt ?* Sed *diligite inimicos vestros, et benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos* (*Matth.* LII). Hoc idem dicit hic apostolus, et quod ita faciendum sit, probat subdens. *Quia in hoc vocati estis, ut benedictionem hæreditate possideatis.* Ac si aperte dicat : Non maledicatis, sed potius bene dicatis, quia ad æternam benedictionem vocati estis. Non enim de malo semine bona seges, nec de malo merito bona merces colligetur. *Quæ enim*, ut ait Paulus, *seminaverit homo, hæc et metet* (*Gal.* VI). Si ergo, fratres mei, æternam benedictionem consequi volumus, nunquam male, sed semper benedicamus. Si æterna bona consequi volumus, nunquam mala, sed semper bona faciamus. Scriptum est enim de reprobo : *Dilexit maledictionem, et veniet ei, et noluit benedictionem, et elongabitur ab eo* (*Psal.* CVIII). Hoc idem probat auctoritate Psalmistæ dicentis : *Qui enim vult vitam diligere, et dies videre bonos*, id est qui diligit, et vult videre vitam æternam, *coerceat linguam suam a malo*, scilicet cogitando *et labia ejus ne loquantur dolum* (*Psal.* XXXIII). *Declinet autem a malo*, subaudis opere, id est nec cogitet, nec loquatur, nec faciat malum. Et quia hoc non sufficit, addit, *et faciat bonum*. Et ita vivendo inquirat pacem æternam. Et quia non potest hic illa summa pax haberi, sequatur eam, habendo pacem secum, pacem cum proximo, pacem etiam, quantum in ipso est, cum inimico, et ita poterit consequi pacem sempiternam, *quia oculi*, id est, respectus misericordiæ, *Domini super justos, et aures ejus ad preces eorum audiendas* (55). *Vultus autem iræ* (56) *Domini super facientes mala* (*Ibid.*).

(55) Vulg. non habet *audiendas*.

(56) Vulg. omit. *iræ*.

Sequitur pars tertia, in qua ostendit apostolus boni æmulatoribus neminem posse nocere. Sunt autem æmulatores boni, qui nunquam malum, sed semper bonum æmulantur, vitas bonorum viventium curiosius perscrutantur, et mortuorum legunt, et quod melius in eis inveniunt, æmulantur, et imitari conantur. Quod tendentibus ad perfectionem, perutilissimum est. Unde legimus de sancto Antonio, quod junctus studiosis vitas æmulabatur universorum. Hinc Apostolus, *Æmulamini*, inquit, *charismata meliora* (*I Cor.* XII). Ait ergo de eis Apostolus : *Et quis est qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis?* Ac si diceret : Nullus, quia Deus non vult, imo tales amat et tuetur. Diabolus vel homo non potest, imo etiam dum putat eis nocere, eis prodest, quia eos persequendo, vexando, etiam occidendo, reddunt gloriosiores. Sic diabolus Job, sic Decius Laurentium, sic Decianus Vincentium, dum putat exstinguere, facit gloriosum. Hinc David de diabolo ad Dominum loquitur, dicens : *Draco iste quem formasti ad illudendum ei* (*Psal.* CIII). Sane enim in hoc diabolus illuditur, quod quando intendit electis nocere, sibi ipsi nocet, et illis auxiliatur. Hinc subditur : *Sed etsi quid patimini propter justitiam beati.* Quare? Quia teste Domino : *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (*Matth.* V). Timorem autem eorum ne timueritis, inquit, ut non conturbemini (*Matth.* X). Timor nimius ita quorumdam rationem turbare solet, ut stupidi et perturbati quid facere debeant non advertant. Cæterum nos, fratres mei, non creaturam aliquam, sed Deum in creaturis timeamus. Timeamus, inquam, cum dilectione, et diligamus cum amore : qui timor non infert tribulationem, sed potius consilium et consolationem.

Sequitur pars quarta, in qua Apostolus nos monet Dominum nostrum Jesum Christum sanctificare in cordibus nostris. Porro Christum in cordibus nostris sanctificamus, quando corda nostra in eo sanctificare studeamus? Quod utique fit, si vitam et mores ejus imitari satagimus : si doctrinam ejus sequimur. Sed simus mundi, pro modulo nostro, sicut ipse mundus est, misericordes sicut ipse misericors est, justi sicut ipse justus est, sancti sicut ipse sanctus est, ut tandem mereamur esse ubi ipse est. Quod ipse præstare dignetur, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XIII.

DOMINICA QUINTA POST TRINITATEM.

Cum turbæ irruerent ad Jesum, ut audirent verbum Dei, ipse stabat secus stagnum Genesareth (*Luc.* V). Quinque capitulis distinguitur hæc lectio, fratres mei. Primo enim docemur cum quanta aviditate ad audiendum Dei verbum festinare debeamus. Secundo per frustrationem piscationis, significatur sæpe accidere frustrationem prædicationis. Tertio Domini exemplo instruitur prædicator. Quarto per capturam piscium significatur Petrum et socios ejus futuros piscatores animarum. Quinto Petrum stupentem consolatur, et ei promittit officium prædicationis. Docemur igitur primo hic, fratres, cum quanta aviditate ad verbum Dei debeamus festinare, cum dicitur : *Cum turbæ irruerent ad Jesum ut audirent verbum Dei.* Quid enim aliud est irruere, nisi cum desiderio currere? Cum magno ergo desiderio, cum magna aviditate ad audiendum verbum Dei currebant qui hac de causa ad Jesum irruebant. Quod ex hoc, fratres mei, præcipue ostenditur quod nec indigentiæ, nec temporis, nec loci necessitate retardabantur quin eum sequerentur. Ingruit fames, cum jam triduo illum sustinerent, et tamen eum sequuntur. Ingruit nox, et tamen eum sequuntur. Ingruit loci angustia, et tamen eum sequuntur, ita etiam ut propter turbam angustiatam navem conscendere, et mare intrare compulsus sit. In quo, fratres mei (quod sine gemitu dicere non possum), confunditur tepor et tarditas nostra, qui ad audiendum verbum Dei vix convenimus, convenientes vix audimus, audientes vix aliquid inde opere exsequimur. Ubi, fratres mei, est illa fames, de qua propheta, imo Deus per prophetam, dicit : *Mittam famem in terram, non famem panis aut vini, sed famem audiendi verbum Dei* (*Amos*, VIII). Ubi est illa dulcedo divini verbi, qua gustata exclamat Propheta : *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo!* (*Psal.* CXVIII.)

Sequitur pars secunda, in qua, per frustrationem piscationis, significatur frustratio prædicationis, cum subditur : *Et vidit duas naves stantes secus stagnum.* Videt autem Dominus miserando duas naves, id est circumcisionis et præputii Ecclesias, adhuc bonis piscibus vacuas. Et quare vacuas? Piscatores enim, per totam noctem laborantes, nihil ceperant, et ideo descendebant, et lavabant retia. Hoc quod tunc accidit eis in piscatione, accidit frequenter in prædicatione. Piscatores, id est prædicatores, sæpe prædicando laborant, et tamen neminem verbi dulcedine capiunt, neminem Deo acquirunt. Quare? quia per noctem laborant, et non in verbo Jesu. Duo quippe significantur esse impedimenta, ne prædicatio auditores capere possit, vel quia auditores indigni sunt quibus proficiatur, vel quia prædicator indignus est qui proficiat. Quando auditores indigni sunt, frustra laborat prædicator per noctem, quia absente sole justitiæ, nullus potest illuminari ab homine. Nisi enim intus sit qui doceat, in vanum lingua doctoris laborat. Quando vero prædicator indignus est, qui vel sibi vel aliis proficiat, in vanum sæpe laborat, quia non prædicat in verbo Jesu, id est salutis, sed in verbo ostentationis, quia non prædicat ut prosit, sed ut appareat, quia præsumit de sua eloquentia, non de Christi gratia, quia deinde non in verbo, id est in præcepto Dei prædicat. Deus enim indignos arcet a prædicatione dicens : *Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum?* (*Psal.* XIX.) Propterea, fratres mei, quando prædicatio non capit in vobis, flendum est vobis, ne forte occulto judicio Dei, a gratia repellamini. Flendum est quoque et nobis

prædicatoribus, ne forte indigni simus, qui vel nobis vel vobis proficiamus. Et tunc juxta id quod hic legimus, debemus descendere, id est nos humiliare, et lavare retia, id est prædicationem nostram revolvendo, si quid per inanem gloriam, si quid per duriorem increpationem, si quid per molliorem, si quid per insipientiam excesserimus, lacrymis abluere.

Sequitur pars tertia, in qua Domini exemplo eruditur prædicator, cum subditur : *Ascendens autem in unam navem, quæ erat Simonis, rogavit eum ut a terra reduceret pusillum. Et sedens docebat de navicula turbas.* Instruit igitur hic exemplo sui Dominus prædicatorem, in quinque, ostendens scilicet quem locum debeat prædicator tenere, quid prædicare, quid rogare, quomodo vivere, unde docere. Quem locum tenere debeat, ostenditur cum dicitur : *Ascendens.* Prædicator quippe debet ascendere, ut altus sit, sicut gradu, ita scientia et vita. Unde propheta, *Super montem excelsum ascende, tu qui evangelizas Sion* (*Isai.* XL). Quid debeat tenere et prædicare ostenditur cum dicitur : *In unam navem, quæ erat Simonis.* Dicitur autem navis in quam ascendit, et una, et Simonis, id est obedientis, ut scilicet intelligat se præcipue debere et tenere et prædicare unitatem et obedientiam, Ecclesiæ unitatem, et mandatorum obedientiam. Quid debeat rogare ostenditur, cum subditur : *Rogavit eum ut navem a terra reduceret pusillum.* Rogare siquidem debet prædicator Simonem, id est Christum qui obediens fuit Patri usque ad mortem, ut reducat pusillum Ecclesiam a terra in mare, ut videlicet in statu tali sit, quod nec nimiam habeat quietem et securitatem in terrenis prosperitatibus, nec nimiam inquietudinem et timorem in adversitatibus, ne scilicet per nimiam securitatem et quietem torpescat et dissolvatur, vel per nimium timorem et inquietudinem perturbetur et conquassetur. Quomodo autem debeat vivere ostenditur, cum subditur : *Et sedens;* sedere enim magistrorum est. Sedens quippe in parte inferiori requiescit, in superiori erigitur. Sic quoque in prædicatore inferior pars interioris hominis, id est sensualitas, debet quiescere a sollicitudine temporalium, et superior pars, id est, ratio, per contemplationem erigi ad cœlum. Unde debeat prædicare ostenditur, cum dicitur : *Docebat de navicula turbas.* Prædicator enim sive ad exteriores, sive ad interiores loquatur, ipse tamen semper de navicula debet docere. Ipse enim semper debet esse in navicula, non solum numero, sed etiam merito et doctrina.

Sequitur pars quarta, in qua per capturam piscium, significatur Petrum et socios ejus futuros piscatores fore animarum, cum ait ad Simonem Jesus : *Duc in altum, et laxate retia vestra in capturam.* Porro Petro soli, quia futurus erat dux verbi, dicitur : *Duc in altum*, id est in profundum mundanorum hominum. Tam ipsi quam cæteris, quia communiter futuri erant prædicatores, dicitur : *Laxate retia vestra in capturam.* Sane si retia rigide tendantur, pisces resiliunt, nec capiuntur. Laxius vero tensa pisces illa queant et retinent. Præcipitur ergo A discipulis ut laxent retia prædicationis, ut scilicet peccatores per nimium rigorem et duritiam non repellant, sed potius per relaxationem et veniam eos retineant. Hinc est quod novitiis et rudibus primum vita laxior indulgetur. Cæterum Petrus expertus se neminem per se posse ad Deum trahere, jam nihil de se, sed de verbo Dei totum præsumit, dicens : *Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus. In verbo autem tuo, laxabo rete. Et cum hæc fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam.* Ecce, fratres mei, quid valeat in verbo Dei omnia facere, et de se nihil præsumere. Ipse quippe qui nutu suo traxit pisces ad rete Petri, ipse solus per misericordiam suam trahit et capit peccatores in rete prædicationis. Unde Dominus : *Nemo potest* B *venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum* (*Joan.* VI). — *Rumpebatur autem rete eorum. Et annuerunt sociis qui erant in alia navi, ut venirent et adjuvarent eos. Et venerunt et impleverunt ambas naviculas, ita ut pene mergerentur.* Porro rete prædicationis rumpitur, cum unitas Ecclesiæ per hæreses et schismata superfluæ multitudinis scinditur. Sed nullus piscis cadit, quia de electis nullus perit, Sed non sufficiente Ecclesia Judæorum, impletur pariter de electis Ecclesia gentium. Et ambæ ita sunt populis repletæ, ut pene inter hujus tumultuosi mundi tempestates mergerentur, nec tamen sunt mersæ, Domino illas gubernante. Numerositas quippe malorum, quæ in Ecclesia excrescit super numerum, pene C secum justos trahit in perditionem, nisi Dominus eis extenderet sustentationis manum.

Sequitur pars quinta, in qua Petrum stupentem consolatur Dominus, et ei officium prædicationis pollicetur. Stupens enim Petrus ad miraculum piscium, procidit ad genua Jesu, dicens : *Exi a me, Domine, quia homo peccator sum.* Indiscrete loquitur Petrus, dum se peccatorem recognoscit, et veniæ fontem a se excludit. Tale est ac si diceret æger medico : Recede a me, medice, quia infirmus sum. Imo si infirmus es, medicum a te non separes. Si peccator es, medicum peccatorum Deum a te non elonges. Petro adhuc sic infirmo quidam hodie sunt similes, qui, dum se peccatores considerant, viam vitæ arripere trepidant, et tamen jacere in sui tor- D poris ignavia non reformidant, et quasi in perturbatione consilium non habent, dum moriuntur et vitam timent, qui stulti et timidi sunt. Vera quippe humilitas etsi de se diffidit, tamen se omnia posse in Deo confidit. At stuporem Petri Dominus consolans, ait : *Noli timere*, consortium scilicet meum, quia te non gravabit, imo sublevabit, non tibi nocebit, imo juvabit. *Ex hoc*, inquit, *jam homines eris capiens.* Ac si dicat : De piscatore fies prædicator, pro nave reges Ecclesiam, pro rete prædicationem, pro piscibus capies homines. Ac Petrus et socii ejus, tracti miraculo, tracti promissione, tracti interna inspiratione, mox Dominum sequuntur. Nam subditur : *Et subductis ad terram navibus, secuti sunt eum.* Sequentes Dominum ad prædicationem, abrenuntiant omnibus, quia non recte officium prædicationis

assumitur, nisi amor temporalium relinquatur. Itaque, fratres mei, quamvis peccatores, quamvis infirmi simus, non debemus divinorum gravedinem mandatorum refugere, sed cum spe divini auxilii fortiter inchoare, scientes quoniam Deus dat posse et perficere. Qui sicut fecit de opilione regem, de piscatore prædicatorem, de persecutore pastorem, ita faciat nos de infirmis fortes, de inobedientibus obedientes, de contemptoribus sui amatores, ut inde eum benedicamus in æternum. Amen.

HOMILIA XIV.

DOMINICA SEXTA POST TRINITATEM.

Quicunque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus (*Rom.* VI). In hac lectione, fratres mei, ostendit Apostolus nos Christianos, qui in Christo Jesu baptizati sumus, debere sicut in baptismo promisimus, vitæ munditiam et novitatem tenere. Facit itaque tria. Primo ostendit eos qui baptizati sunt in Christo Jesu, in morte ipsius esse baptizatos. Secundo ostendit qua utilitate. Tertio exponit quæ dixerat obscure. Ait igitur primum : *Quicunque baptizati sumus.* Sed quoniam sunt baptismata Judæorum, et Gentilium, et hæreticorum, qui non mundant interius, addit *in Christo Jesu*, id est in virtute Jesu Christi qui solus habet auctoritatem baptizandi. Unde et Joanni per Spiritum sanctum dictum est : *Super quem videris Spiritum descendentem et manentem super eum, hic est qui baptizat* (*Joan.* I). Cæteri enim non auctoritatem, sed solum ministerium habent baptizandi. Hinc est quod baptismus non traditur a bono ministro melius, nec a deteriore deterius, quoniam non ipsi, sed Deus baptizat, ipsi fundunt aquam, sed Deus mundat. Porro in hoc quod ait : *Baptizati sumus in Christo Jesu*, non intendit Apostolus demonstrare formam baptismi, quæ in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti a Domino in Evangelio promulgata est. Licet quidam eam dicant fieri posse in nomine Christi, eo quod in Christo, id est in uncto, et ungens Pater, et unctio, id est Spiritus sanctus intelligatur. *In morte*, inquit, *ipsius baptizati sumus.* Porro in morte Christi dicimur baptizari tripliciter, aut in morte, id est in fide mortis, quoniam sine fide mortis Christi, nihil prodest baptismus. Sicut enim Israelitæ ab ignitis serpentibus non liberabantur, nisi respicerent ad serpentem æneum in palo erectum, ita nec nos liberamur a peccatis vel a diabolo, nisi fide et spe respiciamus ad crucifixum : aut in morte, id est in efficacia mortis Christi. Totam quippe efficaciam suam baptismus assumpsit a morte Christi ; nisi enim Christus moreretur, non abluerctur reatus originalis peccati, sanguine et aqua, quæ de latere ejus profluxerunt, nec flammeus gladius ab introitu paradisi tolleretur. Aut certe in morte Christi baptizati sumus, id est in similitudine mortis Christi. Unde et subdit : *Consepulti enim sumus cum Christo per baptismum in mortem.* Similitudinem assignat Apostolus inter baptismum nostrum et mortem Christi. Sicut enim Christus per mortem sepultus est, ut amplius non viveret vita carnali et mundana, sed potius spirituali et cœlesti; ita nos per baptismum morimur et sepelimur peccato, ut de cætero non vivamus carnali vita et mundana, sed potius spirituali et cœlesti. Quod bene significatur per hoc, quod ille qui baptizatur, prius extenditur ad modum Christi pendentis in cruce; deinde quasi crucifiguntur manus et pedes ejus, dum operibus et pompis diaboli se abrenuntiare confitetur. Postea totus peccato moritur et quasi sepelitur, dum ad similitudinem triduanæ sepulturæ, in fonte ter immergitur. Sicut, fratres mei, quando baptizamur, quasi cum Christo sepelimur, in mortem, id est ad similitudinem mortis ejus, si tamen, fratres mei, pactum baptismi tenemus, si peccato mortui sumus, si ad opera, et pompas diaboli non redimus. Nam *qui baptizatur a mortuo, et iterum tangit illum, quid proficit illi lavatio ejus?* (*Eccle.* XXXIV.)

Sequitur pars secunda, in qua ostenditur qua utilitate baptizemur, cum subditur : *Ut quemadmodum Christus resurrexit a mortuis in gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus.* Hac enim utilitate in morte Christi baptizamur, ut quemadmodum Christus resurrexit a mortuis, et vivit in æternum nova vita et gloriosa cum Patre, sic et nos per baptismum resurgamus a morte peccatorum, et de cætero vivamus ad gloriam Dei nova et gloriosa vita virtutum. Quod bene significatur per hoc quod puer postquam a fonte, quasi a sepultura resurgit, nova alba vestitur, et cereo ardente illustratur. Et quod hoc per baptismum nobis conferatur, probat Apostolus subdens : *Si enim complantati facti sumus similitudini morti ejus, simul et resurrectionis erimus.* Quasi diceret : Si similes ei sumus in morte, similes ei erimus in resurrectione ; si similes ei sumus in labore, similes ei erimus in glorificatione. Proinde, fratres mei, imitemur, quantum possumus, laborem et passionem Domini, etsi non sit qui nos crucifigat vel occidat, saltem nos crucifigamus per jejunium, laborem et abstinentiam corpus nostrum cum vitiis et concupiscentiis. Occidamus in nobis vitia et peccata ut resurgere mereamur, et hic in anima ad novam vitam, et in futuro in anima simul et corpore ad gloriam. Porro pulchre ait : *Complantati similitudini mortis ejus.* Christus quippe in morte et in sepultura sua, quasi complantatus est ad similitudinem grani, quod in terra sepultum et mortuum, in melius resurgit, crescit et renovatur. Sic et Dominus noster Jesus Christus in morte et sepultura quasi plantatus est, et unde perire visus est, inde magis auctus et renovatus est. Unde ipse comparans se grano frumenti ait : *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert* (*Joan.* XII). Et alibi : *Simile est regnum cœlorum grano sinapis, quod, cum sit minimum inter omnia grana, abscondum in terra excrescit in magnam arborem, ita ut aves cœli requiescant in ramis ejus* (*Matth.* XIII ; *Marc.* IV ; *Luc.* XIII). Ita, fratres mei, Christus qui

prius reputatus est minimus, opprobrium hominum et abjectio plebis (*Psal.* XXI), mortuus et sepultus, quasi plantatus resurrexit, et crevit nomen ejus per universum mundum, ita quod in virtutibus ejus et doctrinis spirituales viri requiescunt. Ita et sancti martyres, qui in hoc mundo viles, et quasi purgamentum et peripsema reputati sunt, in passione et morte quasi plantati, in melius renovati sunt, et excrevit nomen eorum longe lateque per virtutes et miracula, ita quod et spirituales viri in moribus et virtutibus eorum per imitationem immorentur. Ita et nos, fratres mei, amemus esse viles, pauperes et abjecti in hoc sæculo propter Deum, ut quasi plantati per baptismum et pœnitentiam, mortificationes et passiones, resurgamus, renovemur et fructificemus, et hic et in futuro, ut homines cœli amatores etiam in nostrarum exemplis virtutum delectentur.

Sequitur pars tertia, in qua quæ obscure dixerat Apostolus, explanat, dicens : *Scientes quia vetus homo noster simul cum Christo crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, ut ultra non serviamus peccato.* Dicitur autem vetus homo noster hominis nostri vetustas, id est concupiscentia et rebellio carnis. Quæ quidem vetustas vocatur, vel quia a vetere patre nostro Adam in nobis inveterata est, vel quia vetustati similis est. Vetustas vero tria facit, corpus incurvat, sensus hebetat, ad mortem trahit. Sic et originalis illa concupiscentia, animam a rectitudine sua incurvat, rationem cæterasque animæ vires hebetat, et ipsam animam ad mortem trahit. Hæc autem concupiscentia debet in nobis esse, exemplo et virtute Crucifixi, crucifixa per baptismum et macerationes carnis. Quomodo? *Ut destruatur corpus peccati.* Non ait simpliciter, ut destruatur corpus, quoniam corpus non est frangendum, sed regendum, ut natura per mediocritatem sustentetur, et vitium destruatur. Pariter ergo peccant, vel qui per nimietatem macerationis corpus destruunt, vel qui per nimium luxum illud in vitiis nutriunt. Tria enim debemus corpori tanquam jumento, ut serviat spiritui, pabulum, virgam, et onus. Pabulum sustentationis, virgam correctionis, onus divini servitii. Sic ergo, fratres mei, pascamus corpus nostrum ne luxuriet, sic illud castigemus ne deficiat. Propterea ergo ait : Non quidem ut destruatur corpus, sed ut destruatur peccati, id est peccato. Quod exponens subdit : *Ut ultra non serviamus peccato.* Non autem ait, ut non peccemus, quoniam ut ait Joannes : *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus, et veritas in nobis non est* (*I Joan.* I). Quia enim homo cum posset resistere peccato, noluit, inflictum est ei ut, cum velit, non possit. Unde Apostolus : *Video*, inquit, *aliam legem in membris meis, resistentem legi mentis meæ, et captivantem me* (*Rom.* VII), etc. Propter hoc ergo ait, non, ut non peccemus, sed ut non serviamus peccato, quoniam primi motus concupiscentiæ in nostra non sunt potestate, sed, si statim eis resistimus, peccato non servimus. Qui autem, et si primo movetur motu concupiscentiæ, tamen eam statim refrenat, ne vel ad delectationem, vel ad consensum descendat, secure potest dicere cum Apostolo : *Si quod nolo hoc ago, non pecco ego* (57), *sed quod habitat in me peccatum* (*Rom.* VII). Nos ergo, fratres mei, quando ad concupiscendum movemur, statim motum illum cohibeamus, pectus nostrum percutiamus, divinumque auxilium invocemus.

Sequitur : *Si enim mortui sumus cum Christo, credimus quia etiam vivemus cum Christo.* Quidam moriuntur in Christo, quidam etiam cum Christo, quidam pro Christo. In Christo moriuntur etiam illi qui, etsi in vita sua fuerunt peccatores, tamen in pœnitentia et in confessione Christi moriuntur. Cum Christo enim moriuntur qui, in vita sua æmulatores Christi, carnem suam crucifixerunt et mortificaverunt cum vitiis et concupiscentiis (*Gal.* V). Pro Christo vero moriuntur qui sanguinem suum pro Christo fuderunt. Nos ergo, fratres mei, etsi non possumus mori pro Christo ut martyres, moriamur saltem cum Christo ut confessores, corpora nostra peccato mortificantes, quoniam, ut ait Apostolus : *Si mortui sumus cum Christo, credimus quia etiam vivemus cum ipso*, in hac vita spirituali, et in futuro æterna. *Scientes*, inquit, *quia Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur.* Sicut ei dominata est voluntate tamen, non necessitate. *Quod enim mortuus est peccato* (subaudi alieno tollendo) *mortuus est semel. Quod autem vivit, vivit Deo*, id est ad gloriam Dei Patris. Ita et vos, fratres, qui in Christo baptizati estis, existimate vos mortuos quidem esse peccato, vivos autem Deo, id est ad gloriam Dei quærendam, et ad voluntatem ejus faciendam. Itaque, fratres mei, si veri Christiani sumus, mortem et vitam Christi æmulemur. Crucifigamus membra nostra cum vitiis et concupiscentiis. Crucifigamus cor nostrum, ne unquam male, sed semper bene cogitet; linguam nostram, ne unquam male, sed semper bona loquatur; manus nostras, ne unquam mala, sed semper bona opera faciant; pedes nostros, ne unquam malam viam, sed semper bonam ambulent; aures nostras, ne unquam malis verbis, sed semper bonis pateant; ut, ita cum Christo novo homine renovati, simul cum eo beate vivere valeamus. Quod ipse præstare dignetur qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

(57) Vulg. *non ego operor illud.*

HOMILIA XV.

DOMINICA SEXTA POST TRINITATEM.

Dixit Jesus discipulis suis : Amen dico vobis, nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum (*Matth.* V). Tribus capitulis distinguitur hæc lectio, fratres charissimi. Primo enim ostendit Dominus justitiam Scribarum et Pharisæorum non sufficere ad habendum regnum cœlorum. Secundo supplet quod lex minus videbatur continere. Tertio ostendit quomodo sit Deo offerendum. Ait ergo : *Amen dico vobis, nisi abundaverit iustitia vestra plusquam Scri-*

barum et Pharisæorum, etc. Porro Scribæ et Pharisæi tunc putabant se esse justos, quando præcepta legis solo opere adimplebant, putantes de solis operibus, non de cogitationibus esse judicandum. Æstimabant quippe homicidium, adulterium, et furtum operis tantum in lege esse prohibitum. Homicidium vero, adulterium et furtum voluntatis, vel nullum, vel veniale esse peccatum. Sed hæc falsa justitia ad salutem non sufficiebat. Sicut enim sola bona voluntas ei qui plus non potest sufficit ad salutem, juxta illud, *et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* II), ita sola mala voluntas ei qui plus non potest sufficit ad damnationem. Est ergo sola mala voluntas, tam apud homines quam apud Deum, damnabilis. Est enim apud homines reus mortis qui regem prodere voluit, etsi proditionem implere non potuit. Apud Deum quoque adulter vel homicida habetur, qui ea crimina implere voluit, etiamsi non potuit. Unde ipse Dominus ait: *Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est in corde suo* (*Matth.* V). Et poeta :

Et si servetur (58) *bene corpus, adultera mens est.*
(Ovid., *Amor.* lib. III, eleg. 4, v. 5.)

Requirit ergo Dominus a suis non solum innocentiam corporis, sed etiam mentis. Unde idem Filius Dei et hominis ostendit se in Apocalypsi Joannis, præcinctum ad mamillas zona aurea (*Apoc.* I). Quare? Quia Dominus in Evangelio non solum opera, sed etiam fluxas cogitationes, quæ a pectore surgunt, restringi jubet. Itaque, fratres mei, non solum mala opera, sed etiam malas voluntates evitate, eas deflete, et in judicio sacerdotum per confessionem supponite. Judicate eas, antequam judicentur ab illo qui scrutatur renes et corda, id est occultas voluptates et cogitationes (*Apoc.* II), qui veniens illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium (*I Cor.* IV). Nam, fratres mei, quanto melius est hic ad horam erubescere coram sacerdote, quam erubescere in universali judicio coram Deo et angelis et sanctis ejus? Quam melius est hic ad horam flere et tristari, quam in æternum plorare et cruciari!

Sequitur pars secunda, in qua Dominus supplet quod lex minus continere videbatur, cum subditur : *Audistis quia dictum est antiquis : Non occides. Ego autem dico vobis quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio.* Cum littera legis solum homicidium operis videatur prohibere, Dominus supplet etiam homicidium voluntatis damnabile esse. Hæc tamen, fratres charissimi, et cæteræ adjectiones a Domino sunt in lege, quantum ad litteram, et ad sequaces litteræ additiones vel suppletiones dici possunt. Quantum vero ad spiritualem sensum et ad spiritualiter intelligentes, non sunt adjectiones, sed potius expositiones. Evangelium enim nihil aliud est, quam lex spiritualiter intellecta. Itaque si spiritualiter intelligis hoc mandatum : *Non occides*, intelligis in hoc mandato prohibitum esse non solum homicidium operis, sed etiam homicidium voluntatis, et cætera genera homicidii. Sunt enim sex genera homicidii. Primum est homicidium operis, quod in lege aperte prohibetur. Secundum est voluntatis. Unde Joannes : *Omnis*, inquit, *qui odit fratrem suum, homicida est* (*I Joan.* III). Tertium, mali exempli. Unde Dominus : *Qui scandalizaverit*, inquit, *unum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris* (*Matth.* XVIII; *Marc.* IX). Quartum, pravæ doctrinæ. Unde Dominus : *Si cæcus cæcum duxerit, nonne ambo in foveam cadunt?* (*Matth.* XV; *Luc.* VI.) Quintum, subtractionis alimenti corporis. Unde scriptum est : « Qui pereunti succurrere potest, et non succurrit, occidit. » Sextum subtractionis verbi Dei. Unde Dominus per prophetam : *Si non annuntiaveris impio ut convertatur a via sua mala, ipse quidem in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram* (*Ezech.* III). Ostendit igitur hic Dominus non solum homicidium operis, sed etiam homicidium voluntatis reum esse judicio, cum ait : *Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio.* Sciendum est tamen, fratres mei, quod non omnis ira culpabilis est, nec omnis ira culpabilis, damnabilis est. Qui enim irascitur non adversus naturam, sed contra vitium fratris ut illum corrigat, illa ira laudabilis est, nisi modum excedat. Hac ira motus est Moyses, Phinees, Josue, Petrus, cæterique sancti contra peccatores. Unde Dominus istos prædicatores qui non irascuntur nec objurgant vitia peccantium, canes mutos vocat per prophetam : *Canes*, inquit, *muti non valentes latrare* (*Isa.* LVI). Quando vero irascitur aliquis non bono zelo contra fratrem, si primus motus mox refrenetur, ira quidem culpabilis est, sed venialis et propassio vocatur. De hac dicitur : *Irascimini et nolite peccare* (*Psal.* IV). Et : *Sol non occidat super iracundiam vestram* (*Ephes.* IV). Tunc, fratres mei, super iracundiam nostram sol occidit, cum propter eam sol charitatis in nobis occumbit. Quando vero primus malæ iræ motus non refrenatur, sed usque ad consensum nocendi extenditur, ira damnabilis est et digna judicio, id est accusatione. Si vero ira interior efferatur in fratrem per aliquam indignationis vocem, digna erit consilio, id est sententia damnationis. Est autem *raca* interjectio indignantis, apud Hebræos, sicut apud Latinos *heu*, solam significans indignationem. Quod si illius iræ fervor proferat in fratrem vocem, certum convicium significantem, ut si vocet eum fatuum, vel insanum, digna erit gehennæ ignis. Porro gradus peccatorum exigit gradum pœnarum. Sicut enim ira in mente minus damnabilis est, quam excita per vocem indignationis, et excita per vocem indignationis minus est damnabilis quam per vocem convicii, ita oportet hic minorem pœnam et judicium intelligi quam per

(58) Ovid. *Ut jam servaris.*

consilium, et minorem per consilium, quam per gehennam, sicut minus timetur accusatio quam sententia, et minus sententia quam pœna. Igitur nos, fratres mei, omnino evitemus convicia fratribus nostris inferre, et etiam indignari, vel irasci contra illos, et discamus discernere naturam a vitio, discamus diligere in omnem hominem naturam nostram et vitium odio habere; discamus semper pacatæ esse naturæ et contra vitium irasci, tamen cum modo et mansuetudine, quoniam mansueta correctio peccatores emendat, intemperans vero etiam emendandos perturbat. Sed etiamsi quando, fratres mei, contigerit nos sine ratione irasci vel indignari, vel etiam contumeliam vel injuriam facere contra fratres nostros, non occidat sol super iracundiam nostram, sed quam cito fratribus nostris nos humiliemus, veniam et pacem postulemus; alias, quotidianæ orationes, oblationes; et eleemosynæ nostræ Deo acceptabiles non possunt esse.

Unde et subditur : *Si ergo offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ad altare, et vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc veniens offeres munus tuum.* Est autem hæc pars tertia, in qua ostenditur quomodo debeat fieri oblatio. Hanc enim debes facere de tuo, non de alieno; *qui enim offert sacrificium de rapina pauperum, quasi qui victimat filium ante conspectum patris sui* (*Eccli.* XXXIV). Unde et hic dicitur *munus tuum*, non alienum. Debes etiam eam offerre ad altare, ut scilicet totam intentionem dirigas ad altare, id est ad Deum. Hoc contra illos est offerentes qui non dirigunt intentionem suam ad Deum, imo ad oculos hominum. Debes etiam eam facere cum munda conscientia, ut scilicet mundam tuam conscientiam primo Deo offeras. Non enim offerens propter oblata, imo oblata propter offerentem Deo placerent. Unde : *Dominus respexit ad Abel et ad munera ejus* (*Gen.* IV), quasi primo ad eum, postea ad munera ejus; *ad Cain vero et ad munera ejus non respexit* (*ibid.*). Quasi diceret: Quia Cain Deo displicebat, ideo et munera ejus ei displicuerunt. Si ergo cum offers, recordatus fueris quod frater tuus habet aliquid adversum te, id est si conscientia tua te remordeat, te fratrem in aliquo læsisse, vel ira, vel indignatione, vel contumelia, vel injuria, vel hujusmodi, et ideo ille habet causam querelæ adversum te, *relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo.* Quod si forte remotior fuerit a te frater, *relinque ibi munus tuum*, id est seriem offerendi quasi interrumpe, et sponde te fratri invento, per omnia satisfacturum, et tunc inceptum prosequens, *offeres munus tuum*. Si vero frater non habet aliquid adversum te, sed tu adversus eum, non juberis munus tuum relinquere, et cum postulare, sed tantum odium et rancorem animi tui contra eum habitum deponere, et ita munus offerre. Legimus, fratres mei, de sancto Joanne Alexandrino patriarcha, quod cum quadam die missam celebraret, et cantando Dominicam Orationem venisset ad illam petitionem in qua rogamus dimitti nobis *debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Matth.* VI), meminit eum de querela quadam, quæ erat inter eum et quemdam clericum. Tacens igitur mandavit clericum illum, factaque cum eo reconciliatione, rediens ad proprium, cantavit dicens : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Itaque, fratres mei, si volumus orationes, oblationes, et eleemosynas nostras Deo placere, illis quibus debemus satisfaciamus, et illis qui nobis debent dimittamus, cor nostrum ab omni mala voluntate mundemus, mundatum humiliemus, humiliatum cum lacrymis superni desiderii et ardore pii amoris Deo offeramus. Quoniam *sacrificium Deo, spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies* (*Psal.* L). Quod sacrificium nobis facere tribuat, qui est benedictus in sæcula. Amen.

HOMILIA XVI.

DOMINICA SEPTIMA POST TRINITATEM.

Humanum dico, propter infirmitatem carnis vestræ (*Rom.* VI). In hac lectione, fratres charissimi, præcipit nobis Apostolus relinquere peccata, et sequi justitiam, et hoc modo : Primo dicit se præcipere humana et levia; secundo præcipit nobis vitia relinquere, et justitiam facere; tertio ostendit quid sequatur peccatum; quarto quid sequatur justitia; quinto ostendit mortem æternam pro peccato juste deberi, vitam vero æternam gratis dari. Ait ergo primo : *Humanum dico, propter infirmitatem carnis vestræ.* Ac si aperte dicat : Quoniam adhuc infirmi et carnales estis, non exhortor vos ad graviora et perfectiora : sed potius ad leviora et humana. Non enim præcipio vobis omnia relinquere propter Christum, et dare pauperibus, et nudos sequi Christum. Neque præcipio vobis, ut occurratis persecutoribus, et fundatis sanguinem pro Christo, aut quod relinquatis conjugia, et castimoniam profiteamini, et cætera hujusmodi, quæ perfectorum sunt. Sed tantum hoc nunc vobis præcipio, ut relinquatis peccata et vitia vestra, et opera justitiæ faciatis; quæ etiam imperfectorum sunt. Unde et subditur : *Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ et iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibeatis ea servire justitiæ in sanctificationem.* Est autem hæc pars secunda. In qua præcipit nobis relinquere peccatum, et sequi justitiam. Porro hic insinuat nobis Apostolus breviter quomodo peccator proficiat de malo in pejus, et quomodo bonus proficiat de bono in melius. Primo enim assuefacit se peccator immunditiæ mentis et corporis, ut ingluvici, luxuriæ, cæterisque turpitudinibus. Deinde ut habeat unde suæ immunditiæ satisfacere queat, assuefacit se operibus iniquitatis. Est enim immunditia in se, iniquitas in proximum. Ut igitur queat sufficere ingluviei, luxuriæ cæterisque turpitudinibus, invidet, concupiscit, furatur, rapit, fallit, acquirit per fas et per nefas. Et ex his proficit ad iniquitatem, id est in malitia consummatur. Econtrario quoque bonus primo as-

suefacit se operibus justitiæ, videlicet ut reddat unicuique quod suum est, Deo religionem, sibi munditiam, parentibus honorem, domesticis providentiam, majoribus obedientiam, minoribus gubernationem, æqualibus societatem, bonis dilectionem, malis correctionem, oppressis misericordiam, omnibus æquitatem. Ex quorum assuefactione proficit in sanitatem, id est in bonitatis perfectionem. Itaque, fratres mei, juxta mandatum Apostoli, sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ et iniquitati, ita exhibete ea servire justitiæ et sanctitati. Non enim dedit Deus vel redemit corpus et membra nobis ad serviendum peccato, sed ad serviendum sibi. Unde Apostolus : *Corpus*, inquit, *non fornicationi*, *sed Domino* (*I Cor.* VI). Et iterum : *Nescitis*, inquit, *quia membra vestra Christi sunt. et non estis vestri? empti enim estis pretio magno, glorificate et portate Deum in corpore vestro* (*Ibid.*). Heu! fratres mei, quam grave præjudicium Creatori nostro facimus, quando corpore et membris nostris, quæ ipse creavit et redemit ad serviendum sibi, in servitio peccati et diaboli abutimur. *Tollens*, inquit Apostolus, *membra Christi*, *faciam membra meretricis? Absit!* (*Ibid.*) Absit ergo a nobis, fratres, ut membra nostra Deo sanctificata, de cætero in immunditiam diaboli contaminemus! Nullatenus enim possunt membra nostra simul servire diabolo et Deo. Unde et subditur : *Cum enim servi essetis peccati*, *alieni eratis a justitia.* Et quæ, fratres mei, quæ servitus miserior et miserabilior est quam servire peccato et diabolo? Et quæ libertas pejor quam liberum esse a justitia, quæ est jugum Domini suave, et onus ejus leve? (*Matth.* XI.) In quo (unde dolendum est) confunduntur quidam habentes velamen malitiæ, libertatem. Qui, quia sunt liberi genere, volunt esse liberi a jugo obedientiæ et justitiæ, malentes esse subditi criminibus quam senioribus, et dicentes : *Disrumpamus vincula eorum, et projiciamus a nobis jugum ipsorum* (*Psal.* II). Sed quid sequitur? *Qui habitat in cœlis, irridebit eos, et Dominus subsannabit eos* (*Ibid.*).

Sequitur pars tertia, in qua ostenditur quæ peccatum subsequantur, cum subditur : *Quem ergo fructum habuistis tunc, in quibus nunc erubescitis?* Ac si diceret, Malum; nam finis illorum mors est. Porro immundi et iniqui desiderii adimpletio, videtur peccatoribus esse quasi quidam fructus suavis, eo quod in ejus usu ad horam delectantur. Sed quod pessimus sit talis fructus, probat Apostolus ex consequentibus, quoniam ex tali fructu sequitur pudor et mors. Non enim ex bono et honesto, sed tantum ex turpi et inhonesto necesse habemus erubescere. Iste ergo pudor perpetratæ turpitudinis testis est. Adeo quippe damnabilis immunditia et iniquitas est, quod etiam ab ipso immundo et iniquo condemnatur. In ipsa enim mente iniqui est mala conscientia quæ eum accusat. Sed etiam memoria et pudor testes qui contra eum testificantur, et etiam ipsa ratio, quæ eum judicat et damnat. Est etiam et timor qui eum punit et torquet. Unde scriptum est : « Nemo nocens, se judice absolvitur. » Est tamen, fratres, quædam animi confusio utilis peccata sua respicientis, respiciendo horrentis, horrendo erubescentis, erubescendo corrigentis. Et si iniquitas ab ipso etiam agente, et etiam in fructu suo ita hic damnatur, quantum putatis, fratres mei, passura est in futuro a summo judice damnationem? *Nam finis illorum mors est.* Mors scilicet duplex. Unde propheta : *Duplici contritione contere eos* (*Jer.* XVII). Prima est mors animæ in peccatis sepultæ. Secunda est mors animæ pariter et corporis in gehenna, perpetuo cruciatu. Finis ergo, id est consummatio illorum peccatorum est mors animæ, quoniam per illa a vero bono, a vera luce, et a vera vita privatur, brutificata, excæcata, mortificata, vinculis peccatorum obvoluta, ligata, tumulo vitiorum sepulta, arenosæ consuetudinis cumulo superaggravata. Finis quoque illorum mors gehennalis est, quoniam quorum vita mortua et finita est in culpa, eorum mors vivet in pœna. Nam, juxta Psalmistam, *mors depascet eos* (*Psal.* XLVIII), non consumet. Nam sicut bos non radicitus comedit herbam, sed ita eam comedit, ut eam quotidie comedere possit, ita reprobi a morte semper cruciabuntur, nec tamen adnihilabuntur, ut semper sint et semper moriantur. Unde Joannes in Apocalypsi : *Optabunt mori, sed mori fugiet ab eis* (*Apoc.* IX). Cruciabuntur autem quatuor generibus pœnarum, verecundia, timore, pœnitentia, et dolore. Sed verecundia illa erit sine tegmine, timor ille sine spe, pœnitentia illa sine utilitate, dolor ille sine compassione et sine morte, mors sine fine, finis sine defectu.

Sequitur pars quarta, in qua ostenditur quæ ex justitia sequantur, cum subditur : *Nunc autem liberati a peccato*, per baptismum scilicet et pœnitentiam, *servi autem facti Deo*, per justitiam, id est ipsius justitiæ, *habetis fructum in sanctificationem*, *finem vero illorum vitam æternam.* Ex operibus quippe et usu justitiæ proficimus in fructificationem, quia nihil melius, nihil pulchrius, in hac vita potest haberi. Quid enim, fratres mei, quid melius, quid pulchrius, quam omni turpitudine omnique vitio carere, mundum mente et corpore esse, diabolum sub pedibus habere, omnia mundana vilipendere, modico contentum esse, indigentibus pium et omnibus amabilem esse, ad cœlestem patriam toto desiderio festinare, nec etiam ipsam mortem timere, sed potius eam secure exspectare, et quando cæteri timent, in Deo secure et lætum esse? Et si tantisper dulcis est fructus justitiæ in hac vita, quam dulcius putatis, fratres mei, erit ejus præmium in alia vita? *Finem vero*, inquit, *vitam æternam.* Et vere illa vita erit vita, in qua nihil mortale, nihil erit corruptibile. Non corrumpetur amplius anima peccatis, sed potius omnibus virtutibus coruscabit. Non variabitur perturbationibus, sed potius semper læta, semper secura, semper pacifica, semper concors erit. Non minorabitur defectibus, sed omni sapien-

tia, omni gratia, omni perfectione abundabit. Non corrumpetur corpus vitiis, sed omni integritate, omni pulchritudine, omni honestate decorabitur. Non afficietur indigentia, sed omni saturitate et affluentia cumulabitur. Non gravabitur defectibus, sed sanitate, juventute, viribus et agilitate ditabitur. A

Sequitur pars quinta, in qua ostenditur mortem æternam pro peccato juste deberi, cum subditur : *Stipendia enim peccati mors est*, id est diabolicæ malitiæ debitum est mors. Quia enim peccator ex se noluit bonum, et fecit peccatum, ex se meruit mortem, unde et mors, tanquam merces ei debetur. Non ergo habet damnatus unde murmuret contra judicem, sed potius unde sæviat in seipsum, qui sponte deseruit vitam, et elegit mortem, juxta illud : *Deus non fecit mortem* (*Sap.* I), id est causam mortis. sed homines pedibus et manibus accersierunt sibi mortem. Deinde ostenditur vitam æternam tantum gratis dari, cum subditur : *Gratia autem Dei vita æterna.* Homo enim nec ex se voluit, nec potuit, nec fecit bonum, sed ex sola Dei gratia, quæ prævenit hominem et subsequitur, dans velle et perficere. Gratia ergo Dei sunt, tam nostræ justitiæ quam merces. Solam enim gratiam suam coronat in nobis Deus. Non habent ergo justi unde sese jactitent, unde aliquid sibi ascribant, sed soli gratiæ Dei, quæ nos gratis prædestinavit, gratis vocavit, gratis justificavit, gratis etiam coronabit per Jesum Christum Redemptorem nostrum, qui cum eo et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen. B

HOMILIA XVII.

DOMINICA SEPTIMA POST TRINITATEM.

Cum turba multa esset cum Jesu, nec haberent quod manducarent, convocatis discipulis suis ait illis ; Misereor super turbam, etc. (*Matth.* VIII.) Quadripartita est lectio ista, fratres charissimi. Primo demonstratur inedia eorum qui erant cum Jesu, secundo Domini compassio, tertio discipulorum imperfectio, quarto quatuor millium hominum de septem panibus repletio, et superabundantium sublatio. Demonstratur ergo primum inedia eorum qui cum Jesu erant, cum dicitur : *Cum multa turba esset cum Jesu.* Sed quare, fratres mei, Dominus, qui panis est saturitatis, suos sequaces inediam pati voluit ? Duplici de causa, ut fidem suam in cordibus suorum roboraret, dum scilicet esurientes miro et inaudito modo satiaret, et ut sequacibus suis exemplum præberet, ut scilicet si quandoque inediam paterentur, non desperarent, sed recordarentur etiam illos, qui Jesum Christum corporaliter sequebantur, inediam fuisse passos, et subito gloriose satiatos, et sperarent se quoque ab eo potenter visitandos. Ipsa nimirum inedia frequenter sanctis perutilis est, dum cogit eos contemnere temporalia, et suspirare ad æterna, dum maculas eorum purgat, dum virtutes nutrit, dum eos modico contentos facit. Sicut econtrario quotidiana multos corrumpit abundantia. Unde Dominus per prophetam : *Hæc*, inquit, *fuit iniquitas sororis tuæ Sodomæ, saturitas vanis et abundantia* (*Ezech.* XVI).

Sequitur pars secunda, in qua compassio Domini demonstratur, cum ipse dixit discipulis suis : *Misereor*, inquit, *super turbam, quia jam triduo sustinent me, nec habent quod manducent. Et si dimisero illos jejunos, deficient in via. Quidam enim ex eis de longe venerunt.* Cum miserationem et compassionem Dominus ostendit in se, in duobus nos instruit, in fide videlicet et moribus. In fide quidem nos instruit, quoniam cum ostendit se habere humanam compassionem, ostendit se vere suscepisse nostræ humanitatis infirmitatem. In moribus vero nos instruit, quoniam nos, exemplo sui, super afflictos debere esse pios et misericordes ostendit. Unde et hanc compassionem, non interius hic celavit, sed potius, convocatis discipulis suis, eam ostendit, dicens : *Misereor super turbam.* Quasi diceret : Misericordiam, quam me videtis super afflictos habere, habere mementote. Super quibus vero præcipue misereri debeamus, ostendit cum subdit : *Quia jam triduo sustinent me.* Et cum omnibus, fratres mei, misereri et subvenire debeamus, tamen præcipue eis qui Dominum sequuntur, qui ejus mandata portando laborant, unde Apostolus : *Faciamus bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei* (*Gal.* IV). Sed et in hoc quod Dominus non dimittit eos jejunos in domum suam, ne deficerent in via, ostendit se esse pium et fidelem super fideles suos, juxta quod Apostolus ait : *fidelis Dominus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione proventum, ut possitis sustinere* (*I Cor.* X). Nos ergo, fratres, exemplo Domini, viscera misericordiæ super afflictos semper habeamus, scientes quoniam quali mensura mensi fuerimus aliis, remetietur nobis. Si misericordes fuerimus, misericordem judicem inveniemus. Si immisericordes erimus aliis, et Deus immisericors erit nobis. Unde Jacobus : *Judicium sine misericordia fiet ei qui non fecerit misericordiam* (*Jac.* II). Unde, fratres, plango quosdam solo nomine Christianos, qui, quasi ferrei aut saxei essent, super afflictos nulla moventur pietate. Sed et si quando transire eis sit necesse juxta mendicum, juxta leprosum, juxta nudum et miserum, faciem avertunt ; eos nec aspicere queunt, quasi humanæ fragilitatis conditionem obliti sunt. Qui tamen si viderint asinum vel porcum suum infirmum, condolent, medelam adhibent, plangunt pereuntem. Ut quid hoc, fratres, nisi quia charitate Dei et proximi carent, cui præponunt asinum vel porcum suum? C D

Sequitur pars tertia, in qua ostenditur imperfectio discipulorum, cum Domino respondentes dicunt : *Unde quis poterit hos saturare panibus in solitudine ?* Imperfectionem enim suam discipuli ostendunt, dum in præsentia Domini turbam pane satiari, vel impossibile vel difficile dicunt. Humanam etiam tentationem se passos demonstrant, dum septem panes turbis suffecturos in Domini præsentia desperant. Hanc imo majorem, pejoremque tentationem frequenter patimur, fratres mei, cum famelico clamante ad januam, causamur nos modicum annonæ habere in horreo, modicum panis in arca, et per

avaritiam mentis, bonis a Deo nobis data diminuimus vel negamus, cum per amplitudinem ea multiplicare debemus. Deponamus igitur, fratres, hanc pusillanimitatem, et de Dei largitate semper præsumamus, qui cum etiam abundanter administret perfidis et sceleratis, quanto magis suis fidelibus dispensatoribus, materiam bene agendi superabundanter administrabit. Ad memoriam revocemus sanctorum largitatem, qui super facultatem suam indigentibus erogabant, et tamen Deo providente, semper abundabant, ita ut contendere viderentur, Deus eis ministrando, et illi distribuendo. Hinc Salomon ait, *Quidam semper rapiunt, et semper indigent. Quidam semper tribuunt, et semper abundant* (*Prov.* XI). Et Psalmista : *Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi* (*Psal.* III).

Sequitur pars quarta, in qua Dominus pascit de septem panibus et paucis pisciculis quatuor millia hominum, sublatis fragmentorum septem sportis. In quo instruit nos tripliciter, in fide, in mysterio, in moribus. In fide, quoniam dum mirabiliter de septem panibus tot homines satiat, quibus si particulariter panes dividerentur, vix unusquisque micam unam consequeretur, et dum reliquias sic multiplicat, ut septuplo plus fuerit sublatum quam fuerit appositum, veram se probat habere divinitatem, sicut per humanam compassionem, veram se demonstravit habere humanitatem. Et ita hac in lectione se verum Deum et verum hominem demonstrat. In mysterio nos instruit : quoniam per hoc opus ad mysticum sensum nos mittit. Per septem ergo panes sanctarum universitas Scripturarum designatur, in quibus septiformis gratiæ satietas continetur. Per pisciculos vero paucos, sanctorum Patrum qui in respectu malorum pauci et humiles sunt, exempla significantur. Sicut enim pisces panem melius manducari faciunt, ita sanctorum Patrum exempla sacram Scripturam melius intelligi et sequi faciunt. Panes ergo et pisces recumbentibus super terram distribuuntur, quoniam mysteria sanctarum Scripturarum, et exempla sanctorum Patrum a solis humilibus capiuntur. Unde Dominus : *Gratias ago tibi, Pater, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis* (*Matth.* XI ; *Luc.* X). Dominus super panes gratias primo agit, post frangit, post tradit discipulis ut apponant. Spiritualis quoque magister exemplo Domini super consecutas sanctarum Scripturarum escas Domino gratias agere debet, postea frangere, id est exponere, deinde docendo eas discipulis suis tradere, ut eas auditoribus exponant. Et satiantur ex eis quatuor millia hominum, id est quatuor partium orbis multitudines hominum. Et de reliquis septem sportæ supersunt, quia super capacitatem auditorum spirituales intellectus abundant, et plus ex eis semper relinquitur quam capiatur. In moribus etiam in hoc ipso nos instruit, quia dum famelicis compatitur, et inter eorum multitudinem quot panes habebat partitur, exemplo sui nos monet ut idem faciamus. Præcipit ergo Dominus turbæ recumbere super terram, sicut et ipse sæpe cum discipulis faciebat. In quo damnat illorum superfluitatem, qui nisi in pictis toris et elaboratis mantilibus nesciunt manducare. Super panes gratias agit, nos instruens, ut vel manducaturi, vel escam daturi, gratias agamus Deo, qui nobis vel refectionem, vel eleemosynæ largitur materiam, pariter et voluntatem, juxta id quod Petrus ait : *Si quis ministrat, tanquam ex virtute quam administrat Deus* (*I Petr.* IV). Panes frangit Dominus, nos docens ut si integros panes dare non possumus, frangamus, et fractos distribuamus. Unde ipse per prophetam : *Frange esurienti panem tuum* (*Isa.* LVIII). Discipulis suis dat panes ut distribuant, nos instruens ut filios et familiares nostros doceamus eleemosynas facere, et per eas dando, ipsos ad dandum assuefaciamus. Pascit autem turbas de panibus et pisciculis, nec mentio fit vini vel salsamenti, ut moneret nos simplices cibos et simpliciter paratos quærere, et præsentibus contentos esse. Esurientes satiantur, et plus est sublatum quam fuerit appositum, ut ostendatur gratiam eleemosynarum semper superabundare, dum et hic Dominus viris eleemosynariis semper ministrat abunde quod tribuant ; et in futuro eis retribuet, pro terrenis cœlestia, et pro temporalibus æterna. Unde Salomon : *Fœneratur Domino qui miseretur pauperis* (*Prov.* XIX). Beatus Nicolaus, compatiens plebi fame pereunti, cum propria dedisset, mutuat a nautis centum modios frumenti, et populum recreat famelicum, et nautæ remetientes non minus invenerunt. Vir quoque eleemosynarius, nomine Sanctolus ecclesiam S. Laurentii restaurans, artificibus quærentibus cibum, cum eos verbis consolaretur, et non haberet quid eis apponeret, vadens anxius huc et illuc, venit ad furnum in quo vicinæ mulieres pridie panes coxerant : inventum ibi maximum et candidissimum panem, circumtulit ad vicinas mulieres ; quæ cum panem illum suum negarent, panem apposuit operariis. Quibus satiatis, plus de fragmentis sustulit quam apposuerat : quæ iterum secunda die apposuit, et multiplicata sustulit. Et ita per dies decem illo pane satiati sunt, ac si panis cresceret comedendo (59). Deponamus ergo, fratres mei, pusillanimitatem, et de divina securi largitate, eleemosynæ faciendæ nos assuefaciamus. Et qui multum habet, multum tribuat, qui vero modicum, etiam illud libenter impertiatur. Quoniam, ut ait Psalmista : *Jucundus homo qui miseretur et commodat, disponet sermones suos in judicio, quia in æternum non commovebitur* (*Psal.* III). Et alibi : *Tota die miseretur et commodat, et semen illius in benedictione erit* (*Psal.* XXXVI). Deus autem misericordiarum det vobis misericordiæ meritum pariter et præmium. Cui est honor et gloria et imperium : per omnia sæcula sæculorum. Amen.

(59) S. Greg., *Dialog*, lib. III, cap. 47. tom. LXXVII *Patrologiæ*.

HOMILIA XVIII.

DOMINICA OCTAVA POST TRINITATEM.

Debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus (*Rom.* VIII), etc. Bipertita est hæc lectio, fratres charissimi. Primo enim nos monet Apostolus, ut non secundum carnem, sed secundum spiritum vivamus. Secundo ostendit viventes secundum spiritum esse Dei filios et hæredes. Monens ergo nos Apostolus, ut non secundum carnem, sed secundum spiritum vivamus, ait : *Debitores sumus*, subaudi spiritui, non carni. Ut nostis, fratres charissimi, tunc patris familias domus bene ordinata est, cum vir est subjectus et obediens Deo, et dominatur et regit totam familiam et uxorem et uxor cum tota familia ei famulatur et obedit. Unde Apostolus : *Vir*, inquit, *est caput mulieris; Christus autem viri* (*Ephes.* V). Cum vero mulier et familia non sunt subditæ viro, sed potius vir eis, domus male ordinata est. Porro hæc inordinatio fuit in hospitio primi parentis, qui obedientiam, quam debebat Deo, ei non reddidit, sed potius mulieri seductæ (cui non obedientiam, sed regimen et correctionem debebat) obediens fuit, propter quod in inordinationem sui ipsius cecidit, quia sensualitas propriæ carnis cum sensibus suis suo capiti, id est spiritui, plerumque non obedit, sed potius contradicit, et eum ad consentiendum, non capiti suo Deo, sed suis serpentinis suggestionibus trahit, ut relicto Deo, et cœlo, ad quod creatus est, sola inferiora, terrena scilicet cogitet, appetat et quærat, et ita vivat, non spiritualiter, sed carnaliter. Cum itaque, fratres mei, tanta et talis inordinatio a primo parente in omnes nos derivata esset, venit Filius Dei factus homo, ut exemplo et gratia amissam ordinationem in nobis restitueret, præcipiens ut de cætero mens nostra Deo serviret, sensualitatem cum sensibus suis sibi-consentire compelleret, ut ita viveremus secundum spiritum, et non secundum carnem. Et hoc est quod ait Apostolus, debitores sumus spiritui, non carni. Et quia quædam debemus carni, ut correctionem, regimen, et providentiam, exponit in quo non simus debitores carni, cum subdit : *Ut secundum carnem vivamus.* Quamvis enim, fratres mei, in carne vivamus, tamen secundum carnem, id est secundum voluntatem carnis vivere non debemus. Ille enim vivit secundum carnem, qui quantumcunque potest, voluntati pariter et voluptati carnis satisfacit, qui scilicet fertur effrenis, more pecoris, in ingluviem, in luxuriam, in iram, in incredulitatem, in superbiam, cæteraque vitia quæ ex carne partim oriuntur, et homines carnales efficiunt et animales. Tales enim nihil spirituale, nihil cœleste, nihil divinum sapiunt, sed solam carnem et terram. Unde Apostolus : *Animalis homo non percipit ea quæ spiritus Dei sunt* (*I Cor.* II). Quid autem tales sequantur, ostendit Apostolus, cum subdit : *Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini.* Et hic morte animæ in peccatis, et in futuro, morte animæ pariter et corporis in gehenna. Nonne, fratres, etiam hic male moritur ille qui, amisso honore, in quo ad imaginem Dei creatus fuerat, factus est brutus et curvus, more pecudis, super terram, ut de eo merito dicatur : *Homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis* (*Psal.* XLVIII). Nonne etiam hic male moritur qui vita et vera luce (quæ Deus est) hic privatur, et tenebris interioribus involvitur? Nonne in futuro pessime morietur qui tenebras exteriores, ubi erit fletus et stridor dentium semper patietur : quem semper cruciabit ignis qui nunquam exstinguitur, et vermis qui nunquam moritur? *Si autem*, inquit, *spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Posset quidem Apostolus, sicut dixerat : *Si secundum carnem vixeritis moriemini*, ita econtrario dicere : Si autem secundum spiritum vixeritis, vivetis. Sed quoniam quidam sine abstinentia et maceratione carnis, se spiritualiter vivere posse in hac vita putant, vigilanter ait : *Si facta carnis spiritu mortificaveritis, vivetis.* Quasi diceret : Si spiritus sancti virtute, vel etiam virtute spiritus vestri, a Spiritu sancto illuminati, per abstinentiam vitia et peccata in carne vestra mortificaveritis, vivetis, et hic vita spirituali, et in futuro vita cœlesti. Cum enim, fratres mei, spiritus et caro adinvicem semper luctentur, quanto est debilior caro, tanto fortior est spiritus. Et quanto fortior est caro, tanto debilior est spiritus. Unde Apostolus : *Quando*, inquit, *infirmor, tunc fortior sum et potens* (*II Cor.* XII). Et alibi : *Vivo*, inquit, *ego, jam non ego, vivit vero in me Christus* (*Gal.* II). Ac si aperte dicat : Vivo quidem, sed non vita carnalium vitiorum, qua prius vivebam, sed vita spirituali.

Sequitur pars secunda, in qua ostendit Apostolus viventes secundum spiritum esse filios Dei et hæredes, dicens : *Qui enim spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei.* Spiritu Dei aguntur qui non a carne, vel a spiritu maligno, sed a Spiritu sancto ipsi carni præsidente, ad bene cogitandum, loquendum, agendumque *aguntur.* Non autem ait reguntur, sed quod majus est, aguntur. Non enim solum, ut eques equum, nos regit Spiritus, sed etiam latente energia, id est operatione, interius in nobis operatur. Agit enim in nobis ut agamus. Ipse enim, ut ait Apostolus, *operatur in nobis et velle et perficere* (*Philipp.* II). Quod aperte contra illos est qui se per se aliquid agere posse putant; cum Dominus dicat in Evangelio : *Sine me nihil potestis facere. Qui enim*, inquit, *Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei* (*Joan.* XV). Quales vos esse debetis. *Non enim accepistis* in baptismo scilicet et confirmatione, *spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis.* Unus et idem, fratres mei, est spiritus, qui ex diversis, quæ confert, donis, diversis nominibus vocatur. Vocatur enim spiritus iræ Ægyptiis, quia eis intulit vindictam peccati. Vocatur spiritus servitutis et timoris Judæis, quoniam in lege eis timorem incussit. Unde ex timore potius quam ex amore ei serviebant. Vocatur nunc spiritus adoptionis fidelibus, quoniam eis filialem confert dilectionem, per

quam eos in filios adoptat. Vos ergo, fratres, si non ex conscientia peccati, nec timore gehennæ, sed ex amore ei serviatis, spiritum adoptionis utique accepistis, *in quo clamatis : Abba, Pater*. Abba Hebræum, *Pater* vero est Græcum et Latinum. Omnes fideles, Hebræi Græci et Latini, si Deum filialiter diligimus et imitamur, eum secure Patrem vocamus. Ecce, fratres mei, quanta est pietas et benignitas Dei, qui cum essemus indigni servi, ut viscera pietatis suæ erga nos demonstraret, et ut nos non ad se timendum, sed potius ad se diligendum invitaret, præcepit nobis, ut eum potius Patrem quam Dominum vocaremus, et ut nullum patrem in comparatione ejus reputaremus, dicens : *Patrem nolite vocare vobis super terram; unus est enim Pater vester qui in cœlis est* (*Matth.* XXIII). Pater enim terrenus vel nos derelinquit, vel nos non diligit, vel male diligit, cum Pater cœlestis suos oblivisci non possit. Unde Psalmista : *Pater meus et mater mea dereliquerunt me : Dominus autem assumpsit me* (*Psal.* XXVI), *ipse spiritus reddit testimonium spiritui nostro*, id est confirmationem spiritui nostro, *quod sumus filii Dei*. Hoc autem facit tribus modis, per Scripturas vocans nos filios, ut quando dicit, *Venite, filii, audite me, timorem Domini docebo vos* (*Psal.* XXXIII), per admirabilem operum mirificentiam, nos filios Dei manifestans. Ex his, fratres mei, argumentis, Spiritus sanctus spiritum nostrum in fide, et spe et charitate firmatum secure reddit, quod filii Dei sumus. Si enim hæc habemus, jam non Deum timemus, sed potius eum tanquam Patrem diligimus, bene de eo speramus, ad eum secure confugimus. *Quod si filii sumus, et hæredes*. Tria constituunt hominem hæredem : Nativitas, meritum et voluntas. Nos quoque, fratres mei, hæc tria nos constituunt hæredes æternæ hæreditatis. Primo siquidem libera voluntas Dei ab æterno hæredes prædestinavit : Secundo spiritualis baptismi nativitas, nos ad cœlestem hæreditatem vocavit. Tertio meritum nostrum, gratia adjutum, nos illius dignos efficit. Unde Apostolus : *Quos*, inquit, *prædestinavit, hos et vocavit. Quos vocavit, hos et justificavit* (*Rom.* VIII). Cæterum in hoc differt cœlestis hæreditas a temporali, quoniam hæres non nisi post mortem testatoris hic consequitur hæreditatem. Deus vero nos ita hæredes constituit, ut etiam cum eo æternam sortiamur hæreditatem. Rursus temporalis hæreditas per multos hæredes distributa minoratur. Cœlestis vero hæreditas, nullam novit pati diminutionem. Rursus ex temporali hæreditate inter cohæredes nascitur invidia. Nam, juxta poetam, « omnis potestas impatiens consortis erit (60). Ab illa vero æterna hæreditate omnis invidia relegabitur. Nam unusquisque sic gaudebit de proximi gloria, sicut de sua. Unde et ipse unicus Patris, non solus hæres esse, sed secum voluit cohæredes habere. Nos itaque, fratres mei, spreta temporali et vana hæreditate, ad illam cœlestem toto desiderio tendamus hæreditatem, æternam sine successione, distributam sine diminutione, communem sine invidia, sufficientem, sine indigentia jucundam sine tristitia, beatam sine omni miseria. Ad quam perducat nos unus Deus, Pater et Filius et Spiritus sanctus, cui est honor et gloria per infinita sæculorum sæcula. Amen.

(60) Lucan. *Phars.* lib. I, vers. 92, 93.

HOMILIA XIX.

DOMINICA OCTAVA POST TRINITATEM.

Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces (*Matth.* VII). Dominus et Redemptor noster, fratres charissimi, prævidens persecutiones discipulis suis eventuras, eas eis prædicere, et contra eas eos prærmare curavit. Prædixit ergo duo genera persecutionum eis eventura : Unum apertum de quo alibi dicit : *Trademini autem a parentibus, et cognatis et amicis in mortem, et morte afficient ex vobis* (*Luc.* XXI). Alterum occultum, contra quod hic nos munit et hoc modo. Primo monet nos cavere a falsis prophetis. Secundo quibus signis cognoscantur generaliter et per similitudinem ostendit. Tertio spiritualiter, quibus discernantur vel non discernantur aperit. Ait ergo : *Attendite*, id est attendentes cavete a falsis prophetis. Porro istam persecutionem occultam præcipue monet nos attente cavere, quoniam pejor est quam aperta, tum quia plus nocet occidens etiam animas, tum quia difficilius prævidetur, facilius quippe nos supplantat qui, sub specie amicitiæ et obsequii, fraudem occultat. Proprium enim doli est se dissimulare. Veneficus sub melle tegit venenum; proditor, sub obsequio fraudem; hypocrita, sub religione malitiam; hæreticus, sub veritate falsitatem. Cum autem hic, per falsos prophetas, quoslibet hypocritas, qui aliud occultant et aliud simulant, possemus intelligere, tamen de hæreticis specialiter dictum est. Qui cum exterius simulent religionem, interius celant hæreticam rapacitatem, per quam animas simplicium jugulare festinant. Per vestimenta igitur ovium, ovinam intelligimus simplicitatem, qua hæretici et omnes dolosi suam palliant iniquitatem; ut verbo, vestimento, obsequio, cibo, et hujusmodi exterioribus. De verbo talium ait David : *Molliti sunt sermones ejus super oleum, et ipsi sunt jacula* (*Psal.* LIV). De vestimento dicitur hic : *Attendite a falsis prophetis qui veniunt ad vos in vestimentis ovium.* Et Apostolus : *Satanas*, inquit, *transfigurat se in angelum lucis* (*II Cor.* IX). De obsequio dicit poeta :

Obsequio vincit meretrix et proditor omnis.

De simulata abstinentia et continentia, dicit Apostulus ad Timotheum : *Spiritus manifeste dicit quod in novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris et doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium; prohibentium nubere, abstinere a cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, quia*

omnis creatura Dei bona est (*I Tim.* IV). Tales sunt hodie, fratres mei, hæretici Manichæi, qui sua hæresi patriam Agennensem maculaverunt, qui mentiuntur se vitam tenere apostolorum, dicentes se non mentiri nec omnino jurare, sub prætextu abstinentiæ et continentiæ, escas carnium et nuptias damnantes. Dicunt enim tantum flagitium esse accedere ad uxorem, quantum ad matrem vel ad filiam. Damnant etiam Vetus Testamentum. De Novo vero quædam recipiunt, quædam non. Et quod gravius est, duos prædicant rerum auctores, Deum invisibilium, diabolum visibilium auctorem credentes. Unde et occulte adorant diabolum, quem sui corporis credunt creatorem. Sacramentum vero altaris purum panem esse dicunt. Baptismum negant, neminem posse salvari, nisi per suas manus prædicant. Resurrectionem etiam corporum negant. Illos diabolicos homines, fratres mei, vitate, quia sicut Dominus prædixit : *Veniunt in vestimentis ovium, cum intrinsecus sint lupi rapaces* (*Matth.* VII). Vos ergo ad cavendas eorum versutias, estote prudentes sicut serpentes.

Sequitur pars secunda, in qua Dominus ostendit generaliter et per similitudinem quomodo dignoscantur, dicens : *A fructibus eorum cognoscetis eos*, id est ab operibus. Loquitur autem hic metaphorice Dominus, quoniam sicut a sapore fructus dignoscitur, cujus humoris sit truncus et radix arboris, ita ex operibus exterioribus perpenditur cujus voluntatis sit cor hominis. Qui autem sit fructus malorum, Apostolus ad Galatas ostendit : *Manifesta*, inquit, *sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, luxuria, avaritia, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, rixæ, dissentiones, hæreses, invidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, et his similia quæ prædico vobis, sicut jam prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur* (*Gal.* V). Qui vero sint fructus bonorum ostendit, subdens : *Fructus autem spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas* (*ibid.*). *Nunquid*, inquit, *colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus?* id est nunquid de peccatoribus, malitia, et de vitiis spinosis, possunt exire fructus dulcedinis et benignitatis, et uvæ fervidæ charitatis. Quasi dicat : Non. Malus quidem opera virtutis simulare potest, facere omnino non potest. Sed si simulaverit, quomodo poterit discerni? Quia simulator, etsi quædam, tamen non potest omnia simulare : et quia quod est simulatum, non est firmum, sicut nec color mutatus, et quia simulatio lacessita detegitur. Qui ergo vere dissimulationem deprehendere vult, inquirat non quid palam, sed quid clam faciat, vel dicat. Præterea si attente et assidue inspicias opera simulatoris, paulatim tibi vilescet. Virum vero bonum quantoplus observaveris, tanto plus eum miraberis. Sic *non potest mala arbor bonos fructus facere, nec arbor bona fructus malos facere*, id est homo existens malus, non potest facere opera Deo placentia, et æternæ retributionis digna; nec homo existens bonus, potest facere opera mala et æternæ damnationis digna. Facit tamen homo malus quandoque quædam minima bona, quia quandoque naturali ductus pietate pascit esurientem, vestit nudum, hospitatur peregrinum : quod ei in alleviationem pœnæ potest valere, non ad vitam æternam. Ipse enim non bene facit, sed de eo bene fit. Et econtrario bonus facit quandoque quædam minima peccata naturali victus fragilitate, per quæ non æternam pœnam meretur, sed temporalem. Quid autem mala arbor mereatur, ostendit cum subjungit : *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur*. Notate, fratres, notate : non enim ait : Omnis arbor quæ facit fructum malum excidetur, quod utique constans est, sed ait : *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur*. Non enim, sufficit homini non facere malum, nisi etiam faciat bonum. Scriptum est enim : *Declina a malo, et fac bonum* (*Psal.* XXXVI). In hoc enim quod vitas malum vitas tantum pœnam, nec acquiris præmium. Si dicis mihi Non furtum feci : Loris non uteris, aio; Non hominem occidi : Non pasces in cruce corvos. Dives quippe purpuratus legitur in inferno cruciari, non quia rapuerit aliena, sed quia non dedit sua : quid ergo patietur, qui rapuit aliena? Itaque, fratres mei, cum vitaveritis mala, facite bona, quia *jam securis ad radicem arboris posita est* (*Matth.* III), non solum malæ, sed etiam sterilis.

Sequitur pars tertia, in qua ostendit Dominus spirituliter quibus operibus boni a malis non discernantur, et quibus discernantur. Quibus operibus non discernantur ostendit, cum subdit : *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum*. Sunt autem tria genera operum : Unum quod est proprium bonorum, ut dilectio Dei et proximi; benefacere etiam inimicis, observare pacem, concordiam, sapientiam, justitiam et cæteras virtutes. Aliud est quod est proprium malorum, ut vitia, et eorum opera. Tertium vero est commune tam bonorum quam malorum, ut quædam media opera, ut orare, jejunare, indui cilicio, dare eleemosynam, refrenare luxuriam, et hujusmodi. Hæc enim secundum intentionem agentis nomen assumunt. In bene utentibus sunt bona; in male utentibus mala. Ostendit ergo Dominus quod propter ista communia, non habebitur regnum cœlorum cum dicat : *Non omnis qui dicit mihi : Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum*. Similiter nec omnis qui jejunat, nec omnis qui dat eleemosynam, et hujus modi. Deinde ostendit quo opere discernantur boni a malis, subdens : *Sed omnis qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis est; ipse intrabit in regnum cœlorum*. Voluntatem Dei facit qui vere credit, recte sperat, firme diligit; voluntatem Dei facit, qui quod vult Deus, et ut vult, facit. Voluntatem Dei facit, qui eam, etiam suæ et omnibus aliis præponit, dicens : *Non mea, Domine, sed tua voluntas fiat* (*Matth.* XXVI; *Marc.* XIV). Nos ergo, fratres mei, in omnibus quæramus et faciamus voluntatem Dei, diligentes eum toto

corde, tota anima et totis viribus plus quam nos. Diligamus amicos nostros in Deo, et inimicos propter Deum; non reddentes malum pro malo, sed bonum pro malo; benedictum pro maledicto, sicut Dominus Jesus fecit et præcepit. Quod ipse nos adimplere concedat, cui est honor et gloria per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XX.

DOMINICA NONA POST TRINITATEM.

Non simus concupiscentes malorum, sicut et illi concupierunt, etc. (*I Cor.* x.) Quadripartita est lectio ista, fratres mei. Primo enim nos dissuadet a vitiis exemplo antiquorum. Secundo demonstrat casus antiquorum in figuram et cautelam nostram scriptos esse. Tertio nos monet, ne apprehendamur a tentatione. Quarto dicit Deum non permissurum nos tentari ultra nostrum posse.

Primo igitur nos dissuadet a quinque vitiis, scilicet a concupiscentia mala, ab idololatria, a fornicatione, a tentatione Dei, et a murmuratione. Porro a concupiscentia mala nos dehortatur, cum dicit : *Non simus concupiscentes malorum, sicut et illi concupierunt.* Ideo autem adjunxit *malorum*, quoniam est concupiscentia bona, est et concupiscentia mala. Nisi enim concupiscentia bona esset, non dixisset Propheta, *Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas in omni tempore* (*Psal.* CXVIII). Et nisi concupiscentia mala esset, non eam Dominus in lege prohibuisset, dicens : *Non concupisces rem proximi tui* (*Exod.* xx). Habet quippe anima a creatione, ut naturaliter sit concupiscibilis, irascibilis et rationalis. Proinde necesse est ut anima nostra aliquid concupiscat, vel Deum vel mundum. Non potest autem concupiscere Deum quin contemnat sæculum; nec potest concupiscere sæculum, quin contemnat Deum. Nos ergo, fratres mei, totam nostram concupiscentiam vertamus a mundo in Deum, a malo in bonum, ut scilicet Deum et omne bonum concupiscamus, et mundum cum omni malo fugiamus. A concupiscentia vero malorum nos dehortatur exemplo Israelitarum, cum subdit : *Sicut illi concupierunt.* Illi enim, post transitum maris, in deserto manna fastidientes, carnes et delicias Ægyptiacas concupierunt, et desiderio in Ægyptum redierunt. Ideoque plaga magna a Domino percussi sunt. In quo figuratum est nos quoque, si, post baptismum cœlestisque panis alimentum, ad abrenuntiatas mundi et diaboli concupiscentias desiderio redierimus, æterna animadversione percutiendos. Ab idololatria nos dehortatur, cum subdit : *Neque efficiamini idololatræ.* Idololatra est qui cultum debitum Creatori exhibet creaturæ. Sunt autem duæ species idololatrarum : Alii enim sunt idololatræ opinione, ut illi qui opinione attribuunt soli vel lunæ, vel alicui creaturæ. divinitatem ; alii sunt idololatræ moribus ut illi qui præponunt creaturam Creatori : quod enim quisque plus diligit, hoc sibi deum constituit. Qui ergo ventris ingluviem Deo præponit, ventrem sibi deum constituit. Qui vinum Deo præponit, Bacchum sibi deum constituit. Qui Venerem suam Deo præponit, Venerem sibi deum constituit. Quales hodie (quod sine gemitu dicere non possum) sunt multi, vitiis et peccatis suis potius quam Deo servientes. Qui, quamvis ore dicant se credere in Deum, tamen operibus et moribus eum abnegant. Unde Paulus : *Confitentur*, inquit, *se verbis nosse Deum, factis autem negant* (*Tit.* I). Hic etiam ne hoc vel illo modo efficiamur idololatræ, dehortatur nos exemplo Israelitarum, subdens : *Sicut quidam ex ipsis, quemadmodum scriptum est : Sedit populus manducare et bibere*, subaudis idololatita [*an* idolothyta?] vitulo sacrificata, *et surrexerunt ludere*, id est psallere vitulo, et ipsum adorare. Unde et præcipiente Moyse gladio puniti sunt. In quo præfiguratum est nos quoque, si vel opinione, vel moribus, idololatræ fuerimus, æternaliter puniendos. A fornicatione nos dehortatur, cum subdit : *Nec fornicemur.* Est autem fornicatio omnis concubitus, præter nuptialem maris et feminæ commistionem. Hujus sunt multæ species, ut simplex fornicatio innupti cum innupta, mœchia nupti cum nupta, adulterium innupti cum nupta, vel nupti cum innupta ; incestus, qui fit cum matre, vel sorore, vel cognata, Sodomitica libido masculorum ad invicem, vel mulierum ad invicem. Innominabile sive abominatio quæ fit, quando vir vel mulier coit cum bruto animali. Omnes autem istæ fornicationis species criminales et damnabiles sunt. A quibus omnibus nos dehortatur Apostolus exemplo Israelitarum cum subdit : *Sic quidam ipsorum fornicati sunt*, cum Madianitis, quas consilio Balaam miserat Balach cum cibariis obviam eis, ad animas ipsorum decipiendas : et ceciderunt ex ipsis gladio Balach viginti tria millia. In quo figuratum est, fratres, nos quoque, si hoc vel illo modo fornicati fuerimus, æternaliter perituros. A tentatione Dei nos dehortatur, cum subdit : *Neque tentemus Christum.* Ille Deum tentat, qui Dei vel potentiam, vel erga se dilectionem experimento probat. Nascitur autem talis tentatio vel ex defectu fidei, vel ex gloria vana. Porro duobus modis tentat Deum, cum ad probandam Dei vel potentiam, vel erga se dilectionem, aut sponte se in pericula præcipitat, aut miracula sibi fieri postulat. In aperta pericula per vanam gloriam se præcipitavit quidam eremita, ut legimus in Vitis Patrum. Cui cum apparuisset diabolus in specie boni angeli, et ei persuasisset eum ita esse sanctum et Deo charum, quod si etiam ei dimitteret in puteum profundissimum, non læderetur, sed ab angelis custodiretur, præcipitavit se in puteum, et vix semivivus a fratribus extractus est. Et (quod pejus est) nullatenus potuit ei persuaderi quod diabolicam passus esset illusionem, et ita miserrime mortuus est. Hoc etiam modo tentavit diabolus Dominum, cum statuens eum supra pinnaculum templi, dixit ei : *Si Filius Dei es, mitte te deorsum* (*Matth.* IV). Cui Dominus, qui pulchre eum noverat, dixit : *Scriptum est : Non tentabis Dominum Deum tuum* (*ibid.*). Miracula vero sibi fieri ad probandam Dei potentiam, postulaverunt increduli Judæi in deserto. Unde Psalmista : *Et tem-*

taverunt Deum in cordibus suis, ut peterent escas animabus suis. Et male locuti sunt de Deo, et dixerunt : Nunquid poterit Deus parare nobis mensam in deserto ? Quia percussit petram, et fluxerunt aquæ, et torrentes inundaverunt. Nunquid et panem poterit dare ? (*Psal.* LXXVII.) Et non solum semel, sed etiam pluries tentaverunt Deum in deserto. Propterea a serpentibus ignitis, qui scilicet ardore et siti perimebant, perierunt. In quo præfiguratum est nos quoque, si tentaverimus Deum, in æternum perituros. Non est autem, fratres mei, tentare Deum, si fidelis, ingruente periculo et humano deficiente consilio, se Deo totum in periculo committit, vel si ad laudem Dei et utilitatem proximi, quando videt oportere, a Deo fieri miracula poscit. A murmuratione nos dehortatur, cum subdit : *Neque murmuraveritis.* Est autem murmuratio nec omnino aperta, nec omnino occulta reprehensio, media inter detractionem et objurgationem. Et est proprie inferioris suum superiorem per impatientiam ferre non volentis, nec tamen eum aperte objurgare audentis. Est autem hoc vitium maximum, seditiones, discordias et lites generans. Porro probi viri est non murmurare, sed potius, si reprehensibilis est, vel seorsum arguere, vel aperte objurgare. Ab hoc autem vitio nos dehortatur exemplo Israelitarum. Quorum quidam contra Moysen et Aaron murmuraverunt de sacerdotio, et etiam contra Deum de labore itineris per desertum, et ideo perierunt ab exterminatore, id est quidam ab incendio et alii ab hiatu terræ, et alii ab angelo percutiente exterminati sunt a terra viventium. In quo figuratum est nos quoque, si contra Deum vel contra superiores nostros murmuraverimus (ut quidam faciunt) a vita æterna exterminandos.

Sequitur pars secunda, in qua ostendit Apostolus casus antiquorum in figuram præcessisse, et ad cautelam nostram scriptos esse, cum subdit : *Hæc autem in figura contingebant illis.* Temporales quippe pœnæ, quibus primi prævaricatores puniebantur, significabant æternas pœnas, quibus omnes prævaricatores in inferno puniendi sunt. Primam enim ingluviem et inobedientiam damnat Deus in primis parentibus pœna mortalitatis, ut demonstret omnes gulosos et inobedientes æterna morte puniendos. Primam quoque filiorum Dei cum filiabus hominum libidinem damnat Deus diluvio, significans fornicatores omnes aquis nivium æternaliter perituros. Primos quoque Sodomitas igne et sulphure Deus percutit, significans omnes Sodomitas æterno ardore et fetore percutiendos. Primam quoque ad abrenuntiata respicientem uxorem Lot lapideo rigore et insensibilitate damnat, significans omnes ad abrenuntiatas mundi concupiscentias respicientes, æterno rigore et excæcatione feriendos, et similiter in aliis. *Scripta autem*, inquit, *sunt hæc ad correctionem nostram.* Ruinæ enim priorum scriptæ sunt ad cautelam posteriorum. Stultus quippe est, fratres mei, qui præcedentem cadere videt, et non cavet. *In quos*, inquit, *fines sæculorum devenerunt*, id est, qui in fine sæculorum nati sumus, et ideo si transgredimur, magis puniendi sumus. Priorum enim, tam virtutes quam ruinæ, quam doctrinæ, in nostrum scriptæ sunt erudimentum. Si ergo priores, sine lege peccantes et magnitudinem peccatorum ignorantes, tam graviter sunt puniti, quanto gravius nos in tempore gratiæ et Scripturis eruditi, si transgredimur, sumus puniendi? *Itaque*, inquit, *qui se stare existimat, videat ne cadat.* Ac si aperte dicat, Via hujus mundi lubrica est, et multi, tam priores quam sequentes, corruunt. Propterea omnis etiam qui sibi videtur stare, timeat dum potest cadere.

Sequitur pars tertia, in qua nos monet Apostolus, ne apprehendamur a tentatione, cum dicit : *Tentatio vos non apprehendat nisi humana.* Non autem ait : Ne tentemini, quia hominem in hac vita tentari est necesse et utile, sed ait : *Tentatio vos non apprehendat*, id est, non vos superet. Et quia rursus hoc impossibile est, dum in hac vita sumus, adjungit, *nisi humana.* Et humana quidem tentatio est, quæ provenit ex ignorantia aut ex fragilitate, aut ex necessitate. Ex ignorantia provenit tentatio, quando aliquis ignoranter peccat, ut quando aliquis putat se dicere verum, et dicit falsum ; et quando putat se bene alii consulere, et tamen non consulit bene, et hujusmodi. Ex fragilitate vero provenit tentatio, ut quando post nimiam sitim, nimis bibimus et hujusmodi. Ex necessitate vero tentatio provenit, quando primis motibus, quos evitare non possumus, tentamur. Dirigitur autem hoc modo tentatio humana, quia ita tentari est humanum et pro peccato primi parentis inflictum. Si vero, fratres mei, non ex ignorantia, sed ex industria peccamus, aut ex contumacia, aut ex libera voluntate imus post concupiscentias nostras, procul dubio non est tentatio humana, sed potius diabolica et ideo damnabilis.

Sequitur pars quarta, in qua ostendit apostolus Deum non permissurum nos tentari ultra posse nostrum, cum subdit : *Fidelis est Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis.* Dicitur autem Deus fidelis, id est verax in promissis, quoniam semper præsto est fidelibus suis, sicut ipse promisit dicens : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII). Et ideo *non patietur*, inquit, *vos tentari supra id quod potestis.* Hic aperte illos confutat qui, peccata sua excusantes, et Deum accusantes, dicunt : Deus nos derelinquit, et importabili pondere præceptorum et tentationum nos opprimit, cum nobis naturam dederit imbecillem et resistere vitiis impotentem. Prohnefas! de infidelitate, de crudelitate, de ignorantia accusatur Deus. De infidelitate, quasi derelinquat nos antequam derelinquatur a nobis : de crudelitate, quasi præcepta importabilia nobis dederit, quæ facere non valeamus, et tentationes nobis venire permittat, quibus resistere non possumus ; de ignorantia, quasi ignoret quid humana natura facere aut ferre valeat. Sed, fratres mei, Deus neminem prior deserit, quia fidelis est, nec importabilia nobis im-

ponit, quia pius est, nec vires quas dedit nobis ignorat, quia omnisciens est. *Sed faciet*, inquit, *cum tentatione proventum*, id est lucrum, *ut possitis sustinere*. Quasi dicat : Cum tentatione faciet nobis duo, et proventum proficiendi et potentiam sustinendi. Itaque, fratres, tentationes diabolicas omnibus viribus a nobis excludamus; humanas vero, quantum possumus, refrenemus, perpetratas lacrymis pœnitentiæ et operibus misericordiæ redimamus : ad æternam patriam, ubi nulla tentatio est, toto desiderio festinemus, ad quam pervenire concedat nobis omnipotens et misericors Deus, qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXI.

DOMINICA NONA POST PENTECOSTEN.

Dixit Jesus discipulus suis : Quidam homo dives habebat villicum, et hic diffamatus est apud illum quasi dissipasset bona ipsius (*Luc* XVI). Non omnia, fratres mei, quæ in hac audivimus parabola, juxta litteram, ad exempli trahere debemus imitationem. Non enim facienda est in aliquo fraus Domino temporalis, sed potius jura sua ei sunt reddenda, juxta Apostolum dicentem : *Cui honorem honorem : cui tributum tributum, cui vectigal vectigal* (*Rom.* XIII). Unde et Dominus in Evangelio; *Reddite*, inquit, *quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei, Deo* (*Matth.* XXII). Unde et ipse, cum esset Rex regum et Dominus dominantium, humilitatis exemplique causa reddidit Cæsari tributum. Sed a contrariis parabola hæc intelligenda est, ut videlicet si ille qui per fraudis calliditatem de rebus sibi a domino suo commissis providit, in posterum laudatur, maxime ille qui per veram sapientiam de rebus sibi a Deo commissis, providet sibi in aliam vitam, a Deo laudandus est. Illud quoque notandum est quod hic dicitur quia filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt. Quod dupliciter intelligi potest, vel quia prudentiores sunt in sæcularibus mali quam boni. Quod inde contigit, quoniam in eis curiosiores sunt, vel quia prudentiores sunt mali in malo quam boni in bono. Sed quare? Cur sunt prudentiores mali in operibus diaboli quam nos in operibus Dei? Cur non plus potest apud nos amor Dei, dulcedo cœlestis præmii, securitas puræ conscientiæ, quam apud malos amor sæculi, et lucrum temporale, cum tormento conscientiæ malæ? Expergiscamur ergo, fratres mei, pigritiam nostram, et erubescamus si viderimus malos vigilantiores, si promptiores, si callidiores ad faciendum opera diaboli quam nos ad opera Christi. Mystice vero in hac parabola quinque proponuntur nobis intelligenda : Primo, quod rerum nostrarum non domini, sed dispensatores sumus; secundo, quomodo res Domini male dispensamus; tertio, quomodo Dominus exigit a nobis de rebus suis rationem; quarto, quantum timor est utilis ad consilium investigandum; quinto, quomodo de rebus Domini Dei nostri nobis amicos possumus comparare. Primo igitur, fratres charissimi, ostenditur in hac parabola quod Deus omnipotens homo factus pro nobis, dives in omnes qui invocant eum, habet villicum, omnem hominem scilicet cui bona sua commisit. Commisit quippe homini tria bonorum genera, exteriora, corporalia, spiritualia. Horum bonorum non dominum, sed villicum, id est, custodem et dispensatorem eum fecit, ut videlicet, secundum voluntatem non suam, sed Domini, ea custodiret et dispensaret. Cui etiam dedit legem et mandata, quomodo, et quibus, et quantum, et quando ea deberet erogare ad domini sui lucrum et honorem. Sed, ut secundo loco in hac parabola demonstratur, homo bona Domini sui dissipat, cum eis juxta voluntatem Domini sui non utitur, nec erogat. Bona exteriora dissipat, cum de eis non pauperibus, non infirmis dividit, non Dominum honorat, non ecclesias, non domes pauperum fabricat, non patriæ proficit, sed vel per avaritiam ea intacta abscondit, vel per superfluitatem luxuriose, vane, et arroganter spargit, et unde Deo servire deberet, vitiis et diabolo servit. Unde per prophetam Dominus : *Dedi enim eis*, inquit, *lanam et linum, frumentum, vinum et hordeum, argentum et aurum meum, quæ ipsi fecerunt Baalim* (*Ose.* II) Bona corporalia dissipat, cum corpus suum facit servire fornicationi, non Domino; cum lingua, quam dedit ei Deus ad benedicendum, abutitur ad maledicendum, mentiendum, perjurandum, detrahendum, cum oculis sibi ad bonum usum datis a Deo abutitur ad concupiscendum mulierem, et ad videndum vanitatem, cum auribus sibi datis ad audiendum Dei verbum, abutitur ad audiendum mendacia, detractiones, vanitates; cum naribus abutitur ad odorandum luxuriosos odores, et unguenta meretricia, non ad odorandum odorem virtutum; cum manibus abutitur ad percutiendum de pugno impie, ad effundendum sanguinem, ad nocendum, non ad bene agendum; cum pedibus abutitur ad currendum ad malum, non ad sequendum viam Domini; cum gustu abutitur ad comessandum, inebriandum, non ad comedendum et bibendum ad sobrietatem spiritus. Bona vero spiritualia dissipat, cum libero arbitrio abutitur ad eligendum mala, non bona, ad serviendum mundo, non Deo, carni non spiritui; cum intelligentia abutitur ad investigandum quomodo possit nocere, non prodesse; cum memoria abutitur, ad reminiscendum mala, non bona; cum providentia abutitur, ad parandum proximo laqueum, non auxilium. Omnium istorum, fratres mei, dissipatio, abusus et infamis consuetudo diffamat hominem villicum apud Deum Dominum suum. Unde Dominus ut tertio in parabola demonstratur, vocat villicum, et ait illi : *Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuæ*. Bis ponit rationem Dominus Deus cum homine villico suo. Primum in hoc sæculo, postea in judicio. Sed dissimiliter. Nam hic ponit cum homine rationem ad incutiendum ei timorem et emendationem; in judicio vero ponet cum eo rationem ad inferendum pro meritis pœnam; hic ad exercendum misericordiam, ibi ad excercendum justitiam. Ponit ergo hic

Dominus rationem cum homine villico suo, quem vult corrigere, non perire. Vocat ergo eum et citat ad respondendum, cum ei aliquam infert infirmitatem, interrogatque eum vel interius per divinam inspirationem, vel exterius per sacerdotem, vel per aliquam correctionem ei dicentem : Frater, Dominus vocat te, et exigit a te rationem de omnibus quæ contra eum operatus es. Tibi cito consule, quia jam non poteris villicare. Jam enim per mortem auferetur tibi temporalium dispensatio rerum. Iis itaque interius inspiratis, vel exterius dictis, commovetur interius villicus homo et timet. Qui timor, intus eum hic illucque concutiens, trahit eum ad deliberandum quid facere debeat, ut in parabola quarto significatur, cum subditur : *Ait autem villicus intra se : Quid faciam, quia Dominus aufert a me villicationem? fodere non valeo :* quia in alia vita non erit tempus merendi, sed recipiendi; non serendi, sed metendi, non laborandi, sed quiescendi. *Mendicare*, inquit, *erubesco.* In alia enim vita, mendicans semper patietur pudorem, nec inveniet adjutorem, sicut in alia Evangelii parabola demonstratur, cum fatuæ a prudentibus oleum petunt, nec accipiunt. Unde et Salomon : *propter frigus piger arare noluit; mendicabit ergo æstate et non dabitur ei* (*Prov.* xx). *Scio quid faciam.* Pensate, fratres, pensate quam sit utilis timor. Nunquam enim villicus iste de salute sua cogitasset, nisi eum timor interius concussisset. Sed timore eum interius perurgente, deliberat, quærit, et invenit consilium, juxta illud prophetæ : *A timore tuo, Domine, concepimus, parturivimus et peperimus spiritum salutis* (Isai. xxvi). Concepimus bene cogitando, parturivimus laborando, peperimus bene faciendo.

Sequitur quinto quomodo de rebus Domini sui possit sibi villicus amicos præparare. Unde et ait : *Scio quid faciam, ut, cum amotus fuero a villicatione, recipiant me in domos suas. Convocatis igitur singulis debitoribus domini sui dicebat primo : Quantum debes domino meo? Centum, inquit, choros tritici. Vade, accipe cautionem tuam, et sedens scribe octoginta,* etc. Cum omnia quæ habemus, fratres mei, non nostra, sed Domini nostri sint, cum accommodamus, res Domini nostri accommodamus: et qui nobis debent, Domino debent. Villicus ergo de bonis domini sui amicos sibi præparat, cum pauperibus Christi compatitur, et alii debita vel ex parte, vel ex toto relaxat, alii supererogat, alium orando, alium corrigendo, alium instruendo juvat, alium verbo, alium consilio, alium patrocinio, alium rebus sustentat, communicans aliis carnalia, ut eorum spiritualia metere possit. Quod vero Dominus concludens parabolam ait : *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis*, non ita est intelligendum quod de divitiis injuste acquisitis eleemosynam facere possit, præsertim cum scriptum sit : *Qui offert sacrificium de rapina pauperum, quasi qui immolat filium in conspectu patris sui* (*Eccl.* xxxiv). Sed intelligendum est de divitiis iniquitatis, id est retentis inique, quia multos iniquos, superbos et vanos efficiunt. Illud vero, fratres, semper memoriæ commendandum est quod Dominus subjunxit, *Cum defeceritis*, per mortem temporalem, scilicet, cum defeceritis de meritis vestris, *recipiant vos in æterna tabernacula.* Non ait, propter eos recipiamini, sed ipsi recipiant vos. Ecce, fratres, quanta est dignitas pauperum Christi, qui judices et janitores regni cœlorum esse merentur, ut quos voluerint recipiant, vel excludant. Itaque, fratres mei, pauperes Christi veneremur, foveamus, et diligamus, et, omnibus contemptis, et ipsi pauperes Christi esse studeamus, ut ab ipsis, et cum ipsis mereamur in æterna tabernacula recipi. Per Dominum nostrum Jesum Christum. Amen

HOMILIA XXII.

DOMINICA DECIMA POST TRINITATEM.

Fratres, scitis quod cum gentes essetis, ad simulacra muta procul ducebamini euntes (*I Cor.* xii), etc. Hæc loquitur, fratres charissimi, Apostolus ad Corinthios qui, nunc ab eo conversi, gentiles exstiterant, et simulacra muta adoraverant. Facit ergo tria : primum ostendit idololatriam et blasphemiam a spiritibus malignis induci; secundo dicit veram fidei confessionem, a Spiritu sancto esse : tertio enumerat diversa dona Dei, quæ omnia asserit ab eodem Spiritu sancto dari. Ostendens igitur primum homines duci a malignis spiritibus, malignis ad idololatriam et blasphemiam, ait, *Fratres, scitis cum gentes essetis, eratis euntes ad simulacra muta prout ducebamini*, a spiritibus malignis. Dicuntur autem, fratres mei, gentes a γῆ quod est *terra*, sive a gignendo, quia scilicet non purgati per aliquod sacramentum, nec eruditi per legem tales manent quales geniti sunt. Immundi geniti sunt, et immundi manent. Filii iræ nati sunt, et filii iræ manent. Nihil cœleste, nihil spirituale, sed solam terram de qua nati sunt sapientes. Qui sine contradictione permittunt se duci a spiritibus malignis ad diversos errores, ut scilicet relicto uno vero Creatore adorent non solum unius generis, sed etiam diversorum generum simulacra, ut imagines hominum, quadrupedum, et serpentium, quæ omnia sunt muta, quoniam juxta Psalmistam : *Simulacra gentium argentum, et aurum, opera manuum hominum. Os habent et non loquentur, oculos habent et non videbunt. Manus habent et non palpabunt, pedes habent et non ambulabunt, non clamabunt in gutture suo. Similes illis fiant qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis* (*Psal.* cxiii). Quod quidem verum est, quoniam qui idola facit, aut qui eis deitatem attribuit, ille utique similis fit ipsis simulacris; quoniam os habet tanquam homo, nec tamen ratiocinatur; oculos habet tanquam homo, nec tamen ut homo veritatem contemplatur; aures habet ut homo, nec tamen ut homo veritatem intelligit. Quorum (quod sine gemitu dicere non possum) sunt hodie similes quidam falsi Christiani, qui quamvis ore fateantur unum solum Creatorem, tamen a spiritibus malignis ita decipiuntur et trahuntur, quod moribus et operibus non solum

simulacra, sed etiam (quod est majus) suavia colunt et venerantur. Iste enim a spiritu luxuriæ ducitur, ut Venerem colat. Ille a spiritu ebrietatis ducitur, ut Bacchum colat. Ille a spiritu mammonæ ducitur, ut pecuniam colat. Qui omnes tanto magis damnandi sunt, quanto contra conscientiam suam, creaturam Creatori præponunt. Qui et si non ore, tamen opere Christum abnegant. Quod utique non fit in spiritu Dei, sed potius in spiritu maligno. Unde et subditur : *Notum autem vobis facio, quod nemo in spiritu Dei loquens dicit anathema Jesu.* Idololatria enim, apostasia, et blasphemia cæteraque vitia a spiritibus malignis introducta sunt. Dico ergo ego cum Apostolo illis qui blasphemant, qui pejerant, vel dejerant nomen Jesu, quod nemo in spiritu Dei loquens, blasphemat, vel pejerat, vel perjurat nomen Jesu, sed potius in maligno spiritu loquens.

Sequitur pars secunda, in qua dicit Apostolus veram confessionem a Spiritu sancto esse, cum subdit : *Et nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto.* Hoc loquens Apostolus non est contrarius Domino dicenti in Evangelio : *Non omnis qui dicit, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum* (*Matth.* VII). Quoniam dicere posuit hic pro confiteri. Ille autem vere confitetur, qui quod habet in corde, ore et opere confitetur. Quæ confessio nullatenus haberi potest, nisi a Spiritu sancto. Nec enim bene cogitare, nec bene loqui, nec bene operari ex nobis possumus, nisi a Spiritu sancto præveniamur, qui operatur in nobis et velle et perficere (*Philipp.* II). In quo illi damnantur, qui vel de ingenio, vel de eloquentia, vel de viribus suis gloriantur dicentes : *Labia nostra a nobis sunt. Quis noster Dominus est ?* (*Psal.* XI.) Et : *Manus nostra excelsa, et non Dominus, fecit hæc omnia* (*Deut.* XXXII). Cum Dominus in Evangelio dicat : *Sine me nihil potestis facere* (*Joan.* XV).

Sequitur pars tertia, in qua Apostolus enumerat donorum diversitatem, ostendens ea a Spiritu sancto dari. Primum ergo donorum Dei tria genera ponit, scilicet, gratias, ministrationes et operationes, ostendens unumquodque istorum in species plures subdividi, cum subdit, *Divisiones gratiarum sunt.* Cum autem omne donum Dei gratia sit, quia gratis datur, tamen antonomastice hic gratiæ virtutes appellantur, eo quod habentem gratum faciunt et gratiosum. Quales sunt fides, spes, charitas, sapientia, justitia, fortitudo, temperantia, cæteræque virtutes, quæ homines amantes et amabiles Deo et hominibus reddunt. Hæ autem tantæ in se sanctitatis et honestatis sunt, quod non solum dona Spiritus sancti, sed etiam Spiritus sanctus nuncupantur ab Isaia dicente : *Et descendet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii*, etc. (*Isa.* XI.) Et a Joanne : *Hi*, inquit, *sunt septem spiritus Dei missi in omnem terram* (*Apoc.* V), id est septem dona Spiritus sancti. Diversa enim sunt dona, sed unus est dator. Unde et hic cum dixisset, *divisiones gratiarum sunt*, subdit : *Unus autem spiritus.* Hæc enim dona ita comitantur Spiritum sanctum inseparabiliter, quod nemo potest habere hæc dona, quin habeat Spiritum sanctum, nec habere Spiritum sanctum, quin habeat hæc dona. Hæc ergo dona, fratres mei, omni studio et vigilantia acquirere satagamus, per quæ Spiritum sanctum mereamur in nobis perpetuum habitatorem retinere. Deinde secundum genus donorum ponit cum subdit : *Et divisiones ministrationum sunt : unus autem Dominus.* Plures enim species administrationum sunt in Ecclesia uni Domino servientes, ut officium prædicandi, officium sacerdotii, et hujusmodi. Quæ si cum supradictis virtutibus habeantur, magni meriti et utilitatis sunt in Ecclesia Dei. Alias non solum non prosunt, imo et nocent. Quod est contra quosdam nostri ordinis, qui magis affectant prædicationis vel sacerdotii officium, quam meritum. Magis appetunt ab hominibus honorari quam honorabiles esse. De quibus Dominus in Evangelio : *Dicunt et non faciunt. Amant enim primos accubitus in cœnis, et primas cathedras in synagogis, et salutationes in foro, et vocari ab hominibus Rabbi* (*Matth.* XXIII). Deinde tertium genus donorum supponit, dicens : *Et divisiones operationum sunt, unus autem Deus qui operatur omnia in omnibus.* Plures quippe operationum species dantur a Deo hominibus, ut operationes miraculorum, operationes laborum necessariorum, operationes eleemosynarum, et hujusmodi. Sed cum quæcunque dantur a Spiritu Sancto dantur a Patre, dantur et a Filio. Quare Apostolus ita hic distinxit, ut loquens de gratiis, diceret *unus Spiritus :* loquens de ministrationibus, diceret *unus Dominus*, et loquens de operationibus, diceret *unus Deus?* Ut significaret nobis quia gratiæ non nisi per amorem Dei (qui Spiritus sanctus est) obtinentur, et quia ministrationes a Domino sunt et ei exhibentur, et quia Deus auctor per nos operationes operatur. Unde et hic dicens, *unus Deus*, adjunxit : *Qui operatur omnia in omnibus*, distribuens videlicet singula in singulis. Ad quid autem Deus dona sua nobis tribuat, ostendit, cum subdit : *Unicuique autem datur manifestatio Spiritus ad utilitatem.* Vocat autem donum Spiritus sancti, manifestationem Spiritus, eo quod per donum Spiritus sancti, ipse Spiritus sanctus in nobis esse manifestatur. Hujusmodi vero dona dantur ad utilitatem nobis, tam nostri quam aliorum. Qui vero dona Dei inutiliter recipiunt, et inde nec sibi, nec aliis prosunt, damnantur, et talento inutiliter absconso juste privantur. Deinde de tribus donorum generibus exempla subdit, dicens, *alii enim per Spiritum datur sermo sapientiæ*, quæ est de cœlestibus ; *alii sermo scientiæ* quæ est de terrenis recte dispensandis : alii fides in eodem Spiritu. Sapientia quippe, scientia, et fides, si cum charitate habeantur, virtutum gratiæ sunt ; sermones vero sapientiæ, scientiæ, et fidei et docere ministrationes sunt ; alii gratia sanitatum infirmis conferendarum : quæ utique ministratio est. Deinde ponit exemplum de operibus subdens : *alii operatio virtutum*, id est mi-

raculorum, vel bona opera virtutum, *alii prophetiâ*, id est occultorum revelatio; *alii discretio spirituum* ut scilicet sciat discernere quis spiritus sit ex Deo, et quis ex diabolo; *alii genera linguarum*, ut scilicet loquatur variis linguis ; *alii interpretatio sermonum* obscurorum. *Hæc autem*, et similia, *omnia operatur unus atque idem Spiritus*. Ac si aperte dicat : Non est verum quod opinabamini, quando ad adorandum simulacra muta ducebamini, videlicet quod, secundum divinitatem donorum, sit diversitas deorum, ut scilicet Minerva det sapientiam, Pan medicinam, Mercurius eloquentiam, Mars virtutem, et hujusmodi. Sed potius unus atque idem Spiritus sanctus hæc omnia operatur dividens singulis, non omnia tribuens uni, ne superbiret, nec alicui nulla, ne desperaret, sed potius singula singulis, ut scilicet nullus alium contemneret, sed unusquisque alio indigens ei quoque subvenire disceret. *Dividens*, inquit, *singula prout vult*, et quibus vult, et quantum vult, non meritis nostris astrictus, nec aliqua necessitate coactus, sed sola sua libera et gratuita voluntate ductus. Nos ergo, fratres mei, quia dona Spiritus sancti gratis accepimus, gratis ea non habentibus communicemus. Qui habet sapientiam, insipientes erudiat. Qui habet substantiam temporalem, indigentes sustineat. Qui habet potentiam, imbecilles defendat. Qui habet eloquentiam, pupillis et viduis se advocatum exhibeat. Qui habet gratiam orandi, pro peccatoribus exoret, quatenus unusquisque de commissa sibi gratia, tam sibi quam aliis profectum acquirens, æternam mereatur accipere retributionem. Amen.

HOMILIA XXIII.

DOMINICA DECIMA POST TRINITATEM.

Cum appropinquaret Jesus Jerusalem, videns civitatem flevit super illam, dicens : Quia si cognovisses et tu (*Luc.* XIX). Prælibatam, fratres charissimi, exposituri lectionem, primum ea quæ ad litteram, deinde ea quæ ad mysticum sensum pertinent, videamus. Porro, juxta litteram, Dominus in hac lectione demonstrat quatuor res se habere, veram scilicet humanitatem, veram divinitatem, veram justitiam et veram charitatem. Veram humanitatem se habere ostendit, cum tanquam verus homo plorat. Flere enim humanitatis est. Sed quid est, fratres mei, quod nunquam Dominus legitur risisse, sed legitur plorasse, nisi quia omnis risus ex vanitate est, et fletus nobis utilis est? de risu quippe Salomon ait : *In ore stulti semper risus.* Et alibi : *Risus dolore miscebitur, et extrema gaudii luctus occupat* (*Prov.* XIV). Et Dominus in Evangelio : *Væ vobis qui ridelis, quia plorabitis* (*Luc.* VI). Fletus qui provenit non ex damno temporalium, sed ex desiderio cœlestis patriæ, vel ex compunctione peccatorum, vel ex pietate alienæ miseriæ, nobis, fratres, perutilis est. Unde Salomon : *Melius est*, inquit, *ire ad domum luctus quam ad domum convivii* (*Eccle.* VII). Et Dominus : *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur* (*Matth.* V). *Cum ergo appropinquàret Jesus*, per A compassionem, [*Jerusalem videns civitatem*], id est prævidens mala eventura civitati, *flevit super illam.* Flevit autem ob tres causas : ut se veram habere carnem demonstraret, ut se veram habere pietatis compassionem aperiret, ut nobis exemplum similiter flendi proponeret. Et si ipse, qui nihil in se flendum habet, propter aliena peccata flevit, quid debemus facere, nos peccatores, qui in nobis multa flenda habemus? Et si ipse qui Deus est, sic humanæ miseriæ compatitur, quomodo nos homines aliis hominibus, fratres confratribus, compati et misereri debemus? Itaque, fratres, ploremus peccata nostra, ploremus etiam exemplo Domini aliena. Non faciamus, ut quidam faciunt, qui peccantes irridenl, et de alieno casu subsannant, similes Pharisæis qui in peccatores moventur, non per B compassionem, sed per derisum vel indignationem; sed nunquam peccatorum veniam merentur, qui alienis nunquam compatiuntur. Imitemur potius Præabum philosophum, qui ut legitur in Vitis Patrum, cum videret theatralem mulierem, flevit. Et cum quæreretur quare fleret, ait : « Duæ res me flere cogunt : una hujus peccatricis perditio, altera quia non tantum cupio placere Deo quantum hæc populo. » Veram divinitatem se habere demonstrat, dum futura tanquam præsentia videt et narrat. *Quia*, inquit, *si cognovisses, et tu*, id est si mala tibi imminentia cognovisses, tu quoque flevisses. *Et quidem in hac die tua quæ ad pacem tibi*, ac si dicat : Nunc quidem habes tempus tuum, et pacem tuam, nunc C gaudes et delectaris tempore prosperitatis et pacis tuæ, *nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis*, mala scilicet tibi ventura. Quæ subjungit : *Quia circumdabunt te inimici tui vallo, et circumdabunt te undique, et ad terram prosternent te, et filios tuos qui in te sunt, et non relinquent in te lapidem super lapidem;* hæc omnia fratres mei, quæ Dominus prædixit, impleta sunt per Romanos principes, Titum et Vespasianum, quadragesimo anno a passione Domini, et in eadem solemnitate, in qua Dominum crucifixerant, subversa est civitas, et de ipsis occisi, tum ferro, tum fame, decies centum millia. Cæteri per nationes captivati et venditi, triginta uno denario, qui Christum triginta argenteis vendiderant. Hanc autem subversionem testatur ipse situs civitatis D continentis in se nunc Calvariæ locum, qui prius extra portam erat. Quare autem hæc mala evenerunt eis, ostendit Dominus, cum subdit : *Eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ.* Ideo enim hæc mala eis erant eventura, quia Christum visitatorem suum et redemptorem cognoscere noluerunt. Unde propheta : *Milvus in cœlo cognovit tempus suum, turtur, hirundo, et ciconia tempus adventus sui, populus autem meus non cognovit judicium Dei* (*Jer.* VIII). Hanc autem excæcationem venisse super populum illum ex peccato suorum sacerdotum, Dominus ostendit, cum subdit : *Et ingressus templum, cœpit ejicere vendentes et ememtes in illo.* In quo, fratres mei, veram se habere demonstrat justitiam Dominus. Veram enim justitiam non haberet, si

peccantes nunquam puniret. Itaque Dominus nunc miseretur, nunc punit, ut nos instruat habere pariter pietatem cum justitia, et justiam cum pietate, ut scilicet ita simus pii in naturam hominum, ut tamen non parcamus peccatis eorum. Ejecit ergo Dominus vendentes et ementes de templo dicens; *Scriptum est quia domus mea, domus orationis vocabitur.* Quasi diceret: Domus mea statuta est ad orandum, non ad vendendum, vel emendum, vel aliud sæculare negotium agendum. Hoc aperte contra illos est qui ecclesiam Dei cellarium faciunt, in ea granaria et dolia ponentes; vel eam faciunt forum, in ea tabernas rerum venalium, vel causas exercentes; vel eam faciunt refectorium, in ea comedentes et bibentes, cum ecclesia sit locus spiritualis refectionis, non corporalis. Hoc itaque, fratres mei, devitantes, nihil faciamus vel dicamus in oratorio, nisi quod ad orationem pertinet, unde et nomen accepit. *Vos autem*, inquit, *fecistis illam speluncam latronum.* Sacerdotes qui, ob cupiditatem, forum in templo fieri permittebant, latrones erant, dum sub prætextu religionis latenter cupiditatem exercebant. Venditores etiam et emptores latrones erant, dum alter alterum in negotiatione latenter circumveniebat; negotiatio quippe vel vix vel nunquam exercetur sine fraude. Unde Apostolus prohibet ne quis supergrediatur vel circumveniat in negotio fratrem suum, quoniam Deus vindex est talium (*I Thess.* IV). Veram se demonstrat Dominus habere charitatem, dum nec indignis gratiam subtrahit prædicationis. Unde et subditur: *Et erat quotidie docens in templo.* Quos enim objurgaverat, et extra ecclesiam pepulerat per justitiæ rigorem, hos revocare ad salutem quærit per prædicationem, dans exemplum doctoribus sanctæ Ecclesiæ, ut quamvis excommunicent et objurgant peccatores, tamen interius semper eos diligant, et omnibus modis eos ad ecclesiam revocare festinent. Quod autem semel Dominus historialiter fecit, spiritualiter quotidie facere non desistit. Per electos quippe suos qui spiritualibus oculis prævident futuram malorum reprobationem, plangit eos qui nesciunt cur plangantur, qui lætantur cum malefecerint, et exsultant in rebus pessimis (*Prov.* II). Qui si damnationem suam præviderent, ipsi quoque flerent, et seipsos cum electis plangerent, qui hic habent diem suam, quia hic in bonis ducunt dies suos. Hic etiam habent pacem suam, quia prosperantur in via sua mala, sed ventura supplicia absconduntur ab oculis eorum. Quia dum nolunt mala prævidere, quæ lætitiam perturbent temporalem, quasi clausis oculis ad mortem festinant, quia venient dies, quando animas de corporibus exeuntes, dæmones inimici circumdabunt vallo, perpetrata scilicet mala opponentes, et undique circumdabunt, et coangustabunt, qnia non solum operis, sed etiam locutionis et cogitationis iniquitates ante oculos eorum replicabunt, et ad terram prosternent, cum caro in pulverem redigetur. Filii etiam eorum prosternantur, cum in illa die peribunt omnes cogitationes eorum (*Psal.* CXLV). Quæ cogitationes etiam per lapides significantur, cum subditur: *Et non relinquent in te lapidem super lapidem.* Perversa enim anima cum perversæ cogitationi perversiorem adjicit, quasi lapidem super lapidem ponit. Et cum perversa anima ad damnationem rapitur, talis cogitationum constructio dissipatur, et hoc ideo, quia non cognovit tempus visitationis suæ. Perversam enim animam Deus visitat, aliquando flagello, aliquando miraculo, semper autem præcepto. Sed quia nec per hoc resipiscit, in extremo tradetur inimicis, cum quibus æternaliter cruciabitur. Si autem quælibet anima sæcularis sic punietur quanto magis ecclesiastica persona, quæ non solum se, sed etiam alias male vivendo perimit? Et hoc est quod sequitur, quod *ingressus Jesus in templo cæpit ejicere vendentes et ementes in illo.* In templo vendit vel emit, qui ecclesiasticas administrationes quæ solo Deo debent dari, pro pretio præbet vel accipit. In templo vendit, qui justitiam pro munere facit. Emit in templo qui ne faciat quod debet, dato pretio a judicibus emit. In templo vendit qui, bona quæ pro solo Deo facere debet, pro humana laude vendit. In templo emit qui ab adulatoribus, ut bonus dicatur, muneribus emit. Quibus omnibus dicitur: *Fecistis domum meam speluncam latronum.* Quoniam dum perversi locum tenent religionis, ibi per malitiam occidunt, ubi per orationem vivificare debuerunt. Sed quia contra omnem perversitatem Dominus per Scripturas indesinenter instruit, recte subditur: *Et erat docens quotidie in templo.* Itaque, fratres mei, nos qui quotidie peccamus, peccatorum ventura supplicia, ante oculos nostros semper habeamus. Scriptum est enim: *In die bonorum non immemor sis malorum* (*Eccli.* II). Et alibi: *Beatus vir qui semper est pavidus* (*Prov.* XXVIII). Cogitemus ergo dæmones in exitu animæ nostræ nos circumdaturos, et a nobis omnia peccata nostra requisituros. Si enim ad Christum venit diabolus, ipso dicente: *Quia venit princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam* (*Joan.* XII); si ergo ad eum venit, in quo nihil habuit, quanto magis ad nos veniet, in quibus multa habet. Itaque, fratres, dulcedo hujus vitæ nobis amarescat; peccata quæ diabolus in nobis cognoscit, fletus pœnitentiæ diluat; jejunia, eleemosynæ, orationes, et cætera bona perpetrata mala redimant, ut quanto nunc magis sumus de anima nostra formidolosi, tanto in exitu animæ nostræ valeamus magis esse securi, largiente Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXIV.

DOMINICA UNDECIMA POST TRINITATEM.

Notum vobis facio Evangelium quod prædicavi vobis, quod et accepistis, in quo et statis, per quod et salvemini (*I Cor.* XV). Tripertita est hæc lectio, fratres mei. Primo enim prædicationem suam Apostolus commendat. Secundo Christi passionem, sepul-

turam, et resurrectionem affirmat. Tertio se humiliat. Primum igitur prædicationem suam commendans, ait : *Notum vobis facio Evangelium quod prædicavi vobis.* Ac si aperte dicat : Non sicut error et inconstantia pseudoprædicatorum solet, nunc quædam, modo alia vobis prædico, sed illud idem quod vobis prædicavi, nunc etiam vobis notum facio, id est illud quod vobis prædicavi, præsens voce, moribus et virtutibus, cum sim absens, notum vobis facio scripto. Adeo quippe erat sollicitus Apostolus in eruditione gentium, quod non solum præsentes voce, moribus et virtutibus confirmabat, sed etiam absentes et nascituros scripto instruebat. In quo mea meique consimilium prædicatorum confunditur negligentia, qui nec absentes scriptis, nec etiam præsentes verbis informamus, talentum prædicationis nobis commissum occultantes. Qui etsi quandoque aliquid boni verbis prædicamus, illud moribus et operibus destruimus. Commendat igitur Apostolus prædicationem suam Corinthiis, quibus scribit, persuadens eis multis modis ut in ea perseverent. Primo nomine eam commendat, cum eam vocat Evangelium, quod interpretatur *bonum nuntium*, de fide scilicet et moribus in vitam æternam. Et quod nuntium, fratres mei, potest esse melius, quam illud quod per fidei veritatem, et morum honestatem ducit nos in vitam æternam ? Deinde auctoritate sui apostolatus, *qui a Deo ad prædicandum missus erat*, commendat prædicationem suam, cum dicit, *quod prædicavi vobis.* Susceptione etiam ipsorum Corinthiorum (qui relictis erroribus veritatem susceperant) commendat eam cum subdit : *Quod et accepistis.* Quasi diceret : Turpe esset vobis cognita veritate apostatare. Virtute eam commendat, cum subdit, *in quo et statis*, viriliter in virtutibus, qui antea per vitia diffluebatis. Utilitate eam commendat cum subdit, *per quod et salvamini*, qui antea æternæ damnationi deputati eratis. Et quid, fratres mei, quid magis audire, quid magis retinere, quid magis diligere debemus quam nuntium illud quod a Deo per apostolos est nobis missum, et quod susceptum non debet mutari, et quod facit nos in virtute stare, et ad æternam nos ducit salvationem? Itaque, fratres, semper auribus Evangelium capiemus, corde teneamus, operibus exerceamus, verbis prædicemus. Certa quippe est damnatio eorum qui, relicto Evangelio, fabulas et vanitates legunt et diligunt. *Qua ratione*, inquit, *prædicaverim vobis, si retinetis, nisi frustra credidistis.* Alia, fratres mei, est ratio naturæ, alia ratio fidei. Ratio quippe naturæ est, quod si mulier concepit, cum viro concubuit. Si Deus est, mori non potest : si homo est, gradiri super aquas non potest, et hujusmodi. Ratio vero fidei est quod ille qui est auctor naturæ non subjacet naturæ, sed potius contra rationes et cursus naturæ agere potest, videlicet ut virgo pariat, æternus fiat temporalis, immortalis moriatur, et super aquas ab homine ambuletur, et hujusmodi. De hac igitur ratione intelligit hic Apostolus, cum ait : *Qua ratione prædicaverim vobis, si retinetis, nisi frustra credidistis.* Frustra credidit qui primo credidit, et postea vel dubitat, vel non credit. Frustra credidit qui male vivendo fidei contradicit. Frustra credidit qui vel negat vel tacet quando necessarium est confiteri.

Sequitur pars secunda, in qua Apostolus Christi passionem, sepulturam et resurrectionem confirmat, primo testimonio Scripturarum, deinde testimonio apostolorum et suo. Testimonio autem Scripturarum eas confirmat, cum dicit : *Ego enim in primis tradidi vobis quod et accepi*, non ab homine. Unde ipse alibi : *Ego*, inquit, *non ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem Jesu Christi* (*Gal.* I) : *Quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum Scripturas ; et quia sepultus est, et quia resurrexit secundum Scripturas.* Porro passio, sepultura, et resurrectio Christi, significatæ sunt in Scripturis, non solum verbis, sed etiam factis. Et verbis quidem significatæ sunt, quoniam de passione ejus prædixit Isaias dicens : *Sicut ovis ad occisionem ductus est* (*Isai.* LIII). Item illud : *Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra* (*ibid.*). De sepultura prædixit idem in persona Patris : *Propter scelus*, inquit, *populi mei, percussi eum et dabit impios pro sepultura, et divitem pro morte sua* (*Ibid.*). De resurrectione quoque ejus prædixit Oseas : *Vivificabit nos*, inquit, *post duos dies, et die tertia suscitabit nos* (*Ose.* II). Et Psalmista in persona ipsius Christi : *Exsurge*, inquit, *gloria mea, exsurge, psalterium et cithara, exsurgam diluculo* (*Psal.* LVI). Factis quoque præfiguratæ sunt ; projectio enim Jonæ in mare Christi passionem, susceptio ejusdem in ventre ceti Christi sepulturam, redditio ejus vivi in littus Christi resurrectionem, aperte præfiguravit. Porro, fratres mei, Christi passio pro peccatis nostris, sepultura et resurrectio, non tantum a peccatis nostris non redemerunt, sed etiam ejus amorem nobis ingesserunt et exemplum nobis præbuerunt, et a peccatis quidem nostris nos redemerunt, quoniam nec originalia, nec actualia nobis imputantur ad pœnam, si crucifixi fidem et sacramenta tenemus. Nobis quoque amorem Christi ingerunt, quia in hoc quod Christus mori, sepeliri, et resurgere voluit pro nobis, quantum nos diligeret nobis demonstravit, et nos ad se reamandum arctius invitavit. Si enim tantus et talis Dominus tot et tanta fecit pro nobis servis, quid nos facere pro eo debemus? Exemplum etiam nobis præbuerunt, quoniam Christus passus est pro nobis sexta feria, Sabbato quievit in sepulcro, octavo die resurrexit, ut nos quoque per sex dies hujus sæculi pro eo laborare et pati debere demonstraret, et ita ab hoc sæculo transeuntes, in Sabbato, id est in septima ætate, secundum corpus in sepulcris, et secundum animam in paradiso requiem habituros : et in octava, id est in generali resurrectione, in æterna glorificatione resurrecturos. Deinde testimonio apostolorum Christi confirmat

resurrectionem, cum subdit : *Et quia visus est Cephæ*, id est Petro, ipsa die resurrectionis. Unde Lucas : *Surrexit Dominus vere, et apparuit Simoni* (*Luc.* XXIV); *Et post hoc undecim, januis clausis*, ut Joannes et Lucas ostendunt (*Joan.* XX; *Luc.* XXIV). *Deinde plusquam quingentis fratribus simul, ex quibus quidam manent usque adhuc, quidam autem dormierunt. Deinde visus est Jacobo, deinde apostolis omnibus.* Has duas apparitiones in textu quatuor Evangeliorum non invenimus. Unde advertimus Dominum pluries apparuisse quam a quatuor Evangelistis describatur. Tradit autem beatus Hieronymus quod Evangelium Nazarenorum describit Jacobum fratrem Domini se devovisse non comesturum, usque dum videret Deminum resurrexisse. Unde et ei ipsa die resurrectionis Dominus apparens ait : « Pone mensam et comede, quoniam filius hominis a mortuis resurrexit. » *Deinde*, inquit, *visus est apostolis omnibus*, in Galilæa scilicet et in monte Oliveti in die Ascensionis.

Eamdem vero resurrectionem suo confirmans Apostolus testimonio, subdit : *Novissime autem visus est et mihi*, scilicet in via quando ibam Damascum. Est autem pars tertia, in qua Apostolus se humiliat in quatuor, videlicet in coacta conversione, in extenuitate, in indignitate, in nulla de se præsumptione. Per coactam conversionem se humiliat, cum dicit : *Novissime tanquam abortivo et mihi.* Dicitur autem abortivum quando ante tempus nativitatis imperfectum de utero extrahitur, de cujus vita desperatur. Talis erat Apostolus, qui, tempore creationis cæterorum apostolorum, creatus apostolus non est ad prædicationem Christi, sed quasi violenti manu de utero Synagogæ extractus et conversus est. De cujus salute desperatum erat, nisi gratia Dei subvenisset. Et quidem, fratres mei, spontanea conversio dignior est quam coacta. Et tamen ex coacta conversione, multi viri perfecti claruerunt. Per extenuitatem se humiliat, cum subdit : *Ego enim sum minimus apostolorum*, hoc est vocatione sum extremus, qui scilicet cum cæteris apostolis non interfui familiari consortio et colloquio Christi, sed postea eis fui adjectus. Per indignitatem se humiliat, cum subdit : *Qui non sum dignus vocari apostolus.* Et quare? *Quia persecutus sum Ecclesiam Dei.* Ecce, fratres mei, Paulus, vas electionis et doctor gentium, qui plus omnibus laboravit, non considerat ad magna merita sua, quæ in lucro infinitarum animarum, et in scriptione Evangelicæ doctrinæ, et in multis laboribus et passionibus acquisierat, sed ad peccatum quod fecerat, et ad aliorum apostolorum merita semper oculos tenebat, ut ita semper sibi humilis esset, et alios sibi præponeret. Quem nos pro viribus nostris imitantes, fratres charissimi, nunquam ad bonum, si quod habemus, in nobis aspiciamus, sed semper peccata nostra et aliorum bona ante oculos nostros ponamus, ut ita semper nos humiliemus, et alios nobis præponamus. In nulla de se præsumptione se humiliat, cum subdit : *Gratia Dei sum id quod sum.* Ac si dicat : Ex me fui malus, ex me autem vel ex meritis meis, nec bonus sum, nec esse possum, sed ex sola Dei gratia, ex qua etiam habeo quod sum, scilicet quod *gratia ejus in me vacua non fuit.* In eo est vacua Dei gratia qui vel Deo ingratus existit, vel talentum abscondit, vel non perseverat, et talis non fuit Apostolus. Ingratus enim non fuit, qui dixit : *Gratia Dei sum id quod sum.* Talentum enim non abscondit, qui vivus et mortuus semper prædicavit. Perseveravit, qui nec morte, nec vita, a charitate Dei separari potuit. Nos ergo, fratres, exemplo Apostoli instructi, nihil nobis ascribamus, nunquam de meritis nostris confidamus; quidquid boni habemus, Dei gratiæ attribuamus, Deo auctori semper gratias agamus, talentum nobis commissum ad utilitatem aliorum erogemus, et semper in bono perseverare contendamus, ut ad æternam beatitudinem pervenire valeamus. Per Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXV.

DOMINICA UNDECIMA POST TRINITATEM.

Dixit Dominus ad quosdam qui in se confidebant tanquam justi, et aspernabantur cæteros, parabolam istam dicens : Duo homines, etc. (*Luc.* XVIII.) In hac sancti Evangelii lectione, fratres charissimi, demonstratur quid superbia habeat in se mali, et quid humilitas habeat in se boni, et hoc modo : Primo describitur quorumdam superbia, secundo ponitur contra eos parabola, tertio demonstratur quid superbia meretur, et quid humilitas. Describens igitur primo evangelista quorumdam superbiam, ait : *Dixit Dominus ad quosdam qui in se confidebant*, etc. Sunt autem, fratres mei, quatuor species superbiæ : Prima est cum quis bonum quod habet, non a Deo, sed a se æstimat se habere, et ita divinam sibi arrogando auctoritatem, se idolum et idololatriam simul constituit. Talis fuit apostata angelus, qui divinitatem sibi voluit arrogare. Tales fuerunt gentiles philosophi, et multi etiam falsi Christiani, qui de libero arbitrio præsumentes, putant se ingenio, viribus et labore suo, ea quæ habent consecutos fuisse dicentes : *Manus nostra excelsa, et non Deus fecit hæc omnia* (*Deut.* XXXII). Talis erat Horatius, qui dixit : « Æquum animum ipse parabo. » Tales erant et illi de quibus ait David : *Labia nostra a nobis sunt, quis noster Dominus est?* (*Psal.* XI.) Et hæc proprie dicitur arrogantia. Porro huic species superbiæ contraria est humilitas illa, quæ se nullum bonum a se habere credit. Secunda est cum quis bonum quod habet credit se habere a Deo, sed ex meritis suis. Tales (unde dolendum est) sunt hodie plerique, quibus si conferantur a Deo divitiæ, vel honores, vel dignitates; putant se pro meritis suis hæc a Deo accepisse, et hæc proprie præsumptio dicitur. Huic contraria est humilitas illa quæ dicit : Gratia Dei sum id quod sum. Tertia est, cum quis jactat se habere bonum quod non habet, quæ proprie est hypocritarum, et hæc proprie jactantia dicitur, cui illa species hu-

militatis contraria est, quæ nunquam vult dici melior quam sit. Quarta est cum quis despectis cæteris, singulariter appetit videri quod habet, et hæc proprie superbia dicitur. Superbus erat Pompeius qui habere nolebat æqualem : Cæsar vero arrogans erat, qui nolebat pati superiorem. Huic contraria est illa humilitas, quæ etiam bonum quod habet, dissimulat et tegit, ut vilior cæteris habeatur: sicut legimus de quadam sanctimoniali, quæ cum religiosissima esset, se quasi stultam simulabat. Has quatuor species tumoris innuit evangelista illos habuisse, contra quos Dominus hic loquebatur. Nam confitebant in se, non in Deo, non ex Deo, sed ex industria propria se bonum habere putantes, nec erant justi, sed tanquam justi cæteros aspernabantur.

Sequitur pars secunda, in qua ad confundendam eorum multiplicem superbiam, inducitur parabola Domini de superbo justo, et humili peccatore, cum dicitur : *Duo homines ascenderunt in templum ut orarent : unus Pharisæus, et alter Publicanus.* Ascenderunt, inquit, in templum, quod ad litteram in eminentiori loco situm erat. Et moraliter, quicunque recte vult orare debet ima vitiorum deserere, et desiderio ad alta conscendere. *Ascenderunt*, inquit, *ut orarent.* Ecce quomodo recta fuerit eorum intentio. Si ergo opus utriusque fuerit bonum in genere, et rectum intentione, quare non acceptum fuerit utrumque? quia opus unius fermento superbiæ fuit vitiatum, et opus alterius condimento humilitatis fuit commendatum. Tanta est enim, fratres, labes superbiæ, quod quantumcunque fuerit opus bonum, per eam corrumpitur. Hoc est enim illud modicum fermentum, quod totam massam corrumpit (*I Cor.* v). Et econtrario tantum est bonum humilitatis, quod quantumcunque fuerit opus malum, per eam emendatur. *Pharisæus*, inquit, *stans hæc apud se orabat.* Pharisæus iste justus erat nomine, quia justus opere, justus etiam intentione, nisi eam vitio superbiæ corrupisset. Justus erat nomine, quia Pharisæi dicebantur quidam religiosi, qui ob religionis observantiam, a sæculari vita se separabant. Unde et Pharisæi, id est *divisi*, vocabantur. Justus erat opere, quia vitia vitabat, rapinam, injustitiam, adulterium, et bona faciebat, jejunans et decimas donans. Justus etiam erat intentione, quia bona quæ faciebat, propter Deum faciebat, et ei cuncta non sibi attribuebat : unde et ei gratias agebat. Verum cum cætera vitia cavisset, solam superbiam, quæ ultima solet justos expugnare, non bene cavit. Sed quid valet, si ex cæteris partibus hostes excludas, cum per unam eos recipias? Hinc Salomon ait : *Omni custodia serva cor tuum* (*Prov.* IV). Ezechiel quoque scribit sancta animalia oculis undique plena (*Ezech.* X), quia sancti semper et omni ex parte debent vigilare. *Gratias*, inquit, *ago tibi, Domine, quia non sum sicut cæteri hominum, raptores, injusti, adulteri.* Ecce, fratres, quam perverse locutus est Pharisæus iste. Si enim gratias Deo ageret de bonis sibi collatis, bene utique faceret. Ipse autem agit gratias non tam de suo bono quam de alieno malo. Gratias agit, non tam quia ipse bene egisset, quantum quia alius peccasset. Gratias agit, non tam quia ipse esset bonus, quantum quia solus. Peccavit igitur multipliciter, tum quia in bonis suis minus sibi placuit, tum quia alios contempsit, tum quia se eis comparans, ex eorum depressione sibi gloriam quæsivit, tum quia se laudavit, tum quia aliorum vitia non compatiendo, sed potius insultando numeravit, tum quia de generalibus vitiis, in singularem detractionem descendit, et cum deberet multitudinem peccatorum fratris per charitatem orando ante Deum operire, visus est apud Deum eum incusare dicens, *velut etiam hic Publicanus.* Quasi diceret : Huic Publicano, qui non est similis mihi, non debes parcere. *Et Publicanus a longe stans, non audebat oculos ad cœlum levare.* Econtrario, fratres, hic publicanus peccator erat nomine, peccator erat opere, peccator erat conscientia. Nomine quia Publicani dicuntur, qui implicantur publicis criminibus, vel negotiis, quæ vix vel nunquam sine peccato possunt ministrari. Peccator erat opere, quia erat talis qualem describit Pharisæus, videlicet raptor, injustus, adulter. Peccator erat conscientia, seipso de se testimonium perhibenti, cum ait : *Deus, propitius esto mihi peccatori.* Cum ergo talis et talis esset, tamen quia se despexit, et se humiliavit, veniam meruit. Pharisæus suas virtutes et aliorum vitia considerando se extulit, et alios contempsit. Econtra Publicanus sua vitia et aliorum virtutes considerans, seipsum despexit, et alios sibi prætulit dum se et ab omnibus et a sanctuario separans, a longe stetit, se omnibus viliorem et sanctuario indignum judicans.

Habuit igitur maximam humilitatem, habuit et comitem ejus pudorem et confusionem. Unde nec oculos ad cœlum attollere ausus est. Habuit igitur et maximam ex prædictis natam cordis contritionem. Unde et percutiebat pectus suum, seipsum accusans, seipsum judicans, seipsum puniens. Cum enim cor nostrum sit in pectore, qui percutit pectus suum, ostendit quod cor suum eum accusat, judicat et torquet. Habuit et veram confessionem, cum ait : *Deus, propitius esto mihi peccatori.* Sine excusatione se accusat, sine exceptione se humiliat, sine aliqua sui præsumptione de sola gratia veniam sperat.

Sequitur pars tertia, in qua demonstratur quid superbia, quidve humilitas mereatur, cum subditur : *Amen, dico vobis, descendit hic justificatus in domum suam ab illo.* Hanc enim summus judex, qui falli non potest, nec fallere vult, promulgat sententiam super merita gloriosi, justi et humilis peccatoris dicens : *Descendit hic justificatus in domum suam ab illo*, id est comparatione illius. Simile legitur in propheta : *Justificata est Sodoma a filiis tuis, Jerusalem* (*Ezech.* XVI), id est in comparatione filiorum tuorum, o Jerusalem, Sodoma est justa. Ecce,

fratres, judicium quod judicavit qui scrutatur corda et renes Deus, qui non secundum intuitum hominum judicat. Quis enim hominum, justum et nomine, et opere et conscientia non præferret peccatori et nomine, et opere et conscientia? Nemo. Sed terribilis in consiliis super filios hominum Deus (*Psal.* LXV), peccatorem sese despicientem et humiliantem proposuit justo se jactanti, et se peccatori præferenti. Timeat ergo, fratres charissimi, quantumcunque justus, et ne desperet quantumcunque peccator. Itaque fratres, cum in ecclesia convenimus, et ante nos aliquam personam infamem videmus, ne eam despiciamus, nec nos ex comparatione ejus bonos æstimemus, quia, Deo operante, potest illi enormitas peccatorum fieri occasio majoris humilitatis et pœnitentiæ, ita ut exeat magis justificata quam nos, qui de nostrorum quasi securi remissione peccatorum, non satis humiles vel pœnitentes sumus. Nam procul dubio quanto quis magis humiliatur, tanto magis exaltatur apud Deum. Unde et generalis sententia subditur : *Nam omnis*, inquit, *qui seipsum exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur.* Seipsum exaltat qui se super se æstimat, qui se majorem quam sit, appetat dici vel videri. Et econtra se humiliat qui infra se se reprimit, nec majorem se quam sit æstimat, nec major appetit videri vel dici. Itaque, fratres, quia superbia est ruina etiam justorum, et humilitas est exaltatio etiam peccatorum, semper nosmetipsos humiliemus : semper ante oculos nostros peccata nostra habeamus, semper infirmitatem nostram cogitemus. Et econtra semper aliorum bona, præcipue, quæ nondum consecuti sumus, admiremur. Ne cogitemus quibus simus majores, sed quibus minores. Illos etiam qui nobis minores videntur, nos per humilitatem præcessuros pensemus, ut ita semper humiles, timidi, et cunctis subjecti vivamus, ut, exemplo domini nostri Jesu Christi, magis studeamus ministrare quam ministrari, magis famulari quam dominari, magis obedire quam imperare, ut mereamur cum humilibus habere gratiam et præmium, per Dominum nostrum Jesum Christum qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXVI.

DOMINICA DUODECIMA POST TRINITATEM.

Fiduciam talem habemus per Christum ad Deum, non quod sufficientes simus cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est (*II Cor.* III), etc. Tripertita est hæc lectio, fratres mei. Primo enim ostendit qualem fiduciam ipse et cæteri apostoli habeant in Deum. Secundo commendat ministerium sibi a Deo commissum. Tertio probat magis Novi quam Veteris Testamenti ministerium glorificandum. Primum igitur ostendens qualem fiduciam ipse et cæteri apostoli habeant in Deum, ait : *Fiduciam talem habemus per Christum ad Deum.* Tria dicit, in quem habeat fiduciam, et per quem, et qualem fiduciam. In quem habeat fiduciam ostendit cum dicit, *ad Deum.* In Deum se nabere fiduciam dicit Apostolus, et ut nos similiter habeamus exemplo sui docet, quoniam solus Deus et salvare potest, et vere diligit, et verax est. Reges autem, principes, parentes et amici sæculares, nec se, nec nos salvare possunt. Unde Psalmista : *Nolite confidere in principibus nec in filiis hominum, in quibus non est salus. Exibit spiritus ejus, et revertetur in terram suam* (*Psal.* CXLV), etc. Sed neque vere diligunt, quoniam omnes amici sæculares non diligunt nos propter commoda nostra, sed propter sua. Deus vero diligit nos, non propter commoda sua, sed propter nostra. Rursus nec veraces sunt, cum scriptum sit : *Omnis homo mendax* (*Psal.* CXV). Deus autem verax. In Deum ergo solum non in temporalia, totam fiduciam nostram ponamus, fratres mei, quoniam parentes, amici et omnia temporalia fefellerunt. Deus autem solus non derelinquit sperantes in se. Unde scribitur : *Quis speravit in Domino, et confusus est?* (*Eccle.* II). Et David : *Mihi*, inquit, *adhærere in Deo bonum est, ponere in Domino Deo meo spem meam* (*Psal.* LXXII). Per quem habeat fiduciam ostendit cum dicit, *per Christum.* Per Christum enim solum habemus accessum ad Patrem, qui est reconciliator et mediator Dei et hominum, qui semper interpellat pro nobis, in quantum est homo, et salvat nos æque cum Patre, in quantum est Deus. Illum ergo, fratres mei, totis visceribus diligamus, quoniam, ut ait Apostolus, non est aliud nomen in cœlo, nec in terra, in quo oporteat nos salvari (*Act.* IV). Qualem vero fiduciam habeat in Deum, ostendit cum dicit, *non quod sufficientes simul aliquid cogitare a nobis.* Ac si dicat : Nec de toto, nec de parte, ut quidam solent, in nobis fiduciam habemus, sed totam et de omnibus in Deum. Talem enim in Deum habemus fiduciam, quod nec etiam cogitandi, necdum loquendi, vel faciendi aliquid, fiduciam a nobis habemus, sed a Deo. In quo confundit illos qui præsumunt de libero arbitrio, vel de ingenio, vel de viribus, vel de divitiis suis cum scriptum sit : *Non salvatur rex per multam virtutem, et gigas non salvabitur in multitudine virtutis suæ* (*Psal* XXXII). Et alibi : *Qui confidit in divitiis, corruet* (*Prov.* II). Quia vero secundum loquendi usum dicimus aliquando nos cogitare aliquid a nobis, id est ex propria ratione, sine adminiculo alterius creaturæ, adjungit Apostolus, *quasi ex nobis*, subaudis auctoribus. Et si enim aliquid a nobis aliquando cogitamus, tamen ex nostra auctoritate aliquid cogitare non valemus, præsertim cum nec ipsam rationem, nec per eam aliquid cogitare habeamus ex nobis, sed ex Deo, ut ait Paulus, in quo vivimus, movemur et sumus (*Act.* XVII). *Sed sufficientia nostra ex Deo est*, in omnibus scilicet bonis. In nullis enim bonis, nec in corporalibus, nec in spiritualibus, nec in cœlestibus, nisi per ipsum valemus abundare. Qui nisi per nos operetur, et labor noster ad temporalia, et studium ad spiritualia, et meritum ad cœlestia obtinenda inefficax est. Unde ipse discipulis suis : *Sine me*, inquit, *nihil potestis*

facere (*Joan.* xv). Et Apostolus : *Neque volentis, neque currentis est, sed miserentis Dei* (*Rom.* ix). Et alibi : *Neque qui plantat, neque qui rigat, aliquid est, sed qui incrementum dat Deus* (*I Cor.* iii).

Sequitur pars secunda, in qua Apostolus sibi a Deo commissum ministerium commendat, cum subdit : *Qui idoneos nos fecit ministros Novi Testamenti, non littera, sed spiritu.* In tribus ergo nobis commendat suum cæterorumque apostolorum ministerium, cum ostendit a quo, et quales, et cujus ministri facti sunt. A quo? a Deo. In quo damnat eos, qui non a Deo, sed a se sibi ministerium assumunt. De qualibus Dominus : *Ipsi*, inquit, *regnaverunt, sed non ex me.* (*Ose.* viii). Quales? idonei. Porro tria faciunt ministrum idoneum, bona vita, bona fama, bona prædicatio : quorum unum sine reliquis non sufficit. Cujus? Novi Testamenti, id est Evangelii. Sane sacra Scriptura vocatur Testamentum triplici de causa. Quia est quasi charta testificans fœdus inter Deum et hominem factum, quia testificatur nobis divinam voluntatem quam facere debeamus : quia est quasi testamentum hæreditatis, a Deo promissæ nobis. Evangelium quoque dicitur Testamentum novum triplici de causa, vel quia est a novo homine Christo datum; vel quia continet doctrinam novam, in respectu Mosaicæ legis, vel quia observatum, hominem interius facit novum. *Novi*, inquit, *Testamenti*, subaudis constituti, non in littera, sed in spiritu. In sacra Scriptura, fratres mei, sunt duo, sensus superficialis litteræ exterior, et intellectus spiritualis interior. Sensus vero superficialis litteræ exterior multos fecit errare, ut Judæos et hæreticos, non attendentes ex quo sensu, vel ex qua causa fuerint verba prolata, sed quid exterius sonare viderentur. Unde et subdit : *Littera enim occidit, spiritus autem vivificat.* Hoc est, quod Dominus in Evangelio ait : *Spiritus est qui vivificat; caro autem non prodest quidquam* (*Joan.* vi), vocans carnem sensum litteræ exteriorem; qui quandoque non solum non prodest, imo etiam nocet. Omnia enim figuralia Veteris Testamenti, ad litteram tantum intellecta, littera occcidens sunt. Sed et etiam ipsa moralia, si quis penes ea causam justitiæ suæ constituat, littera occidens sunt. Sed et etiam quædam in Novo Testamento ad litteram tantum intellecta, ut illud : *Qui non habet gladium, vendat tunicam suam et emat gladium* (*Luc.* xxii), littera occidens sunt. Legant ergo et intelligant ministri Novi Testamenti sacras Scripturas, non ex sensui quem faciunt, sed ex sensu ex quo fiunt, attendentes quæ historialiter, quæ mystice, quæ tropologice, et quæ anagogice dicantur, ut mereantur esse cum Paulo idonei ministri Novi Testamenti, non littera, sed spiritu. In quo, fratres mei, plango quosdam nostri ordinis, qui, non dicam spiritualem intelligentiam, sed nec etiam ipsam litteræ crassam legere norunt, cæci et duces cæcorum, qui tot animarum rei sunt, quos per stultitiæ suæ cæcitatem in perditionem trahunt.

Sequitur pars tertia, in qua probat Apostolus magis Novi quam Veteris Testamenti ministerium esse glorificandum dicens : *Quod si ministratio mortis, litteris in lapidibus deformata fuit in gloria, ita ut non possent filii Israel intendere in faciem Moysi propter gloriam vultus ejus quæ evacuatur, quomodo non magis ministratio spiritus erit in gloria?* Ac si dicat : Si ministrationem litteræ legis occidentis, scriptæ in lapide ad tempus, glorificatio subsecuta est, ita ut Israelitæ faciem Moysi non possent aspicere, quomodo ministrationem spiritus litteræ vivificantis, non magis glorificatio subsequetur? ac si dicat, Imo subsequetur. Est autem hæc probatio a minori, minus est enim littera : et majus est spiritualis intelligentia. Subsequenter idem dicit, sed aliis verbis. Si enim, inquit, *ministratio damnationis in gloria est, multo magis abundat ministerium justitiæ in gloria.* Porro legem vocat mortem et damnationem triplici de causa, quia juxta litteram intellecta occidit, quia prohibens peccatum magis irritat ad peccandum. Unde Apostolus : *Concupiscentiam nesciebam nisi lex diceret : Non concupisces* (*Rom.* viii), et quia sine misericordia reddebat animam pro anima. Evangelium vero vocat spiritum et justitiam, quia vivificat et justificat. Fuit autem lex data Judæis in lapide scripta, in quo significatum fuit, quod sicut lapis vix suscipit litteras, et cum suscipit, suscipit brutas, sed tales non de facili perdit; ita Judæi duri et lapidei, legalium cæremoniarum assuefactionem vix susceperunt, susceptas brute tenuerunt, sed tales, nec etiam veniente Evangelio, derelinquere voluerunt. Unde idem Apostolus : *Sed usque*, inquit, *hodie, cum legitur Moyses, velamen est ante oculos eorum* (*I Cor.* iii). Hoc tamen velum in passione Christi scissum est apostolis et cæteris spiritualibus viris. Non autem solum ministerium Evangelii præcellit ministerio legis, sed etiam ipsi doctores, et ipsi exsecutores Evangelii præcellunt doctoribus et exsecutoribus legis. Nec illud, fratres mei, dico, quin quidam doctores et exsecutores legis, quibusdam doctoribus et exsecutoribus Evangelii parificari, vel etiam præcellere potuerint, sicut quidam diaconi quibusdam sacerdotibus, sed in genere ministerii et rei ministratæ excellentia demonstratur. Gratias itaque agamus, fratres, Domino Deo nostro, qui excellentiam evangelicæ doctrinæ, nobis qui in extrema ætate vivimus dedit, orantes eum ut ipse nobis qualibuscunque doctoribus Evangelium et recte intelligere et utiliter docere concedat, vobis quoque auditoribus bene audire et retinere præbeat, tam nobis vero quam vobis, moribus, operibus et vita illud adimplere tribuat, quatenus et in præsenti vita justificari, et in futura glorificari mereamur per Dominum nostrum Jesum Christum Filium Dei qui in Trinitate perfecta vivit et regnat Deus. Amen.

HOMILIA XXVII

DOMINICA DUODECIMA POST TRINITATEM.

Egressus Jesus de finibus Tyri, venit per Sidonem

ad mare Galilææ, inter medios fines Decapoleos (*Marc.* VII). In hac sancti Evangelii lectione, fratres charissimi, juxta litteram quinque nobis proponuntur : Sollicitudo Domini, miseria surdi et muti, rogantium charitas, virtus Domini curantis, et contra mandatum divulgatio miraculi. Primo igitur sollicitudo Domini, quam habet pro salute humani generis demonstratur : cum dicitur : *Egressus Jesus de finibus Tyri*, etc. Magnam quippe sollicitudinem de salute hominum habebat, qui terras, urbes et castra, in quibus se noverat aliquibus profecturum peragrabat. Quem nos imitantes, charissimi, non exspectemus ut quæramur, sed etiam ipsi quæramus quibus proficiamus. Secundo vero miseria curandi describitur cum surdus et mutus vocatur. Multum quippe miser erat, qui surdus simul et mutus **B** erat. Qui enim mutus est, nec suam miseriam alii indicare, nec consilium, nec auxilium potest postulare. Qui vero surdus est, consilium salutis suæ audire non potest. Multum ergo, fratres, miser et miserabilis erat, qui suæ miseriæ opem nec petere, nec etiam, si daretur, poterat audire : inde est quod mutorum et surdorum miseriæ magis miserandum est. Cæteri enim miseri, etsi magnam habent miseriam, tamen illam possunt manifestare, et auxilium postulare. Surdus vero et mutus, quanto est insensibilior, tanto est miserabilior. Propterea compatitur ei charitas miserorum hominum, qui adducunt eum ad Jesum, et quod ille non poterat, pro eo rogant. Poterant quidem eum non adducere, sed **C** tantum pro eo rogare, sed ideo cum adducunt, ut manifesta præsensque miseria magis moveat Deum ad miserendum. Inde quoque majorem suam demonstrant charitatem, cum pro misero non solum rogant, sed etiam ipsum adducunt et demonstrant. Quod est contra quosdam duros et immisericordes, qui fraternæ miseriæ compati nesciunt, imo (quod pejus est) derident et maledicunt surdo, quia audire non potest, et offendiculum ponunt cæco, quia videre non potest, cum Moyses dicat : *Non maledices surdo, nec coram cæco pones offendiculum* (*Levit.* XIX). Nos ergo, fratres, omnem duritiam, omnem exuamus inhumanitatem, et discamus habere viscera misericordiæ super egenos et afflictos, et eis pro posse nostro subvenire, et in aliena miseria, nostram, **D** quam habuimus aut habere possumus, lugeamus, imitatores Dei et Domini nostri, qui non solum super justos, sed etiam super injustos misericors est. Unde et hic non solum ad miseriam muti et surdi, sed etiam ad miserantium precem pietate commovetur. Unde et subditur : *Et educens eum de turba seorsum.* Ostenditur autem quarto loco virtus Domini in tribus, in doctrina, in humilitate, in potentia, In doctrina cum dicitur : *Et educens eum de turba seorsum.* Hic enim exemplo sui nos docet, ut cum volumus facere misericordiam et eleemosynam, turbam et frequentiam hominum fugiamus, ut eleemosyna nostra sit tanto Deo magis grata, quanto magis ab aspectibus hominum occulta. Unde Dominus : *Cum facis*, inquit, *eleemosynam, noli tuba canere ante te sicut hypocritæ faciunt in vicis et in plateis. Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua, et Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi* (*Matth.* VI). Et alibi : *Abscondite eleemosynam in sinu pauperis, et ipsa orat pro vobis ad Dominum* (*Eccli.* XXIX). In humilitate ostenditur virtus Domini, cum subditur : *Misit digitos suos in auriculas ejus, et expuens tetigit linguam ejus.* Ecce magna humilitas Domini,qui suos sanctos digitos in aures surdi feculentas mittere, et immundam muti linguam cum sua sancta saliva tangere, cum solo verbo salutem conferre posset, non asper-
natur. In quo dat nobis exemplum, ut si ipse qu ipsa munditia et sanctitas est, immunditias et infirmitates hominum non abhorruit, imo pie tractavit, præcipue homo homines, vermis vermes, putredo putredines non abhorreat attrectare. Rursus in doctrina virtus Domini ostenditur, cum *suspiciens in cœlum ingemuit*. In quo nos instruit, fratres mei, ut oraturi, sive misericordiam vel aliquod aliud bonum facturi, semper in cœlum magis mente quam oculis suspiciamus, juxta illud Prophetæ : *Levavi oculos meos in montes, inde veniet auxilium mihi* (*Psal.* CXX), Deo cuncta attribuentes, de eo et in eo totum sperantes, de nobis vero et in nobis ingemiscentes, qui ex nobis nihil possumus boni.

In potentia demonstratur virtus Domini, cum ad ejus imperium surdo et cæco usus audiendi donatur et loquendi, cum dixit : *Ephpheta, quod est adaperire. Nam* [*et*] *statim apertæ sunt aures ejus, et solutum est vinculum linguæ ejus, et loquebatur recte.* In quo demonstrat Dominus se esse illum eumdem qui in principio tantum dixit et facta sunt universa. Quinto, contra mandatum, divulgatio miraculi demonstratur, cum subditur : *Et præcepit eis ne cui* quæ vidissent *narrarent*, etc. Sed quare, fratres mei, Dominus ea quæ fecerat probibuit enarrari? ad exemplum. Exemplum quippe præbuit novis vanam gloriam evitandi, ut similiter nos quando facimus alii misericordiam, ab eo nostri operis exigamus taciturnitatem, ne scilicet illud corrumpat aura popularis, sed sit tanto Deo magis gratum,quanto magis occultum. Quod vero illi eo magis mirabantur et loquebantur dicentes, *Bene omnia fecit*, etc. Ostendit illam virtutem magis esse mirabilem quæ latere quærit, cum latere non possit. Gloria enim sui appetitores fugit, et sequitur sui contemptores. Sed nunquid, fratres, mei, illi qui jussi non tacuerunt, rei inobedientiæ æstimandi sunt? Minime : quia non ex contemptu, sed ex dilectione hoc fecerunt. Virtus enim, etsi celari quærat, non tamen celari debet. Et si ille qui eam operatur, eam occultet, ille cui fit eam occultare non debet. Nec Dominus miracula sua ideo præcipit celari, quod vellet ea celare, imo ad salutem plurium latius propalari, sed prohibuit tantum ad exemplum. Mystice vero egressus Jesus de finibus Tyri, quæ *angustia* interpretatur, venit per Sidonem, id est *venationem*, ad mare Galilææ inter

medios fines Decapoleos, quando propter infidelitatem dereliquit angustias Judææ, et per venationem prædicationis iter tenens per Decalogum legis, transiit ad mare gentilitatis. Sic enim prævisum erat a Domino, ut, non nisi per Judææ desertionem, gentilis populus reciperetur ad fidem. Unde propheta : *Coangustatum est stratum ut alter decidat, et breve est pallium, ut utrumque operire non possit* (*Isai.* XXVIII). Erat autem tunc gentilis populus surdus ad intelligendum Dei verbum. Quales hodie sunt multi in Ecclesia qui ex vitio peccati et negligentiæ suæ aurem cordis ad intelligendum Dei verbum habent surdam, juxta illud : *Noluit intelligere ut bene ageret* (*Psal.* XXXV). Et os habent mutum ad laudandum Deum, juxta illud : *Non est speciosa laus in ore peccatoris* (*Eccli.* XV). Qui cum digne pro se rogare non possint, devotio fidelium debet eos precibus Deo offerre ad curandum, ad quorum preces Deus sæpe illos curat, ita quod de surdis et mutis eos verbi Dei intelligentes faciat et loquentes. Porro surdum et mutum curaturus Dominus de turba seorsum educit, ostendens quod qui vult de vitiis suis integre curari, debet declinare vitiosorum turbam, et peccandi occasionem. Scriptum est enim : *Cum sancto sanctus eris, et cum perverso perverteris* (*Psal.* XVII). Et alibi : *Ecce elongavi fugiens et mansi in solitudine* (*Psal.* LIV). Digitos vero suos in aures surdi Dominus mittit, cum in cor surdum dona sancti Spiritus infundit. Unde propheta : *Dominus aperuit mihi aurem* (*Isai.* L). Saliva vero linguam muti tangit, cum sapientia, quæ a summo capite, id est, a Deo Patre defluit, hominem mutum facit disertum, facundumque ad prædicandum Dei verbum. Unde et de eadem dicitur quod linguas infantium facit disertas (*Sap.* X). Ephpheta, quod est *adaperire*, dicit, quando jussu potentissimo cor ad intelligendum, et linguam ad eloquendum Dei verbum jubet aperiri. Unde et hæc verba in catechismo baptizandorum dicuntur, cum de saliva aures eorum et nares tanguntur. *Et statim apertæ sunt aures ejus, et solutum est vinculum linguæ ejus : et loquebatur recte.* Deo enim intus visibiliter operante, qui fuerat surdus et mutus, fit statim verbi Dei intelligens et eloquens. Et recognoscens pristinam surditatem et taciturnitatem suam, suum creatorem intelligit et benedicit. Nos ergo, fratres, si per gratiam Dei jam habemus aures cordis apertas ad intelligendum, et os ad proferendum Dei verbum, divinam bonitatem magnificemus, et fratres nostros adhuc surdos et mutos Domino curandos offeramus, deprecantes eum ut manum misericordiæ suæ eis imponat, et eos suum sanctum verbum intelligere, proferre et exsequi faciat, quatenus simul cum eis divinam majestatem in æternum contemplari et laudare mereamur, ipso præstante, qui in Trinitate perfecta vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXVIII.

DOMINICA DECIMA TERTIA POST TRINITATEM.

Abrahæ dictæ sunt promissiones et semini ejus (*Galat.* III), etc. In hac lectione, fratres charissimi, disputat Apostolus contra quosdam Judæos, qui ex operibus legis se habere justitiam et salutem opinabantur. Quorum etiam hodie (unde dolendum est) sunt similes quidam falsi Christiani, qui ex hoc quod quædam vitia fugiunt et opera bona faciunt, putant se esse justos et consecuturos salutem. Utrosque confundit Psalmista cum orando clamat : *Non intres in judicium cum servo tuo, Domine, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens* (*Psal.* CXLII). Et propheta : *Omnes*, inquit, *justitiæ nostræ sunt quasi pannus menstruatæ ante te, Domine* (*Isai.* LXVI). Itaque, fratres mei, si veri Christiani esse volumus, hanc fidem firmiter teneamus, quod ex nullis operibus nostris justificari vel salvari valemus, sed ex sola Dei gratia, qui gratis justificat impium. Non enim quia bona fecimus, justificamur, sed potius quia gratis a Deo justificamur, bona agimus, et bona agendo salvamur. Ostendit igitur Apostolus tria : Primo, quod non est nobis salus nisi ex gratia ; secundo, quod per Jesum Christum est hæc gratia ; tertio, quod non ex lege. Ostendens ergo salutem esse ex gratia ait : *Abrahæ dictæ sunt promissiones et semini ejus.* Ac si aperte dicat : Non ex operibus legis, vel aliquibus præcedentibus meritis, sed potius gratis promissiones vel Abrahæ factæ, et gratis exhibitæ. Promissiones enim istæ propriæ dicuntur quæ tantum gratis fiunt, præsertim si attendas a quo, et quæ et cui promissiones istæ factæ sint. A quo? a Deo, qui nec aliqua necessitate, nec propria utilitate, nec aliquo debito constringi potest. Necessitate quippe astringi non potest, qui liber penitus, imo ipsa libertas est, nec propria utilitate, qui nullius indigens est, nec debito, qui nulli obnoxius est. Qui, quamvis promiserit, tamen ex hoc vinculo promissi non astringitur, quoniam non promisit nisi dignis, quod nullus potest esse, nisi quem Deus dignum gratis voluerit facere ; ut ita generaliter et quod promisit, et quod dignum facit, et quod promissa tribuit, totum gratia fecit. Quæ autem promissiones dictæ sunt Abrahæ a Deo, in Genesi legitur, scilicet quod in semine ejus benedicentur omnes gentes, plus spiritualem et æternam quam corporalem et temporalem intelligens benedictionem, et quod ei daret terram, scilicet lacte et melle manantem, figurans terram viventium, quæ lacte veræ sapientiæ, et dulcedine cœlestis gratiæ manet in æternum. Cui factæ sunt istæ promissiones? Abrahæ et semini ejus, id est illis qui patres sunt multarum gentium fide et doctrina et exemplo, et illi qui sunt imitatores fidei et doctrinæ et exempli illorum. Si ergo, fratres mei, sanctarum promissionum, quæ Abrahæ dictæ sunt, participes esse volumus, simus sancti et imitatores Abrahæ cæterorumque sanctorum patrum, simus in fide fortes, Deo in omnibus obedientes, Deum cunctis præponentes, in spiritualibus et cœlestibus eruditi, vita præclari, charitate fervidi, hospitalitate præcipui, exemplo pa-

tres aliorum, vita et moribus lux orbis terrarum.

Secundo demonstrat Apostolus quod per solum Jesum Christum gratia facta sit, cum subdit : *Non dicit : Et seminibus, quasi in multis, sed quasi in uno : In semine tuo quod est Christus,* id est quod Dominus dixit Abrahæ ; *in semine tuo benedicentur omnes gentes* (*Gen.* XII). Singulariter ait, non pluraliter in seminibus, sed singulariter *in semine*, significans non per plures personas de stirpe natas Abrahæ, sed per solum Jesum Christum, divinam benedictionem ad omnes gentes derivandam. Non enim in patriarchis, in prophetis, non in sacerdotibus, non in regibus Israeliticis, sed in solo Christo omnes gentes dixit benedicendas, juxta quod prædixit Jacob : *Non auferetur sceptrum de Juda, nec dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit exspectatio gentium* (*Gen.* XLIX). Ipse enim duos populos, Judæorum scilicet et gentium, in se caput et angularem lapidem uniens, de plenitudine gratiarum et benedictionum, quibus sine mensura unctus est, in omnes derivavit. Quod significatum est per unguentum effusum super caput Aaron, quod descendit in barbam, et usque in oram vestimenti ejus (*Psal.* CXXXII). Utinam, fratres mei, et in nos ultima membra dignetur Christus de suarum plenitudine gratiarum et benedictionum aliquid distillare, ut quemadmodum dedit nobis Christianis nominis sui denominationem, ita et tribuat suæ unctionis et benedictionis immensæ aliquam nobis derivationem. *Hoc autem dico, testamentum confirmatum a Deo.* Quod testamentum? testamentum gratuitarum promissionum, sive promissarum gratiarum, dico confirmatum esse a Deo Patre in tempore gratiæ, per mortem testatoris Jesu Christi, quod novum testamentum vocatur. Quod si vere sequimur et tenemus, fratres charissimi, pignoramur hic gratia justificationis novæ, et in futuro hæreditabimur æterna beatitudine.

Tertio demonstrat Apostolus quod salus non est ex lege. Primo est hoc quod cum promissiones futuræ salutis factæ sunt Abrahæ, nondum erat data lex, nec post fuit data, nisi post quadringentos et triginta annos. Et hoc est quod dicit : *Quæ post quadringentos et triginta annos facta est lex, non irritum facit ad evacuandam promissionem.* Ac si diceret : Si lex necessaria esset ad consequendam promissam hæreditatem, cum ipsa simul promissione debuisset dari, ut determinaret promissionem, quod scilicet, nisi per legem promissa hæreditas non posset obtineri. Sed hoc non fuit, quoniam facta promissione, Abraham, Isaac et Jacob ante legem datam mortui sunt, qui tamen consecuti sunt hæreditatem. Ex hoc ergo quod post tantum tempus post promissionem data est, constat quia lex non irritat, nec evacuat promissionem, id est opera legis non destruunt gratiam promissionis. Similiter, fratres mei, postquam gratis ad fidem vocati sumus, si postea aliqua bona opera facimus, non propterea gratia Dei evacuatur, nec Deus propterea tanquam ex debito præmiare tenetur, sed qui gratis vocat, gratis justificat, et gratis præmiat. Secundo probat per indirectam ratiocinationem, quod salus non ex lege est, cum subdit : *Nam si ex lege hæreditas, jam non ex promissione.* Est autem argumentum ab oppositis ; nam merita et gratia opposita sunt. Est ergo ac si diceret : Si ex merito legalis observationis datur hæreditas, jam non ex gratia promissionis. Et statim assumit per destructionem consequentis, subdens : *Abrahæ autem per repromissionem donavit Deus.* Ex his tacita conclusio subintelligitur : Ergo non est ex lege hæreditas. Similiter possumus colligere : Si ex meritis et operibus nostris est nobis salus, jam non ex gratia ; sed constans est quia salus datur nobis ex gratia, ergo non datur nobis ex meritis et operibus nostris. Quæstionem quam videbat Apostolus posse fieri, facit et solvit, subdens : *Quid igitur lex ? propter transgressiones posita est,* cavendas et vindicandas. Ac si dicat : Non fuit lex posita ad evacuandam gratiam, sed potius ad evacuandum et corrigendum peccatum. Non enim, fratres mei, ideo mandata Veteris et Novi Testamenti data sunt, quod ex observantia eorum tanquam ex causa daretur salus, sed ut per ea corrigeremur et instrueremur, quomodo consequi salutem valeremus. Multi enim ante legem justi fuerunt et salutem consecuti sunt. Unde Apostolus : *Lex,* inquit, *non est posita justis, sed injustis, impiis et peccatoribus* (*I Tim.* I). Posita, inquit, non semper, *sed donec veniret semen,* Dominus scilicet noster Jesus Christus, *in quo promiserat,* subaudis Deus, benedicendas omnes gentes. Fuit autem lex *ordinata,* id est ordinate statuta medio tempore inter tempus legis naturalis et tempus gratiæ. Primo enim, fratres mei, convincenda erat superbia humana per naturalem legem et scriptam : ut videlicet postquam intelligeret homo se de viribus liberi arbitrii, nec per legem naturalem, nec per scriptam posse justificari vel salvari, ad gratiam confugeret, et de se desperans, totum de gratia Dei præsumeret. Fuit autem lex ordinata *per angelos,* id est per ministerium angelorum, per quos loquebatur Dominus ad Moysen. Vel certe angelos id est nuntios Dei vocat Moysen et Aaron, cæterosque doctores legis, et tamen ii tantum legis ministri erant, non auctores : quia lex erat *in manu,* id est in potestate et auctoritate *mediatoris* Dei et hominum Jesu Christi, qui tanquam omnium Dominus potestatem habuit legem statuendi quando vellet. Per quem solum (quod per legem fieri non poterat) fit gratia, pax et reconciliatio Dei et hominum. Quod inde patet, quia *mediator autem unius non est : Deus autem unus est.* Ac si aperte dicat : Cum proprie mediator dicatur qui participando et conveniendo inter duos oppositos, eos ad invicem componit, si Christus tantum divinæ naturæ, vel tantum humanæ esset, mediator Dei et hominum non esset. Sicut enim, fratres mei, aliquando videtis in sæcularibus, quod quando duæ tribus ad invicem sibi inimicantur, datur vir unius

tribus uxori alterius tribus, ut, illo matrimonio mediante, fiat duarum tribuum reconciliatio. Ita cum inimicitiæ essent inter Deum et hominem, placuit Altissimo ut hominem fugitivum et inimicum suum sibi reconciliaret, conjungens filium suum naturæ humanæ, ut esset simul Deus et homo, ut, eo mediante, Deus homini, et homo Deo reconciliaretur. Cum igitur lex post Dei promissionem et ad tempus fuit posita, nunquid, inquit Paulus, *lex adversus promissa Dei! Absit!* Adversus quidem promissa Dei esset lex, si ex lege et non ex gratia promissionis, justitia et vita proveniret. Sed hoc non esse ostendit Apostolus dicens : *Quod si data esset lex, quæ posset vivificare, vere ex lege esset justitia,* subaudi et consequens ejus vita. Sed hoc non est. Universaliter enim, fratres mei, verum est quod nec ex libero arbitrio nostro, nec ex observantia legis, nec ex aliquibus operibus vel virtutibus nostris, justificari vel salvari valemus, sed ex sola Dei misericordia, quæ gratis justificat impium. Nec solum lex Judæos non justificavit, sed etiam peccatum auxit. Unde et subditur : *Sed conclusit Scriptura omnia sub peccato :* quosdam enim per occasionem ad peccatum magis irritavit, juxta illud poeticum :

Nitimur in vetitum semper, cupimusque negata.

(Ovid. *Amor.* lib. III, eleg. 4, vers. 17.)

Sic interdictis inminet æger aquis. Quosdam quoque per occasionem de operibus legis gloriari et superbire fecit. Omnes vero sub peccato conclusit, id est concludi ostendit, dum non concupiscere prohibuit. Dum enim quantumcunque justus aliquando non concupiscere non possit, omnes sub peccato concludi et transgressores esse legis lex demonstravit. Et quare hoc? *Ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus.* Ac si dicat : Ideo permisit Domino omnes concludi sub peccato, ut appareret quod ex sola gratia, quæ est in fide Jesu Christi, promissio æternæ hæreditatis daretur credentibus. Propterea, fratres mei, omnem glorificationem, omnem superbiam mentis nostræ deponamus, et malum quod in nobis est, ex nobis habere cognoscamus. Si quid vero boni habemus, non ex nobis, sed ex solo Deo, et gratis nos accepisse intelligamus. Et juxta mandatum Domini, cum omnia nos fecisse putabimus, dicamus quia servi inutiles sumus (*Luc.* XVII), inutiles quidem ex nobis ; si vero in aliquo utiles sumus, ex Deo est, qui per solam misericordiam suam cum essemus filii iræ et perditionis, gratis in filios nos vocat, vocatos gratis justificat, justificatos gratis beatificat, si tamen de gratia ejus non ingrati fuerimus, si gratiam ejus non otiosam, sed operantem habuerimus, si talentum nobis commissum multiplicaverimus, et cum multiplici lucro ad Dominum reportaverimus. Quod ipse nobis præstare dignetur, qui in Trinitate perfecta vivit et et regnat Deus, per omnia sæcula. Amen.

HOMILIA XXIX.

DOMINICA DECIMA TERTIA POST TRINITATEM.

Dixit Jesus discipulis suis : Beati oculi qui vident quæ vos videtis (*Luc.* X). In hac lectione, fratres charissimi, tria demonstrantur. Primum ostenditur beatos esse qui vident quæ apostoli viderunt. Secundo exponitur legisperitus quærens et exponens quomodo possit haberi æterna beatitudo. Tertio ad interrogationem ejus ostendit Dominus quis vel qualis debeat esse proximus. Ait ergo Dominus discipulis suis : *Beati oculi qui vident quæ vos videtis.* Porro quidam viderunt Christum tantum corporaliter, ut Judæi persecutores, alii tantum spiritualiter, ut pesteri Christiani, alii et corporaliter et spiritualiter, ut apostoli et discipuli. Sed Judæi, qui tantum corporaliter Christum viderunt, non ideo beati, imo pejores effecti sunt. Quia enim virtutes et opera Christi viderunt, et ejus prædicationem audierunt, et tamen non credere, sed detrahere curaverunt, deteriores facti sunt. Unde Dominus : *Si non venissem,* inquit, *et locutus eis non fuissem, peccatum non haberent : nunc autem excusationem non habent de peccato suo* (*Joan.* XV). Nos vero sequaces, qui tantum spiritualiter, et oculis fidei Christum videmus, beati procul dubio sumus, si fidei vitam tenemus. Sed beatiores discipuli, qui Christum et oculis corporis, et oculis cordis simul eum viderunt, audierunt, tractaverunt, cum eo manducaverunt et biberunt. Quid putatis, fratres mei, quid dulcedinis, quid amoris, quid firmitatis contulerit præsens et corporea conversatio Christi discipulis? Per exteriores enim virtutes latentem advertentes deitatem, tanto eum firmius crediderunt et prædicaverunt, quanto eum expressius viderunt. Unde Joannes : *Quod fuit,* inquit, *ab initio, quod vidimus, quod audivimus, quod manus nostræ contrectaverunt de Verbo vitæ, vobis annuntiamus* (*I Joan.* I). At dices : Nonne Dominus ait Thomæ : *Quia vidisti me, Thoma, credidisti : beati autem qui non viderunt et crediderunt?* (*Joan.* XX.) Et super hoc Gregorius : « Fides, inquit, non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. » Videntur ergo beatiores qui Jesum in carne non viderunt, et tamen crediderunt. Et quidem si fides sine visione tanta esset, quanta illa quæ fuit corroborata visione corporali, utique non minoris meriti esse videretur sed majoris. Sed vix, fratres, potest fieri, ut aliquis qui non viderit Dominum, nisi spiritualiter, tam firmam fidem habeat, quantum ille qui eum vidit simul corporaliter et spiritualiter, aliter enim degustata, aliter tantum odorata creduntur. *Multi enim reges et prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt, et audire quæ audistis, et non audierunt.* Quantum, fratres, putatis habebant desiderium antiqui sancti, qui in spiritu noverant Christum venturum, quanta suspiria, quantam admirationem? Horum quippe desideria, suspiria et admirationes designantur per septem antiphonas, quæ ante Natale Domini per septem dies cantantur, incipientes ab O, desiderativo et admirativo adverbio, ut quando per secundum tonum, quasi plangendo cantatur. *O sapientia, O Adonai,* quasi quando venies? quando te videbimus? quando te audiemus?

Sequitur pars secunda, cum subditur : *Et ecce quidam legisperitus surrexit tentans eum, et dicens : Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo?* Hujus legisperiti oculi, etsi videbant Dominum exterius, tamen non videbant in eo ea quæ discipuli videbant. Non videbant in humanitate divinitatem, in humilitate majestatem, in stultitia sapientiam. Habebat enim in oculo albuginem, id est in scientia superbiam : talis a ministerio Dei reprobatur. Humilis quippe sciantia videt, superba non videt. Et superba scientia legisperiti eum inflabat, non autem ædificabat. Ostenditur igitur ex scientia, quam sine humilitate et charitate habuit, elatus, jactator, et contemptor. Elatus cum dicitur, *surrexit.* Plus enim mente quam corpore se elevasse intelligendus est. Jactator et contemptor, cum ea quæ noverat, quærebat, non ut addisceret vel doceret, sed ut scientiam suam jactitaret, et alterius simplicitatem derideret. Quales (unde dolendum est) sunt hodie plerique magistri, qui de scientia sua inflati, legunt et disputant, non ut sibi vel aliis proficiant, sed ut se ostentent, et simplices confundant. Sed hi profecto licet multas litteras noverint, tamen quia albuginem habent in oculo, divinam in humilitate sapientiam non vident. De quibus dicitur : *Quia dicentes se esse sapientes stulti facti sunt* (*Rom.* 1), dum sapientia verba non saporem habent. At Dominus qui noverat eum causa tentandi hoc quæsivisse, ait : *In lege quid scriptum est ? Quomodo legis ?* Occasionem magistrandi Dominus legisperito donat, quod maxime affectare eum sciebat. Cum enim superba scientia, etiam non interrogata, multoties docere præsumat, tunc maxime gaudet cum interrogatur, quia locum magistrandi et se ostentandi invenit, quod maxime desiderabat. *Diliges*, inquit, *Dominum Deum tuum.* In hoc mandato demonstratur quare sit diligendus Deus, et quantum. Quare ? Ob tres causas. Prima est quia est bonus in se ; quod innuit in hoc quod ait, *Deum.* Secunda, quia meruit diligi a nobis nos creando, nutriendo, redimendo ; quod innuit cum ait : *Dominum.* Tertia, quia seipsum in præmium diligentibus se tribuit ; quod innuit in hoc quod dicitur, *tuum.* Quantum vero diligendus sit, ostendit, cum ait : *Ex toto corde, et ex tota anima, et ex tota mente, et ex totis viribus tuis* ; id est ex toto quod scis, ex toto quod vivis, ex toto quod potes. Ac si dicatur : Omnes potentias, vires, virtutes, motus, et actus tuos diriges ad Deum diligendum. Sed quid vult sibi, fratres mei, tanta verborum inculcatio? Nonne si dixisset tantum ex toto corde, satis dixisset ? Ad majorem, fratres, expressionem dictum est ; et si expressius posset expressius hoc dixisset, quoniam nunquam satis dicitur quod nunquam satis agitur. Nunquam enim satis diligi potest Deus a nobis. Nemo enim eum tantum diliget quantum meruit, et quantum amari dignus est. *Et proximum*, inquit, *tuum sicut teipsum.* Non enim ait quantum teipsum (hoc enim a nullo exigitur) sed sicut teipsum. Nosmet enim diligere non debemus nisi in bonum, et ad bonum, id est ut efficiamur boni. Similiter proximum nostrum non debemus diligere nisi in bono et ad bonum, id est, in bono quod jam habet, vel ut habeat, ut scilicet bonum quod nobis ipsis volumus, proximis velimus. Discrete igitur, fratres mei, tam nos quam proximos nostros diligamus. Nam sicut peccat qui non diligit bonum in proximo, ita peccat qui non odit malum in eo. *Hoc*, inquit, *fac et vives.* Ac si dicat, non sufficit tantum scire, unde tu gloriaris.

Sequitur pars tertia, in qua legisperitus sciens quod pluribus modis dicitur proximus, vel cognatione, vel familiaritate, vel fide, vel mente, vel loco, quærit quis in hoc loco proximus intelligatur. *In hoc volens justificare seipsum*, id est se ostentare inquisitorem prudentem et justum. *Et suspiciens in cœlum Jesus*, in quo significabat se magna et spiritualia dicturum, ait : *Homo quidam descendebat a Jerusalem in Jericho, et incidit in latrones*, etc. In hac parabola, fratres mei, ostendit Dominus quis sit proximus noster ; quia omnis qui naturæ nostræ particeps est, et qualis debeat esse proximus erga proximum, quia benignus et misericors per charitatem et compassionem. Juxta mysticum vero sensum, ostendit Dominus se præ cæteris proximum esse humani generis, non tantum secundum carnem, sed etiam secundum charitatem, compassionem et redemptionem, quam nobis immeritis exhibuit. Juxta quod ipse ait : *Majorem hac dilectionem nemo habet ut animam suam ponat quis pro amicis suis* (*Joan.* xv). Ostenduntur autem in hac parabola quatuor, ruina generis humani, persecutio diaboli, insufficientia legis, misericordia Christi. Ruina generis humani ostenditur, cum dicitur : *Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho, et incidit in latrones.* Homo enim iste humanum genus est ; qui in primo homine, dum per superbiam ascendere voluit, descendit. Scriptum est enim : *Ante ruinam exaltabitur cor* (*Prov.* xvi). Descendit igitur a Jerusalem cœlesti ad quam creatus fuerat, *in Jericho*, id est, in defectum hujus mundi. Jericho vero *defectus* sive *luna* interpretatur. *Et incidit*, peccando, *in latrones*, id est in potestatem dæmoniorum, qui latenter insidias suas sub specie serpentis rectique consilii occultabant. Et mox aperta persecutio diaboli ostenditur, cum subditur, *qui etiam exspoliaverunt eum*, gratuitis scilicet bonis, ut virtutibus et fructibus earum. *Plagis etiam impositis*, subaudis in naturalibus bonis, ut in intellectu, memoria et hujusmodi. Gratuitis quippe bonis eum penitus privaverunt : Naturalibus vero bonis non eum penitus privaveruut : sed ea in eo deterioraverunt. *Et abierunt* non lædere cessando, sed latendo, *semivivo relicto.* A quo et cui ? A Deo, sibi homini. Fuit enim, exigente peccato suo, a divino auxilio destitutus, et suo arbitrio derelictus. Non fuit tamen omnino mortuus, sed semivivus. Quoniam non potuit diabolus auferre penitus homini scintillam rationis in homine, quæ ei etiam cum peccat, dicit : Malefacis. Insufficientia vero legis ostenditur, cum dicitur ;

Accidit autem ut sacerdos quidam descenderet eadem via, et viso eo præteriit. Similiter et Levita cum esset secus locum et videret eum, pertransiit. Porro sacerdos et levita descendentes eadem via, sunt sacerdotium et ministerium legis, quorum ministri in eamdem quoque miseriam inciderunt. Et cum essent secus eum, et viderent eum, pertransierunt, quia sacerdotes et ministri legis cognoverunt quidem miseriam humani generis, et secus fuerunt per experientiam et compassionem, et non valentes auxilium ferre, præterierunt. Lex enim peccata monstravit, non abstulit. Misericordia autem Christi ostenditur cum subditur : *Samaritanus vero iter faciens, venit secus eum.* Sane Samaritanus, qui interpretatur *custos*, est Christus, hominum custos. Qui iter faciens de cœlo in mundum, factus est vicinus homini per humanitatem, *Et videns* miserias ejus, *misericordia motus est. Et appropians*, per compassionem, *alligavit vulnera ejus*, per correptionem et pœnitentiam, *infundens oleum et vinum* : id est suavitatem et spem veniæ, et austeritatem minarum. Alligat vulnera ejus, dum clamat : *Agite pœnitentiam* (*Matth.* III). Infundit oleum dum addit : *Appropinquabit enim regnum cœlorum* (*Ibid.*). Infundit vinum cum dicit : *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur* (*Ibid.*). Super jumentum suum posuit : cum peccata hominis in corpore suo super lignum portavit. In stabulum tulit, cum in sinu sanctæ Ecclesiæ, ut refoveretur, posuit. Curam illius agit, cum homini modo prospera, modo adversa, prout novit expedire, immittit. *Altera die*, id est post Ascensionem, *protulit duos denarios*, dum notitiam utriusque Testamenti dat magistro Ecclesiæ, dicens illi : *Curam illius habe*, corripiendo, erudiendo, confortando, monendo. *Et quodcunque supererogaveris* novas sententias, monitiones, et exempla addendo; *Ego cum rediero* reddere unicuique secundum merita sua, *reddam tibi.* — *Quis horum trium videtur fuisse proximus illi qui incidit in latrones? Qui fecit*, inquit, *misericordiam in illum.* In quo ostenditur, fratres mei, propinquitatem gentis vel carnis nullam esse in comparatione illius quæ est charitatis et compassionis. Quæ quia in Christo præ cæteris abundavit, præ cæteris est magis proximus noster, et magis diligendus. Sed et post eum, quisquis est magis imitator ejus, magis est proximus noster, et magis diligendus. Unde et subditur. *Vade, et tu fac similiter.* Videlicet ut quemadmodum Christus fecit pro nobis, ita et nos pro eo faciamus ; cum super omnia diligentes, nos et nostra pro eo ponentes, omni etiam homini pro eo charitatem et compassionem exhibentes, persequentibus nos injurias nostras dimittentes; pravos Deo verbo et exemplo lucrifacientes, miseros consolantes, hospites suscipientes, nudos vestientes, famelicos reficientes, captivos redimentes, cæterasque consimiles pietates Christo in membris suis facientes, ut ab eo extremam et æternam consequamur benedictionem. Amen.

HOMILIA XXX.

DOMINICA DECIMA QUARTA POST TRINITATEM.

Spiritu ambulate, et desideria carnis non perficietis (*Galat.* v), etc. Quatuor hic facit Apostolus, fratres mei. Primo monet nos non vivere secundum carnem. Secundo demonstrat quanta guerra sit inter carnem et spiritum. Tertio ostendit quæ sint desideria carnis, et quod damnum afferant. Quarto demonstrat quæ sint desideria spiritus, et quam utilitatem conferant. Primo ergo nos monens Apostolus vivere secundum spiritum, non secundum carnem, ait : *Spiritu ambulate, et Desideria carnis non perficietis.* Ac si aperte dicat, desideria carnis non perficietis. Et est locus ab oppositis. Desideria quippe spiritus et desideria carnis opposita sunt, adeo ut nemo possit in hac vita desideria utriusque simul facere. Desideria enim spiritus sunt mundum contemnere, ad cœlestia toto nisu anhelare, modico contentum esse, amare jejunia, sobrietatem, vigilantiam, castitatem, temperantiam, justitiam cæterasque virtutes. Econtrario vero desideria carnis sunt, mundum amare, cœlestia contemnere, in terrenis divitiis abundare, comessari, inebriari, dormire, luxuriari, superflue vivere atque injuste, et hujusmodi. Porro non ait Apostolus : Spiritu ambulate, et necessitates carnis non perficietis. Bene enim, fratres mei, possumus simul et spiritualiter vivere, et necessitates carnis facere ; ut modeste comedere, bibere, dormire, modeste possidere, et hujusmodi. Unde Paulus ad Romanos [non] ait : Ne feceritis curam carnis, sed ait vigilanter, *Ne feceritis curam in desideriis carnis* (*Rom.* XIII), necessitatem concedendo, et superfluitatem prohibendo. Rursus non ait Apostolus : Et desideriis carnis non movebimini; præsertim cum motus nostri carnales in potestate nostra non sint. Sed ait : *Et desideria carnis non perficietis*, id est, ad effectum non ducetis. Spiritualiter enim vivere, et tamen aliquando moveri desideriis carnis possumus. Sed spiritualiter vivere, et desideriis carnis ad effectum ducere simul non valemus. Proinde, fratres mei, spiritualiter vivere conemur, ut turpia desideria in nobis nascentia, etsi non omnino amovere, tamen compescere et refrenare valeamus. *Beatus* enim, inquit David, *qui tenebit*, id est, retinebit, *et allidet parvulos suos*, id est, nascentes carnis suæ motus, *ad petram* (*Psal.* CXXXVI), id est ad Christum.

Sequitur pars secunda, in qua ostenditur quanta guerra sit inter spiritum et carnem, cum subditur : *Caro enim concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem, ut non quæcunque vultis, illa faciatis.* Caro enim sæpe impedit ne faciamus voluntatem spiritus. Et spiritus sæpe impedit ne faciamus voluntatem carnis. Videntur autem hic, fratres charissimi, quinque inquirenda. Primo enim quare caro dicatur concupiscere adversus spiritum, cum caro nihil possit nisi per spiritum. Caro hoc in loco,

fratres mei, non vocatur sola caro, sed sensualitas cum carne. Duæ quippe sunt vires sive potentiæ, spiritus superior, et inferior. Superior est ratio, quæ cœlestia contemplatur et quærit. Inferior vero est sensualitas quæ per quinque officinas corporis temporalia sola desiderat et quærit. Superior ergo pars spiritus vocatur interior homo, sive spiritus. Inferior vero pars cum carne, vocatur exterior homo sive caro : ideo quia a carne sola habet quod temporalia desiderat et quærit. Hinc est quod homo, qui vivit secundum sensualitatem, homo carnalis, imo etiam totus caro dicitur. Sicut econtrario ille qui vivit secundum spiritum, homo spiritualis, imo etiam spiritus dicitur. Secundo quæritur unde est tanta repugnantia inter spiritum et carnem, id est inter rationem et sensualitatem, ut altera concupiscat contra alteram. Ex culpa protoplasti. Ante enim culpam creatus sic et ordinatus erat homo a Deo, ut nullam in se sentiret rebellionem, sed spiritus suo Creatori subditus et obediens esset, caro vero sive sensualitas spiritus in omnibus sine contradictione pareret. Quia vero spiritus peccando inobediens Deo fuit, inde merito suum inferius, id est, carnalitas cum sensibus suis ei obedire contempsit. Hinc est quod Adam post peccatum se nudum vidit, id est se gratia et dominio, quod habebat in membris suis spoliatum cognovit. Est ergo hæc repugnantia in homine, non ex natura, sed potius ex peccato pœna inflicta. Tertio quæritur quare Dominus a servis suis hanc repugnantiam non tollit. Quia, fratres mei, novit Dominus eam servis suis esse utilem tribus modis. Reddit enim eos humiliores, ne scilicet de se præsumant : dum internam rebellionem non ex se, sed ex sola gratia se posse superare vident. Reddit eos erga alios misericordiores ; ex propria enim miseria quomodo aliis misereri debeant addiscunt. Reddit eos victoriosiores. Quanto enim majorem sentiunt et vincunt pugnam, tanto majorem consequentur coronam. Quarto quæritur quomodo in hac interna et tam familiari guerra poterimus victoriam obtinere. Non per nos, fratres mei, sed per solam Dei gratiam. Unde Apostolus : *Infelix*, inquit, *ergo homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus ? Gratia Dei per Jesum Christum* (*Rom.* VII). Sed quoniam gratia Dei non provenit dormitantibus, si volumus hanc rebellionem vincere in nobis, instandum est vigilanter orationi, et carnis macerationi. Porro, fratres mei, super motus cordis et carnis nostræ vigilare continue debemus; malos, si surrexerint, omnino exstinguendo; bonos, etiam si excesserint, corrigendo. Non simus sicut quidam carnales homines, qui nullam in se cognoscunt rebellionem, sed omnem motum surgentem recipiunt, et nulli tentationi obsistunt. Oremus etiam, et contra pravos motus nostros auxilium desuper quæramus, dicentes cum Psalmista : *Domine, ure renes nostros et cor nostrum* (*Psal.* XXV); videlicet ne illi male delectentur, vel illud male cogitet, igne sancti Spiritus expurga. Carnem quoque jejuniis et orationibus atque laboribus maceremus, et spiritui eam servire cogamus ; quia duorum rebellium, quorum quanto alter debilior, tanto alter fortior est. Unde Apostolus, *Quando*, inquit, *infirmor, tunc fortior sum et potens* (*II Cor.* XII); subaudis secundum spiritum. Quinto, si ut ait Apostolus, non facimus ea quæ volumus, vel si facimus ea quæ non volumus (*Rom.* VII), quomodo ad præmium vel ad pœnam sunt nobis imputanda. Duæ voluntates, fratres mei, contrariæ sunt in homine : una rationis ; altera sensualitatis, sive carnis. Sed secundum illam quæ superat nolentes judicamus. Vult enim quilibet malus salvari, voluntate rationis, sed voluntate carnis hoc non vult, dum per eam voluntati contraria facit. Quia ergo voluntas carnis in eo superat voluntatem mentis, magis nolens quam volens salvari, debet judicari. Similiter aliquis bonus vult voluntate carnis cognoscere alterius uxorem, sed secundum voluntatem spiritus hoc nolens, voluntatem carnis refrenat; hic magis nolens quam volens cognoscere mulierem debet dici. Propter hanc duplicem voluntatem dicit Salomon, *Vult et non vult piger* (*Prov.* XIII). Omnia ergo quæ facimus, fratres mei, secundum voluntatem quæ superat, non secundum eam quæ superatur nobis debent imputari. Propterea, fratres, carnis voluntatem in nobis refrenemus, et bonam spiritus voluntatem in nobis nutriamus *Quod si*, inquit, *spiritu ducimini, non estis sub lege*. Carnales et peccatores sub lege arctantur ; spirituales vero viri lege non indigent, cum propria ratione regantur. Unde Apostolus : *Lex*, inquit, *non est posita justis, sed injustis et peccatoribus* (*II Tim.* I).

Sequitur pars tertia, in qua Apostolus enumerat desideria carnis dicens : *Manifesta autem sunt desideria carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum servitus*, etc. Dicitur autem fornicatio omnis coitus præter legitimum. Immunditia vero est omnis coitus contra naturam. Impudicitia est omnis impudentia quæ fit vel in verbis, vel in motibus, vel in gestibus dissolutis. Luxuria est omnis luxus vel ciborum vel vestium, vel quarumlibet superfluitatum. Idolorum servitus, duplex est : Alter eorum qui cultum Deo debitum exhibent creaturæ ; alter eorum qui creaturam præponunt Creatori, ut avarus, qui præponit nummum Deo, et luxuriosus meretricem, et gulosus ventrem. Veneficia sunt quæ per venena, vel magicas artes exercentur. Inimicitiæ sunt, quando non vitia, sed ipsi homines odio habentur. Contentiones sunt pugnæ verborum factæ de re inutili vel de utili inutiliter. Æmulationes sunt malorum in prosperitate sua. A quibus nos dehortatur David dicens : *Noli æmulari in malignantibus neque zelaveris facientes iniquitatem ; quoniam tanquam fenum velociter arescent* (*Psal.* XXXVI), etc. Iræ sunt commotiones mentis contra hominem, non contra vitium, vel contra vitium immoderate. Rixæ sunt alternæ et contumeliosæ lacerationes ad modum canum, unde

et a *ringo*, *ringis*, rixæ denominatæ sunt. Dissensiones sunt quando aliqui a veritate, vel ab usu communi pertinaciter dissentiunt. Sectæ sunt quando aliqui unitatem fidei, vel charitatis, vel communitatis scindunt. Invidiæ sunt quando aliqui de bonis aliorum uruntur, de qua poeta dicit : Justius invidia nihil est, quæ protinus ipsum auctorem damnat, excruciatque suum. Homicidia dicuntur pluraliter, quoniam sex sunt species homicidiorum. Ebrietates sunt frequentes et immoderatæ potationes. Comessationes sunt frequentes immoderatæque epulationes. *Et his similia*, inquit, subaudis vitia, *quæ prædico vobis, sicut prædixi*, ut scilicet caveatis ab his dum habetis tempus pœnitentiæ et emendationis. Nam hæc et similia vitia adeo sunt damnosa, *quoniam qui talia agunt ;* subaudis finaliter *regnum Dei non consequentur*, id est, damnabuntur ; nullum est enim medium. Propterea, fratres mei, omni sollicitudine ab hujusmodi cavete. Sed et si forte aliquando talia fecistis, dum licet, pœnitentiæ lacrymis vos abluere mementote.

Sequitur pars quarta, in qua enumerat Apostolus desideria spiritus dicens; *Fructus autem lucis sunt, charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, fides, mansuetudo, modestia, continentia, castitas.* Sed quare Apostolus loquens de vitiis ait, *opera carnis*, loquens vero de virtutibus ait, *fructus lucis?* Quoniam vitia tanquam opera caduca cito cadunt et transeunt, virtutes vero tanquam fructus multiplicantur, et mentem illuminant, et ad lucem æternam trahunt. Charitatem autem, id est dilectionem Dei et proximi, ideo cæteris præponit, quoniam ipsa est fons et origo omnium virtutum. Hac enim habita, cætera habentur, et qui hanc non habet, factus est omnium reus. Gaudium non sæculare, cujus extrema luctus occupat ; sed spirituale, quod est in spe, vel in re spiritualis et æterni boni. Pax non illa, de qua Dominus, *Non veni*, inquit, *pacem mittere in terram, sed gladium* (*Matth.* x) : sed illam qua pacificatur homo Deo, sibi et proximo. Patientia quæ est æquanimitas adversa sustinendi. Longanimitas, quæ est virtus, per quam sine fatigatione longius adversa sustinemus, et præmia speramus. Fides, quæ est perceptio invisibilium, ad salutem pertinentium cum assensione. Bonitas, quæ est virtus omnera detestans malitiam. Benignitas, quæ est virtus prompta et exposita ad benefaciendum. Mansuetudo, quæ est virtus faciens nos tractabiles et humiles ad obediendum. Modestia, quæ est virtus refrenans in nobis pravos motus, et omnem intemperantiam. Continentia, quæ est virtus etiam a concessis continens. Castitas, quæ est virtus castrans in nobis omnem libidinem. Et quam utilitatem conferant ista? Libertatem a jugo legis et vitiorum. Unde et subdit; *Adversus hujusmodi non est lex*, id est tales non damnat, neque premit lex, sicut Judæos. *Qui autem*, inquit, *sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis*, id est qui supradictas virtutes Christi habent, vitia et carnales concupiscentias in se mortificaverunt, et Deo vivunt. Propterea vitia et carnis petulantiam per jejunia, vigilias, labores et orationes in nobis mortificemus. Charitati, paci, patientiæ, castitati, cæterisque virtutibus insistamus, ut mortui mundo vivamus Deo ; et hic vita spirituali, et in futuro vita cœlesti, per Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXXI.

DOMINICA DECIMA QUARTA POST TRINITATEM.

Cum iret Jesus in Jerusalem, transibat per mediam Samariam et Galilæam. Et cum ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi (*Luc.* XVII).

In hac sancti Evangelii lectione, fratres charissimi, primo juxta litteram sex sunt consideranda : Domini circa salutem hominum sollicitudo, ejusdem prona miseratio, legis observatio, leprosorum fides et obedientia, divina in Christo potentia, quantum sit bonum gratitudinis et quantum malum ingratitudinis. Porro sollicitudo Domini circa salutem hominum in hoc apparet, quoniam cum pro salute hominum de cœlis descendisset ad terras, dum fuit in terra, semper circa eamdem rem fuit sollicitus eundo in labore et siti, et per insidias de loco ad locum circumeundo urbes et castella, et loca, in quibus præsciebat aliquem ad vitam prædestinatum se inventurum ; ut ita filios Dei, sicut ipse ait, qui erant dispersi, congregaret in unum (*Joan.* XI). In quo pastoribus sanctæ Ecclesiæ exemplum dedit, idem faciendi. Hoc sequentes fecerunt apostoli, hoc et reliqui Patres præponentes quietem suam per labores penurias, et insidias pergebant Deo lucrum facere animarum. Heu! quid dicam super pigritiam modernorum pastorum, spernentes salutem animarum, de quiete sua nunquam exeunt, nisi forte trahat eos lucrum pecuniarum? Quos si forte pauper decubans in grabato ad se vocaverit, super anima sua ab eis consilium quæsiturus, indignantur et contemnunt ire, ubi sciunt lucrum pecuniarum deesse; vel si forte timentes auctoritatem majorum inviti eant, causantur tempora et vias, et maledicunt infirmis, pro quibus orare debuerant. Sed isti in numero pastorum habendi non sunt, sed mercenariorum. Miseratio autem Christi in hoc apparuit, quoniam ut vidit decem leprosos eorum misertus est, dans nobis exemplum, ut semper erga miserorum afflictionem viscera misericordiæ in nobis habeamus. Unde ipse alibi dicit : *Estote misericordes, sicut et Pater vester cœlestis misericors est* (*Luc.* VI). Quod aperte contra illos est qui ac si ferrei essent, aliorum miseriei nulla moventur compassione. Sed ut ait Jacobus : *Judicium sine misericordia fiet ei qui non fecerit misericordiam* (*Jac.* II). Legem etiam se observare Christus demonstrat, quando juxta quod in lege scriptum erat leprosos mittit ad sacerdotes. Porro, fratres, si subtiliter inspiciamus, triplici de causa misit Dominus leprosos ad sacerdotes. Prima est, ut in hoc se non destruere legem, sed adimplere demonstraret. Secunda,

ut sacerdotes honoraret, et eos honorandos esse, et offerendas eis faciendas demonstraret. Unde confutantur illi qui sacerdotes Domini ob viliorem eorum vitam honorare et eis deferre detrectant, non considerantes quod non ministrum in se, sed Deum in ministro honoramus, et quod sacerdoti, non propter se, sed Deo in eo, supplicamus et offerimus. Tertia causa est, ut spiritualem lepram, id est culpam criminalem, sacerdoti per confessionem significaret esse demonstrandam. Fidem quoque et spem se habere leprosi testati sunt, quando *Jesu miserere nostri*, clamaverunt. Nisi enim eum misericordiam talem sibi posse conferre crederent, eum nunquam super hoc rogarent; et nisi sperarent, sanitatem ab eo non postularent. Obedientiam etiam Domino exhibuerunt, cum ad ejus præceptum mox ad sacerdotes cucurrerunt. Sed consideremus, fratres mei, hic quanta sit virtus obedientiæ fidelis. Non enim legitur hic quod usque ad sacerdotes pervenerint, sed in cœpto et proposito eundi mundati sunt, et voluntas pro facto reputata est. Hic, fratres, contendamus habere virtutem fidei et obedientiæ. Si enim habes fidem et obedientiam, etsi non potes quod juberis, fac quod potes, et pro facto reputabitur. Ut enim ait Samuel : *Melior est obedientia quam victimæ* (*I Reg.* xv). Legimus in Vitis Patrum, quod cum quidam abbas vellet obedientiam cujusdam novitii tentare, præcepit ei ut in clibanum ardentem prosiliret. In quem cum ille dicto citius prosiliisset, incombustus exivit. Maurus quoque ad jussum sancti Benedicti, Placidum puerum de aquis extrahens more Petri super aquas ambulavit. Quid plura? Quid boni obedientia habeat, malum inobedientiæ protoplasti demonstrat. Divinam vero se habere potentiam Dominus demonstravit, quando leprosos absentes sine alicujus facti vel dicti adminiculo, sola voluntate sanavit. Ut aperte demonstraret se illum esse, de quo Propheta canit : *Dominus autem in cœlo, omnia quæcunque voluit fecit* (*Psal.* xcm). Quantum autem sit bonum gratitudinis, et quantum sit malum ingratitudinis, ostenditur, cum subditur : *Unus autem, ut vidit quia mundatus est, reversus est cum magna voce magnificans Deum. Et cecidit in faciem suam ante pedes Jesu, gratias agens.* Consideremus autem, fratres mei, quod dicitur : *Ut vidit quia mundatus est*, et quod cum *magna voce magnificans Deum*, et quia *cecidit in faciem suam ante pedes Jesu, gratias agens*. Vidit quia mundatus, id est videns de se, tali prius per culpam, talem factum esse per gratiam, reversus est non solum corde, sed etiam opere, ad suum mundatorem, *magnificans* divinam potentiam, *magna voce*, non tam clamosa quam devota, *cecidit in faciem suam*, de meritis suis se cadere cognoscens, et emendationem suam soli auctori ascribens, et de gratuito bono illi gratias agens. Bene autem hic Samaritanus, id est *custos*, erat, quia collatum sibi beneficium in memoria custodiebat. Et hoc contra illos qui beneficii immemores fuerunt. Quantum vero sit malum ingratitudinis, ostenditur cum Dominus ait : *Nonne decem mundati sunt, et novem ubi sunt?* Ac si aperte dicat : Quia ad agendas gratias non reversi sunt, ut debuerunt, idcirco, per malum ingratitudinis devoluti sunt ad pristinam lepram, imo pejorem quam anteriorem. *Non est*, inquit, *inventus qui rediret et daret gloriam Deo, nisi hic alienigena.* Ac si dicat, noti et cognati mei, more suo semper mihi ingrati existunt. Cumque multi divina sint experti beneficia, non invenitur qui Deo gratus existat, nisi unus, amator charitatis et unitatis. Nam etiam ipsi Judæi indigne mihi de collatis sibi beneficiis ingrati existunt, sed gentilis alienigena, qui per legem ad agendas gratias instructus non est, mihi solus gratus est. *Fides*, inquit, *tua te salvum fecit.*

Quare Dominus in hujusmodi dicere solitus erat : *Fides tua te salvum fecit* [potius], quam spes, vel charitas tua? Sicut enim illa, ita et hæc ad salutem sunt necessaria. Sed tunc, cum essent fere omnes infideles, primo fides quærebatur, quæ est fundamentum omnium virtutum. Nec tamen intelligenda est hic fides sola, sed fides cum spe et dilectione. *Vade*, inquit, *in pace*, id est in pacem mentis profice, usque in pacem æternitatis. Juxta mysticum vero sensum, quatuor nobis consideranda sunt. Primo quo et per quam viam debeamus ire. Quo? in Jerusalem. Per quam viam? Per mediam Samariam et Galilæam, id est per custodiam mandatorum Dei ita pergere debemus, ut nec ad minus nec ad nimis declinemus. Ita mediocritatem virtutum teneamus, ut nec ad ulteriora, nec ad citeriora vitia appropiemus. Ita teneamus largitatem, quod nec ad prodigalitatem, nec ad avaritiam declinemus; ita justitiam quod nec ad crudelitatem, nec ad laxitatem appropiemus, et similiter in cæteris. Debemus etiam desiderio transmigrare ad cœlestia, et sursum habitare mente, ut dicamus cum Propheta : *Portio mea hæc in terra viventium* (*Psal.* cxli); et illud : *Quid enim mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram?* (*Psal.* lxxii.) Qui enim hic mente habitant, ad cœlestem Jerusalem non pergunt. Secundo insinuatur nobis ab istis decem leprosis quomodo debeamus postulare a Domino intus mundari. Illi enim Domino occurrerunt, a longe steterunt, vocem suam levavorunt, et dixerunt : *Jesu præceptor, miserere nostri.* Per decem leprosos significantur illi qui, quamvis decalogum legis professi, per aperta crimina notabiles sunt. Quales (quod sine gemitu dicere non possum) plerique nostrum sunt. Si ergo, fratres, peccatis leprosi sumus, exemplo horum Domino per gratiam venienti occurrere debemus per desiderium. Nec esse graves oportet ad surgendum, sicut quidam sunt, qui vix flagellis et tribulationibus emendari volunt. Stemus etiam a longe, ut scilicet propriæ lepræ conscii nos humiliemus, judicantes nos indignos, qui vel accedamus consortio hominum, vel sanctuario Dei, sicut Publicanus fecisse legitur. Levemus etiam vocem nostram magis devotione quam clamore, non alienam vocem, sed de affectione in-

timi cordis procedentem. Et dicamus fide et devotione : *Jesu præceptor*, cujus scilicet præcipere est facere, *miserere nostri*, nos a lepra peccatorum abluendo. Tertio insinuat nobis Dominus, quomodo ipse criminosos a peccatis emundet, cum ait : *Ite, ostendite vos sacerdotibus.* Cum enim quotidiana et levia peccata, qualibet levi satisfactione, etiam sine expressa confessione nobis dimittantur, lepram, id est majora crimina præcipit nobis Dominus sacerdotibus ostendere, et juxta eorum mandatum satisfacere. Sed quare cum per se Dominus ea mundare posset, sacerdotibus confiteri præcepit ? Ex triplici ratione : Ut scilicet nemo propter peccata desperaret, dum medicum peccatorum juxta se invenire posset; ut etiam in hoc quisque mereretur quod homini, æquali scilicet suo, se humiliaret; ut etiam alter alterius onera portaret. Sed quid est quod leprosi, antequam perveniant ad sacerdotes, mundantur in via, nisi quod peccatores, dum pœnitendo eunt, vel ire volunt confiteri sacerdotibus, in hoc proposito a peccatis mundantur? Hinc David : *Dixi! Confitebor adversum me injustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei* (*Psal.* XXXI). Quasi diceret : Deliberavi apud me peccatum meum confiteri, et tu, Domine, remisisti. Tamen non idcirco spernant peccatores peccata sua sacerdotibus confiteri, quoniam ex contemptu tenerentur rei. Etsi enim in cordis contritione peccata dimittantur, non tamen Ecclesiæ esse dimissa ostenduntur. Deus quippe ut auctor solvit vel ligat, sacerdos vero ut minister ligatum vel absolutum esse demonstrat. Hinc est quod Lazarum, quem per se in tumulo suscitaverat, discipulis Dominus jubet ut absolvant et abire sinant. Quarto demonstratur nobis quomodo ingratitudinem fugientes, de emundatione aut gratiarum collatione gratias Deo agere debeamus. Est autem triplex ingratitudo : Prima, illorum qui de collato beneficio gratias Deo non referunt; secunda, illorum qui ad vomitum redeunt; tertia eorum qui talentum commendatum inutiliter abscondunt. Quibus omnibus non solum per ingratitudinem gratiæ subtrahuntur, et vitia redeunt, sed etiam pejores efficiuntur, Domino alibi attestante : *Et fiunt*, inquit, *novissima hominis illius pejora prioribus* (*Matth.* XII; *Luc.* XI). Nos ergo, fratres, exemplo decimi leprosi consideremus quales fuerimus ex culpa nostra; et quales sumus ex gratia. Revertamur corde ad Deum emundatorem nostrum; ejus misericordiam magna cordis devotione laudemus, et cadamus ante pedes ejus, non retro ut Heli in mortem, sed in faciem, id est in propriæ fragilitatis cognitionem, nobis peccata et Deo bonum quod habemus attribuentes, et inde ei gratias semper referentes. Nec solum, fratres, de bonis nobis collatis ei gratias referamus, sed etiam de damnis et flagellis dicentes cum beato Job : *Si bona suscepimus de manu Domini, mala etiam quare non suscipiamus ? Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit ita factum est, sit nomen Domini benedictum* (*Job* I). Agere enim in prosperis gratias, etiam quorumdam malorum est. Unde David : *Confitebitur*, inquit, *tibi cum benefeceris ei* (*Psal.* XLVIII). Agere etiam in adversis gratias, tantum bonorum est, qui ipsa adversa magna dona esse intelligunt, per quæ pius pater filios quos magis diligit corripit. Inter quos, fratres, hic corripi a Deo diligamus, ut cum eis consolari mereamur. Amen.

HOMILIA XXXII.

DOMINICA DECIMA QUINTA POST TRINITATEM.

Si spiritu vivimus, spiritu et ambulemus (*Gal.* V, VI), etc. Tripertita est hæc lectio, fratres charissimi. Primo enim nos hortatur Apostolus ad spiritualem vitam. Secundo ostendit quæ vita sit spiritualis. Tertio præcipit, ut subditi magistris suis spiritualibus omnia bona sua communicent. Hortans ergo nos Apostolus primo ad spiritualem vitam, ait : *Si spiritu vivimus, spiritu et ambulemus.* Quatuor modis, fratres mei, accipitur hoc nomen spiritus in sacra Scriptura. Quandoque enim ponitur ad significandum spiritum humanum, ut quando dicitur quod homo constat ex corpore et spiritu. Quandoque vero ponitur ad significandum partem ipsius spiritus, superiorem scilicet rationem, ut sibi : *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma* (*Matth.* XXVI; *Luc.* XXIV). Quandoque vero ponitur ad significandum interiorem litteræ intellectum, ut ibi : *Littera occidit, spiritus autem vivificat* (*II Cor.* V). Quandoque etiam ponitur ad significandum Spiritum sanctum. Spiritus ergo, secundum primam acceptionem, confert nobis ut etiam vivamus corporaliter. Secundum vero secundam et tertiam et quartam acceptionem, confert nobis ut vivamus spiritualiter. Ait ergo Apostolus : *Si spiritu vivimus, spiritu ambulemus.* Ac si aperte dicat, Si nec spiritualiter nec etiam corporaliter possumus vivere, nisi ex spiritu, secundum spiritus, non secundum carnis voluntatem operemur. Non simus ergo, fratres mei, similes Adæ, qui abiit in consilio impiorum, suggestionibus scilicet uxoris et serpentis consentiendo, sed potius tentationes diaboli repellentes, carnem nostram jejuniis et macerationibus cogamus consilio spiritus obedire.

Sequitur pars secunda, in qua ostendit Apostolus, quæ vita sit spiritualis, ea scilicet quæ vitia fugit, et virtutes sequitur. Unde et subdit : *Non efficiamur inanis gloriæ cupidi*, subaudis nec cæterorum vitiorum. Sed ideo hic potius ponit vanam gloriam, quoniam ea præcipue viros spirituales solet impugnare, qui habent multa bona unde glorientur. Est enim vana gloria, quando aliquid de bono quod habet vel habere videtur, non Deo, sed sibimet gloriam tribuit, vel quærit, vel recipit. Ideo autem dixi de bono quod habere videtur, quoniam hypocrita etiam de bono, quod simulat humanam gloriam captat. Cæteri, si gloriantur de bono quod habent (de bono dico spirituali vel corporali), sed de corporali bono gloriantur et superbiunt tantum sæculares et bruti homines. De spirituali vero bono, plerum-

que ipsis magnis et spiritualibus viris accressit gloria et elatio. Sed istorum omnium, alii de bono quod habent, sibimet attribuunt gloriam, a se, vel ex meritis suis illud se habere putantes. Alii vero exterius humanam captant gloriam, et si non sit qui eos laudet, ipsi seipsos laudare non erubescunt. Alii autem sunt qui, etsi de bono suo laudem humanam non quærunt, tamen ab aliis oblatam recipiunt. Qui quamvis ad laudem sibi oblatam erubescant, et se fateantur indignos, tamen intus ad auditam laudem animus gaudet et gloriatur. Hæc autem gloria inanis sive vana dicitur, quia a gloria vera æternæ retributionis cassatur. Unde Dominus de hujusmodi ait : *receperunt mercedem suam* (*Matth.* v), gloriam scilicet temporalem quam quæsierunt, non æternam. *Invicem*, inquit, *provocantes*, *invicem invidentes.* Proprium est gloriosorum hominum, ut alios provocent ad contentionem et certamen, ut in ipso certamine appareant superiores. Quod si eos superare non valent, invident, et de bono eorum cruciantur. Nos ergo, fratres charissimi, de bono si quod facimus, nec intus in nobis gloriemur, nec exterius ventulum humanæ gloriolæ captemus, nec oblatum recipiamus, sed laudantis verba interrumpamus dicentes : Non laudaveris hominem in vita sua. Lauda post mortem (*Eccli.* xi). Tunc enim nec laudans adulatur, nec laudatus tentatur. Sed quoniam non sufficit vitia cavere, nisi etiam bona faciamus, addit Apostolus : *Fratres, si prævoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, instruite hujusmodi in spiritu lenitatis* (*Gal.* vi). Hortatur autem hic nos ad compassionem et ad instructionem delinquentium. Quod maximi meriti esse testatur Jacobus, dicens : *Si quis converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte, et operiet multitudinem peccatorum* (*Jac.* v). Porro aliter corripiendi sunt fortiores et sapientiores, quando peccant, aliter fragiliores et rudiores, aliter qui peccant ex præconsideratione, aliter qui ex præoccupatione, aliter qui in pluribus, aliter qui in uno, aliter qui faciunt quod non deberent, aliter qui non faciunt quod deberent, quod est delictum. Qui enim fortior et sapientior est, vel qui peccat ex præconsideratione, vel qui peccat in pluribus, vel qui facit contra præceptum manifeste, gravius arguendus est. *At si homo*, id est fragilis, *fuerit prævoccupatus* subito, non in pluribus, sed in aliquo delicto, *vos qui spirituales estis*, ad quos scilicet pertinet peccantes corrigere, *instruite hujusmodi*, et hoc *in spiritu lenitatis*, non eos scilicet deridendo vel exsecrando, vel ad desperationem provocando (ut quidam solent), sed potius ad pœnitentiam exemplo peccatorum conversorum trahendo, et veniam promittendo. *Considerans*, inquit, *teipsum, ne et tu tenteris.* Ac si dicat : Cum consideras homines, considera quoque teipsum, qui homo et fragilis es, et similiter potes tentari, vel jam tentatus es. Et in te addisce, qualis inter cæteros esse debeas. Nihil enim, fratres charissimi, plus movet hominem ad pietatem et compassionem, quam proprii periculi consideratio. Hinc est quod Dominus Petrum, principem apostolorum, primum permisit cadere, ut videlicet in seipso disceret quomodo cæteris misereri deberet. *Alter*, inquit, *alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi.* Est onus peccatorum, et est onus necessitatum, est et onus molestiarum. Onus ergo, fratres mei, peccatorum proximi portemus, pro eis orando, eos corripiendo et ad emendationem vocando. Sic enim fecit Christus, qui non solum peccata nostra tulit, orando, corripiendo, et ad emendationem vocando, sed etiam pœnam pro eis in suo corpore portando. Ipse est Agnus qui tulit peccata mundi (*Joan.* i). Onus quoque necessitatum proximi portemus, ejus indigentiis et afflictionibus compatiendo, consulendo et subveniendo. Sic enim fecit et docuit Christus, qui indigentiis et afflictionibus humanis compassus est, consuluit et subvenit. Onus etiam molestiarum proximi nostri portemus, indignationes, contumelias et injurias ab illis nobis illatas æquanimiter patiendo, et pro eis affectuose orando. Sic enim fecit et docuit Christus, qui persecutorum odia, contumelias et injurias passus et compassus est, reddens pro odio dilectionem, pro contumeliis orationem, pro injuriis beneficentiam. *Si quis autem*, inquit, *existimat se aliquid esse (cum nihil sit) ipse se seducit.* Generaliter, fratres mei, hoc verum est, quia si quis se existimat aliquid esse, in quo nihil est, ipse utique se seducit. Si quis æstimat se non egere aliorum auxilio, ipse se seducit. Si quis æstimat se ex meritis suis aliquid esse vel respectu aliorum, ipse se seducit : Et hujusmodi. *Opus suum probet unusquisque, et sic gloriam in seipso tantum habebit, et non in altero.* Porro opus probum et probatum est, quando et in genere est bonum, et in intentione, et a vana gloria vel superbia est incorruptum. Multi quippe faciunt opus bonum in genere, sed distortum intentione ; ut ille qui facit eleemosynam propter vanam intentionem. Multi quoque faciunt opus bonum in genere, et rectum intentione, sed corruptum a vana gloria vel superbia, ut quando scilicet ex latere se adjungit vana gloria in faciendo, vel post factum. Quando autem in ipsa intentione est vana gloria, facti sunt hostes in capite ; quando vero se adjungit rectæ intentioni nostræ, juxta iter scandalum posuerunt nobis (*Psal.* cxxxix) ; quando vero sequitur post factum, calcaneo nostro insidiati sunt. Qui ergo opus suum probat in genere, et in intentione, et in conservatione, ille, inquit, gloriam in scipso tantum habebit : Non ait a seipso, quia a Deo tantum gloria vera est ; sed in ipso, id est, in conscientia sua, non extra. Quod exponens subdit, *et non in altero*, id est non ex malorum vel minus bonorum comparatione, vel ex adulatorum laudatione, ut plerique faciunt, sibi gloriam attribuentes : Qui enim ita gloriatur, decipitur. At qui de bono sibi a Deo dato, gloriatur in Deo, apud seipsum bene agit. Unde Apostolus : *Gloria*, inquit, *nostra testimonium est conscientiæ nostræ* (*II Cor.* i). Nunquid majus

malum vel minus bonum aliorum est laus nostra? minime : *Unusquisque enim onus suum portabit.* Non est autem, fratres, hoc contrarium ei quod superius dictum est, *alter alterius onera portate.* Hoc enim dictum est contra illos qui, ex alieno peccato, se vel laudari vel maculari putant. Unusquisque enim onus, id est pœnam sustinebit pro peccato suo, non alieno, nisi forte alienum peccatum per consensum vel per incuriam faciat suum. Illud vero dictum est contra illos qui adeo duri sunt, quod nesciunt compati proximorum indigentiæ vel fragilitati. Nos quoque, fratres, ita compatiamur peccatoribus, quod eorum peccatis per consensum non involvamur, et ita refugiamus proximorum peccatis involvi, quod eis per compassionem approximemus.

Sequitur pars tertia, in qua præcipit Apostolus ut subditi omnia bona sua communicent spiritualibus magistris suis, dicens : *Communicet autem is qui catechizatur*, id est instruitur, *verbo, ei qui se catechizat in omnibus*, quod etiam Dominus in Evangelio præcipit. Quare? triplici ratione. Primo quia debitum est. Unde Dominus : *Edentes*, inquit, *et bibentes quæ apud illos sunt. Dignus est enim operarius cibo suo* (*Luc.* x). Et Apostolus : *Si vobis*, inquit, *spiritualia seminavimus : magnum est si vestra carnalia metamus?* (*I Cor.* IX.) Et Dominus in lege : *Non alligabis*, inquit, *os bovi trituranti* (*Deut.* xxv). Secundo quia expediens est. Si enim necesse esset spiritualem magistrum esse sollicitum pro necessariis corporis, impediretur a lectione, et oratione et prædicatione, et a cæteris spiritualibus studiis, in quibus propter subditos debet vigilare. Propterea ut esset expeditus ad spiritualia, præcepit Dominus ut a subditis acciperet necessaria. Unde et in eo superfluitas capillorum et barbæ resecatur, ne visum vel auditum, vel cæteros ejus sensus impediant, ut per hoc intelligat a se debere resecari exteriorum curarum superfluitatem. Tertio, quia utile est. Utile est enim sæcularibus personis, ut, per subministrationem temporalium, se participes faciant meritorum spiritualium virorum. Unde Dominus : *Qui recipit*, inquit, *prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet* (*Matth.* x). Non ait mercedem pro propheta recepto, sed mercedem prophetæ. Qui enim prophetam vel prædicatorem sustentat, ne a spirituali opere deficiat, quodammodo mercedem prophetæ facit suam. Hinc Dominus per significationem inter utiles vel fructiferas arbores, etiam ulmum ponit dicens per Isaiam : *Dabo in solitudinem cedrum, et spinam, et myrtum, et lignum olivæ : ponam in deserto abietem, ulmum et buxum simul* (*Isa.* XLI). Quamvis enim ulmus sit sterilis, tamen vitem cum fructibus solet sustinere. Per quod significatur quod inter spirituales viros in Ecclesiam gentium Dominus sæculares personas ponit, qui, quamvis non habeant fructum spiritualium virorum, tamen spirituales viros cum fructibus suis, beneficiis temporalibus sustentant. Sed quia quidam subditi avari solent se excusare per inopiam, subdit : *Nolite errare, Deus non irridetur*, quasi dicat excusando : Vos hominem fallere potestis, non Deum. Et propterea bona quæ potestis, facere debetis, quia qui in hac vita non seminat bona, in alia vita non potest metere bona. Unde et subdit : *Quæ enim seminaverit homo, hæc et metet.* Nam *qui seminat in carne*, id est qui carnalia et mala opera facit, *de carne metet corruptionem*, id est pœnam. *Et qui seminat in spiritu*, id est qui secundum voluntatem spiritus operatur, *de spiritu metet vitam æternam. Bonum ergo facientes non deficiamus. Tempore enim suo metemus, non deficientes.* Quasi dicat : Qui non deficit in satione, non deficiet in messione. *Faciamus ergo*, inquit, *bonum ad omnes*, supple quod possumus, et cujus unumquemque egere videmus. Quod autem legitur : *Benefac justo, et non dederis impio* (*Eccle.* XII); non naturæ, sed impietati auxilium denegat faciendum. Sed cum omnibus benefacere debeamus, *maxime tamen ad domesticos fidei*. Cum enim et Judæis et paganis bonum facere debeamus, tamen præcipue Christianis, et inter ipsos Christianos, eis qui magis fraternitate, sanguine, familiaritate nobis conjuncti sunt; ordinatam enim debemus habere charitatem. Itaque, fratres, viscera benignitatis et pietatis erga omnes habeamus, juvantes hunc re, hunc verbo, hunc protectione, hunc consilio, hunc correctione, hunc admonitione, omnes vero voluntate et oratione, quatenus hic large seminantes, in æterna largius metere mereamur, per Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXXIII.

DOMINICA DECIMA QUINTA POST TRINITATEM.

Nemo potest duobus dominis servire (*Matth.* VI). Sicut ex hac sancti Evangelii lectione, fratres charissimi, nobis innuitur, tres sunt hominum species. Alii enim serviunt Deo, alii mundo, alii utrique servire volunt, sed non possunt. Porro Deo serviunt, qui ei toto corde et principaliter adhærent, et ei obsequuntur. Quæ servitus beata et desiderabilis est et benedicta; nam scriptum est : « Deo servire, regnare est. » Mundo vero serviunt, qui ei principaliter adhærent, et cupiditatibus obsequuntur. Quæ servitus infelix est et misera. Nam scriptum est : *Qui facit peccatum, servus est peccati* (*Joan.* VIII). Et quot vitiis peccator famulatur, tot dominiis dæmonis subjugatur. Deo autem et mundo servire volunt simul, qui volunt sequi partim jussa Dei, partim cupiditates sæculi. De qualibus Salomon : « Væ, inquit, homini ingredienti duabus viis. » Duabus viis graditur qui vult gaudere cum sæculo et cum Deo, qui vult facere quæ sunt mundi et quæ sunt Dei. Cum dico mundum, mundi concupiscentiam intelligo. Contra quos primo hic ostendit Dominus neminem posse duobus dominis servire. Secundo sollicitudinem mundanam prohibet. Tertio quid

quærere debeamus ostendit. Ait ergo : *Nemo potest duobus dominis servire*, contrariis. *Aut enim alterum odio habebit*, id est diabolum sive mundum, *et alterum*, id est Deum, *diliget*. *Aut alterum*, id est diabolum, *sustinebit ; et alterum*, id est Deum, *contemnet*. Eleganter locutus est *sustinebit*. Nemo enim diabolum diligit, quamvis ejus faciat voluntatem. Sed sicut aliquis amans ancillam alicujus tyranni, non tyrannum diligit, sed propter amorem ancillæ, duram ejus patitur servitutem. Ita homines mundani non diligunt diabolum, sed propter amorem mundanæ voluptatis ejus sustinent tyrannidem. Non autem ait : *Deum odio habebit*, quia vix conscientia alicujus Deum potest odisse, a quo habet esse, vivere et sapere. Sed propter amorem mundi eum contemnit. Qui autem sint illi duo domini, exponit, cum subdit : *Non potestis Deo servire et mammonæ*, id est divitiis. Mammon enim dicitur dæmon, qui suggerit hominibus amorem divitiarum. Non autem ait, non potestis Deo servire, et dominari divitiis; nam hoc fideles possunt. Vos ergo, fratres, qui habetis mundanas possessiones, divitias, uxores et liberos, notate quæ hic dicuntur, pensate in animo vestro quæ hic dicuntur. Si enim principaliter Deo adhæretis, et cum divitiis, uxoribus, liberis et honoribus præfertis, malentes omnia perdere quam Deum offendere, Deo servitis, et recte vivetis. Sin autem, quod absit! amorem divitiarum, honorum, conjugii, et liberorum Deo præfertis, eligentes potius offendere quam illa dimittere, non Deo, sed mundo servitis, facti servi miseri et miserabiles, non solum mundi, sed etiam diaboli.

Sequitur pars secunda, in qua prohibet Dominus sollicitudinem temporalium, dicens : *Non ergo solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, aut corpori vestro quid induamini*. Non autem ait : Non sitis providi; non enim providentia temporalis, sed sollicitudo prohibetur. Porro sollicitudo est quæ amorem et intentionem æternorum in nobis suffocat et exstinguit. Unde alibi in parabola dicit quod exortæ spinæ suffocaverunt verbum Dei (*Luc*, VIII). Providere vero secundum Deum unde tribuamus nobis et nostris et etiam pauperibus necessaria bonum est. Quod vero alibi dicitur : *Nolite cogitare de crastino* (*Matth.* VI) ; cogitare ponitur pro futuro remoto, vel pro sollicitum esse : contra illos qui necessaria in multos annos coacervant. Quod vero de cibo vel vestimento solliciti esse non debeamus, probat a majori, subdens : *Nonne anima*, id est vita, *plus est quam esca, et corpus plusquam vestimentum?* Ac si diceret : Deus qui dedit nobis majora, id est vitam et corpus, dabit quod minus est, id est victum et vestitum. Rursus probat a minori nos de victu debere sollicitos esse, cum subdit : *Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, et Pater vester cœlestis pascit illa. Nonne vos pluris magis estis illis?* id est majoris pretii apud Deum. Ac si diceret : Si Deus dat volatilibus cibum sine sollicitudine eorum, quanto magis dabit cibum vobis, qui utique estis rationabiles, ad imaginem Dei facti. Mystice vero per volatilia, vani et mali homines hujus mundi accipiuntur, qui volitant per curiositatem, elevantur per superbiam, deponuntur in terram per cupiditatem, non de labore suo vivunt, sed de alieno per rapacitatem. Quibus si Dominus suis contemptoribus dat cibum, quanto magis fidelibus suis? Rursus quod de vestitu non debeamus esse solliciti, probat a minori, dicens : *Considerate lilia agri, quomodo crescunt : non laborant, neque nent. Dico autem vobis quod nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis.* Ad litteram nulla purpura vel sericum, quo Salomon, vel aliquis gloriosus in mundo vestitus est, potest floribus comparari. Quid enim ita candet ut lilium? Quid ita rubet, ut rosa? *Si autem*, inquit, *fenum agri quod hodie est, et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit quanto magis vos modicæ fidei!* subaudis vestiet, et hic veste temporali, et in futuro stola immortalitatis. Mystice vero per lilia accipiuntur potentes et gloriosi hujus mundi homines, qui in crassitudine mundi nati crescunt in mundo per altitudinem honorum, florent per prosperitatem temporalem, non laborant, neque nent, quoniam in labore hominum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur; ideo tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate sua (*Psal.* LXXII), etc. Et si Deus superbos et gloriosos homines hujus sæculi sic vestit, qui utique fenum sunt, quia omnis caro fenum, omnis gloria ejus, tanquam flos agri (*Isa.* XL). Et cras in clibanum æternæ damnationis mittentur, quanto magis vos cultores suos? Sed valde pensandum est, fratres mei, quam eos qui solliciti sunt de victu vel de vestitu, dicit esse minimæ fidei. Qui enim magnæ fidei sunt, sciunt procul dubio Deum omnia necessaria provisurum. Ergo, fratres, si timetis necessaria defore vobis, minimæ fidei estis.

Sequitur pars tertia, in qua ostendit Dominus quid petere debeamus, cum subdit : *Primum quærite regnum Dei et justitiam ejus*. Primum enim, id est principaliter, regnum Dei, quod quotidie in Oratione Dominica rogamus venturum, tanquam præmium et metam petere debemus. *Et justitia ejus*, id est virtutes et bona opera quæ sunt viæ eundi ad regnum Dei. *Et hæc*, inquit, *omnia*, videlicet temporalia, vitæ præsenti necessaria, *adjicientur vobis*, scilicet tanquam incidentia ; non enim propter se, sed propter æterna sunt petenda. Sicut enim satellites regis stipendia militiæ non reputant in laboris remunerationem, ita nec nos, fratres, necessaria vitæ temporalis debemus reputare in remunerationem præmii. Quis enim, teste Paulo, militat suis stipendiis unquam? (*I Cor.* IX.) Si ergo, fratres, Christo militamus, non de stipendiis, sed de promerendo præmio solliciti simus. Ipse enim Rex regum providet et hic stipendia militibus suis, et in futuro reservat æterna præmia Dominus noster Jesus Christus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXXIV.

DOMINICA DECIMA SEXTA POST TRINITATEM.

Obsecro vos ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis, quæ est gloria vestra (*Ephes.* III), etc. In hac lectione, fratres charissimi, hortatur Apostolus Ephesios, et per eos quoslibet nostrum, ad constantiam et fortitudinem fidei, spei et charitatis, et hoc modo. Primo obsecrat eos ne deficiant in tribulationibus. Secundo ostendit se orare pro fortitudine et perfectione eorum. Tertio gratias agit Deo, qui potens est dare suis melius quam ipsi sciunt postulare. Apostolus igitur, propter Evangelium positus in vinculis, timens ne tribulationes illatæ magistro, fierent timor et debilitas discipulorum, quos non poterat verbo, confortat scripto. In quo certe, fratres, ostenditur mira charitas Apostoli, qui de constantia discipulorum magis quam de vinculis suis sollicitus erat. Ait ergo : *Obsecro vos* et de vobis, *ne* scilicet *deficiatis in tribulationibus meis*, id est propter tribulationes meas, quæ utique sunt pro vobis, id est propter fidem vobis prædicatam, mihi illatæ, *quæ est gloria vestra*, id est non deficere in tribulationibus vel meis vel vestris, est gloria vestra. Fortes enim in certamine milites sunt apud Deum gloriosi. Et econtrario formidolosi et deficientes erunt inglorii. Sicut enim fornax aurum, ita tribulatio probat justum. Unde non debetis mirari, fratres mei, si Dominus sinit tribulari et flagellari suos in mundo. Aurum enim purum esse nequit, quod caminus non excoquit. Obsecro ergo et ego vos cum Apostolo, fratres mei, ne deficiatis in tribulationibus, si quæ mihi, vel vobis, vel etiam sanctioribus viris contingant, quoniam cœlestis faber vasa electionis cum multa tribulatione consuevit elimare.

Sequitur pars secunda, in qua ostendit Apostolus se orare pro constantia discipulorum, dicens : *Hujus rei gratia*, scilicet ne deficiatis, *flecto* non genu unum, sicut faciebant Judæi ante Jesum, vel sicut hypocritæ, qui corpore, non mente humiliantur, sed *genua mea*, id est supplico mente et corpore, *ad Patrem Dei et Domini nostri Jesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlo et in terra nominatur*. Sicut cum Deus sit solus bonus, solus sit dominus, solus sit rex, tamen voluit participatione bonitatis suæ homines dici et bonos et dominos atque reges. Sic cum ipse solus sit Pater, voluit tamen homines ex se vocari patres. Porro Deus Pater dicitur quatuor de causis : Pater generatione, creatione, doctrina vel exemplo, adoptione. Et quidem generatione est Pater solius Filii. Creatione vero est Pater omnium creaturarum ; doctrina vel exemplo, tantum rationalium ; adoptione, tantum bonarum. Quicunque autem dicitur Pater in cœlo vel in terra, sive hoc, sive illo, sive tertio, sive quarto modo, a Deo Patre habet hoc. In cœlo enim, et Filius et Spiritus sanctus dicitur Pater, et omnium rerum creatione et rationalium doctrina et exemplo, et bonarum adoptione, sed a Patre hoc habent. Sicut enim non ex se, sed ex Patre, ita nec A sunt Deus, nec Pater, nisi ex Patre. In terra vero dicuntur homines patres filiorum suorum per generationem, et minorum per doctrinæ et exempli auctoritatem, et etiam alienorum filiorum per adoptionem. Sed sive hoc, sive illud, sive tertium, non ex se, sed ex summo Patre habent. Itaque ex Deo Patre omnis paternitas, id est omnis modus dicendi patrem, et est et nominatur. Qua de causa flectis genua tua ad patrem? *Ut det vobis*, inquit, *secundum divitias gloriæ suæ*. Cum Deus habeat omnes divitias quæ sunt in cœlo et quæ sunt in terra, tamen divitiæ gloriæ dicuntur hic virtutes et earum opera, ideo quia hominem faciunt vere gloriosum, et ad æternam gloriam perducunt. Et quid det? *Virtutem corroborari in vobis*, id est vos corroborari in virB tute, et scilicet habeatis virtutem fortitudinis et constantiæ in interiorem hominem. Magna enim fortitudo corporis non est necessaria Christianis, quia magna fortitudo et pinguedo corporis opprimit animam. Cum enim caro et spiritus sibi adinvicem adversentur, quanto alterum est fortius, tanto reliquum est debilius. Unde Apostolus : *Quando ego infirmor, tunc fortior sum et potens* (*II Cor.* XII). Exponit quod dixerat, *det*, inquam, *virtutem*. Et quam ? *Christum*, qui scilicet est Dei virtus et sapientia, *habitare per fidem in cordibus vestris*, quem qui habet, omnem virtutem et gratiam habet. Det etiam ut sitis *in charitate radicati et fundati*, ut scilicet nec evelli nec moveri a charitate possitis. Electi et C si quandoque aliquantulum moveantur, non tamen evelluntur. David qui peccavit, motus fuit, sed non evulsus, et ideo non aruit. *Ut possitis*, inquit, *comprehendere cum omnibus sanctis*. Quia soli sancti comprehendere possunt, quorum est nosse ministerium regni Dei ? Et quid? *Quæ sit longitudo, latitudo, sublimitas et profundum*. Quia *charitas patiens est et benigna*, quia *omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet* (*I Cor.* XIII). Ipsa charitas est longanimis in patientia, ipsa est lata in dilectione, amici scilicet et inimici, ipsa est lata in spe, æternorum scilicet præmiorum, ipsa est profunda in fide et evitatione æternorum suppliciorum. Qui enim charitatem non habet radicatam, in patientia lacessit, et in dilectione deficit, et in spe æterni præmii languescit, D in fide æterni supplicii ambigit. Et quia non possumus esse firmi in fide et charitate Christi, non novimus quantam charitatem ipse erga nos habuit, addit : *Det etiam vobis scire supereminentem scientiæ charitatem Christi*. Christus quippe habuit supereminentem charitatem, quia posuit animam suam pro servis et inimicis, ut eos faceret filios et amicos. Habuit etiam charitatem scientiæ et scientiam charitatis, id est habuit sapientem dilectionem, et sapientiam diligentem. Quidam enim habent charitatem, sed non secundum scientiam. De qualibus Apostolus : *Zelum Dei habent, sed non secundum scientiam* (*Rom.* X). Alii habent scientiam, sed non secundum charitatem. De qualibus Apostolus : *Scientia inflat, charitas vero ædificat* (*I Cor.* VIII). Nos ergo,

fratres, studeamus scire eminentem scientiæ charitatem Christi, ut quemadmodum ipse sapienter nos dilexit, ita et nos eum discamus diligere sapienter. *Ut impleamini*, inquit, *in omnem plenitudinem Christi*. Ut videlicet et hic habeamus, secundum modum viæ, plenitudinem sapientiæ et virtutis, et in futuro plenitudinem æternæ retributionis, ubi non jam per speculum et in ænigmate, sed plenarie et sciemus et diligemus.

Sequitur pars tertia, in qua Apostolus agit gratias Deo, ostendens ipsum esse potentem *facere omnia superabundanter quam petimus aut intelligimus;* supereminet enim potentia Dei et petitionem et intellectum nostrum. Ecce, fratres, Apostolus supplicans et rogans Deum, primo vocavit eum Patrem, ideo quia patris est velle bonum filiorum ; secundo ostendit eum esse divitem in donis, cum ait : *Secundum divitias gloriæ suæ*. Modo tertio ostendit eum esse potentem in omnibus, in quibus perpetratio petitionis consistit. Qui enim vult dare et abundat donis et potest dare, procul dubio dabit. Itaque, fratres, Deum pie et constanter rogemus ; qui cum velit, et abundet et possit, profecto justa petita nostra nobis est daturus. *Secundum*, inquit, *virtutem quæ operatur in nobis, potens est omnia facere*, id est, illa virtute qua facit nos de injustis justos, de insipientibus sapientes, de impotentibus potentes. *Ipsi in Ecclesia et in Christo Jesu*, id est in ipsis appareat gloriosus in omnes generationes, id est in æternum. Itaque, fratres, sicut Apostolus quosdam Corinthios, ita nunc et vos obsecramus ne deficiatis in tribulationibus, vel nostris, vel vestris. Oportet enim lapides qui collocandi sunt in cœlesti ædificio, hic quadrari et poliri. Qui enim hic non quadratur vel politur correctionibus et disciplinis, inter lapides summi ædificii non est ordinandus. Quod bene significatur per hoc quod ligna et lapides templi exterius poliebantur tantum, non interius. Non enim auditus fuit in templo sonus mallei vel dolabri (*III Reg.* VI). Quia videlicet in mundo vapulantur sancti, non in cœlo, flectimus ergo, fratres, sicut Apostolus faciebat, genua nostra ante Deum pro constantia fidei nostræ. Quod vos quoque pro vestra salute debetis facere, ut et nos et vos pariter ad æternam beatitudinem pervenire mereamur, per Dominum nostrum Jesum Christum qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXXV.

DOMINICA DECIMA SEXTA POST TRINITATEM.

Ibat Jesus in civitatem quæ vocatur Naim. Et ibant cum eo discipuli ejus, et turba copiosa. Cum autem appropinquaret portæ civitatis, ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suæ (*Luc.* VII). In hac sancti Evangelii lectione, fratres charissimi, ostenditur primo, juxta litteram, Domini et Redemptoris nostri Jesu Christi circa salutem hominum sollicitudo, misericordia, humilitas et omnipotentia. Et sollicitudo quidem ostenditur, cum dicitur : *Ibat Jesus in civitatem*, etc. Sollicitus quippe erat circa salutem hominum, qui huc et illuc pergebat, ubi occasionem bene agendi hominibus se inventurum prævidebat. Pergebat siquidem ubi sciebat esse conventus hominum, ut eis verbum vitæ annuntiaret. Pergebat ubi sciebat infirmos, ut eos misericorditer curaret. Pergebat ubi sciebat esse pauperes et miseros, ut eis consolationem exhiberet. In quo exemplum itidem operandi suis proposuit, confundens duritiam eorum qui declinant loca ubi sciunt esse pauperes et miseros, ne forte eorum præsentia et importunitate eis compati et subvenire cogantur. Nemo autem putet quod fortuitu acciderit quod, Domino appropinquante ad portam, defunctus efferretur. Non enim hoc casualiter, sed divina ordinatione procuratum est. Misericordia Domini ostenditur, cum compatitur viduæ, quæ triplici infortunio misera et miserabilis erat, quia erat vidua, quia filium defunctum efferebat, quia alium non habebat. Et quia tam miserabilis erat, turba civitatis ejus miserans, eam comitabatur, consolabatur et funus curabat. In quo discamus et nos, fratres mei, mœrentes comitari et consolari, et funera curare, quoniam opus humilitatis et misericordiæ est, consolari mœstos et sepelire mortuos. Tobias enim, quia sepeliebat mortuos, meruit a Domino misericordiam et illuminationem. Dominus etiam, ut daret nobis exemplum miserandi et consolandi afflictos, misericordia motus, viduam consolatur verbo et facto. Verbo, cum ei dicit, *noli flere ;* facto, cum reddit ei filium redivivum. Humilitas vero Domini ostenditur, cum loculum mortui, quem solum nutu ressuscitare poterat, tangere non veretur. Porro si subtilius inspiciamus, illum tetigit ob tres causas : ob humilitatis exemplum, ob legis intelligentiam, ob figuræ mysterium. Ob humilitatis exemplum tetigit Dominus loculum, ut, si ipse qui vita æterna est, mortuum tangere voluit, nos qui sumus cadavera et sanies, tangere, lavare et sepelire non reformidaremus. In quo confundit quosdam inhumanos et duros, qui, quasi non essent morituri, mortuos reformidant et abhorrent. Ob legis intelligentiam tetigit loculum, ut demonstraret mortui contactum in lege prohibitum, non carnaliter, sed spiritualiter esse intelligendum, præsertim cum ipse. qui ipsa munditia est et qui inquinari non potest, mortuum tetigit. In contactu enim mortui, spiritualiter prohibebatur consensus peccati. Ob mysterium etiam tetigit loculum, ut designaret, in resurrectione a peccato operis criminalis, necessariam esse satisfactionem operis, ut post dicetur. Omnipotentia Domini demonstratur, cum ad solum ejus imperium mortuus suscitatur. In quo ostendit se illum eumdem esse qui in principio tantum dixit, et omnia facta sunt (*Gen.* I). Mira virtus, fratres, in verbo Domini, ad cujus vocem mox aperitur infernus, et anima, quam detinebat, egreditur; recalescit frigidus, et recedit qui

erat mortuus. *Accepit autem omnes timor*, ut scilicet timerent simul et diligerent, quem tam potentem in opere et sermone videbant, *et magnificabant Deum*. Quos nos quoque imitantes, Deum in sanctis et miris operibus suis, discamus timere simul et laudare. Mystice vero per mortuum mortuus in peccato designatur. Cum autem Dominus multos mortuos suscitaverit, tres tantum ponunt evangelistæ, certi causa mysterii. Significant quippe tres mortui tria genera peccatorum in peccatis mortuorum, id est mortuum peccato voluntatis, mortuum peccato operis, et mortuum peccato consuetudinis. Suscitavit igitur Dominus primo filiam archisynagogi in domo privatim cum paucis verbis. Per quod significatur quod, quando peccat aliquis in sola mente, quasi in secreto, facilius et cum minori satisfactione a Domino suscitatur. Suscitavit et secundo Dominus, ut hic legimus, filium viduæ in porta, tangens loculum et plura dicens. In quo significatur quod, quando peccatum exit foras per impletionem operis, eget majori satisfactione, et operis et orationis. Tertio vero suscitavit Lazarum quatriduanum a monumento, flendo, clamando, lapidem tollendo. in quo innuitur quod, quando premitur peccato consuetudinis, et jam per putridam vitam et infamiam fetet, adeo est ligatus et pressus consuetudinario peccato, quod vix resuscitatur. Magna tamen misericordia Dei eum respiciente, quandoque resurgit, sed opus est lacrymis magnis, confessionibus, orationibus et labore magnæ satisfactionis. Quartus vero mortuus Domino nuntiatur, sed ab eo resuscitatus esse non legitur; sed ait nuntianti : *Sine mortuos sepelire mortuos suos* (*Luc.* IX). Mortuus sepelit mortuum, quando peccator peccatorem adulando fovet et demulcet. Hunc Dominus non resuscitat, quia, quando *laudatur peccator in desideriis animæ suæ, et iniquus benedicitur* (*Psal.* IX), ita hinc ligatur vinculo consuetudinis, et inde fovetur oleo adulationis, quod non surgit ad veniam emendationis. Itaque, fratres mei, adulatores devitate. Illos qui vos corrigunt diligite. Cavete ne dormiatis in peccato consuetudinis. De peccato operis vel voluntatis celeriter satisfacite, ne præveniamini repentina morte, quia *qua hora non putatis Filius hominis veniet* (*Luc.* XII) ad vocandum et ad judicandum vos. Propterea, fratres, mortem nostram semper ante oculos nostros habeamus ; quam terribilis venturus sit judex supernus semper recogitemus, suspiriis et lacrymis et bonis operibus sordes peccatorum nostrorum tergamus, quatenus venientem Christum judicem securi videre mereamur, ipso præstante qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXXVI.

DOMINICA DECIMA SEPTIMA POST TRINITATEM.

Obsecro vos ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione qua vocati estis (*Ephes.* IV), etc. In hac lectione, fratres charissimi, intendit confirmare Ephesios, et per eos omnes credentes in unitate charitatis, et hujusmodi. Primo obsecrat eos perseverare in fide, ad quam vocati erant. Secundo monet eos habere virtutes, quæ efficiunt et conservant pacem et charitatem. Tertio monet eos ut per charitatem sint unum corpus, et unus spiritus. Ait ergo, *obsecro vos ego vinctus in Domino*. Triplici catena, fratres mei, vinctus erat Apostolus, catena scilicet ferri, catena corporis, catena charitatis. Porro catena ferri erat vinctus propter Christum, quando hæc scribebat. Unde ipse alibi ait : ego quidem vinctus sum, sed tamen verbum Dei non est alligatum (*II Tim.* II). Catena quoque corporis se esse alligatum recognoscit, non solum Apostolus, sed etiam omnis verus Christianus, qui intelligit se in corpore gravari, exsulare, et peregrinari a Deo. Unde idem Apostolus : *cupio*, inquit *dissolvi, et esse cum Christo* (*Philipp.* I). Et Psalmista : *Educ*, inquit, *de carcere animam meam, ut confiteatur nomini tuo* (*Psal.* CXLI). Catena etiam charitatis Dei et proximi, non solum Apostolus, sed etiam quilibet fidelis debet semper vinciri, alias fidelis non est. Porro Apostolus sic per dilectionem vinctus erat cum Deo et proximo, ut positus et in catena ferri, et in catena miseriæ corporalis, plus erat sollicitus de salute animarum et proximorum, quam de duplici miseria, qua circumdatus erat. Unde et obsecrat eos de eorum utilitate, sciens utique profectum discipulorum, gaudium et coronam esse magistri. Unde idem alibi dicit : *Itaque amantissimi et desideratissimi mei, gaudium meum, et corona mea, sic state in Domino charissimi* (*Philipp.* IV). De quo nos obsecrat ? *Ut digne*, inquit, *ambuletis vocatione qua vocati estis*. Est autem duplex vocatio fidelium. Prima est qua vocantur ad fidem ; secunda qua vocantur per fidem ad vitam æternam. Digne ergo ambulat vocatione qua vocatus est, qui et fidem recte tenet, et per eam digne ambulat bene operando in vitam æternam. Sed multi sunt hodie (unde magis dolendum est) qui ad fidem vocati sunt, et per eam non digne ambulant, dum bene operando non proficiunt, sed magis retrogradi sunt, et cum Deum ore confiteantur, factis negant.

Sequitur pars secunda, in qua Apostolus monet nos habere virtutes per quas retinetur et observatur charitas et pax, cum subdit : *Cum omni humilitate et mansuetudine et patientia, supportantes invicem in charitate*. Itaque humilitas, mansuetudo, patientia, et mutua suppportatio, sunt virtutes quæ efficiunt et conservant charitatem et pacem. Quod patet per vitia illis contraria, quæ charitatem et pacem destruunt. Hæc autem sunt superbia, iræ, impatientia, et contemptus proximorum. Quod superbia pacem dissipet, ostendit Salomon dicens : *inter superbos semper jurgia sunt* (*Prov.* XIII). Ubi enim unusquisque per superbiam vult dominari, charitas et pax esse non potest. Econtrario vero humilitas pacem nutrit, quia humilis conten-

dere nequit, sed semper cedere et subdi quærit. Quod vero pacem destruat, ex hoc apparet, quia sicut motus maris vel aeris disturbat tranquillitatem et serenitatem, et generat tempestatem, ita ira turbat quietem mentis, et parit perturbationem et furorem. Unde poeta (61) : « Ira brevis est furor. » Econtrario vero mansuetudo est pax aeris. Qui autem mansuetus in se et tranquillus est, alios etiam pacificare potest. Quod impatientia turbat pacem, ex hoc apparet quia qui seipsum pati non potest, alios pati non poterit. Et qui sibi discors est, nemini concors erit. Econtrario vero patiens, cum omnium injurias patiatur patienter, cum omnibus pacem habere potest, quantum in ipso est; juxta illud Apostoli : *Cum omnibus hominibus, quod vobis est pacem habentes* (*Rom.* XII). Quod vero contemptus pacem et charitatem destruat, inde patet, quia qui contemnit, offendere non timet. Et ut Sapiens ait : « Ubi contemptus ibi frequens injuria. » Et ubi frequens injuria, frequens inquietatio, et frequens perturbatio. Econtrario vero supportatio alienorum onerum et infirmitatum, charitatem et pacem nutrit; obsequium enim parit amicos. Itaque, fratres, superbia de majoritate contendit, ira contra negantem irascitur, impatientia injuriat, contemptus se injuriasse contemnit. Et econtrario humilitas non contendit, imo contendenti libens subjicitur. Modestia etiam non irascitur, imo iratum mitigat; patientia non repercutit, imo inferentem æquanimiter sustinet. Supportatio multa non contemnit : imo contemptos juvat. Has ergo, fratres, virtutes, habere contendite, si veram charitatem et pacem inter homines vultis habere.

Sequitur pars tertia, in qua monet Apostolus ut simus per charitatem unum corpus, et unus spiritus subdens : *Solliciti servare unitatem spiritus*, id est charitatem qua operatur Spiritus sanctus *in vinculo pacis*, ut scilicet conjungamur et vinciamur in unum per confœderationem. *Unum*, inquit, *corpus et unus spiritus*, subaudi sitis, *sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ*, *unus Dominus*, *una fides*, *unum baptisma*, *unus Deus et Pater omnium*, *qui est super omnia*, *et per omnia*, *et in omnibus nobis*. Ordo litteræ est : Sicut estis vocati in una spe vocationis vestræ, sicut vobis est unus Dominus, una fides, unum baptisma, et unus Deus et Pater omnium, ita sitis unum corpus, et unus spiritus. Sumus quippe, fratres mei, vocati per fidem in una spe ejusdem æternæ retributionis. Est et nobis unus Dominus, qui nobis dominatur, et jure creationis, et jure restaurationis. Unde, quamvis dicantur in terra multi domini, tamen unus est principalis in cœlo et in terra. Cæteri non domini, sed diminutive domni dicuntur. Est etiam nobis una et eadem fides, id est idem credimus de Deo, et iidem sunt articuli fidei apud omnes fideles. Est etiam apud omnes fideles idem baptisma, quia in eadem fide et in eodem elemento, et in eadem forma celebratur apud omnes. Similiter et cætera sacramenta apud omnes fideles eadem sunt. Unus est etiam Deus et Pater omnium, scilicet Pater et Filius et Spiritus sanctus. Qui cum sit Deus, timendus est et adorandus. Cum sit Pater, diligendus est et imitandus. Ilic autem est super omnia præsidendo, per omnia operando, in omnibus implendo, in omnibus quidem rebus est substantialiter implendo : sed in omnibus fidelibus est specialiter, per gratiam inhabitando. Sicut ergo, fratres, in his omnibus sumus unum, ita simus unum corpus et unus spiritus. Dicuntur autem omnes fideles metaphorice unum corpus, quod est Ecclesia. Cujus corporis, Christus dicitur caput, triplici ratione. Sicut enim caput, cum sit unius naturæ cum corpore, tamen ei præeminet, ita Christus, cum sit ejusdem naturæ cum Ecclesia, ei præcellit. Et sicut caput, in quo sunt omnes sensus, excubat pro salute omnium membrorum, ita Christus, in quo sunt omnes sapientiæ et scientiæ thesauri (*Coloss.* II), providet toti Ecclesiæ. Tertio, sicut ex cerebro capitis descendit medulla et vigor in omnia membra, ita quod membrum, in quo cessat defluere, arescit, et fit inutile : ita de Christo descendit omnis gratia in omnes fideles, ita quod si in aliquem non defluit, arescit a bonitate, et fit inutilis. Fideles quoque dicuntur unum corpus, triplici ratione. Primo, quia Christo capiti et ad invicem colliguntur nervis charitatis; secundo, quia more membrorum, sibi invicem subserviunt et se coadjuvant; tertio, quia vel uno lætante, cæteri lætantur, vel uno dolente, more membrorum cæteri compatiuntur. Unus quoque spiritus dicuntur omnes fideles, id est unum spirituali dilectione, et etiam quia idem sapiunt et idem volunt. Itaque, fratres mei, sicut sumus unum in fide et spe, unum in servitio Dei, et in communione eorumdem sacramentorum, et unum æternæ beatitudinis sumus percepturi præmium, ita simus unum corpus, ut scilicet tanquam fidelia membra, Christo capiti et cæteris membris per charitatem cohæreamus, et alter alteri subserviamus, nos ad invicem coadjuvando, et alter alterius onera et infirmitates portando, in bonis ad invicem congaudendo, et in adversis compatiendo, ut ita pariter nos monentes, nos supportantes, nos coadjuvantes, nos consolantes, nos ad invicem exhortantes, ad desiderabilem æternitatis beatitudinem pariter pervenire mereamur, per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus in æternum. Amen.

(61) Horat. *Epist.* I, epist. 2, vers. 62.

HOMILIA XXXVII.

DOMINICA DECIMA SEPTIMA POST TRINITATEM.

Cum intraret Jesus in domum cujusdam principis Pharisæorum Sabbato manducare panem, et ipsi observabant eum (*Luc.* XIV). Tria facit in hac lectione,

fratres charissimi, Dominus et Redemptor noster : Primo apud insidiatores suos manducaturus intrat. Secundo eos confutans hydropicum curat. Tertio, ubi invitatus recumbere debeat, demonstrat, in omnibus magna nobis tradens documenta. In hoc enim quod apud principes et suos insidiatores, non solum declinare et manducare non refugit, imo etiam eos corrigit et instruit, magnitudinem suæ benignitatis et misericordiæ ostendit, et nobis exemplo sui quid facere debeamus innotescit, ut videlicet inimicis nostris non odium pro odio, sed potius pro odio dilectionem exhibeamus, et eis prodesse studeamus; et ob hoc apud principes et pravos homines manducemus, ut ipsis spiritualem correctionis et doctrinæ panem offeramus. Proponit etiam Dominus hic in comessatione sua, exemplum frugalitatis et abstinentiæ, cum in domo principis, et in Sabbato panem manducat. Tria quippe ponit evangeista, manducare panem, et in Sabbato, et in domum principis. Non autem ait manducare carnes vel pisces, vel delicias, sed solum panem. Cum omnia hæc et majora tanquam Dominus omnium, si vellet, ad manum haberet. Sed hoc in se ostendere voluit quod alibi præcepit, dicens : *Ne feceritis curam in desideriis carnis* (*Rom.* XIII). Erubescant ergo gulosi, qui nesciunt manducare nisi delicias et lenocinia habeant. Hoc enim desiderant, et ob hoc laborant, aera, silvas et aquas venando fatigantes.

Adjunxit etiam *in Sabbato*, festo scilicet Judæorum die, ad confutandum eos, qui, et si in profestis diebus parce vivant, in festis tamen deliciose procurant, non reputantes festum nisi carnibus et lenociniis repleantur. Sed stultum est solemnitates Dei vel sanctorum conviviis honorare, quos scimus Deo jejuniis placuisse. Addidit etiam *in domum principis*, ad reprehendendum eos qui, et si domi parce vivunt, venientes apud principes deliciosis principum cibariis capiuntur et inescantur. Itaque, fratres, Dominus pane sustentatur, et in Sabbato, et apud principem, ut nos modico contentos debere esse et in festis et apud principes demonstraret. Attamen quia invidia nescit ob beneficia mitigari, quamvis Dominus Pharisæis amorem et doctrinam offerret, ipsi tamen ei insidiabantur. Unde et subditur : *Et ipsi observabant eum*, id est, contra servabant, id est maligne servabant, ut si curaret ægros, vel aliquid aliud faceret in Sabbato, eum accusarent. Quod evangelista innuens subdit : *Et ecce quidam homo hydropicus erat ante eum*. Sic, fratres mei, sic semper observant impii pios, injusti justos, ut possint invenire occasionem eos accusandi, et eorum opera depravandi. Unde scriptum est : *Observabit peccator justum, et stridebit super eum dentibus suis* (*Psal.* XXXVI).

Sequitur pars secunda, in qua Dominus eorum malitiam confutat, et hydropicum curat, cum subditur : *Si licet Sabbato curare? At illi tacuerunt.* Ostendit autem hic Dominus se verum Deum esse, dum malis eorum cogitationibus respondet, et eos in cordibus suis urget, et concludit : ita ut præ confusione taceant. Videbant quippe, quia si utrumlibet dicerent, rhetorica complexione capiebantur. Nam si dicerent quod liceret Sabbato curare, diceretur eis a Domino. Ergo non debetis me reprehendere, si in Sabbato curo. Si vero dicerent quod non liceret, diceret eis : Quare ergo vos curatis animalia vestra in Sabbato. Tacent ergo more convictorum, qui conscientias suas vident deprehensas. Sed Dominus hydropicum curat, non solo verbo cum hoc posset, sed etiam tangendo, ut ostenderet in Sabbato non ab omni opere feriandum (male enim Sabbatum celebrat qui a bono opere vacat), sed ab opere servili, quod maxime peccatum intelligitur. *Cujus vestrum*, inquit, *bos aut asinus in puteum cadat, et non continuo extrahet eum die Sabbati?* Ostendit autem Dominus eos graviori hydropisi avaritiæ laborare, dum curando animalia sua (secundum opinionem suam) Sabbatum non violant, et per avaritiam suam, curam animalium curationi hominum præponunt, et in utroque legem transgrediuntur et Deum offendunt. Porro mystice ipsi erant et hydropicus aquis tumidus, et bos aquis submersus. Per fluxum quippe aquarum, fluxus divitiarum significatur. Sicut autem hydropicus plus bibit, et plus sitit, ita ipsi cum plus habebant, plus sitiebant. Et sicut bos in superabundantia aquarum submersus perit, ita ipsi in abundantia divitiarum submersi peribant. Fugiamus ergo, fratres, vitium Pharisæorum, ne scilicet a bonis operibus in festis vacemus, ne curam jumentorum nostrorum curæ hominum, quod multi (unde dolendum est) faciunt, præponamus, ne hypocrisi avaritiæ tumeamus vel submergamur.

Sequitur pars tertia, in qua Dominus in reprehensione Pharisæorum, qui primos recubitus in cœnis diligebant, ubi invitatus recumbere debeat, ostendit cum dicit : *Cum invitatus fueris ad nuptias, noli recumbere in primo loco*, etc. Quæ parabola, cum sit ad litteram observanda, spiritualiter magis observanda est. Omnes enim quotquot Christiani sumus, ad nuptias cœlestis convivii invitati sumus. Nullus autem in Ecclesia se debet vel cogitatione, vel prælatione alii præferre, ne forte ille alius major sit apud Deum, et ei præponatur vel sanctitate, vel dignitate. Ecce, fratres mei, quam multi reges, multi principes, multi episcopi, et multæ apud sæculum altæ personæ se nunc præferunt aliis dignitate, opinione et potestate. Sed certe cum venerit qui merita singulorum solus discernit, præferet eis aliquam viduam, aliquem pauperem, aliquam in hoc sæculo vilem personam. Et tunc non sine quodam rubore, incipient novissimum locum tenere, postpositi eis, quibus in hoc sæculo præpositi fuerunt. Itaque, fratres, unusquisque in Ecclesia se vilem reputet, cunctis se humiliter reputet, cunctis se humiliter præponat, sola humilitate contendat, ut, cum venerit qui omnes fideles ad nuptias suas æternas invitavit, dicat : *Amice, ascende superius*, quia quanto fuisti

propter me humilior cæteris, tanto eris mecum sublimior cæteris. Hanc humilitatem, fratres, habere possumus, si peccata nostra semper ante oculos nostros ponamus, si aliorum virtutes, maxime quibus caremus, inspiciamus, si fragilitatem nostram pensemus, si aliorum sanctitatem admiremur. Sic quippe in conspectu nostro incipiemus vilescere, et alios nobis præponere. Quam humilitatem nobis inserere dignetur qui pro nobis humiliavit semetipsum, Dominus noster Jesus Christus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXXVIII.

DOMINICA DECIMA OCTAVA POST TRINITATEM.

Gratias ago Deo meo semper pro vobis omnibus (*I Cor.* I), etc. In hac lectione, fratres charissimi, ostendit Apostolus quantum gratuletur de profectu Corinthiorum, suorum scilicet discipulorum. Veri enim magistri gaudium est profectus discipulorum, et non immerito. Novit enim meritorum discipuli se ut suggestorem, ita quoque esse participem. Unde idem Apostolus alibi ait : *Itaque amantissimi et desideratissimi mei, gaudium meum et corona mea, sic state in Domino charissimi* (*Philipp.* IV). E contrario quoque ruina discipuli fletus est magistri. Unde idem Apostolus dicit se lugere eos qui corruerunt. Unde et alibi dicit : *Quis infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror?* (*II Cor.* XI.) Itaque, fratres, si ego verus magister sum, non debeo erga vos durus et frigidus esse, sicut quidam mercenarii et falsi magistri, qui non ad spiritualia lucra, sed etiam ad temporalia docent, sed, per veram dilectionem animarum vestrarum, lucrum quærere, et non solum mea, sed etiam meipsum pro vobis, si opus fuerit, impendere. Vos quoque, si veri discipuli, si veræ oves estis, erga pastorem vestrum non debetis, ut quidam perversi discipuli, duri et frigidi esse, sed eum tanquam spiritualem patrem amare, et ei non solum vestra, sed etiam vosmetipsos per charitatem communicare, ut inter vos et pastorem vestrum, non solum spiritualium, sed etiam temporalium bonorum habeatur communio, ut scilicet magister discipulorum, vel discipuli magistri profectum vel detrimentum suum putent. Ostendens igitur Doctor gentium se de profectu discipulorum gaudere, primo gratias agit Deo de profectu eorum. Secundo ostendit quæ gratiæ sint eis collatæ. Tertio demonstrat quod præmium inde exspectet. Ait ergo : *Gratias ago Deo meo.* Gratias agere est auctorem gratiarum de collata gratia benedicere. Quia enim nihil de nostro habemus, unde Deo retribuere valeamus, saltem semper debemus nos debitores ejus confiteri. Est autem, fratres charissimi, hoc valde necessarium. Si enim qui de collata gratia semper Deo gratus existit, non solum datam obtinere, sed etiam majorem adipisci meretur; ita qui de collato beneficio ingratus existit, non tantum conferendis, sed etiam collato meretur privari. Hinc est quod antiqui Patres pro divinis beneficiis cantica quasi gratiarum actionem cecinisse leguntur, ut canticum Mariæ, canticum Moysi, canticum Annæ. Hinc tradunt Hebræi Ezechiam regem, quia pro victoria a Deo sibi data canticum Domino non cecinit, incurrisse infirmitatem. Hinc etiam est quod novem leprosi a Domino mundati, quia cum decimo ad reddendum Deo gratias redire contempserunt, per reprobationem nesciuntur, dicente Domino : *Nonne decem mundati sunt, et novem ubi sunt?* (*Luc.* XVII.) Tales sunt hodie (unde magis dolendum est) multi qui de divinis beneficiis ingrati sunt, et ea quæ habent, vel suæ rationi, vel suis viribus, vel suo labori, non Deo attribuunt. Sunt et alii, qui, etsi in prosperis Deo gratias agant, in adversis tacent : de quibus scriptum est : *Confitebitur tibi cum bene feceris ei* (*Psal.* XLVIII), sed certe contemptibilis est vox laudis, quæ procedit ex lætitia prosperitatis. Nos ergo, fratres, de omnibus bonis gratias agamus : nec solum de prosperis, sed etiam de adversis. Quæ, si recte sapimus, ad correctionem vel probationem a Deo nobis inferuntur, juxta illud : *In die mandavit Dominus misericordiam suam, et nocte canticum ejus* (*Psal.* XLI). Præcepit enim Dominus ut in die prosperitatis, suæ misericordiæ memores et beneficii simus, et ut in nocte adversitatis, ei gratiarum actionem decantemus. Hinc Job : *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum* (*Job* I). Philosophicum quippe est in prosperis timere, et in adversis cantare.

Sequitur pars secunda, in qua ostendit Apostolus de quibus gratias agat, cum subdit : *In gratia*, id est pro gratia, *quæ data est nobis in Christo Jesu.* Dicitur autem gratia, quasi gratis data. Itaque, fratres, quia quidquid habemus, quia a Deo nobis gratis datum est, totum gratia est. Sed tamen antonomatice virtutes et dona Spiritus sancti, quæ sunt propria bonorum, gratiæ dicuntur. Temporalia vero bona, quia communia sunt et bonis et malis, etsi gratis a Deo dentur, tamen gratiæ non solent dici. Gratiarum autem, alia est gratia ad gratiam, alia gratia pro gratia; alia est pro gratia ad gratiam. Gratia ad gratiam tantum est prima gratia, quæ omnino gratis datur, non pro aliqua præcedenti gratia tanquam merito, ut fides. Gratia pro gratia est, teste Joanne, æterna beatitudo, quæ pro præcedentibus gratiis tanquam meritis justis confertur, nec pro ea, alia exspectatur. Gratiæ vero mediæ inter primam et extremam gratiam, sunt gratiæ pro gratia ad gratiam, quoniam pro præcedenti gratia tanquam pro merito conferuntur ad alias gratias promerendas. Ne miremini, fratres, si merita justorum gratias voco; teste enim Apostolo, nihil habemus quod non a Deo et gratis acceperimus. Sed quoniam per unam gratiam pervenimus ad aliam, merita dicuntur et improprie. Teste enim Augustino, solam gratiam suam coronat in nobis Deus. Hæ autem gratiæ dicuntur datæ in Christo Jesu, id

est in fide Jesu Christi. Fides enim est prima gratia et fundamentum omnium gratiarum. Deinde gratiam exponens subdit : *Quia in omnibus*, inquit, *divites facti estis*, in omnibus scilicet gratiis ad vitam æternam promerendam necessariis : quas qui habet, veras divitias habet, et vere dives est. Has ergo divitias, fratres, desiderate et quærite, quæ hominem ad veram ducunt sufficientiam, et semper habentes comitantur. Temporales vero divitias si non habetis, contemnite; si vero habeatis, pauperibus erogate. Has enim divitias Dominus in Evangelio fallaces appellat, quia hominem decipiunt, cum nec felicem nec sufficientem faciant, et cum homine manere non possunt, de quibus David : *Dormierunt*, inquit, *somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis* (*Psal.* LXXVIII). Et alibi : *Et relinquent alienis divitias suas* (*Psal.* XLVIII). Hinc est quod David cum temporalibus divitiis abundaret, quia spirituales divitias non ita abundanter habebat, ut vellet, se pauperem vocat et egenum, dicens : *Ego egenus et pauper sum, Deus, adjuva me.* (*Psal.* LXI.) Itaque, fratres, si vere divites esse vultis, illas spirituales et æternas divitias amate, ad illas toto desiderio festinate. Si vero temporales divitiæ affluant, nolite cor apponere, sed pauperibus erogate. In quibus vero divites sint, ostendit cum dicit, *in omni verbo*, scilicet prædicationis Veteris et Novi Testamenti, *et in omni scientia* divina, tam divinarum rerum quam humanarum : Quæ utique si cum charitate habeatur, virtus est, *sicut Testamentum Christi confirmatum est in vobis.* Testamentum vocat Scripturam, quia est testis æternæ hæreditatis. Evangelium ergo est Testamentum, quo Christus moriens, æternam hæreditatem, si eum dilexerimus, nobis testatus est. Testamentum autem hoc erat confirmatum in Corinthiis, quia ipsi in hoc testamento per fidem, spem et charitatem ita confirmati erant, ut neque mors, neque vita, neque gladius posset eos separare ab amore Christi testatoris et ab amore hæreditatis. *Ut nihil*, inquit, *desit vobis in ulla gratia*, subaudi quæ necessaria sit in via. Unde patet quod quidam Corinthiorum jam perfecti erant modo viæ. Excutiamus, fratres, imperfectionem et teporem nostrum, quotidie cum suspiriis flagitantes testatorem Christum, ut ipse in suo testamento et gratia nos confirmet, quatenus ab eo nullatenus divelli valeamus.

Sequitur pars tertia, in qua ostendit Apostolus qui Corinthii per prædictas gratias exspectent, dicens *exspectantibus revelatione Domini nostri Jesu Christi*. Exspectare est cum desiderio sperare. Corinthii autem cum desiderio sperabant et præstolabantur revelationem Jesu Christi. Iniqui vero non exspectant, imo timent adventum Christi, more mulieris adulteræ, quæ adventum sui viri formidat. In vobis, fratres, hoc quod dico animadvertere potestis, quia qui sibi nullius est conscius, et Deum sincere diligit, ejus adventum tanquam Patris et amici sui cum desiderio exspectat, dolens inter miserias hujus sæculi, ab ejus visione differri, juxta illud Pauli : *Cupio dissolvi et esse cum Christo* (*Philipp.* I). Nos ergo, fratres, nos tales præparemus, quibus sit hic mundus exsilium, et revelatio Christi desiderabilis. Dicitur autem adventus Christi revelatio, triplici de causa, sive quia seipsum manifestabit in potentia, qui primo venit occultus, juxta illud : *Sicut fulgur exit ab oriente et paret usque in occidentem, sic erit et adventus Filii hominis* (*Matth.* XXIV). Sive quia occulta cordium revelabit, juxta illud : *Nolite judicare ante tempus quoadusque veniat Dominus, qui et revelabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium* (*I Cor.* IV). Sive quia tunc revelabitur qui sunt electi, et qui reprobi, juxta illud : *Filioli, nondum apparuit quid erimus, sed cum apparuit, tunc similes ei erimus* (*I Joan.* III). Quia vero de nostra virtute non possimus secure exspectare adventum Christi, subjungit : *Qui et confirmabit vos usque in finem, sine crimine*, non ait sine peccato. Sine enim peccato saltem veniali, in hoc mundo vivere non possumus. Unde Joannes : *Si dixerimus*, inquit, *quia peccatum non habemus : nosmetipsos seducimus, et veritas in nobis non est* (*I Joan.* I). Sed ista venialia, quæ quotidie fiunt, ut in vano verbo, in risu, in tarditate eundi ad Ecclesiam, vel dandi eleemosynam, quotidianis satisfactionibus delentur, ut in contusione pectoris, in eleemosyna, in oratione, et hujusmodi. Sed ait *sine crimine*, id est in criminali peccato, qualia peccata separant hominem a Deo. Et ita confirmati a Deo, erimus securi in die judicii. Qui vocatur dies, vel a charitate magna et continua, vel a revelatione gloriæ Christi, vel a revelatione cordium, et glorificatione justorum. Qui tamen dies, cum sit dies electis, qui illuminabuntur, erit nox reprobis, qui in tenebris æternis recludentur, ut sint sine vero sole, sine calore boni, sine opportunitate bene agendi, juxta illud : *Venit nox in qua nemo potest operari* (*Joan.* IX). A qua nocte nos conservet omnipotens Dominus, et det nobis videre æternam et beatam suam claritatem, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXXIX.

DOMINICA DECIMA OCTAVA POST TRINITATEM.

Convenerunt Pharisæi in unum, et interrogavit Jesum unus ex eis legis doctor, tentans eum (*Matth.* XXII, XXIII). Textus hujus evangelicæ lectionis, fratres charissimi, tanto avidius est audiendus, quanto doctrinam continet necessariam nostris animabus. Sunt autem ejus partes quatuor. Primum enim convenientes Pharisæi, per unum illorum Jesum interrogant. Secundo Jesus respondet eis. Tertio eos confutat. Quarto simplices informat. Convenerunt igitur Pharisæi in unum. Mali quippe, quamvis non solum ab aliis, sed etiam inter se divisi sint, quod inde contingit quia contrariis vitiis famulantur, tamen in persecutionem bonorum conveniunt. Sic Herodes et Pilatus cum inimici essent, in mortem Christi conveniunt. Sic quoque Pharisæi et Sadu-

cæi, cum divisi essent et discordes, in accusandum Paulum conveniunt; sic quoque potentes et malitiosi hujus sæculi, quamvis contrariis vitiis serviant, tamen sese coadjuvant et confœderant contra justos. Quorum coadunatam malitiam, fratres mei, studeamus superare per sapientiam, per patientiam, et per orationem, dicentes cum Propheta : *Præcipita, Domine, divide linguas eorum* (*Psal.* LIV), videlicet ut quemadmodum in turre Babel præcipitata est malitia per divisionem linguarum, ita et nunc præcipitetur per divisionem animorum. Convenerunt ergo Pharisæi in unum contra Dominum, ut quem non poterant ratione, superarent multitudine. Et per unum, illum interrogant, ut, si vinceret, omnes victores viderentur. Et si vinceretur, solus victus videretur. *Interrogavit*, inquit, *eum unus ex eis legis doctor*. Doctor legis contra legis Auctorem se erigit. Unde patet quoniam scientia sine charitate nocet, juxta illud Pauli : *Scientia inflat, charitas vero ædificat* (*I Cor.* VIII). Huic doctori legis sunt similes hodie multi hæretici, qui per verba charitatis impugnant veritatem. Similes etiam sunt eis qui per divitias, potentias et honores a Deo sibi datas ipsum Deum et Ecclesiam persequuntur. Quia vero interrogatio fit vel causa discendi, ut quando discipulus interrogat magistrum, vel causa fallendi, ut quando malignus interrogat simplicem, determinat evangelista qua intentione doctor legis Christum interrogaret, cum subdit : *Tentans eum*. Tentabat ergo eum, non ut probaret, ut Deus tentavit Abraham nec ut doceret, ut magister tentat discipulum ; sed ut falleret, ut diabolus tentat Christianum, dicens : *Magister, quod est mandatum magnum in lege?* Sub simplicitate verborum, ponit laqueos insidiarum, juxta illud : *Molliti sunt sermones ejus super oleum, et ipsi sunt jacula* (*Psal.* LIV). Interrogat autem non ut instruat, aut instruatur, sed ut suam ostentet peritiam, et alterius derideat simplicitatem. Tales (unde dolendum est) sunt hodie plures, qui quærunt et disputant de Scripturis, non ut faciant, sed ut appareant, et ut, Philosophus ait : Volunt scire, ut sciantur. » Magister vero veritatis veritatem tentanti non tacet, ostendens ut quacunque intentione veritas interrogetur, si opportunum est, eam aperiamus.

Sequitur pars secunda, in qua Dominus, respondens Pharisæis, instruit nos de dilectione Dei et proximi, et de ordine diligendi : Et quia per hoc tota lex et Prophetæ adimplentur, de dilectione Dei nos instruit, cum dicit : *Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua*. In quo mandato demonstrat quare et quantum sit Deus diligendus. Quare ? Ob tres causas, quia bonus est in se, quod innuit in hoc quod ait *Deum* ; quia meruit diligi a nobis nos creando, nutriendo, redimendo, quod innuit in hoc quod ait, *Dominum*, quia seipsum in præmium diligentibus se tribuit, quod innuit in hoc quod ait, *tuum*. Quantum vero sit diligendus ostendit, cum ait, *et ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente*, id est ex toto quod scis, ex toto quod vivis, ex toto quod meministi. Omnes enim motus nostri, sicut sunt a Deo, ita ad Deum sunt dirigendi. Sed, fratres mei, quid sibi vult hæc inculcatio verborum, ex toto corde, ex tota anima, ex toto mente tua? Nonne si dixisset ex toto corde satis dixisset ? utique. Sed tot inculcata sunt verba ad majorem expressionem, quia nunquam satis dicitur, quod nunquam satis agitur. Sed quis hoc mandatum potest implere? Nullus in via. Quare ergo datum est ? Ut agnoscat homo se semper in via imperfectum esse, et tendat ad patriam, ubi hoc possit implere. Sed nec in patria tantum poterit amari Deus, quantum est dignus. De dilectione vero proximi nos instruit, cum dicit : *Diliges proximum tuum sicut teipsum*. Innuitur autem hic in quo sit diligendus proximus, et qualiter, et quare. In quo ? in hoc quod est proximus, nobis natura, vel fide, vel cognatione, vel beneficio, vel loco, vel familiaritate conjunctus. Omnem ergo hominem diligere præcipimur, tam notum quam ignotum, tam amicum quam inimicum, tam bonum quam malum. Non quidem, inquantum est malus vel inimicus, sed inquantum est proximus nobis natura, vel fide, vel virtute, vel si non est, ut sit. Qualiter proximum diligere debes? sicut teipsum. Non ait quantum teipsum, sed sicut teipsum, id est bene te, et bene proximum. Nam qui se male diligit, se odit. Sic ergo proximum diliganus sicut nos, tanta bona ei optemus, quanta nobis. Quare vero proximus diligendus sit, ex hoc nobis innuitur, quod in primo mandato omnes motus animi et corporis nostri, ad Deum diligendum dirigere præcipimur. Unde nobis constat quod etiam ipsos motus amoris, quibus vel nos vel proximos diligimus, ad Deum tanquam ad causam et ad finem dirigere debemus, ut scilicet et nos et proximos, non nisi in Deo, et propter Deum diligamus. De ordine vero diligendi, nos instruit, in hoc quod illud mandatum, maximum et primum vocat, et istud, secundum. Mandatum enim de dilectione Dei, est maximum, quantum ad dignitatem, et primum quantum ad ordinem. Deum igitur super omnia diligere debemus, deinde animam nostram, tertio loco animam proximi, quarto corpus nostrum. Patrem vero et matrem inter proximos primum debere diligi ostendit Dominus, cum de dilectione eorum primum secundæ tabulæ mandatum dedit. Post illos, diligenda est uxor, quoniam et si propter uxorem relinquendi sunt pater et mater corpore, non tamen mente. Post uxorem filii, post filios fratres, post hos nepotes. Post, magis diligendus est qui magis est conjunctus nobis carne, familiaritate, beneficio : et ad ultimum, inimici. Hinc est quod mandatum de dilectione dicitur a Propheta : *Latum mandatum tuum nimis* (*Psal.* CXVIII), quoniam extenditur a dilectione Dei usque ad dilectionem inimici. Quod vero per hæc duo mandata tota lex impleatur, ostendit Dominus cum ait : *In his duobus mandatis, tota lex pendet et prophetæ*. Qui enim Deum diligit, mandata ejus custodit. Qui vero proximum diligit, in nullo vult lædere, sed po-

tius prodesse. Unde nec eum occidit, nec ejus uxorem mœchatur, nec res ejus furatur, nec cætera quæ prohibita sunt operatur. Si ergo non potes omnes Scripturas scire, saltem de dilectione Dei et proximi mandatum tene. Quoniam ille tenet, et quod patet, et quod latet in divinis sermonibus, qui charitatem tenet in moribus. Qui hanc habet, omnia habet, et qui in hac offendit, factus est omnium reus. Hinc Propheta : *Omnis*, inquit, *consummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis* (*Rom.* XIII). Et Apostolus : *Plenitudo legis est dilectio* (*ibid.*). Dilectionem ergo, fratres, super omnia teneamus, quoniam dilectio legem conservat, Deum sibi appropiat, proximos sibi amicat, inimicos reconciliat, diabolum superat, mortem ignorat, adversa æquanimiter portat, prospera sapienter temperat, omnia communicat, nunquam excidit, aliorum bona sua facit, sola Deum videt et cognoscit.

Sequitur pars tertia, in qua Dominus Pharisæos congregatos confutat, interrogando eos hoc modo : *Quid vobis videtur de Christo? Cujus filius est?* Interrogat autem eos, non ut ipse ab eis erudiretur, qui omnia noverat, sed ut eos erudiret, qui erudiri nolebant, sed ut ostendens eorum ignorantiam, eorum confutaret superbiam, qui scientia legis inflati erant, et ut de æterna Christi nativitate nos erudiret, et ut garrulitati Pharisæorum silentium imponeret. Horum igitur superbiam confutat, cum eos ostendit ignorare quomodo Christus dicatur a propheta Dominus David. Putabant enim, et adhuc putant Judæi, Christum purum hominem fore ex semine David, et ideo recte secundum eos quærit Dominus quomodo David vocet Christum Dominum suum; cum sit secundum eos eo antiquior tempore, et pater generatione. Nam si Christus est filius David, quomodo ejus est Dominus? Vel si ejus Dominus, quomodo ejus est filius? Nos autem instruit Dominus de æterna sua generatione per verba prophetæ introducentis Patrem ad Filium loquentem, ita : *Sede a dextris meis* (*Psal.* CIX). Nam in sequentibus versibus statim ostenditur Christus esse coæternus Patri qui ei dicit : *Tecum principium in die virtutis tuæ* (*ibid.*), subaudis est mihi ; et esse ex eo natus, cum subjungitur : *Ante luciferum genui te* (*ibid.*). Itaque, fratres mei, quod Judæi ignorant, nos intelligimus duas Christi nativitates, unam de Patre ante sæcula, secundum quam est unus Deus et Dominus cum Patre. Unde et David vocat eum Dominum. Et alteram in tempore de Virgine, de semine scilicet David, unde et filius David dictus est. Silentium etiam imponit Pharisæis, ut tam evidenter de ignorantia nativitatis Christi confusi, non amplius audeant eum de scientia legis aggredi, quem videbant nosse omnia secreta legis.

Sequitur pars quarta, in qua Dominus discipulos et simplicem turbam moraliter instruit, dicens : *Super cathedram Moysi, sederunt Scribæ et Pharisæi*, etc. (*Matth.* XXIII). Sicut ex hoc et ex aliis sancti Evangelii locis, colligimus, fratres mei, tres sunt, pastor, A mercenarius, et fur, sicut nomine, ita et intentione diversi. Pastor enim est, qui ex charitate oves Christi exemplo et verbo pascit. De quo Dominus : *Pastor*, inquit, *bonus animam suam ponit pro ovibus suis* (*Joan.* X). Mercenarius vero est, qui pro temporalibus oves Christi pascit verbo, et non exemplo. Unde Dominus : *Mercenarius*, inquit, *fugit, quia mercenarius est, et non pertinet ad eum de ovibus* (*ibid.*). Fur est hæreticus, qui nec exemplo, nec verbo oves Christi pascit, imo eas occidit, cum se illas pascere mentiatur. De quo Dominus : *Fur*, inquit, *non venit, nisi ut mactet et perdat* (*ibid.*). Mactat enim malo verbo, perdit malo exemplo. Ait igitur Dominus in hac Evangelii lectione de mercenariis sub nomine Scribarum et Pharisæorum. Et hoc B modo : Primo describit quales sunt, et quomodo se habeant. Secundo ostendit quid eis a populo debeatur. Tertio describit vitia eorum. Quarto prohibet discipulis ne eos imitentur. Quales igitur sint ostendit, cum eos vocat Scribas et Pharisæos. Scribæ sunt, quia sciunt legem, Pharisæi vero sunt, quia se dividunt ab aliis per superbiam et inanem gloriam, habentes scilicet scientiam sine charitate, quæ, juxta Apostolum, inflat, non ædificat (*I Cor.* VIII). Quomodo se habent ? Super cathedram Moysi sedent. Est autem cathedra doctorum, sicut tribunal judicum, thronus regum. Per cathedram ergo doctrina legis vel Evangelii intelligitur. Bonus ergo pastor sedet in cathedra, quia intra doctrinam legis sese C coercet, nec eam transgreditur. Mercenarius vero sedet super cathedram, quia doctrinam legis male operando transgreditur et conculcat. Hæreticus vero sedet extra cathedram, qui nec facto, nec verbo doctrinam legis tenet. Secundo quid oves debeant mercenariis, ostendit cum subdit : *Quæcunque ergo dixerint vobis, servate et facite ; secundum vero opera eorum nolite facere.* Ac si aperte dicat : Quia doctrinam legis prædicant, audiendi sunt, sed quia eam male vivendo transgrediuntur, sequendi non sunt. Bonus ergo pastor, quia et doctrina et vita legem tenet, audiendus et sequendus est. Unde Dominus : *Vocem*, inquit, *ejus oves audiunt, et sequuntur* (*Joan.* X). Mercenarius vero, quia non vita, sed sola doctrina legem tenet, est audiendus, et non sequendus. D Unde et hic dicitur : *Quæcunque dixerint vobis servate et facite. Secundum vero opera eorum nolite facere.* Fur vero, quia nec doctrina nec vita tenet legem, nec audiendus, nec sequendus est. Unde Dominus : *Non audierunt*, inquit, *eos oves, quia non noverunt vocem alienorum* (*ibid.*). Noverat quippe Dominus quosdam subditos fore, qui videntes pravam vita doctorum eos audire contemnerent. Et propter hoc ait hic : *Quæcunque dixerint vobis, servate et facite.* Et noverat quosdam fore, qui etiam pravam doctorum vitam sequerentur dicentes : Nonne hoc et hoc facit sacerdos, facit et episcopus meus? Quomodo ego sanctior essem illis? Ideo subjungit Dominus, *secundum vero opera eorum nolite facere* ; quia in doctrina sunt sequendi, non in vita.

Tertio subjungit sex vitia mercenariorum, scilicet transgressionem, crudelitatem, remissionem, vanam gloriam, crapulam, honoris et gloriæ ambitionem. Porro de transgressione legis eos redarguit, cum dicit : *Dicunt enim et non faciunt*. De summo pastore scriptum est : *Cœpit Jesus facere et docere* (*Act.* I). Neque enim sufficit doctrina sine vita. Si enim dicis et non facis, dicetur tibi : Quare tu ipse hoc quod præcipis non facis? Quare prædicas non furandum et furaris? (*Rom.* II.) Hinc ait Psalmista : *Peccatori autem dicit Deus : quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum? Tu vero odisti disciplinam, et projecisti sermones meos retrorsum* (*Psal.* XLIX). Hinc est quod baculus pontificalis in seipsum reflectitur ; ut scilicet quod aliis prædicat, in se ostendat. Rursus nec sufficit vita sine doctrina. Unde propheta clamat : Væ mihi quia tacui. (*Isa.* VI). Et alius : *Si non annuntiaveris*, inquit, *impio ut ab iniquitate sua convertatur, ipse quidem in iniquitate sua morietur, quia non annuntiasti ei ; sanguinem autem ejus de manu tua requiram* (*Ezech.* III). Heu, fratres mei, quam sunt hodie rari veri pastores! Nam nos, qui pastores plebis vocamur, tam in vita quam in doctrina claudicamus. Nam quanta differentia est inter pastorem et ovem, tanta differentia debet esse inter vitam pastoris et vitam subditi ; ut videlicet respectu excellentiæ pastoris, subditi grex dicantur. Debet enim sacerdos esse in populo velut lux in obscuro, velut stella in throno, ut ad claritatem viæ ejus, cæteri viam sequantur. Unde et Dominus ait : *Vos estis lux mundi ; vos estis sal terræ* (*Matth.* V), ut scilicet per claritatem vitæ vestræ, populus illustretur, et per sapientiam vestram insulsi et idiotæ erudiantur. Sed (quod sine gemitu dicere nequeo) nos qui debuimus, esse lux mundi, facti sumus tenebræ, et est sicut populus sic sacerdos (*Ose.* IX). In doctrina etiam claudicamus, tum quia sumus pigri ad prædicandum, nisi non attenderimus temporale emolumentum, tum quia personas accipimus, durius pauperes increpantes, et potentum vitia vel palpantes vel tacentes. Et hoc unde, fratres, nisi quia pauperes contemnimus, et potentes formidamus, cadentes hinc a charitate, illinc a justitiæ rigore?

De crudelitate vero Pharisæos arguit, cum subdit : *Alligant enim onera gravia importabilia, et imponunt in humeros hominum*. Quod gravia imponunt, austeritatis, quod importabilia, crudelitatis et impietatis erat. Hoc faciunt etiam hodie quidam falsi pastores, qui nescientes compati infirmitatibus subditorum, alii imponunt onus ut per totam vitam suam jejunet in pane et aqua. Alii, ut semper in cilicio et cinere super terram recumbet. Alii, ut semper nudo pede exsulet. Alii, ut omnia relinquat, et eremum intret. Quæ infirmi importabilia reputantes, quasi de venia desperando omnem deserunt satisfactionem, et in peccatis permanent. Scriptum est enim : « Asellus sequens matrem nimis oneratus divertit. » Non autem attendunt qui hoc faciunt, quod Samaritanus sauciato adhibuit oleum et vinum. Oleum misericordiæ, et vinum correctionis. Unde et Paulus : *Si præoccupatus*, inquit, *fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis instruite hujusmodi in spiritu lenitatis, considerans teipsum ne et tu tenteris. Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi* (*Gal.* VI). Bonus ergo pastor accedat ad peccatorem more Samaritani et misericordia moveatur super eum. Cum infirmetur per compassionem, postea infundat oleum consolando et veniam promittendo. Tertio infundat vinum, modeste corrigendo. Quarto eum sublevet in jumentum suum, ejus onera portando per orationes, sacrificia et oblationes, ut imitetur illum verum Pastorem qui languores nostros ipse tulit, et peccata nostra ipse portavit. De nimia remissione Pharisæos redarguit, cum subdit : *Digito autem suo nolunt ea movere*. Quasi dicat : Graviora mandata, quæ aliis imponunt, ipsi nec in minimo aggredi volunt, et ita cum in aliis sæviant, sibi minus [magis] indulgent. Cum econtrario officium boni pastoris sit, vitiis suis nunquam indulgere, sed se asperius judicare et tractare, et aliis indulgentiorem esse. Multum in hoc, fratres mei, quotidie peccamus, qui aliis graviora onera satisfactionis imponentes, nos remisse tractamus, aliorum vitia judicamus, et nostra excusamus. Aliis dura et longa jejunia imponimus, et nos comessationibus et ebrietatibus vacamus. Aliis castitatem præcipimus, et nos renibus indulgemus. Alios vestiri cilicio, et jacere in sacco et cinere præcipimus, et nos mollibus vestimur, et in mollitie recubamus. Alios omnia relinquere et pauperibus erogare monemus. Et nos avari in terra thesaurizamus, facientes duplex judicium, aliud proximo, aliud nobis. Et quod in aliis damnamus, in nobis excusamus, cum scriptum sit : *Statera et statera, pondus et pondus utrumque abominatio est apud Deum* (*Prov.* XX). De vana gloria eos redarguit cum subdit : *Omnia sua opera faciunt ut videantur ab hominibus*. Sed, sicut alibi dicit Dominus, *receperunt mercedem suam* (*Matth.* V), laudem scilicet humanam, quam quæsierunt. Faciunt certe et boni pastores aliquando bona in publico coram hominibus, sed inde non quærunt gloriam suam, sed Dei, et utilitatem proximi, juxta quod Dominus alibi præcipit : *Sic luceant*, inquit, *opera vestra coram hominibus, ut glorificent Patrem vestrum qui cœlis est* (*Matth.* VI). Deinde in quibus Pharisæi quærebant vanam gloriam, exponit cum subdit : *Dilatant enim phylacteria sua, et magnificant fimbrias*. Præceperat siquidem Dominus in lege : « Habebis præcepta mea tanquam aliquid semper appensum ante oculos tuos. » Huic litteræ Pharisæi adhærentes, scribebant decem mandata in pictatiolis, et in fronte sua suspendebant, ut præ cæteris, legis observatores viderentur. Unde et hæc pictatiola vocat hic phylacteria, a *phylasse*, quod est *observare*. Præceperat etiam Dominus fieri fimbrias in angulis vestimentorum. Unde et eas Dominus habuit in vestimentis, de quibus hemorroissa unam legitur tetigisse. At Judæi amatores vanæ gloriæ faciebant sibi grandiores fim-

brias, in quibus spinas ligabant, ad quarum punctionem legis divinæ recordarentur. His similes plerique nostrum sunt hodie, fratres mei, qui, ut videantur ab hominibus, religiosius se vestiunt, parcius vivunt, psalmos frequentius murmurant, prolixius orant, genua crebrius flectunt, in choro primi incipiunt, et extremi finiunt. Sed quotquot tales sunt, procul dubio miseri sunt, qui pro vento favoris, præmium vendunt virtutis, miseri in hoc sæculo, miseriores in futuro. De crapula eos reprehendit cum subdit : *Amant enim primos recubitus in cœnis.* Ac si aperte dicat : Ideo volunt videri gloriosi, ut honorentur ab hominibus, et invitatione, et priori et ampliori epulatione. Tales sumus et nos, fratres mei, hodie (unde dolendum est) qui gaudemus quando principes et potentes nos invitant, nos in primo loco collocant, nobis varia fercula et vina apponunt. Medullam terræ comedimus, confessamur et inebriamur vino, in quo est luxuria, paupere foris fame et siti pereunte. Porro bonus pastor nunquam extra domum suam eat manducandum, tantum gratia comedendi, præter quam gratia aliis proficiendi, ut invitatores suos, a quibus pascitur corporaliter, pascat spiritualiter. Declinet autem in sede superbiam, in cibo saturitatem, in potu hilaritatem, in verbo levitatem, ut suos ædificet convivas, non solum verbo, sed etiam gravitatis exemplo.

De ambitione eos redarguit, cum subdit : *Et primas amant cathedras in synagogis.* Heu ! quantum excrevit hodie hæc ambitio prælationum inter nos ! Ambiunt fieri magistri, antequam didicerint esse discipuli : ante præcipere quam obedire. Alii simulant sanctitatem, alii principibus serviunt, alii congregant pecunias, alii frequentant curiam, ut quam meritis non assequuntur, hypocrisi, pretio, violentia, prece assequantur, cathedræ dignitatem. Sed intelligat se non esse episcopum, qui mavult præesse quam prodesse. Nemo præsumat defendere ambitionem suam illo Apostoli dicto : *Qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat* (*I Tim.* III). Opus enim dicit, non honorem ; opus, non opes ; laborem, non requiem ; ministerium, non dominatum ; sollicitudinem, non gloriam ; aliorum onera portare, non portari ; quærere non quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi. Qui ergo ita episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Sed quam rarus est hodie talis, fratres charissimi ! quin potius fere omnes ostendunt, cum ad dignitatem perveniunt, qua intentione eam ambierunt ; male ascendunt, pejus vivunt. Assumunt sibi numerum equorum, ut jam non videantur episcopi, sed tyranni. Præmittunt in quadrigis et summariis multam et pretiosam supellectilem, quasi castra transportarent. Incedunt trabeatis frenis, et epificiis deauratis. Non est modus vestibus, non cibariis, non palatiis, non argenteis scutellis, et scyphis aureis. Elati in cathedra, obliviscuntur se esse mortales, divitum personæ assumuntur, pauperes abjiciuntur, ordines Ecclesiæ et justitiæ venundantur, et quæ care mercati sunt, carius vendere concupiscunt. Lectio et contemplatio contemnitur, et lucrosæ causæ agitantur. De vana gloria iterum eos reprehendit, cum subdit : *Amant salutationes in foro, et vocari ab hominibus rabbi.* Cum diabolus opera quorumdam, nec in principio operis, nec in exsecutione per intentionem vanæ gloriæ vitiare potuerit, postea per oblationem favoris et laudis eos aggreditur, juxta illud quod Dominus serpenti dixit : *Et tu insidiaberis calcaneo ejus* (*Genes.* III). Inducit ergo eis adulatores, a quibus salutantur, beatificantur, et decipiuntur, juxta illud Isaiæ : *Populi meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt* (*Isa.* III). Quamvis enim exterius rubeant, et indignos laude se dicant, tamen interius anima ad laudem lætatur et delectatur, et ita maculatur. Pugnam quippe vanæ gloriæ nemo advertit, nisi qui ei bellum indicit, et qui eam subtiliter inquirit. Quarto prohibet Dominus discipulis, ne Pharisæos imitantur, cum subdit : *Vos autem nolite vocari rabbi.* Aliud est, fratres mei, vocari, aliud velle vocari rabbi. Velle vocari rabbi, semper est ambitiosi et gloriosi : Vocari vero, est tam boni quam mali. Sed bono magistro non nocet vocari magistrum, imo prodest. Cum enim vir bonus audit se magistrum vocari, hinc intelligit necessitatem sibi indictam, ut quod dicitur nomine, sit et re. Hinc studet et laborat verbo et exemplo se verum magistrum aliis exhibere. Perverso vero magistro nocet, si vocetur magister. Nam cum audit se vocari magistrum, magis alii credit quam sibi, et inde instigatur, non ad seipsum corrigendum, sed magis ad superbiendum. *Omnes enim*, inquit, *fratres estis.* Ac si dicat, licet officio et excellentia sitis aliis magistri, tamen per charitatem et humilitatem subditos vobis coæquantes, magis fratres quam magistri velit s vos appellari. Nec putetis fraternitatem spiritualem, quæ est inter vos, esse minorem carnali fraternitate. Nulla quippe est carnalis fraternitas in respectu spiritualis. Unde et subdit : *Et patrem nolite vocare vobis super terram ; unus est enim Pater vester qui in cœlis est.* Homo enim dicitur Pater filii, non quia eum creet, sed quia generationis ejus tantum est minister. Deus vero ipse est Creator corporis et animæ ; ipse est auctor generationis, tam primæ quam secundæ, ipse nutritor, doctor et salvator. *Nec vocemini magistri, quia Magister vester unus est Christus*, qui solus omnes docet, et sine quo nullus docetur. Ipse enim est magister et auctoritate et officio. Ipse docet exterius et interius : Exterius verbo et exemplo ; interius, inspirando. Nisi autem sit intus qui doceat in vanum lingua doctoris laborat. Homo enim tantum ministerio exteriori magister dicitur. *Qui major est*, inquit, *vestrum, erit minister vester.* Ac si aperte dicat : Non erit contentio inter vos de magisterio, sed de ministerio, non de prælatione, sed de humilitate. Sicut enim Filius Dei venit in hunc mundum, non ut ei ministraretur, sed ut ipse omnibus ministraret, et animam suam pro omnibus poneret, sic debet aliquis ad officium pastorale accedere, non ut ditetur,

non ut honoretur, non ut ei ministretur, sed potius ut ipse ministret, et animam suam ponat pro subditis animabus. *Nam qui*, inquit, *se exaltat*, temporaliter, *humiliabitur* æternaliter. Nos ergo, fratres charissimi, sequentes verum et summum magistrum, quæramus in hoc sæculo, non ditari, non honorari, non delectari, non ministrari, sed potius ministrare, docere et prodesse, cum paupertate, cum humilitate, cum patientia et labore, quatenus in cœlesti regno mereamur ditari, honorari et delectari. Per Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XL.

DOMINICA DECIMA NONA POST TRINITATEM.

Renovamini spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem qui secundum Deum creatus est in sanctitate et justitia veritatis (*Ephes.* IV), etc. In hac lectione, fratres charissimi, nos hortatur Apostolus ad novitatem innocentis vitæ. Et hoc modo : Primo, monet nos mutari de malo in bonum. Secundo, ponit partes vetustatis, quas fugere debemus, et opera novitatis, quæ facere debemus. Primo igitur monet nos mutari de malo in bonum, cum dicit : *Renovamini*, etc. Porro renovatio fit quando vetustas exuitur, et novitas amissa recuperatur. Nos autem, fratres, fuimus novi formati in Adam, sed, ipso peccante, cum ipso incidimus in vetustatem. Sane quod novum est, purum, firmum et forte est. Quod vero vetus est, corruptum, infirmum et debile est. Est autem Adam creatus novus, quia purus, quia firmus, quia fortis. Purus sine peccato, firmus ad resistendum vitio, fortis ad perseverandum in bono. Sed quia sponte peccavit, vetustatem incurrit, factus impurus, infirmus et debilis. Impurus quia corrumpitur vitio, infirmus ad resistendum vitio. Quia enim, cum evitare posset peccatum, noluit, inflictum est ut, cum velit, non possit. Debilis etiam fuit ad bene agendum, per se enim bene agere non potest, nisi gratia Dei adjutus. Dicitur igitur Adam vetus homo. Vetustas ejus est illa corruptio et infirmitas quam peccando incurrit : quæ languor naturæ, sive stimulus carnis, sive pronitas ad peccandum vocatur. Hæc est originale peccatum. Hoc etiam peccans peccatum dicitur, quia per eam, velimus nolimus, peccamus. Propter hanc exclamat Apostolus : *Infelix*, inquit, *ego homo; quis me liberabit de corpore mortis hujus ? Gratia Dei per Jesum Christum* (*Rom.* VII). Christus vero econtrario dicitur novus homo, quia non ex concupiscentia conceptus est, sed ex Spiritu sancto. Et purus, firmus et fortis creatus est, et permansit. Et ejus innocentia et sanctitas, novitas appellatur. Omnes igitur sicut nascimur ex corrupta massa Adæ, ita nascimur ex corrupto corrupti, ex vetere veteres; sed per gratiam novi hominis Christi renovamur, dum in fide et baptismo ejus originale peccatum nobis dimittitur, et innocentia nobis confertur; et, juxta Apostolum, de die in diem magis ac magis Christum imitando in sanctitate proficimus. Hac novitate Apostolus renovatus ait : *Vivo ego, jam non ego, vivit autem in me Christus* (*Gal.* II). In quo autem hæc renovatio, et quomodo et per quem fiat, et ex quibus consistat, subsequenter ostendit Apostolus. In quo fiat ostendit cum ait : *In spiritu mentis vestræ*, id est in spiritu et mente vestra. Per spiritum, inferiorem vim animæ, id est sensualitatem, et per mentem, superiorem intellectum intelligens. Est autem sensualitas illa vis animæ, quæ per officinas corporis, corporalia comprehendit. Monet igitur nos Apostolus, ut in sensualitate nostra, innovemur ut sensus nostri non exarentur ut prius ad vetera, sed potius ad opera novi hominis facienda, ut scilicet oculus non videat temporalia ad concupiscendum, sed potius ad contemnendum, et pauperes non ad spernendum, sed potius ad compatiendum; aures non audiant illicita, sed sacra Domini verba; nares non odorant meretricales odores, sed potius spiritualium virtutum suavitatem; gustus non irretiatur lenociniosis saporibus, sed jejunio, et omni verbo quod procedit de ore Dei; tactus non delectetur illicito contactu, sed castimonia. Intellectum quoque præcipit innovari, ut jam non studeat in malitiis, in dolis, in fraudibus, in malis consiliis et malis artibus, sed potius in spiritualibus studiis et sanctis lectionibus, *in sapientia Dei*, in contemplatione cœlestium, ut ita imago Dei, in nobis deformata, reformetur. Quomodo vero hæc reformatio fiat, ostendit cum ait : *Et induite novum hominem*, id est novitatem novi hominis Christi, ut scilicet, quantum possumus, simus innocentes, sicut ipse innocens est; simus sancti, sicut ipse sanctus est; simus misericordes, sicut ipse misericors est, et quantum ipse dederit, simus ejus imitatores. Per quem autem fiat hæc renovatio, ostendit cum subdit, *qui secundum Deum creatus est*, id est novitas ejus secundum Deum creata est. Ac si diceret : Hæc novitas non potest esse in nobis ex nobis, sed ex eo qui ait : *Ecce nova facio omnia* (*Apoc.* XXI). Quam novitatem mentis Propheta petens a Deo ait : *Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis* (*Psal.* L). Sed et nos, fratres mei, qui nihil ex nobis, nisi peccatum habemus, oremus cum gemitu, oremus quotidie cum lacrymis et suspiriis, oremus, inquam cum Propheta : Vetustatem peccati aufer a me, Domine, *et spiritum rectum innova in visceribus meis* (*ibid.*). Ex quibus vero hæc renovatio consistat, ostendit cum ait, *in sanctitate et justitia veritatis*. In sanctitate in nos, et in justitia in proximos : et ut tam sanctitas quam justitia sit veritatis, et veritate scilicet operis, et veritate finis. Sunt enim (unde dolendum est) quidam simulatores, qui nec sancti, nec justi sunt opere, sed simulant. Alii vero, etsi opera sanctitatis vel justitiæ habeant, tamen in fine degenerant, cum de eis gloriam sæcularem exspectant.

Sequitur pars secunda, in qua ponit Apostolus partes vetustatis, quas nos fugere docet, et partes novitatis, quas nos sequi jubet, dicens : *Propter*

quod abjicientes omne mendacium, loquimini veritatem, etc. Tres partes vetustatis sunt, vetustas oris, vetustas cordis, vetustas operis. Tres quoque econtrario partes novitatis sunt, novitas oris, novitas cordis, et novitas operis. Vetustatem igitur oris nos præcipit abjicere, cum ait, *propter quod abjicientes omne mendacium*. Est autem mendacium falsa significatio vocis cum intentione fallendi. Mentiri vero dicitur, quasi contra mentem, juxta illud, *Labia dolosa ex corde et corde locuti sunt* (*Psal.* II), id est ex duplicitate cordis. Sunt autem sex species mendaciorum. Primum est quod prodest et nemini nocet, ut quando aliquis mentitur, pro vita alterius conservanda. Secundum est quod nec prodest nec obest, ut quando jocando quis mentitur. Tertium est quod alicui prodest et alicui nocet, ut quando mentitur venditor emptori. Quartum est quod alicui nocet et nulli prodest, ut quando aliquis vult decipere inimicum suum. Quintum est quod fit sola libidine mentiendi, quod mirum peccatum est. Sextum est mentiri in veritate fidei, quod est hæreticorum. Comprehenduntur autem sub mendacio detractio, adulatio, susurratio, incusatio. Quæ et si quandoque habeant vitæ veritatem, quia tamen malo fine dicuntur, mendacia sunt. Est autem omne mendacium fugiendum. Unde et hic ait, *projicientes omne mendacium*. Et Propheta : *Perdes*, inquit, *omnes qui loquuntur mendacium* (*Psal.* V). Nemini igitur licet mentiri. Licet tamen ei verum tacere, vel modali propositione, malitiam eludere. Episcopus quidam, ut refert beatus Augustinus, nomine et fide firmus, quemdam reum apud se abscondit. Qui cum quæreretur, ait : « Non licet mihi nec prodere, nec mentiri. » Tractus ante regem gentilem, cum in hoc ipso usque ad mortem perseveraret, factus est mirabilis in veritate et justitia, et liberatur gratia ejus etiam reus. Ecce, fratres, quomodo veritas et justitia etiam apud infideles habentur admirabiles. Propositione vero modali inquirentem eludere licet, ut cum quærit gladiator : Ubi est ille ? Respondemus : Nescio, subintelligentes, tibi. Tales enim locutiones in sacra Scriptura invenimus, ut ibi : *Morieris tu, et non vives* (*Isa.* XXXVIII), subintelligitur enim nisi fleveris. Hæc est duplicitas quæ neminem decipit, sed potius juvat. Ad novitatem vero oris nos invitat Apostolus, cum subdit : *Loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo*, id est cum omni homine. Veritas enim est vera significatio vocis cum fine debito, et vera quidem est significatio, quando quod corde concipitur, voce significatur, quomodocunque se habeat res. Inde est quod Paulus, quando promisit se iturum ad Corinthios, quia ut mente habebat, ita locutus est, verum dixit, quanvis non iverit. Et econtra, si quis dicat contra mentem se aliquid facturum, et post illud faciat, tamen quia contra id quod sentiebat dixit, mentitus est. Si autem et quod sentit dicat, sed non fine debito, id est non propter Deum, mendax est. Hinc est quod testis, si verum testificetur propter pecuniam, mendax est. Ecce, fratres (unde dolendum est) quam rari sunt hodie veraces, quoniam, etsi sunt aliqui qui dicant, quod sentiunt, tamen fere omnes non ad Deum, sed ad temporalem finem intentionem dirigunt. Quod vero adjunxit Apostolus, *quoniam sumus invicem membra*, ita intelligendum est : Omnes fideles sumus membra Christi, et debemus nos tanquam membra coadjuvare. Cum ergo frater fratri mentitur, quid aliud quam sinistra mentitur dexteræ? Et cum sinistra dexteræ mentitur, quid aliud est quam contra se operatur? Ita est procul dubio, fratres mei, quicunque mentitur alii, primum nocet sibi ipsi. Vetustatem vero mentis abjicere, et novitatem induere nos monet, cum subdit. *Irascimini, et nolite peccare*. Quod hic Apostolus de ira dicit, de cæteris passionibus, sive perturbationibus mentis intelligit quæ sunt timor et tristitia, cupiditas et gaudium, ira et odium. Hæ vero passiones naturales sunt, et a bonis bene utuntur, et a malis male. Qui enim timet offendere Deum, bene timet; et qui offenso tristatur, bene tristatur. Et econtra, qui timet ne non possit suam malam implere voluntatem, male timet ; et qui tristatur, quia non implevit, male tristatur. Similiter qui irascitur contra peccatum suum vel alienum, bene irascitur. Hortatur igitur nos Apostolus, sed præpostere, induere novitatem mentis cum ait : *irascimini*, subaudis contra vitia. Hortatur et nos abjicere vetustatem mentis cum ait : *Nolite peccare*, subaudis per iram, vel alium mentis motum. Vel certe, ut quidam volunt, primus motus iræ, qui in nostra potestate non est, permittitur nobis cum dicitur, *irascimini*. Ira vero post illum motum, tanquam grave peccatum prohibetur, cum dicitur, *nolite peccare*. *Sol*, inquit, *non occidat super iracundiam vestram*. Hoc vel ad litteram legitur, ut scilicet tam brevis sit ira quod usque ad occasum solis non perduret. Unde in Vitis Patrum legimus de duobus, quorum alterum sol nunquam viderat irascentem, alterum nunquam viderat comedentem. Vel sol, id est charitas Dei et proximi, non occidat in cordibus vestris, propter nimiam iracundiam, ut scilicet ita irascamur contra vitium fratris, quod charitatem ejus naturæ debitam non amittamus. Cum enim superat ira, charitatem mentis perturbat, ut jam non possit discernere quid deceat. Unde poeta, « Ira, inquit, brevis furor est (62); » et Salomon, Ira, inquit, viri justitiam Dei non operatur (*Prov.* XXI). Litotes est, id est operatur injustitiam. Non enim novit juste judicare quem ira conturbat. Propterea cum Theodosius imperator ex impetu iræ, plusquam decem millia hominum occidi jussisset, reprehensus a beato Ambrosio, dedit legem ut de cætero cum imperator vel judex contra aliquem reum esset commotus, non statim eum judi-

(62) Vid. not. 61.

caret, sed per triginta dies esset reus in custodia, ut mitigatus animus judicis, tunc melius posset judicare. *Nolite*, inquit, *locum dare diabolo*. Qui dat locum peccato dat locum diabolo. Sicut qui dat locum virtuti, dat locum Spiritui sancto. Vetustatem operis nos præcipit Apostolus abjicere cum subdit : *Qui furabatur, jam non furetur*, per furtum intelligens et rapinam, et dolum, et fœnus et omnem exactionem. De quibus idem alibi : *Ne quis circumveniat vel supergrediatur in negotio fratrem suum, quoniam vindex est Dominus eorum qui talia agunt* (*I Thess.* IV). Si enim, fratres mei, damnatur qui non dat propria, quid fiet de eis qui rapiunt aliena ? Novitatem vero operis nos præcipit assumere, cum subdit : *Magis autem laboret unusquisque manibus suis quod bonum est*, id est honestam et utilem operationem, per quod accipit quodlibet genus laboris, vel artis honestæ, ut agriculturam, sutoriam, fabrilem, et cæteras hujusmodi artes, de quibus potest aliquis sibi et aliis honeste providere. Quod, fratres mei, contra quosdam est, qui otiose et curiose viventes, ad manus semper respiciunt alienas, non attendentes se plura inde vitia incurrere, videlicet otiosam desidiam et inexcusabilem mendicitatem, turpem impudentiam atque debitam alienorum peccatorum supportationem. Contra quos Apostolus ait : *Qui non laborat, non manducet* (*II Thess.* III) : et lex imperatorum præcipit ut fortes mendicantes servituti mancipentur. Econtrario, fratres mei, quam honestus est modus vivendi labore manuali, si juste fiat et recta intentione et cum multa bona habeat in se ! Primo, quia de suo justo labore vivit ; secundo, quia debitas oblationes, de suo, Deo reddit ; tertio, quia habet, unde possit peccata redimere ; quarto quia, juxta quod dicitur, hic habet unde tribuat necessitatem patienti. Hanc igitur, fratres charissimi, triplicem oris, cordis et operis novitatem habere studeamus : ut novi hominis Christi nova membra esse mereamur, ipso largiente, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XLI.

Dominica decima nona post Trinitatem.

Ascendens Jesus in naviculam, transfretavit, et venit in civitatem suam (*Matth.* IX). Juxta litteram, fratres charissimi, ostendit Dominus in hac sancti Evangelii lectione se et veram humanitatem et veram divinitatem habere. Et veram quidem humanitatem se habere demonstrat, dum more hominum navem ascendit et transfretat, et patriam terrenam visitat. Posset quidem omnipotens et summus Dominus, ut pote cui universa famulantur elementa, mare divisisse, vel super aquas, sicut aliquando fecit, siccis pedibus ambulasse, sed assumptæ humanitatis vera in se demonstrare voluit argumenta. Cum enim legimus Christum esuriisse, sitiisse, fatigatum fuisse, navis vehiculo transfretasse, patriam et parentes habuisse, credimus eum vere nostram humanitatem et infirmitatem suscepisse. Cæterum quoniam tam de divinitate quam humanitate ejus eramus instruendi, nunc super aquas vadit ut Deus, nunc nove transfretat ut homo, nunc de paucis panibus multa millia pascit ut Deus, nunc esurit et sitit ut homo, nunc alios sanat ut Deus, nunc patitur ut homo. Veram vero se habere divinitatem hic demonstrat in quatuor : Primo in alterius fidei cognitione. Unde et hic dicitur, *videns Jesus fidem illorum*. Possent quidem non ex fide, sed potius ex tentatione et derisione ei paralyticum curandum offerre, sed Dominum, qui scrutatur renes et corda, fallere non potuerunt. Secundo, in peccatorum dimissione : unde et dicit : *Confide, fili, dimittuntur tibi peccata tua*. Ubi notandum est, fratres mei, quoniam non ait evangelista, videns fidem paralytici, sed fidem illorum qui eum offerebant. Si ergo tantum valuit paralytico fides aliena, ut mente et corpore sanaretur, quantum putatis valet unicuique fides propria ? Sed dices : Nunquid homini infideli Christus peccata dimisit ? Nequaquam. Sed Dominus propter fidem offerentium, fidem paralytico inspiravit, et ita credenti peccata dimisit. Tertio se veram divinitatem ostendit habere, in alienarum cogitationum cognitione. Unde Scribis intra se dicentibus : *Hic blasphemat*, dixit : *Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris* ? (*Marc.* II.) Quarto, in paralytici per solum imperium curatione. Sunt enim, fratres mei, hic quatuor, scilicet cognitio alterius fidei, peccatorum dimissio, alienarum cogitationum inspectio, solo nutu facta sanatio propria solius Dei. Quæ tamen per ministros, quando vult, ut auctor operatur. Sed quoniam prima tria invisibiliter operaturus erat, ideo per quartum visibile signum ea confirmat. Unde et dixit : *Ut autem sciatis quod Filius Dei* [*hominis*] *habet potestatem in terra dimittendi peccata*, subaudis et cognoscendi fidem et cogitationes cordium, ecce vobis hoc per visibile signum demonstro. Unde et subdit evangelista : *Tunc ait paralytico : Surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam. Et surrexit et abiit in domum suam*. Juxta tropologiam vero erudimur in hac lectione in quatuor. Primo enim in hoc quod Dominus navem ascendens transfretavit et venit in civitatem suam, erudimur exemplo ejus ut nos quoque naviculam ascendamus et ab hujus mundi exsilio ad æternam transfretemus. Navicula quippe significat sanctam Ecclesiam, quæ, quamvis in hoc sæculo malignis spiritibus infestetur, quamvis tribulationum undis concutiatur, quamvis nunc per prosperitatem elevetur, nunc per adversitatem pene submergatur, tamen, Deo regente et Spiritu sancto impellente, eos qui in ea sunt per fidei et charitatis unitatem ad portum salutis æternæ transportat. Sed (quod sine gemitu dicere non possum) plures sunt hodie, qui cum in Ecclesia videantur esse numero, extra sunt merito plures, qui nolunt ad illam patriam transfretare ; sed potius in hujus mundi naufragio amant manere, et nollent præsentem finiri miseriam, sed semper hic durare. Plures

etiam qui (quod gravius est) ipsam Ecclesiæ naviculam qua possent transfretare, hæresibus, contentionibus, insidiis, et persecutionibus persequuntur et scindunt, et, quantum in ipsis est, submergunt ; sed ipsi, ut meruere, submerguntur. Navicula vero cum fidelibus suis ad portum salutis applicatur. Transfretemus ergo, fratres, spe et desiderio, et tendamus in civitatem nostram, nostram utique, quoniam, ut ait Apostolus, *Jam non sumus hospites et advenæ, sed sumus cives sanctorum et domestici Dei* (*Ephes.* II), *hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi* (*Rom.* VIII).

Secundo vero, quia non solum salutem nostram, sed etiam proximorum quærere debemus, instruimur ab eis qui paralyticum in lecto jacentem Domino sanandum offerebant, ut nos quoque infirmis sive mente sive corpore compatiamur, et eos Domino sanandos per orationem et desiderium offeramus. Non simus de numero illorum qui, quasi saxei vel ferrei essent, super afflictiones et dolores proximorum nulla compassione moventur, sed potius imitemur illum de quo loquimur, Jesum Christum, qui visceribus misericordiæ semper affluit super infirmos et peccatores, sicut de eo per prophetam dicitur : *Vere languores nostros ipse tulit, et peccata nostra ipse portavit* (*Isai.* LIII). Imitemur etiam imitatorem ejus Paulum, qui de se dixit : *Factus sum infirmis infirmus, ut eos lucrifacerem* (*I Cor.* IX). Et alibi : *Quis infirmatur, et ego non infirmor?* (*II Cor.* II). Tertio quoque in hoc quod Dominus respexit ad fidem offerentium paralyticum, instruimur quod si pro nobis et aliis supplicantes a Domino exaudiri volumus, fidem perfectam, id est per charitatem operantem (*Gal.* IV), habere studeamus. Impossibile est enim orationem vel aliud aliquid sine fide placere Deo. Unde Jacobus : *Si quis indiget sapientia, postulet a Deo qui dat omnibus affluenter, et non improperat. Postulet autem in fide nihil hæsitans. Nam qui hæsitat, similis est fluctui maris, qui a vento circumfertur. Non æstimet autem ille homo se aliquid accepturum a Deo* (*Jac.* I). Si ergo nec ille qui supplicat, nec ille pro quo supplicatur, est Deo cognitus, quomodo audiuntur ? Scimus enim quia peccatores Deus non audit, sed si quis est verus Dei cultor, hunc exaudit Deus (*Joan.* IX). Quin potius si ille qui per infidelitatem vel impietatem suam est Deo odiosus, pro reo supplicare præsumit, non solum Deus non placatur, sed etiam exacerbatur. Itaque, fratres mei, studeamus per veram fidem nos notos et familiares Deo facere, ut ita locum intercessionis apud eum habere mereamur. Quarto etiam in hoc quod Dominus paralytico, non ob fidem suam, sed ob fidem offerentium peccata dimittit, ostendit quantum locum intercedendi habeant fideles apud ipsum, non solum pro se, sed etiam pro aliis, et quantum ipse sit pronus ad audiendum preces eorum. Vos ergo, fratres, qui vere fideles estis, qui locum familiaritatis et intercessionis apud Deum obtinetis, nolite dissimulare vel negare auxilium intercessionis vestræ, reis et peccatoribus, qui etsi vos non petant, tamen vos pro eis petere non contemnatis, talentum vobis commissum non abscondatis, sed orate pro omnibus, orate pro singulis, quoniam Deus preces fidelium suorum spernere non potest, sed ob preces nostras, nos qui in lecto torquentis conscientiæ infirmi jacemus, qui paralytici, id est membris dissoluti, et impotentes sumus, qui nec bene velle, nec bene loqui, nec bene operari valemus, per misericordiam suam ad bene agendum erigat, ut grabatum, id est carnem infirmitatis nostræ, possimus a vitio sublevare, et ad cœlestem donum supportare. Quod ipse præstare dignetur, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XLII.

Dominica vigesima post Trinitatem.

Videte quomodo caute ambuletis (*Ephes.* V), etc. In hac lectione, fratres charissimi, hortatur nos Apostolus ut caute ambuiemus viam mundanæ peregrinationis, ut ita per eam ad æternam patriam pervenire mereamur. Sunt autem hujus lectionis quatuor partes. Primo enim nos monet ut caute ambulemus ; secundo, ut ab impedimentis temporalibus nos redimamus ; tertio, ut, non mundana, sed spirituali ebrietate inebriemur ; quarto, ut propter Christum subjecti nos invicem supportemus. Monens igitur nos Apostolus ut viam hujus mundi sapienter ambulemus, ait : *Videte quomodo caute ambuletis.* Caute, fratres charissimi, ambulat, qui ambulat quo debet, et qua via debet, et quomodo debet. Quo debemus ambulamus, si ad æternam patriam toto desiderio festinamus, ut ibi videamus Deum deorum in Sion, quoniam, juxta Apostolum : *Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus* (*Hebr.* XIII). Semper ergo, fratres, ad Christum qui nos præcessit, oculos erigamus, et qua via ipse præcessit, eum sequamur. Oculi enim sapientis in capite ejus. Via qua debemus ambulamus, si in fidei via de bono in melius proficimus. Non enim prodest fides sine operibus habenti tempus, nec opera sine fide. Habent enim Judæi et gentiles bona opera pietatis, sed quia fidem non habent, per ea ad æternam patriam pervenire non valent. Habent, fratres mei, et aliqui falsi Christiani viam fidei, sed quia male operantur, per viam fidei non ambulant, imo revertuntur. Nos ergo, fratres, si per fidem ad Deum pervenire volumus, de bonis operibus ad meliora nos extendamus. Quomodo vero debemus ambulamus, si recte, si plane, si modeste ambulamus. Recte, si non declinamus ad dexteram per prosperitatem, nec ad sinistram per adversitatem ; plane, si evitamus montes superbiæ et præsumptionis, et valles tristitiæ et desperationis ; modeste, si nec nimis cito, nec nimis lente eamus. Qui enim nimis in principio festinat, ante tempus lassessit et deficit. Quod faciant quidam

qui in principio conversionis suæ tantum onus suscipiunt, quod ante tempus sit necesse eos deficere. Qui vero nimis lente graditur, pigrescit, et ad metam in tempore non pervenit. Quod faciunt qui vel parum, vel nihil in operando proficiunt. Nos ergo, fratres, cum moderatione, de minoribus ad majora nos extendamus, ut nunquam deficiamus, sed usque ad perfectum proficiamus. Sed quoniam sunt quidam, qui sub prætextu eleemosynæ se ingerunt sollicitudinibus, et negotiis sæcularibus, subdit Apostolus, *non quasi insipientes, sed quasi sapientes.*

Est autem hæc pars secunda, in qua Apostolus monet nos expediri et redimi a temporalibus sollicitudinibus, quas quidam insipienter amplectuntur, dicentes se hoc facere ut habeant unde erogent pauperibus. Sed Apostolus vult servos Dei esse expeditos. Unde ipse alibi ait : *Nemo militans Deo, implicat se sæcularibus negotiis* (*II Tim.* II). Unde et hic subjungit : *Redimentes tempus quoniam dies mali sunt.* Tempus redimit, qui ut tranquille et pacifice transire possit, etiam de suo derelinquit. Unde idem Apostolus Corinthios reprehendens, quia in judicio contendebant, ait : *Quare non magis injuriam patimini ?* (*I Cor.* VI.) Et Dominus in Evangelio : *Si quis*, inquit, *vult tecum contendere et tunicam tollere, da ei et pallium* (*Matth.* V). Et alibi : *Si quis quod tuum est tulerit, ne repetas* (*Luc.* VI). Hoc tamen est consilium non præceptum. Nam omni homini licet sua repetere, sed nulli cum contentione. Sub judicio vero sua repetere licet, minus perfectis, magis vero perfectis non licet. Divinum ergo consilium est, ut ne aliquando in contentionem decidamus, contendenti cedamus, et etiam quod nostrum est, fratres mei, dimittamus. *Quoniam*, inquit, *dies mali sunt*, non in sui essentia, sed in prave utentium malitia, qui eos quos in via hujus mundi cernunt divitiis oneratos persequuntur. Nos ergo, fratres, solis necessariis sumus contenti, ut pacifice et expedite viam latronibus et prædonibus obsitam transeamus. Hinc subditur : *Propterea estote prudentes, intelligentes quæ sit voluntas Dei.* Vult enim Deus servos suos contemptores esse mundi, et sic expedite ad eum festinare. Inde est quod cupientibus ditari, gloriari, et delectari hoc sæculo, opponit Deus adversarios et impedimenta, ut cum viderint se non posse prosperari in hoc sæculo, ad Deum convertantur. Unde Dominus sub specie uxoris fornicantis loquitur ad Judæam dicens : *Sepiam viam tuam spinis, quæres amatores tuos, et non invenies. Et dices : Revertar ad virum meum priorem, quia melius erat tunc mihi quam nunc* (*Ose.* II).

Sequitur pars tertia, in qua, ut alacrius viam Dei pergamus, monet nos Apostolus inebriari, non ebrietate mundana, sed spirituali dicens : *Nolite inebriari vino in quo est luxuria, sed impleamini Spiritu sancto*, etc. Sunt enim tres ebrietates. Prima est vinosa, secunda mundana, tertia spiritualis. Prima est vini immoderati, secunda immoderatæ cupiditatis, tertia abundantis charitatis. Prima igitur ebrietas mala est, quia sensus hominis disturbat, mentem alienat, ad inhonesta et turpia excitat. Vinum quippe genitalia Noe nudavit, Loth filiabus suis miscuit. *Væ vobis*, dicit propheta, *qui fortes estis ad potandum vinum, et ad miscendam ebrietatem* (*Isai.* V). Ebrietas vero secunda est pessima, quia per amorem sæculi sensus disturbat a servitio Dei, mentem alienat a sapientia et amore Dei, ad flagitia et facinora trahit. Hic est calix Babylonis, de quo inebriantur omnes peccatores terræ. Tertia ebrietas est sanctissima, quia per amorem Dei sensus retrahit ab operibus malis, sensus alienat ab amore mundi, desiderio ad cœlestem patriam trahit. Hac sancti inebriantur. Unde Propheta : *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos* (*Psal.* XXXV). Et alibi Dominus per Prophetam : *Calix meus*, inquit, *inebrians, quam præclarus est !* (*Psal.* XXII.) Nobis igitur, fratres, in via hujus mundi, inter adversitates lassescentibus, necessarium est ut inebriemur, non ebrietate mundana, quæ facit Deum et proximum oblivisci, sed spirituali quæ faciat nobis oblivisci mundana, et toto desiderio festinare ad æterna. Impleamini ergo, fratres, Spiritu sancto, qui nobis in via Dei multas consolationes et auxilia præstabit, quoniam ipso inspirante, eritis loquentes vobismetipsis in psalmis. Sic faciunt viatores, quia vario sermone laborem viæ alleviant. In via enim hujus exsilii, psalmi debent esse collocutiones et alleviationes terræ. Unde et in eis cantamus : *Cantabiles mihi erant justificationes tuæ in loco peregrinationis meæ* (*Psal.* CXVIII). Simus etiam cantantes voce, et psallentes in cordibus nostris Domino, in hymnis et canticis spiritualibus, more peregrinorum, qui superata parte laboris cantant. Est autem hymnus laus Dei cum cantico. Canticum vero est exsultatio mentis habita de æternis, prorumpens in vocem. Spiritualis ergo ebrietas confert fidelibus in adversis, non solum consolationes in psalmis, sed etiam congratulationes in hymnis vocalibus, et canticis spiritualibus in corde. Facit etiam agere eos gratias Deo, sicut faciunt nautæ post naufragium pallidonias [palinodias].

Sequitur pars quarta, in qua monet nos Apostolus, ut dum sumus in via hujus sæculi, simus subjecti invicem in timore Christi, ut scilicet de sola humilitate et obsequio contendamus, supportantes invicem, more viatorum fortis debilem, levis gravem, velox tardum. Ut impleamus illud Apostoli : *Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi* (*Gal.* VI), qui languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit (*Isai.* LIII). Cujus timore pariter et amore, nos quoque aliorum infirmitates debemus portare. Et si sic, fratres mei, caute ambulaverimus, si nos ab impedimentis sæcularibus redemerimus, si per spiritualem ebrietatem obliviscentes temporalia ad æterna cum toto

desiderio festinaverimus, si per charitatem alter alterius onera portaverimus, procul dubio ad æternam cum triumpho perveniemus, per Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XLIII.

Dominica vigesima post Trinitatem.

Simile factum est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo (*Matth.* XXII). Rex iste, fratres charissimi, Deus Pater est, qui est Rex regum et Dominus dominantium, qui habet Filium regem secum coregnantem, juxta quod Psalmista ait : Deus judicium tuum regi da, et justitiam tuam Filio regis (*Psal.* LXXI). Deus ergo Pater Filio suo nuptias fecit, quia cum nostram sibi assumere naturam constituit. Et hoc non quia ipse indigeret, sed quia nos indigebamus. Hoc enim fecit ob suam misericordiam, ut nostram relevaret miseriam. Videte ergo tria, causam nuptiarum, dotalitium et prandium. Et causa quidem, est reconciliatio hominis cum Deo. Sicut enim, fratres mei, frequenter videtis, quod quando inimicitiæ sunt inter duas familias, conjugium fit causa reconciliationis, inter virum unius familiæ, et mulierem alterius, ita et hic factum est. Discordia quippe grandis erat inter Deum et hominem. Homo vero, per primam prævaricationem in hoc detrusus exsilium, Deum non cognoscebat, imo per prava opera eum impugnabat. Deus vero excelsus hominem propter inobedientiam odibat. Quia tamen non obliviscitur misereri Deus (*Psal.* LXXVI), placuit ei ut suum fugitivum reconciliaret sibi, et Unigenitum suum hujus reconciliationis mediatorem fecit, qui sibi nostram conjungens humanitatem, hominem Deo, et Deum homini reconciliavit. Dotalitia quoque est largitus Filius Dei sponsæ suæ, conferens ei hic annulum fidei, et cæterarum arrham virtutum et gratiarum, et pollicens quod si in ejus amore perseveraret, daret ei dotem cœlestium præmiorum. Prandium etiam fecit Deus in nuptiis Filii sui in Ecclesia per sacramentorum communionem, apponens panem de cœlo quod confirmat (*Psal.* CIII), et vinum quod lætificat cor hominis (*Ibid.*). Apponens etiam per exemplorum informationem, tauros, id est sanctos Patres Veteris Testamenti, qui cornu talionis referebant, et altilia, id est sanctos Patres Novi Testamenti, qui pinguedine gratiarum alti, et penna contemplationis ad cœlum sublevantur, quorum videlicet exemplis et verbis pascerentur. Apponitur autem in his nuptiis ad imitandum innocentia Abelis, justitia Noe, fides Abrahæ, castitas Joseph, mititudo Moysi, mansuetudo David, patientia Job, perfectio apostolorum, conscientia martyrum, sobrietas confessorum, munditia virginum. Ad has igitur nuptias teste Domino, *multi sunt vocati, pauci vero electi.* Nam multi sunt invitati et sæpe vocati, et tamen non veniunt. Multi quoque sunt vocati et veniunt, sed tamen ejiciuntur. Pauci vero sunt respectu aliorum, qui cum sponso et sponsa in æternum epulentur. Ecce tres distinctiones. Porro invitati et pluries vocati sunt Judæi; nam primo invitati sunt per patriarchas, vocati sunt postea per prophetas et apostolos, et tamen venire contempserunt : quin potius *abiit alius in villam*, id est, in amorem terrenæ possessionis timens amittere locum et gentem, *alius in negotiationem suam*, id est, in observationum suarum taxationem præponens eas mandatis Dei. Contra quos loquitur Psalmista, *Quoniam non cognovi*, inquit, *negotiationem* · vel secundum aliam translationem, *litteraturam*, *introibo in potentias Domini* (*Psal.* LXX). *Reliqui vero tenuerunt servos ejus*, id est, apostolos et sequaces eorum, *et contumeliis affectos occiderunt*, alium lapidantes ut Stephanum, alium decollantes ut Joannem Baptistam et Jacobum Zebedæi, alium præcipitantes ut Jacobum Alphæi, et hujusmodi. Deus autem *Pater iratus, missis exercitibus suis*, per ministerium Romanorum, *perdidit homicidas illos, et civitatem illorum succendit.* Et etiam per ministerium angelorum damnavit animas eorum et civitatem, id est corpora eorum igne perpetuo succendit. Multi quoque vocati sunt et veniunt, sed tamen quidam eorum ejiciuntur. Hi sunt, fratres mei, gentiles, nos videlicet, qui de exitibus viarum, id est de diversis erroribus idololatriæ cæterorumque vitiorum vocati sumus, et per prædicatores tam boni quam mali, convocati ad nuptias Christi convenimus. Unde Psalmista, *Annuntiavi*, inquit, *et locutus sum, multiplicati sunt super numerum* (*Psal.* XXXIX). Sicut enim in area, super numerum granorum super excrescit numerus palearum; ita in Ecclesia, supra numerum electorum super excrescit numerus reproborum. in Ecclesia, numero, non merito, nomine, non numine contentorum. Nusquam quippe boni soli sunt, nisi in cœlo : et nusquam mali soli sunt, nisi in inferno. In mundo vero voluit Dominus permistim esse bonos et malos triplici ratione : quoniam mali sunt cum bonis ad purgationem, ad probationem, ad manifestationem. Ex persecutione enim malorum boni purgantur a peccatis. Unde scriptum est : *Quod caminus auro, hoc confert tribulatio justo.* (*Prov.* XVII). Ex tentatione quoque malorum, justi in patientia, cæterisque virtutibus probantur. Unde scriptum est, *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit accipiet coronam vitæ* (*Jac.* I). Ex comparatione malorum, sanctitas justorum manifestatur clarius; unde sponsus in Canticis canticorum : *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias* (*Cant.* II).

Propterea, fratres mei, patienter sustinete malos, quoniam oportet justos semper habere Cain et unum Judam. Abel quippe esse non potest quem malitia Cain non exercet.

Intravit autem, inquit, *rex ut videret discumbentes.* Hoc, fratres mei, quotidie facit Deus. Quia dum in Ecclesia sedemus, dum corpus et sanguinem suum cæteraque sacramenta participamus, qui, quo

animo, qua devotione nos habeamus discernit et speculatur, juxta illud, « Speculator astat desuper qui nos diebus omnibus, actusque nostros prospicit. » *Vidit*, inquit, *hominem non vestitum veste nuptiali.* Vestis nuptialis, qua discernuntur digni ab indignis, est charitas. Quæ dicitur vestis, quia omne frigus mali excludit, et retinet omnem calorem boni. Dicitur nuptialis, quia Christus sponsus veniens sibi conjungere Ecclesiam, hac indutus venit. Hæc est tunica Christi inconsutilis, non divisa per odium vel invidiam, nec scissa per hæresim vel schisma. Hæc est tunica Joseph talaris, id est, perseverans, quia charitas nunquam excidit (*I Cor.* XIII). Est et polymita propter virtutum varietatem, quæ in ea continentur. Hæc et eadem est tunica sponsæ, quæ astitit a dextris sponsi in vestitu deaurato (*Psal.* XLIV). Quia vera charitas fulgore sapientiæ est ornata, et circumdata varietate virtutum. Qui hanc vestem habet, securus in nuptiis discumbit. Non habenti vero dicit Deus, vel per Scripturas vel per prædicatores, vel interiorem rationem : *Quomodo huc intrasti* cum fidelibus, qui ab eis es discolor per malitiam, et discors per odium, et invidiam? Quomodo talis et talis ad mensam altaris, et ad cætera sacramenta accedere præsumis? *At ille obmutuit.* Obmutescit quem propria conscientia redarguit. Obmutescit qui silet a peccatorum suorum confessione et emendatione. *Et dixit rex ministris suis*, scilicet angelis : *Ligatis manibus et pedibus, mittite eum in tenebras exteriores.* Et hoc merito, quia noluit vitare interiores. *Ibi erit fletus et stridor dentium.* Sicut singula membra, singulis vitiis delectata sunt, ita singulis pœnis cruciantur. Pedes quippe qui ad malum currebant, et manus quæ scelera patrabant, igneis catenis vinciuntur. Oculi, qui luce divina ad male agendum abutebantur, exterius tenebris excæcantur, et qui in visione desiderabilium gaudebant, et delectabantur, æternaliter flebunt. Dentes quoque, qui edacitate gaudebant, præ nimietate frigoris stridebunt. Lingua etiam, quæ detrahere et maledicere gaudebat, sicut de divite purpurato legis, in æternum sine ullo refrigerio ardebit. Gustus quoque, qui in comessationibus et ebrietatibus delectabatur, famem et sitim, sicut in Evangelio, et in Apocalypsi legis, æternaliter patietur. Nares quoque qui in luxuriosis odoribus delectabantur, fætore intolerabili in æternum afficientur. In Apocalypsi enim legis de stagno ignis et sulphuris, in quo reprobi jacientur (*Apoc.* XX). Aures quoque, quæ ad sonum cytharārum et luxuriosarum cantilenarum delectabantur, stridore pœnarum, rugitu dæmoniorum, et ululatu miserorum vexabuntur, sicut in prophetis et in Apocalypsi legis. Membra etiam quæ luxuriosis et suavibus contactibus delectabantur, vermibus et incendio in æternum punientur. Unde in propheta et in Evangelio legis : Quia vermis eorum non moritur, et ignis non exstinguitur (*Isai.* LXVI ; *Marc.* IX), et sic corpora impiorum secundum omnes sensus et actus suos torquebuntur. Nihilominus et anima interius secundum passiones suas, cæcitate et ignorantia, conscientia mala et pœnitentia inutili, dolore et pudore, ira et invidia vexabitur in æternum. Inter hæc et tanta mala, ut tradit Joannes in Apocalypsi, optabunt miseri mortem, et mors fugiet ab eis (*Apoc.* IX). Pauci vero sunt electi, qui in nuptiis Christi in æternum epulabuntur. De quibus Psalmista, *Nimis*, inquit, *honorati sunt amici tui, Deus, nimis confortatus est principatus eorum* (*Psal.* CXXXVIII). Sed cum subjungatur : *Dinumerabo eos, et super arenam multiplicabuntur* [*Ibid.*], quomodo sunt pauci? quia electi, quia pretiosi, quia chari. Electi de multitudine malorum sicut grana de multitudine palearum, aurum de multitudine arenarum, margarita de multitudine lapidum. Pretiosi, pretio virtutum, pretio sanctorum operum, pretio æternorum præmiorum : chari, quia amici, quia filii, quia hæredes Dei, cohæredes autem Christi, cohæredes videlicet Christi gloriæ, Christi honoris, Christi beatitudinis, et Christi gaudii. Nos ergo, fratres, laboremus esse de numero paucorum electorum. Induamus charitatem Dei et proximi : uniamur cœlesti sponso et sponsæ sicut sacramentorum participatione, ita dilectionis et puritatis unione : quatenus ad æternas nuptias securi semper recumbere valeamus, largiente Deo et Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XLIV.

DOMINICA VIGESIMA POST TRINITATEM.

Confortamini in Domino, et in potentia virtutis ejus (*Ephes.* VI). In hac lectione, fratres charissimi, monet et docet nos Apostolus quomodo inimicis nostris resistere valeamus ; et hoc modo : Primo monet nos confortari in Deo, et armari armatura ejus. Secundo ostendit contra quos hostes pugnare debeamus. Tertio ostendit quibus armis possumus eis resistere et eos impugnare. Primo ergo hortatur confortari nos in Deo, cum ait : *Confortamini in Domino.* Ac si diceret : Fratres, nolite confidere in vobis nec in aliqua re temporali ; sed in solo Deo. In quo, fratres, confundit mundanos homines, qui in suis vel amicorum suorum viribus, vel in divitiis, vel in sapientia sua confidunt, et ideo decipiuntur et pereunt. Vos autem, fratres, si veri Christiani estis, in Deo, non alio, spem habeatis, non confidatis in viribus vestris. Scriptum est enim : *Gigas salvabitur in multitudine virtutis suæ* (*Psal.* XXXII). Non confidatis in sapientia vestra, quia scriptum est ; *Perdam sapientiam sapientium et prudentiam prudentium reprobabo* (*I Cor.* I). Non confidatis in divitiis vestris, quia scriptum est : *Qui confidit in divitiis suis corruet* (*Prov.* II). Non confidatis in homine : nam scriptum est : *Maledictus homo qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum* (*Jer.* XVII). Non confidatis in viribus liberi arbitrii vos posse mandata Dei adimplere. Scriptum est enim : *Juravi et statui custodire judicia justitiæ tuæ* (*Psal.* CXVIII). Sed se in hoc præsumpsisse ostendit, cum subdit : *Humiliatus sum usquequaque* (*Ibid.*). Idem

quoque ait : *Ego dixi in abundantia mea : Non movebor in æternum.* Sed *avertisti faciem tuam a me, et factus sum conturbatus* (*Psal.* xxix). Petrus quoque nimis de se præsumpsit, dicens : *Et si oportuerit me mori tecum, non te negabo* (*Matth.* xxvi ; *Marc.* xiv) : sed tamen negavit. Judas quoque Machabæus dum in solo Deo confisus est, semper victor exstitit ; ut autem confidit in Romanis, corruit. Itaque, fratres, in solo Deo spem et consortationem nostram habeamus, et cum Propheta dicamus ; *Diligam te, Domine, virtus mea, Dominus firmamentum meum, et refugium meum, et liberator meus* (*Psal.* xviii). Et illud : *Mihi autem adhærere Deo bonum est, et ponere in Domino Deo spem meam* (*Eccl.* ii), quoniam, ut scribitur : *Quis speravit in Domino, et confusus est ? Spes* enim juxta Apostolum, *non confundit* (*Rom.* v). Quare autem in Domino sperare et confortari debeamus, ostendit Apostolus cum subdit, *et in potentia virtutis ejus.* Potentia est in exterioribus, virtus vero in interioribus. In Deo vero idem est potentia et virtus. Quare ergo ait, *in potentia virtutis ejus ?* Quoniam multi habent potentiam sine virtute. Habent potentiam exterius, sed non interius. Exterius dominantur hominibus, sed interius sibi non possunt dominari. Sunt exterius domini hominum, sed interius sunt servi vitiorum. Vincunt exterius homines, sed vincuntur interius ab ira, a cupiditate, a superbia, et a cæteris vitiis. Inde est quo dominantur exterius, sed sine ratione ; judicant, sed sine justitia ; imperant, sed sine discretione ; potestative agunt, sed sine modestia. Ne vero aliquid tale suspicaretur de omnipotentia Dei, adjunxit, *virtutis*, quoniam omnipotentia ejus virtus est. Quidquid enim agit, sapienter, juste, fortiter, et modeste agit. Quomodo autem in Deo fortes esse possimus, ostendit cum subdit : *Et induite armaturam Dei.*

Sequitur pars secunda, in qua ostendit Apostolus contra quos hostes pugnare debeamus, cum subdit : *Adversus insidias diaboli. Non est enim nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem*, subaudis tantum. Sunt enim nobis tres inimici, contra quos nobis est pugnandum ; caro nostra, mundus, et diabolus. De carne dicit Apostolus : *Caro concupiscit adversus spiritum* (*Gal.* v). Est igitur colluctatio nobis, non adversus naturam, sed adversus vitia carnis et sanguinis. Naturam enim nostram non destruere, sed nutrire debemus, sive in persona nostra, sive in proximo. Unde Apostolus : *Nemo carnem suam odio habuit, sed nutrit et fovet eam* (*Ephes.* v). In quo confunduntur illi qui naturam, vel in se, per nimiam macerationem, vel in proximo per odium persequuntur, vel qui econtrario propter naturam, vel suis vel alienis vitiis nimis indulgent. Sic enim, fratres mei, diligenda et nutrienda est natura, ut vitia destruantur, et sic sunt vitia destruenda, ut natura nutriatur. Vitia vero carnis et sanguinis jejunando, laborando et operando superamus. Secundus hostis est mundus, id est malitia mundanorum hominum. De quo Dominus : *Si mundus vos odit scitote quia me priorem vobis odio habuit* (*Joan.* xv). *Et si de hoc mundo essetis, mundus quod suum erat diligeret, sed quia de hoc mundo non estis propterea odit vos mundus* (*Joan.* xv). Et Joannes : *Nolite*, inquit, *diligere mundum neque ea quæ in mundo sunt, quia quidquid est in mundo aut est concupiscentia oculorum, aut concupiscentia carnis aut superbia vitæ* (*I Joan.* ii). Hunc hostem notat hic Apostolus, cum dicit, *adversus hujus mundi rectores*, per hunc mundum malitiam mundanorum hominum, quæ a dæmoniis regitur intelligens. Contra mundi malitiam pugnandum est per patientiam, per contemptum mundi, et desiderium cœlestis regni. Tertius vero hostis est malignorum spirituum exercitus, contra quem nos monet Apostolus Petrus dicens ; *Estote prudentes, et vigilate in orationibus ; quia adversarius vester diabolus, tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret, cui resistite fortes in fide* (*I Petr.* iv). De quo hic Apostolus largius prosequitur dicens, *Adversus principatus et potestates, adversus hujus mundi rectores tenebrarum harum contra spiritalia nequitiæ in cœlestibus.* His verbis, fratres mei, malitiam malignorum spirituum exaggerat Apostolus, ut quanto hostes nostri sunt pejores ad nocendum, tanto efficiamur promptiores ad resistendum. Vocat ergo eos *principatus*, quia nec singuli, nec divisi nos persequuntur, sed ad exemplum sanctorum angelorum et archangelorum, alii sunt majores, alii sunt minores principes qui cum omnibus suis subjectis, nos unanimiter persequuntur. Vocat etiam eos *potestates*, quoniam ex natura suæ originis, magni vigoris et potestatis sunt, nec homo eis resistere posset, nisi Deus malitiam eorum refrenaret. Unde et legimus quod angelus una nocte primogenita Ægypti occidit (*Exod.* xii). Sed ut ait idem Apostolus, Deus fidelis est, nec patietur aliquem tentari ab eis, ultra quam potest (*I Cor.* x). Vocat etiam eos *rectores mundi tenebrarum harum*, non quidem mundanæ machinæ, quam solus Deus et condidit et regit ; sed tenebrarum istius mundi, id est mundanæ malitiæ, cæcitatis et ignorantiæ, quam in hominibus et per homines pravos exercet. In quo demonstrat nimiam eorum calliditatem, quoniam tum ex spirituali sua origine, tum ex usu longæ experientiæ, vivaci callent acumine, per quod magicas artes, incantationes, fraudes et insidias inveniunt ad decipiendum. Vocat etiam eos *spiritualia nequitiæ*, id est spiritus nequitiarum. Quia enim spiritus sunt invisibiles nobis, ideo facilius nos decipere possunt, quia melius visibiles quam invisibiles hostes cavemus. In eo autem quod ait *nequitiæ*, innatam dæmonum notat malignitatem. Nequam enim est, qui naturaliter malitiosus est. Non quia malitia naturalis sit, sed quia vitium pro natura inolevit. Diabolus autem exigentibus meritis suis, ita in malitia sua est obstinatus, ut non nisi malum velit et possit. Semper enim vult nocere ; non quod inde sibi aliquid commodi speret, sed quia semper nocere consuevit. Conversantur autem dæmones *in cœlestibus*, id est in aere, unde et po-

testates aeriæ vocantur. Sed quidam eorum in aquis, alii in nemoribus, alii inter nos conversantur, qui quanto sunt nobis loco magis proximi, tanto magis timendi.

Sequitur pars tertia, in qua ostendit Apostolus quibus armis prædictis hostibus resistere valeamus et eos expugnare. *Propterea*, inquit, *assumite armaturam Dei*, quæ ideo dicitur *Dei*, quia non ab homine, sed a solo Deo nobis confertur. *Ut possitis*, inquit, *resistere in die malo*, id est malitiæ pravorum, qui nunc habent diem suum. *Et in omnibus perfecti stare*, id est undique muniti ad resistendum. Sicut autem spirituales sunt hostes, ita spiritualis esse debet armatura. Maligni quippe spiritus sagittis vitiorum machinantur nostram vitiare et vulnerare naturam ; et nos econtrario munimine virtutum eam munire debemus, Ipsi enim invisibiliter impugnant nos vel per illicitam voluptatem, vel per illicitam cogitationem. Primo enim nos per illicitam voluptatem impugnant, cum voluptate, ingluvie et libidine nos cupiunt vulnerare. Contra quæ Apostolus monet habere abstinentiam et continentiam cum ait : *Estote lumbos vestros præcincti*, in lumbis enim libido dominatur. Unde Dominus loquens ad Job de diabolo ait : *Virtus ejus in lumbis ejus* (*Job* XXXVIII). Et in Evangelio : *Sint lumbi vestri præcincti* (*Luc.* XIX). Cum ergo præcipit nos lumbos accingere, jubet nos per abstinentiam et continentiam luxuriam refrenare. Sagittant etiam nos maligni spiritus tentationibus, ut ita malignis cogitationibus nos vulnerent. Contra quas monet nos Apostolus, ut induamur lorica justitiæ, quæ custodiat nos, ne malis cogitationibus vulneremur. Porro contra hæc duo vitia præcepit Dominus per Moysen ut sacerdos lumbos candidis femoralibus et pectus rationali muniretur. Solent enim nos sagittare in pedibus, id est in affectibus, ut scilicet solis terrenis non cœlestibus faciant nos inhærere. Contra quod docet nos Apostolus sandaliis calceari, ut scilicet exemplo mortuorum justorum muniti, non terrenis inhæreamus, sed ad cœlestia tendamus, cum dixit, *calceati pedes in præparatione Evangelii pacis.* Illi quippe soli evangelizare sunt præparati, qui prædicto modo sunt calceati. Solent etiam nos maligni spiritus per incredulitatem vulnerare, ut scilicet nos faciant, vel de pœnis reproborum, vel de glorificatione justorum dubitare, ut ita nos faciant in labore justitiæ lassescere. Contra quod nos docet Apostolus habere scutum fidei, in quo possimus inimici ignea tela exstinguere; fortitudo quippe fidei, qua firmiter credimus Deum remuneratorem bonorum, et vindicem malorum, exstinguit in nobis jacula libidinum et concupiscentiarum. Sed solent adhuc firmiter credentes jaculo nimii timoris et desperationis vulnerare. Contra quod nos monet Apostolus galeam spei salutis assumere, quo caput nostrum, id est, fides Christi in nobis, et justitia inviolata servetur. Postquam autem Apostolus munivit nos armis protectionis, munit etiam nos gladio, quo non solum nos defendere, sed etiam hostem impetere valeamus, cum docet nos assumere gladium spiritus, id est, spiritualem, quod est verbum dei. Gladius enim quo Deus Pater aerias potestates expugnavit, Christus est, qui constat ex manubrio et ferro, id est ex humanitate, per quam fide tenetur et divinitate, quæ quidem ex utraque parte incidit, quia corpus et animam potest occidere. Hæc est securis quæ ad radicem arboris posita est, quæ non solum infructuosos homines, sed etiam dæmones damnat. Nihilominus et verbum Evangelii gladius dicitur. Quem si teneamus manu, id est, operatione, possumus in verbo et in nomine Christi dæmones exorcizando dejicere, et malitiam eorum mortificare. Sed etiam malos homines excommunicando occidere, vel certe eorum malitiam occidere, dum per Evangelium facimus eos, peccato mori, et Deo vivere. Sic itaque, fratres mei, si talibus armis muniti fuerimus, poterimus non solum securi vivere, sed etiam malitias dæmonum evacuare, et a faucibus ejus captivos eripere. Quod concedat nobis Deus et Dominus noster qui in Trinitate perfecta vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XLV.

DOMINICA VIGESIMA PRIMA POST TRINITATEM.

Erat quidam regulus, cujus filius infirmabatur Capharnum (*Joan.* IV). Ex hac sancti Evangelii lectione, fratres charissimi, advertere potestis quam sit homini necessaria adversitas temporalis. Nisi enim filius istius reguli infirmaretur, ad Christum accedere non cogeretur. Voluit ergo benignus et misericors Dominus hac de causa filium reguli infirmari, ut sic eum ad se venire cogeret. Scriptum est enim : *Cum occideret eos, quærebant eum, et revertebantur* (*Psal.* LXXVII). Sunt autem hujus lectionis tres partes. Primo enim regulus postulat a Domino, sed indiscrete. Secundo corripitur à Domino juste. Tertio exauditur benigne. Accedens itaque regulus ad Dominum, propter infirmitatem filii postulat ab eo, sed indiscrete. Et indiscrete quidem postulat, primum in hoc quod, prætermissa salute animæ, solam corporis filio suo petit sanitatem. Si enim discrete peteret, primo animæ suæ et animæ filii sui salutem postularet. Scriptum est enim : *Primum quærite regnum Dei* (*Luc.* XII). Secundo vero in hoc indiscrete postulat, quod Dominum descendere ad sanandum filium suum rogat, quasi Dominus impotens esset alicui conferre sanitatem, nisi corporaliter præsens esset. In quo aperte demonstrat quod eum verum Deum esse non credebat. Si enim eum verum Deum esse crederet, eum ubique per divinitatem præsentem esse sciret. Tertio etiam in hoc indiscrete postulat, quod postquam a Domino de incredulitate correptus est, tamen adhuc in eodem perstat, dicens : *Domine, descende priusquam moriatur filius meus*, ac si Dominus mortuum resuscitare non valeret. Propterea a Domino juste corripitur. Est autem hæc pars secunda, in qua Dominus incredulitatem ejus corripit dicens : *Nisi signa et prodigia*

videritis, non credetis. Hinc est quod alibi ab eo signum postulant fieri Judæi dicentes : *Quod signum facis ut videamus et credamus tibi?* (*Joan.* II.) Porro cum eadem possint esse prodigia et signa, tamen signa a significatione, et prodigia ab admiratione dicuntur. Ea quippe opera fieri a Domino postulabant, quæ essent prodigia, id est præter consuetum naturæ cursum admirabilia, et signa, id est eum Deum esse significantia. Erant enim Judæi duri, et de numero eorum qui difficile convertuntur. Quatuor quippe modi sunt, quibus divina misericordia ad se trahit peccatores. Alium enim vocat solummodo per interiorem inspirationem ut Magdalenam et latronem alium per prædicationem, ut Samaritanam, alium per miraculorum ostensionem, ut centurionem; alium per adversitatis necessitatem, ut Paulum. Omnes tamen per interiorem illuminationem ad se trahit, secundum illud : *Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum* (*Joan.* VI). Istum autem regulum ad se vocavit per necessitatem pariter et miraculum. Per necessitatem, quia nisi filius ejus infirmaretur, ad Christum non veniret. Per miraculum, quia, ut ipse ait, nisi regulus signa et prodigia vidisset, non credidisset. Contingit tamen, quod illi qui fuerunt ad convertendum difficiliores, sint in fide firmiores, et quanto difficilius potuerunt removeri ab infidelitate, tanto difficilius possunt removeri a fide, ut in Paulo apparet.

Sequitur pars tertia, in qua regulus benigne a Domino exauditur, cum ei dicitur : *Vade, quia filius tuus vivit.* Sane duo postulaverat regulus a Domino, et ut descenderet, et ut filium suum sanaret. In hoc ergo, in quo non bene postulaverat, non exaudit eum Dominus. In quo vero bene, et si non plene, postulavit, eum plenius audit. Descendere quippe in domum ejus noluit, ob tres causas, ut videlicet ubique se esse per divinitatis potentiam demonstraret, ut absentem infirmum mirabilius sanaret : ut se non esse acceptorem personarum demonstraret. Propter hoc quippe ad filium reguli etiam rogatus ire noluit, qui tamen ad servum centurionis sponte se iturum promisit. In quo, fratres mei, confundit perversitatem nostram, qui divites propter divitias suas honoramus, et pauperes propter paupertatem suam aspernamur, qui plus pensamus in omnibus honorem sæcularem quam naturam. Super hoc eodem nos arguit Jacobus, dicens : *Notite, fratres, habere in acceptionem personarum fidem gloriæ Jesu Christi* (*Jac.* II). Etenim si quis vir in vestitu candido aureum habens annulum introierit in conventum vestrum, dicetis : Sede hic bene. Si autem introierit pauper in sordido habitu, dicetis : Sta illic aut sede sub scabellum pedum meorum. Sed si hoc peccatum est, quid est quod dicit Paulus : *Cui honorem honorem, cui vectigal vectigal?* (*Rom.* XIII.) Et alibi : *Presbyteri boni duplici honore sunt digni* (*I Tim.* V). Sed aliud est justificatio, aliud personarum acceptio. Justificatio enim est : Reddere unicuique quod suum est propter Deum, ut, sicut Apostolus jubet, *cui honorem honorem, cui tributum tributum, cui vectigal vectigal.* Acceptio ergo personarum est abusus reverentiæ ex privata causa, ut quando quis honorat aliquam personam non propter Deum, sed propter aliquam temporalem causam. Itaque omnes homines, in quantum sunt homines, æqualiter sunt venerandi et amandi. Boni vero magis honorandi sunt quam mali. Sicut vero homines non sunt propter divitias et potentias honorandi, sed propter Deum, ita nec sunt spernendi propter paupertatem suam, sed honorandi propter Deum. Si autem declinaverint apud me unus dives, et unus pauper ejusdem bonitatis, debeone eos æqualiter venerari? utique, si fieri potest sine scandalo divitis. Sed quia divites facilius scandalizantur quam pauperes, et, ut ait sanctus Benedictus, ipse timor potentum sibi exigit honorem, ad evitandum peccatum scandali præferimus divitem pauperi, cum tamen in mente non minus pauperem diligamus, et seorsum non minus ei deferamus. Itaque, fratres mei, quantum possumus Redemptorem nostrum imitemur, personarumque acceptionem evitemus, pauperes honoremus, et infirmos devote visitemus. In quo regulus bene, et si non plene, postulavit, eum Dominus plenius quam postulaverat audit. Ille enim solam sanitatem filii corporalem postulabat, et Dominus dat etiam ei salutem animæ, id est fidem. Et non solum illi, sed etiam ipsi patri et familiæ toti. Viso enim triplici miraculo, videlicet quia Dominus absentem sanaverat, et quia solo verbo, et quia in eodem puncto in quo ibi dixit, et filium sanavit, *credidit ipse et domus ejus tota.* Credamus et nos in eum firmiter, fratres mei, fide per charitatem operante (*Gal.* V), eum tota devotione diligentes, voluntatem ejus nostræ præponentes, ejus mandata facientes, nos immaculatos custodientes, proximos nostros in Deo, et inimicos propter Deum diligentes, pauperes per compassionem et eleemosynam visitantes, terrena omnia vilipendentes, ad cœlestia toto desiderio festinantes, ipso largiente qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XLVI.

DOMINICA VIGESIMA SECUNDA POST TRINITATEM.

Confido de vobis in Domino, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Jesu Christi (*Philipp.* I), etc. In hac lectione, fratres charissimi, tria facit Apostolus : Primo ostendit se confidere in Deo de salute nostra; secundo ostendit quem affectum habeat erga nos; tertio orat nos proficere magis, ut ad præmii æterni fructum perveniamus. Ostendens ergo se confidere de salute nostra, ait : *Confido de vobis in Domino.* Non autem ait Confido in vobis, quia maledictus qui confidit in homine, ut in præcedenti Dominica exposuimus. Demonstrat autem in quo confidat et de quo. In quo? in Deo. De quo? de vobis perficiendis. In quo dat, fratres mei, exemplum nobis, ut nunquam confidamus in amicis nostris, sed in Deo. De amicis nostris nunquam confidamus in nobis, sed in Deo de nobis dicentes cum

Psalmista : *Mihi* autem *adhærere Deo bonum est,* et *ponere in* Domino *Deo spem meam* (*Psal.* LXXII). De quo, Paule, in Deo confidis? *Quia qui cœpit bonum opus in vobis, perficiet usque in diem Jesu Christi.* Tria ponit Apostolus, *cœpit bonum opus in vobis,* et *perficit,* et *in diem Jesu Christi.* Per quæ tria notantur tres gratiæ. Prima est incipiens, secunda perficiens, tertia salvans et coronans. Per primam gratiam justificat Deus gratis impium, quando dat ei cordis contritionem, per secundam eum perficit in bonum, per tertiam reddit ei præmium. Prima dicitur gratia operans. Unde Apostolus : *Deus operatur in nobis et velle et perficere* (*Philipp.* II). Secunda dicitur cooperans. Unde idem : *Non ego,* inquit, *solus, sed gratia Dei mecum* (*I Cor.* XV). Tertia dicitur salvans. Unde idem : *Non ex operibus,* inquit, *justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit* (*Tit.* III). Itaque, fratres, tam prima, quam secunda, et quam tertia dicitur gratia, quia gratis data. Sed per primam agit Deus in nobis sine nobis, per secundam agit nobiscum, per tertiam remunerat Deus in nobis quod erat in nobis ex Deo, non ex nobis. Unde Gregorius : « Primo, inquit, agit Deus in nobis sine nobis, ut postea agat nobiscum, et per immensam misericordiam remunerat in nobis illud, ac si solum processisset ex nobis. » Multum ergo, fratres, errant qui putant se peccatum suum posse per se deserere, qui putant se aliquid boni posse incipere per se. Contra hos loquitur Jacobus dicens : *Ecce dicitis : Cras ibimus in villam, et ibi faciemus annum. Et quæ est vita nostra? Vapor ad modicum parens, pro eo ut dicatis : Si voluerit Dominus, faciemus* (*Jac.* IV). Nihilominus et illi stulti sunt, qui in bono sibi collato se per se putant stare posse, vel proficere. Unde et David : *Ego,* inquit, *dixi in abundantia mea : Non movebor in æternum* (*Psal.* XXIX). Quod inde se reprehendens ait : *Avertisti faciem tuam a me, et factus sum conturbatus. Ad te, Domine, clamabo* (*ibid.*), etc. Similes enim sumus, fratres mei, puero parvulo, qui surgere per se non potest, nisi a pædagogo erigatur. Erectus etiam nec stare potest per se, nec proficisci, nisi manu pædagogi sustentetur. Sic quoque, fratres, homo jacens in peccato, surgere a peccato non potest, nisi a gratia Dei præveniente erigatur. Erectus etiam a peccato, nec stare nec proficere in bono potest, nisi gratia cooperante sustentetur. Itaque, fratres mei, nostram infirmitatem cognoscamus, et nil posse nos ex nobis, nisi peccatum, intelligamus, et oremus dicentes : *Tua nos, Domine, gratia semper et præveniat et sequatur, et misericordia tua subsequatur me omnibus diebus vitæ meæ* (*Psal.* LVIII). Et ad quid? *Ut inhabitem in domo Domini in longitudinem dierum* (*ibid.*). Et hoc est quod hic dicitur, *in diem Jesu Christi.* Dicitur autem dies judicii, dies Christi, quia tunc gloriam suam manifestabit, quia tunc occulta cordium revelabit, quia tunc fideles suos æterna iuce glorificabit.

Sequitur pars secunda, in qua ostendens Apostolus affectum suum erga illos, probat quia æquum est eum confidere de salute illorum, per duo : per hæc, quia eos diligit, et quia habet eos socios in defensione et confirmatione Evangelii. De eis enim quos diligimus et quos in bono statu videmus, de eorum perseverantia et salute in Deo confidimus. Et hoc est quod dicit : *Sicut,* inquit, *æquum est me sentire pro omnibus vobis, eo quod habeam vos in corde meo, in vinculis meis, et in defensione et confirmatione Evangelii socios gaudii mei omnibus vos esse.* Ac si dicat : Sic de vobis in Deo confido, sicut est æquum me sentire pro omnibus vobis, id est, me sentiendo de omnibus vobis, confidere omnes vos esse socios gaudii mei, vel æterni, vel etiam nunc spiritualis. Et quare sic de nobis confidis? *Eo quod habeam vos in corde meo* per amorem, et hoc etiam *in* ipsis *vinculis.* In quo ostendit se adeo diligere illos, quod nec etiam in adversis potest eorum oblivisci; adversitas enim verum amorem exstinguere non potest. *Eo* etiam quod habeam vos in vinculis, per compassionem, *et in defensione et confirmatione Evangelii,* quia scilicet mecum defenditis Evangelium contra infideles, contra hæreticos, contra sophisticas cavillationes, et mecum etiam confirmatis. Prophetarum auctoritate, rationum veritate, miraculorum attestatione, et boni exempli exhibitione. Æquum utique est, fratres charissimi, ut qui in via socii sunt charitatis, persecutionis, prædicationis, socii etiam sint in patria æterni gaudii. Hinc sumamus exemplum et nos prædicatores, etiam et vos subditi. Habeamus nos erga vos sicut Paulus erga discipulos suos. Paulus etiam in vinculis in corde suo habebat discipulos per amorem; nos quoque, fratres, debemus vos habere in corde nostro semper, sive quando oramus, sive quando eleemosynam damus, sive quando ad sacrificium altaris accedimus. Hinc est quod Dominus præcepit quod pontifex legalis haberet in pectore rationale inscriptum nominibus duodecim filiorum Israel, quando sacrificabat (*Exod.* XXVIII). Nos quoque, quando Patri Filium sacrificamus, nomina nostra in corde nostro scripta habere debemus, orantes fidem inperfectorum confirmari, fortitudinem sanctorum magis augeri, delicta peccatorum dimitti. Econtra discipuli Paulum tanquam patrem diligebant, et ei in vinculis assistebant per compassionem, et subministrationem, et eum, quantum poterant, in defensione et confirmatione Evangelii juvabant. Ita et vos, fratres, in orationibus et eleemosynis vestris debetis vos habere, nostris infirmitatibus compati, et nostris prosperitatibus congaudere, et nostram prædicationem verbo et exemplo defendere et confirmare. Ne autem aliquis putaret Apostolum, non per veritatem hæc dixisse, sed per assentationem, producit Deum in testem dicens : *Testis est mihi Deus, quomodo cupiam vos in visceribus Jesu Christi,* id est in Christo. In visceribus siquidem est vita, et ipsa viscera intima sunt, et in viscera nostra cibum trajicimus. Ille ergo in visceribus Christi est, qui in eo vivit,

qui ei per charitatem intimus est, et qui per unionem ei incorporatur, quod maxime significatur per communionem eucharistiæ. Quando enim corpore Christi communicamus, non Christus nobis, sed nos Christo incorporamur.

Sequitur pars tertia, in qua orat Apostolus eos proficere usque ad præmii perceptionem dicens : *Et hoc oro, ut charitas vestra magis ac magis abundet.* Charitas enim otiosa et frigida esse non potest, sed more ignis in altum et in augmentum se semper tendit. Sed qusniam quidam habent charitatem, sed non secundum scientiam, cum videlicet hominem diligunt, in quo eum diligere non deberent, adjungit *in scientia*, scilicet spiritualium beneficiorum et corporalium, quia in utrisque, qui diligit vere proximum, debet eum juvare. *Ut sitis*, inquit, *sinceri et sine offensa.* Sinceri sunt quorum vitam nulla admistio vanæ gloriæ vel sinistræ intentionis corrumpit. Sine offensa sunt qui proximi infirmitatem, nec per peccatum, nec per indiscretum bonum offendunt. Idem ergo est quod ait sinceri et sine offensa illic, quod alibi ait : *Providentes bona, non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus* (*Rom.* XII). Et ita, fratres, viventes, venietis secure in diem judicii, et tunc eritis repleti fructu justitiæ per Jesum Christum in laudem et gloriam Dei. Sicut stipendia peccati mors, ita fructus justitiæ est vita æterna, qua justi in futuro erunt repleti, quia unumquemque sufficienter replebit illud modicum quod habebit, præsertim cum gloria singulorum per amorem sit communis universorum : et hoc per Jesum Christum auctorem et remuneratorem, in laudem et gloriam Dei, vel qua Deus glorificabit in anima et corpore, et laudabit suos, vocans eos benedictos, et etiam filios, vel qua electi glorificabunt et laudabunt Deum in æternum, juxta illud : *Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te* (*Psal.* VIII). Cujus beatitudinis et laudationis faciat nos participes, qui in Trinitate perfecta vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XLVII.

DOMINICA VIGESIMA SECUNDA POST TRINITATEM.

Simile est regnum cœlorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis (*Matth.* XVIII). Quis est iste rex, fratres charissimi, nisi Rex regum et Dominus dominantium, qui universa creat, possidet et gubernat? Qui recte rex dicitur, quoniam ita cuncta regit, quod nihil inordinatum reliquit. Et si enim mala vel in mundo, vel in inferno fieri permittit, tamen ad finem, vel misericordiæ, vel justitiæ suæ, ea dirigit. Quod enim legitur, quod in inferno nullus est ordo, de ordine renovationis intelligendum est. Non enim sicut in mundo, ita et in inferno laborum [labori] succedit requies, miseriæ felicitas, nocti dies, dolori refrigerium, sed continuus labor, continua miseria, continua nox, continuus ibi habetur cruciatus. Hujus autem summi regis servi sunt homines, quoniam ad hoc eos creavit, ut ei servirent, et suam facerent voluntatem. Ili autem omnes illius sunt debitores, quoniam in multis offendimus omnes (*Jac.* III). Quæ quidem debita nobis dimitti rogamus, cum quotidie in Oratione Dominica dicimus : *Dimitte nobis debita nostra* (*Matth.* VI). Ostenduntur igitur in hac lectione nobis quatuor: quomodo Deus ponit rationem cum servis suis et eis comminatur, quomodo promittentibus emendationem facile miseretur, et quanta sit immisericordiæ nostræ crudelitas, et quanta sit contra nos divinæ justitiæ severitas. Ponit igitur Deus rationem cum nobis servis suis, quando nos dijudicat et discernit. Sunt autem duo judicia Dei : unum discretionis meritorum, alterum discretionis præmiorum. Primum quotidie fit in Ecclesia, dum Deus hunc per misericordiam illuminat, illum per justitiam excæcat, hunc facit de virtute in virtutem ascendere, illum permittit de vitio in vitium ruere. Secundum judicium fiet in extremis, quando mali ibunt in ignem æternum, justi vero in vitam æternam (*Matth.* XXV). De primo dicitur : *Judica me, Deus*, et *discerne causam meam* (*Psal.* XLII). De secundo autem dicitur : Deus in judicio reddet unicuique secundum opera sua : *Et oblatus est*, inquit, *unus qui debebat ei decem millia talenta.* Decem millia talenta Deo debet, qui de Decalogo non impleto satisfactionem Deo debet, quales sumus nos fere omnes, fratres mei. Nam quis audet dicere : Ego legem implevi? Hic talis offertur Deo, vel per angelos, qui singulorum merita Deo dicuntur offerre, vel per clamorem pauperum, quibus non cessaverat injuriare. *Et cum non haberet, unde redderet*, etc. Nihil habet peccator unde reddat, qui nihil compunctionis, vel correctionis in se habet, unde satisfaciat. Hunc talem jubet Dominus venumdari, et uxorem, et filios et universa quæ habet, et reddi. Quoniam qui de perpetratis peccatis non vult satisfacere, jubet Deus et spiritum ejus, et uxorem, id est carnem (cujus mollitie utebatur) et filios, id est sensus, qui ex spiritu et carne procreantur, et omnia membra pro peccatis, æternæ pœnæ tradi, et ita dignam ultionem de eo reddi. Ecce, fratres, quam terribiliter Deus minatur illis qui non convertuntur.

Sequitur pars secunda, in qua ostenditur quam facile Deus pœnitentibus miscreatur, cum subditur: *Procidens autem servus ille, rogabat eum dicens : Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi. Misertus autem dominus servi illius, dimisit eum et debitum dimisit illi.* Porro peccator intelligens pro peccatis commissis sibi gehennam parari, procidit et rogat Dominum, ut patientiam in eum habeat, et omnia reddit ei quando peccatum suum recognoscens se humiliat, et spatium pœnitentiæ sibi dari postulat, et plenam promittit satisfactionem. Quod si fuerit vera humilitas, et vera compunctio, Deus dimittit eum, ut in melius vivat, et peccata indulget ei, juxta quod ipse per prophetam ait : *Nolo ego mortem peccatoris, sed ut magis convertatur et vivat* (*Ezech.* XVIII). Quis sufficiat pensare fratres mei,

viscera divinæ misericordiæ, qui ad hoc minatur asperius, ut citius parcat. Qui mox ut emendationem ei promittimus, ipse veniam nobis præstat.

Sequitur pars tertia, in qua nostræ misericordiæ crudelitas demonstratur, cum subditur : *Egressus autem servus ille, invenit unum de conservis suis, qui debebat ei centum denarios, et tenens suffocabat eum dicens : Redde quod debes*, etc. Porro egressus peccator ab humilitate compunctionis, et quasi securus factus, invenit unum de conservis suis, qui debebat ei centum denarios. Quanta differentia est inter centum denarios, et decem millia talenta, et in quantitate et in numero, tanta est differentia inter peccata quæ fecimus in Deum, et inter peccata quæ fecit proximus in nos. Fere enim nulla sunt quæ fecit proximus in nos, ad comparationem eorum quæ fecimus in Deum. *Invenit*, inquit, *unum de conservis suis.* Pondus est in verbis, quasi cujus deberet magis misereri, quia plus esse misericors debet in miseros, qui ipsam miseriam expertus est. Et contra, dignus est miser redigi in miseriam, qui in miseros non habet misericordiam. *Et tenens suffocabat eum*, id est crudeliter et violenter exigebat. Qui enim alium suffocat, vocem ei aufert, ne possit rogare vel misericordiam implorare. Hoc faciunt quidam duri et immisericordes, qui injuriosis suis non solum veniam denegant, sed etiam a Deo denegari vellent, timentes ne implorent vel impetrent Dei misericordiam. *Et procidens conservus ille, rogabat eum dicens : Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi.* Si omnibus malefactoribus nostris dimittere tenemur, fratres mei, maxime humiliatis, et veniam postulantibus et emendationem promittentibus tenemur dimittere. Unde qui talibus non miseretur, misericordiam procul dubio non consequetur. *Ille autem noluit, sed abiit, et misit eum in carcerem.* Ille mittit debitorem suum in carcerem, qui injuriosum suum desiderio mittit in gehennam. Quales sunt hodie plures (unde magis dolendum est) qui etsi non possunt opere, saltem quod possunt, desiderio et imprecatione læsores suos damnant. *Videntes autem conservi ejus*, id est angeli, vel homines religiosi, quæ fiebant, nuntiaverunt querimoniis Domino suo quæ facta fuerant. Nihil est enim, fratres mei, quod plus exacerbet angelos et sanctos Dei in nos, quam si odium obstinatum habuimus in proximos nostros.

Sequitur pars quarta, in qua ostenditur quanta sit contra immisericordes divinæ justitiæ severitas, cum subditur : *Tunc vocavit eum dominus suus.* Tunc vocat Dominus peccatorem, cum ab hac vita facit eum transire ad aliam. *Serve nequam*, inquit, *omne debitum dimisi tibi*, per baptismum et pœnitentiam, *quoniam rogasti me*, humiliatus per compunctionem. *Nonne oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum ?* Nom enim improperabit Dominus in judicio reprobis, eos sic peccasse, sed eos misericordiam, per quam peccata sua redimere poterant, non habuisse : et quia non fuerunt tales erga proximos, qualis Deus exstiterat erga ipsos; hæc enim et similia dicturus est Dominus reprobis in judicio : Ego satiavi vos, quare et vos non satiastis me in meis? ego vestivi vos, quare et vos non vestistis me in meis? Ego misertus sum vobis, quare et vos non miserti estis mihi in meis? *Et iratus. jussit eum tradi tortoribus quousque redderet universum debitum.* Iratus dicitur Deus, fratres charissimi, non a commotione iræ, quæ in Deum nunquam cadit, sed a pœnæ irrogatione. Ira enim Dei dicitur irrogatio pœnæ, transsumpto nomine antecedentis ad consequens. Jussit, inquit, eum tradi tortoribus, qnoadusque redderet universum debitum. Hoc fiet, fratres charissimi, quando Dominus tradet impios æterno supplicio cum diabolo et angelis ejus simul cruciandos, quousque reddant dignam ultionem pro omnibus iniquitatibus quas fecerunt, id est in æternum. Quorum enim vita mortua est in culpa, eorum mors vivet in pœna. *Sic*, inquit, *Pater cœlestis faciet vobis, si non remiseritis fratribus vestris de cordibus vestris.* Sed dices : Nunquid Dominus justus judex, peccata in baptismo vel confessione dimissa, iterum in inferno exiget, cum scriptum sit : *Non judicabit Dominus bis in idipsum ?* (*Nahum.* I, 9, juxta LXX.) Sed sciendum est, fratres charissimi, quod peccata non plene dimittuntur nisi in pœnitentia et in emendatione perseverantibus. Unde scriptum est : *Vade, et amplius noli peccare* (*Joan.* V). Pœnitentia quippe est commissa mala plangere, et plangenda non committere. Ergo eis qui in pœnitentia non perseveraverint, omnia peccata redeunt, vel tantum pro ingratitudine et incuria puniuntur, ac si perpetrata redirent universa. Hoc itaque, fratres mei, cogitemus, hoc timeamus. Proposita est nobis veniæ conditio. Si non dimittimus, non dimittetur nobis, quia, ut ait Jacobus, *judicium sine misericordia fiet ei qui non fecit misericordiam* (*Jac.* II). Hoc etiam pacto in oratione Dominica quotidie nos constringimus, cum oramus : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Matth.* VI). Legimus de sancto Joanne, patriarcha Alexandriæ, quod cum quidam clericus eum offendisset, cantabat quadam die missam, cumque cantans orationem Dominicam ad supradictam petitionem venisset, memor querelæ quam habebat adversus clericum, eum mandat, et per veniam eum sibi conciliat, et tunc rediens ad propositum suum ait,. *Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Faciamus et nos similiter, fratres mei. Dimittamus ut dimittatur nobis. Misericordiam faciamus, ut misericordiam inveniamus. Simus pii et clementes erga offensas proximorum, ut summum judicem, pium, et clementem nobis invenire mereamur Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in æternum. Amen.

HOMILIA XLVIII.

DOMINICA VIGESIMA TERTIA POST TRINITATEM.

Imitatores mei estote, et observate eos qui ita am-

bulant, sicut videtis formam nostram (*Philipp.* III, IV), etc. Hac in lectione, fratres charissimi, quinque facit Apostolus : primo monet eos quibus scribit, et nos pariter cum eis, ad sui et sui similium imitationem ; secundo ad contrariorum evitationem ; tertio ostendit quo debeamus tendere, et quid sperare ; quarto monet ad perseverantiam ; quinto ad ferendum auxilium his qui pro Evangelio laborant. Ait ergo, *Imitatores mei estote, et observate eos qui ita ambulant, sicut videtis formam nostram*, etc. In quo, fratres, tria notanda sunt, Apostoli confidentia, quid imitatio conferat, et in quo fieri debeat. Confidentia quippe Apostoli in hoc apparet quod præcipit ut imitemur eum. In quo demonstrat se imitatione dignum. Et vere, fratres, imitatione dignus erat, qui Christi verus imitator erat, sicut idem alibi ait : *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi* (*I Cor.* IV; *I Cor.* XI; *Ephes.* V). Talis enim debet esse prædicator, qui Christum expresse imitetur, et quem minores inoffense sequantur. In quo fratres (quod sine gemitu dicere nequeo) præsumptio nostra confunditur, qui pastores dici volumus, et tamen veri pastoris imitatores non sumus. Honorem diligimus, vitam non tenemus. Unde quid contingit, nisi quod nos, et nostri imitatores pariter trahimus ad ruinam ? Scriptum est enim : *Si cæcus cæcum duxerit, nonne ambo in foveam cadunt ?* (*Matth.* XV; *Luc.* VI.) Vos ergo, fratres, per imitationem nostri, nolite deviare : sed quod videtis in nobis reprehensibile, devitate : et quod imitabile, imitari satagite. Habetis enim caput et ducem Jesum Christum, et imitatorem ejus Paulum : quos sequentes nequaquam deviabitis. Est autem imitatio multum efficax, sive in bonum, sive in malum. Est enim imitatio ex admiratione et desiderio exemplaris nascens assimilatio. Primum, fratres, admiramur aliquam virtutem in aliquo ; exinde inardescimus desiderio ad eam adipiscendam ; et incipimus, quoad possumus, eum imitari. Est autem imitatio tam in bono quam in malo. Nam multi admirantur divitias, honores, et glorias sæcularium, et inde inardescentes ad alia adipiscenda, imitantur malitias sæcularium, per quas divitiæ, honores, et gloriæ sæculares adipiscuntur. Contra quos nos hortatur David : *Noli*, inquit, *æmulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem, quoniam tanquam fenum velociter arescent* (*Psal.* XXXVI), etc. Item illud : *Noli æmulari in eo qui prosperatur in via sua, et in homine faciente injustitias* (*Psal.* XXXVI), etc. Vos ergo, fratres, nolite mirari temporales divitias, honores, vel glorias. Si enim non admiramini, non concupietis. Hinc poeta:

Nil admirari (63) *prope res est una. . . . . .*
Solaque, quæ posset facere et servare beatum.
(HORAT., *Epist.* lib. I, epist. 4, v. 1, 2.)

Solas virtutes, fratres charissimi, et bonos mores, et bona opera sanctorum imitamini. Et juxta præceptum Philosophicum, aliquando virum honestum vobis in exemplum assumite, ad cujus exemplum mores vestros regatis. Et si nunc aliquem usquequaque justum et honestum invenire non potestis, tamen quod in uno quoque laudabile videritis, imitamini ; quod reprehensibile, devitate, more pictoris, qui multas exemplares formas ante oculos suos habet : et quod in unaquaque convenientius cernit, assumit. Debemus autem, fratres mei, imitari in sanctis, non excellentias honorum et dignitatum, sicut fecit Lucifer, et primus homo, qui per rapinam voluerunt rapere divinam altitudinem, et sicut Simon Magus, qui pecunia voluit emere apostolorum potestatem ; sed potius virtutes, ut humilitatem, patientiam, charitatem, cæterasque virtutes, quas Christus nobis in exemplum reliquit, et quas Paulus cæteriique apostoli in Christo imitati sunt. Non enim ait Dominus : Discite a me omnia scire, vel mundum creare, sed ait : *Discite a me quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* XI). — *Et observate*, inquit, *eos qui ita ambulant, sicut videtis formam nostram.* Forma apostolica est recta fides, et recti mores. Quos ergo videmus tenere formam apostolicam, idest rectam fidem, et rectos mores, eos sequamur. Quos autem videmus deviare, vel a recta fide, ut hæreticos, vel a rectis moribus, ut falsos Christianos, evitemus.

Sequitur pars secunda, in qua nos docet Apostolus quos evitare debeamus, dicens: *Multi enim ambulant*, subaudis, non secundum formam nostram, sed male, *quos sæpe dicebam vobis*, quando eram vobiscum. Bene autem ait multos, quoniam multi sunt, quorum mores evitare debemus. Pauci vero sunt imitatione digni. *Sed et nunc*, inquit, *flens dico.* In quo, fratres, est notandus mirabilis affectus, et charitas apostoli, quam habebat erga omnes, qui non solum fratres delinquentes, imo etiam inimicos plorabat,, imitator Magistri sui dicentis : *Pater, dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt* (*Luc.* XXIII). Hoc nobis, fratres, in exemplum reliquerunt, quod nos male servantes, inimicis nostris maledicimus, imprecamur; et de ruina eorum lætamur, cum Job dicat: *Si lætatus sum super inimico meo, eo quod invenisset eum malum, quasi hoc et hoc mihi contingat* (*Job* XXXI). Qnod si hoc fecerunt homines qui fuerunt ante legem, vel sub lege, quid nos debemus facere, qui in tempore gratiæ sumus? Vincamus ergo, fratres, duritiam cordis nostri, et discamus inimicos nostros diligere, eorum dico naturam, non vitium, juxta quod David ait : *Perfecto odio oderam illos* (*Psal.* CXXXVIII). Perfectum odium est non naturam odisse, sed vitium. *Inimicos*, inquit, *crucis Christi.* Porro inimici crucis Christi sunt, qui crucem Christi scandalum, ut Judæi, vel stultitiam ut gentiles opinantur. Inimici etiam crucis Christi dici possunt qui etsi credunt Christi crucem , tamen eam ferre recusant. Quales (unde dolendum est) sumus hodie nos, solo nomine Christiani, qui crucem prædicamus, et per crucem salvari volumus, et tamen crucem ferre nolumus, carnem nostram cum vitiis et concupiscentiis non crucifigimus non hic amara pati, sed dulci

(63) Subbaudi *temporale.*

quærimus, non tristari, sed prosperari; injurias illatas patienter non ferimus, sed potius malum pro malo, maledictum pro maledicto reddimus, cum Magister noster dicat : *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam et sequatur me* (*Matth.* XVI), et: *Qui me erubuerit et sermones meos, hunc filius hominis erubescet* (*Luc.* IX). — *Quorum*, inquit, *finis interitus, quorum deus venter est et gloriam in confusione eorum qui terrena sapiunt.* Ordo : Inimicos crucis, qui terrena sapiunt, quorum finis interitus, etc. Qui enim crucem Christi, vel non credunt, vel non portant, terrena sapiunt, non cœlestia, et ideo illorum finis est interitus. Non enim credunt resurrectionem, vel futurum judicium, sed finem hominum credunt esse interitum animarum. Inquiunt enim : Quis est regressus ab inferis, qui nobis nuntiet aliam esse vitam? Moriuntur enim homines, nec resurgunt, sic fuit, sic erit semper; alii moriuntur, et alii nascuntur. Fallit nos littera, promittens nescio quæ bona futura. Sed certe stultum est perdere præsentia bona, quæ videmus et tenemus, propter quædam bona forte nunquam futura. Dum ergo vivimus, comedamus et bibamus, cras enim moriemur. Quod, et si quidam hoc verbis non dicant, tamen se ita credere operibus demonstrant, dum sola terrena quærunt et amant, gulæ et ventri satisfacientes. *Quorum*, inquit Apostolus, *deus venter est.* Quod enim quis plus diligit, hoc se colere ostendit. Avarus colit nummum pro Deo, luxuriosus venerem, gulosus ventrem, et ebriosus vinum. Nonne enim ventrem pro Deo colit, qui plus ventri quam Deo obedit? qui plus pro ventre quam pro Deo facit? qui frequentius visitat coquinam quam ecclesiam? Qui plus delectatur in odore carnium quam incensorum et orationum? Nos ergo, fratres. hoc grande vitium fugiamus; non gulæ, sed naturæ satisfaciamus, juxta illud philosophi : Sint epulæ vicisse famem. *Et gloria*, inquit, *in confusione eorum*, supple gloria, quam nunc habent, erit in confusione. Gloria quippe quam nunc habent in pinguedine et nitore carnis, et abundantia pulchrorum et suavium, tunc erit in confusione eorum. Quoniam juxta librum Sapientiæ dicturi snnt in inferno: *Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, et ecce quomodo reputatī sunt inter filios Dei. Erravimus, et sol justitiæ non illuxit nobis* (*Sap.* V). Magna, fratres, erit confusio reprobis, quando amissa gloria temporali, erunt inglorii, videntes super se eos honorari, quos habuerunt aliquando in derisum, quando eorum omnia peccata, et omnes turpes cogitationes patebunt. Ordo etiam notandus est. Qui enim sunt inimici crucis Christi, sapiunt terrena, et ideo putant finem interitum, et ideo indulgent ventri, et gloriæ carnis, et ex his proveniet damnatio confusionis.

Sequitur pars tertia, in qua ostendit Apostolus quo tendere, et quid sperare debeamus dicens : *Nostra autem conversatio in cœlis est.* Quasi diceret : Diligant alii terrena, sed nostra conversatio spe in cœlis est. Si enim veri Christiani sumus, mente, ore et opere, ad cœlum tendimus, et ibi desiderio habitamus; et quamvis ex necessitate aliquando tractemus terrena, tamen semper ad cœlestia mente revertimur, et in eis conversamur. Per quem vero et quomodo ad ea perventuri simus, ostendit subdens : *Salvatorem enim exspectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* Utinam, fratres, et nos cum Apostolo hoc vere dicere possimus, quod Salvatorem nostrum exspectemus! Quid enim aliud est exspectare quam cum desiderio sperare? Exspectant ergo cum suspiriis Dominum, qui sibi consciii sunt hic toto corde eum diligere, ejusque mandata implere. Alii enim eum non exspectant venturum, sed timent. *Qui reformabit*, inquit, deformatum propter peccata, *corpus* ad primam, imo majorem immortalitatem. Quia quod creatum fuit immortale, id est potens non mori, fiet a Domino immortale, id est non potens mori. Corpus dico *humilitatis nostræ*, id est quod modo est vile, et expositum pœnæ et miseriæ. Vel causalis potest esse genitivus, quia enim nunc nos sponte humiliamus, tunc glorificabimur. *Secundum potestatem, qua sibi subjicere potest omnia.* Qui enim in primo adventu apparuit subjectus et humilis, in secundo adventu apparebit habere potestatem tantam, quod possit subjicere sibi omnia, id est cœlestia, terrestria et inferna. Cœlestia restaurando, terrestria glorificando, inferna damnando. Subactam quippe tunc ostendet sibi vitam et mortem; vitam conferendo, et mortem destruendo.

Sequitur pars quarta, in qua hortatur Apostolus ad perseverantiam. Et quia exhortationem amici magis suscipimns, quam alterius, ideo primo ostendit affectum Apostolus quem habet erga filios prædicationis suæ. *Itaque, fratres mei charissimi et desideratissimi, gaudium meum et corona mea, sic state in Domino charissimi* (*Philipp.* IV). Fratres charissimos eos vocat, quoniam eos ferventissime diligebat, non solum propter naturam, sed propter fraternæ charitatis abundantiam, quæ in ipsis erat. Desideratissimos eos vocat, quoniam eorum profectum valde desiderabat. Gaudium suum eos vocat, quoniam bonum quod in eis erat, erat ei causa unde ipse gaudebat. Coronam suam eos vocat, quoniam futuri erant e, causa coronæ. Sunt autem duo posteriora, causæ duorum præcedentium. Ideo enim eos charos habebat, quia erant ei causa gaudii. Ideo eorum profectum desiderabat, quia erant ei futuri causa coronæ. Proficiente quippe discipulo, crescit merces magistro. In Paulo discant pastores Ecclesiæ, quales debent erga subditos esse. Bonum eorum charissime diligant, eorum profectum valde desiderent, de bono eorum valde gaudeant, profectum eorum coronam suam putent. Propterea in eorum correctionem, instructionem, et exhortationem, tanquam in propriæ coronæ acquisitione semper invigilent. *Sic state*, inquit, *in Domino*, sic state, sicut et ego prædicavi vobis, sicut vos suscepistis, sicut et vos incepistis. State firmi, sicut stetit Moyses coram Pharaone, et

sicut stetit Phinees rigidus inter fornicatores. State firmi, ut quadrus qui in quamcunque partem cadat, stabilis stat. Superbia non elevet vos sursum, desperatio non absorbeat vos deorsum, ventus adulationis non moveat vos a dextris, nec ventus detractionis a sinistris. Retro non moveant vos occultæ tentationes, nec ante apertæ persecutiones. Et hoc totum non in vobis, sed in Domino, qui solus lapsos erigit, et erectos confirmat. *Evodiam rogo*, inquit, *et Syntychem deprecor idipsum sapere in Domino.* Hæ duæ personæ, quia vel a cæteris, vel ab invicem fide, vel charitate dissentiebant, ideo monentur nominatim ab Apostolo, ut unum idem in fide et charitate, et cum cæteris et inter se sentiant. Nullum quippe bonum esse potest, ubi dissensio fidei et charitatis est.

Sequitur pars quinta, in qua monet unam personam nominatim, et in ea cæteras, ut auxilium ferant his qui in Evangelio laborant, dicens : *Rogo etiam et te, germane compar, adjuva illos qui mecum laboraverunt in Evangelio, cum Clemente et cæteris coadjutoribus meis.* Sane cum omnes in necessitatibus suis adjuvandi sint, maxime ministri Christi, et in ministerio Christi laborantes, et in communi omnium salute. Sunt enim prædicatores Evangelii ministri Christi. Et etiam Evangelium Christi ministerium est, et prædicatio communis salus est. Illos ergo, fratres mei, qui laborant cum Paulo, et ad similitudinem Pauli in Evangelio, vel prædicando, vel pro eo patiendo, maxime juvare debetis, eos suscipiendo, et eis necessaria ministrando, defendendo et commendando. Si enim Redemptor noster in quolibet paupere, propter causam suscipi dicitur, maxime in ministris Christi et propter causam, et propter ministerium, et propter sanctitatem suscipitur. *Quorum nomina sunt in libro vitæ*, per prædestinationem ascripta. Vos ergo, fratres, qui nescitis prædicare vel docere, nec orationi, vel contemplationi, vel cæteris spiritualibus intendere, saltem eos qui hoc possunt juvate, suscipite, et temporalibus beneficiis sustinete. Si non potestis esse in Ecclesia Dei, vitis, vel oliva, vel ficus per spiritualem fructificationem, saltem estote in Ecclesia Dei ulmus per spiritualium virorum sustentationem, ut sicut hic eorum coadjutores estis, ita et in futuro æternæ retributionis comparticipes esse mereamini. Quod concedat nobis unus et verus Deus Pater Filius et Spiritus sanctus, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XLVIX.

DOMINICA VIGESIMA TERTIA POST TRINITATEM.

Abeuntes Pharisæi consilium inierunt, ut caperent Jesum in sermone (*Matth.* XXII). Duæ sunt partes hujus evangelicæ lectionis, fratres charissimi. Primo enim malitia versutiaque Pharisæorum demonstratur. Secundo, quomodo a Domino dissoluta sit aperitur, primum igitur malitia Pharisæorum describitur, cum dicitur : *Abeuntes Pharisæi consilium inierunt*, etc. Si omnes veterum historias, et totum mundanæ vitæ cursum consideremus, fratres mei, semper inveniemus quod falsitas persequitur veritatem, malitia bonitatem, impietas pietatem. Et Deus cum sit omnipotens et justus, quare hoc patitur? Ut mali exigentibus suis meritis fiant deteriores, et sancti sanctiores, juxta illud Apocalypseos : Justum est ut *qui in sordibus est sordescat adhuc, et* justum est ut *qui sanctus est, sanctificetur adhuc* (*Apoc.* XXII). *Multæ enim tribulationes justorum, et de omnibus liberabit eos Dominus* (*Psal.* XXXIII). Et econtrario : *In insidiis suis capientur iniqui* (*Prov.* XI). Et iterum : *Foderunt*, inquit Propheta, *ante faciem meam foveam, et inciderunt in eam* (*Psal.* LVI). Ecce, fratres, quomodo ab initio Cain persecutus est fratrem suum Abel, in ejus gloriam et sui confusionem, Esau persecutus est fratrem suum Jacob in ejus gloriam, et sui confusionem. Saul persecutus est David in ejus gloriam, et sui confusionem. Idololatræ persecuti sunt prophetas in eorum gloriam et sui confusionem. Judæi Christum, in ejus gloriam et sui confusionem. Unde et hic legitur, *quod Pharisæi abeuntes, consilium inierunt ut caperent Jesum in sermone.* Unde abeuntes? vel quo euntes? A bonitate ad malitiam, a vero ad falsum, a consilio justorum ad consilium impiorum. *Et cum beatus sit vir, qui non abiit in consilio impiorum* (*Psal.* I), isti econtra miseri sunt, quoniam abierunt in consilium impiorum. Ad quid? *Ut caperent Jesum in sermone.* Quia nec in vita, nec in moribus, nec in operibus eum reprehendere poterant, tentant si vel in sermone eum capere possent. Sic, fratres, adhuc quotidie mali bonis insidiantur. Cum enim pupillus, vel vidua, vel simplex aliquis advocatum non habens in causa sua, suam simpliciter loquitur veritatem, impii eis insidiantur, ut capiant eos in sermone, ut possint eos suis rebus spoliare. *Et mittunt*, inquit, *discipulos suos cum Herodianis.* Quare ipsi non venerunt? Ut per alios malitiam exercentes, ipsi innoxii viderentur. Quare vel solos discipulos suos, vel solos Herodianos non mittunt? Utrosque mittunt, ut si timore mundanæ potestatis diceret contra legem, ab istis accusaretur. Et si timore istorum diceret contra sæcularem potestatem, ab illis teneretur. *Magister*, inquiunt, *scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces, et non est tibi cura de aliquo. Non enim respicis personam hominum.* Non ex corde, sed ex dolo sic magisterium Christi laudant, et ita eum ad loquendum libere pro lege contra sæcularem potestatem excitant, ut ita teneretur ab ea. Quamvis autem sinistra intentione, tamen sufficienter describunt magisterii perfectionem. In his quippe quatuor perfectio magistri continetur : primo quod sit verax in vitæ puritate, secundo quod sit verax in legis eruditione, tertio quod non sit ei cura de aliquo, id est non sit sollicitus in curiositate rerum temporalium, quarto ne sit acceptor personarum. Sed, fratres mei pauci (unde dolendum est) tenent hodie hanc magisterii perfectionem. Nam quidam, etsi in se vitæ puritatem teneant ad exemplum, tamen non habent veritatem doctrinæ ad eruendum. De quibus propheta : *Ipsi*, inquit, *sacer-*

dotes ignoraverunt intelligentiam (*Isa.* LVI). Qui tamen quamvis in se pure vivant, tamen quia cæci in Scripturis, cæcos ducere præsumunt, simul cum eis in foveam cadunt (*Matth.* XV). Alii vero sunt, qui et si recte docent, non tamen recte vivunt. De quibus Dominus : *Dicunt enim et non faciunt* (*Matth.* XXIII). Tales, quod sine gemitu dicere nequeo, sumus nos hodie indigni prædicatores, qui vitia quæ voce damnamus, facere non erubescimus; similes candelæ ardenti, quæ aliis quidem ministrat lucis beneficium, sibi autem detrimentum. Alii autem sunt, qui et si in veritate, et vivere et docere videntur, tamen in hoc peccant, quod in rebus sæcularibus solliciti sunt magis quam deberent. Quales (unde dolendum est) nos hodie sumus, qui orationi, lectioni, contemplationi, prædicationi cæterisque spiritualibus studiis, vel parvam, vel nullam operam damus, et causis, negotiis, sollicitudinibusque sæcularibus vacamus, non attendentes quod Dominus hanc sollicitudinem nobis prohibeat dicens: *Nolite solliciti esse dicentes: Quid manducabimus* (*Matth.* IV), etc. Et Apostolus : *Victum*, inquit, *et vestitum habentes, his contenti simus* (*I Tim.* VI). Alii vero sunt, qui et si nec hoc, nec illo vitio tenentur, tamen acceptores sunt personarum, dum palpant vel molliter, vel nunquam arguunt divites. Et hoc propter timorem, vel propter favorem. Unde canes muti non valentes latrare a propheta vocantur (*Isa.* LVI), et interim nimis dure corrigunt pauperes propter contemptum. Unde Dominus per prophetam : C*um austeritate*, inquit, *imperabatis, et cum potentia* (*Ezech.* XXXIV) — *Licet*, inquiunt, *censum dari Cæsari, an non?* Cornuto sophismate intendunt capere Dominum. Tunc enim inter Judæos super hoc erat contentio, aliis dicentibus tributa deberi Romanis, eo quod pro pace et salute omnium militabant, aliis tributa dari Cæsari prohibentibus, eo quod in lege soli Deo servire, et ei primitias et decimas dare jubebantur. Si ergo affirmaret tributa deberi Cæsari, doctores de lege eum accusarent; si vero negaret, Herodiani eum tenerent. Sed Christus, cordium inspector, cognita eorum nequitia ait : *Quid me tentatis, hypocritæ?*

Est autem hæc pars secunda, in qua Dominus eorum insidias dissolvit. Primo duplicitatem eorum arguendo, cum dicit : *Quid me tentatis, hypocritæ?* hypocritas enim eos vocat, quia in verbis ostendebant simplicitatem, et in corde tegebant duplicitatem. Sophisma eorum dissolvit, cum subdit : *Ostendite*, inquit, *mihi numisma census? Et cum obtulissent ei denarium, Cujus est*, inquit, *imago hæc et superscriptio?* Interrogat autem quod sciebat, ut ex ipsa eorum responsione eis concludat. *Dicunt ei : Cæsaris. Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo.* Ita responsum temperat, ut nec contra legem, nec contra sæcularem potestatem dicat. In quo præcipit quod tributa potestatibus reddi debent, sicut decimæ et oblationes Deo. Ipse quippe ordinavit potestates et jura regnorum. Unde et præcepit Samueli ut diceret Israelitis jus regni. Quin ipse etiam cum Petro reddidit tributum Cæsari, cum propter vitandum scandalum, tum propter exemplum, ostendens bene reddere eos qui debent, cum ipse reddidit, qui non debebat. Et Apostolus : *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit* (*Rom.* IX). Et alibi : *Reddite cui honorem, honorem; cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal* (*Rom.* XIII). Est enim officium justitiæ, unicuique quod suum est reddere, Deo religionem, sibi munditiam, parentibus honorem, familiaribus providentiam, filiis correctionem, fratribus amorem, dominis subjectionem, subjectis benignitatem, omnibus æquitatem. Cum autem Cæsari sua reddimus propter Deum, in hoc etiam Deo reddimus sua, dum hoc facimus propter ejus mandatum. Sicut vero Cæsari reddimus denarium ejus imaginem habentem, ita Deo debemus afferre et reddere animam nostram, ad ejus imaginem et similitudinem factam. Sunt autem in denario tria, imago et similitudo regis, inscriptio nominis, forma rotunditatis. Anima quoque est ad imaginem et similitudinem Dei creata, nomine suo inscripta, ut a bono bona, a Christo Christiana, juxta illud : *Habentes nomen ejus et nomen Patris ejus scriptum in frontibus suis* (*Apoc.* XXII). Rotunda, id est perfecta, creata videlicet sine fractura vitii, et sine flexura peccati. Unde Propheta : *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine* (*Psal.* IV). Vultus Dei ratio est, per quam voluntas Dei cognoscitur, lumen, divina gratia est, quam ratio illustrat. Hæc est signata super nos, quia quanto sumus puriores et sanctiores, tanto magis ratio illustratur, et Deo similiores efficimur. Unde, fratres, toto studio, totisque viribus ad hoc laboremus, ut imago et similitudo Dei in nobis per vitium deformata, per studium virtutum reformetur. Ac ipso in nobis operante simus sancti, sicut ipse sanctus est; veraces, sicut ipse verax est; misericordes, sicut ipse misericors est; ut cum Psalmista dicamus : *Tibi dixit cor meum, Exquisivit te facies mea, faciem tuam, Domine, requiram* (*Psal.* XXVI), ut tandem eam nobis facie ad faciem contemplari tu ipse concedas, qui cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

ORDO RERUM

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

GOSCELINUS CANTUARIENSIS MONACHUS.
Notitia historica. 9
VITA S. AUGUSTINI ANGLORUM APOSTOLI. 11
VITA ALTERA. 11
HISTORIA TRANSLATIONIS EJUSDEM. 13
VITA SWITUNI EPISCOPI. 47
VITA IVONIS EPISCOPI PERSÆ ET TRIUM EJUS SOCIORUM. 79
VITA SANCTÆ WEREBURGÆ VIRGINIS. 93
VITA SANCTÆ EADGITHÆ EADGARI ANGLORUM REGIS FILIÆ. 109
S. Laurentii episcopi Cantuariensis Elogium historicum. 115
LUPUS PROTOSPATARIUS.
Notitia historica. 119
CHRONICON. 121
MONACHI MAJORIS MONASTERII.
EPISTOLA ENCYCLICA monachorum Majoris Monasterii Turonensis de morte Bernardi abbatis 143
BRUNO.
Notitia historica. 145
GREGORIALE. 145
BERNARDUS TOLETANUS.
Notitia historica. 145
SERMONES. 147
MANEGALDUS.
Notitia historica et litteraria. 147
L. A. Muratorii in Manegaldi opus admonitio. 147
OPUSCULUM CONTRA WOLFELMUM COLONIENSEM. 149
Cap. I. — Quod non omnes philosophorum sententiæ abjiciendæ sint, sed illæ, in quibus decepti sunt, et decipiunt, et de Pythagoræ sententia de anima valde detestanda. 152
Cap. II. — De Platone, et ejus involucris, quibus ostendit ex quibus constet anima, et quod in distantia penetret corpus. 153
Cap. III. — De diversis sententiis philosophorum de anima. 154
Cap. IV. — Quod in mensurando solem, et lunam, et habitabilibus maculis decepti sint, et si quis inde Macrobio crediderit, in fide facile periclitetur. 154
Cap. V. — Quod secundum Apostolum talia probanda sunt, et ad sobrietatem Christianæ regulæ resecanda. 155
Cap. VI. — De non sana eorum confessione, et de casu Origenis, qui se nimis eorum dogmatibus affecit. 155
Cap. VII. — De sancto Spiritu, et ejus sana et moderata doctrina, quod superbos deserat, et immundo Spiritui dissecandos permittat. 156
Cap. VIII. — Quod philosophi patriarcharum benedictionibus privati nihil digne de Trinitatis mysterio sentire meruerint. 157
Cap. IX. — Quod a spiritu maligno talia orta sint, et divisionis auctor idololatriam multis argumentis texuerit. 157
Cap. X. — Quod ipsi sunt Ægyptii a nobis deprædandi, et quod nobis eloquiorum thesauros et ornatus paraverint. 158
Cap. XI. — De Deo, quem habemus loquendi materiam, et de recta confessione, et creatione angelorum, et hominum, circa quorum casum sententia Domini misericorditer temperata est. 159
Cap. XII. — De præceptis obediendi, quibus homo reparatur contemptor mandati, quæ reparatio multis modis designata sit, ita ut casus priorum patrum ad designandam magnitudinem gratiæ permissi sint, sicut David, de cujus genere Auctor veniæ natus est. 160
Cap. XIII. — De prophetis duos adventus prævidentibus, ac desiderantibus. 161
Cap. XIV. — Quod ordinatis quæ oportuit, Deus de Virgine natus sit, destructa philosophorum consequentia. 162
Cap. XV. — Quo proventu natus sit. 163
Cap. XVI. — De Deo nato quod omnis veritas Scripturarum ab eodem aperta sit, et de suscitatione animarum, et doctrina humilitatis. 163
Cap. XVII. — De simplicitate Petri apostoli, et merito fidei suæ. 165
Cap. XVIII. — De duobus sacramentis regenerationis et refectionis ante passionem in Cœna institutis. 165
Cap. XIX. — Quod in cruce Jesu Christi sit remissio peccatorum, et redemptio omnium, et priorum sanctorum. 166
Cap. XX. — De gloria resurrectionis, et quod discipuli, non ad philosophandum, sed ad vitam æternam annuntiandam vocentur. 167
Cap. XXI. — De adventu Spiritus, et quid in eis effecerit, et quod in præsentibus non sit perfectio, sed inchoatio beatitudinis. 168
Cap. XXII. — Quod breviter de istis dictum sit, ut ostendatur quantum periculum sit acquiescere illorum scripturis, qui nihil de corporum resurrectione noverunt, et quod eorum definitio destructa sit et hoc spiritus carni subditus non capit. 170
Cap. XXIII. — Quod Teutonici quidam ab obedientia, et unitate Romanæ Ecclesiæ exciderint, dicentes se non habere pontificem nisi Cæsarem. 172
Cap. XXIV. — De epistola ab eis contra sanctum papam Gregorium facta, et quod ei epistolæ per gratiam Dei respondendum sit. 174
PAULUS S. PETRI CARNOTENSIS MONACHUS.
Notitia historica. 175
VETUS AGANO.
Monitum. 177
Liber primus, sive Hagani præsulis. 197
Liber secundus, sive Ragenfredi præsulis 219
Liber tertius, sive Widberti abbatis. 223
Liber quartus, sive Gisberti abbatis. 241
Liber quintus, sive Magenardi abbatis. 251
Liber sextus, sive Arnulfi abbatis. 261
Liber septimus, sive Landrici et Huberti abbatum. 273
Liber octavus, sive Eustachii abbatis. 347
Epitaphium Landrici abbatis. 367
GODEFRIDUS BULLONIUS, LOTHARINGIÆ DUX, HIEROSOLYMÆ REX PRIMUS.
Notitia historica. 369
EPISTOLÆ.
Epist. I. — Boemundi principis Antiochiæ ad Godefridum. — Ut Græcorum versutiam et dolos caveat. 389
Epist. II. — Godefridi ad Boemundum. 389
Epist. III. — Boemundi, Raymundi S. Ægidii, Godefridi, Roberti comitis Northmanniæ, Roberti comitis Flandrensis, Eustachii comitis Boloniæ ad Urbanum papam. — De obsidione et expugnatione Antiochiæ. 390
Epist. IV. — Boemundi, Raimundi comitis Sancti Ægidii, Godefridi ducis, et Hugonis Magni ad universos Christi fideles. — De pace inita cum imperatore Constantinopolitano, deque victoriis ab exercitu Christianorum reportatis in Turcas. 390
Epist. V. — Daimberti Pisani archiepiscopi, Godefridi Bullonii et Raymundi comitis S. Ægidii ad Paschalem papam. — De victoriis ab exercitu Christiano in terra sancta reportatis. 392
GODEFRIDI CONCIO AD MILITES CHRISTIANOS. — Ut pristinæ virtutis memores obsidioni Antiochiæ insistant. 392
DIPLOMATA. 392
I. — Præceptum Godefridi ducis pro cella Satanacensi. — Ecclesiam S. Dagoberti martyris, apud Satanacum sitam et ab Arnulfo comite occupatam, Gorziensibus monachis restituit. 392
II. — Godefridus Bullonius, dux Lotharingiæ, postea rex Hierosolymorum, copiosius dotat monasteriolum seu prioratum S. Petri, in municipio Bullonensi, a Godefrido Barbato Lotharingiæ duce, fundatum. 394
III. — Godefridus Bullonius, Lotharingiæ dux, ejusque

frater Balduinus (qui postea Hierosolymitani ex ordine reges fuerunt) ecclesiam S. Dagoberti, in Sathanaco Lotharingiæ oppido sitam, amplius dotandam curant. 395
ASSISES DE JERUSALEM. 397
Præfatio editionis Bituricensis anni 1690. 397
I. — Rubricæ. 401
II. — Excerpta quædam. 419
APPENDIX PRIMA. 451
Beatæ Idæ comitissæ Boloniæ, regis Godefridi matris, Vita. 451
Commentarius prævius. 431
§ I. — Conjugium B. Idæ. Ejus et mariti genus regium. Liberi procreati. 431
§ II. — Obitus B. Idæ. Varia acta scripta. Titulus sanctæ et beatæ. 435
B. Idæ Vita, auctore monacho Wastensi coævo. 437
Prologus. 437
CAP. I. — Beatæ Idæ prosapia, educatio, matrimonium, liberi, virtus in conjugio. 438
CAP. II. — Virtutes ejus in viduitate. Monasteria fundata. Miracula patrata. 440
CAP. III. — Puella surda et muta sæpius sanata. Pius obitus et sepultura B. Idæ. 444
CAP. IV. — Corpus incorruptum. Miracula post mortem. 446
Alia Vita, auctore J. Guillemans canonico regulari. 448
Prologus. 448
Historica relatio Vitæ. 450
Analecta de B. Idæ rebus gestis. 452
CAP. I. — Beneficia ecclesiæ Lensiensi et collegio canonicorum præstita. 452
CAP. II. — Monasteria in comitatu Boloniensi exstructa et restaurata. Monasterium Capellæ fundatum. 455
CAP. III. — Varia beneficia præstita monasteriis Bulloniensi, Affligemensi, Bertiniano et Lensiensi. Visa in exstasi Hierosolyma capta. 457
B. IDÆ DONATIONES PIÆ. 459
Osmundi episcopi Astoricensis epistola ad Idam. 459
Genealogia comitum Buloniensium, ed. L. C. Bethmann. 461
APPENDIX ALTERA. — MONUMENTA DE BELLO SACRO. 465
Imperatoris Constantinopolitani epistola ad Robertum Flandriæ comitem et omnes Christianos. 465
Patriarchæ Hierosolymitani et aliorum episcoporum epistola ad Occidentales. 469
Anselmi de Ribodimonte epistola ad Manassem archiepiscopum Remensem. 469
Odonis Bajocensis episcopi charta, per quam Jarentoni S. Benigni Divionensis abbati monasterium S. Vigoris Bajocensis concedit. 475
Hugonis Edesseni archiepiscopi epistola ad R. Remensem archiepiscopum et canonicos SS. Apostolorum et B. Symphoriani. — Reliquias S. Thaddæi et Abagari regis mittit. 477
Fulconis Andegavensis comitis donationes piæ. 479
I. — Ecclesiæ S. Mauritii Andegavensi prædia quædam concedit. 479
II. — Charta donationis pro monasterio S. Nicolai. 481
III. — Altera donatio pro eodem monasterio S. Nicolai. 482
Raimundi de Curamonta charta qua Hierosolymam proficiscens, prædia quædam monachis Tutelensibus impignorat. 483
Raimundi comitis S. Ægidii diploma de donatione medietatis villæ Gibellet facta S. Victori Massiliensi. 483
Dermatii cujusdam Hiberniensis proficiscentis Jerusalem Itineraria seu exhortatoria. 485
Gesta Tancredi in expeditione Jerosolymitana auctore Radulfo Cadomensi ejus familiari. 489
Raimundi de Agiles canonici Podiensis Historia Francorum qui ceperunt Jerusalem. 591
Roberti monachi S. Remigii in diœcesi Remensi Historia Hierosolymitana. 667
Petri Tudebodi sacerdotis Sinracensis Historia de Hierosolymitano itinere. 763
Fulcherii Carnotensis Historia Hierosolymitana. 821
Notitia in Fulcherium. 821
Præfatio in Historiam Hierosolymitanam. 823
Incipit historia. 825
Historia gestorum viæ nostri temporis Hierosolymitanæ, auctore Gilone Parisiensi. 941
Galterii cancellarii Antiochena bella. 993
Notitia. 993
Incipiunt Antiochena bella. 993
Fretelli archidiaconi liber locorum sanctorum terræ Jerusalem. 1057
Joannis Wirzburgensis presbyteri Descriptio terræ sanctæ. 1053
CAP. I. — Describuntur Nazareth, Acco, Cana Galilææ, Saltus Domini, mons Thabor, et Hermon, Naim, mons Endor, torrens Cisson, Jezraël, campus Mageddon, montes Gelboë, Scythopolis, Genunium, Dothaim, Samaria, Sichem, Sychar, Luza, mons Garisim et Gebal, Diospolis et Jerusalem paucis. 1053
CAP. II. — Bethlehem, Ecclesia S. Charitonis martyris. Templum Salomonis, ejusdemque diversis temporibus restaurationes. 1059
CAP. III. — Enarrantur ea, quæ in templo Jerosolymitano a Salvatore mundi ejusque apostolis, etc., gesta sunt, expositis locis in quibus quæque contigerunt. 1061
CAP. IV. — De Jordane fluvio, Quarentena deserto, Bethagla, Engaddi, montibus Charan et Carmeli, Gerlico, Gergessa, Cæsarea Palæstinæ, Hebron, valle Lacrymarum, agro Gebal, querco Mambre, Segor, spelunca Karnaim, monte Sinai, montibus Horeb et Abarim, Idumæa, Tyros, Sarephta. 1065
CAP. V. — Sidon, Berythus, Damascus, Arphat, Huss, Suita, Thema, Naamon, mons Seir et Libani, Farfar et Abbana fluvii, Paneas oppidum, Dan fons, Medan, Jor, Betsaida, Corozaim, Cedar. 1069
CAP. VI. — Capharnaum, locus Mensæ, Magdalum, Tiberias, Bethulia, Dothaim, Carnarium Leonis, mons Modin, Diospolis, Tecua, Jericho, Sichem, mons Offensionis, natatoria Siloe, quercus Rogel, vallis Josaphat. 1070
CAP. VII. — De Bethania, Bethphage, vico Gethsemani, cœnaculo Domini in monte Sion rebusque in singulis locis memoria dignis. 1073
CAP VIII. — De ecclesia Salvatoris, prætorio Pilati, turri Davidica et monte Calvariæ. 1075
CAP. IX. — Locus meditullii orbis terrarum, Emmaus, sepulcrum Domini, quædam de insignibus Germanorum de Palæstina meritis adversus Francos. 1079
CAP. X. — Locus Ascensionis Domini in monte Oliveti, sepulcrum S. Mariæ Dei genitricis in valle Josaphat, etc. 1083
CAP. XI. — Redit auctor ad descriptionem sacrorum locorum, muris Jerusalem inclusorum, hospitale S. Joannis Baptistæ, Parthenon Mariæ Majoris, cœnobium S. Mariæ Latinæ, et Sancti Sabbæ, ecclesiæ S. Jacobi, hospitale Alemannorum. 1084
CAP. XII. — Carcer sancti Petri apostoli, erecta inibi ecclesia, Porta Ferrea, palatium Salomonis, Ædes Templariorum, domus Simeonis Justi, ecclesia sanctæ Annæ, ejusdemque Parthenon, piscina Probatica, ecclesia S. Mariæ Magdalenæ, et Sancti Charitonis. 1086
CAP. XIII. — Missa in ecclesia S. Sepulcri dici solita die anniversario Dedicationis de recuperatione urbis Jerosolymitanæ per Christianos. Alia de Transfiguratione Domini. Oratio in missa de festo Præsentationis S. Mariæ virginis in templo. Diversæ inscriptiones in locis sacris exstantes. Finis operis. 1088
Anonymi brevis Narratio belli sacri. 1089
Versus de viris illustribus diœcesis Tarvanensis qui in sacra fuere expeditione. 1093
Lamentum lacrymabile super his qui in expeditione Jerosolymitana diversis mortibus, justo quidem sed occulto et inscrutabili Dei judicio interierunt. 1095
De primordiis et inventione sacræ religionis Jerosolymorum. 1097
Cartulaire de l'église du Saint-Sépulcre de Jérusalem, publié d'après les manuscrits du Vatican par M. Eugène de Rozière. 1105
Introduction. 1105
Privilegia ecclesiæ Sancti Sepulcri Jerusalem. 1111
I. — [Sine rubrica.] 1111
II. — [Sine rubrica.] 1111
III. — Littere Willelmi prioris et capituli Sancti Sepulcri. 1112
IV — De obedientia quam fecit ecclesie [Sancti] Sepulcri Maurus, abbas templi Domini. 1115
V. — De subiectione quam debet Tyrensis Ecclesia Ecclesie Ierosolimitane. 1113
VI. — De reverentia debita canonicis Sancti Sepulcri. 1113
VII. — De obedientia que debetur patriarche Ierosolimitano. 1113
VIII. — Privilegium domini patriarche et ecclesie Ierosolimitane. 1113
IX. — [Sine rubrica.] 1114
X. — Privilegium Paschalis II pape 1114
XI. — Privilegium ejusdem. 1114
XII. — Privilegium ejusdem. 1114
XIII. — Privilegium Calixti II pape. 1114
XIV. — Ejusdem de confirmatione canonicorum regu-

larium 1114
XV. — Privilegium Honorii II pape. 1114
XVI. — Aliud ejusdem. 1114
XVII. — Privilegium Innocentii II pape. 1114
XVIII. — Aliud privilegium ejusdem. 1114
XIX. — Privilegium Cœlestini II pape. 1114
XX. — Ejusdem de confirmatione possessionum ecclesie Sancti Sepulcri. 1115
XXI. — Privilegium Lucii pape II. 1115
XXII. — Privilegium pape Lucii II de confirmatione. 1115
XXIII. — Privilegium Eugenii III pape de confirmatione. 1115
XXIV. — De confirmatione oblationum aliud privilegium Eugenii III pape. 1115
XXV. — Privilegium Arnulfi patriarche. 1115
XXVI. — Privilegium Willelmi patriarche de confirmatione omnium possessionum. 1117
XXVII. — Aliud privilegium Willelmi patriarche de dono Quarentene. 1119
XXVIII. — Aliud privilegium Willelmi patriarche de decimis Ierico. 1120
XXIX. — Privilegium casalium et decimarum concessionis Balduini regis priori [s]. 1121
XXX. — Privilegium Balduini regis secundi de casali quod est apud Tyrum. 1122
XXXI. — Privilegium Fulconis regis tercii de duabus carrucatis terre que sunt in territorio Acconensi. 1123
XXXII. — Aliud privilegium Fulconis regis tercii de domibus Ierusalem. 1123
XXXIII. — Item aliud privilegium Fulconis regis tercii de cambitione Thecuhe. 1124
XXXIV. — Privilegium Balduini regis Latinorum quarti, ad canonicos de concessione casalis, quod vocatur Thecuhe. 1127
XXXV. — Privilegium Alexandri pape de confirmatione possessionum et ubertate ecclesie Sancti Sepulcri. 1129
XXXVI. — De compositione prebendarum ecclesie Ierusalem. 1129
XXXVII. — Privilegium Calixti pape. 1130
XXXVIII. — Ejusdem de ecclesia Sancti Salvatoris de Rubo. 1130
XXXIX. — Privilegium Innocentii II de confirmatione ecclesiæ Baruli et Brundisii et quarumdam aliarum. 1130
XL. — Privilegium Celestini pape de dono ecclesie que est in urbe Roma. 1130
XLI. — De decimis casalis Sancti Egidii. 1130
XLII. — Constitutio ut canonici insimul comederent. 1132
XLIII. — Privilegium de quodam casali, quod dicitur Cafermelech, sito in territorio Neapolis. 1132
XLIV. — Item Balduini regis secundi de dono casalis Cafermelech. 1133
XLV. — Privilegium Balduini regis secundi de absolutione consuetudinis porte Iherusalem. 1134
XLVI. — Privilegium Balduini regis secundi de consuetudine Acconensis portus. 1135
XLVII. — Privilegium Innocentii pape. 1136
XLVIII. — De remissione calumpnie, quam regina Milesendis faciebat super villanis de Betsurie et super Surianis de Calandria et de Ramethis et super vinea Domine Geltidis. 1136
XLIX. — Privilegium Milesendis regine de commutatione Iohannis patricii. 1137
L. Item privilegium Milesendis regine de confirmatione Vuetmoamel. 1139
LI. — Aliud privilegium Balduini regis quarti de commutatione Iohannis patricii. 1139
LII. — Item Balduini regis quarti de remissione calumpnie, quam regina Milesendis fecerat super villanis de Bethsurie. 1140
LIII. — Aliud privilegium Balduini regis quarti de confirmatione omnium possessionum. 1142
LIV. — Aliud privilegium Balduini regis quarti de confirmatione omnium possessionum. 1145
LV. — Item privilegium B[alduini] regis quarti de remissione calumpnie, quam faciebat super Surianis, et illius, quam regina faciebat super terra casalis Bethsurie. 1149
LVI. — Privilegium ejusdem Balduini regis quarti de confirmatione Vuetmoamel. 1150
LVII. — Privilegium ejusdem de confirmatione Huetdebes. 1152
LVIII. — Privilegium Amalrici comitis de dono Geladie et de confirmatione omnium possessionum quas ecclesia Sancti Sepulcri habet in terra sua. 1153
LIX. — Privilegium Amalrici comitis de confirmatione Vuetmoamel. 1154
LX. — Privilegium ejusdem de confirmatione Huetdebes. 1156
LXI. — Privilegium ejusdem de confirmatione vinee que fuit Naym Suriani. 1158
LXII. — Privilegium Hugonis de Ybelino de venditione Vuetmoamel. 1159
LXIII. — Privilegium ejusdem de venditione Huet debes. 1160
LXIV. — Privilegium Herberti abbatis sanctorum Joseph et Abacuc de commutacione Bethel. 1162
LXV. — Privilegium Hugonis de Ybelino, de dono Bethel. 1163
LXVI. — Privilegium de rebellione a priore et canonicis Montis Oliveti facta adversus canonicos Sancti Sepulcri, et satisfactione et de iuditio a personis inde facto. 1164
LXVII. — Privilegium Willelmi, Tyrensis archiepiscopi, de dono ecclesie Beate Marie, que est apud Tyrum. 1166
LXVIII. — Privilegium Petri, Tyrensis archiepiscopi. de decima casalis Derine. 1167
LXIX. — Aliud privilegium Petri, Tyrensis archiepiscopi, de testimonio divise facte apud castrum Feniculi cum G[ilduino], vallis Iosaphat abbate. 1168
LXX. — Privilegium Evremari, Cesariensis archiepiscopi, de decimis casalis Delfeisse. 1168
LXXI. — Privilegium Galterii, Cesaree domini, de dono et concessione casalis de Fraisse. 1170
LXXII. — Privilegium Iohannis, Acchonensis episcopi, de concessione ecclesie edificande in urbe Acchon et de dono ecclesie, que est in territorio casalis, quod dicitur Amimas. 1170
LXXIII. — Privilegium Rogerii Ramathensis episcopi, de dono et concessione casalium Capharut et Gibet Keseilta et Porphilia. 1171
LXXIV. — Privilegium Willelmi de Buris de dono duorum casalium, Gebub et Helkart, et de dono piscarie. 1172
LXXV. — Privilegium Bertrandi, militie Templi magistri, de remissione ct bisantiorum, quos iam dicte milicie annuatim persolvere solebamus. 1173
LXXVI. — Privilegium ejusdem de concessione decimarum. 1174
LXXVII. — Privilegium Willelmi, prioris tercii, de feodo sancti Lazari. 1175
LXXVIII. — Privilegium ejusdem de emptione vinee, que fuit Petri de Sancto Gauterio. 1176
LXXIX. — Privilegium Petri prioris de vinea, que fuit sororis Odierde. 1176
LXXX. — Aliud privilegium Petri prioris de domibus, que sunt super voltas concambii hospitalis. 1177
LXXXI. — Privilegium Amalrici prioris de vineis, quas Nemes Surianus et filii ejus et filii fratris sui habent apud Calandriam. 1178
LXXXII. — Privilegium Petri prioris de domo, que fuit hominis cujusdam, Bernardi nomine, et uxoris sue Aoise. 1179
LXXXIII. — Privilegium Bertoldi de dono omnium possessionum suarum et de confirmatione ecclesie, que est in den Kendorf. 1179
LXXXIV. — Privilegium Roderici de dono cuiusdam ville que appellatur Passerel, cum xxxi casalibus. 1180
LXXXV. — Privilegium Fulconis, regis Ierusalem tercii, cum esset rector ac baiulus Antiocheni principatus, de quadam domo, que est iuxta balneum, quondam Tancredi dictum. 1181
LXXXVI. — Privilegium eiusdem de confirmatione quarumdam possessionum quas ecclesia Sancti Sepulcri habet in Antiochia. 1182
LXXXVII. — Privilegium Risonis, Boamundi principis Antiocheni capellani, de dono domorum, quas in Antiochia habebat, cum pomerio ad eas pertinente. 1183
LXXXVIII. — Privilegium Raimundi principis de dono et concessione molendinorum et aliarum possessionum quas ecclesia Sancti Sepulcri habet in Antiochia. 1184
LXXXIX. — Privilegium Raimundi, principis Antiocheni, de judicio in ipsius curia facto de iniuria, quam conventus ecclesie Sancti Pauli diutissime canonicis Sancti Sepulcri super iniusta cuiusdam gardini possessione intulerat. 1185
XC. — Privilegium Petri prioris de duobus molendinis que habet ecclesia Sancti Sepulcri in Antiochia. 1189
XCI. — Privilegium Raimundi, Tripolitani comitis de dono domus que apud montem Peregrinum est. 1191
XCII. — Privilegium Cecilie, comittisse Tripolis, que concessit ut coquerent quicunque vellent in furno, quem habemus apud montem Peregrinum. 1193
XCIII. — Privilegium Raimundi Tripolitani comitis de

libertate quam habemus in portu Tripolis. 1193
XCIV. — Item aliud ejusdem et de eodem, sed universalis. 1194
XCV. — Privilegium Raimundi, comitis Tripolitani, de confirmatione quarumdam domorum. 1195
XCVI. — Privilegium domine Adalais, uxoris Hugonis Ebraici de xii bisantiis, quos annuatim nobis [habere] concessit. 1196
XCVII. — Privilegium Raimundi comitis de omnibus possessionibus, quas habemus in honore Tripolitano. 1196
XCVIII. — Privilegium Bertrandi, Tripolitani comitis, de tribus casalibus, Abdin, Habela, Beniharan. 1198
XCIX. — Privilegium Balduini, regis quarti, de concessione terre Iohannis Gothmanni. 1199
C. — Privilegium Iohannis Gothmanni de venditione terre. 1200
CI. — Privilegium Bernardi Bituricensis de quadam domo, quam dedit ecclesie Sancti Sepulcri. 1202
CII. — Privilegium Petri, prioris Sancti Sepulcri, et canonicorum de venditione ejusdem domus. 1203
CIII. — De emptione cuiusdam domus quam emit Bernardus Castelli Radulphi a Georgio Raico. 1203
CIV. — Privilegium, quod fecit Petrus, prior Sancti Sepulcri, Bernardo et uxori sue. 1204
CV. — Privilegium Ricardi Iaferini de quadam domo. 1205
CVI. — De quodam horto, quem dedit Mabilia ecclesie Sancti Sepulcri. 1205
CVII. — Privilegium Andree et Hosanne. 1206
CVIII. — De venditione duarum stationum ecclesie Sancti Sepulcri. 1207
CIX. — Recordatio conventionis et donationis, que facte fuerunt inter Mariam de Sancto Lazaro et Rogerium. 1207
CX. — De concessione cujusdam domus facta Benscelino et uxori sue. 1208
CXI. — De restitutione cujusdam feodi Rogerio de Sancto Lazaro. 1209
CXII. — De donatione facta Martino et uxori sue. 1209
CXIII. — Alia donatio Martino. 1210
CXIV. — De hereditate quam dedit Martinus Caroana ecclesie Sancti Sepulcri. 1210
CXV. — Privilegium canonicorum Sancti Sepulcri et Boneti. 1210
CXVI. — De venditione cujusdam domus, quam vendit Morage canonicis Sepulcri. 1211
CXVII. — Privilegium concordie de decimis de casalibus Emaus facte inter canonicos Sancti Sepulcri et Hospitales. 1212
CXVIII. — De pace reformata inter canonicos Sancti Sepulcri et monachos sancte Marie Mag[dalene]. 1213
CXIX. — Privilegium Eustachii Granerii de quodam molendino. 1213
CXX. — De commutatione duorum casalium, Megina et Mezera. 1214
CXXI. — De donatione cujusdam vinee quam Radulphus de Fontanellis dedit Gaufrido Acu. 1215
CXXII. — De promissione quam fecit Balduinus sancte ecclesie Ierosolimitane. 1215
CXXIII. — Privilegium controversie et diffinitionis casalis Gebul. 1215
CXXIV. — Privilegium donationis, confirmationis et libertatis casalium et piscarie in civitate Tabarie et tenimento eiusdem. 1216
CXXV. — De sex carrucatis terre hac parte fluminis Cayphe. 1217
CXXVI. — De dono et libertate Tyrensis ecclesie a venerabili archiepiscopo Petro facto canonicis Sancti Sepulcri. 1217
CXXVII. — Privilegium de Sayfa. 1218
CXXVIII. — Privilegium de oblationibus et libertate ecclesie Sancti Sepulcri ejusdem ecclesie canonicis pertinentibus. 1219
CXXIX. — Privilegium de commutationibus vinearum cum quibusdam burgensibus Mahumerie factis. 1219
CXXX. — De confraternitate Balduini de Tornaco. 1221
CXXXI. — De sacramento burgensium Mahumerie. 1222
CXXXII. — De quadam terra Mahumerie quam Robertus de Retesta habuit, contigua casali Salome. 1223
CXXXIII. — Privilegium Sapharoriore quod casale vendit Gibelinus ecclesie Sancti Sepulcri. 1224
CXXXIV. — Privilegium Roberti Porcarii de Mahumeria. 1225
CXXXV. — Privilegium hominum de Mahumeria super vineis. 1225
CXXXVI. — De conventione facta cum quibusdam mansuris in Ramathes 1226
CXXXVII. — Privilegium cujusdam domus quam Nicholaus, prior Sancti Sepulcri, dedit Stephano Pasnaic. 1227
CXXXVIII. — De donatione cujusdam domus, que est in Mahumeria. 1228
CXXXIX — De concessione cujusdam domus, que sita est in villa Mahumerie. 1228
CXL. — Privilegium trium vastinarum, quas vendidit abbas Sancti Sabe canonicis Sancti Sepulcri. 1228
CXLI. — De emptione cum priore et canonicis Sancti Sepulcri facta et Balduino, domino Sancti Egidii, super domibus et ceteris. 1229
CXLII. — Privilegium domini Guarini, abbatis Montis Thabor, et Petri, prioris Sancti Sepulcri. 1230
CXLIII. — De quadam pace reformata inter canonicos Sancti Sepulcri et monachos de Latina. 1231
CXLIV. — Privilegium Amalrici, quinti regis Latinorum, de dono et libertate ecclesie Sancti Sepulcri. 1232
CXLV. — Privilegium egregii regis Iohannis et nobilissime regine Marie de Francigia magni iardini. 1236
CXLVI. — Privilegium de libertate, quam concessit dominus papa Alexander priori et canonicis Sancti Sepulcri in ecclesiis Ierosolimitanis. 1237
CXLVII. — De dignitate priori et canonicis Sancti Sepulcri concessa a domino papa Alexandro in primis locis. 1237
CXLVIII. — Ut prior et canonici Sancti Sepulcri liberam habeant potestatem ordinandi domos et prioratus hobedientiarum. 1237
CXLIX. — De canonicis hobedientiam tenentibus. 1257
CL. — Privilegium de ecclesia Sancti Egidii de Roma. 1237
CLI. — De decimis Templariorum. 1237
CLII. — Sacramentum patriarche. 1237
CLIII. — In accipiendo pallione. 1237
CLIV. — Sacramentum regum Ierosolimorum. 1238
CLV. — Privilegium casalis feniculi de libertate et finibus terre. 1238
CLVI. — Privilegium ecclesie Dominici Sepulcri. 1239
CLVII. — Privilegium quod patriarcha non possit facere canonicos, nisi voluntate prioris. 1240
CLVIII. — Privilegium quod patriarcha non debeat habere nisi tertiam partem cere ecclesie Sancti Sepulcri. 1240
CLIX. — De decimis quas Hospitales tenentur reddere ecclesie Sancti Sepulcri. 1240
CLX. — Privilegium de ecclesia que est apud Neapolim. 1240
CLXI. — De ecclesia sancti Nicholai, que est extra muros Ioppen. 1241
CLXII. — Privilegium Ioppensis ecclesie. 1242
CLXIII. — De libertate ecclesie Sancti Sepulcri que Troie sita est. 1242
CLXIV. — Privilegium ecclesie Sancti Sepulcri que sita est apud Troiam. 1243
CLXV. — Donum cuiusdam domus ecclesie Sancti Sepulcri. 1243
CLXVI. — Privilegium Alexandri pape tertii. 1244
CLXVII. — Privilegium quod fecit Amalricus, patriarcha Ierusalem, canonicis [Sancti Sepulcri], de oblationibus. 1244
CLXVIII. — Donum factum ecclesie Sancti Sepulcri de quadam vinea. 1247
CLXIX. — De duobus quintariis racemorum, que Balduinus, rex sextus sancte civitatis Ierusalem, dedit ecclesie Sancti Sepulcri. 1248
CLXX. — Donum cuiusdam vinee, que sita est apud pedem montis Syon. 1249
CLXXI. — Privilegium domini W[illelmi], regis Sicilie. 1250
CLXXII. — Littere regis Sicilie. 1250
CLXXIII. — Donum Balduini Rufi et uxori[s] sue Artemilie. 1251
CLXXIV. — Privilegium libertatis molendinorum Sicilie. 1251
CLXXV. — Privilegium Troiane ecclesie et canonicorum Sancti Sepulcri a Willelmo, quondam pontifice Troiano. 1252
CLXXVI. — Privilegium de Lacridon in Cypro. 1253
CLXXVII. — De casali Pendekio. 1254
CLXXVIII. — Littere domini G..... patriarche Ierosolimitani. 1254
CLXXIX. — Privilegium de Palafrugello et Turicella de Monte Raso. 1255
CLXXX. — De decimis et possessionibus Iericho. 1256
CLXXXI — Privilegium Bernardi, Liddensis Ecclesiæ episcopi. 1256.

CLXXXII. — [Sine rubrica.] 1257
CLXXXIII. — [Sine rubrica.] 1258
CLXXXIV. — Privilegium Surianorum de Turcho de absolutione redditus porte David. 1259
CLXXXV. — [Sine rubrica.] 1260
Balduini I Hierosolymæ regis privilegium pro ecclesia Bethlehemitica. 1261
Regum Jerusalem, principum, prælatorum epistolæ viginti sex ad Ludovicum Francorum regem hujus nominis septimum, cognomine Juniorem. 1263
I. — R[aimundi] principis Antiocheni. 1265
II. — Giberti magistri hospitalis. 1263
III. — Amalrici regis Hierosolymorum 1264
IV. — A[malrici] patriarchæ S. Resurrectionis. 1266
V. — Ejusdem. 1267
VI. — Raimundi ducis Narbonæ, comitis Tolosæ, marchionis Provintiæ. 1268
VII. — R. de Balneo, fidelis imperatoris Constantinopolitani. 1268
VIII. — A[malrici] regis Hierosolymorum. 1269
IX. — B. de Blancesfort magistri militiæ Templi. 1269
X. — Ejusdem. 1270
XI. — Gilberti custodis hospitalis Hierusalem. 1270
XII. — A[malrici] regis Hierosolymorum. 1271
XIII. — B. de Blancesfort magistri militiæ Templi. 1272
XIV. — G. Fulcherii procuratoris domorum militiæ Templi. 1273
XV. — A[malrici] regis Hierusalem. 1274
XVI. — H. olim prioris de monte Thabor. 1275
XVII. — Petri prioris Hospitalis Constantinopolis. 1275
XVIII. — A. patriarchæ Dominicæ Resurrectionis ecclesiæ. 1276
XIX. — Hugonis abbatis S. Mariæ Adrianopolis et prioris S. Joannis Constantinopolis. 1276
XX. — Amalrici regis Hierosolymorum. 1277
XXI. — Bertrandi de Blancafort magistri militiæ Templi. 1277
XXII. — Amalrici regis Hierosolymorum. 1278
XXIII. — Gaufridi Fulcherii præceptoris Hierosolymitanæ domus. 1279
XXIV. — B. Raimundi filii principis Antiochiæ. 1280
XXV. — G. Fulcherii conservi militiæ Templi. 1280
XXVI. — B. militiæ Templi magistri. 1281
B. Ludovici Francorum regis epistola ad subditos de captione et liberatione sua. 1281
Versus de itinere Hierosolymitano. 1289

RADULPHUS ARDENS (1).

Notitia. 1293

HOMILIARUM TOMUS PRIMUS. — HOMILIÆ IN EPISTOLAS ET EVANGELIA.

Epistola nuncupatoria. 1665
Vita Radulphi ex ejus libris excerpta. 1667

HOMILIARUM PARS PRIMA.

Homilia I. — Dominica prima Adventus. 1667
Homilia II. — Dominica prima Adventus. 1671
Homilia III. — Dominica secunda Adventus. 1675
Homilia IV. — Dominica secunda Adventus. 1678
Homilia V. — Dominica tertia Adventus. 1681
Homilia VI. — Dominica tertia Adventus. 1684
Homilia VII. — Dominica quarta Adventus. 1688
Homilia VIII. — Dominica quarta Adventus. 1691
Homilia IX. — In Natali Domini. 1696
Homilia X. — In Natali Domini. 1699
Homilia XI. — In Natali Domini 1701
Homilia XII. — In Natali Domini. 1707
Homilia XIII. — Dominica prima post Natale Domini. 1719
Homilia XIV. — Dominica infra octavam Nativitatis Domini. 1721
Homilia XV. — In Circumcisione Domini. 1725
Homilia XVI. — In Epiphania Domini. 1727
Homilia XVII. — In die Epiphaniæ. 1731
Homilia XVIII. — Dominica prima post Epiphaniam Domini. 1734
Homilia XIX. — Dominica prima post Epiphaniam Domini. 1737
Homilia XX. — Dominica secunda post Epiphaniam Domini. 1740
Homilia XXI. — Dominica secunda post Epiphaniam Domini. 1742
Homilia XXII. — Dominica tertia post Epiphaniam. 1745
Homilia XXIII. — Dominica tertia post Epiphaniam. 1748
Homilia XXIV. — Dominica quarta post Epiphaniam. 1753
Homilia XXV. — Dominica quarta post Epiphaniam. 1756
Homilia XXVI. — Dominica in Septuagesima. 1759
Homilia XXVII. — Dominica in Septuagesima. 1762
Homilia XXVIII. — Dominica in Sexagesima. 1765
Homilia XXIX. — Dominica in Sexagesima. 1768
Homilia XXX. — Dominica in Quinquagesima. 1770
Homilia XXXI. — Dominica in Quinquagesima. 1775
Homilia XXXII. — Feria quarta in Capite jejunii. 1778
Homilia XXXIII. — Feria quarta in Capite jejuniorum. 1782
Homilia XXXIV. — Dominica prima Quadragesimæ. 1785
Homilia XXXV. — Dominica prima Quadragesimæ. 1788
Homilia XXXVI. — Dominica prima Quadragesimæ. 1793
Homilia XXXVII. — Dominica secunda Quadragesimæ. 1797
Homilia XXXVIII. — Dominica secunda Quadragesimæ. 1800
Homilia XXXIX. — Dominica tertia Quadragesimæ. 1803
Homilia XL. — Dominica tertia Quadragesimæ. 1805
Homilia XLI. — Dominica quarta Quadragesimæ. 1811
Homilia XLII. — Dominica quarta Quadragesimæ. 1815
Homilia XLIII. — Dominica quinta Quadragesimæ. 1820
Homilia XLIV. — Dominica quinta Quadragesimæ. 1823
Homilia XLV. — Dominica in Ramis Palmarum. 1827
Homilia XLVI. — Dominica in Ramis Palmarum. 1830
Homilia XLVII. — In Cœna Domini. 1833
Homilia XLVIII. — In Cœna Domini. 1838
Homilia XLIX. — In Parasceve. 1842
Homilia L. — In Vigilia Paschæ. 1844
Homilia LI. — In die sancto Paschæ. 1848
Homilia LII. — In die sancto Paschæ. 1852
Homilia LIII. — Feria secunda Paschæ. 1857
Homilia LIV. — Dominica prima post Pascha. 1862
Homilia LV. — Dominica prima post Pascha. 1864
Homilia LVI. — Dominica secunda post Pascha. 1870
Homilia LVII. — Dominica secunda post Pascha. 1873
Homilia LVIII. — Dominica tertia post Pascha. 1877
Homilia LIX. — Dominica tertia post Pascha. 1880
Homilia LX. — Dominica quarta post Pascha. 1884
Homilia LXI. — Dominica quarta post Pascha. 1888
Homilia LXII. — Dominica quinta post Pascha. 1892
Homilia LXIII. — Dominica quinta post Pascha. 1894
Homilia LXIV. — In litania majori. 1899
Homilia LXV. — In litania majori. 1902
Homilia LXVI. — In Vigilia Ascensionis Domini 1906
Homilia LXVII. — In Vigilia Ascensionis Domini. 1911
Homilia LXVIII. — In Ascensione Domini. 1917
Homilia LXIX. — In Ascensione Domini. 1922
Homilia LXX. — Dominica prima post Ascensionem. 1927
Homilia LXXI. — Dominica prima post Ascensionem. 1932
Homilia LXXII. — In die sancto Pentecostes. 1935
Homilia LXXIII. — In die sancto Pentecostes. 1940

HOMILIARUM PARS SECUNDA.

Homilia I. — In die Trinitatis. 1943
Homilia II. — In die Trinitatis. 1949
Homilia III. — In festo sanctæ Trinitatis. 1953
Homilia IV. — Dominica prima post Trinitatem. 1957
Homilia V. — Dominica prima post Trinitatem. 1962
Homilia VI. — Dominica secunda post Trinitatem. 1966
Homilia VII. — Dominica secunda post Trinitatem. 1969
Homilia VIII. — Dominica tertia post Trinitatem. 1972
Homilia IX. — Dominica tertia post Trinitatem. 1976
Homilia X. — Dominica quarta post Trinitatem. 1979
Homilia XI. — Dominica quarta post Trinitatem. 1982
Homilia XII. — Dominica quinta post Trinitatem. 1986
Homilia XIII. — Dominica quinta post Trinitatem. 1989
Homilia XIV. — Dominica sexta post Trinitatem. 1993

(1) Radulphi Homiliarum tomi utriusque, quos typothetarum oscitantia in duas partes distraxit, hic sub uno conspectu rubricæ exhibentur.

Homilia XV. — Dominica sexta post Trinitatem. 1996
Homilia XVI. — Dominica septima post Trinitatem. 2000
Homilia XVII. — Dominica septima post Trinitatem, 2003
Homilia XVIII. — Dominica octava post Trinitatem. 2007
Homilia XIX. — Dominica octava post Trinitatem. 2010
Homilia XX. — Dominica nona post Trinitatem. 2013
Homilia XXI. — Dominica nona post Trinitatem. 2017
Homilia XXII. — Dominica decima post Trinitatem. 2020
Homilia XXIII. — Dominica decima post Trinitatem 2023
Homilia XXIV. — Dominica undecima post Trinitatem. 2026
Homilia XXV. — Dominica undecima post Trinitatem. 2030
Homilia XXVI. — Dominica duodecima post Trinitatem. 2033
Homilia XXVII. — Dominica duodecima post Trinitatem. 2036
Homilia XXVIII. — Dominica decima tertia post Trinitatem. 2039
Homilia XXIX. — Dominica decima tertia post Trinitatem. 2043
Homilia XXX. — Dominica decima quarta post Trinitatem. 2048
Homilia XXXI. — Dominica decima quarta post Trinitatem. 2052
Homilia XXXII. — Dominica decima quinta post Trinitatem. 2056
Homilia XXXIII. — Dominica decima quinta post Trinitatem. 2060
Homilia XXXIV. — Dominica decima sexta post Trinitatem. 2063
Homilia XXXV. — Dominica decima sexta post Trinitatem. 2065
Homilia XXXVI. — Dominica decima septima post Trinitatem. 2067
Homilia XXXVII. — Dominica decima septima post Trinitatem. 2070
Homilia XXXVIII. — Dominica decima octava post Trinitatem. 2073
Homilia XXXIX. — Dominica decima octava post Trinitatem. 2076
Homilia XL. — Dominica decima nona post Trinitatem. 2085
Homilia XLI. — Dominica decima nona post Trinitatem. 2089
Homilia XLII. — Dominica vicesima post Trinitatem. 2092
Homilia XLIII. — Dominica vicesima post Trinitatem. 2095
Homilia XLIV. — Dominica vicesima prima post Trinitatem. 2098
Homilia XLV. — Dominica vicesima tertia post Trinitatem. 2102
Homilia XLVI. — Dominica vicesima secunda post Trinitatem. 2104
Homilia XLVII. — Dominica vicesima secunda post Trinitatem. 2107
Homilia XLVIII. — Dominica vicesima tertia post Trinitatem. 2110
Homilia XLIX. — Dominica vicesima tertia post Trinitatem. 2115

HOMILIARUM TOMUS SECUNDUS. — HOMILIÆ IN EPISTOLAS ET EVANGELIA SANCTORUM.

Epistola nuncupatoria. 1299
Pars prima. — Homiliæ de tempore. 1301
I. — In solemnitate sancti Andreæ apostoli. 1301
II. — Item. 1305
III. — In die sancti Stephani. 1308
IV. — Item. 1313
V. — In festo sancti Joannis evangelistæ. 1318
VI. — In eodem festo sermo de Evangelio. 1321
VII. — In festo sanctorum Innocentum. 1324
VIII. — Item. 1328
IX. — In conversione beati Pauli apostoli. 1332
X. — Item. 1335
XI. — In Purificatione beatæ Mariæ Virginis. 1339
XII. — Item. 1342
XIII. — In cathedra sancti Petri. 1346
XIV. — In festo sancti Mathiæ. 1349
XV. — In Annuntiatione beatæ Mariæ. 1353
XVI. — Item. 1358
XVII. — In festo apostolorum Philippi et Jacobi. 1364
XVIII. — In Inventione sanctæ crucis. 1368
XIX. — Item. 1372
XX. — In Nativitate sancti Joannis Baptistæ. 1376
XXI. — Item. 1381
XXII. — In festo beati Petri apostoli. 1384
XXIII. — Item. 1388
XXIV. — In natali beati Pauli. 1392
XXV. — In festo beatæ Mariæ Magdalenæ. 1397
XXVI. — In festo beati Jacobi apostoli. 1402
XXVII. — In Transfiguratione Domini. Sermo de epistola B. Petri, quæ legitur in eodem festo. 1406
XXVIII. — In Transfiguratione Domini. 1410
XXIX. — In passione beati Laurentii. 1415
XXX. — In Assumptione beatæ Mariæ Virginis. 1421
XXXI. — Item. 1425
XXXII. — In festo sancti Bartholomæi. 1430
XXXIII. — In Decollatione beati Joannis Baptistæ. 1435
XXXIV. — In Nativitate beatæ Mariæ Virginis. 1439
XXXV. — In eodem festo. Sermo de Evangelio. 1443
XXXVI. — In Exaltatione sanctæ crucis. 1447
XXXVII. — In festo beati Matthæi. 1450
XXXVIII. — In festo angelorum. Sermo de Apocalypsi. 1456
XXXIX. — In eodem festo. Sermo de Evangelio. 1459
XL. — In festo sancti Lucæ. 1465
XLI. — In festo Omnium Sanctorum. 1470
XLII. — Item. 1473
XLIII. — In Commemoratione defunctorum. Sermo de Apocalypsi. 1482
XLIV. — In eadem. Sermo de Evangelio. 1486
Pars secunda. — Homiliæ de Sanctis. 1489
Commune SS. apostolorum.
I. — [Sine rubrica.] 1489
II. — In eodem. Sermo de Joanne. 1494
III. — De apostolis. 1498
IV. — De apostolis. Sermo de Joanne. 1501
V. — De apostolis. Sermo de epistola beati Pauli. 1506
VI. — De apostolis. Sermo de Luca. 1509
VII. — De apostolis. Sermo de Apocalypsi. 1513
VIII. — De apostolis. Sermo de Matthæo. 1517
Commune martyrum. 1521
IX. — Unius martyris. Sermo. 1521
X. — Unius martyris. Sermo de Joanne. 1526
XI. — Item. Sermo de libro Sapientiæ. 1531
XII. — Item. Sermo de Matthæo. 1533
XIII. — Item. Sermo de libro Sapientiæ. 1538
XIV. — Item. Sermo de Luca. 1541
XV. — Plurimorum martyrum. Sermo de epistola ad Hebræos. 1544
XVI. — Item. Sermo de Luca. 1548
XVII. — Item. Sermo de libro Sapientiæ. 1552
XVIII. — Item. Sermo de Luca. 1555
XIX. — Item. Sermo de libro Sapientiæ. 1559
XX. — Item Sermo de Luca. 1564
Commune unius confessoris. 1566
XXI. — Unius confessoris. Sermo de libro Sapientiæ. 1566
XXII. — Item. Sermo de Matthæo. 1573
XXIII. — Item. Sermo de libro Sapientiæ. 1578
XXIV. — Item. Sermo de Matthæo. 1583
XXV. — Item. De epistola ad Hebræos sermo. 1586
XXVI. Item. Sermo de Luca. 1590
XXVII. — Unius confessoris non episcopi. Sermo de libro Sapientiæ. 1594
XXVIII. — Item. Sermo de libro Sapientiæ. 1598
XXIX. — Item. Sermo de Luca. 1601
Commune unius virginis 1605
XXX. — Unius virginis. De epistola ad Corinthios sermo. 1605
XXXI. — Item. Sermo de Matthæo. 1609
XXXII. — Unius continentis. De libro Sapientiæ sermo. 1614
XXXIII. — Unius virginis. Sermo de Matthæo. 1621

THOMAS EBORACENSIS EPISCOPUS

EPITAPHIUM GUILLELMI REGIS. 1623
EPISTOLÆ AD LANFRANCUM. 1625
EPISTOLA AD ARCHIEPISCOPOS ET EPISCOPOS PER ANGLIAM CONSTITUTOS. 1626

RICHARDUS DE DUMELLIS ABBAS PRATELLINUS.

Notitia historica. 1627
COMMENTARIUM IN GENESIM. 1629
EPISTOLA AD S. ANSELMUM CANTUARIENSEM. 631

ALBERICUS OSTIENSIS EPISCOPUS.

EPISTOLA AD MONACHOS S. ORIENTII AUXITANENSIS. — De concordia inter archiepiscopum Auxitanensis ecclesiæ et S. Orientii monasterium. 1631

FULCARDUS WESTMONASTERIENSIS MONACHUS.

Notitia. 1633
LIBELLUS DE FUNDATIONE ABBATIÆ WESTMONASTERIENSIS. 1635

AMATUS BURDEGALENSIS EPISCOPUS.

Notitia. 1637
EPISTOLÆ. 1637
I. — Ad Radulfum Turonensem archiepiscopum. — Ut concilio Burdigalensi intersit, et de Gervasio S. Salvini abbate. 1641
II. — Ad Goffridum abbatem Vindocinensem. — Significat restitutam monasterio illius ecclesiam Oleronensem. 1642
SYNODUS GERUNDENSIS celebrata temporibus Gregorii papæ, instante episcopo Amato ejus legato anno 1078. 1643
SYNODUS BURDEGALENSIS, Amato apostolicæ sedis legato præside, anno 1080 habita. 1645
DIPLOMATA. 1647
I. — Judicium Amati, archiepiscopi Burdegalensis et apostolicæ sedis legati, in gratiam monasterii Sanctæ Crucis. 1647
II. — Amatus archiepiscop. Burdegalens. dat Silvæ-Majori ecclesiam S. Lupi. 1648
III. — Quædam acta ad Amatum Burdegalensem spectantia. 1649

POPPO METENSIS EPISCOPUS.

Notitia. 1649
DIPLOMATA. 1651
I. — Integram centenam S. Juliani abbatiæ S. Vincentii concedit, et omnia bona ejus confirmat. 1651
II. — Jura advocatorum Amelliæ ordinat. 1653

FINIS TOMI CENTESIMI QUINQUAGESIMI QUINTI.

Ex typis L. MIGNE, au Petit-Montrouge.